E 1.33

BIBLIOTECA DELLA REGIA UNIVERSITÀ DI TORINO

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

RERVM
ANGLICARVM
SCRIPTORES POST BEDAM PRAECIPVI, EX VETVSTISSIMIS CODICIBVS MANVSCRIPTIS NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITI.

E' 1·33

WILLIELMI *Monachi Malmesburienſis de geſtis regum Anglorum lib. V.*
Eiuſdem Hiſtoriæ Nouellæ lib. II.
Eiuſdem de geſtis Pontificum Angl. lib. IIII.
HENRICI *Archidiaconi Huntindonienſis Hiſtoriarum lib. VIII.*
ROGERI HOVEDENI *Annalium pars prior & poſterior.*
Chronicorum ETHELVVERDI *lib. IIII.*
INGVLPHI *Abbatis Croylandenſis hiſtoriarum lib. I.*

Adiecta ad finem CHRONOLOGIA,
Cum Indice Rerum ac verborum memorabilium locupletiſſime.



BIBLIOTECA DELLA R. UNIVERSITÀ DI TORINO

FRANCOFVRTI,
Typis Wechelianis apud Claudium
Marnium & heredes Ioannis Aubrij.
M. DCI.

SERENISSIMÆ POTENTISSIMÆQVE PRINCIPI ELIZABETHÆ, ANGLIÆ, FRANCIÆ, & Hyberniæ Reginæ, &c.

HISTORIÆ *noſtræ particulam quidam non malè: ſed qui totum corpus ea fide, eaq; dignitate ſcriptis complexus ſit, quam ſuſcepti operis magnitudo poſtularet, hactenus plane neminem extitiſſe conſtat. Nam* POLYDORVS, *vt homo Italus, & in rebus noſtris hoſpes, & (quod caput eſt) neq; in rep. verſatus, nec magni alioqui vel iudicii vel ingenii, pauca ex multis delibans, & falſa plerumq; pro veris amplexus, hiſtoriam nobis reliquit cum cætera mendoſam, tum exiliter ſane & ieiune conſcriptam. Noſtri ex fæce plebis hiſtorici, dum maieſtatem tanti operis ornare ſtuduerunt, putidiſſimis ineptiis contaminarunt. Ita factum eſt neſcio qua huiuſce inſulæ infœlicitate, vt maiores tui, (ſereniſſima Regina) viri maximi, qui magnam huius orbis noſtri partem imperio complexi, omnes ſui temporis reges rerum geſtarum gloria facile ſuperarunt, magnorum ingeniorum quaſi lumine deſtituti, iaceant ignoti, & deliteſcant. Cui malo dum medicinam quærerem, neq; ita eſſem vel animo vacuus, vel ab illis ſubſidiis & quaſi inſtrumentis hiſtoriæ ſcribendæ inſtructus, vt opus à fundamentis extruerem victurum, ſeriſq; nepotibus temporum illorum memoriam tranſmiſſurum: feci tamen, quod potui, non inuitus, vt ex ſitu, & ſqualore, puluereq; eruerem, & in lucem primus emitterem vetuſtiſſimos rerum noſtrarum authores, non illos quidem facundos, ſed fidos rerum geſtarum interpretes: eo conſilio, vt alii, qui & otio abundarent & ingenio, hos quaſi ad manum haberent rerum noſtrarum commentarios, vnde ſumerent, quæ ad tanti operis exædificationem pertinerent. Inter quos cum & narrationis fide, & iudicij maturitate principem locum teneat* GVILIELMVS MALMESBVRIENSIS, *homo, vt erant illa tempora, literate doctus, qui ſeptingentorum plus minus annorum res tanta fide & diligentia pertexuit, vt è noſtris prope ſolus hiſtorici munus expleſſe videatur: hunc mihi cum primis è tenebris eruendum, tuoq; Auguſtiſſimo nomini inſcribendum*

curaui: vt qui olim ſæculorum aliquot obſcuritatem ingenii ſui lumine diſcußit, nunc viciſsim rediuiuus à ſereniſsima Maieſtate tua lucem & ſplendorem mutuetur. Huic proximi, ſed longo forſan interuallo proximi HVNTINDONIENSIS, & HOVEDENVS, *authores cum primis boni & diligentes, veriſsimique ſuperiorum temporum indices: quibus* INGVLPHVM *à plurimis antiquitatum noſtrarum ſitientibus magnopere deſideratum adiecimus, &, qui maiores tuos propinquo affinitatis gradu contingit, nobilitatis non minus quam antiquitatis cauſa* ELVVARDVM. *Jam vero non id agam, vt longiore oratione, cur in tuo potiſsimum nomine hoc quantulumcunque operis apparere voluerim, oſtendam: neque rem per ſe exilem verborum amplitudine ornabo. Nam ſi, quod à Philoſophis accepimus, diſsimilis ſit munerum & debitorum conditio, quod in muneribus magna eorum, quibus offeruntur, habenda ratio: debita vero vel minima maximis quibuſque ſunt perſoluēda: quid me hac in cauſa facere æquum fuit, quem diuinis Maieſtatis tuæ virtutibus iampridem in tui obſequium & admirationem raptum, ita porro ſummis tuis beneficiis deuinxiſti, vt me meaque omnia non vſu ſolum & fructu, ſed mancipio etiam ac nexu tua eſſe libentiſsime agnoſcam? Et vero ſi recte ratiocinamur, cui potius Britannorum, Saxonum, Normannorum res geſtas offerre debui, quam Maieſt. tuæ, quæ non modo quas ſinguli ſingulas ditiones obtinuerunt, has vna vniuerſas hæreditario iure adiiſti, verum etiam omnes iſtorum omnium virtutes animo plane heroico es complexa? quæ ſola tot annos in communibus Europæ totius tempeſtatibus dulciſsimæ patriæ tuæ beatiſsimam tranquillitatem infudiſti: quæ denique ſola, quid in ſumma poteſtate ſumma bonitas poßit, tuo nos exemplo docuiſti. Sed alterius ſunt hæc operis, alterius temporis. Interim vero ſereniſsimam Maieſt. tuam ſuppliciſsime rogatam volo, vt quē hactenus beneficiis tuis quam ampliſsimis ornatum eſſe voluiſti, eum deinceps regia tua & benignitate complecti, & authoritate tueri digneris. Deus optimus maximus Ma. tuam nobis reique publ. Chriſtianæ quam diutiſsime incolumem conſeruet.*

Sereniſſimæ Ma. tuæ

deuotiſſimus

HENRICVS SAVILE.

WILLIELMI

MONACHI

Malmesburienſis,

DE GESTIS REGVM ANGLORVM,

Libri V.

Eiusdem hiſtoriæ Nouellæ, libri duo.

Eiusdem de Pontificibus Anglorum, libri quinque.

Anno ab incarnatione,

M. DCI.

Digitized by Google

EPISTOLA AVTHORIS AD ROBERTVM COMITEM GLOCESTRIÆ, HENRICI PRIMI FILIVM naturalem.

DOMINO venerabili & famoſo Comiti filio Regis *Roberto Willielmus* monachus Malmesburiæ ſalutem,& ſi quas valet orationes. Virtus clarorum virorum illud vel maxime in ſe laudãdum commendat, quod etiam longe poſitorum animos ad ſe diligendum inuitat. vnde inferiores ſuperiorum virtutes faciunt ſuas, dum earum adorant veſtigia, ad quarum aſpirare non valent exempla. Porro totum ad maiorum redundat gloriam, quod ipſi & bonum faciunt,& minores ad ſe amandum accedunt. Veſtrum eſt igitur,ô duces,ſi quid facimus boni: veſtrum profecto, ſi quid dignum memoria ſcribimus. veſtra induſtria eſt nobis incitamento, vt quia pericula veſtra paci noſtræ impenditis, vos viciſſim per labores noſtros omni æuo inclareſcatis. Hinc eſt quod geſta regum Anglorum quæ nuper edidi, vobis potiſſimum conſecranda credidi, Domine Comes venerabilis & merito amabilis. Nullum enim magis decet bonarum artium eſſe fautorem, quam te: cui adhæſit magnanimitas aui, munificentia patrui, prudentia patris: quos cum æmulus induſtriæ lineamentis repræſentes, illud peculiare gloriæ tuæ facis, quod literis inſiſtis. Quid quod etiam notitia tua dignaris literatos, quos vel inuidia famæ, vel tenuitas fortunæ facit obſcuros. Quia enim natura indulget ſibi, quod quis probat in ſe ipſo, non improbat in altero. conſentaneos ergo ſibi mores experiuntur in te literati, quos citra intellectum vllius acrimoniæ benignus aſpicis, iucundus admittis, munificus dimittis. Nihil plane in te mutauit fortunæ amplitudo, niſi vt pene tãtum benefacere poſſes, quantum velles. Suſcipe ergo (virorum clariſſime) opus, in quo te quaſi ex ſpeculo videas: dum intelliget tuæ ſerenitatis aſſenſus ante te ſummorum procerum imitatum facta, quam audires nomina. Continentiam autem huius operis Prologus primi libri exponit. quod ſi placuerit legere, materiam totam poteris de compendio colligere. illud à veſtra dignitate impetratum velim, vt non mihi vertatur vitio quod ſæpe per exceſſum alias quam in gente noſtra peregrinatur narratio. Volo enim hoc opus eſſe multarum hiſtoriarum breuiarium, quamuis à maiore parte vocauerim geſta Regum Anglorum.

PROLOGVS.

RES *Anglorum geſtas* Beda *vir maxime doctus & minime ſuperbus, ab aduentu eorum in Brittanniam vſq; ad ſuos dies plano & ſuaui ſermone* * *deſcribit: Poſt eum non facile vt arbitror reperies, qui hiſtoriis illius gentis Latina oratione texendis animum dederit. Viderint alij ſi quid earum rerum vel iam inuenerint, vel poſt hæc inuenturi ſint, noſter labor licet in quærendo ſollicitas duxerit excubias, fruſtra ad hoc tempus conſumpſit operam. Sunt ſane quædam vetuſtatis indicia chronico more & patrio ſermone per annos domini ordinata. Per hæc obliuionis ſenium eluctari meruerunt quæcunq; poſt illum virum fluxerunt tempora. Nam de* Elwardo *illuſtri & magnifico viro, qui chronica illa Latine aggreſſus eſt digerere, præſtat ſilere. Cuius mihi eſſet intentio animo, ſi non eſſent verba faſtidio. Nec vero noſtram effugit conſcientiam domini* Edmeri *ſobria ſermonis feſtiuitate elucubratum opus, in quo à Rege orſus* Edgaro *vſq; ad* Willielmum *primum raptim tempora perſtrinxit, & inde licentius euagatus vſque ad obitum* Radulfi *Archiepiſcopi, diffuſam & neceſſariam hiſtoriam ſtudioſis exhibuit. Ita prætermiſſis à tempore* Bedæ *223. annis, quos iſte nulla memoria dignatus eſt, abſq; literarum patrocinio claudicat curſus temporum in medio: vnde mihi cum propter patriæ charitatem, tum propter adhortantium autoritatem voluntati fuit interruptam temporum ſeriem ſarcire, & exarata barbarice Romano ſale condire, & vt res ordinatius procedat, aliqua ex his, quæ ſæpe dicendus* Beda *dixit, deflorabo, pauca perſtringens, pluribus valefaciens.*

al. abſoluit.

Procedat itaq; primus libellus de Anglorum geſtis ſuccinctus, ex quo Brittanniam occupauerunt vſq; ad regem * Egbertum, *qui (varia ſorte profligatis Regulis) Inſulæ pene totius Monarchiam nactus eſt. Sed cum quatuor ex Anglis potentiſſima pullulauerunt regna: Cantuaritarum, Weſt-Saxonum, Northanhimbrorum, Merciorum, quæ omnia ſigillatim (ſi erit ocium) proſequi meditamur: prius de illo dicendum, quod & adoleuit maturius & exaruit celerius. Quod profecto fiet expeditius, ſi regna Orientalium Anglorum & Orientalium Saxonum poſt aliorum tergum poſuero, quæ & noſtra cura & poſterorum memoria parum putamus digna.*

al. Egbirtum.

Secundus lib. ad aduentum Normannorum, producit lineam Regalium temporum.

Tres reliqui in geſtis trium regum verſabuntur: his adiectis quæ diebus illorum alibi acciderant, & celebrem ſui notitiam, celebritate geſtorum exigunt: Hæc ita polliceor, ſi conatui noſtro diuinus fauor arriſerit, & me præter ſcopulos * *confragoſi ſermonis euexerit, ad quos* Elwardus *dum tinnula & emendicata verba venatur, miſerabiliter impegit. Si quis vero, vt ille ait, ſi quis hæc quoque captus amore leget, ſciat me nihil de retroactis, præter cohærentiam annorum pro vero paciſci, fides dictorum penes auctores erit. Quicquid vero de recentioribus ætatibus appoſui, vel ipſe vidi, vel à viris fide dignis audiui. Cæterum in vtramuis partem præſentium non magnipendo iudicium, habiturus vt ſpero, apud poſteros poſt deceſſum amoris & liuoris, ſi non eloquentiæ titulum, ſaltem induſtriæ teſtimonium.*

al. naufragoſi.

DE ADVENTV ANGLORVM, ET REgibus Cantuarienſium.

CAPVT I.

ANNO ab incarnatione Domini, 449. venerunt Angli & Saxones in Brittanniam, aduentus cauſam licet vſq; quaque decantatam, non ab re fuerit hîc intexere: & vt quod intendo clarius eluceſcat, altius ordiendum. Romani Brittanniam per *Iulium Cæſarem* in latas leges iurare compulſam magna dignatione coluerunt, vt & in annalibus legere, & in veterum ædificiorum veſtigiis eſt videre. Ipſi etiam principes qui toti pene orbi imperitarent huc aucupatis occaſionibus libenter adnauigare, hîc æuum ſolebant tranſigere. Denique *Seuerus* & *Conſtantius* imperatores ampliſſimi ambo apud inſulam hanc diem functi & ſummo ſunt honore funerati: quorum *Seuerus* ob Prouinciam ab incurſione Barbarorum muniendam celebrem illam & vulgatiſſimam foſſam de mari ad mare duxit. *Conſtantius* (vt aiunt) vir magnæ ciuilitatis *Conſtantinum* ex *Helena* ſtabularia ſuſceptum, egregiæ ſpei iuuenem reliquit hæredem: qui ab exercitu Imperator conſalutatus, expeditione in ſuperiores terras indicta, magnam manum militum Brittannorum abduxit, per quorum induſtriam, triumphis

ad vota fluentibus breuì rerum potitus, emeritós & laboribus functos, in quadam parte Galliæ ad occidentem ſuper littus Oceani collocauit: vbi hodieq; poſteri eorum manentes immane quantum coaluere, moribus linguaq; nonnihil à noſtris Brittonibus degeneres.

SVCCEDENTIBVS annis in eadem inſula, *Maximus* homo aptus imperio, ſi non contra fidem ad tyrannidem anhelaſſet, quaſi ab exercitu impulſus purpuram induit, ſtatimq; in Galliam tranſitum parans, ex prouincia omnem pene militem abraſit. *Conſtantinus* etiam quidam non multo poſt ibidem ſpe nominis imperator allectus, quicquid reſiduum erat militaris roboris exhauſit: ſed alter à *Theodoſio*, alter ab *Honorio* interfecti, rebus humanis ludibrio fuerunt: copiarum quæ illos ad bellum ſecutæ fuerant, pars occiſa, pars poſt fugam ad ſuperiores Brittones conceſſit. Ita cum tyranni nullum in agris præter ſemibarbaros, nullum in vrbibus præter ventri deditos reliquiſſent, Brittannia omni patrocinio militaris vigoris viduata, omni artium exercitio exinanita conterminarum gentium inhiationi diu obnoxia fuit.

SIQVIDEM è veſtigio Scotorum & Pictorum incurſione mortales multi cæſi, villæ incenſæ, vrbes ſubrutæ, prorſus omnia ferro incendioq; vaſtata: turbati inſulani, qui omnia tutiora putarent quam prælio decernere, partim pedibus ſalutem quærentes fuga in montana contendunt, partim ſepultis theſauris, quorum pleriq; in hac ætate defodiuntur, Romam ad petendas ſuppetias ire intendunt: Romani miſeratione infracti, nihilq; antiquius æſtimantes, quam feſſis ſociorum rebus opem * porrigere, ſemel & iterum proturbato hoſte, operam ſuam exhibuerunt: Poſtremo longinquæ peregrinationis pertæſi aduentum in poſterum excuſant: diſcerent ipſi potius à Martio patrum calore non degenerare, armis & animis patriam defenſare. Adiiciunt verbis formam muri pro ſui tuitione conſtruendi, ad propugnacula excubandi, in hoſtem ſi neceſſe ſit, procurſandi, & cætera quæ diſciplina militaris exigit exequendi: poſt monita lachrymis miſerorum comitati diſcedunt: abeuntes fœlix fortuna proſequens, votis ſuorum reſtituit. Tum vero Scotti deſperati reditus audito nuncio, incunctantes & plus ſolito in Brittones irruere, murum complanare, paucos reſiſtentes opprimere, prædas non ignobiles domum agere: at vero vulgus terræ reliquum ad palatium aduolat regis ſui fidem implorans.

al. impendere

ERAT eo tempore Rex Britanniæ *Vortigernus* nomine, nec manu promptus nec conſilio bonus, imo ad illecebras carnis pronus omniumq; fere vitiorum mancipium: quippe quem ſubiugaret auaritia, inquietaret ſuperbia, inquietaret luxuria: Deniq; vt in geſtis Brittonum legitur, filiam ſuam ſpe regni ſollicitatam ſtupro fregerat, & ex ea filium tulerat. hic in tantis tumultibus rem parui ponderans, opeſq; regni commeſſationibus abliguriens, ſcortorum lenociniis deperibat. Excitatus tamē aliquando perſtrepentium vocibus, ſuper ſtatu publico in medium conſilit ſententias magnatum ſuorum explorat: Itaq; vt ad ſummam redigam: placuit omnibus Anglos & Saxones è Germania euocandos, armis validos, ſedibus vagos, geminum futurum commodum, vt armis inuicti facile hoſtes propulſarent: & hactenus locorum incerti, pro ingenti annumerarent beneficio, ſi vel ſquallidum ſolum, ieiunumq; ceſpitem ad habitandum ſuſcepiſſent. Cæterum nunquam eos aliquid contra patriam molituros, quoniam genuinam feritatem morum emolliret memoria beneficiorum. Probato conſilio mittuntur in Germaniam legati ſpectabiles ſane viri, & qui digne perſonam patriæ induerent.

GERMANI audientes rem mille votis petitam à ſe vltro expoſtulari vicino pede paruerunt celeritatem negotii lętitiæ ſtimulis maturantes: valedicentes igitur aruis genitalibus, renunciantes parentum affectibus fortunæ vela committunt, placidoq; ventorum fauore, tribus longis nauibus quas illi * Ciulas vocant, Britanniam allabuntur. Venerunt autem & tunc & ſequenti tempore de tribus Germaniæ populis, Anglis, Saxonibus, Iutis. Omnis enim fere terra quæ trans Oceanum Britannicum ſub Septentrionali axe iacet, quia tantum hominum germinat, non iniuria Germania vocatur, licet multis prouinciarum limitibus diſtincta. Quapropter ſicut hi quibus id muneris eſt laſciuientes arboris ramos ſolent ſuccidere, vt reliquorum vitæ ſucco ſuo poſſit ſufficere, ſic incolæ aliquorum expulſione matrem alleuiant, ne tam numeroſæ prolis paſtu exhauſta ſuccumbat: ſed vt facti minuant inuidiam ſorte ducunt eliminandos. Inde eſt quod illius terræ homines inuenerunt ſibi ex neceſſitate virtutem, vt natali ſolo eiecti peregrinas ſedes armis vendicarent: Sicut Wandali qui olim protriuerunt Affricam, ſicut Gothi qui poſſederunt Hiſpaniam, ſicut Longobardi qui adhuc obſident Italiam, vt Normanni qui partem Galliæ armis domitam incolentes vocauerunt Normanniam. Ex hac ergo Germania primo venit in Brittanniam parua quidem manus ſed quæ paucitatem ſuam virtute ful-

al. Ceolas

te fulciret, ducibus *Hengiſto & Horſa* commodæ indolis fratribus, haud obſcura ſtirpe apud ſuos oriundis: erant enim abnepotes illius antiquiſſimi Woden, de quo omnium pene barbararum gentium regium genus lineam trahit, quemq; gentes Anglorum Deum eſſe delirantes, ei quartum diem ſeptimanæ, & ſextum vxori eius Freæ perpetuo ad hoc tempus conſecrauerunt ſacrilegio. In quibus vero locis Brittanniæ Angli vel Saxones vel Iuti habitationem locauerunt *Beda* non tacet. Noſtrum propoſitum eſt quamuis affluat materia ſtilo non indulgere, ſed tantum neceſſaria quæq; libare.

VENIENTIBVS igitur Anglis vndiq; occurſum: à Rege impertitæ gratiæ, à populo effuſus fauor, data fide, acceptaq;, & tradita Tanathos inſula incolatui eorum ſubuentũ. Acceſſit & pactum, vt illi inuictis vmbonibus ſudores ſuos patriæ impenderent recepturi emolumenta militię ab his quorum ſaluti vigilias prętenderent. Paululũ in medio morę & ecce Scottos aduentantes faciliq; negotio ceſſuram ſibi vt ſupra prædam æſtimantes inuadunt Angli: illi vix dum collato pede fugam componunt, fugitantes eques inſecutus à tergo cecidit, ſi non ſemel certatum: cumq; victoria ſemper conſentiret Anglis vt fere fit in rebus mortalium, & iſtis ſucceſſus accendit audaciam, & illis timor aluit ignauiam: eoq; res proceſſit vt nihil magis Scotti quam cum Anglis manus conſerere cauerent.

INTEREA *Hengiſtus* non minus acer ingenio, quam alacer in prælio, aliquos ex ſuis (non abnuente Rege) patriam remittit, qui regis & populi inertiam, inſulę opulentiam exponant, ampla venire volentibus præmia proponant: Illi mandata gnauiter exequuti breui cũ ſexdecim nauibus reuertuntur, adducentes filiam *Hengiſti* virginem vt accepimus, quæ eſſet & naturæ miraculum & virorũ ſpectaculum: regreſſis adornatur conuiuium: iubet *Hengiſtus* filiam fungi pincernæ munere, vt regis accumbentis oculos paſceret. Nec id fruſtra fuit. Nã ille (vt ſemper in fœminarum decorẽ adhinniebat) ſtatim & formæ gratia, & geſtuũ elegantia ſauciatus animum, potiendę puellæ ſpem imbibit, nec diſtulit quin nuptias peteret patrem volentem cogens: ipſe enim aſtu primo negare tam humiles nuptias rege indignas allegans. Poſtremo quaſi grauatus in ſententiam tranſiit, totam Cantiam pro munere accipiens, vbi iamdudum omnis iuſtitia ſub cuiuſdam Gorongi laborabat regimine, qui tamen ſicut omnes reguli inſulę *Vortigerni* ſubſternebantur monarchię: nec contentus hac liberalitate barbarus, ſed abutens regis imprudentia, perſuadet vti à Germania fratrẽ & filium virtutis viros euocet, ſcena compoſita, vt quia ipſe ab Oriente prouinciam defenſitaret, illi quoq; ab Aquilone Scottos fręnarent: ita rege conniuente ipſi (circumnauigata Brittannia) Orchades inſulas adierunt, eaſq; gentes cũ Pictis & Scottis pari ærũna inuoluentes in Aquilonali parte inſulæ quæ nunc Northanimbria vocatur tunc & deinceps aſſiderunt: nullus tamen ibi regio inſigni, vel nomine vſus vſq; ad Idã, de quo regalis Northanimbrorũ adoleuit * linea. Sed hæc inferius, nunc q̃ cœperã attexam. *al. proſapia*

GVORTIMER filius *Vortigerni* haudquaquam vltra diſſimulandum ratus, quod ſe Britoneſq; ſuos Anglorum dolo peruerti cerneret, ad expulſionem eorum mentem intendit, ſimulq; patrem ad idem audendum incendit. Hoc igitur auctore poſt annos ſeptẽ aduentus eorum fœdus fœdatum, & per viginti annos frequenter leuibus prœliis, ſed quater vt Chronica tradit, omnibus copiis depugnatum: Prima congreſſione æquâ vtrinque fortunâ diſceſſum, dum hi Horſam fratrem *Hengiſti*, illi *Katigis* alterum Regis filium magno iuſtitio deſiderarent. In cæteris cum Angli ſuperiorem ſemper manũ referrent pax conuenit, incentore belli *Guortimero* fatali ſorte ſublato, qui multum à facilitate patris abhorrens, egregie regnum moderaretur, ſi Deus ſiuiſſet. Sed eo extincto Brittonum robur emarcuit, ſpes imminutæ retro fluxerunt. Et iam tunc profecto peſſum iſſent, niſi *Ambroſius* ſolus Romanorum ſuperſtes, qui poſt *Vortigernum* Monarcha regni fuit, intumeſcentes Barbaros eximia bellicoſi *Arthuri* opera preſſiſſet. Hic eſt Arthurus de quo Brittonũ nugę hodieq; delirant: dignus plane quem nõ fallaces ſomniarent fabulæ, ſed veraces prædicarent hiſtoriæ, quippe qui labantem patriã diu ſuſtinuerit, infractaſq; ciuiũ mentes ad bellum acuerit. Poſtremo in obſidione *Badonici* montis fretus imagine Dominicæ matris, quam armis ſuis inſuerat, nongentos hoſtium ſolus adorſus incredibili cæde profligarit. Contra Angli quamuis vario fortunæ luſu rotarentur, vacillantes ſuorũ acies aduentu compatriotarũ ſupplere, audentioribus animis in ferrum ruere: paulatim cedentibus accolis per totam ſe inſulam extendere, ſimul Dei non aduerſante conſilio in cuius manu eſt omnium imperiorum mutatio: ſed hæc proceſſu annorum. Nam viuente *Vortigerno* nihil contra eos nouatum. Interea *Hengiſtus* vicio quodam humani ingenii vt quo plus habeas plus ambias fraude ſubornata generum ad conuiuiũ cum 300. ſuorum inuitat: cumq; frequentioribus poculis inuitatos ad tumultũ animaſſet, & vnumquemq; ex induſtria ſalſa dicacitate perſtringeret, primo ad iurgia mox ad arma ventũ eſt. Ita Brittones ad vnũ iugu-

lati animas inter vina euomuere: Rex ipſe captus datis tribus prouinciis libertatem redemit, ſeruitutem exuit. Poſt hæc anno 39, aduentus ſui *Hengiſtus* diem clauſit, vir qui ſucceſſus ſuos non minus fraudibus quam viribus vrgens multumq; ſæuitiæ genuinæ indulgens, omnia cruentius quam ciuilius agere mallet. Reliquit filium *Eiſc* qui magis tuendo quam ampliando regno intentus paternos limites nunquam exceſſit. Conſumptiſq; annis 24. filium *Otham*, eiuſdemque filium *Ermericum* habuit ſucceſſores ſibi quam auo aut proauo ſimiliores: amborum temporibus 53. anni deputantur in chronicis: cæterum ſi ſingillatim vel communiter regnauerunt non diſcernitur.

al. Egilbertus

POST illos* *Ethelbertus* filius *Ermerici* rerum potitus 53. annos iuxta chronicam, iuxta Bedam 56. tranſegit: viderit lector quomodo hanc diſſonantiam componat, nos eam quia admonuiſſe ſuffecerit in medio relinquimus. Hic primis pubeſcentis regni temporibus adeo vicinis regibus fuit ridiculo, vt vno & altero pulſus prælio vix ſuos terminos tutaretur. Poſtmodum cum adultiori ætati etiam conſultior militiæ acceſſiſſet peritia, breui omnes nationes Anglorum præter Northanhimbros continuis victoriis domitas ſub iugũ traxit: & vt externorum quoq; familiaritatem aſciſceret, regis Francorum affinitatem filiæ eius nuptiis *Bertæ* ſibi conciliauit. Tum vero Francorum contubernio gens eatenus barbara ad vnas conſuetudines confœderata, ſyluestres animos indies exuere & ad leniores mores declinare. His addebatur *Letardi* Epiſcopi, qui cum Regina venerat cælebs admodum, vita, qua regem ad Chriſti Domini cognitionem etiam tacens inuitabat: quo factum eſt, vt poſtea beato *Auguſtino* prædicanti regis animus iam emollitus facile cederet, & primus de numero patrum ſuorum ſacris ſacrilegis renunciaret: vt quos regni præeminebat potentia, fidei quoq; obumbraret gloria: hæc eſt profecto clara nobilitas & hæc ſuperna virtus honeſtate vincere quos honore vincas. Quin etiam curam extendens in poſteros, leges patrio ſermone tulit, quibus bonis præmia decerneret, improbis per remedia ſeueriora occurreret, nihil ſuper aliquo negocio in futurum relinquens ambiguum.

EXCESSIT anno poſt receptam Chriſti fidem viceſimo primo, *Edbaldo* filio regni tradens inſignia, ille mox vbi metus abrupit frœna exſufflata Chriſtianitate, nouercæ quoq; pudorem expugnauit: ſed ne omnino in præceps ferretur diuinæ miſerationis auſteritas obicem oppoſuit. Confeſtim enim regulis quos pater ſub iugum miſerat rebellantibus, regni mutilatus diſpendio, & per horas crebro afflatus dæmonio, cõtumacis perfidię pœnas pendebat. Quibus offenſus ſucceſſor *Auguſtini*, *Laurentius* dum poſt præmiſſos Comites prouincia cedere meditaretur, Dei animatus verbere ſententiam reuocauit. Qua de re conuentus Rex, dum fidem dictorum pontificis plagę facerent, non aſpernanter (vt aiunt) inflexus & Chriſtianiſmi gratiam hauſit, & inceſtis nuptiis valedixit. Verum vt in punienda perfidia terribilis exẽpli nota poſteris inureretur, auitis finibus ægre licet retentis, nunquam ad paternum faſtigium potuit aſpirare. Cęterum tota vita integer in fide, nihil quod famam læderet commiſit: Monaſterium quoq; quod pater fundauerat, extra muros Cantuariæ ingentibus prædiis & ampliſſimis donariis illuſtrauit: quorum laudes & merita omnes Angli ſuſpicere & prædicare debebunt, quod Chriſtianam fidem leni credulitate & credula lenitate Anglię inualeſcere permiſerint. Quis enim non iucunde ſpeculetur quãtum æquitati conueniat, quantum dulcedini concinat reſponſum illud regis *Ethelberti*, quod eum primæ prædicationi *Auguſtini Beda* retuliſſe narrat, non poſſe ſe nouæ ſectæ animum tam cito adhibere, relictis cultibus quos ſemper exercuerit cum tota Anglorum gente: veruntamen nulla illos moleſtia exacerbandos, quin potius prædicationis permiſſu & amplo victu iuuandos, qui tam longam à natali ſolo peregrinationem ſuſceperint vt Anglis quæ optima putabant indulgenti benignitate communicarent. Nec infra promiſſionem factum fuit, donec ſenſim explorata fidei veritate & ipſe cum ſubiectis numero fidelium ſociatus eſt. Quid iſte? nonne primo tempore magis carnis illecebra quam animi obſtinatione deuians, magnam tamen vitæ Pontificum exhibebat veneratiõe, quorum negligebat fidem? deniq; (vt dixi) ob vnius facile conuerſus iniuriam magno momento Chriſtianitatis augmentis fuit. Ambo igitur laudabiles, ambo profuſiora præconia emeriti, ſiquidem bonum quod ille magnanimiter inchoauerit, iſte benigne confouerit.

al. 25. — *al. dignatione*

CVI poſt* 24. regni annos defuncto ſucceſſit *Ercombertus* filius ex *Emma* Francorum regis filia ſuſceptus, & eodem numero annorum, ſed meliori auſpicio principatu functus, religione in Deum, pietate in patriam, iuxta inſignis. Cum enim auus & pater citra deſtructionem idolorum fidem noſtram coluiſſent, hic parum & inferius * deuotione regia arbitratus, ſi non deſtrueret propenſiore conſilio quod illi tacito damnarent iudicio, omnia Deorum ſacella complanauit ad ſolum, vt nullum ſacrilegii ad poſteros manaret veſtigium: præclare. Poterat enim vulgus phanaticæ ſuperſtitionis admoneri, quamdiu loca pului-

pului-

puluinarium ſuorum non deſineret intueri: atq; vt gentem ſuam ventri tantum indulgentem parcitati gulæ doceret inſueſcere, præcepit per omne regnum obſeruari 40. dierum ſolenne ieiunium. Magnam prorſus tunc temporis rex rem aggreſſus, quem nec deliciarum luxus eneruare, nec regni ſollicitudo à Dei cultu potuit auocare. Per hæc Dei fauore tutus, rebuſq; domi & foris ex ſententia cedentibus, tranquilliſſime conſenuit. Cuius filia *Ercongotha* tanto ſoboles non indigna parente, æmuliſq; virtutis lineamentis patri reſpondens Kalas monaſterium apud Gallias ſanctitudinis ſuæ luce veſtiuit.

At vero filius *Egbertus* per annos 9. patrio throno retento, nil memorabile fecit tam breuis imperii compendio, niſi quis aduentum *Theodori* Archiepiſcopi & *Adriani* Abbatis temporum illius imputet gloriæ: doctorum virorum, & qui omnem literaturam imis medullis combiberant, quod niſi eſſet vſq;quaq; detritum libenter pergerem referre quantum lucis tunc per eos orbi Brittannico infulſerit, quomodo hinc Græci, hinc Latini palæſtras literarum certantibus ſtudiis in vnum contulerint, & inſulam tyrannorum quondam nutriculam familiare Philoſophiæ domicilium effecerint, ſed & hoc & quicquid boni poteſt diebus *Egberti* adſcribi attenuat facinus quo *Elbertum* & *Egelbrightum* filios patrui aut interemit, aut interimi æquanimiter paſſus fuit.

Svccessit *Egberto* frater *Lotharius* alite mala regnum ingreſſus; quippe qui per 11. annos infeſtante *Edrico* filio *Egberti* frequenter & varia ſorte ciuilibus bellis conflictatus nouiſſimeq; iaculo corpus traiectus, ipſo vulnere inter medendum vitam effudit. Sunt qui non taceant fratres ambos cita morte merito crudelitatis abſumptos, quod *Egbertus* filios patrui innocentes, vt dixi, occiderit: *Lotharius* martyres propalatos irriſerit, quamuis prior & factum ingemuerit, & matri fratruelium partem inſulæ Thanatos ad ædificandum monaſterium conceſſerit.

Nec *Edricus* ſucceſſu tyrannidis longum gloriatus eſt: ſed citra biennium regno & vita ſpoliatus, patriam lacerandam hoſtibus expoſuit. Continuo enim quidam *Cedvvalla* cũ fratre *Mollone*, aliâs ſane bonus & efficax, digladiabile odium in Cantuaritas ſpirans, quantis potuit conatibus prouinciam inuaſit olim diuturna pace feriatam, ſed tunc inteſtino bello diſſidentem, impune ſibi ceſſuram arbitratus: ſed non ita vt ſperabat imparatos aut animi vacuos prouinciales offendit: ſiquidem poſt multa incommoda vicatim & oppidatim accepta, tandem animati ad manus veniunt: congreſſuq; ſuperiores *Cedvvallam* in terga vertunt, fratreq; *Mollone* in tugurium quoddam compulſo domunculam ipſam ſuccendunt. Ita *Mollo* dum erumpendi in hoſtem deeſſet audacia, & totis circa tectum habenis regnarent incendia, inter flammas halitum eructauit. Non tamen *Cedvvalla* deſtitit, aut à prouincia pedem retulit, quin dolorem ſuum crebris accolarum diſpendiis ſarciret, reiq; vltionem in ſucceſſorem *Inam* transfunderet, ſicut ſuo loco dicetur.

In tam deſperatis rebus Cantiæ ſexennio circiter à regia ſucceſſione claudicatum: ſeptimo demum anno *Vvithredus* filius *Egberti*, cum apud ſuos inuidiam preſſiſſet induſtria & apud hoſtes pacem locaſſet pecunia, magna ſpe ciuium allectus in regem, voti compotes fecit. Domi enim ciuilis, & bello inuictus Chriſtianam religionem ſanctiſſime coluit, poteſtatem ampliſſime porrexit: & vt nihil fœlicitati deeſſet, poſt 33. annos longæuus (quod mortales beatiſſimum putant) ſuperſtitibus eiſdemq; hæredibus liberis tribus, fato functus eſt. Quorum *Edbertus* 23. *Edilbertus* 11. *Alricus* 34. annis paterna tenentes inſtituta haud decolore exitu regnum continuauerunt, niſi quod *Edilbertus* fortuito vrbis incendio, & *Alricus* infauſto aduerſus Mercios prçlio gloriam temporũ ſuorum non parũ obnubilauerunt. Ita ſi quid accidit probri non tacetur, ſi quid proſperi parum in Chronicis notatur, ſiue ꝙ conſulto factũ eſt, ſiue quod naturæ vitio comparatũ eſt: quod cum ſit bonorũ gratia breuis, æternum quæ nocuere dolent. Poſt illos nobile regũ germen exaruit, generoſus ſanguis effriguit, tunc impudentiſſim⁹ quiſq; cui vel lingua diuitias, vel factio terrorem comparauerat, ad tyrannidẽ anhelare, tunc regio inſigni indignè abuti: Quorũ *Edilbertus* idemq; *Pren* cũ biennio Cantuaritis imperitaret, in Mercios maiora viribus auſus & ab eiſdem captus vinculis manus, corpus captiuitati præbuit: nec multo poſt ab hoſtib. laxatus, ſed à ſuis non receptus, dubiũ quo fine defecit. Deinde eiuſdẽ factionis & calamitatis hæres *Cuthredus* ſolo nomine 8. annis regnauit. Hinc regiæ dignitatis abortiuũ *Baldredus* poſtq̃ Cantiam 18. annis obſederat potius, quam rexerat, ab *Egberto* Rege Weſt-ſaxonũ prælio pulſus in exilium conceſſit. Ita regnũ Cantiæ ꝙ ab anno Dom. 449. ſteterat, annis 375. alterius poteſtati acceſſit. Sed quia primi regni ꝙ de Anglis excreuit proſapiã paucis perſecuti, quaſi ſcintillam de antiquitatis fauilla excuſſimus, nunc regnum Weſt-ſaxonum ſtylus ventilabit: quod à primo proximum, longo tamen interuallo inchoauit, ipſum eſt, ꝙ multo ſitu marceſcentibus cæteris inuicto vſq; ad aduentum Normannorum

vigore floruit, & alia vt ita dicam ſtrangulata faucibus auidis abſorbuit: hoc ergo ſi lineatim ad *Egbertum* prouexero, de reliquis duobus nauſeam longitudinis euitans aliqua ſubtexam, quæ cum in primo libro debitum finem inuenerint: ſecundus ſolos Weſt-Saxones intuebitur.

DE REGNO WEST-SAXONVM.

CAP. II.

REGNVM Weſt-Saxonum quo neq; magnificentius neq; diuturnius vllum Brittannia vidit à quodam *Cerdicio* primum ebulliens, mox in magnum faſtigium euaſit: qui gente Germanus amplis maioribus quippe à Wodeno decimus, cum domeſticis conflictationibus ingentes ſpiritus aluiſſet, ſtatuit patria diſcedere, & armis famam dilatare. Id, animo communicato filio *Cenrico*, meditari auſus, conſentiente adoleſcente, qui proximis gloriæ paſſibus patrem vrgeret, in Brittanniam cum quinq; ceolis copias traiecit. Actum anno Dominicæ incarnationis quadringenteſimo nonageſimo quinto, poſt mortem *Hengiſti* 8. Ipſoq; die à Brittonibus bello exceptus vir veteris militiæ non difficulter arietantem multitudinem contudit & fugere compulit: quo ſucceſſu & ſibi profundam in reliquum ſecuritatem & prouincialibus quietem peperit. Nam nunquam poſt illum dié laceſcendum arbitrati in eius iura volentes conceſſere. Non tamen ille ignauo indulgens ocio feriabatur, quin potius crebras circumquaq; victorias extendens, poſt aduentum ſuum viceſimo quarto anno in Occidentali parte inſulæ, quam illi Weſt-ſexam vocant, monarchiam adeptus eſt: qua 16. annis functus fatum compleuit, regno toto præter inſulam Vectam ad filium deuoluto. Ea enim indultu regiæ munificentiæ poteſtati *Withgari* nepotis ſui acceſſit. Is cum ſanguinis propinquitate tum bellandi artibus auunculo iuxta charus (eius enim ex ſorore nepos erat) celebrem in eadem inſula primo principatum, poſt etiam ſepulturam accepit. Porro *Cenricus* patre non inferior virtute regnum nonnihil ampliatum, poſt annos viginti ſex filio *Ceaulino* contulit.

HVIVS ſpectatiſſimum in præliis robur annales ad inuidiam efferunt quippe qui fuit Anglis ſtupori, Brittonibus odio, vtriſq; exitio. Horum exempla pro compendio ſubiiciam. *Ethelbertum* regem Cantuaritarum alias laudabilem, ſed tunc pro antiquitate familiæ primas partes ſibi vendicantem, ac per hoc auidius alienos fines incurſantem probe aggreſſus fuſis auxiliis ad ſua fugauit. Brittannos qui temporibus patris & aui vel prætexto deditionis vmbone vel clauſtrorum muralium obiectu Gloceſtriæ & Cirenceſtriæ & Bathoniæ exitium effugerant, infeſta proſecutus animoſitate vrbibus exuit & in confragroſa ſaltuoſaq; loca hodieq; detruſit. Inter hæc tamen quia fatalis alea incertis iactibus in huius vitæ tabula mortales eludit, tantos bellorum ſucceſſus obfuſcauit luctus domeſticus: deniq; *Cuda* fratre immatura morte intercepto eiuſdemq; nominis filio ante ſe in pugna extincto ambobus prædicabilis ſpei iuuenibus, multum fœlicitatis ſuæ deceſſiſſe, non ſemel ſuſpirauit. Poſtremo ipſe diebus vltimis regno extorris miſerandum ſui ſpectaculũ hoſtibus exhibuit. Quia enim in odium ſui quaſi claſſicũ vtrobiq; cecinerat, conſpirantibus tam Anglis quam Brittonibus apud Wodenſdik cæſo exercitu anno 31. regno nudatus in exilium conceſſit & continuo deceſſit. Tunc fluitantes regni habenas direxerunt nepotes eius filii *Cudæ Celricus* annis ſex, *Ceolfus* annis 14. Quorum tempore inferior, ſed virtute præſtantior omnem ætatem in bellis detriuit, quippe qui nulli vnquam ignauiæ locum dederit, quin ſua & tutaretur & protenderet.

POST illum filii *Celrici Cinegiſlus & Quicelmus* regni infulas æqua lance induerunt, ambo ſtrenui, ambo mutuis pietatis inter ſe certantes officiis, vt merito propter inſolitam Regibus concordiam fuerint præſentibus miraculo, futuris exemplo. Deniq; bella quàplurima, neſcias maiori virtute an moderatione, geſſerunt vel contra Brittannos, vel contra *Pendam* Regem Merciorũ, hominem, vt ſuo loco dicetur, ad furta belli peridoneũ: qui proprios egreſſus terminos, dum Cireceſtriam ſuis partibus applicare conatur, impetum concordium Regum non ferens, cum paucis profugit. *Quicelmum* ſane non mediocris culpa reſpergit, quod *Etvvinum* Northanhumbrorum Regem probatæ prudentiæ, virum ſubornato ſicario inſidiis appetiuerit. Sed ſi conſideretur illa gentilis ſententia, dolus an virtus quis in hoſte requirat, facile excuſabitur nihil præter ſolitum feciſſe, quod vellicatorem potentiæ quoquo modo voluerit de medio ſubtrahere. Nam & antea de regno Weſt-ſaxonum plurima decerpſerat, & tunc accepta irritatus iniuria, quoniam recruduerant odia, multa prouincialibus inflixit diſpendia. Euaſerunt tamen Reges, quibus non multo poſt per beatũ *Birinum* Epiſcopum ſanctum cœleſtis infulſit doctrina, Re-

gni

gni Anno 25. poſt aduentum beati *Auguſtini* Anglorum Apoſtoli 40. Inflexus illico *Cinegiſlus* emollito regali ſupercilio ſacerdoti ſe in Baptiſmo libens ſubſtrauit. *Quicelmus* recalcitrauit aliquantiſper, donec valetudine corporis admonitus, ne ſalutem animæ negligeret, deuotionem & ipſe conſortis æmulatus eodem anno carne ſolutus eſt. At vero *Cinegiſlus* ſexennio poſt, longæ quietis gratia functus, anno regni 31. vitam clauſit.

SVCCESSIT hæreditati filius eius *Kenevvalkius* primo Regni auſpicio peſſimis, medio & vltimo tempore optimis principibus comparandus. Poteſtate ſiquidem initiatus adoleſcens, qui regio luxu inſoleſcens facta paterna in ſecundis ponebat, ſine retractione Chriſtianiſmum & legitimum matrimonium abiurauit: ſed à *Penda* Rege Merciorum, cuius ſorori repudium dederat bello impetitus & victus, ad regem Orientalium Anglorum confugit: vbi & propria calamitate & hoſpitis ſedulitate fidem perſuaſus, triennio poſt reſumptis viribus regnoq; recepto, iocundum ſuæ mutationis miraculum ciuibus exhibuit, in tantum fortis, vt qui antea nec ſuos fines impune defenſitaret, nec longius ante imperium prorogaret, Brittannos antiquæ libertatis conſcientia frementes, & ob hoc crebram rebellionem meditantes, bis omnino protriuit: primum in loco qui dicitur Witgeornesbrug: ſecundo iuxta montem qui dicitur Pene, & in *Wlpherum Pendæ* filium paternam vltus iniuriam, plurima illum parte regni mulctauit: religioſus adeo, vt primus anteceſſorum ſuorum in Wintonia templum Deo per id temporis pulcherrimũ conſtrueret: quod loci poſteritas in ſede Epiſcopali fundanda, etſi auguſtiori peritia, per eadem tamen cucurrit veſtigia. Ita munificus, vt nihil patrimoniorum cognatis negaret, quippe qui filio fratris pene tertiam regni partem magnanima liberalitate communicaret. Has animi regales dotes ſtimulis admonitionum animabant ſanctiſſimi ſuæ prouinciæ Epiſcopi *Angilbertus* (de quo multa in geſtis Anglorum *Beda* inuenies) & nepos eius *Leutherius* poſt ipſum ſeptenni pontificio in Weſt-ſaxonia functus: quod eo non prætermiſi, quia de annis præſulatus eius *Beda* nihil expreſſum reliquit, mihi ex Chronicis cognitum diſſimulare præter religionem videbatur: ſimul quia ſe ingerebat occaſio, amplectenda erat prędicabilis viri mentio, qui Malmesburienſe monaſterium in quo terreni incolatus prætendimus militiam, acri & pene diuino mentis * intuitu ex humili ad ampliſſimum ſtatum provexit, quod à quodam *Meyldulpho*, natione (vt aiunt) Scotto eruditione Philoſopho, profeſſione Monacho adeo anguſtis ſumptibus elaboratum, vt inhabitantes quotidianum victum ægre expedirent, ipſe diu multumq; librato conſilio *Aldelmo* eiuſdem loci Monacho, pro iure tunc Epiſcoporum regendum contradidit. De qua re, vt omnem ſermo noſter dubietatis deprecetur offenſam, verba eius hic aliqua attexam.

al. inſtructu

EGO Leutherius *gratia diuina Epiſcopus, Pontificatus Saxoniæ gubernacula regens, rogatus ſum ab Abbatibus, qui ſub iure Parochiæ noſtræ cœnobiali Monachorum agmini paſtorali ſollicitudine præeſſe noſcuntur, uti terram illam, cui inditum eſt vocabulum* Maildulfesburch, Aldelmo *Presbytero ad degendam regulariter vitam conferri largiriq; dignarer. In quo videlicet loco à primo æuo infantiæ, atq; ab ipſo tirocinio rudimentorum liberalibus literarum ſtudiis eruditus, & in gremio ſanctæ matris Eccleſiæ nutritus vitam duxit. Et ab hoc potiſſimũ hanc petitionem fraterna charitas ſuggerere videtur: Quapropter prædictorum Abbatum precibus annuens ipſum locũ tam ſibi quam ſucceſſoribus ſuis normam ſanctæ regulæ ſolerti deuotione ſequentibus fraterna petitione coactus vltroneus concedo. Actum publice iuxta flumen* Bladon *8. Kalend. Septemb. Anno Incarnationis Do. 675.*

CVM igitur induſtria Abbatis accederet fauori Pontificis, tunc res monaſterii in immenſum efferri, tunc Monachi vndique aggregari: currebatur ad *Aldelmum* totis compitis: his vitæ ſanctimoniam, his literarum ſcientiam deſiderantibus. Erat enim vir ille cum religione ſimplex, tum eruditione multiplex, & qui famam virtute præiret, liberalium artium epotator, vt eſſet mirabilis in ſingulis, & in omnibus ſingularis. Mentior, ſi non hoc teſtantur codices de virginitate immortalis eius ingenii indices, quibus meo iudicio nihil dulcius, nihil ſplendidius: quamuis, vt eſt noſtri ſeculi deſidia, quibuſdam pariant nauſeam, non attendentibus, quia iuxta mores gentium varientur modi dictaminum. Deniq; Gręci inuolute, Romani circumſpecte, Galli ſplendide, Angli pompatice dictare ſolent. Sane: quoniam dulce videtur maiorum inhærere gratiæ, eorumq; exemplis ignire memoriam. Non inuitus euoluerem quantos hic ſanctus pro Eccleſiæ noſtræ priuilegio ſudores inſumpſerit, quot miraculis vitam inſignierit, niſi quia alias auocamur: & facta eius etiam lippienti meracius apparent oculo, quam noſtro poſſint adumbrari pænicello. Innumera ſigna quæ modo apud eius fiunt memoriam oſtendunt præſentibus præteritæ illius vitę ſanctimoniam. Habet ille ergo laudes ſuas, habet meritis paratam gloriam noſtra oratio proſequatur hiſtoriam.

KENWALKIVS poſt 31. annos moriens, Regni arbitrium vxori *Sexburgæ* delegandum

putauit, nec deerat mulieri ſpiritus ad obeunda regni munia, ipſa nouos exercitus moliri, veteres tenere in officio, ipſa ſubiectos clementer moderari, hoſtibus minaciter infremere, prorſus omnia facere, vt nihil præter ſexum diſcerneres: veruntamen plus quam animos fœmineos anhelantem vita deſtituit, vix annua poteſtate perfunctam.

al. triennium.

SEQVENS* biennium in regno tranſegit *Eſcuinus* regali proſapiæ proximus, quippe qui fuit *Cinegiſli* ex fratre *Cuthgiſto* abnepos, quo decedente vel morte ſua, vel vi aliena (neutrum enim expedite inuenio) vacantem aulam ſucceſſione legitima impleuit, *Kentuinus Cinegiſli* filius, ambo notæ in bello experientiæ, ſiquidem ille Mercios, iſte Brittannos anxia clade perculit, ſed temporis breuitate miſerandi. Nam imperium ſecundi non vltra nouennium prorogatum, primi biennium ſuperior ſermo abſoluit. Et hoc ſecundum Cronicorum fidem: ceterum non eos regno integro imperitaſſe, ſed inter ſe diuiſiſſe *Beda* confirmat.

TVNC Regiæ indolis nobile germen *Cedvvalla* emicuit, *Ceaulini* ex fratre *Cuda* pronepos, immodice ſpei iuuenis, & qui nullam occaſionem exercendæ virtutis præterire noſſet. Qui cum iamdudum, efficacibus ſtudiis bilem principum ſuæ patriæ irritaſſet, factione conſpiratorum in exilium actus eſt. Hanc ille amplexatus iniuriam, vt omni milite ſpoliaret prouinciam, quicquid bello idoneum erat, *abduxit. Namq; ſeu miſeratione fortunarum eius infracta, ſeu virtute delectata, tota pubes exulem ſecuta. Excepit primum impetum furentis Rex Auſtralium Saxonum *Edelvvalkius* manum conſerere auſus. Sed cum omni populo quem duxerat fuſus ſero prærupti conſilii pœnitentiam fecit. Animis ſuorum erectis *Cedvvalla* maturato inſperatoq; reditu, æmulos potentiæ adortus regno abegit. Ita per biennium regno potitus, præclara rei bellicæ facinora conſummauit: Auſtralibus Saxonibus digladiabili odio infeſtus, ſucceſſorem *Edelvvalkij Edricum* repetita occurrentem audacia, exitio dedit. Wechtam inſulam fiducia Merciorum rebellantem parum abfuit quin deleret. Præterea Cantuaritas, vt ſupra in rebus eorum digeſſi, aggreſſus, crebras de illis victorias reportauit. Poſtremo vt ſupra diximus, fratre amiſſo regione diſceſſit, plurimo accolarū ſanguine damnum conſolatus ſuum. Inter hæc arduum memoratu eſt, quantum etiam ante baptiſmū inſeruierit pietati, vt omnes manubias, quas iure prædatorio in ſuos vſus tranſcripſerat, Deo decimaret. In quo etſi approbamus affectum, improbamus exemplum, iuxta illud: *Qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperis quaſi qui immolat filium in conſpectu patris.* Iam vero quod Romam baptizandus contenderit, ibique à *Sergio* Papa baptizatus, & *Petrus* vocatus, adhucq; in albis poſitus ſupremum arbitrium fœliciter incurrerit, notius eſt, quam vt noſtro indigeat illuſtrari relatu.

al. corraſit.

EO Romam eunte, regnum per *Inam* nouatum, qui *Cinegiſli* ex fratre *Cuthbaldo* pronepos, magis pro inſitiuæ virtutis induſtria, quam ſucceſſiuæ ſobolis proſapia in principatum aſcitur, fortitudinis vnicum ſpecimen, prudentiæ ſimulacrum, religione parem neſcias: Quibus artibus vitam componens, domi gratiam, foris reuerentiam mercabatur. Adeo annis duobus de ſexaginta, poteſtate functus, ſine vllo inſidiarum metu ſecurus incanuit, ſanctiſſimus publici amoris lenocinator. Prima illi in Cantuaritas expeditio, in quos nondum de incendio *Mollonis* ira defremuerat. Prouinciales parumper reſiſtere auſi, mox omnibus tentatis, & viribus in ventum effuſis, cum nihil in pectore *Inæ* quod ignauiæ cōduceret reperiſſent, diſpendiorū ſuorum intuitu deditioni conſulere: Tentant regium animum muneribus, ſollicitant promiſſis, nundinantur pacem triginta millibus auri marcis vt pretio mollitus bellum ſolueret, metallo præſtrictus receptui caneret. Qua ille pecunia, ſuſcepta, delicti gratiā fecit in regnum reuerſus. Nec ſolū Cantuaritæ, ſed & Orientales Angli hæreditariū exceperunt odium, omni nobilitate primo pulſa, poſt etiam bello fuſa. Hæc de Præliorū eius ſucceſſu dicta, modum agnoſcant ſuum: Cæterum quantus in Dei rebus fuerit, indicio ſunt leges ad corrigendos mores in populo latæ: In quibus viuū ad hoc tempus puritatis ſuæ reſultat ſpeculum. Indicio ſunt Monaſteria regiis ſumptibus nobiliter excitata: Præcipue Glaſconienſe noſtris quoq; diebus inſigniſſimum, quod in quodam paluſtri receſſu conſtruxit, vt ſcilicet eo tenacius Monachi ſupernis inhiarent, quo caſtigatius terrena haurirent (cui quantum ſplendoris adiecerit, libellus ille docebit, quem de antiquitate eiuſdem Monaſterii elaboraui.) Affuit conſilio pater *Aldelmus*, cuius ille præcepta audiebat humiliter, ſuſcipiebat grāditer, adimplebat hilariter. Deniq; & priuilegium, quod pro libertate Monaſteriorum ſuorū ab Apoſtolico *Sergio* impetrauerat, libens confirmauit, & multa Dei famulis eius hortatu contulit, & ad extremum renitentē Epiſcopatu honorauit, licet vitam tanti viri mundo cita mors inuiderit. Vix enim annis quatuor Epiſcopatu functus animam cœlo thurificauit, Anno Dominicæ incarnat. ſeptingenteſimo nono, in vigilia ſancti *Auguſtini* Anglorum Apoſtoli, Octauo Kalendarum Iunij.

iij. Fuerunt, qui dicerent eum Regis nepotem fuiſſe ex *Kentenio* fratre, ſed non placuit nobis pro vero arrogare, quod magis videtur opinioni blandiri volaticæ, quam ſtabilitati conuenire hiſtoricæ, præſertim cum nuſquam ab antiquo ſcriptum reperiatur, & chronica palam pronunciet *Inam* nullum fratrem habuiſſe præter *Inigildum*, qui paucis annis ante ipſum deceſſit. Non eget *Aldelmus*, vt mendaciis aſſeratur, tanta ſunt de illo quæ indubiam depromant fidem, tot ſunt quæ non veniant in litem. Habuit ſane *Ina* ſorores, *Cuthburgam* & *Quenburgam*. *Cuthburga Alfrido* Regi Northanimbrorum nuptui tradita, ſed non poſt multum coniugio diducto, primum apud Berkengum ſub Abbatiſſa *Hildelida*, mox ipſa Magiſtra regulæ, *Winburnæ* Domino placitam vitam tranſegit: vicus eſt modo ignobilis, tunc temporis inſignis in quo frequens virginum chorus terrenis deſideriis caſtratis, ſuperos ſuſpirabat amores. Acceſſit ſacri cælibatus ſtudio, & librorum *Aldelmi* de virginitate lectio Berkingenſium quidem nomini dedicata: ſed omnibus eandem profeſſionem anhelantibus valitura. Habuit & vxorem *Ethelburgam*, fœminam ſane Regij generis & animi: Quæ dũ crebro viri inſtillaret auribus, vt mundanis rebus vel extremis annis valefaceret, & ille hortantem de die in diem differret, aſtu tandem vincere parat. Cũ enim quadam vice apud villam ingenti tumultu Regales luxus explicuiſſent, poſtera die cum diſceſſiſſent, villicus ex Reginę conſcientia palatium quanta potuit deformitate, tam fimo pecudum, quam aggere ruderum infamat. Poſtremo in lecto vbi cubuerant, porcã nouiter enixam collocat. Interea cum iam plus milliario proceſſum eſſet, illa maritum vxoriis delineamentis aggreditur, rogans vt illuc vnde abierant neceſſario pedem referant, magni diſcriminis rem fore, ſi non exaudiat. Re non difficulter impetrata, Rex videns locum pridie *Sardanapalicis* deliciis parem, nunc fœda ſolitudine deformem miratur, tacitoque iudicio oculi rem examinantes, ad mulierem rediêre. Tunc illa occaſionem aucupata, lætumq; ſubridens: & vbi ſunt, ait, Domine coniux, heſterni ſtrepitus? vbi aulæa Sidoniis* fucis ebria? vbi Paraſitorum diſcurrens petulantia? vbi Dædala vaſa pondere metallorum menſas ipſas onerantia? vbi terra mariq; exquiſita ad gulæ lenocinium obſonia? Nonne omnia fumus & ventus? nonne omnia tranſierunt? & væ his qui hæſerint, quia ſimul tranſibunt. Nonne omnia ſicut fluuius præceps & currens in mare? & væ his qui hæſerint, quia ſcilicet trahentur. Cogita, quæſo, quam miſerabiliter defluent carnes, quę modo in deliciis nutriuntur. Nonne nos, qui ingurgitamur vberius, putreſcimus miſerius? Potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior inſtat cruciatio. Nec plura loquuta, maritum compulit in ſententiam exemplo, quam multis annis fruſtra inſuſurrauerat verbo. Nam poſt triumphales bellorum manubias, poſt multarum virtutum gradus, ſummum culmen perfectionis meditatus, Romam abiit. Ibi ne pompam ſuæ conuerſionis faceret, non publicis vultibus expoſitus, crinem depoſuit, ſed vt ſolius domini oculis placeret, amictu plebeio tectus clam conſenuit: nec deerat tanti dux fœmina facti: quæ cum antea virum ad hoc audendum incitaſſet, tunc merentem verbis lenire, & labantem exemplis erigere, prorſus quod ad ſalutem eius ſpectaret, nihil dimittere. Ita mutua charitate connexi, temporibus ſuis viam hominum ingreſſi ſunt. Non ſine magnis miraculis, (vt accepimus) quibus diuina dignatio fœlicium coniugum ſæpe reſpondet meritis.

al. ſuccis

SVCCESSIT principatui *Edelardus Inæ* conſanguineus, licet ſurgentes eius primitias frequenter interpolaret *Oſvvaldus* regii ſanguinis adoleſcens. Prouincialibus enim in rebellionem excitatis, bello Regem perſequi conatus eſt: ſed non multo poſt, illo fatali ſorte ſublato *Ethelardus* per 14. annos quietiſſime regnum retentum, *Guthredo* cognato reliquit: in quo pari annorum numero & virtute non diſpari, aduerſus *Ethelbaldum* regem Merciorum, & Brittones iugi exercitio victorias adipiſcens, non minimum ſudoris conſumpſit.

ARRIPVIT Regnum *Sigebertus* vir apud ſuos ſæuitia immanis idemq; foris ignauia perinfamis: quocirca omnium odio conſpirante, poſt annum ſolio deturbatus, meliori locum fecit: ſed vt fere in talibus fit; cum magnitudine calamitatis aliquos ad gratiam ſui reuocaſſet: eorum virtute prouincia, quæ Hamptunshire dicitur, in obſequio detenta. Verum cum nec ſic ceſſaret, & nece cuiuſdam Cumbrani, qui fideliſſime ſibi adhæſerat, cæteros in exitium ſuum armaſſet, ad abdita ferarum ſpelæa receſſit. Illuc quoq; infortunio eum proſequente, à ſubulco confoſſus interiit. Ita crudelitas Regis omnem pene nobilitatem peruagata, in homine vltimæ ſortis ſtetit.

SVSCEPIT Regni gubernacula *Kinevvlphus*, clarus & ille quidem morum compoſitione, militiæq; geſtis: ſed vno ſolo aduerſus *Offam* Regem Merciorum propter Beneſigtune prælio, quarto & 20. Regni anno victus, multiſq; perinde damnis afflictus, fœdoq; etiam exitu finem vitæ ſortitus eſt. Nam cum vno & triginta annis nec ignaue nec immo-

deſte regnaſſet, ſeu rerum gloria elatus, quod nihil ſibi obuiaturum crederet, ſeu poſteritati ſuę metuens, contra quam *Kineardum Sigeberti* fratrem increſcere cerneret, illum prouinciæ terminos coegit excedere. Qui cedendum tempori ratus, diſſimulato animo, quaſi volens, profugit. Mox cum furtiuis conuenticulis perditam improborum manum contraxiſſet, ſolitudinem Regis aucupatus, (nam animi cauſa rus conceſſerat) cum expeditis eo ſuperuenit, vbi dum illum alienis amoribus inſeruientem audiſſet, ex inſidiis domum foris obſedit. Rex ancipiti diſcrimine permotus, cum præſentibus ponderato conſilio fores occluſit, ſperans latrones vel mulcere alloquio, vel terrere imperio: cum neutrũ procederet, ira percitus in *Kineardum* inſiluit, minimumq; abfuit, quin vita priuaret: ſed à multitudine circumuentus, dũ cedere damnum gloriæ arbitratur, mortẽ probe vltus occubuit. Pauci ex clientela eius qui aderant, dum non manus dare, ſed herũ vindicare intẽdunt, obtruncantur. Extemplo fama tanti mali Principũ perlabitur aures, q̃ longe agebant excubias. Quorum qui maximus æuo & prudentia * *Eſricus*, [*al. Oſfritus*] cæteros exhortatus, ne necem Domini ſui in inſignem & perpetuam ſuam ignominiã inultam dimitterent, diſtrictis gladiis in coniuratos irruit. *Kineardus* primo cauſam ſuam agere, magna polliceri, cognationem prætendere: vbi nihil proficit ad reſiſtendum commanipulares accendit: dubium certamen fuit: his pro vita, illis pro gloria ſumma ope conantibus: tandem diu cunctata victoria, in iuſtiorem partem declinauit. Ita miſer ille, nequicquam fortiter faciens animam amiſit, non longum inſidiarum gloriatus ſucceſſum. Corpus regis Wintoniæ ſepultum, illius Rependunæ, quod erat tunc cœnobium nobile, nunc, vt audiui, pauco vel nullo incolitur habitatore.

POST illum regnauit *Brithricus*, annis 16. pacis quam Belli ſtudioſior, artifex amicitias componere, externos blande appellare, domeſticis conniuere, in his duntaxat, quæ vigorem Regni non eneruarent: atq; vt ampliorem gratiam apud propinquos locaret, filiam *Offa* regis Merciorum, eo tempore potentiſſimi, in coniugium accepit: de qua quod ſciam, nihil liberorum tulit. Cuius affinitate fultus, *Egbertum* ſolum regalis proſapiæ ſuperſtitem, quem validiſſimum ſuis vtilitatibus metuebat obicem, Franciam fugandum curauit. Nam & ipſe *Brithricus*, & cæteri infra *Inam* Reges, licet natalium ſplendore gloriantes, (quippe qui de *Cerdicio* originem traherent) non parum tamen à linea regiæ ſtirpis exorbitauerant. Illo igitur expulſo, ſecuro reſolui cœperat otio, cum gens Danorum piratica rapto viuere aſſueta, occulte tribus nauibus aduecta pacem prouinciæ confudit. Quæ ſcilicet manus ſoli vbertatem, inhabitantium virtutem ſpeculatum venerat, vt poſtea eius multitudinis, quæ totam pene inundauit Brittanniam, aduentu compertum eſt. Tunc enim furtiue in alta pace regni appulſi, regium vicum, qui proximus erat inuolauerunt, villicum ſuppetias ferentem leto dedentes ſed mox timore concurrentium amiſſa præda, ad naues refugerunt. Poſt *Brithricum*, qui apud Werham iacet, *Egbertus* conſcendit thronum auitum omnibus ante ſe regibus merito præferendus. Et nos ergo quia vſq; ad eius tempus narrationem extendimus, iam nunc ad Northanimbros (ſicut polliciti ſumus) animum flectamus.

DE REGNO NORTHANIMBRORVM.

CAP. III.

ET ſupra paucis libauimus, & nunc neceſſario repetimus, quod *Hengiſtus* confirmato in Cantia regno fratrem *Otham* & filium Ebuſam acris & probatæ experientiæ viros ad occupandas Aquilonares Brittannię partes miſerit. Illi imperatis inſiſtentes couenientem ſtudiis ſuis exitum habuerunt. Namq; ſæpenumero cum prouincialibus congreſſi, profligatiſq; qui reſiſtendum putauerant, reliquos in fidem acceptos placidæ quietis gratia mulcebant. Ita cum & ſuis artibus & ſubiectorum fauore nonnihil poteſtatis corraſiſſent; nunquam tamen regium nomen temerare meditati, eiuſdem mediocritatis formam in proximos poſteros declinauerunt. Annis enim vno minus centum, Northanimbri duces communi habitu contenti, ſub imperio Cantuaritarum priuati agebant: ſed non poſtea ſtetit hæc ambitionis continentia, ſeu quia ſemper in deteriora decliuus eſt humanus animus, ſeu quod gens illa naturaliter inflatiores anhelat ſpiritus. Anno itaq; Dominicæ Incarnationis 547. poſt mortem *Hengiſti* 60. Ducatus in Regnũ eſt mutatus, regnauitq; ibi primus *Ida* haud dubie nobiliſſimus, ætate & viribus integer, verũ vtrum ipſe per ſe principatũ inuaſerit, an aliorum conſenſu ſuſceperit parum definio, quia veritas eſt in abdito. Cæterum ſatis conſtat magna & veteri proſapia oriundũ, puris & defęcatis moribus multũ ſplendoris generoſis cõtuliſſe natalibus. Adeo bello inuictus domi ſeueritatem regiam genui-

genuina manſuetudine animi temperabat. Poſſem hoc loco iſtius & aliorum alibi lineam ſeriatim intexere, niſi quod ipſa vocabula barbarum quiddã ſtridentia minus quam vellem delectationis lecturis infunderent. Illud tamen non immerito notandum, quod cum *Wodenio* fuerint tres filii, *Weldegius*, *Withlegius*, & *Beldegius*: de primo, Reges Cantuaritarum: de ſecundo, Reges Merciorum: & de tertio, Reges Weſt-ſaxonum & Northanimbrorum (præter duos, quos præcedens ſermo nominare perget) originem traxerunt. Hic ergo Ida ſicut abſolute inuenio à *Beldegio* nonus, à *Wodenio* decimus, 14. annis in Regno permanſit.

SVCCESSOR eius *Alla*, ex eodem quidem genere, ſed diuerſo à Wodenio tractu, ſanguinem ducens, regnum efficaciter prouectum ſudorum ſuorum titulis, per annos 30. nobiliter ampliauit. Huius tempore venales ex Northanimbria pueri, familiari, ſcilicet, & pene ingenita illi nationi conſuetudine, adeo vt ſicut noſtra quoq; ſecula viderunt, non dubitarent arctiſſimas neceſſitudines, ſub prætextu minimorum commodorum diſtrahere. Venales ergo ex Anglia pueri Romam deducti, ſaluti omnium compatriotarum occaſionem dederunt. Nam cum miraculo vultus, & lineamentorum gratia, oculos ciuitatis inuitaſſent, affuit forte cum aliis, beatiſſimus *Gregorius*, tunc Apoſtolicæ ſedis Archidiaconus, qui miratus tantam in mortalibus decoris compoſitionem, miſeratus tam abiectam in captiuis conditionem, conſulit aſtantes: qui genus? vnde domo? Reſponſum eſt, eſſe genere Anglos, prouincia Deiros, (Eſt enim Deira prouincia Northanimbriæ) *Alla* Regi ſubditos, paganiſmo deditos: quorum extremum dolentibus ſuſpiriis proſecutus, reliquis eleganter applauſit, vt Angli Angelis ſimiles de ira eruerentur, & Alleluia cantare docerentur. Nec mora, impetrata à *Benedicto* Papa licentia, ad prædicandum iter adoriri magnanima eximij viri ſpirauit induſtria: & profecto conceptum opus pietas expleſſet, niſi iam profectum factioſus amor ciuium reuocaſſet. Erat enim vir ille, cum virtutibus clarus, tum ciuibus charus, quippe qui ſpem illorum, quam de eo à puero combiberant, incredibili virtute ſuperarit. Ita boni intentio tunc quidem fruſtrata, ſed poſtmodum ſub pontificatu eius laudabilẽ finem accepit, ſicut ſuis lector locis inueniet. Me interim iſta inſeruiſſe non piguit, ne lecturorum conſcientiam defraudarem de *Alla*, cuius mentionem perſtrinxit patris *Gregorij* vita. Qui quanquam occaſio maxima Chriſtianitatis genti Anglorum fuerit, nihil vnquam ſeu Dei conſilio, ſiue quodam infortunio de ea audire meruit. Sane ad filium eius manauit electio.

ALLA mortuo, adeptus eſt regnum * *Ethelricus Idæ* filius, poſt detritam in penuria ætatem, extrema canicie profectus, ſed veloci morte de medio poſt annos quinq; ſublatus. *al. Edelricus.* Miſerabilis Princeps, & quem fama obſcura prorſus occuleret, niſi filii conſpicuus vigor patrem in ſpeculam extuliſſet.

ITAQ; cum longo ſenio ſatietati vitæ ſatisfeciſſet, *Ethelfridus* Regnum aſcendit, maior filiorum, qui teneritudinem annorum maturitate morum conſolaretur: cuius geſta per ſcriptorum facetiam prolata in publicum, non niſi ordinis loco ſtili noſtri expectant officium. Adeo in eius & ſequentium laudibus *Beda* vigilauit ingenium, & illius quidem in confines ſibi Northanimbros, eo familiarius, quo propinquius proſpiciebat intentio: noſtra vero lacinias illius carpet & componet oratio. Ne quis ſane mihi vitio vertat, quia tam diffuſa in arctum contrahitur hiſtoria, nouerit factum conſilio, vt qui nauſeauerint in illis obſoniis, in his mendicantes reſpirent reliquiis. Eſt enim verbum vſu tritum, antiquitate venerandum, Cibi qui minus ſufficiunt, auidius ſumuntur. *Ethelfridus* igitur (vt dicere cœperam) Regnũ nactus, primo acriter ſua defendere, poſt & improbe aliena inuadere, gloriæ occaſiones vndicunq; conflare. Multa prælia per eum inchoata prouide, & conſummata egregie, dum nec illum à neceſſitate frœnaret inertia, nec ad temeritatem præcipitaret audacia. Teſtis eſt horum Degſa lapis, in illis regionibus percelebris locus, in quo Rex Scottorum *Edan*, qui ſucceſſibus *Ethelfridi* inuidens, detractantem etiam in bellũ impulerat, non ſine magno victoris diſcrimine victus, fugã iniit. Siquidẽ germanus *Ethelfridi Tedbaldus*, caput periculis obiectans eo ſtudioſius, quo fratri operã oſtentare affectabat impenſius, luctuoſam victoriam reliquit, cum omnibus commanipularibus ſuis deſideratus. Teſtis eſt Legionum ciuitas, quæ nunc ſimpliciter *Ceſtra* vocatur, quæq; ad id temporis à Brittannis poſſeſſa, contumacis in Regem populi alebat ſuperbiam, ad cuius oppugnationem cum intendiſſet animum, oppidani, qui omnia perpeti, quam obſidionem mallent, ſimul & numero confiſi, effuſe in bellum ruunt: quos ille inſidiis exceptos fudit, fugauitq;, prius in Monachos debacchatus, qui pro ſalute exercitus ſupplicaturi frequentes conuenerant. Quorum incredibilem noſtra ætate numerum fuiſſe indicio ſunt, in vicino cœnobio tot ſemiruti parietes Eccleſiarum, tot anfractus porticuum, tanta turba

ruderum, quantum vix alibi cernas: vocatur locus ille Banchor, tunc Monachorum famoſum receptaculum, nunc mutatus in Epiſcopatum. Ita *Ethelfridus* rebus ad voluntatem foris ſcaturientibus, domeſticum metum & inteſtinum periculum propulſare deſiderans *Edvvinum Allæ* filium non aſpernandæ probitatis iuuenem, regno & prouincia eliminat: at ille multo tempore incertis ſedibus iactatus, multoſq; olim amicos, procliuiores in hoſtem quam in fidem expertus: quia vt ille dixit:

Cum fueris felix multos numerabis amicos:
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris:

TANDEM ad *Redvvaldum* Regem Orientalium Anglorum venit, apud quem deploratis caſibus ſuis, cum reſediſſet regia dignatione tutus, aduenerunt Legati *Ethelfridi*, vel traditionem transfugæ, vel bellum denunciantes. Ille vxorij pectoris conſilio roboratus, ne fidem amico datam illius minus corrumperet, ſuper *Ethelfridum* paratis copiis inſperatus aduolat: nihilq; minus quam inſidias opinantem, præmeditatus aggreditur. Quod tunc ſolum virtus deprehenſa potuit, intercluſo fugæ ſpatio remedium in manus vertit. Quamuis igitur pene inermis, quamuis ancipiti periculo circumuentus, non prius tamen occubuit, quam interitu *Reinerij* filii *Redvvaldi* mortem ſuam compenſaſſet. Hunc exitum poſt regni 24. annos habuit *Ethelfridus*, vſu quidem bellorum nulli ſecundus, ſed diuinæ religionis penitus ignarus. Habuerat ex *Acca* filia *Alla* ſorore *Edvvini* filios duos, *Oſvvaldum* duodennem, & *Oſvvinum* quadrimum, qui tunc occiſo genitore, nutriciorum diligentia fuga lapſi, Scotiam euadunt.

SIC igitur *Eadvvinus*, æmulis omnibus cæſis vel expulſis, pluribus laboribus emeritus, Regni faſtigium iam non rudis aſcendit. Cuius Dominio cum mox Northanimbrorum ceruicoſitas aſſurrexiſſet, acceſſit ad cumulum fœlicitatis mors maturata *Redvvaldi*. Nãque prouinciales, qui olim apud ſe exulantem promptæ audaciæ & impigri animi exploraſſent *Edvvinum*, vltro coniurata fide in eius ditionem conſpirant. Ille *Redvvaldi* filio inani Regis nomine conceſſo, cætera moderabatur pro arbitrio. Ea tempeſtate ſpes atque opes Anglorum in illo ſitæ: nec erat quælibet Brittanniæ prouincia, quæ non illius ſpectaret nutum, parata ad obſequium præter ſolos Cantuaritas. Hos enim immunes excurſionis reliquerat, quippe qui iamdudum ad nuptias *Ethelburgæ* ſororis *Edbaldi* Regis eorum mentem appulerat: quam cum longo tempore petitam, tandem aliquando impetraſſet eo conſilio, vt non contemneret habitam, quam diu ſuſpirauerat dilatam, tanto illa duo Regna confœderata ſunt officio, vt nihil eſſet vel in poteſtatibus diuerſum, vel in moribus barbarum. Eadem præterea occaſione Paulino prædicante, Domini Chriſti fides illis partibus infuſa, primo Regem ipſum penetrauit: quam cum Regina marito inter coniugales affectus crebro inculcaret, & antiſtitis Paulini monitio ſuo loco non deeſſet. Diu ille cunctabundus & anceps, ſemel tamen ſuſceptam imis inſeruit præcordiis: tunc vicinos Reges ad fidem inuitare, tunc Eccleſiarum ædificia excitare, nihil quod ampliandę fidei congrueret negligere. Interea & deuotioni Regiæ ſerenus diuinitatis fauor arridebat: adeo vt non ſolum Brittanniæ gentes, Angli, Scotti, Picti, ſed & Inſulæ Orchadum, & Meuaniarum, quas nunc Angleſei, id eſt, Anglorum inſulas dicimus, & arma eius metuerent, & poteſtatem adorarent. Nullus tunc prædo publicus, nullus latro domeſticus, inſidiator coniugalis pudoris procul, expilator alienæ hæreditatis exul, magnum id in eius laudibus & noſtra ætate ſplendidum. Itaq; Imperii ſui ad eos limites incrementa perducta ſunt, vt iuſtitia & pax libenter in mutuos amplexus concurrerent oſculorum, gratiã grata viciſſitudine libantes: & fœliciter tunc Anglorum reſpublica procedere potuiſſet, niſi mors immatura temporalis beatitudinis nouerca, turpi fortunæ ludo, virum abſtuliſſet patriæ. Ætatis enim 48. Regni 17. rebellantibus Regulis, quos ſub iugum miſerat, *Cedvvalla* Brittonum, & *Penda* Merciorum, cum filio interemptus miſerabile varietatis humanæ fecit exemplum: nullo prudentia inferior, qui ne Chriſtianam fidem, niſi diligentiſſime inſpecta ratione voluit ſuſcipere, ſuſceptæq; nihil exiſtimare comparabile.

OCCISO igitur *Edvvino*, filii *Ethelfridi*, iidemq; nepotes *Edvvini*, *Oſvvaldus* & *Oſvvius* iam adulti, iam vernantis iuuentæ florem induti repatriauerunt, ſimulq; qui ætate præſtabat *Eanfridus*, cuius mentio ſuperius excidit, regnum itaque in duo diſcretum eſt. Siquidem Northanimbria iamdudum in geminas ſecta prouincias, ex Deiris Allam, ex Berniciis Idam creauerat. Quapropter tunc filius patrui *Eadvvini Oſricus* Deiram, *Eanfridus Ethelfridi* filius Bernitiam ſortiti, hæreditarium ius ſe obtinuiſſe gloriabantur: ambo in Scotia ſacris Chriſtianis initiati, ambo vix dum poteſtatis compotes fidei transfugæ, non multo poſt infeſtante *Cedvvalla*, fidei relictæ pœnas dedêre. Annuum tempus inter has moras exactũ, *Oſvvaldum* magnæ ſpei iuuenem, ad imperandi ſcientiam exercuit.

Is fide

is fide quam ferro inſtructior, (nam apud Scottos cum multa nobilium indole exulauerat) Baptiſmi gratiam meruerat, *Ceaduuallum* rerum geſtarum memoria elatum, virum, vt ipſe dictitabat, in exterminium Anglorum natum, primo impetu caſtris exuit, mox cum omnib. copiis deleuit. Cum enim quantulumcunq; exercitum vndecunq; conflaſſet, his ſermonib. in bellum excitauit, vt aut vincendum ſibi commilitones, aut moriendum noſſent, nihil de fuga meditantes: exprobandi pudoris rem ventilari allegans, Anglos cũ Brittannis tam iniquo Marte confligere, vt contra illos pro ſalute decertarent, quos vltro pro gloria laceſcere conſueſcent: itaq; libertatem audentibus animis & effuſis viribus aſſerũt. Cæterum de fugæ impetu memoriam nullam: quare tam acriter & tanto conflictu vtrobique concurſum, vt recte dictum ſit, illum diem fuiſſe, quo nunquam Brittãnos triſtior, nunquam Anglos afflaſſet hilarior: adeo alteri omnibus viribus conſumptis, vlterius reſpirare non auſi: alteri ſacra religione cum Regis magnanimitate conſentiente in immenſum prouecti. Deniq; ex eo tempore cultus idolorum ad cineres torpuit, & ipſe regnum latioribus, quam *Eaduuinus*, terminis, citra vllam necem hominum 8. annis cum quiete coercuit. Huius regis laudes hiſtoria *Bedæ* panegyrico proſequitur ſtylo, quarũ nos competentes particulas, velut quodam complectemur Epilogo. Quantus enim in eius pectore fidei feruor coaluerit, facile ex hoc animaduertes, quod ſi quãdo *Antiſtes Aidanus* Scottice auditoribus facienda proponeret, & interpres deeſſet, confeſtim ipſe Rex, quamuis indutus chlamydem, vel auro fulgẽtem, vel tyrios murices æſtuantẽ, id munus non aſpernãter corripiens, barbari ſermonis inuolucrum propria lingua expediret. Vulgatiſſimum quoq; eſt, quod crebro appoſitis obſoniis, cum conuiuæ in cibos dentes acuerent, mentes intenderent, ipſe voluptates frænarit, penuria ſua pauperum mercatus gaudia: vnde arbitror etiam temporaliter abſolutam eſſe cœleſtis ſententiæ fidem, quia diuinum quondam reſultauit oraculum, diſperſit, dedit pauperibꝰ, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Nam quod auditor mirari debeat, & inficiari non audeat, dextra illa regalis tantarum eleemoſynarum largitrix, hodieq; cum brachio, cute & neruis incorrupta viget, totum vero corpus reliquum præter oſſa in cineres diſſolutum, communionem mortalitatis non euaſit. Et ſunt quidem nonnullorum ſanctorum corporales exuuiæ, nullius omnino labis conſciæ. Quapropter æſtiment alii, quo examine iudicium ſuum ponderent, ego iſtud gratius, & euidentiori miraculo diuinius eſſe pronuntio: nam vſu etiam pretioſa degenerant, & quicquid videtur rarius, prædicatur vberius. Iam vero ſuperfluus eſſem, ſi dicere affectarem, quam ſedulus fuerit preces in altum porrigere, votis cœlos onerare. Adeo amplior eſt laus iſta in *Oſuualdo*, quam vt noſtra oratione indigeat cumulari. Quãdo enim rogatus negligeret, qui rebellione per *Pendam* regem Merciorum excitata, cum ſtipatoribus fuſis ipſe quoq; ferratam ſyluam in pectore gereret, nec atrocitate vulnerum, nec mortis confinio potuit argui, quin pro animabus fidelium ſuorum Domino Deo ſupplicaret? Ita vir ingentis in ſeculo gloriæ, magnæ apud Deum gratiæ animam exuens gratioſam, ſui apud poſteros profudit memoriam per miraculorum frequentiam: & merito. Res eſt enim non pertrita, ſed coruo rarior albo, homines abundare diuitiis, & nolle laſciuire vitiis. Itaque defuncti brachia cum manibus & capite inſatiabili victoris ira deſecta & ſtipiti appenſa. Et corpus quidem, (vt dixi) totum placido naturæ ſinu confotum, in terrenum elementum abiit: brachia vero cum manibus, authore Deo, & teſte veraci hiſtorico, inuiolata durãt. Ea à fratre *Oſuuio* apud Bebbamburg vrbem (ita vocant Angli) compoſita ſcrinio, monſtrata miraculo idem aſſerunt. Quo loci quia opinione fluctuo, vtrum ad hunc diem ſeruentur, præcipitem affirmationem non emitto: Sed quid alii hiſtoriographi temere ſint profeſſi ipſi viderint. mihi fama vilius conſtat, nec quicquam niſi abſoluta fide dignum pronunciem. Caput tunc ab eodem germano Lindiffarni humatum, nunc Dunelmi inter brachia beatiſſimi *Cuthberti* teneri aiunt. Oſſa reliqui corporis cum regina *Eſtrida* vxor *Ethelredi* regis Merciorũ, filia regis *Oſuui*, charitate patrui ducta *Bardenio* monaſterio ſuo, quod eſt in regione Merciorum non longe à Lindocolino ciuitate, inferre vellet, iuerunt in repulſam monachi, inuidentes mortuo quietem oſſium quem oderant viuũ, quod ſuper eos bellico iure acceperat regnum: ſed intempeſta nocte per lucernam de cœlo ſuper reliquias emiſſam edocti fatuum lenire timorem in æquitatem tranſiere vltro expoſtulantes quod ante reiecerant. Frequentabantur ibi virtutes diuinitus, ſentiebãtq; præcellentiſſimi martyris opem quicunque imploraſſet languidus. Reuiruit ex cadẽtis ſanguine cãpi ceſpes plus ſolito florens, quo ſanatus eſt ſonipes, quem poſti affixum ſinuoſis anfractib. ignis vitabundus effugit. Nec vacauit à virtute lauaturæ reliquiarũ eius puluiſculus, quo mentis inops integritati rationis redditur. Occurrit medelæ, qui recentẽ cruorẽ capitis imbiberat ſtipes, quo loco hauſit ſanitatẽ deſperatus: diu iſtud monaſteriũ

tanti theſauri conſcium claruit habitantium ſanctimonia & neceſſariorum copia: Præſertim poſtquam *Ethelredus* rex ibidem coronam tonſuræ monaſticæ accepit, vbi & mauſoleum eius, vſque in diem hodiernum viſitur. Porrò poſt multos annos, beatiſſimi *Oſvvaldi* oſſa cum ea loca infeſtarent Barbari, Glœceſtriam tranſlata: locus iſte tunc Monachos nunc Canonicos habens, non multo incolitur habitatore. Fuit igitur *Oſvvaldus*, qui genti ſuæ primitias ſanctitatis dederit, quippe nullus ante illum Anglus miraculis quod ſciam claruerit. Qui poſt actam ſancte vitam, large dando eleemoſynas, crebras in Dei obſequia protelando excubias, poſtremo zelo Eccleſię Dei cum gentili bellum committēs, ante (quod optabat) effudit ſpiritum, quam (quod timebat) Chriſtianitatis videret detrimentum. Nec fraudabitur profecto martyrum gloria, qui primo bonæ vitæ intendens, poſtmodum glorioſæ morti corpus impendens eorum triuit veſtigia: & cumulatiori pene laude quod illi ſinguli ſe ſingulos, ille ſecum Deo conſecrauit totos Northanimbros.

Eo igitur humanis rebus exempto, *Oſvvius* frater eius apud Bernicios, *Oſvvinus* filius *Oſrici*, de quo ſuperius dixi apud Deiros regnum occuparunt: quibus cum primo de prouinciarum diuiſione modeſte conueniſſet: ſuſpenſo fœdere in ſua pacifice diſceſſum. Verum non multo poſt per homines, quibus nihil magis cordi erat quam diſcordias ſerere, pax incertis pactionibus ſæpe ludificata, vltimo penitus abrupta inuentos abiit. facinus miſerabile, fuiſſe qui regibus concordiam ſodalitatis inuiderent, nec abſtinerent, quin eos prælio, quantum in ipſis erat, committerent. Ibi tunc fortuna multis antea illecebris *Oſvvinum* adulata, ſcorpiacea cauda perſequebatur. Namque pro penuria exercitus bello abſtinendum ratus ſuburbanum rus clanculo conceſſerat: ſtatimque à ſuis proditus ab *Oſvvio* interemptus eſt, vir egregie factus ad emerendam gratiam ciuium largitione pecuniæ, animæ quoque ſuæ vt ferunt non negligens mentis deuotione. Ita *Oſvvius* integri regni compos nil non poſtea molitus eſt quo exiſtimationem ſuam purgaret, quo maieſtatem augeret, atrocis facti offenſam probitate morum poſteriorum imminuens, & primus quidem idemq; ampliſſimus laudum eius cumulus extitit, quia fratrem & auunculum nobiliter vltus, *Pendam* regem Merciorum, illud vicinorum excidium, illud perduellionum ſeminarium exitio dedit, ex quo tempore tam Merciis, quam omnibus penè Anglis, vel ipſe præſedit, vel præſidentibus imperauit. Hinc totus ad officia pietatis conuerſus, vt Dei beneficiis in ſe confluentibus digna ſedulitate reſponderet, Chriſtiani cultus infantiam pro nece germani in regno ſuo palpitantem viuacitate regia erigere, & pleno ſpiritu animare contendit. Eandemq; mox doctrina Scottorum adultam, ſed in multis Eccleſiaſticis obſeruationibus fluctuantem, primo per *Angilbertum* & *Wilfridum*: Poſtremo per *Theodorum* Archiepiſcopum Canonico ſtatu informauit. De cuius in Angliam aduentu principi *Oſvvio* debetur gratia, licet *Egbertus* rex Cantiæ pro iure prouinciæ multum illius delibet gloriæ, quin & domino famulantibus frequentia conſtituens habitacula: huius quoque boni patriam non reliquit exanguem. Quorum præcipuum monaſterium tunc fœminarum, nunc monachorum ab Eboraco 30. millibus in Boreali parte ſitum, antiquo vocabulo Streaneshall, modo Witeby nuncupatur, quod ab inſignis religionis fœmina *Hilda* cœptum, *Edelfleda* eiuſdem regis filia in regimine ſuccedens magnis fiſcalium opum molibus auxit, vbi & patri poſt 28. annos regni defuncto, funera iuſta perſoluit. Illud cœnobium, ſicut & omnia eiuſdem religionis, tempore Danicæ infeſtationis, quam dicemus inferius, deletum multa ſanctorum corpora perdidit. Nam & ſanctiſſimæ viraginis *Hildæ* oſſa tunc Glaſconiam tranſlata, & aliorum ſanctorum alias nonnulla: nūc mutato nomine paululum pro tempore reſtauratum antiquæ opulentiæ vix tenue præſentat veſtigium.

Osvvio, cuius duo erant filii, minor *Egfridus* legitime ſuſceptus, reprobato notho, ſucceſſit, *Etheldritæ* vxoris ſanctiſſimę meritis quam ſuis commendatior. denique duabus omnino rebus, quas quidem in geſtis Anglorum legerim prædicandus, vel quod Domino vacare volenti ſerenus indulſerit, vel quod beatum *Cuthbertum* lachrymis religioſa aſſentatione profuſis in Epiſcopatum promouerit. Cæterū horret animus impietatis meminiſſe, quam in beatiſſimū *Wilfridum* graſſatus euomuit, quoniam bonitatis illius nauſeam concipiens, patriam clariſſimo lumine viduauit. Idem in ſupplices proteruus, quo morbo nullum tyrannorum carere videas, Hybernenſe genus ſane hominum innocens, genuina ſimplicitate nil vnquam mali moliens vaſta clade protriuit. At contra in rebelles ignauus, triumphoſq; patris eludens imperium Merciorum amiſit. quin & ab eorum rege *Ethelredo* filio *Pendæ* in bello fugatus fratrem quoque amiſit. Veruntamen hæc poſtrema iuuentutis lubrico in *Wilfridum* vero commiſſa vxoris & Epiſcoporum conſilio veritas rerum aſſignari iubet, præſertim cum *Beda* adulari neſcius, cum in libro de vita Abbatum

ſuorum piiſsimum & Deo dilectiſsimum vocet. Poſtremo 15. regni anno expeditionem in Pictos agens cum illis in montes abditos conſulto cedentibus peruicaciter inſtaret, cum omnibus fere copiis interiit: pauci fuga lapſi rem domi nunciauerunt: quamuis diuinus *Cuthbertus* pro futurorum conſcientia, & iturum retinere temptauerit, & ipſa hora occiſionis ſpiritum è cœlo ſibi influentem hauriens, interfectum abſens non tacuerit.

Egfridi necem cum inſignior fama vbique loqueretur, etiam ad fratris *Alfridi* aures anxia præcipiti peruenit epiſtola penna. Is quia nothus vt dixi erat, factione optimatũ, quamuis ſenior regno indignus æſtimatus, in Hyberniam ſeu vi, ſeu indignatione ſeceſſerat. Ibi & ab odio germani tutus & magno otio literis imbutus, omni Philoſophia compoſuerat animum. Quocirca imperii habenis habiliorem æſtimantes qui quondam expulerant vltro expetiuerunt, neceſsitas medelam ad preces refudit. Nec eos ille ſua ſpe fruſtratus eſt: nam per decem & nouem annos ſumma pace & gaudio prouinciæ præfuit: nihil vnquam præter in perſequutione magni *Wilfridi* quod liuor edax digne carpere poſſet admittens. Non tamen iiſdem terminis quibus pater & frater regnum tenuit, quod Picti recenti victoria inſolenter abuſi Angloſque longa pace ignauiores aggreſſi fines eorum ab Aquilone decurtauerant.

HABVIT ſucceſſorem filium *Oſredum*, 8. annorum puerum, qui annis 11. regnum inumbrans turpemq; vitam ſanctimonialium ſtupris exagitans, tandemq; cognatorum inſidiis cæſus, eandem fortunam in ipſos refudit. Siquidem *Kenred* duobus & *Oſricus* 11. annis regnantes hoc tantum memorabile habuerunt, quod domini ſui licet merito (vt putabant) occiſi ſanguinem luentes, fœdo exitu auras polluere. Meruit ſane quo lætior abiret *Oſricus* multumq; vt gentilis ait, aliis iactantior vmbris, quod *Celvvlphum Kenredi* fratrem viuens ſibi ſucceſſorem adoptauerat. Conſcendit igitur tremulum regni culmen *Celvvlphus* ab *Ida* * ſeptimus, & idoneus ad cętera, & cui non deeſſet literarum peritia acri animo al. octau*. & alacri ſtudio comparata. Vadatur ſermonis mei veritatem *Beda*, qui eo tempore, quo maxime ſcaturiebat literatis Brittannia: huic potiſsimum Anglorum hiſtoriam elimandam obtulit, eligens nimirum in illo authoritatem bene dicta roborandi propter imperium, & ſcientiam perperam dicta emendandi propter ingenium.

CVIVS anno quarto hiſtoricus *Beda* poſt multos in ſancta Eccleſia libros elaboratos cœleſtem patriam quam diu ſuſpirauerat, ingreſſus eſt anno dominicę Incarnationis 734 ętatis ſuæ quinquageſimo 9. vir quem mirari facilius quam digne prædicare poſsis, qui in extremo natus orbis angulo, doctrinæ coruſco, terras omnes perſtrinxerit. nam Brittannia, quæ à quibuſdam alter orbis appellatur, quod Oceano interfuſa non multis Coſmographis comperta eſt, habet in remotiſsima ſui plaga locum natiuitatis & educationis eius, Scotiæ propinquum. Plaga olim & ſuaue halantibus monaſteriorum floribus dulcis & vrbium a Romanis ædificatarum frequentia renidens: nunc vel antiquo Danorum vel recenti Normannorum, populatu lugubris, nihil quod multum animos alliciat prætendit. Ibi eſt Wira nec egenæ latitudinis, nec ſegnis gurgitis amnis, qui pelago influus naues ſerena inuectas aura placido oſtii excipit gremio. Cuius vtraſque ripas *Benedictus* quidam Eccleſiis inſigniuit, & monaſteria ibidem conſtruxit, alterum *Petri*, alterum *Pauli* nomine charitatis & regulę vnione non diſcrepantia. Huius induſtriam & patientiam mirabitur qui leget librum, quem *Beda* compoſuit, de vita eius & reliquorum Abbatum ſuorum. Induſtriam, quod copiam librorum aduexerit, quod artifices lapidearum ędium, & vitrearum feneſtrarum primus omnium Angliam aſciuerit, totum pene æuum talia trãſigendo peregrinatus. Quippe ſtudio aduehendi cognatis aliquid inſolitum amor patriæ & voluptas elegantiæ aſperos fallebant labores. Neq; enim ante *Benedictum* lapidei tabulatus domus in Brittannia niſi perraro videbantur, neque perſpicuitate vitri penetrata lucem ędibus ſolaris iaciebat radius. Patientiam, quod in poſſeſsione cœnobii beati *Auguſtini* apud Cantuariam libenter venienti *Adriano* ceſſerit, non reueritus beati *Theodori* Archiepiſcopi ſupercilium, ſed veneratus magiſterium. Quod dum per alienas terras curſitat diu abſens, ſubintroductum à monachis Wireſibus (ſe inconſulto) Abbatem æquanimiter, imo magnanimiter tulerit, domumq; reuerſus parilem illi honorẽ in cõſeſſu & in omni porro poteſtate cõmunicauerit. Quin & ictus paralyſi tam valide vt nihil artuũ ei eſſet flexibile, tertiũ conſtituerit, quod alter, de quo diximus, eadẽ nõ mitius decoqueretur valetudine. Cumq; morbus increſcens iam quæreret vitalia, ſocio ad ſe delato ſolo nutu valedixit. Sed nec ille præſtantius valuit rependere officium, vtpote qui propinquiorem tendebat ad exitum. nam ante *Benedictum* defunctus eſt.

SVCCESSIT *Celfridus*, ſub quo res monaſterii in immenſum auctæ ſunt. Is cum diutur-

no ſenio viuendi renunciaſſet deſiderio, Romam ire propoſuit ſenilem animam, vt ſperabat dominis effuſurus Apoſtolis: ſed tamen voti effectu carens naturę debitum apud Lingonis ciuitatem iniit. Reliquiæ oſſium poſterioribus annis ad monaſterium, deinde Danicæ vaſtationis tempore, cum oſſibus beatæ *Hildæ* Glaſconiam portatæ ſunt. Horum Abbatum gratiam, quæ per ſe ſatis eminet, conſpicuus alumnus eorum *Beda* in ſplẽdidiorem excellentiam vrget. Siquidem ſcriptum eſt: Gloria patris filius ſapiens, quod alter eum monachauerit, alter eum educauerit. Quod quia ipſe *Beda* pro compendio notitiæ ſubiecit, omnem vitam ſuam breui Epilogo comprehendens, ipſius verba lector recognoſcat licebit. nec in eis ſermonibus, vel plus, vel minus ipſa nouę formæ producet neceſſitas. Ait ergo in fine Eccleſiaſticæ Anglorum hiſtoriæ, vir tum in cæteris tum in hoc laudabilis, quod nihil quantulamcunque ſui cognitionem poſteritati non inuiderit.

Hæc de hiſtoria Britanniarum domino adiuuante digeſſi Beda *famulus Chriſti & presbyter Monaſterij beatorum Apoſtolorum* Petri *&* Pauli *quod eſt ad* Wiremudan: *qui natus in territorio eiuſdem Monaſterii cum eſſem ſeptem annorum, cura propinquorum datus ſum educandus reuerentiſſimo Abbati* Benedicto, *ac deinde* Ceolfrido *cunctumq́; ex eo tempus vitæ in eiuſdem Monaſterij habitatione peragens, omnem meditandis ſcripturis operam dedi, atque inter obſeruantiam diſciplinæ regularis, & quotidianam cantandi in eccleſia curam, ſemper aut diſcere, aut docere, aut ſcribere, dulce habui. nonodecimo autem vitæ meæ anno diaconatum, 30. gradum presbyteratus, vtrumq́; per miniſterium reuerentiſſimi Epiſcopi* Iohannis *(iubente* Ceolfrido *Abbate) ſuſcepi, ex quo tempore accepti prsebyteratus vſque ad annum ætatis meæ 59. meæ meorumq́; neceſſitati ex opuſculis venerabilium patrum breuiter hæc annotare ſiue etiam ad formam ſenſus, & interpretationis eorum adiicere curaui.*

DEINDE enumeratis 36. voluminibus quæ in 78. libris edidit, addidit: *teq́; deprecor bone Ieſu, vt cui propitius donaſti verba tuæ ſcientiæ dulciter haurire, dones etiam benignus aliquando vt te fontem omnis ſcientiæ peruenire & parere ſemper ante faciem tuam: Præterea omnes ad quos hæc hiſtoria peruenire potuerit noſtræ nationis legentes ſiue audientes, ſuppliciter precor, vt pro meis infirmitatibus & mentis & corporis apud ſupernam clementiam ſæpius meminerint interuenire, & hanc mihi in ſuis quiq́; prouinciis ſuæ remunerationis vicem rependant, vt qui de ſingulis prouinciis, ſiue locis ſublimioribus, quæ memoratu digna atq́; incolis grata crediderim, diligenter annotare curaui, apud omnes fructum piæ interceſſionis inueniam.*

DEFICIT hic ingenium, ſuccumbit eloquium neſcientis quid plus laudem, librorum numeroſitatem, an ſermonum ſobrietatem. infuderat eum proculdubio non indigo hauſtu diuina ſapientia, vt anguſto vitæ ſpaciolo tanta elaboraret volumina. Quid? quod ferũt eum Romam iuiſſe, vt libros ſuos vel Eccleſiaſticæ doctrinæ conuenire præſens aſſereret, vel ſi reſultarent, Apoſtolico nutu corriperet. Veruntamen quod Romæ fuerit ſolide non affirmo, ſed cùm illuc inuitatum haud dubie pronuncio: quod hęc epiſtola clarum faciet, ſimul & quanti penderit eum Romana curia, vt eum tantopere deſideraret.

SERGIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei*, Celfrido *religioſo Abbati ſalutem. Quibus verbis ac modis clementiam Dei noſtri, atq́; inenarrabilem prouidentiam poſſumus effari, & dignas gratiarum actiones pro immenſis circa nos eius beneficiis perſoluere, qui in tenebris & vmbra mortis poſitos ad lumen ſcientiæ producit.* Et infra, *Benedictionis intereà gratiam quam nobis per præſentem portitorem tua miſit deuota religio, libenter & hilari animo, ſicuti ab ea directa eſt nos ſuſcepiſſe cognoſce. Opportunis ergo ac dignis amplectendæ tuæ ſollicitudinis petitionibus arctiſſima deuotione fauentes, hortamur Deo dilectam tuæ religioſitatis bonitatem, vt, quia exortis quibuſdam eccleſiaſticarum cauſarum capitulis, non ſine examinatione longius innoteſcendis opus nobis ſunt ad conferendum artes literaturæ imbuti, ſicut decet Deo deuotum auxiliatorem ſanctæ matris vniuerſalis Eccleſiæ, obedientem deuotionem huic noſtræ hortationi non deſiſtas accommodare, ſed abſq́; aliqua remoratione religioſum Dei famulum* Bedam *venerabilis monaſterii tui presbyterum ad limina Apoſtolorum principum dominorum meorum* Petri *&* Pauli *amatorum tuorum ac protectorum, ad noſtræ mediocritatis conſpectum non moreris dirigere, quem fauente Deo ſanctis tuis precibus non diffidas proſpere ad te redire, peracta præmiſſorum capitulorum cum auxilio Dei deſiderata ſolennitate. erit enim vt confidimus etiam cunctis tibi creditis profuturum, quicquid Eccleſia generali claruerit per eius præſtantiam impertitum.*

ITA iam celebris erat fama vt in quæſtionibus enodandis indigeret eo ſublimitas Romana, nec vero vnquam Gallicanus tumor inuenit in Anglo, quod argueret merito. Adeo latinitas omnis eius fidei & magiſterio palmam dedit. Nam & fidei ſanæ & incurioſæ, ſed dulcis fuit eloquentiæ, in omnibus explanationibus ſcripturarum diuinarum magis illa rimatus quibus lector Dei dilectionem & proximi combiberet, quam illa quibus vel ſales libaret vel linguæ rubiginem limaret. Porro de vitæ illius ſanctitate dubitare quenquam

arcet

arcet illius dicti irrefragabilis veritas quod protulit mundo diuæ ſophiæ maieſtas, In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis: quod de mundana ſapientia profecto non dicit, quæ indifferēter hominum cordibus illabitur, & qua creberrime peſſimi nullaſq; ad extremum diem ponentes metas ſceleribus pollere conſpiciuntur, iuxta illud dominicum, filii huius ſeculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt, ſed illam ſapientiam nominat quæ diſciplinæ effugit fictum, & quæ ſeperat à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu, intellectum dico bene viuendi & bene dicendi: vnde pulcherrime *Seneca*, in lib. De cauſis commemorat, *Catonem* oratoris officium definientem dixiſſe, Orator eſt vir bonus, dicendi peritus. Emundabat ergo eccleſiaſticus Orator prius conſcientiam ſuam, vt ſic accederet ad recludendam myſticorum ſcriptorum intelligentiam. Quomodo enim fieri poteſt vt ſeruiret vitiis, qui medullas intimas hauriret, qui totas cogitationes cōſumeret in ſcripturarum expoſitionibus? Nam vt ipſe fatetur in lib. 3. ſuper *Samuelem*: expoſitiones ſuæ ſi non aliud afferrent lectoribus emolumentum, hoc ſibi non mediocriter valerent, quod dum hoc omni ſtudio agebat, lubricum ſeculi & inanes cogitationes poſt tergum ponebat. defæcatus ergo vitiis ſubibat in interiora velaminis, quæ intus acceperat animo, foras efferens ſermone caſtigato.

Veruntamen animi eius pura ſanctitas, & ſancta puritas, magis primo tempore obitus excelluit. Siquidem ſeptem continuis hebdomadibus ſtomachi indignatione cibos nauſeans, ægroque & anguſto ſuſpirio halitum producens adeo vt cum incommoditas lecto proſterneret, non tamen literalium ſtudiorum proiecit operam. Totis enim diebus præter debitum pſalmodiæ penſum aſſiduis ad diſcipulos lectionibus, ruminandiſq; & abſoluendis quæſtionum difficultatibus, grauedinem valetudinis decipere, ſuſpenſa interim cogitatione nitebatur. Euangelium quoq; *Iohannis*, quod difficultate ſui mentes legentium exercet his diebus, lingua interpretatus Anglica, condeſcendit minus imbutis Latina: ſub indeq; monebat diſcipulos dicēs, diſcite filioli, dum vobiſcum ſum neſcio enim quamdiu ſubſiſtam, & ſi poſt modicum tollat me factor meus & reuertatur ſpiritus meus ad eum qui miſit illum, & in hanc vitam conceſſit venire diu vixi, bene conſuluit dominus meus in hoc vitæ ſpatio: cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto.

Plerumq; ſpe metuq; libratis cum neutrum præponderaret, inferebat: horrendū eſt incidere in manus Dei viuentis; non ita inter vos vixi vt pudeat me viuere, ſed nec mori timeo, quod bonum dominum habemus, ſanctiſſimi Ambroſii morientis dictum imitatus Fœlix qui tam ſecura loquebatur cōſcientia, vt nec viuere erubeſceret, nec mori timeret: hic nō reueritus aſpectus hominum, illic occultū Dei æquanimiter expectans arbitrium: ſæpe vi doloris preſſus his exemplis reſpirabat; aurum probat fornax, & virum iuſtum caminus tentationis. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis Proſequebantur dicta lachrymæ, ſuſpiriorumq; difficultas. Iam vero noctibus, quia deerant qui docerentur vel verba exciperent, lucubrabat ipſe ſibi pernox in gratiarum actione & pſalmorum cantu, implens ſapientiſsimi viri dictum, vt nunquam minus ſolus eſſet quam cum ſolus eſſet. Si quando vero ſopor irreperet palpebris, qui erat modicus & grauis, confeſtim excuſſus turbatuſq; affectum Deo ſemper intētum hac voce prodebat. Suſcipe domine ſeruum tuum ne calumnientur me ſuperbi: fac cum ſeruo tuo ſecundum miſericordiam tuā Hæc & alia ex reliquiis memoriæ præteritæ vltro ori occurrebant exempla, quæ promebat per temporum interualla, prout leniebatur infeſti morbi anguſtia. Feria vero 3. ante Aſcenſionem Domini inualeſcente ad extremum incommodo, modicus tumor in pedibus apparuit haud dubius vicinæ mortis præſagus & index. Tunc accita congregatione inunctus eſt & communicatus: oſculo cunctis libato, futuram ſui memoriam a ſingulis implorans, nonnullis etiam familiariorem amicitiam emeritis xeniola, quæ in ſecretis habebat, largitus eſt. Die vero Aſcenſionis cum iam anima fragilem vſum corporis exoſa egrediq; geſtiens palpitaret, contra oratorium, in quo conſueuerat orare, cilicio ſubiecto decumbens, illibato ſenſu & hilari vultu ſpiritus ſancti gratiam inuitabat dicens: O rex gloriæ, domine virtutum, qui triumphator hodie ſuper omnes cœlos aſcendiſti, ne derelinquas nos orphanos, ſed mitte promiſſum patris in nos ſpiritum veritatis: hac oratione finita ſpiritum efflauit, ſubſequente & omnium narib. oppletis odore, qualem nec cynnama, nec balſama ſpirant, ſed paradiſiaco, & qualem vernalis vbicunq; locorum exhalat lætitia: humatus eſt tunc in eodem monaſterio, ſed modo cum beato *Cuthberto* Dunelmi ſitum fama confirmat.

Sepulta eſt cum eo omnis geſtorum pene notitia, vſque ad noſtra tempora. Adeo nullus Anglorum, ſtudiorum eius æmulus, nullus gratiarum eius ſequax fuit, qui omiſſæ monetæ lineam perſequeretur: pauci quos æquus amauit Ieſus, quamuis literis nō ignobiliter

informati, vita tota ingratum conſumpſerunt ſilentium: alii vix primis labris illas guſtantes, ignauum confouerunt otium. Ita cum ſemper pigro ſuccederet pigrior, multo tempore in tota inſula, ſtudiorum detepuit feruor. Magnum ignauiæ teſtimonium dabunt verſus Epitaphii ſui, pudendi prorſus, & tanti viri mauſoleo indigni.

Presbyter hic Beda, *requieſcit carne ſepultus:*
Dona Chriſte animam in cœlis gaudere per æuum:
Daq; illi ſophiæ debriari fonte, cui iam
Suſpirauit ouans, intento ſemper amore.

Poterit ne vlla excuſatione hic pudor extenuari, vt nec in monaſterio, vbi illo viuente totius literaturæ exultabat gymnaſium, potuerit inueniri homo, qui memoriam eius formaret, niſi exili & miſerabili ſtylo? Sed de hoc ſatis: Nunc quod in manibus repetam.

Cebvvlphus citra grauitatem Chriſtianam æſtimans terrenis negotiis immori, poſt octo annos regni regem exuens, in Lindiffarnenſi cœnobio monachicum habitum accepit: quo loci quanta meritorum gratia conuerſatus ſit, teſtatur celebris iuxta beatum *Cuthbertum* ſepultura, & multa ſuperne demiſſa miracula.

PROVIDERAT autem ne vacillaret reſpublica ſubſtituto in regnum *Egberto* patrui filio: quod ille acceptum, bonorum terens orbitas, 20. annos egregio moderamine coercuit. Habuit fratrem æquiuocum Archiepiſcopum Eboraci, qui & ſua prudentia, & germani potentia ſedem illam in genuinum ſtatum reformauit. Namque quod cuiuis geſta Anglorum legenti in promptu eſt *Paulinus* eiuſdem Eccleſiæ Eboracenſis primus antiſtes vi hoſtilitatis loco pulſus, & apud Roueceſtram diem obiens, ibidem illud inſigne pallii, quod ab *Honorio* Papa ſuſceperat, reliquit. Plures poſt eum tantæ vrbis præſules ſimplici Epiſcopatus nomine contenti nihil altius anhelauerant: At vero *Egbertus* intronizatus animoſioris ingenii homo, cogitans, quod ſicut ſuperbum eſt ſi appetas indebita, ita ignauum eſt ſi debita negligas, pallium multa throni Apoſtolici appellatione reparauit. Hic omnium liberalium artium armarium (vt ita dicam) & ſacrarium fuit, nobiliſsimamque bibliothecam Eboraci conſtituit, cuius rei teſtem idoneum aduoco *Alcuinum*, qui à regibus Angliæ pro pace miſſus ad regem magnum *Carolum*, & benigno apud eum fotus hoſpitio, in epiſtola ad *Eambaldum* tertio loco *Egberti* ſucceſſorem ait, *Laus & gloria Deo, qui dies meos in proſperitate bona conſeruauit, vt in exaltatione filii mei cariſsimi gauderem, qui laboraret vice mea in Eccleſia, vbi ego nutritus & educatus fueram, & præeſſet theſauris ſapientiæ, in quibus me magiſter meus dilectus* Egbertus *Archiepiſcopus hæredem reliquit. Item* Karolo Auguſto: *Date mihi exquiſitiores eruditionis ſcholaſticæ libellos, quales in patria habui, per bonam & deuotiſsimam magiſtri mei* Egberti *Archiepiſcopi induſtriam. Et, ſi placet ſapientiæ veſtræ, remittam aliquos ex pueris noſtris, qui excipiant inde quaque neceſſaria, & reuehant in Franciam flores Brittanniæ, & non ſit tantummodo in Eboraco hortus concluſus, ſed etiam in Turonica emiſsiones paradiſi.*

HIC eſt *Alcuinus* qui vt dixi, pro pace Franciam miſſus, ibi apud Carolum ſeu terræ amœnitate, ſeu regis humanitate captus reſedit, magniq; apud eum habitus imperialem animum quantum ab aulicis curis vacabat, Dialectica, & Rhetorica, & etiam Aſtronomia probe compoſuit. Erat enim omnium Anglorum, quos quidem legerim, poſt beatum *Aldelmum* & *Bedam*, doctiſsimus, multiſq; libris ingenii periculum fecit. Iacet in Frãcia apud S. *Paulum* de Cormarico: quod cœnobium *Carolus* magnus eius conſilio conſtruxit: vnde hodieq; quatuor monachorum victus & potus pro eiuſdem *Alcuini* anima quotidianę infertur eleemoſynæ in eadem Eccleſia.

SANE cum ad id locorum venimus, vt *Karoli* magni mentio vltro ſe ingereret, volo de linea regum Frãcorum, de qua multa fabulatur antiquitas, veritatem ſubtexere, nec multum à propoſito elongabor, quia progeniem eorum neſcire damnum duco ſcientiæ, cum & confines nobis ſint, & ad eos maxime Chriſtianum ſpectet imperium. Et forte quibuſdam non iniucundum videbitur, ſi hoc compendium percurrant, quibus magna volumina euoluere, non erit otium.

FRANCI a feritate morum Græco vocabulo dicti, quod iuſſu primi *Valentiniani* Imperatoris *Alanos* in Męotidas paludes refugientes eiecerint. Parua gens prius & exilis, incredibile quantum breui adoleuerit decenni vectigalium indulgentia. Hoc enim pacto ante bellum ſalutis diſcrimen inierant. Ita accedente libertate in immenſum aucti, primo maximam Germaniæ partem, procedente tempore totas Gallias occupantes, ſigna ſua comitari coegere: vnde *Lotharingi* & *Alamanni* & cæteri Tranſrhenani populi, qui imperatori Teutonicorum ſubiecti ſunt, magis proprie ſe Francos appellari iubent, & eos quos

nos

hos putamus Francos, Galvvalas antiquo vocabulo quaſi Gallos nuncupant. Quibus & ego aſſenſum commodo, ſciens quod *Karolus* magnus, quem regem Frãcorum fuiſſe, nemo eſt qui inficias eat, ea gentilicia lingua vſus ſit, quam Franci Transrhenani terunt. Legenti vitam *Karoli* in promptu occurrit, quòd ſermo meus à vero non exulat. Annó igitur incarnati verbi, quadringenteſimo viceſimo quinto *Franci* primum regem habuerunt *Faramundum*. Nepos *Faramundi* fuit *Meroueus*, à quo omnes poſt eum reges Francorum vſque ad *Pipinum Meroningi* vocati ſunt: Eodem modo & filii regum Anglorum à patribus patronymica ſumpſerunt, vt filius *Eadgari*, *Eadgaring*, *Edmundi* filius *Eadmunding* vocentur, & cæteri in hunc modum, communiter vero *Ethelingi* dicuntur. Naturalis ergo lingua Francorum communicat cum Anglis, eo quod de Germania gentes ambæ germinauerint. Fœliciter & potenter regnauerunt Meroningi vſque ad annum Incarnationis Domini ſexcenteſimum octogeſimum ſeptimum. Tunc enim *Pipinus* filius *Anſegiſi* Comes palatii apud Transrhenanos Francos factus eſt. Is captatis occaſionibus, quibus ambitum palliaret, dominum ſuum *Theodoricum* Meroningorum fæcem ſub iugum miſit; & vt facti leniret infamiam, ſpecie tenus illi regis nomine donato, cuncta intus & foris regebat pro libito. Huius *Pipini* genealogia ſupra infraque cõtexitur ita: *Ausbertus* ſenator ex filia *Lotharii* patris *Dagoberti Blithilde* genuit *Arnoldum*; *Arnoldus* genuit ſanctum *Arnulphum* Metẽſem epiſcopũ; *Arnulphus* genuit *Flodulphũ*, *Walchiſum*, *Anchiſum*; *Flodulphus* genuit *Martinum* ducem, quem interfecit *Ebroinus*: *Walchiſus* genuit ſanctiſſimum *Wandregeſilum* Abbatem; *Anſchiſus* dux genuit *Anſegiſum*; *Anſegiſus* genuit *Pipinum*: Filius *Pipini* fuit *Carolus* *Tudites, quem illi *Martellum* vocant, quod tyrannos per totam Frãciam emergentes contuderit, Saracenos Gallias infeſtantes egregie depulerit. Hic paternæ ſequax ſententiæ, regis tenuit in clientela, Comitis contentus nomine: reliquit duos filios *Pipinum* & *Carolomannum*. *Carolomannus* (incertum qua de cauſa) ſæculum relinquens tonſoratus eſt in monte Caſſino. *Pipinus* à *Stephano* Papa ſucceſſore *Zachariæ* apud ſanctum *Dionyſiũ* in regem Francorum & Patricium Romanorum coronatus eſt. Nam imperatoribus Conſtãtinopolitanis iamdudum à ſolita virtute degenerãtibus, nec vllam Italiæ vel eccleſiæ Romanæ opem ferentibus, quæ multis annis tyrannidem Longobardorum ſuſpirauerant: idem Papa iniurias illorum poteſtati Francorum apploraui. Quapropter *Pipinus* alpibus tranſcenſis *Deſiderium* regem Longobardorum ita coarctauit, vt ablata Romanæ eccleſiæ reſtitueret, & ne repeteret, ſacramẽto firmaret. Franciam reuerſus, poſt aliquot annos obiit, ſuperſtitibus hæredibus liberis, *Carolo* & *Carolomanno*. *Carolomannus* poſt biennium, finem habuit. *Carolus* nomen magni ab effectu ſortitus, duplo quam pater habuerat, regnum ampliauit; triginta & eo amplius annis ſimplici regis nomine faſtigiatus, & ab imperatoria appellatione, quamuis ſæpe ab *Adriano* Papa inuitaretur, temperans. Verum eodem Apoſtolico defuncto, cum conſanguinei eius *Leonẽ* ſanctiſſimum, qui ſucceſſerat, plagis in eccleſia beati *Petri* affeciſſent, adeo vt linguam eius mutilarent, & lumina terebrarent, Romam ad reformandum ſtatum eccleſiæ ire maturauit. Ibi in improbos vltionem executus tota hyeme reſedit, Apoſtolicum per Dei miraculum plane loquentem, & clare videntem proprio tribunali reſtituens. Inter has moras Quirites, collato cum Præſule conſilio, die natiuitatis domini *Auguſtum* inopinate acclamant. Quod cognomen, licet inuitus vt inſuetum admiſiſſet, poſtea tamen animoſitate, qua decebat, contra imperatores Conſtantinopolitanos defendens, *Ludouico* filio hæreditarium contradidit. Ex eius genere regnauere in illa regione, quæ nunc proprie Francia dicitur, vſque ad *Hugonem* cognomento *Capet*, à quo deſcendit modernus *Ludouicus*. Ex eadem progenie regnarũt in Alemannia & Italia vſque ad annum domini 912. Tunc enim *Conradus* rex Teutonicorum illud imperium arripuit. Huius nepos fuit *Ottho* maximus, nihil probitatis debens omnibus ante ſe imperatoribus, ita virtute & gratia mirabilis hæreditatem imperii poſteris reliquit ſuis: nam modernus *Henricus* gener *Henrici* regis Angliæ ex eius ſanguine lineam trahit.

al. Cudites

SED vt ad inchoatum reuertar: *Alcuinus*, licet in Francia à *Carolo* magno monaſterio beati *Martini* prælatus eſſet, non immemor compatriotarum, imperatorem in amicitia eorum continere, illos crebris epiſtolis ad bonum incitare. Dictorum eius hic pleraque intexam, quibus palam fiat, quam cito poſt obitum *Bedæ* in eius etiam eccleſia ſtudium librorum emarcuerit, & poſt obitum *Egberti* regnum Northanimbrorum propter morum peruicaciam malorum peſſum ierit.

Ait ergo ad Wiorenſes, apud quos Beda *vixerat & obierat, ex obliquo arguens feciſſe, quod ne faciant rogat: aſſueſcant pueri aſtare laudibus superni regis, non vulpium fodere cauernas, non leporum fugaces ſequi curſus, diſcant nunc ſcripturas ſacras, vt ætate perfecta alios docere poſſint. Re-*

cogitate nobiliſſimum noſtri temporis magiſtrum Bedam *preſbyterum, quale habuit in iuuentute diſcendi ſtudium, qualem nunc habet inter homines laudem, & multo maiorem apud Deum remunerationis gloriam. Item ad Eboracenſes: non pro auri auaritia, teſtis eſt mei cognitor cordis. Franciam veni, nec remanſi in ea; ſed Eccleſiaſtica cauſa neceſſitatis. Item ad* Offam *regem Merciorum: ego paratus eram cum muneribus* Caroli *regis ad vos venire, & ad patriam reuerti, ſed melius mihi viſum eſt propter pacem gentis meæ in peregrinatione remanere, neſciens quid feciſſem inter eos, inter quos nullus ſecurus eſſe, vel in ſalubri conſilio proficere poteſt. Ecce loca ſancta à paganis vaſtata, altaria periuriis fœdata, monaſteria adulteriis violata, terra ſanguine dominorum & Principum fœdata. Item ad* Egelredum *regem qui tertius poſt* Egbertum *regnauit. Ecce Eccleſia ſancti* Cuthberti *ſacerdotum ſanguine aſperſa, omnibus ſpoliata ornamentis, locus cunctis in Brittannia venerabilior paganis gentibus datur ad deprædandum. Et vbi primum poſt diſceſſum ſancti Paulini ab Eboraco Chriſtiana religio in noſtra gente ſumpſit exordium, ibi miſeria & calamitatis cœpit initium. Quid ſignificat pluuia ſanguinis, quam in quadrageſimali tempore in Eboraca ciuitate, quæ eſt caput totius regni, in Eccleſia beati* Petri *principis Apoſtolorum vidimus, de Borealibus domus ſereno aere, de ſummo tecti minaciter cadere? Nonne poteſt putari à Borealibus partibus venire ſuper terram ſanguinem? Item* Oſberto *patricio Merciorum: noſtrum regnum Northanimbrorum pene periit propter inteſtinas diſſenſiones & fallaces iurationes. Item ad* Athelardum *Cantuarienſem Archiepiſcopum. Hoc dico propter flagellum, quod nuper accidit partibus inſulæ noſtræ quæ prope 340. annis à parentibus eſt inhabitata noſtris. Legitur in libro* Gildæ *ſapientiſſimi Brittonum, quod iidem Brittones propter auaritiam & rapinam principum, propter iniquitatem & iniuſtitiam iudicum, propter deſidiam prædicationis Epiſcoporum, propter luxuriam & malos mores populi patriam perdidere. Caueamus hæc eadem vitia noſtris temporibus inoleſcere, quatenus benedictio diuina nobis patriam conſeruet in proſperitate bona, quam nobis ſua miſericordiſſima pietate donare dignatus eſt.*

Planum vt arbitror factum eſt, quantam labem, quantam peſtem, obliuio literarum, & lubrici mores perditorum hominum Angliæ inuexerint: quæ verba ad cautelam legentium poſita, hunc in iſta hiſtoriola locum habeant.

Egbertus itaque, fratris in religione æmulus, comamq; tonſus, *Oſvvulpho* filio, illeq; poſt annum à ciuibus innocenter cæſus Molloni locum fecit. Is 11. annis ſatis impigre regno functus, inſidiis *Alredi* occubuit. *Aleredus* decimo regni, quod inuaſerat, anno cedere à comprouincialibus compulſus eſt. *Ethelbertus* quoque filius Mollonis eorum conſenſu rex leuatus, quinto anno ab eiſdem expulſus eſt. Tunc rex * *Celvvoldus* acclamatus, poſt 11. annos perfidiam prouincialium ingemuit, ſine culpa trucidatus, quod & celebris apud Hauguſtaldum ſepultura, & diuina prætenderunt miracula. Et nepos ſuus filius *Aleredi Oſredus* ſuccedens, vixq; anno emenſo expulſus, regnum *Ethelberto* (qui & *Athelredus* dictus eſt) euacuauit. Is filius Mollonis (qui quoque *Ethelvvaldus* vocabatur) fuit, regnumq; poſt 12. annos exilii recipiens, quatuor annis tenuit, quibus exactis fatum ſuperiorum effugere non valuit miſere occiſus. Quare offenſi plures Epiſcopi & optimates à patria fugere: quidam merito plexum affirmant, eo quod in occiſione iniuſta *Oſredi*, conſenſum ſuum obligauerit, cui ſufficere potuerit, quod principatu eiectus ſedem illi reſtituerit. De huius regni exordio *Alcuinus* ita memorat, *Benedictus Deus qui facit mirabilia ſolus, nuper* Athelredus *filius* Ethelvvoldi *de carcere proceſſit in ſolium, & de miſeria in maieſtatem: cuius regni nouitate detenti ſumus, ne veniremus ad vos. De nece ita ad* Offam *regem Merciorum: Sciat veneranda dilectio veſtra, quod dominus rex* Carolus *amabiliter & fideliter ſæpe locutus eſt mecum de vobis, & in eo habetis fideliſſimum amicum: ideo & veſtræ dilectioni digna dirigit munera, & per epiſcopales ſedes regni veſtri. Similiter* Ethelredo *regi & ad ſuas epiſcoporum ſedes dona direxit. ſed heu proh dolor, donis datis, & epiſtolis in manus miſſorum ſuperuenit triſtis legatio per miſſos, qui de Scotia per vos reuerſi ſunt, de infidelitate gentis & nece regis. Ita* Carolus, *retracta donorum largitate, in tantum iratus eſt contra gentem illam, vt ait, perfidam & peruerſam, & homicidam dominorum ſuorum, peiorem eam paganis æſtimans, & niſi ego interceſſor eſſem pro ea, quicquid eis boni abſtrahere potuiſſet, & mali machinari, iam feciſſet.*

al. Alfvvoldus.

Poſt *Athelredum* nullus ad regnum aſcendere auſus eſt, dum quiſque ſuperiorum ſibi caſum timeret, & otio inglorio tutus victitare quam ancipiti diſcrimine pendulus regnare mallet. Pleroſque enim regum Northanimbrorum pene familiari exitio vitam exiſſe, ita ceſſante rectore per triginta tres annos, prouincia illa riſui & prædæ finitimis fuit. Siquidem vbi Dani, quos ex verbis *Alcuini* loca ſanctorum populatos fuiſſe ſupra oſtendimus, domum regreſſi cæteris Inſulæ copiam, habitatorumque ignauiam nunciarunt;

clarunt: barbari raptim copioſeq; inſulam petentes, illas vſq; in id tempus partes occupauere. Nam & regem multis annis habuere proprium, qui tamen ad Regis Weſt-Saxonum ſpectaret arbitrium: tranſactis enim illis triginta tribus annis, hanc quoq; regionem cum cæteris obtinuit rex *Egbertus*, anno dominicæ incarnationis, 827. regni ſui 28. cuius quia tempus attigimus, iam nunc promiſſionis noſtræ recordati, de regno Merciorum pauca ſubiiciemus: quia & placet nobis dicendi parcimonia, & non arridet multa dicendorum materia.

DE REGNO MERCIORVM.
CAP. IIII.

ANNO Dominicæ Incarnationis, 626. poſt mortem *Hengiſti*, anno 139. *Penda* quidam filius *Wibba* à Wodenio 10. ſtirpe inclytus, bellis induſtrius, idemq; phanaticus & impius apud Mercios regis nomen præſumpſit; cum iam quinquagenarius frequentibus contra finitimos excurſionibus nutriſſet audaciam. Itaque arrepto regno æger quiete animus, & qui neſciret quantum ſcelus eſſet ſociali vincere bello, vrbes proximas quatere, compatriotarum fines regum * inquietare, prorſus magno tumultu & terrore agere. Quid enim non auderet qui lumina Britanniæ *Edvvinum* & *Oſvvaldum* reges Northanimbrorum, *Sigebertum*, *Egricum* & *Annam* reges Orientalium Anglorum, in quibus generis claritas, & vitæ ſanctitas conquadrabat, temeritate nefaria extinxit. *Kenvvalchium* quoque Weſt-Saxonum regem bello bis terq; laceſſitum, in exilium compulit, quamuis ille merito perfidiæ culpâ luerit, qua in Deum fidem illius abnegãdo, & in ipſum *Pendam* ſororem eius repudiando peccauerat. Iam vero oneroſum eſt dictu, quod omnibus occaſionibus cædium inhians, & velut coruus ad nidorem cadaueris aduolans, vltro *Cedvvalla* in auxilium accurrerit, & ad recuperandum regimen magno emolumento fuerit. Ita per triginta annos in cognatos graſſatus, nihil aduerſus exteras gentes memorandum commiſit. Sed inuenit tandem effrænis cupiditas idoneum meritis finem. Siquidem ab *Oſvvio*, qui *Oſvvaldo* fratri ſucceſſerat, magis per Dei virtutem quam per manum militarem cum auxiliis fuſus, infernalium numerum animarum auxit. Habuit ex regina *Kineſvvitha* filios, *Wedam*, *Wlpherum*, *Ethelredum*, *Merevvaldum*, *Mercelinum*, filias duas *Kineburgam* & *Kineſvvitham*, ambas ſancta continentia præcellentes. Ita parens perpetuo in Deum rebellis ſanctiſſimos cœlo fructus effudit.

al. inequitare.

SVCCESSIT illi in parte regni *Weda* filius, *Oſvvij* dono Auſtralibus Merciis prælatus: ſtrenuus ephœbus, & eiuſdem *Oſvvij* patre viuente gener. Nam filiam eius ea conditione acceperat, vt chriſtianitatem amplectens idolis abrenunciaret; cuius fidei participem prouinciam ſuam arridente regni ſerenitate ſuffragante ſocero facere procuraſſet, niſi tam læta principia mors per inſidias vxoris, vt dicitur, feſtinata ſucciderет. Tunc regnum ſuſcepit *Oſvvius*, quod ſibi & victoriæ in patrem & affinitatis iure in filium competere videbatur. Sed animoſitas prouincialium, non vltra triennium potuit ferre regnantem expulſis enim eius ducibus, *Wlpheroq. Penda* filio in omen regni acclamato, libertatem recepit.

Wlpherus, ne ſpem ciuium falleret, ſedulo ſatagere, magnis & animi & corporis virib. vtilem ſe principem oſtentare: deniq; Chriſtianitatem vix in regno ſuo palpitãtem, & per fratrem initiatam fauore ſuo enixiſſime iuuit. Primis fere annis a rege Weſt-Saxonum grauiter afflictus, ſequentibus conſilii viuacitate iniuriã propulſans, etiam ipſum Wecthæ inſulæ dominio mutilauit: eandemq; ritus ſacrilegos adhuc anhelantem, ad rectum tramitem inflectens, non multo poſt regi Auſtralium Saxonum * *Ethelvvalkio*, quem in Baptiſmo ſuſceperat gratia fidei dedit. Verum enimvero hæc, & quæcunq; eius bona inficit, & deprimit grauis ſimoniæ nota: quod primus regum Anglorum ſacrum Epiſcopatum Londoniæ cuidam *Wina* ambitioſò venditarit. Habuit in matrimonio filiam *Erconberti* regis Cantuariorum *Ermenhildam*, & ex ea genuit *Kinredum* & *Werburgam* virginem ſanctiſſimam, quæ Ceſtræ iacet. Frater eius *Merevvaldus Ermenburgam* filiam *Ermenredi* fratris eiuſdem *Erconberti* vxorem habuit. Suſcepitq; ex ea 3. filias *Milburgam*, quæ Weneloch, & *Mildritham* quæ Cantiæ, in monaſterio ſancti *Auguſtini* requieſcit, & * *Milgitham*: & filium *Mereſinum*. *Kineburgam Pendæ* filiam *Alfridus* rex Northanimbrorum duxit vxorem: quæ poſtmodum carnali copula faſtidita, ſanctimonialem habitum ſuſcepit in monaſterio, quod fratres ſui *Wlpherus* & *Ethelredus* conſtruxerant.

al. Aedelvvalkio.

al. Mildritam.

Wlphero poſt decem & nouem annos defuncto: regnauit frater eius *Ethelredus* animi religione, quam pugnãdi exercitatione celebrior: denique vna & ipſa illuſtri expeditione

in Cantiā contentus oſtendiſſe virtutem, reliqua vita otio inſeruiit: niſi q; regem Northanimbrorū *Egfridum*, metas regni tranſilientem pugna adortus domū redire admonuerit, *Elfvvino* fratre cæſo. Hanc ſane cædē propenſiore cōſilio, beato *Theodoro* Archiepiſcopo ſatagente, congeſtis pecuniæ talentis apud *Egfridum* redemit. Poſt hæc regni anno 30. in Bardenia regulariter tonſus primo in monachum, mox in Abbatem alteratus eſt. Hic eſt qui contemporaneus *Ina* regis Weſt-Saxonum priuilegium; quod ſanctus *Adelmus* à Roma, vt prædiximus, attulit, ſua quoq; authoritate roborauit. Regis Northanimbrorum *Egfridi* * *Oſtgidam* ſororem habuit vxorem, ex qua filium *Ceolredum* ſuſcepit.

al. Oſtgildam. Statuit ſibi ſucceſſorem *Kenredum* filium fratris *Wlpheri*, qui pietate in Deum, probitate in patriam perinſignis, magna morum ſinceritate vitam cucurrit, quintoq; anno regni Romam ire pergens, reliquum temporis illic religioſe compleuit, maxime miſerando exitu militis compunctus; qui, vt *Beda* refert, cum confiteri ſcelera ſua ſanus ſuperbiſſet, in mortis ianua conſtitutus aperte vidit dæmones authores ad ſupplicia, quibus animum indulſerat blandientibus ad ſcelera.

al. Celredus. Poſt illum regnauit * *Ceolredus* patrui ſui *Ethelredi* filius, ſicut virtute contra *Inam* mirabilis, ita immatura morte miſerabilis; ſiquidem non vltra octo annos regno ſatisfaciens, Licefeldæ conditus eſt, relicto *Ethelbaldo* hærede pronepote *Penda*, ex *Alvvio* fratre. Hic alta pace & multo tempore, id eſt, quadraginta vno annis rerum * perfruitus, & nouiſſime à ſubiectis occiſus, fortunæ rotam voluit: author necis eius *Bernredus* nil memorabile dedit, niſi quod mox ab *Offa* necatus, dignum finem inſidiarum tulit. Huic *Ethelbaldo Bonifacius* Archiepiſcopus Mogontiacenſis, natione Anglus, qui poſtea martyrio coronatus eſt, miſit epiſtolam, cuius hic partem ſubdam, vt videatur quam libere arguat vitia iam in gente Anglorum inoleuiſſe, quæ *Alcuinus* timebat ventura eſſe. Similiter & erit documētum ingens, in oſtenſis mortibus quorundam regum, quam diſtricte Deus reos puniat, quos diu librata ira expectat.

al. perfunctus.

Domino chariſſimo, & in Chriſti amore cæteris regibus Anglorum præferēdo *Ethelbaldo*, *Bonifacius* Archiepiſcopus, legatus Germanicus Romanæ Eccleſiæ perpetuam in Chriſto charitatis ſalutem. *Confitemur coram Deo, quia quando proſperitatem veſtram & fidem & bona opera audimus, lætamur: quando autem aliquid aduerſum, vel in euentu bellorum, vel de periculo animarum de vobis cognoſcimus, triſtamur. Audiuimus enim quod eleemoſynis intentus furta & rapinas prohibes, & pacem diligis, & defenſor viduarum & pauperum es, & inde Deo gratias agimus. Quod vero legitimum matrimonium ſpernis, ſi pro caſtitate faceres, eſſet laudabile: ſed quia in luxuria & in adulterio quoque cum ſanctimonialibus volutaris, eſt vituperabile & damnabile. Nam & famam gloriæ veſtræ coram Deo & hominibus confundit, & inter idolatras conſtituit, quia templum Dei violaſti. Quapropter, fili chariſſime, pæniteat te & memora quā turpe ſit, vt tu, qui multis gentibus dono Dei dominaris, ad iniuriam eius ſis libidinis ſeruus. Audiuimus præterea quod optimates pene omnes gentis Merciorum tuo exemplo legitimas vxores deſerant, & adulteras & ſanctimoniales conſtuprent: quod quam ſit peregrinum ab honeſtate, doceat vos gentis alienæ inſtitutio. Nam in antiqua Saxonia, vbi nulla eſt Chriſti cognitio, ſi virgo in paterna domo, vel maritata ſub coniuge fuerit adulterata, manū propria ſtrangulatam cremant: & ſupra foſſam ſepultæ corruptorem ſuſpendunt, aut cingulo tenus veſtibus abſciſſis flagellant eam caſtæ matronæ & cultellis pungunt, & de villa in villam miſſæ accurrunt nouæ flagellatrices, donec interimant. Inſuper & Winedi, quod eſt fideliſſimum genus hominum, hunc habent morem: vt mulier viro mortuo ſe in rogo cremati pariter arſura præcipitet. Si ergo gentiles Deum ignorantes tantum zelum caſtimoniæ habent, quid tibi conuenit, fili chariſſime, qui chriſtianus & rex es? Parce ergo animæ tuæ, parce multitudini populi tuo pereuntis exemplo, de quorum animabus redditurus es rationem. Attende & illud: quod ſi gens Anglorum, ſicut in Francia & Italia, & ab ipſis Paganis nobis improperatur, ſpretis legitimis matrimoniis per adulteria diffluit; naſcitura ex tali commixtione ſit gens ignaua, & Dei contemptrix, quæ perditis moribus patriam peſſundet, ſicut Burgundionibus & prouincialibus & Hiſpanis contigit, quos Saraceni multis annis infeſtarunt propter peccata præterita. Præterea nunciatum eſt nobis, quod multa priuilegia eccleſiarum, & monaſteriorum auferens, ad hoc audendum duces tuos exemplo prouoces. Sed recogita quæſo, quam terribilem vindictam Deus in anteriores reges exercuit eius culpæ conſcios, quam in te arguimus. Nam* Celredum *prædeceſſorem tuum, ſtupratorem ſanctimonialium, & eccleſiaſticorum priuilegiorum fractorem, ſplendide cum ſuis comitibus epulantem malignus ſpiritus arripuit, & ſine confeſſione & viatico cum diabolo ſermocinanti, & legem Dei deteſtanti animam extorſit.* Ofredum *quoque regem Deirorum & Berniciorum earundem culparum reum ita effrænem egit, vt regnum & iuuenilē ætatem contemptibili morte amitteret.* Carolus *quoque princeps Francorum, monaſteriorum multorum euerſor, & eccleſiaſticarum pecuniarum in vſus proprios commutator, longa torſione & verenda morte conſumptus eſt.*

Et infra,

Et infra. *Quapropter, fili chariſsime, paternis & ſubnixis precibus deprecamur, vt non deſpicias conſilium patrum tuorum, qui pro Dei amore celſitudinem tuam appellare ſatagunt. Nihil enim bono regi ſalubrius, quam ſi talia commiſſa cum arguuntur, libenter emendentur: quia per* Salomonem *dicitur, qui diligit diſciplinam, diligit ſapientiam. Ideo, fili chariſsime, oſtendentes conſilium iuſtum conteſtamur, & obſecramus per viuentem Deum, & per filium eius Ieſum Chriſtum, & per Spiritum ſanctum, vt recorderis quam fugitiua ſit præſens vita, & quam breuis, & quam momentanea delectatio ſpurcæ carnis, & quam ignominioſum ſit, vt breuis vitæ homo mala exempla in perpetuum poſteris derelinquat. Incipe ergo melioribus moribus vitam componere, & præteritos errores iuuentutis corrigere, vt hic coram hominibus laudem habeas, & in futuro æterna gloria gaudeas. Valere celſitudinem tuam, & in bonis moribus proficere optamus.*

Hvivs epiſtolæ competentes particulas huic libello pro rerum notitia inſui, partim authoris verbis partim meis longas ſententias, vt * videbatur, abbreuians: cuius facti non iniuſte veniam paciſcar, quod ad hiſtoriæ ordinem feſtinantibus velocitate dictionis cõſulendum erat. Porro miſit idem *Bonifacius Cuthberto* Archiepiſcopo eiuſdem tenoris epiſtolam, hoc adiiciens, vt Clericos, & ſanctimoniales de tenuitate & pompa veſtium argueret. Præterea, ne miraretur, quod alienum negotium ageret, cum ſua nihil intereſſet, quomodo & quibus moribus Anglorum gens viueret: ſciret ſe à *Gregorio* Papa 3. ſacramento aſtrictum ne conterminarũ gentium mores Apoſtolicæ notitiæ ſubtraheret: quapropter blandis admonitionibus non ſuccedentibus, acturum ſe, ne huiuſmodi vitia Papam laterent. Sane de tenuitate veſtium Clericalium, *Alcuinus Athelardum* Archiepiſcopum, *Cuthberti* ſucceſſorem oblique caſtigat, monens, vt cum Romam vadens *Carolum* magnum Imperatorem, nepotem *Caroli*, de quo ſuperius *Bonifacius* locutus eſt, viſitaret, non adduceret Clericos vel monachos verſicoloribus & pompaticis veſtibus indutos, quod non ſolerent Francorum clerici, niſi religioſis veſtibus amici.

al. videatur.

Nec inanes eſſe potuerunt tanti viri epiſtolæ, quas ille legationis ſuæ, & compatriotarum amoris intuitu vigilatis ſenſibus emittebat. Nam & *Cuthbertus* Archiepiſcopus, & rex *Ethelbaldus* conſilium coegere, emendaturi ſuperflua quæ ille increpaſſet. Cuius Synodi actionem multo gyro verborum volutatam, nunc ſuperſedeo intexere, quæ, vt opinor, conuenientius alium laboris noſtri locum occupabunt, cum ad recẽſionem epiſcoporum ventum fuerit. ſed quia regum res in manu habemus, ſcriptum *Ethelbaldi* deuotionis eius index quod in eodem concilio factum eſt, ſubnectam.

Plerumq; contingere ſolet pro incerta temporum viciſsitudine, vt ea quæ multarum fidelium perſonarum teſtimonio conſilioq; roborata fuerint, fraudulenter per contumaciam plurimorum, & machinamenta ſimulationis ſine vlla conſideratione rationis perículoſe diſsipentur: niſi autoritate literarum, & teſtimonio chirographorum æternæ memoriæ inſertæ ſint. Quapropter ego Ethelbaldus *Merciorum rex, pro amore cœleſtis patriæ, & remedio animæ meæ ſtudendum eſſe prævidi, vt eam per bona opera liberam efficerem ab omni vinculo peccatorum. Dum enim mihi omnipotens Deus per miſericordiam clementiæ ſuæ abſq; vllo antecedente merito ſceptra regiminis largitus eſt, ideo libenter ei ex eo, quod dederit retribuo. Huius rei gratia hanc donationem me viuente concedo, vt omnia monaſteria, & eccleſiæ regni mei à publicis vectigalibus, & operibus, & oneribus abſoluantur: niſi inſtructionibus artium vel pontium, quæ nulli vnquam relaxari poſſunt. Præterea habeant famuli Dei propriam libertatem in fructibus ſyluarum & agrorum, & in captura piſcium, nec munuſcula præbeant, vel regi vel principibus, niſi voluntaria, ſed liberi Deo ſeruiant, &c.*

Bonifacio ſucceſsit *Lullus*, & ipſe natione Anglus, de cuius ſanctitate vitę beatus *Goarus* loquitur, & hi verſus quos iam inde à pueritia memini me audiſſe proteſtantur.

Antiſtes Lullus, *quo non eſt ſanctior vllus:*
Pollens diuina, tribuente Deo, medicina
Occurrit morbis, vt totus prædicat orbis.

Veruntamen, vt hiſtoriam repetam, ſucceſsit *Ethelbaldo offa* quinto genu *Pendæ* abnepos, vir ingentis animi, & qui omnia, quæ mente concepiſſet, efficere proponeret, regnauitq; anno vno minus quadraginta. Huius geſta cum conſidero, animus hæret in dubio, vtrum probem an improbem. Ita in vno eodemq; homine modo virtutibus ſe vitia palliabant, modo virtutes vitiis ſuccedebant, vt ambigeres, quo teneres nodo mutantem *Protea* vultus. ſingulorum documenta ſermo percurret. Cum rege Weſt-Saxonum *Kinevvlfo* aperto marte congreſſus palmam leuiter obtinuit, quamuis eſſet ille bellator non ignobilis. Idem quum magis ſibi dolo æſtimaret ſucceſſurum, regem * *Ethelbirthum* magnarum promiſſionum lenociniis ad ſe accitum, & intra palatium ſuum fraudulentis aſſentationibus delinitum inopinate capite ſpoliari fecit, regnumq; Orientalium Anglorum, quod ille tenuerat, inuaſit indebite.

al. Egelbrictum.

Reliquias beati *Albani* ad illud tempus obſcure reconditas, & reuerenter eleuari, & in ſcrinio, quãtum regia magnanimitas poterat, gemmis & auro decorata componi præcepit, baſilica pulcherrimi operis ibi ædificata, & monachorum congregatione adunata. Idemq; in Deum peruicax, ſedem Archiepiſcopatûs, olim Cantuariæ fundatam, in Lichefeldam transferre conatus eſt, inuidens ſcilicet Cantuaritis Archiepiſcopatus faſtigium. Quapropter * *Lambrithum* Archiepiſcopum multis ſudoribus fatigatum, crebrãq; ſedis Apoſtolicæ, & noua & vetera edicta proferentem, tãdem omnium prædiorum quæ intra terminos ſuos erant, & epiſcopatuum ditione priuauit. Per *Adrianum* igitur Apoſtolicũ, quem veriſimilibus aſſertionibus diu fatigauerat (ſicut occupatis animis multa illicita ſubtrahi & ſubripi poſſunt) obtinuit, vt Archiepiſcopatus Merciorum apud Lichefeldam eſſet, omneſq; pontifices Merciorum prouinciæ illi ſubiicerentur: quorum hæc fuerunt nomina; *Denebertus* Wigornenſis Epiſcopus; *Werenbertus* Legeceſtrenſis Epiſcopus; *Edulphus* Sidnaceſtrenſis; *Wlpheardus* Herefordenſis; & Epiſcopi Orientalium Anglorum; *Albeardus* Elmanenſis; *Tidfrid* Dommucenſis; vocabatur autem Epiſcopus Lichefeldenſis *Aldulphus*. Remanſerunt vero Archiepiſcopo Cantuarienſi *Lamberto* Epiſcopi 4. Londonenſis, Wintonenſis, Roffenſis, & Seleſienſis: horum Epiſcopatuum quidam adhuc manent, quidam alias tranſlati, quidam venali ambitu alteris vniti. Nam Legeceſtrenſis, & Sidnaceſtrenſis, & Dommucenſis (incertum quo euentu) hodie non extant. Nec porro in his rapacitas *Offæ* ſtetit, ſed multarum eccleſiarum (inter quas Malmesburienſis) prædia publicus expilator abraſit: ſed non diu canonicas regulas hæc temerauit iniquitas: namq; mox ſucceſſor *Offæ Kenulphus*, nulli ante ſe regi potentia vel religione impar, miſſa *Leoni Adriani* ſucceſſori epiſtola * *Athelardum* ſucceſſorem *Lambrithi* in priſtinam dignitatem ſubleuauit: vnde *Alcuinus* in epiſtola ad eundem *Athelardum*: *Audita proſperitate itineris veſtri, & reuerſionis in patriam, & quomodo ab Apoſtolico ſuſcepti fuiſtis, toto cordis affectu gratias egi domino Deo noſtro, qui magno clementiæ dono proſpero itinere veſtram viam direxit, & dedit vobis gratiam in conſpectu Apoſtolici, votiq; compotem redire in patriam conceſſit, & primi doctoris noſtri ſanctiſſimam ſedem ad priſtinam dignitatem per te iterum exaltare dignatus eſt.* Regalis igitur epiſtolæ partem, ſimul & Pontificalis apponere dignum reor, quamuis anticipare ſeriem temporum videar: ſed ideo hoc faciam, quod difficilius contexo interrupta, quam abſoluo inſtituta.

al. Iambertum.

al. Adelardum.

DOmino beatiſſimo & vere amantiſſimo Leoni, *ſanctæ & Apoſtolicæ ſedis Romano Pontifici* Kenulphus *gratia Dei Rex Merciorum cum Epiſcopis ducibus & omni ſub noſtra ditione dignitatis gradu, ſinceriſſimæ dilectionis in Chriſto ſalutem; Gratias omnipotẽti Deo ſemper agimus, qui Eccleſiam ſuo pretioſo ſanguine adquiſitam, inter diuerſas mundi huius procellas, nouis ſemper, prioribus ad vitam ſumptis, ſueſcit ducibus, ad portum ſalutis attrahere, eamq; noua luce infundere, quatenus nullo ſit tenebrarum errore fuſcata, ſed viam veritatis inoffenſo pede gradiatur: Vnde merito omnis per orbem exultat Eccleſia, quia cum omnium verus remunerator bonorum glorioſiſſimum gregis ſui paſtorem* Adrianum *perpetuo remunerandum ſuper æthera duxiſſet, ſuis tamen ouibus pia erexit prouidentia præuium, qui ſcit ouile Dominicum ad caulas non inferius vitæ agitare. Nos quoque merito quos extremitas orbis tenet eodẽ modo præ cæteris gloriamur, quod illius ſublimitas noſtra ſalus, illius proſperitas nobis perennis exultatio, quia vnde tibi Apoſtolica dignitas, inde nobis fidei veritas innotuit: Quapropter opportunum arbitror tuis ſanctis iuſſionibus aurem obedientiæ noſtræ humiliter inclinari, & quæ tuæ pietati rite nobis ſequenda videantur toto niſu implenda. Quæ vero rationi contraria deprehenſa fuerint citius declinanda, ac interim à nobis omnimodo reſecanda. Sed modò ego* Kenulphus *gratia Dei rex excellentiam tuam humiliter exoro, vt te ſine offenſione animi veſtri de profectu noſtro, vt optamus, liceat alloqui, quatenus in gremium me pietatis tuæ tranquilla pace percipias, & quem meritorum nulla facultas erigit, larga benedictionis tuæ vbertas ad plebem ſuam regendam locupletet; vt vna mecum gentem, quam veſtra Apoſtolica authoritas fidei rudimentis imbuit, per interceſſionem tuam contra impetus exterorum omnipotens erigat, & per ſe regnum, quod ipſe Deus dedit nobis, dilatare dignetur. Hanc benedictionem omnes, qui ante me ſceptro præfuere Merciorum, meruerunt ab anteceſſoribus tuis adipiſci: hanc ipſe humilis peto, & à vobis (ô Sanctiſſime) impetrare cupio, quatenus in primis adoptionis ſorte me tibi filiũ ſuſcipias, ſicut te in patris perſona diligo, & totis obedientiæ virib. ſemper amplector. Decet enim inter tantas perſonas fides ſancta ſeruari, & inuiolata charitas cuſtodiri; quia paterna pietas filiorũ fœlicitas in Deo eſſe credenda eſt, ſecundũ illud* Ezechię, *Pater filiis notã faciet veritatem tuã Domine. In quib. verbis te (amande genitor) imploro, vt filio tuo, tametſi indigno, veritatẽ Domini tuis verbis ſacroſanctis notã facere nõ deneges, vt per tuam ſanã eruditionem, (Deo adiuuante) ad melioris vitæ propoſitũ merear peruenire. Quin ẽt dulciſſime cum omnib. Epiſcopis noſtris, & cuiuſcunque apud nos dignitatis perſona deprecor vt nobis de multimodis inquiſitionibus, ſuper quibus maximam ſubtilitatem veſtram dignum duxi-*

mus

mus perquirere, benigne reſpondeas, ne ſanctorum traditio Patrum, & ab illis tradita nobis regula, quaſi incognita per aliquid uideatur in nobis, ſed ſermo tuus directus nobis in charitate & manſuetudine veniat, vt per Dei miſericordiam profuturum in nobis perficiat fructū. Primū namq́; eſt quod Pontifices noſtri ac peritiſſimi quiq; in nobis dicunt, quod contra Canones & Apoſtolica ſtatuta, quæ nobis à Patre beatiſſimo Gregorio *dirigente ſtatuta ſunt, ſicut vos ſcitis, auctoritas Dorobernenſis Metropolitani in duas ſcinditur parochias, cuius (eodem patre mandante) ditioni, ſubiacere debent Epiſcopi duodecim, ſicut per Eccleſias noſtras legitur in Epiſtola, quam fratri & Coepiſcopo* Auguſtino *direxit, de duobus Londoniæ & Eboracæ Metropolitanis Epiſcopis, quam etiam apud vos haberi non dubitamus. Sed ipſe primum Pontificalis apex, qui tunc Londoniæ ſub honore & ornamento pallii fuerat conſcriptus, pro eo Dorobernenſi oblatus eſt, atq; conceſſus. Nam quia beatæ recordationis* Auguſtinus, *qui verbum Dei imperante beato* Gregorio, *Anglorum genti miniſtrabat, & glorioſiſſime Eccleſiis præfuit Saxoniæ, in eadem ciuitate diem obiit, & corpus illius in Eccleſia beati* Petri *Apoſtolorum principis, quam ſucceſſor eius ſanctus* Laurentius *ſacrauit, conditum fuiſſet, viſum eſt cunctis gentis noſtræ ſapientibus, quatenus in illa ciuitate Metropolitanus honor haberetur, vbi corpus eius pauſat, qui his partib. fidei veritatem inſeruit. Cuius itaq; ſicut vos ſcitis, dignitatis honorem primum Rex* Offa *propter inimicitiam cum venerabiliꝰ* Lamberto *& gente Cantuariorum acceptam, auertere, & in duas parochias diſſipare niſus; & piiſſimus Coepiſcopus & anteceſſor veſter* Adrianꝰ *rogatu prædicti Regis facere cœpit, quod prius nemo præſumpſit, & Merciorum præſulem pallio extulit. Neutrum tamen ex his culpamus, quos Chriſtus vt credimus, æterna victoria triumphat. Sed tamen excellentiam veſtram humiles exoramus, quibus à Deo merito ſapientiæ clauis collata eſt, vt ſuper hac cauſa cum ſapientibus veſtris quæratis, & quicquid vobis videatur, nobis poſtea ſeruandum reſcribere dignemini; ne tunica Chriſti inconſutilis, alicuius inter nos diſſenſionis ſchiſma patiatur; ſed per veſtram ſanam doctrinam vt deſideramus, ad vera pacis vnitatem dirigatur. Magna enim humilitate ſimul & dilectione hæc tibi ſcripſimus, Papa beatiſſime, clemētiam tuam profuſius precantes, quatenus ad ea, quæ à nobis neceſſario explicita ſunt, benigne & iuſte reſpondeas. Sed & illam Epiſtolam, quam* Athelardus *Archiepiſcopus coram cūctis Prouincialibus Epiſcopis noſtris multiplicius de ſuis, ac totius Brittanniæ cauſis & neceſſitatib. tibi ſcripſit, pio amore perſcrutari digneris, & quicquid de rebus, quæ in ea ſcripta ſunt, fidei normula poſcat, pagina nobis veritatis patefacere memineris: Ergo præterito anno legationem meam etiam & Epiſcoporum per* Wadan *Abbatem miſimus; Ac ille accipiens Legationem illam, ſegniter imò inſipienter deduxit. Sed modo tibi munus modicum amoris gratia per* Brine *Presbyterum, &* Fildas *&* Ceolberth *miniſtros meos (pater amande) mitto: quod eſt 120. mancuſas cum literis, precans te, vt benigne ſuſcipias, & benedictionē tuam nobis donare digneris. Omnipotens Deus te longæuo tempore ad laudem ſuæ ſanctæ Eccleſiæ cuſtodiat incolumem.*

al. Lamberto.

Domino excellentiſſimo filio Kenulpho *Regi Merciorum prouinciæ Saxoniæ* Leo *Papa veniens ad ſanctiſſima limina beatorum Apoſtolorum* Petri & Pauli, *tam orationis vota fideliter ſoluens, quam noſtræ ſedi Apoſtolicæ cauſam ſui Sacerdotii ſuggerens, reuerendiſſimus & ſanctiſſimus frater noſter* Athelardus *Archiepiſcopus Dorobernenſis Eccleſiæ nobis obtulit veſtræ regalis excellentiæ ſyllabas, quibus in duabus Epiſtolis à vobis directis plenis fidei rectæ, magnam humilitatem veſtram reperientes, Omnipotenti Deo referimus grates, qui veſtram prudentiſſimā excellentiā in omnib. ornauit, ac decorauit, erga beatum* Petrum *Apoſtolorum principem, & nobiſcum habere dilectionem, & in omnibus Apoſtolicis humiliter conſentire cenſuris. Porro in vna ex illis Epiſtolis reperimus, qualiter gratia noſtræ Apoſtolicæ functionis, ſi iuxta fuiſſetis animam veſtram pro nobis poſuiſſetis benigne; Imo & noſtræ proſperitati multum in Domino congaudeatis, & cum noſtræ dulciſſimæ admonitionis literæ ad veſtræ vnanimitatis perueniunt aures, cum omni ſuauitate & cordis gaudio ſpiritali, quaſi filii paternū munus ſuſcipere fatemini. Fatebatur vero & hoc, quod aliquantula ex veſtra facultate benedictionē nobis offerri demandaſtis, 120. mācuſas, quas cū magno amore pro animæ veſtræ ſalute ſuſcepimus. Et prædictus Archiepiſcopus cū ſuis ſociis honorifice ac benigne à nobis ſuſceptus eſt, & adiuuari eū in ſuis neceſſitatib. libenter fecimus. Interea credentes veſtræ prudentiſſimæ excellentiæ, vbi ferebatur in ipſis tuis regalibus apicibus, quod noſtris Apoſtolicis ſanctionibus nullus Chriſtianus cōtraire præſumit: Ideo totis niſibus noſtris ea, quæ tuo regno expediunt, emittere, atq; prædicare conamur, vt ea, quæ nobis præfatus frater noſter* Athelardꝰ *Archiepiſcopus ſeu tota Synodus Euangelicæ atq; Apoſtolicæ doctrinæ ſanctorūq; patrū, nec non prædeceſſorum noſtrorum ſanctorū pontificū Canonica cenſura pdicante, veſtræ regalis excellētiæ, ſeu cunctis principib. gentis veſtræ, & vniuerſo populo Dei ediſſerit, nequaq̄ in orthodoxa eorū doctrina quippiā reſiſtere debeatis, domino ac redēptore noſtro in Euāgelio dicēte, vbi ait: qui vos recipit, me recipit; & q recipit Prophetā, in nomine pphetæ, mercedē pphetæ accipiet. Quāto magis ꝑ ipſo ſæpe domino archiepiſcopo, quē nobis valde nimiſq; collaudaſtis, ſicuti & eſt videlicet clariſſimꝰ atq; peritiſſimus, & qa illū ſcitis prudentē, bonis ornatū moribꝰ, Deo & hominib. dignū; ecce (fili dulciſſime & amātiſſime atq; ꝓſtantiſſime rex bone) in his tuis aſſertionib. collau-*

damus Deum Omnipotentem, qui talem vobis demonſtrauit antiſtitem, qui ſicut verus paſtor, indicere verbis ſecundum doctrinam ſanctarum Scripturarum dignam pœnitentiam valeat, & eruere qui ſub ditione ſacerdotali eius exiſtunt animas eorum ex inferno inferiori & ab igne inextinguibili deducens, eos & introducens in portum ſalutis: & offerre pro illis hoſtiam dignam, & immaculatam in conſpectu diuinæ Maieſtatis Omnipotenti Deo. Et quia multum nobis prænominatus Archiepiſcopus in omni ſanctitate ſua & vita conuerſatione vltro citroq; placuit, valde nimis ei credentes, ex auctoritate ei beati Petri *Apoſtolorũ principis, cuius vel immeriti vices gerimus, talem præbuimus præſulatum, vt ſi quiſquam ex ſubiectis ſuis tam Regibus & Principibus quam vniuerſo populo transgreſſus fuerit dominica mandata, excommunicet eum vſq; pœniteat, & ſi impœnitens fuerit, ſit vobis ſicut Ethnicus & publicanus. De* Athelardo *vero iam fato Archiepiſcopo Dorobernenſis Eccleſiæ, ſicut à nobis popoſcit veſtrorum præſulum excellentia, vt ei iuſtitiam faceremus de ipſis diœceſibus ſuis, tam Epiſcoporum quam Monaſteriorum quibus illicite, vt cognouiſtis, expoliatus eſt, & à venerabili ſede eius, quas dudum tenuit, ablatæ ſunt. Nos per omnia enucleatius trutinantes, in ſacro ſcrinio noſtro reperimus, ſanctum* Gregorium *prædeceſſorem noſtrum in integro ipſam parochiam numero duodecim beato* Auguſtino *ſincello ſuo Archiepiſcopo tradidiſſe, & confirmaſſe Epiſcopos cõſecrandi. Vnde & nos (veritate ipſa reperta,) ordinationes, ſeu confirmationes noſtra Apoſtolica authoritate illi in integro, ſicut antiquitus fuerunt, conſtituentes reddidimus & priuilegium confirmationis, ſecundum ſacrorum Canonum cenſuram Eccleſiæ ſuæ obſeruandum tradidimus.*

OFFA interea ne ſibi fraudi forent dure in prouinciales admiſſa, vndiq; amicos Reges venans, pacemq; concilians, *Brithrico* Regi Weſt-ſaxonum filiam *Ethelburgam* nuptui dedit, *Carolum* magnum Regem Francorum frequentibus legationibus amicum parauit, quamuis non facile quod ſuis artibus conduceret in *Caroli* animo inuenerit: diſcordauerant antea, adeo vt magnis motibus vtrobiq; concurrentibus, etiam negotiatorum commeatus prohiberentur: Eſt epiſtola * *Albini* huiuſce rei index, cuius partem hic apponam, documentum ingens magnanimitatis & fortitudinis *Caroli*, qui omnem ætatem triuerit in bellis contra Paganos Deo rebelles.

* *al. Alcuini.*

Antiqui inquit, Saxones, & omnes Freſonum populi inſtante Rege Carolo, *alios præmiis & alios minis ſolicitante, ad fidem Chriſti conuerſi ſunt. Sed & anno tranſacto idem Rex cum exercitu ſuo irruit ſuper Sclauos, eoſq; ſubegit ſuæ ditioni. Auares, quos nos Hunos dicimus, exarſerunt in Italiam, & à ducibus præfati Regis Chriſtianiſſimi, ſuperati domum cum opprobrio reuerſi ſunt. Similiter & ſuper Baugariam irruerunt, qui & ipſi ab exercitu Chriſtiano ſuperati, & diſperſi ſunt. Etiam eiuſdem Chriſtianiſſimi Regis duces & tribuni multam partem Hiſpaniæ tulerunt à Saracenis quaſi trecenta millia in longum per maritima: ſed, heu proh dolor, quod iidem maledicti Saraceni (qui & Agareni) tota dominantur Affrica & Aſia maiori maxima ex parte. Neſcio quid de nobis venturum ſit: aliquid enim diſſenſionis diabolico fomento inflammante, nuper inter Regem* Carolum *& Regem* Offam *exortum eſt, ita vt vtrinq; nauigatio interdicta negotiantibus ceſſet: Sunt qui dicant nos pro pace eſſe in illas partes mittendos.*

IN his verbis præter illa, quæ ſuperius notaui, poterit curioſus animaduertere quantum iam annorum effluxerit, ex quo Saraceni Affricam & Aſiam maiorem inuaſerint. Et profecto niſi Dei clementia ingenitum robur Francorum Imperatorum animaſſet, pridem Europam ſubiugaſſent. Adeo contemptis Imperatoribus Conſtantinopolitanis Siciliam & Sardiniam & Baleares inſulas, & pene omnes terras quæ pelago cinguntur, præter Cretam & Rhodum & Ciprum, occupauerunt. Sed noſtris diebus per Northmannos Siciliam, per Piſanos Corſicam & Sardiniam, per Francos & omnis generis Chriſtianos ex Europa, magnam partem Aſiæ: & ipſam Ieruſalem relinquere coacti ſunt, de quibus quia in conſequentibus amplior erit declarandi locus: nunc ex verbis *Caroli* fœdus firmũ inter eum & *Offam* Regem Merciorum compactum ſubiiciam.

CAROLVS *gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum, & Patricius Romanorum, viro venerando & fratri chariſſimo* Offæ *Regi Merciorum ſalutem. Primo gratias Omnipotenti Deo agimus de Catholica fidei ſinceritate, quam in veſtris laudabiliter paginis reperimus exaratam. De peregrinis vero, qui pro amore Dei & ſalute animarum ſuarum, beatorum Apoſtolorum limina deſiderant adire, cum pace ſine omni perturbatione vadant: ſed ſi aliqui non religioni ſeruientes, ſed lucrum ſectantes inter eos inueniantur, locis opportunis ſtatuta ſoluant telonia. Negotiatores quoq; volumus, vt ex mandato noſtro patrocinium habeant in regno noſtro legitime: Et ſi in aliquo loco iniuſta affligantur oppreſſione, reclament ſe ad nos vel noſtros Iudices, & plenam videbimus iuſtitiam fieri. Cognoſcat quoq; dilectio veſtra, quod aliquam benignitatem de dalmaticis noſtris vel palliis ad ſingulas ſedes Epiſcopales regni veſtri vel* Ethelredi *direximus in Eleemoſynam Domini Apoſtolici* Adriani, *deprecantes vt pro eo intercedi iubeatis, nullam habentes dubitationem beatam illius animam in requie eſſe, ſed vt fidem & dilectionem oſtendamus in amicum noſtrum chariſſimum. Sed & de theſauro*

ſacro humanarum rerum, quem Dominus Ieſus nobis gratuita pietate conceſſit, aliquid per Metropolitanas ciuitates direximus, veſtræ quoq; dilectioni vnum baltheum & vnum gladium Huniſcum & duo pallia ſerica.

Hæc ſaltuatim verba Epiſtolæ decerpens, idcirco appoſui, vt poſteris eluceſcat amicitia *Offæ* & *Caroli*, cuius familiaritate fretus, licet multorum impeteretur odio, dulci tamen vitam conſumpſit otio, & *Egfertum* filium ante mortem ſuam in Regem inunctum ſucceſſorem dimiſit. Ille ſedulo paternæ immanitatis veſtigia declinans, priuilegia omnium Eccleſiarum, quæ ſeculo ſuo genitor attenuauerat, prona deuotione reuocauit. Prædium quoq;, quod pater Malmesburiæ abſtulerat, reddidit in manu *Cuthberti* tunc illius loci Abbatis, hortatu præfati *Athelardi* Archiepiſcopi Cantuariæ, ſtrenui ſane & Deo digni viri; Quem *Athelardum* Abbatem fuiſſe ibi, ante *Cuthbertum* conſtans opinio aſſeuerat, hoc argumenti aſſumens, quod defunctum ſe eo loci tumulari fecerit. Itaque cum ſpes egregiæ indolis primis annis *Egferti* adoleret, ſæua mors vernantis ætatis florem meſſuit: vnde *Osberto* patricio * *Albinus*, *Non arbitror quod nobiliſſimus iuuenis* Egfertus *propter peccata ſua mortuus ſit, ſed quia pater ſuus pro confirmatione regni eius, multum ſanguinem effudit.* Poſt quatuor ergo menſes regni excedens, *Kenulphum* quinto genu nepotem *Pendæ* ex fratre *Kenvvalchio* Regem conſtituit. *al. Alcuinus.*

Kenvlphvs in primis magnus vir & virtutibus famam ſupergrediens, nihil quod liuor digne carperet vnquam admiſit, domi Religioſus, in bello victorioſus, vir cuius merito laudes nitentur in altum, quamdiu æquus arbiter in Anglia inuenietur, laudandus tum regni ſublimitate, tum mentis humilitate, qua enituit ampliſſime, quando, vt ſupra diximus dignitatem Cantuariæ labefactatam refecit; parum faciens Rex Mundanum in ſua Prouincia ſupercilium, dummodo antiquitus ſtatutum non tranſgrederetur tramitem Canonum: Contra Cantuaritas ſucceſſiuum ab *Offa* ſuſcipiens odium, Regionem illam valde afflixit: regemq; eorum *Edbrithum* cognomine *Pren* vinctum abduxit. Sed non multo poſt humana miſeratione mollitus, ſoluendum curauit. Nam apud Winchelcumbam, vbi Eccleſiam, quæ adhuc ſupereſt Deo exædificauerat, ipſa dedicationis die Regem captiuum ad altare manumittens libertate palpauit, memorabile clementiæ ſuæ ſpectaculum exhibens. Aderat ibidem Regiæ munificentiæ applauſor *Cuthredus*, quem ille Cantuaritis Regem præfecerat. Sonabat baſilica plauſibus, platea fremebat diſcurſibus, eo quod ibi in conuentu tredecim Epiſcoporum, decem ducum, nullus largitatis pateretur repulſam, omnes ſuffarcinatis marſupiis abirent. Nam præter illa xenia quæ magnates ſuſceperant inæſtimabilis ſcilicet prætii & numeri, in vtenſilibus, veſtibus, equis electiſſimis, omnibus, qui agros non habebant, libram argenti; presbiteris marcam auri; Monachis ſolidum vnum; poſtremo toti populo multa erogauit. Idem cum Monaſterium magnis redditibus, quantum hoc tempore incredibile videatur, ampliaſſet. 24. anno regni, funere ſuo honorauit. Filius eius *Kenelmus* puer admodum à ſorore ſua *Quendrida* innocue cæſus, nomen & decus Martyrij adeptus, ibidem pauſat.

Post illum Regnum Merciorum nutabundum, & vt ita dicam, exangue, nihil quod litera dignetur meruit comminiſci. Sed ne quis nos arguat ſemimutilatam hiſtoriam interrumpere, Regum ſuccedentium nomina tranſcurram. *Ceolvvlphus* frater *Kenulphi* vno anno regnans, altero à *Bernulpho* expulſus eſt: *Bernulphus* 3. Regni anno ab * *Egbrithro* rege Weſtſaxonum victus & fugatus, mox ab Orientalibus Anglis occiſus eſt, quod ille Orientalem Angliam, vt debitum Merciis regnum, à tempore *Offæ* inuadere tentaſſet. *Ludecanius* ab eiſdem Anglis poſt biennem poteſtatem, vltionem anteceſſoris animo intendens, oppreſſus eſt. *Withlaſius* in initio regni, ab eodem *Egbirtho* ſub iugum miſſus, regnauit annis 13. & illi, & filio capitis & pecuniarum tributa perſoluens. Eadem ſorte *Berthvvlphus* 13. annis regnans, nouiſſime a piratis Danorum vltra mare fugatus eſt, *Burrhedus* accepta *Ethelſuida* filia Regis *Athulphi* filii *Egbrithi*, affinitate illius & vectigalium penſionem, & hoſtium deprædationē conſolatus eſt; Sed poſt 21. annos ab eiſdem patria deturbatus, Romam diffugit, ibiq; apud ſcholam Anglorum in Eccleſia ſanctæ *Mariæ* tumulatus eſt. Vxor eius tunc quidem in patria reſidens, ſed poſtea virum ſecuta apud Papiam extremam ſortem incurrit. Tunc Regnum illud à Danis cuidam *Selvvlfo Burhredi* miniſtro traditum, & ne vltra placitum retineret, ſacramento firmatum: Poſt paucos annos *Alfredus* nepos *Egbrithi* obtinuit. Ita principatus Merciorum, qui per tumidam gentilis viri inſaniam, ſubito effloruit, tunc per miſerā ſemiuiri ignauiam, omnino emarcuit, Anno Dominicæ incarnationis octingenteſimo ſeptuageſimo quinto. *al. Egbirto, & Egberto.*

DE REGNO ORIENTALIVM Anglorum.

CAP. V.

SED quia quatuor potentiſſima regna hucuſq; non exiliter, vt arbitror, quantum lectio maiorum ſuggeſſit, perarauit ſtilus, nunc vt in procœmio dixi, Orientalium Anglorum, & Orientalium Saxonum principatum idem poſt aliorum terga percurret. Namq; poſterius regno Cantuaritarum, ſed prius regno Weſt-ſaxonum, pullulauit regnum Orientalium Anglorum. Primus ergo idemq; maximus apud Orientales Anglos rex fuit *Redvvaldus à Wodenio*, vt ſcribunt, decimum genu nactus: omnes quippe Auſtrales Anglorum & Saxonum prouinciæ citra Humbram fluuium cum ſuis Regibus eius nutum ſpectabant. Hic eſt ille, quem ſuperior relatio non tacuit *Ethelfridum* regem Northanimbrorum, pro *Edvvini* fauore trucidaſſe. Idem ſuadente eodem *Edvvino* baptizatus, conſilio vxorio poſtmodum à fide deſciuit. At vero filius eius *Eorpvvaldus* incorruptam Chriſtianitatem complexus, inuiolatum ſpiritum Deo effudit, à *Richbarto* gentili innocenter peremptus. Huic ſucceſſit * *Sigebertus* vir Deo dignus, frater eius ex matre, omnemq; Barbariem pro Francorum nutritura exutus: Namq; à *Redvvaldo* in exilium actus, eorumque diu contubernio fruitus, Sacramenta Chriſtianitatis aſſumpſerat, quæ poteſtati initiatus regno ſuo toti dignanter infudit, ſcholaſque etiam literarum per loca inſtituit, quod pro magno certe debet prædicari, vt literarum dulcedinem per eum experirentur homines agreſtes antea & fanatici. Adiutor ſtudiorum fuit & Religionis incentor *Fælix* Epiſcopus Burgundiæ Oriundus, qui nunc *Rameſeiæ* requieſcit: Porro *Sigebertus* ſeculo renuncians monaſticæq; tonſuræ compos *Egrico* cognato thronum reliquit, cum quo à *Penda* rege Merciorum ſociali bello appetitus, mortem oppetiit, cum fortior ipſe malis, & profeſſionis non immemor, virgam tantum manu geſtaret. Succeſſor *Egrici Anna* filius *Eni* fratris *Redvvaldi*, eodem furente *Penda* ſimili inuolutus exitio, glorioſæ propaginis numeroſitate fœlix emicuit, ſicut ſecundus liber in ſuo loco inſinuabit. Succeſſit *Annæ* frater eius *Ethelherius*, & occiſus eſt à Rege Northanimbrorum *Oſvvio* cum *Penda* merito, quod ei concurreret in auxilium & fulciret exercitum, qui peſſum dediſſet fratrem & cognatum. Huius ſucceſſor frater *Ethelvvaldus* continuatis ſucceſſionibus regnum reliquit eiuſdem *Ethelherij* filiis *Adulpho* & *Elvvoldo*: his *Beorna*: huic quoq; *Ethelredus* ſucceſſit: huius filius fuit ſanctus *Ethelbirthus*, quem *Offa* Rex Merciorum doloſe interemit, vt dictum eſt & dicetur poſterius. Pauci poſt eum in Orientali Anglia regnauerunt potentes vſq; ad ſanctum *Edmundum*, pro violentia Merciorum, qui anno regni ſui 16. ab *Hinguar* Pagano peremptus eſt. Ex quo in Orientali Anglia regnare deſierunt Angli annis quinquaginta. Nouennio enim ſine Rege, Paganis vaſtantibus prouincia ſubiacuit: Poſt ea in Orientali Saxonia, *Guthrum* Rex Danus regnauit annis duodecim tempore Regis *Alfredi*. *Guthrum* habuit ſucceſſorem æque Danum nomine *Eohric*: qui cum regnaſſet annis 14. peremptus eſt ab Anglis, eo quod inciuiliter in eos egiſſet: Nec tamen eis libertas aſſurrexit, Danorum comitibus vel eos prementibus, vel in Weſtſaxonum Reges acuentibus, donec *Edvvardus* filius *Elfridi* ambas prouincias, expulſis Danis, liberatis Anglis, ſuo, id eſt, Weſtſaxonico imperio adiecit, anno poſt occiſionem Sancti *Edmundi* Regis & Martyris quinquageſimo, regni ſui quinto decimo.

al. Siebertus.

DE REGNO ORIENTALIVM SAXONVM.

CAP. VI.

EODEM fere tempore quo cœpit Regnum Orientalium Anglorum, ſurrexit & regnũ Orientalium Saxonum: Et habuere quidem Orientales Saxones, per ſucceſſionem Reges multos, ſed aliis Regibus & maxime Merciis ſubiectos. Primus igitur apud eos regnauit *Sleda à Wodenio* decimus; eius filius *Sebertus*, nepos Sancti *Ethelberti* Regis Cantuariorum, ex ſorore *Ricula* fidem ſuſcepit Chriſti, prædicante Sancto *Mellito*, qui primus Londoniæ fuit Epiſcopus. Ea enim vrbs ad Orientales Saxones ſpectat. *Seberto* mortuo, filii eius *Sextedus & Sevvardus*, *Mellitum* expulerunt, nec multo poſt à Weſtſaxonibus occiſi, tyrannidis in Chriſtum pœnas pependere. Succedens eis *Sigbertus* cognomento *Paruus Sevvardi* filius reliquit Regnum *Sigeberto Sigebaldi* filio, qui fuerat frater *Seberti*. Hic *Sigebertus* hortatu Regis *Oſvvij* in Northumbria ab Epiſcopo *Finano* baptizatus gentem ſuam ad fidem quam cum *Mellito* abiecerant, per Epiſcopum *Ceddum* reduxit; quiq; poſt glorioſe adminiſtratum Regnum, glorioſius reliquit, à propinquis interemptus,

prus, eo quod Euangelici præcepti ſequax hoſtibus ſerenus parceret, nec delinquentes, ſi pœniterent, rugato & duro vultu ſuſpenderet. Poſt eum frater *Svvitelmus* regnauit, ab eodem *Ceddo* in Orientali plaga baptizatus. Eo mortuo *Sigherius* filius *Sigeberti Parui &* *Sebba* filius *Sevvardi* tenuerunt regnum. Verumtamen Sebbi ſociante ſe defuncto, ipſe quoq; 30. anno voluntarie regno deceſſit, Monachus (vt *Beda* refert) factus: filii eius *Sigehardus & Senfredus* poſt eum regnauerunt. Illis defunctis pauco tempore regnum moderatus eſt *Offa* filius *Sigherii*, iuuenis iocundi vultus & animi, ætatis floridæ, & maximi apud ciues amoris, qui hortatu *Kinesvvitha Pendæ* regis filiæ, cuius nuptias ſuſpirauerat, cœleſtes ſuſpirare doctus amores, Romam cum *Kenedo* Rege Merciorum & beato *Egvvino* Epiſcopo Wictiorum iuit, ibiq; attonſus Regna cœlica ſuo tempore ſubiuit. Illi ſucceſſit *Selredus Sigeberti* boni filius 38. annis: Quo perempto, principatus eſt Orientalibus Saxonibus *Svvithedus*, qui eodem anno, quo Cantuaritas *Egbertus* Rex Weſtſaxonum debellauit, ab eodem expulſus, Regnum vacuefecit. Londonia tamen cum circumiacentibus regionibus Merciorum Regibus, quamdiu ipſi imperitauerunt, paruit.

Dominabantur ergo Reges Cantuaritarum proprie in Kantia, In qua ſunt hi duo Epiſcopatus, Archiepiſcopatus Cantuariæ, & Epiſcopatus Roſenſis.

Reges Weſtſaxonum dominabantur in Wiltshire, & Berckenſi & Dorſetenſi pago. Quorum eſt Epiſcopus vnus, cuius eſt modo ſedes apud Sarum vel Salesburie, quondam erat vel Rammesburie, vel Schireburniæ.

Et in Southſexia quæ aliquanto tempore habuit proprium Regem. Eratq; ſedes Epiſcopalis eius pagi antiquitus *Seleſeia*, quæ eſt Inſula circumflua ponto, vt *Beda* narrat, vbi & beatus *Wilfridus* Monaſterium conſtruxit : nunc habitat Epiſcopus apud Ciceſtriam.

Et in pagis Southantunenſi & Southereienſi, quibus eſt Epiſcopus, qui habet ſedem Wintoniæ.

Et in pago Summerſetenſi, qui habebat Epiſcopum olim apud Welles, qui nunc eſt Bathoniæ.

Et in Dommonia quæ Deueneſchire, & in Cornubia quæ nunc Cornugalliæ dicitur. Erantq; tunc duo Epiſcopatus, vnus in Credinton, alter apud Sanctum Germanum: nunc eſt vnus & eſt ſedes eius Exoniæ.

Porro reges Merciorum dominabantur in pagis his, Gloceſtrenſi, Wigornienſi, Warvvicenſi: In his eſt Epiſcopus vnus cuius ſedes eſt Wigorniæ.

Et in Ceſtrenſi, & in Derbenſi, & Statfordenſi: In his eſt Epiſcopus vnus, & habet partem Warvvicenſis, & Scrobberienſis, & eſt ſedes apud ciuitatem Legionum, id eſt, Cheſtrum vel Couentriam. quondam erat Lychefildiæ.

Et in Herefordenſi, habeturq; ibi Epiſcopus habens dimidium pagum Scrobberiæ, & partem Warvvicenſis & Gloceſtrenſis, poſſidens ſedem in Herefordia.

Et in Oxenefordenſi, Buckingenſi, Hurtfordenſi, Huntendunenſi, dimidia Bedefordenſi, Northhantunenſi, Legeceſtrenſi, Lincolnienſi, quos regit Epiſcopus qui habet ſedem apud Lyncolniam modo, quondam habebat apud Dorkeceſtram in Comitatu Oxonienſi.

Et in Legeceſtrenſi, Notingenſi, quorum Chriſtianitas ad Archiepiſcopum Eboracenſem ſpectat: Habebaturq; ibidem olim proprius Epiſcopus, cuius ſedes erat apud Legeceſtram.

Reges Orientalium Anglorum dominabantur in pago Grantebrigenſi: Et eſt ibi Epiſcopus cuius ſedes eſt apud Ely.

Et in Northfolcke & Southfolck quorum ſedes eſt, apud Northvvich, quondam erat apud Helmam vel Theotford.

Reges Orientalium Saxonum dominabantur in Eſtſexa & Middleſexa, & dimidia Hurtfordenſi, habebaturq; ibi & habetur Epiſcopus Londonienſis.

Reges Northanimbrorum dominabantur in omni regione quæ vltra Humbrã eſt flumen, vſq; ad Scotiam : Erantq; ibi Archiepiſcopus Eboracenſis, Epiſcopus Hauguſtaldenſis, & Ripenſis, & Lindesfarnenſis, & de candida caſa: Hanguſtaldenſis, & Ripenſis defecerunt, Lindesfarnenſis translatus eſt in Dunelmum.

Hæ erant partitiones regnorum Angliæ, quamuis Reges pro viciſſitudine temporum, modo hi, modo illi, terminos prætergrederentur pro fortitudine, vel pro ignauia amitterent: ſed has omnes regnorum varietates, *Egbertus* animi magnitudine compeſcuit, & ea vni quadrans imperio, ad vniforme dominiũ, ſeruans vnicuiq; ꝓprias leges vocauit. Quo-

circa quia de recenſione temporum fidem placitam abſoluens vltra eius tempora excurri, hic figam metam primo volumini, vt multifidus trames regnorum in vnius Weſtſaxonici terminetur compendium.

PROLOGVS LIBRI SECVNDI.

DIu eſt, quod & parentum cura, & meapte diligentia libris inſueui. Hæc me voluptas iam inde à pueritia cepit: hæc illecebra mecum annis parilibus adoleuit. Nam & ita à patre inſtitutus eram, vt, ſi ad diuerſa declinarem ſtudia, eſſet animæ diſpendium, & * *famæ periculum. Quocirca memor ſententiæ, Cupias quodcunq́, neceſſe eſt, extorſi iuuentuti meæ, vt libenter vellem, quod non velle honeſte non poſſem. Et multis quidem literis impendi operam, ſed aliis aliam. Logicam enim, quæ armat eloquium, ſolo libaui auditu: Phyſicam, quæ medetur corporis valetudini, aliquanto preſſius* * *concepi: Iam vero Ethicæ partes medullitus rimatus, illius Maieſtati aſſurgo, eo quod per ſe ſtudentibus pateat, & animos ad bene viuendum componat: Hiſtoriam præcipue, quæ iocunda quadam geſtorum noticia, mores condiens ad bona ſequenda, vel mala cauenda legentes exemplis irritat. Itaq́, cum domeſticis ſumptibus nonnullos exterarum gentium hiſtoricos conflaſſem, familiari otio quærere perrexi, ſi quid de noſtra gente memorabile poſteris poſſet reperiri. Hinc eſt, quod ab antiquo ſcriptis non contentus, ipſe quoq́ ſcripturire incepi; non vt ſcientiam meam, quæ pene nulla eſt, proponerem, ſed vt res abſconditas, quæ in ſtrue vetuſtatis latebant, conuellerem in lucem. Quapropter opiniones volaticas deſpuens, Chronica longe lateq́ corrogaui, ſed nihil propemodum hac, fateor, profeci induſtria. Omnibus enim decurſis inops remanſi ſcientiæ, quippe ante non inueniens, quod legerem, quàm lecturire deſinerem. Quæcunque vero de quatuor regnis ad liquidum edidici, primo libro indidi; in quibus, vt ſpero, non erubeſcet veritas, etſi forte alicui ſuboriatur dubietas. Nunc vſque ad aduentum Normannorum Regni Weſtſaxonici Monarchiam, per ſuccedentium inuicem Regum geneſin, deducam. Quæ, ſi quis oculo bono videre dignabitur, hanc ſub fraterna charitate regulam teneat:* Si iſta tantum ante nouerit, non faſtidiat, quod ſcripſerim; ſi plura didicerit, non ſuccenſeat, quod non dixerim; *Immo dum viuo, mihi cognoſcẽda communicet, vt meo ſtylo apponantur ſaltem in margine, quæ non occurrerunt in ordine.*

al. vita. — al. cepi.

DE EGBERTO REGE.

CAPVT I.

SVperiori volumini hic terminus obuenit, qui quatuor regna Brittanniæ in vnum coarctaret. Cuius potentiæ author * *Egbertus*, Regis *Inæ* de fratre *Inegildo* abnepos, amplo apud ſuos loco natus, & ingenue educatus à pueritia inter Weſtſaxones emicuit. Continuatio virtutum incendit inuidiam, & (quod fere à natura comparatum eſt, vt Reges iniquo intuitu aſpiciant, ſi quos in ſpem regni adoleſcere videant) *Brictricus*, vt prædictum eſt, ſuſpectum habens memorandæ indolis iuuenem è medio tollere cogitabat. Quod *Egbertus* præſentiens ad *Offam* regem Merciorum fuga lapſus eſt, Quem dum ille ſedula diligentia obumbraret, conſecuti ſunt *Brictrici* nuncij, qui perfugam ad ſupplicium repeterent habentes in manibus traditionis pretium. Accedebat, quod ſuo Regi filiæ ipſius poſtulabant nuptias, vt genialis thori fœdus perpetuas inter eos contineret amicitias. Ita *Offa*, qui bellicis minis non cederet, ad blanditias conniuente, *Egberthus* tranſnauigato mari Franciam venit; quod Dei conſilio factum intelligo, vt vir ille ad tantum regnum electus regnandi diſciplinam à Francis acciperet. Eſt enim gens illa & exercitatione virium, & comitate morum cunctarum Occidentalium facile princeps. Hac igitur contumelia *Egbertus*, vt cote vſus eſt, qua, detrita inertiæ rubigine, aciem mentis expediret, & mores longè à gentilicia barbarie alienos indueret. Itaque defuncto *Brictrico* frequentibus ſuorum nunciis *Brittanniam* reuerſus, moxque imperare iuſſus patriæ deſideriis ſatisfecit, anno Dominicæ incarnat. octingenteſimo, regnante in Francia *Carolo* magno anno 34. qui etiam 12. annis ſuperuixit. Interea *Egbertus*, cum clementia, & manſuetudine ſubiectorum amorem redemiſſet, prima virium documenta in Brittannos, qui eam Inſulæ partem inhabitant, quæ Cornugalliæ dicitur, dedit; quibus ſubiugatis, Aquilonares Brittannos, qui à prædictis brachio maris diuiduntur, tributarios fecit. Harum victoriarum fama cùm reliquos territaret, *Bernulphus* Rex Merciorum tumidum quid ſpirans glorioſumque arbitratus, ſi audacia ſua cæterorum metum demeret, bellum

al. Egbirthus.

Egbirtho

Egbirthi indixit. Ille gloriæ damnum ducens ſi cederet, occurrit alacriter, conſertaq; pugna fugit *Bernulphus*, victus miſerabiliter. Factum eſt hoc bellum apud Hellendune, anno Domini octingenteſimo ſexto. Hoc euentu Weſtſaxo elatus, & animum ad altiora extendens, feruente adhuc victoria *Ethelvvlphum* filium cum *Alſtano* Epiſcopo Schireburniæ, & electa manu in Cantiam miſit, qui Prouinciam ſeu longo ſopitam otio, ſeu virtutum ſuarum exanimatam nuncio dominatui Weſtſaxonico adiicerent. Miſſi efficaciter imperatis inſtiterunt, regionemq;, quaqua verſum finibus ſuis cingitur, peruagati, minimoq; labore *Baltredo* rege vltra Tamenſem fluuium expulſo, Cantiam, * Southeriam, Auſtrales, & Orientales Saxones, qui quondam ad anteceſſorum ſuorum ius *al. Sudreiam.* pertinebant, ſuæ parti ſubdidere anno regni eius 24. Nec multo poſt Orientales Angli auxilio *Egbirthi* animati, Reges Merciorum *Bernulphum*, & *Ludecanum* continuatis exceptos inſidiis, trucidarunt. Cauſa cædis fuit, quod ipſi ſolita contumacia fines externos inquietarent. Eorum ſucceſſor *Withlaſius* primo ab *Egbirtho* regno fugatus, mox in fidem tributariam acceptus principatum Weſtſaxonum ampliauit. Eodem anno Northanimbri, qui ſe ſolos remanſiſſe, & omnium digito notari cernerent, timentes ne diu conceptam iram in ipſos effunderet, tandem vel ſero datis obſidibus fauerunt deditioni. Ita tota Brittannia potius reliquum vitę per annos nouem tranquille cucurrit, niſi quod extremis fere diebus manus Danorum piratica litoribus eius appulſa otium regni fœdauit. Ita verſatur humanarum rerum alea, vt primus omnibus Anglis imperitans cognatorum obſequia poſſet parui pendere, dum externus hoſtis ſe, ſuoſq; hæredes non deſineret inceſſere: Contra quos cum copiæ Anglorum conſtitiſſent, non ſolito lenocinio fortuna Regi adulata, in ipſo conatu deſtituit. Siquidem cum meliore parte diei victoriam pene occupaſſet, iam prono in Oceanum ſole palmam amiſit: ſed tamen beneficio tenebrarum adiutus victi dedecus euaſit. Sequenti plane prœlio ingentem multitudinem parua manu fudit. Poſtremo autem poſt annos regni triginta & ſeptem & menſes 7. deceſſit, ſepultuſq; eſt Wintoniæ magnas laudum occaſiones filio relinquens, fœlicemq; fore pronuncians, ſi regnum, quod multa texuerat induſtria, ille conſueta genti illi non interrumperet ignauia.

DE ETHELVVLPHO.

CAP. II.

ANNO Dominicæ Incarnationis * 837. *Ethelvvlphus*, (quem quidam *Athulphum* vocant) filius *Egbirthi* regnum ſortitus regnauit viginti annis, & quinq; menſibus, natura lenis, & qui ſub quiete degere, quam multis prouinciis imperitare mallet: denique auito Weſtſaxonum regno contentus, cætera quæ pater ſubiugauerat, appendicia *Ethelſtano* filio contradidit, qui quanto, & quo fine defecerit incertum. *Burthredum* regem Merciorum & additamento excercitus contra Brittones iuuit, & filiæ nuptiis non parum exaltauit. Piratas Danorum per totam Inſulam vagantes, & inopinatis appulſionibus litora omnia infeſtantes non ſemel per ſe, & duces ſuos contudit, quamuis, vt eſt teſſera bellorum, ipſe in iiſdē & frequentes & inſignes calamitates acceperit, Londonia, & omni pene Cantia vaſtata. Obſiſtebat tamen ſemper ærumnis conſiliariorum Regis viuacitas, qui nihil vnquam hoſtes impune delinquere paterentur, quin communi conſilii vmbone in eos vlciſcerentur. Habebat. n. duos ſuo tempore præcellentes præſules beatū *Svvithunum* dico Wintoniæ, & *Alſtanum* Schireburniæ: hi videntes regem craſſioris & hebetis ingenii, ſedulis admonitionibus ad ſcientiam regnandi ſtimulabant. *Svvithunus* in terrenis nauſeans dominum ad cœleſtia informabat; *Alſtanus* forenſia quoq; nō negligenda ratus eundem contra Danos animabat, ipſe pecunias fiſco ſufficiens, excercitum ipſe cōponens. Multa per illum in talibus, & inchoata conſtanter, & terminata fœliciter, qui annales legerit, inueniet. Vixit in Epiſcopatu annis 50. beatus, qui tanto tēpore in procinctu bonorū operum fuerit: Quem libenter laudarem, niſi quod humana cupiditate captatus indebita vſurpauit, quando Monaſteriū Malmesburienſe ſuis negotiis ſubſtrauit. Sentimus ad hunc diē impudentiæ illius calumniam licet locus idē ſtatim, eo mortuo, omnem illam eluctatus fuerit violentiam, vſq; ad noſtrum tempus, quando in idem diſcrimen recidit. Ita ſacra fames auaritiæ mortalia pectora exedit; ita magnificos, & illuſtres in cæteris viros in tartara trudit. *Ethelvvlphus* his duobus ſuſtentatorib. fretus, & exteriora bene prouidere, & interiora nō deſpicere. Poſt triumphatos ſcilicet hoſtes ad Dei cultum conuerſus 10. omniū hydarum intra regnum ſuū Chriſti famulis conceſſit, liberam ab omnibus functionibus, abſolutā ab omnib. inquietudinibus. Sed quantula eſt hæc eius gloria? Romam cōpoſito regno abiit, ibiq; tributum q Anglia hodieq; penſitat, ſancto *Petro* obtulit

al. 838.

coram quarto *Leone* Papa, qui etiam antea *Elfredum* filium eius ad ſe miſſum honorifice ſuſceperat, & Regem inunxerat. Ibi ergo integro moratus anno, Scholã Anglorum, quę (vt fertur) ab *Offa* Rege Merciorum primitus inſtituta proximo anno conflagrauerat, reparauit egregie. Inde domum per Gallias repatrians, *Iudith* filiam *Caroli* Regis Francorum in coniugium ſumpſit.

Siquidem *Ludouicus Pius*, *Caroli* magni filius, quatuor filios habuit *Lotharium*, *Pippinum*, *Ludouicum*, *Carolum* cognomento *Caluum*: quorum *Lotharius*, etiam patre viuente, nomen Imperatoris vſurpans, regnauit annis quindecim in ea, quæ iacet iuxta Alpes parte Germaniæ, & nunc *Lotharingia* (quaſi *Lotharii* regnum) dicitur, & in tota Italia cum Roma. In extremo vitæ aduerſa valetudine vexatus, ſeculo renunciauit, Vir omnium ante ſe longe immaniſſimus, quippe qui proprium patrem crebro captiuatum in ergaſtulis vinxerit. Erat ſane ille manſueti animi, & ſimplicis ſed quia mortua *Ermengarda*, de qua priores liberos tulerat, *Carolum* ex *Iudith* vxore natum arctius exoſculabatur, à *Lothario* inclementer exagitatus. *Pippinus* alter filius *Ludouici* regnauit in Aquitania, & Waſconia. *Ludouicus*, tertius filius *Ludouici*, præter Noricam, quam habebat, tenuit regna, quæ pater ſuus illi dederat, id eſt, Alemanniam, Turingiam, Auſtraſiam, Saxoniam, & Auarorum, id eſt, Hunorum regnum. *Carolus* vero medietatem Franciæ ab Occidente, & totam Neuſtriam, Brittaniam, & maximam partem Burgundiæ, Gothiam, Waſconiam, Aquitaniam, ſubmoto inde *Pippino*, filio *Pippini*, & in Monaſterio Sancti *Methardi* attonſo; qui poſtea inde per fugam elapſus, & Aquitaniam regreſſus multo tempore fugiendo ibi latuit: Iterũque à *Ranulpho* præfecto per fide deceptus, compræhenſus eſt, & ad *Carolum* deductus Siluanecto, perpetuo eſt exilio detruſus. *Lotharius* ante obitum patris decem, & octo annis inunctus ad Imperatorem contra fratres ſuos, id eſt, *Ludouicum*, piiſſimum Regem Baioariorum, & *Carolum*, exercitum duxit, adiuncto ſibi *Pippino* cum Aquitaniorum populo in pago Antiſiodorenſi in loco, qui vocatur Fontanetum; In quo loco cum Franci cum omnibus nationibus ſibi ſubiectis mutua ſe cæde proſternerent, ad vltimum *Ludouicus*, & *Carolus*, *Lothario* fugato, triumpharunt. Poſt cruentiſſimum vero prælium, pace inter eos facta, diuiſerunt inter ſe Francorum Imperium, vt ſupra diximus. *Lotharius* vero ex *Ermẽgarda* filia *Hugonis*, tres filios habuit, primum *Ludouicum*, cui Regnum Romanorum, & Italiam tradidit; alterum autem *Lotharium*, cui ſedem Imperialem reliquit; tertium vero *Carolum*, cui Prouinciam gubernandam commiſit. Deceſſit *Lotharius* anno Incarnationis Domini octingenteſimo quinquageſimo quinto, Imperii, ſui 33. Poſt cuius obitum *Carolus* filius eius, qui Prouinciam gubernabat, 8. anno moritur. Et dehinc *Ludouicus* Imperator Romanorum, & *Lotharius* fratres eius, regnum eius, hoc eſt, Prouinciam, inter ſe diſpertiunt. *Ludouicus* autem Rex Noricorum, id eſt, Baioariorum, *Ludouici* Imperatoris filius, anno incarna. Domini octingenteſimo ſexageſimo quinto, poſt feſtiuitatem Paſchalem regnum ſuum inter filios ſuos diuiſit, & *Carolomanno* quidem dedit Noricã, id eſt, Baioariam, & Marcas contra Sclauos, & Longobardos; *Ludouico* vero Turingiã, Auſtraſios Francos, & Saxoniam dimiſit; *Carolo* autem Alemanniam & Curwallam, id eſt, Comitatũ Galliæ, reliquit. Ipſe vero Ludouicus ſuper filios ſuos fœliciter regnauit in omni poteſtate ſua annis decem, & poſt hæc obiit anno incarnationis Domini octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, cum regnaſſet annis 54. *Carolus* autem rex Occidentaliũ Francorum anno 36. regni ſui in Italiam pergens orationis gratia ad limina Apoſtolorum peruenit, ibiq; à cuncto populo Romano, Imperator eligitur, & à *Ioanne* Papa in Imperatorẽ conſecratur 8. Kalendas Ianuarii, anno Dominicę incarnatiouis 875: Inde in Galliam proſpere reuerſus eſt. Anno autem regni 38. & Imperii tertio inchoante, in Italiam iterum perrexit, & colloquio *Ioannis* Papæ vſus in Galliam reuertens tranſcenſo Ciniſo monte præſentis luminis caruit viſu 3. Nonas Octob. indictione 10. anno Dom. 877. cui ſucceſſit in regno filius eius *Ludouicus*. Deinde anno regni ſui 2. nec dum expleto, idem *Ludouicus* obiit in Compendio palatio, 6. Idus April. anno Dom. 879. Indictione 12. Deinde filii eius *Ludouicus* & * *Carolomãnus* [*al. Carolus.*] regnum eius inter ſe diſpertiunt. Prædictus vero *Ludouicus* in pago Viminaço cũ Normannis bellũ gerens triumphum adeptus eſt, & non multo poſt obiit pridie Nonas Auguſti anno Dom. 881. Indictione 15. Regnauit annos duos, menſes tres, & dies 24. Cui ſucceſſit in regno frater eius *Carolomannus*. Regnauit annis tribus, & diebus ſex, deinde in *Ewellino* ſaltu in monte *Erico* à * fera ſingulari percuſſus eſt. Obiit anno Dom. incarnat. 884. [*al. fero.*] Indictione 2. Octauo Idus Decembr. Deinde *Carolus* Rex *Suauorum*, filius *Ludouici* Regis Noricorũ Monarchiam totius Imperii Francorũ ſimul & Romanorũ aſſumit anno verbi incarnati 885. Indictione 3. Cuius viſionẽ, quam memorabilẽ puto, hîc dignũ duco intexere,

In nomine Domini ſummi Regis Regum. Ego Carolus Dei gratuito dono Imperator, Rex Ger-

Germanorum, & Patricius Romanorum, atq; Imperator Francorum ſacra nocte Dominica diei poſt celebratum nocturnarum horarum diuinum officium, dum irem repauſationis cubitum, & vellem dormitionis capere ſomnum, venit vox ad me terribiliter dicens, Carole *exiet à te modo ſpiritus tuus in hora non modica: ſtatimq; fui raptus in ſpiritu, & qui me ſuſtulit in ſpiritum, fuit candidiſſimus, tenuitq; in manu ſua glomerem lineum clariſſimi iubar luminis emittentem, ſicut ſolent Cometæ facere quando apparent, cœpitque illum diſſoluere, & dixit ad me, accipe filum glomeris micantis, & liga, ac nota firmiter in pollice tuæ dextræ manus, quia per illum duceris in laberinthicas infernorum pœnas: & hoc dicto præceſſit me velociter diſtorquens filum lucifluus glomeris, duxitque me in profundiſſimas valles & igneas, quæ erant plenæ puteis ardentibus pice, & ſulphure, plumboque, & cera, & adipe. Ibi inueni Pontifices patris mei, & auunculorum meorum; quos cum pauens interrogarem quid tam grauia paterentur tormenta, reſponderunt mihi,* Fuimus *Epiſcopi patris tui, & auunculorum tuorum, & dum debuimus illos, & populum eorum de pace, & concordia admonere, & prædicare, ſeminauimus diſcordias, & incentores malorum fuimus: Vnde nunc incendimur in his Tartareis ſuppliciis, & nos, & alij homicidiorum, & rapinarum amatores: huc etiam tui Epiſcopi & ſatellites venient, qui ſimiliter amant nunc facere. Et dum hæc tremibundus auſcultarem, ecce, nigerrimi dæmones aduolantes cum uncis igneis volebant apprehendere filum glomeris, quem in manu tenebam, & ad ſe attrahere, ſed reuerberantibus radiis illius glomeris non valebant filum attingere. Deinde poſt tergum meum currentes voluerunt me aduncinare, & in ipſos puteos ſulphureos præcipitare: ſed ductor meus, qui portabat glomerem, iactauit ſuper ſcapulas ſuas filum glomeris, & duplicauit illum, traxitque poſt ſe fortiter, ſicque aſcendimus ſuper montes altiſſimos igneos, de quibus oriebantur paludes, & flumina feruentia, & omnia metallorum genera bullientia, vbi reperi innumeras animas hominum, & principum patris mei, & fratrum meorum præcipitatas, alias vſque ad capillos, alias vſque ad mentum, alias vſque ad vmbilicum, clamaueruntque ad me eiulando, dum viximus amauimus tecum, & cum patre tuo, & cum fratribus tuis, & auunculis tuis facere prælia, & homicidia, & rapinas pro cupiditate terrena: Ideo in iſta bullientia flumina, & metallorum diuerſa genera ſuſtinemus tormenta. Et cum ad hæc timidus attenderem, audiui retro me animas clamare, Potentes potenter tormenta patientur. Et reſpexi, & vidi ſuper ripas fluminis bullientis fornaces piceas, & ſulphureas, plenas magnis draconibus, & ſcorpionibus, & ſerpentibus diuerſi generis, vbi quoque vidi aliquos patris mei principes, & meos & fratrum meorum, necnon, & auunculorum meorum dicentes mihi, heu nobis* Carole, *vides quam grauia habemus tormenta propter noſtram malitiam, & ſuperbiam, & mala conſilia, quæ Regibus noſtris, & tibi dedimus propter cupiditatem. Cumque ad hæc dolendo congemiſcerem, cucurrerunt ad me dracones apertis faucibus, & plenis igne, & ſulphure, & pice volentes me inglutire: At ductor meus triplicauit ſuper me filum glomeris, à cuius radiis claritatis ſuperata ſunt ora eorum ignea, & pertraxit me validius, & deſcendimus in vnam vallem, quæ erat ex vna parte tenebroſa, ardens, velut clibanus ignis. Ex alia vero parte tam amœniſſima, & ſplendidiſſima, vt nulla ratione dicere valeam, vertique me contra tenebroſam, & flammiuomam partem, vidique ibi aliquos reges generis mei in magnis ſuppliciis: & tunc nimis perterritus & conſtrictus anguſtia, putans me ſtatim demergi in ipſis ſuppliciis à gigantibus nigerrimis, qui ipſam vallem inflammabant cunctis generibus igneum: & valde tremens, glomeris filo illuminante oculos meos, vidi à latere vallis pauliſper albeſcere lumen, ibique duos fontes fluere. Vnus erat nimium calidus: alter vero clarus, & tepidus: & erant ibi duo dolia: Cumque illuc irem, filo glomeris regente greſſus meos, intuitus ſuper vnum, vbi erat aqua feruens, vidi ibi genitorem meum* Ludouicum *ſtare vſque ad fœmora, & nimis dolore grauatus, & angore percuſſus dixit ad me: domine meus* Carole *noli timere. Scio, quod reuertetur rurſus ſpiritus tuus ad corpus tuum, & permiſit te Deus huc venire, vt videres propter quæ peccata ego, & omnes, quos vidiſti, talia toleramus ſupplicia. Vno enim die ſum in iſto feruentis dolii balneo, & altero die tranſmutor in iſto ſuauiſſimo altero aquæ dolio, & hoc fit precibus Sancti* Petri, *& Sancti* Remigij, *cuius patrocinio hactenus genus noſtrum regale regnauit. Sed ſi mihi cito ſubueneris tu, & mei fideles Epiſcopi & Abbates, & omnis ordo Eccleſiaſticus miſſis * Orationibus, Pſalmodiis, vigiliis, & Eleemoſynis, velociter liberatus ero de iſto aquæ bullientis dolio. Nam frater meus* Lotharius, *& eius filius* Ludouicus *Sancti* Petri, *Sanctique* Remigij *precibus exempti ſunt de iſtis pœnis, & iam ducti ſunt in gaudium paradiſi Dei: Dixitque ad me, reſpice ſiniſtrorſum: cumque reſpexiſſem, vidi ibi duo dolia altiſſima bullientia: iſta, inquit, tibi ſunt præparata, niſi te emendaueris, & pœnitentiam egeris, de tuis nefandis delictis: cœpique tunc grauiter horrere, cumque cerneret ductor meus in tanto pauore eſſe ſpiritum meum, dixit ad me, ſequere me ad dextrā luculentiſſimæ vallis paradiſi. Et cum graderemur, contemplatus ſum in ingenti claritate cum glorioſis regibus ſedere* Lotharium *auunculum meum ſuper lapidem topazium miræ magnitudinis, coronatum diademate pretioſo, & iuxta eum filium ſuum* Ludouicum *ſimiliter coronatum: videns me comminus acceſſ-*

** al. oblationibus*

uit me blanda voce dicens, Carole, *ſucceſſor meus nunc tertius in Imperio Romanorum, veni ad me. Scio quod per pœnalem locum veniſti, vbi eſt pater tuus, frater meus poſitus in thermis ſibi deſtinatis, ſed per miſericordiam Dei citiſſime de illis liberabitur pœnis, ſicut & nos liberati ſumus meritis Sancti* Petri, *ſanctique* Remigii *precibus cui Deus magnum Apoſtolatum dedit ſuper Reges, & ſuper gentem Francorum; qui niſi quiſquiliis noſtræ propaganis ſuffragatus fuerit; & adiuuerit,* *al. progenies.* *iam deficiet * Genealogia noſtra regnando, & imperando; Vnde ſcito, quoniam tolletur ocius poteſtas Imperii de manu tua, & poſtea breuiſſimo viues tempore. Tunc conuerſus ad me* Ludouicus *dixit mihi, Imperium, quod hactenus tenuiſti iure hæreditario, debet recipere* Ludouicus *filius filiæ meæ; Et hoc dicto, viſum eſt mihi affore impræſentiarum infantulum; tunc intuens in eum* Lotharius *auus eius dixit, Talis videtur ille infans eſſe, qualis ille puer fuit, quem ſtatuit Dominus in medio diſcipulorum, & dixit: Talium eſt enim Regnum cœlorum: dico vobis, quod Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei, qui in cœlis eſt. Tu vero redde illi poteſtatem Imperij per illud filum glomeris, quod in manu tenes. Diſnodans ergo filum de pollice dextra mea, donabam illi Monarchiam omnem Imperii per illud filum: Statimque ipſum glomus fulgidum ſicut iubar ſolis coadunatum eſt totum in manu illius; Sicque poſt hoc factum mirabile, reuerſus eſt ſpiritus meus in corpore meo valde feſſus, & conterritus. Denique ſciant omnes (velint aut nolint,) quoniam ſecundum deſtinationem Dei in manus illius reuertetur totum Imperium Romanorum, & quod ſuper ipſum non praualeo agere, præcipiente me articulo vocationis meæ, Deus, qui viuorum dominator eſt, & mortuorum, & illud perficiet, & confirmabit; cuius æternum regnum permanet ſine fine in ſecula ſeculorum. Amen.*

Viſionem iſtam, & regnorum partitionem verbis quibus ſcripta inueni, hic appoſui. Hoc ergo *Carolo* vix duobus annis poteſtate integra Imperii & regni functo, ſucceſſit in regno *Carolus* filius *Ludouici*, qui apud Compendium obiit. Hic eſt *Carolus*, qui filiam *Edvvardi* regis Anglorum duxit vxorem, deditq; Normanniam *Rolloni* cum filia ſua * *Giſla*, *al. Gilla.* quæ eſſet vas pacis, pigneratrixq; fœderis. At vero in Imperio ſucceſſit *Carolo* iſti *Arnulphus* Rex de genere Imperatorio, tutor *Ludouici* pueri, de quo viſio ſuperior narrat. *Arnulpho* ergo poſt 15. annos defuncto ſucceſſit *Ludouicus* idem, quo mortuo, *Cunradus* quidam rex Teutonicorum imperauit. Huic ſucceſſit filius *Henricus*, qui miſit ad *Aethelſtanum* Regem Anglorum pro duabus ſororibus ſuis *Alditha & Editha*, quarum poſteriorẽ filio ſuo *Othoni* collocauit; alteram cuidam duci iuxta Alpes nuptum dedit. Ita hodieque imperium Romanorum, & regnum Francorum ab antiqua vnione ſciſſum, alterum Imperatores, alterum Reges habent. Sed quia multum à propoſito exceſſi, dum me iuuat illuſtrium Francorum * ſeriem linearum protendere, iam nunc inceptam viam repetens *al. ſeriatim lineã.* ad *Ethelvvlphum* regrediar.

Ille, vbi poſt annuam peregrinationem domum venit, filia *Caroli Calui* in matrimonium vt dixi ducta, aliter quam putabat, animos quorundam offendit. Siquidem *Ethelbaldus* filius eius, & *Alhſtanus* Schireburnenſis Epiſcopus, & *Enulphus* Somerſetenſis pagi Comes in eius contumeliam coniurati regno eum proturbare nitebantur, ſed maturiori mediante conſilio, regnum inter parentem, & prolem diuiſum eſt. Iniuſta ea fuit partitio. Adeo malignitas obtinuerat vt pars Occidentalis melior filio, deterior Orientalis patri daretur. Veruntamen ille incredibili clementia, (pluſquam ciuile bellum formidans) æquanimiter filio ceſſit, prouinciales, qui eius dignitatem aſſerturi conuenerant, leni oratione cohibens. Ita, quamuis omnis controuerſia pro alienigena vxore fuerit, magna illam dignatione habitam, throno etiam contra morem Weſtſaxonum iuxta ſe locabat. Nõ enim Weſtſaxones regiam vel iuxta regem ſedere, vel reginæ appellatione inſigniri patiuntur, propter malitiam *Eadburgæ*, filiæ *Offæ* regis Merciorum. Ea, vt prædiximus, *Brithrico* regi Weſtſaxonum nupta, benignum (vt aiunt) virum in perniciem infantum nequam conſiliis armare, quos vero inſimulare nequibat potionibus noxiis intercipere ſolebat. Cõpertum eſt in quodam adoleſcentulo regi dilectiſſimo, quem illa veneno ſuſtulit, confeſtimq; *Brithricus* decubuit, tabuit, & deceſſit eo quod ex potu ſine reginæ nimirum conſcientia prægustauerat. Effuſus ergo rumor in vulgus veneficam regno excedere coegit. Illa ad *Carolum magnũ* profecta forte cum vno filiorum ſtantem inuenit, oblatis xeniis, imperator ludibundus, & ioci plenus, eam, quem mallet, vel ſe, vel filium eligere præcepit. Tunc *Eadburga* contuitu viridis pulchritudinis ephœbum eligente, *Carolus* nonnihil motus reſpondet; ſi me elegiſſes, filium meum habuiſſes; ſed quia filium meũ elegiſti, nec me, nec illum habebis. Itaq; in monaſterio locatam, quo vitam opulenter degere poſſet, non multo poſt depulit ſtupri reã. Huius malignitate perculſi Saxones decretum, ꝙ dixi, protulerunt. Sed id *Ethelvvlphus* benignitate ſua infirmauit. Paucis vero ante mortẽ menſibus teſtamen[illegible]fecit, in quo poſt diuiſionẽ regni inter *Ethelbaldũ, & Ethelbrithũ* filios, filię quo

que

que dotem emancipauit, ſemperq; ad finem ſeculi in omnis ſuæ hæreditatis decima hida pauperem veſtiri & cibari præcepit, omniq; anno trecentas auri marcas Romam mitti; quarum beato Petro centum, & centum beato Paulo ad luminaria, centum Apoſtolico ad donaria expenderentur. Biennio ergo poſtquam à Roma venerat ſuperuiuens defungitur, & Wintoniæ in Epiſcopatu ſepelitur. Ego vero, vt ad ſeriem poſtliminio reuertar, apponam ſcriptum libertatis eccleſiarum, quod toti conceſſit Angliæ.

Regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto in perpetuum; dum in noſtris temporibus bellorum incendia, & direptiones opum noſtrarum, necnon, & vaſtantium crudeliſſimas deprædationes hoſtium, barbararum, Paganarumq; gentium multiplices tribulationes ad affligendum vſq; ad internecionem, cernimus tempora incumbere periculoſa. Quamobrem ego Ethelwlphus *rex Occidentalium Saxonum, cum conſilio Epiſcoporum, ac principum meorum conſilium ſalubre, atq; vniforme remedium affirmaui, vt aliquam portionem terrarum hæreditariam antea poſſidentibus omnibus gradibus, ſiue famulis & famulabus Dei, Deo ſeruientibus ſiue laicis, ſemper decimam manſionem vbi minimum ſit, tamen partem decimam in libertatem perpetuam perdonari diiudicaui, vt ſit tuta ac munita ab omnibus ſecularibus ſeruitutibus, nec non regalibus tributis maioribus, & minoribus, ſiue taxationibus, quod nos dicimus* Witereden*: Sitq; libera omnium rerum pro remiſſione animarum noſtrarum ad ſeruiendum Deo ſoli ſine expeditione, & pontis inſtructione, & arcis munitione, vt eo diligentius pro nobis ad Deum preces ſine ceſſatione fundant, quo eorum ſeruitutem in aliqua parte leuigamus. Placuit etiam Epiſcopis* Alhſtano *Schireburnenſis Eccleſiæ, &* Swithuno *Wintonienſis Eccleſiæ cũ ſuis Abbatibus, & ſeruis Dei conſilium inire, vt omnes fratres & ſorores noſtræ ad vnamquamque Eccleſiam omni hebdomada die Mercurii, hoc eſt, Weddenſdai cantent 50. Pſalmos, & vnuſquiſque presbyter duas miſſas, vnam pro rege* Ethelwlpho. *Et aliam pro ducibus eius huic dono conſentientibus, pro mercede & refrigerio delictorum ſuorum: & pro rege viuente dicant*, Oremus. Deus qui iuſtificas; *pro ducibus etiam viuentibus*, Prætende Domine; *poſtquam autem defuncti fuerint, pro rege defuncto ſingulariter, & pro principibus defunctis communiter, & hoc ſit tam firmiter conſtitutum omnibus Chriſtianitatis diebus, ſicut libertas illa conſtituta eſt, quamdiu fides creſcit in gente Anglorum. Scripta eſt autem hæc donationis cartula, anno dominicæ Incarnationis 844. indictione quarta, die quinto Nonas Nouembris, in Ciuitate Wentana, in Eccleſia Sancti* Petri *ante altare Capitale; & hoc fecerunt pro honore Sancti* Michaelis *Archangeli, & Sanctæ* Mariæ *reginæ glorioſæ Dei genetricis: ſimulq; & beati* Petri *Apoſtolorum principis, nec non, & ſanctiſſimi Patris noſtri* Gregorii *Papæ, atq; omnium Sanctorum. Et tunc pro ampliore firmitate rex* Ethelvvlphus *poſuit cartulam ſuper altare S.*Petri, *& Epiſcopi pro fide Dei acceperunt, & poſtea per omnes Eccleſias tranſmiſerunt in ſuis parochiis, ſecundum quod prædictum eſt.*

Ab hoc rege Anglorum Chronica ſurſum verſus vſq; ad *Adam* lineam Generationis regum texunt, ſicut *Lucam* Euangeliſtam à Domino Ieſu factitaſſe cognouimus; quod ſi ego etiam fecero, fortaſſe non erit ſuperuacuum, quanquam timendum ſit, ne barbaricorum nominum hiatus vulneret aures in talibus diſſuetorum.

Ethelvvlphus fuit filius *Egberti*; *Egbertus Elmundi*; *Elmundus Eafæ*; *Eafus Eoppæ*; *Eoppa* fuit filius *Ingildi*, fratris *Inæ* regis qui ambo fuerunt filii *Kenredi*; *Kenredus Celvvoldi*; *Celvvoldus Cudæ*; *Cuda Cudvvini*: *Cudvvinus Ceaulini*; *Ceaulinus Cinricii*; *Cinricius Creodingij*; *Creodingius Cerdicij*; qui primus fuit Rex Weſtſaxonum, *Cerdicius* * *Elicij*: *Elicius Eſlij*: *Eſlius Givvij*: *Givvius* Wigij: *Wigius Frevveni*: *Frevvinus Fridegarij*: *Fridegarius Brondij*: *Brondius Beldegij*: *Beldegius* Wodenij, de iſto, vt ſæpe diximus, proceſſere reges multarum gentium: *Wodenus* fuit *Fridevvaldi*: *Fridevvaldus* * *Frelaſii*: *Frelaſius Fimi*: *Fimus Godvvini*: *Godvvinus Geſii*: *Geſius Tectii*: *Tectius Beovvini*: *Beovvinus Sceldij*: *Sceldius Sceaf*. Iſte, vt quidam ferunt, in quandã Inſulam Germaniæ * Scamphtã (de qua * *Iordanes* hiſtoriographus Gothorum loquitur) appulſus, naui ſine remige puerulus poſito ad caput frumenti manipulo dormiens, ideoq; *Sceaf* eſt nũcupatus, & ab hominib⁹ regionis illius pro miraculo exceptus, & ſedulo nutritus: adulta ætate regnauit in oppido, quod tunc *Slaſvvich*, nunc vero * *Eitheiſi* appellatur. Eſt autem regio illa Anglia vetus dicta, vnde Angli venerunt in Brittanniam inter Saxones, & *Giothos* conſtituta. *Sceaf* fuit filius *Heremodii*: *Heremodius Stermonii*: *Stermonius Hadra*: *Hadra Guala*: *Guala Bedvvegii*: *Bedvvegius Streſai*: hic vt dicitur, fuit filius *Noa*.

al. Elecii.
al. Fridelaſii.
al. Scãdeam
al. Iornãdes
al. Hurtheby.

DE ETHELBALDO, ETHELBERTO, ET ETHELREDO FILIIS ETHELVVLPHI.

CAP. III.

ANNO Dom. 857. duo filii *Ethelvvlphi* regnum paternum partientes, * *Ethelbaldus* in Weſtſaxonia, * *Ethelbertus* in Cantia regnauerunt. *Ethelbaldus* ignauus, & perfidus pa-

al. Athelbaldus
al. Ethelbrithus

tris eius thorum polluit, in coniugium *Iudith* nouercæ poſt parentis obitum deuolutus: ſed poſt quinquennium eo defuncto, & Schireburniæ condito, totum regnum ad alterum deriuatum eſt. Huius tempore manus piratarum appulſa Hamptoniam, Wintoniam vrbem populoſam direptioni dedit, ſed mox à ducibus regiis impigre fugata multis ſuorum amiſſis, vltra mare veliuolauit, & pelago circumgyrato Thanatum inſulam, quæ eſt in Cantia, elegit ad hyemandum. Cantuaritæ datis obſidibus, promiſſaq; pecunia, quieti indulſiſſent, niſi fracto fœdere, nocturnis excurſionibus piratæ totam regionem popularentur. Quapropter coacto cœtu fœdifragos expulere. *Ethelbertus* autem ſtrenue, dulciterq; regnum moderatus naturæ debitum ſoluit poſt regni quinquennium Schireburniǽ ſepultus.

Anno Dom. 867. *Ethelredus* filius *Ethelvvlphi* regnum paternum obtinuit eodem numero annorum quo fratres. Miſerabili prorſus & dolenda ſorte, vt immatura omnes occumberent morte, niſi quod tantis malis obſtrepentibus, regii pueri magis optarent honeſtum exitum, quam acerbum Imperium. Adeo animoſe & fortiter pro patria certamini ſe dabant, vt non illis imputari debeat, ſi minus cedebat ex ſententia, quod intendebat audacia. Deniq; memoriæ proditum, quod iſte Rex nouies anno vno collatis, & infeſtis ſignis contra hoſtes conflixerit: varia licet fortuna, ſæpius tamen victor: præter ſubitos excurſus, quibus bellicæ artis gnarus populatores palantes crebro afflixit. Interfecti à parte Danorum Comites nouem, rex vnus, præterea populus ſine computo.

Memorabilis præ cæteris pugna fuit, quam apud Eſſchendune fecit. Congregato namq; eo loci Danorum exercitu, & in partes diuiſo: hinc duobus regibus illinc omnibus ducibus: rex cum fratre *Elfredo* aduentauit. Itaq; ſortito par pari retulerunt vt *Ethelredus* contra Reges, *Elfredus* contra duces conſiſteret. Vtrorumq; exercituum animis erectis veſper iam occiduus bellum in craſtinum protelauit. Vix ergo repente diluculo *Elfredus* paratus aderat: frater diuino intentus officio remanſerat in tentorio, ſtimulatuſq; nuncio paganos efferatis mentibus irruere, negauit ſe quoquam progredi, quoad eſſet finis officii. Quæ fides regis multum adiuuit fratrem * immaturitate iuuentæ præproperum, & iam progreſſum. Namq; iam acies Anglorum declinabant, & vrgentibus ex alto aduerſariis fugam meditabantur, quod iniquo Chriſtianis loco pugnaretur: cum ille cruce Dei conſignatus ex inſperato aduolat, hoſtem proturbans, ciuem in arma ciens, cuius virtute, ſimul & Dei miraculo Dani territi pedibus ſalutem committentes, fugere. Cæſus ibi rex *Oſeg*, Comites quinq;, vulgus innumerum.

al. temeritate.

Meminerit interea lector, quod interim reges Merciorum, & Northanimbrorum, captata occaſione aduentus Danorum, quorũ bellis *Ethelredus* inſudabat, à ſeruitio Weſtſaxonum reſpirantes dominationem ſuam pene aſſeruerant. Ardebant ergo cunctæ ſæuis popularibus prouinciæ, vnuſquiſq; regum inimicos magis in ſuis ſedibus ſuſtinere, quã compatriotis laborantibus opem porrigere curabat: ita dum maluit vindicare, quam prǽuenire iniuriam, ſocordia ſua exanguem reddiderunt patriam. Dani ſine obſtaculo ſuccreſcere, dum, & prouincialibus timor increſceret, & proxima quæq; victoria per additamentum captiuorum, inſtrumentum ſequentis fieret. Orientalium Anglorum pagi, cum vrbibus & vicis à prædonibus poſſeſſi: rex eorum Sanctus *Edmundus* ab eiſdem interemptus, anno dominicæ Incarnationis octingenteſimo ſeptuageſimo, 12. Kalendas Decembris, temporaneǽ mortis compendio regnum emit ǽternum. Mercij non ſemel obtriti obſidatu miſerias ſuas leuauerunt, Northanimbri iamdudum ciuilibus diſſenſionibus fluctuantes aduentante hoſte correxerũt diſcordiã. Itaq; *Osbirthum* Regem, quẽ expulerant, in ſolium reformantes, magnoſq; moliti paratus obuiam procedunt, ſed facile pulſi intra vrbem Eboracum ſe includunt: qua mox à victoribus ſuccenſa, cum laxos crines effuſior flamma produceret tota depaſcens mœnia, ipſi quoq; conflagrati patriã oſſib' texere ſuis. Sic Northanimbria bellico iure obtenta barbarorũ dominiũ multo poſt tempore pro cõſcientia libertatis ingemuit. At vero Rex *Ethelredus* multis laboribus infractus obiit, & *Winburniæ* ſepultus eſt.

al. Aluredo.

DE * ALFREDO REGE.

CAP. IV.

ANNO dominicæ Incarnationis, 872. *Elfredus* filius *Ethelvvlphi* iunior, qui vnctionem regiam, & coronam à Papa *Leone* olim Romæ ſuſceperat, vt prædiximus, regnum accepit, & 28. & ſemis annos laborioſiſſime, & fortiſſime tenuit. laborum eius inextricabiles laberinthos ſigillatim euoluere non fuit conſilium: propterea quod ſit legentium quǽdam confuſio, geſtorum per omnes annos recenſio. Nam quia exercitus hoſtilis per eum,

vel

vel ſatellites eius ab vna parte regionis fugatus in alteram ſecedebat, rurſuſq; inde pulſus alia loca petebat, omnia rapinis & cædibus complens; cum quoq; ſcripto ſequi, &, vt ita dicam, cũ eo inſulam circuire, forſitan quis dixerit extremæ eſſe dementiæ: ſummatim igitur omnia exponam. Continuis nouem annis cum hoſtibus compugnans, modo incertis fœderibus illuſus, modo in illudentes vltus, ad hoc tandem inopiæ coactus eſt, vt vix tribus pagis in fide rigentibus, id eſt, Hampteſchire, Wilteſchire, Somerſete; etiam in inſulam quandam paluſtri vligine vix acceſſibilem, vocabulo *Adelingiam* refugerit. Solebat ipſe poſtea in tempora fœliciora reductus, caſus ſuos iocunda hilariq; comitate familiaribus exponere, qualiterq; per beati *Cuthberti* meritum eos euaſerit: ſicut plærumque mos eſt mortalibus, vt eos illa iuuet meminiſſe, quæ olim horruerint excepiſſe. Nam cum quadam die in inſula incluſus ſolus domi eſſet, ſociis per oram fluminis ad piſcandum diſperſis, corpus curis ægrum ſopori commiſit: & ecce, *Cuthbertus* Lindiſfarnenſis quõdam epiſcopus, his verbis dormientem alloquitur; ego ſum *Cuthbertus*, ſi audiſti, miſit me dominus, vt tibi proſpera annunciem: quia enim Anglia iamdudum peccatorum pœnas enormiter luit; modo tandem Deus indigenarum ſanctorum meritis ſuper eam miſericordiæ oculo reſpicit. Tu quoque tam miſerabiliter regno extorris, glorioſe poſt paucum tempus in ſolium reponeris, atque adeo tibi ſignum eximium dabo; venient hodie piſcatores tui magnam vim grandium piſcium corbibus euehentes, quod erit eo mirabilius, quia his diebus gelante aqua fluuius aſperatus nihil tale ſperari promittit: ſuper hoc hodie gelido rore ſtillans aer omnem piſcantium artem eludit, verum tu fortunæ ſecũdæ compos regaliter feceris, ſi adiutorem tuum Deum, & me eius nuncium competenti deuotione demerueris. Hæc dicẽs *Sanctus* regem ſoporatum ſollicitudinibus exuit: matrem quoque probe cubantem, tenueſq; ſomnos propter leuamen curarum ad durum cubile inuitantem, eiuſdem nuncii lætitia confortauit. Experrecti ambo vnum, & idem ſe ſomniaſſe frequenti verborum recurſu iterabant, cum piſcatores ingreſſi tantam piſcium copiam exhibuere, vt cuiuſuis magni exercitus ingluuiem exſaturare poſſe videretur. Nec multo poſt ergaſtulum exire auſus magnæ aſtutiæ periculum fecit. Regis enim Danorum ſub ſpecie mimi ſubiens tentoria vnius tantum fideliſſimi fruebatur conſcientia: ibi, vt ioculatoriæ profeſſor artis, etiam in ſecretiora triclinii admiſſus, nihil fuit arcanum, quod non exciperet cum oculis tum auribus, plureſq; dies ibi moratus, cum ex omnibus, quę noſcere deſiderauerat, animo ſatisfeciſſet ſuo, *Adelingiam* rediit, congregatiſq; comitibus exponit inimicorum ocium, leueq; vincendi negotium. Cunctis ad audiendum erectis, ipſe contractis vndecunq; auxiliis, exploratoribuſq; præmiſſis, de ſede barbarorũ certior redditus, eoſq; repente adortus, incredibili ſtrage cecidit; reſidui cum rege ſuo dederunt obſides, quod chriſtianitatem ſuſciperent, & ab Anglia diſcederent; quod & factum eſt. Nãque eorum rex *Gudrum*, quem noſtri *Gurmundum* vocant, cum triginta proceribus, & omni pene populo baptizatus, & in filium à rege *Aelfredo* ſuſceptus eſt. Datæ ſunt ei prouinciæ Orientalium Anglorum, & Northanimbrorum, vt eas ſub fidelitate regis foueret iure hæreditario, quas peruaſerat latrocinio. Verum, quoniam non mutabit Aethiops pellem ſuam, datas ille terras tyrannico faſtu vndecim annis proterens duodecimo vitam finiuit, poſteris quoque perfidiæ ſucceſſionem tranſmittens, donec à nepote iſtius *Elfredi Athelſtano* ſubiugati, regem vnum Angliæ fieri, vel inuiti conceſſerint, ſicut hic dies inuenit. Cæteri ex Danis qui chriſtiani eſſe recuſaſſent, cum *Haſtingo* mare transfretauerunt, vbi, quæ mala fecerunt, indigenæ norunt. Tota enim ora maritima vſq; ad mare Tyrrhenum graſſati, Pariſios, & Turonos, & multas alias vrbes, quæ vel ſuper Sequanam, vel ſuper Ligerim, nobiles Galliæ fluuios, ſitæ ſunt, ciuibus vacuarunt. Tunc corpora multorum ſanctorum ab antiquæ requietionis ſedibus eruta, & ad tutiora loca delata, peregrinas Eccleſias, vſque ad hoc tempus, cineribus nobilitarunt ſuis. Tunc beati *Martini* corpus, vt Sidonius ait totis venerabile terris, in quo poſt vitæ tempora viuit honos; *Antiſiodorum* à clericis ſuis deportatum, & in Eccleſia beati *Germani* locatum, inauditis ſignis circumiacentium regionum homines excitabat. Cumq; aduentantes pro remediorum gratia plurima conferrent, quæ baiulorum onera palparent, vt fieri ſolet, ex pecuniæ partitione lis commiſſa, Turonicis totam vendicantibus, quod eorum herus oblatores mirabilibus inuitaſſet; indigenis contra referentibus, Germanum non diſparem merito, æqualem officio, & videri quidem amborum eſſe potentiæ, ſed præponderare prærogatiuam Eccleſiæ.

Ad laxandum dubietatis nodum quæritur, & ponitur inter duorum ſanctorum corpora leproſus vix ſolo anhelitu palpitans, cætera tabidus, & in viuo cadauere iampręmortuus; arcetur tota nocte humana cuſtodia, vigilat tantum *Martini* gloria. Nam poſtera

die apparuit cutis hominis à parte illius ſplendida, à parte vero Germani ſolita deformitate lurida. Et ne darent euentui miraculum, obuertunt *Martino* latus morbidum. Iam vero cum prima aurora in lucem proreperet, à feſtinantibus miniſtris inuenitur vir tota cute integer, totus incolumis, prædicans beneuolentiam domeſtici præſulis, quæ ceſſit honori gratiſſimi hoſpitis. Ita Turonici & tunc, & deinceps, per patroni ſuffragium tuto familiare cumulabant marſupium, donec pacis aura clementior propriis eos penatibus inuexit. Latrunculi enim 13. annis Gallias infeſtantes, ad extremum ab *Ernulpho* Imperatore, & Brittannis multis præliis victi, in Angliam opportunum, ſcz. tyrannidis ſuffugium conuolauere. Quo ſpatio *Alfredus* totam inſulam præter id quod Dani habebant, animo ſubdiderat ſuo. Volentes etiam Angli in eius poteſtatem conceſſerant, gaudentes ſe talem virum edidiſſe, qui poſſet illos in libertatem euehere. *Londoniam*, caput regni Merciorum cuidam primario, * *Ethelredo* infidelitatem ſuam cum filia *Ethelfleda* conceſſit. Ille magna virtute, & fide agere, commiſſa tutari ſedulo, Orientales, & Northanimbros iamdudum diſceſſionem a rege parturientes in ſtatu continuit, obſides præbere compellens. Quod quantum profecerit, ſequens occaſio probauit. Nam cum illis 13. annis pacis ſerenitate, & glebę vbertate Anglia gauderet, rediit Aquilonalis lues illa barbarorum. Iterum bella, iterum cædes, denuo Northanimbrorum, & Orientalium Anglorum coniurationes; ſed nec aduenæ, nec indigenæ pari, qua ſuperioribus annis, ſorte perfuncti. Illi tranſmarinis præliis imminuti, * ſeueriores erant ad inuadendum: iſti vſu bellorum, & hortamentis regis animati, promptiores erant, non ſolum ad reſiſtendum, ſed ad laceſſendum. Rex ipſe impigre in omnibus * actionibus aderat, nota virtutis ſuæ ſpecie alienos territans, & ſuos corroborans. Solus aduerſum pectus hoſtibus inferre, ſolus inclinatam aciem reſtituere. Oſtenduntur ab incolis loca ſingula, in quibus, vel malæ fortunæ copiam, vel bonæ perſenſit inopiam. Cum *Aelfredo* enim etiam victo, etiam iacente luctandum erat; adeo vt, cum omnino contritum putares, velut anguis lubricus de manu tenentis elapſus è cauernis ſubitus emergebat, ſponte inimicos inſultantes adoriens: Plærumque poſt fugam importabilis, & memoria repulſæ circumſpectior, & ardore vindictæ audacior. Ex *Egelſvvitha* filia *Egelreds* Comitis tulit liberos *Ethelſvvitham*; & *Edvvardum*, qui poſt ſe regnauit; *Ethelſledam*, quæ nupta fuit *Ethelredo* Merciorum Comiti; *Ethelvvardum*, quem literatiſſimum perhibent; *Elfredam* & * *Elfguinam* virgines; valetudinis aduerſæ fuit vt, qui ſemper, vel fiſco, vel aliquo interaneorum morbo agitaretur. Sed hoc eum à Deo precibus exegiſſe aiunt, vt incommodorum admonitu, ſegnius illecebras mundanas amplecteretur.

al. Ethelredo.
al. ſegniores.
al. neceſſitatibus.
al. Elſledam.

Verum inter hæc, miranda, & inſigni præconio proſequenda regis vita interior. Licet enim, vt quidam ait, leges inter arma ſileant: ille inter ſtridores lituorum, inter fremitus armorum leges tulit, quibus ſui, & diuino cultui, & diſciplinæ militari aſſueſcerēt. Et quia occaſione barbarorum indigenæ etiam in rapinas anhelauerant, adeo vt nulli tutus commeatus eſſet ſine armorum præſidio, centurias, quas *hundred* dicunt, & decimas, quas *tithingas* vocant, inſtituit, vt omnis Anglus legaliter duntaxat viuens, haberet, & centuriam & decimam. Quod ſi quis alicuius delicti inſimularetur, ſtatim ex centuria & decima exhiberet, qui eum vadarentur; qui vero eiuſmodi vadem non reperiret, ſeueritatem legum horreret. Si quis autem reus, vel ante vadationem, vel poſt, transfugeret, omnes ex centuria & decima regis multam incurrerent. Hoc commento pacem infudit prouinciæ: vt etiam per publicos aggeres, vbi ſemitæ in quadriuium finduntur, armillas aureas iuberet ſuſpendi, quæ viantium auiditatem riderent, dum non eſſent qui eas abriperent. Eleemoſynis intentus priuilegia eccleſiarum, ſicut pater ſtatuerat, roborauit; & trans mare Romam, & ad ſanctum *Thomam* in Indiam multa munera miſit. Legatus in hoc miſſus *Sigelinus* Schireburnenſis Epiſcopus cum magna proſperitate, quod quiuis hoc ſeculo miretur, Indiam penetrauit: inde rediens exoticos ſplendores gemmarum, & liquores aromatum, quorum illa humus ferax eſt, reportauit. Præterea munus omni óbrizo pretioſius, partem dominici ligni à Papa *Marino* regi miſſam. Monaſteria, vbi opportunum videbatur, conſtruxit; vnum in *Adelingia*, vbi eum latuiſſe ſuperior relatio meminit: ibiq; Abbatem Iohannem cōſtituit, ex antiqua Saxonia oriundum; alterum vero in Wintonia, quod dicitur Nouum monaſterium, vbi *Grimbaldum* Abbatem conſtituit, qui ſe euocante, & Archiepiſcopo Rhemenſi *Fulcone* mittente, Angliam venerat, cognitus quod ſe puerum olim (vt ferunt) Romam euntem benigno hoſpitio confouerat. Cauſa euocationis, vt literaturæ ſtudium in Anglia ſopitum, & pene emortuum ſua ſuſcitaret induſtria. Schephtonienſe etiam monaſterium ſanctimonialibus compleuit, vbi & Abbatiſſam filiam ſuam *Elſginam* inſtituit. habebat ex ſancto *Devvi Aſſerionem* quendam ſcientia non ignobili

bili inſtructũ, quem Schireburniæ fecit Epiſcopum. Hic ſenſum librorum *Boætii* de conſolatione Philoſophiæ planioribus verbis enodauit, quos ipſe rex in Anglicam linguam conuertit. Præterea quia nullus in ſuo regno literarum erat peritus; euocauit ex Mercia *Wicciorum* epiſcopum *Werefrichum*, qui iuſſu regis dialogorum *Gregorii* libros, in Anglicum ſermonem conuertit. Hoc tempore creditur fuiſſe *Iohannes Scotus*, vir perſpicacis ingenii, & multæ facundiæ, qui dudum concrepantibus vndique bellorum fragoribus, in Franciam ad *Carolum Caluum* tranſierat, cuius rogatu Ierarchiam *Dionyſii Areopagitæ* in Latinum de Græco verbum è verbo tranſtulit; compoſuit etiam librum quem περὶ φύσεων μερισμοῦ, id eſt, de Naturæ diuiſione intitulauit, propter perplexitatem neceſſariarum quæſtionum ſoluendam bene vtilem; ſi tamen ignoſcatur ei in aliquibus, in quibus à Latinorum tramite deuiauit, dum in Græcos acriter oculos intendit. Succedentibus annis munificentia *Alfredi* allectus venit in Angliam, & apud monaſterium noſtrum a pueris quos docebat graphiis vt fertur perforatus, etiam Martyr æſtimatus eſt, quod ſub ambiguo ad iniuriam ſanctæ animæ non dixerim; cum celebrem eius memoriam ſepulchrum in ſiniſtro latere altaris, & Epitaphii prodāt verſus, ſcabri quidem & moderni temporis lima carentes, ſed ab antiquo non adeo deformes.

Clauditur hoc tumulo ſanctus, Sophiſta Iohannes,
Qui ditatus erat iam viuens dogmate miro,
Martyrio tandem Chriſti conſcendere regnum,
Quo, meruit, ſancti regnant per ſecula cuncti.

His collateralibus rex fretus liberales artes totis medullis indidit in tantum vt nullus Anglorum fuerit vel intelligendo acutior, vel interpretando elegantior; Quod eo magis erat mirum quia iam duodennis omnis literaturæ expers fuit. Tunc vero ludo benignæ matris inuitatus, vt pro munere libellum quem in manibus tenebat, acciperet, ſi cito addiſceret, ioco literas ingreſſus, auiditate ſiticuloſa combibit. Denique plurimam partem Romanæ Bibliothecæ Anglorum auribus dedit, opimam prædam peregrinarum mercium ciuium vſibus conuectās; cuius præcipui ſunt libri *Oroſius*, Paſtorale *Gregorij*, geſta Anglorum *Bedæ*, *Boætius* de conſolatione Philoſophiæ, liber proprius quem patria lingua *handboc*, id eſt, manualem librum appellauit. Quin & prouincialibus grandem amorem ſtudiorum infudit, hos præmiis, illos iniuriis hortando: neminem illiteratum ad quamlibet curiæ dignitatem aſpirare permittens. Pſalterium transferre aggreſſus, vix prima parte explicata viuendi finem fecit. In prologo paſtoralis, dicit ſe idcirco ad interpretandos Angliæ libros animatum, quod eccleſiæ in quibus numeroſæ à priſco Bibliothecæ continebantur, cum libris à Danis incenſæ ſint; propterea in tota inſula ſtudium literarum abolitum, quod quiſque magis vereretur capitis periculum, quam ſequeretur librorum exercitium. Quapropter ſe in hoc Anglis ſuis conſulere vt nunc prælibarent tumultuarie, quod poſtea ſi forte pax rediret Latino ediſcerent ſermone. Ad omnes principales ſedes librum hunc ſuo iuſſu conſcriptum ſe velle tranſmittere, cum pugillari aureo in quo eſſet manca auri, nihil in iſta vel aliis interpretationibus ex ſuo dicere, ſed omnia à ſpectabilibus viris * *Pleigmundo* Archiepiſc. Cantuarienſi, *Aſſerione* Epiſcopo, *Grimbaldo* & *Iohanne* presbyteris hauſiſſe. Poſtremo vt omnem vitam eius breuiter elucidem, viginti quatuor horas, quæ inter diem & noctem iugiter rotantur, ita diuidebat, vt octo horas in ſcribendo, & legendo, & orando, octo in cura corporis, octo in expediendo regni negotio tranſigeret. Erat in capella ſua candela viginti quatuor partium, æditiuuſque, cui hæc delegabatur prouincia, vt per combuſtionē, candelæ regem de ſingulis admoneret officiis; dimidiam portionem omnium cenſuum iuſte duntaxat adquiſitorum monaſteriis delegauit; cunctos præterea redditus in æquas duas partes diuidebat. Rurſuſque primam in tres, quarum primam miniſtris ſuis curialibus, ſecundam operatoribus, quos iugiter in nouarum ædium exſtructionibus, mirabili & ignoto Anglis modo habebat; tertiam aduenis. Secunda pars redditūum ita diuidebatur, vt prima portio daretur pauperibus regionis ſuæ, ſecunda monaſteriis, tertia ſcholaſticis, quarta tranſmarinis eccleſiis. Iudiciorum à ſuis hominibus factorum inquiſitor, perperam actorum aſperrimus corrector Illud inſolitum, & inauditum, quod ſemper ſinu geſtabat libellum, in quo diurni curſus Pſalmi continebantur, vt ſi quando vacaret, arriperet, & vigilanti oculo percurreret. Ita vitam egit magna cum finitimis gratia; & *Baldwino* Comiti Flandriæ *Ethelſwida* filia data in coniugium, ex qua ille *Ernulphum* genuit & *Adulphum*. Iſte à patre comitatū Bononiæ accepit, ex altero ſunt hodie Comites Flandriæ.

al. Pleimundo.

Elfredus naturæ functus munere ſepultus eſt Wintoniæ in monaſterio ſuo. Ad cuius officinas inſtruēdas, *Edwardus* filius eius ſufficiēs ſpaciū terræ ab epiſcopo & canonicis

tunc temporis nundinatus, ad vnumquenq; pedem mancam auri publico pondere penſitauit. Stupenda profectò regis abſtinentia, vt tanta ſe pateretur emungi pecunia, nolens ſcilicet de rapina pauperum offerre Deo ſacrificium. Et erant ambæ Eccleſiæ ſic vicinæ parietibus contiguis, vt voces cantantium aliæ obſtreperent aliis. Vnde cum propter hoc tum propter cætera plurimas infœlix liuor effodiebat cauſas, quibus non modicas inuicem exſculperent offenſas. Quapropter nuper illud cœnobium extra vrbem translatum ſanius incolitur, liberius inſignitur. Aiunt *Alfredum* prius in epiſcopatu ſepultum, quod ſuum monaſterium eſſet imperfectum, moxq; pro deliramento canonicorum dicentium regios manes reſumpto cadauere noctibus per domos oberrare, filium ſucceſſorem *Edvvardum* genitoris tuliſſe exuuias, & in nouo monaſterio quieta ſede compoſuiſſe. Has ſane nænias ſicut cæteras, vt credant nequam hominis cadauer poſt mortem dæmone agente diſcurrere Angli pene innata credulitate tenent, à gentilibus nimirum mutuantes, ſicut ait *Virgilius*.

Morte obita quales fama eſt volitare figuras.

DE EDVVARDO FILIO AELFREDI.

CAP. V.

ANNO Dominicæ incarnationis nongenteſimo primo regnum obtinuit *Edvvardus*, filius *Alfredi*, & tenuit viginti tribus annis; literarum ſcientia multum inferior patre, ſed regni poteſtate incomparabiliter glorioſior. Siquidem ille duo regna Merciorũ, & Weſt-Saxonũ coniunxerat, Merciorũ nomine tenus, quippe cõmendatũ duci *Ethelredo* tenẽs. Iſte primũ mortuo *Ethelredo*, Mercios omnifariã, mox Occidentales, & Orientales Anglos, & Northanimbros, qui cũ Danis iam in vnam gentẽ coaluerant, & Scottos, qui Aquilonalem inſulæ partẽ inhabitant, Brittones omnes, quos nos Wallenſes dicimus bellis profligatos, ſuæ ditioni ſubegit: nec vnquã in aliqua pugna humiliorem manum habuit. Inuenit ingenium, quo excurſus falleret Danorum. Vrbibus enim multis per loca opportuna, vel veterib. reparatis, vel nouis excogitatis, repleuit eas manu militari, quæ incolas protegeret, hoſtes repelleret. Nec fruſtra, adeo virtutes prouincialium in præliis occaluerant, vt ſi audirent inimicos aduentantes, rege etiam & ducibus inconſultis in certamen ruerent; eiſq; ſemper numero, & ſcientia præliandi præſtarent. Ita hoſtes contemptui militibus, regi riſui erant. Deniq; noui qui ductu cuiuſdam *Ethelvvoldi* filii patrui regis aduenerant, omnes ad vnum cum eo interfecti, veteres vel perempti, vel ſub nomine Anglorum reſeruati. *Aethelvvoldus* ſane primis diebus huius regis multa molitus eſt, eiuſque dominium dedignabatur aſſerens, ſe non inferiorem vel genere, vel virtute: ſed a proceribus, qui fide obſtricti fuerant, in exilium truſus piratas adduxerat; Cum quibus, vt dixi, cæſus, fecit documentum, ſtultum eſſe contra potentiores recalcitrare. De his licet merito *Edvvardus* laudetur, palma tamen potiſſimum debetur patri per meum arbitrium, qui tantæ potentiæ fecit auſpicium. Inter hæc non prætermittatur ſoror regis *Ethelfleda Ethelredi* relicta, non mediocre momentum partium, fauor ciuium, pauor hoſtium, immodici cordis fœmina, quæ pro experta primi partus difficultate, perpetuo viri horruit complexum, proteſtans, non conuenire regis filiæ, vt illi ſe voluptati innecteret, quam tale incõmodum poſt tempus vrgeret. Virago potentiſſima multum fratrem iuuare conſiliis, in vrbibus extruendis non minus valere, non diſcernas potiore fortuna, an virtute; vt mulier viros domeſticos protegeret, alienos terreret. Deceſſit ante germanum quinquennio, ſepultaq; eſt in monaſterio ſancti *Petri* Gloceſtriæ, quod ipſa cum viro *Ethelredo* ingenti cura extruxerat: eoq; oſſa beati *Oſvvaldi* regis, ex Bardenia tranſtulerat; ſed illo, tempore ſequenti Danorum deſtructo, aliud, quod nunc in eadem ciuitate præcipuum habetur, *Aldredus* Archiepiſcopus Eboracenſis inſtaurauit.

Rex quia filias multas habebat, dedit *Edgitham Carolo* regi Francorum filio *Ludouici Balbi* filii *Caroli Calui*, cuius filiam, vt dixi ſæpe, *Ethelvvlphus* rex Roma rediẽs acceperat: & quia ſe occaſio ingeſſit, vxores eius, & liberos nominatim proſequi non indignum ducet benignus auditor. Primogenitum *Ethelſtanum* habuit ex *Egvvina* illuſtri fœmina, & filiam cuius nomen ſcriptum non in promptu habeo. Hanc ipſe frater *Sithrico* Northanimbrorum regi nuptum dedit. Secundus filius *Edvvardi* fuit *Ethelvvardus* ex *Elfleda* filia Comitis* *Ethelini*, literis apprime inſtitutus, multumq; *Elfredum* auum vultu & moribus præferens, ſed cito poſt genitorem morte ſubtractus. Ex eadem vxore habuit *Edvvinum*, cuius interitus quæ opinio ſit, poſterius non conſtanter ſed titubanter efferam. Tulit quoque ex

*al. Efelini.

ea ſex

ea ſex filias *Edfledam, Edgiuam Ethelhildam, Ethildam, Edgitham, Elgiſam*, prima & tertia cœlibatum Deo vouentes, *Elfleda* in ſacrato, *Ethelhilda* in laico tegmine terrenarum nuptiarum voluptatem faſtidiere. Iacent ambæ Wintoniæ iuxta matrem tumulatæ. *Edgiuam* dedit pater *Carolo* regi, vt dixi; *Ethildam* frater *Ethelſtanus Hugoni*, *Egditham & Elgiſam* idem germanus miſit *Henrico* Alemannorum imperatori, quarum ſecundam *Othoni* filio ille locauit, alteram cuidam duci iuxta Alpes. Suſcepit etiam ex tertia vxore *Edgiua* nomine, filios duos *Edmundum* & *Edredum* qui ambo poſt *Ethelſtanum* regnauerunt: filias duas *Eadburgam* & *Edgiuam*. *Eadburga* ſacrata Chriſto virgo Wintoniæ quieſcit. *Edgiuam* ſpecioſitatis eximiæ mulierem, coniunxit frater *Athelſtanus Ludouico* Aquitanorum principi. Filias ſuas ita inſtituerat, vt literis omnes in infantia maxime vacarent, mox etiam colum & acum exercere conſueſcerent; vt his artibus pudice impubem virginitatem tranſigerent; filios ita, vt primum eruditio plena literarum in eos conflueret, & deinde quaſi Philoſophi ad gubernandam rempublicam, non iam rudes procederent.

At vero *Carolus* iſte gener *Edwardi*, multis calamitatibus a *Rollone* coactus, partem illi Galliæ, quæ nunc Normannia vocatur, conceſſit. Longum eſt proſequi, quot annis, & quanta audacia omnia inquietauerint Normanni, ab Occeano Brittannico (vt ante memoraui) vſque ad Tyrrhenum mare. Primo *Haſteng*, mox *Rollo*, qui nobili, ſed per vetuſtatem obſoleta, proſapia Noricorum ortus, regis præcepto patria carens, multos quos vel æs alienum, vel conſcientia ſcelerum exagitabat, magnis ſpebus ſollicitatos ſecum abduxit. Itaque piraticam aggreſſus, cum vbique libera ſpatiaretur inſania, apud Carnothum hæſit. Siquidem ciues nec armis nec muris confiſi, beatæ dominæ *Mariæ* ſuffragium adorant. Camiſiam quoque eiuſdem virginis, quam *Carolus Caluus* cum aliis reliquiis à Conſtantinopoli aduexerat, in modum vexilli ſuper propugnacula cuſtodum trita pectoribus ventis exponunt; hoſtes viſam ridere, & in eam per inane ſagittas dirigere. non impune. Nam mox oculis obnubilatis, nec retro regredi, nec ante tendere valuere. Quod oppidani lætis animis conſpicati multa eorum cæde, quantum fortuna aſpirabat, gaudium ſuum ſatiarunt. Euaſit tamen *Rollo*, quem fidei ſuæ Deus reſeruabat. Nec multo poſt Rothomagum & confines vrbes armis obtinuit, Anno Domini octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, anno vno ante obitum *Caroli Calui*, cuius filii filius *Ludouicus*, vt ſupradictum eſt, Normannos vicit quidem, ſed non expulit. At vero *Carolus* frater iſtius *Ludouici*, nepos *Caroli Calui* ex filio *Ludouico*, vt prius tetigi, multotiens aduerſis bellis expertus, nihil ſibi fortunam reſtituere, quod aliis abſtuliſſet: cum magnatibus librato conſilio bonum eſſe liberalitatem oſtentare regiam, cum non poſſet propulſare iniuriam, *Rollonem* pacifice accerſiuit. Erat ille iam grandæuus, & ideo facile ad concordiam inclinatus eſt. Ita fœdus ictum eſt, vt Baptiſma ſuſciperet, & terram illam de rege ſicut de domino ſuo cognoſceret. Vbi conſiderari potuit ingenita, & effrænis viri barbaries, ſiquidem cum dono conceſſo aſtantes ſuggererent, vt pedem largitoris oſcularetur; dedignatus genubus aduolui, apprehenſum regis pedem, ad os ſuum ſtans attraxit. Illo reſupinato ſecutus riſus Normannorum, Francis reprehendentibus factum, excuſat *Rollo* impudentiam, allegans prouinciæ ſuæ morem; ita rebus compoſitis Rothomagum rediit, ibique diem clauſit.

Filius huius *Caroli* fuit *Ludouicus*, is a quodam *Iſembardo*, qui ad Paganiſmũ verſus, fidem luſerat, irritatus, proceres ſuos de ſuffragio cõuenit; quibus nec reſponſum referentibus, *Hugo* quidam non magni nominis tyro filius *Rodberti* comitis Montis Deſiderii, vltro pro domino duellũ expetiit, & prouocatorem interemit. *Ludouicus* cũ toto exercitu apud Põtinũ ſubſecutus, omnib. barbaris, quos ille adduxerat, vel occiſis vel elapſis opimã laureã obtinuit. Sed non multo poſt, pro labore illius expeditionis extrema valetudine debilitatus, hæredem regni *Hugonem* illum inſtituit, prædicandę fidei & virtutis iuuenem. Ita proſapia *Caroli magni* in illo ceſſauit, ſeu quod vxor eius ſterilis fuerat, ſeu quod pro breuitate vitæ abſq; prole deceſſerat. *Hugo* alteram filiam *Edwardi* duxit vxorem, & genuit *Rodbertum*, *Rodbertus Henricum*, *Henricus Philippum*, *Philippus Ludouicum*, qui nunc in Francia regnat. Sed vt ad noſtrum *Eadwardum* reuertar, quid eius tempore de renouãdis epiſcopatibus à Papa *Formoſo* præceptum ſit, iocundum puto memoratu: itaq; verbis eiſdem, quib. inueni ſcripta interſeram.

Anno, quo a natiuitate Domini tranſacti ſunt anni nongenti quatuor, miſit Papa *Formoſus* in Angliam epiſtolas, quibus dabat excommunicationem, & maledictionem regi *Edwardo*, & omnibus ſubiectis eius, pro benedictione, quam dederat beatus *Gregorius* genti Anglorum a ſede Sancti *Petri*. Nam per ſeptem annos plenos deſtituta fuerat Epiſcopis omnis regio Geuiſorum, id eſt, Weſt-Saxonum. Quo audito, congregauit rex

Edwardus ſynodum Senatorum gentis Anglorum, cui præſidebat *Pleimundus* Archiepiſcopus Cantuarienſis interpretans diſtricte verba Apoſtolicæ legationis. Tunc rex & Epiſcopi elegere ſibi ſuiſq; ſalubre conſilium, & iuxta vocem Dominicam, (Meſſis quidem multa, operarii autem pauci) elegerunt, & conſtituerunt ſingulos Epiſcopos ſingulis prouinciis Geuiſorum, & quod olim duo habuerunt, in quinq; diuiſerunt. Acto conſilio, Archiepiſcopus Romam cum honorificis muneribus adiit, Papam cum magna humilitate placauit, decretum regis recitauit, quod Apoſtolico maxime placuit. Rediens in patriam in vrbe Cantuariæ vno die ſeptem Epiſcopos ſeptem Eccleſiis ordinauit; * *Fridestanum* ad Eccleſiam Wintonienſem, *Adelſtanum*, ad Cornubienſem, *Werſtanum* ad Schirebornēſem, *Athelelmum* ad Wellenſem, *Eidulfum* ad Cridienſem in Deuonia.

al. Frethelſtanum.

Sed & aliis prouinciis conſtituit duos Epiſcopos Auſtralibus Saxonib. virum idoneum *Bernegum*, & Merciis *Cenulphum*, ad ciuitatem *Dorceſtriæ* in pago Oxoniæ: hoc etiam totum Papa firmauit, vt damnaretur in perpetuum, qui hoc infirmaret decretum.

Edwardus vniuerſæ carnis viam ingreſſus, quieſcit in eodem monaſterio quo pater, quod ipſe quoque magnis redditibus ampliauerat, in quo & ante quadriennium fratrem *Aethelwardum* ſepelierat.

DE AETHELSTANO FILIO EDVVARDI.

CAP. VI.

ANNO Dominicæ Incarnationis, nongenteſimo viceſimo quarto, *Aethelſtanus* filius *Edwardi* regnare cœpit, tenuitq; regnum annis ſexdecim. Frater eius * *Ethelwardus* paucis diebus poſt patrem vita decedens, ſepulturam cum eodem Wintoniæ meruerat. Itaque magno conſenſu optimatum, ibidem *Aethelſtanus* electus, apud regiam villam, quæ vocatur Kingſton coronatus; quamuis quidam *Alfredus* cum factioſis ſuis (quia ſeditio ſemper inuenit complices) obuiare tentaſſet, cuius qui fuerit finis poſterius verbis ipſius regis referemus. Occaſio contradictionis, vt ferunt, quod *Aethelſtanus* ex concubina natus eſſet. Sed ipſe præter hanc notam (ſi tamen vera eſt) nihil ignobile habens, omnes anteceſſores deuotione mentis, omnes eorum adoreas triumphorum ſuorum ſplēdore obſcurauit. Adeo præſtat ex te, quam ex maioribus habere quo polleas, quia illud tuum, iſtud reputabitur alienum. Noua monaſteria quot, & quanta fecerit, ſcribere diſſimulo. Illud non tranſiliam, quod vix aliquod in Anglia vetuſtum fuerit, quod non vel ædificiis, vel ornamentis, vel libris, aut prædiis decorauerit. Ita recentia ex profeſſo, vetuſta quaſi aliud agens artifici benignitate inſignibat. Cum *Sithrico* rege Northanimbrorum, data ei in matrimonium, vt prælocutus ſum, vna ex ſororibus, victurum fœdus percuſſit, quo poſt annum mortuo, prouinciam illam ſibi ſubegit, expulſo quodam *Aldulpho*, qui rebellabat. Et quia nobilis animus ſemel incitatus, in ampliora conatur, *Ludwalum* regem omnium Wallenſium, & *Conſtantinum* regem Scottorum cedere regnis compulit. Quos tamen non multo poſt, miſeratione infractus in antiquum ſtatum ſub ſe regnaturos conſtituit, glorioſius eſſe pronuncians regem facere quam regem eſſe. Poſtremum illi bellum cum *Analauo* fuit *Sithrici* filio, qui ſpe inuadendi regni, cum ſupradicto *Conſtantino* iterum rebellante, terminos tranſierat. Et *Aethelſtano* ex conſulto cedente, vt glorioſius iam inſultantem vinceret; multum in Angliam proceſſerat iuuenis audaciſſimus & illicita ſpirans animo, cui tandem magnis artibus ducum, magnis viribus militum apud * Bruneford occurſum. Ille, qui tantum periculum imminere cerneret, aſtu exploratoris munus aggreſſus, depoſitis regiis inſignibus, aſſumptaque manu cithara, ad tentorium regis noſtri progreditur: vbi cum præ foribus cantitans, interdum quoque quateret dulci reſonantia fila tumultu, facile admiſſus eſt, profeſſus mimum, qui huiuſmodi arte ſtipem quotidianam mercaretur. Regem & conuiuas muſico acroamate aliquantiſper deliniuit, cum inter pſallendum omnia oculis ſcrutaretur. Poſtquam ſatietas edendi finem deliciis impoſuiſſet; & ſeueritas adminiſtrandi belli, in colloquio procerum recrudeſceret, iuſſus abire precium cantus accepit.* Quod aſportare nauſeans ſub ſe in terram defodit. Notatum id à quodam, qui olim militaſſet & confeſtim *Aethelſtano* dictum eſt. Ipſe hominem incuſans eo quod hoſtem præ oculis poſitum non prodidiſſet, hoc reſponſum accepit, Idem Sacramentum quod tibi nuper, O rex feci, quondam *Analauo* dedi, quod ſi in ipſo me vidiſſes violare, de te quoque poſſes exemplum ſimile cauere. Sed dignare famuli audire conſiliū, vt hinc tentoriū amoueas, alioq; loco, vſq; dū partes relictæ veniēt, manens, inimicum petulanter inſultantem modeſta cunctatione frangas. Dicto probato, diſceſ-

al. Elwardus.

al. Breneweild.

diſceſſum eſt illinc.* *Analauus* nocte paratus Epiſcopum quendam, qui veſpere ad exercitum venerat, neſciuſq; rerum geſtarum, pro viridantis campi * æquore, ibi tabernaculum tetenderat, cum tota familia cecidit. Tum vltra progrediēs regem ipſum imparatum offendit, quippe qui nihil tale hoſtem auſurum timens largæ quieti indulſerat. Sed cum tanto fremitu ſtratis excuſſus, ſuos quantum per id noctis poterat, ad bellum acueret, gladius eius fortuitò vagina excidit. Quocirca cum omnia formidinis & cæci tumultus plena eſſent, inclamato Deo & ſancto *Aldelmo*, (erat enim ei ex antiquis progenitoribus conſanguineus) reductaq; ad vaginam manu, inuenit enſem, qui hodieq; pro miraculo in theſauro regum ſeruatur. Et ſane (vt aiunt,) vna parte ſectilis, nec vnquam auri vel argenti receptibilis. Hoc dono Dei fretus, ſimulq; quia dies illuceſcebat Noricum adorſus tota die vſque ad veſperam indefeſſus fugauit cum exercitu ; cecidit ibi rex Scottorum *Conſtantinus*, perfidæ animoſitatis & viuacis ſenectæ homo, aliiq; reges quinque, Comites duodecim, omniſq; pene Barbarorum cōgeries, pauci qui euaſerant, pro fide Chriſti ſuſcipienda conſeruati.

al. Analafus.
al. planitie.

De hoc rege nō inualida apud Anglos fama ſeritur, quod nemo * legalius, vel literatius rempublicam adminiſtrauerit. Quanquam literas illum ſciſſe, pauci admodum dies ſunt, quod didicerim in quodam ſane volumine vetuſto, in quo ſcriptor cum difficultate materiæ luctabatur, iudicium animi ſui non valens pro voto proferre. Cuius hic verba pro compendio ſubiicerem, niſi quod vltra opinionem in laudibus principis vagatur, eo dicendi genere, quod ſuffultum rex facundiæ Romanæ *Tullius* in Rhetoricis appellat. Eloquium excuſat conſuetudo illius temporis, laudum nimietatem adornauit fauor *Aethelſtani* adhuc viuentis. Pauca igitur familiari ſtylo ſubnectam, quæ videantur aliquod conferre emolumentum ad dignitatis eius documentum.

al. valldius.

Rex *Eadwardus* poſt multa & in bello, & in toga nobiliter cōſummata, paucis ante obitum diebus, vrbem legionum fiducia Brittonum rebellantem, à cōtumacia compeſcuit. Ibiq; præſidio militum impoſito apud Ferendunam villam tactus valetudine vitam præſentem exuit; & Wintoniæ vt prædixi humatus eſt. Tunc iuſſu patris in teſtamento, *Aethelſtanus* in regem acclamatus eſt, quem iam tricennalis ætas & ſapientię maturitas commendabant. Nam & auus *Alfredus* proſperum ei regnum olim imprecatus fuerat, videns & gratioſe complexus ſpeciei ſpectatæ puerum & geſtuum elegātium; quem etiam præmature militem fecerat, donatum chlamyde coccinea, gemmato baltheo, enſe Saxonico cum vagina aurea. Poſt hæc in curia *Ethelſledæ* filiæ & generi *Ethelredi* educandum curauerat, vt multo ſtudio amitæ, & præclariſſimi ducis ad omen regni altus, gloria virtutum, calcauit & preſſit inuidiam, poſt mortem patris & interitū fratris in regem apud Kingſton coronatus eſt. Vnde pro tantorum ſucceſſuum gloria, & illius diei lætitia, (non iniuria) verſificus exclamat.

Regia progenies produxit nobile ſtemma
Cum tenebris noſtris illuxit ſplendida gemma,
Magnus Aethelſtanus *patriæ decus, orbita recti,*
Illuſtris probitas de vero neſcia flecti.
Ad patris edictum datus in documenta ſcholarum,
Extimuit rigidos ferula crepitante magiſtros:
Et potans auidis doctrinæ mella medullis,
Decurrit teneros, ſed non pueriliter annos.
Mox adoleſcentis veſtitus flore iuuentæ,
Armorum ſtudium tractabat, patre iubente.
Sed nec in hoc ſegnem ſenſerunt bellica iura:
*Id quoq; poſterius * iurauit publica cura.* *al. cognouit.*
Functus erat fato pater omni præcluus æuo,
Perpetua fama victurus ſecula cuncta;
Tunc iuuenis nomen regno clamatur in omen,
Vt fauſto patrias titulo moderetur habenas;
Conueniunt proceres & componunt diadema,
Pontifices pariter dant infidis anathema,
Emicat in populis ſolito feſtiuior ignis,
Et produnt variis animi penetralia ſignis.
Ardet quiſq; ſuum regi monſtrare fauorem;
Hic timet, hic ſperat, pellit ſpes ampla timorem,

Feruet & exundat, regali regia luxu,
Spumat vbiq; merum, fremit ingens aula tumultu,
Diſcurrunt pueri, celerant iniuncta miniſtri;
Deliciis ventres cumulantur carmine mentes,
Ille ſtrepis cithara, decertat plauſibus iſte,
In communne ſonat, tibi laus, tibi gloria Chriſte.
Rex non inuitus, oculis hunc haurit honorem,
Omnibus indulgens, proprium dignatur amorem

Tranſacta conſecrationis celebritate, *Adelſtanus*, ne ſpem ciuium falleret, & inferius opinione ſe ageret: omnem omnino Angliam ſolo nominis terrore ſubiugauit, præter ſolos Northanimbros. Nam præerat illis *Sihtricus* quidam, gente & animo barbarus, cognatus illius *Gurmundi*, de quo in geſtis *Alfredi* regis legitur, qui cum anteceſſorum regum potētiam, rugatis narib. deriſiſſet, huius affinitate vltro ſupplicib. nunciis expetiit: Ipſe quoq; feſtino pede ſubſequutus verba legatorum aſſeruit. Quare & ſororis copula, & multiplicibus xeniis muneratus, perpetui fœderis fundamenta iecit. Sed, vt prædictum recolo, poſt annum vita deturbatus, occaſionem *Ethelſtano* exhibuit, vt Northumbriam ſuę parti iungeret, quæ ſibi & antiquo iure, & noua neceſſitudine competeret. Fugit tunc *Analafus* filius *Sithrici* in Hyberniam, & frater eius *Godefridus* in Scotiam; ſubſecuti ſunt è veſtigio regales miſſi ad *Conſtantinum* regem Scottorum, & *Eugenium* regem Cumbrorum, tranſfugam cum denunciatione belli repetentes. Nec fuit animus Barbaris, vt contra obmutirent, quin potius ſine retractione, ad locum, qui *Dacor* vocatur, venientes, ſe cum ſuis regnis Anglorum regi dedidere. In cuius pacti gratiam filium *Conſtantini* baptizari iuſſum, ipſe de ſacro fonte ſuſcepit. Euaſit tamen *Godefridus*, inter apparatus itinerantium fuga cum quodam *Turfrido* diuerſarum partium dulce lapſus: moxq; Eboracum obſidens, oppidanoſq; nunc precibus, nunc minis ad deditionem ſollicitans, & neutrum pro voto expediens, abſceſſit. Nec multo poſt in quodam caſtro ambo concluſi, cuſtodientium perſpicaciam fugiendo luſerunt. Quorum *Turfridus* mature diem obiit in pelago naufragus, præda piſcibus expoſitus. *Godefridus* multis miſeriis terra mariq; iactatus, ad poſtremum ſupplex ad curiam venit. Ibi pacifice ſuſceptus à rege, quatuorq; diebus profuſiſſime cum eo conuiuatus naues ſuas repetiit, pirata vetus, & in aqua ſicut piſcis viuere aſſuetus. *Adelſtanus* interea caſtrum, quod olim Dani in Eboraco obfirmauerant, ad ſolum diruit, ne eſſet, quo ſe tutari perfidia poſſet: pręda quæ in caſtro reperta fuerat, & ea quidem ampliſſima, magnifice & viritim diuiſa eſt. Hoc enim vir ille animo imperauerat ſuo, vt nihil opum ad crumenas corraderet; ſed omnia cōquiſita, vel monaſteriis, vel fidelibus ſuis munificus expenderet. In hoc enim theſauros paternos, in hoc victoriarum ſuarum titulos tota vita euacuabat. Deo famulantibus pronus & dulcis, laicis iocundus, & comes, magnatibus pro contuitu maieſtatis ſerius, minoribus pro condeſcenſione pietatis, depoſito ręgni ſupercilio, affabiliter ſobrius. Statura vt accepimus, quæ iuſtam non excelleret, corpore deducto, capillo, vt ipſi ex reliquiis eius vidimus, flauo, filis aureis pulchre intorto. Ciuibus admiratione fortitudinis & humilitatis percharus, rebellibus inuicta conſtantia fulmineus, North-Wallenſium, id eſt, Brittonum Aquilonalium regulos apud Herefordenſium vrbem coegit occurrere, & aliquandiu calcitrantes in deditionem tranſire. Ita quod nullus ante eum rex vel cogitare præſumpſerat, ipſe in effectum formauit, vt ei homine vectigalis annuatim viginti libras auri trecentas argenti penderent, boues 25. millia annumerarent. Præterea quot liberet canes, qui odoriſequa nare ſpelæa ferarum & diuerticula deprehenderent, volucreſq; quæ aliarum auium prædam per inane venari noſcerent. Inde digreſſus in Occidentales Brittones ſe conuertit, qui Cornewallenſes vocantur, quod in Occidente Brittanniæ ſiti, cornu Galliæ ex obliquo reſpiciunt. Illos quoque impigre adorſus, ab Exceſtra, quam ad id temporis æquo cum Anglis iure inhabitarant, cedere compulit, terminum prouinciæ ſuæ citra Tambram fluuium ſtatuens, ſicut Aquilonaribus Brittannis amnem Waiam limitem poſuerat. Vrbem igitur illam, quam contaminatæ gentis repurgio defæcauerat, turribus muniuit, muro ex quadratis lapidib. cinxit. Et licet ſolum illud ieiunum, & ſqualidum vix ſteriles auenas, & plærumque folliculum inanem ſine grano producat, tamen pro ciuitatis magnificentia, & incolarum opulentia, tum & aduenarum frequentia, omne ibi adeo abundat mercimonium, vt nihil fruſtra deſideres, quod humano vſui conducibile exiſtimes. Plurima eius inſignia tam in vrbe illa, quam in finitima Regione viſuntur; quæ melius indigenarum ore, quam noſtro ſtylo pingentur.

Propter

Propter hoc tota Europa laudes eius prædicabat, virtutem in cœlum ferebat, fœlices ſe reges alienigenæ non falſo putabant, ſi vel affinitate vel muneribus, eius amicitias mercarentur, *Haroldus* quidam Rex Noricorum miſit ei nauem, roſtra aurea & velum purpureum habentem, decenſa teſtudine clipeorum inauratorum intrinſecus circumgyratam. Miſſorum nomina fuerunt *Helgrim* & *Offrid*, qui regaliter in vrbe Eboraca ſuſcepti, ſudorem peregrinationis præmiis decentibus exterſere. *Henricus* primus filius *Conradi* (multi enim huius nominis fuere) Rex Teutonicorum & Imperator Romanorum ſororem eius vt ante dictum eſt, filio *Othoni* expoſtulauit, tot in circuitu regibus prætermiſſis, progeniei generoſitatem & animi magnitudinem in *Adelſtano* è longinquo conſpicatus. Adeo enim hæc duo in eo conſentiens habitaculum effecerant, vt nullus eſſet vel genere clarior, & illuſtrior, vel animo audacior, & efficacior. Quare perpenſo conſilio, quod quatuor ſorores haberet, in quibus præter ætatis diſcrimen nihil de formæ gratia diſſideret, duas poſtulanti Cæſari miſit, Quas ille quomodo nuptum locauerit, iam ſermo præoccupauit; tertiam legitima copula ſortitus eſt comparem *Ludouicus* Aquitanorum princeps, de genere *Caroli* magni ſuperſtes; quartam, in qua omne coagulum pulchritudinis, quod cæteræ pro parte habent, naturaliter confluxerat. *Hugo* rex Francorum per nuncios à germano expetiit. Princeps huiuſce legationis fuit *Adulphus*, filius *Baldewini* Comitis Flandriæ, ex filia regis *Edwardi Ethelſwitha*. Is cum in conuentu procerum apud Abandunam proci poſtulata expoſuiſſet, protulit munera ſane ampliſſima, & quæ cuiuslibet auariſſimi cupiditatem incunctanter explerent, odores Aromatum qualia nunquam in Anglia antea viſa fuerant; honores gemmarum præſertim *Smaragdorum*, in quorum viriditate ſol repercuſſus oculos aſtantium gratioſa luce animaret: Equos curſores plurimos, cum phaleris fuluum (vt *Maro* ait) mandentes ſub dentibus aurum; vas quoddam ex onichino ita ſubtili cælatoris arte, ſculptum, vt vere fluctuare ſegetes, vere germinare vites, vere moueri hominum imagines viderentur, ita lucidum & politum vt vice ſpeculi vultus intuentium æmularetur: Enſem *Conſtantini* magni in quo literis aureis nomen antiqui poſſeſſoris legebatur, in capulo quoque ſuper craſſas auri laminas clauum ferreum affixum cerneres, vnum ex quatuor quos Iudaica factio Dominici corporis aptarat ſupplicio: Lanceam *Caroli* magni, quam, Imperator inuictiſſimus contra Saracenos exercitum ducens, ſiquando in hoſtem vibrauerat, nunquam niſi victor abibat, ferebatur eadem eſſe quæ Dominico lateri centurionis manu impacta, precioſi vulneris hiatu paradiſum miſeris mortalib. aperuit: Vexillum beatiſſimi Martyris *Mauricii*, & *Thebææ* Legionis principis, quo idem Rex in bello Hiſpanico quamlibet infeſtos & confertos inimicorum cuneos diſrumpere, & in fugam ſolitus erat cogere: Diadema ex auro quidem multo, ſed magis gemmis precioſum, quarum ſplendor ita in intuentes faculas luminis iaculabatur, vt quanto quis certaret viſum intendere, tanto magis reuerberatus cogeretur cedere: Particulam ſanctæ & adorandæ crucis criſtallo incluſam, vbi ſoliditatem lapidis oculus penetrans poteſt diſcernere, qualis ſit lignis color, & quæ quantitas; portiunculam quoq; Coronæ ſpineæ eodem modo incluſam, quam ad deriſionem regni, militaris rabies ſacroſancto impoſuit capiti. His tantis & tam elaboratis donis magnificentiſſimus Rex gauiſus, non minoribus pene reſpondit beneficiis, quin & anhelantis animum nuptiis ſororis refecit; Et cæteris quidem ſucceſſores Reges dotauit; Partem vero Crucis & Coronæ Malmesburiæ delegauit, quorum ſuſtentaculo adhuc credo vigere locum illum tot libertatis naufragia, tot calumniatorum iniurias paſſum. Nam ibidem *Elwinum* & *Ethelwinum* filios patrui ſui *Ethelwardi*, quos in bello contra *Analafum* amiſerat, humari honorifice iuſſit, ſui quoque corporis requiem ibidem futuram denuntians: de quo bello tempus eſt, vt illius verſifici, de quo omnia hæc excerpſimus, ſententiam ponamus.

Tranſierat quinos & tres & quatuor annos,
Iure regens ciues, ſubigens virtute tyrannos:
Cum redit illa lues Europæ noxia labes.
Iam cubat in terris fera barbaries Aquilonis,
Iam iacet in campo pelago pirata relicto,
Illicitas toruasq; minas Analauus *anhelans*
Bacchanti furiæ Scottorum rege volente,
Commodat aſſenſum Borealis terra ſerenum,
Et iam grande tument, iam terrent æra verbis:
Cedunt indigenæ, cedit plaga tota ſuperbis.

Nam quia Rex noſter fidens alacriſq́; iuuenta,
Emeritus pridem detriuerat otia lenta,
Illi continuis fœdabant omnia prædis,
Vrgentes miſeros iniectis ignibus agros,
Marcuerant totis viridantia germina campis,
Ægra ſeges votum deriſerat agricolarum,
Tanta fuit peditum tam barbara vis equitantum,
Innumerabilium concurſus quadrupedantum.
Excivit tandem fama querimonia Regem,
Ne ſe cauterio tali pateretur inuri,
Quod ſua barbarica ceſſiſſent arma ſecuri.
Nec mora victrices ducentia ſigna cohortes,
Explicat in ventum vexilla ferocia centum,
Cruda virûm virtus decies bis millia quina,
Ad ſtadium belli comitantur prævia ſigna.
Hic ſtrepitus mouit prædatorum Legiones,
Terruit inſignis venientûm fama latrones,
Vt poſita præda proprias peterent regiones.
At vulgus reliquum miſeranda ſtrage peremptum,
Infecit bibulas tetris nidoribus auras,
Fugit Analafus *de tot modo millibus vnus,*
al. nobile. *Depoſitum mortis, fortunæ* mobile munus,*
Poſt Athelſtanum *rebus momenta daturus.*

Hic locus videtur exigere, vt initium *Elfredi*, de quo ſuperius fidem promiſſæ narrationis aſtrinxi, regis ſermonibus exponam. Nam quia Malmesburiam corpora cognatorum deferri, & ad caput ſepulchri ſancti *Aldelmi* tumulari iuſſerat; Ita locum illum coluit in poſterum, vt nihil deſiderabilius, nihil haberet ſanctius. Multa ibi largitus prædia chartis quoq; confirmauit, in quarum vna poſt donationem ſubiecit.

Sciant ſapientes regionis noſtræ non has præfatas terras me iniuſte rapuiſſe, rapinamq́; Deo dediſſe, ſed ſic eas accepi quemadmodum indicauerunt omnes optimates regni Anglorum, inſuper & Apoſtolicus Papa Romanæ Eccleſiæ Iohannes. Elfredo *defuncto, qui noſtræ felicitati, & vitæ æmulus extitit, nequitiæ inimicorum noſtrorum conſentiens, qui me voluerunt patre meo defuncto, cæcare in vrbe* W*intonia, ſi non me Deus ſua pietate eripuiſſet; ſed denudatis eorum machinamentis remiſſus eſt ad Romanam Eccleſiam, vt ibi ſe coram Apoſtolico* Iohanne *iureiurando defenderet. Et hoc fecit coram altare ſancti* Petri, *ſed facto iuramento cecidit coram altari, & manibus famulorum ſuorum portatus eſt ad ſcholam Anglorum, & ibi tertia nocte vitam finiuit. Et tunc Apoſtolicus ad nos remiſit, & quid de eo ageretur à nobis conſuluit: an cum cæteris Chriſtianis corpus eius poneretur. His peractis & nobis renũciatis, optimates regionis noſtræ, cum propinquorum illius turma efflagitabant omni humilitate, vt corpus illius per noſtram licentiam cum corporibus poneretur Chriſtianorum; Noſq́; illorum efflagitatione conſentientes Romam remiſimus, & conſentiente Papa poſitus eſt ad cæteros Chriſtianos, quamuis indignus. Et ſic indicata eſt mihi tota poſſeſſio eius in magnis & modicis. Sed & hæc apicibus prænotauimus literarum, ne quamdiu Chriſtianitas regnat, aboleatur. Vnde mihi præfata poſſeſſio, quam Deo & ſancto* Petro *dedi, donatur, nec iuſtius noui, quam Deo & ſancto* Petro *hanc poſſeſſionem dare, qui æmulum meum in conſpectu omnium cadere fecerunt, & mihi proſperitatem regni largiti ſunt.*

In his verbis Regis ſapientiam, & pietatem eius in Dei rebus ſuſpicere par eſt: Sapientiam; eo quod animaduerteret iuuenis præſertim, non eſſe Deo gratioſum de rapina holocauſtum; Pietatem; eo quod munus vltione diuina collatum, Deo potiſſimum non ingratus rependeret. Præterea datur animaduertendum, quod tũc baſilica ſancti *Petri* primaria in Cœnobio fuerit, quæ nunc in ſecundis habetur; Eccleſia beatę *Mariæ*, quam Monachi modo frequentant, poſtea diebus *Edgari* ſub Abbate *Elfrico* ædificata. Et hæc quidem fide integra de rege conſcripſi; ſequentia magis cantilenis per ſucceſſiones tẽporum detritis, quam libris ad inſtitutiones poſteriorum elucubratis didicerim. Quæ ideo appoſui non vt earum veritatem defendam, ſed ne lectorum ſcientiam defraudem. ac primum de natiuitate referendum.

Erat in quadam villa opilionis filia eleganti ſpecie puella, quæ quod non contuliſſent natales formæ mercabatur gratia: Huic per viſum monſtratur prodigium, lunam de ſuo ventre ſplendere, & hoc lumine totam Angliam illuſtrari. Quod cum mane detuliſſet ad ſodales ludo, ab illis non iocularitet exceptum confeſtim villicę aurib. quæ Regis

filios nutrire ſolebat, inſonuit. Illa rem examinans puellam intra lares ſuos receptam, filiæ loco habuit, cultioribus veſtimentis, cibis delicatioribus, geſtibus facetioribus, virgunculam informans; non multo poſt filius Regis *Aelfredi Edwardus*, itineris caſu per villam tranſiens, ad domum diuertit infantilium olim conſciam rudimentorum. Neque enim integrum famæ ſuæ rebatur, ſi nutricem ſuam ſalutare faſtidiret; vbi viſæ virginis amore captus, noctem petiit. Ipſa vno complexu grauidata cum peperiſſet filium *Aethelſtanum*, ſomnii fidem abſoluit. Nam cum ille pueritia mortua in adoleſcētiam euaderet, magnam ſpem regiæ indolis dabat, præclaris facinoribus approbatus. Itaq; Rege *Eadwardo* defuncto, filius eius *Elwardus* ex legitima coniuge creatus, patrem cita morte ſecutus eſt. Tunc omnium ſpebus in *Athelſtanum* erectis, ſolus *Aelfredus* magnæ inſolentiæ homo cum ſuis clam reſtitit, quoad potuit, dedignatus ſubdi Domino, quem ſuo non delegiſſet arbitrio. Quo, vt ſuperius rex retulit, prodito & * exanimato, fuere, qui fratrem Regis *Edwinum* inſidiarum inſimularent. Scelus horrendum & fœdum, quod ſedulitatem fraternam ſiniſtra interpretatione turbarent. *Edwinus* per ſe & per internuncios fidem germani implorans, & licet ſacramento delationem infirmans in exilium actus eſt. Tantum quorundam muſſitatio apud animum in multas curas diſtentum valuit, vt ephœbum etiam externis miſerandum, oblitus conſanguineæ neceſſitudinis expelleret; Inaudito ſane crudelitatis modo, vt ſolus cum Armigero nauem conſcendere iuberetur, ſine remige & remigio vacuam, præterea vetuſtate quaſſatam. Diu laborauit fortuna, vt inſontem terræ reſtitueret. Sed cum tandem in medio mari furorem ventorum vela non ſuſtinerent, ille adoleſcens delicatus & vitæ in talibus pertæſus, voluntario in aquas præcipitio mortem conſciuit. Armiger ſaniori conſilio paſſus animam producere, modo aduerſus fluctus eludendo, modo pedibus ſubremigando, domini corpus ad terram detulit anguſto ſcilicet à Douorria in Whitſand mari. *Athelſtanus* poſtquam ira deferbuit, animo ſedato factum exhorruit, ſeptenniq; pœnitentia accepta, in delatorem fratris animoſe vltus eſt. Erat ille pincerna Regis & per hoc ad perſuadenda, quæ excogitaſſet, accommodus. Ita eum forte die ſolenni vinum propinaret in medio triclinio vno pede lapſus altero ſe recollegit. Tūc occaſione accepta fatale ſibi verbum emiſit, *Sic frater fratrem adiuuat.* Quo rex audito perfidum obtruncari præcepit, ſæpius auxilium Germani, ſi viueret increpitans, & mortem ingemiſcens.

al. exanimato.

Hæc de fratris nece etſi veriſimilia videantur, eo minus corroboro quo mirabilem ſuæ pietatis diligentiam in reliquos fratres intenderet. Quos cum pater puerulos admodum reliquiſſet, ille paruos magna dulcedine fouit, & adultos Regni conſortes fecit. De ſororibus ſuis ſuperius lectum eſt, quanta maieſtate prouexerit, quas pater & innuptas & indotatas reliquerat. Vitæ termino expleto, & quidem immaturo *Athelſtanus* Gloceſtriȩ diem clauſit. Exuuiȩ triumphales Malmesburiam delatæ, & ſub altari tumulatȩ ſunt. Portatā ante corpus multa in argento & auro donaria, ſimul & ſanctorum reliquiæ de tranſmarina Brittannia emptæ. In talibus enim patris theſauros, quos ille, diu coaceruatos, & intactos reliquerat, conſumpſit; ſomnio, vt ferunt, admonitus, *Vir, qui parum ætati vixit, multum gloriæ.*

DE EADMVNDO EDREDO ET EDVVIO REGIBVS.

CAP. VII.

ANNO Dominicæ incarnationis 940. *Edmundus* frater *Athelſtani* adoleſcens 18. circiter annorum, tenuit regnum annis 6. & ſemis. Huius tempore Northanimbri rediuiua meditantes prælia, pactum, quod cum *Athelſtano* pepigerant, corrupere, & *Analafum* ab Hybernia reuocatum, ſtatuerūt Regem. At vero *Edmundus*, qui exiſtimaret iniurium, ſi non fraternæ victoriæ reliquias proſequeretur, copias contra deſertores ductitauit. Quibus mox loco cedentibus, omnes ciuitates citra Humbram fluuium ſuæ potentiæ redegit. *Analafus* cum quodam regulo *Reinaldo* filio illius *Gurmundi*, de quo in geſtis *Elfredi* tetigimus, animum regis tentans deditionem ſui obtulit; Chriſtianitatem fidei ſuæ obſidem proteſtans, & profeſſus. Sed non diu barbaricus animus in ſententia manſit, quin & ſacramentum læderet, & Dominum irritaret. Quapropter anno ſequenti pulſus perpetuo exilio pœnas luit. Prouincia, quæ vocatur Cumberland, regi Scottorum *Malcolmo*, ſub fidelitate iuriſiurandi commendata eſt. Inter ea beneficia, quæ diuerſis Eccleſiis contulit, miro affectu Glaſtonienſem Eccleſiam magnis prædiis & honoribus ſublimauit: & priuilegium in hæc verba conceſſit. *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti*, Ego Edmundus

rex Anglorum, cæterarumque gentium gubernator & rector, cum conſilio & conſenſu optimatum meorum, pro æternæ retributionis ſpe & relaxatione peccaminum meorum, concedo Eccleſiæ ſanctæ Dei genetricis Mariæ *Glaſtoniæ, & venerabili viro* Dunſtano, *quem ibidem Abbatem conſtitui, libertatem & poteſtatem, iura, conſuetudines & omnes forisfacturas omnium terrarum ſuarum, id eſt, Burhgeritha, & hundred ſeſena, athas, & ordelas, & infangetheofas, hamſone, & fridebrice, & forſtel, & toll, team, in omni regno meo, & ſint terræ ſuæ ſibi liberæ & ſolutæ ab omni calumnia, ſicuti meæ mihi habentur. Sed præcipue ipſa villa* Glaſtoniæ, *in qua celeberrima vetuſta Eccleſia ſanctæ Dei genetricis ſita eſt, præ cæteris ſit liberior cum terminis ſuis. Abbati eiuſdem tantummodo poteſtas ſit, tam in notis quam in ignotis cauſis, in modicis & in magnis, & in his etiam quæ ſunt ſuper & ſubter terram, in aridis & in riuis, in ſyluis & in planis, & eandem authoritatem puniendi & dimittendi delinquentium in ea commiſſa habeat, quam mea curia: quemadmodum mei anteceſſores conceſſerunt, & ſtatuendo confirmauerunt: videlicet* Edwardus *pater*
al. Elredus. *meus, & ** Elfredus *pater eius, &* Cenwines, Ines, *&* Cuthredus *& alii quamplures, qui locum illum honorantes glorioſum habuerunt. Et ne quiſquam mortalium ſeu Epiſcopus, vel Dux, aut Princeps, aut quilibet miniſtrorum eorum audeat eam omnino intrare cauſa placitandi, vel capiendi, vel quicquam faciendi, quod contrarium fore poſſit inibi Deo ſeruientibus; Dei indictione prohibeo. Quiſquis igitur beneuola mente meam donationem amplificare ſategerit, in hoc præſenti ſeculo vita illius proſpera, fæliciter, longiturne gaudia teneat. Si quis autem propria temeritate violenter inuadere præſumpſerit, ſciat ſe proculdubio ante tribunal diſtricti iudicis titubantem tremebundumq; rationem redditurum: niſi prius digna ſatisfactione emendare maluerit.* Acta eſt præfata donatio anno ab incarn. Dom. Ieſu Chriſti. 944. Indict. 1. ſcriptaq; eſt literis aureis in libro Euangeliorum, quem eidem Eccleſiæ obtulit eleganti opere ſatis compoſitum. Verum tantos & tam fælices ſucceſſus miſerandus decolorauit exitus. Siquidem latrunculus quidam *Leof*, quem propter latrocinia eliminauerat, poſt ſexennium regreſſus, in ſolemnitate Sancti *Auguſtini* Anglorum Apoſtoli Cantuariæ primi Archiepiſcopi inopinus
al. Purelecerne. apud * *Pulchreſecherche* inter conuiuas regios aſſedit; quo ſcilicet die Angli feſtiue ſolebãt obſonari, pro primi prædicatoris ſui memoria, & forte iuxta ducem recumbebat, quem Rex ipſe partibus de cœna dignatus fuerat. Id ab eo ſolo animaduerſum, cæteris in vina ſpumantibus; itaq; bili concitata, &, vt eum fata agebant, è menſa proſiliens, prædoni in capillos inuolat, & ad terram elidit; Ille latenter ſicam de vagina eductam in pectus regis ſuperiacentis quanto potuit conatu infixit. Quo vulnere exanimatus, fabulæ ianuã in omnẽ Angliam de interitu ſuo patefecit. Latro quoq; mox cõcurrentibus ſatellitib. membratim diſſectus, prius nonnullos ſauciauit. Præuiderat tam infamem finẽ beatus *Dunſtanus* tunc Glaſtonienſis Abbas, dæmonis ante ſe ſaltantis geſticulationibus & plauſibus edoctus ſcurrilibus. Quocirca equo concito curiam properans, in medio itinere geſtę rei nuncium accepit. Communi ergo decretum conſilio, & huius Glaſtoniam delatum corpus, ibiq; in Aquilonali parte turris magnifice humatũ. Id cũ voluiſſe pro familiari Abbatis amicitia per nõnulla claruerat indicia. data in inferias villa in qua occubuerat, vt quæ ſemel conſcia fuerat homicidii, ſemper in poſterũ pro anima eius eſſet adiutrix beneficii.

Huius anno quarto, anno Dominicæ incarnationis 954. *Willielmus* filius *Rollonis*, Dux Normannorum dolo in Francia occiſus eſt: quod non immerito factum maiores tradũt.
al. Riulfus. * *Riuulphus* ſiquidem vnus procerum Normanniæ in ſimultatem, neſcio qua de cauſa, veniens cum *Guilielmo* multis illum aſſultibus * afflixit. Militabat filius eius *Anſchetillus* Co-
al. infeſtabat. miti, qui, vt domino placeret, auſus eſt temerare naturam, vt patrem duello caperet, & in poteſtatem comitis traderet; maximo tamen Sacramẽto credulus, ne quicquam iniuriæ præter vincula pateretur. Sed ſicut ſemper nequitia cauſas malorum comminiſcitur, poſt non multum tempus afficta occaſione comes *Anſchetillum* in Papiam dirigit, Epiſtolam de ſua ipſius nece ad ducem Italiæ portantem. Ille permenſo itinere vrbem introiens, magnifice ſuſceptus eſt, porrectis literis dux, fraudem miratus diriguit: quod inſignis feſtiuitatis miles iuberetur interfici. Sed quia tantæ famæ Comiti reſultare non eſſet conſilium, *Anſchetillum* iam ciuitatem egreſſum excepit inſidiis mille, vt fertur equitum. Vbi ille cum ſociis, quos lectiſſimos ex omni Normannia adduxerat, diu violentiæ reſtitit, ſed tãdem mortem ſuam multis cæſis compenſans, non ignaue occubuit. Solus ex vtraque parte *Balſo* Normannus ſuperſtes, vir exigui corporis, ſed immanis fortitudinis, quamuis quidam per ironiam dicant eum curtum vocatum, ſolus inquam ciuitatem obſedit, ſolus gladio ſuo ciues, quoad viſum eſt, exterruit. Hoc incredibile non iudicabit, qui cogitabit, quantum conetur hominis audacis deſperatio, & quam parum valeant illi prouinciales in prælio. Inde repatrians querelam apud Regem Francorũ, de domini ſui perfidia depoſuit. Nam & *Riuulphum* fama ferebat in vinculis eſſe excæcatũ. Quare ad iudicium euocatus

Pariſius

Pariſiis & ab obuio ſibi *Balzone* ſub ſpecie colloquii obtruncatus, in medio, vt aiunt, Sequanæ perfidiæ ſuæ, & iræ illius ſatisfecit. Interitus eius diutinam inter Francos & Normannos diſcordiam peperit, donec per induſtriam *Richardi* filius ipſius, finem accepit virtute ſua dignum. Porro veraciores literæ dicunt, illum contractis inimicitiis cum *Ernulpho* Comite Flandriæ, vnum ex Caſtellis eius per uaſiſſe: à quo ſimulata voluntate fœderis ad colloquium euocatum, conſertoq; ſermone in naui per *Balzonem* obtruncatum: Clauem ad eius cingulum inuentam ſeræq; familiaris ſcrinii compoſitam, Monachilium indumentorum intus inuolutorum indicium feciſſe, quod ſemper inter bella meditaretur modo fore apud * *Guneſium*, quem locum à tempore *Haſtengi* deſertum, ipſe fructuoſis ſentibus eruderauerat, & ad hunc ſtatum, qui modo eſt, principali indulgentia erexerat. *al. Gimmegium.*

Anno Dominicæ incarnationis 946. *Edredus* tertius ex filiis *Edwardi* regnum ſuſcipiens, rexit annis 9. & dimidio. Eius magnanimitas à patre & fratribus non degenerans, hanc ſummam dedit Northanimbros, & Scottos facile ad Sacramentum ſuæ fidelitatis adactos, & mox fœdifragos quodam *Iricio* Rege ſuper ſe ſtatuto, pene ex hominibus deleuit, tota Prouincia fame ferroq; fœdata. Archiepiſcopum Eboraci *Wlſtanum*, qui compatriotis in transfugio conniuere diceretur, diu in vinculis tentum, poſtea clericalis reuerentiæ reſpectu, venia donatum laxauit. Ipſe interea Sanctorum pedibus accliuus Deo, & *Dunſtano* vitam deuouerat, cuius monitis tortiones crebras corporis patienter ferre, orationes continuare, prorſus palatium ſuum gymnaſium virtutum facere. Deceſſit magno luctu hominum, ſed gaudio Angelorum proſecutus, ſiquidem *Dunſtanus* nuncio ægrotantis audito, cum illuc ſonipedem calcaribus vrgeret, vocem deſuper tonantem audierit; Modo Rex *Eadredus* obdormiuit in Domino, requieſcit Wintoniæ in Epiſcopatu.

Anno Dominicæ incarnationis 955. *Edwius* filius *Eadmundi* fratris *Æthelſtani* ſuperioris Regis, regno potitus tenuit annis quatuor, petulans adoleſcens, & qui ſpecioſitate corporis in libidinibus abuteretur. Deniq; proxime cognatam inuadens vxorem eius forma deperibat, ſapientum conſilia faſtidiens. Ipſo quippe de quo in Regem ſacratus fuerat, frequentiſſimo conceſſu procerum, dum de rebus ſeriis & regno neceſſariis inter eos ageretur, è medio, quaſi ludibundus prorupit in triclinium & in complexum ganeæ deuolutus. Fremere omnes facti verecundiam, & inter ſe muſſitare; ſolus *Dunſtanus*, iuxta nominis ſui firmitatem, nihil regale ſupercilium veritus, laſciuientem iuuenem violenter de cubiculo extraxit, & per *Odonem* Archiepiſcopum pellicem repudiare coactum, perpetuum ſibi inimicum fecit. Mox etenim miſerrimis ſatellitibus ſubnixus, omnes in tota Anglia Monaſtici ordinis homines prius nudatos facultatum auxilio, poſt etiam deportatos exilio, calamitatibus indignis affecit. Ipſum *Dunſtanum* Monachorum principem in Flandriam propellit. Ea tempeſtate facies Monachorum fœda & miſerabilis erat. Nam & Malmesburienſe cœnobium, pluſquam ducentis ſeptuaginta annis à Monachis inhabitatum, clericorum ſtabulum fecit. Sed tu domine Ieſu creator & recreator noſter, bone artifex multumq; potens formare noſtra deformia per illos homines irregulares, & vagos; theſaurum tuum tot annis abditum in lucem propalaſti beati *Aldelmi* corpus dico, quod ipſi de terra eleuatum in ſcrinio locarunt. Acceſſit clericorum gloriæ regalis liberalitas, vt daret Sancto prædium, amplitudine & vicinitate ipſa peropportunum. Cæterum longe horret noſtra memoria, quam immanis fuerit in reliqua cœnobia, & propter ætatis lubricum, & propter pellicis conſilium, quæ tenerum iugiter obſidebat animum. Sed ignoſcat dolori meo anima, iamdudum in requie collocata per *Dunſtani* interuentum: dolor, inquam, me cogit illum adiudicare, *Quia priuata vtilitas publico damno non præiudicat, Imo commune diſpendium priuato commodo præponderat.* Luit ille pœnas auſus temerarii, etiam hac in vita maxima parte regni mutilatus. Qua percuſſus iniuria viuendi finem fecit, Wintoniæ in nouo Monaſterio tumulatus.

DE REGE EADGARO EADMVNDI REGIS FILIO.

CAP. VIII.

ANNO Dominicæ incarnationis 959. *Eadgarus* honor ac deliciæ Anglorum filius *Eadmundi*, frater *Eadwini*, iuuenculus annorum 16. Regnum adipiſcens eodem numero ferme tenuit, Res eius multum ſplendide etiam noſtro celebrantur tempore. Affulſit annis illius diuinitatis amor propicius, quem ipſe mercabatur ſedulo deuotione animę & viuacitate conſilii. Deniq; vulgatũ eſt, ꝙ eo naſcente vocem Angelicã *Dunſtan⁹* excepit,

Pax Angliæ quamdiu puer iſte regnauerit, & Dunſtanus noſter vixerit. Reſpondit veritas rerum cœleſti oraculo. Adeo illis viuentibus ſplendor Eccleſiaſticus effloruit, & tumultus bellicus emarcuit. Nec vllus fere annus in Chronicis præteritus eſt, quo non magnum & neceſſarium patriæ aliquid fecerit; quo Monaſterium nouum non fundauerit. Nullas inſidias domeſticorum, nullum exterminium alienorum ſenſit. Regem Scottorum * *Kunadium*, Cumbrorum *Malcolmum*, Archipiratam * Maccuſium, omneſq; Reges Walenſium, quorum nomina fuerunt Duſual, Gifreth, Huual, Iacob, Iudethil ad curiam coactos, vno & perpetuo ſacramento ſibi obligauit. Adeo vt apud Ciuitatem Legionum ſibi occurrentes in pompam triumphi, per fluuium Dee illos deduceret. Vna enim naui impoſitos, ipſe ad proram ſedens remigare cogebat, per hoc oſtentans regalem magnificentiam, qui ſubiectam haberet tot Regum potentiam. Deniq; fertur dixiſſe tunc demum poſſe ſucceſſores ſuos gloriari ſe Reges Anglorum eſſe, cum tanta prærogatiua honorum fruerentur. Vnde factum eſt, vt fama eius per ora omnium volitante, Alienigenæ, Saxones, Flandritæ, ipſi etiam Dani huc frequenter annauigarent *Eadgaro* familiares effecti, quorum aduentus magnum Prouincialibus detrimentum peperit, quod à Saxonibus animorum inconditam ferocitatem, à Flandritis corporum eneruem molliciem, à Danis potationem diſcerent; homines ante hæc in talibus integri, & naturali ſimplicitate ſua defenſare, aliena non mirari. Inde merito iureq; culpant eum literæ. Nam cæteras infamias, quas poſt dicam, magis reſperſerunt cantilenæ.

al. Kinaldium. *al. Malcutium.*

Eo tempore micuerunt per Angliam Sanctorum virorum lumina, vt crederes è cœlo arridere ſydera. Quorum ſæpe nominatus *Dunſtanus*, prius Abbas Glaſtoniæ, poſtea Epiſcopus Wigorniæ, mox Archiepiſcopus Cantuariæ multæ in ſeculo potentiæ, magnæ apud Deum gratiæ, illic *Martham*, illic exhibebat *Mariam*. Ipſe artium liberalium in tota Inſula poſt Regem *Alfredum* excitator mirificus; ipſe regalium locorum reparator munificus; in Reges & delinquentes Duces inſonare terribile; pauperes, & mediocres iuſte ſuſtentare. In tantum & in friuolis pacis ſequax, vt quia compatriotæ in tabernis conuenientes, iamq; temulenti pro modo bibendi cõtenderent, ipſe clauos argenteos vel aureos vaſis affigi iuſſerit, vt dum metam ſuam quiſq; cognoſceret, non plus ſubſeruiente verecundia, vel ipſe appeteret, vel aliũ appetere * cogeret. Plura & non contemnenda de viro volentẽ dicere reuocat Cantuariæ cantor * *Oſbernus*, qui eius vitam Romana elegantia compoſuit, nulli noſtro tempore ſtylo ſecundus, muſica certe omnium ſine controuerſia primus. Simul quoniam, ſi gratia diuina comitetur diſpoſitum, propoſui poſt nomina Regum, omnium Epiſcoporum Angliæ cuiuſcunq; Prouinciæ nomina ſaltim * diſcurrere, & ad ſcientiã noſtrorum procudere; ſi quid dignum valuero, de antiquitatis moneta exculpere. Veruntamen quantum efficax fuerit ſanctitas & probitas diſcipulorum ſuorum, indicio eſt * *Athelvvoldus* ex Monacho Glaſtonienſi Abbas Abendonienſis, idemq; poſt hæc Epiſcopus Wintonienſis, tot, & tanta Monaſteria fecit, quod vix modo credibile videatur, vt talia fecerit Epiſcopus vrbis vnius, qualia vix poſſet Rex Angliæ totius. Fallor, & præcipiti ſententia pecco, ſi non palam ſit quod dico. Quantula ſunt cœnobia Helienſe, Burchenſe, Tornienſe, quæ ille à fundamentis ſuſcitauit & ſua induſtria perfecit. Quæ cum ſemper exactorum vellicet nequitia, ſunt nihilominus habitatoribus ſuis ſufficientia; Huius vitam *Wlſtanus*, quidam Cantor Wintonienſis, diſcipulus eius, ſcilicet & alumnus compoſuit ſtylo mediocri. Fecit & aliud opus de tonorum harmonia valde vtile, eruditi Angli indicium, homo vitæ bonæ & eloquentiæ caſtigatæ. Tunc quoq; *Oſvvaldus*, *Odonis* Archiepiſcopi (qui ante *Dunſtanum* fuerat) nepos, ex Monacho Floriacenſi Wigorniæ Epiſcopus, & Eboraci Archiepiſcopus titulos non inferiores cæteris promeruit. Nam eaſdem terens orbitas Monachorum regulam iure ſuo ampliauit, & Monaſterium Rameſeiæ in quodam paluſtri loco ædificauit. Sedem Epiſcopalem Wigorniæ, clericis non vi expulſis ſed arte ſancta circumuentis, repleuit Monachis Regularibus. Expulerat antea regali iuſſione *Ethelvvoldus* Epiſcopus clericos de Wintonia, qui cum data à Rege ſibi optione, vt aut regulariter viuerent, aut loco cederent, magis vitam mollem elegiſſent, tunc tota Inſula incertis vagabantur ſedibus. Ita his tribus viris agentibus, quaſi triformi lumine, Angliam ſerenante, denſæ vitiorum tenebræ euanuêre. Quo factum eſt, vt *Edgarus* Glaſtonienſem Eccleſiam, quam ſemper præ omnibus dilexit, magnis poſſeſſionibus amplificaret; & in omnibus, quæ ad Eccleſiæ decorem ſiue vtilitatem pertinent tam interius quam exterius inuigilaret. Priuilegium ſane, quod eidem Eccleſiæ contulit, huic noſtræ hiſtoriæ, ſicut in eorum antiqua ſcedula legi, non eſt abſurdum inſerere. *Glorioſæ recordationis* Edgarus, *Anglorum Rex, filius* Edmundi *regis, cuius ſtudium diuinis cultibus potiſſimum inuigilabat, ad Monaſterium San-*

al. cognoſceret. *al. Orbernus:* *al. tranſcurrere.* *al. Adelvvoldus.*

cta

ctæ Dei genetricis Mariæ in Glaſtingabiri frequenter adueniens, & eundem locum clariori præ cæteris dignitate excolere ſummo elaborans ſtudio, plura, admodumque magnifica priuilegia contulit communi Epiſcoporum, Abbatum, primorumque conſilio. Quorum primum vt nullus niſi eiuſdem loci Monachus, ibidem fungatur Abbatis nomine vel officio; nec alius niſi quem ſecundum tenorem regulæ concorditer elegerit parilis conuentus aſſenſio. Quod ſi alterius loci Abbatem vel Monachum eidem loco præfici neceſſitas ingruerit, non alium aſſumi cenſuit, niſi quem congregatio ipſius Monaſterii ſecundum timorem Dei ſibi præeſſe elegerit: tamen ne hoc fiat, obſeruato omnimodo, ſi ibidem quiſpiam vel extremus congregationis illi officio aptus reperiri potuerit. Monachis ſiquidem electionem ſui Abbatis perpetuo manere cenſuit; ſibi vero ſuiſq; hæredibus tribuendi fratri electo paſtoralem baculum poteſtatem retinuit. Sanxit etiam, vt quoties Abbas loci vel Monachi aliquos ſuorum ſacris ordinibus inſigniri decernerent, à quocunq; præſulum canonice ordinatum, aut in illius ſede aut in eodem Sanctæ Mariæ Glaſtingenſi Monaſterio tam Monachos quam clericos, quos idoneos iudicarent ad titulum Sanctæ Mariæ ordinari facerent. Conceſſit etiam vt ſicut ipſe in propria ita totius inſulæ cauſas in omnibus tam Eccleſiaſticis quam ſecularibus negotiis abſq; vllius contradictione Abbas aut conuentus corrigeret. Nec vlli omnino inſulam natiuitatus ſuæ conſciam ſiue Epiſcopus, ſiue dux, aut Princeps, aut cuiuſcunq; ordinis alius licitum foret intrare, cauſa quippiam faciendi quod contrarium inibi Deo ſeruientibus eſſe poſſit: ſicut & prædeceſſores ſui ſanxerunt, & priuilegiis ſuis confirmauerunt: videlicet Cemwines Ines, Ethelardus, Cuthredus, Elfredus, Edwardus, Ethelſtanus, Edmundus, omnino prohibuit. Vbi ergo generali aſſenſu, vt dictum eſt Pontificum, Abbatum optimatumque ſuorum hæc priuilegia ipſi loco conferre diſpoſuit, lituum proprium ebore decentiſſime formatum, auroque decoratum ſuper altare Sanctæ Dei genetricis poſuit; ipſiuſq; donatione eidem Sanctæ Dei genetrici ac ſuis Monachis ea perpetualiter poſſidenda attribuit. Eundemque lituum mox in ſui præſentia fecit ſecari in medium, ne cum cuiquam dare vel vendere poſſet quilibet, Ablatum ſequentiam præcipiens partem illius ſeruari in loca adiam dictæ donationis teſtimonium. Recogitans vero quam multa temeritas humanæ leuitatis, quibuſque ſolet ſubrepere, verenſque ne forte quis in poſterum vel hæc priuilegia loco illi auferre, vel Monachos inde moliretur eiicere: inclito Domino Iohanni Papæ, qui Octauiano in regiminis honore ſucceſſerat, direxit idem Chirographum regiæ liberalitatis, orans, vt & ipſe hæc roboraret ſcripto Apoſtolicæ authoritatis. Qui benigne directam ſuſcipiens legationem, concordi aſſenſu Romani concilij ſancita ab iis firmauit, ſcribendo Apoſtolicæ authoritatis præceptionem; terribiliter intorquens in violatores, ſi qui forte emerſerint perpetui anathematis vltionem. Igitur Domini prædicti Apoſtolici eidem loco directum teſtamentum venuſtæ recordationis Rex Edgarus ſuper aram beatiſſimæ Dei genetricis Mariæ ibidem ad perpetuale poſuit monumentum: iubens diligenter aſſeruari in poſterum ad notitiam quorumque ſequentium. Ea etiam vtraq; ne videamur talia commentari, his gratum habuimus ſubdere aduerſus eos, qui non vt paſtores per oſtium intrare, ſed vt fures & latrones in idem ouile Sanctæ Mariæ aliunde quærunt irrumpere. Nouerit cunctorum notitia fidelium quod ego Iohannes 12. Conditoris clementia Sanctæ Romanæ ſedis exiſtens indignus Papa, glorioſi Anglorum Regis Edgari, nec non & Sanctæ Dorouernenſis Eccleſiæ Archipræſulis Dunſtani ſummiſſo pulſatus rogatu pro Monaſterio Sanctæ Mariæ, videlicet Glaſtingeberi, quod ipſi acti amore ſuperni Regis in multis & magnis poſſeſſionibus ditauerant, Monachorum inibi multiplicantes normam; præceptoque regali firmauerant, quod & ipſe facere non differam. Quorum aſſentiens benignæ petitioni in ſinu Romanæ Eccleſiæ & beatorum Apoſtolorum protectione eundem locum ſuſcipio & priuilegiis aſtruo & corroboro; quo ſine tenus, in eo, quo nunc pollet permaneat Monachali ordine. Ipſi quoque Monachi de ſuis ſibi adhibeant paſtorem. Ordinatio vero tam Monachorum quam clericorum in arbitrio Abbatis & conuentus ſit. Decernimus etiam vt nulli omnino hominum eandem inſulã cauſa placitandi, vel aliquid aliud perſcrutandi aut corrigendi intrare liceat. Si quis autem id molitus fuerit contraire, aut poſſeſſiones eiuſdem Eccleſiæ auferre, retinere, minuere vel temerariis vexationibus fatigare, ex authoritate Dei Patris, & Filii & Spiritus Sancti, ſanctæque Dei genetricis Mariæ, ac Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, omniumque Sanctorum, perpetuæ ſit addictus maledictioni, niſi reſipuerit. Omnibus vero eidem loco iuſta ſeruantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen: Noſtraque ſtipulatio inconuulſa permaneat. Actum tempore * Ælfardi eiuſdem Monaſterii Abbatis. Hæc igitur prædictus Rex Edgarus duodecimo anno regni ſui ſacro ſcripto Londoniæ confirmauit, eodemque anno, qui fuit nongenteſimus ſexageſimus quintus Dominicæ incarnationis præfatus Papa Romæ in generali Synodo authorizauit; cunctoſque potioris dignitatis, qui præfuerunt eidem Concilio generali, ea corroborare imperauit. Perpendant ergo contemptores tantæ comminationis, quantæ ſubiaceant ſententiæ excommunicationis: & quidem beato Petro [Apoſtolo] principi Apoſtolorum Chriſtus legandi ſoluendique præſulatum, clauesq; ſimul tradidit regni cœlorum. Cuique autem fideli conſtat perſpi-

* al. Elwardi.

cuum atq; euidens, quod huius Apoſtoli vicarius poteſtatiſq;, potiſſimum ſit hæres Romanæ Eccleſiæ præſidens. Huic Sanctæ memoriæ *Iohannes* laudabiliter præfuit ſuo tempore, vt hodieque viget glorioſa recordatione, promotus ad id Dei totiuſq; populi electione. Si ergo decretum beati *Petri* Apoſtoli ratum, conſequenter & *Iohannis* Apoſtolici ratum. Sed nemo vel demens ratum eſſe *Petri* Apoſtolici decretum denegat; nemo igitur ſane mentis diſſimile fore *Iohannis* Apoſtolici decretum repugnat. Aut itaq; iſti cōcedentes beato *Petro* ſuiſq; ſucceſſoribus collatam a Chriſto poteſtatem, tranſgredi ceſſabunt tanti interdicti authoritatem; aut floccipendentes, cum Diabolo ſuiſq; complicibus præſcriptæ maledictionis ſibi adquirent perpetuitatem. Conſtat ergo neminem extraneorum idem cœnobium ſibi præripuiſſe, quem non conſtiterit, (nec ſine dedecore) amiſiſſe; nullaq; Monachorum machinatione ſed Dei iudicio ob Sanctæ authoritatis vltionem id cuiq; eorum accidiſſe. Nemo itaq; hæc legens deſpiciat, nemo vel ſubiraſcendo ſe palam notabilem faciat. Nam ſi iraſcitur pro alio forte prolatum de ſe dictum fatebitur. Tunc ordo Monaſticus iamdudum lapſus præcipue caput erexit, vnde factum eſt vt denuo Monaſterium noſtrum in priſtinam libertatem euaderet. Quod conuenientius opinor ipſius verbis Regis notificare.

Ego *Edgarus* totius Albionis Baſileus, nec non maritimorum ſeu Inſulanorum Regum circumhabitantium, adeo vt nullius progenitorum meorum ſubiectione largiflua Dei gratia ſuppetente, ſublimatus; quid Imperii mei potiſſimum Regi Regum dono darem, tanti memor honoris ſollertius ſæpe tractaui. Piæ igitur fautrix deuotionis peruigili meæ ſtudioſitati ſuperna ſubito inſinuauit pietas, quæq; in regno meo ſancta reſtaurare Monaſteria, quæ velut muſciuis ſcindulis carioſiſq; tabulis tigno tenus viſibiliter diruta: ſic quod maius eſt, intus à ſeruitio Dei ferme vacua fuerant neglecta. Idiotis nempe clericis eiectis nulli regularis Religionis diſciplinæ ſubiectis; plurimis in locis ſanctioris ſeriei, ſcilicet Monachici habitus præfeci paſtores, ad ruinoſa quæque Templorum reintegrandā opulentos eis fiſcalium munerum exhibens ſumptus. Quorum vnum nomine *Elwricum*, virum in omnibus Eccleſiaſticum, famoſiſſimi coſtitui cuſtodem cœnobii quod Angli bifario vocitant onomate Maldelmesburh. Cui pro commoditate animæ meæ ob ſaluatoris noſtri eiuſq; Θεοτόκου, ſemper virginis *Mariæ*, nec non Apoſtolorum *Petri & Pauli* Aldelmiq; almi præſulis honorem, particulam terræ & nominatim terram cum pratis, & ſiluis munifica liberalitate reſtitui. Hæc à prædictis accommodata clericis à contentioſo iniuſte poſſeſſa eſt, * *Edelnoto*: ſed ſuperſtitioſa ſubtilique eius diſceptatione à ſapientibus meis audita, & conflictatione illius mendoſa ab eiſdem me præſente conuicta, Monaſteriali à me reddita eſt vſui; Anno Dominicæ incarnationis nongenteſimo ſeptuageſimo quarto, regni vero mei 14. Regiæ conſecrationis primo.

al. Edelnodo.

Interea non indecens opinor, ſi quiddam quod ei diuinitus oſtenſum eſt, ſtylo commendem. Venerat in ſaltum venationis feracem, vtq; fit plerumq; ſociis ad inſequendas feras, diſperſis per deuia, ſolus remanſerat. Itaq; continuatione curſus, ad egreſſum nemoris perueniens conſtitit ſodales operiens; Nec mora grauante nutantia lumina ſomno, pedes efficitur, vt tranſacti laborem diei temperaret modicæ quietis voluptas. Iacebat ergo ſub malo ſiluatica ſtratus, vbi penduli per circuitum rami foliatam effecerant cameram. Laſſitudine itaque ſuadente, riuus ſubter ſcatebris loquacibus fluens ſoporem inuitabat; tum canis fœmina, cui cura ferarum veſtigia inſequi prægnans & iuxta pedes accubans dormientem exterruit. Namque matre tacente, catuli aluo incluſi, latratus multiformes, & ſonoros reddidere, quodam nimirum ſui carceris gaudio incitati. Hoc monſtro attonitus, dum ad cacumen arboris oculos intendit, vidit poma vnum, & alterum delapſa in fluuium, quorum colliſione bullis aquatilibus inter ſe criſpantibus, vox articulata inſonuit, Well is thee! *id eſt, bene eſt tibi. Nec multò poſt vndarum voluminibus agentibus vrceolus ſuper aquam apparuit, & poſt vrceolum vrceus exundans aqua: Nam alter vacuus erat, & quamuis crebro gurgitis impulſu maiorem minor vrgeret, vt ſcilicet aquas ſuas in illum infunderet, nunquam tamen obtinere potuit quin vrceolus vacuus recederet, iterumque quaſi ſuperbo geſtu victor vrceum impeteret. Domum itaque regreſſus, vt dicit* Pſalmiſta, *geſtu exercitabatur, & ſcopebat ſpiritum ſuum. Sed conuenit eum mater, vt ſerenaret frontem & animum: ſibi ſtudio futurum, vt appellaret Deum, qui noſſet ænigmata inſpiratione ſua patefacere. Quo admonitu retudit ille mœſtitiam, & ſoluit in ocia curas, conſcius maternæ ſanctitatis cui ſoleret Deus multa reuelare. Erat illa vocabulo* Elfgifa *bonis operibus intenta, pietate & dulcedine prædita, vt etiam reos, quos triſtis ſententia Iudicum palam damnauerat, ipſa occulte redimeret. Precioſus amictus, qui pleriſque mulieribus eſt leno ſoluendi pudoris, illi erat ſupellex munificentiæ, vt quamlibet operoſam veſtem conſpecto ſtatim largiretur pauperi. Speciem corporis, & artificium manuum in ea liuor quoque laudaret, cum nihil reprehendere poſſet. Hæc igitur intimis medullis vaticinium combibens,*

po-

poſtero mane filio dixit; Latratus catulorum, quem matre quieſcente dedere, ſignificat, quod poſt tuum obitum quieſcentibus illis, qui modo viuunt & valent, nondum nati nebulones contra Dei latrabunt Eccleſiam. Sane quod vnum pomum ſecutum eſt alterum, ita vt ex colliſione ſecundi in prius videretur vox ſonuiſſe, Well is thee, *innuit, quod ex te, qui modo arbor es totam inumbrans Angliam, duo procedent filii, [factores vel] fautores ſecundi extinguent primum: tunc diuerſæ partis incentores dicent pueris vtriſq́;* Well is thee, *quod mortuus regnabit in cœlo, viuus in ſeculo.* * *Nam quod vrceus maior minorem implere non poterat, hoc deſignat, quod gentes Aquilonales, qui numeroſiores ſunt quam Angli, Angliam poſt mortem tuam impetent; & quamuis crebro compatriotarum aduentu, ruinas ſuas ſuppleant, nunquam hunc Angulum mundi poterunt implere, quin potius Angli noſtri cum maxime victi videbuntur, eas expellent, eritq́; ſub ſuo & Dei arbitrio vſque ad præfinitum tempus à Chriſto, Amen.* al. Iam vere.

Huius vaticinii veritatem lectio poſterior patefaciet. Conſiderari ergo debet parentis & prolis indubitata ſanctitas, quod alter viderit ęnigma vigilans ſine obſtaculo, & altera ſoluerit problema de longe porrecto Prophetiæ oraculo; Sanctitatique morum communicabat ſeueritatis animoſitas vt nullum cuiuſcunq; dignitatis hominem leges eludere impune permitteret. Nam eius tempore priuatus latro nemo, popularis prædo nullus niſi qui mallet in fortunas alienas graſſari propriæ vitæ diſpendio. Quomodo enim auſus hominum præteriret, qui etiam omnis generis feras ſanguinis auidas ex regno exterminare cogitaret, *Ludwaloq;* Regi Wallenſium edictum impoſuerit, vt ſibi quotannis tributum trecentorum luporum penſitaret, quod cum tribus annis feciſſet, quarto deſtitit, nullum ſe vlterius poſſe inuenire profeſſus.

Præterea licet, vt fertur, ſtaturæ fuerit, & corpulentiæ perexilis; tantas vires in illo corpuſculo dignatio naturæ incluſerat, vt vltro ad congrediendum laceſceret quemcũq; audacem noſſet; hoc maxime timens, ne in tali colludio timeretur. Denique in quodam conuiuio, vbi ſe plærunq; fatuorum dicacitas liberius oſtentat, fama eſt, * *Kinnadium* regem Scottorum ludibunde dixiſſe, Mirum videri, tam vili homuncioni tot prouincias ſubiici. Itaq; à quodam mimo ſiniſtra aure acceptum, & *Eadgaro* poſtmodum ſolemni cõuitio in os obiectum. At ille re ſuis relata *Kinnadium* quaſi magni myſterii conſultandi gratia accerſiuit, longeq; in ſyluam ſeducto, vnum ex duobus, quos ſecum attulerat, enſibus tradidit; Et nunc inquit licebit vt vires tuas experiar cum ſoli ſimus. Iam enim faxo vt appareat, quis alteri merito ſupponi debeat, tu quoq; ne pedem moueas, quin mecum rem ventiles. *Turpe eſt.n. Regi in conuiuio eſſe dicaculum, nec eſſe in prælio promptulum.* Confuſus ille nec verbo mutire auſus, ad pedes domini Regis procidit, ſimplicis ioci veniam precatus, & confeſtim conſecutus. Quid illud? omni æſtate, emenſa ſtatim Paſchali feſtiuitate, naues per omnia littora coadunari præcipiebat; ad Occidentalem Inſulæ partem cum Orietali claſſe, & illa remiſſa cum Occidentali ad Borealem, inde cum Boreali ad Orientalem remigare conſuetus; pius ſcilicet explorator, ne quid Piratæ turbarent. Hyeme & vere per omnes prouincias equitando, iudicia potentiorũ exquirebat, violati iuris ſeuerus vltor: In hoc iuſtitiæ, in illo fortitudini ſtudens, in vtroq; Reipublicæ vtilitatibus conſulens. al. Kinnaldum.

Sunt qui ingenti eius gloriæ næuum tentent apponere, dicentes, primis temporibus fuiſſe crudelem in ciues, libidinoſum in virgines, Verbi gratia prioris exemplum ponunt; *Athelwoldus* quidam erat ſui temporis Comes egregius & à ſecretis; huic Rex iniunxerat negotium, vt * *Elſthridam* filiam *Ordgari* ducis Deuonenſium, quæ forma ſui oculos relatorum pellexerat, quatenus eam Regiis auribus commendarent; huic, inquam præceperat vt illam adiret ſpeculatum, nuptias conciliaturus ſi veritas famæ conquadraret. Ille viam celerans, nihilque præter opinionem comperiens, celato apud parentes nuncio, ſuis potius vſibus puellam applicuit. Rediens ad Regem, quæ ſuis partibus conducerent, allegat ſpeciei vulgaris & quotidianæ, puſiolam eſſe, nec tantæ maieſtati conuenire. Reducto ab his animo & aliis amoribus intento, delatores nunciant, quanta illum *Ethelwoldus* aſtutia emunxerat. Ille clauo clauum expellens, fraude ſcilicet fraudem eludens, frontem ſerenam Comiti oſtendere, diem quo viſitaret tam laudatam mulierem quaſi ioco edicere. Qui iam terribili ioco exanimatus, præcurrit ad coniugem, rogans, vt ſuæ ſaluti conſuleret, & quantum poſſet veſtibus ſe deformaret, tunc primum aperiens facti ſui conſilium. Sed quid non præſumit fœmina? auſa eſt primi amatoris & primi coniugis fidem fallere, & ſpeculo vultum comere; nihil omittens, quod ephœbi & potentis lumbos pertentaret. Nec citra propoſitum accidit. Viſam enim adeò inarſit, vt diſſimulato odio Comitem in ſyluam Warewelle (quæ vocatur Harewode) gratia venandi accitum iaculo traiiceret. Vbi cum filius occiſi nothus familiari * viſu ſuperueniſſet, & à Rege interrogatus eſſet, qualiter, ei talis venatio placeret; reſpondiſſe fer- al. Elfridam. al. viſa.

tur, bene Domine Rex, quod tibi placet mihi diſplicere non debet; quo dicto ita tumentis animum manſuefecit, vt nihil charius in vita ſua poſt hæc haberet, quam iuuenem illum, tyrannici facti offenſam in patrem ſedulitate regia in filium alleuans. Ob illius ſceleris expiationem ibidem Monaſterium ab *Elſthrida* ædificatum ſanctimonialium frequentia inhabitatur.

Huic exemplo crudelitatis adiunctum aliud libidinis. Virginis Deo dicatæ audiens pulchritudinem, violenter eam à Monaſterio abſtraxit, abſtractæ pudorem rapuit, & non ſemel thoro ſuo collocauit. Quod cum aures beati *Dunſtani* offendiſſet, vehementer ab eo increpatus, ſeptennem pœnitentiam non faſtidiuit, dignatus Rex affligi ieiunio, ſimulq; diademate carere ſeptennio.

Subiiciunt tertium, in quo vtrumq; appareat vitium; Rex, inquiunt, *Edgarus* veniens Andeueram, quæ eſt vicus non longe à Wintonia, cuiuſdam ducis filiam cuius fama formæ percrebuerat, adduci præcepit. Mater puellæ, quæ concubinatum filiæ dedignaretur, adiuta noctis tenebris ancillam cubili appoſuit, virginem ſane nec inelegantem, nec illepidam. Euoluta nocte, cum aurora in lucem prorumperet, mulier conata ſurgere, interrogataq; quid feſtinaret, ad opus cotidianum Dominæ perſoluendum reſpondit: ægre licet retenta Regis genibus ſuper ſtatu miſeriarum ſuarum applorat, pro mercede connubii redderet ingenuitatem. Decere magnanimitatem eius, vt Regiæ voluptatis conſcia Dominorum crudelium vlterius non ingemiſceret imperia. Tunc illa felle commoto, & formidabile ridens, cum in animo fluctuaret hinc de famula miſeratio, hinc de domina indignatio; quaſi in iocos effuſus, vſum obſequiorum pœnamq; remittit. Mox antiquis dominatoribus (vellent nollent) dominantem magna ſublimauit dignatione, dilexit vnice integram lecti vni deferens fidem, quoad legitimam vxorem accepit *Elfridam* filiam *Ordgari*. De qua *Edmundum* qui ante ipſum quinquennio decedens *Rumeſcia* iacet, & qui poſt eum regnauit, * *Ethelredum* tulit. Nam de *Egelfleda*, cognomento candida filia *Ordmeri* ducis potentiſſimi *Edwardum* genuit, & ſanctam *Editham* de * *Wlfritha*, quam certum eſt non tunc ſanctimonialem fuiſſe, ſed timore Regis puellam laicam ſe velauiſſe, moxque eandem arrepto velo lecto imperiali ſubactam: Vnde offenſum beatum *Dunſtanum*, quod illam concupiſſet, quæ vel vmbratice ſanctimonialis fuiſſet, vigorem Pontificalem in eum egiſſe.

al. Egelredum. *al. Wlfrida.*

Sed hæc quomodocunq; ſe habeant illud conſtat, quod à 16. ætatis ſuæ anno, quo Rex conſtitutus eſt, vſq; ad 30. ſine regio inſigni regnauerit. Tunc enim principibus, & omnis ordinis viris, vndiq; confluentibus, cum magna gloria Bathoniæ coronatus eſt, nec niſi triennio ſuperuixit, ſepultuſq; eſt Glaſtoniæ. Nec illud * obluctandum quod cum Abbas *Ailpardus* eius tumulum anno incarnationis Domini 152. effodiſſet, inuenit corpus * illius labis conſcium. Quod cum eum ad reuerentiam debuiſſet inflectere, ad audaciam leuauit. Nam quia locellus quem parauerat difficilem pro magnitudine corporis minabatur ingreſſum, regales exuuias ferro temerauit. Vnde continuo ſanguis vndatim emicans aſtantium corda pauore concuſſit. Ita regium corpus in ſcrinio, quod ipſi Eccleſiæ contulerat ſuper altare locatum eſt cum capite Sancti *Apollinaris*, & reliquiis *Vincentii*, martyris, quæ ille magno empta decori domus Dei adiecerat. Temeratorem porro ſacri corporis mox animus reliquit, nec multo poſt Eccleſia egreſſum fracta ceruice mors inuenit. Nec in his hæſit regiæ ſanctitatis oſtenſio, ſed in vlteriora proceſſit, ſanato ibi furioſo & cæco. Merito ergo non infirma inter Anglos fama eſt nullum nec eius nec ſuperioris ætatis Regem in Anglia recto & æquilibri iudicio *Edgaro* comparandum. Ita nihil vita eius ſanctius nihil iuſtitia probabiluis fuit, exceptis vitiis, quę poſtea amplis virtutibus deleuit: qui patriam ſuam præclara fortitudine illuſtrem reddiderit, & rerum geſtarum claritate, & Deo ſeruientium multiplicitate, poſt mortem eius res & ſpes Anglorum retro ſublapſæ ſunt.

al. oblitterandum. *al. nullius labis conſcium.*

DE SANCTO EDWARDO REGE ET Martyre filio Edgari.

CAP. IX.

ANNO Dominicæ incarnationis nongenteſimo ſeptuageſimo quinto, *Edwardus* filius *Edgari* regnare cœpit, & tribus annis & dimidio poteſtate potitus eſt. Illum *Dunſtanus*, & cæteri Epiſcopi conſentanei regali culmine ſublimarunt, contra voluntatem quorundam, vt aiunt, optimatum & nouercæ, quæ vix dum 7. annorum puerulum *Ethelredum* filium ſuum prouehere conabatur, vt ipſa potius ſub eius nomine imperitaret. Ex

tunc

tunc malitia hominum pullulante fœlicitas regni imminuta. Tunc viſæ Cometæ, qui vel peſtē prouincialium, vel regni mutationem portendere pro vero aſſeuerabatur. Nec mora ſecuta ſterilitas arui, fames hominum, mors iumentorum, apud vicum regium, qui vocatur *Calna*, caſus inſolitus. Nam defuncto *Eadgaro* Clerici quondam ab Eccleſiis expulſi rediuiua prælia ſuſcitarunt, dicentes, ingens eſſe & miſerabile dedecus, vt nouus aduena veteres colonos migrare compelleret, hoc nec Deo gratum putari, qui veterem habitationem conceſſiſſet, nec alicui probo homini, qui ſibi idem timere poſſet, quod aliis præiudicio accidiſſe cerneret. Ea de re in clamores & iras ſurrectū, & ad *Dunſtanum* perrectū eſt, præcipue proceribus, vt laicorum eſt, ſucclamantibus præiudicium, quod clerici paſſi fuerant iniuſte, leniori conſilio ſuccidi debere. Nam & vnus eorum *Elferius* omnia pene monaſteria, quę reuerentiſſimus * *Æthelwoldus* monachus, & *Wentanus* Epiſcopus cōſtruxerat in prouincia Merciorum magna vi ſua inſolentia euertit. *al. Adelwoldus.* Itaq; frequenti ſynodo coacta primum Wintoniam ventū. Quis ibi fuerit finis certaminis, aliç literę docent, Dominicā imaginem expreſſe locutam clericos, eorumq; fautores confudiſſe; ſed adhuc nō ſedatis animis, Calnæ conſilium indictum; vbi cū in cœnaculo, abſente propter ętatem rege, conſidentibus totius Angliæ ſenatoribus magno conflictu & controuerſia res ageretur, & validiſſimum illum murum Eccleſiæ, *Dunſtanum* dico, multorū conuiciorum iacula impeterent, nec quaterent, ſuas partes cuiuſcunq; ordinis viris ſummo ſtudio tuentibus ſolarium totum repente cum axibus & trabibus diſſiluit & concidit. Omnibus ad terram eliſis, ſolus *Dunſtanus* ſtans ſuper vnam trabem quæ ſuperſtes erat euaſit probe. Reliqui vel exanimati vel perpetui languoris compede detenti. Hoc miraculum Archiepiſcopo exhibuit pacem de clericis omnib. Anglis tūc & deinceps in eius ſententiā concedentibus.

Interea Rex *Eadwardus* fratrem puerulum, & nouercam pietate congrua colere, ſolum nomen Regis habere; illis cætera permittere, paternæ religionis veſtigia rimari, bonis conſiliis aurem & animum accommodare: at mulier nouercali odio vipereum dolum ruminans, vt nec nomen regis filio deeſſet, inſidias priuigno ſtruere, quas hoc modo conſummauit. laſſus venatione reuertebatur propter laborem ſiti anhelus; comites quo quēque caſus tulerat canes conſectabantur, auditoq; quod illi in contigua villa habitarent, equo concito illuc contendit iuuenculus ſolus nihil propter innocentiam metuens, aliorum quippe animus pro ſuo ponderans. Tunc illa muliebri blanditia aduentantem alliciens ſibi fecit intendere, & poſt libata baſia poculum porrectum auide haurientem per ſatellitem ſica transfodit, quo vulnere ſaucius, cum quantis poterat animæ reliquis, ſonipedem calcaribus monuiſſet ad ſuos reuerti, vno pede lapſus, alteroq; per deuia & ſaltus tractus vndante cruore indicia interitus ſui ſequentibus dedit. Tunc quidem ſine honore apud Werham ſepeliri iuſſerunt, inuidentes ſcilicet mortuo ceſpitem Eccleſiaſticum, cui viuo inuiderunt decus regium. actitabant igitur publicam & feſtiuam lætitiam, quod cum corpore pariter infodiſſent memoriam. Sed affuit diuinæ ſerenitatis aſſenſus, qui innocenter cæſum miraculorum ſublimaret gloria. Adeo cœleſtia iudicia humanis pręponderant, ibi oſtenſa de cœlo lumina, ibi claudus greſſum compoſuit, ibi mutus organum reſumpſit, ibi prorſus omnis inualitudo ſanitati locum fecit. Sparſus rumor per totam Angliam, Martyris merita prædicabat. Quo excita interfectrix, iter illuc adoriebatur, iamque equum inſcenſum ſtimulis vrgebat, cum manifeſtū Dei iram perſenſit. Animal nāq; familiare quo ſedere conſueuerat antea, ventis pernicius quod auras ipſas præcurreret, tunc nutu Dei ſtabat immobile, inſtabant miniſtri, hinc flagris, illinc clamoribus, vt potentem heram, qua ſolebat alacritate eueheret. Caſſus labor conſumitur, mutato quoque iumento caſus idem ſequitur; intellexit licet tarde brutum pectus, quo portentum illud reſpiceret, quapropter quod per ſe non meruit per alium fieri conſenſit. Namque *Elferius* ille quem ſupra culpaui, eo quod monaſteria deſtruxiſſet, temeritatis pœnitens multoq; gemitu animi angens, ſacro ſcilicet corpori de ignobili loco leuato iuſtas & egregias inferias apud Sceptoniam ſoluit, non tamen effugit, ſed poſt annum vermibus, quos pediculos dicimus conſumptus eſt. Et quoniam animus indiſciplinatus ipſe ſibi tormentum eſt, patiturque ſuos etiam hic mens anxia manes, *Elfrida* de illo regali ſupercilio inclinata dire pœnituit, adeo vt multis annis apud * *Werewellam* carnem in deliciis nutritam, cilicio conuolueret, *al. Warwellam.* noctibus ſolo ſtrata ſine ceruicali ſomnum hauriret, cruces præterea quaſcunq; poſſet corpori comminiſcens; ſpecioſa mulier & pulchre viro ſobria, ſed quod tantum nefas commiſit pœna digna. Creditumq; & celebriter vulgatum quod propter eius in *Edwardum* inſolentiam, multo poſt tempore tota patria ſeruitutem infremuiſſet barbaricam.

Certe apud Sceptoniam ſplendidum regiæ ſanctitudinis refulgurat ſpeculum; quoniā

illius meritis deputatur, quod eo loci multus deuotarum Deo fœminarũ chorus claritate religionis terras illas irradians etiam ipſa perſtringit ſydera. Illic ſacræ virgines nullius penitus corruptelæ conſciæ, illic religioſæ continentes poſt primi thori damna ſecundi ignis neſciæ; in quarum omnium moribus ita facetus pudor cum ſeuera conſentit elegantia, quod nihil ſupra. Deniq; incerto hæreas quid potiſſimum prædicare velis an aſſiduitatem ad Dei famulitium, an affabilitatem ad hominum colloquium, vnde non iniuria credulitas apponitur dicentibus, quod per illarum orationes totus ſuſtentatur orbis, qui iampridem ſuis vacillat peccatis.

DE ETHELREDO ET EDMVNDO.

CAP. X.

ANNO Dominicæ incarnationis 979. *Ethelredus* filius *Edgari* & *Elfredæ* regnum adeptus, obſedit potius quam rexit annis 37. Eius vitæ curſus ſæuus in principio, miſer in medio, turpis in exitu aſſeritur. Ita parricidio, cui conniuentiam adhibuerat, immanis ita fuga, & mollitie infamis, ita morte miſerabilis fuit. Ignauiam eius prædixerat *Dunſtanus* fœdo exemplo admonitus. Nam cum puſiolus in fonte baptiſmi mergeretur circumſtantibus Epiſcopis alui profluuio ſacramenta interpolauit; quare ille turbatus, per Deum, inquit, & matrem eius ignauus homo erit. Vidi ſcriptum, quod cum decennis puer fratrem necatum conclamari audiret fleto ſuo furentem genetricem adeo irritauit, vt quia flagellum ad manum non habebat, arreptis candelis innocentem cæderet, nec prius deſiſteret quam pene examinem & ipſa lachrymas infunderet. Quapropter tota vita ita candelas exhorruit in poſterum, vt nunquam ante ſe pateretur inferri lumen earum. Matris ſuffragio proceribus congregatis dies dicta vt *Dunſtanus* adueniret regem iure Archiepiſcopi coronaturus, ille licet infenſus eſſet, ſuperſedit reſiſtere Pontifex æui maturioris, & in ſecularibus emeritus. Iam vero diadema componens non ſe continuit quin ſpiritum propheticum totis medullis hauſtum ore pleno effunderet; quia, inquit per mortem fratris tui aſpiraſti ad regnum, audi verbum Domini, Hæc dicit Dominus Deus, non delebitur peccatum ignominioſæ matris tuæ, & peccatum virorum qui interfuerunt conſilio illius nequam niſi multo ſanguine miſerorũ prouincialium, & venient ſuper gentem Anglorũ mala qualia non paſſa eſt ex quo Anglia fuit vſq; ad tempus illud, nec multo poſt, id eſt, anno eius tertio venerunt Hamptuniam portum iuxta Wintoniam ſeptem naues piratarum & populata ora maritima refugerunt in altum, quod ideo non præterii, quia multus ſermo fertur apud Anglos de his ratibus.

Surrexerat inter Regem ipſum & Epiſcopum Roffenſem ſimultas, incertum qua de cauſa quocirca ciuitatem exercitum duxit, mandatum ei ab Archiepiſcopo vt furore deſiſteret, nec ſanctum *Andræam* in cuius tutela Epiſcopatus eſt, irritaret, ſicut ad indulgendum facilem, ita ad vlciſcendum terribilem. Verborum nuditate contempta adornat præceptum pecunia & mittit centũ libras vt obſidionẽ ſolueret, emptus pretio abiret, quo ille accepto receptui cecinit præcinctum militem feriari permiſit. Miratus *Dunſtanus* hominis cupiditatem hæc per nuncios retulit, quoniam prætuliſti argentum Deo, pecuniam Apoſtolo, cupiditatem mihi, velociter venient ſuper te mala, quæ locutus eſt Dominus, ſed hæc me viuente non fient, quia & hæc locutus eſt Dominus. Iam vero poſt beati viri obitum, qui decimo anno regni eius fuit, properant impleri prædicta, feſtinant conſummari prænunciata. Danis enim omnes portus infeſtantibus & leuitate piratica vbique diſcurrentibus, dum neſciretur vbi eis occurri deberet, decretum à *Siricio* Archiepiſcopo poſt *Dunſtanum* ſecundo, vt repellerentur argento qui non poterant ferro. Ita decem millia librarum ſoluta cupiditatem Danorum expleuere. Exemplum infamię & viris indignum, libertatem pecunia redimere, quam ab inuicto animo nulla violentia poſſit excutere. Et tunc quidem pauliſper ab incurſibus ceſſatum, mox vbi vires otio reſumpſerunt ad ſuperiora reditum. Tantus timor Anglos inceſſerat vt nihil de reſiſtendo cogitarent; ſi qui ſane antiquæ gloriæ memores obuiare & ſigna colligere tentaſſent, hoſtium multitudine, & ſociorum defectione deſtituebantur. Defectionis ſignifer fuit *Elfricus* quidam, quem congregatis nauibus Rex præfecerat, qui cum nauali certamine fortunam experiri debuiſſet, nocte qua dies pugnæ illuceſcebat transfuga vilis ad hoſtes conceſſit, prius per nuncios monitos quid cauerent: & quamuis pro culpa perfidiæ filium eius Rex cæcari iuſſerit, iterum rediit, iterumq; defecit. Northanimbria tota populata hoſtes pugna excepti & fugati ſunt Londonia obſeſſa ſed à ciuib⁹ probe defenſa. Quocirca obſeſſores afflicti & deſperantes poſſe capi ciuitatẽ, diſceſſerunt, totâq;

pro-

prouinciam ab Oriente vaſtantes, Regem ad pecuniam 16. Millium librarum ſoluendum coegerunt. quin etiam regem eorum *Analafum* datis obſidibus ad ſe venire fecit, baptizatumq; de fonte ſuſcepit, & regali munificentia domatum ſacramento conſtrinxit, ne vnquam reuerteretur in Angliam. Sed non ſic malum quieuit. Nam ſemper vt Hydræ capitibus hoſtibus ex Danemarcia pullulantibus nunquam caueri poterat. Occidentalis prouincia, quæ Deueneſchire vocatur peſſundata, euerſis monaſteriis & Exonia vrbe incenſa, Cantia deprædationi data, vrbs Metropolitana & patriarcharũ ſedes conflagrata, ipſe Patriarcha ſanctus & reuerentiſſimus vir *Elfegus* abductus, & in vinculis tentus, ad extremum cum ruſticos ſuos expilare cogeretur ad ſe redimendũ & abnueret, lapidatus & ſecuri percuſſus, anima cœlum glorificauit. occiſum Deus ſublimat; adeo vt Dani, qui in necem eius graſſati fuerant viſo miraculo q lignum aridum ſanguine ipſius litũ ſub nocte vna reuiruerat, certatim in oſcula defuncti ruerent, certatim colla ſubiicerent. Ita naturali ceruicoſitate ſubtracta ſacrum corpus Londoniam euehi patiuntur. Ibi glorioſe ſepultum, & poſt decem annos ab omni corruptionis labe immune leuatum Archiepiſ. ſuũ Cantuariæ nobilitauit. Durat ad hoc tempus & recens ſanguis & illibata integritas, miraculoq; ducitur poſſe cadauer exanimari & non poſſe tabeſieri, & ne longum faciam ſigillatim enumeratis prouinciis quas vaſtarunt, hoc ſit ad ſummam complecti, quod cum numerentur in Anglia triginta duo pagi, illi iam 16. inuaſerant, quorum nomina propter barbariem linguæ ſcribere refugio. Rex interea ſtrenuus, & pulchre ad dormiendum factus tanta negotia poſtponens oſcitabatur, & ſi quando reſipuerat vt vel cubito ſe attolleret: confeſtim vel grauante deſidia, vel aduerſante fortuna in miſerias recidebat. Exagitabant illum vmbræ fraternæ diras exigentes inferias. Quis poſſit enumerare, quoties exercitum congregauerit? quoties naues fabricari iuſſerit? quoties duces vndecunque euocauerit & nihil horum vnquam proceſſerit? Nam exercitus principe carens, & diſciplinæ militaris ignarus, aut ante congreſſionem dilabebatur, aut in ipſo conflictu facile cedebat. Valet multum in bellis ducis præſentia; valet ſpectata in talibus audacia, valet vſus & maxime diſciplina, quibus, vt dixi, carens exercitus, prouincialibus irrecuparabili diſpendio, hoſtibus miſerabili erat ludibrio. Eſt illud genus hominum, ſi non coerceatur ante bellum, in rapinas promptum; ſi non animetur in bello ad fugam pronum. Naues ad tutandam oram maritimam fabricatas cum in anchoris conſtitiſſent, repente coorta tempeſtas corripuit, & colliſas inter ſe diſiectis armamentis inutiles reddidit. Paucæ de reliquiis multarum factæ impetu cuiuſdam *Wlnodi*, quem Rex exlegatum eiecerat, ſubmerſę, vel incenſæ, ſpem totius Anglię fefellerunt. Duces ſi quando ad conſiliũ conueniſſent, pars hoc, pars illud elegerunt, vix aut nunquam in bonam ſententiam cõuenire. Magis enim de ſimultatibus domeſticis, quam de publicis neceſſitatibus conſultabant. Iá vero ſi quid vrgente periculo, vtile & arcanum decreuiſſent; ſtatim ad Danos per proditores deferebatur. Nam præter *Elfricum Elferii*, qui ſuperiorem regem occiderat, ſucceſſorem, erat in talibus improbe idoneus *Edricus*, quem Rex Merciorum comitatui pręfecerat; ſęx hominum, & dedecus Anglorum, flagitioſus helluo, verſutus nebulo, cui non nobilitas opes pepererat, ſed lingua & audacia comparauerat. Hic diſſimulare cautus, fingere paratus, conſilia regis vt fidelis venabatur, vt proditor diſſeminabat. Sæpe ad hoſtes miſſus pacis mediator, pugnam accendit. Cuius perfidia tum crebro huius regis tempore, tum vel maxime ſequentis apparuit: de qua poſterius dicam. Solus ex omnibus comes Orientalium Anglorum *Vlkillus* tunc impigre contra inuaſores reſtitit. Ita vt quamuis nomen victoriæ ad hoſtes conceſſiſſet, multo plus afflicti, qui vicerant, quam qui victi fuerant æſtimarentur. Nec ſane piguit barbaros veritatem confiteri, cum multoties illam victoriam deplorarent. Et emicuit præcipue poſt mortem *Ethelredi* virtus Comitis in illo bello, quod omnem florem prouinciæ demeſſuit. Vbi & ipſe à tergo circumuentus, dum cedere pudori ducit, audaciam regi ſanguine ſuo peperit. Sed hoc poſtmodum. Tunc vero ne quid miſeriæ regi *Ethelredo* deeſſet, fame per totam Angliam bebacchante, vulgus, quod bello reliquum erat, abſumptum inedia. Hoſtes adeo libere in regione vagabantur, vt per quinquaginta millia prædam per terram ad naues conuectarent, nullas prouincialium inſidias formidantes. His malis vndique ſtrepentibus, rurſus conſilium volutabatur, vt pecunia bellum leuaretur. Et factum eſt. Nam poſt viginti quatuor millia libræ, mox triginta millia datæ, quod quantum profecerit, ſequens tempus oſtendit. Veruntamen multa mihi cogitanti mirum videtur, cur homo vt à maioribus accepimus, neque multum fatuus, neque multum ignauus, in tam triſti pallore tot calamitatum vitam conſumpſerit. Cuius rei cauſam ſi quis me interroget, non facile reſpondeam, niſi Ducum defectionem, ex ſuperbia regis prodeuntem. Illorum perfidiam ſer-

mo præoccupauit: de ipſius inſolentia nunc dicam, quæ adeo intolerabilis erat, vt nec propriis affectibus parceret. Nam præter Anglos, quos nullis cauſis extantibus exhæredabat, vel affiĉto crimine opibus emungebat; præter Danos, quos leuibus ſuſpicionibus omnes vno die in tota Anglia trucidari iuſſerat, vbi fuit videre miſeriam, dum quiſque chariſſimos hoſpites, quos etiam arctiſſima neceſſitudo dulciores effecerat, cogeretur prodere, & amplexus gladio deturbare. Præter hæc etiam in vxorem adeo proteruus erat, vt eam vix dignaretur, ſed cum pellicibus volutatus regiam maieſtatem infamaret. Illa quoq; conſcientiam alti ſanguinis ſpirans in maritum tumebat, quod ſe nec pudor ingenuus, nec fœcunditas commendaret. Nam duobus liberis *Elfredo & Edwardo* penates viri compleuerat. Ea fuerat filia *Richardi* Comitis Normanniæ, filii *Gulielmi*, qui poſt patrem quinquaginta duobus annis illi Ducatui præfuit, & viceſimo octauo anno huius regis vitam finiuit. Iacet apud Fiſcannum cœnobium, quod ipſe aliquantis redditibus ampliatum regula monaſtica per *Gulielmum* quondam Abbatem Diuionenſem inſignierat. Vir eximius, qui etiam *Ethelredum* ſæpe iniuriis pulſauerit, quod cum auditum Romæ eſſet, non paſſa ſedes Apoſtolica duos Chriſtianos digladiari, miſit in Angliam *Leonem* Treuerenſem Epiſcopum, vt pacem componeret; cuius legationis Epiſtola hæc eſt.

EPISTOLA IOHANNIS PAPAE, decimi quinti.

IOHANNES *quintus decimus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Papa, omnibus fidelibus ſalutem. Nouerint omnes ſanctæ matris Eccleſiæ fideles, & noſtri vtriuſque ordinis per clymata ſeculi dilatati, qualiter nobis relatum eſt à compluribus, de inimicitia* Ethelredi *Saxonum Occidentalium regis, nec non &* Richardi *Marchionis; vnde nimium triſtis effectus vtpote de filiis noſtris ſpiritualibus, tandem inito ſalubri conſilio accerſiui quendam Aprocriſiarium noſtrum* Leonem, *vice Epiſcopum ſanctæ* Treuerenſis *Eccleſiæ, & miſi eum illuc cum literis noſtris exhortatoriis, vt reſipiſcerent ab hac ſuperſtitione. Qui tranſiens vaſtas intercapedines terrarum, tandem marinos tranſmeauit fines, & in die* * *Natiuitatis Domini, peruenit ante conſpectum regis præfati, moxq; ex parte noſtra ſalutato obtulit literas, quas illi miſeramus; qui accerſitis cunctis ſui regni fidelibus vtriuſque ordinis ſapientioribus, ob amorem & timorem Dei omnipotentis, nec non & ſancti* Petri *Apoſtolorum principis, & per noſtram admonitionem paternam, firmiſſimam conceſſit pacem, cum omnibus filiis & filiabus ſuis præſentibus & futuris, & cum omnibus fidelibus ſuis ſine dolo. Qua de re miſit* Edelſinum *ſanctæ* Schireburnẽſis *Eccleſiæ præſulem, necnon* Leofſtanum *filium* Alfwoldi *&* Wlſtani *filium* * Ederelnothum, *qui tranſierunt marinos fines, & peruenerunt vſq; ad* Richardum *præfatum Marchionem. Qui & monita noſtra pacifice ſuſcipiens, ſimulq; audiens decretum ſupra fati regis, libenti animo pacem firmauit eandem cum filiis ſuis & filiabus præſentibus & futuris, & cum omnibus fidelibus ſuis, eo rationis tenore, vt ſi aliquis eorum vel ipſi iniuſte aliquid contra alterum perpetrauerint, digna emendatione purgetur. Paxq; maneat perpetualiter & inconuulſa, ſacramentorum vtriuſq; partis ſtigmate ſtipulata. Ex parte ſcilicet regis* Ethelredi, Edelſinus *præſul Sanctæ* Schireburnenſis *Eccleſiæ, &* Leofſtanus Alfwoldi *filius &* Ederelnothus Wlſtani *filius. Ex parte* Richardi, Rogerius *Epiſcopus*, Rodulphus Hugonis *filius,* * Truteno *filius* Thurgis. *Actum* Rothomago *Kalend. Martii, anno ab incarnatione Domini, nongenteſimo nonageſimo primo. Indictione quarta. Et de hominibus Regis vel de inimicis ſuis, nullum* Richardus *recipiat, nec rex de ſuis ſine ſigillo eorum.*

al. Natalis.

al. Ethelwodum.

al. Turſtine.

De hoc ſane *Iohanne* qui & *Gerbertus* dictus eſt non abſurdum erit (vt opinor) ſi literis mandemus quæ per omnium ora volitant. Ex Gallia natus Monachus à puero apud Floriacum adoleuit; moxque cum Pytagoricum biuium attigiſſet, ſeu tædio Monachatus, ſeu gloriæ cupiditate captus nocte profugit Hiſpaniam animo præcipue intendens vt Aſtrologiam, & cæteras id genus, artes à Saracenis addiſceret. Hiſpania olim multis annis à Romanis poſſeſſa, tempore *Honorii* imperatoris in ius Gothorum conceſſerat: vſque ad tempora beati Gregorii, tunc per *Leandrum* Epiſcopum Hiſpanenſem, & per *Richardum* regem fratrem *Hermingildi*, quem pater nocte Paſchali pro fidei confeſſione interfecerat Gothi Catholico choro vniti ſunt. Succeſſit *Leandro Iſidorus* doctrina, ſanctitateq; nobilis; cuius corpus noſtra ætate *Aldefonſus* rex Gallitiæ Toletum tranſtulit, ad pondus auro comparatum. Saraceni enim, qui Gothos ſubiugarant, ipſi quoq; à *Carolo magno* victi Gallitiam & Luſitaniam maximas Hiſpaniæ prouincias amiſerunt. Poſſident vſq; hodie ſuperiores regiones. Et ſicut Chriſtiani Toletum, ita ipſi Hiſpalim, quam *Sibiliã* vulgariter vocant, caput regni habent, diuinationibus & incantationibus more gentis familiari ſtudentes. Ad hos igitur (vt dixi) *Gerbertus* perueniens, deſiderio ſatisfecit. Ibi vicit ſcientia

Ptolo-

Ptolemæum in Aſtrolabio, *Alcandræum* in Aſtrorum interſtitio, *Iulium Firmicum* in fato. Ibi quid cantus & volatus auium portendit, didicit. Ibi excire tenues ex inferno figuras; ibi poſtremo quicquid vel noxium vel ſalubre curioſitas humana deprehendit. Nam de licitis artibus Arithmetica, Muſica, & Geometria, nihil attinet dicere, quas ita ebibit, vt inferiores ingenio ſuo oſtenderet, & magna induſtria reuocaret in Galliam omnino ibi iam pridem obſoletas. *Abacum* certe primus à Saracenis rapiens, regulas dedit, quæ à ſudantibus abaciſtis vix intelliguntur. Hoſpitabatur apud quendam ſectę illius Philoſophũ, quem multis primo expenſis, poſt etiam promiſſis demerebatur. Nec deerat Saracenus quin ſcientiam venditaret, aſſidere frequenter, nunc de ſeriis, nunc de nugis colloqui, libros ad ſcribendum præbere. Vnus erat codex totius artis conſcius, quem nullo modo elicere poterat. Ardebat contra *Gerbertus* librum quoquo modo ancillari. *Semper enim in vetitum nitimur, & quicquid negatur pretioſius putatur.* Ad preces ergo conuerſus orare per Deum, per amicitiam, multa offerre, plurima polliceri. Vbi id parum procedit nocturnas inſidias tentat. Ita hominem (conniuente etiam filia, cum qua aſſiduitas familiaritatem parauerat) vino inuadens, volumen ſub ceruicali poſitum arripuit, & fugit. Ille ſomno excuſſus, indicio ſtellarum, qua peritus erat arte, inſequitur fugitantem. Profugus quoq; reſpiciens, eademq; ſcientia periculum comperiens ſub ponte ligneo, qui proximus erat, ſe occuluit, pendulus & pontem amplectens, vt nec aquam nec terram tãgeret. Ita quærentis auiditas fruſtrata domum reuertitur. Tunc *Gerbertus* viam celerans, deuenit ad mare. Ibi per incantationes Diabolo accerſito, perpetuum paciſcitur dominium ſi ſe ab illo, qui denuo inſequebatur, defenſatum vltra pelagus eueheret. Et factum eſt. Sed hæc vulgariter ficta crederet aliquis, eo quod ſoleat populus literatorum famam lædere, dicens illum loqui cum dæmone, quem in aliquo viderint excellentem opere. Vnde *Boætius* in libro de Conſolatione Philoſophiæ, queritur propter ſtudium ſapientię ſe de talibus notatum, quaſi conſcientiam ſuam ſacrilegio polluiſſet ob ambitum dignitatis. Non conueniebat, inquit, viliſſimorum me ſpirituum præſidia captare, quem tu in hanc excellentiam componebas, vt conſimilem Deo faceres. Atqui hoc ipſo videmur affines maleficio, quod tuis imbuti diſciplinis, tuis inſtituti moribus ſumus. Hæc *Boætius*. Mihi vero fidem facit de iſtius ſacrilegio, inaudita mortis excogitatio. Cur enim ſe moriens, vt poſtea dicemus, excarnificaret ipſe ſui corporis horrendus laniſta, niſi noui ſceleris conſcius eſſet. Vnde in vetuſto volumine quod in manus meas incidit, vbi omnia Apoſtolicorum nomina continebantur & anni, ita ſcriptum vidi. *Ioannes* qui & *Gerbertus* menſes decem: hic turpiter vitam ſuam finiuit.

Gerbertus Galliam repatrians, publicaſq; ſcholas profeſſus artem magiſterii attigit; habebat conphiloſophos, & ſtudiorum ſocios; *Conſtantinum* Abbatem monaſterii ſancti *Maximini*, quod eſt iuxta Aurelianis, ad quem edidit regulas de Abaco: * *Ethelbaldum* Epiſcopum, vt dicunt, Winteburgenſem, qui & ipſe monimenta ingenii dedit in Epiſtola, quam facit ad *Gerbertum* de quæſtione diametri ſuper *Macrobium*, & in nonnullis aliis. *al. Adelboldum.* Habuit diſcipulos prædicandæ indolis & proſapiæ nobilis, *Robertum* filium *Hugonis* cognomento *Capet Othonem*, filium *Othonis* imperatoris. *Robertus* poſtea Rex Franciæ magiſtro vicem reddidit, & Archiepiſcopum Rhemenſem fecit. *Extant* enim apud illam Eccleſiam doctrinæ ipſius documenta, horologium arte mechanica compoſitum, organa hydraulica, vbi mirum in modum per aquæ calefactæ violentiam ventus emergens implet concauitatem barbiti, & per multiforatiles tranſitus æreæ fiſtulæ modulatos clamores emittunt. Et erat ipſe Rex in Eccleſiaſticis cantibus non mediocriter doctus, & tum in hoc, tum in cæteris multum Eccleſiæ profuit. Deniq; pulcherrimam ſequentiam, Sancti Spiritus, nobis aſſit gratia, & reſponſorium, Iuda & Ieruſalem contexuit, & alia plura, quæ non pigeret me dicere, ſi non alios pigeret audire. *Otho* poſt patrem Imperator Italiæ, *Gerbertum* Archiepiſcopum Rauennatem, & mox Papam Romanum creauit. Vrgebat ipſe fortunas ſuas fautore Diabolo, vt nihil quod ſemel excogitaſſet, imperfectum relinqueret. Deniq; theſauros olim à gentilibus defoſſos, arte necromantiæ, molibus eruderatis inuentos cupiditatibus ſuis implicuit. Adeo improborum in Deum vilis affectus, & eius abutuntur patientia, quos ille redire mallet quam perire. Sed reperit tandẽ vbi magiſter ſuus hæreret, & vt dici ſolet, quaſi cornix cornici oculos effoderet, dum pari arte tentamentis eius occurreret. Erat iuxta Romam in campo Martio ſtatua, ærea aut ferrea incertum mihi, dextræ manus indicem digitum extentum habens, ſcriptum quoq; in capite: *percute.* Quod ſuperioris æui homines ita intelligendum rati, quaſi ibi Theſaurum inuenirent; multis ſecurium ictibus innocentem ſtatuam laniauerant. Sed illorũ *Gerbertus* redarguit errorem, longe aliter ambiguitate diſſoluta. Namque meridie, ſole in-

centro exiſtente; notans quo protenderetur vmbra digiti, ibi palum figit, mox ſuperueniente nocte, ſolo cubiculario laternam portante comitatus, eo contendit. Ibi terra ſolitis artibus dehiſcens latum ingredientibus patefecit introitum; conſpicantur ingentem regiam, aureos parietes, aurea lacunaria, aurea omnia, milites aureos aureis teſſeris quaſi animum oblectantes; regem metallicum cum regina diſcumbentem, appoſita obſoniis, aſtantes miniſtros, pateras multi ponderis & pretii, vbi naturam vincebat opus. In interiori parte domus carbunculus lapis inprimis nobilis, & paruus intuitu tenebras noctis fugauit. In contrario angulo ſtabat puer arcum tenens extento neruo, & arundine intenta. Ita in omnibus cum oculos ſpectantium ars precioſa raptaret, nihil erat quod poſſet tangi etſi poſſet videri. Continuo vt quis manum ad contingendum aptaret, videbantur omnes illæ imagines proſilire, & impetum in præſumptorem facere. Quo timore *Gerbertus* preſſus, ambitum ſuum fregit, ſed non abſtinuit cubicularius, quin mirabilis artificii cultellum, quem menſæ impoſitum viderat, abriperet; arbitratus ſcilicet in tanta præda, paruum latrocinium poſſe latere. Verum mox omnibus imaginibus cum fremitu exſurgentibus, puer quoq; emiſſa arundine in carbunculum tenebras induxit, & niſi ille monitu Domini cultellum reiicere acceleraſſet, graues ambo pœnas dediſſent. Sic inſatiata cupiditatis voragine, laterna greſſus ducente diſceſſum. Talia illum aduerſis pręſtigiis machinatum fuiſſe, conſtans vulgi opinio eſt. Veruntamen ſi quis verum diligenter exculpat, videbit non *Salomonem*, cui Deus ipſe dederat ſapientiam, huiuſce inſcium commenti fuiſſe. Vt enim *Ioſephus* author eſt, Theſauros multos cum Patre defodit in loculis, qui erant (inquit) mechanico modo reconditi ſub terra: nec *Hircanum* prophetia, & fortitudine clarum, qui vt obſidionis leuaret iniuriam, de *Dauidis* ſepulchro tria millia talenta auri arte mechanica eruit, vt obſeſſori partem enumeraret, parte Zenodochia cõſtrueret. At vero *Herodes* qui magis præſumptione, quam conſilio idem aggredi voluit, multos ex ſatellitibus igne ex interiore parte prodeunte amiſit. Pręterea cum audio Dominum Ieſum dicentem. Pater meus vſque modo operatur & ego operor; credo quod qui dederit virtutem *Salomoni* ſuper Dæmones, vt idem hiſtoriographus teſtatur, adeò vt dicat ſuo etiam tempore viros fuiſſe, qui illos ab obſeſſis corporibus expellerent, appoſito naribus patientis annulo habente ſigillum, à *Salomone* monſtratum, credo, inquam, quod & iſti hanc ſcientiam dare potuerit, nec tamen affirmo quod dederit.

DE QVODAM PRODIGIO.

SED hæc lecturis relinquens, dicam quid à quodam loci noſtro Monacho genere Aquitanico, ætate prouecto, arte medico, in pueritia audiſſe me memini. Ego, aiebat, ſeptennis, deſpecta exilitate patris mei, municipis Barcinonenſis admodum tenuis, tranſcendens niues Alpinas in Italiam veni. Ibi vt id ætatis puſio ſumma inopia victum quæritans, ingenium potius quam ventrem colui. Adultus autem multa illius terræ miracula oculis hauſi, & memoriæ mandaui: Inter quæ vidi montem perforatum vltra quem accolæ ab antiquo æſtimabant theſauros Octauiani *reconditos. Ferebantur etiam multi cauſa ſcrutandi ingreſſi per anfractus, & ſemita viarum intercepti periiſſe. Sed quia nullus fere timor auidas mentes ab incœpto reuocat, ego cum ſodalibus meis viris circiter duodecim, ſeu prædandi, ſeu videndi ſtudio, illud iter meditabar ingredi. Itaque* Dædali *ſecuti ingenium, qui* Theſeum *de Laberintho filo eduxit prauio, nos quoque glomus ingens portantes paxillum in introitu fiximus; ibi principio fili ligato accenſis laternis, ne præter deuia etiam cæcitate impediremur, deuoluto glomere, & per vnum quodque milliarium paxillo appoſito, ſub cauerna montis quomodocunque iter noſtrũ direximus. Cæca erant omnia, & magni horroris plena; veſpertiliones de concauis egredientes oculos & ora infeſtabant: ſemita arcta, & à læua præcipitio, & ſubterlabente fluuio timenda. Vidimus tramitem veſtitum nudis oſſibus, fleuimus cadauera tabo adhuc fluentia hominum, quos eadem quæ nos, ſpes raptaſſet, poſt introitum non valentium inuenire exitum. Tandem aliquando poſt multos timores, ad egreſſum vlteriorem peruenientes, vidimus ſtagnum aquis criſpantibus placidum, vbi dulcibus illis allapſibus alludebat vnda littoribus; pons æreus vtramque ripam continuabat; vltra pontem videbantur miræ magnitudinis equi aurei, cum aſſeſſoribus æque aureis, & cætera quæ de* Gerberto *dicta ſunt. In quibus die medio iubar Phœbi infuſum, duplicato fulgure oculos intuentium hebetabat. Nos qui hæc eminus videntes propriori aſpectu delectaremur aſportaturi, ſi ſors ſineret, aliquam ſplendidi metalli cruſtam; hortamine alterno animati ſtagnum traſire paramus. Sed nequicquam cum enim quidam cæteris præruptior citeriori margini pontis pedem imponeret, continuo (quod mirum auditu ſit) ille depreſſo, vlterior eleuatus eſt, producens ruſticum æreum, cum æreo malleo,*

quo

*quo ille vndas verberans, ita obnubilauit aera, vt diem cœlumq́; ſubtexeret. Retracto pede, pax fuit; tentatum idem à pluribus idemq́; expertum. Itaq; deſperato tranſitu, aliquantum ibi conſtitimus, & quamdiu potuimus ſolo ſaltem viſu libauimus aurum. Mox per veſtigia fili regreſſi pateram argenteam reperimus: qua in fruſta deſecta, & minutatim partita pruritum auiditatis noſtræ tantummodo irritantes, non fami fecimus ſatis. Poſtero die collato conſilio, magiſtrum quendam illius temporis audiuimus, qui dicebatur nomen Domini ineffabile ſcire, interrogatus ſcientiam non inficiatur, adiiciens quod tanta eſſet nominis eius virtus, vt nulla ei magia, nulla ei Matheſis obſiſtere poſſet. Ita multo pretio redemptus, ieiunus & * confeſſus, nos eodem modo paratos, duxit ad fontem. De quo hauſta aqua in fiala argentea, tacens digitis literas figurabat, donec oculis intelleximus, quod ſus ore effari nequiremus. Tunc fiducialiter ad montem acceſſimus, ſed exitum vlteriorem à dæmonibus credo obſtipatum offendimus, inuidentibus ſcilicet nomini Dei, quod eorum commenta refellerit. Venit mane ad me Necromanticus Iudæus, quem audita geſtorum fama exciuerat; percunctatuſq; rem, vbi ſocordiam noſtram accepit multo cachinno bilem ſuccutiens, quin tu, inquit, videas, licebit, quantum potentia meæ artis valeat. Et incunctanter montem introiens, non multo poſt egreſſus eſt, multa quæ vltra fluuium notaueram, ad indicium tranſitus ſui afferens, puluerem ſane locupletiſſimum, quo quicquid contingeretur, in aurum flaueſcebat; non quod ita pro vero eſſet, ſed quod ita videretur, quoad aqua dilueretur. Nihil enim quod per Necromantiam fit, poteſt in aqua aſpectum fallere intuentium.* Confirmat veritatem ſermonis mei, res quæ eodem tempore acciderat.

* al. confuſus.

Erant in ſtrata publica, qua Romam itur, duæ aniculæ, quibus nihil bibacius, nihil putidius, vno commorantes tugurio, vno imbutæ maleficio: hæ hoſpitem, ſi quando ſuperueniebat ſolus, vel equum, vel ſuem, vel quodlibet aliud videri faciebant; & mercatoribus vænum proponebant, nummos inde acceptos abligurientes. Et forte quadam nocte quendam ephæbum, qui motibus hiſtrionicis victum exigeret, excipientes hoſpitio, aſinum videri fecerunt, magnum ſuis commodis emolumentum habentes aſinum, qui tranſeuntium detineret oculos miraculo geſtuum. quocunque enim modo præcepiſſet anus, mouebatur aſinus. Nec amiſerat intelligentiam, etſi amiſerat loquelam. Multum itaq; quæſtum conflauerant vetulæ, vndique confluente multitudine vulgi, ad ſpectandos ludos aſini. Rumorq́; vicinum diuitem aduocauit, vt quadrupedem non paucis nummis in vſus ſuos transferret; admonitus vt ſi perpetuum vellet habere hiſtrionem, arceret eum aqua. Cuſtos ergo appoſitus mandatum ſeuere exequebatur. Præteriit plurimum tempus: Aſinus quando temulentia dominum ſuum in gaudium excitaſſet, conuiuas iocis ſuis lætificabat. Sed ſicut rerum omnium faſtidium eſt, diſſolutius poſt hæc haberi cœpit, quapropter incautiorem nactus cuſtodiam, abrupto loro effugiens, in proximum lacum ſe proiecit: & diutius in aqua volutatus, figuram ſibi humanam reſtituit. Cuſtos ab obuiis ſciſſitatus, illumque veſtigiis inſecutus, interrogatus an vidiſſet aſinum, refert ille ſe aſinum fuiſſe, modo hominem, omnemq́; caſum exponit. Miratus famulus ad dominum detulit; dominus ad Apoſtolicum Leonem, *dico noſtro ſeculo ſanctiſſimum; conuictæ anus idem fatentur. Dubitantem Papam confirmat* Petrus Damianus *literaturæ peritus, non mirum ſi hæc fieri poſſent. Productoq́; exemplo de* Simone Mago, *qui* Fauſtinianum *in* Simonis *figura videri, & à filiis horreri fecit, inſtructiorem de cætero in talibus reddidit.*

Hæc Aquitannici verba ideo inſerui, ne alicui mirum videatur, quod de *Gerberto* fama diſperſit, fudiſſe ſibi ſtatuæ caput, certa inſpectione ſyderum, cum videlicet omnes planetæ exordia curſus ſui meditarentur, quod non niſi interrogatum loqueretur, ſed verum vel affirmatiue vel negatiue pronunciaret. Verbi gratia, cum diceret *Gerbertus*, ero Apoſtolicus? reſponderet ſtatua, Etiam. Morior antequam cantem miſſam in Ieruſalem? Non. Quo illum ambiguo deceptum * ferunt, vt nihil excogitaret pœnitentię, qui animo blandiretur ſuo de longo tempore vitæ. quãdo enim Ieroſolymam ire deliberaret, vt mortem ſtimularet? Nec prouidit, quod eſt Romę Eccleſia Ieruſalem dicta, id eſt, viſio pacis: quod quicunq; illuc confugerit, cuiuſcunque criminis obnoxius, ſubſidium inueniet. Hanc in ipſius vrbis rudimentis aſylum accepimus dictam, quod ibi *Romulus*, vt augeret ciuium numerum, ſtatuiſſet omnium reorum refugium. Ibi cantat miſſam Papa tribus Dominicis, quibus prætitulatur Statio ad Ieruſalem. Quocirca cum vno eorum dierum *Gerbertus* ad miſſam ſe pararet inualetudinis ictus ingemuit, eademq́; creſcente decubuit; conſulta ſtatua deceptionem ſuam & mortem cognouit. Aduocatis igitur Cardinalibus, diu facinora ſua deplorauit; quibus inopinato ſtupore percuſſis, nec aliquid valentibus referre, ille inſaniens & præ dolore ratione hebetata minutatim ſe dilaniari, & membratim foras proiici iuſſit. Habeat inquiens, membrorum officium, qui eorum quæſiuit hominum; namq́; animus meus nunquam illud adamauit ſacramentum imo ſacrilegium.

* al. fertur.

Et quia diuerticulum feci, puto non inhoneſtum, ſi dicam quod in Saxonia tempore iſtius regis accidit, & non adeo notum, anno Dominicæ incarnationis, 1012. Melius eſt

ſpatiari in talibus quam immorari in rebus eius ignauis, & triſtibus. Quod profecto erit iocundius ſi ab antiquitate ſcriptum illius, qui paſſus eſt, appoſuero: ſimul & propius vero videbitur, quam ſi meis texuiſſem literis. Præterea non indecens opinor, ſi multicolori ſtylo varietur oratio.

Ego Ethelbertus *peccator, & ſi vellem celare quod in me factum eſt, diuinum iudicium, mẽbrorũ meorum tremor proderet; quod quemadmodũ factum ſit referam, vt omnibus innoteſcat, quanta ſit pœna inobedientiæ. Eramus ad Vigilias Natalis Domini, in villa quadam Saxoniæ, vbi erat eccleſia* Magni *Martyris, presbyter nomine* Robertus *miſſam primam inchoauerat; ego in cœmiterio cum ſodalibus octodecim, viris quindecim, fœminis tribus, choreas ducens, & cantilenas ſeculares perſtrepens, ita ſacerdotem impediebam, vt ipſa verba noſtra intra ſacroſancta miſſarum ſolẽnia reſonaret. Quocirca mãdato nobis vt taceremus & neglecto, imprecat⁹ eſt, dicẽs. Placeat Deo & ſancto* Magno *vt ita cantantes permaneatis vſq; ad annum. Verba pondus habuerunt. Filius presbyteri* Iohannis *ſororem ſuam nobiſcum cantantem, per brachium arripuit, ſtatimq́; illud à corpore auulſit, ſed gutta ſanguinis non exiit. Ipſa quoque toto anno nobiſcum permanſit choreas ducens, & cantans, pluuia non cecidit ſuper nos, nec frigus, nec calor, nec fames, nec ſitis, nec laſſitudo nos affecit. indumenta nec calceamenta noſtra attriuimus; ſed quaſi vecordes cantabamus. Primum ad genua, mox ad fœmora terræ demerſi ſumus. Fabrica tecti aliquando nutu Dei ſuper nos erigebatur, vt pluuias arceret. tandem euoluto anno* Herbertus *ciuitatis Colonienſis Epiſcopus à nodo, quo manus noſtræ ligabantur, nos abſoluit, & ante altare ſancti* Magni *reconciliauit. Filia presbyteri cum aliis duabus continuo efflauit, cæteri continuis tribus diebus & noctibus dormiuimus, aliqui poſtea obierunt, & miraculis coruſcant, cæteri pœnam ſuam tremore membrorum produnt.* Datæ ſunt nobis hæ literæ à domino *Peregrino Herberti* ſucceſſore, anno Dominicæ incarnationis milleſimo tertio decimo.

In hac vrbe (quæ olim *Agrippina* ab *Agrippa* genero *Auguſti* dicta, poſtea à *Traiano* Imperatore Colonia denominata eſt, quod ibi in Imperium allectus, colonias ciuium Romanorũ eò deduxerit:) In hac inquam ciuitate fuit Epiſcopus quidam præclarus religione, quamuis turpis corpore; cuius vnum miraculum, quod moriens prędixit, referam; ſi prius dixero, quam inſolitus caſus eum in tanto culmine faſtigiauerit. Imperator terræ illius, Dominica illa, quæ vocatur quinquageſima, venatum pergens, ſolus ad oram ſyluæ deuenit, omnibus comitibus diſperſis, iuxta quam habebat Eccleſiam ille presbyter agreſtis, deformis ſane, & pene portentum naturæ. Imperator militem ſe mentitus ſuppliciter rogat miſſam, ille confeſtim parat, alter interea voluebat animo, quare Deus, à quo formoſa cuncta procedunt, tam deformem hominem ſacramẽta ſua conficere ſineret; mox cum ad verſum tractus ventum eſſet, *Scitote, quoniam Dominus ipſe eſt Deus*, ſacerdos, ſocordiam pueri familiaris increpitans reſpexit, & concitatiori voce quaſi cogitanti imperatori reſponderet; dixit, *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* Quo dicto percuſſus Imperator æſtimans eum propheticum virum, inuitum & renitentem ſublimauit in Archiepiſcopum Coloniæ, quod tamen ſemel ſuſceptum dignis moribus honeſtauit: bene agentes blande appellare, improbos excommunicationis ſtigmate inurere ſine perſonarum acceptione. Multa illius acta conſtãnter accolæ prædicant, quorum vnum pro ſuſcepti operis breuitate lector percurret. In monaſterio ſanctimonialium vrbis illius erat virgo quædam, quæ illic magis parẽtum officio, quam bonæ vitæ ſtudio adoleuerat; hæc & ſpeciei lenocinio, & dulci ad omnes colloquio amatores inuitabat, ſed cum cæteri vel timore Dei, vel pro infamia ſeculi cupiditates ſuas cohiberent; vnus, quem & opum congeries, & alta progenies in proteruiam accenderant, abrupit quod legis quod iuſtitiæ, puellæ virginale expugnare auſus; abductamq́; domum loco iuſtæ coniugis habuit. tranſiit multum tempus in Abbatiſſæ precibus, in propinquorum admonitionibus, ne tam fœdo facinori aſſueſceret. ille ſurdis auribus admonentes tranſiens, velut pelagi rupes immota reſiſtit. At cum *al. igitur* forte antiſtes aberat, Curiæ curis implicitus, regreſſo res nunciatur, mandat * ille continuo, vt ouis ouili reſtituatur; ita multis verbis vltro citroq́; habitis mulier monaſterio redditur. Sed non multo poſt abſceſſu pontificis aucupato abripitur. tunc in delinquentem excommunicatio promulgatur, ita vt nullus ciuium cum eo colloqui, nullus conuiuari auderet. quam ille iniuriam parui penſans, in prædia iuris ſui longe abiit, non vt præceptũ foueret, ſed vt arbitrium fugeret. ibi cum excommunicata ſua vitam tranſigens, homo factioſus, & potens. Sed cum Deus Epiſcopum ad ſuperos euocaret, & graui dolore membra depaſtus in lecto decumberet; conuenerunt vndique compatriotæ, vt extremæ benedictioni beati viri communicarent; ſolus ille venire non præſumens, ſubornauit aliquos, qui pro ſe loquerentur. Eius nomen auditum primo pontifex gemitu excepit, inde ſubiecit verba; verba ipſa dicturus ſum. *Si miſer ille maledictam illam mulierem deſeruerit, ſit*

abſo-

ictus; ſi perſtiterit poſteriori anno hac eadem die & hora qua ego decedam, ſit ante Deum reddere rationē paratus: videbitis autem me quando ſignum ad ſextam inſonuerit efflare. nec fides verbis defuit, nam & iſte hora, qua prædixerat, defunctus, & ille anno euoluto eadem die & hora cum amica fulmine ictus & exanimatus eſt.

At vero rex *Ethelredus* martyrizato, vt prædiximus, *Elphegò*, dedit Epiſcopatum cuidam Epiſcopo Liuingo. Reſederat autem in Anglia *Turkillus* Danus, qui fuerat incentor, vt lapidaretur Archiepiſcopus; habebatq; Orientales Anglos ſuæ voluntati parentes. Nam cæteri, dato ab Anglis octo millium librarum tributo, per vrbes & agros, quo quiſque commodius poterat, dilapſi; quindecim eorum naues cum hominibus regis fidem ſecutæ. *Turkillus* interea regem patriæ ſuæ *Swanum* nunciis accerſit, vt Angliam veniat, præclaram narrat eſſe patriam & opimam, ſed regem ſtertere; illum Veneri vinoque ſtudentem nihil minus quam bellum cogitare. Quapropter odioſum ſuis, ridiculum alienis, duces inuidos, prouinciales infirmos, primo ſtridore lituorum prælio ceſſuros.

Erat *Swanus* in ſanguinem pronus, nec ei magno hortamento opus erat, nauibus itaque paratis tranſitum maturauit; Sanvvich vocatur portus, vbi appulit, vltionem præcipue *Gunhildis* ſororis intendens animo. Hæc non illepidæ formæ virgo Angliam cum *Palingo* marito potenti Comite venerat, & accepta Chriſtianitate, obſidem ſe Danicæ pacis fecerat. Eam cum cæteris Danis infauſtus furor *Edrici* decapitare iuſſerat, pronunciantem quod ſui ſanguinis effuſio magno toti Angliæ foret diſpendio. Et illa quidem mortem præſenti tulit animo, quia nec moritura expalluit, nec mortua, conſumpto etiam ſanguine, vultum amiſit, occiſo prius ante ora marito, & filio commodæ indolis puero, quatuor lanceis forato. Tunc ergo *Swanus* per Orientales Anglos profectus in Northanimbros, ditioni ſuæ eos ſine pugna ſubdidit, non quod in illorum mentibus genuinus ille calor, & dominorum impatiens refriguerit, ſed quod princeps eorum *Vthredus* primus exemplum defectionis dederit. Illis ſub iugum miſſis, cæteri quoque omnes populi, qui Angliam ab Aquilone inhabitant, vectigal & obſides dederunt. Mox ad Auſtrales regiones veniens Oxenefordenſes & Wintonienſes leges ſuas adorare coegit; ſoli Londonienſes regem legitimum intra mœnia tutantes portas occluſerunt. Dani contra ferocius aſſilientes, ſpe gloriæ virtutem alebant. Oppidani in mortem pro libertate ruebant, nullam ſibi veniam futuram arbitrantes, ſi regem deſererent, quibus ipſe vitam ſuam commiſerat. Ita cum vtrinque acriter certaretur, iuſtior cauſa victoriam habuit ciuibus magna ope conantibus, dum vnuſquiſque ſudores ſuos principi oſtentare, & pro eo pulchrū putaret emori. Hoſtium pars proſtrata, pars in flumine Tameſi necata, quod in præcipiti furore pontem non exſpectauiſſent. Lacero agmine petit *Swanus* Bathoniam, ibi * *Ethelmerus* Occidentalis regionis Comes cum ſuis omnibus manus ei dedit. Nec adhuc flecterentur Londonienſes, tota iam Anglia in clientelam illius inclinata, niſi *Ethelredus* præſentia eos deſtitueret ſua. Quippe homo inertiæ deditus, & formidine meritorum nullum ſibi fidelem metiens, belliq; & obſidionis neceſſitatem ſubterfugiens, illos fuga ſua reliquit in medio. Quocirca rebus extremis medentes, compatriotarum exemplo ſe dedidere. Laudandi prorſus viri, & quos Mars ipſe collata non ſperneret haſta, ſi Ducem habuiſſent. Cuius dum vel ſola vmbra protegerentur, totius pugnæ aleam, ipſam obſidionem etiam, non paucis menſibus luſerant. Ille interea naturalis deſidiæ conſcientiam excitans, ab vrbe profugit; cumque clandeſtinis itineribus Hamptoniam veniſſet, inde *Wetham enauigauit. Ibi Abbates & Epiſcopos, qui nec in tali neceſſitate dominum ſuum deſerendum putarent in hanc conuenit ſententiam. Viderent, quam in anguſto res eſſent ſuæ, & ſuorum ſe perfidia Ducum auito extorrem ſolio, & opis egentem alienæ, in cuius manu aliorum ſolebat ſalus pendere; quondam Monarcham & potentem, modo miſerum & exulem, dolendam ſibi hanc commutationem, quia facilius toleres opes non habuiſſe, quam habitas amiſiſſe. Pudendam Anglis eo magis, quod deſerti ducis exemplum proceſſurum ſit in orbem terrarum. Illos amore ſui ſine ſumptibus voluntariam ſubeuntes fugam, domos & facultates ſuas prædonibus expoſuiſſe, in arcto eſſe victum omnibus, veſtitum deeſſe pluribus: probare ſe quidem fidem illorum, ſed non reperire ſalutem. adeo iam ſubiugata terra, obſeruari littora, vt nuſquam ſine periculo ſit exitus. Quapropter conſulerent in medium, quid cenſerent faciendum. Si maneant, plus à ciuibus cauendum quam ab hoſtibus. Forſitan enim crucibus ſuis noui domini gratiam mercarentur. & certe occidi ab hoſte titulatur fortunæ, prodi à ciue addicitur ignauiæ. Si ad exteras gentes fugiant, gloriæ fore diſpendium, ſi ad notas metuendum ne cum fortuna colerent animum. Plæroſq; enim probos & illuſtres viros hac

al. Edelmerus.

al. Weſtham, id eſt, inſulā Vectam.

occaſione cæſos. experiendam tamen ſortem, & tentandum pectus *Richardi* Ducis Normannorum; qui ſi ſororem & nepotes non ingrato animo ſuſceperit, ſe quoque nō aſpernanter protecturum. Vadabitur enim, inquit, mihi meam ſalutem coniugi & liberis impenſus fauor. Quod ſi ille aduerſum pedem contulerit, non deerit mihi animus, plane non deerit, quin malim hic glorioſe occumbere, quam illic ignominioſe viuere. Quocirca hoc interim menſe Auguſto dum clementior aura cōponit pelagus, *Emma* ad fratrem nauiget; communia pignora apud eum depoſitura; ſint comites eorum Epiſcopus de Dunelmo, & Abbas de Burgo. Ego hic vſq; ad natalem Domini manebo, ſi bona nunciauerit, ſubſequuturus continuo.

Soluto conuentu paretur ab omnibus: nauigant illi Normanniam, ipſe ſerenæ famæ auidus interim reſidet. Mox a tranſmarinis nunciatum partibus, *Richardum* ſuſcepiſſe ſororem magna alacritate, regem quoque inuitare, vt ſuos dignetur lares. Ita *Ethelredus*, menſe Ianuario Normanniam veniens, miſerias ſuas ſedulitate hoſpitis conſolatus eſt. Erat ille *Richardus* filius *Richardi* primi, qui fœlicitate & probitate ſua patrem æquarit: certe in Dei rebus maior. Cœnobium Fiſcanenſe, quod pater inchoauerat, iſte ad ſummum manum euexit. Orationibus & frugalitati adeo intentus, vt nullum monachum, nullū heremitam deſiderares. Humilitate cernuus, vt laceſſentium ceruicoſitates patentia ſibi ſubſterneret denique fertur quod noctibus cuſtodias famulorum fallens, incomitatus ad matutinas monachorum venire ſolitus fuerit, genu flexionibus vſque ad lucem incumbens. Id præſertim apud Fiſcanum exercens quadam nocte maturius ſe agebat, cumq; inueniſſet oſtium obſeratum excuſſo violentius peſſulo, ſoporem Sacriſtæ turbauit. Ille miratus in tali noctis horrore pulſantis ſtrepitum, ſurrexit, vt videret tam audacis facti conſcium; reperienſq; vt videbatur ruſticum, plebeio tectum amictu, non potuit animo ſuo imperare, vt manibus temperaret; ſed vehementi felle commotus crinem inuadit, multos illuſtri viro colaphos infringens; durat ille incredibili patientia, nec mutire dignatus. Poſtero die querelam in capitulo depoſuit, itaque ſimulata, monachum ad vicum Argentias ſibi præcepit occurrere, minitans ſe vlturum in eius peruicacia, quod tota loqueretur Gallia. Die dicta monacho aſtante & præ metu pene exanimato, rem proceribus exponit, atrocitatem facti per amplificationem exaggerans; conantem reum reſpondere callidis obiectionibus aliquandiu ſuſpendit. Poſtremo vt iocundior eſſet miſerationis materia, ab optimatibus clementer iudicatum abſoluit, totumq; vicum illum, qui optimi vini ferax eſſe dicitur, cum appenditiis ſuis officio eiuſdem Sacriſtæ addixit, pronuntians optimum eſſe monachum, qui bene cuſtodiens munus iniunctum, nec percitus ira laxauerit ſilentium. Poſt viginti & octo annos Ducatus mortis viam ingrediens iubet corpus ſuum ſepeliri ad oſtium Eccleſiæ, vbi & pedibus calcantium, & ſtillicidiis ex alto rorantibus eſſet obnoxium. Sed noſtro tempore *Gulielmus* loci illius Abbas tertius, rem deformem eſſe permenſus longam ſuſtulit inuidiam, & inde leuatum ante maius altare locauit. Habuit fratrem *Robertum*, quem Archiepiſcopum fecit Rothomagi, in hoc ſane non parua maculа gloriam aſpergens. Nam ille immaniter honore abuſus, multa primo facinora, multa flagitia commiſit; ſed poſt in ſenium vergēs, eleemoſynis largiſſimis haud dubiè quædam deleuit. Poſt *Richardum* filius eiuſdem nominis principatum ſortitus vixit anno vix vno. Opinio certe incerta vagatur, quod conniuentia fratris *Roberti*, quem *Richardus* ſecundus ex *Iuditha* filia Comitis Brittonum *Conani* ſuſceperat, vim iuueni venefica conſciuerit. Cuius rei gemens conſcientiam, Ieroſolymam poſt ſeptem annos comitatus abierit; magnæ laudis cauſam tunc temporis adorſus, vt iter motibus ſuſpectum barbaricis, ritibus diuerſum Saracenis, cum paucis inuaderet. Pertendit tamen nec abſtitit totam * viam ſalubriter emenſus, multoque auro introitum mercatus, illud Chriſtianorum decus, ſepulchrum, dico, dominicum nudipes & lachrymans veneratus eſt. Hoc labore apud Deum (vt credimus) fœderata gratia, domumque reuertens apud Niciam vrbem Bithiniæ dies impleuit, veneno vt dicitur interceptus; authore miniſtro *Radulpho* cognomēto *Mowino*, qui ſcelus illud ſpe ducatus animo ſuo extorſerit. Sed Normanniam regreſſus, re cognita ab omnibus quaſi monſtrum exufflatus in exilium perpetuum diſceſſit. Succeſſit *Roberto Gulielmus* filius puerulus, de quo in conſequentibus dicturus, nunc quod inſtat repetam.

* al. vitam.

Swanus interea, modo quo diximus, inuaſam Angliam rapinis, & cædibus vrgebat, prouincialium ſubſtantiæ prius abraſæ; mox proſcriptiones factæ. Hæſitabatur totis vrbibus quid fieret; ſi pararetur rebellio, aſſertorem non haberent; ſi eligeretur ſubiectio, placido rectore carerent. Ita priuatæ & publicæ opes ad naues cum obſidibus deportabantur, quod non eſſet dominus ille legitimus, ſed tyrannus atrociſſimus. Sed non diu

propitia

propitia diuinitas in tanta miſeria ſiuit fluctuare Angliam. ſiquidem peruaſor continuo ad Purificationem ſanctæ *Mariæ*, ambiguum qua morte, vitam effudit. Dicitur quod terram ſancti *Edmundi* regis & Martyris depopulanti, idem Martyr per viſum apparuerit, leniterq́; de miſeria ſuorum conuentum, inſolentiuſq́; reſpondentem in capite perculerit: quo dolore tactum, in proximo vt prædictum eſt, obiiſſe. Dani *Cnutonem* filium *Swani* in regem eligunt. Angli contra, naturalem dominum chariorem ſibi pronunciantes, ſi regalius ſe, quàm conſueuerat ageret, è Normannia *Aethelredum* regem accerſunt. Ille primo mittit *Edwardum* filium, qui fidem principum, fauoremq́; vulgi præſens ſpecularetur. qui vbi omnium vota in bonam partem vidit conuenientia, ſecurus pro patre reuertitur. Ita rex regreſſus; & lætis plauſibus Anglorum delinitus, vt familiarem deſidiam videretur excuſſiſſe, maturauit contra *Cnutonem* exercitum colligere, qui tunc temporis in Lindeſeia, vbi eum genitor cum ratibus & obſidibus dimiſerat; tirones & equos exigebat, vt pariter coactis viribus in imparatos ſe effunderet, grauiter, vt ipſe dictitabat, in deſertores vlturus. ſed dolo qualem ipſe machinabatur præuentus terga oſtendit; Tunc ægre ſaluatus, & in altum cum reliquiis prouectus, ab Oriente vſque in Auſtrum mari Brittanniæ circuito ad Sandwich appulit. ibi humano & diuino iure contempto, obſides, quos habebat, magnæ nobilitatis, & elegantiæ pueros, naribus & auribus truncatos quoſdam etiam euirauit. ſic in inſontes graſſatus, & magnum quid egiſſe gloriatus patriam petiit. Eodem anno fluctus marinus, quem Græci *Euripum*, nos *Ledonem* vocamus, mirum in modum excreuit, quantum nulla hominum memoria poteſt attingere; ita vt villas vltra multa milliaria ſubmergeret, & habitatores interceptos necaret. Sequenti autem anno apud Oxenford magnum concilium eſt congregatum Danorum & Anglorum. vbi rex nobiliſſimos Danorum *Sigeferdum* & *Morcardum* interfici iuſſit, delatione proditoris *Edrici* perfidiæ apud ſe inſimulatos. Is illos fauorabilibus aſſentationib. deceptos, in triclinium pellexit, largiterq́; potatos ſatellitibus ad hoc præparatis anima exuit. Cauſa cædis ferebatur, quod in bona eorum inhiauerat. clientuli eorum necem dominorum ſuorum vindicare conantes armis repulſi & in turrim Eccleſiæ ſanctæ *Frideſwidæ* Oxoniæ coacti: vnde dum eiici nequirent, incendio conflagrati ſunt. Sed mox Regis pœnitentia eliminata ſpurcitia, ſacrarium reparatum; Legi ego ſcriptum, quod in archiuo eiuſdem Eccleſiæ continetur index facti. Vxor *Sigeferdi* Malmeſburiam in captionem eſt abducta, ſpectabilis nobilitatis & formæ fœmina. quapropter *Edmundus* Regis filius diſſimulata intentione in partes illas iter arripiens viſam concupiuit, concupitæ communionem habuit. Sane patris eludens conſcientiam, qui domeſticis & alienis eſſet ridiculo. Erat iſte *Edmūdus* non ex *Emma* natus, ſed ex quadam alia, quam fama obſcura recondit. Præter * iſtud, *al. illud* integer in cæteris prædicādæ indolis iuuenis, magni roboris & animo & corpore, & propter hoc ab Anglis Irenſide, id eſt, ferreum latus nuncupatus, qui patris ignauiam, matriſq́; ignobilitatem virtute ſua proba premeret, ſi Parcæ parcere noſſent. Nec mora nuptæ conſilio Comitatū *Sigeferdi*, qui apud Northanimbros ampliſſimus erat, à patre petitum, nec impetratum ſuapte induſtria vendicauit: hominibus eius Prouinciæ in obſequium eius facile cedentibus.

Eadem æſtate *Cnuto* compoſitis rebus in Danamarchia, fœderata cum finitimis regibus amicitia venit Angliam eo animo vt aut moriendum ſibi proponeret. Itaque à Sandwicho Cantiam, inde in Weſt-Saxoniam progrediens, omnia incendijs, cædibuſq́; fœdabat, Rege apud Cosham morbo decumbente. Tentauit quidem *Edmundus* occurrere, ſed ab *Edrico* præpeditus, copias interim tuto loco continuit. At *Edricus* non vltra diſſimulandum ratus, quin artes ſuas aperta fronte nudaret, ad *Cnutonem* cum 40. nauibus defecit: omnis quoq́; Weſt-Saxonia datis obſidibus, & armis idem fecit. Mercij vero numero & ſpe congregati, ſe ad reſiſtendum offerebant: veniret modo rex, & quo progrediēdum eſſet præciperet, duceret ſecum proceres Lōdonię, paratos eſſe ſanguinem ſuum patriæ impendere. Ille ſolitus ſalutem ſuam muris committere, non in hoſtem excurrere, Londoniæ degebat propter proditores, vt aiebat, nuſquam procedens. Alter interea partibus ſuis vrbes, & vicos applicare, nullo tempore feriari, noctibus conſultare, diebus pugnare. *Edmundus* diu deliberato conſilio in tanta rerum anguſtia optimum factu arbitratus, ſi vrbes, quæ defecerant, pugnando reciperet, in eundem ſenſum *Vthredum* quendam Transhumbranum Comitem adduxit. Cęteras enim, quæ adhuc dubio fauore pendebant, confirmandas putabant, ſi de rebellantibus graues pœnas ſumerent. ſed *Cnuto* non minori præditus aſtutia, ſimili eos ingenio circumuenit. Nam commendatis Weſt-Saxonibus & Merciorum parte, quam ſubiecerat ducibus ſuis, ipſe in Northanimbros profectus, depopulatione locorum *Vthredum* ad ſua defenſanda redire coegit. Itaque licet

ſe dediſſet, barbarica leuitate iuſſus eſt iugulari. Comitatus eius datus eſt *Iricio* quem poſtea æquales partes ſibi vendicantem, Cnuto ab Anglia expulit. Ita ſubiectis omnibus *Edmundum* per ſemetra fugitantem non prius perſequi deſtitit, quam Lõdoniam ad patrem perueniſſe cognoſceret. Tũc vſque poſt Paſcha quieuit, vt cum omnibus copiis vrbem adoriretur. Sed præuenit conatum eius mors *Ethelredi*. Nam in initio quadrageſimę die ſancti *Gregorii* animam laboribus & miſeriis natam efflauit. iacet apud ſanctum *Paulum* Londoniæ. Oppidani *Edmundum* in regem conclamant. Ipſe mox congregato exercitu apud Pennam iuxta Gillingham Danos fugauit diebus rogationum. Poſt feſtum ſancti *Iohannis* ad Scorſtanum iiſdem congreſſus æquis manibus diſceſſit. Anglis ſuis initium fugæ facientibus authore *Edrico*, qui in parte aduerſariorum ſtans, & gladium manu tenens, quem in pugna, quodam ruſtico impigre cæſo, cruentarat; Fugite, inquit, miſeri fugite, ecce rex veſter hoc enſe occiſus eſt. Fugiſſent Angli continuò niſi Rex cognita re in editum quendam collem procederet, ablata galea caput ſuum commilitonibus oſtendens. Tunc quantis poterat viribus haſtile ferreum intorquens in *Edricum* miſit, ſed ab illo præuiſum & vitatum, in militem prope ſtantem peccauit adeo vt alterum quoque affigeret. Nox prælium diremit, aciebus quaſi ex conniuentia diſcedentibus, Anglis tamen victoriam pene ſperantibus. quo facto, Weſt-Saxonum conuerſi animi dominum legitimum cognouerunt. Ipſe Londoniam contendit, vt bene meritos ciues liberaret, quos pars hoſtium ſtatim poſt diſceſſum ſuum incluſerat. foſſa etiam vrbem, qua fluuio Tameſi non alluitur, foris totam cinxerat, multaq; vulnera fecerat, & acceperat. Itaque audito Regis aduentu per prona inuadunt, ſubſecutus eos è veſtigio, & trãſito vado, quod Brenford dicitur, victorioſa ſtrage eos deleuit. Reliqua multitudo, quæ cum *Cnutone* remanſerat, *Eadmundo*, aliquantum feriato & partes ſuas componente, Londoniam iterum terra, flumineq; obſidet; ſed ab oppidanis magnanimiter pugnantibus repulſa, iram in collimitaneam Merciam effudit, vicos & villas rapinis, incendiis, cædibuſq; depopulans. Optima præda ad naues conuecta, quas in amne Medeguaia cõgregauerat. fluuius ille Roffenſem vrbem præterfluens, violentus, & rapaci gurgite minax mœnia pulchra lauat. Inde quoque rege pugnante fugata, præoccupatoq; vado, quod ſuperius nominaui Brenford, inſigni cæde profligata. Conantem vlterius tendere *Edmundum*, vt reliquias prędonum perſequeretur ad internecionem: vafer ille & peſſimus *Edricus* reuocauit, ficto iamdudum animo in gratiam reuerſus. Conſilio enim *Cnutonis* cum *Edmundo* erat, vt eius meditationes renunciaret. vltimus ille dies Danis profecto fuiſſet, ſi perſeuerandum rex putaſſet. Sed præuentus (vt dixi) ſuſurro proditoris, qui hoſtes nihil vltra auſuros affirmaret, maturum ſibi exitium & Angliæ toti parauit. Namq; illi, data via fugiendi, iterũ in vnum coaluere, orientales Anglos bello infeſtantes, ipſum quoque regem ſuppetias ferentem, apud * Aſſandunam cedere coegerunt. Auſpicium fugæ fuit ille ex conſulto, quem toties nominare pudet. Pauci qui gloriæ ſuæ non immemores & alterutros excitantes cuneum fecerunt, ad vnum interempti. Ibi *Cnuto* regnum expugnauit, ibi omne decus Anglorum occubuit, ibi flos patriæ totus emarcuit. Inter quos *Vlkillus* Eſtanglorum Comes perpetuam famam meritus tempore *Swani*, quando primus omnium piratas adorſus ſpẽ dedit poſſe illos ſuperari; & præcipui tunc viri Abbatis & Epiſcopi. *Edmundus* inde pene ſolus pedem referens, Gloceſtriam venit, vt ibi recollectis viribus hoſtes recenti victoria otioſos ſicut putabat aggrederetur. Nec *Cnutonis* audacia defuit, quin fugientem inſequeretur. Ita cum infeſtis ſignis conſtitiſſent, *Edmundus* ſingularem pugnam petiit, ne duo homunculi propter ambitionem regnandi tot ſubiectorum ſanguine culparentur, cum poſſent ſine diſpendio fidelium ſuorum fortunam experiri. Magnam vtrilibet laudem futuram, qui ſuo potiſſimum periculo tantum regnum nanciſceretur. Hæc cum *Cnutoni* renunciarentur, abnuit prorſus, pronuncians, animo ſe quidem excellere, ſed contra tã ingentis molis hominem corpuſculo diffidere: verum, quia ambo non indebite regnum efflagitent, quod patres amborum tenuerint, conuenire prudentiæ, vt depoſitis animoſitatibus Angliam partiantur. Suſceptum eſt hoc dictum ab vtroq; exercitu, & magno aſſenſu firmatum, quod & æquitati quadraret, & mortalium paci tot miſeriis defatigatorum placide conſuleret. Ita *Edmundus* vnanimi clamore omnium ſuperatus, concordiæ indulſit, fœduſq; cum *Cnutone* percuſſit, ſibi Weſt-Saxoniam, illi concedens Merciam. Nec multo poſt in feſto ſancti *Andreæ*, ambiguum quo caſu extinctus, Glaſtoniæ iuxta *Edgarum* auum ſuum ſepultus eſt. Fama *Edricum* infamat, quod fauore alterius mortem ei per miniſtros porrexerit. Cubicularios regis fuiſſe duos quibus omnem vitam ſuam commiſerat: quos pollicitationibus illectos, & primo immanitatem flagitii exhorrentes, breui complices ſuos effeciſſe: Eius conſilio ferreum vncum ad naturæ requiſita ſedenti in locis poſte-

al. Alundunam.

poſterioribus adegiſſe. Frater eius ex matre *Edwinus* non aſpernandę probitatis adoleſcens per proditorem *Edricum* Angliâ iubente *Cnutone*, ceſſit, diuq́; terris iactatus & alto, angore animi, vt fit corpus infectus, dum furtiuo reditu apud Anglos deliteſcit, defungitur; & apud Tauiſtochium tumulatur. Filii eius *Edwius* & *Edwardus* miſſi ad regem Sueuorum, vt perimerentur, ſed miſeratione eius conſeruati, Hunorum regem petierunt, vbi dum benigne aliquo tempore habiti eſſent, maior diem obiit, minor Reginæ ſororem *Agatham* in matrimonium accepit. Fratres ex *Emma Elfredus* & *Edwardus* toto tempore, quo *Cnuto* vixit, in Normannia tutas fouere latebras. De illorum in patriam reſtitutione, *Richardum* auunculum nihil egiſſe comperimus, quin & ſororem ſuam *Emmam* hoſti & inuaſori nuptum collocauit. Ignores maiori illius dedecore qui dederit; an fœminæ, quæ conſenſerit, vt thalamo illius caleret, qui virum infeſtauerit, filios effugauerit. Porro * *Robertus*, quem ſuperius diximus Ieroſolymam iuiſſe multotiens, congregatis nauibus, & impoſitis militib. profectionē parauit, ſubinde iactitās ſe pronepotes ſuos coronaturum. & proculdubio fidem dictis expleſſet, niſi quia (vt a maioribus accepimus) ſemper ei ventus aduerſabatur cōtrarius, per occultum ſcilicet Dei iudicium, in cuius voluntate ſunt poteſtates omnium regnorum. Reliquiæ ratium multo tempore diſſolutarum Rothomagi adhuc noſtra ætate viſebantur.

al. Rodbertus.

DE CNVTONE REGE.

CAP. XI.

ANNO incarnationis Dominicæ milleſimo decimo ſeptimo *Cnuto* regnare cœpit, & viginti annis regnauit; iniuſte quidem regnum ingreſſus, ſed magna ciuilitate & fortitudine vitam componens. Primis diebus regnum in quatuor partitus, ſibi WeſtSaxones, *Edrico* Mercios, *Turkillo* orientales Anglos, *Iricio* Northanimbros. ac primo interfectores *Edmundi*, qui vltro ſpe ingentis præmii rē detulerāt, apud ſe interim celatos, magna frequentia populi produxit in medium, palamq́; genus inſidiarum profeſſos ſupplicio affecit. Eodemq́; anno *Edricus*, quem digne infamare non poſſum, iuſſu regis, arte qua multos frequenter circumuenerat, ipſe quoque conuentus, putidum ſpiritum tranſmiſit ad inferos. Nam neſcio, qua ſimultate orta, dum aſperius colloquerentur, ille fiducia meritorum beneficia ſua Regi quaſi amicabiliter improperans, ait, *Edmundum* pro te primo deſerui, poſt etiam ob fidelitatem tuam extinxi. quo dicto *Cnutoni* facies immutata iram rubore prodidit. & continuo prolata ſententia, merito ergo, inquit, & tu morieris, cum ſis læſæ maieſtatis reus, in Deum & in me, qui dominum proprium, & fratrem mihi fœderatum occideris. *Sanguis tuus ſuper caput tuum quia os tuū locutum eſt contra te, quod miſiſti manus in Chriſtum Domini.* Mox ne tumultus fieret, in eodem cubiculo proditor fauces eliſus, & in Tameſim fluuium per feneſtram præcipitatus perfidiæ meritum habuit. Succedente tempore *Turkillus* & *Iricius* ab Anglia captatis occaſionibus eliminati, natale ſolum petierunt. Quorum primus qui incentor necis beati * *Alphegi* fuerat, ſtatim vt Danamarchiæ littus attigit, à ducibus eſt oppreſſus. Ita cum omnis Anglia pareret vni, ille ingenti ſtudio Anglos ſibi conciliare, æquum illis ius cum Danis ſuis in conſeſſu, in conſilio, in prælio concedere: Qua de re, vt prędixi, vxorem ſuperioris Regis è Normannia accerſiit, vt dum conſuetæ Dominæ deferrent obſequium, minus Danorum ſuſpirarent imperium. Simul eo facto *Richardi* alliciens gratiam, vt parum de nepotibus cogitaret, qui alios ex *Cnutone* ſe ſuſcepturum ſperaret. Monaſteria per Angliam ſuis & patris excurſionibus partim fœdata, partim eruta reparauit. loca omnia, in quibus pugnauerat, & præcipue Aſchendune Eccleſiis inſigniuit; miniſtros inſtituit, qui per ſuccidua ſeculorum volumina Deo ſupplicarent pro animabus ibi occiſorum. Ad conſecrationem illius Baſilicæ & ipſe affuit, & optimates Anglorum & Danorum donaria porrexerunt. Nunc, vt fertur, modica eſt Eccleſia presbytero parochiano delegata. Supra corpus beatiſſimi *Edmundi*, quem antiquiores Dani interfecerant, Baſilicam animoſitate Regia conſtruxit, Abbatem & Monachos inſtituit, prædia multa, & magna contulit. præſtat hodieque * donorum eius amplitudo integra, quod locus ille infra ſe aſpiciat omnia pene Angliæ cœnobia.

al. Elfegi.

al. Danorum.

Corpus beati * *Alphegi*, apud ſanctum *Paulum* Londoniæ tumulatum, ipſe ſuis manibus inde leuauit, & ad propria remiſſum, dignis aſſentationibus veneratus eſt. Ita omnia, quæ ipſe, & anteceſſores ſui deliquerant, corrigere ſatagens, prioris iniuſtitiæ næuū apud Deum fortaſſis, apud homines certe abſterſit. Wintoniæ maximæ munificentiæ

al. Elfegi.

ſuæ magnificentiam oſtendit, vbi tanta intulit, vt moles metallorum terreat aduenarum ſplendor gemmarum reuerberet intuentium oculos; *Emmæ* ſuggeſtu, quæ in talibus theſauros dilapidabat ſanctitate prodiga, dum ille in exteris terris dura meditaretur prælia. Nam neſcia virtus eius ſtare loco, nec contenta Danamarchia, quam auito, & Angliã, quam bellico iure obtinebat, martem in Sueuos tranſtulit. Sunt illi Danis contermini, pertinacioribus ſtudiis iram *Cnutonis* emeriti, ſed primo exceptus inſidiis, multos ex ſuis amiſit, poſtremo reparatis viribus reſiſtentes in fugam vertit; Reges gentis *Vlf* & * *Eglif* ad dediriones pacis adduxit, promptiſſimis ea pugna Anglis, hortante *Godwino* Comite vt priſtinæ gloriæ memores, robur ſuum oculis noui domini aſſererent; illud fuiſſe fortunæ quod ab eo quondam victi fuiſſent, iſtud virtutis quod illos premerent qui eum viciſſent. Incubuere igitur viribus Angli, & victoriam conſummantes Comitatum duci, ſibi laudem parauerunt. Rediens inde domum totum Regnum Noricorum ſubegit, effugato Rege * *Olauo*, qui poſteriori anno, vt animos prouincialium ſuorum tentaret, cum parua manu in regnum regreſſus, infidos ſibi ſentit, cum ſuis cæſus.

al. Eigalf.

al. Olano.

Cnuto decimo quinto anno regni ſui Romam profectus eſt, Ibi aliquantis diebus commoratus, & eleemoſynis per Eccleſias peccata redimens, nauigio Angliam rediit. Et mox Scotiam rebellantem, regemq; *Malcolmum*, expeditione illuc ducta, paruo ſubegit negotio. Veruntamen non inoperoſum videbitur, ſi Epiſtolam, quam Roma digrediens, Anglis ſuis per Liuingum Tauiſtokenſem Abbatem, mox Epiſcopum Eridintunenſem miſit, appoſuam, ad documentum emendationis vitæ, & regalis vitæ magnificentiæ.

al. Egelnotho.

Cnuto *rex totius Angliæ, & Danamarchiæ, & Norwergiæ, & partis Suauorum,* * *Alnotho Metropolitano, &* Alfrico *Eboracenſi, omnibuſq; Epiſcopis & Primatibus, & toti genti Anglorum, tam nobilibus quam plebeis ſalutem. Notifico vobis me nouiter iſſe Romam, oratum pro redemptione peccaminum meorum, & pro ſalute Regnorum, quiq; meo ſubiacent regimini populorum. Hanc quidem profectionem Deo iam olim deuoueram; ſed pro negotiis regni, & cauſis impedientibus, hucvſque non poteram perficere. Nunc autem ipſi Deo meo omnipotenti valde humiliter gratias ago, quod conceſſit in vita mea* Petrum *&* Paulum *beatos Apoſtolos, & omne ſanctuarium, quod intra vrbem Romam aut extra addiſcere potui expetere, & ſecundum deſiderium meum, præſentialiter venerari & adorare. Et ideo hoc maxime patraui, quia à ſapientibus didici, ſanctum* Petrum *Apoſtolum magnam poteſtatem accepiſſe à Domino ligandi atque ſoluendi, clauigerumq; eſſe regni cæleſtis; & ideo ſpecialiter eius patrocinium apud Deum expetere valde vtile duxi. Sit autem vobis notum, quia magna congregatio nobilium in ipſa ſolemnitate Paſchali, ibi cum domino Papa* Iohanne, *& Imperatore* Cunrado *erat, ſcilicet omnes principes gentium, à monte Gargano, vſque ad iſtud proximum mare; qui omnes me & honorifice ſuſcepere, & magnificis donis honorauere. Maxime autem ab Imperatore donis variis & muneribus pretioſis honoratus ſum, tam in vaſis aureis & argenteis, quam in palliis & veſtibus valde pretioſis. Locutus ſum igitur cum ipſo Imperatore & domino Papa, & Principibus, qui ibi erant, de neceſſitatibus totius populi mei, tam Angli, quam Dani, vt eis concederetur lex æquior, & pax ſecurior in via Romam adeundi, & ne tot clauſuris per viam arcerentur, & propter iniuſtum teloneum fatigentur. annuitq; poſtulatis Imperator, &* Rodulphus *Rex, qui maxime ipſarum clauſurarum dominator, cunctiq; principes edictis firmarunt, vt homines mei tam mercatores, quam alii orandi gratia viatores, abſque omni angaria clauſurarum & telonearioꝛum, cum firma pace Romam eant, & redeant. Conqueſtus ſum iterum coram domino Papa, & mihi valde diſplicere dixi, quod mei Archiepiſcopi in tantum angariabantur immenſitate pecuniarum, quæ ab eis expetebantur, dum pro pallio accipiendo ſecundum morem Apoſtolicam ſedem expeterent, decretumq; eſt, ne id deinceps fiat. Cuncta enim quæ à domino Papa, & ab Imperatore, & a Rege* Rodulpho, *cæteriſque principibus, per quorum terras nobis tranſitus eſt ad Romam, pro meæ gentis vtilitate poſtulabam, libenter annuerunt, & conceſſa etiam Sacramento firmauerunt, ſub teſtimonio quatuor Archiepiſcoporum, & viginti Epiſcoporum, & innumeræ multitudinis Ducum & nobilium quæ aderat. Quapropter Deo omnipotenti gratias magnificas reddo, quia omnia, quæ deſideraueram, prout mente decreueram, proſpere perfeci, votiſque meis ad velle ſatisfeci. Nunc itaque ſit notum, quia ipſi Deo ſupplex deuoui vitam meam à modo in omnibus iuſtificare, & Regna mihi ſubdita, populoſque iuſte & pie regere, æquumque iudicium per omnia obſeruare, & ſi quid per meæ iuuentutis intemperantiam, aut negligentiam hactenus, præter id quod iuſtum erat, eſt actum, totum Deo auxiliante diſpono emendare. Idcirco obteſtor, & præcipio meis conſiliariis, quibus regni conſilia credidi, ne vllo modo aut propter meum timorem, aut alicuius potentis perſonæ fauorem, aliquam iniuſtitiam à modo conſentiant, vel faciant pullulare in omni regno meo. Præcipio etiam omnibus vicecomitib. & præpoſitis vniuerſi regni mei, ſicut meam volunt habere amicitiam, aut ſuã ſalutem; vt nulli homini nec diuiti, nec pauperi, vim iniuſtã inferant; ſed omnib. tam nobilibus quã ignobilibus ſit fas iuſta lege potiundi, à qua nec propter fauorem regum, nec propter alicuius potentis per-*

ſonam,

ſonam, nec propter mihi congerendam pecuniam, vllo modo deuient. quia nulla mihi neceſſitas eſt, vt iniqua exactione pecunia mihi congeratur. Ego itaq; notum vobis fieri volo; quod eadem via, qua exiui regrediens, Danamarchiam vado, pacem & firmum pactum omnium Danorum conſilio compoſiturus cum eis gentibus, quæ nos & vita & regno priuare, ſi eis eſſet poſſibile, volebant: ſed non potuerunt, Deo ſcilicet virtutem eorum deſtruente, qui nos ſua benignitate in regno & honore conſeruet. omniumq; inimicorum noſtrorum potentiam adnihilet. Compoſita deniq; pace cum gentibus, quæ in circuitu noſtro ſunt, diſpoſitoq; & pacato omni regno noſtro hic in Oriente, ita vt a nulla parte bellum. aut inimicitias aliquorum timere habeamus, quam citius hac æſtate apparatum nauigij habere potero, Angliam venire diſpono. Hanc autem Epiſtolam iam præmiſi, vt de mea proſperitate omnis populus regni mei lætificetur; quia vt vos ipſi ſcitis, nunquam memet ipſum, nec meum laborem abſtinui, nec adhuc abſtinebo impendere, pro omnis populi mei neceſſaria vtilitate. Nunc igitur obteſtor omnes Epiſcopos meos & regni mei præpoſitos, per fidem quam mihi debetis & Deo, quatenus faciatis, vt antequam Angliam veniam, omnium debita, quæ ſecundum legem antiquam debemus ſint perſoluta, ſcilicet eleemoſyna pro aratris, & decimæ animalium ipſo anno procreatorum, & denarij, quos Romam ad Sanctum Petrum *debetis ſiue ex vrbibus, ſiue ex villis, & mediante Auguſto decimæ frugum, & in feſtiuitate ſancti* Martini *primitiæ ſeminum ad Eccleſiam ſub cuius parochia quiſq; degit, quæ Anglice* * *Cureſcet nominatur. Hæc & alia; ſi cum venero, non erunt perſoluta, regis exactione ſecundum leges in quem culpa cadit, diſtricte abſq; venia comparabit.* Nec dicto deterius fuit factum. Omnes enim leges ab antiquis regibus, & maxime ab anteceſſore ſuo *Ethelredo* latas ſub interminatione regiæ mulctæ perpetuis temporibus obſeruari precepit. in quarum cuſtodia etiam nunc tempore bonorum ſub nomine Regis * *Edwardi* iuratur, non quod ille ſtatuerit, ſed quod obſeruauerit.

al. Chireſeth.

al. Eadpardi.

Erant tūc in Anglia ſummi & ſapientiſſimi viri, quorum precipuus *Egelnothus* Archiepiſcopus poſt *Liuingum*; Hic ex decano ſummus Sacerdos multa opera prædicabili memoria digna fecit. regem ipſum auctoritate ſanctitudinis, in bonis actibus mulcens in exceſſibus terrens, ſedem Archiepiſcopatus & prius præſentia corporis ſancti *Elphegi* ſublimauit, & poſtea Romæ præſens in priſtinam dignitatem reparauit. Domum rediens, apud Papiam brachium ſancti *Auguſtini* doctoris, centum talentis argenti, & talento auri comparatum, apud Couentreiam miſit. Porro *Cnuto* Glaſtonienſem Eccleſiam, vt fratris ſui *Edmundi* manes inuiſeret, (ſic enim eum vocare ſolitus fuerat) feſtinauit: factaq; oratione ſuper ſepulchrum, pallium miſit verſicoloribus figuris pauonum, vt videtur, intextum. Aſtabat regio lateri ſupradictus * *Edelnothus*, qui ſeptimus Glaſtonienſis cœnobii præſidebat Cathedræ Cantuarienſi. Primus * *Bricthwaldus*, ſecundus *Athelmus*, qui primus Wellis Epiſcopus: tertius nepos eius *Dunſtanus*; quartus *Egelgarus*, qui noui Monaſterii Wintoniæ Abbas primus, deinde Ciceſtrenſis Epiſcopus; quintus * *Siricius*, qui factus Archiepiſcopus nutriculæ ſuæ ſeptem dedit pallia, de quibus in anniuerſario eius tota antiqua ornatur Eccleſia: ſextus *Elfegus*, qui ex Prioratu Glaſtoniæ primus factus eſt Abbas Bathoniæ, deinde Epiſcopus Wintonenſis: ſeptimus *Ethelnothus*, qui cum regi anteceſſorum ſuorum priuilegia oſtendiſſet, rogauit & rogando obtinuit, vt ſcripto regio in hæc verba confirmaret.

al. Egelnothus.

al. Bricwaldus.

al. Siricius

Regnante in perpetuum Domino, qui ſua ineffabili potentia omnia diſponit atque gubernat, viceſq; temporum, hominumq; mirabiliter diſcernens, terminumque incertum, prout vult, æquanimiter imponens, & de ſecretis naturæ myſteriis miſericorditer docet, vt de fugitiuis & ſine dubio tranſitoriis manſura regna Dei ſuffragio adipiſcenda ſunt: Quapropter ego Cnut *rex Anglorum, cæterarumq; gentium in circuitu perſiſtentium gubernator & rector, cum conſilio & decreto Archipræſulis noſtri* Edelnothi, *ſimulq; cunctorum Dei ſacerdotum, & conſenſu optimatum meorum, ob amorem cæleſtis regni, & indulgentiam criminum meorum, & relaxationem peccaminum fratris mei regis* Edmundi, *concedo Eccleſiæ Sanctæ Dei genetricis* Mariæ *Glaſtoniæ, iura & conſuetudines in omni regno meo, & omnes foris facturas omnium terrarum ſuarum; & ſint terræ eius ſibi liberæ & ſolutæ ab omni calumnia, & inquietatione, ſicuti meæ mihi habentur. Verum illud præcipue ex Omnipotentis Patris & Filii & Spiritus Sancti auctoritate, & perpetuæ Virginis interdictione prohibeo, & vniuerſis regni mei præpoſitis & primatibus ſuper ſuam ſalutem præcipio, vt nullus omnino illam Inſulam intrare audeat cuiuſcunq; ordinis, aut dignitatis ſit; ſed omnia tam in Eccleſiaſticis quam in ſecularibus cauſis tantummodo Abbatis iudicium & conuentus expectent. ſicuti prædeceſſores mei ſanxerunt, & priuilegiis confirmauerunt:* Cenwines, Ines, Cuthredus, Ailredus, Alfredus, Edwardus, Ethelredus, Ailſtanus, *& glorioſiſſimus* Edmundus, *& comparabilis* Edgarus. *Si quis autem quouis deinceps tempore ſub aliqua occaſione interrumpere, atque irritum facere huius priuilegii teſtamentum niſus fuerit, ſit à conſortio piorum vltimi examinis ventilabro diſpertitus. Si quis vero beneuola intentione hæc facere, probare, & defenſare ſtuduerit, beatiſſima Dei genetricis*

Mariæ *& omnium Sanctorum interceſſione amplificet Deus portionem eius in terra viuentium. Scripta eſt huius priuilegii donatio, & promulgata in lignea baſilica ſub præſentia Regis* Cnutonis *Anno ab incarnatione Dominica 1032. Indictione.* Eiuſdem etiam Archipræſulis monitu, Rex ad tranſmarinas Eccleſias pecunias mittens, maxime Carnotum ditauit; vbi tunc florebat *Fulbertus* Epiſcopus in ſanctitate & philoſophia nominatiſſimus. Qui inter cætera induſtriæ ſuæ documenta Eccleſiæ Dominæ noſtræ ſanctæ *Mariæ*, cuius fundamenta iecerat, ſummam manum mirifico effectu impoſuit. quam etiam pro poſſe honorificare ſtudens, muſicis modulationibus crebro extulit. Quanto enim amore in honorem Virginis anhelauerit, poterit coniicere, qui audierit cantus cœleſtia vota ſonantes. Extat inter cætera opuſcula eius Epiſtolarum volumen; in quarum vna gratias agit *Cnutoni* magnificentiſſimo Regi, quod largitatis ſuæ viſcera in expenſas Eccleſiæ Carnotenſis effuderit.

Eius anno decimo quinto *Robertus* Rex Frācorum, de quo ſupra prælibauimus, vitam clauſit; vir eleemoſynis deditus, adeo vt feſtis diebus cum amiceretur, & exueretur regiis inſignibus, ſi non aliud haberet ad manum, ipſa veſtimenta pauperibus diſtribueret, niſi ex induſtria veſtiarii egenos importune petentes arcerent. Habuit duos filios *Odonem* & *Henricum*; *Odo* maior natu hebes, alter aſtutus & vehemens. Diuiſerat in amorem prolem vtramq; parens vterque; Pater primogenitum amplectebatur, dictitans ſucceſſurum; mater minorem fouebat, cui, etſi non per ætatem, per prudentiam certe regnum deberetur. Ita vt ſunt fœminæ in incepto pertinaces, nō prius abſtitit, quam omnes duces, qui regno Francorum famulantur, præmiis & pollicitis ingentibus in ſua vota tranſduceret. *Henricus* ergo, maxime annuente *Roberto* Normanno, coronatus eſt, priuſquam pater plane expirauerat. Cuius beneficii obnoxius cum ille, vt ſuperius dixi, Ieroſolymam iret, *Willelmum* filius eius puerulum contra deſertores enixiſſime iuuit. At *Cnuto* tranſcurſa vitæ meta Sceptoniæ defunctus, & Wintoniæ ſepultus eſt.

DE REGE HAROLDO, ET HARDECNVT.

CAP. XII.

ANNO Dominicæ incarnationis milleſimo triceſimo ſexto *Haroldus*, quem fama filium *Cnutonis* ex filia* *Elfelmi* Comitis loquebatur, regnauit annis quatuor & totidem menſibus. Elegerunt eum Dani & Londoniæ ciues, qui iam pene in Barbarorum mores propter frequentem conuictum tranſierant. Angli diu obſtiterunt, magis vnum ex filiis *Ethelredi*, qui in Normannia, vel *Hardecnutum* filium *Cnutonis* ex *Emma*, qui tunc in Danamarchia erat, regem habere volentes. Maximus nunc pugnator iuſtitiæ fuit *Godwinus* Comes, qui etiam pupillorum tutorem ſe profeſſus, Reginam *Emmam*, & Regias gazas cuſtodiens, reſiſtentes vmbone nominis ſui aliquandiu diſpulit. ſed tandem vi & numero impar, ceſſit violentiæ. *Haroldus* ſceptro confirmato nouercam exiliauit. Illa in Normannia nihil ſibi tutum arbitrata, vbi, defunctis fratre & nepotibus, recens deſerti orphani feruebat inuidia, in Flandriam tranſiit ad *Baldwinum* Comitem expertum probitate virum. Qui poſtea defuncto Rege *Henrico*, qui *Philippum* paruum reliquerat filium, regnum Francorum nobiliter aliquantis annis rexit, fideliterq; adulto (nam eius amitam vxorem habebat) reſtituit. Huius ſub vmbra *Emma* ſecurum triennium egit. quo peracto, *Haroldus* apud Oxenefordiam menſe Aprili defunctus Weſtmonaſterio tumulum habet. Tunc Anglis & Danis in vnam ſententiam conuenientibus, propter *Hardecnutum* miſſum, ille per Normanniam in Angliam menſe Auguſto venit. Nam filii *Ethelredi* iam fere omnibus deſpectui erant, magis propter paternæ ſocordiæ memoriam, quam propter Danorum potentiam. *Hardecnutus* biennio præter dies decem regnans, ſpiritum inter pocula apud Lamudam iuxta Londoniam amiſit, & Wintoniæ iuxta patrem ſepultus eſt: Iuuenis, qui egregiam pietatem animi in fratrem & ſororem oſtenderit. Germanum enim *Edwardum* annoſæ, peregrinationis tædio, & ſpe fraternæ neceſſitudinis, natale ſolum reuiſentem, obuiis, (vt aiunt) manibus excipiens indulgentiſſime retinuit. Veruntamen immaturus in cæteris, per *Alphricum* Eboracenſem Archiepiſcopum, & alios, quos nominare piget, *Haroldi* cadauere defoſſo, caput truncari, & miſerando mortalibus exemplo, in Tameſem proiici iuſſit. Id a quodam piſcatore exceptum ſagena, in cœmiterio Danorum Londoniæ tumulatur. Tributum inexorabile & importabile Angliæ impoſuit, vt claſſiariis ſuis per ſingulas naues * viginti marcas ex pollicito penſitaret. Quod dum importune per Angliam exigitur, duo infeſtius hoc munus

al. Alfelmi.

al. triginta.

exequentes

exequentes à Wigorniæ ciuibus extincti ſunt. Quapropter per Comites ſuos vrbe incenſa & depopulata, fortuniſque ciuium abraſis, contumeliam famæ, & amori ſuo detrimentum ingeſſit. Sane ne ſilentio premam, quod de primogenito * *Ethelredi Elfredo* rumigeruli ſpargunt. Ille inter mortem *Haroldi*, & expectationem *Hardecnutii* fluctuans, regnum ingreſſus, compatriotarum perfidia & maxime *Godwini*, luminibus orbatus eſt apud * *Gillingeham*. inde ad cœnobium Helienſe directus, miſeram vitam pauco tempore pane cibario ſuſtentauit; omnibus decapitatis comitibus præter decimos, nam ſors decimum quenque morti exemerat. Hæc quia fama ſerit, non omiſi: ſed quia Chronica tacet, pro ſolido non aſſerui. Hac de cauſa *Hardecnutus*, *Liuingo* Cridintunenſi Epiſcopo, quem facti auctorem fama aſſerebat, infenſus, illum Epiſcopatu expulit: ſed poſt annum pecunia ſerenatus reſtituit. *Godwinum* quoque obliquis oculis intuitus, ad ſacramentum purgationis compulit. Appoſuit ille fidei iuratæ * zenium, vt gratiam plenam redimeret, locupletiſſimum ſane, & pulcherrimum, ratem auro roſtratam, habentem octoginta milites, qui haberent in brachiis ſingulis armillas duas, vnamquamque ſedecim vnciarum auri, in capitibus caſſides deauratas, ſecurim Danicam in humero ſiniſtro, haſtile ferreum dextra manu geſtantes; & ne ſingula enumerem, armis omnibus inſtructos, in quibus fulgor cum terrore certans, ſub auro ferrum occuleret. Cæterum, vt dicere cœperam, *Hardecnutus* * *Gunhildam* ſororem, filiam *Cnutonis* ex *Emma*, ſpectatiſſimæ ſpeciei puellam, a multis procis tempore patris ſuſpiratam, nec impetratam, * *Henrico* Imperatori Alemannorum nuptum miſit. Celebris illa pompa nuptialis fuit, & noſtro adhuc ſeculo etiam in triuiis cantitata: dum tanti nominis virgo ad nauem duceretur, ſtipantibus omnibus Angliæ proceribus, & in expenſas conferentibus, quicquid abſconderet vel Marſupium publicum, vel ærarium Regium. Ita ad ſponſum perueniens, multo tempore fœdus coniugale fouit. poſtremo adulterii accuſata, puerulum quẽdam fratris ſui alumnum quem ſecum ex Anglia duxerat, delatori giganteæ molis homini ad monomachiam oppoſuit, cæteris clientibus inerti timore refugientibus. Itaque conſerto duello per miraculum Dei inſimulator ſucciſo poplite eneruatur. *Gunhildis* inſperato triumpho tripudians, viro repudium dedit; nec vltra minis aut delinimentis adduci potuit, vt thalamo illius conſentiret, ſed velum ſanctimonialium accipiens in Dei ſeruitio placido conſenuit otio.

al. Egelredi.
al. Ginlingebam.
al. exenium.
al. Gũnildam.

Erat imperator multis & magnis virtutibus præditus, & omnium pene ante ſe bellicoſiſſimus, quippe qui etiam Vindelicos & Leuticios ſubegerit, cæteroſq; populos Sueuis conterminos, qui vſque ad hanc diem ſoli omnium mortalium paganas ſuperſtitiones anhelant. Nam Sarraceni, & Turci Deum creatorem colunt, *Mahomet* non Deum, ſed Dei prophetam æſtimantes. Vindelici vero fortunam adorant, cuius Idolum loco nominatiſſimo ponentes, cornu dextræ illius imponunt plenum potu illo, quem Græco vocabulo ex aqua & melle *Ydromellum* vocamus. Idem ſanctus *Hieronymus* Ægyptios, & omnes pene Orientales feciſſe, in decimo octauo ſuper *Iſaiam* libro confirmat; vnde vltimo die menſis Nouembris in circuitu ſedentes in commune prægustant, & ſi cornu plenum inuenerint, magno ſtrepitu applaudunt, quod eis futuro anno pleno copia cornu reſponſura ſit in omnibus; ſi contra gemunt. Hos ergo *Henricus* ita tributarios effecerat, vt omnibus ſolemnitatibus, quibus coronabantur Reges, eorum quatuor lebetem, quo carnes condiebantur in humeris ſuis per annulos quatuor vectibus ad coquinam vectitarent.

Præterea crebro tumultibus regni expeditus, cum ſe communioni & hilaritati dediſſet ioci plenus, vt ſat erit duobus probare exemplis. ſororem ſanctimonialem vnice diligebat, vt ſuo eam lateri deeſſe non pateretur, ſed ſemper triclinium eius ſuo coniungeret. Dum igitur quadam hyeme, quæ niuibus & pruinis aſpera inhorruerat, vno diu loco detineretur, clericus quidam curialis familiarior iuſto puellæ effectus, crebro nocturnas in cubiculo eius protelabat vigilias. Et quamlibet multimodis tergiuerſationibus nequitiam palliaret, aduertit illud aliquis (quod difficile ſit crimen non prodere vultu, vel geſtu) & iam vulgo rem ventilante, ſolus neſciebat Imperator, & ſororem ſuam pudicam credere audebat. ſed cum quadam nocte cupitis fruerentur amplexibus, & diutius ſe voluptas protenderet, illuxit mane, & ecce nix omnem terram operuerat. tunc clericus qui ſe deprehendendum per veſtigia in niue timeret, perſuaſit amicæ ſuæ, vt dorſo eius impoſitus anguſtias illas euaderet. Illa non refutans impudentiam, dummodo vitaret verecũdiam, leuat tergo amaſium, & extra curiam effert. Et forte tunc Imperator minctum ſurrexerat, & per feneſtram cœnaculi * deſpiciens videt clericum equitantem. Primo quidem viſu hebetatus, ſed re diligentius explorata, pudore & indignatione obmutuit. Interea hæſitãti

al. reſpiciens.

vtrum peccatum impunitum dimitteret, vel peccantes honeſte redargueret, obuenit occaſio, vt Epiſcopatum vacantem daret clerico; hæc verba auribus inſuſurrans, Tu, inquit, accipe Epiſcopatum, & vide ne vlterius inequites mulieres. Itē dans Abbatiam ſanctimonialium * germanæ, eſto, ait, Abbatiſſa, nec vltra patiaris clericum equitantem. Confuſi illi, qui tam graui dicto ſe ſentirent lapidatos, deſiuerunt a flagitio, quod diuinitus inſpiratum putabant à Domino.

al. ſorori.

Item habebat clericum in curia ſua, qui & literarū peritiam, & vocis elegantiam vicio corporis deformabat, quod meretriculam villæ dementer ardebat; cum qua nocte quadam ſolenni volutatus mane ad miſſam Imperatoris aperta fronte aſtabat. diſſimulata ſcientia, mandat ei Cæſar, vt ſe paret ad Euangelium, quod eius melodia delectaretur; erat enim Diaconus: Ille pro peccati conſcientia, multis præſtigiis ſubterfugere; Imperator contra nunciis vrgere, vt probaret eius conſtantiam; ad extremum prorſus abnuenti, ego, inquit Cæſar, quia non vis parere mihi in tam facili obſequio, extorrem te totius terræ meæ præcipio. Clericus amplexus ſententiam abſceſſit cōtinuo; miſſi pediſſequi, qui eum perſequerentur, vt ſi perſeuerandum putaret, iam vrbem egreſſum reuocarent. Ita incūctanter compilatis omnibus ſuis, & in ſarcinulas compoſitis, iam profectum magnaq; violentia retractum *Henrici* præſentiæ ſiſtūt. qui lætum ſubridens, probe ait, feciſti & gratulor probitati tuæ, quod pluripenderis Dei timorem, quam patriam, reſpectum cœleſtis iræ, quam minas meas; quapropter habeto Epiſcopatum, qui primus in Imperio meo vacauerit, tantum indecenti amori renunties.

Et quia nihil conſtans eſt in humanis gaudiis quoddam triſte portentum tempore eius accidit. quod non tacebo.* *Fuldēſe cœnobium eſt in Saxonia, ſancti* Galli *corpore inſigne, & prædiis ditatum permagnificis. Eius loci Abbas ſexaginta millia bellatorum Imperatori prabet in hoſtem, habetq; ex antiquo priuilegium, vt in præcellentibus feſtiuitatibus ad dextram eius conſideat. Hic ergo* Henricus *Pentecoſten apud* * *Mogontiam celebrabat. Paulo ante Miſſam cum ſedilia pararentur in Eccleſia, inter cubicularios Abbatis, & Archiepiſcopi iurgium agitatum, vtrorum dominus iuxta Cæſarem ſederet, illis prærogatiuam antiſtitis, iſtis priſcum morem referentibus. Vbi verbis parum ad concordiam proceditur (vt habent Germani, itemq; Teutones indomitum animum) ad pugnam ventum eſt. itaq; pars ſudes arripere, pars ſaxa iacere, pars enſes euaginare; poſtremo quicquid primum ira inueniſſet, eo pro armis vti. ita furore per Eccleſiam graſſante, pauimentum ſanguine inundauit. ſed ſtatim Epiſcopis conuolantibus pace inter reliquias diſsidentium ſtatuta, templum purgatum, Miſſa feſtiuis clamoribus acta. cum vero, mira ſubiiciam, ſequentia cantata, & verſum,* Hunc diem glorioſum feciſti *chori conticuiſſent, vox ab aere lapſa late inſonuit.* Hunc diem bellicoſum ego feci. *rigentibus cæteris, Imperator diligentius intendens muneri, lætitiamque intelligens inimici, Tu, inquit, omnis malitiæ inuentor, ſimul & incentor, diem bellicoſum, & arrogantibus luctuoſum feciſti; ſed nos per Dei gratiam, qui illum glorioſum fecit, pauperibus gratioſum reddemus. Et mox re incepta ſequentia, ſolemni ploratu ſpiritus Sancti gratiam inuitabant, intelligeres illum aduentaſſe illis cantantibus, iſtis lachrymantibus: omnibus pectora tundentibus. Finita Miſſa, egenis per præcones conclamatis omnes dapes, qui ſibi & curialibus parabantur, in vſus eorum exhauſit; ipſe obſonia apponens, ipſe iuxta diſciplinam miniſtrorum de longe conſiſtens, ipſe ſuperflua ciborum abſtergens.*

al. Hlundenſe.

al. Mogōtium.

Tempore * Conradi *patris à quodam clerico fiſtulam tulerat argenteam; qua pueri ludo aquam iaculantur, pactus Epiſcopatum cum foret imperator; Adultus repetenti pollicitum impigre dederat. nec multo poſt aſpera valetudine correptus decubuit; morbo creſcente triduo exſenſus & mutus iacuit, cum in ſolo pectore vitalis halitus palpitaret; nec aliud vitæ indicium erat, quam quod manu ad nares appoſita, quantuluſcunq; ſentiebatur anhelitus. Epiſcopi præſentes triduano indicto ieiunio, lacrymis & votis pro vita Regis ſuperos pulſabant. quibus, vt credi fas eſt, remediis conualeſcens, accitum Epiſcopum, quem iniuſte fecerat, ſententia conſilii depoſuit: profeſſus ſe toto triduo dæmones infeſtos vidiſſe, flammam in ſe per fiſtulam iaculantes adeo pertinacem, vt noſter ignis in comparatione illius, iocus putetur, & nihil calere. Iuuenem inter hæc ſemiuſtulatum aduentaſſe, ferentem immenſæ magnitudinis calicem aureum aqua plenum; cuius viſione & laticis aſpergine delinitum extinctis ardoribus in ſanitatem euaſiſſe. Ephœbum illum beatum fuiſſe* Laurentium, *cuius Eccleſiæ tectum longa carie diſſolutum compaginauit, & præter alia xenia calice aureo honorificauit.*

al. Cuonradi.

Occurrunt hoc loco quæ de illo viro feruntur magna miracula, vt de cerua, quæ illum inimicos fugitantem, vltra inuadibilem fluuium, dorſo euexerit, & quibuſdā aliis, quibus ideo ſuperſedeo, quia æſtimationem lectoris ſupergredi nolo. Obiit octauo decimo anno imperii emenſo, & apud Spiram conditus eſt, quam ipſe ex antiquiſſima & diruta nemeto ita nominatam nouauit. Epitaphium eius hoc eſt.

Cæſar

CAEſar tantus eras, quantus & orbis;
At nunc in modico clauderis antro.
Poſt hæc quiſq; ſciat ſe ruiturum,
Et quod nulla mors gloria tollat.
Florens Imperii gloria quondam,
Deſolata ſuo Cæſare marcet,
Hanc vltra ſpeciem non habitura.
Quam tecum moriens occuluiſti.
Leges à ſenibus patribus auctas,
Quas laſſata diu raſerat ætas.
Omnes vt fuerant ipſe reformans,
Romanis ſtuduit reddere cauſis.
Tu longinqua ſatis regna, locoſq;,
Quos nullus potuit flectere Cæſar,
Romanis onerans viribus artus,
Ad ciuile decus excoluiſti.
O quanto premitur Roma dolore,
Deſolata prius morte Leonis:
Nunc, Auguſte, tua funera languens,
Bino ſe viduam lumine plangit.
Quæ te non timuit patria viuum?
Vel quæ non doluit te Cæſar *obiſſe?*
Nam ſic latus eras iam ſuperatis,
Et ſic indomitis gentibus aſper;
Vt, quæ non timuit, iure doleret,
Et, quæ non doluit, iure timeret.
Luge Roma tuum nomen in vmbris,
Et defecta duo numina luge.

Sane iſte *Leo*, de quo Epitaphium loquitur, fuerat Romæ Apoſtolicus, ex *Brunone* Spirenſi Epiſcopo ita vocatus, & prouectus. Magnæ & mirabilis ſanctitatis, cuius Romani multa miracula per orbem ferunt. Obierat ante *Henricum* Imperatorem, poſt * quinque annos Apoſtolatus. *al. quindecim.*

DE SANCTO EDVVARDO FILIO Ethelredi Regis.

CAP. XIII.

ANNO Incarnationis Dominicæ milleſimo quadrageſimo ſecundo, ſanctus *Edwardus* filius * *Ethelredi* ſuſcepit regnum; manſitq; in eo annis viginti quatuor non plenis *al. Egelredi.* vir propter morum ſimplicitatem parum Imperio Idoneus: ſed Deo deuotus, ideoq; ab eo directus. Deniq; eo regnante nullus tumultus domeſticus, qui non cito comprimeretur, nullum bellum forinſecus; omnia domi, foriſq; quieta, omnia tranquilla, quod eo magis ſtupendum, quia ita ſe manſuete ageret, vt nec viles homunculos verbo lędere noſſet. Nam dum quadam vice venatum iſſet, & agreſtis quidam ſtabulata illa, quibus in caſſes cerui vrgentur, confudiſſet, ille ſua nobili percitus ira, per Deum, inquit, & matrem eius tantundem tibi nocebo, ſi potero. Egregius animus, qui ſe regem in talibus non meminiſſet, nec abiectæ conditionis homini ſe poſſe nocere putaret. Erat interea eius apud domeſticos reuerentia vehemens, apud exteros metus ingens. fouebat profecto eius ſimplicitatē Deus, vt poſſet timeri, q̃ neſciret iraſci. Sed quamuis vel deſes vel ſimplex putaretur, habebat Comites, qui eum ex humili in altũ conantem erigerent: *Siwardũ* Northanimbrenſium, qui eius iuſſu cum Scottorum Rege * *Makbetha* congreſſus vita regnoque ſpoliauit; ibidẽq; *Malcolmum* filium regis Cumbrorum regem inſtituit. *al. Machera.* *Leofricum* Herefordenſium, qui eum contra ſimultates *Godwini* fauore magnifico tutabatur, quod ille fidente conſcientia * Mericorum minus Regem revereretur. *Leofricus* cũ coniuge ſua *Godifa* in Dei rebus munificus, Monaſteria multa cõſtituit; Couentriæ ſanctę *Mariæ*, *Stow*, Wenelok, Leonenſe, & nonnulla alia; *al. meritorum.* Cæteris ornamenta & prædia, Couentreiæ corpus ſuũ cum maximo apparatu auri & argenti delegauit. *Haroldum* Weſtſaxonum filium *Godwini* qui duos fratres reges Wallenſium *Ris*, & *Griffinum*, ſolertia ſua in mortem egerit; omnẽque illam barbariem, ad ſtatum prouinciæ ſub regis fide * redegerit. Fuerunt tamen non *al. ſubegerit.*

nulla, quæ gloriam temporum deturbarent; Monaſteria tunc Monachis viduata, praua iudicia à peruerſis hominibus commiſſa, ſupellex matris eius præcipiente illo penitus abraſa. Sed harum rerum inuidiam amatores ipſius ita extenuare conantur. Monaſteriorum deſtructio, peruerſitas iudiciorum, non eius ſcientia, ſed per *Godwini*, filiorumq; eius ſunt commiſſa violentiam, qui Regis indulgentiam ridebant; poſtea tamen ad eum delata, acriter illorum exilio vindicata mater.

Anguſtos filii iamdudum riſerat annos.

Nihil vnquam de ſuo largita, hæreditario ſcilicet odio parentis in prolem. Nam magis *Cnutonem* & amauerat viuum, & laudabat defunctum. Præterea congeſtis vndecunque talentis crumenas infecerat pauperum oblita, quibus non patiebatur dari nummum, ne diminueret numerum. Itaque quod iniuſte coaceruauerat, non iniuſte ablatum: vt egenorum proficeret compendio, & fiſco ſufficeret regio. Hæc referentibus etſi plurimum fides adhiberi debeat; ſanctam tamen mulierem fuiſſe comperio, & theſauros ſuos in ornamenta Eccleſiæ Wintoniæ & aliarum fortaſſis expendiſſe. Sed vt ad ſuperiora redeam. *Hardecnuto* mortuo, *Eadwardus* tam triſti nuncio accepto, incertumque fluctuans, quid ageret, & quò ſe verteret, neſciebat. Multa voluenti potior ſententia viſa, vt *Godwini* conſilio fortunas ſuas trutinaret. Conuentus ille per legatorios, vt pace præfata colloquerentur, diu hæſitabundus & cogitans tandem non abnuit, venientem ad ſe, conantemque ad genua procumbere alleuat; *Hardecnuti* mortem exponentem, orantemque in Normanniam reditus auxilium ingentibus promiſſis * onerat. [*al. honorat.*] Melius eſſe, vt viuat glorioſus in Imperio, quam ignominioſus moriatur in exilio. Illum *Ethelredi* filium, *Eadgari* nepotem, iure ei competere Regnum æuo maturo, laboribus defæcato, ſcienti adminiſtrare principatum per ætatem ſeuere, miſerias prouincialium pro priſtina egeſtate temperare. Id quo minus fiat nihil obſtare, ſi ſibi credendum putet, ſuam authoritatem plurimum in Anglia ponderari: Quo ſe pronior inclinauerit, eo fortunam vergere; ſi auxilietur, neminem auſurum obſtrepere, & è conuerſo. Paciſcatur ergo ſibi amicitiam ſolidam, filiis honores integros, filiæ matrimonium: breuì futurum vt ſe regem videat, qui nunc vitæ naufragus, exul ſpei alterius opem implorat.

Nihil erat, quod *Edwardus* pro neceſſitate temporis non polliceretur; Ita vtrinq; fide data, quicquid petebatur ſacramento firmauit. Nec mora * *Gilingeham* [*al. Lundoniam.*] congregato conſilio, rationibus ſuis explicitis regem effecit, Dominio palam omnibus dato. Homo effectati leporis, & ingenue gentilitia lingua eloquens, mirus dicere, mirus populo perſuadere quæ placerent. Quidam auctoritatem eius ſequuti, quidam muneribus flexi, quidam etiam debitum *Edwardi* amplexi, pauci qui præter æquum & bonum reſtitere, & tunc cenſorie notati, & poſtmodum ab Anglia expulſi. *Edwardus* die ſolenni Paſchæ, magna pompa apud Wintoniam coronatus; & ab *Edſio* Archiepiſcopo ſacra regnãdi præcepta edoctus; quæ ille tunc memoria libenter recondidit, & poſtea ſancte factis propalauit. Idem *Edſius* poſteriori anno in incurabilem morbum incidens, ſucceſſorem ſibi Abbatem Abendoniæ *Sywardum* ſtatuit, ante eum Rege tantum & Comite communicato conſilio; ne quis ad tantum faſtigium aſpiraret indignus, vel prece, vel pretio. Non multo poſt *Edgitham* filiam *Gothwini* rex in connubium accepit; fœminam in cuius pectore omnium liberalium artium eſſet gymnaſium, ſed paruum in mundanis rebus ingeniũ, quam cum videres, ſi literas ſtuperes, modeſtiam certe animi, & ſpeciem corporis deſiderares. Hæc & viuo marito & mortuo, probri ſuſpicione non caruit; ſed moriens tempore regis *Willielmi*, iureiurando aſtantibus de perpetua integritate vltro ſatisfecit. Nuptam ſibi rex hac arte tractabat, vt nec thoro amoueret, nec virili more cognoſceret. Quod an familiæ illius odio, quod prudenter diſſimulabat pro tempore; an amore caſtitatis fecerit, pro certo compertum non habeo. Illud celeberrime fertur, nunquam illum cuiuſquam mulieris contubernio pudicitiam læſiſſe. Sed quia ad id locorum ventum eſt, lectorem præmonitum volo, quod hic quaſi ancipitem viam narrationis video, quia veritas factorum pendet in dubio. Siquidem aliquantos Normannos rex accerſierat, qui olim inopiã exulis pauculis beneficiis leuarant. Inter quos *Robertum*, quem ex Monacho Gemmeticẽſi Epiſcopum Londoniæ, & poſt Archiepiſcopum Cantuariæ ſtatuerat. Hunc cum reliquis Angli moderni vituperant delatorem *Godwini* & filiorum eius, hunc diſcordiæ ſeminatorem, hunc Archiepiſcopi emptorem; *Godwinum* & natos magnanimos viros & induſtrios auctores & tutores regni *Edwardi*, non mirũ ſi ſuccenſerint, quod nouos homines, & aduenas ſibi præferri viderent. Nunquam tamen contra regem quem ſemel faſtigauerint, aſperum etiam verbum loquutos. Contra, Normanni ſic ſe defenſitant, vt dicant & eum & filios magna arrogantia & infidelitate, in Regem, & in familiares eius egiſſe, æquas

ſibi

ſibi partes in Imperio vendicantes; Sæpe de eius ſimplicitate ſolitos nugari, ſæpe inſignes facetias in illum iaculari. Id Normannos pati nequiuiſſe, quin illorum potentiam, quantum poſſent eneruarent. Deniq; Deum monſtraſſe, quam ſancto animo *Godwinus* ſeruierit. Nam cum poſt piraticas rapinas, vnde dicemus inferius, priori gratiæ redditus eſſet; & in conuiuio cum Rege diſcumberet, orto ſermone de *Elfredo* Regis fratre; Tu, inquit, ô Rex ad omnem memoriam germani tui, rugato me vultu video quod aſpicias. Sed non patiatur Deus, vt iſtam offam tranſglutiam, ſi ſui conſcius alicuius rei, quæ ſpectaret ad eius periculum, vel tui incommodum. Hoc dicto, offa, quam in os miſerat, ſuffocatus ad mortem oculos vertit. Inde ab ipſo filio eius *Haroldo*, qui Regi aſtabat, ſub menſa extractus in Epiſcopatu Wintoniæ ſepultus eſt.

Propter iſtas vt dixi altercationes periclitatur oratio, dum quod ex aſſe verum definiam non habeo, vel propter naturale vtrarumq; gentium diſſidium; vel quia ita ſe res habet, quod Angli aſpernanter ferant ſuperiorem, Normanni nequeant pati parem. Sed de moribus eorum in ſequenti libro pergam dicere, cum de aduentu Normannorum in Angliam occaſio ſe obtulerit. Nunc quanta veritate potuero perſtringam de ſimultate Regis in *Godwinum*, & filios eius.

Euſtachius Comes erat Boloniæ, pater *Godefridi & Baldwini*, qui noſtro tempore Reges Ieroſolymorum fuerunt. Habebatq; ſororem Regis *Godam* legitimis nuptiis deſponſatam, quæ ex altero viro *Waltero* Medantino filium tulerat *Radulphum*, qui eo tempore erat Comes Herefordenſis, ignauus & timidus, qui Wallenſibus pugna ceſſerit, Comitatumq; ſuum & vrbem cum Epiſcopo ignibus eorum conſumendum reliquerit. Cuius rei infamiam mature perueniens *Haroldus* virtutibus ſuis abſterſit. *Euſtachius* ergo transfretato mari de Whitſand in * Douoriam *Edwardum* Regem, neſcio qua de cauſa, adiit. *al. Doueram.* Colloquutus cum eo, & re impetrata quam petierat, per Doroberniam redibat, vnus antecurſorum eius ferocius agens cum ciue, & vulnere magis, quam prece aut pretio hoſpitium exigens, illum in ſui excidium inuitauit. Quo cognito *Euſtachius* ad vlciſcendam necem ſerui, cum toto comitatu profectus, homicidam quidem cum aliis decem & octo interemit, ſed ciuibus ad arma conuolantibus, 21. ex ſuis amiſit, innumeris vulneratis, ipſe vix cum altero ipſo tumultu ſubterfugit. Inde ad Curiam pedem referens, * nactuſq; *al. actuſq;* ſecretum ſuæ partis patronus aſſiſtens, iram Regis in Anglos exacuit. *Godwinus* per nuncios ad Curiam accitus venit. Expoſita cauſa, & præcipue Rege inſolentiam Dorobernenſium accumulante, intellexit vir acrioris ingenii vnius tantum partis auditis allegationibus non deberi proferri ſententiam. Itaque quamuis Rex iuſſiſſet illum continuo cum exercitu in Cantiam proficiſci, in Dorobernenſes grauiter vlturum, reſtitit. Et quod omnes alienigenas apud Regis gratiam inualeſcere inuideret; & quod compatriotis amicitiam præſtare vellet. Præterea videbatur eius reſponſio in rectitudinem propenſior, vt magnates illius Caſtelli blande in Curia regis de ſeditione conuenirentur; ſi ſe poſſent explacitare illæſi abirent; ſi nequirent, pecunia vel corporum ſuorum diſpendio, regi, cuius pacem infregerant, & Comiti, quem læſerant, ſatisfacerent. Iniquum videri vt quos tutari debeas, eos ipſe potiſſimum inauditos adiudices, ita tunc diſceſſum eſt, *Godwino* parui pendente regis furorem quaſi momentaneum. Quocirca totius regni proceres iuſſi Gloceſtriam conuenire, vt ibi magno conuentu res ventilaretur. Venerunt eo etiam Northanimbri Comites tunc famoſiſſimi, *Sywardus & Leofricus*, omniſque Anglorum nobilitas. Soli *Godwinus*, eiuſque filii, qui ſe ſuſpectos ſcirent, ſine præſidio armorum veniendum non arbitrati, cum manu valida Beuerſtane reſtiterunt; famam ſerentes in vulgus, quod ideo exercitum adunaſſent, vt Wallenſes compeſcerent; qui tyrannidem in regem meditantes, oppidum in pago Herefordenſi obfirmauerant, vbi tunc *Suuanus* vnus ex filiis *Goduuini* militiæ prætendebat excubias. Sed Wallenſes iam audientiam præuenerant, & conſpirationis accuſatos, inuiſos toti curiæ fecerant; adeo vt rumor ſpargeretur, quod in eodem loco Regius exercitus eos adoriretur. Quo accepto *Goduuinus* ad coniuratos claſſicum cecinit, vt vltro Domino Regi non reſiſterent; ſed ſi conuenti fuiſſent, quin ſe vlciſcerentur loco non cederent. Et profecto facinus miſerabile, & pluſquam ciuile bellum fuiſſet, niſi maturiora conſilia interceſſiſſent. Ita quantulacunque concordia interim inita, iterum præceptum, vt Londoniam concilium congregaretur; Mandatum *Suuano* filio *Goduuini*, vt fuga ſua Regis iram mitigaret. *Goduuinus & Haroldus* quantocius ad conſilium hac conuentione venirent inermes, duodecim ſolum homines adducerent: ſeruitium militum, quas per Angliam habebant, regi contraderent. Contra, illi negare, non poſſe ſe ad conuenticulum factioſorum ſine vadibus, & obſidibus pergere; domino ſuo in militum deditione parituros, tum præterea in omnibus præter

gloriæ & ſalutis periculum. Si veniant inermes vitæ timeri diſpendium; ſi paucos ſtipatores habeant, gloriæ foret opprobrium. Obſtinatius obfirmarat Rex animum, ne adquieſceret precibus ſupplicantium. Itaq; prolatum edictum, vt intra quinq; dies Anglia excederet. *Godwinus & Swanus* Flandriam, *Haroldus* conceſſit Hiberniam. Comitatus eius attributus *Elgaro Leofrici* filio viro induſtrio, quem ille ſuſcipiens tunc rexit nobiliter, reuerſoq; reſtituit libenter. Et poſtea *Godwino* mortuo, cum *Haroldus* parentis ducatum impetraſſet, repetiit audacter, aliquanto tamen tempore inimicorum accuſatione exiliatus. Omnis reginæ ſubſtantia ad vnum nummum emuncta; ipſa regis ſorori apud Wakewellam in cuſtodiam data, ne ſcilicet omnibus ſuis parentibus patriam ſuſpirantibus ſola ſterteret in pluma. Poſteriori anno exulum quiſque de loco ſuo egreſſi Brittanicum mare circumuagari, littora piraticis latrociniis infeſtare, de cognati populi opibus prædas eximias conuectare. Contra quos à regis parte, pluſquam ſexaginta naues in anchoris conſtiterunt. Præfecti claſſis *Odo & Radulphus* Comites, & Regis cognati. Nec ſegnem ſenſit Regem illa neceſſitas, quum & ipſe in naui pernoctaret, & latronum exitus ſpecularetur, ſedulo explens conſilio, quod manu nequibat præ ſenio. Sed cum cominus ventum eſſet, & iam pene manus cónſererentur, nebula denſiſſima repente coorta, furentum obtutus confudit, miſeramq; mortalium audaciam compeſcuit. Deniq; *Godwinus* eiuſque comites, eo vnde venerant, vento cogente reducti; & non multo poſt pacifico animo repatriantes, Regem apud Lundoniam inuenerunt: orantes veniam admiſſi ſunt. Senex ille, & fama & lingua potens ad flectandos animos audientium, probe ſe de omnibus quæ obiectabantur, expurgauit. Tantumque breui valuit, vt ſibi liberiſque ſuis honores integros reſtitueret; Normannos omnes ignominiæ notatos, ab Anglia effugaret; prolata ſententia in *Robertum* Archiepiſcopum eiuſq; complices, quod ſtatum regni conturbarant, animum regium in prouinciales agitantes. Verum ille non expectata violentia ſponte profugerat, cum ſermo pacis componeretur; Romamque profectus & de cauſa ſua ſedem Apoſtolicam appellans, cum per Gementicum verteretur, defunctus ibiq; ſepultus eſt in Eccleſia ſanctæ *Mariæ*, quam ipſe præcipuo, & ſumptuoſo opere conſtruxerat. Inuaſit continuo illo viuente *Stigandus*, qui erat Epiſcopus Wintonienſis Archiepiſcopatum Cantuariæ; infamis ambitus pontifex, & bonorum vltra debitum appetitor, qui ſpe throni excelſioris Epiſcopatum Saxonum Auſtralium deſerens Wintoniam inſedit, illam quoq; cum Archiepiſcopatu tenuerit. Quapropter ab Apoſtolica ſede nunquam pallium meruit, niſi quod *Benedictus* quidam peruaſor Apoſtolatus miſit, pecunia ſcilicet ad perſuadendum corruptus, vel quod mali gratificantur ſimilibus. Sed ille mox à *Nicholao*, qui ex Epiſcopo Florentiæ legitime Papatum ſuſceperat, expulſus zelo fidelium, indebitum nomen exuit. *Stigandus* quoque tempore Regis *Willielmi* Conquæſtoris per Cardinales Romanos degradatus, perpetuiſque vinculis innodatus, inexplebilis auiditatis nec moriens fecit finem. Siquidem eo mortuo; clauicula in ſecretis reperta, quæ feræ cubicularis ſcrinii appoſita, theſaurorum innumerabilium dedit indicium chartas, in quibus notata erat & metallorum qualitas, & ponderum quantitas, quæ per omnia prædia compilator auarus defoderat. Sed hæc poſtmodum, nunc de *Godwino*, quod inchoaueram determinabo.

Habuit primis annis vxorem *Cnutonis* ſororem, ex qua puerum genuerat; qui primis pueritiæ annis emenſis, dum equo, quem ab auo acceperat, puerili iactantia ſuperbiret, ab eodem in Tameſem fluuium portatus voragine aquæ ſuffocatus interiit, mater quoque ictu fulminis exanimata, ſæuitiæ pœnas ſoluit; quod dicebatur agmina mancipiorum in Anglia coempta, Danamarchiam ſolere mittere; puellas præſertim, quas decus & ætas pretioſiores facerent, vt earum deformi commercio cumulos opum aggeraret. Poſt eius obitum aliam duxit, cuius genus non reperi, de qua liberos tulit, *Haroldum*, *Swanum*, *Wlnodum*, *Toſtinum*, *Girtham*, *Leofwinum*. *Haroldus* poſt *Edwardum* Rex aliquot menſibus fuit, & à *Willielmo* apud Haſtingas victus, vitã & regnũ cum duobus fratribus iunioribus amiſit. *Wlnodus* à rege *Edwardo* Normanniam miſſus, quod pater eum obſidem dederat, ibi toto tempore *Edwardi* inextricabili captione irretitus, regnante *Willielmo* in Angliam remiſſus in vinculis Sariſburiæ conſenuit. *Swanus* peruerſi ingenii, infidi in regem, multotiens à patre & fratre *Haroldo* diſciuit; & pirata factus, prædis maritimis virtutes maiorum polluit. Poſtremo pro conſcientia Brunonis cognati interempti, & vt quidam dicunt, fratris Ieroſolimam abiit; indeque rediens à Saracenis circumuentus & ad mortem cæſus eſt. *Toſtinus* a Rege *Edwardo* poſt mortem *Siwardi* Northanimbriæ comitatui prælatus, pene decennio prouinciæ præfuit: quo exacto aſperitate morum Northanimbros in rebellionem excitauit. Solitarium enim repertum ex regione fugauerunt,

pro

pro contuitu ducatus occidendum non arbitrati: homines eius & Anglos & Danos obtruncarunt, equos & arma, & ſupellectilem omnem corradentes. Rumore ad Regem delato, turbataq; patria, *Haroldus* iuit obuiam, vt propulſaret iniuriam. Northanimbri licet non inferiores numero eſſent, tamen quieti conſulentes, factum apud eum excuſant, ſe homines libere natos, libere educatos, nullius ducis ferociam pati poſſe, à maioribus didiciſſe aut libertatem aut mortem. Proinde ſi ſubditos velit, *Marcherium* filium *Elgari* eis præficiat Rex expertum quam dulciter ſciant obedire, ſi dulciter tractati fuerint. Hæc *Haroldus* audiens, qui magis quietem patriæ, quam fratris commodum attenderet, reuocauit exercitum, & audito rege firmum ducatum *Marcherio* conſtituit. *Toſtinus* infenſus omnibus, cũ vxore & liberis Flandriam abiit, ibiq; interim vſq; ad *Edwardi* obitum fuit, qui literis noſtris differetur interim dum dixero, quod eius tempore Romę accidiſſe à ſenioribus didicimus.

Erat Papa *Gregorius* ſextus, ante dictus *Gratianus*, magnæ religionis & ſeueritatis. Is ita Romani apoſtolatus ſtatum, per incuriam anteceſſorum ſuorum diminutum inuenit, vt præter pauca oppida vrbi vicina, & oblationes fidelium, pene nihil haberet, quo ſe ſuſtentaret. Ciuitates & poſſeſſiones in longinquo poſitæ, quæ ad ius Eccleſiæ pertinebant, à prædonibus ablatæ; tramites publici, & ſtrata viarum per totam Italiam à latronibus ſtipabantur, vt nullus peregrinus niſi cum maiori manu impune tranſiret. Feruebãt totis ſemitis inſidiatorũ examina, nec inueniebat viator, quo colludio euaderet. Ita in vacuũ, ſicut in pecunioſum furebatur, nec ſupplex habere gratiam, nec reſiſtens pati poterat violentiam. Ceſſatũ eſt ab omni prouincia Romã iter aggredi, q̃ mallet quislibet per domeſticas Eccleſias nummos ſuos diuidere, quam latrunculos propriis laboribus paſcere. Quid in vrbe vnico olim habitaculo ſanctitatis? ibi in medio foro ſicarii vagabantur, gen⁹ hominũ inſidum & verſutum. Si quis ſemitarum obſeruatores aliquo tranſiſſet artificio, capitis ſcilicet periculo Apoſtoli Eccleſiam videre cupiens, in ſicarios incidens, nullo modo ſine ſubſtantiæ, vel ſalutis damno domũ reuerteretur. Super ipſa corpora ſanctorũ Apoſtolorum & martyrũ, ſupra ſacra altaria gladii nudabantur, & oblationes accedentium vix dum appoſitæ de manibus abripiebantur, abreptæ in cõmeſſationes, & ſcortorũ abuſiones conſumebantur. Tantorum malorum turbo *Gregorii* papatum offendit. Ille primo leniter, & vt decet pontificem magis amore, quam terrore cũ ſubiectis agere; delinquentes verbis plus quam verberibus premere; vrbani à peregrinorum infeſtatione, à rapina ſacrorũ ceſſarent. Alterũ eſſe contra naturam, vt ille qui cõmuni veſceretur aere, non communi frueretur pace: Chriſtiano inter Chriſtianos libere, quo liberet, progrediendum, dum omnes ſint ex vno famulitio, omnes vnius ſanguinis coniuncti coagulo, redempti pretio. Alterum contra Dei mandatũ, q̃ præcepit, vt qui altario deſeruiunt, de altario viuant. Præterea domum Dei decere eſſe domum orationis, non ſpeluncam latronum, nõ gladiatorũ conuenticulũ. Permitterent oblationes tranſire in vſus Sacerdotũ, vel in expẽſas pauperũ; Prouiſurũ ſe illis quos egeſtas ad rapinas cõpelleret, vt aliquo honeſto officio ſtipẽ haberent; quos cupiditas exagitabat, ipſi ſibi pro Dei timore, & ſeculi honeſtate modum ponerent. Inuaſores Eccleſiaſtici patrimonii mandatis & Epiſtolis inuitauit, vt aut indebita redderent, aut ſe iure illa tenere in Senatu Romano probarent. Si neutrum facerent Eccleſiæ membra ſe non eſſe cognoſcerent, qui capiti Eccleſiæ beato *Petro*, & eius vicario reſultarent. Talia frequenter concionatus, & aut parũ aut nihil proficiens, ſeuerioribus remediis inueterato morbo tentauit occurrere. Cauterio itaq; excõmunicationis omnes ab Eccleſiæ corpore remouit; vel qui talia facerent; vel qui agentibus conuiuio, vel ẽt colloquio participarent. Hæc ille pro ſuo officio ſatis agebat, ſed pene in pernitiem verſa ſedulitas. Nam vt ille dicit, *qui arguit deriſorem ipſe ſibi iniuriam facit*. Maligni illi leui admonitione perſtricti contra furere, minis auras territare, muros vrbis armis circumſonare, adeo vt pene Papam interimerent. Itaq; ferro abſciſſionis vtendum iudicans; arma vndecunq;, & equos conquiſiuit, milites & equites adornauit. Ac primum Baſilicam beati *Petri* præoccupans, raptores oblationum vel extinxit vel effugauit. Inde fortunam ſibi aſpirare videns, longius progreditur, & ſi qui reſiſterent occiſis, prædia omnia & oppida multis temporibus amiſſa; in antiquum ius reformauit. Itaque pax per multorum ſegnitiem exulans, per vnum hominem in patriam rediit. Securi peregrini inſuetas viarum terebant orbitas, læti per vrbem antiquis oculos paſcebant miraculis, cantitantes donis factis repatriabant. Quirites interea rapto viuere aſſueti, ſanguinarium vocant illum, & indignum eſſe, qui Deo offerret ſacrificium tot cædium conſcius; & vt fieri ſolet, quod morbus obloquii ab vno ſerpat in omnes, ipſi etiam Cardinales argumenta populi probabant; adeo vt cum beatus ille valetudine, qua defunctus eſt, decumberet: conſilio inter

ſe prius habito, auſu temerario admonerent, ne ſe in Eccleſia ſancti *Petri* cum cæteris Apoſtolicis tumulari præciperet, qui tot hominum mortibus officium fœdaſſet. Tum ille recollecto ſpiritu toruiſque luminibus minax hanc orationem habuit.

Si in vobis vel ſcintilla rationis humanæ, vel ſcientia diuinæ authoritatis eſſet, tam præcipiti ſuaſione non conueniretis Pontificem veſtrum; qui quantum vixi, & patrimonium meum in veſtra cõmoda effudi, & poſtremo famam mundi pro veſtra liberatione neglexi. Et ſi alii hæc, quæ proſcinditis, attexerent, par erat os obſiſtere, opiniones ſtultorum melioribus interpretationibus lenientes. Cui quæſo theſaurizaui? forſitan mihi, at theſauros anteceſſorum meorum habebam, qui cuiuſlibet auaritiæ ſufficerent, quibus ſalutem, quibus libertatem reſtitui? referetis quod mihi. At adorabar à populo & libere, quæ volebam, actitabam; applaudebatur mihi totis orationibus, acclamabatur in laudes meas totis diebus. Has laudes, hos plauſus abſtulit mihi veſtræ tenuitatis contuitus. Ad vos flexi animum, & ſeuerius agendum æſtimaui. Fortunarum veſtrarum titulos prædo impius abliguriebat, vos inopem vitam diurno pane agebatis. Ille de oblationibus veſtris, pretioſa ſibi ſerica mercabatur; vos populari, & diſſuto amictu oculos mouebatis meos. Itaq; cum hæc nequirem pati, bellum aliis indixi, vt damno ciuium emerem gloriam clericorum. Sed, vt modo experior, in ingratos beneficia collata perdidi, quod alii per angulos muſſitant, vos euomitis in publicum. Et libertatem quidem probo, ſed pietatem requiro. Morientem patrem filii de ſepultura ſua exagitant. communem mortalium domum mihi negabitis? Non arcetur ab introitu Eccleſiæ meretricula, non vſurarius, nec latro; & vos Papam ingredi prohibetis? Quid refert an mortuus, an viuus ſacrarium introeat, niſi quod viuus multis tentatur illecebris, vt nec in Eccleſia macularum ſubſiſtat immunis, ibi ſæpe peccandi reperiens materiam, vbi venerat diluere culpam; mortuus peccare neſciat, imo peccare non poſſit, ſupremo carens viatico. Quam immanis igitur barbaries, vt hunc à domo Dei excludas, cui peccandi deſit & voluntas & facultas. Quapropter filii tam præruptæ audaciæ pœnitentiam agite, ſi forte vobis remittat Deus hanc noxam. Stulte enim & amare loquuti eſtis ad hanc horam. Sed ne putetis me ſola niti authoritate, rationem accipite. Omnis actus hominis ſecundum intentionem cordis debet examinari, vt eo vergat facti iudicium, vnde proceſſit faciendi conſilium. Fallor ſi non idem veritas dicit, ſi oculus tuus fuerit ſimplex totum corpus tuum lucidum erit, ſi vero nequam fuerit, totum corpus tenebroſum erit. Crebro me miſerabilis conuenit egenus, vt eius leuarem inopiam; ego futurorũ inſcius, non abnui, ſed diuerſis monetis onuſtatum dimiſi. Diſcedens ille in publico aggere latronem offendit, incautus cũ eo ſermonem conſeruit, prædicans ſedis Apoſtolicæ indulgentiam, & vt fidem dictorum probaret, marſupium protulit. Interim dum itur multaq; confabulatione via fallitur, doloſus ille pauliſper remoratus, caputq; peregrini claua, quam ferebat, affligens, nec mora extinxit. Surreptiſque denariis gloriatus eſt de homicidio, quod perſuaſerat pecuniæ cupido. Nunquid ergo me inde recte iudicabitis, qui peregrino dederam, vnde cauſam mortis incurreret? Neq; enim ille quamuis crudeliſſimus hominem peſſundaret, niſi auidis ſinibus nummos infarcire ſperaret. Qui dicam de legibus forenſibus & Eccleſiaſticis? Nonne in eis vnum, idemq; factum diuerſo reſpectu, & punitur & laudatur? animaduertitur in latronem, quod occiderit hominem in occulto, probatur in milite ſi fuderit hoſtem in bello. Ita homicidium in illo vituperabile, & in iſto laudabile cẽſetur, quia iſte pro ſalute patriæ, ille occiderit pro auiditatis ingluuie. Laudatus eſt olim prædicandæ memoriæ prædeceſſor noſter Adrianus *primus, quod inueſtituras Eccleſiarum* Carolo Magno *conceſſerit; ita vt nullus electus conſecraretur ab Epiſcopo, niſi prius à rege inſigniretur & annulo & baculo. Contra, laudatur in noſtri ſæculi pontificibus, quod has donationes tulerunt principibus. Poterat tunc rationabiliter concedi, quod nunc laudabiliter debet auferri. Cur ita? Quod erat animus* Magni *aduerſus auaritiam inuictus, nec facile inueniſſet aditum aliquis niſi intraſſet per oſtium. Præterea per tot terrarum interſtitia nequibat requiri ſedes Apoſtolica, vt vnicuique electo accommodaret aſſenſum ſuum, dum eſſet prope rex, qui nihil per auaritiam diſponeret, ſed iuxta ſacra canonum ſcita religioſas perſonas Eccleſiis introduceret. Nunc omnis palatia regum, luxus & ambitus occupauit. Quare merito libertatem ſuam ſponſa Chriſti aſſeuerat, ne illam tyrannus ambitioſo vſurpatori proſtituat. Ita in vtramuis partem poteſt cauſa mea infirmari, vel allegari. Non eſt Epiſcopi officium, vt ipſe committat vel committi iubeat prælium: cæterum ſpectat ad munus Epiſcopi, vt ſi videat naufragari innocentiam, & manu & lingua occurrat. Sacerdotes* Ezechiel *accuſat, quod non ſteterint ex aduerſo, nec oppoſuerunt clypeum pro domo Iſrael in die Domini. Duæ ſunt ſcilicet perſonæ in Eccleſia Dei ad reſecanda vitia conſtituta: vna quæ exacuat eloquium, altera, quæ portet gladium. Ego, vt vos mihi teſtes eſſe poteſtis, non neglexi meas partes: quoad ſperaui proficere, armaui linguam; illum cuius intereſt rem agere gladio, certiorem feci nuntio, occupatum ſe reſcripſit bello* Vindelicorum, *rogans vt meis laboribus ſuis expenſis non grauarer deturbare latronum conciliabula. Si renuiſſem, quam excuſationem Deo offerrẽ, cum Imperator ſuas in me partes refudiſſet? viderem cædem ciuium, damnũ peregrinorum, & dormitarem? At qui parcit latroni, occidit innocentem, ſed obiicietur non eſſe ſacerdotis, vt ſe cæde cuiuſlibet immaculet; & ego concedo, ſi ille ſe inquinat, qui ſontem premẽs inſontem liberat. imo vero imo beati,*

qui

qui cuſtodiunt iudicium & faciunt iuſtitiam in omni tempore. Sacerdotes fuerunt ampliſſima laude famoſi, Phinees, Mathathias, ambo ſacra tiara frontem inſigniti, ambo ſacerdotalibus ſtolis amicti, ambo tamen in delinquentes manu vlti ſunt. Alter venereos amplexus pugione confodit: alter immolantem immolatitio cruori commiſcuit. Si ipſi quaſi ſpiſſas legis tenebras palpantes pro ipſis vmbraticis myſteriis zelo diuino efferati ſunt; nos aperta fronte veritatem contuentes, patiemur ſacra noſtra prophanari? Azarias ſacerdos Regem Oziam thurificantem expulit, & proculdubio non dubitaſſet occidere, niſi ille acceleraſſet cedere. Præuenit Epiſcopalem manum plaga diuina, vt lepra depaſceretur illius cadauer, cuius animus anhelaſſet illicita. Deturbata fuit regis deuotio, & non deturbabitur Latronis ambitio? Parum eſt quod excuſo, ſi non & laudem factum meũ. Contuli .n. illis beneficium, quibus videor contuliſſe exitium, pœnã minui qui mortem acceleraui. Sceleratus .n. quanto plus vixerit, tanto plus peccabit; niſi forte quem Deus ſingulari exemplo reſpexerit. Mors in cõmuni bona eſt omnibus, per eam iuſtus reponitur in cœleſtibus, iniuſtus ponit ferias ſceleribus: malus dat flagitiis terminũ, bonus pertendit ad brauiũ; ſanctus propinquat ad palmam, peccator ſpectat ad veniam, quod *figit flagitiis metam. Gratiæ igitur mihi habendæ ſunt illorum vice, qui tantis miſeriis excẽpti ſunt meo munere. Hæc habui, quæ pro me dicerẽ vt veſtras aſſertiones euacuarẽ. Sed quoniã & meæ & veſtræ ratiocinationes falli poſſunt, cõmittamus omnia diuino examini: corpus autẽ meum anteceſſorũ meorũ more compoſitũ, ante ianuas Eccleſiæ ſiſtite, ianuæ ſeris & repagulis dãnentur, ſi Deus voluerit vt ingrediar, applaudetis miraculo; ſin minꝰ, de cadauere meo facite, ꝙ potius veſtris inſederit animis. *al. fligit.*

Hac permoti oratione, cum ille extremum efflaſſet ſpiritum, ante portas ſeris occluſas, exanimis præſulis exuuias deportant: ſed mox diuinitus turbo emiſſus omnia repagulorum obſtacula dirumpens, valuas etiam ipſas vehementi patefactas impetu ad parietem impulit. Populus aſtans acclamat in gaudium. Pontificis corpus * cum presbyteris celebri veneratione locatum. *al. cum patribus.*

Iiſdem diebus ſimile huic contigit in Anglia, non ſuperno miraculo ſed inferno præſtigio, quod cum retulero, non vacillabit fides hiſtoriæ, etſi mentes auditorum ſint incredulæ. Ego illud à tali viro audiui, qui ſe vidiſſe iuraret, cui erubeſcerem non credere. Mulier in Berkleia manſitabat maleficiis, vt poſt patuit, inſueta, auguriorum veterum non inſcia; gulæ patrona, petulantiæ arbitra, flagitiis non ponens modum, quod eſſet adhuc citra ſeniũ, vicino licet pede pulſans ſenectutis aditum. Hæc, cum quadam die conuiuaretur, cornicula, quam in delitiis habebat, vocalius ſolito, neſcio quid, cornicata eſt; quo audito domina cultellus excidit ſimul & vultus expalluit; & producto gemitu, hodie, ait, ad vltimum ſulcum meum peruenit aratrum; hodie audiam, & accipiam grande incommodum. Cũ dicto, nuncius miſeriarum intrauit, percunctatus quid ita vultuoſus aduentaret: Affero, inquit, tibi ex villa illa, & nominauit locum, filii obitum & totius familiæ ex ſubita ruina interitum. Hoc dicto & dolore fœmina pectus ſaucia continuo decubuit, ſentienſq; morbum prorepere ad vitalia, ſuperſtites liberos monachum & monacham pernicibus inuitauit epiſtolis, aduenientes voce ſingultiente alloquitur. Ego filii quondam meo miſerabili fato dæmoniciis ſemper artibus inſeruii, ego vitiorum omnium ſentina, ego illecebrarum magiſtra fui. Erat tamen inter hæc mala, ſpes veſtræ religionis, quæ miſeram palparet animam: de me deſperata in vobis reclinabar, vos proponebam propugnatores aduerſus dæmones, tutores contra ſæuiſſimos hoſtes. Nunc igitur quia ad finem vitæ acceſſi, & illos habebo exactores in pœna, quos habui ſuaſores in culpa; rogo vos per materna vbera, ſi qua fides, ſi qua pietas, vt mea ſaltem attentetis alleuiare tormenta: & de anima quidem prolatam ſententiam non reuocabitis, corpus verò forſitan hoc modo ſeruabitis. Inſuite corio ceruino, deinde in ſarcophago lapideo ſupinate, operculum plumbo & ferro conſtringite, ſuper hæc lapidem tribus catenis ferreis, magni ſcilicet ponderis circundate: pſalmicines ſint quinquaginta noctibus, eiuſdemque numeri miſſæ diebus, qui aduerſariorum excurſus feroces leuigent. Ita ſi tribus noctibus ſecure iacuero, quarta die infodite matrem veſtram humo: quanquam verear, ne fugiat terra ſinibus me recipere & fouere ſuis, quæ totiens grauata eſt malitiis meis. Factum eſt vt præceperat, illis magno ſtudio incumbentibus. Sed proh nefas nil lachrymæ valuere piæ, nil vota, nil preces, tanta erat muliercula malitia, tanta Diaboli violentia. Primis enim duabus noctibus, cũ chori clericorum pſalmos circa corpus concreparent, ſinguli dæmones oſtium Eccleſiæ immani obice clauſum, leui negotio defringentes, extremas catenas diruperunt, media, quæ operioſius elaborata erat, integra remanſit. Tertia nocte circa gallicinium, ſtrepitu aduenientium hoſtium omne monaſterium à fundamentis * viſum eſt euerti: vnus cæteris & vultu terribilior, & ſtatura eminentior, ianuas maiori vi concuſſas in fragmenta deiecit. Diriguere clerici metu, ſteteruntque comæ & vox faucibus hæſit. Ille arroganti, vt videbatur geſtu ad ſarcophagum acceſſit, inclamatoq; nomine, fœminæ, vt ſurgeret imperauit; qua reſpondente quod nequiret pro vinculis, ſolueris inquit, & malo tuo, ſtatimque catenam, quæ cæterorum ferociam eluſerat, nullo conamine vt ſtuppeũ vinculum dirupit. Operculum etiam tumbæ pede depulit, apprehenſamq; manu palam omnibus ab Eccleſia extraxit. Vbi præ foribus niger & ſuperbus equus hinniens videbatur, vncis ferreis per totũ tergum protuberantibus: ſuper quos miſera impoſita mox ab oculis intuentium cum toto ſodalitio diſparuit. Audiebãtur tamen clamores per quatuor fere milliaria miſerabiles ſuppetias orantis. Iſta in- *al. moueri viſum.*

credibilia non iudicabit, qui legerit beati Gregorii dialogum, qui refert in quarto libro nequam hominem in Eccleſia ſepultum, à dæmonibus foras eiectum. Apud Francos quoque non ſemel auditum eſt, quod dicam, Carolum Marcellum inſignis fortitudinis virum, qui Saracenos Gallias ingreſſos, Hiſpaniam redire compulit; exactis diebus ſuis, in Eccleſia Sancti Dionyſii ſepultum. Sed quia patrimonia omnium pene monaſteriorum Galliæ pro mercede commilitonum mutilauerat, viſibiliter à malignis ſpiritibus è ſepulchro abreptum, ad hanc diem nuſquam viſum. Deniq; illud reuelatum Aurelianenſi Epiſcopo, & per eum in vulgus ſeminatum.

Verum vt Romam reuertar, eiuſdem vrbis ciuis, ephebus ætate, locuples opibus, genere ſenatorio ſublimis: vxorem nouiter duxerat, ſodalibus ſuis accitis conuiuium frequens parauerat. Poſt cibum cum minutioribus poculis hilaritatem inuitaſſent, in campum prodeunt, vt oneratos dapibus ſtomachos, vel ſaltu, vel iactu, vel aliquo exercitio attenuarent. Ipſe Rex conuiuii ludi ſignifer, pilam popoſcit, interim annulum ſponſalitium digito extento ſtatuæ æreæ, quæ proxime aſtabat, compoſuit. Sed cum pene omnes ſolum impeterent, ſuſpirioſus extis incaleſcentibus, primus ſe à luſu remouit, annulum repetens inuenit ſtatuæ digitum vſq; ad volam curuatum. Diu ibi luctatus, quod nec annulum eiicere, nec digitum valeret frangere, tacite diſceſſit, re ſodalibus celata, ne vel præſentem riderent, vel abſentem annulo priuarent. Ita nocte intempeſta cum famulis rediens, digitum iterum extentum, & annulum ſubreptum miratus eſt. Diſſimulato damno nouæ nuptæ blanditiis delinitus eſt. Cumq; hora * cubandi veniſſet, ſeq; iuxta vxorem collocaſſet, ſenſit quiddam nebuloſum & denſum inter ſe & illam volutari, quod poſſet ſentiri, nec poſſet videri, hoc obſtaculo ab amplexu prohibitus, vocem etiam audiuit, mecum concumbe, quia hodie me deſponſaſti; ego ſum venus cuius digito appoſuiſti annulum, habeo illum, nec reddam. Territus ille tanto prodigio, nihil referre auſus eſt, nec potuit; inſomnem illam noctem duxit, tacito iudicio rem examinans. Elapſum eſt in hoc multum tempus, vt quacunq; ille hora gremio vellet coniugis incumbere, illud idem ſentiret & audiret: alias ſane valens & domi aptus & militiæ. Tandem querelis vxoris commonitus rem parentibus detulit: illi habito conſilio, Palumbo cuidam ſuburbano presbytero negotium pandunt; erat is Necromanticis artibus inſtructus, Magicas excitare figuras, dæmones terrritare, & ad quodlibet officium impellere. Pactus ergo grande mercimonium, vt ſi amantes coniungeret, multo ære fulciret marſupium, in omne ſe ingenium notis artibus excitauit, compoſitamq; Epiſtolam iuueni dedit. Vade inquiens, illa hora noctis in compitum, vbi ſe findit in quadriuium, & ſtans tacite conſidera, tranſient ibi figuræ hominum vtriuſq; ſexus, omnis ætatis, omnis gradus, omnis poſtremo conditionis, quidam Equites, quidam pedites, alij vultum in terram deiecti, alii tumido ſupercilio elati, & prorſus quicquid ad lætitiam vel triſtitiam pertinet, in eorum videbis & vultibus & geſtibus; nullum eorum compellabis, etſi loquatur tecũ; ſequetur illam turbam quidam reliquis ſtatura procerior, forma corpulentior, curru ſedens: huic tacitus Epiſtolam trades legendam, fiet è veſtigio quod voles, fac tantũ præſenti animo ſis. Aggreditur ille iter præceptum, & nocte ſub diuo aſtans, fidem dictorũ presbyteri viſu explorat. Nihil enim fuit quod minus promiſſis deſiderares. Inter cæteros quoq; tranſeuntes vidit mulierem ornatu meretricio mulam inequitantem, crinis ſolutus humeris inuolutabat, quem vitta aurea ſuperne conſtrinxerat; in manibus aurea virga, qua equitaturam regebat, ipſa pro tenuitate veſtium pene nuda, geſtus impudicos exequebatur. Quid plura? vltimus qui Dominus videbatur oculos terribiles in iuuenem exacuens ab axe ſuperbo Smaragdis & vnionibus compoſito cauſas aduentus exquirit: nihil ille contra, ſed protenta manu porrigit Epiſtolam: Dæmon notum ſigillum non auſus contemnere legit ſcriptũ, moxque brachiis in cælum elatis, Deus inquit, omnipotens, in cuius conſpectu omne peccatum eſt tanquam fætor, quamdiu patieris nequitias Palumbi presbyteri? Nec mora ſatellites à latere ſuo miſit Diabolus, qui annulum extorquerent à venere, illa vultũ tergiuerſata vix tandem reddidit. Ita iuuenis voti compos ſine obſtaculo potitus eſt diu ſuſpiratis amoribus. Sed Palumbus vbi dæmonis clamorem ad Deum de ſe audiuit, finem dierum ſibi præſignari intellexit. Quocirca omnibus membris vltro truncatis miſerabili defunctus eſt pænitentia, confeſſus Papæ coram populo Romano inaudita flagitia.

al. cumbendi.

Tunc corpus Pallantis filii Euandri, de quo Virgilius narrat, Romæ repertum eſt illibatum ingenti ſtupore omnium, quod tot ſecula incorruptionem ſui ſuperauit. Quod ea ſit natura conditorum corporum, vt carne tabeſcente cutis exterior neruos, nerui oſſa contineant. Hiatus vulneris quod in medio pectore Turnus fecerat, quatuor pedibus & ſemis menſuratum eſt. Epitaphium huiuſmodi repertum eſt.

> *Filius Euandri* Pallans, quem lancea *Turni*
> Militis occidit, more ſuo iacet hic.

Quod non tunc crediderim factum, licet dicatur Carmentis mater Euandri Latinas literas inueniſſe, ſed ab Ennio, vel alio aliquo antiquo compoſitum; ardens lucerna ad caput inuenta arte Mechanica, vt nullius flatus violentia, nullis liquoris aſpergine valeret extingui. Quod cum multi mirarentur, vnus vt ſemper aliqui ſolertius ingeniũ in malo habent, ſtylo ſubtus flammam foramen fecit

ita

ita introducto aere ignis euanuit. Corpus muro applicitum vaſtitate ſui mœnium altitudinem vicit, ſed procedentibus diebus ſtillicidiis rorulentis infuſum communem mortalium corruptionem agnouit, cute ſoluta & neruis effluentibus.

Tunc quoque in confinio Britanniæ & Normanniæ portentum viſum eſt, in vna vel potius duabus mulieribus; duo erant capita, quatuor brachia, & cætera gemina omnia vſque ad vmbilicum; inferius duo crura, duo pedes, & cætera omnia ſingula. Ridebat, comedebat, loquebatur vna: flebat, eſuriebat, tacebat altera. Ore gemino manducabatur, ſed vno meatu digerebatur. Poſtremo vna defuncta, ſuperuixit altera, portauit pene triennio viua mortuam, donec & mole ponderis, & nidore cadaueris ipſa quoque defecit. Putatum eſt à quibuſdam, & literis etiam traditum, quod hæ mulieres Angliam & Normanniam ſignificauerint. Quæ licet ſpaciis terrarum ſint diuiſæ, ſunt tamen ſub vno domino vnitæ. Hæ quicquid pecuniarum auidis faucibus inſorbuerint, in vnam lacunam defluit, quæ ſit vel principum auaritia, vel circumpoſitarum gentium ferocia, mortuam, & pene exhauſtam Normanniam vigens pecuniis ſuſtentat Anglia, donec & ipſa fortaſſis ſuccumbat exactorum violentia, fœlix ſi vnquam in libertatem reſpirare poterit, cuius inanem iamdudum proſequitur vmbram. Nunc gemit calamitatibus affecta, penſionibus addicta. Cauſam huiuſce calamitatis deſcribam, ſi prius quædam dixero ad rem pertinentia. Quia enim forenſia geſta, & negotia bellica regum Anglorum huc vſque contexui, libet aliquantiſper in ſanctitate quorundam ſpatiari. Simulque conſiderandum, quatenus diuinæ pietatis fulgor ab initio fidei populum illum circumfulſerit, quod nuſquam gentium vt opinor, reperies tot ſanctorum corpora poſt mortem illibata, incorruptionis illius extremæ ſimulachrum præferentia. Quod ideo fieri credo cælitus, vt natio pene extra orbem poſita, ex conſideratione incorruptelæ ſanctorum, fidentius ad ſpem reſurrectionis animaretur. Et ſunt ſane quinque omnino quos nouerim (cæterum plures accolæ prædicant ſci) Sancta Etheldritha & Wiburga virgines, Rex Edmundus, Archiepiſcopus Alphegus, Cuthbertus antiquus pater, omnes inuiolatis cute & carne flexibilibus articulis extremus vitali quodam tepore ſpeciem dormientium meditantes. Quis enumeret cæteros omnifariæ conditionis & profeſſionis ſanctos? Quorum nuncupatim nomina & vitas perſequi, nec propoſitum nec otium, quanquam otij tempus olim fuerit ſuper: ſed tacebo, ne maiora viribus videar polliceri. Atque adeo nullum de plebe neceſſe eſt nominare, ſed tantum regiæ ſtirpis pueros, puellaſue, vt cœptæ materiæ orbitas dicam: pleroſque innocenter cæſos, quos non humana coniectura, ſed diuina ratio martyres conſecrauit. Vnde datur cognoſci, quantam fecerunt licentiæ voluptatum parcimoniam, qui tam facilis necis compendio, cæleſtem occupauerunt gloriam.

In laudibus beatiſſimi Oſwaldi Regis & martyris, in ſuperiori libro aliquandiu verſata eſt oratio; cuius ſanctitatis fuere indicia, cum cætera, tum illud, quod ſecundum quædam exemplaria, in geſtis Anglorum aſſeritur. In Seleſienſi cœnobio, quod Sanctæ religionis Wilfridus monachis Northanimbris repleuerat, exitialem morbum exortum multos necaſſe, reliquos triduano indicto ieiunio peſtem pellere tentaſſe. Secunda die ieiunij, beatos Apoſtolos Petrum & Paulum puero eadem valetudine decumbenti apparentes, his illum animaſſe: Non eum debere metuere mortem imminentem, quæ ſit & præſentis languoris exitus, & vitæ perennis introitus. Cæterum neminem de illo Monaſterio in hac peſtilentia moriturum, quod Deus præclari Regis Oſwaldi conceſſerit meritis, pro compatriotis eadem die ſupplicantis. Hunc enim eſſe diem, quo idem Rex peremptus à perfidis, ſtellatum in momento tribunal conſcenderit. Quærerent ergo in albo, quo mortuorum ſcribebantur nomina, & ſi ita inuenirent, ſoluto ieiunio, ſecuritati & lætitiæ indulgentes, Miſſarum ſolennia Deo & ſancto Regi concinerent. Huic autem viſioni pueri mors è veſtigio ſubſequuta, martyriſque dies, in martyrologio inuenta, ſimul & expulſio morbi ab omni prouincia adeo fuit atteſtata, vt nomen Oſwaldi ex tunc inter martyres notaretur, quod pro recenti funere fidelium antea numero ſociabatur. Merito ergo, merito, inquam, laudandus, cuius gloriam diuinus aſſenſus approbato extulit indicio, vt eum Miſſarum præciperet celebrari præconio, inuſitato, vt opinor, mortalibus exemplo. Ne autem videantur friuola, prohibet indubitata hiſtorici authoritas, ſimulq; beatus Epiſcopus Acca relatoris ſymmiſtes.

Egbertus Rex Cantuariorum filius Ercomberti, de quibus ſupra dixi, habuit cognatos iuuenes, vicino conſanguinitatis gradu, lineam regum contingentes, Ethelredum & * Ethelbrithum [al. Egilbirhtum.] filios ſcilicet Ermenredi patrui ſui. Hos ille in ſpem regni adoleſcere metuens, ſalutiq; ſuæ timens, ægro & miſerabili victu, circa ſe aliquandiu habitos, tandem contuitum ſuum eis inuidens ab aulę frequentia remouit. Mox per miniſtrum ſuum nomine * Thurne [al. Thunre.], quod tonitruum ſonat, occulte interemptos, ſcobi profundæ immerſit, arbitratus poſſe latere homicidium, quod commiſiſſet clam viſibus hominum. Sed diuinus ille oculus, quem arcana cordium non fallunt, tulit in lucem inſontes, multas ibi largitus ſanitatum gratias, quoad vicini commoti rudera illa tumultuario ceſpite corporibus iniecta effodientes foſſam ad ſpeciem ſepulchri dirigunt, Eccleſiola ſuper ædificata. Ia-

cuere ibi vſq; ad tempus Regis Edgari. Tunc enim à beato Oſwaldo Archiepiſcopo Wigornienſi leuata, & ad cœnobium Rameſeiæ deportata ſunt. Ex qua die multis ſe miraculis manifeſtarunt, ſupplicum votis exorabiles.

Offa Rex Merciorum pro confirmatione, vt putabat, regni ſine vllo delectu amici vel inimici, multos potentes trucidauit: inter quos Ethelbirthum Regem, nefariam rem in procum filiæ operatus. Verum illius mors innocua, breui regno filii Offæ creditur vt ſupra dixi, vindicata. Quin & Deus adeo euidentibus ſignis ſanctitatem eius prodidit, vt hodieq; ſedes Epiſcopalis Herefordiæ ſub ipſius nomine conſecretur. Nec ineptum debet videri aut incongruum, quod anteceſſores noſtri probi & religioſi viri vel taciturnitate tollerauerunt, vel authoritate roborauerunt.

[al. teneræ ætati.] Quid Sancto Kenelmo* teneræ ætatulæ puero ſtylus hic comminiſcetur dignum. Hunc pater Kenulphus Rex Merciorum ſeptennem Quendridæ ſororis fidei educandum reliquit. Sed illa falſo ſibi Regnum præſagiens, fraterculum tollendum de medio, ſatelliti, qui alumnus erat, commendauit. Is inſontem cauſa remittendi animum vel recreandi quaſi venatum ducens, inter frutecta obtruncatum occuluit. Et mirum dictu, quod fraus tam celate in Anglia commiſſa Romæ diuinitus innotuit. Siquidem membrana ſuper altare Sancti Petri ſuperne columba ferente delapſa, necis & ſepulchralis loci per ordinem index. Quæ quia elementis Anglicis erat conſcripta, à Romanis & aliarum gentium hominibus qui aderant, fruſtra legi tentata. Sed ſalubriter & in tempore aſtitit Anglus, & linguæ inuolucrum latialiter Quiritibus euoluens, effecit, vt Apoſtolici Epiſtola regibus Anglis compatriotam martyrem indicaret. Quapropter frequenti cœtu innocentis corpus leuatum* Winchelcumbam vehebatur. [al. Wincelcumbã.] Ita clericorum vocali cantu, & laicorum alacri plauſu parricidalis fœmina commota eſt, è feneſtra cœnaculi in quo ſtabat caput extulit; & forte Pſalterium præ manibus habens continuatione lectionis ad Pſalmum peruenerat, Deus laudem meam, quem à fine, neſcio quo præſtigio, retrograde dicens, nitebatur lætitiam cantantium infirmare. Tum vero vi diuina lumina veneficæ cauis orbibus euulſa cruore verſum polluerant. Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud dominum, & qui loquuntur mala aduerſus animam meam. Cruoris ſigna extant hodie, immanitatem mulierculæ, & Dei vltionem ſpirantia. Corpuſculum Sancti celebriter colitur, nec vllus fere locus in Anglia maiori ad feſtum aduentantium veneratur frequentia. Exigit hoc & antiquæ ſanctitatis perſuaſio, & miraculorum crebra exhibitio.

Nec vacabunt laude tua paginæ noſtræ, felix puer Wiſtane fili Wimundi, filij Withlafii, regis Merciorum & * Elfledæ filiæ Celwlfi, qui fuit patruus Kenelmi; te inquam non tacebo, [al. Ethelflede.] quem Berfertus cognatus nefarie interemit. Norintque poſteri, ſi qui has literas cognitione dignas duxerint, nihil in ſeculo indolis tuæ nobilitate glorioſius, qua irritatus* infeſtus latro te mortificauerit, [al. infauſtus.] nihil in Deo puritate tua innocentius, qua inuitatus internus arbiter te honorificauerit. Nam cœlo demiſſa columba lucifera, denſæq; noctis dirumpens pallia, profundæ caueæ ſcelus detexit, carnificis nequitiam arguit. Quapropter venerandæ reliquiæ leuatæ parentum officio Rapendunæ locatæ ſunt, tunc temporis famoſo monaſterio: nunc eſt villa Comitis Ceſtrenſis, cuius gloria pro ſitu vetuſtatis exoleta. Nunc* Eueshanum inhabitas, dignus qui fauentium votis ſerenus indulgeas. [al. Eueſamum.]

De ſanctitate regum Orientalium Saxonum & Orientalium Anglorum, Beda multa retulit, quorum regnorum genealogiam huius operis primo libro breuiter intexui; quia plena geſta regum nuſquam potui inuenire. Veruntamen de ſancto Edmundo, quem ſeculum Bedæ non attigit, amplior procudetur oratio; qui in Orientali Anglia principatum tenuit. Prouincia illa ab Auſtro, & ab Oriente cingitur Oceano, ab Aquilone paludum vligine & ſtagnorum rapaci voragine; quæ trium, vel duum * millium ſpatio latitudine, infinitaque longitudine protenſa, incolarum vſui piſcoſam præbent exuberantiam; [al. milliariorum.] ab Occidente reliquæ inſulæ continua, ſed defoſſa humo ad inſtar muri aggere permunita; Pecorum pabulis, ferarum capturis humus egregia, cœnobiis referta, congregationibus monachorum numeroſiſſimis inter ipſas ſtagnorum inſulas inſtitutis, gens læta, & lepida facetaq; feſtiuitate iocorum ad petulantiam promtor. Hic regnauit Edmundus vir Deo deuotus, auita proſapia regum excellens: qui cum aliquot annis pacifice prouinciæ præfuiſſet, nulla temporum mollitie virtutem eiurare impulſus. Danorum duces Hinguar & Hubba Northanimbrorum & Orientalium Anglorum depopulari prouincias venere. Quorum primus regem non reſiſtentem, ſed armis proiectis ſolo pronum & orantem cœpit, & poſt nonnulla tormenta decapitauit. Emicuit poſt necem beati viri tranſactæ vitæ puritas, miraculis inauditis. Caput à corpore lictorũ ſæuitia diuiſum, dumeta proiicientibus Danis occuluerant. Quod dum ciues quærerent hoſtem abeuntem veſtigiis inſecuti, funeri regio iuſtas ſoluturi inferias, iocunda Dei munera hauſere; exanimati capitis vocem expreſſam, omnes ad ſe luſtratores inuitantis: Lupum, feram cadaueri aſſuetam lacertis illud complexum innoxiam prætendere cuſtodiam: Eundem more domeſtici animalis baiulos poſt tergum modeſte ad tumbam ſecutum nullum læſiſſe, à nullo læſum eſſe. Tunc pro tempore humi traditum corpus venerabile, terrea gleba ſuperiecta, & exilis pretii lignea capella ſuperſtructa. Sed ad-

erat

erat oſcitantibus prouincialibus virtus martyris ſemiſopitas mentes eorum ad ſui reuerentiam ſignis excitans. Et leue quidem ac frigidum ſit, ſed primum eius experimentum, quod ſubiiciam. Latrunculos noctu ſacram ædem expilare aggreſſos, inuiſis loris in ipſis conatibus irretiuit, formoſo admodum ſpectaculo, quod præda prædones tenuit; vt nec cœpto deſiſtere, nec inchoata valerent perficere. Quapropter Theodredus Londoniæ præſul qui apud ſanctum Paulum iacet, plebeiæ machinæ diuturnam ſuſtulit * inuidiam, auguſtius ædificium ſuper veneranda membra molitus; quæ & miranda incorruptione & lacteo quodam candore, gloriam ſanctæ animæ prædicabant. Caput olim à ceruice reuulſum, nunc reliquo corpori compaginatum, ſignum tamen Martyrij coccinea cicatrice prætendens. Porro illud humana miracula excedit, hominis mortui crines & vngues ſenſim pullulare, quos Oſwen quædam ſancta mulier, quotannis tonderet hos, illos deſecaret, ſacra veneratione poſteris futuros. Sanctæ temeritatis fœmina, quæ coram cerneret, & contrectaret artus, quibus omnis inferior hic eſt mundus. At non ita Leofſtanus præcipitis, & effrenatæ audaciæ adoleſcens, qui ſibi corpus martyris, minis inſlatioribus oſtendi exegerat: famæ, vt dicebat, incertum fide oculorum ponderare deſiderans. Ideoq; prærupti auſus pœnam tulit, amens effectus, & poſt modicum ſcaturiens vermibus, & mortuus. Nouit profecto quod olim conſueuerat, nouit Edmundus modo facere,

* al. iniuriā

Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos.

Quibus artibus ita ſibi omnis Brittanniæ deuinxit incolas, vt beatum ſe in primis aſtruat, qui cœnobium illius, vel nummo vel valenti illuſtraret. Ipſi quoq; reges aliorum domini ſeruos ſe illius gloriantur, & coronam ei regiam miſsitant, magno ſi vti volunt redimentes commercio. Exactores vectigalium, qui alias bacchantur fas nefasq; iuxta metientes, ibi ſupplices citra foſſatum ſancti Edmundi litigationes ſiſtunt, experti multorum pœnam, qui perſeuerandum putarunt.

Nomina quoq; puellarum regii generis aliquarū oris mei perſtringet præconiū; præfata breuitatis venia, quam non faſtidii nauſea, ſed miraculorum facit inſcitia. Anna Rex Orientalium Anglorum habuit filias tres, * Etheldritham, * Etdelburgam, & Sexburgam. Etheldritha duobus viris nupta, fœlici (vt Beda author eſt) continentia, ſine vlla pudoris iactura, ſine vlla libidinis vrtica, perpetuæ virginitatis lauream cœlo victrix exhibuit. Edelburga in monaſterio Galliæ, quod dicitur Brigis, ſanctimonialis primum, de hinc Abbatiſſa illibatæ integritatis ſignaculo floruit, & ſpecioſum certe, quod ambæ ſorores ſicut concupiſcentiam carnis in ſe viuæ domuerant, ita defunctæ incorruptam eandem preferunt: illa in Anglia, iſta in Gallia, vt earum ſanctitas quæ abunde fulgurat, ſufficiat geminos irradiare polos. Sexburga Ercomberto Regi Cantuariorum in matrimonium data, & poſt mortem eius velata, in eodem monaſterio, quo ſoror Ethelreda prædicatur Sancta. Habuit ex illo Rege Ercomberto duas filias Ercongotam, & Ermenildam. De Ercongota ſcire volentes lectio Bedæ informabit. Ermenilda Wlferio Regi Merciorum locata, habuit filiam Werburgam virginem ſanctiſſimam. Sanctæ vtræq;, mater ſcilicet ſancta Ermenilda apud Hely, vbi poſt matrem Sexburgam Abbatiſſa fuit; & filia apud ciuitatem Legionum pauſant, in monaſterio eiuſdem vrbis, quod conſtruxit nouiter Hugo Comes Ceſtrenſis, eiectis inde pauculis clericis, qui ibidem fœdo & pauperi victu vitam tranſigebant. Earum & præcipue iunioris ibi laudantur merita, extolluntur miracula. Cumq; omnibus petitionibus ſint incunctanter fauorabiles, maxime orationes fœminarum & puerorum vicino & contiguo auxilii pede attingunt.

* al. Ethelaredam.
* al. Adelburgam.

Frater Wlferii Werewaldus ex Ermenberga, filia Ermenredi fratris Ercomberti regis Cantuariorum tulit duas filias, Mildritham & Milburgam. Mildritha in Taneto inſula Cantiæ, quam matri ſuæ in ſolutionem necis fratrum ſuorum Ethelredi & Egelberti dederat rex Egbertus; cœlibatui dans operam, ibidem vitæ metam incurrit. Sequenti tempore ad cœnobium ſancti Auguſtini Cantuariā tranſlata, eximia monachorum ſedulitate honoratur, pietatis fama & dulcedinis iuxta vacabulum ſuum in cunctos æque prædicabilis.

Et quamuis ibi pene omnes monaſterii anfractus pleni ſint ſanctorum corporibus, nec eorum parui nominis aut meriti, ſed quorum ſingula per ſe poſſent illuſtrare Angliam, nulla tamen illa colitur inferius, quin immo amatur & memoratur dulcius. Adeſt illa ſe diligentibus nullos ſurda tranſiens aure ſaluti conſulens animæ.

Milburga apud Weneloch requieſcit, olim ab accolis nota, ſed poſt aduentum Normannorum, dum neſcitur locus ſepulchri, aliquandiu obliuioni data. Nuper vero adunato ibi conuentu monachorum Cluniacenſium, dum inchoata noui templi machina, quidam puer per pauimentum concitatius curſitaret, effracta mauſolei fouea, propalam corpus virginis fecit; tunc Balſamici odoris aura per Eccleſiam ſpirante altius leuatum tot miracula præbuit, vt cateruatim eo populorum vnde confluerent. Vix patuli campi capiebant agmina viatorum, dum æquis vmbonibus diues & mendicus ſe agerent, cunctos in commune præcipitante fide. Nec caſſum euentum res habuit, adeo vt nullus inde

niſi extincta vel mitigata valetudine diſcederet, nonnulloſq́; regius morbus medicis ſane incurabilis per merita virginis relinqueret.

al. Ethelſwitha.

Edwardus *ſenior de quo ſuperius multa retuli, ſuſcepit ex vxore* * Elfgiua *filias multas, inter quas &* Edburgam, *quæ dum trima eſſet, ſpectabile futuræ ſanctitatis dedit periculum. Explorare volebat pater, vtrũ ad Deum an ad ſeculum declinatura eſſet puſiola; poſuerató; in triclinio diuerſarum poſſeſſionum ornamenta, hinc calicem & Euangelia, inde armillas & monilia. Illuc virguncula vlnis nutricis blandientis allata, genibus parentis aſſedit, iuſſaque vtrum vellet eligere toruo aſpectu ſecularia reſpuens, prompteque manibus raptans euangelia & calicem, puellari adorauit innocentia. Exclamat cœtus aſsidentium, auſpicium futuræ ſanctitatis in puella exoſculatus, pater ipſe arctioribus baſiis dignatus ſobolem. Vade, inquit, quo te vocat diuinitas, ſequere fauſto pede quem elegiſti ſponſum; & profecto & ego & coniux fœlices, ſi à filia religione victi fuerimus. Ita ſanctimonialium habitu induta, cunctas ſodales ad amorem ſuum in vrbe* Wintonia *ſedulitate obſequii inuitabat. Nec reſupinabat eam alta proſapiæ magnitudo, quod generoſum putaret in Chriſti inclinari ſeruitio. Creſcebat cum ætate ſanctitas; adoleſcebat cum adulta humilitas; in tantum vt ſingularum ſoccos furtim noctu ſubriperet; & diligenter lotos & inunctos lectis rurſum apponeret. Quapropter, licet multis miraculis Deus viuentem inſignierit, iſtud exemplum magis in cauſa prædico; quod omnia opera eius inchoabat charitas, & conſummabat humilitas. Denique deuotionem pectoris & integritatem corporis eius miracula in vita, & poſt mortem commendant plurima, quæ templorum eius æditui* Wintoniæ & * *Perſcore neſcientibus viua voce pronunciant.*

al. Perſſore.

Edgari regis filia beata *Edgitha* Wiltonenſe cœnobium ſedem oſſium ſuorum dulcibus exuuiis exornat, amore fouet; vbi ab infantia ſcholæ dominicæ tradita, incorrupta ſemper virginitate & frequentibus excubiis Dei gratiam demerebatur, natalium tumorem mentis ingenuitate premens. Vnum à maioribus accepi, quod non mediocriter iudicium offendebat hominum, fallens videlicet oculos eorum auratarum apparatu veſtium: ſiquidem cultioribus indumentis, iugiter ornata procederet, quam illius ſanctitudo expoſceret. Vnde à ſancto *Ethelwaldo* palam increpata, reſpondiſſe fertur, nec inepte nec infacete. Verax & irrefragabile iudicium Dei, ſola mortalium operitur conſcientias; nam & in ſordibus luctuoſis poteſt eſſe iactantia. Quapropter puto, quod tam incorrupta mens poteſt eſſe ſub iſtis veſtibus, quam ſub tuis diſciſſis pellibus. Hoc dicto repercuſſus pontifex, & veritatem dicti approbans taciturnitate ſua, lætumq; erubeſcens quod ſcintillante puellæ ſententia fuerit iniuſtus, ſiluit. Viderat illam ſanctus *Dunſtanus* in conſecratione Baſilicæ ſancti *Dionyſii*, quam illa in amorem matris ædificauerat, pollicem dextrum frequenter protendere, & ſignum crucis fronti è regione pingere; delectatuſque admodum, nunquam, inquit, putreſcat hic digitus. Continuoq; intra Miſſarum agenda, prorupit in lachrymas adeo profluas, vt ſingultienti voce diſcipulum prope aſtantem cõcuteret; reiq; cauſam quæſitus, cito, ait, hæc florida roſa marceſcet; cito auis dilecta Deo auolabit. Poſt ſex ab hoc die ſeptimanas conſecuta eſt è veſtigio rerum veritas pontificale vaticinium. Namque illa nobilis propoſiti tenax, prædicta die circa * imminentem terminum efflauit; cum eſſet annorum viginti trium. Nec multo poſt idem beatus vidit ſomnii viſione ſanctum *Dionyſium* virginem amicabiliter manu tenentem, & ex oraculo diuino conſtanter iubentem, vt à famulis honorificaretur in terris, ſicut à ſponſo & domino venerabatur in cœlis. Ita crebreſcentibus ad tumbã miraculis, edictum vt corpus virgineum leuaretur, & altius efferretur; inuentumq; in cineres totum reſolutum præter digitum & aluũ & aluo ſubiecta, vnde diſputantibus nonnullis; vni ex his, qui viderant, dormienti virgo ipſa aſtitit dicens; non mirum eſſe ſi partes illæ corporis putruerint; quod vſus * fuerit exanimata corpora in quoſdam arcanos naturæ illius ſinus defluere, & ipſa vtpote puella membris illis peccauerit; cæterum iuſte ventrem nulla corrumpi putredine, qui nulla ſit aculeatus vnquam libidine, ſed immunem ſe fuiſſe crapulæ & carnalis copulæ. Sane ambę iſtæ virgines meritis ſuis ſingula fulciunt cœnobia, adunatis in vtroq; multarum ſanctimonialium cœtibus, quæ dominabus & magiſtris ſuis vocantibus ad gratiam, reſpondent per obedientiam. Fortunatus, qui virginalium orationum particeps fuerit, quarum deuotioni ſe Dominus Ieſus placido indulget aſſenſu. Nam vt de Sceptonienſibus dixi, omnes iamdudum virtutes terris relictis cœlum petiere; in ſolis fere ſanctimonialium mentibus, ſi vſpiam terrarum ſint, illas reperies, (quod mihi ſanctorum virorum pace dixiſſe licuerit) quia multum laudandæ ſunt fœminæ, quæ diſſimulata ſexus infirmitate, certantibus ſtudiis ſeruantes continentiam, opimam ad ſuperos euehunt victoriam.

al. iuuenta.

al. habeat

Plures è familia regia vtriuſque ſexus cognouiſſe, ad rem referre arbitror: vt ſciatur quod à virtutibus maiorum Rex *Edwardus*, de quo ante digreſſionem dicebam, minime

nime degenerauerit. Denique miraculis, & prophetiæ ſpiritu, ſicut deinceps dicam, claruit. In exactionibus vectigalium parcus, quippe qui & exactores execraretur; in cibis & potibus regalis luxus immunis; in præcipuis feſtiuitatibus, quamuis amiciretur veſtibus auro intextis, quas regina ſumptuoſiſſime elaborauerat, ita temperans erat, vt nec maieſtati ſuæ deeſſet, nec tamen ſupercilium attolleret; magis Dei de his munificentiam, quam mundialem gloriam mente verſans. Vnum erat, quo in hoc ſeculo animum oblectaret ſuum, curſus ſcilicet canum velocium, quorum circa ſaltus latratibus ſolebat lætus applaudere; volatus volucrum, quorum natura eſt, de cognatis auibus prædas agere. Ad hæc exercitia continuis diebus poſt audita mane officia diuina intendebat. Cætera vir Deo voluntarie deditus, inter regni negotia viuebat Angelum, pauperibus hoſpitibuſque, maxime tranſmarinis & religioſis benignus appellando, munificus dando, & ad illorum ſanctitatem monachos ſuæ patriæ inuitando. Erat diſcretæ proceritatis barba & capillis cygneus, facie roſeus, toto corpore lacteus, membrorum habitudine commoda peridoneus.

Viderat quondam ſomnii reuelatione ſeculi illius fælicitatem Brihtwoldus * *Wilunenſis Epiſcopus, viderat & annunciauerat. Nam dum tempore regis* Cnutonis, *cæleſtibus apud Glaſtoniam lucubraret excubiis, ſubiſſetq́ illum cogitatio quæ frequenter angebat, de regia ſtirpe pene deleta; hæc meditanti ſopor irrepſit, &, ecce, in ſuperna raptus videt Apoſtolorum principem* Petrum, *ipſum* Edwardum, *qui tunc in Normannia exulabat in regem conſecrare, cælibe deſignata vita, & certo viginti quatuor annorum numero regni computato. Eidemq́ conquerenti de poſteritate, reſpondere, Regnum Anglorum eſt Dei: poſt te prouidit regem ad placitum ſui.*

al. Wintonienſis.

Porro vt iam de miraculis dicam; adoleſcentula iuxta parilitatem natalium virum habens, ſed fructu coniugii carẽs, luxuriantibus circa collum humoribus, turpem valetudinem contraxerat, glandulis protuberantibus horrenda. Iuſſa ſomnio lauaturam regis exquirere, Curiam ingreditur, rex ipſe per ſe opus pietatis adimplens, digitis aqua intinctis collum pertractat mulieris, medicam dextram ſanitas feſtiua proſequitur, lætalis cruſta diſſoluitur, ita vt vermibus cum ſanie profluentibus, omnis ille noxius tumor * recederet. Sed quia hiatus vlcerum fœdus & patulus erat, præcepit eam vſque ad integram ſanitatem, curialibus ſtipendiis ſuſtentari; veruntamen ante ſeptimanam exactam ita obductis cicatricibus venuſta cutis rediit, vt nihil præteriti morbi diſcerneres; poſt annum quoq; geminam prolem enixa, ſanctitatis *Edwardi* miraculum auxit. Multotiens eum in Normannia hanc peſtem ſedaſſe ferunt, qui interius eius vitam nouerunt. Vnde noſtro tempore quidam falſam * inſinuunt operam, qui aſſeuerant iſtius morbi curationem non ex ſanctitate, ſed ex regalis protapiæ hæreditate fluxiſſe.

al. reſideret.

al. inſumunt.

Cæcatus quidam, quo incommodo incertum, rumorem frequentem in curia perſeuerat ſanitatem ſe recepturum, ſi aqua ex ablutione manuum regis * oculos tangeret. Id ad ſe delatum non paucis nunciis ille riſerat, referentes rugato aſpectu inſpectatus: peccatorem ſe eſſe, opera ſanctorum virorum ſibi non conuenire. Verum miniſtri non negligendum arbitrati, eo neſciente, ſed in Eccleſia Dei orante, credulitatem faciunt. Namque confeſtim vt lotus eſt aqua, diuturnis tenebris exulantibus; lux tempeſtiua orbes impleuit, læto fragore plaudentium ſuſcitato; rex cauſam percunctatus edidicit. Moxq́; certitudine viſus eius comperta, quod ſcilicet digitos ſuos in oculos ſanati intentans, illum reducto capite cauere cerneret, gratias Deo porrectis in cœlum manibus egit. Eodem modo ſanauit cæcum quendam Lincolniæ, qui multis annis ſuperuixit regalis index miraculi.

al. oculis tangeretur.

Et vt perfectam viri virtutẽ, in hac præſertim potentia, cognoſcas, ſubiiciam quod mireris. Wulwinus *quidam cognomento* * Spillicora, *filius* Wulmari *de Nutegareshale, quodam die in ſylua Bruelle ligna cædens, dum diuturno poſt laborem ſopori indulſiſſet, ſanguine, vt credo circa oculos coagulato, viſum decem & ſeptem annis amiſit; quibus euolutis ſomnio edoctus, octoginta & ſeptem Eccleſias circumiuit, remedium cæcitatis à ſanctis efflagitans. Poſtremo ad regis curiam veniens, veſtibulum cameræ, aduerſantibus cubiculariis, fruſtra diu triuit. Sed perſtitit improbus pulſator, donec ægre admodum rege ipſo iubente admiſſus eſt. Audiẽs quippe ſomnium innocue reſponderat per dominã meam ſanctã* Mariam *multum grate feram, ſi Deus voluerit per me miſero miſereri. Itaq; quamquam nihil de miraculis auderet, coactus à miniſtris cum aqua cæco manum impoſuit. confeſtim ſanguine ex oculis vbertim ſtillante clamorem alacrem ſanatus produxit; video te rex, video te rex. Ita videns regali pallatio multis temporibus apud** Winleſores, *nam ibi curatus fuerat, præfuit, ſanatoris annos longæuitate vitæ tranſcendens. Ipſo die ex eadem aqua, tres cæci & vnus monoculus, qui regali eleemoſyna paſcebantur, ſanati ſunt, miniſtris plena fide liquorem ſalutiferum largientibus.*

al. Spillicon.

al. Windesbores.

Die ſancti Paſcha ad menſam apud Weſtmonaſterium *aſſederat, diademate faſtigiatus, & opti-*

matum turma circumuallatus. Cumq́; alii longam quadrageſimæ inediam recentibus cibis compenſantes, acriter comederent, ille à terrenis reuocato animo, diuinum quiddam ſpeculatus, mentes conuiuantium permouit ampliorem perfuſus in riſum; nulloq́; cauſam lætitiæ perquirere præſumēte, tunc quidem ita tacitum, donec edendi ſatietas obſoniis finem impoſuit. Sed remotis menſis cum in triclinio regalibus exueretur, tres optimates eum proſequuti, quorum vnus erat Comes Haroldus, ſecundus Abbas, tertius Epiſcopus, familiaritatis auſu interrogant quid riſerat; mirum omnibus, nec immerito videri, quare in tanta ſerenitate diei & negotii, tacentibus cæteris, ſcurrilem cachinnum eiecerit. Stupenda, inquit, vidi, nec ideo ſine cauſa riſi. Tum illi, vt moris eſt humani ingenii, ſciſcitari & quærere cauſam ardentius, vt * ſupplicibus dignanter rem impertiatur. Ille multum cunctatus tandem inſtantibus mira reſpondit: ſeptem dormientes in monte Cælio requieſcere iam ducentis annis in dextro iacentes latere; ſed tunc in hora ipſa riſus ſui, latus inuertiſſe ſiniſtrum; futurum vt ſeptuaginta quatuor annis ita iaceant; dirū nimirum miſeris mortalib. omen. Nam omnia ventura in his ſeptuaginta quatuor annis, quæ dominus circa finē mundi prædixit diſcipulis ſuis; gentē contra gentem ſurrecturam, & regnum aduerſus regnum, terræmotus per loca, peſtilentiam & famem, terrores de cœlo, & ſigna magna, regnorum mutationes, gentilium in Chriſtianos bella, item Chriſticolarum in paganos victorias. Talia mirantibus inculcans paſſionem ſeptem dormientium & habitudines corporum, quas nulla docet litera, ita prompte diſſeruit, ac ſi cum eis quotidiano victitaret contubernio. His auditis Comes militem, Epiſcopus clericum, Abbas monachum, ad veritatem verborum exſculpendam, Manicheti Conſtantinopolitano imperatori miſerē, adiectis regis ſui literis & muneribus. Eos ille benigne ſecum habitos Epiſcopo Epheſi deſtinauit, epiſtola pariter quam ſacram vocant comitante; vt oſtenderentur legatis regis Angliæ ſeptem dormientium marturiales exuuiæ. Factumque eſt vt vaticinium regis Edwardi græcis omnibus comprobatum, qui ſe à patribus accepiſſe iurarent ſuper dextrum illos latus quieſcere; ſed poſt introitum Anglorum in ſpeluncam, veritatem peregrinæ prophetiæ contubernalibus ſuis prædicerent. Nec moram feſtinatio malorum fecit, quin Agareni & Arabes, & Turci, alienæ ſcilicet à Chriſto gentes Syriam & Liciam & minorem Aſiam omnino, & maioris multas vrbes, inter quas & Epheſum, ipſam etiam Hieroſolymā depopulati ſuper Chriſtianos inuaderent. Tunc etiam mortuo Manichete Conſtantinopolitano Imperatore, Diogenes & Michaelius, ac Bucinacius & Alexius viciſſim ſe de Imperio præcipitarunt. quorum vltimus vſque ad noſtra tempora durans, Iohannem filium reliquit hæredem, aſtutia & fraudibus quam probitate notior; multa noxia in peregrinos ſacri itineris machinatus, Anglorum tamē fidem ſuſpiciens, præcipuis familiaritatibus ſuis eos applicabat, amorem eorum filio tranſcribens. His ſeptem annis proximis tres Papæ, Victor, Stephanus, Nicolaus Apoſtolatus vigorem continuis mortibus labefactarunt, E veſtigio quoque Hēricus pius Romanorum Imperator defunctus eſt, ſucceſſoremq́; Henricum filium habuit, qui multas oppreſſiones vrbi Romanæ fatuitate nequitiaq́; ſua intulit. Eodem anno Henricus Rex Francorum miles ſtrenuus & bonus potionis hauſtu interiit. Non multo poſt cometes, ſtella, vt ferunt, mutationes Regnorum prætendens, longos & flammeos crines per mane ducens apparuit. Vnde pulchre quidam noſtri Monaſterii Monachus * Elmerus nomine viſo coruſcantis aſtri terrore conquiniſcens; veniſti, inquit, veniſti, multis matribus lugende; dudum eſt quod te vidi, ſed nunc multo terribiliorem te intueor, patriæ huius excidium vibrantem. Is erat literis, quantum ad id temporis, bene imbutus, æuo maturus, immanem audaciam prima iuuentute conatus. Nam pennas manibus & pedibus, haud ſcio, qua innexuerat arte, vt Dædali more volaret, fabulam pro vero amplexus; collectaq́; è ſummo turris aura ſpacio ſtadii & plus volauit; ſed venti & turbinis violentia, ſimul & temerarii facti conſcientia, tremulus cecidit, perpetuo poſt hæc debilis, & crura effractus. ipſe ferebat cauſam ruinæ quod caudam in poſteriori parte oblitus fuerit.

al. vt ſupplicibus rem diligentius impertiret.

al. Eilmerus.

Similem huic prophetiam Edwardus moriens exhibuit, quam hic per anticipationem dicam. Cum enim biduo elinguis iacuiſſet, die tertio poſt ſoporem grauiter ac profunde ſuſpirans; Deus inquit Omnipotens, ſi non eſt fantaſtica illuſio, ſed verax viſio, quam vidi, da mihi facultatem eam aſtantibus exponendi, aut è conuerſo. Itaq́; mox expedita loquela, duos inquit modo Monachos vidi mihi aſſiſtere, quos adoleſcens olim in Normannia videram, religioſiſſime vixiſſe, & Chriſtianiſſime obiiſſe. Hi ſe Dei nuntios præfati talia ingeſſere; quoniam primores Angliæ duces, Epiſcopi & Abbates; non ſunt miniſtri Dei, ſed diaboli, tradidit Deus hoc regnum poſt obitum tuum anno vno & die vno in manu inimici, peruagabunturq́; dæmones totam hanc terram. Cumq́; ego hæc me oſtenſurum populo dicerem, illumq́; pœnitentia facta liberandum, præmiſſo exemplo Niniuitarum promitterem; neutrū, aiunt, erit: quia nec ipſi pœnitebunt, nec Deus ipſis miſerebitur. Et quando inquam tantarum calamitatum remiſſio ſperari poterit; tūc inquiunt, quaſi ſi arbor viridis ſuccidatur in medio, & pars abſciſſa deportetur à ſtipite trium iugerū ſpatio, cū ſine quolibet adminiculo ſuo iterum connexa trunco cœperit & floribus pubeſcere, & fructus protrudere ex coaleſcentis ſucci amore priſtino, tunc demum poterit ſperari talium malorum remiſſio.

Huius

Huius vaticinii veritatem, quamuis cæteris timentibus, tunc *Stigandi* Archiepiſcopi riſus excepiſſet, dicentis vetulum accedente morbo nugas delirare. Huius ergo vaticinii veritatem nos experimur; Quod ſcilicet Anglia facta eſt exterorum habitatio & alienigenarum dominatio. Nullus hodie Anglus vel Dux, vel Pontifex, vel Abbas; Aduenæ quiq; diuitias & viſcera corrodunt Angliæ; Nec vlla ſpes eſt finiendæ miſeriæ. Cuius mali cauſam, tempus eſt ſicut dudum ſpopondi, vt ſermo noſter paucis abſoluere tentet.

Rex *Edwardus* pronus in ſenium, quod ipſe non ſuſceperat liberos, & *Godwini* videret inualeſcere filios, miſit ad Regem Hunorum, vt filium fratris *Edmundi Edwardum*, cum omni familia ſua mitteret. Futurum, ait, vt aut ille aut filii ſui ſuccedant regno hæreditario Angliæ; Orbitatem ſuam cognatorum ſuffragio ſuſtentari debere. Ita venit *Edwardus*, ſed continuo apud ſanctum *Paulum* Londoniæ fato functus eſt, tribus liberis ſuperſtitibus: vir neque promptus manu, neque probus ingenio; *Eadgaro*, qui poſt occiſionem *Haroldi* à quibuſdam in regem electus eſt, & vario luſu fortunæ rotatus, nunc pene decrepitū diem ignobilis ruri agit; *Chriſtina*, quę ſanctimoniali habitu apud Rameſciam conſenuit; *Margarita*, quam *Malcolmus* Rex Scottorum legitimo matrimonio duxit. Hæc numeroſa prole fœcunda habuit filios *Edgarum* & *Alexandrum*, qui poſt patrem regnauerunt in Scotia ſucceſſione continua. Nam ſenior *Edwardus* in bello cum patre occubuit; iunior *David* manſuetudine, & ſapientia celebris, rex Scotiæ modo habetur; Filias, *Matildem*, quam noſtro ſeculo Rex *Henricus*, *Mariam*, quam *Euſtachius* iunior Comes Bononiæ vxores duxerunt. Rex itaque defuncto cognato, quia ſpes prioris erat ſoluta ſuffragii, *Willielmo* Comiti Normanniæ ſucceſſionem Angliæ dedit. Erat ille hoc munere dignus, præſtans animi iuuenis, & qui in ſupremum faſtigium alacri labore excreuerat; Præterea proxime conſanguineus, filius *Roberti* filii Richardi ſecundi, quem fratrem fuiſſe *Emmæ* matris *Edwardi* non ſemel eſt, quod diximus. Ferunt quidam ipſum *Haroldum* a rege in hoc Normanniam miſſum; alii ſecretioris conſilii conſcii inuitum venti violentia illuc actum, quo ſe tueretur inueniſſe commentum: quod, quia propius vero videtur, exponam. *Haroldus* in prædium iuris ſui Boſcam venerat: ibi vt animum oblectaret ſuum, piſcatorium conſcendit nauigium; & interim quidem longiuſculo ludo in altum proceditur; ſed ſubito aduerſa tempeſtate coorta, ipſe cum ſodalibus in Pontiuum pagum compellitur. Homines regionis illius pro more gentis inſito, repente ex omni parte conuolauere, inermes ab armatis, pauci à pluribus (quod facile fuit) oppreſſi, manus manicis, pedes compedibus præbuere. *Haroldus* aſtuto pectore voluens caſus remedium, hominem promiſſis ingentibus ſollicitatum, ad *Willielmum* miſit; miſſum ſe à Rege Normanniam, vt quod minores nuntii balbutierant, ipſe potiſſimum ſua confirmaret præſentia; in vinculis à *Gowine* Pontiui Comite detineri, quo minus mandata exequatur; Barbarum & effrænatum morem regionis eſſe, vt qui euaſerant in mari naufragium, in terra inuenirent periculum; conuenire tanti nominis viro, ne impunitum dimittat; quod fidem eius appellantibus vincula iniecta nonnihil de maieſtate ipſius diminuerint; ſi pecuniis exuenda captiuitas eſſet, libens daret *Willielmo* Comiti non ſemiuiro * *Gwidoni*. Ita *Haroldus* *Willielmo* mandante liberatus, & ab ipſo * *Gwidone* Normanniam ductus eſt. Comes cum magna dignatione, gentilitio ornatu in cibis & veſtibus coluit; & vt notiorem faceret, ſimul & virtutem experiretur, Britannica expeditione, quam tunc forte ſuſceperat, ſecum habuit. Ibi *Haroldus* & ingenio & manu probatus, Normannum in ſui amorem conuertit; atque vt ſe magis commendaret, vltro illi tunc quidem caſtellum Doroberniæ, quod ad ius ſuum pertineret, & poſt mortem *Edwardi* regnum Anglicum ſacramento firmauit. Quare & filiæ adhuc impubis deſponſione, & totius patrimonii amplitudine donatus, familiarium partium habebatur. Nec multum temporis interceſſit, quod illo domum reuerſo rex in natale domini apud Londoniam coronatus eſt, ibidemq; morbo ictus quo ſe moriturum ſciret, Eccleſiam Weſtmonaſterii die Innocētium dedicari præcepit. Ita æui plenus & gloriæ, ſimplicem ſpiritum cœleſti regno exhibuit, & in eadem Eccleſia die *Theophaniæ* ſepultus eſt, quam ipſe illo compoſitionis genere primus in Anglia ædificauerat, quod nunc pene cūcti ſumptuoſis æmulantur expenſis. Progenies WeſtSaxonum, quæ in Brittannia a *Cerdicio* quingentis & ſeptuaginta vno annis, ab *Egberto* ducentis & ſexaginta vno regnauerat, in illo ad regnandum omnino defecit. Nam recenti adhuc regalis funeris luctu, *Haroldus* ipſo *Theophaniæ* die, exorta a principibus fide arripuit diadema, quamuis Angli dicant à Rege conceſſum: quod tamen magis beneuolentia, quam iudicio allegari exiſtimo, vt illi hæreditatem transfunderet ſuam, cuius ſemper ſuſpectā habuerat potentiam. Quamuis, vt non celetur veritas, pro perſona quā gerebat, regnū prudentia & fortitudine gubernaſſet, ſi legitime ſuſcepiſſet. Deniq; viuente *Edwardo* quęcunq; contra eū bella incenſa ſunt,

al. Godwin.

al. Godwine.

virtute ſua compreſſit, cupiens ſe prouincialibus oſtẽtare, in regnum ſcilicet ſpe prurienti anhelans. *Griffinum* vt ſupra dixi regem Wallenſium & prius bello vicit, & poſtmodum multis niſibus reſurgere conantem capite priuauit. Succeſſores duos ex ſatellitibus ſuis fratres eiuſdem *Griffini Blegent* & *Riuallonem*, qui cum obſequio demeruerant, conſtituẽs. Eodem anno *Toſtinus* à Flandria in Humbrim nauigio ſexaginta nauium delatus, ea quæ circa oram fluminis erant, piraticis excurſionibus infeſtabat. ſed ab *Edwino* & *Morchardo* concordis potentiæ fratribus impigre de Prouincia pulſus, verſus Scotiam vela conuertit. ibi Regi Noricorum *Haroldo Haruagre* obuio manus dedit, qui cum trecentis nauibus Angliam aggredi meditabatur. Ambo ergo conſertis vmbonibus terram transhumbranam populabantur; germanos recenti victoria feriatos, qui nihil minus quam talia latrocinia metuerent, aggreſſi, victos intra Eboracum includunt. *Haroldus* nuntio accepto, cunctis viribus eo contendit; pugna ingens commiſſa vtriſque gentibus extrema nitentibus; Angli ſuperiorem manum nacti Noricos in fugam egerunt. ſed tantorum, & tot virorum victoriam (quod forſitan poſteritas difficile credat) vnus Noricus multa hora interpolauit. Siquidem in ingreſſu pontis qui *Standford-brigge dicitur conſiſtens, vno & altero & pluribus noſtræ partis interemptis, omnes a tranſitu arcuit. Inuitatus ad deditionem, vt tanti roboris homo largam clementiam Anglorum experiretur; inuitantes ridebat, ſubinde rugato vultu increpitans imbecillis animi homines, qui nequirent vni reſiſtere. Nemine itaque propius accedente, quod inconſultum æſtimarent cum illo comminus congredi; qui ſalutis omne viaticum deſperatus effunderet; vnus ex collateralibus Regis iaculum ferreum in eum eminus vibrat, quod ille, dum gloriabundus proludit, ipſa ſecuritate incautior terebratus, victoriam Anglis conceſſit. Continuo enim libero tranſitu exercitu traiectus, Noricos palantes à tergo cæcidit. Rex *Haruagre* & *Toſtinus* interempti, regis filius cum omnibus nauibus domum clementer remiſſus; *Haroldus* triumphali euentu ſuperbus nullis partibus prædæ commilitones dignatus eſt. Quapropter multi, quo quiſque poterat, dilapſi, regem ad bellum Haſtingenſe proficiſcentem deſtituere. Nam præter ſtipendiarios & mercenarios milites, paucos admodum ex prouincialibus habuit. vnde, cum ſuis, quos ductabat poſt nouem menſes & aliquot dies accepti regni, aſtutia *Willielmi* circumuentus, fuſus eſt; leui videlicet belli negotio, ſed occulto & ſtupendo Dei conſilio; quod nunquam poſtea Angli communi prælio in libertatem ſpirauerint; quaſi cum *Haroldo* omne robur deciderit Angliæ, qui certe potuit, & debuit (etiam per inertiſſimos) ſoluere pœnas perfidię. Nec hæc dicens virtuti Normannorum derogo, quibus tum pro genere, tum pro beneficiis fidem habeo. Sed mihi videntur errare, qui Anglorum numerum accumulant, & fortitudinem extenuant. Ita Normannos dũ laudare intendũt, infamia reſpergunt. Inſignis enim plane laus gentis inuictiſſimę, vt illos vicerit, quos multitudo impeditos, ignauia fecerit timidos; Immo vero pauci & manu promptiſſimi fuerẽ, qui charitati corporum renuntiantes, pro patria animas poſuerunt. Sed quia hæc diligentiorem relationem expectant, nunc dabo ſecundo libello terminum, vt & mihi dictandi & aliis lectitandi reuireſcat ſtudium.

al. Stanfronbrig.

PROLOGVS LIBRI TERTII.

DE Willielmo *Rege ſcripſerunt diuerſis incitati cauſis & Normanni; & Angli: Illi ad nimias efferati ſunt laudes, bona malaque iuxta in cælum prædicantes; iſti pro gentilibus inimicitiis, fœdis dominum ſuum proſcidere conuitiis. Ego autem, quia vtriuſq; gentis ſanguinem traho, dicendi tale temperamentum ſeruabo; bene geſta, quantum cognoſcere potui, ſine fuco palam efferam; perperam acta quantum ſufficiat ſcientiæ, leuiter & quaſi tranſeunter attingam; vt nec mendax culpetur hiſtoria, nec illum nota inuram cenſoria, cuius cuncta pene, etſi non laudari, excuſari certe poſſunt opera. Itaque de illo talia narrabo libenter & moroſe, quæ ſint inertibus incitamento, promptis exemplo, vſui præſentibus, iocunditati ſequentibus. Verum in his protrahendis non multum temporis expendam impendium; quæ nulli emolumentum, imo legenti faſtidium, ſcribenti pariant odium. Satis ſuperque ſufficiunt, qui genuino*

gennino molari facta bonorum lacerent. Mihi hac placet prouincia, vt malum quantum queo ſine veritatis diſpendio extenuem; bona non nimis ventoſe collaudem. De qua moderatione, vt aſtimo, veri qui erunt arbitri, me nec timidum nec inelegantem pronunciabunt. Hoc itaque non ſolum de Willielmo, *ſed & de duobus filiis eius ſtylus obſeruabit, vt nihil nimie, nihil niſi vere dicatur. quorum primus parum quod laudetur egit, prater primos regni dies, tota vita damno Prouincialium comparans fauorem militum. ſecundus patri quam fratri morigeratior, inuictum animum inter aduerſa & proſpera rexit: cuius expeditiones ſi attendas, ignoras, cautior, an audacior fuerit: ſi fortunas aſpicias, haſites beatior, aut boni euentus indigentior fuerit. Sed de talibus tempus erit vt lector arbitretur. Nũc tertium volumen incepturus, ſatis reor egiſſe, vt attentum & docilem facerem, ipſe ſibi benigne perſuadebit, vt beneuolus ſit.*

DE WILLIELMO PRIMO.

R*obertus* alter filius *Richardi* ſecundi, poſtquam ſeptem annis glorioſe du- *al. Rodbertus.*
catum Normanniæ tenuit, Ieroſolymam * pergere mentem appulit. Habebat tunc filium ſeptennem ex concubina ſuſceptum, cuius ſpeciem in *al. peregre.*
choreis ſaltitantis forte conſpicatus, non abſtinuit, quin ſibi nocte coniungeret; deinceps vnice dilexit, & aliquandiu iuſtæ vxoris loco habuit, Puer ex ea editus, *Willielmus* à nomine abaui dictus; cuius magnitudinem futuram matris ſomnium portendebat, quo inteſtina ſua per totam Normanniam & Angliam extendi, & dilatari viderat: Ipſo quoque momento, quo partu laxato in vitam effuſus puſio humum attigit, ambas manus iunco, quo puluis pauimenti cauebatur, impleuit, ſtricte quod corripuerat compugnans. Oſtenſum viſum mulierculis læto plauſu gannientibus obſtetrix quoque fauſto omine acclamat puerum regem futurum.

Paratis ergo omnibus, quæ Ieroſolymitani itineris viaticum informarent, apud Fiſcanum conſilium proceribus indicitur. Ibi iubente patre in nomen & fidem *Willielmi* ab omnibus iuratur: *Gilebertus* Comes tutor pupilli conſtituitur, tutela tutoris Regi Frãcorum *Henrico* aſſignatur. *Roberto* ceptam viam expediente, Normanni omnes communi vmbone patriam per ſua quiſq; munimenta tutari, paruum herum ex amore venerari. Stetit hæc fides vſque ad famam obitus eius; qua vbiq; gentium diſſeminata, cũ fato mutatus amor, mox quiſq; ſua munire oppida, turres agere, frumenta cõportare, cauſas aucupari, quibus quamprimum a puero diſſidium meditarentur. Inter hæc ille haud equidẽ reor ſine Dei auxilio, qui eum tanto principaturum præuiderat imperio, tutus adoleſcebat; cum ſolus pene *Giſlebertus* æquum & bonum armis defenſitaret ſuis. Cæteri ſtudiis partium agebantur. Iam vero interfecto *Giſleberto* à *Radulpho* patruele ſuo, vbiq; cædes, vbiq; ignis verſabãtur. Clariſſima olim patria inteſtinis diſſenſionibus exulcerata, pro latronum libito deuidebatur; vt merito poſſet querimoniam facere, *Væ terra cuius Rex puer eſt.* At ille vbi primũ potuit per ætatem, militiæ inſignia a Rege Francorum accipiens, prouinciales in ſpem quietis erexit. Sator diſcordiarum erat *Gwido* quidam Burgundus à patre, nepos *Richardi* ſecundi e filia; infantiam cum *Willielmo* concurrerat, tunc quoque ianuas adoleſcentiæ pariter vrgebant. Conuictus familiaritatem, familiaritas amicitiam parauerat. huc accedebat quod ei Brionium & Vernonium caſtella dederat, nihil pro ſanguinitate negãdum putans. Horum Burgundus immemor, affictis criminibus, quibus id facere merito videretur, abalienauit ſe à Comite. Lõgum eſt & non neceſſarium ſi perſequar, quæ hinc inde acta, quæ caſtella capta. repererat enim perfidia ſocios, *Nigellum* Vice-Comitem *Conſtantini*, *Radulphum* Vice-comitem Tembaiocenſem, *Haimonem* dentatum auum *Roberti*, qui noſtro tempore in Anglia multarum poſſeſſionum incubator extitit. Cum his per totam Normanniam graſſabatur prædo improbiſſimus inani ſpe ad Comitatum illectus. Neceſſitas Regem tutorem exciuit, vt deſperatis partibus pupilli ſuccurreret. Itaq; paternæ beneuolentiæ recordatus, quod eum fauore ſuo in Regnum ſublimauerat, apud Waleſdunas in defectores irruit. Cæſa illic multa eorum millia, multi fluminis * Oluæ rapacitate *al. Olnæ.*
intercepti, quod in arcto locati, equos ad tranſuadandos vortices inſtimularent. *Gwido* vix elapſus Brionio ſe recepit, inde per *Willielmum* expulſus, non ferens probri famam, vltro Burgundiam, natiuum ſcilicet ſolum contendit. Nec ibi inquietus animus quietem inuenit. Nam à Comite illius prouinciæ fratre ſuo *Willielmo*, quem inſidiis impetiuerat, fugatus, incompertum eſt, quem finem habuit. *Nigellus* & *Ranulphus* in fidem recepti ſunt; *Haimo* in acie cæſus, cuius inſignis violentia laudatur, quod ipſum regem equo deiecerat:

quare à concurrentibus ſtipatoribus interemptus, pro fortitudinis miraculo regis iuſſu egregie tumulatur. Tulit huius gratiæ ſtipendium Rex *Henricus* à Normanno domino contra *Gaufredum* * *Martellum* apud Molendinum Herle, quod caſtrum in Andegauenſi Regione eſt, ſumma vi adiutus. Nam iam in virile robur excreuerat, maioribus natu, & pluribus ſolus metuendus; ſolus caput diſcriminibus inferre, ſolus vel cum paucis in confertiſſimos diuerſæ partis inſilire. Quapropter ab illa expeditione laudatæ fortitudinis ſpecimen & amicitiarum apud regem culmen retulit: adeò vt quaſi paterno conſilio ſæpe admoneret, ne ad pericula promptus vitam ſuam deſpiceret, quæ eſſet Francis decori, Normanniæ tutamento, vtriſque exemplo.

al. Marcellus.

Eo tempore erat Comes Andegauorum *Gaufridus* cognomento *Martellus*, quod ipſe ſibi vſurpauerat, quia videbatur ſibi felicitate quadam omnes obſiſtentes contundere. Denique dominum ſuum Comitem Pictauenſem aperto Marte cepit, ferreiſq; vinculis innodatum ad ignobiles pacis conditiones adduxit, Burdegala, & confinibus vrbibus cederet, de cæteris annuum vectigal penſitaret. Sed ille, vt creditur, pro ferri iniuria & ciborum inedia beneficio opportunæ mortis poſt triduum perpetuæ ignominiæ exemptus eſt. Tum *Martellus*, ne quid deeſſet impudentiæ, nouercam defuncti matrimonio ſibi copulauit, fratres in tutelam recipiens, quoad poſſent principatui regendo ſufficere. Mox *Theobaldi Bleſienſis* Comitis ingreſſus limites, vrbem Turonicam obſedit; ipſum ciuibus ſuis auxilium ferre volentem, conſortio ærumnæ implicuit. Siquidem captus, & in ergaſtulo recluſus, vrbem ſibi omnibuſque ſuis hæredibus in poſterum abiurauit. Pudendam miſeriam hominis quis dixerit? vt pro ambitione quantulæcunque vitæ, tantæ vrbis dominio ſucceſſores ſuos perpetuo fraudaret, *licet ſeueriores plerumque aliorum arbitri ſimus, quia ipſi nobis conſulere nouerimus, ſi forte in talibus deprehenſi fuerimus.* Ita *Martellus* tantarum virium augmento turgidus, etiam Normannum Comitem Allentii caſtelli poſſeſſione vellicauit, pronis in perfidiam habitatoribus. Qua is irritatus iniuria, par pari retulit, & Danfrunt, quod tunc erat Comitis Andegauorum, obſidione coronauit. Nec mora, obſeſſorum querelis commonitus *Gaufridus*, non ſegnis aduolat innumero ſtipatus milite. Nuntio aduenientis accepto, *Willielmus Rogerium* de monte Gomerico, & *Willielmum* filium *Osberni* exploratum mittit. Illi pro alacritate iuuentæ breui multa milliaria progreſſi, equitantem *Martellum* conſpicati, certiorem de domini ſui audacia faciunt. Ille contra fremere, immania minari, poſtridie ſe illuc venturum, oſtenſurum mundo quam præſtet in armis Andegauenſis Normanno: ſimul eximia arrogantia colorem equi ſui, & armorum inſignia, quæ habiturus ſit, inſinuat. At exploratores non minori faſtu, eadem de *Willielmo* annunciantes, regrediuntur, & ſuos in certamen accendunt. Hæc ideo ſeriatim retuli, vt *Martelli* tumor legentibus eluceſcat. Cæterum nihil tunc de ſolita magnanimitate auſus, antequam in manus veniretur, terga oſtendit. Quo audito, Alentini ſe dedidere, pacti membrorum ſalutem. Poſt etiam Danfruntini feliciora ſigna ſequuti ſunt.

Poſterioribus annis rebellauit *Willielmus* Comes de Archis, patruus eius, ſed nothus, à primis auſpiciis ducatus infidus, & verſipellis. Nam & in obſidione Danfronti clam profugerat, & multis ſæpe animi ſui latebras aperuerat. Quapropter *Willielmus* quibuſdam, quos fideles falſo arbitrabatur, firmitatem caſtelli commiſerat: verum ille aſtu, quo callebat, multa largiendo, plura pollicendo in ſuas partes eoſdem traduxit. Munitione igitur potitus, bellum domino ſuo denunciauit. Ille ſolito more alacerrime Archas obſedit, diſſuadentibus amicis, palam profeſſus, nihil latrones auſuros, ſi in conſpectum eius veniſſent. Nec promiſſio fide caruit; namq; pluſquam 300. milites, qui pabulatum & populatum proceſſerant, eo pene ſolo conſpecto intra munitiones, refugere. Dux ſine ſanguine rem peragere volens, obfirmato contra Archas caſtello, ad alia, quæ magis vrgebant, bella conuerſus eſt; ſimul quia ſciebat regem Francorum iam pridem, neſcio qua ſimultate ſibi infenſum, ad opem obſeſſo ferendam aduentare. Namq; *prædicandi moderaminis conſilio quamuis iuſtiorem cauſam habere videretur, cum eo decernere ferro cauebat, cui & pro ſacramento & pro ſuffragio obnoxius erat. Reliquit tamen primates aliquos, qui impetum regium tardarent, quorum aſtutia inſidiis exceptus, *Iſembardum* Pontiui Comitem coram ſe obtruncari, *Hugonem Bardulfum* capi merito ingemuit. Nec multo poſt dulcem Franciam quia res male ceſſerat, repetente, Comes Arcenſis fame tabidus, & vix oſſibus hærens deditioni conſenſit, ad exemplum clementiæ, ad indicium induſtriæ, vitæ & membris reſeruatus. Huiuſce obſidionis interuallo populus Caſtri, quod molendinis dicitur, exoleſcens ad partes regis incentore quodam *Gwalterio* tranſiit. Imponitur ibi non ſegnis militum manus, præfecto *Gwidone* fratre Comitis Pictauenſis. Is aliquantis diebus ſedulo

al. præcandi.

militiæ

militiæ munia executus eſt: verum crebreſcente fama Archenſis victoriæ, Franciam elapſus, non leue incrementum acceſſit ducalis gloriæ.

Nec Rex *Henricus* otio indulſit, quin grũniret exercitus ſuos ludibrio fuiſſe *Willielmo*; coactis itaq; omnibus viribus, & copiis bipartitis, totam inundauit Normanniam. Ipſe de parte Galliciæ Celticæ, quæ inter Garumnam & Sequanam fluuios iacet, quicquid militum erat ſuo ductu trahẽs; *Odonem* fratrem populo Galliæ Belgicæ, quæ eſt inter Rhenum & Sequanam, præficiens. Eodem modo *Willielmus* ſuos, qua poterat, animoſitate diuiſit, iuxta Regis caſtra ſenſim obambulans, quę iam in *Ebroicenſi pago metabatur, vt nec cominus pugnandi copiam faceret, nec Prouinciam coram ſe vaſtari fineret. Duces eius *Robertus* Comes Aucenſis, *Hugo* Gornaſcenſis, *Hugo* mõtis fortis, *Willielmus Criſpinus* ad Caſtellum quod mortuum mare vocatur, infeſtis ſignis contra *Odonem* conſtitere. Nec ille pro numero militum, quo tumebat, moram pugnæ fecit, ſed parũper reſiſtere auſus, mox impetum Normannorum non ferens, terga nudauit, omen fugæ primus auſpicatus: Ibi dum *Guido* Pontiui Comes ſtudioſius vltioni fratris intendit; captus fatalem familiæ ſuæ manum exhorruit; præterea plures alii præcellentes opibus, turgentes maiorũ natalibus. Hunc ſucceſſum ex *aduentantibus cognitum, *Willielmus* circum Regis tentoria nocte intempeſta præconari curauit. Quo audito, poſt aliquot dies, quos in Normannia egit, refugit in Franciam; nec multo poſt tempore diſcurrentibus vtrobiq; nunciis, pacifice conuentum, vt Regii captiui abſoluerentur, Comes erepta, vel eripienda *Martello* iure vendicaret legitimo.

al. Ebrionenſi.

al. aduenientibus.

Longum eſt, & non neceſſarium referre quantæ inter eos contentiones verſatæ ſunt, quomodo *Willielmus* ſemper ſuperiorem manum retulerit. Quid quod ineſtimabili præſumptione fortitudinis, nunquam ſubito, nec niſi prænunciata die illum aggredi dignatus, noſtri temporis morem animi magnitudine cõtempſerit? Illud quoq; prætereo, quod iterum ruptis amicitiis, rex *Henricus* Normanniam ingreſſus, per pagum Exiomenſem vſque ad fluuium Diuæ peruenerit, iactitans ſolum Oceanum progreſſioni ſuæ eſſe obſtaculum. Verum *Willielmus*, qui ſe videret propter fidei diſſimulationem immoderate premi, tunc tandem conſciæ virtutis arma concutiens, Regias copias, quæ circa flumen erãt (nam pars paulo ante eius aduentu audito tranſuadauerat) tanta internitie cecidit, vt nihil poſtea Francia plus metuerat, quam Normãnorum ferociam irritare. Terminum diſcordiarum fecit properata mors *Henrici*, nec multo poſt *Martelli*. Rex moriens *Baldewino* Comiti Flandriæ tutelam admodum paruuli *Philippi* filii delegauit. Is erat fide, & ſapientia æque mirandus, præuiridantibus membris incanus, præterea Regiæ ſororis connubio ſublimis: filia eius *Mathildis Willielmo* iamdudũm nupſerat; fœmina noſtro tempore ſingulare prudentię ſpeculum, pudoris culmen. Hinc factum eſt, vt pupilli, & generi mediator tumores ducum, & prouincialium ſalubri propoſito compeſceret.

Sed, quia totiens *Martelli* ſe occaſio ingeſſit, genealogiam Comitum Andegauenſium, quantum relatoris noſtri memoria attigit, tranſcurram. *Fulco* antiquior pluribus annis vſque ad ſenium illum moderatus Comitatum multa fecit induſtrie, multa egregie. Vnum omnino eſt, quo eum notari audierim, quod *Herbertum* Comitem Cinnomanenſem Santonas ſponſione vrbis illectum, in medio colloquio ab apparitoribus arctari, &, quibus placuit, conditionibus irretiri fecit. Cæterum ſanctus, & integer extremis fere annis filio ſæpe dicto *Gaufrido* principatu viuens ceſſit. Ille in prouinciales (immane,) quam dure, in ipſum collatorem honoris quam ſuperbe actitans, iuſſuſq; magiſtratum, & faſces deponere, adeo ſibi arrogauit, vt contra patrem arma ſumeret. Tunc ſenis frigidus iam & effætus ſanguis ira incaluit, filiumq; iuueniliter inſultantem paucis diebus maturiori conſilio adeo infregit, vt per aliquot milliaria ſellam dorſo euehens, pronum ſe cum ſarcina ante pedes patris exponeret. Ille, cui vetus animoſitas adhuc palpitaret, aſſurgens, & pede iacentem pulſans, victus es tandem victus ter quaterq; ingeminat. ſuperfuit victo ſpiritus, & quidem egregius vt reſponderet; *Tibi pater ſoli, quia pater es, victus, cæteris omnibus inuictus ſum.* Hoc relatu tumentis animus emollitur, patriaq; pietate verecundiam prolis conſolatus, principatui reſtituit, monitum, vt maturius ſe ageret; prouincialiũ fortunas & pacem, ſuum eſſe decus ad extraneos, commodum ad domeſticos. Eodem anno veteranus, & ſecularibus ſtipẽdiis emeritus, iam de animæ viatico cogitans Ieroſolymam adiit; ibi à duobus ſeruis ſacramento adactis, vt quod iuberet, facerent, per publicum ad ſepulchrum Domini nudus, inſpectantibus Turcis, tractus eſt. Alter *reſtem ligneum collo eius inferret, alter flagellis terga expoliati vrgebat: inter hæc ille clamabat, Accipe Domine miſerũ *Fulconem*, periurum tuum, fugitiuum tuũ; confeſſam dignare animam meam Domine *Ieſu Chriſte*. Nec tamẽ, quod deſiderabat, tunc impetrauit, ſed domũ placide regreſſus poſt

al. vectẽ.

aliquot annos obiit. Filii eius *Gaufridi* præruptam audaciam ſuperior narratio patefecit. Is moriens *Gaufrido* ſororis filio hereditatem ſuam contradidit, ſed induſtriam ſeculi transfundere non potuit. Nam ille ſimplicium morum iuuenis magis in Eccleſiis orare, quam arma tractare cōſuetus, homines regionis illius, qui quiete victitare neſcirent, in cōtemptū ſui excitauit. Quare tota terra prædonibus expoſita, *Fulco* frater illius vltro ducatū corripuit. *Fulco* * *Rhetin* dictus quod germani ſimplicitati crebro infrendens, ad vltimum honore ſpoliatum perpetua cuſtodia coercuerit. Habuit vxorem quæ pruritu altioris nominis allecta, illo relicto *Philippo* regi Francorum nupſit, quam, is immemor dicti.

al. Rechī.

Non bene conueniunt, nec in vna ſede morantur
Maieſtas & amor,

tanta venere ardebat; vt cum aliis omnibus imperare cuperet, ab ea ſibi imperari æquanimiter ferret. Denique omnium digitis quaſi fatuus notari, ab omni orbe Chriſtiano excommunicari propter eius libidinem aliquantis annis ſuſtinuit. Filii *Fulconis* fuerunt *Gaufridus* & *Fulco*; *Gaufridus* cognomen *Martelli* hæreditarium ſortitus, ſuis ſudoribus ampliauit, tanta pace & quiete per terras illas parta, quantā nemo viderit, nemo viſurus ſit. Quapropter ſuorum inſidiis necatus, egregiæ probitatis decus luit: *Fulco* in Regimine ſuccedens, adhuc in rebus humanis vertatur, de quo forſitan tempore Regis *Henrici* dicturus, nunc de *Willielmo* explanabo quod reſtat.

Ille vbi ciuile diſſidium multo exercitio compoſuit, rem maioris gloriæ animo ſequens terras, olim Normanniæ appendices, quæ longo vſu inſoleuerant, reſtituere intēdit; Cinpomanicū dico Comitatū, & Brittanniam. Quorū Cennomanius dudū a *Martello* ſuccenſa, & domino ſuo *Hugone* priuata, tunc nuper aliquantulū ſub *Herberto Hugonis* filio reſpirauerat: qui vt tutior contra Andegauenſem eſſet, *Willielmo* ſe manibus dederat, in eius fidelitatē ſacramento iuratus: Præterea filiā ipſius petierat, & deſpōderat; quæ priuſquam nubilib. annis matura coniugio fieret, ille morbo deceſſit; Hæredem ſibi *Willielmum* pronunciatians, adiuratis ciuibus ne aliū ſuſciperent: habituri, ſi vellēt, lenē & probū dominum; ſi nollent, recti ſui exactorem immodicū. Quo defuncto, Cinnomanēſes magis ad *Gwalterium* Medantinum declinantes, cui ſoror *Hugonis* nupſerat, ſero tandem, vt *Willielmum* ſuſciperent, reſipuere, grauib. ſæpe damnis admoniti. Illud fuit tēpus, quo *Haroldus* inuitus Normanniam importuna ſibi aura, eſt euectus: Quem, ſicut ſupra dictum eſt, *Willielmus* in Brittannicam expeditionem duxit, volens eius manum explorare; ſimul, & ſtrictiori conſilio apparatum oſtentans ſuum conſpicaturo quantum præſtaret Anglicis bipēnibus enſis Normannicus. *Alanus* tunc ibi Comes viridis iuuenta, & præcellens robore *Eudonem* patruum vicerat, multa egregie fecerat, *Willielmum* non ſolum non timebat, ſed & irritabat. at ille Brittanniam vt hereditarium ſolum calumnians, quod eam *Carolus Rolloni* cum filia ſua *Giſla* dederat, breui effecit, vt vltro *Alanus* adueniens ſuppliciter ſe ſuaq; dederet. Sed, quia de Brittannia parum alias dicturus ſum, hic quoddam miraculum, quod illis ferme diebus in Nannetis ciuitate contigit, paucis inſeram.

Erant in vrbe illa duo clerici non dum patientibus annis Presbyteri; Id officium magis precario quam bonæ vitæ merito ab Epiſcopo loci exegerant: deniq; alterius miſerandus exitus ſuperſtitem inſtruxit, quam fuerint antea in inferni lapſum præcipites. Cæterum quod ad ſcientiam literarum tendit, ita edocti, vt aut parum aut nihil ipſis deberent artibus; à reptantibus infantiæ rudimentis adeo iocundis amicitiæ officiis æmuli, vt iuxta Comici dictum, manibus pedibuſq; conādo periculum, etiam ſi neceſſe eſſet, capitis pro inuicem facerent. Quare die quadam liberiorem animū à curis forinſecis nacti, in ſecreto conclaui huiuſmodi ſententias fudere: Pluribus ſe annis nunc literis, nunc ſeculi curis mentes exercuiſſe, nec ſatiaſſe, magis ad diſtortum, quam ad rectum intentas: Inter hæc, illum acerbum diem ſenſim appropinquare, qui ſocietatis ſuæ inextricabile in vita vinculum diſrumperet: vnde præueniendum mature, vt fides, quæ conglutinarat viuentes, primo mortuum comitaretur ad manes. Paciſcuntur ergo, vt quiſquis eorum ante obiret, ſuperſtiti vel vigilanti, vel dormienti appareret, infra triginta proculdubio dies, ſi fiat, edocturus, quod ſecundum Platonicos mors ſpiritum non extinguat, ſed ad principium ſui Deum tanquam è carcere emittat; ſin minus, Epicureorum ſectæ concedendum, qui opinantur animam corpore ſolutam in aerem euaneſcere, in auras effluere. Ita data acceptaq; fide quotidianis colloquiis ſacramentum frequentabant. nec multum in medio, & ecce, mors repentina imminens indignantem halitum vni eorum violenter extraxit; remanſit alter, & ſerio de ſocii ſponſione cogitans, & iam iamq; affuturum præſtolans caſſa opinione triginta diebus ventos pauit, quibus elapſis, cum deſperans, aliis negotiis auocaſſet otium, aſtitit ſubito vigilanti, & quiddam operis molienti, vultu, qualis ſolet eſſe morientium anima fugiente, exanguis; Tum tacentem viuum prior mortuus compellans, agnoſcis me, inquit? agnoſco reſpondit, & non tantum de inſolita tua turbor præſentia, quantum de diuturna miror abſentia: At ille vbi tarditatem aduentus excuſauit,

tandem

tandem, ait, tandē expeditis morarum nexibus venio; ſed aduentus iſte tibi ſi voles (amice) erit commodus, mihi omnino infructuoſus; quippe qui, pronūciata, & acclamata ſententia ſempiternis ſim deputatus ſuppliciis. Cumq; viuus ad ereptionem mortui omnia ſua Monaſteriis, & egenis expenſurum, ſeq; dies & noctes ieiuniis & orationibus continuaturum promitteret; fixum eſt, inquit, quod dixi, quia ſine pœnitentia ſunt iudicia Dei, quibus in ſulphuream voraginem inferni demerſus ſum; Ibi dum rotat aſtra polus, dū pulſat littora pontus, pro criminibus meis voluar; Inflexibilis ſententiæ manet rigor æternus, æterna & innumera pœnarum genera comminiſcens, totus modo mundus valitura remedia exquirat. Et vt aliquam experiaris ex meis innumerabilib. pœnis, protendit manum ſanioſo vlcere ſtillantem, & en ait, vna ex minimis, videtur ne tibi leuis? Cum leuem ſibi videri referret, ille, curuatis in volam digitis, treis guttas defluentis tabi ſuper eum iaculatus eſt, quarum duæ tempora, vna frontem contingentes, cutem & carnem, ſicut ignito cauterio penetrarunt foramen nucis capax efficientes. Illo magnitudinem doloris clamore teſtante, hoc, inquit mortuus, erit tibi quātum vixeris, & pœnarum mearum graue documentū, & niſi neglexeris, ſalutis tuæ ſingulare monumentum. Quapropter dū licet, dū nutat ira, dum pendula Dei te operitur clementia, muta habitū, muta animū; Redonis Monachus effectus ad ſanctum Melanium. *Ad hæc verba viuo reſpondere nolēte, alter eum oculi vigore perſtringens, ſi dubitas (inquit) conuerte miſer, lege literas iſtas, Et ſimul cum dicto manum expandit tetris notis inſcriptam, in quibus Sathanas & omne inferiorum ſatellitium gratias omni Eccleſiaſtico cœtui de tartaro emittebant, quod cum ipſi in nullo ſuis voluptatibus deeſſent, tum tantum numerum ſubditarum animarum paterentur ad inferna deſcendere prædicationis incuria, quantum nunquam retroacta viderunt ſecula. his dictis loquentis aſpectus diſparuit, & audiens omnibus ſuis per Eccleſias & egenos diſtributis, ſanctum* Melanium *adiit, omnes audiētes, & videntes de ſubita conuerſione, & illuſtri conuerſatione, admonens, vt dicerent, hæc eſt mutatio dextræ excelſi.*

Iſta pro vtilitate legentium me inſeruiſſe non piguit; nunc de *Willielmo* loquar. Nam quia breuiter, nec vt puto inutiliter, res eius, quas duntaxat Comes in Normannia annis triginta actitauit, percurri; modo aliud narrandi exordium ordo temporum flagitat, vt de regno eius, quantum noſtra iciſcitatio penetrare potuit, mendacium arguam, veritatem pronuntiem. Rex *Edwardus* fato functus fuerat, Anglia dubio fauore nutabat, cui ſe rectori committeret incerta, an *Haroldo*, an *Willielmo*, an *Edgaro*. Nam & illum pro genere proximum regno, proceribus rex commendauerat, tacito ſcilicet mentis iudicio, ſed prono in clementiam animo. Quare, vt prædixi, Angli diuerſis votis ferebantur, quamuis palam cuncti bona *Haroldo* imprecarentur; Et ille quidem diademate faſtigatus nihil de pactis inter ſe, & *Willielmum* cogitabat, liberatum ſe ſacramento aſſerens, quod filia eius, quam deſponderat citra nubiles annos obierat. fertur enim vir ille non paucis virtutibus præditus, parum aduerſus perfidiam ſibi conſuluiſſe, dummodo poſſet quibuſcunq; præſtigiis hominū ratiocinationes ſuſpendere: Præterea, qui putaret minas *Willielmi* nunquā ad factum erupturas, quod ille conterminorum ducum bellis implicaretur, totum animum ocio cum ſubiectis indulſerat. Nā profecto niſi quod Noricorum regem aduentare didicit, nec militem conuocare nec aciem dirigere dignatus fuiſſet. Alter interea illū per nuncios leniter conuenire. de rupto fœdere expoſtulare, precibus minas inſuere, ſciret ſe ante annum emenſum, ferro debitum vindicaturum, illuc iturum, quo *Haroldus* tutiores ſe pedes habere putaret. Contra, ille, quæ dixi de puellæ nuptiis referens, de regno addebat præſumptuoſum fuiſſe. quod abſque generali ſenatus & populi conuentu & edicto, alienam illi hæreditatem iurauerit: Proinde ſtultum ſacramentum frangendum. Nam ſi iuſiurandum vel votum quod puella in domo patris neſciis parētibus de ſuo corpore volens fecerit, iudicatur irritum; quanto magis, quod ille ſub regis virga cōſtitutus neſciente omni Anglia de toto regno neceſſitate temporis coactus impegerit, * videatur non eſſe ratum: Præterea iniquum poſtulat, vt imperio decedat, quod tanto fauore ciuium regendum ſuſceperit, hoc nec prouincialibus gratum, nec militibus tutum. *al. indicatur.*

Ita reuertebantur inanes nuntii, vel veris, vel veriſimilibus argumentis præſtricti: Sed Comes toto illo anno bello neceſſaria expediebat, largis ſumptibus milites continebat ſuos, alienos inuitabat; Ordines, acieſq; ita inſtituebat, vt milites proceri corpore, præcellentes robore eſſent: duces & anteſignani, præter ſcientiam rei militaris, etiam conſilii & ætatis maturitate pollerent; vt ſi ſingulos vel in acie vel alibi cerneres, non proceres ſed reges putares: Ita Epiſcopi & Abbates illius temporis religione, ita optimates magnanima liberalitate certabant, vt mirū ſit [* quod nōdum 60. annis euolutis, vtraq; turba abortium bonitatis effecti, iurata bella contra iuſtitiam ſuſceperint: Illi pro ambitione ſacrorum,

[al. quod pauciſſimis annis euolutis plerumque & omnia pene in vtriſq; ordinibus mutata videas. Illi in quibuſdam hebetiores ſed largiores: iſti in omnibus prudentiores, ſed tenaciores: vtrique tamen in defenſanda patria manu validi, conſilio prouidi, fortunas ſuas euehere, inimicorum deprimere parati.

magis diſtortum, quam æquum & bonum amplectentes; Iſti reiecto pudore, vndecunq; captatis occaſionibus, compendia pecuniarum velut quotidianam ſtipem emendicantes.] Verum tunc *Willielmi* induſtria cum prudentia Dei conſentiens, iam ſpe Angliam inuadebat, &, ne iuſtam cauſam temeritas decoloraret, ad Apoſtolicum, qui ex *Anſelmo* Lucenſi Epiſcopo *Alexander* dicebatur, miſit, iuſtitiam ſuſcepti belli, quantis poterat facundiæ neruis allegans. *Haroldus* id facere ſuperſedit, vel quod turgidus natura eſſet, vel quod cauſæ diffideret, vel quod nuntios ſuos à *Willielmo*, & eius complicibus, qui omnes portus obſidebant, impediri timeret. Quare perpenſis apud ſe vtrinq; partibus, Papa vexillum in omen regni *Willielmo* contradidit, quo ille accepto, conuentum magnum apud Lillibonam fecit, ſuper negotio ſingulorum ſententias ſciſcitatus. Cumq; omnes eius voluntatem plauſibus excipientes magnificis promiſſis animaſſet, commeatum nauium omnibus pro quantitate poſſeſſionum, indixit. Ita tunc diſceſſum, & mēſe Auguſto ad ſanctum *Walericum* in commune ventum, Portus * ita per metonymiam dicitur. [*al. ille.*] Congregatis itaq; vndecunq; nauibus, fœlix exſpectabatur aura, quæ illas ad deſtinatum eueheret. Qua multis diebus remorante, vulgus militum, vt fieri ſolet, per tabernacula muſſitabat, Inſanire hominem, qui vellet alienum ſolum in ius ſuum * refundere; [*al. fundere.*] Deum contra tendere, qui ventum arceret: idem patrem voluiſſe, eodemq; modo inhibitum; fatale illi familiæ eſſe, vt altiora virib. ſpirans Dominum aduerſantem experiatur. Iſta per publicum ſerebantur, quæ poſſent fortium robur eneruare: dux itaq; facto cum ſenioribus conſilio, corpus ſancti *Walerici* foras efferri, & pro vento deprecando ſub diuo exponi iuſſit: nec mora interceſſit, quin proſper flatus carbaſa impleret. Tunc lætus clamor exortus omnes ad naues inuitauit: Comes ipſe à continenti primus in altum prouectus, cæteros in medio ferè mari anchoris iactis ſuſtinuit. Omnibus itaq; ad prætoriæ puppis vermiculatum velum conuolantibus, poſt cibum ſumptum placido curſu Haſtingas appulerunt. In egreſſu nauis pede lapſus euentum in melius commutauit, acclamāte ſibi proximo milite, Tenes, inquit, Angliam Comes, rex futurus. Omnem exercitum à præda continuit, parcendum rebus, quæ ſuæ forent, prælocutus; continuiſq; quindecim diebus, adeo ſe quiete agens, vt nihil minus quam bellum cogitare videretur.

Interea *Haroldus* de pugna Noricorum reuertebatur, ſua æſtimatione fœlix, quod vicerat; meo iudicio contra, quod parricidio victoriam compararat. allatoq; ad ſe nuntio aduentus Normannici, ſicut erat cruentus in armis, pauciſſimo ſtipatus milite Haſtingas pertendit. Præcipitabant eum nimirum fata, vt nec auxilia conuocare vellet; nec, ſi vellet, multos parituros inueniret: Ita, vt ante dixi, omnes illi erant infenſi, quod ſolus manubiis Borealibus incubuerat. Præmiſit tamen qui numerum hoſtium & vires ſpecularentur, quos intra caſtra deprehenſos *Willielmus* circum tentoria duci, moxq; largis eduliis paſtos, domino incolumes remitti iubet. Redeuntes percunctatur *Haroldus*, quid rerum apportent: Illi verbis ampliſſimis ductoris magnificam confidentiam proſequuti, ſerio addiderunt, pene omnes in exercitu illo Presbyteros videri, quod totam faciem cum vtroq; labro raſam haberent. Angli enim ſuperius labrum pilis inceſſanter fructicantibus intonſum dimittunt, quod etiam gentilium antiquis Brittonibus fuiſſe *Iulius Cæſar* aſſeuerat in Libro belli Gallici. Subriſit rex fatuitatē referētium, lepido inſecutus cachinno, quia non eſſent Presbyteri, ſed milites armis validi, animis inuicti. Rapuit ergo ex ore ipſius ſermonem *Gurtha* frater, plus puero adultus, & magnæ vltra ætatem virtutis & ſcientiæ. Cū (inquit) tantam fortitudinem Normanni prædices, indeliberatum æſtimo cum illo confligere, * quo & robore & merito inferior habearis. [*al. qui.*] Nec enim ibis in inficias, quin illi ſacramentum vel inuitus vel voluntarius feceris. proinde conſultius ages, ſi inſtanti neceſſitati te ſubtrahens, noſtro periculo colludium pugnæ tentaueris. nos omni iuramento expediti iuſte ferrum pro patria ſtringemus. Timendum ne, ſi ipſe decernas, vel fugam, vel mortem opperas: ſed nobis ſolis prælantibus, cauſa tua vtrobiq; in portu nauigabit; quia & fugientes reſtituere, & mortuos vlciſci poteris.

Noluit effrænata temeritas aurem placidam monenti commodare, exiſtimans inglorium & anteactæ vitæ opprobrium cuicunq; diſcrimini terga nudare. eademq; impudentia, vel, vt indulgentius dicam, imprudentia Monachum *Willielmi* legatum, nec bono vultu dignatus turbide abegit; hoc tantum imprecans, vt Deus inter eum & *Willielmum* iudicaret. Afferebat ille tria; vt vel regno ſecundum conditiones deſcenderet; vel ſub eo regnaturus teneret; vel certe ſpectante vtroq; exercitu, gladio rem vētilarent. Calūniabatur.n. *Willielmus* regnum, eo quod Rex illi *Edwardus* conceſſerat, cōſilio *Stigandi* Archiepiſcopi, & *Godwini* & *Siwardi* Comitum: eiuſq; doni obſides filiū & nepotē *Godwini* Normanniā miſerat. Si id negare velit *Haroldus*, iudicio ſe ſedis Apoſtolicę vel prælio acturum: quibus

quibus omnibus ſolo, quod dixi; nuncius fruſtratus reſponſo, diſceſſit, ſuiſq; ad dimicandum viuaciores animos dedit.

Ita vtrinque animoſi duces diſponunt acies, patrio quiſque ritu: Angli, vt accepimus, totam noctem inſomnem cantibus potibuſq; ducentes, mane incunctanter in hoſtem procedunt; Pedites omnes cum bipennibus, conſerta ante ſe ſcutorum teſtudine, impenetrabilem cuneum faciunt. quod profecto illis ea die ſaluti fuiſſet, niſi Normanni ſimulata fuga, more ſuo confertos manipulos laxaſſent. Rex ipſe pedes iuxta vexillum ſtabat cum fratribus, vt in commune periculo æquato, nemo de fuga cogitaret. Vexillum illud poſt victoriam Papæ miſit *Willielmus*, quod erat in hominis pugnantis figura, auro, & lapidibus arte ſumptuoſa contextum.

Contra Normanni tota nocte confeſſioni peccatorum vacantes, mane Dominico corpore communicarunt, pedites cum arcubus & ſagittis primam frontem muniunt, equites retro diuiſis alis conſiſtunt. Comes vultu ſerenus, & clara voce ſuæ parti vtpote iuſtiori Deum affuturum pronuncians arma popoſcit: moxq; miniſtrorum tumultu loricam inuerſam indutus, caſum riſu correxit; vertetur inquiens, fortitudo ducatus mei in regnum. Tunc cantilena * *Rollandi* inchoata, vt Martium viri exemplum pugnaturos accenderet, inclamatoq; Dei auxilio, prælium vtrinq; conſertum, bellatumq; acriter, neutris in multam diei horam cedentibus. Quo comperto, *Willielmus* innuit ſuis, vt ficta fuga, campo ſe ſubtraherent. Hoc commento, Anglorum cuneus ſolutus, quaſi palantes hoſtes a tergo cæſurus, exitium ſibi maturauit. Normanni enim conuerſis ordinibus reuerſi diſperſos adoriuntur, & in fugam cogunt; Ita ingenio circumuenti pulchrā mortem pro patriæ vltione meruere: nec tamen vltioni ſuæ defuere, quin crebró conſiſtentes, de inſequentibus inſignes cladis aceruos facerent. Nam occupato tumulo Normannos calore ſuccenſos, acriter ad ſuperiora nitentes in vallem deiiciunt, leuiq; negotio in ſubiectos tela torquentes, lapides rotantes, omnes ad vnum fundunt. Item foſſatum quoddam præruptum compendiario & noto ſibi tranſitu euadentes, tot ibi inimicorum conculcauere, vt cadauerum cumulo planitiem campi æquarent. Valuit hæc viciſſitudo, modo illis, modo iſtis vincentibus, quantum * *Haroldi* vita moram fecit. At vbi iactu ſagittæ violato cerebro procubuit, fuga Anglorum perennis in noctem fuit. Emicuit ibi virtus amborum ducum.

* al. *Rellandi.*

* al. *Haraldo.*

Haroldus non contentus munere Imperatorio, vt hortaretur alios, militis officium ſedulo exequebatur; ſæpe hoſtem cominus venientem ferire, vt nullus impune accederet, quin ſtatim vno ictu eques, & equus prociderent. Quapropter, vt dixi, eminus lætali arundine ictus mortem impleuit. Iacentis femur vnus militū gladio proſcidit, vnde a *Willielmo* ignominiæ notatus, quod rem ignauam, & pudendam feciſſet, militia pulſus eſt.

Item *Willielmus* ſuos clamore, & præſentia hortari, ipſe primus procurrere, confertos hoſtes inuadere. Ideo dum vbiq; ſæuit, vbiq; infrendet, tres equos electiſſimos ſub ſe confoſſos eo die amiſit. Perſtitit tamen magnanimi ducis & corpus & animus, quāuis familiari ſuſurro à cuſtodibus corporis reuocaretur, perſtitit (inquam) donec victoriam plenam ſuperueniens nox infunderet. Et proculdubio diuina illum manus protexit, vt nihil ſanguinis ex eius corpore hoſtis hauriret, quamuis illum tot iaculis impeteret.

Illa fuit dies fatalis Anglis, funeſtum excidium dulcis patriæ, pro nouorum dominorum commutatione. Iam enim pridem moribus Anglorū inſueuerat, qui varii admodum pro temporibus fuere: Nam primis aduentus ſui annis vultu & geſtu barbarico, vſu bellico, ritu fanatico viuebant; ſed poſtmodum Chriſti fide ſuſcepta, paulatim & per incrementa temporis, pro ocio quod actitabant exercitium armorum in ſecundis ponentes, omnem in religione operam inſumpſere. Taceo de pauperibus, quos fortunarum tenuitas plærumq; continet, ne cancellos iuſtitiæ tranſgrediantur: prętermitto graduum Eccleſiaſticorum viros, quos nonnunquam profeſſionis contuitus, ſed & infamiæ metus à vero deuiare non ſinit. De regibus dico, qui pro amplitudine ſuæ poteſtatis licenter indulgere voluptatibus poſſent; Quorum quidam in patria, quidam Romæ, mutato habitu, cœleſte lucrati ſunt regnum, beatum nacti commercium. Multi ſpecie tenus tota vita mundū amplexi, vt theſauros egenis effunderent, Monaſteriis diuiderent. Quid dicam de tot Epiſcopis, Heremitis, Abbatibus: nonne tota Inſula indigenarum tantis reliquiis fulgurat, vt vix aliquem vicum inſignem prætereas, vbi noui Sancti nomen non audias; quam multorum etiam periit memoria, pro ſcriptorum inopia. Veruntamen literarum, & religionis ſtudia ætate procedente obſoleuerunt; non paucis ante aduentum Normānorum annis. Clerici literatura tumultuaria contenti, vix ſacramentorū verba balbutiebant: ſtupori & miraculo erat cæteris, qui grammaticam noſſet. Monachi ſubtilibus indumentis & indiſ-

ferenti genere ciborum regulā ludificabant. Optimates gulæ, & veneri dediti, Eccleſiam more Chriſtiano mane non adibant; ſed in cubiculo, & inter vxorios amplexus, matutinarum ſolemnia, & Miſſarum à feſtinante presbytero auribus tantum libabant. Vulgus in medio expoſitum, præda erat potentioribus, vt vel eorum ſubſtantiis exhauſtis, vel etiam corporibus in longinquas terras diſtractis, aceruos theſaurorum congererent, quanquam magis ingenitum ſit illi genti commeſſationibus, quam operibus inhiare. Illud erat à natura abhorrens, quod multi ancillas ſuas ex ſe grauidas, vbi libidini ſatisfeciſſent, aut ad publicum proſtibulum, aut ad æternum obſequium vendicabant. Potabatur in commune ab omnibus, in hoc ſtudio noctes perinde vt dies perpetuantibus, paruis & abiectis domibus totos ſumptus * abſumebant: Francis & Normannis abſimiles, qui amplis & ſuperbis ædificiis modicas expenſas agunt. Sequebantur vitia ebrietatis ſocia, quæ virorum animos effœmināt. Hinc factum eſt, vt magis temeritate & furore præcipiti, quam ſcientia militari *Willielmo* congreſſi, vno prælio & ipſo perfacili, ſeruituti ſe patriamq́; peſſundederint. *Nihil enim temeritate leuius, ſed quicquid cum impetu inchoat, cito deſinit, vel compeſcitur.* Ad ſummam, tunc erant Angli veſtibus ad medium genu expediti, crines tōſi, barbas raſi, armillis aureis brachia onerati, picturatis ſtigmatibus cutem inſigniti; In cibis vrgentes crapulam, in potibus irritantes vomicam. Et hæc quidem extrema victoribus ſuis participarunt, de cæteris in eorum mores tranſeuntes. Sed hæc mala de omnibus generaliter Anglis dicta intelligi nolim. Scio clericos multos tunc temporis ſimplici via ſemitam ſanctitatis triuiſſe: ſcio multos Laicos omnis generis & conditionis in hac eadem gente Deo placuiſſe: faceſſat ab hac relatione inuidia, non cunctos pariter hæc inuoluit calumnia. *Verum ſicut in tranquillitate malos cum bonis fouet plerumq́; Dei ſerenitas, ita in captiuitate bonos cum malis nonnunquam eiuſdem conſtringit ſeueritas.*

al. abligurriebant.

Porro Normanni, (vt de eis quoque dicamus) erant tunc, & ſunt adhuc veſtibus ad inuidiam culti, cibis citra vllam nimietatem delicati: Gens militiæ aſſueta, & ſine bello pene viuere neſcia, in hoſtem impigre procurrere; & vbi vires non ſucceſſiſſent, nō minus dolo, & pecunia corrumpere. Domi ingentia ædificia (vt dixi) moderatos ſumptus moliri, paribus inuidere, ſuperiores prætergredi velle, ſubiectos ipſi vellicantes ab alienis tutari: Dominis fideles, moxq́; leui offenſa infideles. Cum fato ponderare perfidiam, cum nummo mutare ſententiam. Cæterum omnium gentium benigniſſimi aduenas æquali ſecum honore colunt; Matrimonia quoque cum ſubditis iungunt; religionis normam in Anglia vſquequaq́; emortuam aduentu ſuo ſuſcitarunt; videas vbiq́; in villis Eccleſias, in vicis & vrbibus Monaſteria nouo ædificandi genere conſurgere; recenti ritu patriam florere, ita vt ſibi periſſe diem quiſq́; opulentus exiſtimet, quem non aliqua præclara magnificentia illuſtret. Sed quia de his ſatis dictum, *Willielmi* geſta proſequamur.

Ille vbi perfecta victoria potitus eſt, ſuos ſepeliendos mirifice curauit; hoſtibus quoq́; ſi qui vellent, idem exequendi licentiam præbuit. Corpus *Haroldi* matri repetēti ſine pretio miſit, licet illa multum per legatos obtuliſſet. Acceptum itaq́; apud Waltham ſepeliuit, quam ipſe Eccleſiam ex proprio cōſtructam in honore ſanctæ Crucis, Canonicis impleuerat. Senſim ergo *Willielmus* (vt triumphatorem decebat) cum exercitu ſuo non hoſtili, ſed regali modo progrediens, vrbem regni maximam Londoniam petit. Moxq́; cum gratulatione ciues omnes effuſi obuiam vadunt. Prorupit omnibus portis vnda ſalutantium, auctoribus magnatibus, præcipue *Stigando* Archiepiſcopo Cantuarienſi, & *Aldredo* Eboracenſi. Nam præcedentibus diebus, *Edwinus* & *Morchardus* amplæ ſpei fratres, apud Londoniam audito interitus *Haroldi* nuntio, vrbanos ſollicitauerunt, vt alterutrum in regnum ſubleuarent. Quod fruſtra conati, Northanimbriam diſceſſerant, ex ſuo coniectantes ingenio, nunquam illuc *Willielmum* eſſe venturum. Cæteri proceres *Edgarum* eligerent, ſi Epiſcopos aſſertores haberent. Sed proximo vrgente periculo, & domeſticæ litis diſſidio, nec illud quidem effectum. Ita Angli, qui in vnam coeuntes ſententiam potuiſſent patriæ reformare ruinam, dum nullum ex ſuis volebant, induxerunt alienū. Tunc ille haud dubie rex conclamatus, die natalis Domini coronatus eſt ab *Aldredo* Archiepiſcopo. Cauebat enim id munus à *Stigando* ſuſcipere, quod eſſet is Archiepiſcopus non legitime.

Omnium deinde bellorum, quæ geſſit, hæc eſt ſumma: vrbem Oxoniam rebellantem leuiter ſubegit, diuino ſcilicet lutus auxilio, quod pars muralis vltro decidens, ingreſſum illi patefecerit. Nam & ipſe eam audacius aſſilierat, proteſtans homines irreuerentes Dei deſtituendos ſuffragio; quia vnus eorum ſuper murum ſtans nudato inguine auras ſonitu inferioris partis turbauerat, pro contemptu videlicet Normannorum. Eboracum ciuitatem vnicum rebellionum ſuffugium, ciuibus pene deleuit, fame & ferro necatis. Ibi enim

rex

Rex Scottorum *Malcolmus* cum ſuis, ibi *Edgarus*, & *Marcherius*, & *Weldeoffus*, cum Anglis & Danis nidum tyrannidis ſæpe fouebant; ſæpe duces illius trucidabant, quorum ſigillatim exitus ſi commemorauero, fortaſſe ſuperfluus nõ ero, licet faſtidii diſcrimen immineat, dũ relatori, ſi forte ſecundũ dictores ſuos mentiatur difficilis ſit regreſſus ad veniã.

Malcolmus omnes Anglorum profugas libenter recipiebat, tutamentum ſingulis quantum poterat impendens; *Edgarum* præcipue, cuius ſororem, pro antiqua memoria nobilitatis, iugalem ſibi fecerat. Eius cauſa conterminas Angliæ prouincias rapinis & incendiis infeſtabat; non quod aliquid ad regnum illi profuturum arbitraretur, ſed vt *Willielmi* animum contriſtaret, qui Scotticis prædis terras ſuas obnoxias indignaretur. Quapropter *Willielmus* coacta peditum & equitum manu, aquilonares inſulæ partes petiit: & primo vrbem Metropolim, quam Angli cum Danis & Scottis obſtinate tenebant, in deditionem accepit, ciuibus longa inedia conſumptis; maximum quoq; hoſtium numerum, qui obſeſſis in auxilium conuenerant, ingenti & graui prælio fudit, non incruenta ſibi victoria multos ſuorum amittens. Tunc totius regionis vicos & agros corrumpi, fructus & fruges igne vel aqua labefactari iubet; maritima maxime, cum propter recentem iram, tum quod *Cnutonem* Danorum Regem filium *Swani* ſua vi aduentare rumor ſparſerat. Ea præcepti ratio, vt nihil circa oram maritimam prædo piraticus inueniret ſecum aſportaturus, ſi citius remeandum; vel fami conſulturus, ſi diutius manendum putaret. Itaq; prouinciæ quondam fertilis, & tyrannorum nutriculæ, incendio, præda, ſanguine, nerui ſuccisi, humus per ſexaginta & eo amplius milliaria, omnifariam inculta, nudum omnium ſolum vſq; ad hoc etiam tempus; vrbes olim præclaras, turres proceritate ſua in cœlum minantes, agros lætos paſcuis, irriguos fluuiis, ſi quis modo videt peregrinus, ingemit, ſi quis ſupereſt vetus incola, non agnoſcit.

Malcolmus, antequam ad manus veniretur, ſe dedidit; totoq; *Willielmi* tempore, incertis & ſæpe fractis fœderibus æuum egit. Sed filio *Willielmi Willielmo* regnante ſimili modo impetitus falſo ſacramento inſequentem abegit. Nec multo poſt, dum fidei immemor ſuperbius prouinciam inquietaret, à *Roberto* de Molbreia Comite Northanimbriæ, cum filio cæſus eſt. Humatuſq; multis annis apud * Tinemuth, nuper ab *Alexandro* filio Scotiam ad Dunfermelin portatus eſt.

al. Tinnemuham.

Edgarus cum *Stigando & Aldredo* Archiepiſcopis regis dedititius, ſequenti anno facto ad Scottum transfugio, iuſiurandum maculauit. Sed cum ibi aliquot annos degens, nihil ad præſens commodi, nihil ad futurum ſpei, præter quotidianam ſtipem nactus eſſet, Normanni liberalitatem experiri pergens ad eum tunc vltra mare degentem nauigauit. Quod regi gratiſſimum ferunt, vt incentore bellorum Anglia vacaret. Nam & vltro ſolitus erat, quoſcunq; Anglos ſuſpectos haberet, quaſi honoris cauſa Normanniam ducere, ne quicquam ſe abſente in regno turbarent. Receptus ergo *Edgarus*, & magno donatiuo donatus eſt, pluribuſq; annis in curia manens, pedetentim pro ignauia (& vt mitius dictum ſit) pro ſimplicitate contemptui haberi cœpit. Quantula enim ſimplicitas, vt libram argenti, quam quotidie in ſtipendio accipiebat, regi pro vno equo perdonaret? Subſequenti tempore cum *Roberto* filio *Godwini* milite audaciſſimo *Ieroſolymam* pertendit. Illud fuit tempus, quo Turci *Baldwinum* Regem apud Ramas obſederunt: qui cum obſidionis iniuriam ferre nequiret, per medias hoſtium acies effugit, ſolius *Roberti* opera liberatus præeuntis, & euaginato gladio dextra leuaq; Turcos cædentis. Sed cum ſucceſſu ipſo truculentior, alacritate nimia procurreret, enſis manu excidit. Ad quem recolligendum cum ſe inclinaſſet, omnium incurſu oppreſſus, vinculis palmas dedit. Inde Babyloniam (vt aiunt) ductus cum Chriſtum abnegare nollet, in medio foro ad ſignum poſitus, & ſagittis terebratus, martyrium conſecrauit. *Edgarus* amiſſo milite regreſſus, multaq; beneficia ab imperatoribus Græcorum & Alemannorum adeptus (quippe qui etiam eum retinere pro generis amplitudine tentaſſent,) omnia pro natalis ſoli deſiderio ſpreuit. *Quoſdam enim profecto fallit amor patriæ, vt nihil eis videatur iocundum, niſi conſuetum hauſerint cœlum.* Vnde *Edgarus* fatua cupidine illuſus, Angliam rediit, vbi (vt ſuperius dixi) diuerſo fortunæ ludicro rotatus, nunc remotus & tacitus canos ſuos in agro conſumit.

Edwinus & Morcardus erant fratres, filii *Elfgari*, filii *Leofrici*. Hi comitatum Northanimbriæ ſuſceperant, & communi vmbone pacifice tuebantur. Nam (vt prædixi) paucis diebus ante mortem regis ſancti *Edwardi*, prouinciales Aquilonis in rebellionem ſurrexerant, & *Toſtinum* Comitem ſuum expulerant, petierantque & acceperant vnum è fratribus dominum, annitente *Haroldo*. Fiebant iſta, vt à conſciis accepimus, infenſo rege, quia *Toſtinum* diligeret. Sed morbo inualidus, ſenio grauis, pene iam deſpectui omnibus haberi cœperat, vt dilecto auxiliari non poſſet. Quare ex animi ægritudine maiorem

valetudinem corporis contrahens, non multo poſt deceſſit. Perſtitit in incœpto *Haroldus*, vt fratrem exlegaret. Quocirca ille prius piraticis excurſibus auitos triumphos polluens, mox cum Rege Noricorum (vt ſupra ſcripſi) cæſus eſt. Cadauer eius indicio verrucæ inter duas ſcapulas agnitum, ſepulturam Eboraci meruit. Tunc *Edwinus & Morcardus* (*Haroldo* iubente) manubiales prædas Londoniam tulere: nam ipſe ad Haſtingenſem pugnam feſtinabat, vbi iam partam victoriam falſo præſagus ſomniabat. At eo interempto germani ad terras ſuæ poteſtatis profugientes, aliquot annis pacem *Willielmi* turbauerunt clandeſtinis latrociniis ſyluas infeſtantes, nec vnquam cominus, & aperte Martem agentes; ſæpe etiam capti plærumq; ſe dediderunt; ſed miſeratione iuuenilis decoris, & gratia nobilitatis impune dimiſſi: poſtremo nec vi nec dolo hoſtium, ſed ſuorum perfidiâ trucidati regem ad lachrymas flexerunt, quibus ipſe & coniugia cognatarum, & amicitiæ dignationem iam pridem indulſiſſet, ſi quieti adquieſcere vellent.

Weldeofus amplæ proſapiæ Comes multam familiaritatem noui Regis nactus fuerat, quod ille præteritarum offenſarum immemor, magis illas virtuti, quam perfidiæ attribuerat. Siquidem *Weldeofus* in Eboracenſi pugna plures Normannorum ſolus obtruncauerat, vnos & vnos per portas ingredientes decapitans: neruoſus lacertis, thoroſus pectore, robuſtus & procerus toto corpore, filius *Swardi* magnificentiſſimi comitis, quem *Digera* Danico vocabulo, id eſt, fortem cognominabant. Poſtmodum vero victis partibus, ſeſe ſponte dedens, & *Iudithæ* neptis Regis connubio, priuataque amicitia donatus, non permanſit in fide, prauum ingenium cohibere impotens. Compatriotis enim omnibus, qui exiſtimarant reſiſtendum eſſe, cæſis vel ſubiectis, etiam in *Radulphi de Waher* perfidia ſe immiſcuit, ſed coniuratione detecta, comprehenſus diu in vinculis tentus, vltimò ſpoliatus capite, Croilando ſepultus eſt; quamuis quidam dicant, neceſſitate interceptum non voluntate addictum, infidelitatis ſacramentum agitaſſe. Anglorum eſt illa excuſatio: nam cætera Normanni aſſerunt, Anglorumque qui plurimum præſtant. Quorum aſtipulationi diuinitas ſuffragari videtur, miracula multa & ea permaxima, ad tumbam illius oſtendens. Aiunt enim eum in catenas coniectum, quotidianis ſingultibus perperam commiſſa diluiſſe.

Inde propoſitum regis fortaſſis merito excuſatur, ſi aliquando durior in Anglos fuerit, quod pene nullum eorum fidelem inuenerit. Quæ res ita ferocem animum exaſperabant, vt potentiores primum pecuniis, mox terris, nonnullos etiam vita exueret. Quin etiam *Cæſarianum* ſecutus ingenium, qui Germanos in Arduena maxima ſylua abditos, & inde crebris eruptionibus exercitum ſuum affligentes, nō per Romanos ſuos, ſed per Gallos fœderatos expulit; vt dum alienigenæ alterutros transfoderent, ipſe ſine ſanguine triūphum duceret. Idem (inquam) *Willielmus* in Anglos egit. Nam contra quoſdam, qui poſt primam infœlicis ominis pugnam Danemarchiam & Hyberniam profugerant, & validâ congregata manu tertio anno redierant; Angligenum exercitum, & ducem obiecit, Normannos feriari permittens: ingens ſibi leuamen prouidens, vtrilibet vincerent. Nec eum cogitatio luſit. Nam vtriq; Angli aliquandiu digladiati inter ſe, palmam otioſam regi refudere. Aduenæ Hyberniam fugati; regii maxima ſui clade nomen inane victoriæ amiſſo duce mercati; vocabatur * *Iſednodus* domi belloq; Anglorum temporibus iuxta inſignis, pater *Hardingi*, qui adhuc ſupereſt, magis conſuetus linguam in lites acuere, quam arma in bello concutere. Ita laicorum potentia ſubruta, ſtabili quoq; obfirmauit edicto, vt nullum gentis eius monachum, vel clericum ad aliquam dignitatem conari pateretur: A *Cnutonis* quondam regis facilitate immaniter abhorrens, qui victis honores integros exhibuit. Vnde factum eſt, vt eo defuncto indigenæ aduenas leuiter expellerent, ſibique antiquum ius vendicarent. At iſte certis de cauſis viuentes quoſdam canonice depoſuit; & in locum illorum, qui morerentur, cuiuſcunque gentis induſtrium hominem, præter Angligenam impoſuit. Exigebat hoc, niſi fallor, indurata in Regem peruicacia: cum ſint Normanni (vt ante dixi) in conuiuentes aduenas naturali benignitate procliues.

al.is Edmodus.

Radulphus, de quo prius tetigi, erat per donum Regis Comes Northfolki & Suthfolki Britto ex patre, diſtorti ad omne bonum animi. Is quod cognatam regis filiam *Willielmi*, filij *Oſberni* deſponderat, maiora iuſto mente metiens, tyrannidem adoriri meditabatur. Itaq; ipſo nuptiarum die magnis apparatibus conuiuium agitatum, (quod Normannorum gulæ iam Anglorum luxus influxerat) ebriis conuiuis, & vino tumentibus, amplo verborum ambitu propoſitum ſuum aperit. Illi, quia in eorum animo pro potu omnis ratio caligabat, ingenti plauſu dicenti acclamant. Ibi *Rogerus* Comes Herefordenſis vxoris *Radulphi* frater, ibi *Welldeofus*, ibi præterea quam plurimi in necem regis coniurant. Sed poſtero die cū digeſto calore vini, temperatior aura corda quorundā afflaſſet, maior pars

facti

facti pœnitens à conuiuio eſt dilapſa. Vnus eorum (*Weldeoſus* fertur) qui conſilio *Lanfranci* Archiepiſcopi Normanniam vltro enauigans, rem regi cauſa ſua duntaxat celata detulit. At Comites in incœpto perſiſtere, prouinciales ſuos quiſq; in tumultum excitare. Sed obſiſtebat eis Deus, omnes conatus eorum in irritum deducens. Mox enim re comperta duces regis, qui cuſtodiam prętendebant, *Radulphum* ad hoc calamitatis compulere, vt arrepta naue apud Norwich, mari ſe committeret. Vxor eius pacta membrorum ſalute, traditoq; caſtello maritum ſecuta. *Rogerus* à Rege vinculis irretitus, tota vita carcerem frequentauit, vel potius incoluit, deteſtandæ perfidiæ iuuenis, nec moribus patriſſans.

Siquidem genitor eius *Willielmus* filius *Osberni* principis, optimis comparandus fuerit; haud ſcio an etiam præponendus. Eius conſilio Rex *Willielmus* primo animatus ad inuadendam Angliam: mox virtute adiutus, ad manu tenendam. Erat in eo mentis animoſitas, quam commendabat manus pene prodiga liberalitas. Vnde factum eſt, vt militum multitudine, quibus larga ſtipendia dabat, hoſtium auiditatem arceret, ciuium ſedulitatem haberet. Quare pro effuſis ſumptibus, aſperrimam Regis offenſam incurrit; quod gazas ſuas improuide dilapidaret. Manet in hunc diem in comitatu eius apud Herefordum, legum, quas ſtatuit, inconcuſſa firmitas; vt nullus miles pro qualicunq; commiſſo plus ſeptem ſolidis ſoluat: cum in aliis prouinciis ob paruam occaſiunculam in tranſgreſſione præcepti herilis, viginti vel viginti quinque pendantur. Sed tamen ſecundos euentus turpi fine fortuna concluſit, dum tanti regni ſuſtentator, Angliæ & Normanniæ conſiliarius, pro fœminæ cupidine Flandriam pergens, ab inſidiatoribus impetitus interiit. Nam *Baldwinus* antiquus ille (de quo ſuperius dixi) pater *Matildis*, duos filios habuit; *Robertum*, qui patre ſuperſtite Comitiſſam *Friſiæ* vxorem nactus, *Friſonis* cognomen accepit: *Baldwinum*, qui poſt patrem aliquot annis Flandriæ præfuit, immatureque fato functus eſt; ſuperſtitibus duobus liberis *Arnulpho & Baldwino, de Richelda* vxore, quorum tutelam Regi Francorum *Philippo*, cuius amitæ filius erat, & *Willielmo* filio *Osberni* commendauerat. Libens id munus ſuſcepit *Willielmus*, vt fœderatis cum *Richelde* nuptiis, altius nomen ſibi pararet. At illa fœmineo faſtu altiora ſexu ſpirans, nouaq; à prouincialibus exigens tributa, in perfidiam illos excitauit. Miſſo quippe propter *Robertum Friſonem* nuncio, vt ſupplicantis patriæ habenas acciperet, omnem fidelitatem *Arnulpho*, qui iam Comes dicebatur, abiurant. Nec vero defuere, qui pupilli partes fulcirent. Ita multis diebus Flandria inteſtinis diſſenſionibus conturbata. Id filius *Osberni* qui totus in amorem mulieris conceſſerat pati nequiuit, quin militari manu coacta Flandriam intraret: ſuſceptuſq; primo ab his quos tutari venerat, poſt paucos dies ſecurus de caſtello in aliud equitabat, expeditus cum paucis; Contra, *Friſo* quem huiuſmodi fatuitas non latebat, occultatis inſidiis, inopinum excepit, & nequicquam fortiter agentem, ipſum & nepotem ſuum *Arnulphum* cecidit.

Ita Flandria potitus, ſæpe *Willielmum* Regem, Normannicis prædis irritauit. Filia eius *Cnutoni* Regi Danorum nupſit, de qua genitus eſt *Carolus*, qui modo principatur in Flandria. Pacem cum *Philippo* Rege comparauit, data ſibi in vxorem priuigna, de qua ille *Ludouicum* tulit, qui modo regnat in Francia. Nec multo poſt pertæſus connubii, (quod illa præpinguis corpulentiæ eſſet) à lecto remouit, vxoremq; Andegauenſis Comitis contra fas & ius ſibi coniunxit. Eorum affinitate tutus * *Rothbertus*, nihil quod deploraret, *al. Rodbertus.* ſuo tempore vidit, licet *Baldwinus* frater *Arnulphi*, qui in Hanoea prouincia, & caſtello Valentianis comitatum habuit, Regis *Willielmi* auxilio plures aſſultus faceret. Tribus ante mortem annis, iam canis ſparſus caput, Ieroſolymam contendit pro peccatorum alleuiamento. Regreſſus, mundanis inuolucris renunciauit, finem vitæ quietus à negotiis Chriſtiana ſollicitudine operiens. Filius eius Robertus fuit ille, qui in expeditione Aſiatica (quam noſtris diebus Europa contra Turcos mouit) mirandus innotuit. Sed, neſcio quo infortunio, poſtquam domum reuerſus eſt, nobilem illum laborem decolorauit, in quodam (quod vocant) Turnamento ad mortem læſus. Nec filiū eius *Baldwinum* fortuna excepit fœlicior, qui vltro in Normannia Regis Anglorum *Henrici* vires laceſſens, iuuenilis audaciæ temeritatem luit. Nāq; conto in capite percuſſus, multorūq; medicorum promiſſis illuſus, vitæ metam abrupit; *Carolo* illi (de quo ſupra diximus) principatu tradito.

At vero Rex *Willielmus* in ſubiectos leniter, turbide in rebelles agens, fœliciter omni Anglia potiebatur, Wallenſes omnes tributarios habens. Iam vero trans mare nunquam ocioſus Cenomanico ſolo pene exterminium indixit, ducta expeditione illuc de Anglis; qui ſicut facile in ſolo ſuo potuerunt opprimi, ita in alieno ſemper apparuerunt inuicti. Apud Dolum caſtellum tranſmarinæ Brittanniæ, dum (neſcio qua) ſimulate irritatus, manum illuc militarem duxiſſet, innumeros ex ſuis deſiderauit. *Philippum* regem Frā-

corum, cuius amitæ filiam vxorem duxerat, ſemper infidum habuit, quod ſcilicet ille tantam gloriam viro inuideret, quem & patris ſui & ſuum hominem eſſe conſtaret. Sed *Willielmus* nihilo ſecius eius conatibus improbe obuiabat, quamuis primogenitus filius eius *Robertus* fatuo conſilio * contra patrem illi aſſiſteret. Vnde contigit, vt in quodam aſſultu apud *Gibboracum*, filius patri reſultans, eo vulnerato equum ipſius confoderet; *Willielmus* medius filiorum ſaucius abiret, multi ex regiis caderent. Cæterum tota vita ita fortunatus fuit, vt exteræ & remotæ gentes, nihil magis, quam nomen eius timerent. Prouinciales adeo nutu ſuo ſubſtrauerat, vt ſine vlla contradictione primus cenſum omnium capitum ageret, omnium prædiorũ redditus in tota Anglia notitiæ ſuæ per ſcriptum adiiceret, omnes liberos homines cuiuſcunq; eſſent, ſuæ fidelitati ſacramento adigeret. Solus eius maieſtatem concutiebat *Cnuto* Rex Danorum, qui & affinitate *Roberti Friſonis*, & ſuapte potentia in immenſum extollebatur, rumore in populos ſato, quod Angliam inuaderet, debitum ſibi pro affinitate antiqui *Cnutonis* ſolum: & profecto feciſſet, niſi Deus eius audaciam vento cotrario infirmaſſet. Quæ res admonuit, vt genealogiam regum Danorum, qui poſt noſtrum *Cnutonem* fuere, ſtrictim abbreuiem, de Noricis quoque pauca inſerturus.

al. conatibus eius aſſiſteret.

Ei, vt dictum eſt ante, ſucceſſit *Haroldus* in Anglia, *Hardecnutus* in Danemarchia & filii eius. Nam Noricam, quam ſubegerat, recuperauit *Magnus* filius *Olaui*, quem in geſtis *Cnutonis* noſtri, dixi à prouincialibus ſuis necatum eſſe. *Haroldo* in Anglia defuncto, ambo regna tenuit *Hardecnutus* pauco tempore. Quo mortuo ſucceſſit *Edwardus* ſimplex, auitoque regno contentus tranſmarinum imperium, vt laborioſum & barbarum deſpuit. Tunc Rex Danorum leuatus eſt, *Swanus* quidam haud dubie nobiliſſimus; cuius cum Regnum aliquot annis proſperaretur, *Magnus* Rex Noricorum (conſentientibus Danis quibuſdam) illum vi bellica expellens, ſuo animo terram ſubiecit. Eiectus *Swanus* Regem Sueuorum adiit, eiuſque auxilio cum Sueuos & Vindelicos, & Gothos corraſiſſet, rediit vt regnum reformaret. Sed conſpirantibus Danis, qui poteſtatem *Magni* diligerent, prioris fortunæ calamitatem expertus eſt. Ingens illud & memorabile in ea barbarie prælium fuit, quo nunquam vel diſcrimen formidabilius, vel omen lætius Dani viderunt. Deniq; ad hoc tempus votum illibatum cuſtodiunt, quo ſe ante pugnam conſtrinxerunt, vt Vigiliam ſancti *Laurentii* cunctis in poſterum ſeculis ieiuniis, & eleemoſynis ſacrarent. Eo enim die certatum eſt, & tunc quidem *Swanus* fugit, ſed non multo poſt mortuo *Magno*, regnum ſuum integre recepit.

Succeſſit *Magno* in Norica *Swanus* quidam, *Herdhand* cognominatus, non de regia progenie, ſed manu & caliditate prouectus; illi *Olauus*, patruus *Magni* (quem ſanctum ferunt) *Olauo Haroldus Haruagus* frater Olaui, qui etiam imperatori Conſtantinopolitano dudum iuuenis militauerat. Cuius iuſſu pro ſtupro illuſtris fœminæ leoni obiectus belluam immanem nudo lacertorum niſu ſuffocauit. Hic in Anglia ab *Haroldo* filio *Godwini* cæſus eſt; filii eius *Olauus*, & *Magnus* regnum paternum partiti, ſed *Magno* præmature mortuo, *Olauus* totum occupauit. Illi ſucceſſit filius *Magnus*, qui nuper in Hybernia, dum illuc temere appuliſſet, miſerabiliter occiſus eſt. Ferunt *Magnum* ſuperiorem filium *Haroldi* poſt mortem patris ab *Haroldo* rege Angliæ clementer domum dimiſſum, illius beneficii memoria *Haroldum* filium *Haroldi* poſt victoriam Willielmi ad ſe venientem benigne tractaſſe; eundemque in expeditione ſocium habuiſſe, quam in Angliam tempore *Willielmi* iunioris dixit; quando & Orcadas & * Mauenias inſulas ſibi ſubiecit; & occurrentes Comites *Hugonem* Ceſtrenſem, & *Hugonem* Salopesberienſem, priorem fugauit, ſecundum interemit. Filii vltimi *Magni*, *Haſten*, & *Siwardus*, regno adhuc diuiſo imperitant. Quorum poſterior adoleſcens ſpecioſus & audax; non multum eſt quod Ieroſolymam per Angliam nauigauit; innumera, & præclara facinora contra Saracenos conſummans; præſertim in obſidione Sydonis, quæ pro conſcientia Turcorum immania in Chriſtianos fremebat.

al. Menauias.

Sed *Swanus* (vt dixi) in Regno Danorum reſtitutus, ægre quietem ferens, in Angliam bis *Cnutonem* filium miſit: primo cum trecentis, ſecundo cum ducentis nauibus. Prioris claſſis ſocius fuit *Osbernus* frater *Swani*, ſequentis * *Bacco*; vtriq; (accepta pecunia) conatus adoleſcentis fregere, domum ſine effectu repatriantes. Quare à *Swano* Rege graui contumelia inuſti, quod fidem pecunia læſiſſent, in exilium acti ſunt. *Swanus* ad mortem veniens, omnes iuramento prouinciales conſtrinxit, vt quia quatuordecim filios habebat, omnibus per ordinem regnum delegarent, quantum ipſa ſoboles durare poſſet. Eo igitur defuncto, ſucceſſit filiius *Haroldus* annis tribus; illi *Cnuto*, quem pater in Angliam miſerat. Is veteris repulſæ memor (vt accepimus) mille, & eo amplius nauium in Angliam

al. Haueſſo.

parat;

parat; auxilio erat ei ſocer *Robertus Friſo* ſexcentarum nauium dominus. Sed duobus penè annis venti aduerſitate coercitus, voluntatem mutauit, pronuntians non ſine Dei nutu eſſe, quod transfretare nequiret. Verum poſtmodum quorundam colloquiis deprauatus, qui difficilitatem tranſitus anicularum maleficiis imputabant, optimatibus, quorum fœminæ de hoc inſimulabantur, penſiones importabiles indixit; *Olauum* quoque fratrem factionis eiuſdem principem accuſatum, vinculis irretiuit, & ſocero in exilium miſit. Quapropter barbari libertatis ſuæ iniuriam non ferentes, intra eccleſiam quandam altare amplexum, & emendationem promittentem trucidarunt. Aiunt eo loci multa miracula cœlitus oſtenſa, quod fuerit vir ille ieiuniis, & eleemoſynis deditus, & qui in legum tranſgreſſores, magis diuinas, quàm ſuas perſequeretur contumelias; vnde & ei martyris honor conſecratus eſt à Papa Romano. Poſt eum homicidæ, vt inuidiam facti aliquo bono compenſarent, *Olauum* à vinculis decem millibus marcarum argenti redemerunt. Hinc octo annis ignaue imperitans, regnum fratri *Henrico* reliquit. Is viginti & nouem annis modeſte viuens, Ieroſolymam adiit, medioq; * mari ſpiritum euomuit. Quintus nunc *al. maris.* *Nicolaus* in regno ſubſiſtit.

Rex igitur Danorum (vt dixi) ſolus erat obſtaculum, ne *Willielmus* continua feriaretur lætitia, cuius reſpectu tantam multitudinem ſtipendiariorum conducebat militum, ex omni, quæ citra montes eſt, prouincia, vt eorum copia regnum grauaret. Sed ipſe pro magnanimitate ſua, diſpendium expenſarum non ſentiens, etiam *Hugonem Magnum* Regis Francorum fratrem, cum illius commilitio inter militares numeros ſibi ſeruiturum redegerat. Animabat, & excitabat ipſe virtutem ſuam, propter *Roberti Wiſcardi* memoriam, pronuncians pudendum, ſi illi fortitudine cederet, quem nobilitate præiret. Siquidem *Robertus*, mediocri parentela in Normannia ortus, quæ nec humi reperet nec altum quid tumeret, paucis ante aduentum *Willielmi* in Angliam annis, cum quindecim militibus abierat Apuliam, penuriam neceſſariorum gentis illius ignauæ ſtipendiis correcturus. Nec multi fluxerunt anni, quod ſtupendo Dei munere totam terram in poteſtatem accepit. Nam vbi viribus deſtituebatur, ingenio callebat, oppida primo, mox ciuitates ſuæ ditioni aſſocians. Ita ergo profecit, vt ſe ducem Apuliæ & Calabriæ, fratrem *Richardum* principem Capuæ, alterum *Rogerum* Comitem * Siciliæ faceret. Poſtremo data A- *al. Silicia* pulia filio *Rogero*, cum altero filio * *Boamundo* Adriaticum pelagus tranſiuit; ſtatimq; Dyr- *al. Boadmundo.* rachio capto ſuper *Alexium* imperatorem Conſtantinopolitanum vlterius progrediebatur; ſæuientem retinuit nuncius *Hildebrandi* Apoſtolici. Imperator enim Alemannorum *Henricus* filius *Henrici* (de quo ſupra memorauimus) iratus contra Papam, quod excommunicationem in eum propter inueſtituras Eccleſiarum promulgauerat, cum exercitu veniens Romam, obſedit, *Hildebrandum* expulit, *Guibertum* Rauennatem introduxit. Quo per literas expulſi *Wiſcardus* audito, relicto filio *Boamundo* cum militibus, vt inchoata paterna perſequeretur, Apuliam rediit; contractaq; velociter Apulorum & Normannorum manu, Romam tendebat. Nec ſuſtinuit nuncium aduenientis *Henricus*, quin cũ falſo Papa ſola fama territus terga daret. Vacua ab obſeſſoribus Roma, legitimum Præſulem accepit; ſed non multo poſt eadem violentia, qua prius, amiſit. Tunc quoq; *Alexius* audiens *Rodbertum* ad ſua neceſſario reuocatum, ſummamq; bello manum imponere ſperans, ſuper *Boamundum*, qui partes relictas tuebatur, irruit. Sed Normannus gentilitii roboris tenax adoleſcens, arietantes Græcos, & cæteras, quæ conuenerant, gentes, vſu militari, quãuis multum numero inferior, fugæ tradidit. Eodem quoq; tempore Veneti, gens mari aſſueta, *Wiſcardum*, propter quæ venerat ſedatis, transfretare volentem aggreſſi, ſuperiorem calamitatem ſenſere, pars merſi & cæſi, pars fugati. Ille cœptam enauigans viam multas ciuitates *Alexii* ſuæ voluntati applicuit. Suſtulit imperator maleficio, quem virtute nequibat, vxori ipſius connubium auguſtale mentitus; cuius inſidiis elaboratum virus hauriens interiit, meliorem exitum, ſi Deus voluiſſet, emeritus; inuincibilis hoſtili ferro, & domeſtico obnoxius veneno. Sepultus eſt apud Venuſam Apuliæ habens Epitaphium.

Hic terror mundi Wiſcardus, *hic expulit vrbe,*
Quem Ligures Regem, Roma, Lemannus habent.
Parthus, Arabs, Macetumq; phalanx non texit Alexim,
At fuga, ſed Venetum nec fuga nec pelagus.

Verum, quia Hildebrandi *mentio ſe ingeſſit, de eo dicam, quæ non friuolo auditu hauſi, ſed ſeria relatione eius audiui, qui ſe illa ex ore* Hugonis *abbatis Cluniacenſis audiſſe iuraret. Quæ ideo admiror, & prædico, quia cogitationes aliorum prophetico mentis intuitu pronunciabat.* Alexander *Papa efficax ipſius ſtudium conſpicatus, Cancellis Apoſtolorum præfeceras. Circuibat ergo pro-*

al. eis ſubmittebatur ſecularibus.

ſui conſuitu officij prouincias, vt perperam acta corrigeret. Accurrebatur ab omnibus ordinum hominibus, deciſiones diuerſorum negotiorum poſtulantibus. Cuncta ei ſubmittebatur ſecularis potentia, tum pro ſanctitatis, tum pro miniſterii eius reuerentia. Vnde die quadam, cum ſolito maior ad equitandum eſſet turma, Abbas prædictus in extremo agmine cum monachis ſuis ſenſim progrediebatur; viſoq; eminus tanto viri honore, quod tot mundanæ poteſtates nutum illius præſtolarentur; huiuſmodi ſententias ventilabat animo, homuncionem exilis ſtaturæ deſpicabilis parentelæ, quod Dei iudicio tot diuitum ſeptri famulitio, tumere illum proculdubio & metiri altiora merito pro tot obambulatorum obſequio. Vix hoc (vt dixi) mente verſarat, cum Archidiaconus, reflexo equo & calcaribus incito à longe clamans & Abbatem obuncans, tu, tu, (inquit) male cogitaſti, falſò infamans huiuſce duntaxat rei innocentem: non enim mihi gloriam hanc (ſi gloria dici poteſt) quæ cito tranſit, vel ego imputo, vel ab aliis imputari volo, ſed beatis Apoſtolis, quorum exhibetur priuilegio. Suffuſus ille pudore, nec quicquam inficiari auſus, hoc ſolum retulit; quæſo (domine) quomodo noſti cogitatum meum, quem nulli communicaui? ab ore tuo (ait) quaſi per fiſtulas ad aures meas omnis illa cogitatio deducta eſt.*

Item in eadem prouincia Eccleſiam vrbanam ingreſſi, ante aram continuatis & iunctis lateribus ſe proſtrauerant; in multam horam protracta oratione, reſpexit Archidiaconus Abbatem, turbulento rictu infrendens; ille cum diutius oratum eſſet, fores egreſſus, cauſamq; commotionis percunctatus, reſponſum accepit, ſi me amare vis, caue ne me vlterius hac iniuria expugnes. Dominus meus Ieſus Chriſtus, ſpecioſus ille præ filiis hominum, poſtulationibus meis viſibiliter aſtabat, intendens dictis, & ſerenis fauens oculis; ſed tuæ orationis addictus violentia, me deſeruit, ad te conuerſus: puto quod tu ipſe non diffiteberis eſſe genus iniuriæ, ſi amico eripias authorem ſalutis ſuæ. Præterea prænoueris mortalitatem hominum, & huic loco imminere excidium; cuius coniecturæ ſignum habeo, quod Angelum domini ſuper altare ſtantem vidi euaginatum gladium ſtringere, & huc atque illuc rotare. Futuræ cladis notabilius habeo indicium, quod iam ſpiſſus & nebuloſus aer, prouinciam iſtam circũuolat vt vides. Maturemus igitur profugium, niſi cum aliis velimus ſubire exitium. His dictis introeuntes diuerſorium, ad curam corporis aſſidere continuoq; dapibus appoſitis, exortus in domo luctus auiditatem eſurientium repreſſit; ſiquidem vnus & alter, & mox plures è familia, dubium qua pernicie interempti, animas ſubito amiſerunt: tum eadem peſte per vicinas ædes graſſante, aſcenſis mulis diffugiunt, feſtinationem viæ ſtimulis timoris accelerantes.

In Gallia vice Papæ præſederat conſilio, ibiq; plures Epiſcopi, olim per Symoniam in Eccleſias introducti, degradati, potioribus locum dedere. Vnus erat, quem ſuſpicio iſtius Apoſtaſiæ inſimulabat, ſed nullis teſtibus argui, nullis argumentis confutari poterat: quem cum putares conſtrictum maxime, more anguis lubrici elapſum mirareris; ita dicendi arte callebat, vt omnes eluderet. Tunc Archidiaconus, Ceſſet hominis eloquium, producatur in medium diuinum oraculum; ſcimus profecto quod Epiſcopalis gratia Sancti ſpiritus munus eſt, & quiſquis Epiſcopatum mercatur, ſancti ſpiritus donum poſſe comparari pecunia opinatur. Coram nobis ergo qui iudicio ſpiritus ſancti congregati ſumus, dicat iſte, Gloria patri & filio, & ſpiritui ſancto, quod ſi expreſſe & ſine titubantia dixerit, conſtabit apud me, illum non venaliter ſed legitime præſulatu functum: libens hanc conditionem ille accepit, nihil minus quam horum verborum difficultatem ratus; & vere Gloria patri & filio, *integre protulit, ſed in* ſpiritui Sancto *hæſit. Suſcitato cunctorum ſtrepitu, nullo conatu vel tunc, vel in reliquo vitæ ſpacio ſpiritum Sanctũ nominare potuit. Huius miraculi teſtis fuit Abbas ſæpe nominatus, qui deiectum Epiſcopum per loca ſecum ducens, illius rei experimentum ſæpe riſit; de quorum verborum certitudine dubitantem, omnis Europa confutat, quæ Cluniacenſis religionis numerum, per eum augmentatum non neſcit.*

Alexandro ergo defuncto, ſucceſſit *Hildebrandus*, (*Gregorius* 7. dictus.) Hic quod alii inviſitauerant palam extulit excommunicans electos, qui inueſtituras Eccleſiarum de manu laici per annulum, & baculum acciperent. Vnde *Henricus* imperator Alemannorum fremens, quod ſine ſua conſcientia talia præſumeret, illum (vt prædixi) poſt vndecim annos Roma deturbauit, *Guiberto* inducto: nec multo poſt lætali morbo Papa ictus, quo ſe moriturum non ambigeret, rogatus eſt à Cardinalibus, vt Papam conſtitueret, beati *Petri* exemplum referentibus, qui lactantis Eccleſiæ rudimentis, viuens *Clementem* præfecerat. Negauit ille idem exemplum ſecuturum, quod ab antiquo conciliis eſſet vetitum. Conſilium vero ſe daturum, ſi vellent hominem in ſeculo potentem, eligerent *Deſideriũ* Abbatem Caſſinenſem, qui ſalubriter & in tempore numero militari violentiam *Guiberti* infringeret; ſin Eccleſiaſticum & eloquentem, acciperent Epiſcopum Hoſtienſem *Odonẽ*. Ita obiit vir apud Deum fœlicis gratiæ, apud homines auſteritatis fortaſſis nimiæ. Deniq; fertur, quod inter eum & imperatorem primi tumultus initio, illũ nudipedem & forcipes cum ſcopis portantem, nec ẽt foribus admiſerit abominatus hominem ſacrilegum, & ſororii inceſti reum. Abſceſſit *Cæſar* excluſus, repulſam eam multorum necis cauſam

pro-

proteſtans. Statimq; quæcunq; poſſet incommoda Romanæ ſedi infligens, è diuerſo fautores Papæ in tyrannidem excitauit. Siquidem rebellante quodam *Radulpho*, iuſſu ipſius Apoſtolici, qui ei coronam ex parte Apoſtolorum miſerat, bellorum fragoribus vndique conflictatus eſt. Sed ille ſemper aduerſis ſuperior, & illum & cæteros improbe aſſurgentes tandem oppreſſit. Poſtremo non aliorum impetu, ſed domeſtico filiorum odio imperio extruſus, miſerabilem vitæ terminum habuit. Succeſſit *Hildebrando*, *Deſiderius*, *Victor* appellatus, ſed ad primam Miſſam, incertum quo diſcrimine, cecidit exanimatus, calice (ſi dignum eſt credere) veneno infecto. Tunc in *Odonem* declinauit electio; is natione Gallus, primum Rhemenſis Archidiaconus, inde Prior * Cluniacenſis, mox Epiſcopus Hoſtiæ, vltimo Papa Romæ *Vrbanus* vocatus eſt.

al. Dunia cenſis.

Hactenus circumuagari licuerit, dum occaſione geſtorum *Willielmi* quædam ſuccurrebant, quæ prætermittenda non putabam: nunc familiarem eius vitam, & mores interiores lector qui volet, audiet. Inprimis Dei famulis humilis, ſubiectis facilis, in rebelles inexorabilis erat. Religionem Chriſtianam, quantum ſecularis poterat, ita frequentabat, vt quotidie Miſſæ aſſiſteret, veſpertinos, & matutinos hymnos audiret. Monaſteria, vnum in Anglia, alterum in Normannia conſtruxit. Primum Cadonis, quod Sancto *Stephano* conſecrauit, opportunis prædiis & magnificentiſſimis donariis inſignitum, vbi & *Lanfrancum* Abbatem, poſt etiam Cantuariç Archiepiſcopum inſtituit; virum antiquis ſcientia & religione comparandum, de quo ſerio dici poteſt, Tertius è cœlo cecidit *Cato*; adeo cœleſtis ſapor pectus eius, & palatum infecerat; adeo latinitas omnis in liberalium artium ſcientiam, per doctrinam eius ſe incitabat; adeo ipſius exemplo, vel metu profeſſio monaſtica in religione ſudabat. Non tunc Epiſcoporum ambitus, non tunc Abbatum venalitas proficiebat. Ille maioris gloriæ, amplioris gratiæ apud Regem & Archiepiſcopum erat, qui tenacioris ſanctitudinis opinionem habebat. Alterum monaſterium Haſtingis * ædificauit Sancto *Martino*, quod cognominatur de bello, quia in eo loco principalis Eccleſia cernitur, vbi inter confertos cadauerum aceruos *Haroldus* inuentus fuiſſe memoratur. Pene puer & maturiore ætate ſapiens, patruum ſuum *Malgerium*, ab Archiepiſcopatu Rotomagenſi remouit. Is erat literis quidem non mediocriter cultus, ſed pro natalium conſcientia profeſſionis oblitus, venationibus & auium certaminibus, ſçpius iuſto intendebat, & gazas Eccleſiaſticas conuiuiis profuſioribus inſumebat. Cuius rei fama crebreſcente, tota vita pallii vſu caruit; quod negaret ſedes Apoſtolica honoris huiuſce priuilegium, homini, qui ſacratum negligebat officium. Vnde crebro conuentus, expoſtulante nepote patruelis offenſas, cum nihilo reuerentius ſe ageret, cogente vltima neceſſitate degradatus eſt. Ferunt quidam arcanam eſſe depoſitionis cauſam; * *Matildem*, quam *Willielmus* acceperat, proximam ſibi ſanguine fuiſſe. Id Chriſtianæ fidei zelo, *Malgerium* non tuliſſe, vt conſanguineo cubili fruerentur: ſed in nepotem & comparem excommunicationis iaculum intentaſſe. Ita cum iræ adoloſcentis vxoriæ querelæ accederent, excogitatas occaſiones, quibus perſecutor peccati ſede pelleretur. Sed poſtmodum prouectioribus annis pro expiatione ſceleris, illum Sancto *Stephano* Cadonis monaſteriũ ædificaſſe, illam beatæ Trinitati in eodem vico idem feciſſe; vtroq; pro ſexu ſuo perſonas inhabitantium eligente.

al. conſtruxit.

al. Mattildem.

Malgerio *ſucceſſit* Maurilius *Fiſcanenſis Monachus multis virtutibus, ſed maxime abſtinentia laudatus. Is poſt bene & ſancte actam vitam, cum ad extremum Deo vocante veniſſet; vitali priuatus halitu ferme dimidia die iacuit defunctus. Veruntamen cum iam pareretur in Eccleſiam ferri, anima reſumpta circumſtantes lachrymabili gaudio perfudit: ſtupentes hoc ſermone corroborat; Attenti animo eſtote, vltima paſtoris veſtri verba excipientes. Naturali morte reſolutus fui, ſed vt vobis intimarem quæ vidi, reductus ſum; nec aliquanto diutius ſubſiſtam, quia in Domino ſoporari delectat. Ductores ſpiritus mei vultibus & veſtibus ad omnem elegantiam erant compoſiti; concordabat verborum lenitas cum nitore veſtium, vt nihil deſiderarem præter talium virorum obſequium. Itaq; blandis aſſentationibus gauiſus, ibam vt fere mihi videbatur verſus orientem. Promittebatur mihi ſedes paradiſiacà, non multo poſt intranda. In momento prætérita Europa, ingreſſi Aſiam, venimus Ieroſolymam, ibi ſanctis adoratis Iordanem pertendimus, citerioris ripæ accolæ ductorum meorum contubernio mixti, lætum cœtum fecere. Ego viſendi vlteriora ſtudio tranſitum maturabam. Tunc comites Deum præcepiſſe ferunt vt ante dæmonum viſione terrificarer, quatenus veniales culpæ quas confeſſione non dilueram, pauore horrendarum formarum purgarentur. Cum dicto aſtitit alteri parti, tanta dæmonum vis haſtilia acuta vibrantium, ignes efflantium, vt ager ferreus, aer flammeus videretur. Eorum * horrore ita ſum affectus, vt ſi terra dehiſceret, ſi cœlum pateſceret, tuto mihi vtrobiq; refugiendum non æſtimarem. Ita meticuloſus, dum quo vadam dubito, repente, (* vt hæc dicens veſtræ ſaluti niſi negligitis conſulerem) halitum recepi confeſtim effuſurus; di-*

al. horrorum.

al. ad hæc.

xit, & cum verbo pene ſpiritum emiſit. Corpus in Eccleſia Sancta Mariæ *tunc humi defoſſum miraculo (vt aiunt) diuino altius tribus pedibus ſuper terram eleuatum eſt.*

Porro *Willielmus* propoſiti quod in Normannia cœperat tenax, *Stigandum* perperam & falſo Archiepiſcopum, per Cardinales Romanos, & *Ermenfredum* Epiſcopum Sedunenſem deponi paſſus eſt. Succeſſit ei in Wintonia *Walkelinus*, cuius bona opera famam vincentia vetuſtatem obliuionis à ſe repellent, quamdiu ſedes Epiſcopalis ibi durabit. In Cantia *Lanfrancus* (de quo ſupra dixi) qui talis Anglię Dei dono emicuit.

Qualis diſcutiens fugientia Lucifer aſtra,
Cum roſeo clarum prouehit ore diem.

Ita ipſius induſtria monachicum germen effloruit, ita eo viuente vigor pontificalis induruit. Eius conſilio Rex pronum ſe fecerat, vt nihil negandum duceret, quod is faciendum diceret. Ipſius etiam impulſu ambitum nebulonum fregerat qui conſueto more mancipia ſua Hyberniam venditabant, cuius facti præconium cui potius imputem, *Lanfranco*, an *Wlſtano* Wigorniæ antiſtiti, pro vero non diſcerno, qui regem pro commodo venalitatis, quod ſibi penſitabatur, renitentem vix ad hoc coegerint, niſi quod *Lanfrancus* laudauerit, *Wlſtanus* præceperit authoritate Epiſcopali pro conſcientia ſanctitatis abunde exuberans: homo quo nullus vnquam iuſtior, nullus noſtro ſeculo par illi apparuerit miraculorum potentia, & prophetali gratia; quorum aliqua intendo dicere poſterius, ſi tamen ſanctiſſimis illius placuerit ſenſibus.

Veruntamen, quia alea fortunæ incertis iactibus voluitur, multa tunc temporis aduerſa peruenerunt. Fœda inter Abbatem Glaſconiæ, & monachos eius diſcordia, ita vt poſt verborum lites ad arma ventum ſit. Coacti ergo intra Eccleſiam monachi, Sancto altari miſerias ſuas applorabant. Sed irruentibus militibus, duo ex eis interfecti, 14. vulnerati, cæteri repulſi. Nam & furor militum etiam crucifixum ſagittis inhorrere fecerat. Huius noxæ crimine infamatus Abbas, tota vita regis exilio deportatus eſt, eoque defuncto pro redemptione peccati auxiliaribus annumerata pecunia honori reſtitutus eſt.

Miſerabilis & infanda cædes *Walkerii* Dunelmenſis Epiſcopi, quem Northanimbri populus ſemper rebellioni deditus, abiecto ſacrorum ordinum reſpectu, multis impetitum conuitiis trucidarunt. Fuſus ibi non paucus numerus Lotharingorum, quod præſul ipſe nationis eius erat. Cauſa cædis hæc fuit, erat Epiſcopus præter pontificatum cuſtos totius Comitatus; præfeceratq; rebus forenſibus *Gilebertum* cognatum, interioribus *Leobinum* clericum, ambos in rebus commiſſis ſtrenuos, ſed effrænes. Tolerabat Epiſcopus eorum immodeſtiam gratia ſtrenuitatis inductus, & quia eos eleuarat, cumulum benignitatis augebat. *Indulget enim natura ſibi placidoq; fauore ſuis arridet ipſa muneribus.* Is *Leobinus* *Liwlphum* beatiſſimi *Cuthberti* miniſtrum adeo dilectum, vt ipſe ſanctus coram vigilanti aſſiſtens placita imperaret: Hunc inquam *Liwlphum*, per *Gilebertum* obtruncari fecit, liuore ictus quod amplioris amicitiæ locum apud pontificem pro conſcientia, & æquitate iudiciorum haberet. Perculſus nuncio *Walkerius* furenti parentelæ defuncti legalis placiti iudicium oppoſuit proteſtatus *Leobinum* ſuæ ſuorumq; necis authorem. Vbi ventum ad placitum, nullis effera gens rationibus emolliri potuit, quin in Epiſcopum referret culpam, quod ambos homicidas in curia eius poſt necem *Liwlphi* familiariter diuerſatos vidiſſent. Surrectum ergo in clamores & iras, & *Gilbertus* de Eccleſia, in qua cum Epiſcopo ſederat, vltro egrediens, vt ſuo periculo vitam domini mercaretur, impie occiſus. Tũ præſul præ ianuis pacem prætento ramo offerens, rabiem vulgi expleuit interemptus, fomes etiam mali *Leobinus* ſemiuſtulatus, quod niſi Eccleſia cremata exire nolebat, exiliens mille lanceis exceptus eſt. Prædictum id ab *Edgitha* relicta Regis *Edwardi*. Nam cum olim *Walkerium* vidiſſet Wintoniæ ad conſecrandum duci, cæſarie lacteolum, vultu roſeum, ſtatura prægrandem; pulchrum, hic ait, martyrem habemus, coniectura viz. immodeſtæ nationis ad præſagiendum inducta. Succeſſit ei *Willielmus* Abbas ſancti Carileſi, qui monachos in Dunelmo poſuit.

Præterea anno antequam moreretur proximo, mortalitas hominum & iumentorum, vis tempeſtatum frequens violentia fulgurum, quantam nemo viderat, nemo audierat. Illo quoq; anno quo obiit, promiſcua febris pluſquam dimidiam partem plebis depaſtas adeo vt plures incommoditas morbi extingueret; deinde pro intemperie aeris fames ſubſequuta vulgo irrepſit, vt quod febribus erat reliquum, ipſa corriperet.

Præter cæteras virtutes, præcipue in prima adoleſcentia caſtitatem ſuſpexit, in tantum vt publice ſereretur nihil illum in fœmina poſſe. Veruntamen ex procerum ſententia matrimonio addictus, ita ſe egit vt pluribus annis nullius probri ſuſpicione nocaretur.

taretur. Tulit ex *Matilde* liberos multos, quæ & marito morigera & prole fœcunda, nobilis viri animum in ſui amoris incitabat aculeum; quanquam non deſint, qui ganniant eum cœlibatui antiquo renunciaſſe; cum regia poteſtas accreuiſſet, volutatum cum cuiuſdam presbyteri filia, quam per ſatellitem ſucciſo poplite *Matildis* ſuſtulerit. Quapropter illum exhæredatum, illam ad mortem fræno equi cæſam. Sed hoc de tanto rege credere dementiæ aſcribo, hoc conſtanter aſſeuerans, quod aliquantula ſimultas inter eos innata extremis annis fuerit pro *Roberto* filio, cui mater manum militarem ex fiſci redditibus ſufficere dicebatur. Verum propter hoc nihil coniugalis gratiæ diminutum ipſe oſtendit, dum quatuor annis ante ſe defunctam, & magnificentiſſimis inferiis extulit, & lachrymis per multos dies vbertim proſecutus, amiſſæ charitatem deſiderauerit, quin ex eo tempore ſi credimus, ab omni voluptate deſciuit. Sepulta eſt regina Cadonis in Monaſterio ſanctæ Trinitatis. Eiuſdem pietatis indicium in *Edgithæ* reginæ funere curando non minus fuit, quæ apud Weſtmonaſterium ſtudio eius prope coniugem locata, habet tumbam argenti auriq; expenſis operoſam.

Filios habuit, *Robertum, Richardum, Willielmum, Henricum*. Poſteriores duo poſt eum ſucceſſione continua in Anglia regnauere: *Robertus* patre adhuc viuente, Normanniam ſibi negari ægre ferens, in Italiam obſtinatus abiit, vt filia *Bonifacii* Marchionis ſumpta, patri partibus illis adiutus aduerſaretur; ſed petitionis huiuſce caſſus, *Philippum* Regem Francorum contra patrem excitauit. Quare & genitoris benedictione & hæreditate fruſtratus, Anglia poſt mortem eius caruit, comitatu Normanniæ vix retento. Ea quoq; poſt nouem annos, fratri *Willielmo* pro pecunia inuadata, Aſiaticam expeditionem cum cæteris Chriſtianis aggreſſus eſt. Inde tranſactis quatuor annis, clarus militiæ geſtis regreſſus, Normanniæ ſine difficultate immerſit, quod germano *Willielmo* nuper defuncto, *Henricus* rex nouitate tener, Angliam in fide tenere ſatis habuit; ſed quia de hoc alias dicendum eſt, nunc cœptam de filiis *Willielmi Magni* narrationem terminabo.

Richardus magnanimo parenti ſpem laudis alebat, puer delicatus; & vt id ætatulæ puſio altum quid ſpirans. Sed tantam primæui floris indolem mors acerba cito depaſta corrupit. Tradunt ceruos in Noua foreſta terebrantem, tabidi aeris nebula morbum incurriſſe. Locus eſt, quem *Willielmus* pater, deſertis villis, ſubrutis Eccleſiis, per triginta & eo amplius milliaria in ſaltus & luſtra ferarum redegerat, infando prorſus ſpectaculo, vt vbi ante vel humana conuerſatio, vel diuina veneratio feruebat, nunc ibi cerui & capreoli, & cæteræ illud genus beſtiæ petulanter diſcurſitent: nec illæ quidem mortalium vſibus communiter expoſitæ. Vnde pro vero aſſeritur, quod in eadem ſylua *Willielmus* filius eius, & nepos *Richardus* filius *Roberti* comitis Normanniæ mortem offenderint, ſeuero Dei iudicio ille ſagitta pectus, iſte collum traiectus, vel vt quidam dicunt, arboris ramuſculo equo pertranſeunte fauces appenſus.

Filiæ ipſius fuerunt quinq; prima *Cæcilia* Cadonenſis Abbatiſſa, quæ viuit, altera *Conſtantia* Comiti Brittanniæ *Alano Fergant* in coniugium data, auſteritate iuſtitiæ prouinciales in mortiferam ſibi potionem exacuit; tertia *Adala Stephani* Bleſenſis Comitis vxor, laudata in ſeculo potentiæ virago, nouiter apud Marcenniacum ſanctimonialis habitum ſumpſit. Duarum aliarum nomina exciderunt; vnius, quæ *Haroldo* (vt diximus) promiſſa, infra maturos coniugii annos obiit; alterius, quæ *Aldefonſo* Galliciæ Regi per nuncios iurata, virgineam mortem impetrauit à domino. Repertus in defunctę genibus callus crebrarum eius orationum index fuit.

Patris memoriam quantis poterat occaſionibus extollens oſſa olim Niceæ condita ſub extremo vitæ tempore per legatum transferebat; ſed ille proſpere rediens, audita morte *Willielmi*, apud Apuliam reſedit, ſepultis ibi illuſtris viri exuuiis. Matrem quantum vixit inſigni indulgentia dignatus eſt, quæ ante patris obitum cuidam *Herlewino* de Comitis villa mediocrium opum viro nupſerat. Ex eo *Willielmus* fratres habuit: *Robertum*, quem Comitem Moritonii fecit, craſſi & hebetis ingenii hominem: *Odonem*, quem ad Epiſcopatum Baiocenſem prouexit Comes, Comitem Cantiæ Rex inſtituit. Callidioris pectoris ille totius Angliæ vicedominus ſub Rege fuit, poſt necem *Willielmi* filii *Oſberni*. Itaq; in aggerandis theſauris mirus * tergiuerſari, mirę abſtinentiæ, pene Papatum Romanum abſens à ciuibus mercatus fuerat, peras peregrinorum Epiſtolis, & nummis infarciens. Cui* futuri itineris opinione cum certatim ex toto regno ad eum milites concurrerent, rex indigne ferens compedibus irretiuit, præfatus non ſe *Baiocarum* Epiſcopum, ſed Comitem Cantiæ prendere: clientes eius minis impulſi tantam auri copiam prodidere, vt noſtri ſeculi æſtimationem ſuperaret fului congeries metalli. Deniq; & cullei plures è fluuiis extracti, quos per certa loca ſublatis conſciis infoderat plenos auro molito. Poſt mortem

al. tergiuerſari mira aſtutia.

fratris abſolutus, nepotiq; *Willielmo* aduerſatus, partem *Roberti* fouebat; ſed tunc quoq; male cedente fortuna extorris Anglia Normannico nepoti, & Epiſcopatui inſiſtebat. Deinde cum eodem Ieroſolymitanam viam ingreſſus, Antiochiæ in obſidione Chriſtianorum finem habuit.

Exterarum nationum homines dignanter ad amicitiam admiſit, indifferenter honoribus extulit, eleemoſynæ curam habuit; tranſmarinis Eccleſiis multas poſſeſſiones in Anglia largitus eſt, nec vllum fere monaſterium præſertim in Normannia vel eius, vel ducum munificentia tranſiit, vt Angliæ copia tenuitas illorum ſuſtentaretur. Ita eius tempore vltro citroq; cœnobialis grex excreuit, monaſteria ſurgebant religione vetera, ædificiis recentia. Sed hic animaduerto muſſitationem dicentium, melius fuiſſe, vt antiqua in ſuo ſtatu conſeruarentur, quam illis ſemimutilatis de rapina noua conſtruerentur.

Iuſtæ fuit ſtaturæ, immenſæ corpulentiæ, facie fera, fronte capillis nuda, roboris ingentis in lacertis, vt magno ſæpe ſpectaculo fuerit, quod nemo eius arcum tenderet, quem ipſe admiſſo equo pedibus neruo extento ſinuaret; magnæ dignitatis ſedens & ſtans, quanquam obæſitas ventris nimis protenſa regium corpus deformaret, commodæ valetudinis, vt qui nunquam aliquo morbo periculoſo præter in extremo decubuerit; exercitio nemorum adeo deditus, vt (ſicut prædixi) multa millia eiectis habitatoribus ſilueſcere iuberet, in quibus à cæteris negotiis auocatus animum remitteret. Conuiuia in præcipuis feſtiuitatibus ſumptuoſa & magnifica inibat. Natale Domini apud Gloceſtriam, Paſcha apud Wintoniam, Pentecoſtem apud Weſtmonaſterium agens quotannis quibus in Anglia morari liceret; omnes eo cuiuſcunq; profeſſionis magnates regium edictum accerſebat, vt exterarum gentium legati ſpeciem multitudinis, apparatumque deliciarum mirarentur. Nec vllo tempore comior aut indulgendi facilior erat, vt qui aduenerant largitatem eius cum diuitiis conquadrare vbiq; gentium iactitarent. Quem morem conuiuandi primus ſucceſſor obſtinate tenuit, ſecundus omiſit.

Sola eſt de qua merito culpetur pecuniæ cupiditas, quam vndecunq; captatis occaſionibus, nihil vnquam penſi habuit, quin corroderet; faceret, diceret nonnulla, & pene omnia, tanta maieſtate indigniora, vbi ſpes nummi effulſiſſet. Non eſt hic aliquid excuſationis quod afferam, niſi quod quidam dixit, neceſſe eſt vt multos timeat, quem multi timent. Nam ille pro timore inimicorum prouincias ſuas pecunia emulgebat, qua impetus eorum vel tardaret, vel etiã propelleret, perſæpe vt fit in rebus humanis viribus caſſatis, fidem hoſtilem præmio pignoratus; regnat adhuc & indies augetur huiuſce dedecoris calamitas, vt & villæ & Eccleſiæ penſionibus ſupponantur, & ne hoc quidem perpetua exactorum fide, ſed quicunq; plus obtulerit, ſtatim pactis irritis prioribus palmam habeat.

Extremo vitæ tempore in Normannia habitans, contractis inimicitiis cum rege Francorum aliquantiſper ſe continuit; cuius abutens patientia *Philippus* fertur dixiſſe, Rex Angliæ iacet Rotomagi, partu abſolutarum more fœminarum cubile fouens, iocatus in eius ventrem quem potione alleuiarat. Quo præſtrictus conuitio, reſpondit: Cum ad Miſſam poſt partum iero, centum millia candelas ei libabo. Talia per reſurrectionem, & ſplendorem Dei pronuncians, quod ſoleret ex induſtria talia ſacramenta facere, quæ ipſo habitu oris terrificum quiddam auditorum mentibus inſonarent.

Nec multo poſt *Auguſto* menſe declinante, quando & ſegetes in agris, & botri in vineis, & poma in viridariis, copiam ſui volentibus faciunt, exercitu coacto, Franciam infeſtus ingreditur; omnia proterit, cuncta populatur; nihil erat quod furentis animum mitigaret, vt iniuriam inſolenter acceptam multorum diſpendio vlciſceretur. Poſtremo Mundantium ciuitatem iniectis ignibus concremauit, combuſta illic Eccleſia beatæ *Mariæ*, recluſa vna vſtulata, quæ ſpelæum ſuum, nec in tali neceſſitate deſerendum putauit; fortunæ omnes ciuium peſſundatæ. Quo ſucceſſu exhilaratus, dum ſuos audacius incitat vt igni adiiciant pabula, propius flammas ſuccedens, foci calore, æſtuſque autumnalis inæqualitate morbum nactus eſt. Dicunt quidam quod præruptam foſſam ſonipes tranſiliens interanea ſeſſoris diruperit, quod in anteriori parte ſellæ venter protuberabat. Hoc dolore affectus receptui ſuis cecinit, Rotomagumque reuerſus, creſcente indies incommodo, lecto excipitur. Conſulti medici, inſpectione vrinæ certam mortem prædixere. Quo audito querimonia domum repleuit, quod eum præoccuparet mors emendationem vitæ iamdudum meditantem. Reſumpto animo, quæ Chriſtiani ſunt, executus eſt in confeſſione & viatico. Normanniam inuitus & coactus *Roberto*, Angliam *Willielmo*, poſſeſſiones maternas *Henrico* delegauit. Vinctos ſuos omnes educi & ſolui theſauros efferri, & eccleſiis diſpergi præcepit. Certũ numerum pecuniæ ad reparationem Eccleſiæ nuper crematæ ipſe indixit. Ordinatis ergo bene rebus, octauo Idus Septembris deceſ-

ſit,

ſit, anno vitæ quinquageſimo nono, regni 22. comitatus quinquageſimo ſecundo Dominicæ incarnationis milleſimo octogeſimo ſeptimo. Ille fuit annus quo *Cnuto* Rex Danorum (vt ſupra diximus) interemptus eſt; quo Sarraceni Hiſpani in Chriſtianos efferati, mox ab *Aldefonſo* Regi Gallıciæ ad ſua redire coacti, etiam vrbibus, quas olim tenuerant, inuiti ceſſere.

Corpus regio ſolenni curatum, per Sequanam fluuium Cadonom delatum; ibi in magna frequentia ordinatorum, laicorum pauca, humi traditum. Varietatis humanæ tunc erat videre miſeriam, quod homo ille totius olim Europæ honor, anteceſſorumque ſuorum omnium potentior, ſedem æternæ requiei ſine calumnia impetrare non potuit. Namq; miles quidam, ad cuius patrimonium locus ille pertinuerat, clara conteſtans voce rapinam, ſepulturam inhibuit, dicens, auito iure ſolum suum eſſe, nec illum in illo loco quem violenter inuaſerat pauſare debere. Quocirca volente *Henrico* filio qui ſolus ex liberis aderat, centum libræ argenti * litigatori perſolutæ audacem calumniam compeſcuere. Nam tunc *Robertus* primogenitus in Francia contra patriam bellabat. *Willielmus* antequã pater plane exſpirauerat, Angliam enauigauerat, vtilius ducens ſuis in poſterum commodis proſpicere, quam exequiis paterni corporis intereſſe. Porro in diſpertienda pecunia nec ſegnis, nec parcus, omnem illum theſaurum Wintoniæ totis annis regni accumulatum ab arcanis ſacrariis eruit in lucem; monaſteriis aurum; Eccleſiis agreſtibus ſolidos quinque argenti; vnicuique pago centum libras, viritim egenis diuidendas largitus. Patris etiam memoriam ingenti congerie argenti & auri cum gemmarum luce conſpicue adornauit.

al. litigario.

Fuit hoc tempore *Berengarius* Turonenſis hæreſiarcha, qui panem & vinum in altari appoſita, poſt conſecrationem ſacerdotis, verum & ſubſtantiale corpus Domini (ſicut ſancta Eccleſia prædicat) eſſe denegabat. Iamq; ſcatebat omnis Gallia, eius doctrina per egenos ſcholares (quos ipſe quotidiana ſtipe ſollicitabat) diſſeminata. Vnde ſoliditati catholicæ timens ſanctiſſimæ memoriæ *Leo* Papa, Vercellis contra eum inſtituto concilio, tenebras nebuloſi erroris Euangelicorum teſtimoniorum fulgore depulit; ſed cum poſt obitum eius virus hæreſeos diu in finibus quorundam nebulonum confotum iterum erumperet; *Hildebrandus* cum Archidiaconus eſſet Turonis, mox Papa Romæ adunatis conſiliis, conuictum ad dogmatis ſui anathema compulit; quæ ſcripta ſuis locis, qui deſiderat, inueniet. Reſponderunt ei libris *Lanfrancus* Archiepiſcopus, ſed præcipue & fortiter *Guimundus* prius monachus de ſancto *Leofredo* Normanniæ, poſtea Epiſcopus Auerſanus Apuliæ noſtri temporis eloquentiſſimus. Porro licet *Berengarius* primum calorem iuuentutis aliquarum hæreſium defenſione infamauerit, æuo auſteriore ita reſipuit, vt ſine retractatione, à quibuſdam habeatur ſanctus, innumeris bonis maxime autem humilitate & eleemoſynis approbatus, largarum poſſeſſionum diſpertiendo dominus, non abſcondendo & adorando famulus: fœmineæ venuſtatis adeo parcus, vt nullam conſpectui ſuo pateretur admitti ne formã videretur delibaſſe oculo, quã non pruriebat animo. Nõ aſpernari pauperem, non adulari diuitem; ſecundum naturam viuere, habens victum & veſtitum iuxta Apoſtolum his contentus eſſe. Vnde eum laudat Cenomanenſis pontifex *Hildebertus* in primis verſificator eximius, cuius verba propterea inſerui, vt prædicabilis Epiſcopi affectum in magiſtrum oſtendam, ſimul & doctrina eius erit exemplo poſteris, qua quomodo viui debeat inſtituit etſi fortaſſe metas veræ laudis amore incitatus tranſilierit.

Quem modo miratur ſemper mirabitur orbis,
Ille Berengarius non obiturus obit.
Quem ſacra fidei faſtigia ſumma tenentem,
Iam quinta dies abſtulit, auſa nefas.
Illa dies damnoſa dies, & perfida mundo,
Qua dolor & rerum ſumma ruina fuit;
Qua ſtatus Eccleſiæ, qua ſpes, qua gloria cleri,
Qua cultor iuris, iure ruente ruit.
Quicquid Philoſophi, quicquid cecinere Poetæ,
Ingenio ceſſit eloquioq; ſuo.
Sanctior & maior ſapientia maius adorta,
Impleuit ſacrum pectus & ora Deo.
Pectus eam voluit, vox protulit, actio prompſit,
Singula factori ſic ſtuduere ſuo.
Vir ſacer & ſapiens, cui nomen creſcit in horas,

Quo minor eſt quiſquis maximus eſt hominum.
al. ſenſus. *Cui* cenſus peperit partos ſeruauit honores,*
Cui potior pauper diuite, iuſq́ lucro.
Cui nec deſidiam, nec luxum Res dedit ampla,
Nec tumidum fecit multus & altus honos.
Qui nec ad argentum nec ad aurum lumina flexit,
Sed doluit quotiens cui daret hæc, aberat.
Qui non ceſſauit inopum fulcire ruinas,
Donec inops dando pauper & ipſe fuit.
Cuius cura ſequi naturam, legibus vti,
Et mentem vitiis, ora negare dolis,
Virtutes opibus, verum præponere falſo,
Nil vacuum ſenſu dicere, nil facere,
Lædere nec quenquam, cunctis prodeſſe, fauorem
Et popularem lucrum pellere mente, manu.
Cui veſtis textura rudis, cui non fuit vnquam,
Ante ſitim potus, nec cibus ante famem.
Quem pudor hoſpitium ſtatuit ſibi, quamq́ libido,
Inceſtos ſuperat, tam ſuperauit eam.
Quem natura parens cum mundo contulit, (inquit,)
Degenerant alii, naſcitur iſte mihi.
Quæq́ vagabatur, & pene reliquerat orbem,
Incluſit ſacro pectore iuſtitiam.
Vir ſacer à puero, qui quantum præminet orbi,
Fama, tam famæ præminet ipſe ſuæ.
Fama minor meritis cum totum peruolet orbem,
Cum ſemper creſcat, non erit æqua tamen.
Vir pius atq́ grauis, vir ſic in vtroq́ modeſtus,
Liuor vt in neutro rodere poſſit eum.
Liuor enim deflet, quem carpſerat antea nec tam,
Carpſit & odit eum, quam modo laudat, amat.
Quam prius ex vita, tam nunc ex morte gemiſcit,
Et queritur celeres huius abiſſe dies.
Vir vere ſapiens, & parte beatus ab omni;
Qui cœlos anima, corpore ditat humum.
Poſt obitum viuam ſecum, ſecum requieſcam,
Nec fiat melior ſors mea ſorte ſua.

Videas in his verſibus quod laudis exceſſerit modum Epiſcopus, ſed ſic ſe oſtentat eloquentia, tali geſtu procedit aureus lepos, eo modo.

Fundit purpureos diues facundia flores.

Berengarius plane quamuis ipſe ſententiam correxerit, omnes tamen, quos ex totis terris deprauauerat, conuertere nequiuit: *Adeo peſſimum eſt alios exẽplo vel verbo à bono infirmare, quia fortaſſis peccatum te grauabit alienum, cum deletum fuerit tuum.* Quod Epiſcopum Carnotenſem *Fulbertum*, quem Domini mater *Maria* olim ægrotum lacte mammillarum ſuarum viſa fuerit ſanare prædixiſſe aiunt. Nam cum in extremis poſitum multi viſitarent, & ædium capacitas vix confluentibus ſufficeret, ille inter oppoſitas cateruas oculo longe rimatus, *Berengarium* niſi, quo valuit, expellendum cenſuit, proteſtatus immanem dæmonem propter eum conſiſtere, multoſq́; ad eum ſequendum blandiente manu, & illice anhelitu corrumpere; Quin & ipſe die Epiphanicorum moriens, genituq́; producto, recordatus, quod miſeros quondam adoleſcens primo erroris calore ſecta ſua infecerit: Hodie, inquit, in die apparitionis ſuæ apparebit mihi Dominus meus *Ieſus Chriſtus* propter pœnitentiam vt ſpero ad gloriam, vel propter alios, vt timeo, ad pœnam.

Nos ſane credimus poſt benedictionem Eccleſiaſticam, illa myſteria eſſe verum corpus, & ſanguinem ſaluatoris, adducti & veteris Eccleſiæ auctoritate, & multis nouiter oſtenſis miraculis; Quale fuit illud, quod beatus Gregorius *exhibuit Romæ; quale quod* Paſchaſius *narrat contigiſſe Alemanniæ. Presbyterum* Plegildum, *viſibiliter ſpeciem pueri in altare contrectaſſe, & poſt libata oſcula in panis ſimilitudinem conuerſum, Eccleſiaſtico more ſumpſiſſe, quod arroganti cauillatione ferunt* Berengarium *carpere ſolitũ, & dicere, ſpecioſa certe pax nebulonis, vt cui oris præbuerat baſiũ,*

dentium

dentium inferret exitium; quale de puſione Iudaico; quod in Eccleſiam cum coæquæuo Chriſtiano forte & ludibunde ingreſſus, vidit puerum in ara membratim diſcerpi, & viritim populo diuidi; Id cum innocentia puerili parentibus pro vero aſſereret, in rogum detruſum, vbi occluſo oſtio æſtuabat incendium, multis poſtea horis ſine iactura corporis, exuuiarumq́; & etiam criniũ à Chriſtianis extractum; Interrogatusq́; quomodo voraces ignium globos euaſerit, reſpondit, Illa pulchra fœmina, quam vidi ſedere in cathedra, cuius filius populo diuidebatur, ſemper mihi in camino aſtitit ad dextram, flammineas minas, & fumea volumina peplo ſuo ſummouens.

Tunc in prouincia Wallarum, quæ Ros vocatur, inuentum eſt ſepulchrum *Walweni*, qui fuit haud degener *Arturis* ex ſorore nepos; Regnauitq́; in ea parte Brittanniæ, quæ adhuc Walwertha vocatur; miles virtute nominatiſſimus, ſed à fratre & nepote * *Hengiſti* de quibus in primo libro dixi, regno expulſus, prius multo eorum detrimento exilium compenſans ſuum. Communicans merito laudi auunculi, quod ruentis patriæ caſum in plures annos diſtulerit. Sed *Arturis* ſepulchrum nuſquam viſitur, vnde antiquitas næniarum adhuc eum venturum fabulatur: Cæterum alterius buſtum, vt præmiſi, tempore *Willielmi* Regis repertum eſt, ſuper oram maris quatuordecim pedes longum, vbi à quibuſdam aſſeritur ab hoſtibus vulneratus, & naufragio eiectus, à quibuſdam dicitur à ciuibus in publico epulo interfectus. Veritatis ergo noticia labat in dubio, licet neuter eorum defuerit famæ ſuæ patrocinio. *al. Haſtegii.*

Illa fuit tempeſtas, qua *Henrici*, (de quo inter geſta *Willielmi* locutus ſum) miſerabile & pene funeſtum per quinquaginta annos Alemannia ingenuit imperium. Erat is neq; ineruditus neq; ignauus, ſed fato quodam ab omnibus ita impetitus, vt rem religionis tractare ſibi videretur, quiſquis in illum arma produceret. Habebat duos filios * *Coanradum* & *Henricum*, prior nihil impium contra parentem auſus, ſubiugata Italia apud Aretium ciuitatem Tuſſiæ dies expleuerat; alter patrem aliquantulum ab externis feriatum primo æui tyrocinio aggreſſus, cedere imperio compulit; nec multo poſt defunctum Imperialibus inferiis extulit. Viuit adhuc eiuſdem ſententiæ pertinaciter ſequax, pro qua patrem perſequẽdum putauerat. Nam & inueſtituram Eccleſiarum per baculum & annulum donat, & ſine ſuo arbitratu Papam electum non legitimum æſtimat; licet *Calixtus*, qui modo Apoſtolicæ ſedi præſidet, immodicam viri auiditatem egregie inhibuerit. Verum de his plura me dicturum lector præſtoletur, cum ſeries narrationis expetierit. *al. Cunratoris.*

Porro *Hildebrando* Papa (vt dixi) mortuo, & *Vrbano* à Cardinalibus electo, Imperator hæſit in propoſito, vt *Gubertum* præferret, & Papam dictitaret, Romęq́; altero expulſo inferret. Sed æquiori (vt videbatur) cauſæ affuit militia *Matildis Marciſæ*, quę oblita ſexus, nec diſpar antiquis amazonibus ferrata virorum agmina in bellum agebat fœmina; Eius poſteriori tempore ſuffragio *Vrbanus* thronum adeptus Apoſtolicum, ſecurum per vndecim annos actitauit ocium. Poſt eum *Paſchalis* conſputa *Henrici* ſcientia a Romanis inſtitutus eſt. Grauabat ſuperas adhuc viuẽdo *Wibertus* auras, vnicus ſchiſmatis ſator, nec vnquam quoad vixit peruicaciam depoſuit, vt iuſtitiæ manus daret; Imperatoris pronuntians iudicium ſequendum, non laniſtrarum, vel pellificum Romanorum. Quare ambo ab *Vrbano* frequentibus conſiliis excommunicati arguto ſententiam ſuſpendebant ludibrio. Inter hæc erant multa quæ in Cæſare probares; quod eſſet ore facundus, acer ingenio, multa eruditus lectione, impiger eleemoſynis, prorſus in eo animi corporiſq; bona cerneres; ad arma prompte concurrere, vt qui ſexagies & bis acie collata dimicarit; iuſte lites componere; cum res non ſucceſſit, querelis in cœlum conuerſis inde opem expectare. plures inimicorum eius, vitam exitu miſerando concluſere.

Audiui virum veraciſſimum referentem quod quidam ex aduerſariis eius, homo impotens & factioſus, dum reſupinatis ceruicibus in conuiuio reſideret, ita à muribus repente circumuallatus eſt vt nuſquam eſſet effugium; tantus erat numerus beſtiolarum, vt in quamlibet ampla prouincia tot eſſe non putarentur. Itaq́; fuſtibus, & ſubſelliorum, quæ ad manum occuriſſent, fragminibus, diu in eas ſæuitum, nec quicquam profectum; & quamuis à cunctis repellerentur, nulli tamen noxam vicariam referebant; Illum ſolum dentibus, illum terribili quodam occentu perſequebantur. Quapropter à famulis vltra ſagittæ iactum in pelagus pronectus, nec ſic violentiam euaſit; continuo enim tanta vis murium ponto inundauit, vt marmor paleis conſtratum iurares. Sed cum iam tabulata nauis corroderent, & naufragium indubitatum aqua per rimulas ingrediens minaretur, ſeruientes puppem ad littus retorquent. Tunc vero animalia iuxta carinam annauigantiá, priora ad terram perueniunt; Ita miſer ille in aridam expoſitus, moxq́; totus dilaceratus, horrendum murium famem expleuit.

Adeo minus hoc mirum iudico, quia certum eſt, in Aſiaticis Regionibus, ſi Leopardus aliquem mordicus attigerit, confeſtim murium copiam aduentare, vt vulneratum commingant, immundum vrinæ diluuium comitari hominis exitium; ſin vero arcentium miniſtrorum ſedulitate intra

nouem dies vitata fuerit pernicies, aduocari medicorum induſtriam profecto valituram. Conſpicatus eſt relator meus quendam eiuſmodi ſaucium, cum deſperaret in terra ſalutem, in altum iactis anchoris proceſſiſſe; nec mora pluſquam mille mures annaſſe, corticibus malorum granatorum, quorum medullas exederant incluſos, mirabile dictu ſed obſtrepentibus nautis demerſos. Nihil enim ille parens rerum creatum deſtituit ingenio, nihil porro noxium ſine remedio.

al. Marianus. Sub iſto imperatore regnante floruit * *Maurinianus Scotus*, qui primo Fuldenſis Monachus, mox apud Mogontiacum incluſus, contemptu præſentis vitæ, gratiam futuræ demerebatur. Is longo vitæ otio, chronographos ſcrutatus, diſſonantiam cyclorum *Dionyſii* exigui ab Euangelica veritate deprehendit. Itaq; ab initio ſeculi annos ſingulos recenſens viginti duos, qui circulis prædictis deerant, ſuperaddidit, ſed paucos, aut nullos ſuæ ſententiæ ſectatores habuit. Quare ſæpe mirari ſoleo, cur noſtri temporis doctos hoc reſpergat infortunium, vt in tanto numero diſcentium, in tam triſti pallore lucubrantium, vix aliquis plenam ſciētiæ laudem referat. *Adeo inueteratus vſus placet, adeo fere nullus nouis licet probabiliter inuentis, ſerenitatē aſſenſus pro merito indulget; Totis conatibus in ſententiam veterum repitatur, omne recens ſordet, ita quia ſolus fauor alit ingenia, ceſſante fauore obtorpuerunt omnia.*

Sed quia Fuldenſe cœnobium nominaui, dicam quod ibidem accidiſſe vir reuerendus mihi narrauit, Walkerius *Prior Maluerniæ, cuius verbis, qui non credit iniuriam religioni facit. Non (ait) pluſquam quindecim anni ſunt, quod in eodem loco, exitialis lues graſſata prius Abbatem corripuit, mox multos Monachorum extinxit; ſuperſtites primo quiſq; ſibi timere, orationes & eleemoſynas largiores facere. Sed proceſſu temporis, vt eſt omnium hominum natura, pedetentim metu dempto omittere; Cellerarius præſertim qui palam & ridicule clamitaret, non poſſe penum tot expenſis ſufficere; ſperaſſe ſe nuper aliquod alleuiamentum, pro tot elationibus funerum; nihil vltra ſpei eſſe, ſi quod viui nequiſſent mortui conſumerent. Itaq; cum quadam nocte propter neceſſaria ſoporem diſtuliſſet diu, tandem elaqueatis morarum retibus in dormitorium ire pergebat; Et ecce rem miram auditurus es, videt in capitulo Abbatem, & omnes, qui obierant, illo anno, ex quo exceſſerant ordine ſedere; timidus & effugere geſtiens, vi retractus eſt; increpitus & Monaſtico more flagellis exercitus, audiuit verba Abbatis in hanc omnino ſententiam, Stultum eſſe de alterius morte emolumento inhiare, cum ſors cuiuſq; ſub eodem pendeat fato; Impium eſſe cum Monachus omnem vitam in Eccleſiæ conſumpſerit obſequio, vt careat ſaltem vnius anni poſt mortem ſtipendio: Illum citiſſime obiturum, ſed quicquid pro eo fieret ad aliorum, quibus abſtulerat refundendum commodum, iret modo & alios corrigeret exemplo, quos corruperat verbo; abiit ille, & nihil ſe vanum vidiſſe tam recentibus plagis, quam proximo ſui obitu monſtrauit.*

Interea dum alia agimus, irrepſit materia, & voluntas acceſſit, vt quid tempore *Willielmi* Regis definitum ſit de controuerſia quæ adhuc inter Archiepiſcopos Cantuarienſem & Eboracenſem volutatur, deſcribam. De qua re vt plane norint poſteri, quid inde antiqui patres ſenſerint, apponam.

GREGORIVS PAPA AVGVSTINO PRIMO ANGLORVM
Archiepiſcopo Doroberniæ.

T*Va fraternitas non ſolum eos Epiſcopos, quos ordinauerit, neq; hos tantummodo, qui per Eboracenſem Epiſcopum fuerint ordinati, ſed etiam omnes Brittanniæ ſacerdotes habeat, Domino noſtro* Ieſu Chriſto *auctore, ſubiectos.*

BONIFACIVS IVSTO, ARCHIEPISCOPO DOROBERNIAE.

A*Bſit ab omni Chriſtiano vt ex illa ciuitate Dorobernia aliquid minuatur, aut in aliud mutetur, nunc, vel futuris temporibus, quæ à prædeceſſore noſtro Domino Papa* Gregorio *ſtatuta ſunt, quoquo modo res humanæ quaſſentur; ſed magis ex auctoritate beati* Petri *Apoſtolorum principis, id ipſum præcipientes firmamus, vt in Dorobernia ciuitate ſemper in poſterum Metropolitanus totius Brittaniæ locus habeatur; omneſq; prouinciæ regni Anglorum, vt præfati loci Metropolitanæ Eccleſiæ ſubiiciantur immutilata & perpetua ſtabilitate decernimus. Hanc autem Eccleſiam vtpote ſpecialiter conſiſtentem ſub poteſtate & tuitione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſi quis conatus fuerit imminuere, eiq; de cōceſſæ poteſtatis iure quicquid abſtulerit, auferat eum Deus de libro vitæ, ſciatq; ſe ſub anathematis vinculis eſſe nodatum.*

ALEXANDER WILLIELMO REGI ANGLORVM.

C*Auſam* Alricii, *qui olim Ciceſtrenſis Eccleſiæ dictus eſt Epiſcopus, diligenter retractandam, & def-*

definiendam fratri noſtro Epiſcopo Lanfranco *commiſimus. Item ſibi negotium, de diſcernenda lite, quæ inter Archiepiſcopum Eboracenſem, & Epiſcopum Dorcaceſtrenſem de * pertinentia diœceſis eorum eſt, firmiter iniungendo commendauimus, vt hanc cauſam diligentiſſima perquiſitione pertractet, & iuſto fine determinet. In cauſis autem pertractandis & definiendis, ita ſibi noſtræ, & Apoſtolicæ auctoritatis vicem dedimus, vt quicquid in eis iuſticia dictitante determinauerit; quaſi in noſtra præſentia definitum, deinceps firmum & indiſſolubile teneatur.*

al. pertinacia.

Anno ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti *milleſimo ſeptuageſimo ſecundo, Pontificatus autem domini Papæ* Alexandri *vndecimo, regni vero* Willielmi *glorioſi Regis Anglorum, & ducis Normannorum ſexto, ex præcepto eiuſdem* Alexandri *Papæ annuente eodem Rege, in præſentia ipſius & Epiſcoporum, atq; Abbatum, ventilata eſt cauſa de primatu, quem* Lanfrancus *Dorobernenſis Archiepiſcopus, ſuper Eboracenſem Eccleſiam iure ſuæ Eccleſiæ proclamabat; Et de ordinationibus quorundam Epiſcoporum, de quibus ad quem ſpecialiter pertinerent certum minime conſtabat; & tandem aliquando diuerſis diuerſarum ſcripturarum auctoritatibus probatum atq; oſtenſum eſt, quod Eboracenſis Eccleſia Cantuarienſi Eccleſiæ debeat ſubiacere, eiuſq; Archiepiſcopi vt Primatis totius Brittanniæ diſpoſitionibus in iis, quæ ad Chriſtianam Religionem pertinent, in omnibus obedire. Subiectionem vero Dunelmenſis, hoc eſt, Lindisfarnenſis Epiſcopi, atq; omnium Regionum à terminis Lichfildenſis Epiſcopi; & Humbriæ magni fluuii vſq; ad extremos Scotiæ fines, & quicquid ex hac parte prædicti fluminis, ad parochiam Eboracenſis Eccleſiæ iure competit, Cantuarienſis Metropolitanus Eboracenſi Archiepiſcopo eiuſque ſucceſſoribus in perpetuum obtinere conceſſit. Ita vt ſi Cantuarienſis Archiepiſcopus Concilium cogere voluerit, vbicunque ei viſum fuerit, Eboracenſis Archiepiſcopus ſui præſentiam cum omnibus ſibi ſubiectis Epiſcopis ad nutum eius exhibeat, & eius Canonicis diſpoſitionibus obediens exiſtat. Quod autem Eboracenſis Archiepiſcopus profeſſionem Cantuarienſi Archiepiſcopo facere etiam cum ſacramento debeat;* Lanfrancus *Dorobernenſis Archiepiſcopus ex antiqua anteceſſorum ſuorum conſuetudine oſtendit; ſed ob amorem Regis* Thomæ *Eboracenſi Archiepiſcopo ſacramentum relaxauit, ſcriptamq; tantum profeſſionem recepit, non præiudicans ſucceſſoribus ſuis, qui ſacramentum cum profeſſione à ſucceſſoribus* Thomæ *exigere voluerint. Si Archiepiſcopus Cantuarienſis vitam finierit, Eboracenſis Archiepiſcopus Doroberniam veniet, & eum qui electus fuerit, cum cæteris præfatæ Eccleſiæ Epiſcopis, vt primatem proprium iure conſecrabit. Quod ſi Eboracenſis Archiepiſcopus obierit, is qui ei ſucceſſurus eligitur, accepto à Rege Archiepiſcopatus dono, Cantuariam vel vbi Cantuarienſi Archiepiſcopo placuerit, accedet, & ab ipſo ordinationem canonico more ſuſcipiet. Huic conſtitutioni conſenſerunt præfatus rex & Archiepiſcopi* Lanfrancus *Cantuarienſis, &* Thomas *Eboracenſis, &* Hubertus *ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconus, & præfati* Alexandri *Papæ legatus, & cæteri, qui interfuerunt Epiſcopi & Abbates. Ventilata eſt autem hæc cauſa prius apud* W*entanam ciuitatem in Paſchali ſolennitate in capella Regia, quæ ſita eſt in caſtello; poſtea in villa Regia, quæ vocatur* W*indleshore, vbi & accepit finem in præſentia Regis, Epiſcoporum & Abbatum diuerſorum ordinum, qui congregati erant apud curiam Regiam in feſtiuitate Pentecoſtes. Signum* Willielmi *Regis ſignum* Mathildis *Reginæ. Ego* Hubertus *ſanctæ Romanæ Eccleſiæ * lector, & domini* Alexandri *Papæ legatus ſubſcripſi. Ego* Lanfrancus *Dorobernenſis Archiepiſcopus ſubſcripſi. Ego* Thomas *Eboracenſis Archiepiſcopus ſubſcripſi. Ego* Willielmus *Londinenſis Epiſcopus conſenſi: Ego* Heremannus *Schirebornenſis Epiſcopus ſubſcripſi: Ego* Wlſtanus *Epiſcopus* W*igornienſis ſubſcripſi: Ego* Walterus *Herefordenſis Epiſcopus conſenſi: Ego* Giſo W*ellenſis Epiſcopus conſenſi: Ego* Remigius *Dorcacenſis Epiſcopus ſubſcripſi: Ego* Walkelinus W*entanus Epiſcopus ſubſcripſi: Ego* Herefaſtus *Epiſcopus Helmeanenſis ſubſcripſi: Ego* Stigandus *Ciceſtrenſis Epiſcopus conſenſi: Ego* Siwardus *Roſenſis Epiſcopus conſenſi. Ego * *Osbertus *Exonienſis Epiſcopus conſenſi: Ego* Odo *Baiocenſis Epiſcopus, & Comes Cantiæ conſenſi: Ego* Goffridus *Conſtantienſis Epiſcopus, & vnus de primatibus Anglorum conſenſi. Ego* Scotlandus *Abbas cœnobii Sancti Auguſtini conſenſi: Ego* Thurſtanus *Abbas cœnobii quod in Inſula, quæ Hely dicitur, ſitum eſt conſenſi: Ego * *Elnothus *Glaſtonienſis Abbas conſenſi: Ego* Elfwynus *Abbas cœnobii, quod Rameſeiæ dicitur, conſenſi: Ego* Wlnothus *Abbas cœnobii, quod Certeſeie dicitur, conſenſi: Ego* Ailfwinus *Abbas cœnobii de Eueſham conſenſi: Ego* Fridericus *Abbas ſancti Albani conſenſi: Ego* Goffridus *Abbas cœnobii Sancti* Petri, *quod non longe à Londonia ſitum eſt, conſenſi: Ego* Baldwinus *Abbas cœnobii Sancti* Edmundi *conſenſi: Ego* Turaldus *Abbas de Burgo conſenſi: Ego* Adelelmus *Abbas Abindoniæ conſenſi: Ego* Rualdus *Abbas noui Monaſterii* W*intoniæ conſenſi.*

al. ſubdiaconus.

al. Osbernus.

al. Eilnodus.

Decet Chriſtianum quemque Chriſtianis legibus ſubiacere, nec iis quæ à ſanctis patribus ſalubriter inſtituta ſunt, quibuſlibet rationibus contraire. Hinc namque iræ, diſſenſiones, inuidiæ, contentiones, cæteraque procedunt, quæ amatores ſuos in pœnas æternas demergunt. Et quanto quiſque altioris eſt ordinis, tanto impenſius debet diuinis obtemperare præceptis. Propterea ego Thomas *ordinatus iam Eboracenſis Eccleſiæ Metropolitanus Antiſtes, auditis cognitiſque rationibus,*

abſolutam tibi Lanfrance, *Dorobernenſis Archiepiſcope, tuiſq; ſucceſſoribus, de canonica obedientia profeſſionem facio. & quicquid à te vel ab eis iuſte & canonice mihi iniunctum fuerit, ſeruaturum me eſſe promitto. De hac autem re dum à te adhuc ordinandus eſſem, dubius fui, Ideoq; tibi quidem ſine conditione, ſucceſſoribus vero tuis conditionaliter obtemperaturum me eſſe promiſi.*

Habebat autem ex antiquo, ſicut in primo libro dixiſſe me memini Cantuarienſis Archiepiſcopus hos Epiſcopos; Londonienſem, Wintonienſem, Roffenſem, Shireburnenſem, Wigornienſem, Herefordenſem, Lichfeldenſem, Seleſienſē, Legaceſtrēſem, Elmanenſem, Sidnaceſtrenſem, Dommucenſem; Additi ſunt tempore Regis *Edwardi* ſenioris Cornubienſis, Cridienſis, Wellenſis in Weſt-Saxonia, & in Merciis Dorcacenſis, vt in ſecundo libro dixi.

Eboracenſis autem Archiepiſcopus habebat omnes trās Humbram Epiſcopos ſuę ditioni ſubiectos, Ripenſem, Hauguſtaldenſem, Lindesfardenſem, illum de candida caſa, quæ nunc Witerne dicitur; & omnes Epiſcopos Scotiæ & Orchadum; ſicut Cātuarienſis habet Epiſcopos Hiberniæ & Wallarum. Perierunt autem iamdudum Epiſcopatus Ripenſis & Hauguſtaldenſis vi hoſtilitatis, & Legeceſtrenſis, & Sidnaceſtrenſis & Dommuncēſis, quo neſcio modo. Porro autem tempore Regis *Edwardi* ſimplicis Cornubienſis & Cridienſis vniti ſunt, & translatus eſt Epiſcopatus in Exoniam. Sub Rege *Willielmo*, in iſto eodem Concilio pronunciatum eſt, ſecundum ſcita canonum, vt Epiſcopi tranſeuntes de villis conſtituerent ſedes ſuas in vrbibus diœceſium ſuarū; Lichefeldenſis ergo migrauit in Ceſtriam, quæ olim ciuitas Legionū dicebatur; Seleſienſis in Ciceſtriā, Elmanenſis in Thethfordiam primo, nunc ab *Hereberto* Epiſcopo in Norwich; Schireburnenſis in Salesburiam; Dorcaceſtrenſis in Lincolniam. Nam Lindesfarnenſis pridem veteri tempore tranſierat in Dunelmum; & nuper Wellenſis in Bathoniam.

In hoc conuentu *Lanfrancus*, qui erat adhuc rudis Anglus, quæſiuit à ſeniorib. Epiſcopis, qui eſſet ordo ſedendi in Concilio, antiquo more ſtatutus. Illi vero excuſata difficultate reſponſi, in diem diſtulerunt poſterū: Et tunc diligentiſſime aduocata memoria hūc ſe vidiſſe morem aſſeruere; vt Cantuarienſis Archiepiſcopus Concilio præſidens habeat à dextro latere Archiepiſcopum Eboracēſem, & iuxta eum Epiſcopum Wintonienſem, à ſiniſtro autē Londonienſem. Quod ſi vt contingit pro aliqua neceſſitate Cantuarienſis Primas aduentū ſuum excuſauerit, vel obitu defuerit, Eboracenſis Archiepiſcopus Concilio Præſidens habeat à dextra Londonienſem Epiſcopum & à ſiniſtra Wintonienſem; cæteri ſecundum tempora ordinationum ſedilia ſua agnoſcant.

Tunc quoque querela Archiepiſcopi Eboracenſis de clamore in Wigornienſem & Dorcaceſtrenſem Epiſcopos deciſa & ſopita eſt. Namq; dicebat eos ſuæ ditioni ſubiacere debere; Quod cum iam dudum muto ſilentio ruminaſſet, Romam cum *Lanfranco* profectus, vt pallia ſua ab Apoſtolico reciperent, palam audiente Senatu Romano extulit. Tum vero *Lanfrancus*, quamuis ad omnes iniurias inconcuſſæ ſoliditatis eſſet, non nihil tamen tam proterua, & ante ſibi inaudita poſtulatione turbatus, iræ motum vultu prodidit; verbis aliquandiu intra fauces deuoratis: At *Alexander* Papa qui grauaretur *Lanfrancum* contriſtare, (nam & venienti dignanter aſſurrexerat profeſſus illud inſigne reuerentiæ non ſe detuliſſe honori Archiepiſcopii ſed amori Magiſterii,) tunc quoque iudicandi inuidiam à ſe reiecit, arbitrium litis traiiciens in Anglorum concilium. Quapropter vt dixi res multum diuq; ventilata, in hoc Concilio hunc ſortita eſt terminum, vt quia citra Humbram eſſent, hi Epiſcopi Cantuarienſi applicarentur, omnes vero trāshumbranos Eboracenſis obtineret.

Hic ſancta ſimplicitas beati *Wlſtani* Wigorniēſis Epiſcopi, immo magnanima in Deo confidentia laudanda, & plauſu excipienda eſt. Cum enim & de hac re, & de parua ſcientia literarum pulſatus foras exiſſet, vt ſtrictiori conſilio reſpōſum comeret ſuum, à tumultibus remoto animo, Crede mihi, inquit, nondum cantauimus horam ſextam, Cantemus ergo. Tunc quoque ſociis referentibus, vt prius propter quod venerant, expedirēt, quod ſatis ſuperq; ſufficeret cantibus tempus, regem & proceres ſi hæc audierint riſui ſe haberi opinaturos; Prius crede mihi, inquit, faciamus Dei ſeruitium, & poſt agitabimus hominum litigium. Hora igitur cantata nulla excogitata falſi tergiuerſatione, nullo commentato veri ſplendore, confeſtim aulam conſilii ingredi pergebat. Suis eum retinere tentantibus perſuaderi non potuit, quin potius timentibus cauſæ, pro certo noueritis, ait, me hic viſibiliter videre beatos Archiepiſcopos *Dunſtanum* Cantuarienſem, & *Oſwaldum* Eboracenſem, qui hodie ſuis precibus me tuentes, falſiloquorum acumen hebetabunt. Ita data benedictione Monacho minimæ facundiæ viro, ſed Normannicæ linguæ ſciolo, rem perorās obtinuit, vt qui ſuæ diœceſis ante indignus putabatur regimine, ab Archiepiſcopo Ebo-

po Eboraci ſuppliciter rogaretur, vt ſuas dignaretur luſtrare partes, quo ipſe pro timore hoſtium vel ſermonis ignorantia cauebat accedere.

Verum ego non vlterius lectorum expectationem macerabo, qui hoc forſitan non libenter intuentur, quia geſta *Willielmi* ſucceſſorum præſtolantur; Quamuis niſi me nimius amor mei fallit, nulli varietatem relationum diſpliciturum opinor, niſi ſi quis tam nubilus eſt, vt *Catonis* ſupercilium æmuletur. Sed alia in quarto, & quinto libro, qui volet experietur; Nam tertius debitum agnoſcit modum.

PROLOGVS LIBRI QVARTI.

SCio pleriſq; ineptum videri, quod geſtis noſtri temporis Regum ſcribendis ſtylum applicuerim, dicentibus quod in eiuſmodi ſcriptis ſæpe naufragatur veritas, & ſuffragatur falſitas. Quippe præſentium mala periculoſe, bona plauſibiliter dicuntur. Eo fit (inquiunt) vt quia modo omnia magis ad peius, quam ad melius ſint proclinia, ſcriptor obuia mala propter metum prætereat & bona, ſi non ſunt, propter plauſum confingat. Sunt alii, qui, nos ex ſegnitia ſua metientes, impares tanto muneri exiſtimant, & hoc ſtudium praua ſuggillatione contaminant. Quapropter iam pridem, vel illorum ratiocinio, vel iſtorum faſtidio perculſus, in otium conceſſeram ſilentio libenter adquieſcens. ſed dum aliquandiu ſolutus inertia vacaſſem, rurſus ſolitus amor ſtudiorum aurem vellit, & manum iniecit, propterea quod nec nil agere poſſem, & iſtis forenſibus & homine literato indignis curis me tradere non noſſem. Acceſſerunt amicorum meorum ſtimuli, quorum vel tacitæ ſuggeſtioni deeſſe non debui. Et illi quidem modeſte iam prurientem impulere, vt cœptum proſequerer. Illorum itaque, quos penitus repoſito amore diligo, hortatibus animatus aſſurgo, vt ex pectoris noſtri promptuario victurum apud ſe amicitiæ pignus contineant. Quocirca illorum, qui mihi timent, vt aut odiar, aut mentiar beneuolentiæ gratus: ita ſub ope Chriſti *ſatiſfaciam, vt nec falſarius, nec odioſus inueniar. ſic enim bene & ſecus acta perſtringam, vt, quaſi inter Syllam & Charibdim illæſo volante nauigio, nil deſit ſententiæ, etſi aliquid deeſſe putetur hiſtoriæ. Porro illis, qui alieni laboris onus ſua æſtimatione premunt, hoc reſpondeo, quod olim* Ieronymus *canibus ſuis obiecit: Si placet legant, ſi non placet abiiciant, quia & ego hæc non tædioſis ingero, ſed ſtudioſis, ſi qui dignentur conſecro. Quod & iſti viri continue pronuntiabunt, ſi non de his ſunt, de quibus dicitur,* Stulti facile poſſunt conuinci, difficile compeſci *Dicam igitur in hoc libro, qui operis huius eſt quartus, quicquid de* Willielmo *filio* Willielmi *magni dici poterit; vt nec veritas rerum titubet, nec principalis decoloretur maieſtas. Ibunt & in iſtas paginas quædam, quæ ſub eo, vel in hac terra triſtia, vel alias glorioſa acciderunt, quantum duntaxat noſtra ſcientia attingere potuerit. Præſertim de peregrinatione Chriſtianorum in Ieruſalem, quam hic apponere non erit iniurium, quia tam famoſam his diebus expeditionem audire ſit operæ pretium, & virtutis incitamentum. Neque vero confido, quod hæc à me quam ab aliis qui ſcripſerunt, commodius dicantur, ſed vt, quod à multis ſcribitur, à multis legatur. Verum ne tam diu prooemiari lecturo generet nauſeam, iam nunc, quod intendo, incipiam.*

DE WILLIELMO SECVNDO.

WILLIELMVS igitur filius *Willielmi* natus eſt Normanniæ, pluribus annis antequam pater Angliam adiret; ingenti cura parentum altus, cum & illi naturaliter ineſſet ingentia parturiens animus, ad culmen ſupremæ dignitatis euaſit. Incomparabilis procul dubio noſtro tempore princeps; ſi non eum magnitudo patris obrueret, nec eius iuuentutẽ fata præcipitaſſent, ne per ætatẽ maturiorẽ aboleret errores licentia poteſtatis, & impetu iuuenili contractos. Emẽſa pueritia, in militari exercitio adoleſcentiã egit, equitare, iaculari, certare cũ primæuis obſequio, cũ æquæuis officio. Iacturã virtutis putare, ſi forte in militari tumultu alter eo prior arma corriperet, & niſi prim⁹ ex aduerſo ꝓuocaret, vel prouocãtẽ deiiceret. Genitori

in omnibus obſequelam gerens, eius ſe oculis in bello oſtentans, eius lateri in pace obambulans. Spe ſenſim ſcaturiente, iam ſucceſſioni inhians, maxime poſt abdicationem fratris maioris, cum & tirocinium minoris * nihil ſuſpiceret. Ita a patre vltima valetudine decumbente in ſucceſſorem adoptatus, antequam ille extremum efflaſſet, ad occupandum regnum contendit: Moxq; volentibus animis prouincialium exceptus, & claues theſaurorum nactus eſt; quibus fretus totam Angliam animo ſubiecit ſuo. Acceſſit & fauori eius maximum rerum momentum Archiepiſcopus *Lanfrancus*, eo quod eum nutrierat, & militem fecerat. quo authore & annitente, die ſanctorum *Coſmæ* & *Damiani* coronatus, reliquo hyemis quiete & fauorabiliter vixit.

al. nonnihil.

QVA exacta mox in initio veris, primus conflictus contra *Odonem* patruum Epiſcopum Baiocenſem fuit. Namque, cum ille (vt dixi) ſolutus à vinculis *Robertum* nepotem in Comitatu Normanniæ confirmaſſet, Angliam venit, recepitque à rege Comitatum Cantiæ. ſed cum omnia non ſuo arbitratu (vt olim) in regno diſponi videret (Nam *Willielmo* Dunelmienſi Epiſcopo commendata erat rerum publicarum adminiſtratio) liuore ictus, & ipſe à rege deſciuit. & multos eodem ſuſurro infecit, *Roberto* regnum competere, qui ſit & remiſſioris animi, & iuueniles ſtultitias multis iam laboribus decoxerit: Hunc delicate nutritum, animi ferocia (quam vultus ipſe demonſtret) prætumidum, omnia contra fas & ius auſurum: breui futurum, vt honores iamdudum plurimis ſudoribus partos amittant: Nihil actum more patris, ſi quos ille vinxerit, iſte trucidet. Hęc ipſe, hæc *Rogerius* de monte Gomerico, hæc *Galfridus* Conſtantiēſis Epiſcopus cum nepote *Roberto* Comite Humbrenſium, & cum reliquis primo clam fremebant, poſt etiam palam, per veredarios miſſis Epiſtolis, frequentabant. Quin etiam *Willielmus* Dunelmenſis Epiſcopus quem rex à ſecretis habuerat, in eorum perfidiam conceſſerat. quod grauiter tuliſſe regem ferunt, quia, cum amiſſæ charitatis diſpendio, remotarum Prouinciarum fruſtrabatur compendio. Itaque *Odo* prædam omnem Rouecceſtriam comportabat, regios fiſcos in Cantia deuaſtās, maxime terras Archiepiſcopi, immortale in eum odium anhelans, quod eius conſilio à fratre ſe in vincula coniectum aſſerebat. ſed nec fides verborum vacillabat. Nam cum olim *Willielmus* ſenior apud *Lanfrancum* quereretur ſe à fratre deſeri, tu (inquit) prēde eum, & vinci. Et quid, (reſpondit ille) quia clericus eſt? Tunc Archiepiſcopus lepida hilaritate (vt ait *Perſius*) Crimina raſis librans in antithetis. Non (dixit) Epiſcopum Baiocarum capiēs, ſed Comitem Cantiæ cuſtodies. *Gaufridus* Epiſcopus cum nepote Bathoniam & Bercheleiam partē pagi Wultenſis depopulans manubias apud Briſtow collocabat. *Rogerius* de mōte Gomerico exercitum ſuum à Scrobesbiria cum Walenſibus mittens, coloniam Wigornienſem prædabatur. Iamque Wigorniam infeſtus aduenerat, cum regii milites, qui prætendebant freti benedictione *Wlſtani* Epiſcopi, cui cuſtodia caſtelli commiſſa erat, pauci multos effugarunt; pluribuſque ſauciis, & cæſis, quoſdam abduxerunt. Præterea *Rogerius* * *Bigod* apud Norwich, & *Hugo de* * Grentemeiſnil apud Legeceſtre ſuis quiſq; partibus rapinas vrgebant. Ita totis defectionis viribus in eum, cui nec prudentia nec fortuna deerat, fruſtra ſæuiebatur. Namque ille videns Normannos pene omnes in vna rabie conſpiratos, Anglos probos & fortes viros, qui adhuc reſidui erāt, inuitatoriis ſcriptis arceſſit. quibus ſuper iniuriis ſuis querimoniam faciens, bonaſque leges & tributorum leuamen, liberaſque venationes pollicens, fidelitati ſuæ obligauit. Nec minori aſtutia *Rogerium* de monte Gomerico ſecum diſſimulata perfidia equitantem circumuenit. Seorſum enim ducto magnam ingeſſit inuidiam, dicens, ſe libenter imperio ceſſurum; ſi illi & aliis videatur, quos pater tutores reliquerat. Non ſe intelligere quid ita effrænes ſint: ſi velint, pecunias accipiant pro libito: ſi augmentum patrimoniorum, eodem modo; prorſus, quæ velint, habeant; tantum videant ne iudicium genitoris periclitetur. quod ſi de ſe putauerint aſpernandum, de ſe ipſis caueant exemplum. Idem enim ſe regem, qui illos duces fecerit. His verbis Comes, & pollicitationibus incenſus, qui primus factionis poſt *Odonem* ſignifer fuit, primus defecit. Continuo ergo in deſertores profectus caſtella patrui ſui Tunebrige & Peuenſel effregit, ipſo in poſteriori intercepto, captum ad quod libuit, iuſiurandū impulit, vt Anglia decederet & Rouecceſtriam traderet. Ad quod implendum eum, cum fidelibus ſuis præmiſit, lento pede præeuntes ſubſecutus. Erat tunc apud Rouecceſtram omnis pene iuuentutis ex Anglia & Normannia nobilitas. Tres filii *Rogerii* Comitis & *Euſtachius* Bononiæ iunior, multique alii quos infra curam noſtram exiſtimo. Regii cum Epiſcopo pauci & inermes, (quis enim eo præſente inſidias timeret?) circa muros deſiliunt, clamantes oppidanis, vt portas aperiant: Hoc Epiſcopum præſentem velle, hoc Regem abſentem iubere. At illi de muro conſpicati, quod vultus Epiſcopi cum verbis oratorum non conueniret, raptim apertis portis ruunt, * equis inuolant, omneſque

al. Bidgot.
al. Grenteſmeiſnil.
al. equos.

omneſq; cum Epiſcopo vinctos abducunt. Rumor facti ad Regem cito perlabitur. Seuerior ille malis, iramq; intra conſcientiam reſorbens, Anglos ſuos appellat, iubet, vt compatriotas aduocent ad obſidionem venire, niſi ſi qui velint ſub nomine * Niderung/ quod nequam ſonat, remanere. Angli, qui nihil miſerius putarent, quam huiuſce vocabuli dedecore aduri, cateruatim ad Regem confluunt, & inuincibilem exercitum faciunt. Nec diutius potuere pati oppidani, quin ſe traderent, experti quamlibet nobilem, quamlibet conſertam manum aduerſus regem Angliæ nihil poſſe proficere. *Odo* ſecundo captus, perpetuo Angliam abiurauit. Dunelmẽſis Epiſcopus vltro mare tranſiuit, quem Rex verecundia præteritæ amicitiæ indemnem paſſus eſt effugere. Cæteri omnes in fidem recepti. Inter has obſidionis moras homines Regis mare cuſtodientes, quoſdam quos Comes Normanniæ in auxilium perfidorum miſerat, partim cæde, partim naufragio oppreſſere; reliqui fugam intendentes & ſuſpendere carbaſa conati, moxq; vento ceſſante deſtituti ludibrio noſtris, ſibi exitio fuere. Nam ne viui caperentur è tranſtris ſe in mare præcipitarunt.

al. Niderung.

Poſtero anno, *Vt dolor ſemper retractatione aceſcit.* Magno ſcrutinio Rex agere cœpit, quo modo iniurias ſuas vltum iret, & vicariam fratri referret contumeliam. Itaq; caſtrum *Sancti Walerici*, & portum vicinum, & oppidum, quod Albamarla vocatur, ſollertia ſua acquiſiuit, pecunia cuſtodes corrumpens. Nec fuit animus Comiti vt reſiſteret, ſed domino ſuo regi Franciæ per nuncios violentiam fratris expoſuit, ſuppetias orans. Et ille quidem iners, & quotidianam crapulam ructans, ad bellum ſingultiens ingluuie veniebat. ſed occurrerunt magna pollicenti nummi regis Angliæ; quibus infractus, cingulum ſoluit, & conuiuium repetiit. Ita bello inteſtino diu laborauit Normannia: modò illis, modò iſtis vincentibus; proceres vtriuſq; furorem incitabant, homines leuiſſimi in neutra parte fidem habentes. pauci quibus ſanius conſilium, conſulentes ſuis commodis quod vtrobiq; poſſeſſiones haberent, mediatores pacis fuere, vt Comiti rex Cinomannes adquireret, Comes regi caſtella, quæ habebat, & Fiſcanum cœnobium concederet. Iuratum eſt hoc pactum, & ab vtrorumq; hominibus ſacramento firmatum.

Nec multo poſt rex mare tranſiit, vt fidem promiſſorum expleret. Ergo vterq; dux ingentes moliebantur conatus, vt Cinomannes inuaderent. ſed obſtitit iam paratis, iamque profecturis *Henrici* fratris minoris animoſitas, qui frenderet propter fratrum auaritiam quod vterq; poſſeſſiones paternas diuiderent, & ſe omnium pene expertẽ non erubeſcerent. Itaq; in montem *S. Michaelis* armatus incedit, & crebris excurſibus, obſidentem militiam Germanorum contriſtauit. In ea obſidione * præclarum ſpecimen morum in rege & comite apparuit: in altero manſuetudinis, in altero magnanimitatis. Vtriuſq; exempli notas pro legentium notitia affigam.

al. præclarum.

Egreſſus rex tabernaculo, videnſq; eminus hoſtes ſuperbe inequitantes, ſolus in multos irruit, alacritate virtutis impatiens, ſimulq; confidens, nullum ſibi auſurum obſiſtere. moxq; occiſo ſub fœminibus deturbatus equo, quem eo die quindecim marcis argenti emerat, etiam diu per pedem tractus eſt: ſed fides loricæ obſtitit ne læderetur. Iamq; miles, qui deiecerat, manum ad capulum aptabat vt feriret, cum ille periculo extremo territus exclamaret, Tolle nebulo, rex Angliæ ſum ego: Tremuit nota voce iacentis vulgus militum, ſtatimq; reuerenter de terra leuato alterum equum adducunt. Ille non expectato aſcẽſorio ſonipedem inſiliens, omneſq; circumſtantes viuido perſtringens oculo, Quis inquit me deiecit? Muſſitantibus cunctis, miles audacis facti cõſcius, non defuit patrocinio ſuo dicens: Ego qui te non putaram eſſe regem ſed militem. Tum vero rex placidus, vultuq; ſerenus, Per vultum ait de *Luca*, (ſic enim iurabat) meus à modo eris, & meo albo inſertus laudabilis militiæ præmia reportabis. Macte animi ampliſſime rex: quod tibi præconium ſuper hoc dicto rependam? A magni quondam *Alexandri* non degener gloria, qui Perſam militem ſe à tergo ferire conatum, ſed pro perfidia enſis ſpe ſua fruſtratum, incolumen pro admiratione fortitudinis conſeruauit.

Iam verò vt de manſuetudine Comitis dicam, cum obſidio eo vſq; proceſſiſſet vt aqua deeſſet obſeſſis, miſit *Henricus* nuncios Comiti, qui eum de ſiti ſua conueniant. Impium eſſe vt cum aqua arceant, quæ eſſet communis mortalibus. Aliter, ſi velit, virtutem experiatur, nec pugnet violentia elementorum, ſed virtute militum. Tum ille genuina mentis mollitie flexus, ſuos qua prætendebant, laxius habere ſe iuſſit, ne frater ſiticuloſus potu careret. quod cum relatum regi eſſet, vt ſemper calori pronus erat, Comiti dixit. Bene ſcis actitare guerram, qui hoſtibus præbes aquæ copiam: & quomodò eos domabimus ſi eis in paſtu & in potu indulſerimus. At ille renidens illud come & merito famoſum verbum

emiſit, Papę dimitterem fratrem noſtrum mori ſiti? & quem alium habebimus, ſi eum amiſerimus? Ita rex deridens manſueti hominis ingenium, reſoluit prælium, infectaq; re, quam intenderat: quod eum Scottorum & Walenſium tumulus vocabant, in regnum cum ambobus fratribus ſe recepit.

Statimq; primo contra Walenſes, poſt in Scottos expeditionem mouens, nihil magnificentia ſua dignum exhibuit, militibus multis deſideratis, iumentis interceptis. Nec tum ſolum ſed multotiens parua illi in Walenſes fortuna fuit, quod cuiuis mirum videatur, cum ei alias ſemper, alea bellorum fœliciſſime arriſerit. Sed ego intelligo pro ſoli inæqualitate, & cœli inclementia, ſicut rebellionem eorum adiutam, ita eius virtutem impeditam. Porro rex *Henricus* excellentis ingenii vir, qui modo regnat, inuenit, qua commenta illorum labefactaret arte, Flandricis in patria illorum collocatis, qui eis pro clauſtro ſint, & eos perpetuo coerceant. At vero tunc ſatagente *Roberto* Comite, qui familiarem iam dudum apud Scottum locauerat gratiam, inter *Malcolmum & Willielmum* concordia inita: veruntamen multis controuerſiis vtrobiq; habitis, & fluctuante, propter vtrorumque animoſitatem, iuſtitia, *Malcolmus* vltro Glocestriam venit, æquis duntaxat conditionibus, multus pro pace peccator. Nec quicquam obtinuit, niſi vt in regnum indemnis abiret, indignante rege dolo capere, quem virtute ſubegiſſet. Idemq; proxima hyeme ab hominibus *Roberti* Comitis Humbronenſium magis fraude, quam viribus occubuit. Cuius interitus accepto nuntio, vxor *Margareta* eleemoſynis & pudicitia inſignis, faſtidiens huius lucis moram, mortem precario exegit à Deo. Ambo cultu pietatis inſignes, illa præcipue. Namq; toto vitæ tempore 24. pauperes habuit, vbicunq; locorum erat, quos cibis, & veſtibus reficiebat. Cæterum in quadrageſima ſacerdotum cantum præueniens, noctibus in templo excubabat, triplicibus matutinis ipſa inſiſtens, de Trinitate, de cruce, de ſancta *Maria*. inde pſalterium cum lachrymis veſtem infundentibus, pectus ſuccutientibus. Tēplo digrediens paſcebat pauperes, primo tres, mox 9. inde 24. poſtremo 300. ipſa cum rege aſſiſtens, & manibus aquam infundens. *Edgarum* filium eius expulſum à patruo *Willielmus* reformauit ſolio, egregia plane, & quæ tantum virum decebat, pietate, vt paternarum iniuriarum immemor filium ſupplicem reſtitueret regno.

Excellebat in eo magnanimitas, quam ipſe proceſſu tēporis nimia ſeueritate obfuſcauit, ita in eius pectus furtim vitia pro virtutibus ſerpebant, vt diſcernere nequiret. Diu dubitauit mundus, quo tandem vergeret, quo ſe inclinaret indoles eius. Inter initia viuente *Lanfranco* Archiepiſcopo ab omni crimine abhorrebat, vt vnicum fore regum ſpeculum ſperaretur. Quo defuncto aliquandiu varium ſe præſtitit æquali lance vitiorum atque virtutum. Iam vero poſtremis annis * bonorum gelante ſtudio, incommodorum ſeges ſucceſcens incaluit. Et erat ita liberalis quod prodigus, ita magnanimus quod ſuperbus, ita ſeuerus quod ſæuus. Liceat enim mihi pace maieſtatis regiæ verum non occuluiſſe: quia iſte parū Deū reuerebatur, nihil homines. quod indiſcretum ſi quis dixerit non peccabit, quia à ſapientib. tenenda eſt moderatio, vt Deus timeatur omni tēpore homo pro tēpore. Erat is foris, & in cōuentu hominum tumido vultu erectus, minaci oculo aſtantē defigens, & affectato rigore feroci voce colloquentē reuerberans. quantū coniectari datur metu inopiæ, & aliorum perfidiæ plus iuſto lucris & ſeueritati deditus: intus, & in triclinio cum priuatis omni leuitati accommodus multa ioco trāſigebat. Facetiſſimus quoque de aliquo ſuo perperam facto cauillator, vt inuidiam facti dilueret, & ad ſales transferret. Sed de liberalitate eius, qua ſe ipſum fallebat, poſt etiam de cæteris ſermo prolixior erit, vt oſtendam quanta vitia in eo ſub prætextu virtutum pullularint.

al. omni gelāte ſtudio virtutū, vitiorum in eo calor efferbuit.

Sunt enim duo omnino genera largorum, alteri prodigi, alteri liberales dicuntur. prodigi ſunt, qui in ea pecunias ſuas effundunt, quorum memoriam aut breuem, aut nullam omnino relicturi ſunt in ſeculo, nec eleemoſynam habituri in Deo: liberales ſunt, qui captos à prædonibus redimunt, aut inopes ſubleuant, aut æs alienum amicorum ſuſcipiunt. Eſt ergo largiendum, ſed diligenter & moderate: plures enim patrimonia ſua effudere inconſulte largiendo. *Quid vero eſt ſtultius quam quod libenter facias, curare ne diutius facere poſſis.* Itaque quidam cum non habeant quod dent, ad rapinas conuertuntur, maiuſq; odium aſſequuntur ab iis, quibus auferunt, quam beneficium ab iis, quibus contulerunt. quod huic regi accidiſſe dolemus. Nam quia cum primis initiis regni metu turbarum milites congregaſſet, nihil illis denegandum putauit, maiora in futurum pollicitus. Itaque quia paternos theſauros impigre euacuerat, & modicæ ei penſiones numerabantur, iam ſubſtantia defecerat, ſed animus largiendi non deerat, quod vſu donandi pene in naturam verterat. homo, qui neſciret, cuiuſcunq; rei effringere pretium, vel æſtimare

com-

commercium, ſed cui pro libito venditor diſtraheret mercimonium, & miles paciſceretur ſtipendium. Veſtium ſuarum pretium in immenſum extolli volebat, dedignans ſi quis alleuiaſſet. denique cum quodam mane calciaretur, nouas caligas interrogauit cubicularium quanti conſtitiſſent, cū ille reſpondiſſet tres ſolidos, indignabūdus & tremēs, fili ait meretricis, ex quo habet rex caligas tā exilis pretii, vade & affer mihi emptas marca argenti. Iuit ille, & multo viliores afferens, quanti præcepiſſet emptas, ementitus eſt. Atqui inquit rex iſtæ regiæ conueniunt maieſtati. Ita cubicularius ex eo pretium veſtimentorum eius pro voluntate numerabat, multa perinde ſuis vtilitatibus nundinatus.

Excitabat ergo totum Occidentem fama largitatis eius, Orientem vſque pertendens. veniebant ad eum milites ex omni, quæ citra montes eſt, Prouincia, quos ipſe profuſiſſimis expenſis munerabat. Itaq; quū defeciſſet quod daret, inops & exhauſtus ad *rapinas conuertit animum. Acceſſit auidæ menti fomes cupiditatum *Ranulfus* clericus ex infimo genere hominum lingua & *aſſiduitate prouectus ad ſummum. Is ſi quando edictum regium proceſſiſſet, vt nominatum tributum Anglia penderet, duplum adiiciebat expilator diuitum, exterminator pauperum, confiſcator alienarum hæreditatum. Inuictus cauſidicus, & cum verbis tum rebus immodicus, iuxta in ſimplices vt in rebelles furens. ſubinde *cachinnantibus quibuſdam ac dicentibus, ſolum eſſe hominem qui ſciret ſic agitare ingenium, nec aliorum curaret odium, dummodo complacaret Dominum. Hoc authore ſacri Eccleſiarum honores mortuis paſtoribus venum locati; Audita namq; morte cuiuslibet Epiſcopi, vel Abbatis cōfeſtim clericus regis admittebatur, qui omnia inuenta ſcripto exciperet, omneſq; in poſterū redditus fiſco regio inferret. Interea quærebatur quis idoneus in loco defuncti ſubſtitueretur, non pro morum ſed pro nummorū experimēto. dabaturq; tandem honor, vt ita dicam, nudus, magno tamen emptus. Hæc eo indigniora videbantur, quod tempore patris poſt deceſſum Epiſcopi vel Abbatis omnes redditus integre cuſtodiebantur ſubſtituendo paſtori reſignandi, eligebanturq; perſonæ religionis merito laudabiles; at vero pauculis annis intercedentibus omnia immutata. Nullus diues niſi nummularius, nullus clericus, niſi cauſidicus, nullus Presbyter, niſi, (vt verbo parum latino vtar) firmarius. Cuiuſcunq; conditionis homūculus, cuiuſcunq; criminis reus ſtatim vt de lucro regis appellaſſet, audiebatur; ab ipſis latronis faucib. reſoluebatur laqueus, ſi regale commodum promiſiſſet. Soluta militari diſciplina curiales ruſticorum ſubſtantias depaſcebantur, inſumebant fortunas à buccis miſerorum cibos abſtrahentes. Tunc fluxus crinium tunc luxus veſtium, tunc vſus calceorum cum arcuatis aculeis inuentus. mollitie corporis certare cū fœminis, greſſum frangere, geſtu ſoluto, & latere nudo incedere adoleſcentium ſpecimē erat. Enerues, emolliti, quod nati fuerāt inuiti manebāt, expugnatores alienæ pudicitiæ, prodigi ſuę. Sequebantur curiā effœminatorū manus, & ganearum greges, vt non temere à quodam ſapiente dictum ſit. * fœlicem fore Angliam ſi *Henricus* regnaret. Talia coniectans quod is ab adoleſcentia obſcœnitates execraretur.

Adiicerem his ſi neceſſe eſſet, quod *Anſelmus* Archiepiſcopus iſta corrigere conatus, ſed ſocietate ſuffraganeorum ſuorum deſtitutus ſpōte diſceſſerit, * nequitiæ temporis cedēns. *Anſelmus*, quo nemo vnquam iuſti tenacior, nemo hoc tempore tam anxie doctus, nemo tam penitus ſpiritualis fuerit, pater patrię, mundi ſpeculum. Hic cum iamiamq; nauigaturus eſſet, in portu ventos expectaret, vt prædo publicus expilatus eſt. Manticis omnibus, & bulgis in medium prolatis & exquiſitis. de cuius iniuriis plura dicerem ſi quicquam hoc ſolo ſol vidiſſet indignius. ſimul & ſuperſedendum eſt in hiſtoria, quam reuerendiſſimi *Edmeri* præoccupauit facundia.

Vides quantus ē liberalitate quam putabat, * fomes malorum eruperit. In quibus corrigendis, quia ipſe non tam exhibuit diligentiam, quam prætendit negligentiam, magnam, & vix abolendam incurrit infamiam. immerito credo, quia ſe nunquam tali ſupponeret probro, qui ſe tanto meminiſſet prælatum imperio. Hæc igitur inelaborato & celeri ſermone conuoluo, quia de tanto rege mala dicere erubeſco; in deiiciendis, & extenuandis malis elaborans.

Inſolentiæ in Deum Iudæi ſuo tempore dedere indicium. ſemel apud Rothomagum vt quoſdam ab errore ſuo refugos ad Iudaiſmum reuocarent muneribus inflectere conati, alia vice apud Londoniam contra Epiſcopos noſtros in certamen animati. quia ille ludibundus, credo, dixiſſet, quod ſi viciſſent Chriſtianos apertis argumentationibus confutatos in eorum ſectam tranſiret. Magno igitur timore Epiſcoporum, & clericorum res acta eſt, pia ſollicitudine fidei Chriſtianæ timentium. Et de hoc quidem certamine nihil Iudæi præter confuſionem retulerunt, quamuis multotiens iactitarent ſe non oratione, ſed factione ſuperatos.

al. lucra. — *al. calliditate.* — *al. cachinnante rege ac dicente.* — *al. Curia regis Angliæ non eſt maieſtatis diuerſoriū ſed exoletorum proſtibulum.* — *al. Ad decus temporum illorum pertinet.* — *al. duritia.* — *al. gurges vitiorum.*

Poſteriori tempore, id eſt, anno regni eius ferme 9. cum *Robertus* Comes Normannorum Ieroſolymam eundi monitione Papæ *Vrbani*, (vt poſterius dicetur) impetum cepiſſet; Normanniam fratri ſuo pro pecunia 10000. marcarum inuadatus eſt. Itaq; importabilis penſionis edictum per totam Angliam cucurrit, Tunc Epiſcopi, & Abbates frequentes curiam adeunt ſuper violentia querimoniam facientes, Non ſe poſſe ad tantum vectigal ſufficere, niſi ſi miſeros agricolas omnino effugarent. Quibus curiales turbido vt ſolebāt vultu, Non habetis, inquiunt, ſcrinia auro & argento cōpoſita, oſſibus mortuorum plena: nullo alio reſponſo obſecrantes dignati. Ita illi intelligentes quo reſponſio tēderet, capſas ſanctorum nudauerunt, crucifixos deſpoliauerunt, calices conflarunt, non in vſum pauperum, ſed in fiſcum regium, quicquid enim pene ſancta ſeruauit auorum parcitas, illorum graſſatorum abſumſit auiditas.

Nihilo ſecius in homines graſſabantur, primo pecuniam, deinde terras auferentes. Non pauperem tenuitas, non opulentum copia tuebatur: venationes, quas rex primo indulſerat adeo prohibuit, vt capitale eſſet ſupplicium prendiſſe ceruum. Quapropter multa ſeueritate, quam nulla condiebat dulcedo, factum eſt, vt ſæpe contra eius ſalutem à ducibus coniuraretur. quorum vnus *Robertus* de Molbreie Comes Humbronenſium orta inter eum & regem non modica controuerſia verborum, in prouinciam iuris ſui abiit ingentia contra dominum ſuum molimina conaturus; ſed ſubſequente illo captus, & æternis vinculis irretitus eſt. Alter *Willielmus* de Hou proditionis apud regem accuſatus, delatoremq; ad duellum prouocans, dum ſe ſegniter expurgat cæcatus, & exteſticulatus eſt. Plures illa delatio inuoluit, innocentes & probos viros. Ex his fuit *Willielmus* de Alderia ſpecioſæ perſonæ homo, & compater regis. Is patibulo affigi iuſſus *Oſmundo* Epiſcopo Salesberiæ confeſſus, & per omnes Eccleſias oppidi flagellatus eſt. Itaque diſperſis ad inopes veſtibus ad ſuſpendium nudus ibat, delicatam carnem frequentibus ſuper lapides genuflectionibus cruentās. Epiſcopo & populo ſequente ad locum ſupplicii ita ſatisfecit, Sic Deus, inquit, adiuuet animam meam & à malis eruat, vt de hac re, qua accuſor immunis ſum. Et quidem ſententia de me prolata non reuocabitur, ſed volo omnes homines innocentiæ meæ eſſe conſcios. Tunc dicta commendatione animæ & aſperſā aqua benedicta Epiſcopus diſceſſit. ille appenſus eſt admirando fortitudinis ſpectaculo, vt nec moriturus gemitum, nec moriens produceret ſuſpirium.

Veruntamen ſunt quædam de rege præclaræ magnanimitatis exempla, quæ poſteris non inuidebo. Venationi in quadam ſylua intentum nuncius detinuit, ex tranſmarinis partibus, obſeſſam eſſe ciuitatem Cinomannis, quam nuper fratre profecto ſuæ poteſtati adiecerat. Statim ergo vt expeditus erat retorſit equum, iter ad mare conuertens. Admonentibus ducibus exercitum aduocandum, paratos componendos, Videbo inquit, quis me ſequetur, putatis me non habiturum homines? ſi cognoui iuuentutem meam, etiam naufragio ad me veniſſe volet. hoc igitur modo pene ſolus ad mare peruenit. Erat tunc nubilus aer, & ventus contrarius, flatus violentia terga maris verrebat. Illum ſtatim tranſfretare volentem nautæ exorant, vt pacem pelagi, & ventorum clementiam operiatur. Atqui, inquit rex, nunquam audiui regem naufragio interiiſſe. Quin potius ſoluite retinacula nauium, videbitis elementa iam conſpirata in meum obſequium. Ponto tranſito obſeſſores audita eius fama diſſiliunt. Author turbarum quidam Helias capitur; cui ante ſe adducto rex ludibundus, Habeo te magiſter, inquit. At ille cuius alta nobilitas neſciret etiam in tanto periculo ſapere, humilia loqui: fortuito inquit me cœpiſti, ſi poſſem euadere noui quid facerem. Tunc *Willielmus* præ furore fere extra ſe poſitus, & obuncās Heliam, tu, inquit, nebulo, tu quid faceres? Diſcede, abi, fuge, concedo tibi, vt facias quicquid poteris: & per vultum de *Luca* nihil ſi me viceris pro hac venia tecum paciſcar. Nec inferius factum verbo fuit, ſed continuo dimiſit euadere, miratus potius quā inſectatus fugiētem. Quis talia de illiterato homine crederet? & fortaſſis erit aliquis qui *Lucanum* legens falſo opinetur *Willielmum* hæc exempla de *Iulio Cæſare* mutuatum eſſe. Sed non erat ei tantum ſtudii vel otii, vt literas vnquam audiret. Immo calor mentis ingenitus, & conſcia virtus eum talia exprimere cogebant. Et profecto ſi Chriſtianitas noſtra pateretur, ſicut olim anima *Euforbii* tranſiſſe dicta eſt in *Pythagoram Samium*, ita poſſit dici, quod anima *Iulii Cæſaris* tranſierit in regem *Willielmum*.

Vnum ædificium, & ipſum permaximum domum in Lōdonia incepit, & perfecit, non parcens expenſis dummodo liberalitatis ſuæ magnificentiam exhiberet; & mores quidem eius ex his, quæ diximus, animaduertere poterit lector.

Si quis vero deſiderat ſcire corporis eius qualitatē, nouerit eum fuiſſe corpore quadrato, colore rufo, crine ſubflauo, fronte feneſtrato, oculo vario, quibuſdam intermicantibus guttis

guttis diſtincto, præcipuo robore, quanquam non magnæ ſtaturæ, & ventre paulo proiectiore. Eloquentiæ nullius, ſed titubantia linguæ notabilis, maxime cum ita ſuccreſceret. Plura ſub eo ſubita, & triſtia acciderunt; quæ ſingulatim per annos eius digeremus, veritati maxime ſecundum chronicorum fidem inſeruientes.

Secundo anno regni eius terræ motus ingẽs totam Angliam exterruit, tertio Idus Auguſti horrendo miraculo, vt ædificia omnia eminus reſilirent, & mox priſtino more reſiderent. Secuta eſt inopia omnium fructuum, tarda maturitas frugum, vt vix ad feſtum ſancti *Andreæ* meſſes reconderentur.

Quarto anno tumultus fulgurum, motus turbinum, deniq; Idus Octobris apud Wincelcumbam ictus de cœlo immiſſus latus turris impulit tanta vi, vt debilitata maceria in confinio tecti ingens foramen ad modum humanæ groſſitudinis aperiretur. Ibi ingreſſus trabem maximam perculit, vt fragmina ſpargerentur per totam Eccleſiam, quin & crucifixi caput cum dextra tibia, & imaginem ſanctæ *Mariæ* deiecit. Secutus eſt odor teterrimus, hominum importabilis naribus. Tandem monachi fœlici auſu irrumpentes benedictæ aquæ aſpergine præſtigias inimici effugarunt.

Quid illud omnibus incognitum ſeculis? diſcordia ventorum inter ſe diſſidentium ab Euro-auſtro veniens 16. Kalendas Nouembris Lundoniæ pluſquam * ſexcentas domos effregit. Cumulabantur Eccleſiæ cum domibus, materiæ cum parietibus. Maius quoq; ſcelus furor ventorum auſus tectum Eccleſiæ *Mariæ*, (quæ ad arcus dicitur) pariter ſubleuauit, & duos homines ibi obruit. Ferebanturq; tigna cum trabibus per inane ſpectaculo à longe viſentibus, timori prope ſtantibus ne obruerentur. Quatuor enim tigna ſex & viginti pedes longa, tanta vi in humum impacta ſunt, vt vix quatuor pedes extarent. Notabili viſu quomodo ſtratæ publicæ duritiem perruperint, eo ibi ordine poſita, quo in tecto manu artificis fuerant locata, quoad ob impedimenta tranſeuntium ad planitiem terræ ſunt deſecta, quod aliter erui nequirent. *al. centenas.*

Quinto anno eadem violentia fulminis apud Salesberiam tectum turris Eccleſiæ omnino diſiecit, multumq; maceriam labefactauit, quinta ſane die poſtquam eam dedicauerat *Oſmundus* præclaræ memoriæ Epiſcopus.

Sexto anno tantum fuit pluuiarum diluuium, tanta tempeſtas imbrium, quantum nullus meminerat. Mox accedente hyeme fluuii ita ſunt congelati, vt eſſent peruii equitantibus, & plauſtra ducentibus. Nec mora reſoluto gelu impetu glacialium cruſtarum pontes effracti.

Septimo anno propter tributa, quæ rex in Normãnia poſitus edixerat, agricultura defecit; qua fatiſcente fames è veſtigio, ea quoque inualeſcente mortalitas hominum ſubſecuta, adeo crebra, vt deeſſet morituris cura, mortuis ſepultura. Tunc etiam Walenſes in Normannos efferati, Ceſtrenſem pagum & partem Scrobesburienſis depopulati Angleſeiam armis obtinuere.

Decimo anno Kalendas Octobris apparuit cometes 15. diebus maiorem crinem emittens ad Orientem, minorem verſus Euroauſtrum, Apparuerunt & aliæ ſtellæ quaſi iacula inter ſe emittentes. Ille fuit annus, quo *Anſelmus* lux Angliæ vltro tenebras erroneorum effugiens Romam iuit.

Vndecimo anno rex Noricorum *Magnus* cum *Haroldo* filio *Haroldi* regis quondam Angliæ, Orchadas inſulas & Meuanias, & ſi quæ aliæ in Oceano iacent, armis ſubegit; iamq; Angliam per Angleſeiam obſtinatus petebat. Sed occurrerunt ei Comites *Hugo* Ceſtrenſis, & *Hugo* Scrobesberienſis, & antequam continentem ingrederetur armis eum expulerunt. Cecidit ibi *Hugo* Scrobesberienſis eminus ferreo haſtili perfoſſus.

Duodecimo anno fluctus marinus per Tameſin fluuium aſcendit, & villas multas cum hominibus merſit.

Tertiodecimo anno, qui & extremus vitæ fuit, multa aduerſa: hoc quoq; maxime horrendum, quod viſibiliter diabolus apparuit hominibus in ſaltibus & deuiis, tranſeuntes allocutus. Præterea in pago Berrucheſcire in villa * Hamſtede continuis 15. diebus fons ſanguinem tam vbertim manauit, vt vicinum vadum inficeret. Audiebat ille hoc, & ridebat: nec ſua ſomnia de ſe nec aliorum viſa curans. *al. Finghamſted.*

Multa de illius nece & præuiſa & prædicta homines ferunt, quorum trita probabilium relatorum teſtimonio lecturis communicabo. *Edmerus* noſtrorum temporum hiſtoricus ſinceritate veritatis laudandus dicit nobilem illum exulem *Anſelmum*; cum quo pariter omnis religio exulabat, Marcenniacum veniſſe, vt *Hugonis* Abbatis Cluniacenſis conſcientiæ querelas curarum ſuarum ingereret. Ibi cum de rege *Willielmo* ſermo volutaretur, Abbatem prædictum dixiſſe, Proxima nocte regem illum ante Deum ductum, & adiu-

dicatum librato iudicio triſtem damnationis ſubiiſſe ſentētiam. Id quo modo noſſet, nec tunc ipſe expoſuit, nec aliquis audientium requiſiuit. Veruntamen pro contuitu religionis eius nulli præſentium de fide dictorum inhæſit ambiguum. Eius erat vitæ *Hugo*, eius famæ, vt omnes eius * ſuſpicerent eloquium, mirarentur conſilium, quaſi ex cœleſti audito inſonuiſſet oraculum. Nec multo poſt occiſo, vt dicemus, rege, venit nuncius, vt ſedem ſuam dignaretur Archiepiſcopus.

al. ſuſciperent.

Pridie quam excederet vita, vidit per quietem ſe phlebotomi ictu ſanguinem emittere, radium cruoris in cœlum vſque protentum lucem obnubilare, diem interpolare. Ita inclamata ſancta *Maria* ſomno excuſſus lumen inferri præcepit, & cubicularios a ſe diſcedere vetuit. Tunc aliquot horis antelucanis nonnihil vigilatum. Paulo poſt cum iam aurora diem inuehere meditaretur, Monachus quidam tranſmarinus retulit *Roberto* filio *Hamonis* viro magnatum principi ſomniū, quod eadem nocte de rege viderat, mirum & horrendū: quod in quandam eccleſiam venerit ſuperbo geſtu, & inſolenti, vt ſolebat, circumſtantes deſpiciēs. Tunc crucifixū mordicus apprehendens brachia illi corroſit crura pene truncauerit. Crucifixum diu toleraſſe, ſed tandem pede ita regem depuliſſe, vt ſupinus caderet: ex ore iacentis tam effuſam flammam exiſſe, vt fumeorum voluminum orbes ēt ſydera lamberent. Hoc ſomnium *Robertus* non negligendum arbitratus, regi confeſtim, quod ei a ſecretis erat, intulit. At ille cachinnos ingeminās, Monachus, inquit, eſt, & cauſa nummorū monachaliter ſomniat, date ei centum ſolidos. multum tamen motus diu cunctatus eſt, an in ſyluam ſicut intenderat, iret, ſuadentibus amicis ne ſuo diſpendio veritatem ſomniorum experiretur. Itaq; ante cibum venatu abſtinuit ſeriis negotiis crudelitatē indomitæ mentis eructuans; ferunt ea die largiter epulatum, crebrioribus quam conſueuerat poculis frontem ſerenaſſe. Mox igitur poſt cibum in ſaltū contendit paucis comitatus, quorum familiariſſimus erat *Walterus* cognomento *Terel*, qui de Francia liberalitate regis adductus venerat. Is cæteris per moram venationis, quo quemq; caſus tulerat diſperſis, ſolus cum eo remanſerat. Iamq; Phœbo in Oceanum procliui rex ceruo ante ſe tranſeunti extento neruo & emiſſa ſagitta non adeo ſæuum vulnus inflixit, diutine adhuc fugitantem viuacitate oculorum proſecutus, oppoſita contra violentiam ſolarium radiorum manu. Tunc *Walterus* pulchrum facinus animo parturiens, vt rege alias interim intento ipſe alterum ceruum qui forte propter trāſibat, proſterneret; inſcius, & impotens regium pectus, (Deus bone) lethali arundine traiecit. Saucius ille nullum verbum emiſit, ſed ligno ſagittæ quantum extra corpus extabat effracto, moxq; ſuper vulnus cadēs mortem accelerauit. Accurrit *Walterus*, ſed quia nec ſenſum, nec vocem hauſit, perniciter cornipedem inſiliens, beneficio calcarium probe euaſit. Nec vero fuit qui perſequeretur illis conniuentibus, iſtis miſerantibus, omnib. poſtremo alia molientibus; pars receptacula ſua munire, pars furtiuas prædas agere, pars nouum regē iamiamq; circumſpicere. Pauci ruſticanorum cadauer in rheda caballaria compoſitum Wintoniam in epiſcopatum deuexere, cruore vndatim per totam viam ſtillante. Ibi infra ambitum turris multorum procerum conuentu, paucorum planctu terræ traditum. Secuta eſt poſteriori anno ruina turris, de qua re, quæ opiniones fuerint, parco dicere, ne videar nudis nugis magis credere; præſertim cum pro inſtabilitate operis machina ruinam feciſſe potuiſſet, etiamſi ipſe nunquam ibi ſepultus fuiſſet. Obiit anno Dominicæ incarnationis 1100. regni 13. Nonas Auguſti, 4. maior quadragenario, ingentia præſumens, & ingentia, ſi penſa Parcarum euoluere, & violentiam fortunæ abrūpere, & eluctari potuiſſet, facturus. Tanta vis erat animi, vt quoduis ſibi regnum promittere auderet. Deniq; ante proximā diem mortis interrogatus, vbi feſtum ſuum in natali teneret, reſpondit Pictauis, quod Comes Pictauenſis Ieroſolymam ire geſtiens ei terram ſuam pro pecunia inuadaturus dicebatur. Ita paternis poſſeſſionibus non contentus maioriſq; gloriæ ſpe captatus indebitis incubabat honoribus. Vir ſacrati ordinis hominibus pro damno animæ, cuius ſalutem reuocare nequeant, maxime miſerandus; ſtipendiariis militib. pro copia donatiuorum mirandus; prouincialibus, quod eorum ſubſtantias abradi ſinebat, non deſiderandus. Nullum ſuo tempore conſilium fieri memini, in quo delictis eneruatis vigor Eccleſiaſticus cōfirmaretur. Eccleſiaſticos honores diu antequam daret, deliberabat, ſiue pro cōmodo ſiue pro trutinādo merito. Vtpote qui eo die, quo exceſſit tres Epiſcopatus, & 12. Abbatias deſolatas paſtorib. in manu ſua teneret. Quin & accepta occaſione, qua inter ſe diſſiderēt *Vrbanus* in Roma, *Guibertus* in Rauenna tributū Romanæ ſedi negauit: pronior tamen in *Guiberti* gratiam, quod fomes & incentiuum inter eum & *Anſelmum* fuerat diſcordiæ quod ille vir Deo dilectus *Vrbanum* Apoſtolicum, alterum apoſtatam pronunciauit.

al. Ciſterctenſis.

Eius diebus religio * Ciſtellenſis cœpit, quæ nunc optima via ſummi in cœlū proceſſus & cre-

& creditur & dicitur. De qua hîc loqui ſuſcepti operis non videtur eſſe contrarium, quòd ad Angliæ gloriam pertineat: quæ talem virum produxerit, qui huiuſce religionis fuerit & author & mediator. Noſter ille, & noſtra puer in paleſtra primi æui tirocinium cucurrit. Quapropter ſi non inuidi ſumus eo illius bona complectimur gratioſius, quo agnoſcimus propinquius. Simul & laudes eius attollere mihi eſt animus: *Quia ingenua mens eſt, ſi bonum in alio probes, quod in te non eſſe ſuſpires*. Is fuit *Hardingus* nomine apud Anglos, nõ ita reconditis natalibus procreatus. A puero * Sciteburniæ monachus; ſed cum adoleſcentem ſeculi vrtica ſollicitaret pannos illos peroſus, primo Scotiam, mox Franciam cõtendit. Ibi aliquot annis literis liberalibus exercitus diuini amoris ſtimulos accepit. Namque cum pueriles ineptias robuſtior ætas excluderet, Romam cum conſorte ſtudiorum clerico profectus eſt. Nec illos continuatio, & difficultas itineris, & facultatum penuria vnquam cohibere potuit, quin quotidie totum Pſalterium, & euntes, & redeuntes canticarent. Profecto iam prædicabilis viri ſpirabat animus, quod non multo poſt per Dei gratiam eſt adorſus. Nam Burgundiam regreſſus, in Moleſmo nouo, & magno monaſterio crinem abiecit, & prima quidem elementa regulæ olim viſa facile recognouit, cum vero et alia proponerentur obſeruanda, quę nec in regula legerat, nec vſquam viderat, rationem eorum efflagitare cœpit modeſte ſane, & vt monachum decet. Ratione inquiens ſupremus rerum author omnia fecit, ratione omnia regit, ratione rotatur poli fabrica, ratione ipſa etiam, quæ dicuntur errantia torquentur ſydera: ratione mouentur elementa; ratione & * æquabilitate debet noſtra ſubſiſtere natura. Sed quia per deſidiam à ratione ſæpe decidit, leges quondam multæ latæ, nouiſſime per beatum *Benedictum* regula diuinitus proceſſit, quæ fluxum naturæ ad rationem reuocaret. In qua, etſi habentur quædam, quorum rationem penetrare non valeo, authoritati tamen acquieſcendum cenſeo. Ratio enim & authoritas diuinorum ſcriptorum quamuis diſſonare videantur, vnum idemq; ſunt. Namq; cum Deus nihil ſine ratione creauerit, & recreauerit: qui fieri poteſt, vt credam ſanctos patres ſequaces ſcilicet Dei, quicquam præter rationem edicere; quaſi ſoli authoritati fidem debeamus adhibere. Itaque illorum, quæ procuditis, aut rationem, aut authoritatem afferte. Quamuis non multum debeat credi, ſi quid humanæ rationis poſſit allegari, quod æquipollentibus argumentis valeat eneruari. Quapropter ex regula, quæ ratione & authoritate nixa vtpote omnium iuſtorum ſpiritu dictata eſt, date exempla, quod ſi non poteſtis, fruſtra profitemini illius prærogatiuam, cuius contemnitis ſequi doctrinam.

al. Cineburnia.

al. æquilibritate.

Huiuſmodi ſententia ab vno, vt fit, ſerpens in alios, merito mouit corda Deum timentium, ne forte in vacuum currerent, aut cucurriſſent. Frequentibus ergo capitulis diſputatio agitata, hunc habuit finem, vt ipſe Abbas ſententiam probaret, ſuperſedendum ſuperfluis, ſolam medullam regulæ veſtigandam. Ita duo fratres electi in quibus ſcientia literarum cum religione quadraret, qui vicaria collatione authoris regulæ voluntatem inquirerent, inquiſitam aliis proponerent. Abbas ſedulo agere, vt totus conuentus aſſentiretur: ſed *quia difficile à mentibus hominum auellitur, quod ex antiquo inſederit, quia inuiti expuunt, quod prima ſaliua combiberunt*; pene omnes recipere recuſarunt res nouas, quia antiquas diligebant. Soli 10. & 8. in quibus *Hardingus*, qui & *Stephanus*, ſancta obſtinatione peruicaces cum Abbate ſuo cœnobium derelinquunt; pronunciantes non poſſe regulæ puritatem cuſtodiri in loco, vbi & opum congeries & ciborum indigeries etiam reluctantem animũ offocarent. Igitur Ciſtellas venere locum prius ſaltuoſum, nunc ita frequenti religione monachorum conſpicuum, vt diuinitatis ipſius conſcius, non immerito æſtimetur. Ibi ſuffragio Archiepiſcopi Viennenſis, qui nunc Apoſtolicus eſt, memorabile & omni ſeculo venerabile opus cœptarunt.

Et plura certe videntur aſpera, ſed hæc præcipue: nihil pelliceum, aut lineum veſtiunt, nec illud quod ſubtiliter texitur laneum, quod nos flamineum vocamus, nunquam femoralia, niſi in itinere directi habent, quæ reuertentes lota reſtituunt. Duas tunicas cum cucullis habentes, hyeme augmentum non aſſumunt, ſed æſtate, ſi volunt, leuamen accipiunt. Veſtiti dormiunt & cincti, ne vllo tempore poſt matutinas ad lectos redeunt. Sed ita horam matutinarum temperant, vt ante laudes luceſcat, ita regulæ incubantes, vt nec iota vnum, nec apicem prætereundum putent. Statim poſt laudes Primam canunt, poſt primam in opera horis conſtitutis exeunt, quicquid faciendum, vel cantandum eſt die ſine aliena lucerna conſummant. Nullus ex horis diurnis, nullus ex completorio vnquam deeſt, præter infirmos, cellarius & hoſpitarius poſt auditum completorium ſeruiunt hoſpitibus, ſummo tamen ſtudio ſilentium ſeruantes. Abbas nihil ſibi niſi quod aliis, licere permittit, vbiq; præſens, vbiq; gregis ſui curam circumferens. Solummodo

edentibus non adeſt, quia menſa eius cum peregrinis & pauperibus eſt ſemper. Nihilominus vbicunq; ſit, verborum vel obſoniorum abſtemius: quia nec ipſi, nec aliis vnquã, niſi duo fercula apponuntur; ſagimen & carnes nunquam niſi infirmis. Ab Idibus Septemb. vſq; in Paſcha nullius feſtiuitatis contuitu præter dies Dominicos, niſi ſemel in die ieiunium ſoluunt. Nunquam clauſtrum niſi cauſa operandi egrediuntur, nec ibi, nec vſquam, niſi Abbati aut Priori inuicem colloquentes. Horas canonicas indefeſſe continuant, nulla appendentia extrinſecus adiicientes, præter vigiliam pro defunctis. Cantus & hymnos Ambroſianos quantum ex Mediolano addiſcere potuerunt, frequentant in diuinis officiis. Hoſpitum & infirmorum curam habentes, importabiles corporibus ſuis pro animarum remedio comminiſcuntur cruces.

Hæc ille Abbas primo ingenti impetu & ipſe faciebat, & alios compellebat. Sed temporis interceſſu pœnituit homo delicate nutritus, & ægre ferens tam diutinam ciborum parcimoniam. Cuius voluntatem monachi apud Moleſmum reſidui cognoſcentes verbis quibuſdam incertum, an & epiſtolis per obedientiam Papæ aſtu quodam eum ad monaſterium retrahunt, volentem cogentes. Quaſi enim diffatigatus improbitate ſupplicum, anguſtos parietes reliquit pauperum, auguſtiorem repetens thronum. Secuti ſunt ex Ciſtellis omnes, qui cum eo venerant, præter octo. Illi pauci numero, ſed multi merito, Abbatem *Albericum* quendam ex ſuis, Priorem *Stephanum* conſtituunt. Nec ille in vita moratus plus octennio, ſupremo fœliciter cõuentus eſt arbitrio. Tunc haud dubie nutu diuino *Stephanus* abſens etiam in Abbatem eligitur, dux olim facti totius, ſpeciale & inſigne noſtrorum dierum decus. Cuius quanti ſit meritum teſtantur Abbatiæ 16. iam per eum factæ, 7. cœptæ. Ita ipſe reſona Dei tuba circumpoſitos cum verbo, tum exemplo in cœlum dirigit, nihil infra præceptum faciens: ſermone comis, facie iocundus, animo ſemper in domino lætus. Hinc palam præclari vultus gaudium, hinc clam, illud deſuper veniens irriguum; quia incolatum iſtum faſtidiens, patriam continuo amore deſideret. Per hæc fauorabilis cunctis habetur, quia *Deus amorem viri quem diligit, in animos hominum dignanter refudit.* Quocirca beatum ſe computat terræ illius indigena quiſquis per illius manum pecunias ſuas tranſmittit ad Deum. Plura quidem ille accipit, ſed paucis in ſuos ſuorumq; vſus expenſis, cætera in egenos, monaſteriorumq; ædificationem confeſtim diſpertit. Eſt enim *Stephani* marſupium omnium egentium publicum ærariũ. Abſtinentiæ illius eſt indicium, quod nihil ibi, ſicut in cæteris cœnobiis, videas fulgurare auro, renitere gemma, micare argento. Nam vt Gentilis ait *in Sancto quid facit aurum?* Nos in ſacratis vaſis parum putamus actum, niſi craſſi cruſtam metalli obumbret honor lapidum, vel topaziorum flamma, vel ametiſtorum viola, vel ſmaragdorum lux herbida, niſi tunicæ ſacerdotales auro ludant, niſi multicoloribus parietes picturis reniteant, & ſolem ad lacunar ſollicitent. At vero illi, ea quæ prima mortales falſo æſtimant, in ſecundis habentes omne ſtudium in ornandis moribus ponunt magiſq; amant ſplendidas mentes, quam auratas veſtes; ſcientes, quod benefactorum retributio optima eſt, munda frui conſcientia. Quin etiam laudabilis Abbatis clementia cum vel vult, vel velle ſe ſimulat aliquid de iugo regulæ inflectere, illi contra nituntur: non multum vitæ ſuæ ſupereſſe dicentes, nec tam diu ſe victuros quam vixere: ſperare ſe duraturos in propoſito, & ſucceſſuris futuros exemplo, qui ſi flexi fuerint, peccabunt. Et profecto fiet pro humana debilitate, cuius perpetua lex eſt, vt nihil maximis laboribus partum poſſit diu conſiſtere. Sed vt omnia quæ de illis dicta ſunt, vel dici poſſunt in ſummam conferam, ſunt hodie monachi Ciſtellenſes omnium monachorũ exercitium, ſtudioſorum ſpeculũ, deſidioſorum œſtrũ.

His temporibus in Anglia tres Epiſcopatus ex antiquis ſedibus tranſiere alias; Wellenſis in Bathoniam per *Iohannem*, Ceſtrenſis per *Robertum* in Couentriam, Tedfordenſis per *Herbertum* in Northwich: omnes maiori ambitu, quam vt tantorum virorum debuiſſet intereſſe ſtudio. Denique, vt primum de poſtremo dicam, *Herbertus*, cognomento *Loſinga*, quod ei ars adulationis impegerat, ex Abbate Rameſienſi emit Epiſcopatum* Tedfordenſem patre quoq; ſuo *Roberto* eiuſdem cognominis; in Abbatiam Wintoniæ intruſo. Fuit ergo vir ille magnus in Anglia Symoniæ fomes, Abbatiam, Epiſcopatumque nummis aucupatus. Pecunia ſcilicet regiam ſollicitudinem inuiſcans, & principum fauori non leues promiſſiones aſſibilans, vnde quidam egregie tunc temporis verſificus ait:

al. Thedferdenſē.

Surgit in Eccleſia monſtrum genitore Loſinga,
Symonidum ſecta, canonum virtute reſecta.
Petre *nimis tardas, nam Symon ad ardua tentat,*
Si præſens eſſes, non Symon ad alta volaret.

Proh

Proh dolor! Eccleſiæ nummis venduntur, * *& are,* — al. & infra.
Filius eſt præſul, pater Abbas Symon vterq;.
Quid non ſperemus ſi nummos poßideamus?
Omnia nummus habet, quod vult facit, addit, & aufert.
Res nimis iniuſta nummis fit Præſul, & Abba.

VEruntamen erroneum impetum iuuentutis aboleuit pœnitentia, Romam profectus ſeuerioribus annis, vbi loci Symonicum & baculum & annulum deponens indulgentia clementiſſimæ ſedis iterum recipere meruit; quod Romani Sanctius & ordinatius cenſeant, vt Eccleſiarum omnium ſumptus ſuis potius marſupiis ſeruiant, quam quorumlibet regum vſibus militent. Ita *Herbertus* domum reuerſus ſedem Epiſcopalem, quæ quondam fuerat in Elmam, & tunc erat apud Tedford ad inſignem mercimoniis, & populorum frequentia vicum tranſtulit nomine Norwich. Ibi monachorum congregationem numero & religione percelebrem inſtituit, omnia iis neceſſaria ex nummis mercatus domeſticis. Prouidens ſcilicet ſucceſſorum querelæ, nullas Epiſcopi terras monachis largitus eſt, ne illi Dei famulos fraudarent victualibus, ſi quid donatum offendiſſent, quod ſuis competeret rebus. Præterea apud Tedford monachos Cluniacenſes inſtituit, quod ſint illius cœnobii profeſſores vbiq; pene gentium diſperſi, locupletes in ſeculo & ſplendidiſſimæ religionis in Deo. Ingenti ergo, & numeroſa virtutum gratia præteritarum offenſarum molem obumbrauit, diſertitudinis & literarum copia, nec minus ſecularium rerum peritia, Romanæ quoq; celſitudini ſuſpiciendus. Fuitq; *Herbertus* mutatus, (vt *Lucanus* de Curione dixit,) *momentum & mutatio rerum*, ſicut tempore iſtius regis Symoniæ cauſidicus ita poſterius propulſator inuictus, neq; ab aliis fieri voluit, quod ſe præſumptum quondam iuuenili feruore indoluit. Præ ſe ſemper, vt aiunt ferens *Ieronymi* dictum, *Errauimus iuuenes emendemus ſenes.* Poſtremo quis in illius facti laudem digne pergat, quod Epiſcopus non multum pecunioſus tam nobile monaſterium fecerit, in quo nihil fruſtra deſideres, vel in ædificiorum ſublimium ſpecie, vel in ornamentorum pulchritudine vel in monachorum religione, & ad omnes ſedula charitate. Hæc & viuum ſpe fœlici palpabant, & defunctum, ſi non vana fides pœnitentiæ, ſuper æthera tulerunt.

Iohannes erat Epiſcopus Wellenſis natione Turonicus, vſu non literis medicus probatus. Is defuncto Abbate Bathonenſi Abbatiam à rege non grauate obtinuit, eo quod & in curia venum omnia agebantur, & auiditatem videbatur palliare ratio, vt vrbs tam inſignis nomen celebrius acciperet ex Epiſcopio. Itaq; primo in monachos ſeueritatem exercere: quod eſſent & hebetes, & ſua æſtimatione barbari, omnes terras victualium miniſtras ſubtrahens, pauculumque victum per laicos ſuos exiliter inferens. Sed procedentibus annis factis monachis nouis mitius ſe agere, aliquantulum terrarum qua ſe hoſpiteſq; ſuos quoquomodo ſuſtentarent indulgens Priori. Et quamuis primo cepiſſet auſterius, multa nobiliter per eum ibi cœpta & conſummata in ornamentis & libris, maximeque monachorum congregatione, qui ſunt ſcientia literarum & ſedulitate officiorum iuxta prædicabiles. Cæterum nunquam nec etiam moriens emolliri potuit, vt plena manu terrarum ſeruitium manumitteret, ſucceſſoribus ſuis non imitandum relinquens exemplum.

Erat in Ceſtrenſi diœceſi cœnobium couentreia nomine, quod Comes magnificentiſſimus *Lefricus*, vt ſupra fatus ſum, cum vxore * *Godiena* conſtituerat, tanto auri & argenti ſpectaculo, vt ipſi parietes Eccleſiæ * anguſti viderentur theſaurorum receptaculis, miraculo porro magno viſentium oculis. Hoc *Robertus* eiuſdem prouinciæ Epiſcopus inhians non Epiſcopaliter inuolauit. Ex ipſis Eccleſiæ gazis ſurripiens, vnde datoris manum ſuppleret, vnde Papæ occupationes falleret, vnde auiditati Romanorum irreperet, pluresq; ibi annos moratus nihil probitatis exhibuit. Adeo tecta ruinam minitantia nunquam periculo exemit, adeo ſacras opes dilapidans peculatus crimen incurrit, repetundarum reus futurus Epiſcopus, ſi eſſet accuſator paratus: Monachos miſerabili ſtipe cibans, nec ad regularis ordinis amorem curauit attendere, nec niſi ad popularem literaturam paſſus eſt aſcendere, ne vel ciborum affluentia delicatos, vel regulę rigor, & ſcientiæ vigor contra ſe faceret elatos. Agreſti igitur victu & triuiali litera contenti, ſatis habebant, ſi vel ſaltem quieti viuere poſſent. Quin etiam moriturus parui faciens ſcita canonũ quibus edicitur pontifices in ſuis ſedibus ſepeliri debere, nõ apud Ceſtram, ſed apud Couentreiam ſe tumulatum iri præcepit, ſua opinione relinquens ſucceſſuris non indebitum calumniandi, ſed quaſi ius legitimum vindicandi.

al. Gœdiua.
al. anguſti viderentur theſaurorum ſpectaculis.

Hic occaſio temporum *Willielmi*, tranſlationem *Auguſtini* præcellentiſſimi Anglorum Apoſtoli cum ſociis ſuis exponi animaret, niſi peritiſſimi *Goſcelini* præcurriſſet ingenium; *Goſcelini*, qui monachus de Sancto *Bertino* cum *Heremanno* Epiſcopo Salesberiæ quondam Angliam venerat, inſignis literarum & cantuum peritia. Is multo Epiſcopatus & Abbatias perluſtrans tempore præclare ſcientiæ multis locis monumenta dedit, in laudibus Sanctorum Angliæ poſt *Bedam* ſecundus. Muſicæ porro palmam poſt *Osbernũ* adeptus. Deñique innumeras Sanctorum recentium vitas ſtylo extulit, veterum vel hoſtilitate amiſſas, vel informiter editas comptius renouauit. Huius quoq; tranſlationis ſeriem ita expoliuit, vt eam præſentibus monſtraſſe digito, futurorumq; videatur ſubiecisse oculo. Fœlix lingua, quæ tot ſanctis ſeruierit, fœlix pectus, quod tot vocales melodias emiſerit, præſertim cum in eius conuerſatione certaret honeſtas doctrinæ. Veruntamen quia de quibuſdam Epiſcopis parum laudanda huc vſq; contexui, aliquos alterius modi, diſpariſq; vitæ, ſed contemporaneos introducam Epiſcopos. Ne ita videatur noſtrum obtorpuiſſe ſeculum, quod non aliquem producat ſanctum. Sed hanc ſponſionem ſequenti libro poſt enarrata geſta *Henrici* regis, cui placuerit, experietur.

CAP. II.

NVNC iter Ieroſolymitanum expediam ſcripto, aliorum viſa, & ſenſa meis verbis allegans. Porro inde ſicut ſe occaſio ingeſſerit, de ſitu, & diuitiis Conſtantinopoleos Antiochiæ & Ieruſalem ex ſcriptis maiorum deflorata ſubtexam; vt qui ea ignorat, & hęc forte inueneris, in promptu habeat, quæ aliis cognoſcenda ipſe proponat. Sed ad hæc enarranda feruentiore opus eſt ſpiritu, vt conſummem efficaciter, quod incipio tam hilariter. Appellata igitur vt mos eſt diuinitate tale aucupabor exordium.

Anno ab incarnatione 1095. Papa *Vrbanus* ſecundus qui præſidebat Apoſtolico culmini, euaſis Alpibus venit in Gallias, aduentus cauſa ferebatur perſpicua, quod violentia *Guiberti* Roma extruſus citramontanas ad ſui reuerentiam ſollicitaret Eccleſias. Illud repoſitius propoſitum non ita vulgabatur, quod *Boamundi* conſilio pene totam Europam in Aſiaticam expeditionem moueret; vt in tanto tumultu omnium prouinciarum facile obæratis auxiliatibus, & *Vrbanus* Romam & *Boamundus* Illyricum, & Macedoniam peruaderent. Nam eas terras, & quicquid præterea à Dyrrachio vſq; in Theſſalonicam protenditur, *Guiſcardus* pater ſuper *Alexium* acquiſierat, idcirco illas *Boamundus* ſuo iuri competere clamitabat; inops hæreditatis Apulæ, quam genitor *Rogero* minori filio delegauerat. Veruntamen quæcunque tranſeundi fuerit occaſio, magno & illuſtri aduentus eius fuit Chriſtianis emolumento. Coactum ergo eſt apud Clarum montem concilium, quę clariſſima eſt vrbs Aruernorũ. Numerus Epiſcoporum & Abbatum 310. vbi aliquot diebus primo de Catholica fide, & inter ſe diſſidentium pace tractatus prolixe habitus. Nam præter flagitia, quibus ſinguli licenter incubabant, ad hoc calamitatis omnes ciſalpini deuenerant, vt nullis vel minimis cauſis extantibus quiſq; alium caperet, nec niſi magno redemptum abire ſineret. Præterea Symonicus anguis ita lubricum caput erexerat, ita venenato fotu mortiferi germinis oua vaporauerat, vt totus orbis lethali ſibilo infectus Eccleſiaſticos honores corrumperet. Tunc.n.non dicam Epiſcopi ad Eccleſias, ſed nec quilibet ad quoſcunque ordines, niſi per pecunias aſpirabat. Tunc legitimis vxoribus excluſis multi contrahebant diuortium, alienum expugnantes matrimonium; quare quia in his, & in illis erat confuſa criminum ſylua ad pœnam quorundam potentiorum deſignata ſunt nomina. Vnde ne longum faciam totius actionem conſilii ſubnectam quædam meis ſermonibus pro compendio breuians.

In conſilio apud clarum montem ſub præſentia domini Vrbani *Papæ hæc capitula finita ſunt. Quod Eccleſia Catholica ſit in fide caſta, libera ab omni ſeruitute; vt Epiſcopi vel Abbates vel aliquis de clero aliquam Eccleſiaſticam dignitatem de manu principum vel quorumlibet laicorum non accipiat. Quod clerici in duabus Eccleſiis, vel ciuitatibus præbendas non habeant. Quod aliquis ſimul Epiſcopus, & Abbas eſſe non poſſit. Quod Eccleſiaſticæ dignitates à nullo vel emantur vel vendantur. Quod nullus cuiuslibet ſacri ordinis carnali commercio vtatur. Quod eis, qui ignorantes canonum prohibitionem canonias emerunt, ignoſcatur. Quod eis, qui ſcienter emptas à ſe, vel à parentibus ſuis poſſederunt, auferantur. Quod nemo laicorum à capite ieiunii; nemo clericorum à quadrageſima vſq; in Paſcha carnes comedat. Quod omni tempore primum ieiunium, quatuor temporum prima hebdomada quadrageſimæ fiat. Quod ordines omni tempore vel in veſpere Sabbati vel perſeuerante ieiunio in dominica celebrentur: vt in Sabbato Paſchæ, non niſi poſt horam nonam officium celebretur: Vt ieiunium ſecundum in hebdomada Penteçoſtes celebretur. Quod ab aduentu*

De-

Domini vſq; ad Octauas Epiphaniæ & à Septuageſima, vſq; ad Octauas Paſchæ, & à prima die Rogationum, vſq; ad Octauas Pentecoſtes, & à quarta feria Occidente ſole omni tempore, vſq; ad ſecundam feriam Oriente ſole treuia Dei cuſtodiatur. Quod qui Epiſcopum ceperit, omnino exlex habeatur. Quod qui ſacri ordinis viros, vel eorũ famulos ceperit, anathema ſit. Quod qui Epiſcoporum vel clericorum morientium bona ceperit, anathema ſit. Quod qui vſq; ad ſextam generationem conſanguinitati ſe copulauerit anathema ſit. Quod nemo in Epiſcopum eligatur, niſi presbyter, aut Diaconus, aut ſubdiaconus, & cui natalium dignitas ſuffragatur, niſi maxima neceſſitate & licentia Papæ. Quod filii presbyterorum & concubinarum ad presbyteratum non promoueantur, niſi prius ad religioſam vitam tranſierint. Quod qui ad Eccleſiam, vel ad crucem confugerit data membrorum impunitate iuſtitiæ tradatur vel innocens liberetur. Quod vnaquæq; Eccleſia decimas ſuas habeat, nec ad aliam tranſeat. Quod laicus decimas nec emat, nec vendat. Quod pro ſepultura mortuorum pretium non exigatur. In eo concilio excommunicauit dominus Papa Philippum Regem Francorum, & omnes, qui eum vel Regem, vel dominum ſuum vocauerint, & ei obedierint, & ei locuti fuerint, niſi quod pertinet ad eum corrigendum. Similiter & illam maledictam coniugem eius, & omnes qui eam reginam, vel dominam nominauerint, quouſq; ad emendationem venerint, ita vt alter ab altero diſcedat. Similiter Guibertum Rauennatem, qui ſe Papam appellat: & Hẽricum Imperatorem Alemannorum, qui eum manu tenet.

Poſteris diebus proceſſit ſermo ad populum ſane luculentus & efficax, qualem decet ſacerdotis eſſe, de Chriſtianorum expeditione in Turcos, quem ſicut ab auditoribus accepi placuit poſteris tranſmittere integro verborum ſenſu cuſtodito. Illius enim facundiæ vigorem ſeruare, quis poterit? Nobiſcum agetur fœliciter, ſi propinquam terentes orbitam, per aliquod diuerticulum redeamus ad ſententiam.

Multa inquit (fratres chariſſimi) diebus his vobis dicta recolitis, quædam in concilio noſtro iuſſa, quædam inhibita. Inconditum & confuſum ſcelerum Chaos exigebat multorum dierum interſtitium, veternus morbus volebat cauterium. Dum enim indulgenti fune clementiæ dimittimus lineam, multa modo apoſtolatus noſtri offendit officium, quæ præſcinderet, nulla quibus parceret. Sed fuerit hactenꝰ humanæ fragilitatis, ꝙ peccaſtis quod illecebrarũ inuolucris ſopiti cœleſtem exaſperaſtis miſericordiam, ſuſpenſam paruipendendo iracundiam. Fuerit mundanæ temulentiæ, quod legitima non curantes matrimonia alieni cubilis non penſaſtis iniuriam. Fuerit auiditatis nimiæ, quod fratres veſtros illo magno & eodem pretio emptos, vt quiſque poterat illaqueantes contumelioſe pecuniis emunxiſtis. Nunc vobis inter iſta peccatorum naufragia conſtitutis portus placidæ quietis aperitur, niſi negligatis. Parui laboris in Turcos compendio retribuetur vobis perpetuæ ſtatio ſalutis. Comparate nunc labores, quos in ſcelerum exercitio habuiſtis, & eos quos in itinere, quod præcipio, habituri eſtis. Plures vel adulterii, vel homicidii meditatio dat timores (nihil enim timidius nequitia, vt ait Salomon) multos labores, quid enim laborioſius iniuſtitia? qui autem ambulat ſimpliciter ambulat confidenter. Horum laborum horum timorum exitus erat peccatum. Stipendium autem peccati mors, mors vero peccatorum peſſima. Nunc à vobis par labor atque metus pretio meliore petuntur. Horum laborum erit cauſa charitas, ſi ſic præcepto dominico admoniti animas pro fratribus ponatis: charitatis ſtipendium erit gratia Dei, Dei gratiam ſequetur vita æterna. Ite ergo fœliciter, ite confidenter, ad inimicos Dei perſequendos. Illi enim iam pridem (proh quantus Chriſtianorum pudor) Syriam, Armeniam, omnem poſtremo Aſiam minorem, (cuius prouinciæ ſunt Bithinia, Phrygia, Galatia, Lidia, Caria, Pamphilia, Iſauria, Licia, Cilicia) occuparunt, nunc Illiricum, & omnes inferiores terras inſolentes inequitant, vſq; ad mare, quod brachium S.Georgii vocatur. Quid quod Dominicum monumentum vnicum fidei pignus ditioni ſuæ vendicant, & eius vrbis introitũ peregrinis noſtris venditant, quæ ſolis chriſtianis patere deberet, ſi aliquod ſolitæ virtutis veſtigiũ eis ineſſet. Hoc ſi ſolum eſſet frontes noſtras onerare ſufficeret, iã vero quis ferat niſi multũ iners, niſi Chriſtianæ gloriæ inuidus, quod non ex æquo diuiſimus orbẽ. Illi Aſiam tertiã mundi partẽ, vt hæreditarium nidũ inhabitant, quæ à maioribus noſtris æqua duabus reſiduis partibus, & tractuũ longitudine, & prouinciarũ magnitudine non immerito æſtimata eſt. Ibi olim deuotionis noſtræ rami pullularunt. Ibi Apoſtoli omnes præter duos mortes ſuas cõſecrarunt, ibi modo Chriſticolæ ſi qui ſuperſunt, pauperculo agricolatu tranſigentes inediã, nefandis illis vectigal penſitãt, vel tacitis ſuſpiriis veſtræ libertatis deſiderantes conſcientiã, quia perdidere ſuam. Illi Affricam alteram orbis partẽ 200. iã annis & eo amplius armis poſſeſſam tenẽt, quod ideo Chriſtiani honoris periculũ pronuncio, quia fuerit terra illa olim præclarorũ ingeniorũ altrix, quæ diuinis ſcriptis omnẽ vetuſtatis ſitũ à ſe repellent, quamdiu fuerit, qui Latinas literas legat. Norunt literati quod loquor. Tertiũ mũdi clima Europa reſtat, cuius quantulã partem inhabitamus Chriſtiani? Nã omnem barbariẽ, quæ in remotis inſulis glacialẽ frequentat Oceanũ, quia more belluino victitat Chriſtianã quis dixerit. Hãc igitur noſtri mundi portiunculã Turci & Saraceni bello premũt. Iãq; à 300. annis Hiſpania, & Balear. inſulis ſubiugatis ꝙ reliquũ eſt ſpe deuorãt, homines inertiſſimi, & ꝗ cominꝰ pugnãdi fiduciã non habẽtes fugax bellũ di-

ligunt. Nunquam enim Turcus pede conſerto martem audet, ſed pulſus loco longe tendit neruos, & permittit vulnera ventis, & quia habet tela mortifero ſucco ebria, in hominem, quem percutit, non virtus, ſed virus mortem facit. Quicquid igitur agit fortunæ non fortitudini attribuerim, quod pugnat fuga & veneno. Conſtat profectò quod omnis natio, quæ in ea plaga naſcitur nimio ſolis ardore ſiccata amplius quidem ſapit, ſed minus habet ſanguinis, ideoq; vicinam pugnam fugiunt, quia parum ſanguinis ſe habere norunt. Contra populus, qui oritur in arctois pruinis, & remotus eſt à ſolis ardoribus inconſultior quidem, ſed largo & luxurianti ſuperbus ſanguine promptiſſime pugnat. Vos eſtis gens in temperatioribus mundi prouinciis oriunda, qui ſitis & prodigi ſanguinis ad mortis vulnerumq; contemptum, & non careatis prudentia. Namq; & modeſtiam ſeruatis in caſtris, & in dimicatione vtimini conſiliis. Itaq; ſcientia & fortitudine præditi aggredimini memorabile iter. Totis ſeculis prædicandi, ſi fratres veſtros periculo exueritis, præſentibus ex Dei nomine præcipio, abſentibus mando. Ituri & Chriſtianitatem propugnaturi ſpecimen crucis veſtibus inſigniant, vt inteſtinæ fidei foras amorem prætendant, habentes per Dei conceſſum, & beati Petri *priuilegium omnium abſolutionem criminum, & hac interim lætitia laborem itineris alleuiant, habituri poſt obitum fœlicis martyrii commercium. Ponentes ergo ferias ſceleribus, vt ſaltem in his regionibus liceat Chriſtianis pacifice viuere, Vadite, illam fortitudinem, prudentiam illam, quam in ciuili conflictu habere conſueſtis, iuſtiori effundentes prælio. Ite prædicabiles per orbem milites, ite & proſternite ignauas gentes. Eat famoſa Francorum virtus cum appendiciis ſibi gentibus ſolo ſui nominis terrore totum orbem motura. Sed quid diutius vos immoror, vt fortitudinem gentilium verbis extenuem. Immò proponite animis veſtris Deificam ſententiam.* Anguſta eſt via quæ ducit ad vitam. *Eſto ergo vt ſit ſemita itinerantium arcta, plena mortibus, ſuſpecta periculis: ſed hæc eadem vos amiſſam ducet ad patriam. Per multas nimirum tribulationes oportet vos ingredi in regnum Dei, ſpectate ergo animò, ſi prenſi fueritis cruces, ſpectate catenas, quæcunq; deniq; poſſunt tormenta infligi; operimini pro fidei veſtræ robore horrenda ſupplicia, vt ſi neceſſe fuerit, damno corporum agatis animarum remedium; mortem ne timetis (viri fortiſſimi fortitudine & audacia præſtantes)? Nihil certe poterit comminiſci in vos humana nequitia, quo ſuperna penſetur gloria. Non enim ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. An neſcitis quod viuere hominibus eſt calamitas, mori fœlicitas? Hæc vobis doctrina, ſi recordamini, cum lacte matrum affuſa eſt ſacerdotum verbo; hanc maiores veſtri martyres prætenderunt exemplo. Mors enim à cœnulēto carcere liberas animas ad proprium locum pro meritis euolaturas. Mors accelerat bonis patriam; mors præſcidit reis malitiam; per mortem ergo liberæ animæ vel oblectantur gaudiis, ſpe meliora præſumentes, vel fruuntur ſuppliciis nihil peius timentes. Dum autem vinculis corporum irretiuntur, trahunt ab ipſis terrulenta contagia, & (quod veraciter quis dicat) mortuæ ſunt. Nec enim luteum cœleſti, nec diuinum mortali pulchre cohæret. Plurimum quidem poteſt anima etiam nunc corpori iuncta: inſtrumentum enim ſuum viuificat, latenter id mouens, & vltra mortalem naturam geſtis producens. Veruntamen cum ſarcina, quæ in terram trahitur, abſoluta proprium locum receperit, beatam & vndiq; liberam participat fortitudinem, quomodocunq; diuinæ naturæ inuiſibilitati communicans. Gemino ergo functa officio, corpori vitam miniſtrat, cum adeſt, cauſam vero mutationis cum recedit. Videtis quam iocunde anima in dormiente corpore vigilet, & à ſenſibus ſeducta pro diuina cognatione multa futura præuideat. Cur ergo mortem timetis qui ſomni requiem, quæ inſtar mortis eſt, diligitis? Res eſt nimirum dementiæ pro cupiditate breuis vitæ inuidere ſibi perpetuam. Quin potius (fratres chariſſimi) ſi ita contigerit, ponite pro fratribus animas veſtras, vacuate ab impiis Dei ſacrarium, extrudite latrones; inducite pios: nulla vos neceſſitudinis pietas contineat, quia prima hominis pietas in Deum. Nullum natalis ſoli charitas tricet, quia diuerſis reſpectibus Chriſtiano totus eſt mundus exilium; & totus mundus patria. Ita exilium patria, & patria exilium. Nullum patrimoniorum amplitudo remoueatur, quia ampliora ſunt, quæ promittuntur. Nec ea, quæ inani ſpe miſeris adulentur, vel ignauam mentem pigro rerum medicamine palpent, ſed crebris exemplis exhibita frequenti vſu comprobata. Et hæc quidem ſunt dulcia, ſed caduca, & quæ cum temporibus ſuis centuplicatum pretium importent. Hæc edico, hæc mando terminumq; proximi veris affigo. Aderit Deus euntibus, vt eis bonus arrideat annus, cum copia frugum, tum ſerenitate temporum. Morituri cœli intrabunt triclinium, victuri videbunt ſepulchrum dominicum. Et quæ maior fœlicitas, quam vt homo in terris agens videat loca illa, in quibus cœlorum Dominus conuerſatus eſt humanitus. Fœlices, qui ad hæc vocantur munia, vt illa nanciſcantur munera: fortunati qui iſta meditantur prælia, vt illa conſequantur præmia.*

Huiuſce orationis tenorem ſcripſi; pauca propter veritatem dictorum incaſtigatò ſermone depromens, plura manumittens. Hinc igitur populus auditorum accenſus, iudicium animi clamore atteſtatur, fauens ſermocinationi, fauens peregrinationi. Statimque in concilio proceres nonnulli Papæ genibus * affuſi, ſe ſuaque Dei militiæ conſecrarunt. E quibus fuit, *Aimarus* inſignis potentiæ Podienſis Epiſcopus, qui poſtea exercitum illum auxit prudentia: rexit eloquentia. Igitur Nouembri menſe, in quo conſilium actum

al. acclines:

fuerat

fuerat, à ſingulis in ſua diſceſſum. Continuoq; fama boni totum dilapſa per orbem dulci chriſtianorum animos infecit aura; qua circumquaq; ſpirante nulla fuit tam remota gens tam abdita, quæ non ſui partem mitteret. Nam non ſolum mediterraneas prouincias hic amor mouit, ſed & omnes, qui vel in penitiſſimis inſulis, vel in nationibus barbaris Chriſti nomen audierant. Tunc Wallenſis venationem ſaltuum, tunc Scottus familiaritatem pulicum, tunc Danus continuationem potuum, tunc Noricus cruditatem reliquit piſcium. Deſtituebantur agri cultoribus, ædes habitatoribus, totis porro migrabatur vrbibus. Nullus neceſſitudinum amor, affectus patriæ vilis, ſolus Deus præ oculis, quicquid in horreis, quicquid in tricliniis repoſitum, reſponſurum erat vel auari votis agricolæ, vel theſaurorum incubatoris, deſeritur, in ſolum Hieroſolymitanum iter eſuritur. Gaudium erat euntibus, mæror remanentibus. Quid dico remanentibus? Videres maritum cum matrona, cum omni poſtremo familia euntem; rideres carpentis impoſitos totos in iter transferre penates. Anguſtus erat limes trāſeuntibus, arctus trames itinerantibus, ſic ruebant agmina ſerie longa trahentia. Opinionem hominū vincebat numerus quāuis æſtimarentur ſexagies centū millia itinerantium. Nunquam proculdubio tot gentes in vnam coiere ſententiam, nunquam tanta barbaries imperio vni & pene nulli ceruicoſitatem ſubſtrauit ſuam. Præcipuum enim erat videre miraculum, cum tam infinita multitudo ſenſim per terras Chriſtianorum, & non prædabunda procederet, & non eſſet qui coerceret. Feruebat in omnibus alterutra dilectio, vt ſi penes aliquem quid repertum eſſet, quod ſuum non eſſe cognoſceret, per multos dies paſſim agnoſcendum proponeret; ſuſpendebaturq; interim inuentoris auiditas, dū forte illius qui perdiderat, corrigeretur neceſſitas.

Iamq; aduenerat deſiderantibus menſis Martius, quando ſenecta brumali depoſita, mundus vernali veſtitus iuuenta, in plagam orientis ituros inuitabat: nec illi moras nexuere, tantus ardor animos inuaſerat. *Godefridus* dux Lotharingorum per Pannoniam iter inſtituit, nulli vnquam militi virtute ſecundus, de antiqua *Caroli Magni* linea originem trahens; & cui vere plurimus inerat *Carolus*, tam ſanguine, quam mente. Sequebantur eum Friſones, Lotharingi, Saxones, & quicquid gentium inter Rhenum & Garumnam fluuios iacet. Per Dalmatiam iter adorti, *Raimundus* Comes de ſancto *Ægidio*, & *Aimarus* Podii Epiſcopus, par inſigne virtutis, viri armis in hoſtes, pietate in Deum ſplendidi. Sub ſignis eorum militabant Gothi & Guaſcones, & quicunque populus in Pirænæum & Alpes diffunditur. Præuenerat eos compendio *Boamundus*, loco Appulus, gente Normannus. Namque is apud Brunduſium nauibus conſcenſis, Dirrachioque appulſus, inde itinere pedeſtri Conſtantinopolim per notos ſibi tramites contendit. Ductu eius agebat prælium Italia, & quæcunq; contermina prouincia à Tirrheno mari in Adriaticum protenditur. Hi omnes apud Conſtantinopolim pariter conuenientes nonnihil mutuæ lætitiæ habuere. Ibique *Hugonem Magnum Philippi* Regis Francorum fratrem inuenere, quod is inconſulte & cum raro milite terras imperatoris ingreſſus, & ab hominibus eius captus in libera cuſtodia habebatur. At vero *Alexius* huius ciuitatis imperator horum procerum aduentu territus, volens, ſed quaſi precibus coactus captionis gratiam fecit: homo tergiuerſatione famoſus, & nihil vnquam magnum niſi dolo machinatus. Ipſe *Guiſcardum* (vt ſuperius dixi) veneno, vxoremque eius corruperat auro; fidem coniugalem falſo per internuncios pactus. Ipſe denique *Willielmum* Comitem Pictauenſem in inſidias Turcorum inductum, & 60. millibus armatorum priuatum, pene ſolum effugere permiſit, indignatus ſuper eius reſponſo, quo Græco negauerat hominium. Ipſum poſtremo *Boamundum* poſteriori tempore contra ſe venientem, vt iniurias peregrinorum vlciſceretur, bis terque inſidiis impetiuit. Sed cum parum promoueret, *Guidone* fratre & toto pene ſpoliauit exercitu, notis artibus toxica vel fluminibus vel veſtibus infundens. Sed hæc poſtmodum. Tunc vero exercitum vrbe arcens, proceribuſque blande collocutus, tantum Graia facundia valuit, vt à ſingulis hominium, & ſacramentum exigeret: quod illi nihil doli machinarentur: quod vrbes imperio ſuo appendices, ſi adquirere poſſent, redderent, ſanguinis ſui periculo alienum mercantes commodum. Soli *Raimundo* viſa eſt antiquior tuendæ libertatis gratia, vt nec ipſi ſuum ſubſterneret hominium, nec profiteretur ſacramentum. Itaque coactis omnibus viribus Niceam vrbem Bithiniæ aggrediuntur. Ipſam enim primitus placuerat inuadi, quod & viantibus obſiſteret, & mortem peregrinorum nuper ibi occiſorum vltum ire animati eſſent. Namque W*alterus* quidam miles probatus, ſed præceps (*quia vix in homine vno ſapientiam & audaciam conſpicaberis, quod altera moretur altera præcipitet,*) incircumſpecte circa mœnia curſitans cum multa manu occubuerat. Eam manum *Petrus* heremita prædicationibus ſuis de patria pellexerat.

Iam vero menſe Septembri, *Robertus* Normannorum Comes, frater *Willielmi* Regis, cuius titulum hic liber geſtat, iter illud adoriri geſtiens, habuit ſocios *Robertum* Flandrenſem, *Stephanum* Bleſenſem ſororis maritum. Omnes amplæ proſapiæ comites, & quibus virtus citra genus non erat. Parebant eis Angli, & Normanni, & Occidentales Franci, & Flandriæ, & omnium populorum cunei, qui ab Oceano Brittannico vſque ad Alpes mediterraneo tractu iacent. Ita in viam profecti reperiunt apud Lucas Papam *Vrbanum*, qui *Guiberto* infenſus, (vt dixi) auxilio *Mathildis* Italiam, & vrbem circumſonabat armis. Iamq; tantum promouerat, vt *Quirites* ad gratiam eius verſi, *Guibertinos* tum verbis tum verberibus laceſſerent; nec erat alterutris vel in Eccleſiis, vel in triuiis parcendi animus, donec *Guibertus* viribus Impar *Vrbano* ſedem vacuefecit Alemanniam lapſus.

De Roma, quæ quondam domina orbis terrarum, nunc ad comparationem antiquitatis videtur oppidum exiguum, & de Romanis olim rerum dominis, genteque togata, qui nunc dicuntur, hominum inertiſſimi, auro trutinantes iuſtitiam, pretio venditantes canonum regulam; De vrbe inquam, & vrbicis quicquid conarer dicere præuenerunt verſus *Hildeberti* Cinomanenſis primo Epiſcopi, poſt etiam Turonenſis Archiepiſcopi. Quos hic cum inſeruero, non ideo faciam, vt alieno labore partam gloriam in me transferam, ſed erit ingenuæ mentis indicium, ſi eius non inuidus gloriæ apponam teſtimonium * venuſtæ facundiæ.

al. vetuſta.

Par tibi Roma nihil, cum ſis prope tota ruina,
Quam magni fueris integra fracta doces.
Longa tuos faſtus ætas deſtruxit, & arces,
Cæſaris, *& ſuperum templa palude iacent.*
Ille labor, labor ille ruit, quem dirus Araxes,
Et ſtantem tremuit, & cecidiſſe dolet,
Quem gladii regum, quem prouida iura ſenatus,
Quem ſuperi rerum conſtituere caput,
Quem magis optauit cum crimine ſolus habere,
Cæſar, *quam ſocius, & pius eſſe ſocer,*
Qui creſcens ſtudiis tribus hoſtes, crimen, amicos,
Vi domuit, ſecuit legibus, emit ope,
In quem dum fieret, vigilauit cura priorum,
Iuuit opus pietas, hoſpitis vnda locum,
Materiam, fabros, expenſas, axis vterq;
Miſit, ſe muris obtulit ipſe locus:
Expendere duces theſauros, fata fauorem,
Artifices ſtudium, totus & orbis opes.
Vrbs cecidit, de qua ſi quicquam dicere dignum,
Moliar, hoc potero dicere, Roma fuit.
Non tamen annorum ſeries, non flamma, nec enſis,
Ad plenum potuit hoc abolere decus.
Cura hominum potuit tantam componere Romam,
Quantam non potuit ſoluere cura Deum.
Confer opes, marmorq; nouum, ſuperumq; fauorem,
Artificum vigilent in noua facta manus:
Non tamen aut fieri par ſtanti machina muro,
Aut reſtaurari ſola ruina poteſt.
Hic ſuperum formas ſuperi mirantur & ipſi,
Et cupiunt fictis vultibus eſſe pares.
Non potuit natura Deos hoc ore creare,
Quo miranda Deum ſigna creauit homo.
Vultus adeſt his numinibus, potiuſq; colantur,
Artificum ſtudio, quam Deitate ſua.
Vrbs fœlix, ſi vel dominis vrbs illa careret,
Vel dominis eſſet turpe carere fide.

PAruane ſunt hæc ad demonſtrandam in tanta vrbe vel olim bonorum dignitatem, vel modo malorum maieſtatem? Sed, ne quid honori deſit, adiiciam & portarum numerum.

rum,& multitudinem ſacrorum cinerum,& ne aliquis obſcuritate verborum cauſetur ſe à cognitione rerum reiici,erit ſermo quotidianus & leuis.

Prima porta Cornelia,quæ modo dicitur porta ſancti *Petri*, & via Cornelia.Iuxta eam Eccleſia beati *Petri* ſita eſt, in qua corpus eius iacet, auro & argento, & lapidibus parata, & nullus hominum ſcit numerum ſanctorum Martyrum,qui in eadem Eccleſia pauſant. In eadem via eſt Eccleſia altera,in qua requieſcunt ſanctæ virgines *Rufina & Secunda*. In tertia Eccleſia ſunt *Marius & Martha & Audifax,& Abacuc* filii eorum.

Secunda porta Flaminea,quæ modo appellatur Sancti *Valentini*, & Flaminea via. & cum ad pontem * Molbium peruenit vocatur via Rauennana,quia ad Rauennam ducit. Ibi in primo milliario foris ſanctus *Valentinus* in ſua Eccleſia requieſcit.

al. Miluium.

Tertia porta * Portitiana, & via eodem modo appellata, ſed cum peruenit ad Salariam nomen perdit, & ibi prope in eo loco,qui dicitur Cucumeris, requieſcunt Martyres,*Feſtus,Iohannes,Liberalis,Diogenes, Blaſtus,Lucina*, & in vno ſepulchro * 260, & in altero 30.

al. Porciniana. *al. 240.*

Quarta porta & via Salaria, quæ modo Sancti *Silueſtri* dicitur. Ibi iuxta viam ſanctus *Hermes* requieſcit, & Sancta *Vaſella,& Prothus,& Iacinctus, Maxilianus,Herculanus,Criſpus*; & in altero loco prope requieſcunt Sancti Martyres *Pamphilus & Quirinus* 70. gradibus in imo terræ. Deinde baſilica ſanctæ *Fælicitatis*, vbi requieſcit illa, & *Silanus* filius eius & non longe *Bonifacius* Martyr. Ibidem in altera Eccleſia ſunt *Criſantus, & Daria, & Saturninus,& Maurus,& Iaſon* & mater eorum *Hilaria*, & alii innumerabiles. Et in altera baſilica, ſanctus *Alexander,Vitalis, Martialis*, filii ſanctæ *Fælicitatis*. Et Sanctæ 7. virgines, *Saturnina,Hilarina,* Dunanda,Rogantina,Serotina,Paulina,Donata*. Deinde baſilica Sancti *Silueſtri*,vbi iacet marmoreo tumulo coopertus,& Martyres,*Celeſtinus,Philippus,& Fælix*,& ibidem Martyres 365.in vno ſepulchro requieſcunt; & prope *Paulus,& Creſcentianus,Priſca,& Semetrius,* Praxides,Potentiana* pauſant.

al. Dominanda. *al. Praxedis.*

Quinta porta Numentana.Ibi Sanctus *Nicomedes* presbyter,& Martyr.itemque via eodem modo dicitur. Iuxta viam ſanctæ *Agnetis*, & Eccleſia & corpus, in altera Eccleſia, Sancta *Emerenciana* & Martyres, *Alexander,Fælix,Papias*,in ſeptimo milliario eiuſdem viæ Sanctus Papa *Alexander*,cum *Euentio,& Theodolo* pauſant.

Sexta porta,& via Tiburtina quæ modo dicitur Sancti Laurentii, iuxta hanc viam iacet ſanctus *Laurentius* in ſua Eccleſia, & *Habundius* martyr. Et ibi prope in altera Eccleſia pauſant hi Martyres, *Ciriaca,Romanus, Iuſtinus, Creſcentianus*. Et ibi non longe, baſilica ſancti *Hyppoliti*, vbi ipſe cum familia ſua pauſat,id eſt, decem & octo. Et ibi requieſcunt beata * *Trifonia* vxor *Decij*,& filia eius *Cirilla,& Concordia* nutrix eius.Et in altera parte viæ eius eſt Eccleſia *Agapiti* Martyris.

al. Triſena.

Septima porta modo Maior dicitur, olim * Seracuſana dicebatur, & via Lauicana dicitur, quæ ad beatam *Helenam* tendit.Ibi ſunt prope, *Petrus, Marcellinus, Tyburtius, Geminus,Gorgonius*,& quadraginta milites, & alii innumerabiles: & non longe ſancti quatuor coronati.

al. Sircuſana.

Octaua porta ſancti *Iohannis*, quæ apud antiquos * Aſſenarica dicebatur. Nona porta * Metroſa dicitur, & coram iſtis ambabus via Latina iacet. Decima porta & via Latina dicitur. Iuxta eam quieſcunt in vna Eccleſia Martyres, *Gordianus*, & *Epimachus, Sulpicius,Seruilianus,Quintinus,Quartus,Sophia,* Triphenus*. Et ibi prope in alio loco *Tertullinus*,& non longe Eccleſia beatæ *Eugenia*, in qua iacet & *Claudia* mater eius, & *Stephanus* Papa cum clero ſuo numero 19.& *Nemeſius* diaconus.

al. Aſſeranica. *al. Metroſi.* *al. Triphonius.*

Vndecima porta, & via dicitur Appia.Ibi requieſcunt ſanctus *Sebaſtianus,& Quirinus*, & olim ibi requieuerunt Apoſtolorum corpora.Et paulo propius Romam ſunt martyres. *Ianuarius,Vrbanus, Xenon, Quirinus,Agapetus,Fæliciſſimus*. Et in altera Eccleſia *Tyburtius Valerianus,Maximus*,nec longe Eccleſia *Ceciliæ* Martyris, & ibi reconditi ſunt *Stephanus, Sixtus,zefferinus, Euſebius,Melchiades,Marcellus,Eutichianus,Dionyſius,Antheros,Poncianus, Lucius* Papa, *Optacius,Iulianus,Calocerus,Parthenius,Tharſicius, * Politanus* Martyres.Ibidem Eccleſia ſancti *Cornelii* & corpus.Et in altera Eccleſia ſancta *Sotheris*.& non longe pauſant martyres,*Hyppolitus, Adrianus, Euſebius,Maria,Martha,Paulina, Valeria, Marcellus*, & prope Papa *Marcus* in ſua Eccleſia.Inter viam Appiam & viam Oſtienſem eſt via Ardeatina. vbi ſunt *Marcus & Marcellianus*.Et ibi iacet *Damaſus* Papa in ſua Eccleſia.& non longe ſancta *Petronilla,& Nereus,& Achilleus*,& alii plures.

al. Policamus.

Duodecima porta & via * Oſtenſa dicitur, modo porta ſancti *Pauli* vocatur, quia iuxta eam requieſcit in Eccleſia ſua. Ibidemque *Timotheus* Martyr: & non longe in Eccleſia

al. Oſtienſis.

San̄ctæ *Teclæ* ſunt Martyres *Fœlix & Audactus, & Nemeſius*. In aqua Salina eſt caput *Anaſtaſii* Martyris.

Tertia decima porta Portuenſis dicitur, & via, ibi prope in Eccleſia ſunt Martyres *Fælix, Alexander, Abdon, & Sennes, Symeon, Anaſtaſius, Polion, Vincentius, Milex, Candida, & Innocentia*. Quartadecima porta & via Aurelia, quæ modo porta ſancti *Pancratii* dicitur, quod iuxta eam requieſcit in ſua Eccleſia, & alii martyres, *Paulinus, Arthemius*, ſancta *Sapientia*, cum tribus Filiabus Fide, Spe, & Charitate. In altera Eccleſia, *Proceſſus, & Martinianus*, & in tertia *Fœlices* duo, & in quarta *Calixtus, & Catepodius*, & in quinta Sanctus *Baſilides*. Duodecimo intra vrbem milliario in monte *Celio* ſunt Martyres, *Ioannes & Paulus* in ſua domo, quæ facta eſt Eccleſia poſt eorum Martyrium, & *Criſpinus, & Criſpinianus* & ſancta *Benedicta*. In eodem monte eſt Eccleſia Sancti *Stephani* protomartyris, & ibi reconditi ſunt Martyres, *Primus, & Fœlicianus*, in monte Auentino ſanctus *Boneſacius*, & in monte Nola Sancta *Tatiana* pauſant.

Hæc ſunt Romana ſanctuaria, hæc ſunt in terris diuina pignora. & tamen inter hoc quaſi cœleſte promptuarium inſano furore gens ebria, tunc, cum illuc peregrini venerunt, fœdo ambitu omnia turbabant, & ſupra ipſa ſanctorum corpora ciuilem libabant ſanguinem, dum non poſſent ſatiare pecuniarum libidinem. *Vrbani* igitur benedictione freti comites tranſita Tuſcia, & Campania per Apuliam Calabriam venere, ſtatimq; mare tranſiſſent, niſi conſulti naturæ propter auſtrorum violentiam vetuiſſent. Quapropter Normannus & Bleſenſis Comites, qua quiſq; poterat, hyemem fouere apud amicos perendinantes. Solus Flandrenſis ventis vela credidit, præcipiti conſilio fœliciter vſus: ideoq; gregariorum vulgus pars propter inopiam domum reuertit, pars pro intemperie ſoli morbo defecit. Nec non & reſidui duces, vt videre placatum claſſibus æquor, vernali ſole redeunte, maris fidem experti & *Chriſti* auxilio illæſi duobus portubus excepti applicuere. Inde per Theſſaliam cuius Metropolis eſt Theſſalonica, Thraciam & hinc Conſtantinopolim venere. Multi pauperum illa via morbo & inedia extincti, multi in vado, quod pro rapiditate Diaboli dicitur, * intercepti. pluresq; profecto periſſent niſi equi emiſſarii in aduerſum amnem oppoſiti violenti gurgitis vortices fregiſſent. [al. ſuffocati.] Ita quibuſdam vita procurata reliqui * equis tranſducti: [al. aquis.] Omnis itaque multitudo 15. dierum ſpatio præteritorum laborum indulſit ſolatio, poſitis caſtris in ſubvrbano ciuitatis, de qua quia locus ſe obtulit pauca dicenda.

Conſtantinopolis primum Bizantium dicta. formam antiqui vocabuli præferunt Imperatori nummi * Bizantini vocati. [al. Bizantium.] hanc diuinitus mutaſſe nomen, *S. Aldelmus* auctor eſt in libro de virginitate, huiuſmodi ſententia eſt. *Conſtantino* in eadem vrbe ſoporato, viſa eſt aſtitiſſe vetula rugis anilibus frontem arata; mox imperiali chlamyde amictam in iuuenculam refloruiſſe, viridiſq; formæ decore *Conſtantini* pellexiſſe oculum, vt non abſtineret, quin porrigeret ei oſculum. Tunc * *Elenam* matrem, quæ adeſſet dixiſſe, [al. Helenā] hæc tua ſemper erit, nec vnquam morietur, niſi in fine ſeculi. Huius ſomnii ſolutionem *Auguſtus* extruſo ſopore ieiuniis, & eleemoſynis extrahebat è cœlo. Et ecce poſt octo dies iterum ſoporatus, viſus eſt videre *Silueſtrum* Papam paulo ante defunctum, qui dulci luminū riſu perſtringens diſcipulum, conſueta, inquit, egiſti prudentia, vt quod intellectum effugeret hominis, à Deo expectares exoluendum nodum ænigmatis. Hęc igitur, quam vidiſti anicula, eſt ciuitas iſta, æui ſitu decrepita, cuius iam vetuſtate quaſſa mœnia, & vicinam ruinam minantia reparatorem deſiderant. Sed tu eam muris reformans, & opibus, vocabulo quoq; inſignies tuo, & regnabit in ea perpetuo imperatoria progenies. Non tamen tuo arbitratu fundamenta iacies, ſed aſcenſo ſonipede, cui quondam rudis Chriſticola inſidens Apoſtolorum Romæ circuiſti Eccleſias, laxatis habenis, quo volet eundi promptum illi cedes arbitrium, habebiſq; in manu haſtam regiam, cuius cuſpide in terram tracta muri ſcribentur veſtigia. Conſules ergo cuſpidis in terra magiſterium quo ordine diſponi debeant fundamenta mœnium.

Paruit *Auguſtus* viſioni procliue, & ciuitatem æquam Romæ conſtituit, * profeſſus non debere Imperatorem Romæ principari, vbi à *Chriſto* principabantur coronati Apoſtoli, [al. lege cōfeſſus.] fecit in ea duas Eccleſias, quarum vna *Hirenis*, altera dicitur Apoſtolorum; inuehens illuc numeroſa ſanctorum corpora, qui poſſint contra incurſus hoſtium cœleſte impetrare patrocinium. Statuas quoq; triumphalium virorum à Roma deductas, & ſimulacra Deorum ad videntium ridiculū, & tripodas Delficos in circo dedit, ad ſpectaculum ſimul & ciuitatis ornamentum. Gratumq; admodum fuiſſe ferunt imperiali animo, vt illic vrbem diuino iuſſu fundaret, vbi & ſoli vbertas & cœli temperies mortalium ſaluti conueniret. Quia enim in Brittannia natus fuerat, ardores ſolis exoſus erat. Eſt vero

Thra-

Thracia vna Europæ Prouincia vt Poetæ quoq; canunt * Ebrei fluminis glacie, & Biſtonio Aquilone perfrigida, vicina Meſiæ, cuius, vt ait *Virgilius*, *Mirantur Gargara meſſes*. At vero Conſtantinopolis circumflua Ponto, Europæ, atq; Aſiæ carpit vtrinq; libratam temperiem, quod Aquilonares hiatus mulceat è proximo veniens Aſiaticus Eurus. Porrigitur ergo vrbs ingentibus mœniis ſed eam anguſtat conuenarũ innumerus populus. Quapropter rupium molibus, & arenarum cumulis profundo iniectis longe itur in ſalum, & nouo commento tellus inuenta veteres contrahit vndas. Stupet itaque mare peregrinos vitreo in gurgite campos, vrbemq; ſuam totis terrarum commodis cingit & paſcit. Eſt enim ciuitas vndiq; præter ad Aquilonem mari magno cincta, ambitu murorum iuxta ſitum pelagi anguloſa, * viginti millia paſſuum muro complexa. Danubius, qui & Hiſter, occultis canalibus vrbi ſub terra influit, diebuſque conſtitutis ablato peſſulo inductus cœnum platearum pelago importat. Certauere zelo Imperiali *Auguſti* ſinguli decorem addere, * quique arbitrantes aliquid ſe inſtitutæ debere operæ; iſte ſanctorum reliquiis, ille diuitiis, *Conſtantinus* omnibus.

al. Hebri.
al. duodecim.
al. quiſq;

Regnauerunt in ea poſt *Conſtantinum* magnum Imperatores, quorum hæc ſunt nomina. *Conſtantinus* filius eius, *Iulianus* apoſtata, *Iouinianus*, *Valens*, *Theodoſius* maior, *Archadius*, *Theodoſius* minor, *Marcianus*, *Leo* primus, * *Zeno*, *Anaſtaſius*, *Iuſtinus* maior, *Iuſtinianus*, (hic literis & bellis nobilis, fecit in Conſtantinopoli Eccleſiam diuinæ ſapientiæ, id eſt, Domino *Ieſu Chriſto*, quam Agiam Sophiam cognominauit; opus, vt ferunt, omnibus per orbem ædificiis magnificentius, quodque certa rerum facie inſpectum vincat ampullata verba referentium) *Iuſtinus* minor, *Tiberius*, *Mauricius*, primus Græcus, *Focas*, *Heraclius*, *Heraclonas*, *Conſtans*, *Conſtantinus* filius *Heraclij*, (Iſte Romam veniens, & quod reliquum erat ornatus antiqui corradens, tegulis etiam æreis faſtigia Eccleſiarum nudauit, triumpho ſcilicet apud Conſtantinopolim de hiſce manubiis inhians. Sed ei infœliciter illa ceſſit auiditas, quia continuo apud Siracuſas extinctus, Saracenis Alexandriam deferentibus omnes illas reliquit exuuias) *Conſtantinus*, *Leo* ſecundus, *Iuſtinianus*, Iterum *Iuſtinianus*, *Tiberius*, *Anaſtaſius*, *Philippicus*, *Theodoſius*, *Leo* tertius; Hi omnes regnauerunt & in Conſtantinopoli & in Roma: ſequentes tantum in Conſtantinopoli: *Conſtantinus*, *Leo*, *Conſtantinus*, *Nicephorus*, *Stauratius*, *Michael*, *Theophilus*, *Michael*, *Baſilius*, *Leo*, *Alexander*, *Conſtantinus*, Romani duo, *Nicephori*, *Focas*, *Ioannes*, *Baſilius*, *Romanus*, *Michael*, *Conſtantinus*, *Theodora* Imperatrix, *Michael*, *Sachius*, *Conſtantinus*. *Romanus*, *Diogenes*, *Nicephorus*, *Buthanus*, *Michael*: Hic per *Alexium* depulſus Imperio ad *Guiſcardum* in Apuliam clandeſtinam fugam compoſuit, traditaq; illi poteſtate aliquid ſe opinatus eſt * feciſſe quod noceret *Alexio*. Vnde *Guiſcardo* magna aggrediendi increuit animus: vt inani ſpe niteretur ſibi acquiri poſſe per induſtriam, quod alter amiſerat per * ignauiam. Sed quantum iſtis profecerit præcedens liber patefecit. Eſt in eadem ciuitate lignum Domini ab Helena de Ieroſolymis delatum. Requieſcunt ibi Apoſtoli *Andræas*, *Iacobus* frater Domini, *Mathias*: Prophetæ *Eliſæus*, *Daniel*, *Samuel*, & alii plures: *Lucas* Euangeliſta, Martyres innumerabiles, Confeſſores, *Ioãnes*, *Chryſoſtomus*, *Baſilius*, *Gregorius Nazianzenus*, *Spiridion*; Virgines, *Agatha*, *Lucia*, Omneſq; poſtremo ſancti, quorum corpora illuc ex omnibus regionibus Imperatores conuehere potuerunt.

al. Teno.
al. effeciſſe quo.
al. ignominiam.

Normannus itaq; & Bleſenſis Comites hominium ſuum Græco * poſtrauerunt. Nam iam Flandrita tranſierat, & id facere faſtidierat, quod ſe meminiſſet natum, & educatũ libere. Alii data fide, acceptaq; Niceam pertendunt hebdomada ieiunii prima, quam iam cæteri à medio Maij obſederant. Ita coniunctis virib. multæ vtrinq; mortes actę ſunt: cum ab oppidanis facile in ſubiectos telorum omnia genera rotarentur, nec alicuius licet inertiſſimi manus in confertos fruſtraretur. Quin & exanimatorum cadauera Turci vncis ferreis innumerum trahebant, ludibrio, noſtrorum excarnificanda, vel ablatis veſtibus deiicienda. Doluerunt id Franci, nec prius abſtiterunt ferro exercere dolorem, quam Turci extremis malis feſſi die ſolſtitii æſtiualis per clandeſtinos nuntios Imperatori ſe dedidere. Ille, qui nihil præter commodũ ſuum penſare noſſet, denunciauit Francis vt abirent: malens vrbẽ ſeruari Turcorum apertæ perfidiæ, quam Francorum ſuſpectæ potentiæ. Iuſſit tamen diſtribui argentum & aurum optimatibus, nummos æreos inferioribus, ne ſe irremunieratos quererentur. Ita Turci, qui iam à 50. annis Bithyniam, quæ eſt pars minoris Aſiæ, quam Romaniam dicunt, Euphrate tranſito poſſederant, in ſuperiores fuga terras cõceſſere. Veruntamen auſi ſunt, obſidione ſoluta, exercitũ vltra progredientem inceſſere, auctore quodam *Solimanno* cui dominium totius Romaniæ * obuenerat. Is coactis ſagittariorum millibus æſtimatione 360. noſtros nihil minus quam bellũ meditantes, tanta vi aggreſſus eſt; vt ferreo imbre ſagittarũ inundante perterriti omnes incũctanter dorſa nu-

al. proſtituere.
al. obtigerat.

darent. Et tum forte dux *Godefridus*, & *Hugo* magnus, & *Raimundus*, aliam viam inuaſerant, vt & inimicorum ſolum latius popularentur; & ſuis pabula compararent facilius. At vero Normannus ancipiti diſcrimine permotus, aduentum Turcorum, expeditis curſoribus, *Godefrido* & cæteris per tutos tramites intimauit. Illi moræ neſcii ſignis in hoſtem conuerſis ſocios eripuere periculo. Nāq; hi iam indiſcrete in tentoriis ſuis necabantur, nihil bello intenti, ſolis lachrymis & precibus auras implentes. Nec rimabatur hoſtis vulneri aditum, ſed in notos fortunam emittens, nunquam pro denſitate cunctorum inanē referebat manum. Sola erat mortis dilatio, quod quia iuxta quoddam arundinetum pugnabatur, equi Turcorum impediti liberis non exultabant curſibus. Sed tandem viſis anteſignanis optimatum venientium, noſtri ex arundineto prodeunt; & acclamato ſigno militari, Deus vult, diſſipatos ordines hoſtium inuadunt ſociis vt ex altera parte feriant innuentes. Ita Turci, cum vtrimq; premerentur, neſcio quid dirum ſtridentes vlulatibus in cœlum actis diffugere. Nec ſolito more pugna fugaci vſi, ſed abiectis arcubus maius aliquid quam humanum timorem continua trium dierum fuga teſtati ſunt. Nec erat qui eos fugaret; quia equi noſtrorum vix ieiuno ceſpite vitam ſuſtentantes, alacrem perſecutionem negabant, laſſo ſtatim ilium pulſu defectionem ſuam oſtendentes. Erat enim Aſia terra quondam frugum feraciſſima, ita moderno & antiquo tempore Turcis ſæuientibus expilata, vt vix raro exercitui alimoniam miniſtrare ſufficeret, nedum tantæ multitudini, quæ totas ſegetes depaſtura, totos amnes epotatum videretur. Æſtimabantur enim cum à * Nicea diſceſſere ſeptingenta millia, pars reliqua vel ferro interempta, vel valetudine minuta, maior domos dilapſa.

al. antea.

Inde ergo per Antiochiam Piſidiæ, & Iconium vrbes Eracleam venere. Ibi ſignum in cœlo viderunt modo enſis fulminei figuratum, mucrone verſus Orientem protento. Iāq; à Kalendis Iunii cum Niceam deſeruerant, Octobris menſis nonæ voluebantur, quando Antiochiam Syriæ venere. Cuius ſitum commemorarem, niſi auiditatem meam præoccupaſſet Ambroſiana in Egeſippo facundia: ſimul & quod vereor, ne mihi vertatur vicio, quod tam frequenter in digreſſionibus peregrinatur narratio. Veruntamē quantum ſuſcepti operis neceſſitas poſtulat, dicam.

Ciuitas eſt maximo muro circumdata, montem etiam mœnibus * complexa, à *Seleuco* Rege Aſiæ nomine *Antiochi* patris cognominata, poſt Romam, & Conſtantinopolim, & Alexandriam quarto per orbem loco cunctis ciuitatibus prælata; mœnibus tuta, montibus ardua; magis ingenio quam vi, ſi vnquam capiatur obtinenda. Fluuius illi proximus, quem modo * Feruum, quondam Orontem vocatum intelligo, duodecimo ab vrbe milliario excipitur pelago, fluentis rapacibus, & ipſo impetu frigidioribus ſalubris auræ temperie ſaluti medetur * ciuium. Commeatum quoq; nauium oppidanis inuehens, perſeuerantiam obſidentium quantolibet tempore deridet. Ibi primum Chriſtiani olim nominis venerabile vocabulum excogitatum. Inde *Paulus* Religionis huius incentiuum, & fomes ad prædicandum proceſſit. Ibi beatus *Petrus* primi Antiſtitii cathedram ſedit. In cuius honore fundata illic Eccleſia toto Turcorum tempore illibata permanſit. Nec minus altera in honore ſanctæ *Mariæ* conſecrata, decore ſui oculos ſpectantium tenebat mirum in modum, vt cuius perſequebantur fidem, reuererentur ædem.

al. circūplexa. *al. Fernū.* *al. ciuica.*

Hanc itaq; ciuitatem Franci ab Octobri vſque ad Iunium * circumſedere, tentoriis circum murum amne tranſito locatis, perſpectaq; difficultate * capiendi, timiditati quorundam obuiandum arbitrati, omnes pariter proceres ſacramento fecere obſidioni non ponendas ferias, quoad vel vi, vel ingenio prenderetur ciuitas. Et, vt quod intendebant facilius implerent, caſtra cis fluuium conſtituerunt multa, quibus impoſiti milites excubias prætenderent. *Aoxianus* quoq; ciuitatis Ammiratus, videns, Francos non ioco & ieiune agere, ſed ciuitatem ſerio impetere, *Sanſadolem* filium ad Soldanum Imperatorem Perſidis miſit: qui Francorum audaciam exponens ſuppetas * expeteret, Soldanus apud Perſas, qui apud Romanos *Auguſtus* totius Orientis & omnium Saracenorum rector. Quod ideo vt æſtimo tamdiu manet & propagatur imperium, quod gens illa parum (vt dixi) bellicoſa, & viuacis ſanguinis inops, ſemel acceptum neſcit dediſcere ſeruitium ignorantq; vt *Lucanus* ait,

al. circūdedere. *al. expugnandi.* *al. oraret.*

Idcirco datos ne quiſquam ſeruiat enſes.

At vero gens Occidentalis audax, & effera, diuturnam vnius populi dedignatur dominationem: ſæpe ſe ſeruitio exuens, & de vno in aliud transferens. Denique Romanum Imperium prius ad Francos, poſt ad Teutones declinauit: Orientale apud Perſas ſemper durat.

Ad huius ergo Imperii principem *Sanſadoles* miſſus viam ſtudio celerabat iuuenili. Pater interim in cuſtodia vrbis Imperatorio non deerat muneri. Nec contenta virtus incluſorum ſua tutari, noſtros vltro laceſſebat: crebro illos, & ſubito, pabulantes & nundinantes aggreſſa. Nam de inuentis nauibus pontem facientes nundinas vltra fluuium inſtituerant. Ope igitur *Chriſti* pertinaces ſumptis armis hoſtes audacter propellere: vt nunquam eos ſuperiorem gloriam paterentur referre. Cuius contumeliæ vltionem in Syros & Armenios ciuitatis indigenas Turci infundebant, baliſtis & petrariis capita interemptorum in caſtra Francorũ emittẽtes, vt illos eo modo ad dolorem incenderent.

Et iam deuaſtatis omnibus circa vrbem, quæ ad victum poterant parari: temeraria fames, quæ tuta etiam expugnare ſolet, exercitum inceſſere cœperat. adeo vt nondum ſurgentibus in altam ſegetem culmis, quidam ſiliquas fabarum nõdum adultarum pro ſummis deliciis amplecterentur: Alii carnes iumẽtorum, alii coria aquis mollita, quidam carduos parum coctos per abraſas fauces vtero demittebant: quidam vel mures, vel talium quid deliciarum poſcentibus aliis venundabant, & eſurire ſuſtinebat prolato ieiunus vẽditor auro. Nec defuerunt qui cadauera cadaueribus infarcirẽt; humanis paſti carnibus, longe tamen, & in montibus, ne nidore carnis aduſtæ cæteri offenderentur. plures ſpe reperiendæ alimoniæ ignotis vagabantur ſemitis, & à latrunculis viarum gnaris trucidabantur. Sed non multo poſt ciuitas deditioni conſenſit.

Boamundus enim, ſolertis ingenii vir, ea parte qua prætendebat principem quendam Turcum, maximæ turris cuſtodem, promiſſis ingentibus ad proditionem per internuntios ſolicitauerat. Ille quoque vt infamiam proditionis inſigni excuſatione palliaret, *Boamundo* filium in obſidatum dedit, *Chriſti* edicto, quod per ſomnium didiciſſet, id ſe facere profeſſus. Suos igitur ad turrim *Boamundus* admouit, prius clandeſtino aſtu perpetuum a proceribus ciuitatis * Dominium nactus, ſi poſſit adquirere. Ita Franci per funeas ſcalas nocte intempeſta in murum euecti, vexilloq; *Boamundi* quod vermiculatum erat ventis in faſtigio turris expoſito: ſignũm Chriſtianum lætis fragoribus ingeminant, *Deus vult, Deus vult*. Turci experrecti, & ſoporis penuria inertes fugam per angiportus inuadunt. Diſtrictis noſtri gladiis inſecuti, magnas de inimicis ſtrages aceruant. In ea fuga cecidit *Aoxianus* vrbis Ammiratus, a quodam ruſtico Syro decollatus. Caput eius Francis aliatum ridiculo & gaudio fuit.

al. donũ.

Nec diu opima victoria lætati, poſtero die Turcorum obſidionem extra muros ingemuere. Venerant illi à *Sanſadole* inuitati duce *Corbaguath* ſatrapa Orientali, qui ab Imperatore Perſidis acceperat trecenta millia cum viginti ſeptem ammiratis. Horum ſexaginta millia in arcem vrbis per ſcopulos aſcendere, aduocantibus eos Turcis, qui adhuc ibidem remanſerant. Itaque illi crebris excurſibus Chriſtianos potiſſimum fatigabant, nec erat vlla ſpes niſi in Dei auxilio: cum bello infeſtatis creſceret inedia; inedia ſemper magnorum comes prima malorum. Quapropter triduano prius cum litaniis exacto ieiunio, legatus *Petrus* heremita mittitur ad Turcos. Is familiari ſibi eloquio iſta proſecutus eſt, Vt Turci Chriſtianorum terras, quas olim peruaſerant indebite, nunc euacuant voluntarie. Iuſtum eſſe, vt ſicut Chriſtiani non vrgent Perſiam, ita Turci non infeſtent Aſiam. Proinde aut libenti diſceſſu natiuum ſolum repetant; Aut mane futuro bellum expectent; ſortem per duos vel quatuor vel octo experiantur, ne periculum ad totum vergat exercitum.

Non erat *Corbaguath* eius facilitatis vt legatum dignaretur reſponſo: ſed ſcacchis ludens & dentibus infrendens inanem dimiſit. Hoc tantum dicto, iam conclamatam eſſe Francorum ſuperbiam. Ille quoque concite rediens exercitum de inſolentia Turci certiorem reddidit. Tunc omnes alterutrum ſe animantes, etiam per præconem clamare fecere, vt quiſq; nocte illa equo ſuo pro poſſe præbenda porrigeret, ne ſequenti die multiformibus gyris fatigatus deficeret. Iamque mane inclaruerat, cum per acies diſpoſiti, vexillis in hoſtem infeſtis prodeunt. Primam turmam duxere duo *Roberti*, Normannus, & Flandrenſis, & *Hugo* magnus: Secundam dux *Godefridus*: Tertiam Podienſis Epiſcopus. *Boamundus* in extremo agmine, cæteris ſubſidio futurus. *Raimundus* in vrbe remanſerat, qui noſtris receptui prouideret, ſi neceſſe foret. Hoc Turci eminus conſpicati, primo quid eſſet hæſere. Mox cognito vexillo Epiſcopi, quod eum maxime metuerent, quia illum Papam Chriſtianorum & incentorem bellorum dicerent; antequam ferirentur, videntes quod noſtri tam animoſi & incunctanter procederent, terga dedere. alteri quoq; inſperato exilientes tripudio cedentes cecidere, quantum vel peditum ilia, vel equitum calcaria ſufficere potuerũt. Perſuadebãtq; ſibi videre antiquos Martyres, qui olim milites fuiſſent, quiq; mortis precio paraſſent præmia vitæ, *Georgium* dico & *Demetrium* vexillis

leuatis à partibus montanis accurrere, iacula in hoſtes, in ſe auxilium vibrantes. Nec diffitendum eſt affuiſſe Martyres Chriſtianis, ſicut quondam Angelos Macchabæis ſimili duntaxat cauſa pugnantibus. Reuerſi vero in prædam, tanta in illorum caſtris reperiunt, quæ cuiuslibet auariſſimi exercitus ſatietatem poſſent vel temperare, vel extinguere. Hoc prælium actum eſt anno incarnationis Dominicæ milleſimo nonageſimo octauo, quarto Kalendarum Iulii. Nam pridie nonas Iunii capta fuerat vrbs. Mox Kalendis Auguſti ſequentibus Podienſis Epiſcopus Chriſtianorum vexillifer illius boni auctor præcipuus communi mortalium conditioni fœliciter manus dedit, & *Hugo* magnus conceſſu vt aiunt Heroum Franciam rediit, cauſatus continuam viſcerum tortionem.

Sed cum ſeptem menſibus Antiochiæ morati præteritos labores tam diuturna quiete abſterſiſſent: iter iamdudum inceptum reſumere meditabãtur. Primuſq; *Raimundus*, nullius vnquam ignauiæ conſcius, & cui ſemper * cura, primum in procinctu militari eſſe. & poſt eum *Roberti*, & *Godefridus* viam moliti. ſolum *Boamundum* florentiſſimæ ciuitatis aſpectus & pecuniarum fames continuit, vt interim differret. Sed latebat ſub cupiditate ratio perſuaſibilis, qua diceret Antiochiam non ſine principe Turcis exponendam continuo inuolaturis. Reſidit ergo in vrbe, & *Raimundi* homines, qui vicum vnum tenebant, improbus exactor mœnibus expulit. At vero cæteri per Tripolim, & Berithum, & Tyrum, & Sydonem, & Accaronem, & Caipham, & Cæſaream Paleſtinæ tranſeuntes, ibi à dextra dimittentes maritima, peruenerunt Ramulam, à quibuſdam ciuitatibus gratanter excepti, quarundam ſubiectione virtutem ſuam inſignientes. Non enim diutius moram protelari conſilium erat; quod Aprilis menſis erat, & campeſtres fruges in maturas meſſes coaluerant. Ramula eſt ciuitatula, muro indiga, beati *Georgii*, ſi famæ credimus, Martyrii conſcia. Cuius ibi ab antiquo fundatam Eccleſiam Turci nonnihil deformauerant; tunc metu Francorum ſubreptis omnibus ſuis in montana dilapſi. Sequenti mane dubio adhuc diei & noctis confinio, *Tancredus* nepos *Boamundi*, præſtans animi miles, ſumptis armis, & quidam alii Bethleem pertendunt, loca vicina explorare cupientes. Syri, qui eſſent in loco progreſſi obuiam, lætitiam ſuam deſiderio lachrymante prodebant, ſaluti eorum pro paucitate nimirum metuentes. Nam non multo plus quam centum milites venerant. At illi ſupplicibus votis ſacram ædem venerati, confeſtim Ieroſolymam intentis animis inuadunt. Turci quoq; pro fiducia virium mentibus efferati foras exiliunt, in noſtros aliquantiſper arietantes. Totus enim iam exercitus aduentarat. Sed mox Francis annitentibus ſummoti hoſtes clauſtrorum muralium obiectu ſalutem ſuam tutabantur.

al. cura vita.

De ſitu & poſitione Ieruſalem nihil me dicere copia ſcriptorum admonet, nec neceſſe eſt, vt in hoc campo mea exultet oratio. Adeo fere omnium notitiæ patet: quod *Ioſephus*, quod *Eucherius*, quod *Beda* ſcripſere. Quis enim neſciat eam à *Melchiſedec* Salem, à *Iebuſeis* Iebus, à *Salomone* Ieroſolymam vocatam. Quis non audierit quotiens ſub aduerſo marte cadens ciues ruinis ſepelierit ſuis, vel *Nabugodonoſor*, vel *Tito*, vel *Adriano* agentibus. *Adrianus* ille fuit, qui Ieroſolymam ex ſuo cognomine cognominatam Heliam orbiculato & maiore murorum ambitu ædificauit, vt locum Sepulchri Dominici, quod olim extra fuerat, amplecteretur. Nam & mons Sion intra vrbem receptus pro arce ſupereminet. Fons intra nullus, ſed ciſternis ad hoc pręparatis colliguntur latices ſiti ciuium profuturi. quod ipſius vrbis ſitus ſupercilio ab Aquilone montis Syon incipiens, ita ſit molli cliuo diſpoſitus, vt pluuia ibi decidens, nequaquam lutum faciat, ſed inſtar fluuiorum vel in ciſternis excipiatur, vel per portas defluens torrentem Cedron augeat. Ibi Templum Domini & Templum quod dicunt *Salomonis*, quibus incertum auctoribus ædificata; Turcorum celebri frequentia colebatur: Templum præſertim Domini, quod quotidianis venerabantur excubiis, Chriſtianoſq; ingreſſu arcebant, ſimulachro *Mahumet* ibidem collocato. Ibi * decẽti opere compacta Eccleſia ſancti Sepulchri capax, à *Conſtantino* magno ædificata, nullam vnquam ab inimicis fidei tulit iniuriam, metu ſicut coniicio pro igne cœleſti perculſis, qui quotannis in vigilia Paſcæ lampadibus ſerenus infulget. Quod miraculum quando cœperit, vel ſi ante tempora Saracenorum fuerit, nullius hiſtoriæ cognitione diſcernitur. Legi ego in ſcripto *Bernardi* Monachi, quod abhinc annis ducẽtis quinquaginta, id eſt, anno incarnationis octingenteſimo ſeptuageſimo idem Ieroſolymã profectus, ignem illum viderit, hoſpitatuſq; fuerit in Xenodochio, quod idem glorioſiſſimus *Carolus* magnus conſtrui iuſſerat. vbi & Bibliothecam ingentis expenſæ compegerat. Tãtamq; & Ægypti & per id locorum commemorat pacem Chriſtianos ſub Turcorum dominio habuiſſe, vt ſi alicui vianti in mediis forte triuiis iumentum, quo neceſſaria veheret defungeretur, ille relictis ſarcinis ad proximam vrbem expeditus, pro auxilio pergeret, omnia quæ dimiſerat illibata proculdubio reperturus. Nullus tamen ibi Chriſtianus alieni-

al. tereti.

gena

gena ſecure viuere pro exploratorum ſuſpicione poterat, niſi ſigillo Imperatoris Babylonii fretus. Indigenæ pacem Turcorum tribus annuis talentis vel Bizantinis redimebant. Veruntamen quia *Bernardus Theodoſii* tunc Patriarchæ nomen non tacet, ipſa me monet occaſio, vt omnia Patriarcharum nomina proponam.

Iacobus frater Domini, filius *Ioſeph*, *Simon* filius *Cleopha* conſobrinus *Chriſti*, (*Cleophas* autem fuit frater *Ioſeph*,) *Iuſtus*, *Zacheus*, *Tobias*, *Beniamin*, *Iohannes*, *Machabeus*, *Philippus*, *Seneca*, *Iuſtus*, *Leui*, *Effrem*, *Ieſſe*, *Iudas*, (hi quindecim circumciſi fuerunt) *Marcus*, *Caſsianus*, *Publius*, *Maximus*, *Iulianus*, *Gaius*, (iſte primus celebrauit Paſcha & Quadrageſimam more Romanorum) *Symmachus*, *Gaius*, *Iulianus*, *Capito*, *Maximus*, *Antonius*, *Valens*, *Docilianus*, *Nanciſſus*, *Dinus*, *Germanio*, *Gordius*, *Alexander*, *Mazabanus*, *Irmeneus*, *Zabdas*, *Ermon*, *Macharius*, (huius temporibus inuenta eſt ſancta crux à beata *Helena*) *Ciriacus*, *Maximus*, *Cirillus*, iſte conſtruxit Eccleſiam ſancti Sepulchri & montis Caluariæ, & Bethleem & vallis *Ioſaphat*. Hi omnes vocati ſunt Epiſcopi. Poſt hos ſurrexere Patriarchæ: *Cirillus* protus Patriarcha, *Iohannes*, *Prailius*, *Iuuenalis*, *Zacharias*, (in cuius tempore venit * *Coſrol* rex Perſarum Ieruſalem, & deſtruxit Eccleſias Iudeæ & Ieruſalem, & occiſa ſunt ab exercitu ſuo triginta ſex millia Chriſtianorum) *Modeſtus*, (iſte conſtitutus eſt Patriarcha ab *Heraclio*, Imperatore, poſtquam reuerſus eſt victor de Perſide) *Sophronius*, (cuius temporibus venere Saraceni, & eiecerũt Chriſtianos omnes de Ieruſalem, excepto Patriarcha, quem ob reuerentiam ſanctitatis ibi dimiſerunt. Illud fuit tempus, quo Saraceni totã Ægyptum, & Aphricam, & Iudæam, & etiam Hiſpaniam, & Baleares inſulas peruaſerunt. Partem Hiſpaniæ abſtulit iis *Carolus* magnus, reliquam, & omnes, quas nominaui terras poſſident vſque hodie annis abhinc circiter quingentis) *Theodorus*, *Ilia*, *Georgius*, *Thomas*, *Baſilius*, *Sergius*, *Salomontes*, *Theodoſius*, hũc *Theodoſium* fuiſſe Abbatem *Bernardus* memorat, & raptum de monaſterio ſuo, quod diſtabat ab Ieruſalem quindecim millibus, & factum fuiſſe Patriarcham Ieroſolymæ; Tunc etiam Patriarcham *Michaelem* dicunt fuiſſe Patriarcham Babylonis ſuper Ægyptum, tranſlato Pattiarchatu Alexandriæ in Babylonem; *Ilia*, *Sergius*, *Leonthos*, *Athanaſius*, *Chriſtodolus*, *Thomas*, *Ioſeph*, *Oreſtes*, (in cuius tempore venit *Achim* Soldanus de Babylonia, nepos *Oreſtis* Patriarchæ, & miſit exercitũ ſuum Ieruſalem, & deſtruxit omnes Eccleſias. ſcilicet quatuor millia; & auunculum ſuum Patriarcham adduci fecit Babyloniam & ibidem occidi) *Theophilus*, *Nicephorus*, (hic ædificauit caſam ſancti Sepulchri, quæ nunc eſt fauente Soldano *Achim*) *Sophronius*, (in cuius tempore Turci Ieroſolymam venientes pugnauerunt cum Saracenis, & omnes interfecere, & obtinuere ciuitatem; Chriſtiani autem remanſerunt ibi ſub dominio Turcorum) *Cuthimus*, *Simeon*, huius tempore venerunt Franci & expugnauerũt Ieroſolymam, & liberauerunt eam de manibus Turcorum, & regis Babyloniæ.

al. Coſdroa.

Anno igitur Ieroſolymitanæ peregrinationis quarto, poſt captam Niceam tertio, poſt Antiocheam ſecundo, obſeſſa eſt à Francis Ieruſalem. Vrbs bellorum maxima merces, blandimentum laborum, ſupremæ ſpei viaticum. Erat tunc Iunii menſis dies ſeptimus, nec quicquam ſibi obſeſſor verebatur in cibatu, vel in potu, quod meſſis in agris, vuæ in vineis maturauerant, ſola iumentorum cura erat * miſerabilis, quæ pro qualitate loci & temporis nullo ſuſtentabantur irriguo. Nam & fontis Siloe receſſus, qui horis incertis dulcibus ſcatet aquis, tunc calor ſolis ebiberat. Fons ille ſi quando pluuialibus aquis paſcitur, torrentem Cedron auget, indeq; vndiuomo impetu in vallem *Ioſaphat* decurrit. Sed hoc admodum raro, quia nullus eius augmenti, vel decrementi certus eſt terminus. Quocirca noſtros ad aquationem iumentorum crebro diſperſos hoſtes è cauernis egredientes inopine cædebant. Interea duces ſuo quiſque muneri, *Raimundus* vero turris *Danidica* impiger aſſiſtebat. Hæc ab occaſu ſolis vrbem muniens, ad medium fere tabulatu quadratorum lapidum plumbo infuſo compaginata, omnem metum obſidentium paucis intus defendentibus repellit. Itaque videntes vrbem ad capiendum propter prærupta montium, & firmitatem mœnium, & ferocitatem hoſtium difficilem, machinas fieri præcepere. Et prius quidem obſeſſionis die ſeptimo fortunam ſcalis erectis tentarunt, in reſiſtentes volaticas moliti ſagittas. Sed quia erant ſcalæ paucæ, & aſcendentibus damnoſæ, quod vulneribus vndiq; expoſiti nulla parte protegerentur; conſilium mutarunt. Vnum fuit machinamentum quod noſtri ſuem, veteres vineam vocant, quod machina leuibus lignis colligata, tecto tabulis, cratibuſque contexto, lateribus crudis coriis * communitis, protegit in ſe * ſubſidentes, qui quaſi more Suis ad murorum ſuffodienda penetrant fundamenta. Alterum fuit pro lignorum penuria turris non magna in modum ædificiorum facta, * *Berefreid* appellant, quod faſtigium murorum æquaret. Hoc machinamentum dum fieret, moram obſidioni dedit pro fabrorum inſcitia, &

al. miſeria

al. munitis

al. ſubſiſtentes.

al. Berefreit

lignorum penuria. Et iam quartus decimus dies Iulii voluebatur, cum hi admotis vineis murum ſuffodere, hi turrem promouere cœperunt. Quod vt opportunius fieret, membratim diſiunctam, ad muros tulere; ibiq́; prope quantum à iactu ſagittæ cauere poterãt, compaginata rotarum volubilitate pene muro cõiunxere. Interea funditores lapidibus, ſagittarii iaculis, arcubaliſtæ telis, quiſque ſuum * exercentes officium, inſtare, & propugnatores de muro ſummouere; Milites quoq́; virtute incomparabiles turrim aſcendere, æquo iam pene Marte telis, & lapidib. in hoſtes agentes. Nec illi feriis vacabant, ſed omnẽ virtuti ſalutem committentes, adipem, & oleum ignitum in turrim, & in milites fundabalis iaculabantur, multorum mortibus ſui voti ſe compotes gloriantes. Ità toto illo die certatum, vt neutra pars ſe victam putaret. Sequenti die, qui erat quintusdecimus Iulii ad ſuprema ventum. Namq́; Franci, pridiani certaminis euentu eruditiores, faſces oleagino ſucco viuidas in turrim muro proximam, & eius cuſtodes iecerunt. At flamma vento agente in comas erecta primo ligna, poſtea lapides corripiens cuſtodes effugauit. Quin & tigna, quæ Turci è muro pendula dimiſerant, vt turrim, ſi propius admoueretur reducto niſu brachiorum arietando effringerent, Franci funibus deſectis ad ſe traxere, & de machina in murum iactis, cratibuſq́; conſtratis pontem, qui turrim, & mœnia continuaret, fecerunt. Ita perfidis verſum in exitium, quod parauerant ad remedium. Tum vero & fumeis flammarum globis, & noſtrorum audacia hoſtes infracti fugam ineunt. Alii in murum, & inde in vrbem progredientes, quantum illa animorum lætitia exigebat, manibus egere. Et hæc quidem victoria in parte *Godefridi*, & duorum *Robertorum* euenit. Ignorabat hoc *Raymundus*, donec fugitiuorum clamor, & ſe de muro vltro præcipitantium timor, (qui dum mortem fugiunt, mortem inuadunt) vrbem captam prodidit. Quod intuitus ſtrictiſq́; gladiis in fugientes irruens, quantum animoſitati ſuæ ſufficere iudicauit, iniurias Dei vltum ire feſtinabat. Quingentos quoque Æthiopas, qui in arcem *Dauid* refugi claues portarum, pollicita membrorum impunitate, tradiderant, ſpectato præſentis pacis commodo incolumes Aſcalonem dimiſit. Nec vllum erat tunc Turcis refugium, ita & ſupplices, & rebelles inſatiabilis victorum ira conſumebat. Decem millia in Templo *Salomonis* interfecta, plura ex faſtigiis Templorum, & arcis præcipitata. Poſt hæc cadauera cumulata igne immiſſo in aerium reſoluta ſunt elementum; ne ſub diuo in tabem fluentia inerti attraherent contagia mundo. Ita cęde infidelium expiata vrbe, ſepulchrum Domini, quod tamdiu deſiderauerant, pro quo tot labores tulerant, ſupplicibus cordibus, & corporibus petierunt. Quot ibi precum thurificatione cœlum incenderint, quot lacrymis Deum in gratiam reuocauerint, nullus vnquam profiteor euolueret; non ſi veterum pompatica eloquentia procederet, nõ ſi *Orpheus*, qui vocalibus fidibus auritos, vt dicitur, ſcopulos flexit, reſurgeret. Cogitetur igitur potius, quam dicatur.

Illud inſigne continentiæ in omnibus optimatibus exemplum fuit, quod nec eo die, nec conſequentibus quiſquam reſpectu prædæ auocauit animum, quin cœptum perſequerentur triumphum. Solus *Tancredus* intempeſtiua cupidine occupatus, quædam pretioſiſſima de Templo *Salomonis* extulit: ſed poſtmodum ſua conſcientia, & aliorum conuentus colloquio vel eadem, vel appreciata loco reſtituit. Tum quicunque egenus vel domum, vel aliquas diuitias inuaſit: nunquam vlterius vllius locupletis tulit conuitium, ſed ſemel poſſeſſa in ius adoptauit hæreditarium. Nec mora prælucidum illud Chriſtianę nobilitatis ſpeculare, in quo velut in ſplendido lacunari omnium virtutum repercutiebatur iubar, *Godefridus* in regem eligitur omnibus non ignaua ſpe conferentibus, nullo modo poſſe decentius proſpici Eccleſiæ vtilitatibus; dilato interim de Patriarcha conſilio, qui Romani Papæ deberet ſubſtitui iudicio.

At vero Babylonis Imperator, non illius, quæ à *Nemroth* facta, à *Semiramide* aucta, nunc aſſeritur deſerta: ſed illius, quam *Cambyſes Cyri* filius ædificauit in Ægypto, in loco vbi quondam fuerat Taphnis. Imperator ergo Babylonis, diu conceptas in Francos iras parturiens, miſit ducem militiæ, qui eos de regno ſuo, vt dictitabat, propelleret. Ille præcepta maturans munia, cum audiſſet captam Ieruſalem maiori cura ſtimulauit negotium, quãquam antea nil ſegnitiei admiſiſſet. Eratq́; barbaro animus, vt Chriſtianos in Ieruſalem obſideret; & poſt victoriam, quam iam mente ſomniabat, falſo præſagus ſepulchrum Domini a fundo erutum dilapidaret. Noſtri, qui nil minus diligerent quam obſidiales ærumnas denuo * perpeti, ſumpta ex Dei parte audacia, ex vrbe verſus Aſcalonem prodeunt, obuia hoſtibus inferentes pectora, portabantq́; ſecum Dominici ligni, quam quidam Syrus ciuis Ieroſolymitanus auitã ſucceſſione domi cuſtoditam propalauerat. Fœlix plane, & fidele furtum, vt toto tempore Turcis celaretur myſterium. Ingentem ergo prædam pecorum, & pecudum * iuxta Aſcalonem nacti; generale propoſuerũt edictum, vt omnia in pa-

al. exercens.

al. experiri.

al. ſecus.

in patulis campis relinquerent, ne poſtero mane pugnaturis impedimento forent: ſatis ſuperq; ſe prædam habituros, ſi vincerent, dummodo expediti diuinas vlciſcerentur iniurias. Itaq; mane iam * prodeunte exercitu videres ſupero, credo, inſtinctu, cornibus erectis pecora lateribus militum obambulantia, nec vlla poſſe abigi violentia. Quod eminus hoſtes intuiti, & ſolarib. radiis viſus hebetati, animis ante prælium conciderunt, quod crederent innumeram eſſe aduerſariorum manum: quamuis ipſis non deeſſet militaris copia multo exercitio ad prælium præparata. Lentius itaq; procedentes Francos, bipartito agmine, & ſinuatis alis includere conati ſunt. Sed duces, & maxime *Robertus* Normannus, qui anteſignanus erat, arte artem, vel potius virtute calliditatem eludentes; ſagittariis & peditibus deductis, medias gentilium perruperunt acies. Eques quoq; *Lotharingus*, qui in extremo agmine cum domino ſuo erat, à lateribus inuolitans libertatem fugæ, & campos abſtulit omnes. Ita Turci ab anterioribus penetrati, & ab exterioribus incluſi, * ad voluntatem victorum cæſi ſunt; reliqui, noctis quæ imminebat beneficio liberati. Multum aureæ ſupellectilis in eorum caſtris inuentum: multum gemmarum, quarum raritas in noſtris regionibus incognita, ibi natiuo decore refulgurat. nec vlla victoria lætior fuit Chriſtianis, quod incruenti opima retulerunt ſpolia.

al. procedente.

al. ad ſatietatem

Ieruſalem itaq; reuerſi, cum ſtatiua multorum dierum requie vires reformaſſent, quidam ſuſpirantes in natalis ſoli deſiderium marinum adornarunt reditum. Soli *Godefridus*, & *Tancredus* remanſerunt: prædicabiles profecto principes, & quorum titulis nullas vnquam affiget metas poſtera, ſi rectum iudicet, ætas: viri, qui ab extremo Europæ frigore in importabiles ſe Orientis calores immerſerunt, vitæ ſuæ prodigi, dummodo Chriſtianitati laboranti ſuccurrerent; Qui præter metum barbaricorum incurſuum, ſemper pro incommoditate ignoti populi ſuſpecti, ſecuritatem quietis & ſanitatis in patria contempſerint, & pauculi numero tot inimicorum vrbes, fama & effectu virtutum preſſerint; memorabili fiduciæ Dei exemplo, vt illic non dubitarent ſubſiſtere, vbi vel peſtifero afflarētur aere, vel Saracenica occiderentur rabie. Cedant ergo poetarum præconia: nec priſcos heroas vetus attollat fabula. Nihil vnquam horum laudi comparabile vlla genuere ſecula. Nam & ſi qua fuit illorum virtus, in ſepulchrales fauillas poſt mortem euanuit: quod potius in mundialis pompæ fumum, quam in vllius boni ſolidum effuſa fuerit. Iſtorum autem fortitudinis ſentietur vtilitas, & oſtendetur dignitas, quamdiu orbis volubilitas, & ſancta vigebit Chriſtianitas. Quid vero de diſciplina, & abſtinentia totius exercitus dicā? Nulla ibi ventris ingluuies, nulla fuit penis illuuies, quæ nō continue vel ducū auctoritate, vel Epiſcoporum ſermone corrigeretur. Nulla prędandi per terras Chriſtianorum cupido: nulla inter ſe controuerſia, quæ nō facile mediatorum iudicum cognitione recideretur. Quapropter, quia tam ordinati exercitus laus ad prçlatorum redundat gloriam, ſingulorum procerum facta & exitus ſcripto inſigniam: nec quicquam veritati ſecundum relatorum meorum credulitatem ſubtraham. Nullus vero, cui amplior prouenit geſtorū notitia, me pro incurioſo arguat: quia trans Oceanum Brittannicū abditos vix tenui murmure rerum Aſianarum fama illuſtrat.

Initium ergo laudum rex *Godefridus*, qui *Euſtachii* Comitis Bononienſis, de quo tempore regis *Edwardi* dixi, filius, materno excellētior genere, ad *Caroli* magni ſpectabat lineam. Siquidem mater *Ida* nomine, *Godefridi* antiqui Lotharingorum ducis filia, habuit fratrem à genitoris nomine *Godefridum* dictum cognomento *Bocardum*. Illud fuit tempus, quando *Robertus Friſo* (de quo ſuperius locutus ſum) mortuo *Florentio* Friſiæ duce, vxorem eius *Gertrudam* duxit; priuignum *Theodoricum* in ſucceſſionem Ducatus prouehens. Non tulit hoc *Bocardus*: ſed *Friſonem* expellens regionem ſuis * voluptatibus addixit: vltus ſe ille inſidiis, qui non poſſet præliis, per Flandritas ſuos ſedentem ad ſecreta naturæ extinxit, ferro per verenda immiſſo. Ita priuignus beneficio vitrici ſucceſſit ducatui. Vxor huius *Godefridi* fuit *Matildis* * *Marciſa*, quam ſuperior liber prædicat: quæ mortuo marito ducatum impigre contra Imperatorem retentauit, maxime intra Italiam: nam Lotharingiam, & inferiores terras Imperator obtinuit. *Ida* ergo, vt dicere inceperam, magnis ſpebus ad Comitatum Lotharingorum petendum, filium *Godefridum* erexit. Namque ſeniori filio *Euſtachio* hæreditas paterna obtigerat: minor *Baldwinus* pueriles adhuc annos terebat. *Godefridus* habilem ad arma ætatem nactus Imperatori *Henrico*, (de quo proximus liber loquitur) militiam ſuam conſecrauit. Ingentibus ergo ſudoribus eius in ſe transferens amicitiam, egregia liberalitate *Cæſaris* totam pro ſtipendio accepit Lotharingiam. Vnde factum eſt, vt orta inter Papam & *Henricum* ſimultate, cum eo ad oppugnandam Romam profectus, eam partem, quæ vigiliis ſuis obſeruabatur, primus prorumperet, magnam feneſtram irrupturis aperiens. Ita potiſſimū ſudans, & præferuidis venis ſuſpirioſus

al. voluntatibus

al. Marciſca

cellarium ſubterraneum, quod forte ſe diſcurſanti obtulerat: ingreſſus eſt; ibi cum nimio vini hauſtu intemperantiam ſitis placaſſet, febrem quartanam iniit. Dicunt alii venenato falerno infectum: quod ſoleant Romani & illius terræ homines totis infundere toxica tonnis. Alii, ei partem illam mœnium forte obtigiſſe, vbi Tiberis influens mane ſæuas exhalat nebulas; quarum pernicie omnes milites eius præter decem interiiſſe: ipſum amiſſis crinibus, & vnguibus dubie conualuiſſe. Veruntamen quodlibet horum fuerit, conſtat eum nunquam continuæ, ſed lentæ febris incommodo vacaſſe: donec audita fama viæ Ieroſolymitanæ illuc ſe iturum vouerit, ſi Deus propitius ei ſalutem largiretur. Quo voto emiſſo, ita ducis vires refloruiſſe, vt nodoſos integer art⁹, & ſpatioſo erectus pectore quaſi ſqualentibus annis exutus, recenti emicaret iuuenta. Quare diuinis beneficiis in ſe confluentibus reſponſurus Ieroſolymam iuit vel primus, vel cum primis, magnas in bellum cateruas trahens. Et quamuis durum & exercitatum militē haberet, nullus tamen eo vel prior in congreſſu, vel promptior in effectu habebatur. Deniq; notum eſt, quod Turcum in Antiochena obſidione ſingularem pugnam poſcētem medium à lateribus gladio Lotharingo diſſecuerit, & iam palpitabat aruis medietas hominis, cum alteram cornipes volucri curſu aſportauit: adeo firme nebulo inſederat. Alterum * equo cōgreſſum, librata in caput ſpatha a vertice ad inguina diffiderit: nec adhuc ictus horrendus ſteterit, ſed ſellam, & ſpinam equi penitus diſciderit. Audiui veracem hominem referentem vidiſſe ſe quod ſubiiciam; In ipſa obſidione militem Ducis pabulari progreſſum, & à leone inuaſum, obiectu clypei mortem aliquandiu diſtuliſſe: Indoluiſſe *Godefridum* viſo, & venabulo feram transfodiſſe: illam ſauciam, & dolore acrius ſæuientem, in principem irruiſſe adeo, vt ferro quod extabat è vulnere tibiam eius læderet; & niſi properaſſet gladio belluam euiſcerare, illud virtutis ſpecimen potuiſſet dente ferino interire. His ſucceſſibus clarus in regem Ieroſolymæ leuatur, propterea quod eſſet genere & virtute conſpicuus, nec tamen ſuperbus: paruum admodum & finibus anguſtum fuit regnum, quod præter paucas in circuitu villas nullas vrbes haberet. Nam & infeſta Regis valetudo, quam ſtatim poſt bellum Babylonicum incurrerat, ferias bellis dedit, vt nihil acquireretur, & diuina ſolertia barbaricas auiditates toto illo anno probe compeſcuit, vt nihil amitteretur. fama eſt Regem otii deſuetudine febrem antiquam nactam fuiſſe. Sed ego coniicio Deum placitam ſibi animam, & tot laboribus emeritam in melius regnum transferre mature voluiſſe, ne malitia mutaret animā ipſius, aut fictio deciperet intellectum illius. Igitur rota temporis referente annuum regni ſpatium, placida morte reſolutus, & ſub Golgotana rupe tumulatus eſt. Rex inuicti ſicut in ferrum, ſic in mortem animi: qui lachrymas aſtantium ſæpe benignus coercuit; interrogatuſq; de ſucceſſore, neminem nominatim, ſed tantummodo eum, qui dignus foret, pronuntiauerit; nec vnquam regium inſigne ferre ſuſtinuerit, profeſſus nimiam eſſe arrogantiam: ſi coronaretur ipſe ad gloriam in ea vrbe, in qua Deus coronatus fuerat ad contumeliam. Obiit 15. Kal. Auguſt.

al. equi.

Eo defuncto *Tancredus*, & alii proceres *Baldwinum* fratrem eius futurum regem pronuntiant, qui tum in Meſopotamia morabatur. Nam *Euſtachius* ſenior, qui cum *Godefrido* Ieroſolymam venerat, iamdudum hæreditarium ſolum repetierat. *Baldwini* actus integra & breui veritate apponentur, fidei ſoliditate accommodata dictis *Fulcherii* Carnotenſis, qui capellanus ipſius aliquanta de ipſo ſcripſit, ſtylo non quidem agreſti, ſed vt dici ſolet ſine nitore ac palæſtra, & qui alios admonere potuit, vt accuratius ſcriberent. *Baldwinus* igitur iter ſanctum cum cæteris adorſus, multos milites habuit indolis ſuæ complices. Quibus fretus, nouos ſibi exercitus ipſe moliri, ſplendidas occaſiones aucupari, quibus virtus eniteſcere poſſet. Deniq; non contentus communi omnium laude, trium dierum ab Antiochia ſpacio à reliquis diſcedens, Tharſum Ciliciæ vrbem nobilem voluntate ciuium recepit: Tharſum quondam *Pauli* Apoſtoli alumnam, in cuius honore ibi Eccleſia Epiſcopatus cernitur. Voluntarie Tharſenſes ſe eius clientelæ ſubdidere, quod eſſent Chriſtiani, & ipſius patrocinio ſe ſperarent à Turcis protegi. Certatim itaq; Cilices in eius ius tranſiere maxime poſt Turbexhel flexum, quod eſt oppidum natura inuictum; cuius nutum inferiora ſpectarent caſtella. Quo, vt dixi, dedito, cætera eius iudicium ſecuta. Nec ſolum Cilicia, ſed Armenia, & Meſopotamia familiaritatem viri appetiuere. Erant enim hæ terræ pene Turcorum dominio liberæ, ſed inequitationibus infeſtatę. Quare dux Edeſſæ vrbis, qui & ciuium odio & hoſtium gladio premeretur, literas neceſſitatis ſuæ interpretes *Baldwino* miſit. veniret ergo quantocius adoptionis præmio laborem veniendi conſolaturus: namq; ipſe ſexus vtriuſq; prole carebat. Ea eſt vrbs in Meſopotamia Syriæ vbere glebæ redditu, & negociatorum mercimoniis nominatiſſima: diſtans ab Euphrate viginti milliariis, ab Antiochia centum. Edeſſam Græci, Syri Rothaſiam dicunt. Ita *Bal-*

dwinus,

dwinus,exacto à legatis fidelitatis ſacramento,cum ſexaginta nouem ſolum militibus Euphratem transfretauit,ſpectaculo mirando, ſeu dicere velis fortitudinis, ſeu temeritatis, vt inter circumfuſas barbarorum nationes,quas alter haberet pro gente vel pro incredulitate ſuſpectas cum tantillo exercitu non hæſitaret procedere. Et ab Armeniis quidem, & Syris grato excipiebatur gaudio,& indulgēti fouebatur hoſpitio cum crucibus & candelabris per tramites occurrentibus. Turci autem poſterius agmen tentare aggreſſi,ſolertia *Baldwini* omnibus fruſtrati ſunt inſidiis,Samoſatenis exemplum fugæ facientibus. Samoſata eſt ciuitas vltra Euphraten,de qua fuit *Paulus* Samoſatenus, cuius hæreſim confutatam in hiſtoria *Euſebii* leget,qui volet.Hanc etiam ſi bene occurrit memoriæ, dicit *Ioſephus* obſediſſe *Antonium* quando ad eum venit *Herodes*. Huius igitur vrbis incolæ Turci qui primi fuiſſent in Francos audaciæ incentiuum,primæ defectionis dedere auſpicium. Itaque *Baldwinus* tuto Edeſſam perueniens nihil inferius,quam ſperabat inuenit.Nam & * inuitatoriis profuſo fauore ſuſceptus,& non poſt multum tempus, illo à perfidis ciuibus dilaniato,legitimum vrbis ducatum adeptus,toto tempore,quo Frāci apud Antiochiam, & Ieroſolymam laborauerunt,non immunis bellorum fuit, frequentibus aſſultibus hoſtes contriſtans ſuos. *al. inuitatoris*

At vero Nouembri menſe admonitus à *Boamundo* principe Antiochiæ, vt iter Ieroſolymæ iam tandem experirentur,profectionem compoſuit, propulſatiſq; ſolo candidi vexilli viſu (quod inſigne in prælio habebat) Turcis,qui ſperato eius diſceſſu pacem læſerāt, à dextra relinquens Antiochiam,venit Laodiciam.Ibi liberalitate *Raimundi* Comitis, qui ciuitati principabatur,tenui pretio ſufficientiam ſtipis mercatus, Gibello tranſito recentibus veſtigiis *Boamundum* inſecutus eſt,qui cum fixis tentoriis operiebatur.Iunxit ſe cum eis communione viæ *Daibertus* Piſanus Archiepiſcopus, qui nauigio multis ſibi ſociatis ciuibus Laodiciam applicuerat: & præterea duo alii Epiſcopi.Ita iunctis agminibus computabātur æſtimatione librata viginti quinq; millia.Quorum multi terras Sarracenorum ingreſſi pro charitate mercimonii fame concluſi; multi ex equitibus in pedites mutati,equis inedia interceptis. Accedebat miſeriis imbrium affluentia; quod in illis terris quaſi præcipiti torrente pluuia hybernis duntaxat menſibus inundet. Itaq; pauperes carentes mutatoriis algido rigore moriebantur,quam pluribus diebus nulli tecto ſuccedentes. Et huius quidem calamitatis nullum erat remedium, quod & tentoria, & ligna deficerent. At vero famem nonnihil leuabant,arundines mellitas continue dentibus terentes, quas cannamellas,compoſito ex canna,& melle,nomine vocant. Sic hi, omnino a Tripolitanis & Cæſarienſibus immenſo ære neceſſaria nacti,Ieroſolymam venere ſolſtitii brumalis die. Occurrit illis ad portas rex *Godefridus* cum *Euſtachio* fratre, quem ad hoc tempus detinuerat, nihil gratiarum & liberalitatis in eorum omittens obſequio. Illi peractis in Bethleem ex more Dominicæ natiuitatis ſolennibus *Daibertum* patriarcham conſtituere.In quo facto *Vrbani* Papæ conſenſum obligatum non ambigo:quod eſſet is & reuerendus ſenio,& potens eloquio,& pollens marſupio. Igitur poſt Circumciſionem Domini ſumptis in Iericho palmis,quod inſigne peregrinantium antiquitas inſtituit, ſedes quiſq; ſuas raptim repetere properarunt. Cauſa feſtinationis erat putor inconditorum cadauerum,quorum ita exhalabat cœnum,vt ipſum violaret cœlum. Quocirca tabida peſtis in auras effluens multos ex his qui nouiter venerant lætho dedit:cæteri per vrbes maritimas Tiberiadem,dico,& Cæſaream *Philippi* maturauerunt iter, quod eos tenuitas victus, & hoſtilis metus vrgebant. Sed fami,vt dixi, conſuluere pedum celeritate,& trecentorum militum,qui eos de Baldac caſtello infeſtabant, furori proſpexerunt militaris artis calliditate.Namq; ſimulata paulisper fuga, vt ipſi de anguſtiis locorum euadentes Turcos inducerent,conſulto ceſſere,ſed mox retrouerſi diſperſos hoſtes pro libito fudere. Putauerant illi noſtros pugnæ inhabiles,quod eſſent clypei eorum, & arcus pluuiali abundantia lentati:neſciebantq;,quod non in armorum,vel in tegminum fiducia, ſed in excellenti vi animorum,& crudo robore brachiorum victoria virorum conſiſtit.

Et tum quidem *Baldwinus*, Edeſſam,*Boamundus* vero Antiochiam incolumes remearunt.Initio autem Iulii menſis licentia famæ *Baldwini* auribus detulit,ſplendidum ducum noſtrorum margaritum offuſcatum, *Boamundum* ſcilicet captum, & in catenas eiectum,à quodam *Daniſman* gentili, & in illis terris potenti. Quapropter Ediſſenorum & Antiochenorum manu coacta inſignem Chriſtianorum contumeliam vlciſci ſperabat. Porro Turcus, (qui magis fraude & euētu quam virtute & militia ducem cepiſſet, quod cū paucis ad Meletimam vrbem recipiendam venerat) ſciens Francos pro rei pudore viribus extremis in ſe vſuros,in ſua ſe recepit,compoſitis ſane ordinib.non quaſi fugam intenderet,ſed quaſi triumphum duceret.Tunc *Baldwinus* vltra Meletimam duorū dierum viam

progreſſus, cùm videret hoſtem belli neceſſitatem declinare, redeundum putauit, & ante tamen vrbem in ſuos vſus non inuito præfecto *Gabriele* tranſduxit.

Interea perlato ad ſe nuncio de fratris obitu, prouincialium ac ducum in eius electionem conſenſu commendata Edeſſa *Baldwino* cognato arctiſſimæ neceſſitudinis propinquitate coniuncto; & præter hæc, neq; imprudenti neq; ignauo ad Ieroſolymitanum regnum mentem impulit. Congregatis ergo equitibus ducentis, & peditibus ſeptingentis, iter plenum mortis & periculorum ingreſſus, vnde audaciæ tantæ contuitu multi, quos falſo fideles arbitrabatur, fuga clandeſtina delapſi. Ille cum reliquis Antiochiam petiit, ingens momentum deſolatis futurus cōſilio ſagacis mētis informans, vt *Tancredum* peterent in ducatum. Inde per Gibeſium & Laodiceā venit Tripolim: cuius verbis Ammiratus natione quidem Turcus, ſed genio naturali clementiæ viſceribus profuſus, extra muros illi victui neceſſaria deſtinauit; adiecto quinetiā benignitatis mādato, vt prudēter ſe ageret, quia * *Ducach* rex Damaſcenorum tramitem anguſtum occupauerat, per quem illum venturum audierat. Ille, quem puderet minis Saracenis moueri, conſtanti animo, quo propoſuerat, contendit. Sed ad locum veniens fidem Ammirati probauit. Eſt enim, citra ciuitatem Berithum milliariis circiter quinque, locus omnino anguſtus iuxta mare, quem & prærupta rupium & arcta collium adeo coercent, vt centū viri faucibus illis potiti, quantumuis numerum itinerantium aditu prohibere queant. Locus eſt ineuitabilis de Tripoli Ieroſolymam euntibus. Huc ergo *Baldwinus* veniens ſpeculatores miſit, qui ſitum loci, & vires hoſtium renūciarent. Regreſſi legati difficultatem faucium, & aduerſariorum, qui inſederant, fiduciam vix pro timore intellecti anhelarunt. At *Baldwinus*, qui parum ab optimo, qui vnquam fuerit, milite diſtaret, nihil perterritus aciem diſpoſitam in eos conſtanter inſtituit. Tunc *Ducach* mittit aliquos, qui prælia prima laceſſant, eliciantque incautos, retentans ampliores vires in locis opportunis. Itaque illi primo magno impetu venire, mox ſubinde ſubterfugere, vt noſtros in anguſtias deducerent. Nō latuit *Baldwinum* huiuſcemodi calliditas; ſed antiquæ militiæ vſu inſtruct⁹, ſuis, vt fugam ſimularent, innuit, ſimul & vt ſuſpicionē metus vrgeret, ſarcinas & impedimēta, quę iā depoſuerāt reſumi, & iumēta ſtimulis agitari; quin & ordines laxari, vt hoſtes incurrerēt, edixit. Tū vero hoc viſo Turci exultare, & dirū frendentes, vt *Eumenides* exululare crederēs, noſtros inſequi. Quidam aſcenſis nauibus littora præoccupare, quidam equis præcurrere, & peregrinos incaute iuxta mare ambulātes interimere. Nec Franci ſimulatam fugam omiſere, donec ad planitiem, quam oculis deſtinauerāt, peruenirent. Nullique tumultus excuſſere viris mentes, quinimmo neceſſitas, qua intercepti erant, aluit, & miniſtrauit audaciam, & pauci terraque marique innumeras ſuſtinuere manus. Nāque vt viſum eſt ſatis metum finxiſſe, confertis ordinibus, & conuerſis ſignis inimicos iam iamque incurſantes incluſere. Ita verſa rerum facie, qui vicerant victi, & victi fuere victores. Turci pernicioſa clade proſtrati, reliqui ad naues præcipiti ſtudio fugientes, cum in altum plus iactu ſagittæ proceſſiſſent, ita nauigium remis, & totis pectoribus innixi propellebant, quaſi manibus aduerſariorum ad terram retrahi poſſent. Et vt miraculum non ſicut opinabile dubites, ſed ſicut viſibile quodammodo palpes, ſolummodo quatuor Chriſtiani milites fuſi victoriam cæteris ſanguine peperere ſuo. Quapropter confirmo, quod nunquam Chriſticolæ à Paganis vincerentur, ſi ante bellum fortitudinem ſuā cœleſtibus fulcirent præſidiis, & in bello armis ſuis amicas ſuperorum applicarent virtutes. Sed quia in pace omnibus ſe ingurgitant flagitiis, & in pugna ſola nituntur audacia; ideo, nec immerito, multoties fortitudo eorum deuiat à bona fortuna. Comes ergo pulchro triumpho exultans, cum reuerſus eſſet ad ſpolia cæſorum detrahenda, non paucos Turcos oſtendit viuos, quos damni corporis immunes, ſed pecuniis inanes dimiſit. Ipſe cum ſuis, ne aliqua fraus lateret retro ſecedens, nocte illa ſub oliuarum virgultis requieuit. Sed mox diluculo cum expeditis ad anguſtias acceſſit fide oculata viſurus loci naturam, intuituſque omnia tuta eſſe (nam Turci qui pridie circa montem diſcurſibus laſciuierant, nocte intempeſta, cæde ſuorum viſa, omnes diffugerant) ſignificatione fumi facta, ſicut conuenerat, ſociis diſceſſum hoſtium intimauit. Illi moratum vinculis abſolutis ducem continuo ſecuti. Tunc Berithi Ammiratus victum * præeūtibus miſit, pro virtute tanti exercitus ſtupefactus. Idē & Tyrii & Sidonii, & Acharonitę, qui & * Tholoamitæ, fecere, tacito metu Francorum fortitudinem ſuſpicientes. Nec minus homines *Tancredi*, qui in Caipha erant, liberales fuere, quamuis ipſe abſens eſſet. Caſtri illius nomen antiquum reperire nequeo; quia omnes mediterraneæ ciuitates, quas in Ioſepho legimus quondam fuiſſe, modo vel non ſunt, vel in viculos immutatæ nomina perdiderunt, maritimæ integræ manent. Ita per Cæſaream Paleſtinæ & Azotum in Ioppem ventum.

al. Dochac

al. prætereuntibus.

al. Ptholomaica

Vbi

Vbi prima illi gratulatio regni fuit, ciuibus ingenti gaudio portas aperientibus.

Igitur à Ioppitis Ieroſolymam deductus, & ibi fauorabiliter exceptus dierum * ſeptem ſpacio quieti ſatisfecit. Inde ne Turci dubitarent indolem regni eius magno eorum malo adoleſcere, verſus Aſcalonem expeditionem mouit. Cumq; non longe ab vrbe vires ſuas oſtentaret, impetentes Aſcalonitas facili opera depulit; opportunum tempus ad id, quod mente intendebat, operiens. Deniq; repulſionem illorum gloriæ ſuæ tunc ſufficere arbitratus, in montana receptui cecinit, vt hoſtes perſequeretur. Nec non & inimicorum damno neceſſaria ſuis conquiſiturus: qui pro penuria terræ fame ſingultiebant, quia illo anno meſſis ægra victum negauerat, ſpem prouinciæ ſterili prouentu decipiens. Itaque montana conſcendit, quo habitatores terræ Turci relictis villis conceſſerant, Syros ſecum in penitus abditos ſpecus immergentes. Sed inuenere Franci quo commenta fugitiuorum fallerent, fumo in ora cauernarum immiſſo: quo latrones fugati pertinaciam amiſere, vni & vni egredientes. Ita Turci ad vnum omnes interfecti, Syri reſeruati. Inde digreſſus exercitus, Arabiamq; petiturus, buſta præteriit patriarcharum *Abrahæ*, *Iſaac*, *Iacob*, & trium matronarum *Saræ*, *Rebeccæ*, *Liæ*. Locus eſt in Hebron, diſtans a Ieroſolymis tredecim millibus. Nam corpus *Ioſeph* iacet in Neapoli, quæ olim Sichem dicta eſt, marmore candido tectum, omnibuſq; tranſeuntibus perſpicuum. viſunturq; ibi fratrum eius mauſolea, ſed inferiori gloria. Venit ergo exercitus in vallem, vbi quondam Deus Sodomam, & Gomorram ſubuertit, cœleſtem flammam in ſceleſtos iaculatus. Ibi lacus per octodecim millia diffunditur nullius viuentis capax: præterea tractatu adeo horribilis, vt potantium ora torqueat, & guſtu amaro rictus diſtendat. Valli mons prominet, per loca ſcrobes ſalſas eructans, & quaſi congelato vitro totus perlucidus. Vbi colligitur quòd quidam nitrum, quidam ſalis gemmam vocant. Euadentes ergo lacum venerunt ad villam ſanè locupletiſſimam, & mellitis pomis, quæ dactylos dicunt, fœcundam, quorum eſu ſe infarcientes vix lacunas ventrium implere, vix ingluuiem faucium præ dulcedine temperare valebant. Cætera timore incolarum abraſa præter aliquantos Æthiopes ferrugineam capillorum lanugine fuliginem prætendentes. Quorum cædẽ noſtri æſtimantes infra virtutem ſuam non eos ira, ſed riſu dignati ſunt. Huic villæ ſubiacet vallis, in qua hodieq; ſilex cernitur, quo percuſſo *Moyſes* muſſitanti populo aquas infudit. Larex adhuc tam vberi & præcipiti riuo influit, vt molendinorum vertigines impetu ſuo rotet. Tum in decliui montis extat Eccleſia in honore legiferi *Aaron* ædificata, vbi ipſe mediante & cooperante fratre ſerebat cum Deo alloquia. Ibi à præuiis viarum gnaris, qui ex Saracenis Chriſtiani eſſent, addiſcentes inde vſque ad Babylonem nihil eſſe niſi ieiunum ſolum, & omnium bonorum indigum: Ieroſolymam reuerſi ſunt, primitias regni tot hoſtilium regionum ſubiectione Deo conſecraturi.

Paratis igitur regalibus inſigniis magna gloria in Bethleem die Dominicæ natiuitatis à *Daiberto* patriarcha coronatus eſt *Baldwinus*, fauſta omnibus acclamantibus. Nam ex tunc & deinceps nihil non venerationis regiæ, & ipſe labore ſuo eſt meritus, & aliorum fauore adeptus, quamuis minimi & pene dico pudendi regni dominus. Quare decet Chriſti Domini clementiam ſuſpicere, & in potentiæ illius contuitu ſpatiari, cuius ſuffragio timeri Chriſtiani poſſent, qui officere nequirent. Vix enim in tota militia, 400. milites erant, & tot pedites, qui Ieroſolymam, & Ramulam, & Caipham, & Ioppe cuſtodirent. Nam qui veniebant nauigio, intuto tamen inter tot hoſtium portus animo ſanctis adoratis ſtatim repatriandum cenſebant, pedeſtri via penitus intercluſa. Cumulabat quinimmo difficultatem, quod Martio menſe *Tancredus* diſceſſerat Antiochiæ principaturus, & nec ipſe regi, nec rex ipſi auxilium pro viæ longitudine conferre valebant; adde quod ſi neceſſitas expoſceret ſine irreparabilis diſcriminis metu gentem ſuam de vno in aliud caſtrum ne tranſduceret. Euidens ergo miraculum pronuntio, quod Dei ſolius tutum ſuffragio tanta barbarorum horrebat natio.

Illo anno, qui fuit Dominicæ incarnationis, milleſimus centeſimus primus, ignis ſacratus, qui ſolebat vigiliam Paſchæ illuſtrare, tardauit plus ſolito. Sabbato enim lectis alternatim lectionib. Græce & Latine, repetitoq; ter Kyrieeleeſon & * Claraſiorum melodia, perſtrepente, cum needum appareret ignis, & iam occiduus ſol veſperam vrgeret, noctem inueheret, ab omnibus cum mœrore in domos diſceſſum. Placuerat enim perpenſo conſilio, vt illa nocte omni homine vacaret ſancti Sepulchri Eccleſia, ne aliquis cui vlceroſa ſqualebat conſcientia, Deum magis irritaret ingerendi impudentia. Iamq; diluculo ſenſim in lucem ſerpente, proceſſio Latinorum ad templum *Salomonis* edicitur, vt ibi oraturi Dei miſericordiam inuitarent. Idem circa ſepulchrum Domini faciebant Syri, vi doloris barbas & capillos vellicantes. Nec diu potuerunt pati diuina viſcera, confeſtim igne

al. ſex

al. Claraſſyrorum

in vnam lampadem ſepulchri immiſſo. Quem cum aduertiſſet Syrus per feneſtram ſcintillantem plauſu manuum lætitiam procedens curſum patriarchæ accelerauit. Ille clauibus, quas geſtabat, adytum ædiculæ ſepulchralis aperiens, cœleſte munus cereo accenſo extulit, omnibus ad hoc concurrentibus communicans. Mox per omnem Eccleſiam cæteræ diuinitus accenſæ ſunt lampades, mirum in modum illa, quæ proxime illuminanda eſſet, fumo præmiſſo vicinam accenſionem docente. Sic nimirum Chriſti vetus artificium nouit quos amat terrere vt mulceat, & in materiam tranſeat laudis comminatio poteſtatis. Quia.n. dona Dei vſitata aſſiduitate ipſa vileſcunt hominibus; plærunq; aſſenſum indulgentiæ ſuę raritate commendat, vt ametur gratius, quod deſideratū fuerat ardētius.

Tunc ſtolus nauium Ianuenſium & Piſanorum Laodiceam applicuerat, & inde Ioppen proſpero curſu nauigauerat; nautæq; tractis ad terram ratibus, Ieroſolymæ cum rege Paſcha exegerant. Quorum ipſe virtutem pretio vadatus, tertiam partem pecuniæ pepigit de omnibus vrbibus, quas adquirere poſſent, & vicum vnum ciuitatis, quem eligerēt, ita præcipites auriq; cupidine cæcos magis, quam pro Dei amore impulit, vt ſanguinem ſuum nundinantes ſtatim *Azotum* obſiderent, & ad deditionem poſt tres dies flecterēt. Nec vero difficulter oppidani ſe dedidere, iram regis, ſi vi caperentur, reueriti, quia præterito anno *Godefridum* idem aggreſſum acriter repulerant, maleficio fortunæ adiuti. Siquidem cum ille ſuos aſcenſu ſcalarum in muros promouiſſet, iam victores, iam faſtigia mœnium tenentes, repentinus ligneæ turris caſus, quæ forinſecus muro adiecta erat, viros victoria priuauit, & plures extinxit; plures capti & ſæuitia Saracenorum dilaniati. Inde Cæſaream Paleſtinæ *Baldwinus* totis viribus, & obfirmato robore obſidens, cum videret ciuium pertinaciam & expugnandi difficultatem, machinas compaginari præcepit. factæ ergo petrariæ, facta turris ingens 20. cubitis altitudinem muri vincens. At vero noſtri moræ impatientes, & tam diutinæ impotes expectationis, ſcalis erectis murum ſuperare aggreſſi obſtinatione virium ad ſuperiora euaſere, conſcientia virtutis frementes, quod iam 15. diebus Saracenicis bellis intenti, tāti temporis ſpacium perdidiſſent. Quamuis igitur extrema vi a Cæſarienſibus certaretur multos molares in aſcendentes voluentibus, illi diſſimulato periculo *cuneo obſtantes perrupere, brachiis exertis, & ſtrictis gladiis rem agentes. Turci vlterius non ferentes, fugamq; adorſi, vel ipſi ſe præcipitauerunt, vel hoſtili manu occubuerūt. Plures ſeruituti, pauci redemptioni ſeruati, inter quos Ammiratus vrbis, & Epiſcopus, quem *Archadium* vocant. Eratq; ſpectaculum, quod videnti cachinnum excuteret, dum Turcus in collo Chriſtiani pugno percuſſus Byzantinos euomeret. Nam miſeri extremæ inopiæ metu mares intra gingiuas, fœminæ intra non dicenda, nummos abſconderant; vides quod aperte loqui erubeſcit oratio. Sed intelligit profecto lector quod volo, immo quod nolo dicere.

*al. cuneos

Nec adhuc quieuit Imperator Babylonis, quin ducem & exercitum ad expugnandos Francos miſſitaret. Illi nauigio Aſcalonem appulſi, mox iuxta Ramulam curſitarunt, curis regis abutentes, qui tunc Cæſarienſi bello tenebatur. Agrorum igitur depopulatione ad congrediendum crebrius illum irritarunt. At ille non impari calliditate, vt calor indomitus deferueſceret, vetito inſtantes paſſus langueſcere bello; hac effecit cunctatione, vt pleriq; morarum pertæſi dilaberentur, reliquos qui eſſent 11. millia equitum, 21. millia peditum cum ſuis 250. equitibus, peditibus paulo minus 700. inuaſit. Paucaq; cum militib. locatus, quib. ſi perſtarent, victoriam, ſi morerentur, gloriam promitteret, ſi fugerent, longe Franciam eſſe commoneret, primus in hoſtes irruit, productoq; aliquantum certamine, cum acies ſuas labare cerneret, deſperatis rebus occurrit. Ita nota ſui ſpecie Turcos proturbās, conto ducem proſtrauit, quo interempto tota diffugere agmina. Noſtri, qui principio pugnæ ita circumſepti fuerant, vt nullus alterum videret, tunc dominicæ crucis vexillo præuio adeo virtutem exercuerunt, vt quinq; millia trucidarent ex Francis 80. equites, pedites paulo plus deſiderati. Porro ſequentes ſucceſſus ſolatio fuerunt, quod equites 500. Arabas interemerunt. Illi ante Ioppen biduo cucurrerant, ſed parū explicantes Aſcalonem redibant, viſoq; eminus exercitu noſtro, ſuos eſſe ſperantes tanquam triumphantibus congratulari obuiam ibant. Sed tandem aliquando iaculis in ſe emiſſis intelligentes Francos eſſe, perinde palluerunt, ſicut nudis qui preſſit calcibus anguem, vt Poetæ verbo vtar. Itaq; ipſo ſtupore hebetes terga cædentibus exhibuere. Ita rex Ioppen perueniens errorem epiſtolæ, quæ *Tancredo* à Ioppitis miſſa falſo regem cum exercitu extinctum nunciauerat, veraciori ſcripto correxit. Iamq; *Tancredus* iter ad Ieroſolymam parauerat, cum nuncius veniens oſtenſo ſigillo regio mœſtitiam depulit, lætitiam reformauit.

Longum eſt ſi velim explicare omnia eius certamina, quomodo Tiberiadē, Sidonem, Accaronem, id eſt, Ptolemaidem, quomodo poſtremo cūctas maritimas vrbes ſubegerit:

quo

quo modo pene omnem diem Turcorum mortibus inſignierit, aut aſſultu clandeſtino aut bello publico. ingentes operas eiuſmodi deſiderat relatio hominis, qui ampullato eloquio,& curioſo abundet otio. Nobis vtrumq; deeſt, & quod maxime obeſt rerum expedita ſcientia;omnia vero indulgenti famæ credere,& facilitatem auditorum fallere veracis * hiſtorici non debet eſſe. Quocirca illa ſolummodo,quæ * ſcripto comperi, apponam,quibus ad vnguem comprobetur glorioſa viri deuotio,& gratia victura in ſeculo.illudq; conſtanter aſſeuerauerim,parua manu magna illum prælia perſæpe luſiſſe: nec vnquam campum fugiſſe præter apud Ramulam & apud * Acharonem. Enimuero ambas fugas prædicabiles exceperunt victoriæ,quod magis inconſiderata virtute, quam timore prouenerint,ſicut paucis inſertis lector agnoſcet.

al. hiſtoria — *al. ſcripta* — *al. Accaronem.*

Eo Septemb. cuius 7. Idus prædictum fuit prælium, *Willielmus* Comes Pictauenſis Ieroſolymam perrexit multa ſecum ducens agmina,vt æſtimarentur 60. millia militum,& multo plura peditum. Iuit cum eo *Stephanus* Comes Burgundiæ,& *Hugo* Lizianenſis, frater *Raimundi* comitis,& *Hugo magnus*,& *Stephanus* Bleſenſis, antiquæ diſceſſionis improperium noua & excogitata virtute ſarcire cupientes. Itaq; per Conſtantinopolim profectus,cum inſolenti reſponſo (vt ſuperius dixi) *Alexium* offendiſſet,illo non curante; vel potius procurante Solimanni incurrit inſidias,qui ſciens exercitum fame & ſiti laborare, quod aliquantis diebus errabundi per paluſtria, & inuia loca iuerant, cum 300. millibus ſagittariorum occurrit. Nulla vnquam luctuoſior Francis pugna viſa, quia nec timidum fuga,nec audacem virtus poterat eripere diſcrimini. quod in arcto loco pugnaretur, & in confertos ſagittarum nubes non fruſtraretur. Interfecta igitur pluſquam 100. millia præda omnis abducta;ita *Solimannus* ex manubiis Francorum claras manibus ſuorum nactus inferias,diſpendium Niceæ vltus eſt. Sed quia multis tramitibus itum erat,nec omnes eqſi,nec omnia direpta. Nam præter Pictauenſem; qui pene ad pudenda nudatus erat,cæteri omnes comites propte ſua defenſitauerant. Omnes ergo recollectis ex fuga militibus præter *Hugonem magnum*,quem mortuum Tharſenſis ciuitatis vrna excepit, Antiochiam conuolarunt;in quibus *Tancredus* egregiæ pietatis miles ingentem munificentiæ ſuæ gratiam oſtendit,cunctos quatenus poterat pecuniis ſuſtentans, *Willielmum* pręcipue,quem fortunæ viciſſitudo eo afflictauerat inuidioſius, quo ante prouexerat ſerenius, qui præter gazas,quarum damno non adeo afficiebatur,quod caducę ſunt,& reparabiles, ex tot militibus eximiis ſolus pene remanſerat ſuperſtes. Ita recreatis animis iter moliti, vndecunque belli occaſiones quærebant,ſenſit ſitim furentium prima Tortuoſa ciuitas: qua peruaſa & direpta non modicum præteritas ærumnas releuarunt. Inde ad anguſtias, de quibus ſuperius dixi venerunt, vbi eos rex iampridem operiebatur, contra Turcos, ſi prohibere vellent,opem laturus. Eius virtute defenſi,& benigno apud Ioppem hoſpitio excepti Ieroſolymam proximo Paſcha contenderunt, vbi ſacroſanctum ignem lętis hauſerunt oculis,deuotis adorarunt animis. Poſthęc reuerſi Ioppem aſcenſis nauibus,patriam quiſque ſuam redire meditabatur. Quorum Pictauenſis continua venti proſperitate prouectus patriam tenuit:cæteri retro violenter acti.

Iam vero menſe Maio * inchoante Turci & Arabes Ramulam obſederunt, ſuperioris anni damnum noui exercitus ſupplemento,eodem reficientes numero. Epiſcopus vrbis prudenter opportunitate ſpectata,cauit ſibi loco,Ioppem latenter profectus. Iamq; exierat credens falſo aſſerentibus non eſſe hoſtes pluſquam quingentos; itaq; nec aciem dirigere,nec pedites conuocare curauit,tantum milites regem ſequi cornicines monuerunt, multum amicis ſuadentibus vt Turcorum fraudes caueret. *Stephani* duo Bleſenſis & Burgundus regem equis inſecuti,ne deſides & inglorii, ſed triumphalis pompæ * conſcii terras repeterent ſuas. ſed aliam,quam opinabantur, gloriam, aliam victoriam fata parabant viris. Namq; rex viſa hoſtium multitudine, dum ſe fruſtratum opinione cognoſceret ira mentem ſaucius,& magnanimitatis conſcientia fremens, quid faceret,hæſitabat. Si cederet,præteritæ gloriæ ignominiam: ſi pugnaret,ſuorum mortes animo volutabat. Veruntamen, vicit calor ingenitus, & terga iam dabat metus, cum commilitonum hortatibus animatus,vt fugam in caſtellum per medios hoſtes intęderet,acquieuit. Cæteri cum clamore ſecuti denſiſſimas perruperunt acies,animas ſuas Deo conſecrantes, & mortes impigre vlti;comites quoq; feriendo defatigati adeo vt manus gladiis obrigeſcerēt,neci ſuccubuerunt. Rex in arcem lapſus ex 200. quos duxerat,aliquantos ſocios habuit,quib. orātibus vt vitam dignaretur fugiendo producere, ſua pericula mundo parui ponderis eſſe, illius vitam ad multorum profectum valere, vtpote qui omni ſeculo ſit virtutis ſpectaculum,quamuis in fractis rebus ingenti animi cōſtantia,dignum ſe credidit vita. Itaq; quinq; militibus comitatus in montana rependo inſidiantes eluſit. Militum vnus fuit *Robertus*

al. mediāte — *al. conſocii*

Anglus, vt ſuperius dixi, cæteros notitiæ noſtræ fama tam longinqua occuluit. Ille cum tribus aliis comprehenſus eſt, quintus euaſit cum rege. Turci extremam vim furoris in illos, qui euaſerant in arcem, effuderunt, in quibus fuit *Hugo* Lizianenſis, & *Gaufredus* Vindecinenſis: tres tantum ſuperſtites Ieroſolymitanis nuncii miſeriarum fuerunt. Rex interdiu latens, noctu per auia cornipedem curſu exhauſtum ſtimulans Azotum peruenit, pulchro, & ad miraculum Dei prono ſalutis euentu, quod paulo ante Turci diſceſſerant, qui iam biduo circa vrbem prædas egerant. Inde Ioppen nauigio veniens Ieroſolymitanis epiſtolam de vitæ ſuæ certitudine legauit. Portitor chartæ fuit homuncio Syrus, qui etſi inueniretur, habitus vilitate, & ſermonis noti commercio inſidiantes falleret. Hic notis ſibi per deuia compendiis perfidorum pericula declinans, tertio die Ieroſolymam peruenit. Tum equites, qui vrbem tutabantur iunctis ſibi auxiliarium peditum turmis ad Ioppen profecturi, iter mari proximum direxerunt mediterraneis deuitatis. extremi tamen agminis Turcis vrgentibus interfecti, quod vel equis, vel peditibus deſtituebantur. Ita congregatis ex Ieroſolymis nonaginta equitibus ex Tyberiade octoginta, quos *Hugo* dux ſtrenuiſſimus adduxerat in ſubſidium, armigeri quoque pro penuria in locum militum allecti. Poſtera ergo die moram pugnæ abſoluit, Turcis iam adeo ferocibus, vt paratis machinis murum Ioppes aggredi meditarentur. Præuentum hoc *Baldwini* diligẽtia, & Dominica cruce præuia, qua ſuperius bellum caruerat. Totis regni viribus alacriter itum in hoſtes: acriter certatum. at illi more ſolito noſtros circumgyrantes, actum de Chriſtianis putarunt hilari vlulatu vociferantes: ſed affuit, qui de cœlo reſpexit tandem Dominus Ieſus, Franciſq; animoſitatem ingerens inimicos campo priuatos coniecit in fugam. Hoc etiam in anteriori prælio factum eſt, vt non ſemel eiecti tentoriis, poſtea multitudine ſuperarint. Tum autem cum pedites eminus ſagittis, & equites lanceis comminus ferirent, omni ſpe pedibus commiſſa fugere perſeuerauere.

al. exertis

Altera illi pugna poſterioribus annis fuit, in qua milites noſtri Turcorum copia preſſi & in fugam acti, etiam ſalutare vexillum amiſere. Sed cum longiuſcule fugiſſent, reuerſi ſunt, pudor famæ trepidos animauit, vt ignominiam propulſarent. Ingens ibi pugna virorum fuit collato pede, & aduerſo pectore rem agentium. Noſtri crucem reportarunt, fuſis aduerſariis campum vindicantes. Ceciderunt ibi plures, quos ego quoque noram, inter quos *Godefridus*, abnepos eius nothus, iam inde à pueritia vmbram virtutis vultu colorans, veritatem animo ſpirans. Ambæ ergo fugæ fuere in principio quaſi fomentum ignominiæ, ſed in fine verax alimentum gloriæ. Illa nominatior, ſed iſta fructuoſior. Deinde ad ſupplementum rerum, quas amiſerat, ſimul & ad legitimum connubium non multo poſt Comitiſſa Siciliæ Ieroſolymam venit, tantas gazas cubiculo regis inferens, vt mirum cuiuis videatur, vnde mulier tam infinitos pretioſæ ſupellectilis cumulos coaceruarit; & tunc quidem illam thoro recepit, ſed non multo poſt dimiſit. Aiunt incommodo tactam, quo eius genitalia Cancer morbus incurabilis * exeſit. Illud conſtat, regem prolis inopem fuiſſe; nec mirũ ſi homo cuius ocium erat ægreſcere, vxoris amplexus horruerit, omnem ætatem in bellis deterens. Quibus laboribus effecit, vt admirabilis & pene diuina virtus eius fuerit præſentibus ſtimulo, futura poſteris miraculo. Obiit in expeditione Arabica menſe Aprili, & publico funere Ieroſolymis iuxta fratrem tumulatus cum decimo ſeptimo anno regni quartus accreſceret menſis. vir multis laboribus emeritus, & cuius gloriæ nullus prætendit nubila liuor, niſi quod fuerit pecuniæ iuſto tenacior, ſed huius culpæ facilis, & vera erit excuſatio, ſi conſideretur quod neceſſaria in remanentes effuſio munerum inhibuerit, quo minus mercaretur fauorem abeuntium.

al. Edeſſæ
al. ad hoc tempus
al. Recuſerunt

Succeſſit ei *Baldwinus* cognatus dux * Ediſſæ, quem moriens regem denunciauerat antiquis iam ſtipendiis laudatum. Ille * multis annis regnum impigre tutatus, etiam auxit Antiocheno principatu, quem occiſo *Rogerio* filio *Richardi* obtinuit. Vtraſq; ergo regiones egregio moderamine rexit, minori quidem præſumptionis rõcho ſed maiori & conſultiori prouidentia. Quamuis ſint, qui eius opinionem lacerent, tenacitatis eum nimiæ arguentes. Quare cum præterito anno non longe ab Ieroſolyma equitantem Turci cepiſſent, paucis aut nullis gemitibus ſui eum deſiderarunt. Latuitque pene anno & incolas, & rumigerulos, quo terrarum abductus, ſi ſuperis auris veſceretur, necne. * Refutarunt porro Ieroſolymitæ vel regem facere, vel ordinem & ducatum militum interrumpere, quo ad rei certitudo ſciretur, propter eius abſentiam in nullo infractiores. Poſtmodum vero cognito loco, quo vinculatus fuerat, milites audaciſſimi, ſpeciem negotiatorũ mentiẽtes, armis ſub veſtib. occultatis, oppidũ ingreſſi regẽ eripuere diſcrimini, proteſtati nõ ſe id conferre eius auaritiæ, ſed *Gozelim* de Turbexel gratiæ, qui nihil vnquã penſi fecerat,

quin

quin omnia, quæ poſſet, militibus erogaret, vixit diu frugi homo, & nulli, præter hanc culpam infamiæ obnoxius. Principatus Antiochenus ad * *Boamundum* ſpectat filium, de quo nunc dicam.

al. Boamundi.

Boamundus, *Roberti Guiſcardi* ex Normannia filius fuit. Alter *Rogerus* ex Appula genitus, qui cognomen marſupii a patre meruit, quod paterno & curioſo intuitu deprehendiſſet eum iam à tenero libenter nummos numerare. Nam Boamundus ætatis maiuſculæ nihil erat quod retineret, ſed etiam puerilia xenia diſpertiret. Itaque *Rogerus* Apuliam, quæ ſibi materno genere competere videbatur, accepit. *Boamundus* cum genitore ad Dyrrachinum bellum profectus eſt. Cumque oppidani fiducia mœnium iactitarent ideo vrbem Durrachium nominatam, quod contra omnes obſidiones imperterrita duraret: & ego (inquit *Guiſcardus*) vocor *Durandus*, & eouſq; in obſidione durabo, quo ciuitati nomen auferam: vt non Durrachium ſed Mollucium à modo dicatur. Cuius reſponſi conſtantia effecit, vt confeſtim pauefacti portas aperirent. Ita tutus à tergo cæteras vrbes, vſq; ad Theſſalonicam leuiore labore ſubegit. Iamq; illuc peruenerat, iam *Alexium* tum per ſe, tum per filium vinci poſſe docuerat, cum vxoria fraude deceptus ingens * diſpoſitum morte deſtituit. Tum vero *Boamundus* Apuliam reuerſus aliquot caſtella fraterna indulgentia tenuit, multa ipſe virtute & prudentia conquiſiuit. Nam ad fratrem ſpecie tenus ducatus peruenerat, alterum bello * meliorem ſecuti. Iam vero parui momenti fuit, quod paterni propoſiti ſequax *Guibertum* repellens *Vrbano* validiſſime aſtitit, & cunctantem impulit, vt Gallias ad concilium Clari montis accederet, quo eum *Raimundi* prouincialis Comitis, & Epiſcopi Caturicenſis epiſtolæ inuitabant. Concilioq; celebrato libens occaſionem accepit, & in Græciam copias traiecit, ſubindeq; promouens exercitum modeſte *Raimundum & Godefridum*, operiebatur. Quibus venientibus ſociatus magnum incitamentum cæteris erat diſciplinæ militaris ſcientia, & virtute nulli ſecundus. Sed quia quæ cum cæteris fecit, communi laudi ſors attribuit, & quomodo captus fuerit anterior ſermo notitiæ dedit, nunc qualiter ſe ſeruitio exuerit, dicendum. * Daniſman enim cum videret nihil vtilitatibus ſuis applicari, quod tantum virum teneret, inflexus animo de pacis conditionibus actitare cœpit, nam nec illum occidere, nec effuſa in ſe Chriſtianorum odia concitare, nec ſine ſpebus in perpetuum valituræ pacis dimittere volebat. Pollicitus ergo *Boamundus* continuam gentili concordiam, reuertit Antiochiam argenteos compedes, quibus illigatus fuerat, deferens ſecum, à ſuis ergo exceptus plauſibiliter, Laodiceam, & cæteras vrbes, quas *Tancredus* acquiſierat, ſuſcepit, ne videretur oſcitare otio, dum auunculus ſuſpiraret in ergaſtulo. Nec multo poſt Gallias venit offerens catenas ſancti *Leonardi* honori, quæ ſibi fuerant oneri. Fertur enim in primis ſanctus ille abſoluendorum vinculorum potens, vt videntibus, nec mutire audentibus aduerſariis, pondera ſua captiuus libere aſportet. Ita ducta vxore filia Regis Francorum, & altera *Tancredo* miſſa repetiit Apuliam, ſequentibus ſe Francorum proceribus, qui ſpe maioris commodi patriam deſerebant, ſimul & ſpectaturi cominus, quid viua virtutis ſpecies, efficeret, quam tam inſignis fama vbiq; loqueretur. Itaque ille diſpoſitis apud Apuliam rebus ſuis, denuo in *Alexium* efferatus eſt, prætendens belli cauſam peregrinorum iniuriam, qua ille perinfamis erat. Sed parum & prope nihil geſſit proſpere ſolertis Imperatoris deceptus aſtutia, qui omnes duces eius aut pecuniis obæratos ab eo alienauit, aut veneno, vt dixi, ſuſtulit. Quapropter animo deiectus Apuliam rediit, ibiq; poſt paucos dies, dum ad Antiochiam iter meditaretur, defungitur ætate citra ſenium, prudentia infra nullum, relicto tenerioris æui filio, vir in aduerſis conſtans, in proſperis circumſpectus. Nam & pro ſuſpicione noxiæ potionis paratum commentus erat remedium, cultellum, qui ante ora comedentis infixus, ſudore, mirum dictu, prodebat manubrii, ſi quid tecto illatum eſſet veneficii. Poſt eum *Tancredus* Antiochiæ principatui præfuit, haud pudendus auunculo nepos. Qui cum & ipſe communem mortalium viam obitu præpropero triuiſſet, ſucceſſit *Rogerius* filius *Richardi*. Is gloriæ anteceſſorum in bellis non impar, ignominiam tamen auaritiæ incurrit. Quapropter cum eum milites cauerent, ſtipendiario milite pene nullo & indigena raro Turcis congreſſus occubuit mortem ſuam non ignaue vltus. Nã cum ab Turcis captus & deloricatus, iuberetur enſem reddere, negauit ſe vlli redditurum niſi duci, quod omnes infra dignitatis ſuæ deditionem aſpiceret. Credidit infœlix Ammiratus ſimulatis vocibus, & iam galea caput nudatus porrexit manum, vt reciperet *Rogerij* gladium. Tunc vero ille infrendens, & totis fortitudinis reliquiis in ictum ſe cogens Turco caput decuſſit, moxq; perfoſſus excogitato genere virtutis dedecus ſeruitutis effugit. Eius mortem *Baldwinus* ſecundus Rex Ieroſolymorum vltus inſigniter, principatum ciuitatis & filiam ſuam *Boamundo* filio *Boamundi* ſeruauit fideliter.

al. depoſitum.

al. meliores.

al. Daniſſam.

Raimundus fuit filius *Willielmi* antiquiſſimi Tholoſæ comitis qui vir acer & efficax patriam anteceſſorum ſuorum ſocordia obſcuram titulis ſuis reddidit illuſtrem. Vxor eius *Almodis* multis viciſſim deſponſata multam ex omnibus ſobolem tulit, inſano muliercula pruritu & irreuerenti, vt cum ei longo vſu vir diſplicuiſſet, alias migraret nouos impletura penates; denique primum Arelatenſi Comiti nupta, mox illius pertæſa. Huic *Willielmo* ſe coniunxit, cui cum duos peperiſſet filios, Barcinonenſem ad connubium illexit Comitem. Porro *Willielmus* mortis confinis foribus Toloſanum comitatum dedit filio æquiuoco, ſed moribus abſono, quod eſſet craſſioris ingenii nihil Toloſani contra eum nouarent familiæ illius dominatui aſſueti. *Raimundus* vero viuacioris ſpiritus Caturcenſem accepit & immane, quantum auxit, Arelatenſi & Narbonenſi & Prouinciali, & Lemouicenſi adiunctis. Toloſam quoq; à germano emit pluribus annis ante magni motus viam profecto Ieroſolymam. Sed hæc multi temporis interceſſu & ætate impenſa labori. Itaque pugnis ſemper aſſiduus legitimam vxorem non deſiderauit, multinubo concubinatu voluptatem exercens. Deniq; ex vna pellicum filium natum *Bertrannum* cognatione, & hæreditate dignatus eſt, quod in aliquantis patriſſaret. Cui vxorem coniunxit *Mathildis* Marciſſæ neptem ex Longobardia natam, vt illius affinitate, * illius prouinciæ partes tutaretur.

al. illis.

Ipſe quoq; extremis fere annis vxorem aſciuit filiam Regis Tarraconenſis, ſplendidam dotem pactus, æternam ſcilicet prouinciarum conterminarum pacem. Nec multo poſt niuem capitis reſpiciens Ieroſolymitanum iter vouit, vt laſſi & effœti corporis vires iam vel ſero Deo deſeruirent; authore præcipue Caturcenſi Epiſcopo, cuius præcipua opera ipſe impugnatus ſemper fuerat: etiam in quodam duello altero lumine priuatus, cuius inſigne calamitatis præ ſe ferens non ſolum non occultabat, ſed etiam vltro gloriabatur ſpecimen nobilis militiæ oſtentans. Tunc autem mutua fœderati amicitia, vt ſenectutem ſuam diuinis conſumerent cultibus: *Vrbano* iam in prædicationem prono ſtimulos addidere, vt tranſitis Alpibus potiſſimum apud clarum montem concilium cogeret, quod eſſet ea ciuitas, & illorum patriæ propinqua, & ex tota Gallia venientibus opportuna. Veruntamen in ipſo ad concilium itinere pontifex obitu defecit. Succeſſit curæ illius pontifex Podii, de quo ſupra diximus, cuius hortatibus animatus, & vmbone protectus *Raimundus* primus omnium laicorum crucem accepit, adiiciens voto vt nunquam in patriam rediret, ſed potius duraturo in Turcos labore ruinam præteritarum iniquitatum extenuaret. Iam vero in itinere plura dedit indicia fortitudinis, ad laborẽ primus, ad quietem vltimus; plura etiam patientiæ, quod parte Antiochiæ, quam præoccupauerat, *Boamundo*, & turri *Dauid*, *Godefrido* libenter ceſſerit. Sed tandem nimiis exactionibus quorundam fracta patientia in deditionem vrbis Aſcalonenſis decidit. Siquidem in primo Francorum aduentu oppidani exploratis omnium ducum noſtrorũ moribus ipſum in patronum elegere, quod multi eo antea à monte * Peſſulano nauigio venientes negotiatum, fidem eius, & virtutem in cœlum tulerant.

al. Pillerio.

Itaq; traditis clauibus ſacramento ducẽ adegere vt nulli Chriſtianorum poteſtatem vrbis refunderet, ſi ipſe vel nollet tenere, vel nequiret. Tunc à proceribus muſſitatum eſt expoſtulantibus vrbem regis dominio, quod ei parum valeret regnum, ſi non haberet Aſcalonem, quæ hoſtibus eſſet receptaculo, noſtris obſtaculo. Et Rex quidem leniter, vt omnia, & vultu tranquillo conueniente moribus, rem allegabat, cæteri peruicacius, hæc illa verba parui pendebat, non infirmis rationibus dicta eorum caſſa faciens; omnes ſocios ſuos iam ſibi receptui cõſuluiſſe, partim patriam deuectos, partim acquiſitam inhabitantes prouinciam. Se ſolum abiurata natali terra nec illuc poſſe redire, nec * hîc receptum habere;

al. hac.

ceſſiſſe ſe in aliis, hoc modo paterentur, vt Aſcalonem in fidelitatem ſancti Sepulchri teneret, cæterũ ne redderet ſacramento feciſſe. Quo audito cuncti ſtrepere, cupidum & perfidum vocare, vt vix manibus temperarent. Contumeliæ huius rubore Comes ſuffuſus ab æqui boniq; viri deſciuit officio inimicis Dei claues contradens, & metum peierandi multorum in poſterum ſanguine compenſans: Neque enim ad hunc diem ciuitas illa capi vel vi, vel ingenio potuit : Quia & plures ex hominibus illius vrbis affluenti opulentia delectati fidei transfugio ciuium charitatem meruere. Ita vir ille Ieroſolymam egreſſus Laodiceam venit qua ſubiugata aliquantum ibi moratum nexuit. Cumque Conſtantinopolim iuiſſet, obtinuit Laodiceam *Tancredus* vi an amore ambiguum. Ille interim Byzantio commoratus, prudentia, qua vigebat effecit vt *Alexii* gratiam haberet. Vnde contigit vt imperatoris benignitate per tuta deductus ſocietate ærumnarum non implicaretur, quas *Willielmum* Pictauenſem, & cæteros ſuperius incurriſſe diximus, cum quibus Tortoſam ciuitatem cepit, ſed illis vltra euntibus ſolus poſſedit. Et vt latius vires ſuos ſpargeret, oppidum contra Tripolim, quod caſtellum peregrinorum vocant, firmauit, & ibi *Herbertum* Epiſcopũ ex abbate conſtituit. Et, vt quaſ-

quaſſæ ſuorum vires aliquanta quiete coaleſcerent, cum Tripolitanis in ſeptennium fœdus iecit. Veruntamen ante præſtitutum terminum pax rupta eſt deprehenſo intra caſtellum quodam oppidano cum pugione toxicato, quem ſub fœmore occuluerat. Tum profecto Tripolitanæ victoriæ ſupremam manum impoſuiſſet, niſi prope diem mors adueniens pſentis vitæ ſpiritū ſubduxiſſet ingentia parturientē. Cuius morte audita *Willielmus* de monte Peſſulano, & cæteri duces prouinciæ *Willielmum* peregrinum, quem in ipſa obſidione ex Hiſpania ſuſceperat, vix quadrimum in patriam deuehendum curarunt ſollicita omnium ſpe in ſucceſſionem educandum. Nec inuitus *Bertrannus* * factum, quamuis ſe inconſulto, audiuit, vt paternas adoreas inſtauraret. Itaque innumero ſuccinctus milite pręcipueq; Ianuenſibus, & Pizanis annitentibus, qui de coniugis cognatione erant, Tripolim terra, mariq; aggreſſus eſt, diuturnaq; obſidione fractam in poteſtatem redegit. Succeſſit ei *Pontius* ex Longobarda filius, adoleſcens gloriæ maiorum æmulus, ſortituſque eſt iugalem *Tancredi*, quondam Antiocheni principis vxorem. Id enim ille moriens præceperat, proteſtatus adoleſcere in ephœbo, & Chriſtianorum commodum, & Turcorum omnifariam diſpendium. *Pontius* ergo Tripoli principatur, ſancti Sepulchri ſe profitens ſeruum, auitum ſcilicet & paternum ſecutus exemplum. — *al. fratrē.*

Robertus filius *Willielmi* Anglorum Regis primi, natus in Normannia ſpectatæ iam virtutis habebatur adoleſcens, quando pater Angliam venit, fortitudinis probatæ quanquam exilis corporis, & pinguis aqualiculi. Inter bellicas patris alas exercuit primæuo tyrocinio, parenti in omnibus morem gerens. Veruntamen iuuentæ viridem indutus calorem, Normanniam ſe à patre adhuc viuente fatuorum ſodalium inſtinctu impetrare poſſe ſperauit. Quod cum ille negaſſet terriſonæ vocis roncho iuuenem abigens, iratus abſceſſit *Robertus*, multiſque aſſultibus patriam infeſtauit. Primo quidem excutiente genitore cachinnos, & ſubinde dicente per reſurrectionem Dei probus erit *Robelinus* curta ocrea: hoc enim erat eius cognomen, quod eſſet exiguus, cæterum nihil habens quod ſuccenſeres, quia nec illepidæ formæ, nec infaceti eloquii, nec virtutis imbecillæ, nec eneruis erat conſilii. Poſterius vero Rex adeo effera ſuccenſus eſt ira, vt eum & benedictione vltima, & hæreditate fraudaret Anglica, Comitatu tantum Normanniæ, ægre licet & improbe retento. Poſt nouem annos Ieroſolymitanæ viæ laboribus periculum ſuę fortitudinis fecit, & in multis quidem mirabilis apparuit, vt nunquam à Chriſtiano vel pagano potuerit ex equite pedes fieri. Tum vero maxime in bello Antiocheno, cuius ipſe victoriam pulchra experientia nobilitauit. Nam cum Turci, vt diximus, ſubito terrefacti fugæ ſe dediſſent, noſtrique palantes vehementer impeterent, * *Corbanach*, dux genuinæ virtutis memor retento equo, ſuos inclinauit, famulos ignauos, & annoſarum victoriarum oblitos vocans, vt victores quondam orientis paterentur ſe ab aduena, & pene inermi populo finibus excludi. Quo clamore multi reſumentes animum Francos cōuerſi vrgere, & propiores cedere cœpere, *Corbanach* ſuos animante & hoſtes feriente, vt Imperatoris, & militis officium probe exequeretur. Tum vero Normannus Comes & *Philippus* clericus filius *Rogerii* comitis de monte Gomerico, & *Warinus* de * Taneo caſtello Cenomannico mutua viuacitate ſe inuicem hortati, qui ſimulata ante fuga cedebant, conuertunt cornipedes, & quiſque ſuum comparem inceſſens deiiciunt. Ibi *Corbanach* quamuis Comitem cognoſceret, ſolo tamen corpore menſus, ſimul & fugere inglorium arbitratus, audaciam congreſſus morte propinqua luit, vitali ſtatim ſpiritu priuatus. Cuius nece viſa Turci qui iam gloriabundi vlulabant ſpe recenti exinaniti fugam iterarunt, in eo tumultu *Warinus* cecidit, *Robertus* cum *Philippo* palmā retulit. *Philippus* hac malitia * præcluus ſed Ieroſolymis, vt fertur, bono fine functus præter exercitium equeſtre literis clarus. Ita *Robertus* Ieroſolymam veniens, indelebili macula nobilitatem ſuam reſperſit, quod regnum conſenſu omnium ſibi vtpote regis filio delatum recuſaret, non reuerentiæ, vt fertur, contuitu, ſed laborum inextricabilium metu. Veruntamen patriam reuerſo, in qua licenter ſe delicatis voluptatibus inſeruiturum putauerat, affuit pro hac culpa (vt credo) Deus miſericorditer vbiq; ſæuiens, & omnes eius dulcedines amariſſimis offenſionibus offuſcans, ſicut conſequenti ſcripto palam fiet. — *al. Corbaguath.* — *al. Tanea.* — *al. præcluſus.*

Vxorem filiam *Willielmi* de conuerſana, quam rediens in Apuliam duxerat, cuius elegantiſſimæ ſpeciei prodigium vix vllius diſertitudinis explicabit conatus, poſt paucos annos morbo amiſit, decepta, vt dicunt, obſtetricis conſilio, quæ pro affluentis lactis copia puerperæ mammas ſtricta præceperat illigari faſcia. Sed acceſſit tantorum malorum grande ſolatium filius ex coniuge ſuſceptus, qui *Willielmus* dictus vaticinio nominis auiti, ſpem egregiæ * indolis aleret in poſterum. Pecuniam infinitam, quam ſocer eius dotis nomine annumerarat, vt eius commercio Normanniā exueret vadimonio, minorum — *al. probitatis.*

& nebulonum finibus ita ingeſſit, vt pauculis diebus nec nummus ſupereſſet. Præcipitauit quoq; eius infamiam inconſultus aduentus in Angliam, vt regnum *Henrico* fratri eriperet, ſed deſertorũ, qui eum inuitauerant, deſtitutus auxilio, germani paci facile acquieuit, vtriuſq; partis ducum arbitrio trium millium marcarum annuum donum ab Anglia verbo tenus habiturus. Nam promiſerat iſta Rex non daturus, ſed fratris facilitatem non neſciens blandam credulitatem luſerat, dum interim calor bellicus deuerueſceret. Porro ille quaſi cum fortuna certaret, vtrum plus illa daret, an ipſe diſpergeret, ſola voluntate reginę tacite poſtulantis comperta, tantam maſſam argenti benignus in perpetuum ignouit; accliues fœminei faſtus preces pro magno exoſculatus. Erat enim eius in baptiſmo filiola, offenſarum igitur immemor erat, culparum, quatenus non debet, remiſſor, omnibus pro voto reſpondens adeuntibus, ne triſtes dimitteret etiam, quæ dare non poſſit, cõpromittens. Qua morum dulcedine, qua laudari, & ſubiectorum amorem mercari debuerat, adeo in contemptum ſui Normannos exacuit, vt nullius eum momenti æſtimarent. Tunc enim potentum quiſq; ſibi aduerſari, tunc manubiæ prædarum per totam regionem agi, tunc vulgus expoliari. Quas incommoditates comiti prouinciales deferentes nullum referebant auxilium, dum ille primo commotus, mox vel munuſculo, vel temporis interceſſu ira langueſcente leniebatur. Idcirco extremis malis admoniti opem Regis *Henrici* cenſuere implorandam, vt laboranti patriæ ſuccurreret. Ille Cæſarianæ ſententiæ aſſiſtens, *Si violandum eſt ius gratia ciuium violandum eſt, aliis rebus pietatem colas*, non ſemel in Normanniam vires traiecit, vt laboranti iuſtitiæ manum daret: tantumque poſtremo valuit, vt totum terram præter Rothomagum, & Faleſium, & Cadomum ſubiugaret. Iamque *Robertus* ad hoc venerat, vt in vicis illis pene ſe altero, vagaretur, precarium victum à Burgenſibus nundinaturus. Quare offenſi Cadomenſes non diu in fide manſere; ſed Rege per nuncios admonito portis ſerratis, & repagulis obiectis vrbem clauſere. Quo *Robertus* cognito effugere geſtiens, vix permiſſus eſt, armigero tamen cum cubiculi pannis retento. Inde raptim, Rothomagum veniens, dominum ſuum Regem Francorum, & cognatum Comitem Flandrenſem de ſuffragio conuenit: ſed nullo impetrato ad bellum publicum venit vltimam fortunam experturus. Qua illum infœlici persequente captus, & ad diem mortis in libera tentus cuſtodia laudabili fratris pietate: quod nihil præter ſolitudinem paſſus ſit mali, ſi ſolitudo dici poteſt, vbi & cuſtodum diligentia, & iocorum præterea & obſoniorum non deerat frequentia. Tenebatur ergo ſociorum omnium * vitæ ſuperſtes, nec * vnquam vſque ad obitum relaxatus. Patria lingua facundus, vt ſit iocundior nullus, in aliis conſilioſus, vt nihil excellentius, militiæ peritus, vt ſi quis vnquam; pro mollitie tamen animi nunquam regendæ reipubl. idoneus iudicatus. Veruntamen quia iam ſuperius dixi, quæcunq; noram de *Hugone Magno*, & Blefenſi, & Flandrenſi Comitibus non incongrue, (vt opinor) quartum librum hac meta cõcludam.

al. via.

al. & vtrum aliquãdo ſit exiturus vero vacillante in dubio.

PROLOGVS LIBRI QVINTI.

ORDINE *rerum vocante tempus* Henrici *regis ingreſſi ſumus. Cuius geſta ſtyli officio poſteris tradere, maioris quam à nobis debeas eſt opera. Nam etſi ſola, quæ noſtras aures attigerunt, ſcripto mandarentur, cuiuſlibet eloquentiſſimi neruos fatigare, & grandia poſſent armaria grauare. Quis ergo conetur omnia illa conſiliorum pondera, illa geſtorum regalium molimina enucleatim retexere? altioris ſunt iſta negotii & otioſioris animi. Vix hoc auderet vel* Cicero *in proſa, cuius adorat ſales tota latinitas, vel ſi quis verſuum fauore* Mãtuanum *accepit poetam. Adde quod dum ambiguis relatoribus fidem detraho, homo procul ab aulicis myſteriis, ſecretus. maiora geſta ignorans, paucis manum appono. Quare verendum eſt, ne dum litera diſtant ab animi voto, minor videatur, cuius geſta multa prætereo. Veruntamen huius culpæ, ſi culpa dicenda eſt, bona erit apud illum deprecatio, qui meminerit me, nec omnia eius geſta potuiſſe noſſe, nec omnia, quæ noueram, ſcriptum iri debuiſſe: Alterum exegerit perſonæ meæ exilitas, alterum coactura ſit lecturorum ſatietas. Pauca igitur rerum eius liber hic quintus ſuo vendicabit gremio cætera proculdubio & feret fama, & victura in poſteros feret memoria. Nec vero à propoſito priorum quatuor degenerabit, ſed quædam, quæ hic & alias eius acciderunt tempore procudet, quæ forſitan vel non ſcripta, vel multis ſunt incognita. Occupabunt itaq; iſta magnam partem voluminis præfata venia tam longarum digreſſionum & in hoc, & in aliis.*

DE HENRICO PRIMO.

HEnricus iunior filius *Willielmi Magni* natus eſt in Anglia anno tertio poſtquam pater eam adierat; infans iam cum omnium votis conſpirantibus educatus egregie, quod ſolus omnium filiorum *Willielmi* natus eſſet regie, & ei regnum videretur competere. Itaq; tyrocinium rudimentorum in ſcholis egit liberalibus, & literarum mella adeo auidis medullis indidit, vt nihil poſtea bellorum tumultus, nulli curarum motus eas excutere illuſtri animo poſſent. Quamuis ipſe nec multum palam legeret, nec niſi ſummiſſe cantitaret. Fuerunt tamen (vt vere confirmo) literæ, quamuis tumultuarie libatæ, magna ſupellex ad regnandi ſcientiam, iuxta illam *Platonis* ſententiam, qua dicit *Beatam eſſe remp. ſi vel Philoſophi regnarent, vel reges Philoſopharentur.* Philoſophia ergo non adeo exiliter informatus, ſenſim diſcebat, vt ſucceſſu temporis prouinciales mitius contineret, milites nonniſi diligentiſſime explorata neceſſitate committere ſineret. Itaque pueritiam ad ſpem regni literis muniebat, ſubinde patre quoq; audiente iactitare Prouerbium ſolitus: *Rex illiteratus, aſinus coronatus.* Ferunt quinetiam genitorem non prætereuntem, notata morum eius compoſitione quibus viuacem prudentiam aleret, ab vno fratrum læſum, & lachrymantem his animaſſe, *Ne fleas fili, quoniam & tu rex eris.*

Viceſimo ergo primo regni paterni anno, ætatis 19. in Pentecoſte apud Weſtmonaſterium ſumpſit arma à patre, cum quo tunc Normanniam nauigans non multo poſt præſens funeri eius aſtitit, cæteris fratribus, quo quemq; ſpes tulerat, dilapſis, vt ſuperior ſermo non occuluit. Quapropter paterna benedictione, & materna hæreditate ſimul, & multiplicibus theſauris nixus ſupercilium germanorum parum faciebat, vtriq; vel aſſiſtens, vel aduerſans pro merito; inclinatior porro *Rodberto* pro manſuetudine, eius lenitatem ſuo rigore ſatagebat acuere. Contra ille noxia facilitate delatoribus credulus, fratrem immeritum iniuriis vexabat, quas vel breuiter taxare non erit incongruum.

Eo tempore, quo frementibus aduerſus *Willielmum* ſecundum Angliæ proceribus, *Robertus* in Normanniam ventum expectabat ad nauigandum: *Henricus* in Brittanniam eius iuſſu abſceſſerat. Tum ille occaſione aucupata omnem illam pecuniarum vim teſtamento patris a doleſcentulo legatam, quæ erat trium millium marcarum, in ſtipendiarios ſuos abſumpſit. Id *Henricus* reuerſus licet forſitan ęgre tuliſſet taciturna præteriit induſtria. Enimuero nunciata pacis compoſitione in Anglia, depoſita militia ferias armis dedere. Comes in ſua, iunior in ea, quæ frater ſuus dederat, vel promiſerat, diſceſſit. Namq; & in acceptum promiſſa referebat cuſtodiens turrim Rothomagi in eius fidelitatem; ſed delatione peſſimorum ceſſit in aduerſum fidelitas, & nulla ſua culpa in ipſo eodem loco *Henricus* libere cuſtoditus eſt, ne ſeruatorum diligentiam effugio luderet. Poſt mediũ annum laxatus, fratri *Willielmo* inuitanti ſeruiturum ſe obtulit. at ille nihilo modeſtius ephebum remunerans, plus anno inanibus ſponſionibus egentē diſtulit. Quapropter *Roberto* emendationem facti per nuncios promittente, Normanniam venit amborum fratrũ expertus inſidias. Nam & Rex pro repulſa iratus, vt retineretur, fruſtra mandarat; & comes accuſatorum lenociniis mutatus voluntatem verterat, vt blanditiis attrectatum non ita facile dimitteret. Verum ille Dei prouidentia, & ſagaci ſua diligentia cuncta euadens pericula, occupatione Abrincarum & quorundam caſtellorum coegit fratrem libenter paci manum dedere. Nec multo poſt *Willielmo* veniente in Normanniam, vti ſe de fratre *Roberto* vlciſceretur, Comiti obſequelam ſuam exhibuit Rothomagi prouentus. Deniq; regios eo interdiu venientes, qui dolo ciuium totam iampridem occupauerant vrbem, probe expulit admonito per nũcios Comite, vt ille à fronte propelleret, quos ipſe à tergo vrgeret. Vnde factum eſt, vt *Conanũ* quendam proditionis apud Comitē inſimulatum, quem ille vinculis irretire volebat, arbitratus nihil calamitoſius poſſe inferri miſero quam vt exoſum ſpiritum in ergaſtulo traheret. Hunc ergo *Conanum Henricus* ſuæ curæ ſeruatum iri poſtulauit. Quo conceſſo in ſuperiora Rothomagenſis turris eum duxit, iuſſoq;, vt late circumpoſita diligenter ex arcis ædito ſpecularetur, ſua per ironiam omnia futura pronuncians, inopinum ex propugnaculo deturbans in ſubiectum Sequanam præcipitauit. Comitibus, qui ſecum aderant pariter impellentibus proteſtatus, nullam vitæ moram deberi traditori, quoquo modo alieni hominis poſſe tolerari iniurias, illius vero, qui tibi iuratus fecerit hominium, nullo modo poſſe differri ſupplicium, ſi fuerit probatus perfidiæ. Parum hic labor apud *Robertum* valuit, virum animi nobilis, qui ſtatim ad ingratitudinem flexus bene meritum vrbe cedere coegit. Illud fuit tempus, quo vt ſupra lectum eſt, apud montem ſancti *Michaelis* ambobus fratribus *Henricus* pro ſui ſalute, ſimul & gloria reſtitit. Ita cum vtriq; germano fuerit fidelis, & efficax; illi nullis adoleſcentem poſſeſſionibus dignati ad maiorem prudentiam æui proceſſu penuria * victualium informabant.

al. mã-ſualium.

Occiſo vero Rege *Willielmo*, vt ſupra dictum eſt, poſt iuſta funeri regio perſoluta, in Regem electus eſt, aliquantis tamen ante controuerſiis inter proceres agitatis, atque ſopitis, annitente maxime Comite Warwicenſi *Henrico*, viro integro, & ſancto, cuius familiari iamdudum vſus fuerat contubernio. Itaq; edicto ſtatim per Angliam miſſo iniuſtitias à fratre, & *Ranulpho* inſtitutas prohibuit, penſionum, & vinculorum gratiam fecit, effœminatos curia propellens, lucernarum vſum noctibus in curia reſtituit, qui fuerat tempore fratris intermiſſus; aliquarum moderationem legum reuocauit in * ſolitum ſacramento ſuo & omnium procerum, ne luderentur, corroborans. lætus ergo dies viſus eſt reuireſcere populis, cum poſt tot anxietatum nubila ſerenarum promiſſionum infulgebant lumina. Et ne quid profecto gaudio accumulato abeſſet, *Ranulpho* nequitiarum fæce tenebris ergaſtularibus incluſo propter *Anſelmum* pernicibus nunciis directum. Quapropter * certatim plauſu Plebeio concrepante in Regem coronatus Londoniæ nonis Auguſti, quarto poſt obitum fratris die. Hæc eo ſtudioſius celebrabantur, ne mentes procerum electionis quaſſarentur pœnitudine, quod ferebatur rumor *Rodbertum* Normanniæ Comitem ex Apulia aduentantem iã iamq; affore. Nec multo poſt ſuadentibus amicis, ac maxime Pontificibus, vt remota voluptate pellicum, legitimum amplecteretur connubium, die Sancti *Martini* accepit *Matildam*, filiam *Malcolmi* Regis Scottorum. Cuius amori iampridem animum impulerat parui pendens dotales diuitias, dummodo diu cupitis potiretur amplexibus. Erat enim illa licet genere ſublimis, vtpote Regis *Edwardi* ex fratre *Edmundo* abneptis, modicę tamen domina ſupellectilis, vtroq; tunc parente pupilla, de qua poſterius vberior erit narrandi materia.

al. ſolidū.

al. ſtatim.

Robertus interea Normanniam veniens Comitatum ſuum obſiſtente nullo recepit, quo audito omnes pene huius terræ optimates fidei regi iuratæ transfugæ fuere, quidam nullis extantibus cauſis, quidam leuibus occaſiunculis emendicatis quod nollet iis terras, quas vellent, vltro pro libito eorum impertiri. Soli *Robertus* filius *Haymonis & Richardus* de Reuers, & *Rogerius* * Bigod, & *Robertus* Comes de Mellento cum fratre *Henrico* iuſtas partes fouebant. Cæterum omnes vel clam pro *Roberto*, vt Rex fieret, mittere, vel palam contumeliis dominum inurere, *Godricum* eum & comparem * *Goditham* appellantes. Audiebat hæc ille, & formidabiles cachinnos iram differens eiiciebat, ſtultitias fatuorum inſania obiectas artificioſo ſilentio diſſoluens, blandus odii diſſimulator, ſed pro tempore immodicus retributor, acceſſit temporum turbini verſutia *Ranulphi*. Namque ille ſollicitato per nuncios dapifero ſuo funem ſibi afferri impetrauit. Funem miniſtera quæ baiulus (proh dolor) amphora immenſum detulit. Quo ille muro terris demiſſus, ſi læſit brachia, ſi excoriauit manus, parum curat populus. Inde Normanniam euadens Comiti iam anhelanti, & in feruorem prælii prono addidit calcaria, vt incunctanter veniret.

al. Bigot.

al. Goddinam.

Secundo ergo *Henrici* anno menſe Auguſto applicans apud Porteſmouthe, copias ſuas in omnem regionem expoſuit, effudit, obiecit. Nec vero Rex ſegnitiei deditus fuit, ſed innumeram è regione manum contraxit, dignitatem ſuam, ſi neceſſe foret, aſſerturus. Nã licet principibus deficientibus, partes eius ſolidæ manebant, quas *Anſelmi* Archiepiſcopi, cum Coepiſcopis ſuis, ſimul & omnium Anglorum tutabatur fauor. Quapropter ipſe Prouincialium fidei gratus, & ſaluti prouidus, plærumq; cuneos circuiens docebat, quomodo militum ferociam eludentes clypeos obiectarent, & ictus remitterent. quo effecit, vt vltroneis votis pugnam depoſcerent in nullo Normannos metuentes. Sed ſatagentibus ſanioris conſilii hominibus, qui dicerent pietatis ius violandum, ſi fraterna neceſſitudo prælio concurreret, paci animos accommodauere reputantes, quod ſi alter occumberet, alter infirmior remaneret, cum nullus fratrum præter ipſos ſupereſſet. Sed & trium millium marcarum promiſſio leuem Comitis fallebat credulitatem, vt procinctu ſoluto de tanta pecunia menti blandiretur ſuæ, quam ille poſteriori ſtatim anno voluntati reginæ libens, quod illa peteret, condonauit.

Poſteriori anno rebellauit *Robertus* de Beleſmo, maior filiorum *Rogerii* de monte Gomerico obfirmans contra Regem caſtella Brigas, & Arundellum, comportatum eo frumentum ex omni regione Scrobeſberie, & quicquid neceſſarium bellum efflagitat, deuectum. Nec minus caſtellum Scrobesberienſe rebellioni conſenſit, Wallenſibus pro motu fortunæ ad malum pronis. Rex itaq; animo rigens, omniaq; aduerſa virtute premẽs militia coacta Brigas obſedit, vnde iam in Arundellum tranſierat *Robertus* alimentorum copia, & militum ferocia ſatis abundeq; munitum locum præſumens. Sed paucos poſt dies oppidani & formidine conſcientiæ, & fortitudine regię militię flexi ſe dedidere. Quo audito ab incepto tumore Arundellum deſtitit, regali ſe addicens clientelæ, egregia ſane con-

conditione, vt dominus ſuus integra membrorum ſalute Normanniam permitteretur abire. Porro Scrobesberienſes per *Radulphum* tum Abbatem Sagii, poſtea Cantuariæ archiepiſcopum regi miſere caſtelli claues deditionis præſentis indices, futuræ deuotionis obſides. Ita diſſenſionis incendium, quod putabatur fore magnum, pauciſſimis diebus in cineres conſenuit. Et deſertorum, ſemper nouis rebus inhiantium, auiditatem coercuit. *Robertus* cum fratribus *Ernulpho*, qui paternum cognomen ſortitus fuerat, & *Rogerio* Pictauenſi (q. ex ea regione vxorem acceperat ſic dicto) Angliam perpetuo abiurauit, ſed vigorem ſacramenti temperauit adiectio, niſi regi placito quandoq; ſatisfeciſſet obſequio.

Tunc fax bellorum immiſſa Normanniæ, perfidorum admixtione, quaſi rogalibus alimentis animata conualuit, circumquaq; poſita corripiens. Eſt enim Normannia opportuna, & patiens malorum nutricula, quamuis non multo tractu regionum diffuſa. Itaque diu ſeditiones inteſtinas probe tolerat, & pace reddita in fœcundiorē ſtatum mature reſurgit, turbatores ſuos illius Prouinciæ diffiſos cum libuerit in Franciam liberis anfractibus emittens. Contra Anglia nec diu infeſtos patitur, ſed ſemel intra ſinum ſuum receptos vel dedit, vel extinguit, nec popularibus attrita rediuiuum cito caput attollit. Quocirca Normanniam Beleſmitanus veniens & tunc, & deinceps habuit malignitatis ſuæ complices, & (ne parum videretur) illices. In his erat *Willielmus* Comes Moretolii, filius *Roberti* Regis patrui. Is ſemper à puero *Henrici* gloriæ inuidus, tum maxime in aduentu Normanni prauum animum extulit. Non enim contentus duobus Comitatibus Moretolii in Normannia, & Cornugalliæ in Anglia, Comitatum Cantiæ, quem *Odo* patruus habuerat, à Rege exigebat: infeſtus & improbus adeo, vt in fama arrogantia ſe deuotaret non induturum chlamydem, niſi à patruo, (vt dictitabat) ſibi refuſam conſequeretur hæreditatem. Sed tunc quidem ſuſpenſi calliditate reſponſi fruſtratus eſt Rex prudentiſſimus hominem. Diſcuſſis vero turbinibus, ſerenaq; pace reddita, non ſolum, quæ petebat, non annuit, verumetiam indebite retenta repetere cœpit: modeſte tamen & iudiciali placito, vt nihil quod faceret videretur reſultare iuri, & calcitrare ab æquo. Tunc vero *Willielmus* ſententia iudicii expunctus, indignabundus, & fremens Normanniam abiit. Ibi præter aſſultus, quos Regiis caſtellis irritus fecerat, in *Richardum* quoq; Comitem Ceſtrenſem *Hugonis* filium debacchatus, nonnulla partibus eius appendicia inuaſit, carpſit, abraſit. Erat ille tūc pro ætate paruulus, & regis fidei, tutelæq; accommodatus.

Hi ergo duo factionum capita, rebellionum incentiua cum aliis quos nominare pudet, patriam populationibus late contriſtabant. Conſumebanturq; frequentes, ſed caſſæ apud Comitem querelæ prouincialium de violentia clamantium. Mouebatur his ille, ſed rebus ſuis timens, ne exacerbati eius interpolarent otium, diſſimulabat. At vero Rex *Henricus* pro fratris infamia, quam cumulabat patriæ miſeria, dolorem tranſeuntem ferre nequibat; crudele & à boni principis officio longe eſſe permenſus, quod impii homines pauperum fortunis ingluuiem ſuam vrgebant. Itaque fratrem ad ſe accitum in Angliam ſemel blande verbis, poſt vero in Normanniam veniens non ſemel dure bellis admonuit, vt Comitem non Monachum ageret. Nam & incentori *Willielmo* omnia, quæ habebat in Anglia, abſtulit, caſtella ad ſolum complanauit. Sed cum ad pacem nihil promoueret, diu deliberatione conſilii regia ſublimitas curis pectus exercuit, vtrum fraternæ neceſſitudinis oblitus patriam diſcrimini eriperet, an indiſcretam pietate fluctuare permitteret. Et profecto commune commodum, & pietas priuatæ neceſſitudinis intuitu terga dediſſet, niſi (vt aiunt) *Paſchalis* Apoſtolicus dubitantem ad opus Epiſtolis impelleret, aſſeuerans facundia, qua vigebat non fore ciuile bellum, ſed præclare patriæ prędicandum emolumentum. Itaq; Normanniam veniens breui totam cepit, vel potius recepit, omnibus ad eius dominium confluentibus, vt feſſæ prouinciæ vigore, quo pollebat, conſuleret. Non tamen ſine ſanguine tantam victoriam conſummans, multos ex chariſſimis amiſit. Inter quos *Rogerium* de Glpoceſtre probatum militem in obſeſſione Faleſii arcubaliſtæ iactu in capite percuſſum, præterea *Robertum* filium *Hamonis*, qui conto ictus tempora, hebetatuſq; ingenio non pauco tempore quaſi captus mente ſupervixit. Merito mulctatum fuerunt, quod eius liberandi cauſa Rex *Henricus* Baiotas ciuitatem, cum principali Eccleſia ignibus abſumpſerit. Sed vtriq;, vt ſperamus, purgabile fuit. Nam & detrimenta Eccleſiæ Rex mirifice reſarciuit, & *Robertus* Monaſterium Theochesberiæ ſuo fauore, non facile memoratu, quantum exaltauit, vbi & ædificiorum decor, & Monachorum charitas aduentantium rapit oculos, & allicit animos. Horum diſpendium, vt fortuna ſarciret, ſummam manum ingruente bello impoſuit, venientemq; contra ſe cum non contemnenda manu fratrem, & *Willielmū* Comitem Moretolii & *Rober-*

tum Beleſmi ditioni eius facili opera contradidit. Hoc bellum actum eſt apud Teneſe-brei caſtellum Comitis Moritolienſis, ſabbato in ſancti *Michaelis* vigilia. Idem dies ante 40. circiter annos fuerat, cum *Willielmus* primus Haſtingas appulit, prouido forſitan Dei iudicio, vt eo die ſubderetur Angliæ Normannia, quo ad eam ſubiugandam olim venerat Normannorum copia. Captus eſt ibi Comes Moretolii, qui eo venerat ſtudioſam ſui operam oppidanis pollicitus, ſimul & iniurias ſuas vltum iri ſperãs. Sed (vt dixi) preſſus, ſqualoris carcerei tota vita accolatum accepit, viuacitate mentis & alacritate iuuentutis nonnihil laudandus, ſed pro perfidia finem aſperum emeritus. Et tunc quidem Beleſmenſis in ipſo exordio mortem cauit effugio: ſed dum poſtmodum clandeſtinis factionibus Regem irritaſſet, & ipſe captus cæterorum inuolutus eſt periculo, ad mortem perpetuo incluſus ergaſtulo. Vir pro incompoſitis moribus intolerabilis, & in aliorum delicta inexorabilis: præterea ſæuitia notabilis cum in aliis tum in hoc, quod puerulum ex baptiſmo filiolum, quem in obſidatum acceperat, pro modico delicto patris excæcauerit, lumina miſelli vnguibus nefandis abrumpens; ſimulationis & argutiarum plenus, frontis ſereno, & ſermonum affabilitate credulos decipiens, gnaros autem malitiæ exterritans, vt nullũ eſſet maius futuræ calamitatis indicium, quã prætenſæ affabilitatis eloquiũ.

Ita Rex clarus ſucceſſibus ouans in regnum regreſſus eſt compoſita pace in Normannia, qualem nulla ætas meminit, qualem nec ipſe pater magno illo rerum, & verborum* faſtu vnquam efficere potuit. In cæteris quoq; genitoris æmulus rapinas curialium, furta, ſtupra, edicto compeſcuit: deprehenſis oculos cum teſticulis euelli præcipiens. Contra trapezitas (quos vulgo monetarios vocant) præcipuam ſui diligentiam exhibuit, nullum falſarium, quin pugnum perderet, impune abire permittens, qui fuiſſet intellectus falſitatis ſuæ commercio fatuos irriſiſſe.

al. roncho

Scottorum Reges lenitate ſua palpauit morem fratris æmulatus. Siquidem ille *Dunecanum* filium *Malcolmi* nothum, & militem fecit, & Regem Scottorum mortuo patre conſtituit. Sed eo patrui *Duuenaldi* fraude interempto, *Edgarum* in regnum promouit, præfato *Duuenaldo* aſtutia *Dauid* iunioris, & viribus *Willielmi* extincto. *Edgaro* fatali ſorte occumbente, *Alexandrum* ſucceſſorem *Henricus* affinitate detinuit, data ei in coniugium filia notha, de qua ille viua nec ſobolem, quod ſciam tulit, nec ante ſe mortuam multum ſuſpirauit. Defuerat enim fœminæ, vt fertur, quod deſideraretur, vel in morum modeſtia, vel in corporis elegantia. *Alexandro* maioribus ſuis appoſito, *Dauid* iunior filiorum *Malcolmi*, quem Rex Comitem fecerat & connubio inſignis fœminæ donauerat, ſolium Scottorum aſcendit. Iuuenis cæteris curialior, & qui noſtrorum conuictu, & familiaritate limatus à puero, omnem rubiginem Scotticæ barbariei deterſerat. Deniq; regno potitus mox omnes compatriotas triennalium* tributorum penſione leuauit, qui vellent habitare cultius, amiciri elegantius, paſci accuratius. Neq; vero vnquam in acta hiſtoriarum relatum eſt tantæ ſanctitatis tres fuiſſe pariter Reges, & fratres, maternæ pietatis nectar redolentes. Namq; præter victus parcitatem, eleemoſynarum copiam, orationum aſſiduitatem, ita domeſticum regibus vicium euicerunt, vt nunquam feratur in eorum thalamos, niſi legitimas vxores iſſe, nec eorum quenquam pellicatu aliquo pudicitiam contriſtaſſe. Solus fuit *Edmundus Margaritæ* filius à bono degener, qui *Duuenaldi* patrui nequitiæ particeps, fraternæ non inſcius necis fuerit, pactus ſcilicet regni dimidium. Sed captus & perpetuis compedibus detentus ingenue pœnituit, & ad mortem veniens cum ipſis vinculis ſe tumulari mandauit, profeſſus ſe plexum merito pro fratricidii delicto.

al. cubitorum.

* Wallenſes Rex *Henricus* ſemper in rebellionem ſurgentes crebris expeditionibus in deditionem premebat, conſilioq; ſalubri nixus, vt eorum tumorem extenuaret: Flandrenſes omnes Angliæ accolas eo traduxit. Plures enim, qui tempore patris pro matris paterna cognatione confluxerant, occultabat Anglia, adeo vt ipſi regno pro multitudine oneroſi viderentur. Quapropter omnes cum ſubſtantiis & neceſſitudinibus apud Ros prouinciam Walliarum velut in ſentinam congeſſit, vt & regnum defæcaret, & hoſtium brutam temeritatem retunderet. Nec eo ſecius illuc expeditionem pro temporum opportunitate dirigebat; in quarum vna, incertum, cuius audacia eminus inſidianti arundine impetitus probe & pulchre euaſit, fideliter hamatæ thoracis adiutus beneficio, & ſimul perfidiam fruſtrante Dei conſilio. Sed nec tunc autor teli eminuit, nec vnquam poſtea inueſtigari valuit, quamuis ille ſtatim non hæſitaſſet dicere, ſagittam non à quolibet Wallenſi, ſed à prouinciali emiſſam, per mortem domini noſtri talia pronuncians, quem morem iurandi, vel iræ nimietas, vel rei ſerietas ab ore principis extorquebat. Nam & ea hora in proprio ſolo, non in hoſtica regione progrediebatur ſenſim, & caute exercitus, vt nihil minus, quam inſidias quis opinari poſſit. Nec tamen inteſtini diſcriminis metu pedem

al. Gwalenſes.

dem ab incepto retulit, donec Wallenſes, datis obſidibus nobilium ſuorum filiis, cum aliquanta pecunia, & multo peculio regiæ magnanimitatis motum ſedarent.

Brittones transmarinos, quos adoleſcens vicinos caſtellis ſuis * Danfronto, & monti *S. Michaelis* habuerat, pecuniis ad obſequium transducebat. Eſt enim illud genus hominum egens in patria, aliasq; externo ære laborioſæ vitæ mercatur ſtipendia. Si dederis, nec ciuilia ſine reſpectu iuris & cognationis detrectans prælia, ſed pro quantitate * nummorum ad quaſcunq; voles partes obnoxium. Huius conſuetudinis ille non inſcius, ſi quando opus habuiſſet ſtipendiariis militibus multa perdebat in Brittones, fidem perfidæ nationis nummis ſuis mutuatus.

al. Dranfonto.

al. munerum.

Robertum Comitem Flandriæ primis regni ſui temporibus offendit hac cauſa *Baldwinus* ſenior huius *Roberti* auus: *Willielmum* in Angliam venientem arguto quo pollebat, conſilio, & militum additamento viuaciter iuuerat. His ille illuſtres crebro retributiones refuderat, omnibus, vt ferunt, annis trecentas argenti marcas pro fide, & affinitate ſocero annumerans. Ea munificentia, in filio *Baldwino* non imminuta, hæſit in *Roberti Friſonis* malitia, quam ſuperior non præteriit ſermo. Porro iſte *Robertus Friſonis* filius omiſſum munus à *Willielmo 2.* non difficulter impetrauerat, quod, & is cognationem prætenderit: & ille inuictum animum in ſpargenda pecunia haberet. Verum *Henricus* maiori pondere rem ventilans, vt nec indebite adamaret pecunias, nec niſi debite dilapidaret habitas: *Roberto* ab Ieroſolyma reuerſo, & quaſi pro Imperio 300. argenti marcas exigenti, in hanc reſpōdit ſententiam: Non ſolitos reges Angliæ Flandritis vectigal pendere, nec ſe velle libertatem maiorum macula ſuæ timiditatis fucare. Quapropter ſi ſuo committat arbitrio libenter ſe, quod opportunitas ſiuerit, vt cognato & amico dare, ſi vero in exactione permanendum putauerit, omnino negare. Hac ille ratione deiectus, animum multo tempore in regem tumuit, ſed parum aut nihil ſimultatibus adiutus, manſuetudini mentem accommodauit, expertus regem poſſe flecti precario, non faſtu tyrannico. Iam vero *Baldwino* filio eius varietas temporum cauſas iratum in regem dedit. Siquidem *Willielmum* filium *Roberti* Normanni volens hæreditati intrudere, alienis ſe ſpōte negotiis immiſcuit, crebroque caſtella Regis in Normannia inopinatis fatigabat aſſultibus. Magnum incommodum, ſi fata ſiuiſſent, terræ minatus. Sed apud Archas maiori manu militum, quam timebat exceptus mortem maturauit, crebris ictibus galea quaſſata cerebrum violatus. Cauſam ferunt morbi augmentati, quod ea die allium cum auca præſumpſerit, nec nocte Venere abſtinuerit. Hic intueantur poſteri eximium regalis pietatis exemplum, quod medicum peritiſſimum decumbenti miſerit, illachrymatus, ſi credimus, morbo perire, quem pro admiratione fortitudinis ſaluari maluiſſet. Succeſſor eius *Carolus* nulla moleſtia vires Regis inquietauit, primo fœdere ſuſpenſo, mox etiam confirmato amicitiam eius amplexus.

Philippus Rex Francorum regi noſtro nec vtilis, nec infeſtus fuit, propterea quod eſſet ventri magis, quam negotiis deditus, nec præterea caſtellis eius collimitaneus. Pauca enim, quæ tunc habebat in Normannia, magis Brittanniæ, quam Franciæ vicina erant. Adde quod (vt ſuperius dixi) *Philippus* accedente ſenio, libidine grauis, comitiſſæq; Andegauenſis ſpecie luſus, illicitis ardoribus defœneratus famulabatur. Quocirca ab Apoſtolico excommunicatus, cum in villa, qua manſitabat, nihil diuini ſeruitii fieret, ſed diſcedente eo tinnitus ſignorum vndiq; concreparent, inſulſam fatuitatem cachinnis exprimebat; Audis inquiens, bella quomodo nos effugant; adeo erat omnibus Epiſcopis Prouinciæ ſuæ deriſui, vt nullus eos deſponſaret præter *Willielmum* Archiepiſcopum Rothomagenſem. Cuius facti temeritatem luit multis annis interdictus, & vix tandem aliquando per *Anſelmum* Archiepiſcopum Apoſtolicæ communioni redditus. *Philippo* interea nulla mora inſanæ temulentiæ ſatietatem fecit, niſi quod in extremo vitæ tactus morbo Monachicum apud Floriacum accepit habitum, pulchrius & fortunatius illa, quod ætate & ſanitate integra nec ſpecie rugata apud fontem *Euraldi* ſanctimonialium apperiit velum. Nec multo poſt præſenti vitæ vale fecit, Deo forſitan prouidente non poſſe delicatæ mulieris corpus religionis laboribus inſeruire.

At vero *Ludouicus* filius *Philippi* varium ſe præſtitit, in neutra parte bene conſtans. Primo enim tempore plurimus in fratrem iratum, auctor *Henrico* ad capiendam Normanniam fuit, corruptus videlicet Anglorum ſpoliis, & multo regis obryzo. Non quod ille obtulerit, ſed quod alter inuitauerit vltro adhortans, ne clariſſimæ olim patriæ neruos diſſimulatione ſua ſuccidi ſineret. Poſtea vero ſimultas inter eos exorta eſt pro *Theobaldo* Comite Bleſenſi, filio *Stephani*, qui apud Ramulam occubuit, quod *Theobaldus* ſuſceptus erat *Stephano* ex *Adala* filia *Willielmi Magni*. Diu igitur ex parte Regis noſtri la-

bores viarum conſumpſerunt nuncii, vt dignaretur *Ludouicus* ſatisfactionem *Theobaldi*. Ille vero parui faciens preces, *Theobaldum* ab Apoſtolico denotari fecit quaſi arrogantem, & Deo rebellem, qui præter auſteritatem morum, quæ omnibus videbatur intolerabilis, ferebatur dominum ſuum fraudare auitis poſſeſſionibus. Itaque diu productis inimicitiis, cum vterque groſſum tumeret, ne alter alteri pro perſona cederet, *Ludouicus* Normanniam venit inflatiori anhelitu late omnia exhauriens. Nunciabantur hæc regi, qui apud Rothomagum ſe continebat quoad vulgus militum aures eius infeſtaret, pateretur repelli *Ludouicum*, hominem aqualiculi pondere olim lectum fouentem: ſed nunc pro diſſimulatione ſua minis auras onerantem. Ille paterni memor exempli fatuitatem Franci patientia extundere, quam viribus repellere malebat. Quinetiam milites benigne appellando hac ratione mulcebat. Non debere eos mirari, ſi ſanguinis eorum prodigus eſſe caueret, quos ſibi fideles non modicis experimentis approbaſſet. Impium eſſe, vt ad regnum ſibi parandum eorum glorietur mortibus, qui vitam ſuam pro eius ſalute vltroneis deuoueant certaminibus: Illos regni ſui nutritos pietatis alumnos, quapropter boni principis ſe velle ſequi exemplum, vt modeſtia ſua eorum remoretur impetum, quos ita paratos pro ſe videat ad moriendum. Poſtremo cum videret prudentiam ſuam ſiniſtra interpretatione turbari, & ignauiam vocari in tantum, vt *Ludouicus* prope Rothomagum quatuor milliariis ignes faceret, prædas ageret, maiori fortitudine vim animi concuſſit, & procinctu parato vicit egregie, præteritas diſſimulationes feroci puniens victoria. Verùm tamen aliquanto poſt pax parta eſt, *Quia & omnium rerum eſt viciſſitudo, & nummi quaſlibet iniurias leuant, ad perſuadendum quod intendunt potentes.* Quare *Willielmus* filius Regis noſtri homagium Regi Francorum de Normannia fecit, iure legitimo de eo Prouinciam cogniturus. Illud fuit tempus quo idem puer filiam *Fulconis* Comitis Andegauenſis deſpondit, & accepit patris prudentia ſatagente, vt hinc pecunia, hinc affinitate mediante nihil contra filium turbaretur.

His diebus *Calixtus* Papa, de quo poſterius dicam plura, præſentiam ſuam prope Normanniam exhibuit. Cuius colloquio potitus Rex Angliæ, Romanos prudentiam Normannorum mirari & prædicare coegit. Namque ille (vt fertur) infeſto venerat animo, vt eum aſperius conueniret, quare fratrem & Sancti Sepulchri peregrinum in captione teneret. Sed reſponſo principis, quod erat ſimile veri, & probabilibus argumentis perſtrictus parum contra retulit. Poſſunt enim communes ad quamlibet partem inflecti pro facundia orationis, præſertim cum non contemnatur eloquentia, quam pretioſa condiunt xenia. Et vt nihil cumulatæ pompæ deeſſet, adoleſcentulos clariſſimi generis, filios Comitis de Mellento, vt contra Cardinales de Dialectica diſputarent, ſubornauit. Quorum tortilibus ſophiſmatibus cum pro viuacitate rationum obſiſti nequirent, non puduit Cardinales confiteri, maiori occiduas plagas florere literarum peritia, quam ipſi audiſſent, vel putaſſent in patria. Itaque hæc collocutio hunc finem meruit, vt pronunciaret Apoſtolicus nihil Anglorum regis cauſa iuſtius, prudentia eminentius, facundia vberius.

Horum puerorũ pater erat Comes de Mellento *Robertus*, (vt dixi) filius *Rogerii* de Bello monte, qui Pratellum cœnobium Normanniæ conſtruxit, homo antiquæ ſimplicitatis & fidei, qui crebro à *Willielmo* primo inuitatus, vt Angliam veniret largis ad voluntatem poſſeſſionibus munerandus, ſuperſedit pronuncians patrum ſuorum hæreditatem ſe velle fouere, non tranſmarinas & indebitas poſſeſſiones vel appetere, vel inuadere. Hic duos filios habuit *Rodbertum* iſtum, & *Henricum*. *Henricus* Comes Warwicenſis dulcis, & quieti animi vir, congruo ſuis moribus ſtudio vitam egit & clauſit. Alter aſtutior & pro moribus ad verſutiam cordis, præter paternam hæreditatem in Normannia, & ingentia prædia in Anglia, caſtellum, quod matris ſuæ frater *Hugo* filius *Gualeranni* tenuerat, Mellentum nomine, a Rege Franciæ nundinatus eſt pecunia. Qui cum ſuperiorum regum tempore ſpe ſenſim pullulante in gloriam procederet, huius ætate ſummo prouectu effloruit, habebatque eius conſiliũ, quaſi quis diuinum conſuluiſſet ſacrariũ. Iamque non immerito aſſecutus æſtimabatur, quod eſſet æui maturus ad conſulendum, ſuaſor concordiæ, diſſuaſor diſcordiæ, & prorſus ad quod intenderet, pro viribus eloquentiæ citiſſimus perſuaſor. Ingentis in Anglia momenti, vt inueteratum veſtiendi, vel comedendi exemplo ſuo inuerteret morem. Deniq; conſuetudo ſemel prandendi in omnium optimatum curiis per eum frequentabatur, quam ipſe cauſa bonæ valetudinis acceptam, nunciis a Conſtantinopolitano Imperatore *Alexio*, ſuo, (vt dixi) cæteris refudit exemplo. Quod tamen magis parcitate dapſilitatis feciſſe, & docuiſſe, quam timore cruditatis, & indigeriei immerito culpatur, quia nemo eo, vt fertur, in dapibus aliis ſumptuoſior, vel

ſibi

ſibi moderatior fuit. In placitis propugnator iuſtitiæ, in guerris prouiſor victoriæ; dominum regem ad ſeueritatem legum cuſtodiendam exacuens: ipſe non eas ſequens, ſed proponens, expers in reges perfidiæ, in cæteros eius perſecutor.

Habebat præterea Rex *Henricus* Epiſcopum Sareſburienſem *Rogerium* à ſecretis, cuius maxime nitebatur conſilio. Nam & ante regnum omnibus ſuis præfecerat Rex, primum Cancellarium, mox Epiſcopum conſtituerat, prudentiam viri expertus. Sollerter adminiſtrati Epiſcopatus officium ſpem infudit, quod maiori dignus haberetur munere. Itaq; totius regni moderamen illius delegauit iuſtitiæ ſiue ipſe adeſſet Angliæ, ſiue moraretur Normanniæ. Refugit Epiſcopus tantis ſe curis inuoluere, niſi tres Archiepiſcopi Cantuarienſes *Anſelmus*, *Radulphus*, *Willielmus*, & poſtremo Papa iniunxiſſent ei munus obedientiæ. Satagit ita fieri *Henricus* non neſcius, quod fideliter ſua tractaret commoda *Rogerius*, nec defuit ille ſpei regiæ, ſed tanta integritate, tanta ſe agebat induſtria, vt nulla cōtra eum conflaretur inuidia. Deniq; Rex plærumq; triennio, nonnunquam quadriennio & eo amplius in Normannia moratus. Inter hęc Eccleſiaſtica officia non negligere, ſed quotidie omnia mane honeſte perſoluere, vt expeditius, & tutius cæteris poſſet accedere. Pōtifex magnanimus, & nullis vnquam parcens ſumptibus, dum quæ facienda proponeret ædificia, præſertim conſummaret. Quod cum alias, tum maxime in Sareſberia, & Malmesberia eſt videre. Fecit enim ibi ædificia ſpatio diffuſa, numero pecuniarum ſumptuoſa, ſpecie formoſiſſima: Ita iuſte compoſito ordine lapidum, vt iunctura perſtringat intuitum, & totam maceriam vnum mentiatur eſſe ſaxum. Eccleſiam Sareſburienſem, & nouam fecit, & ornamentis excoluit, vt nulli in Anglia cedat, ſed multas præcedat, ipſeque non falſo poſſit dicere: *Domine dilexi decorem domus tuæ.*

Hybernienſium Regem *Murcardum* & ſucceſſores eius, quorum nomina fama non extulit, ita deuotos habuit noſter *Henricus*, vt nihil niſi quod eum palparet, ſcriberent, nihil niſi quod iuberet, agerent: quamuis feratur *Murcardus*, neſcio qua de cauſa, paucis diebus inflatius in Anglos egiſſe, ſed mox pro interdicto nauigio, & mercimonio nauigantium tumorem pectoris ſedaſſe. Quanti enim valeret Hybernia, ſi non adnauigarent merces ex Anglia; ita pro penuria, imo pro inſcientia cultorum ieiunum omnium bonorum ſolum, agreſtem & ſqualidam multitudinem Hybernenſium extra vrbes producit: Angli vero, & Franci cultiori genere vitæ vrbes nundinarum commercio inhabitant. *Paulus* Orcadum Comes, quamuis Noricorum Regi hæreditario iure ſubiectus, ita Regis amicitias ſuſpiciebat, vt crebra ei munuſcula miſſitaret. Nam & illa prona voluptate exterarum terrarum miracula inhiabat, Leones, Leopardos, Lynces, Camelos, quorum fœtus Anglia eſt inops, grandi, (vt dixi) iucunditate à regibus alienis expoſtulans. Habebatque conſeptum, quod Wodeſtoke dicitur, in quo delicias talium rerum confouebat. Poſueratq; ibi animal, quod ſtrix vocatur, miſſum ſibi à *Willielmo* de monte Piſlerio, de quo animali *Plinius* ſecundus in octauo naturalis hiſtoriæ libro, & *Iſidorus* de etymologiis memorant: Eſſe animal in Africa, quod Afriericii genus dicunt, coopertum hiſpidis ſetis, quas in canes inſectantes naturaliter emittant, ſunt vero, (vt vidi) palmo & plus longe in vtraq; ſummitate acutę, ſimiles pennis aucarum, vbi deſinunt plumæ, ſed paulo plus groſſæ, nigro, & albo quaſi intertinctæ.

Illud præter cætera *Henricum* inſigniebat, quod quamuis pro tumultibus Normannicis ſæpe, & diu regno ſuo deeſſet: ita timore ſuo rebelles frænabat, vt nihil pacis in Anglia deſiderares. Quocirca etiam exteræ gentes illuc, velut ad vnicum tutæ quietis portum libenter appellebant. Deniq; *Siwardus* Rex Noricorum primo æui proceſſu fortiſſimis conferendus, incepto itinere Ieroſolymitano, rogataque regis pace in Anglia tota reſedit hyeme, plurimoque per Eccleſias auro expenſo, mox, vt Fauonius ad ſerenitatem pelagi vernales portas aperuit, naues repetiit, prouectuſque in altum, Baleares inſulas, quæ Maiorica & Minorica dicuntur, armis territans, faciliores ad ſubigendum præfato *Willielmo* de monte Piſlerio reliquit. Inde pertendit Ieroſolymam omnibus nauibus incolumibus præter vnam, quæ dum retinacula à portu abſoluere tardat, abſorpta eſt immani voragine (quam inter Sequanica, & Aquitanica littora eſſe *Paulus* hiſtoricus Longobardorum aſſeuerat) tanto vndarum impetu, vt ad triginta milliaria garrulitas diſcernatur aquarum. Ieroſolymam veniens, Tyrum & Sidonem vrbes, quas mare allambit, ad Chriſtianitatis gratiam obſedit, effregit, ſubegit. Mutato itinere Conſtantinopolim ingreſſus, nauem aureis roſtratam draconibus faſtigio ſanctæ *Sophiæ* pro trophęo affixit, hominibus ſuis in eadem vrbe cateruatim morientibus remediū excogitauit, vt reliqui parcius, & aqua mixta vinum biberent. Ingenti ingenii acrimonia, vt porcino iecore mero iniecto, moxq; pro aſperitate liquoris reſoluto, idem in hominib. fieri primo præſagiret,

poſt etiam quodam defuncto exenterato viſu addiſceret. Quare contuitu prudentiæ, & fortitudinis, quæ grande quid pollicebantur, Imperatore illum retinere tentantem ſpem eius, qua iam aurum Noricum deuorauit, pulchre ceſſauit, impetrata ad proximam vrbē licentia, ciſtas theſaurorum plumbo impletas, & obſignatas apud eum deponens quaſi citiſſimi reditus vades. Ita ille illuſus eſt: alter pedes domum contendit.

Sed enim vt ad *Henricum* regrediatur oratio, erat ille in rebus ſuis prouidendo efficax, defendendo pertinax, bellorum quatenus poſſet cum honeſtate repreſſor, cum vero decreuiſſet non pati impatiendus iniuriarum exactor, obuia pericula virtutis vmbone decutiens, odii & amicitiæ in quemlibet tenax, in altero nimio irarum æſtui, in altero regiæ magnanimitati ſatisfaciens. Hoſtes videlicet ad miſeriam deprimens, amicos & clientes ad inuidiam efferens. Nam & hanc curam vel primam, vel maximam boni principis Philoſophia proponit, vt parcat ſubiectis, & debellet ſuperbos. Iuſtitiæ rigore inflexibilis Prouinciales quiete, proceres dignanter continebat; fures, & falſarios latentes maxima diligentia perſcrutans, inuentos puniens, paruarum quoq; rerum non negligens. Cum nummos fractos licet boni argenti venditoribus non recipi audiſſet, omnes vel frangi vel incidi præcepit. Mercatorum falſam vlnam caſtigauit brachii ſui menſura adhibita, omnibuſq; per Angliam propoſita. Curialibus ſuis vbicunq; villarum eſſet, quantum à ruſticis gratis accipere, quantum, & quoto pretio emere debuiſſent, edixit; tranſgreſſores vel graui pecuniarum mulcta, vel vitæ diſpendio afficiens. Principio regni, vt terrore exempli reos inureret, ad membrorum detruncationem, poſt ad pecuniæ ſolutionem procliuior, pro morum ergo prudentia, vt fere fert natura mortalium, optimatibus venerabilis, Prouincialibus amabilis habebatur. Quod ſi qui maiorum iurati ſacramenti immemores à fidei tramite exorbitarent, continuo & conſiliorum efficacia, & laborum perſeuerantia erroneos reuocabat ad lineam, per aſperitatem vulnerum detrectantes reducens ad ſanitatem animorum. Nec facile, quam diuturnos ſudores in talibus effuderit, enumerem, dum nihil patitur inultum, quod à delinquentibus commiſſum dignitati ſuæ non eſſet conſentaneum. Pugnarum erat maxima cauſa, Normannia, vt ante dixi, in qua ipſe pariter multis annis degens, Angliæ quoq; proſpiciebat, nullo audente caput erigere dum ille audaciam, ille ſuſpiceret prudentiam. Nec vere propter rebellionem aliquorum procerum vnquam ſuorum appetitus eſt inſidiis, niſi ſemel: auctor earum fuit quidam cubicularius plebeii generis patre, ſed pro regiorum theſaurorum cuſtodia famoſi nominis, homine natus. Is deprehenſus & facile confeſſus pœnas perfidiæ acriter luit, præter hoc tota vita ſecurus animos omnium timori, ſermones amori obſtrictos habebat.

Statura minimos ſupergrediens, à maximis vincebatur, crine nigro, & iuxta frontem profuſo, oculis dulce ſerenis, thoroſo pectore, carnoſo corpore, facetiarum pro tempore plenus, nec pro mole negotiorum, cum ſe communioni dediſſet, minus iucundus: minus pugnacis famæ *Scipionis* Africani dictum repræſentabat, *Imperatorem me mater mea nō bellatorem peperit.* Quapropter ſapientia nulli vnquam modernorum Regum ſecundus, & pene dicam, omnium anteceſſorum in Anglia facile primus, libentius bellabat conſilio, quam gladio. Vincebat, ſi poterat ſanguine nullo, ſi aliter non poterat, pauco. Omnium tota vita omnino obſcœnitatum cupidinearum expers, quoniam (vt à conſciis accepimus) non effræni voluptate, ſed gignendæ prolis amore mulierum gremio infunderetur: nec dignaretur aduenæ delectationi præbere aſſenſum, niſi vbi regium ſemen procedere poſſet in effectum: effundens naturam vt dominus, non obtemperans libidini vt famulus, cibis indifferenter vtens, magiſq; explens eſuriem, q̃ multis obſoniis vrgens ingluuiē: potui nunquam præter ſitim indulgens; continentiæ minimum exceſſum cum in ſuis, tū in omnibus execrans; ſomnii grauis, & quem frequens roncatio interrumperet, facultatis in dicendo magis fortuitæ, quam elaboratæ; non præcipitis, ſed maturæ.

Pietatis in Deum prædicandæ Monaſteria in Anglia & Normannia conſtruxit, quibus quia nondum ſupremam manum impoſuit, ego quoq; interim iudicium meum differrem, niſi me Radingenſium fratrum charitas tacere non ſineret. Hoc ille cœnobium inter duo flumina Kenetam & Tameſim conſtituit, loco vbi pene omnium itinerantium ad populoſiores vrbes Angliæ poſſet eſſe diuerſoriū, poſuitq; ibi monachos Cluniacenſes, qui ſunt hodie præclarū ſanctitatis exemplū; hoſpitalitatis indefeſſæ & dulcis indiciū; videas ibi quod non alibi, vt plus hoſpites totis horis venientes, quam inhabitantes inſumant. Præproperū me & adulatorem fortaſſe quis dixerit, quod nunc primū naſcentem religionem tanto efferam præconio, neſciens quid ventura pariat dies. Sed ipſi (vt ſpero) cū Dei gratia enitentur vt in bono durent, Ego nō erubeſco, ſi ſanctis viris blandiar, & bonum q̃ in me non habeo, in aliis admirer. Inueſtituras eccleſiarum Deo & ſancto *Petro* re-

mi-

miſit, poſt multas controuerſias inter eum & *Anſelmum* Archiepiſcopum habitas, vix tádem ad conſentiendum pro ingenti Dei gratia, inglorioſa de fratre victoria inflexus. Sed harum cauſarum tenorem multo verborum circuitu egit dominus *Edmerus*. nos pro pleniore notitia *Paſchalis* ſæpe dicti Apoſtolici ſcripta ad hanc rem pertinentia ſubnectemus.

Paſchalis *Epiſcopus* Henrico *regi ſalutem. In literis, quas nuper ad nos per familiarem tuum, noſtræ dilectionis filium, clericum* Willielmum *tranſmiſiſti, & perſonæ tuæ ſoſpitatem cognouimus, & ſucceſſus proſperos, quos tibi ſuperatis regni aduerſariis benignitas diuina conceſſit. Audiuimus præterea optatam virilem ſobolem ex ingenua te & religioſa coniuge ſuſcepiſſe. Quod profectò cũ nos lætificauerit, oportunum rati ſumus, nunc tibi præcepta, & voluntatem Dei validius inculcare, cum amplioribus beneficiis benignitati eius te proſpicis debitorem. Nos quoq; diuinis beneficiis benignitatem noſtram penes te ſociare optamus, ſed graue nobis eſt, quia id à nobis videris expetere, quod omnino præſtare non poſſumus. Si enim conſentiamus aut patiamur inueſtituras à tua excellentia fieri, & noſtrum proculdubio & tuum erit immane periculum. Qua in re contemplari te volumus quid aut non faciendo perdas, aut faciendo conquiras. nos enim in prohibitione hac nihil amplius obedientiæ, nihil liberalitatis per Eccleſias nanciſcimur, nec tibi debitæ poteſtatis, aut iuris ſubtrahere quicquam nitimur, niſi vt erga te Dei ira minuatur, & ſic tibi proſpera cuncta contingant. Ait enim Dominus* Honorificantes me honorificabo, qui autem contemnunt me erunt ignobiles. *Dices itaq; Mei hoc iuris eſt. Non vtiq; non eſt Imperatorium, non regium ſed diuinum. Solius illius eſt, qui dixit,* Ego ſum oſtium. *vnde pro ipſo te rogo, cuius hoc munus eſt, vt reddas hoc ipſi, ipſi dimittas, cuius amori etiam quæ tua ſunt debes. Nos autem cur tuæ obniteremur voluntati, cur obſiſteremus gratiæ? niſi Dei ſciremus nos in huius negotii conſenſu volũtati obuiare, gratiam amittere. Cur tibi quicquam negaremus? quod cuiquam eſſet mortalium concedendum, quum beneficia de te ampliora ſumpſerimus. Proſpice (fili chariſſime) vtrum decus an dedecus tibi ſit, quod ſapientiſſimus & religioſiſſimus Gallicanorum Epiſcoporum* Anſelmus, *propter hoc tuo lateri adhærere, tuo veretur in regno conſiſtere. Qui tanta de te bona hactenus audierant, quid de te ſentient? quid loquentur, cum hoc fuerit in regionibus diuulgatum? Ipſi, qui coram te tuos exceſſus extollunt, cum præſentia tua caruerint, hoc profectò validius infamabunt. Redi ergo (chariſſime fili) ad cor tuũ propter miſericordiam Dei, & propter amorem vnigeniti deprecamur: reuoca paſtorem tuum, reuoca patrem tuum, & ſi quis quod non opinamur, grauius aduerſus te geſſeris, ſi inueſtituras auerſatus fuerit, nos iuxta voluntatẽ tuam, quantum cum Deo poſſumus, moderabimur: tu tamen talis repulſæ infamiam à perſona tua & regno remoueas. Hæc ſi feceris & ſi grauia qualibet à nobis petieris, quæ cum Deo præberi facultas ſit, profectò conſequeris, & pro te Dominum ipſo adiuuante exorare curabimus, & de peccatis tam tibi, quam coniugi tuæ ſanctorum Apoſtolorum meritis indulgẽtiam & abſolutionem faciemus. Filium autem tuum, quem ex ſpectabili & glorioſa coniuge ſuſcepiſti, quem (vt audimus) egregii patris* Willielmi *nomine nominaſti, tanta tecum imminentia confouebimus vt qui te vel illum læſerit, Romanam Eccleſiam videatur læſiſſe. Datum Lateranis 9. Kal. Decembris.*

Paſchalis Anſelmo. *Suauiſſimas dilectionis tuæ accepimus literas, charitatis calamo ſcriptas. In his reuerentiam deuotionis tuæ complectimur, & perpendentes fidei tuæ robur, & piæ ſollicitudinis inſtantiam exultamus, quia gratia Dei tibi præſtante auxilium, te nec promiſſa ſuſtollunt, nec minæ concutiunt. Dolemus autem, quia cũ fratres noſtros Epiſcopos, legatos regis Anglorum benigne ſuſceperimus, quæ nec diximus iis, nec cogitauimus, redeuntes ad propria retulerunt. Audiuimus enim eos dixiſſe, quia ſi rex in aliis bene ageret, nos inueſtituras Eccleſiarũ nec prohibere, nec factas excommunicare; & quod ideo nolebamus chartæ committere, ne ſub occaſione ea cæteri principes in nos inclamarent. Vnde* Ieſum *qui corda & renes ſcrutatur, in animam noſtram teſtem inuocamus ſi ex quo huius ſanctæ ſedis curã ſuſcepimus gerere, hoc immane ſcelus vel deſcendit in mentem.* Et infra. *ſi ergo virgam paſtoralitatis ſignum, ſi annulum ſignaculum fidei tradit Laica manus, quid in Eccleſia Pontifices agunt? Epiſcopos autem, qui veritatem in mendacium commutauerunt, ipſa veritate, quæ Deus eſt, in medium introducta, à beati Petri gratia, & à noſtra ſocietate ſecernimus, donec Romanæ Eccleſiæ ſatisfaciant. Quicunq; vero inter prædictas inducias inueſtituras conſecrationum acceperunt, à conſortio noſtro & Eccleſiæ alienos habemus.*

Paſchalis Anſelmo. *Quod Anglici regis cor ad Apoſtolicæ ſedis obedientiam Omnipotentis Dei dignatio inclinauit, eidem miſerationũ Domino gratias agimus, in cuius manu corda regum verſantur. Hoc nimirum tuæ charitatis gratia, tuarumq; orationum inſtantia factum credimus: vt in hac parte populum illum, cui tua ſollicitudo præſidet, miſeratio ſuperna reſpiceret. Quod autem & regi, & iis, qui videntur obnoxij, adeo condeſcendimus, eo affectu & compaſſione factum noueris, vt eos, qui iacebant, erigere valeamus. te autem (in Chriſto venerabilis & chariſſime frater) ab illa prohibitione, ſiue (vt tu credis) excommunicatione abſoluimus, quam ab anteceſſore noſtro ſanctæ memoriæ* Vrbano *Papa aduerſus inueſtituras aut hominia factam intelligis. Tu vero eos,*

qui aut inueſtituras accipere, aut inueſtitos benedicere, aut hominia facere, cum ea ſatisfactione, quam tibi per communes legatos Willielmum *ac* Baldwinum *viros fideles, & veridicos ſignificamus, Domino cooperante ſuſcipito, & eos vice noſtræ auctoritatis abſoluito. quos vel ipſe benedicas, vel à quibus volueris, benedici percipias, niſi in iis aliud forte reperias, propter quod à ſacratis honoribus ſint repellendi. Si qui vero deinceps præter inueſtituras Eccleſiarum prælationes aſſumpſerint, etiamſi regi hominia fecerint, nequaquam ob hoc à benedictionis munere arceantur, donec per Omnipotentis Dei gratiam ad hoc omittendum cor regium tuæ prædicationis imbribus molliatur. Præterea ſuper Epiſcopis, qui falſum (vt noſti,) à nobis rumorem retulerunt, cor noſtrum commotum eſt vehementius, quia non ſolum nos læſerunt, ſed multorum ſimplicium animas deceperunt, & regem aduerſus charitatem ſedis Apoſtolicæ impulerunt. vnde & inultum eorum flagitium Domino cooperante non patimur. Sed quia filii noſtri regis inſtantia pro iis nos pulſat attentius, etiam ipſis communionis tuæ participium non negabis. Sane regem & coniugem, & proceres illos, qui pro hoc negotio cum rege ex præcepto noſtro laborauerunt, quorum nomina ex ſupradicti* Willielmi *ſuggeſtione cognoſces, iuxta ſponſionem noſtram à peccatis, & pœnitentiis abſolues. Rothomagenſis Epiſcopi cauſam tuæ deliberationi committimus, & quod ei indulſeris, indulgemus.*

Hæc *Paſchalis* ſummus Papa pro Eccleſiarum Dei libertate ſollicitus agebat. Fuerunt autem Epiſcopi, quos mendacii arguit, *Girardus* Archiepiſcopus Eboracenſis, & *Herbertus* Norwicenſis: quorum errata reprehenderunt veraciores Legati *Willielmus*, poſtea Exonienſis Epiſcopus, & *Baldwinus* Beccenſis Monachus. Eratq; tunc *Anſelmus* Archiepiſcopus iterum tempore iſtius Regis Lugduni exul, apud *Hugonem* eiuſdem ciuitatis Archiepiſcopum, quando Epiſtola prima, quam appoſui emiſſa eſt: quia nec ipſe vllo deſiderio veniendi tenebatur, nec rex animoſitatem ſuam pro copia ſuſurronum ſedari patiebatur. Diu ergo & reuocare illum, & monitionibus Apoſtolicis obſecundare diſtulit, non elationis ambitu, ſed procerum, & maxime Comitis de Mellento inſtinctu, qui in hoc negotio magis antiqua conſuetudine, quam recti tenore rationem reuerberans, allegabat multum regiæ maieſtati diminui, ſi omittens morem anteceſſorum non inueſtiret electum per baculum, & annulum. Veruntamen rex diligentius inſpecto, quid viuida Epiſtolarum ratio, quid diuinorum munerum in ſe vbertim confluens admoneret largitio: inueſtituram annuli, & baculi indulſit in perpetuum; retento tamen electionis, & regalium priuilegio. Coacto ergo apud Londoniam magno Epiſcoporum, & procerum, Abbatumq; conſilio, multa Eccleſiaſticarum & ſecularium rerum ordinata negotia, deciſa litigia. Nec multo poſt vno die quinq; ſunt ordinati Epiſcopi in Cantia ab *Anſelmo* Archiepiſcopo: *Willielmus* ad Wintoniam, *Rogerius* ad Saleſberiam, *Willielmus* ad Exoniam: *Reinaldus* ad Herefordam, *Vrbanus* ad Glamorgan. Itaq; controuerſia frequentibus diſſenſionibus agitata, plurimoq; *Anſelmi* ad Romam itu, & reditu ventilata, laudabilem finem accepit.

Vxor Regis ex antiqua & illuſtri regum ſtirpe deſcendit *Matildis*, filia Regis Scottorum (vt prædixi) à teneris annis inter ſanctimoniales apud * Wiltoniam, & Rumeſium educata, literis quoq; fœmineum pectus exercuit. vnde vt ignobiles nuptias reſpueret, pluſquam ſemel à patre oblatas, peplum ſanctæ profeſſionis index geſtauit. Quapropter cum rex ſuſciperet eam thalamo, res in diſceptationem venit, nec niſi legitimis productis teſtibus, qui eam iurarent ſine profeſſione cauſſa procorum velum geſſiſſe, Archiepiſcopus adduci potuit ad conſentiendum. Hæc igitur duob. partubus altero alterius ſexus cõtenta, in poſterum & parere. & parturire deſtitit: æquanimiterq; ferebat, rege alias intento, ipſa curiæ valedicere, Weſtmonaſterio multis annis morata. nec tamen quicquam ei regalis magnificentiæ deerat, ſed indefeſſa frequentia, vndæ ſalutantiũ, & totis apportantium temporib. accipiebantur & vomebantur ſuperbis ædib. hoc regis iubebat liberalitas, hoc ipſius gratia & dulcis attrahebat benignitas. ſanctitudinis egregiæ, nõ vſquequaq; deſpicabilis formæ, maternæ pietatis æmula, nihil ſiniſtrũ quantum ad ſe morib. admittens, præter regiũ cubile, pudoris integra nulla ẽt ſuſpicione læſa, cilicio ſub regio cultu conuoluta, nudipes dieb. quadrageſimæ terebat Eccleſiarum limina. Nec horrebat pedes lauare morbidorum, vlcera ſanie deſtillantia contrectare, poſtremo longa manib. oſcula protelare, mẽſam apponere. Erat ei in audiendo ſeruitio Dei voluptas vnica, ideoq; in clericos bene melodos inconſiderate prodiga, blande quoſcunq; alloqui, multa largiri, plura polliceri. Inde liberalitate ipſius per orbem ſata, turmatim huc aduentabant ſcholaſtici cum cantibus, tum verſibus famoſi; fœlicemq; ſe putabat, qui carminis nouitate aures mulceret dominæ. Nec in his ſolum expenſas conferebat, ſed etiam omni generi hominum, præſertim aduenarum, qui munerib. acceptis famam eius longe per terras venditarent. Eſt. n. cupiditas gloriæ ita innata mentib. hominũ, vt vix aliquis bonæ cõſcientiæ pretioſis contentus

*al. Wintoniam

tentus

centus fructibus,ſi quid bene fecerit, non dulce habeat efferri in vulgus. vnde aiunt, & conſtat dominæ eſſe ſurreptum,vt extraneos,quos poſſet,præmiis deliniret,cæteros promiſſis aliquando efficacibus,aliquando & ſæpius inanibus ſuſpenderet. Eo effectum eſt, vt prodigę donantium non effugeret vitium, multimodas colonis ſuis deferens calumnias,inferens iniurias,auferens ſubſtantias, quo bonæ largitricis nacta famã, ſuorum parui penſaret contumeliam.Sed hæc qui recte iudicare volet, conſiliis miniſtrorum imputabit, qui more harpyarum quicquid poterant corripere vnguibus, vel infodiebant marſupiis,vel inſumebant conuiuiis. Quorum fœculentis ſuſurris aures oppleta, næuum honeſtiſſimæ menti contraxit,de reliquo factis omnibus approbanda,& ſancta.Inter hæc erepta eſt patriæ magno prouincialium damno, ſuo nullo. nã & funus nobiliter curatum apud Weſtmonaſterium,quietem accepit, & ſpiritus ſe cœlum incolere non friuolis ſignis oſtendit.Obiit regno poſt 17.annos,& * ſeptem menſes libẽter relicto, fatum parentum *al. ſex.* experta, qui pene omnes virente potiſſimum æuo exceſſere mundo.ſucceſſit thoro eius,ſed non ita cito *Adala* filia ducis de Lauanio,quod eſt caſtellum caput Lotharingię.

Filium habuit rex *Henricus* ex *Matilde* nomine *Willelmum* dulci ſpe,& ingenti cura in ſucceſſionem educatum,& prouectũ. Nam & ei, vix dum 12.annorum eſſet, omnes liberi homines Angliæ & Normanniæ, cuiuſcunque ordinis & dignitatis, cuiuſcunque domini fideles,manibus & ſacramento ſe dedere coacti ſunt. Filiam quoque *Fulconis* Comitis Andegauenſis vix nubilem ipſe etiam impubis deſpõdit, & accepit dato ſibi à ſocero comitatu Cenomannico pro munere ſponſalicio. Quin & Ieroſolymã *Fulco* ire contendens,commendauit comitatũ regi ſuum, ſi * veniret, futurum profecto generi,ſi non rediret. *al. viueret.* Plures ergo prouinciæ ſpectabant nutum pueri, putabaturque regis *Edwardi* vaticinium in eo cõplendum:ferebaturque ſpes Angliæ modo arboris ſuccisa,in illo iuuenculo iterum floribus pubeſcere,fructus procudere,& ideo finem malorũ ſperari poſſe. Deo aliter viſum. huiuſmodi enim opinionẽ tulerũt auræ,q. eũ proxima dies vrgebat fato ſatiſfacere.Enimuero ſocero tunc annitente,ſimulq; *Theobaldo* filio *Stephani*, & *Adalæ* amitæ *Ludouicus* rex Franciæ Normanniam conceſſit puero, vt facto ſibi hominio poſſideret eam iure legitimo.ordinabat hæc, & efficiebat prudentiſſimi patris prudentia, vt hominium, quod ipſe pro culmine imperii faſtidiret facere, filius delicatus, & qui putabatur viam ſeculi ingreſſurus, non recuſaret. His agitandis & placita concordia componendis quatuor annorum tempus rex impendit, in Normannia toto hoc tempore moratus. Veruntamen tam ſplendidæ & excogitatę pacis ſerenum,tam omnium ſpes in ſpeculam erectas confudit humanæ ſortis varietas. Namque indicto in Angliam reditu, rex ſub ipſo noctis crepuſculo 7.Kal. Decembris apud * Barbelflut naues ſoluit,eumque, qui impleuerat carbaſa,ventus fœliciter regno & amplæ fortunæ inuexit. *al. Barbeflut.* At vero adoleſcentulus iam ſeptendecim annorum,& paulo plus,cui nihil deliciarum præter nomen Regis pro paterna indulgentia deeſſet, aliam ſibi nauem parari præcepit, omnibus pene adoleſcentulis procerum filiis quaſi pro colludio ætatis puerilis eo accurrentibus; quin & remiges immodice mero ingurgitati, voluptate nautica,quam potus miniſtrabat, mature illos, qui præceſſerant, poſt tergum relinquendos clamitabant. Erat enim nauis optima tabulatis nouis & clauis recenter compacta. Itaque cæca iam nocte iuuentus ſapientiæ indiga, ſimulque potu obruta nauem a littore impellunt. Volat illa pennata pernicior arundine, & criſpantia maris terga radens, imprudentia ebriorum impegit in ſcopulum non longe a littore ſupra pelagus extantem. conſurgunt ergo miſeri, & magno clamore ferratos cõtos expediunt, diu certantes, vt nauem a rupe propellerent: ſed obſiſtebat fortuna omnes eorum conatus in irritum deducens. Itaque & remi in ſaxum obnixi crepuere, concuſſaque prora pependit. Iamque alios vndis exponebat, alios ingreſſa per rimas aqua enecabat, cum iam eiecta ſcapha filius Regis excipitur, ſaluarique potuiſſet ad littus regreſſus,niſi ſoror eius notha Comitiſſa* Perticiæ *al. Perticæ.* in maiori naue cum morte luctans, fœmineo vlulatu fratris opem imploraſſet, ne tam impie ſe relinqueret. ille miſericordia infractus lembum carinæ applicari iuſſit: vt ſororem exciperet, mortem miſellus pro clementiæ teneritudine indeptus. continuo enim multitudine inſilientium ſcapha victa ſubſedit, omneſq; pariter fundo inuoluit. Euaſit vnus & ille agreſtis: qui tota nocte malo ſupernatans, mane totius tragœdiæ actum expreſſit. Nulla vnquam nauis fuit Angliæ tantæ miſeriæ, nulla toto orbi tam patulæ famæ. periit ibi cũ *Wilhelmo* alter filius regis *Richardus*, quem ante regnum ex prouinciali fœmina ſuſceperat, iuuenis magnanimus, & patri pro obſequio acceptus: *Richardus*, Comes Ceſtriæ, & frater eius *Otnellus* nutricius, & magiſter filii Regis: filia Regis Comitiſſa Perticæ, & neptis eius ſoror *Theobaldi* Comitiſſa Ceſtriæ. Præterea quiſquis erat in curia lectiſſimus miles, vel ca-

vel capellanus,vel optimatum filii ad militiam prouehendi. accurrerant enim vndiq; (vt dixi) non leue gloriæ ſuæ numeraturi commodum, ſi filio Regis vel deferrent ludicrum, vel conferrent obſequium. Accumulauitq; calamitatem difficultas inueniendorum cadauerum, quia diſperſis per littora quæſitoribus nullum facile repertum eſt, ſed ierunt tam delicata corpora æquoreis crudelia pabula monſtris. Iuuenculi ergo morte cognita res mirum in modum mutatæ. Parens enim cœlibatui renuntiauit, cui poſt mortem *Matildis* ſtuduerat,futuros hæredes ex noua coniuge iamiamq; operiens. Socer ex Ieroſolymis domum reuerſus,partibus *Willielmi* filii *Roberti* Normanni Comitis improbus aſtitit, tradens ei alteram filiam nuptum,& Cenomannicum Comitatum. Irarum ſtimulos in regem acuebat dos filiæ,poſt mortem filii in Anglia retenta.

Filiam *Matildem* ex *Matilde* ſuſceptam dedit Rex *Henricus Henrico* Imperatori Alemāniæ filio *Henrici*,de quo tertius liber memoriam fecit. Fuit hic *Henricus* quintus eius nominis apud Teutonicos Imperator. Qui licet pro contumeliis Apoſtolicæ ſedis patri grauiter ſuccenſuiſſet,ipſe tamen eiuſdem ſentētiæ ſequax,& propugnator ſuo tempore fuit infeſtus. Namq; cum *Vrbano* Papæ *Paſchalis* ſucceſſiſſet, vir nullo virtutis genere carens, rurſus quæſtio de inueſtituris Eccleſiarum,rurſus bella,rurſus lites agitari, neutris partibus loco cedentibus. Imperator omnes Epiſcopos,& Abbates regni ſui, quod citra montes eſt,fautores habebat: quia *Carolus* magnus pro contundenda gentium illarum ferocia, omnes pene terras Eccleſiis contulerat,conſilioſiſſime perpendens; Nolle ſacri ordinis homines tam facile,quam Laicos fidelitatem domini reiicere: præterea ſi Laici rebellarent,illos poſſet excommunicationis auctoritate & potentiæ ſeueritate compeſcere. Papa vltramontanas Eccleſias ſuæ rationi ſubiecerat, parumque ſuſcipiebant vrbes Italiæ *Henrici* dominium,ſeruitio ſe putantes exutas poſt *Conradi* fratris eius interitum, qui à patre relictus Longobardiæ in regem,apud Aretium obierat diem. at vero *Henricus* antiquis Cæſaribus in nullo virtute deiectior,poſt pacatum regnum Teutonicum præſumebat animo Italicum, rebellionem vrbium ſubiugaturus, quæſtionemq; de inueſtitura ſuo libito deciſurus. Sed iter illud ad Romam magnis exercitationibus pectorum, magnis angoribus corporum conſummatum. *David* Scottus Bancornenſis Epiſcopus expoſuit magis in Regis gratiam,quam hiſtoricum deceret, accliuus. denique & inauditam violentiam,quod Apoſtolicum cepit,quamuis libere cuſtodierit,laudi ducit,ab exemplo,quod *Iacob* Angelum violenter tenens benedictionem ab eo extorſit. Præter hæc laborat aſſerere dictum Apoſtoli, *Nemo militans Deo,implicat ſe negotiis ſecularibus*, non aduerſari cupiditatibus pontificum per laicos inueſtitorum, quia non ſit ſeculare negotium, ſi clericus laico fecerit hominium. Quæ quantum ſint friuola cuiuslibet diiudicabit prudentia. Ego interim ne bonum virum verbo videar premere,ſtatuo indulgendū,quia non hiſtoriam, ſed Panagyricum ſcripſit. Nunc vero priuilegium,& conuentionem violenta trium ſeptimanarum captione à Papa extorta veraciter inſeram, & qualiter non multo poſt religioſiori conſilio eneruata ſunt,ſubiiciam.

Dominus Papa Paſchalis *non inquietabit dominum regem,nec eius imperium vel regnum de inueſtitura Epiſcopatuum,& Abbatiarum,neq; de iniuria ſibi illata,& ſuis in perſona & bonis,neque aliquod malum reddet ſibi,vel alicui perſonæ pro hac cauſa;& penitus in perſonam regis* Henrici *nūquam anathema ponet,nec remanebit in domino* Papa,*quin coronet eum, ſicut in ordine continetur, & regnum & imperium officii ſui auxilio eum tenere adiuuabit pro poſſe ſuo. Et hoc adimplebit dominus Papa ſine fraude,& malo ingenio.* Hæc ſunt nomina illorum Epiſcoporum,& Cardinalium,qui præcepto domini Papæ *Paſchalis* priuilegium & amicitiam domino *Henrico* imperatori ſacramento confirmauerunt, *Petrus* Portuenſis Epiſcopus. *Cenſius* Sabinenſis Epiſcopus, *Robertus* Cardinalis ſancti *Euſebii*, *Bonifacius* Cardinalis ſancti *Marci*, *Anaſtaſius* Cardinalis ſancti *Clementis*, *Gregorius* Cardinalis Apoſtolorum *Petri & Pauli*,item *Gregorius* Cardinalis ſancti * *Chryſogoni*, *Iohannes* Cardinalis ſanctæ *Potentianæ*, *Riſus* Cardinalis ſancti *Laurentii*, *Remerus* Cardinalis ſanctorum *Marcellini & Petri*, *Vitalis* Cardinalis ſanctæ *Balbinæ*, * *Guzo* Cardinalis ſancti *Marci*, *Theobaldus* Cardinalis *Iohannis & Pauli*, *Iohannes* Decanus in ſchola Græca, *Leo* Decanus ſancti *Vitalis*, *Albo* Decanus Sergii,& Bachii.

al. Griſogoni

al. Tenzo

Ipſe etiam hoc ſacramentum fecit. *Ego* Henricus *rex liberos dimittam,quarta vel quinta feria proxima,& dominum Papam,& Epiſcopos,& Cardinales, & omnes captiuos, & obſides, qui pro eo,vel cum eo capti ſunt,& ſecure perduci faciam intra portas tranſtiberinæ ciuitatis,nec vlterius capiam,aut capi permittam eos,qui in fidelitate domini* Paſchalis *permanent: & populo Romano & tranſtiberinæ ciuitati pacem & ſecuritatem ſeruabo, tam per me, quam per meos in perſonis, qui pacem mihi ſeruauerint. Dominum Papam fideliter adiuuabo, vt Papatū ſuum quiete & ſecure teneat. Patrimonia & poſſeſſiones Romanæ Eccleſiæ,quæ abſtuli reſtituam,& cuncta quæ habere debet more* ante-

anteceſſorum ſuorum recuperare, & tenere adiuuabo, bona fide, ſine fraude, & malo ingenio: & domino Papæ Paſchali *obediam, ſaluo honore regni & imperii, ſicut catholici imperatores catholicis pontificibus Romanis*. Et iſti ſunt iuratores ex parte ipſius regis. *Fridericus* Colonienſis Archiepiſcopus, *Godebardus* Tridentinus Epiſcopus, *Bruno* Spirenſis Epiſcopus, *Berengarius* Comes, *Albertus* Cancellarius, *Hermannus* Comes, *Fridericus* Comes Palatinus, *Bonifacius* Marchio, *Albertus* Comes de Blandriaco, *Fridericus* Comes, *Godefridus* Comes, *Warnerius* Marchio.

Hac conuentione expleta & prædictorum Epiſcoporum, & Cardinalium ſacramento confirmato, oſculo vtrinq; dato, dominus Papa 4. Idus Aprilis Dominica *Quaſi modo geniti* Miſſam celebrauit, in qua poſt communionem ſuam, & miniſtrorum altaris, imperatori corpus, & ſanguinem Domini dedit in hæc verba. Hoc dominicum corpus, quod ſacroſancta retinet Eccleſia, natum ex *Maria* virgine, eleuatum in cruce pro redemptione humani generis, damus tibi (fili chariſſime) in remiſſione peccatorum tuorum, & in conſeruationem confirmandæ pacis, & veræ amicitiæ inter me & te, & regnum & ſacerdotium. Altero vero die Apoſtolicus & rex ad columnas, quæ ſunt in foro conuenerunt, diſpoſitis præſidiis loricatorum vbicunq; videbatur opus eſſe, ne impediretur regis conſecratio. Et in argentea porta receptus eſt rex ab Epiſcopis, & Cardinalibus, & toto clero Romano, & cepta oratione, quæ in ordine cōtinetur ab Oſtienſi Epiſcopo, quoniam *Albanus* deerat, à quo debuiſſet dici, ſi adeſſet, ad mediam rotam ductus eſt, & ibi recepit ſecundam orationem a Portuenſi Epiſcopo, ſicut præcipit Romanus ordo. Deinde duxerunt eum cum Letaniis, vſq; ad confeſſionem Apoſtolorum, & ibidem impoſita ſibi corona ab ipſo Apoſtolico in imperatorem eſt conſecratus. Poſt impoſitam coronam Miſſa de reſurrectione Domini eſt celebrata, in qua ante communionem dominus Papa priuilegium imperatori propria manu dedit, in quo ſibi & regno ſuo, quod hic ſcriptum eſt, conceſſit, & in eodem loco ſub anathemate confirmauit.

Paſchalis *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei chariſſimo in Chriſto filio, & per Dei omnipotentis gratiam Romanorum imperatori Auguſto* Henrico *ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Regnum veſtrum ſancta Romana Eccleſia cohærere diuina diſpoſitio conſtituit, prædeceſſores ſiquidem veſtri probitatis & prudentiæ amplioris gratia, Romanæ vrbis coronam & imperium cōſecuti ſunt. Ad cuius videlicet coronæ, & imperii dignitatem, tuam quoq; perſonam (fili chariſſime* Henrice) *per noſtri ſacerdotii miniſterium maieſtas diuina prouexit. Illud igitur dignitatis * priuilegium, quod prædeceſſores noſtri veſtris prædeceſſoribus catholicis imperatoribus conceſſerunt, & priuilegiorum paginis confirmauerunt, nos quoq; tuæ dilectioni concedimus, & præſentis priuilegii pagina confirmamus, vt regni tui Epiſcopis, vel Abbatibus libere præter violentiam, vel Symoniam electis, inueſtiturā virgæ, & annuli conferas, poſt inueſtionem vero canonice conſecrationem accipiant ab Epiſcopo, ad quem pertinuerit. Si quis autem à clero, vel populo præter aſſenſum tuum electus fuerit, niſi à te inueſtiatur, à nemine conſecretur, exceptis nimirum illis, qui vel in Archiepiſcoporum, vel in Romani pontificis ſolent diſpoſitione conſiſtere. Sane Archiepiſcopi, vel Epiſcopi libertatē habeant à te inueſtitos Epiſcopos, vel Abbates canonice conſecrandi. Prædeceſſores enim veſtri Eccleſias regni ſui tantis regalium ſuorū beneficiis ampliarunt, vt regnum ipſum maxime Epiſcoporum, vel Abbatum præſidiis oporteat cōmuniri, & populares diſſenſiones, quæ in electis omnibus ſæpe contingunt, regali oporteat maieſtate compeſci. Quamobrem prudentiæ tuæ, & poteſtati cura debet ſollicita imminere, vt Romanæ Eccleſiæ magnitudo, & cæterarum ſalus, tuis Deo præſtante beneficiis, & ſeruitiis conſeruetur. Si qua igitur Eccleſiaſtica, vel ſecularis perſona hanc noſtræ conceſſionis paginam ſciens, contra eam temerario auſu venire tentauerit, anathematis vinculo, niſi reſipuerit, innodetur, honoriſq; ac dignitatis ſuæ periculum patiatur. Obſeruantes autem hoc miſericordia diuina cuſtodiat, & perſonam, poteſtatemq; tuam ad honorem ſuum & gloriam fœliciter imperare concedat.*

al. illam prærogatiuam.

Peracto itaq; toto ipſius conſecrationis officio Apoſtolicus & imperator complexis inuicem dextris iuerunt cum celebri pompa ad cameram, quæ eſt ante confeſſionem ſancti *Gregorii*: vt ibi deponeret Apoſtolic⁹ ſua ſacerdotalia, imperator autem ſua regalia. Imperatori autem exeunti de camera, & ſuis regalibus exuto, occurrerunt Romani patricii cum aureo circulo, quem impoſuerunt imperatori in capite, & per eū dederunt ſibi ſummum patriciatum Romanæ vrbis, communi conſenſu omnium, & volenti animo.

Omnem hanc ambitionem priuilegiorum & conſecrationis, verbo de ſcriptis præfati *Dauid* tranſtuli, quæ ille (vt dixi) pronius, quam deberet, ad gratiam regis inflexit. Sequenti vero anno congregatum eſt conſilium Romæ non tam præcipiente, quam conniuente Papa, & priuilegium illud irritum factū eſt. Authores fuere huiuſce mutationis, Archiepiſcopus Viennenſis, qui poſtea ſedē Apoſtolicā rexit, & Epiſcopus Engoliſmenſis *Girardus* nomine, qui coepiſcopos ad hæc exinanienda irritabant. Eius conſilii hæc eſt ergo actio.

al. Bulgeliſmenſis

Anno ab incarnatione Domini 1112. indictione quinta, anno domini Papæ *Paſchalis* ſecundi 13. menſe Martio, 15. Kalend. Aprilis, celebratū eſt concilium Romæ Lateranis in baſilica Conſtantiniana. In qua cum dominus Papa *Paſchalis* reſediſſet, cum Archiepiſcopis, Epiſcopis & Cardinalibus, & varia multitudine clericorū & laicorū vltima die concilii facta corā omnib. profeſſione catholicę fidei, ne quis de fide ipſius dubitaret, dixit. *Amplector omnē diuinā ſcripturā veteris, ac noui teſtamenti, legem à* Moyſe *ſcriptam, & à ſanctis prophetis, amplector 4. euangelia, ſeptem canonicas epiſtolas, epiſtolas glorioſi doctoris beati* Pauli *Apoſtoli, ſanctos canones Apoſtolorum, quatuor concilia vniuerſalia ſicut quatuor Euangelia, Nicenum, Epheſinum, Conſtantinopolitanum, Chalcedonenſe, præterea Antiochenū concilium, & decreta ſanctorum patrum Romanorum pontificum, & præcipue decreta domini mei Papæ* Gregorii *ſeptimi, & beatæ memoriæ Papæ* Vrbani. *Quæ ipſi laudauerunt, laudo, quæ tenuerūt, teneo, quæ confirmauerūt, confirmo, quæ damnauerunt, damno, quæ repulerunt, repello, quæ interdixerunt, interdico, quæ prohibuerunt prohibeo, in omnibus & per omnia ſemper in his perſeuerabo.* Quibus expletis ſurrexit pro omnibus *Girardus* Engoliſmenſis Epiſcopus, legatus in Aquitania, & communi aſſenſu domini Papæ *Paſchalis*, totiuſq; conſilii legit hanc ſcripturam.

al. iure *Priuilegium illud quod non eſt priuilegium, ſed * vere debet dici priuilegium pro liberatione captiuorum, & Eccleſiæ, à domino* Paſchali *Papa per violentiam regis* Henrici *extortū, nos omnes in hoc ſancto concilio cum domino Papa congregati canonica cenſura, & Eccleſiaſtica authoritate iudicio ſancti Spiritus damnamus, & irritum eſſe iudicamus, atq; omnino quaſſamus, & ne quid authoritatis, & efficaciæ habeat, penitus excommunicamus. Et hoc ideo damnatū eſt, quia in eo priuilegio continetur, quod electus à clero canonice & populo, à nemine conſecretur, niſi prius à rege veſtiatur: quod eſt contra Spiritum ſanctum & canonicam inſtitutionem. perlecta vero hac charta acclamatum eſt ab omnibus & vniuerſo conſilio, Amen, Amen, fiat, fiat.*

Archiepiſcopi, qui cum ſuis ſuffraganeis interfuerunt, hi ſunt: *Iohannes* Patriarchā Veneticus, *Sennes* Capuanus, *Landulfus* Beneuentanus, Amalfitanus, Regitanus, Hydrontinus, Brundiſinus, Capſanus, Gyrontinus: & Græci, *Roſanus* Archiepiſcopus ſanctæ *Seuerinæ*: Epiſcopi vero, *Cenſius* Sabinenſis, *Petrus* Portuenſis, *Leo* Hoſtienſis, *Cono* Præneſtinus, *Girardus* Engoliſmenſis, *Galo* Leonenſis legatus pro Bituricenſi, & Vienenſis Archiepiſcopus, *Rogerius* Wlturinenſis, *Gaufridus* Senenſis, *Rollandus* Populonenſis, *Gregorius* Tarracinēſis, *Willielmus* Turianus, *Willielmus* Syracuſanus legatus pro omnib. Siculis: & alii fere cētum Epiſcopi. *Siwinus* & *Iohannes* Tuſculanus Epiſcopus, cū eſſent Romæ, illa die cōcilio non interfuerunt, qui poſtea lecta dānatione priuilegii conſenſerunt & laudauerunt.

Ferebantur iſta per orbem, nec diſſimulabat omnis Gallia imperatorē execrari eccleſiaſtici zeli vigore in eum intentato. His commotus Romam 17. anno *Paſchalis* Papæ contendit, acrius in illum vlturus. Sed hic fœlici tranſitu mundanas effugerat ærumnas, ridebatq; in requie poſitus ex alto contumacis *Cæſaris* minas, cuius morte accepta alacrius imperator celerabat viam, vt *Iohanne Gritano*, ſuperioris Papæ Cancellario, qui iam electus, & *Gelaſius* dictus fuerat, eiecto, *Mauricium* Bracarenſem Epiſcopum cognomento *Burdinum* intruderet. Sed hæc epiſtola *Gelaſii* certius proponet.

Gelaſius *ſeruus ſeruorum Dei Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, clericis, principibus, & cæteris per Galliam fidelibus ſalutem. Quia vos Romanæ Eccleſiæ membra eſtis, quæ in ea nuper acta ſunt, dilectioni veſtræ ſignificare curamus. Siquidem poſt electionem noſtram dominus imperator furtiue, & inopinata velocitate Romam veniens nos egredi compulit. Pacem poſtea & minis & terroribus poſtulauit, dicens; quæ poſſet ſe facturum, niſi nos ei iuramento pacis certitudinem faceremus: ad quæ nos iſta reſpondimus, De controuerſia quæ inter Eccleſiam & regnū eſt, vel conuentioni vel iuſtitiæ libēter acquieſcimus loco & tempore competenti videlicet Mediolani, vel Cremonæ in proxima beati* Lucæ *feſtiuitate, fratrum noſtrorum iudicio, qui à Deo ſunt iudices conſtituti in Eccleſia, & ſine quibus hæc cauſa tractari non poteſt. Et quoniam dominus imperator à nobis ſecuritatem quærit, nos verbo & ſcripto eam promittimus niſi ipſe eam interim impediat. Alias n. ſecuritatē facere, nec honeſtas Eccleſiæ,*
al. 43 *nec conſuetudo eſt. Ille ſtatim die poſt electionē noſtram ** 44. *Bracenſem Epiſcopum, anno præterito à domino prædeceſſore noſtro* Paſchali *Papa in concilio Beneuenti excommunicatum in matris Eccleſiæ gremium ingeſſit. Qui etiam cum per noſtras olim manus pallium accepiſſet, eidem domino noſtro, & catholicis ſucceſſoribus, quorum primus ego ſum, fidelitatem iurauit. In hoc autem tanto facinore, nullum de Romanis dominus imperator (Deo gratias) ſocium habuit: ſed* Wibertini *ſoli,* Ro-
al. Teucro manus *de ſancto Marcello,* Cenſius, *qui dicebatur ſancti* Chryſogoni, * Teuto, *qui multo per Daciam debacchatus eſt tempore, tam infamem gloriam celebrarūt. Veſtra igitur experientia, literarum præſentium perceptione mandamus, vt ſuper his per Dei gratiam communi deliberatione tractantes, ad matris Eccleſiæ vltionem communibus, præſtante Deo, auxiliis, ſicut oportere cognoſcitis, accingamini. Datum Gaitæ 17. Kalend. Februar.*

Expulſus

Expulſus autem *Gelaſius* Salerni nauibus conſcenſis inde venit Genuam, indeque itinere pedeſtri Cluniacum contendens ibidem obijt. Tunc, id eſt, anno Dominicæ incarnationis 1519. Cardinales, qui cum *Gelaſio* venerant, ſimulque omnis eccleſia ciſalpina *Guidonem* Archiepiſcopum Viennenſem in Papam grandi paratu leuantes, *Calixtum* vocarunt, religionis & efficaciæ ipſius intuitu ſperantes, ſe per illius potentiam, quod eſſet in auxiliando facultatis maximæ, imperatoris viribus obniti poſſe. Nec ille credulos ſpei effectu exinaniens, mox conſilio Remis celebrato inueſtitos, vel inueſtiendos à laicis, ab Eccleſiis remouit, pariter & imperatorem, niſi reſipiſceret, inuoluens. Ita tempore aliquãto in inferioribus plagis moratus, vt partes ſuas augeret, Romam compoſitis in Gallia rebus venit, libenterq́; a ciuibus (nam iam imperator diſceſſerat) receptus eſt. Tum *Burdinus* in medio relictus, Sutrium effugit, multis peregrinorum calamitatib. Papatum ſuum fouere meditatus. Sed quo modo inde ſit eiectus, ſequenti epiſtola cognoſces.

Calixtus *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis fratribus, & filiis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, & cæteris tam clericis, quam laicis beati* Petri *fidelibus per Gallias conſtitutis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quia dereliquit populus legem Domini, & in iudiciis eius non ambulabat, viſitat dominus virga iniquitates eorum & verberibus peccata eorum. Paterna tamen conſeruans viſcera pietatis, de ſua confidens miſericordia non relinquit. Diu ſiquidem peccatis exigentibus per illud Teutonicorum regis idolum,* Burdinum *videlicet, fideles Eccleſiæ conturbati ſunt, & alii quidem capti ſunt, alii vſq; ad mortem carceris maceratione afflicti ſunt. Nuper autem feſtis Paſchalibus celebratis, cum peregrinorum & pauperum clamores ferre penitus non poſſemus, cum Eccleſiæ fidelibus ab vrbe digreſſi ſumus, & tamdiu Sutrium obſedimus, donec diuina potentia, & ſupradictum Eccleſiæ inimicum* Burdinum, (*qui diabolo nidum ibidem fecerat*) *& locum ipſum omnino in noſtram tradidit poteſtatem. Rogamus itaq; charitatem veſtram vt pro tantis beneficiis vna nobiſcum regi regum gratias referatis, & in Catholicæ Eccleſiæ obedientia, & ſeruitio conſtantiſſime maneatis, retributionem debitam in præſenti & futuro ab omnipotente Domino, per gratiam eius recepturi. Rogamus etiam, vt has literas alter alteri præſentari, omni remota negligentia, faciatis. Datum Sutrii, 5. Kalend. Maii.*

Vrbana omnino, & excogitata facetia, vt eum, quem oderat, regis Teutonici vocaret idolum, quod ille *Mauritii* peritiam, tum in literis, tum in ciuilibus negotiis magni penſaret. Erat hic, vt dixi, Bracarẽſis Epiſcopus, quæ eſt ciuitas Hiſpaniæ, quem multum quislibet reuereri, & pene adorare pro viua, & magna induſtriæ ſpecie debuiſſet: niſi tam famoſo facinore eniteſcere maluiſſet. Nec enim ſanctiſſimam ſedem nummis nundinari dubitaſſet, ſi tam deſperatus inueniretur venditor, quam paratus erat emptor. Tum autem captus & monachus factus in caueam (monaſterium ita vocant) directus eſt.

Proceſſit vlterius in augendo bono laudabilis Papæ magnificentia, vt illam effrænem, & ingenitam Romanorum cupiditatem cohiberet. Nullæ ipſius tempore viantibus circa Romam inſidiæ, nullæ vrbem ingreſſis iniuriæ. Oblationes apud ſanctum *Petrum* (quas pro petulantia, proq; libidine potentes diripiebant, anteriores Apoſtolicos, qui vel mutire auderent, indignis afficientes contumeliis) *Calixtus* reuocauit ad medium, ſcilicet ad Apoſtolicę ſedis rectoris publicum vſum Nec quicquam in eius pectore pecuniarum, vel habendarum ambitus, vel habitarum amor operari bono abhorrens potuit. Adeo vt Anglos peregrinos magis ad Sanctum dictum, quam Romam pergere admoneret pro viæ longitudine, ad illum locum bis euntibus idem benedictionis refundendũ commodum, quod habent, qui ſemel Romam irent. Quid quod illam inueteratam inueſtituræ cõtrouerſiam inter regnum & ſacerdotium, quæ iam plus quam quinquaginta annis turbas fecerat, adeo vt aliquo hæreſis fautore morbo, vel morte ſucciſo, illico quaſi hydræ capita plura pullularent, ipſe ſua induſtria abraſit, decidit, deleuit, vel euellit, Teutonicæ animoſitatis colla vigore ſecuris Apoſtolicæ decutiens. Quod & eius & Apoſtolici profeſſiones mundo his dictis oſtendent.

Ego Calixtus *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei tibi dilecto filio* Henrico *Dei gratia Romanorum imperatori* Auguſto, *concedo electiones Epiſcoporum, & Abbatum Teutonici regni, qui ad regnum pertinent, in præſentia tua fieri abſq; Symonia, & abſq; vlla violentia. Vt ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani, vel prouincialium conſilio, vel iudicio, ſaniori parti aſſenſum, vel auxilium præbeas. electus autem regalia à te recipiat, & quæ ex his iure tibi debet, faciat, ex aliis vero partibus imperii conſecratus infra 6. menſes regalia à te per ſceptrũ recipiat, & quæ ex his iure tibi debet, faciat, exceptis omnib. quæ ad Romanam Eccleſiam pertinere noſcuntur. De quibus vero mihi querimoniam feceris & auxilium poſtulaueris, ſecundũ officii mei debitum auxilium tibi præſtabo. Do tibi veram pacem, & omnibus, qui in tua parte ſunt, vel fuerunt tempore huius diſcordiæ.* Vale.

In nomine ſanctæ & indiuiduæ trinitatis. Ego Henricus *Dei gratia Romanorum imperator* Auguſtus,*pro amore Dei & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & domini* Calixti *Papæ, & pro remedio animæ meæ dimitto Deo,& ſanctis Apoſtolis* Petro & Paulo,*ſanctæque catholicæ Eccleſiæ omnem inueſtituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus Eccleſiis, quæ in regno vel imperio meo ſunt,canonicam fieri electionem,& liberam conſecrationem. Poſſeſſiones & regalia beati* Petri *quæ à principio huius diſcordiæ, vſque ad hodiernum diem,ſiue tempore patris mei, ſiue etiam meo ablata ſunt,quæ habeo,eidem Eccleſiæ ſanctæ Romanæ reſtituo, quæ non habeo, vt reſtituantur fideliter iuuabo. Poſſeſſiones etiam omnium aliarum Eccleſiarum, & principum,* & *omnium aliorum tam laicorum,quam clericorum,quæ in guerra iſta amiſſæ ſunt, conſilio principum, vel iuſticia,quas habeo reddam,quas non habeo fideliter vt reddantur, iuuabo. Et do veram pacem domino Papæ* Calixto,*& ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & omnibus qui in parte ipſius ſunt, vel fuerunt, & in quibus ſancta Romana Eccleſia auxilium poſtulauerit fideliter iuuabo,& de quibus mihi querimoniam fecerit,debitam ſibi faciam iuſticiam. Hæc omnia acta ſunt conſenſu, & conſilio principum, quorum nomina ſubſcripta ſunt.* Albertus *Archiepiſcopus Moguntiæ,*Fredericus *Colonienſis Archiepiſcopus, Ratisbonenſis Epiſcopus, Babenburgenſis Epiſcopus,*Bruno *Spirenſis, Auguſtenſis, Traiectenſis, Conſtantienſis, Abbas Foldenſis,*Heremannus *dux,*Fredericus *dux,*Bonifacius,*Marchio* Theobaldus *Marchio,*Ernulfus *Comes Palatinus,*Othbertus *Comes Palatinus,* Berengarius *Comes.*

Sedato itaque tam veterno morbo,qui Eccleſiæ ſtatum conturbauerat, magnum gaudium quiſquis Chriſtiane ſapuit,accepit, quod is imperator,qui proxima fortitudinis gloria acriter *Caroli magni* inuaderet veſtigia, etiam à deuotione ipſius in Deum non degeneraret: qui præter Teutonici regni nobiliter ſopitas rebelliones, etiam Italicum ita ſubegit,vt nullus adeo. Ter enim in decennio Italiam ingreſſus vrbium tumorem compeſcuit,primo aduentu Nouariam,Placentiam,Aretium,ſecundo,& tertio Cremonam, & Mantuam incendio exterminans.ſed & Rauennæ motum paucorum obſidione dierũ leniuit.Namque Piſani, & Papienſes cum Mediolanenſibus amicitiam eius, quam vim experiri malebant.Huic, (vt ante fatus ſum) filia regis Angliæ nupta exhibebat patrem fortitudine,matrem religione: contendebat in ea pietas induſtriæ, nec quod magis probares,diſcerneres facile.

Erat tunc *Willielmus* Comes Pictauorum fatuus & lubricus, qui priuſquam de Hieroſolyma,(vt ſuperiore libro lectum eſt) rediit,ita omne vitiorum volutabrum premebat quaſi crederet omnia fortuito agi, non prouidentia regi. Nugas porro ſuas, ſalſa quadam venuſtate condiens,ad facetias reuocabat, audientium rictus cachinno diſtendens. Denique apud caſtellum quoddam * Iuor habitacula quædam, quaſi monaſteriola, conſtruens Abbatiam pellicum ibi ſe poſiturum delirabat, nuncupatim illam & illam, quæcunque famoſioris proſtibuli eſſet, abbatiſſam, vel priorem, cætera vero officiales inſtituturum cantitans,legitima quoque vxore depulſa vicecomitis cuiuſdam coniugem ſurripuit,quam adeo ardebat,vt clypeo ſuo ſimulachrum mulierculæ inſereret, perinde dictitans ſe illam velle ferre in prælio,ſicut illa portabat eum in triclinio. vnde increpitus & excõmunicatus à *Girardo* Engoliſinorum Epiſcopo, iuſſuſque illicitam venerem abiicere Antea,inquit,criſpabis pectine refugum à fronte capillum,quam ego vicecomitiſſę indicam repudium, cauillatus in virum cuius pertenuis cæſaries pectinem non deſideraret. Nec minus,cum *Petrus* pręclare ſanctitatis Pictauorum Epiſcopus eum liberius argueret, & detrectantem palam excommunicare inciperet, ille præcipiti furore percitus crinem antiſtitis inuolat,ſtrictumque mucronem vibrans;Iam,inquit,morieris,niſi me abſolueris. Tum vero præſul timore ſimulato inducias petens loquendi, quod reliquum erat excommunicationis,fidenter perorauit,ita Comitem à chriſtianitate ſuſpendens,vt nec cũ aliquo conuiuari,nec etiam loqui,auderet,niſi mature reſipiſceret.Ita officio ſuo, vt ſibi videbatur peracto,martyriique trophæum ſitiens collum protendit; feri, inquiens feri. At *Willielmus* refractior conſuetum leporem intulit,vt diceret, tantum certe te odio, vt nec meo te digner odio,nec cœlum vnquam intrabis meæ manus miniſterio. Veruntamen poſt modicum viperio * meretriculæ infectus ſibilo, inceſti diſſuaſorem detruſit exilio. Vbi beato fine concluſus,frequentibus, & magnis miraculis innuit mundo, quam glorioſe viuat in cœlo. Quibus auditis Comes dicacitate inſolenti non abſtinuit, profeſſus palam pœnitere ſe,quod non ei iamdudum mortem acceleraſſet, vt ipſi anima ſancta grates haberet potiſſimum,cuius furore cœleſte mercatus eſſet commodum. Vitam *Petri* & mortem verſus iſti commendant.

al. Mort.

al. mulier cule.

DE VIVO DICTVM EST.

Corpus,opes,ſtudium,mores,cibus aſper,egenus,

Lectio, probra, domat, carpit, alit, fugiunt.
Virtutes, culpas, fructum, colit, amputat, auget:
Ius litem, pacem, protegit, odit, amat.
Fert miſero, tribuit peccanti, ſeruat amico
Auxilium, veniam, continuamq́ fidem.
Mente Maria *vacat, ſed in actum* Martha *laborat,*
Eſt intenta gregi Martha, Maria *Deo.*
Sic apud hunc regnat Deus intra, proximus extra,
Hic deſiderio, proximus obſequio.
Diligit ille Rachel, *nec* Leam *ferre recuſat,*
Vxoremq́, nouus duxit vtramq́, Iacob:
Huius amat vultum, iuuat huius carpere fructum,
Cum ſit pulchra Rachel, *fertiliorq́* Lea.

DE MORTVO DICTVM EST

Exutus rebus, intentus, pulſus ab vrbe
Præſul pauperiem vincla, fugamq́, tulit.
Nunc diues, liber, ſtabilis, ſua præmia, Chriſtum,
Aſtra, capit, ſequitur, poſſidet iſte Petrus.
Vitam religio, mentem diſcretio, famam
Lux operum, ſtudium lectio, verba modus,
Iudicium ius, iuſtitiam rigor, ora venuſtas,
Ornabant pietas viſcera, virga manum,
Promouit, priuauit eum, profugumq́, recepit,
Papa, Comes, Chriſtus *ordine, ſede, polo.*

Huius *Petri* fuerunt contemporanei & in religione ſocii *Robertus* de * Arbeiſel & *Bernardus* Abbas Turinenſis, quorum primus omnium huius temporis ſermocinatorum famoſiſſimus, & profuſiſſimus: tantũ non ſpumea, ſed mellea viguit eloquentia, vt hominibus certatim opes congerentibus illud egregium ſanctimonialium monaſterium apud fontem *Ebraldi* conſtrueret, in quo tota ſeculi voluptate caſtrata fœminarum Deo deuotarum quanta nuſquam multitudo in Dei feruet obſequio. Nam præter cæterarum illecebrarum abdicationem, quantulum illud eſt, quod in nullo loco loquuntur niſi in capitulo, propoſita à magiſtro perennis taciturnitatis regula, quia ſemel laxato ſilentio fœminæ pronæ ſunt ad muſſitandum friuola. Alter famoſus paupertatis amator, in ſaltuoſum & deſertum locum, relicto ampliſſimarum diuitiarum cœnobio, cum paucis conceſſit, ibiq́; quia lucerna ſub modio latere non potuit, vndatim multis confluentibus monaſterium fecit, magis inſigne religione monachorum, & numero, quam fulgore pecuniarum, & cumulo. *al. Arbreiſel

Et ne Anglia expers boni putetur, quis poſſit præterire *Serlonem* Abbatem Glouceſtrenſem, qui locum illum ex humili & pene nullo ad glorioſum prouectum extulit? Nota eſt omnibus Anglis Glouceſtrenſis diſcreta religio, quam infirmus poſſit ſuſpicere, nec poſſit fortis contemnere. Hoc illis ſignifer *Serlo* intulit, vt nequid nimis. Quamuis vt erat bonis humilis, ita ſuperbis minax atque terribilis. Ad quod firmandum verſus de eo *Godefridi* Prioris in medium adducam.

Eccleſiæ murus cecidit, Serlone *cadente,*
Virtutis gladius, buccina iuſticiæ,
Vera loquens, & non vanis ſermonibus vtens,
Et, quos corripuit, principibus placuit.
Iudicium præceps, contrarius ordinis error,
Et leuitas morum non placuere ſibi.
Tertius à Iano *menſis lux tertia menſis*
Cum nece ſuppreſſum vita leuauit eum.

Quis *Lanzonem* taceat, qui ea ætate nullo inferius ſanctitate floruit, monachus Cluniacenſis, & Prior ſancti *Pancratii* in Anglia. qui probitate ſua ita locum illum reuerentiæ monachilis gratia nobilitauit, vt vnicum bonitatis pro vero aſſeratur eſſe domicilium.

De cuius vita, quia quicquid dixero infra illius merita eſſe denuncio, ſolum illius obitum verbis, quibus ſcriptũ inueni apponam, vt liquido pateat, quam glorioſe vixit, qui tam gratioſe obiit.

Pius Dominus, qui flagellat omnem filium, quem recipit, qui iuſtos ſuæ ſocios paſſionis ſimul & conſolationis fore promittit, tam acerbo languore dominum *Lanzonem* triduo paſſionem ſuam prçuenire permiſit: vt ſi aliquis ex terrena conſeruatione mundiſſimæ menti eius puluis adhæſit, illa cum tribulatione excuſſum eſſe non ſit ambiguũ. Cũ enim dicat tantus Apoſtolus, qui ſuper dominicum pectus recubuit, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Cumque peccatum omne aut leuius hic, aut in futuro grauius iudicet Chriſtus; noluit ei aliquid offenſionis poſt mortem occurrere, quem ſe toto corde ſciebat amare. Ideoque ſi quid in eo examinandum iudicabat, voluit in iuuentute decoquere. Huic nempe aſſertioni fiducia morientis atteſtata eſt. Nam cum quinta feria ante paſſionem Domini incolumis, dicto ex quotidiana quadrageſimæ conſuetudine Pſalterio, ſe hora tertia Miſſam celebraturus vſque ad caſulam induiſſet, & vſque ad incipiendam Miſſam, quæque dicenda erant, prædixiſſet, ſubito languore tam moleſto corripitur, vt ipſe, quæ induerat, veſtimenta exuens, etiam non plicata reliquerit. Egreſſuſque oratorio ſine intermiſſione per biduum, hoc eſt, vſque ad Sabbatum conteritur, non ſedendo, non ambulando, non iacendo, non ſtando, neque dormiendo vllam omnino requiem habẽs. Nunquam tamen noctibus eſt locutus rogantibus fratribus, vt ſilentium ſolueret, nõ acquieuit, rogans ne monachatus ſui pudicitiã libarent, quod nunquam poſtquam monachicum habitum accepiſſet a completorio exiens vſque ad ſequentis diei primam locutus fuiſſet. Sabbato autem ſequenti dum ita quaſſatus ſe putaret iam iamque defungi, ſurgentes ad matutinam Synaxim fratres, ad ſe inungendum venire præcepit; quos cum inunctus ex more oſculari voluiſſet, nimio eorum compulſus amore, non iacendo, nec ſedẽdo, ſed quamuis ad mortem anxiatus, inter brachia ſuſtentatus, ſtando oſculatus eſt. Die illuceſcente in capitulũ ductus cum ſediſſet, fratres ante ſe omnes venire rogauit, quibus paternã benedictionem & abſolutionem impertiens, idem ſibi ab iis voluit impertiri. Poſtea docuit, quid, ſi obiret, eis eſſet agẽdum. Sicq; regreſſus eſt vnde venerat, reliquum diei cum ſequenti Dominica aliquãto quietius trãſigens, cum ecce poſt hæc, id eſt, poſt Dominicam imminentis mortis indicia deprehendũtur, & ipſe manibus ablutis, pexo capite Miſſam auditurus oratoriũ ingreditur ſumptoque corpore & ſanguine Domini ad lectum regreſſus eſt. Poſt modicum obmutuit, fratres ante illum venientes ſigillatim benedicebat, ſimili modo totum conuẽtum. At vero oculis in cœlum erectis, vtraque manu dominum Abbatem cum omnibus ſibi commiſſis benedicere nitebatur. Rogatus autem à fratribus vt apud Dominum ad quem ibat, eorum memor eſſet, capite inclinãdo benigniſſime acquieuit. Hęc & his ſimilia cum feciſſet, innuit ſibi porrigi crucem: quam capite imo toto corpore inclinato adorans, manibus amplexans, læto ore ſalutare videbatur, & iocundo affectu deoſculabatur, cum illico aſtantes migrando percellit, raptuſque in manibus eorum viuus adhuc in presbyteriũ ante altare S. *Pancratii* defertur. Vbi aliquandiu ſuperuiuens, roſeo faciei rubore ſuauis eadem diei hora, qua purgãdus, infirmat* eſt, cariturus perenniter omni malo purus migrauit ad Chriſtum. Et vide quam * mirabiliter in eo cuncta concurrerunt: paſſio ſerui cum paſſione Domini; hora incipientis infirmitatis, cum hora incipientis æternæ ſalutis; quinque dies, quos ſuſtinuit, ægritudinis quinis corporis ſenſibus, quibus nemo vitat peccatum, emundandis. Porro quod quinto die nec dum tranſacto deceſſit, vt reor, innuit eum in vltimo ſenſu, qui tactus dicitur, non perfeciſſe peccatum. Tertia vero diei hora, qua & infirmatus eſt, & moriendo in vitam ingreſſus eſt æternam, quid aliud inſinuat, quam eandem Sp. S. gratiã, qua omnem eius vitam gubernatã cognoſcimus; & infirmato & obeunti euidẽter affuiſſe. Vt etiã eſſe ſupparẽ illis patrib. noſtris, *Odoni* ſc. atq; *Odiloni*, & merito & præmio non ambigamus: inſigne quiddam illis conceſſum, huic quoque collatum eſt. Cũ enim illis contulerit Dominus, vt octauo die ſolennitatum, quas præ cæteris diligebant, tranſirent. Nam & beatus *Odo* feſtiuitatem beati *Martini*, & ſanctus *Odilo* natiuitatem Domini præcipue amabant, in quorum octaua die vterque deceſſit. Domino *Lanzoni*, qui præ cæteris huius æui hominibus regulam ſancti *Benedicti* obſeruabat, & beatam Dei genetricem, eiuſque ſolennia ſingulari venerabatur affectu, contulit, vt ſolita ſibi conſuetudine, & in tranſitu ſancti *Benedicti*, & in feſtiuitate ſanctæ *Mariæ* (quæ annunciatio Dominica dicitur) maiorem Miſſam in conuentu celebraret, & octauo à prædicto ſancti *Benedicti* tranſitu die præuentus infirmitate, octauo nihilominus die ab Annunciatione

al. mutabiliter.

Dominica

Dominica migraret ad Chriſtum. Igitur qui vitam domini *Lauzonis* ignorat, quam placẽs Deo fuerit, ex fine colligat, nec viſitato morientiũ more prædicta illa contigiſſe nobiſcum credat, quem Spiritus ſancti charisſmatibus nemine huius temporis inferius ditatum ſciat.

Nec memoria *Godefridi* Prioris Wintonienſis ire debet in perditum, qui temporibus his literatura & religione inſignis fuit. Literaturam proteſtantur libri plures, & epiſtolæ familiari illo & dulci ſtylo editæ, maximeq; Epigrammata, quæ Satyrico modo abſoluit, præterea verſus de primatum Angliæ laudibus. Quid? omne diuinum officium, quod agreſti quadam vetuſtate obſoletum, per induſtriam ſuam natiua excultum venuſtate fecit eniteſcere: Religionis & hoſpitalitatis normam pulchre inchoatam deliniauit in monachos, qui hodieq; ita in vtriſq; Prioris terunt veſtigium, vt aut nihil, aut parum iis deſit ad laudis cumulum. Deniq; eſt in ea domo hoſpitium, terra, mariq; venientium quantum libuerit diuerſorium, ſumptu indeficienti, charitate indefatigata. Inter hæc inerat ſancto viro morum humilitas, vt nihil ex illo vnico Philoſophiæ promptuario redoleret niſi humile, procederet niſi dulce. Quantula vero poteſt videri hæc eius laudatio? Quotus enim quiſq; eſt, qui vel minimum literis imbutus non alios infra dignitatem ſuam opinetur tumido geſtu, & pompatico inceſſu præ ſe ferens conſcientiam literarum. Veruntamen, ne quid perfectionis ſanctæ deeſſet animæ multis annis ille grabbatum fouit, camino diuturnæ tabis medullas, & peccata excoctans.

Sed quid de talibus plura? erant prorſus tũc in Anglia multi ſcientia illuſtres, religione celebres, quorum virtus eo probabilior, quo ſeculo ſeneſcente conſtantior & viridior. Laudabiliter igitur viuendo fidem præteritis faciebant hiſtoriis, ne vetera poſſint falſitatis argui, cum nouorum exemplo probentur potuiſſe fieri. Quin etiam ſi qui eſſent Eccleſiarum prælati, qui viderentur ab antiquorum ſanctitate degeneres, in mundialibus ſcilicet efficaces, in ſpiritualibus deſides, tales, inquam, ſi qui eſſent, ſumptuoſis locorum cultibus conabantur errata obumbrare. Erigebat quiſq; templa recentia, ſanctorumq; ſuorum argento & auro amiciebat corpora, nihil prætermittẽdo charitate ſumptuum, quod ad gratiam poſſit allicere oculos intuentium. Quorum eſt *Ranulphus* ſuperius nominatus, qui apud Dunelmum factus Epiſcopus in ædificiis monachorum nouis, & beati *Cuthberti* veneratione nonnullam gloriam nomini ſuo commentus eſt. Cuius extulit famam ſancti corporis translatio, quod e mauſoleo leuatum cunctis volentibus fecit conſpicuum. Tractauit illud auſu fœlici *Ranulphus* tunc Abbas Sagii, poſtea Cantuariæ Archiepiſcopus, & propalam illibatum protulit, quod quibuſdam veniſſet in dubium, vtrum olim vulgatum adhuc de integritate compaginis duraret miraculum. Eodemq; fere tempore in * Elienſi *al. Helienſi* cœnobio ſub Abbate *Richardo* virginales exuuiæ beatæ *Etheldridæ* integræ viſæ: videntibus ſtupori & plauſui fuere. Monaſterium illud nuper a rege *Henrico* in Epiſcopatum mutatum, primum *Herueum* accepit Epiſcopum, qui pro penuria victualium Bancornenſem, vbi intronizatus fuerat, deſeruerat locum. Et ne Lincollienſis pontifex mutilatam ſuam quereretur diœceſim, ex rebus Elienſis cœnobii damnum rex ſarciuit, querelam compoſuit. Sane quicquid eius tempore de primatu duorum Metropolitanorum Cantuarienſis, & Eboracenſis ſit vel iuſticiæ ſurreptum, vel violentia præſumptum, dicam cum ad ordinem venero. Iam enim terminata ſerie regum, de ſucceſſione totius Angliæ pontificum mihi video eſſe dicendum. In quo vtinam afflueret vber dicendi copia, ne vlterius ſub obliuione iaceant tam præclara patriæ lumina. Et quidem erunt multi fortaſſis in diuerſis regionibus Angliæ, qui quædam aliter, ac ego dixi, ſe dicant audiſſe, vel legiſſe. Veruntamen ſi recto aguntur iudicio, non ideo me cenſorio expungent ſtylo. Ego enim veram legem ſecutus hiſtoriæ, nihil vnquam poſui, niſi quod a fidelibus relatoribus, vel ſcriptoribus addidici. Porro quoquo modo hæc ſe habeant, priuatim ipſe mihi ſub ope Chriſti gratulor, quod continuam Anglorum hiſtoriam ordinauerim poſt *Bedam* vel ſolus, vel primus. Si quis igitur, ſicut iam ſuſurrari audio poſt me ſcribendi de talibus munus attentauerit, mihi debeat collectionis gratiam, ſibi habeat electionis materiam.

Hæc habui (domine venerabilis Comes) de geſtis Anglorum, quæ dicerem, ab aduentu eorum in Angliam vſque in annum * viceſimum fœliciſſimi regni patris veſtri. Cætera proprium occupabunt libellum, ſi benignum iſtis non negaueritis vultum. Hoc autem opus poſtquam abſolui, circumſpectis plurimis vobis potiſſimum delegandum credidi. Cum enim alios conſidero, in vno nobilitatem, in altero militiam, in iſto literaturam, in illo iuſticiam, in paucis munificentiam inuenio. Itaque in aliis aliqua, in ſingulis ſingula, in vobis admiror vniuerſa. Si quis enim vnquam fuit nobilis, vos in ea re præcellitis, cuius genus à præcellentiſſimis regibus, & Comitibus lineam trahit, animus * à morib.

al. viceſimumoctauum — *al. amoribus*

imitationem conducit. Habetis ergo à Normannis bellandi peritiam, à Flandrenſibus liniamentorum gratiam, à Francis generoſitatis eminentiam. De militiæ porro veſtræ induſtria quis hæſitat, cum eam excellentiſſimus pater in vobis ſuſpiciat? Cum enim aliqui motus in Normannia nunciantur, vos præmittit, vt virtute veſtra profligentur ſuſpecta, ſagacitate redintegretur concordia. cum redit in regnum, vos reducit, vt ſitis ei foris tutelæ, domi lætitiæ, ornamento vbique.

Literas ita fouetis, vt cum ſitis tantarum occupationum mole diſtricti, horas tamen aliquas vobis ſurripiatis, quibus aut ipſi legere, aut legētes poſſitis audire. Digno itaq; moderamine fortunæ veſtræ celſitudinem componitis, dum nec militiam propter literas poſtponitis, nec literas propter militiam, vt quidam, conſpuitis. In quo etiam ſcientiæ veſtræ pateſcit miraculum, quia dum libros diligitis, datis iudicium, quam auidis medullis fontem eorum combiberitis. Multis ſiquidem res etiam cum non habentur, deſiderantur, philoſophiam nullus amabit, qui eam extrema ſatietate non hauſerit. Iuſticiæ veſtræ fama regiones etiam noſtras attigit; a vobis ſiquidem prauum iudicium nunquam extorſit vel perſonæ ſublimitas, vel fortunæ tenuitas. Nihil reperit in veſtro pectore quod ſuis conducat artibus, qui iuſticiam labefactare conatur, ſeu oblatione muneris, ſeu delinimento fauoris. Munificentiæ veſtræ pecuniæq; contemptum prætendit * Teokesberiæ cœnobium. De quo (vt audio) non ſolum xenia non corroditis, ſed etiam vltro miſſa remittitis. Quantum hoc ſit iſto præſertim tempore, quantæ in ſeculo gloriæ, quantæ apud Deum gratiæ ipſi certe intelligitis. Beata eſt igitur ſecundum ſententiam *Platonis* reſpublica, cuius rector eſt Philoſophus, cuius princeps non delectatur muneribus. Plura de talibus dicerem, niſi & ſuſpicio meæ adulationis, & laudanda modeſtia veſtri pudoris dicturientem cohiberet. Sane quæ dixi, non prætermittere fuit conſilium, vt per officium linguæ meæ probitas veſtra poſteros non lateat; & ipſa de virtute in virtutem proficere contendat. Et quidem iamdudum quibuſdam perſuadentibus ferebat animus, vt quæ prætereunda non putarem, per ſucciduos ſemper annos huic operi apponerem. Sed conſultius videtur alium de talibus librum procudere, quam iam abſoluto frequenter noua inſuere. Nec vero quiſquam ſuperfluam me operam dicat inſumere, ſi clariſſimi omnium ſua ætate regum geſta propono. Multa enim ſublimitati eius mea humilitas debet, & adhuc plura debebit, vt ſi nihil aliud eſſet, quod ſe talem filium habere gauderet. Nam & olim fœlici ſorte ſuſceptum, non perfunctorie, vt hodie claret, literis erudiri præcepit, poſt etiam ampliſſimarum poſſeſſionum fecit Dominum, nunc poſtremo paternum in vos reclinat affectum. Sit ergo hic liber, vt eſt, veſtræ gloriæ abſolute conſecratus, in altero erit idem vitæ, qui ſcripturæ terminus. Quod ſupereſt, munus meum dignanter ſuſcipite, vt gaudeam grato cognitoris arbitrio, qui non errauí eligendi iudicio.

*al. Theokesberia

PROLOGVS AD ROBERTVM COMITEM GLOCESTRIÆ.

DOMINO *amantiſſimo* Roberto *filio regis* Henrici, *& conſuli Glocestrenſi* Willielmus *bibliothecarius Malmesberiæ poſt emerita trophæa in terris, triumphare in cælis. Pleraq; geſtorum præcellentis memoria patris veſtri ſtylo apponere non neglexi, & in quinto libro regalium, & in tribus libellis, quibus Chronica dedi vocabulum. Nunc ea, quæ moderno tempore magno miraculo Dei acciderunt in Anglia, vt mandentur poſteris deſiderat animus veſtræ ſerenitatis: pulcherrimum plane deſiderium, & veſtrorum omnium ſimile. Quid enim plus ad honeſtatis ſpectat commodum? quid magis cōducit æquitati? quam diuinam agnoſcere circa bonos indulgentiam, & erga peruerſos vindictam. Quid porro iocundius? quam fortium facta Virorum monumentis tradere literarum: quorum exemplo cæteri exuant ignauiam, & ad defendendam armentur patriam. Quod quia officio ſtyli mei præceptum eſt fieri, ordinatius puto poſſe hiſtoriam tranſigi, ſi paulo altius repetens, à reditu imperatricis in Angliam poſt viri deceſſum ſeriem contexam annorum. Itaq; primo vocata in auxilium, vt decet, diuinitate, rerum veritatem ſcripturus, nihilque offenſæ daturus aut gratiæ, ita incipiam.*

HISTO-

HISTORIAE NOVELLAE.

LIB. I.

ANNO *Henrici* Regis Anglorum 26. qui fuit incarnationis Dominicæ, milleſimus, centeſimus, viceſimus ſextus, *Henricus* Imperator Alemannorum, cui præfati Regis filia *Mathildis* nupſerat, in ipſo ætatis & victoriarum flore obiit. Morabatur eo tempore Rex noſter Normanniæ, ad pacificandos, ſi qui in eis partibus fierent motus. Qui vbi primũ obitum generi accepit nõ multo poſt honoratis viris à ſe miſſis filiam reuocauit. Inuita, vt aiunt, Imperatrix rediit, quod dotalibus regionibus conſueta eſſet, & multas ibidem poſſeſſiones haberet. Conſtat certe aliquos Lotharingorum & Longobardorum Principes ſuccedentibus annis plus quam ſemel Angliam veniſſe, vt eam ſibi dominam requirerent: ſed fructu laborum caruiſſe, cogitante Rege vt filiæ connubio inter ſe & Andegauenſem Comitem pacem componeret. Mirum enim in modum vir ille omnium Regum, quos noſtra & etiam patrum noſtrorum tenet memoria, maximus; ſuſpectam tamen ſemper habuit Andegauenſium potentiam. Hinc eſt quod ſponſalitia, quæ *Willielmus* nepos ſuus Comes poſtea Flandriæ cum filia Comitis Andegauenſis *Fulconis*, poſtea Regis Ieroſolymorum contracturus eſſe dicebatur, diſſoluit, & caſſauit. Hinc eſt quod aliam eiuſdem filiam filio ſuo Willielmo impubi vix dum adoleſcenti coniunxit. Hinc eſt quod hanc filiam ſuam, (de qua incepimus loqui) poſt imperatorium thorum eiuſdem *Fulconis* filio nuptum collocauit; ſicut ſermo procedens dicere perget.

Anno 27. regni ſui Rex *Henricus* Angliam venit menſe Septembri, adducens ſecum filiam ſuam. Primo vero natali conuocato apud Londoniam magno cleri & optimatum numero, vxori ſuæ filiæ ducis Louannenſis, quam poſt obitum *Mathildis* duxerat, comitatum Salopesberiæ dedit. Quam videlicet fœminam dolens non concipere, dum & perpetuo ſterilem fore timeret, de ſucceſſore Regni merito anxius cogitabat. De qua re antea multum diuque deliberato Concilio, tunc in eodem Concilio omnes totius Angliæ optimates, Epiſcopos etiam & Abbates ſacramento adegit, & obſtrinxit: vt ſi ipſe ſine hærede maſculo decederet, *Mathildem* filiam ſuam quondam imperatricem incunctanter & ſine vlla retractione dominam reciperent: præfatus quanto damno patriæ fortuna *Willielmum* filium ſuum ſibi ſurripuiſſet, cui iure regnum competeret: nunc ſupereſſe filiam, cui ſoli legitima debeatur ſucceſſio, ab auo, auunculo, & patre regibus, & à materno genere multis retro ſeculis. Siquidem ab *Egbirtho* Weſtſaxonum Rege, qui primus cæteros inſulæ Reges vel expulit, vel ſubegit, anno Dominicæ incarnationis octingeſimo ſub quatuordecim regibus, vſq; ad eiuſdem incarnationis annum milleſimum quadrageſimum tertium, quo Rex *Edwardus*, qui apud Weſtmonaſterium iacet, in regnum ſublimatus eſt. Nec vnquam eiuſdem regalis ſanguinis linea defecit nec in ſucceſſione regni claudicauit. Porro *Edwardus* illius progeniei vltimus, idemq; & præclariſſimus, proneptem ſuam *Margaritam* ex fratre *Edmundo* Irenſide, *Malcolmi* Regis Scottorum nuptiis copulauit: quorum filia, *Mathildis*, huius Imperatricis mater extitit. Iurauerunt ergo cuncti, quicunq; in eodem Concilio alicuius videbantur eſſe momenti: primo *Willielmus* Cantuariæ Archiepiſcopus, mox cæteri Epiſcopi, nec minus Abbates. Laicorum primus iurauit *Dauid* Rex Scotiæ, eiuſdem imperatricis auunculus: tunc *Stephanus* Moritonii Comes & Bononiæ, nepos *Henrici* Regis, ex ſorore *Adala*: mox *Robertus* filius Regis, quem ante regnum ſuſceperat, & Comitem Gloceſtriæ fecerat. Notabile fuit (vt fertur) certamen inter *Robertum & Stephanum*, dum æmula laude virtutum inter ſe contenderent quis eorum prior iuraret: illo priuilegium filii, iſto dignitatem nepotis ſpectante. Ita obſtrictis omnibus fide & ſacramento, tunc quidem à quoq; in ſua diſceſſum eſt: poſt Pentecoſten vero miſit Rex filiam ſuam in Normanniam, iubens eam per Rotomagenſem Archiepiſcopum deſponſari filio prædicti *Fulconis*, adoleſcenti magnæ nobilitatis, & prædicandi roboris. Nec diſtulit quin ipſe quoq; Normanniam nauigaret, eoſq; matrimonio coniungeret. Quo facto quodam vaticinio omnes prædicabant, vt poſt mortem eius à ſacramento deciſcerent. Ego *Rogerium* Salesberienſem Epiſcopum ſæpe audiui dicentem, ſolutum ſe à ſacramento, quod imperatrici fecerat. Eo enim pacto ſe iuraſſe, ne Rex præter conſilium ſuum & cęterorum procerum filiam cuiquam nuptum daret extra regnum. eius matrimonii nullum authorem, nullum fuiſſe conſcium: niſi *Robertum* comitem Gloceſtriæ, & *Brianum* filium Comitis, & Epiſcopum Luxonienſem. Nec vero hoc idcirco dixerim, q̃ credã vera fuiſſe verba hominis, q̃ ſe vnicuiq; tẽpori pro volubilitate fortunę ac-

commodare noſſet: ſed ſicut verax hiſtoricus opinionem prouincialium ſcriptis appono.

Reliquos annos vitæ & Regni *Henrici* breuiter percenſere libet; vt nec rerum cognitione fraudentur poſteri, nec in iis, quæ minus ad hanc hiſtoriam pertinent, prolixius immorari videar. Anno 28. rediit in Angliam à Normannia Rex. Annō *29*. quiddam accidit in Anglia, quod mirum videatur crinitis noſtris, qui obliti quid nati ſunt, in muliebris ſexus habitum capillorum longitudine ſeipſos transformant. Quidam prouincialium militum magno crinium luxu ſuperbiens, conſcientiaq; ſtimulante perterritus, viſus eſt ſibi videre in ſomnis, quaſi aliquis eum capillorum ſuorū criniculis ſuffocaret. Quare ſomno excuſſus, quicquid ſuperfluebat comarum cito abſcidit. Cucurrit exemplum per Angliā, & (ſicut recens pœna mentem mouere ſolet) omnes pene milites ad iuſtum modū crines ſuos reſcindi æquanimiter tulerunt. Sed nō diu ſtetit hęc ſanctitas. Vix enim anno elapſo, cuncti qui ſibi curiales eſſe videbantur, in prius vitium reciderunt: longitudine capillorū cum fœminis certabant; & vbi crines deficiunt inuolucra quædam innodabant: obliti vel potius ignari ſententiæ Apoſtolicæ: *Vir ſi comam nutrierit, ignominia eſt illi.*

Anno 30. Rex *Henricus* tranſiit in Normanniam; Eo anno defuncto Papa *Honorio* magna contentione eligendi Apoſtolici Romana fluctuauit Eccleſia. Erant tunc in eadem vrbe duo famoſiſſimi Cardinales *Gregorius* Diaconus S. Angeli, & *Petrus* presbyter Cardinalis filius *Leonis* Romanorum principis: ambo literis & induſtria inſignes; nec erat facile diſcernere populo quiſnam eorum iuſtius eligeretur à clero. Præuenit tamen pars, quæ fauebat *Gregorio*, vt pontifex ordinatus vocaretur *Innocentius*. Sparſus eſt etiam rumor in plebem, quod adhuc *Honorius* ſpiraret, & ita fieri præciperet. Authores fuerunt huius ordinationis *Willielmus* Præneſtinus Epiſcopus, *Matthæus* Albanenſis, *Cuonradus* Sabinenſis, *Iohannes* Oſtienſis, *Petrus* Cremenſis de titulo ſancti *Griſogoni*, *Haimerus* Cancellarius. At vero pars altera ſepulto iam *Honorio*, annitentibus fratribus *Petri* locupletiſſimis Romanorum & potentiſſimis, eum electum & ſacratum vocauit *Anacletum*. *Maximus* huius ordinationis hortator & author *Petrus* Portuenſis Epiſcopus fuit. Cuius Epiſtolam ſi poſuero, ea omnem controuerſiam aperiet, pronior tamen in *Anacletum*.

Petrus Portuenſis Epiſcopus quatuor Epiſcopis Willielmo *Præneſtino*, Matthæo *Albanenſi*, Cuonrado *Sabinenſi*, Ioanni *Oſtienſi*. *Quanta ſit pro vobis tribulatio cordis mei, ille ſolus nouit, qui omnia nouit: vobis quoque meis literis cognitum ſaltem iam ex parte fuiſſet, niſi Eccleſiæ ſententia & communis authoritas prohiberet. De commendatione ſeu vituperatione perſonarum, de quibus nunc ſermonum varietas agitatur, non eſt huius temporis iudicare: eſt qui quærat & iudicet. Si tamen quiſquam præſto fuerit accuſare, præſto erit & qui debeat reſpondere: præſertim cū in veſtro & meo immo in totius Eccleſiæ conſpectu vterq; ſapienter vixerit & honeſte; & quæ officii ſui erant plena hucuſq; exercuerint libertate. Abſtinere vos potius conuenit à ſermonibus otioſis, & verbis præcipitationis. Si de rumoribus agitur longe ſe aliter habent res, quam veſtræ apud me proteſtantur literæ. Ad hæc ſi verba, quæ poſuiſtis, ſi ordinis rationem attenditis (vt ſalua reuerentia veſtra loquar) factionem illam veſtram qua confidentia qua fronte electionem vocare præſumitis? cur illum veſtrum dicitis ordinatum, cum prorſus in cauſa eius ordo non fuerit? ſiccine didiciſtis Papam eligere? in angulo, in abſcondito, in tenebroſis, & vmbra mortis? ſi mortuo Papa viuum ſuccedere volebatis, cur mortuum viuere prædicabitis? multo melius erat mortuo humanitatem impendere, & ſic de viui ſolatio cogitare. Sed ecce: dum de mortuo ſolatium viuo requiritis, & viuum & mortuum pariter ſuffocatis. Poſtremo nec veſtrum, ſicut nec meum fuit eligere: ſed potius electum à fratribus ſpernere, vel approbare. Quia igitur neglecto ordine, contempto canone, ſpreto etiam ipſo à vobis condito anathemate, me inconſulto Priore veſtro, inconſultis etiam fratribus maioribus & Prioribus; nec etiam vocatis aut expectatis: cum eſſetis nouitii, & in numero breui pauciſſimi facere præſumpſiſtis: pro infecto habendum eſſe, & nihil omnino exiſtere ex ipſa veſtra æſtimatione poteſtis aduertere. Cito autem nobis Dominus affuit, & viam qua errori veſtro contraire poſſemus, oſtendit. Fratres ſiquidem veſtri Cardinales (quorum præcipua in electione poteſtas) cum clero vniuerſo expetente populo, cum honoratorum conſenſu, in luce, in manifeſto, vnanimi voto & deſiderio delegerunt dominum* Petrum *Cardinalem in Romanum Pontificem* Anacletum. *Hanc ego electionem Canonice celebratam conſpexi & authore Deo confirmaui. Hunc Eccleſia ſuſcipit, & veneratur: Hunc per Dei gratiam epiſcopi & Abbates, Principes capitanei, & Barones, quidam per ſeipſos, quidam per nuncios ſuos videntibus nobis frequentant. Deprædationem illam & crudelitatem, quam prætenditis, non videmus. Quicunq; ad eum pro reſponſis ſeu negotiis ſuis veniunt benigne ſuſcipiuntur, benignius reuertuntur. Redite iam, redite ad cor: nolite ſchiſma in Eccleſia facere ad animarum ſubuerſionem: nolite vlterius laborare: teneat vos timor Domini, non pudor ſeculi. Nunquid qui dormit, non adiiciet vt reſurgat? deſiſtite iam mendaciis, in quibus impii ſpem ſuam ponere conſuerunt. Dominus* Tiburtius *in ſcri-*

in ſcriptis ſuis cum ſacramento teſtificatus eſt, dicens quod ego diaconum ſancti Angeli ſolum idoneum iudicaui ad Pontificatus ordinem. Videat ipſe quid dixerit: ego in occulto locutus ſum nihil; non eſt aliquis, qui hoc verbum ab ore meo vnquam audierit. Hæc fuit ſententia mea ſemper, vt non niſi ſepulto Papa, de ſucceſſoris perſona mentio haberetur. Vnitatem Eccleſiæ tenui, & tenebo: veritati & iuſtitiæ adhærere curabo, confidenter ſperans quia iuſtitia & veritas liberabit me. Sic prędictus *Petrus* Portuenſis epiſcopus in *Petrum Leonis* filium pronior ſcripſit. Nec vero pars altera ceſſabat, quin & ipſum *Petrum* catulum leonis diceret, & fautores eius factionis complices nominaret. Et illi quidem varia inter ſe dubiis de rebus agebant. *Innocentius* vero excluſus Roma, tranſcenſis Alpibus Galliam contendit. Ibi ab omni citramontana Eccleſia incunctanter ſuſceptus eſt: quin etiam & rex *Henricus*, qui non leuiter à ſententia, quam ſemel propoſuiſſet, deiici noſſet, illi apud Carnotum vltro manus dedit: & apud Rotomagum non modo ſuis, ſed optimatum, & etiam Iudęorũ muneribus eum dignatus eſt. Nec vero *Innocentius* quamuis ab Anglorum & Francorum regibus ſimul & ab Imperatore Alemannorum valde iuuaretur, nunquam tamen quiete potiri potuit, quoad *Anacletus* Romanæ Eccleſiæ ſedem teneret. At vero ipſo *Anacleto* octauo præſumpti, (vt dicebatur) ſui Epiſcopatus anno defuncto dominus *Innocentius* inconcuſſa ad hoc tempus pace Apoſtolica fruitur dignitate.

Anno triceſimo primo regni ſui Rex *Henricus* rediit in Angliam, Imperatrix quoque eodem anno natali ſolo aduentum ſuum exhibuit, habitoq; non paruo procerum conuentu apud Northantonam priſcam fidem apud eos, qui dederant, nouauit, ab iis, qui nõ dederant, accepit. Eodem anno *Lodouicus* Rex Francorum & in ſenium vergens, & nimia corpulentia grauis, filium coronari iuſſit, vt regni ſucceſſorem. Quo non multo poſt caſu equi exanimato, alterum per manum Pontificis Romani diademate inſigniuit. Is vt ferunt ab antiqua Francorum fortitudine non degenerans, etiam Aquitaniam iuri ſuo per vxoris dotale fœdus acquiſiuit, quam poſt *Ludouicum Caroli* Magni filium in proprio dominatu Francorum Reges non habuiſſe noſcuntur.

Anno 31. Regni *Henrici* infeſta lues domeſticorum animalium totam peruagata eſt Angliam. Plenæ porcorum haræ ſubito vacuabantur: integra boum præſepia repente deſtituebantur: durauit ſequentibus annis eadem peſtis, vt nulla omnino totius Regni villa huius miſeriæ immunis, alterius incommoda ridere poſſet. Tunc etiam contentio inter *Bernardum* Epiſcopum Meneuenſem, & *Vrbanum* Landauenſem de iure parochiarum, quas idem *Vrbanus* illicite vſurpauerat, æterno fine ſopita eſt. Tot enim ad curiam Romanam appellationibus, tot itinerum expenſis, tot cauſidicorum conflictibus multis annis ventilata, tandem aliquando morte *Vrbani* apud Romam ſoluta, vel potius deciſa eſt. Nam & Apoſtolicus æquitate rei perpenſa, religioni & iuſtitiæ Meneuenſis Epiſcopi, qua decebat ſententia ſatisfecit. Eodem etiam anno *Willielmus* Archiepiſcopus Cantuariæ legationem in Angliam Romanæ ſedis indulgentia perſonaliter impetrauit.

Anno triceſimo ſecundo regni pridie tranſacto, *Henricus* nonis Auguſti, (quo die quondam apud Weſtmonaſterium coronæ culmen acceperat) Normanniam nauigauit. Vltimus ille fataliſq; regni tranſitus fuit. Mira tunc prorſus prouidentia deitatis rebus alluſit humanis, vt eo die nauem aſcenderet, nunquam viuus reuerſurus, quo dudum coronatus fuerat, tam diu, & tam fœliciter regnaturus. Erant tunc (vt dixi) nonæ Auguſti: & feria quarta proſecuta ſunt elementa dolore ſuo extremum tanti principis tranſitum. Nam & ſol ipſa die hora ſexta tetra ferrugine (vt Poetæ ſolent dicere) nitidum caput obtexit, mentes hominum eclipſi ſua concutiens: & feria ſexta proxima primo mane tantus terræ motus fuit; vt penitus ſubſidere videretur horrifico ſono ſub terris ante audito. Vidi ego & in eclipſi ſtellas circa ſolem: & in terræ motu parietem domus, in qua ſedebam, bifario impetu eleuatum, tertio reſediſſe. Fuit ergo rex in Normannia triennio continuo, & tanto plus quantũ eſt inter nonas Auguſti, quo die (vt dictum eſt) mare tranſiuit, & Calendas Decembris, qua nocte diſceſſit. Nec vero dubitandum, multa eum, quæ non immerito ſcribi deberent, in Normannia geſſiſſe: ſed conſilium fuit præterire, quæ ad noſtram notitiam non integre peruenere. Opiniones reditus eius in Angliam multæ, ſiue fato quodam, ſiue diuina voluntate omnes fruſtratæ.

Regnauit ergo annis 35. Et à nonis Auguſti vſque ad Calendas Decembris: id eſt, menſibus quatuor, diebus quatuor minus. Apud Leonas exercitio venationis intentus valetudine aduerſa correptus decubuit. Qua in deterius creſcente, euocauit ad ſe *Hugonem*, quem primo ex Priore de Lewis Abbatem apud Radingas: mox Rotomagi Archiepiſcopum fecerat; merito ſibi, & hæredibus ſuis pro tantis beneficiis obnoxiũ. Opti-

mates rumor ægritudinis celeriter contraxit. Affuit & *Robertus* filius eius Comes Gloceſtriæ, qui pro integritate fidei, & virtutis eminentia victuram in omne ſeculum memoriam ſui nominatim promeruit. A quibus de ſucceſſore interrogatus, filiæ omnem terram ſuam citra & vltra mare legitima & perenni ſucceſſione adiudicauit: marito eius ſubiratus, quod eum & minis & iniuriis aliquantis irritauerat. Septimo incommodi die tranſacto, nocte iam intempeſta naturæ ceſſit. Cuius magnanimos mores hic dicere ſuperſedeo; quia in quinto libro regalium geſtorum pleniſſime illos contexui. Quam Chriſtiane obierit, hæc ſubſequens Epiſtola ſupradicti Rotomagenſis Archiepiſcopi docebit.

Domino & patri ſuo Innocentio *Papæ ſeruus* Hugo *Rotomagenſis ſacerdos obedientiæ debitum. De Domino meo Rege, non ſine dolore memorando, piæ paternitati veſtræ notificandum duximus: quia ſubita præuentus ægritudine nos, miſſis quam citiſſime legatis ſuis, ægritudinis ſuæ ſolatiis voluit intereſſe. Venimus ad ipſum, & cum ipſo plenum mœroribus confecimus triduum: prout ei dicebamus ipſe ore proprio ſua fatebatur peccata, & manu propria pectus ſuum percutiebat, & malam voluntatem dimittebat. Conſilio Dei & noſtro & Epiſcoporum emendationem vitæ ſuæ obſeruaturum ſeſe promittebat. Sub iſta promiſſione pro noſtro officio tertio eum & per triduum abſoluimus. Crucem Domini adorauit, corpus & ſanguinem Domini deuote ſuſcepit, eleemoſynam ſuam diſpoſuit ita dicendo: Soluantur debita mea, reddantur liberationes, & ſolidatæ, quæ debeo: reliqua indigentibus diſtribuantur. Vtinam ſic feciſſent qui theſauros eius tenebant & tenent. Tandem illi authoritatem de vnctione infirmorum, quam Eccleſia à beato* Iacobo *Apoſtolo ſuſcepit, ſtudioſe propoſuimus: & ipſius pia petitione oleo Sancto eum inunximus: ſic in pace quieuit: pacem det ei Deus, quia pacem dilexit.* Hæc præfatus Rothomagenſis, Archiepiſcopus, de fide Regis *Henrici* morientis vere conteſtatus eſt.

Funus regaliter curatum, Proceribus viciſſim portantibus, Rothomagum vſq; delatum eſt: Illic in quodam receſſu Eccleſiæ maioris exenteratum eſt: ne diuturnitate corruptum nares aſſidentium vel aſtantium exacerbaret: reliquiæ interaneorum in cœnobio Sanctæ *Mariæ* de pratis iuxta vrbem humatæ: quod ipſe vt audio à matre ſua inchoatum, non paucis compendiis honorauerat. Corpus Cadomi ſeruatum, quouſque ſerenas auras paulo clementior hyems inueheret, quæ tum aſpera inhorrebat. Interea *Stephanus* Comes Moritonii & Bononiæ, nepos Regis *Henrici* (vt ſupra dixi) qui poſt Regem Scotiæ primus Laicorum fidem ſuam Imperatrici obſtrinxerat in Angliam per Witſand maturauit aduentum. Imperatrix certis ex cauſis, ſimul & frater eius *Robertus* Comes Gloceſtriæ cum omnibus pene proceribus redire in Regnum diſtulerunt. Quædam tamen caſtella in Normannia, inter quæ præcipuum Danfrontum partibus hæredis ſe applicuere. Conſtat ſane illo die, quo *Stephanus* appulſus eſt Angliam, ſummo mane contra naturam hyemis in regionibus noſtris terricrepum ſonum tonitrui cũ horrendo fulgure fuiſſe vt paulo minus mundus ſolui æſtimaretur. Ille vero à Londonienſibus & Wintonienſibus in regem exceptus eſt: etiam *Rogerium* Sareſberienſem Epiſcopum, & *Willielmum* de ponte arcus, cuſtodes theſaurorum regalium ad ſe transduxit. Ne tamen veritas celetur poſteris, omnes eius conatus irriti fuiſſent, niſi *Henricus* frater eius Wintonienſis Epiſcopus, qui modo Apoſtolicæ ſedis legatus eſt in Anglia, placidum ei commodaſſet aſſenſum ſpe ſcilicet captus ampliſſima, quod *Stephanus* aui ſui *Willelmi* in regni moderamine mores ſeruaret, pręcipueq; in Eccleſiaſtici vigoris diſciplina. Quapropter diſtricto ſacramento, quod à *Stephano Willielmus* Cantuariæ Archiepiſcopus exegit de libertate reddenda Eccleſiæ & conſeruanda, Epiſcopus Wintonienſis ſe mediatorem & vadem appoſuit. Cuius ſacramenti tenorem poſtea ſcriptum inditum loco ſuo non prætermittam. Coronatus eſt ergo in Regem Angliæ *Stephanus* vndecimo Kalendas Ianuarii Dominica viceſima ſecunda die poſt exceſſum auunculi; anno Dominicæ incarnationis 1135. tribus Epiſcopis præſentibus, Archiepiſcopo, Wintonienſi, Sareſberienſi, nullis Abbatibus, pauciſſimis Optimatibus. Vir quidẽ impiger, ſed imprudens armis ſtrenuus, immodici animi ad quælibet ardua inchoanda, lenis, & exorabilis hoſtibus, affabilis omnibus. Cuius cum dulcedinem in promiſſis ſuſpiceres, veritatem tamen dictorũ, & promiſſorum efficaciam deſiderares. Vnde fratris conſilium non multo poſt lapſo tempore poſtponebat, cuius (vt dixi) auxilio munitus, & aduerſantes ſummouerat, & ad regnum aſcenderat.

Anno Dominicæ incarnationis 1135. Regis *Henrici* corpus leuibus flabris ſpirantibus ſtatim poſt natale Domini impoſitum naui Angliam deuectum eſt: & apud Radingenſe cœnobium, (quod foris prædiorum magnitudine, intus religioſorum monachorum ordine decorauerat) præſente regni ſucceſſore humatum eſt. Poſtea vero Rex *Stephanus* in Northũbria paulo ante quadrageſimam contendit, vt *David* regem Scotiæ, qui diuerſa ſenti-

ſentire dicebatur, conueniret. Nec difficile ab eo quod voluit impetrauit, quia & ille morum lenitate, & propiori iam ſenectute infractus, libens in ocium vel veræ, vel ſimulatæ pacis conceſſit. Eodem anno poſt Paſcha *Robertus* Comes Gloceſtriæ venit in Angliam, cuius prudentiam maxime *Stephanus* verebatur. Is dum eſſet in Normannia multa cogitatione fatigarat animum, quidnam ſibi ſuper hoc negotio ſtatuendum putaret. Si enim regi *Stephano* ſubderetur, contra ſacramentum, quod ſorori fecerat, videbat fore: ſi refragaretur nihil ſorori vel nepotibus profuturum ſibi certe immaniter nociturum intelligebat. Habebat enim (vt ſupra tetigi) Rex immenſam vim theſaurorum, quos multis annis auunculus aggeſſerat. Æſtimabantur denarii, & ij exquiſitiſſimi fere ad centum millia libras: erant & vaſa tam aurea, quã argentea magni ponderis, & inæſtimabilis pretii, & antiquorum regum, & *Henrici* potiſſimum magnanimitate congeſta. Hanc copiam gazarum habenti auxiliatores deeſſe non poterant: præſertim cum eſſet ipſe in dando diffuſus, & (ꝙ minime principem decet) prodigus. Currebatur ad eum ab omnium generum militibus, & a leuis armaturæ hominibus, maximeq; ex Flandria & Brittannia. Erat genus hominum rapaciſſimum, & violentiſſimum, qui nihil penſi haberent, vel cœmeteria frangere, vel Eccleſias expilare, religioſi quinetiam ordinis viros non ſolum equis proturbare, ſed & in captionem abducere: nec ſolum aduenæ, ſed etiam indigenæ milites, qui pacem Regis *Henrici* oderant, quod ſub ea tenui victu vitam tranſigebant. Hi omnes gratanter principi aſſenſerant, quem leui negotio ad ſua commoda inflectere poſſent, Prouincialium diſpendio ſuas fortunas vrgentes. Erat præterea *Stephanus*, cum eſſet comes, facilitate morum, & communione iocandi, conſidendi, conſueſcendi etiam cum infimis, amorem tantum demeritus, quantum vix aliquis mente concipere queat: Etiam omnes proceres Angliæ in eius aſſenſum pronis mentibus tranſierant. Erat quidem anxius prudentiſſimus Comes, vt illos delicti coargueret, & ad ſaniorem ſententiam præſenti colloquio reuocaret. Nam viribus obuiare nulla propter pręfatas cauſas dabatur facultas, cui nimirum nec in Angliam venire liberum erat: niſi quaſi defectionis eorum particeps, mẽtis ſuæ arcanum ad tempus diſſimularet. Itaq; homagium Regi fecit, ſub conditione quadam, ſcilicet quamdiu ille dignitatem ſuam integre cuſtodiret, & ſibi pacta ſeruaret, ſpectato enim iamdudum Regis ingenio inſtabilitatem fidei eius præuidebat.

Eodem anno non multo poſt aduentum Comitis, iurauerunt Epiſcopi fidelitatem Regi, quamdiu ille libertatem Eccleſiæ & vigorem diſciplinæ conſeruaret. Ipſe quoque iurauit iuxta tenorem ſcripti, quod ſic habetur in ſubditis. *Ego* Stephanus *Dei gratia aſſenſu cleri & populi in Regem Angliæ electus, & à Domino* Willielmo *Archiepiſcopo Cantuariæ, & Sanctæ Eccleſiæ Romanæ Legato conſecratus, & ab* Innocentio *Sanctæ ſedis Romanæ Pontifice poſtmodum confirmatus, reſpectu & amore Dei ſanctam Eccleſiam liberam eſſe concedo, & debitam reuerentiam illi confirmo. Nihil me in Eccleſia, vel in rebus Eccleſiaſticis ſymoniace acturum, vel permiſſurum eſſe promitto. Eccleſiaſticarum perſonarum & omnium clericorum, & rerum eorum iuſtitiam & poteſtatem, & diſtributionem bonorum Eccleſiaſticorum in manu Epiſcoporum eſſe perhibeo & confirmo. Dignitates Eccleſiarum priuilegiis earum confirmatas, & conſuetudines earum antiquo tenore habitas, inuiolate manere concedo & ſtatuo. Omnes Eccleſiarum poſſeſſiones & tenuras, quas die illa habuerant, qua* Willielmus *Rex auus meus fuit viuus & mortuus, ſine omnium calumniantium reclamatione eis liberas & abſolutas eſſe concedo. Si quid vero de habitis aut poſſeſſis ante mortem Regis, quibus modo careat, Eccleſia deinceps repetierit, indulgentia & diſpenſationi meæ, vel diſcutiendum, vel reſtituendum reſeruo. Quæcunq; vero poſt mortem Regis liberalitate regum, largitione principum, oblatione vel comparatione, vel qualibet tranſmutatione fidelium collata ſunt, confirmo pacem me & iuſtitiam in omnibus facturum & pro poſſe meo conſeruaturum promitto. Foreſtas, quas* Willielmus *Rex auus meus, &* Willielmus *ſecundus auunculus meus inſtituerunt & tenuerunt, mihi reſeruo. Cæteras omnes, quas* Henricus *Rex ſuperaddidit, Eccleſiis & regno quietas reddo & concedo. Si quis autem Epiſcopus vel Abbas, vel alia Eccleſiaſtica perſona ante mortem ſuam rationabiliter ſua diſtribuerit, vel diſtribuenda ſtatuerit, firmum manere concedo. Si vero morte præoccupatus fuerit, pro ſalute animæ eius Eccleſiæ concilio eadem fiat diſtributio. Dum vero ſedes propriis fuerint paſtoribus vacuæ, & ipſa & omnes earum poſſeſſiones in manu & cuſtodia clericorũ, vel proborum hominum eiuſdem Eccleſiæ committantur, donec paſtor canonice ſubſtituatur. Omnes exactiones & meſcheningas, & iniuſtitias, ſiue per vice Comites, vel per alios quoſlibet male inductas funditus extirpo. Bonas leges, & antiquas, & iuſtas conſuetudines in murdris, & placitis, & aliis cauſis obſeruabo, & obſeruari præcipio, & conſtituo: apud Oxeneford anno incarnationis Domini* 1136. *regni mei primo.* Nomina teſtium, qui multi fuerunt, apponere faſtidio: quia pene omnia ita perperam mutauit, quaſi ad hoc tantum iuraſſet, vt præuaricatorem ſacramenti ſe regno toti oſtenderet. Liceat enim mihi pace manſuetiſſimi hominis verum non occu-

lere: qui ſi legitime regnũ fuiſſet ingreſſus & in eo adminiſtrando credulas aures maleuolorum ſuſurris non exhibuiſſet, parum ei profecto ad regiæ perſonæ decorẽ defuiſſet. Itaque ſub eo aliquatum Eccleſiarum theſauri direpti, poſſeſſiones terrarum Laicis datæ: Eccleſiæ clericorum alienis venditæ, Epiſcopi capti, * vel res ſuas abalienare coacti: Abbatiæ vel amicorum gratia, vel relaxatione debitorum indignis conceſſæ. Sed hæc non tam illi, quam conſiliariis eius aſcribenda, puto, qui perſuadebant ei, nunquam eum debere carere denariis, dum Monaſteria eſſent referta theſauris.

*al. &

Anno Dominicæ incarnationis 1137. Rex primo tempore quadrageſimæ tranſiit mare. Comes etiam, pertentatis illorum & cognitis animis, quos datæ fidei, tenaciores eſſe nouerat, diſpoſitoq; quid deinceps agendum decerneret, ipſe die Paſchæ mare ingreſſus, plenaque fœlicitate in terram euectus eſt. Nec multo poſt malignitatem aduerſæ fortunę paulo minus expertus eſt. Rex enim eum incentore quodã *Willielmo* de Ipre inſidiis intercipere conatus eſt. Comes autem per quendam inſidiarum conſcium præmonitus, paratos ſibi euitauit dolos: & curia, quo ſæpe inuitabatur, aliquantis diebus abſtinuit. Rex conſternatus animo, quod inſidiis parum profeciſſet, aſtutia agendum ratus, ſerenitate vultus & gratuita confeſſione magnitudinem culpæ attenuare ſtuduit. Iurauit tamen verbis pro placito Comitis conceptis, ſe nunquam vlterius tanto ſceleri affuturum. Et vt magis in gratiam reciperetur, manu Archiepiſcopi *Hugonis* Rothomagenſis in manum *Roberti* miſſa ſacramentum ſolidauit. Et hęc quidem egit ille, ſed nunquam plenam ei exhibuit amicitiam, cuius ſemper ſuſpectam habebat potentiam. Itaque coram Comite pulchre iocundeque Comitem illum appellans, retro maledicis verbis mordebat, & quibus poterat poſſeſſionibus vellicabat. *Robertus* quoque arte artem eludens, occultabat fronte animum, pacificeq; regem in Regnum redire dimittens, ipſe commodis ſuis in Normannia manens intendit. Ita *Stephano* multis tumultibus in Anglia impedito, & nunc ſuper vnos, nunc ſuper alios irruente, vt merito illi, quod de Iſmaele dictum eſt, coaptari poſſet: *Quia manus omnium contra illum, & illius contra omnes*: *Robertus* toto anno illo ſecurum in Normannia egit otium. Rex prompte contra ſibi reſiſtentes, crebro, (vt ferebatur) dicere ſolebat: Cum me in Regem elegerint, cur me deſtituunt? per naſcentiam Dei nunquam Rex deiectus appellabor. *Robertus* quaſi poſitus in ſpecula rerum prouidebat exitum, & ne de iuramento, quod ſorori fecerat, erga Deum & homines perfidiæ notaretur, ſedulo cogitabat.

Anno Dominicæ incarnationis 1138. inteſtinis diſſidiis Anglia quatiebatur. Multi ſiquidem, quos vel nobilitas generis, vel magnitudo animi, vel potius viridioris ætatis audacia ad illicita præcipitabat, à Rege hi prædia, hi caſtella, poſtremo quæcunq; ſemel collibuiſſet, petere non verebantur. Quæ cum ille dare differret, excuſata mutilatione regni, vel quod eadem alii calumniarentur, aut etiam poſſiderent: illi continuo ira commoti caſtella contra eum obfirmabant, prædas ingentes ex eius terris agebant. Nec vero ille aliquorum defectione frangebatur animo: ſed modo hic, modo illic ſubitus aderat, ſemperque ſuo magis, quam reſiſtentium damno rem conficiebat. Multis enim, & magnis laboribus ſuis in caſſum effuſis, datis vel honoribus, vel caſtellis ſimulatam ad tempus pacem ab illis promerebatur. Denique multos etiam Comites, qui ante non fuerant, inſtituit: applicitis poſſeſſionibus & redditibus, quæ proprio iure regi competebant. Erant illi auidiores ad petendum, & is profuſior ad dandum. Quia fama per Angliam volitabat, quod Comes Gloceſtriæ *Robertus*, qui erat in Normannia, in proximo partes ſororis foret adiuturus, Rege tantummodo ante diffidiato. Nec veritas rerum famæ leuitatem deſtituit. Celeriter enim poſt Pentecoſten miſſis à Normannia ſuis Regi, more maiorum amicitiam & fidem interdixit, homagio etiam abdicato, rationẽ præferens quam id iuste faceret, quia & Rex illicite ad regnum aſpirauerat, & omnem fidem ſibi iuratam neglexerat, ne dicam mentitus fuerat: ipſemet quin etiam contra legem egiſſet, qui poſt ſacramentum, quod ſorori dederat, alteri cuilibet ea viuente ſe manus dare non erubuiſſet. Animabant nimirum mentem eius multorum religioſorum reſponſa, quos ſuper negotio conſuluerat: nullo modo eum poſſe ſine ignominia vitam præſentem tranſigere, vel mereré beatitudinem futuræ, ſi paternæ neceſſitudinis ſacramentum irritum haberet. Adde quod etiam Apoſtolici decreti præ ſe tenorem ferebat, præcipientis, vt ſacramento, quod præſente patre fecerat, obediens eſſet. Cuius decreti paginam poſteriori libello indicere curabo. Hæc vir ille, qui plena ſatietate literarum ſcientiam combiberat, magno fructui ſibi fore in poſterum ſciebat. Cæterum Rex ægre ferens Comitis magnanimitatem, omnibus eum poſſeſſionibus in Anglia priuauit, quantum in ipſo fuit; & quædam eius caſtella complanauit. Solum Briſtoue remanſit, vt non ſolum hoſtes expelleret, ſed etiam

etiam crebris incurſionibus Regem fatigaret. Sed quia primum librum nouellæ hiſtoriæ à reditu Imperatricis (poſt mortem mariti) ad patrem, huc uſq; protraxiſſe ſuffecerit: nunc ſecundum ordiemur ab eo anno, quo eadem virago in Angliam venit, ius ſuum cõtra *Stephanum* aſſertura.

HISTORIAE NOVELLAE.

LIB. II.

ANNO Dominicæ incarnationis 1139. venenum malitiæ diu in animo *Stephani* Regis nutritum, tandem erupit in publicum. Serebantur in Anglia rumores iam iamque venturum è Normannia Comitem *Robertum* cum ſorore. Qua ſpe cum multi à Rege non ſolum animo, ſed & facto deficerent, ipſe iniurias ſuas multorum diſpendiis ſarciebat. Plures etiam pro ſola ſuſpicione diuerſarum contra ſe partium in curia ſua contra decus Regium captos, & ad redditionem caſtellorum, & ad quaſcunque voluit conditiones abduxit. Erant tunc duo in Anglia Epiſcopi potentiſſimi, *Rogerius* Salesberienſis, & nepos eius ex fratre, *Alexander* Lincolnienſis. *Alexander* ad tutamen (vt dicebat) & dignitatem Epiſcopij caſtellum de Neuwerche conſtruxerat. *Rogerius*, qui ædificiorum conſtructione magnanimum ſe videri vellet, plura apud Sciréburnam, & apud Diuiſas multum terrarum ædificiis amplexus, turritas moles erexerat. Apud Malmesberiam in ipſo cœmiterio ab Eccleſia principali vix iactu lapidis caſtellum inchoauerat. Caſtellum Salesberiæ, quod Regii iuris proprium eſſet ab *Henrico* Rege impetratum, muro cinctum, cuſtodiæ ſuæ attraxerat. His moti quidam potentes Laici, qui ſe à clericis & opum congerie, & municipiorum magnitudine ſuperatum iri dolerent, cæcum intra pectus vulnus alebant inuidiæ. Itaque conceptas querimonias Regi effundunt, Epiſcopos oblitos ordinis in caſtellis ædificandis inſanire, nulli dubium eſſe debere, quin hæc ad perniciem Regis fierent omnia, dum illi ſtatim vt veniſſet imperatrix cum traditione caſtellorum Dominæ occurrerent, paternorum ſcilicet beneficiorum memoria inducti. Præueniendos ergo citius, & ad deditionem munitionum arctandos, alioquin Regem ſeram pœnitentiam acturum, cum in poteſtate hoſtium videret, quæ ſi ſaperet ſibi apponere potuiſſet. Hæc optimates ſæpius. Ille, quamuis eis nimio eſſet fauore obnoxius, aliquandiu auribus ſuis blandientes diſſimulauit audire, molliens dilationis amaritudinem, vel religionis in Epiſcopis gratia, vel (quod magis opinor) ſuæ detractionis inuidia. Deniq; illorum, quæ proceres ſuaſerant, effectum non diſtulit, cum primum volenti ſe occaſio ingeſſit. Ea fuit huiuſmodi.

Apud Oxeneford circa 8. Calendas Iulii facto conuentu magnatum, prædicti quoque Pontifices aduenerunt. Inuitus valde Salesberienſis hanc expeditionem incepit. Audiui eum dicentem verba in hanc ſententiam: Per Dominam meam ſanctam *Mariam* (neſcio quo pacto) reluctatur mens mea huic itineri. Hoc ſcio, quod eius vtilitatis ero in curia, cuius eſt equinus pullus in pugna. Ita præſagiebat animus mala futura. Tunc quaſi fortuna famulari videretur voluntati Regis, concitatus eſt tumultus inter homines Epiſcoporum, & *Alani* Comitis Brittanniæ pro vendicandis hoſpitiis, euentu miſerabili, vt homines Epiſcopi Saresberienſis menſæ aſſidentes, ſemeſis epulis ad pugnam proſilirent. Primo maledictis, mox gladiis res acta. Satellites *Alani* fugati, nepos eius paulo minus occiſus: victoria non incruenta Epiſcopalibus ceſſit, multis ſauciatis, vno etiam milite occiſo. Rex occaſionem aucupatus, per antiquos incentores conueniri iuſſit Epiſcopos, vt curiæ ſuæ ſatisfacerent de hoc, quod homines eorum pacem ipſius exturbaſſent: modus ſatisfactionis foret, vt claues caſtellorum ſuorum quaſi fidei vades traderent. Illos ad ſatisfaciendum paratos, ſed de deditione caſtellorum cunctantes ne abirent arctius aſſeruari præcepit. Itaque *Rogerium* Epiſcopum abſque vinculis, Cancellarium, qui nepos, vel pluſquam nepos eiuſdem Epiſcopi eſſe ferebatur, compeditum duxit ad Diuiſas, ſcilicet caſtellum multis, & vix numerabilibus ſumptibus, non (vt præſul, ipſe dictabat) ad ornamentum, ſed (vt ſe rei veritas habet) ad Eccleſiæ detrimentum ædificatum. In ipſa obſeſſione caſtella Salesberiæ, Sciréburniæ, Malmesberiæ Regi data: Ipſæ Diuiſæ poſt triduum redditæ, cum ſibi vltroneum ieiunium Epiſcopus indixiſſet, vt hac anguſtia ſua animoſitatem Epiſcopi Elyenſis, qui eas occupauerat, flecteret. Nec Epiſcopus Lindecolnienſis obſtinatius egit, redditione caſtelli liberationem mercatus.

Hoc Regis factum in diuerſas ſententias ſoluit ora multorum. Quidam dicebant iure caſtellis alienatos Epiſcopos videri, qui præter ſcita canonum ædificaſſent: Illos

Euangeliſtas pacis eſſe debere, non architectos domorum, quæ autoribus forent refugium maleficii. Hæc amplioribus rationibus & ſermonibus agebat *Hugo* Archiepiſcopus Rotomagi, quantum illa facundia poterat maximus Regis propugnator. Alii contra, quorum partibus aſſiſtebat *Henricus* Wintonienſis Epiſcopus, ſedis Apoſtolicæ in Anglia legatus, frater Regis *Stephani*, vt ante dixi: quem nec fraterna neceſſitudo, nec periculi metus à vero exorbitare cogebat. Sic porro dicebat: Si Epiſcopi tramitem iuſtitiæ in aliquo tranſgrederentur, non eſſe Regis, ſed Canonum iudicium: ſine publico & Eccleſiaſtico concilio illos nulla poſſeſſione priuari debuiſſe; Regem id non ex rectitudinis zelo, ſed commodi ſui compendio feciſſe, qui caſtella non Eccleſiis, ex quarũ ſumptibus, & in quarum terris conſtructa erant, reddiderit: ſed Laicis, eiſdemq; parum religioſis contradiderit. Iſta vir ille cum priuatim, tum etiam publice coram rege affirmans, eiuſdemq; aures de liberatione & reſtitutione Pontificum appellans, omnem conſumpſit operam, in nullo auditus. Quapropter vigorem canonum experiendum ratus, concilio quod quartò Calend. Septembris celebraturus erat Wintoniæ, fratrem incunctanter adeſſe pcepit.

Dicto die omnes fere Epiſcopi Angliæ cum *Theobaldo* Archiepiſcopo Cantuarienſi, qui *Willielmo* ſucceſſerat, venerunt Wintoniam. Archiepiſcopus Eboracenſis *Turſtanus* pro valetudine, qua grauabatur: vix enim animi viribus corpus regebat: cæteri vero pro guerra literis abſentiam ſuam excuſarunt. Lectum eſt primo in concilio decretum *Innocentii* Papæ, quo iam à Calendis Martii (ſi bene commemini) partes ſollicitudinis ſuæ idem Apoſtolicus domino Epiſcopo Wintonienſi iura legationis in Anglia iniunxerat. Exceptum id ſummo fauore, quod diuturnitate temporis temperantiam ſuam oſtendens Epiſcopus, non ſe prærupta legatum promulgaſſet iactantia. Proceſſit deinceps in concilio ſermo eiuſdem latiariter ad literatos habitus, de indignatione captionis Epiſcoporum, quorum Salesberienſis in camera curiæ, Lindecolnienſis in diuerſorio ſuo intercepti eſſent, Helyenſis exemplum ſimile veritus, veloci profugio ad Diuiſas ſe calamitati exemiſſet. Scelus miſerabile regem ab incentoribus ita fuiſſe ſeductum, vt hominibus ſuis præſertim Epiſcopis, in curiæ ſuę pace manus iniici iuſſiſſet. Adiecta eſſet regio dedecori cœleſtis iniuria, vt ſub obtentu culpæ Pontificum Eccleſiæ poſſeſſionibus ſuis ſpoliarentur. Sibi regis contra legem Dei exceſſum tanto dolori eſſe: vt mallet ſe multo diſpendio & corporis & rerum ſuarum affici, quam Epiſcopalem celſitudinem tanta indignitate deiici: Quin etiam regem de emendatione peccati multotiens admonitum; poſtremo tunc conſilii vocationem non abnuiſſe. Proinde archiepiſcopus & cæteri conſulerent in medium, quid opus eſſet facto: ſe ad executionem concilii nec pro Regis amicitia, qui ſibi frater erat, nec pro damno poſſeſſionum, nec etiam pro capitis periculo defuturum.

Cum hæc ille ſenſim per amplificationem exponit, Rex cauſæ ſuæ non diffiſus, Comites in concilium miſit, quærens cur vocatus eſſet. Reſponſum eſt a Legato ex compendio: Non debere illum, qui ſe *Chriſti* fidei ſubiectum meminiſſet, indignari, ſi à miniſtris *Chriſti* ad ſatisfactionem vocatus eſſet, tanti reatus conſcius, quantum noſtra ſecula nunquam vidiſſent. Gentilium quippe ſeculorum opus eſſet, Epiſcopos incarcerare, & poſſeſſionibus ſuis exuere. Dicerent ergo fratri, quod ſi concilio ſuo placidum commodare dignaretur aſſenſum, tale illi Deo authore largiretur, cui nec Eccleſia Romana, nec Curia Regis Franciæ, nec Comes *Theobaldus* frater amborum (ſapiens profecto vir & religioſus) ex ratione contraire poſſet, ſed quod fauorabiliter complecti deberent. Conſulte vero in præſentiarum Rex faceret, ſi vel rationem facti ſui redderet, vel Canonicum iudicium ſubiret: Ex debito etiam oportere, vt Eccleſiæ faueret, cuius ſinu exceptus non manu militum in regnum promotus fuiſſet. Sic cum dicto Comites egreſſi, nec multo poſt prouiſo reſponſo reuerſi ſunt. Comitabatur eos quidam *Albricus de Ver*, homo cauſarum varietatibus exercitatus: Is reſponſum Regis retulit, & quantum potuit cauſam Antiſtitis *Rogerii* (Epiſcopus enim *Alexander* abierat) grauauit: Modeſte tamen ſine vlla verborum contumelia: quamuis quidam Comitum ſtantes iuxta, crebro loquelam eius interrumperent, probra in Epiſcopum iacientes.

Hæc ergo fuit ſumma dictorum *Albrici*: Multis iniuriis *Rogerium* Epiſcopum affeciſſe Regem *Stephanum*: rariſſime ad curiam Regis veniſſe: quin homines ſui de eius potentia præſumentes ſeditiones mouiſſent. Qui cum ſæpe alias, tum nuper apud Oxenford feciſſent impetum in homines, & in ipſum nepotem Comitis *Alani*: in homines etiam *Heruei* de Leions, qui eſſet tantæ nobilitatis, tanti ſupercilii, vt nunquam Regi *Henrico* petenti animum indulſerit in Angliam venire. Iniuriam ergo Regi *Stephano* redundare, pro cuius amore venerit, quod ei tanta vis illata ſit. Epiſcopum Lincolnienſem ex veteri odio in *Alanum* ſeditionis per homines ſuos authorem fuiſſe: Epiſcopum Salesberien-

beriensem inimicis Regis clam fauere, diſſimulata interim pro tempore verſutia. Id Regem ex multis indubitanter comperiſſe: eoq; potiſſimum, quod *Rogerium* de Mortemer cum militibus Regiis, quos ductitabat in ſummo de Briſtowenſibus metu, nec vna nocte idem Epiſcopus Malmesberiæ manere dimiſiſſet. Omnibus eſſe in ore, quod ſtatim vt Imperatrix veniſſet, ille ſe ad eam cum nepotibus & caſtellis conferret. *Rogerius* itaq; captus ſit, non vt Epiſcopus, ſed vt Regis ſeruiens, qui & procurationes eius adminiſtraret, & ſolidatas acciperet. Caſtella non per violentiam Rex eripuerit, ſed Epiſcopi ambo grataunter reddiderint: vt calumniam de tumultu, quem in Curia concitauerant, euaderent. Aliquantulum pecuniarum Rex in caſtellis inuenerit, quæ ipſius legitime eſſent: quia eas tempore *Henrici* Regis auunculi, & anteceſſoris ſui, ex fiſci Regii redditibus Epiſcopus *Rogerius* collegiſſet. Eis tamen, ſicut & Caſtellis idem præſul pro timore commiſſorum in Regem libens ceſſerit: inde non deeſſe teſtes Regi. Ipſum proinde velle, vt pacta inter ſe & Epiſcopos rata permanerent.

Reclamatum eſt ab Epiſcopo *Rogerio* contra ſermones *Albrici*, quod nunquam Regis *Stephani* miniſter fuiſſet, nec ipſius ſolidatas accepiſſet. Minæ quinetiam ab animoſo viro, & qui malis erubeſceret frangi, prolatæ, ſi iuſtitiam de rebus ſibi ablatis in illo Concilio non inueniret, eam in audientia maioris curiæ quærendam. Leniter Legatus, vt cętera: Omnia quæ dicuntur contra Epiſcopos prius in Concilio Eccleſiaſtico & accuſari, & an vera eſſent, decuiſſet inquiri, quam in indemnes contra Canonum decreta ſententiam proferri. Rex itaque faciat, quod in forenſibus iudiciis legitimum eſt fieri, vt reueſtiat Epiſcopos de rebus ſuis. Alioquin iure gentium diſſaiſati non placitabunt. Dictis in hunc modum vtrobique multis, cauſa petitu Regis in poſterum diem dilata, nec minus in craſtinum, ad aduentum Archiepiſcopi Rotomagenſis poſtridie prolongata. Is vbi venit, omnium ſuſpenſis animis, quidnam afferret: dixit ſe concedere, vt caſtella Epiſcopi haberent, ſi ſe iure habere debere per Canones probare poſſent: quod quia non poſſent, extremæ improbitatis eſſe contra Canones niti velle. Et eſto, (inquit) iuſtum ſit, vt habeant: Certe, quia ſuſpectum eſt tempus, ſecundum morem aliarum gentium optimates omnes claues munitionum ſuarum debent voluntati Regis contradere, qui pro omnium pace debet militare. Ita omnis controuerſia Epiſcoporum infirmabatur. Aut enim ſecundum Canonum ſcita iniuſtum eſt, vt habeant caſtella, aut ſi hoc pro indulgentia principali toleratur, vt tradant claues neceſſitati temporis debent cedere. His addidit prædictus cauſidicus *Albricus* ſignificatum eſſe Regi, quod minarentur inter ſe Pontifices, pararentque aliquos ex ſuis contra eum Romam mittere. Et hoc (ait) laudat vobis Rex, ne quiſquam veſtrum præſumat facere, quia ſi quis contra voluntatem ſuam & regni dignitatem ab Anglia quoquam iret, difficilis ei fortaſſis reditus eſſet. Ipſe quinetiam, quia ſe grauari videt, vltro vos ad Romam appellat. Hæc poſtquam Rex partim quaſi laudando, partim minando mandaſſet, intellectum eſt, quo tenderet. Quapropter ita diſceſſum eſt, vt nec ipſe cenſuram Canonum pati vellet: nec Epiſcopi eam conſultum exerere ducerent duplici ex cauſa, ſeu quia principem excommunicare ſine Apoſtolici conſcientia temerarium eſſet, ſeu quoniam audirent, quidam etiam viderent gladios circa ſe nudari. Non enim iam ludicra erant verba, ſed de vita, & ſanguine pene certabatur. Non omiſerunt tamen Legatus & Archiepiſcopus, quin tenorem officii ſui proſequerentur. Suppliciter enim pedibus Regis in cubiculo affuſi, orauerunt, vt miſereretur Eccleſiæ, miſereretur animæ & famæ ſuæ, ne pateretur fieri diſſidium inter Regnum & Sacerdotium. Ille dignanter aſſurgens, quamuis à ſe facti eorum amoliretur inuidiam, malorum tamen præuentus conſiliis, nullam bonorum promiſſionum exhibuit efficaciam.

Calendis Septembris ſolutum eſt Concilium. Pridie vero Calendarum Octobrium Comes *Robertus* tandem nexus morarum eluctatus, cum ſorore Imperatrice inuectus eſt Angliæ, fretus pietate Dei, & fide legitimi ſacramenti. Cæterum multo minore armorum apparatu, quam quis alius tam periculoſum bellum aggredi tentaret. Non enim pluſquam centum & quadraginta milites tunc ſecum abduxit. Teſtimonio veridicorum relatorum ſermo mens nititur, dicerem niſi adulatio videretur non imparem fuiſſe *Iulio Cæſari* duntaxat animo, quem *Titus Liuius* commemorat quinque ſolum cohortes habuiſſe, quando ciuile bellum inchoauit, cum quibus inquiens Orbem terrarum adorſus eſt: quamuis iniqua comparatione *Iulius & Robertus* conferantur. *Iulius* enim veræ fidei extorris, in fortuna ſua, (vt dicebat) & legionum virtute ſpem reclinabat. *Robertus* Chriſtiana pietate inſignis, in Sancti Spiritus & Dominæ ſanctæ *Mariæ* patrocinio totus pendulus erat. Ille in tota Gallia, & partim in Germania, & Brittannis

fautores habens, omnem etiam Romanam plebem, excepto ſenatu, muneribus ſibi deuinxerat. Iſte præter pauciſſimos, qui fidei quondam iuratæ non immemores erant, in Anglia Optimates vel aduerſantes, vel nihil adiuuantes expertus eſt. Appulit ergo Arundel, ibiq; nouercæ ſuæ, quam amiſſa matre Imperatricis (vt præfatus ſum) *Henricus* Rex quondam lecto copulauerat, tuta (vt putabat) cuſtodia ſororem interim delegauit: Ipſe per tam confertam barbariem, vix dum (vt audiui) duodecim militibus comitatus, Briſtowe contendit: occurrēte ſibi medio itineris *Briano* filio Comitis de Walingeford. Nec multo poſt cognouit ſororem ex Arundel profectam. Nouerca enim fœminea leuitate fidem totiens etiam miſſis in Normanniam nunciis promiſſam fefellerat. Dedit ergo Rex Imperatrici Wintonienſis Epiſcopi *Henrici*, & Comitis Mellentenſis *Waleranni* conductum, quem cuilibet quamuis infeſtiſſimo inimico negare laudabilium militum mos nō eſt. Et *Walerannus* quidem vltra Calnam tendere ſuperſedit, Epiſcopo in conductu perſeuerante. Contractis ergo Comes celeriter copiis ad metas à Rege datas aduenit, ſororemque Briſtowe ad tutiora perduxit. Recepit illam poſtea in Gloceſtriam *Milo*, qui caſtellum eiuſdem vrbis ſub Comite habebat, tempore Regis Henrici, dato ei homagio & fidelitatis ſacramento. Nam eadem ciuitas caput eſt ſui Comitatus.

Tota itaque regio circa Gloceſtriam vſque profundas Gualas, partim vi, partim beneuolentia pedetentim reſiduis illius anni menſibus ſe dominæ Imperatrici applicuit. Aliquanti caſtellanorum intra munitiones ſuas ſe contutantes, exitum rerum ſpeculabantur. Ciuitas Hereford ſine difficultate recepta, pauci milites in caſtello animis obſtinatis ſe includentes, a foris obſeſſi. Appropinquauit Rex ſi forte laborantibus opem aliquam comminiſci poſſet: ſed fruſtratus voto inglorius diſceſſit. Equitauit etiam iuxta Briſtow, ſuperiuſque contendens, villaſque, quæ in circuitu Dunestore erant, combuſſit, nihil omnino (in quantum valebat) reliquum faciens, quod poſſet inimicis ſuis eſui, vel alicui vſui eſſe.

Tertio Idus Decembris *Rogerius* Epiſcopus Salisberiæ febrem quartanam, qua iamdudum quaſſabatur, beneficio mortis euaſit. dolore animi aiunt eum contraxiſſe valetudinem, vtpote tantis & tam crebris a Rege *Stephano* pulſatum incommodis. Eum mihi videtur Deus exemplum diuitibus pro volubilitate rerum exhibuiſſe, ne ſperent in incerto diuitiarum: quas quidam (vt ait Apoſtolus) appetentes à fide naufragauerunt. Inſinuatus eſt primo Comiti *Henrico*, qui poſtmodum Rex fuit, pro prudentia res domeſticas adminiſtrandi, & luxum familiæ cohibendi. Fuit enim *Henricus* ante regnum in expenſis parci animi & frugi, penuria ſcilicet rei familiaris aſtrictus, fratribus *Willielmo & Roberto* arroganter eum tractantibus. Cuius cognitis moribus *Rogerius* ita eum tempore inopiæ demeruit, vt cum ille ſolium Regni aſcendiſſet, nihil ei aut parum negaret, quod ipſe petendum putaſſet: largiri prædia, Eccleſias, præbendas clericorum Abbatias integras Monachorum, ipſum poſtremo regnum fidei eius committere: Cancellarium in initio regni, nec multo poſt Epiſcopum Salesberiæ fecit. *Rogerius* ergo agebat cauſas, ipſe moderabatur expenſas, ipſe ſeruabat gazas. Hoc quando Rex erat in Anglia, hoc ſine ſocio & teſte, quando (quod crebro & diu accidit) morabatur Normanniæ. Nec ſolum à Rege, ſed & ab optimatibus, ab iis etiam, quos fœlicitatis eius inuidia clam mordebat, maximeque à miniſtris & debitoribus Regis, ei, quæcunque pene cogitaſſet, conferebantur. Si quid poſſeſſionibus eius contiguum erat, quod ſuis vtilitatibus conduceret, continuo vel prece, vel pretio, ſin minus violentia extorquebat. Ipſe ſingulari gloria (quantum noſtra ætas reminiſci poteſt) in domibus ædificandis, ſplendida per omnes poſſeſſiones ſuas conſtruxit habitacula, in quibus ſolum tuendis ſucceſſorum eius fruſtra laborabit opera, ſedem ſuam mirificis ornamentis, & ædificiis citra vllam expenſarum parcimoniam extulit in immenſum. Erat prorſus mirum videre de homine illo: Quanta eum in omni genere dignitatum opum ſequebatur copia, & quaſi ad manum affluebat? quantula illa gloria, qua quid poſſet accidere maius, quod duos nepotes ſuæ educationis opera honeſtæ literaturæ & induſtriæ viros, effecit Epiſcopos? nec vero exilium Epiſcopatuum, ſed Lindocolienſis, & Helienſis, quibus opulentiores neſcio ſi habeat Anglia. Sentiebat ipſe quantum poſſet, & aliquanto durius, quam talem virum deceret, diuinitatis abutebatur indulgentia. Deniq; ſicut Poeta quidam de quolibet diuite dicit,

Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis:

Ita *Rogerius* Abbatias in Epiſcopatum, res Epiſcopatus in Abbatiam alterare conatus eſt. Malmesberienſe & Abbedesberienſe antiquiſſima cœnobia (quantum in ipſo fuit) Epiſcopatui delegauit. Scireburnenſem Prioratum, qui proprius eſt Epiſcopi Salesberien-

rienſis, in Abbatiam mutauit: Abbatia de Hortuna proinde deſtructa & adiecta. Hæc tempore Regis *Henrici*, ſub quo res eius (vt dixi) magnis ſucceſſibus floruerunt; ſed enim ſub *Stephano* (ſicut prædixi) retro ſublapſæ ſunt: niſi q̃ in initio regni eius nepotibus ſuis vni Cancellariam, alteri Theſaurariam, ſibi Burgum Malmesberiæ impetrauit, ſubinde Rege familiaribus ſuis ingeminante; Per naſcentiam, Dei medietatem Angliæ darem ei, ſi peteret, donec tempus pertranſeat: Ante deficiet ipſe in petendo, quam ego in dando. Poſterioribus annis fortuna nimium ante & diu blandita ei, ad extremũ ſcorpiacea crudeliter hominem cauda percuſſit. Quale fuit illud, quod ante ora ſua vidit homines de ſe bene meritos ſauciari, & familiariſſimum militem obtruncari: poſtero die ſeipſum, & (vt ſupra fatus ſum) nepotes ſuos potentiſſimos Epiſcopos, vnum fugari, alterum teneri, tertium dilectiſſimum ſibi adoleſcentem compedibus vinciri: poſt redditionem caſtellorum theſauros ſuos diripi, & ſe poſtmodum in Concilio fœdiſſimis conuitiis proſcindi: Ad vltimum cum apud Salesberiam pene anhelaret in exitum, quicquid reſiduum erat nummorum & vaſorum, quod ſcilicet ad perficiendam Eccleſiam ſuper altare poſuerat, ſe inuito aſportari. Extremum puto calamitatis, cuius etiam me miſeret; quod cum multis miſer videretur, pauciſſimis miſerabilis erat. Tantum liuoris & odii ex nimia potentia contraxerat, & immerito apud quoſdam, quos etiam honoribus auxerat.

Anno incarnati Verbi 1140. Monachi abbatiarum, quas *Rogerius* Epiſcopus contra fas tenuerat, Rege adito antiqua priuilegia & Abbates habere meruerunt. Electus eſt in Abbatem Malmesberiæ a Monachis ſecundum tenorem priuilegii, (quod beatus *Aldelmus* à *Sergio* Papa iam ante 466. annos impetrauerat, & à Regibus Weſtſaxonum *Ina*, Merciorum *Ethelredo* roborari fecerat) eiuſdem loci Monachus *Ioannes*, vir benignitate morum, & animi liberalitate apprime inſignis. Probauit Legatus cauſam, improbauit perſonam. Nullo enim modo menti eius perſuaderi poterat Regem præter dationem pecuniæ electioni conſenſiſſe. Et quidem aliquantum nummorum promiſſum fuerat cauſa libertatis Eccleſiæ, non electionis perſonæ. Itaq; *Iohannes*, quamuis immatura morte anno eodem præreptus fuerit, æternam tamen, & laudabilem ſui memoriam cunctis poſt ſe ſeculis dereliquit: Nullus enim (vere fateor) eius loci Monachus tantæ magnanimitatis facto aſſiſteret, niſi *Iohannes* inchoaſſet. Itaq; habeant ſucceſſores eius laudem, ſi libertatem Eccleſiæ tutati fuerint, ipſe proculdubio eam à ſeruitute vendicauit.

Totus annus ille aſperitate Guerræ inhorruit. Caſtella erant crebra per totam Angliam, quæque ſuas partes defendentia, imo (vt verius dicam) depopulantia. Milites caſtellorum abducebant ab agris & pecora & pecudes, nec Eccleſiis, nec cœmiteriis parcentes. Domibus miſerorum ruricolarum vſq; ad ſtratum expilatis ipſos vinctos incarcerabant: nec niſi omnibus quæcunque habebant, & quæcunq; quocunq; modo acquirere poterant, in redemptionem conſumptis dimittebant. Plures in ipſis tormentis, quibus ad ſe redimendum conſtringebantur, dulces efflabant animas, quod ſolum poterant Deo miſerias ſuas applorantes. Et quidem ex voluntate Comitis legatus cum Epiſcopis omnes effractores cœmiteriorum, & violatores Eccleſiarum, & qui ſacri vel religioſi ordinis hominibus, vel eorũ famulis manus inieciſſent, multoties excommunicauit: ſed nihil propemodũ hac profecit induſtria. Erat ergo videre calamitatem, Angliam præclariſſimam quondam pacis mitriculam, ſpeciale domicilium quietis, ad hoc miſeriæ deuolutam eſſe, vt nec etiam epiſcopi, nec Monachi de villa in villam tuto poſſent progredi. Sub *Henrico* Rege multi alienigenæ, qui genialis humi * turbellis exagitabantur, Angliam adnauigabant, & ſub eius alis quietum otium agebant. Sub *Stephano* plures ex Flandria & Brittannia rapto viuere aſſueti ſpe magnarum prædarũ Angliam inuolabant. Comes interea modeſte agere ſe, nihil magis cauere, quam ne vel paruo detrimento ſuorum vinceret. Magnates Anglorum quos ad religionem iuſiurandi ſeruandam flectere nõ poſſet, ſatis habebat in officio continere, vt qui nihil adiuuare vellent, minus nocerent. *Volens* ſecũdum Comicũ *quod poſſet, dũ non poſſet, quod vellet*. Vbiq; tamen fieri cõmode poſſe videbat, & militis, & ducis probe officiũ exequebatur, deniq; munitiones, quæ potiſſimum partibus ſuſceptis nocebant, ſtrenue debellabat. Fratrem ẽt ſuum * *Rainaldũ* in tanta difficultate temporis Comitem Cornubiæ creauit. Nec vero minor erat regi animus ad adeunda quæ ſibi competebant munia, qui nullã occaſionem prætermittebat, quo minus ſæpe & aduerſarios propulſaret, & ſua defenderet. Sed fruſtrabatur ſucceſſibus, vergebantq; in peius omnia pro iuſtitiæ penuria. Iamq; caritas annonæ paulatim creſcebat; & pro falſitate difficultas monetæ tanta erat, vt interdũ ex decẽ, & eo amplius ſolidis vix duodecim denarii reciperentur. Ferebatur ipſe Rex pondus denariorũ, q̃ fuerat tempore regis *Henrici*, alleuiari iuſſiſſe; quia exhauſto prædeceſſoris ſui immenſo illo theſauro tot militum ex-

al. inquietationib.

al. Raginaldum.

penſis nequiret ſufficere. Erant ergo Angliæ cuncta venalia & iam non clam, ſed palam Eccleſiæ, & Abbatiæ vænum diſtrahebantur.

Eo anno in Quadrageſima 13. Kal. Aprilis, hora nona, feria quarta fuit eclipſis per totam Angliam, vt accepi. Apud nos certe, & apud omnes vicinos noſtros ita notabiliter ſolis deliquium fuit, vt homines (quod tunc fere vbique accidit) menſis aſſidentes primum antiquum chaos timerent, mox re cognita progredientes ſtellas circa ſolem cernerent. Cogitatum & dictum eſt à multis non falſo Regem non perannaturum in Regno.

Sequente hebdomada ipſo tempore paſſionis 7. Kal. Aprilis, *Robertus* quidam filius *Huberti* immanis ac barbarus, & ad furta belli per idoneus caſtellũ de Diuiſis clanculo intercepit. Homo cunctorum, quos noſtri ſeculi memoria complectitur, immaniſſimus, in Deum etiam blaſphemus. Vltro quippe gloriari ſolebat ſe interfuiſſe vbi viginti quatuor Monachi pariter cum Eccleſia concremati fuerint. Idem ſe in Anglia facitaturum & Deum contriſtaturum deprædatione Wiltonienſis Eccleſiæ, & ſubuerſione Malmeſberienſis cum Monachorum illius loci omnium cæde. Id ſe muneris eis repenſurum, quod Regem ad nocumentum ſui admiſiſſent. Hoc enim illis imponebat, ſed falſo. Hiſce auribus audiui, quod ſi quando captiuos, (q. quidem rariſſime fuit) immunes abſq; tortionibus dimittebat, & gratiæ ipſi de Dei parte agebantur, audiui (inquam) eum reſpondiſſe, nunquam mihi Deus grates ſciat. Captiuos melle litos flagrantiſſimo ſole nudos ſub diuo exponebat, muſcas, & id genus animalia ad eos compungendum irritans. Iam vero nactus Diuiſas, iactare non dubitauit ſe totam regionem à Wintonia vſque ad Londoniam per id caſtellum occupaturum, & ad tuitionem ſui pro militibus Flandriam miſſurum. Hæc facere meditantem vltio cœleſtis impediuit per Iohannem quendam magnæ verſutiæ virum, qui apud Merlebeorge caſtellum habebat. Ab eo ſiquidem vinculis innodatus, quia Diuiſas Dominę ſuę Imperatrici reddere detrectabat, more latronum ſuſpenſus eſt. Miro circa ſacrilegum Dei iudicio concitato, vt non à Rege, cui aduerſabatur, ſed ab illis quibus fauere videbatur, exitium tam turpe meruerit. Mortis illius authores digno attollendi præconio, qui tanta peſte patriam liberarent, ac inteſtinum hoſtem iuſte damnarent.

Eodem anno in Pentecoſte reſedit Rex Londoniæ in turri, Epiſcopo tantummodo Sagienſi præſente: cæteri vel faſtidierunt, vel timuerunt venire. Aliquanto poſt mediante Legato colloquium indictum eſt inter Imperatricem & Regem, ſi forte Deo inſpirante pax reformari poſſet. Conuentum iuxta Bathoniam miſſo ex parte Imperatricis *Roberto* fratre, & cæteris ſuis: ex parte Regis Legato & Archiepiſcopo, ſimul & regina. Sed inaniter inquam, triuerunt & verba, & tempora, infectaque pace diſceſſum. Nec fuit ambarum partium æquum diſſidium, dum Imperatrix ad bonum pronior, Eccleſiaſticum non ſe vereri iudicium mandaſſet, & Rex illud quam maxime caueret, conſiliis illorum male credulus, qui nihil minus, quam pacem vellent. Dum ei dominari ad vtilitates ſuas valerent: Poſtremo Septembri Legatus, qui noſſet officii ſui potiſſimum intereſſe, vt pax conueniret, pro ea reſtituenda laborem itineris tranſmarini aggreſſus, in Galliam nauigare maturauit. Ibi à Rege Franciæ & Comite *Theobaldo*, multiſq; religioſi ordinis perſonis, magno, & ſollicito tractatu de pace Angliæ habito, reuerſus eſt in fine pene Nouembris ſalubria patriæ mandata referens, ſi eſſet, qui verba factis apponeret. Et plane Imperatrix & Comes confeſtim aſſenſere, Rex vero de die in diem producere, poſtremo in ſumma fruſtrari. Tum demum Legatus ſe intra ſe continuit, rerum exitum, vt cæteri, ſpeculaturus. Quid enim attinet contra torrentem brachia tendere? & cum *laboribus non niſi odium quærere, extremæ ſit*, (vt quidam ait) *dementiæ*.

Anno incarnationis Dominicæ 1142. inextricabilem laberinthum rerum, & negotiorum, quæ acciderunt in Anglia, aggredior euoluere; ea cauſa ne per noſtram incuriam lateat poſteros, cum ſit operæ pretium cognoſcere volubilitatem fortunæ, ſtatuſq; mutabilitatem, Deo duntaxat permittente vel iubente; Itaq; quia moderni non mediocriter & merito reprehendunt prædeceſſores noſtros, qui nec ſui, ne ſuorum poſt *Bedam* vllam reliquerunt memoriam; Ego qui à nobis hanc propoſui ſummouere infamiam, debeo apud lectores bonam, ſi recte iudicabunt, paciſci gratiam.

Rex *Stephanus* ante natale à Lindocolina prouincia pacifice abceſſerat, Comitemque Ceſtrenſem, & eius fratrem honoribus auxerat. Is Comes filiam Comitis Glóceſtrenſis iamdudum à tempore Regis *Henrici* duxerat. Ciues interim Lindocolinæ ciuitatis, qui vellent apud Regem grandem locare amicitiam, eum Londoniæ manentem per nuntios certiorem faciunt ambos fratres in caſtello eiuſdem vrbis ſecuros reſediſſe, eos nihil minus quam Regis aduentum opinantes leui negotio poſſe circumueniri; ſe daturos

ope-

operam, vt quam occultiſſime Rex caſtello potiatur. Ille qui nullam occaſionem ampliandæ poteſtatis omittere vellet, lætus eo contendit. Ita fratres circumuenti, & obſeſſi ſunt in ipſis natalis Dominici feriis. Iniquum id viſum multis, quia (ſicut dixi) ſuſpicione nulla rancoris ab eis ante feſtum abceſſerat, nec modo more maiorum amicitiam ſuam eis interdixerat, quod diffidiare dicunt. Porro Comes Ceſtrenſis, quamuis ancipiti periculo inuolutus, probe tamen caſtelli anguſtias euaſit. Non definio qua verſutia, ſiue conſenſu aliquorum obſidentium, ſiue, quia virtus deprehenſa ſolet multis modis quærere, & plærunque inuenire conſilium. Itaque non contentus ſua ſolum liberatione, de ſalute fratris, & vxoris, quos in caſtello reliquerat, ſollicitus animum partes verſabat in omnes. Sanior ſententia viſa flagitare à ſocero auxilium, quamuis animos eius iamdudum nonnullis ex cauſis offendiſſet, maxime quia in neutro latere fidus videretur eſſe. Miſit ergo perpetuam per nuntios pactus fidelitatem Imperatrici, ſi reſpectu pietatis magis, quam vllius ſui meriti, periclitantes, qui in ipſis captionis faucibus tenebantur eximeret iniuriæ.

Non habuit Comes Gloceſtriæ difficiles aures, indignitatem rei non ferens. ſimul etiam pertæſus moræ, quia præclariſſima patria cauſa duorum hominum inteſtinis rapinis & cædibus vexabatur; maluit (ſi Deus permiſiſſet) rem in extremos deducere caſus. Sperabat etiam diuinum in incepto fauorem, quia Rex generum ſuum nullis eius culpis iniuriauerat, filiam obſidebat, Eccleſiam beatæ Dei genetricis de Lindocolino incaſtellauerat. Hæc quanti apud mentem principis eſſe debebant? Nonne præſtaret mori & glorioſe occumbere, quam tam inſignem contumeliam pati? vlciſcendi ergo cauſa Deum & ſororem, ſimulq; neceſſitudines ſuas liberandi dedit ſe diſcrimini. Comitati ſunt eum impigre ſuæ fautores partis, quorum erat maior exhæredatorum numerus, quos in Martem accendebat rerum amiſſarum dolor, & conſcia virtus. Quamuis toto itinere, quod protenditur à Gloceſtria in Lindocolinum, ipſe callide intẽtionem diſſimularet, quibuſdam ambagibus totum exercitum præter pauciſſimos ſuſpendens.

Ventum ad ſupremum ipſa die Purificationis beatiſſimæ *Mariæ* ad flumen, quod inter duos exercitus præterfluebat, Trenta nomine, quod & ortu ſuo, & pluuiarum profluuio tam magnum fuerat, vt nullatenus vado tranſitum præberet. Tum demum & genero, qui cum manu valida occurrerat, & cæteris, quos duxauerat, detegens animum, hoc ſibi propoſitum iam dudum eſſe adiecit, quod nulla vnquam neceſſitate terga verteret: vel moriendum, vel capiendum eſſe, ſi non viciſſet. Cunctis igitur bona ſpe ipſum implentibus (mirabile auditu) illico belli diſcrimen initurus, prædicti rapacitatem fluminis cum omnibus ſuis nando tranſgreſſus eſt. Tantus erat Comiti ardor finem malis imponere, vt mallet vltima experiri, quam regni calamitatem vlterius protendi. Nam & Rex cum Comitibus quam pluribus, & non inerti militum copia, bello ſe animoſe, intermiſſa obſidione, obtulerat. Tentauere primo regii proludium pugnæ facere, quod Iuſtam vocant, quia tali arte erant periti. At vbi viderunt, quod conſulares, vt ita dictum ſit, non lanceis eminus, ſed gladiis cominus rem gererent, & infeſtis viribus, & vexillis aciem regalem perrumperent, fuga ſibi omnes ad vnum Comites conſuluere. Pauci barones prædicandæ fidei & fortitudinis, qui regem, nec in hac neceſſitate, deſerendum ducerent, capti ſunt. Rex ipſe, quamuis ad ſe defenſandum non ei defuiſſet animus, tandem à militibus Comitis Gloceſtriæ circumquaq; aggreſſus, ictu lapidis cuiuſdam terræ procubuit: à quo autem id factum fuerit, ignoratur, ita omnibus circa ſe vel captis, vel fugatis, cedendum pro tempore, & teneri ſuſtinuit. Prædicandus itaque Comes Gloceſtriæ præcepit regem viuum & illæſum aſſeruari, non paſſus etiam vllo exprobrationis conuitio illum proſcindi: & quem iratus modo impugnabat regno faſtigiatum, placidus, ecce! protegit triumphatum, vt compoſitis iræ, & lætitiæ motibus, & conſanguinitati impenderet humanitatem, & in captiuo diadematis reſpiceret dignitatem. vulgus ergo ciuium Lindocolinũ multa parte obtrũcatum eſt, iuſta ira illorum, qui viciſſent, nullo dolore illorum, qui victi eſſent, quod ipſi principium, & fomes iſtius mali fuiſſent.

Rex iuxta morem illius generis hominum, quos captiuos nominant, imperatrici à fratre præſentatus Gloceſtriæ, poſt etiam ad **Briſtow** ductus, & ibi honorifice præter progrediendi facultatem ſeruatus eſt primo: ſuccedenti vero tempore propter inſolentiam quorundam palam & probroſe dictitantium non expedire Comiti, vt regem, ſecus ac ipſi vellent, ſeruaret, ſimul &, quia ipſe ferebatur plus quam ſemel vel eluſis, vel delinitis cuſtodibus extra ſtatutam cuſtodiam noctu præſertim inuentus, annulis ferreis innodatus eſt.

Interim & Imperatrix & Comes apud Legatum fratrem eius nuntiis egerunt, vt ipſam

tanquam *Henrici* Regis filiam, & cui omnis Anglia, & Normannia iurata eſſet, incunctanter in Eccleſiam & regnum reciperet. Quarto decimo Kalēd. Martij, eo anno prima Dominica Quadrageſimæ fuit. Ita mediantibus, vtrobiq; nuntiis ad hoc res expedita, vt ad colloquium in patenti planitie camporum citra Wintoniam cōueniretur. Ventum ergo Dominica tertia Quadrageſimæ pluuioſo, & nebuloſo die, quaſi mœſtam cauſę viciſſitudinem fata portenderent. Iurauit, & affidiauit Imperatrix Epiſcopo, quod omnia negotia maiora in Anglia, & præcipue donationes Epiſcopatuum & Abbatiarum eius nutum ſpectarent, ſi eam ipſe cum Sancta Eccleſia in Dominam reciperet, & perpetuam ei fidelitatem teneret. Idem iurauerunt cum ea, & affidiauerunt pro ea *Robertus* frater eius Comes Glóceſtriæ, & *Brianus* filius Comitis Marchio de Walingaford, & Milo de Gloceſtria, poſteà Comes de Hereford, & nonnulli alii. Nec dubitauit Epiſcopus Imperatricem in Dominam Angliæ recipere, & ei cum quibuſdā ſuis affidiare, quod quandiu ipſa pactum non infringeret, ipſe quoque fidem ei cuſtodiret. Craſtino, quod fuit quinto nonas Martii honorifica facta proceſſione recepta eſt in Eccleſia Epiſcopatus Wintoniæ, Epiſcopo eodemq; Legato eam ducente in dextro latere, *Bernardo* vero de Sancto *Dauid* Epiſcopo in ſiniſtro. Affuerunt præterea Epiſcopi, *Alexander* Lincolinenſis, *Robertus* Herefordiæ, *Nigellus* de Hely, *Robertus* de Bathonia: Abbates etiam *Ingulfus* de Abbendonia, *Edwardus* de Radingis, *Petrus* de Malmesberia, *Gilbertus* de Gloceſtria, *Rogerius* de Theocheſberia, & nonnulli alii. Paucis poſt diebus *Theobaldus* Cantuariæ Archiepiſcopus venit ad Imperatricem apud * Wintoniam inuitatus à Legato. diſtulit ſane fidelitatē Dominæ facere, inconſulto rege alias diuertere, famæ & perſonæ ſuæ indignum arbitratus. Itaq; & ipſe, & pleriq; præſules cum aliquantis Laicis permiſſi ad regem ire, & colloqui, dignanterq; impetrata venia, vt in neceſſitatem temporis tranſirent, in ſententiam Legati ceſſere. Paſcha, quod tuuc fuit 3. Calend. Aprilis Imperatrix apud Oxeneford egit, à cæteris in ſua diſceſſum.

al. Wiltoniam

Feria ſecunda poſt octauas Paſchæ concilium Archiepiſcopi Cantuariæ *Theobaldi*, & omnium Epiſcoporum Angliæ, multorumq; Abbatum Legato Præſidente Wintoniæ ingenti apparatu inceptum. Si qui defuerunt, Legatis & literis, cauſas cur non veniſſent, dederunt. Cuius concilii actioni, quia interfui, integram veritatem rerum poſteris non negabo. Egregie quippe memini. ipſa die poſt recitata ſcripta excuſatoria quibus abſentiam ſuam quidam tutati ſunt, ſeuocauit in partem Legatus Epiſcopos, habuitq; cum eis arcanum conſilii ſui, Mox Abbates, poſtremo Archidiaconi conuocati. ex conſilio nihil proceſſit in publicum, volutabatur tamen per omnium mentes, & ora, quid foret agendum.

Feria tertia hoc fere ſenſu Legati cucurrit oratio. *Dignatione Papæ ſe vices eius in Anglia tenere. Ideoq; per eius authoritatem Clerum Angliæ ad hoc conciliū congregatū, vt de pace Patriæ, quæ grandi periculo naufragabatur, conſuleretur in medium. Tempore regis* Henrici *auunculi ſui ſingulare domicilium pacis in Anglia fuiſſe, ita vt per viuacitatem, animoſitatem, induſtriam eiuſdem præcellentiſſimi viri non ſolum indigenæ cuiuſcunq; potentiæ vel dignitatis eſſent, nihil turbare auderent, ſed etiam eius exemplo finitimi quicunq; Reges, & Principes in otium & ipſi concederent, & ſubiectos vel inuitarent; vel impellerent. Qui videlicet Rex nonnullis ante obitum annis filiæ ſuæ quondam Imperatrici (quæ ſola ſibi proles ex deſponſata quondam coniuge ſupererat) omne regnum Angliæ, ſimul & ducatum Normanniæ, iurari ſub omnibus Epiſcopis, ſimulque Baronibus fecerit, ſi ſucceſſore maſculo ex illa, quam ex Lotharingia duxerat, vxore careret. Et inuidit (inquit) atrox fortuna præcellentiſſimo auunculo meo, vt ſine maſculo hærede in Normannia decederet. Itaq; quia longum videbatur Dominam expectare, quæ moras ad veniendum in Angliam nectebat (in Normannia quippe reſedebat) prouiſum eſt paci Patriæ, & regnare permiſſus frater meus. Enimuero quamuis ego vadem me appoſuerim inter Deum & eum, quod ſanctam Eccleſiam honoraret, & exaltaret, & bonas leges manu teneret, malas vero abrogaret; piget meminiſſe, pudet narrare, qualem ſe in regno exhibuerit. quomodo in præſumptores nulla iuſtitia exercitata, quomodo pax omnis ſtatim ipſo pene anno abolita: Epiſcopi capti, & ad redditionem poſſeſſionum ſuarum coacti: Abbatiæ venditæ; Eccleſiæ theſauris depilatæ: Conſilia prauorum audita, bonorum vel ſuſpenſa, vel omnino contempta. Scitis quoties eum tum per me, tum per Epiſcopos conuenerim, concilio præſertim anno præterito ad hoc indicto, & niſi odium nihil acquiſierim. Nec illud quenquam, qui recte penſare velit, latet, debere me fratrem meum mortalem diligere, ſed cauſam Patris immortalis multo pluris facere. Itaque quia Deus iudicium ſuum de fratre meo exercuit, vt eum, me neſciente, in poteſtatem potentium incidere permitteret, ne regnum vacillet, ſi regnante careat, omnes vos pro iure legationis meæ huc conuenire inuitaui. Ventilata eſt heſterno die cauſa ſecreto coram maiori parte cleri Angliæ, ad cuius ius potiſſimum ſpectat principem eligere, ſimulq; ordinare. Inuocata itaq; primo, vt par eſt, in auxi-*

auxilium diuinitate, filiam pacifici regis, glorioſi regis, diuitis regis, boni regis, & noſtro tempore incomparabilis in Angliæ Normanniaq́; dominam eligimus, & ei fidem & manutenementum promittimus.

Cumq́; omnes præſentes vel modeſte acclamaſſent ſententiæ, vel ſilentes non contradixiſſent, ſubiecit. Londinenſes (qui ſunt, quaſi optimates pro magnitudine ciuitatis in Anglia) nunciis noſtris conuenimus, & conductum, vt tuto veniant, miſimus, eoſq́; confido non vltra hunc diem moraturos, bona venia vſque cras ſuſtineamus.

Feria quarta venerunt Londinenſes, & in concilium introducti cauſam ſuam eatenus egerunt, vt dicerent, miſſos ſe à communione quam vocant Londoniarum, non certamina ſed preces afferre, vt domin⁹ ſuus rex de captione liberaretur. Hoc omnes Barones, qui in eorum communionem iamdudum recepti fuerant, ſummopere flagitare à domino Legato, & ab Archiepiſcopo, ſimulq́; omni clero, qui præſens erat. Reſponſum eſt eis à Legato vbertim, & ſplendide, & quo minus fieret, quod rogabant, eadem oratio, quæ pridie habita. Adiectum etiam *Non decere, vt Londonienſes, qui præcipui habebantur in Anglia ſicut proceres, illorum partes fouerent, qui dominum ſuum in bello reliquerant, quorum conſilio idem ſanctam Eccleſiam exhonorauerat, qui poſtremo non ob aliud ipſis Londonienſibus fauere videbātur, niſi vt eos pecuniis emungerent.*

Interea ſurrexit quidam cuius nomen, ſi bene memini, *Chriſtianus* reginæ (vt audiui) clericus, porrexitq́; chartam Legato, qua ille ſub ſilentio lecta, voce, quantum potuit, exaltata dixit, non eſſe legitimam, nec quæ deberet, in tanto, præſertimq́; ſublimium, & religioſarum perſonarum conuentu recitari. Præter cætera enim quæ reprehenſibilia, & notabilia erant ſcripta, teſtē appoſitum, qui præterito anno, in eodem, quo tūc ſedebant, capitulo venerabiles Epiſcopos maxima verborum affecerit contumelia. Ita illo tricante clericus legationi ſuæ non defuit, ſed præclara fiducia literas legit in audientia, quarum hæc erat ſumma. *Rogabat regina obnixe omnem clerum congregatum, & nuncupatim Epiſcopum Wintoniæ fratrem domini ſui, vt eundem dominum regno reſtituerent, quem iniqui viri, qui etiam homines ſui eſſent, in vincula coniecißent.* Huic ſuggeſtioni retulit legatus verba in eandem ſententiam, qua & Londinenſibus. Illi communicato conſilio dixerunt ſe decretum concilii conuicaneis ſuis relaturos, & fauorem ſuum, quantum poſſent, præſtituros.

Feria quinta ſolutum eſt concilium, excommunicatis ante multis, qui regiarum erant partium: nominatim *Willielmo Martello*, qui quondam Pincerna regis *Henrici* tunc dapifer *Stephani*. Iſte immaniter exulcerauerat Legati animum, multis rebus eius interceptis & ſubreptis. Itaq; multæ fuit molis Londinenſium animos permulcere poſſe, vt cum hæc ſtatim poſt Paſcha (vt dixi) fuerint actitata, vix paucis ante natiuitatem beati *Iohannis* diebus imperatricē reciperent. Plæraq; tunc pars Angliæ dignanter dominatū eius ſuſcipiebat: frater eius *Robertus* aſſiduus circa eam, omnibus, quibus decebat, modis eius gloriam exaltare, proceres benigne appellando, multa pollicendo, diuerſas partes vel terrendo, vel etiam per internuncios ad pacem ſollicitando, iam iamq́; in omnib. partibus imperatrici fauentibus iuſticiam, & patrias leges, & pacem reformando. Satiſq; conſtat, quod, ſi eius moderationi, & ſapientiæ à ſuis eſſet creditum, non tam ſiniſtrum poſtea ſenſiſſent aleæ caſum. Aderat & dominus Legatus ſedula, vt videbatur, fide imperatricis cōmodis præſto. Sed ecce dum ipſa putaretur omni Anglia ſtatim poſſe potiri, mutata omnia. Londonienſes ſemper ſuſpecti, & intra ſe frementes, tunc in aperti odii vocem eruperunt, inſidiis etiam (vt fertur) dominam, eiuſq; comites appetiuerunt. Quibus illi præcognitis, & vitatis, ſenſim ſine tumultu quadam militari diſciplina vrbe ceſſerunt. Comitati ſunt imperatricem Legatus & rex Scotię *Dauid* auunculus eiuſdem viraginis, & frater eius *Robertus* in omnibus vt ſemper, ſic & tunc fortunarum ſororis ſocius, & (vt de compendio dicam) partium eius omnes ad vnum incolumes. Londinenſes cognito eorum abſceſſu in hoſpitia inuolant, quicquid rerum pro feſtinatione relictum erat, abradentes.

Nec multis poſt diebus ſurrexit ſimultas inter Legatum & imperatricem, quem caſum vere poſſum dicere fomitem omnium malorum rurſum in Anglia fuiſſe. Quod qualiter acciderit, expediā. Habebat rex *Stephanus* filiū *Euſtachium* nomine, ex filia *Euſtachii* Comitis Bononienſis ſuſceptum. Rex enim *Henricus* pater imperatricis (vt altius repetam, ne veritas geſtorum lateat poſteros) ſororē vxoris ſuæ, matris iſtius dominæ, *Mariam* nomine, nuptum dedit prædicto Comiti, quod eſſet is, & amplis maiorib. ortus, ſimulq́; prudentia, & fortitudine iuxta inſignis. Ex *Maria Euſtachius* nihil liberorum tulit præter filiam *Mathildem* vocabulo. Hanc patre defuncto, nubilem idem magnificentiſſimus rex *Stephanus* nepoti legitimo matrimonio copulauit, & pariter Bononienſē comitatū induſtrie acquiſiuit; nam antea Moritolienſem in Normannia ex ſuo dederat. Hos Comitatus nepoti ſuo,

quem nominaui, *Euſtachio* Legatus iure dandos deſtinauerat; dum pater in captione teneretur, imperatrice prorſus abnuente, incertum an aliis etiam promittente. Qua ille offenſus iniuria multis dieb. ab eius abſtinuit curia, & quãuis ſæpe reuocaretur, negare perſeuerauit. Interea familiare apud Geldeford cũ regina, vxore fratris, colloquium habuit, & eius lachrymis, & ſatisfactione infractus ad liberationem germani animum intendit; omnes etiam illius partis, quos in concilio excommunicauerat, inconſultis Epiſcopis abſoluit, ferebantur etiam per Angliam eius querelæ in imperatricem, quod eum capere voluerit, quod quicquid ei iurauerat pro nihilo haberet. Omnes Barones Angliæ fidem ſuam circa eam impleſſe, ſed ipſam temeraſſe, quæ acquiſitis vti modeſtè neſciret.

Ad hos motus, ſi poſſet, componendos Comes Glonceſtrenſis non adeo denſo comitatu Wintoniam contendit, ſed re infecta ad Oxeneford rediit, vbi ſoror ſtatiua manſione iamdudum ſe continuerat. Ipſa itaque & ex his, quæ continue audiebat, & a fratre tunc cognouit Legatum nihil molle ad ſuas partes cogitare intelligens, Wintoniam cũ quanto potuit apparatu venit. Illic intra caſtellum regium ſine cunctatione recepta bona mente forſitan per nuncios Epiſcopum conuenit, vt quia ipſa præſens erat, non pigritaretur ad eam venire. Ille non integrum ſibi fore arbitratus ſi veniret, ambiguo reſponſo nuncios eluſit; hoc tantum verbo, *Ego parabo me*. Statimq; miſit propter omnes, quos regi fautores ſciebat. Venerunt ergo fere omnes Comites Angliæ, erant enim iuuenes & leues, & qui mallent equitationum diſcurſus, quam pacem. Præterea plures illorum confuſi, quia regem bellantem, vt ſuperius dictum eſt, deſeruerant, conuentu illo fugæ ſuæ opprobrium lenire conabantur, pauci vero cum imperatrice conuenerant. Rex Scotiæ *Dauid*, *Robertus* Comes Gloceſtriæ, *Milo* de Hereford, & Barones pauci. *Ranulfus* enim Comes Ceſtriæ tarde, & inutiliter aduenit. Vt ergo magnam ſeriem rerum breui verborum compendio explicemus: à regina & Comitibus, qui venerant, vndique foras muros Wintoniæ obſeruatæ ſunt viæ, ne victualia fidelibus imperatricis inferrentur. Andeuera etiam vicus incenſus ab occidente itaq; raro & anguſte importabantur neceſſaria, viatoribus nonnullis interceptis, & vel occiſis, vel parte membrorum mutilatis, ab oriente vero toto tramite verſus Londoniam conſtipabantur ſemitæ multitudine commeatuum Epiſcopo, & ſuis importandorum, & Londinenſibus maxime annitentibus, nihilq; omnino, quod poſſent, prætermittentibus, quo imperatricem contriſtarent. Wintonienſes porro vel tacito ei fauebant iudicio, memores fidei, quam ei pacti fuerant, cum inuiti propemodum ab Epiſcopo ad hoc adacti eſſent. Interea ex turre Pontificis iaculatum incendium in domos burgenſium, (qui, vt dixi, proniores erãt fœlicitati Imperatricis, quam Epiſcopi) comprehendit, & combuſſit totam Abbatiam ſanctimonialium intra vrbem, ſimulq; cœnobium monachorũ, quod dicitur ad Hidam extra. Erat ibi imago crucifixi Domini magna mole auri, & argenti, ſimulq; gemmarum, dono *Cnutonis* quondam regis operoſa deuotione fabrefacta. Hęc igne tunc comprehenſa, & ſolo proſtrata, poſt etiam iubente Legato excruſtata eſt. Inuentæ pluſquam quingentæ argenti marcæ, & auri triginta donatiuo militum profecere. Combuſta eſt etiam Abbatia ſanctimonialium de Warewella à quodam *Williel mo* de Ipra homine nefando, qui nec Deo, nec hominibus reuerẽtiam obſeruaret, quod in ea quidam imperatricis fautores ſe contutati eſſent.

Comes interea quamuis quotidiano regiorum prælio cum ſuis afflictaretur, minuſque, quam cogitarat, res ex ſententia caderet, ſemper tamen ab incendio Eccleſiarum tẽperandum putauit, quamuis in vicino S. *Swithuni* hoſpitatus eſſet. Veruntamen indignitatem rei vltra non ferens, ſe ſuoſq; pene obſideri, & fortunam in alteros declinare, cedẽdum tempori ratus compoſitis ordinibus diſceſſionem parauit. Itaq; in primo agmine vt libere abiret ſororem præmittens cum reliquis, ipſe cum paucis, qui auderẽt animis multos non timere, lente progreditur. Quapropter comitibus confeſtim inſecutis, dum & ipſe fugere pudori, & citra dignitatem ſuam æſtimat, & ſolus ab omnibus præcipue impetitur, captus eſt. Cæteri ceptum iter, proceres præſertim continuare, ſummaq; cum feſtinatione Diuiſas peruenerunt. Sic à Wintonia die S. Crucis exaltationis, quæ tunc habebatur in dominica diſceſſum, cum illuc paucis ante Aſſumptionem beatæ Dei genetricis diebus ventum fuiſſet. Nonnulliq; miraculi exemplum, & multorum materia ſermonum fuit in Anglia, quod ſicut rex Dominica in dominæ noſtræ Purificatione, ita Comes Dominica in viuificæ Crucis exaltatione vnam eãdemq; ſortem experti ſunt. Illud vero percelebre magnificumq; fuit, quod pro iſto euentu nemo Comitem Gloceſtriæ vel infractum mente, vel etiam triſtem vultu vidit. Ita conſcientiam altæ nobilitatis ſpirabat, ne ſe fortunæ ludibrio ſubiiceret. Quamuis enim primo blanditiis inuitatus, poſt etiam minis laceſſeretur, nunquã tamen inflexus eſt, vt de liberatione ſua præter conſcientiam ſororis tracta-

tractaretur. Ad vltimum eo modo res ventilata, vt æquis conditionibus & rex & ipſe abſolueretur, nullo pacto alio interueniente, niſi vt quiſque partes ſuas pro poſſe ſicut prius tutaretur. Hæc ab exaltatione ſanctæ Crucis vſque ad feſtum omnium ſanctorum plurimo verborum agmine ſæpe verſata, tunc demum debito fine concluſa. Ea enim die rex eluctatus captionem, in eadem apud **Briſtow**, reginam ſuam & filium cum duobus magnatibus reliquit vades liberandi Comitis, continuo cũ feſtinato itinere Wintoniam veniſſet, ibi enim aſſeruabatur Comes reductus à **Rouceſter**/ quo prius abductus fuerat. Tertio die mox, vt rex Wintoniam venit, Comes abſceſſit, dimiſſo ibi, quouſque regina abſolueretur, in codẽ die obſidatu filio ſuo *Willielmo*. Celeriter igitur permenſa via **Briſtow** veniens reginam abſoluit. Cuius reditu *Willielmus* filius Comitis ab obſidatu liberatur. Satis autem conſtat toto tempore captionis, & ſequentibus menſibus vſq; ad natale multis & magnis pollicitationibus ſollicitatum vt a ſorore deſciſceret, pluris ſemper pietatem germanitatis, quam quaslibet promiſſiones feciſſe. Nam & relictis rebus & caſtellis ſuis, quibus commode frui poſſet, circa germanam ſedulo apud **Oxeneford** manſitabat, quo loco, vt præfatus ſum, illa ſibi ſedem conſtituens curiam fecerat. Interea Legatus, immodici animi Pontifex, qui, quod ſemel propoſuiſſet, non in effectum relinquere vellet, concilium pro iure legationis ſuæ apud Weſtmonaſterium die Octauarum S. *Andreæ* coegit. Eius concilii actionem non ita exacta fide pronuncio, vt ſuperioris, quia non interfui. Auditum eſt lectas in eo literas domini Apoſtolici, quibus modeſte legatum argueret quod liberare fratrem ſuum diſſimulaſſet. Delicti tamen ſuperioris gratiam facere, & magnopere cohortari, vt quocunque modo vel Eccleſiaſtico, vel ſeculari poſſet, ad germani liberationem accingeretur. Regem ipſum in concilium introiſſe, & apud ſanctum conuentum querimoniam depoſuiſſe, quod homines ſui & eum ceperint, & afflictionẽ contumeliarum paulo minus extinxerint, qui iuſticiam eis nunquam negaſſet. Ipſum Legatum magnis eloquentiæ viribus factorum ſuorum inuidiam tentaſſe alleuiare; quod ſcilicet imperatricem non voluntate, ſed neceſſitate recepiſſet, quippe cum recẽti adhuc fratris ſui clade (omnibus Comitibus, vel fugatis, vel euentum rei ſuſpecta mente præſtolantibus) ipſa cum ſuis muros Wintoniæ circũſonaſſet, ipſam quæcunque pepigerat ad Eccleſiarum ius pertinentia obſtinate fregiſſe: quin etiam certis authoribus ad ſe delatum, eam & ſuos non ſolum dignitati ſuæ, ſed & vitæ ſtruxiſſe inſidias. Cæterum Deum pro ſua clementia ſecus, quam ipſa ſperaſſet, vertiſſe negotia, vt & ipſe perniciem vitaret & fratrem ſuum vinculis eximeret. Itaque iubere ſe de parte Dei & Apoſtolici, vt regem volũtate populi, & aſſenſu ſedis Apoſtolicæ inunctum quantis poſſent viribus enixe iuuarent, turbatores vero pacis, qui Comitiſſæ Andegauenſi fauerẽt ad excommunicationem vocandos, præter eam, quæ Andegauorum domina eſſet.

Hæc verba eius non dico, quod omnes clerici gratis animis exceperint, certe nullus expugnauit, omnes vel metu, vel reuerentia frænarunt ora. Vnus fuit laicus imperatricis nuncius, qui palam Legato interdixit, ne per fidem, quam ei pactus fuerat, quicquam in illo concilio ſtatueret, quod eius honori aduerſum foret: fidem ab eo hanc factam imperatrici, ne fratrẽ ſuum vllo auxilio iuuaret, niſi forte viginti ei milites, nec plures mitteret. Quod in Angliam ipſa veniſſet, frequentibus epiſtolis eius factum; quod regem cepiſſet, quod in captione tenuiſſet, ipſo potiſſimum conniuente actum. Dixit nuncius hæc, & alia plæraq; magna verborum auſteritate, nihil omnino Legato blanditus. Nec vero vllo ſermonum pondere ille moueri potuit, vt iram proderet, ſemel incepti (vt prius dixi) non ſegnis executor, fuit ergo hic annus (cuius tragœdias compendio digeſſi) fatalis, & pene perniciofus Angliæ: in quo, cum aliquo modo ſibi ad libertatem reſpirandam putaſſet, rurſus in ærumnam recidit, & niſi Dei miſericordia mature occurrat, diu hærebit.

Principia geſtorum huius anni, qui eſt incarnationis Dominicæ, 1143. ex reliquiis ſuperioris anni ſucceſſit animo reſarcire, ſimulq; ſummam rerum, quæ de *Roberto* filio regis *Hẽrici* Comite Glouceſtriæ ſparſim dictæ ſunt, quaſi in faſciculum collectam lectoris æſtimationi per recapitulationem proponere. Ipſe quippe ſicut primus ad partes ſororis ſuæ iuſte defendendas initium ſuſcepit, ita ſemper inuicto animo incepto gratis perſeuerauit: gratis dico, quia nonnulli fautorum eius vel fortunam ſequentes, cum eius volubilitate mutantur, vel multa iam emolumenta conſecuti ſpe ampliorum præmiorum pro iuſticia pugnant. Solus vel pene ſolus *Robertus* in neutram partem pronior, nec ſpe compendii, nec diſpendii timore vnquam flexus eſt, ſicut ex ſequentibus liquebit. Non ergo alicui, ſi hæc integre ſcribo, adulationis ſurrepat ſuſpicio. Nihil enim à me dabitur gratiæ, ſed ſola veritas hiſtoriæ ſine vllo fuco mendacii poſterorum producetur notitiæ.

Dictum eſt de Comite quo modo primus omnium primatum poſt *Dauid* regem Scotiæ, præſente patre *Henrico* fidelitatem ſorori ſuæ imperatrici de regno Angliæ & ducatu Normanniæ ſacramento firmauit. Nonnulla (vt dixi) contentione inter eum & *Stephanum* tunc Boloniæ Comitem, poſtmodum Angliæ regem, quiſnam prior ſacramentum faceret: *Roberto* excellentiam filii; *Stephano* dignitatem nepotis defendentibus. Dictum eſt etiam quam rationabiles cauſæ eum à Decembri, quo pater defunctus eſt, vſque poſt ſequens Paſcha in Normannia continuerint, ne ſtatim in Angliam veniens ſororis iniurias vindicaret. Poſtremo veniens quam prudenti conſilio, & qua exceptione ad hominium regis ſe inclinauerit, & quam iuſte idem ſequenti anno & deinceps abiecerit. Nec eſt prætermiſſus ſecundus eius poſt mortem patris à Normannia in Angliam cum ſorore aduentus, in quam ſe ſicut in quandam ſyluam frequentium belluarum immiſit, Dei quidem gratia, & animi confidentia fretus, ſed vix 140. militibus ſtipatus. Sed nec illud tacitum, quod in tanto motu bellorum, cum ſollicitæ vbiq; prætenderentur excubiæ, cum ſolis 12. militibus impigre ad Briſtow venit, ſorore interim apud Arundel fida, (vt putabat) cuſtodia commiſſa. Qua prudentia & tunc ſororem ſuam è mediis hoſtibus ad ſe receperit & poſtmodum in omnibus pro poſſe prouexerit; ſemperq; circa eam conuerſatus ipſius commoda procurans, ſua poſtponens, cum quidam abutentes eius abſentia terras ipſius vndiq; vellicarent. Ad poſtremum qua neceſſitate adductus, vt generum ſuum, quem rex incluſerat, periculo eximeret, bello ſe graui dederit, & regem ceperit. Sed tam fœlicem euentum captio apud Wintoniam, vt in ſuperioris anni geſtis perſtrinxi, paulo minus decolorauit, quanquam ea captione non tam miſerandum, quam laudandum ſe ipſe per Dei gratiam exhibuerit. Cum enim videret regios Comites, ita obſtinatos ad ſequendum, vt ſine ſuorum detrimento res tranſigi nequiret, omnes, quibus timebat, & nominatim imperatricem præmiſit. Quibus prægreſſis, vt iam tuto poſſent euadere, ipſe ſenſim equitans, ne ſimilis fugæ profectio putaretur, admiſit in ſe perſequentium manus, amicorum liberationem impedimento ſui mercatus. Iam vero in ipſa captione nemo eum (vt ante dixi) vel ſenſit deiectum animo, vel audiuit humilem in verbo: adeo ſupra fortunam eminere videbatur, vt perſecutores ſuos (nolo enim dicere hoſtes) ad reuerentiam ſui excitaret. Itaq; regina, quæ licet meminiſſet virum ſuum eius iuſſu fuiſſe compeditum, nihil ei vnquam vinculorum inferri permiſit, nec quicquam inhoneſtum de ſua maieſtate præſumpſit. denique apud Roſaceſtram (illuc quippe ductus fuit) libere ad Eccleſias infra caſtellum, quo libebat, ibat, & quibus libebat, loquebatur, ipſa duntaxat regina præſente. Nam poſt profectionem eius in turrim ſub libera cuſtodia ductus eſt, adeo præſenti, & ſecuro animo, vt ab hominibus ſuis de Cantia accepta pecunia equos non parui pretii compararet, qui ei poſt aliquanto tempore & vſui, & commodo fuere. Tentauere primo Comites, & hi quorum intererat de talibus loqui, ſi forte regem & ſe ſineret æquis conditionibus liberari. Hoc quamuis *Mabilia* Comitiſſa præ deſiderio viri ſui ſtatim amplexa nunciis acceptis eſſet, in eius liberationem coniugali charitate propenſior, ille profundiori conſilio contradixit, regem, & Comitem non æqualis ponderis eſſe aſſeuerans. Cæterum ſi permitterent omnes, qui vel ſecum, vel ſui cauſa capti eſſent, liberari, id ſe poſſe pati. Sed noluerunt aſſentiri Comites, & alii, qui regalium partium erant, regem quidem liberari cupientes, ſed citra ſuas in pecuniæ amiſſione iacturas. Nam & *Gillebertus* Comes *Willielmum* de Salesberia, & *Willielmus* de Ipra *Humfridum* de * Buhun, & nonnulli alii, quos poterant, Wintoniæ ceperant, multis in eorum redemptione marcis inhiantes. Itaque alia via Comitem adorſi promiſſis ingentibus, ſi forte poſſent, illicere cupiebant. Concederet ſorore dimiſſa in partes regis, habiturus proinde totius terræ dominatum, vt ad ipſius arbitrium penderent omnia, eſſetq; in ſola corona rege inferior, cæteris omnib. pro velle principaturus. Repulit Comes immenſas promiſſiones memorabili reſponſo, quod poſteritas audiat, & miretur, volo: Non ſum meus, inquit, ſed alieni iuris, cum meæ poteſtatis me videro, quicquid ratio de re, quam allegatis, dictauerit, facturum me reſpondeo. Tũ illi concitatiores & nonnihil moti, cũ blãditiis nihil promouerent, minas intentare cœperunt, quod eum vltra mare in Boloniam mitterent, perpetuis vinculis vſq; ad mortem innodandum. Enimuero ille minas ſereno vultu diſſoluens, nihil minus ſe timere proteſtatus eſt cõſtanter & vere. Cõfidebat. n. in magnanimitate Comitiſſæ vxoris ſuæ, & animoſitate ſuorum, qui ſtatim regem in Hiberniam mitterẽt, ſi quid perperam in Comitem factum audiſſent. Tranſiit in his menſis, tantæ molis erat liberari poſſe principes, quos fortuna ſua innexuerat catena. Tandem porro communicato conſilio quicunq; imperatrici fauebant, crebris legationibus Comitem conueniunt, vt quia non poſſet, quod vellet, ſecundum Comici dictũ, vellet quod poſſet; pateretur ergo regem, & ſe li-

*al. Bohun.

ſe liberari mutuis conditionibus: alioquin timemus, aiebant, ne Comites facti ſui maximi & præclariſſimi, quo te ceperunt, erecti conſcientia, vnos, & vnos ex nobis inuadant, caſtella expugnent, ipſam ſororem tuam oppugnent. Tum demum *Robertus* mollitus Legato, & Archiepiſcopo aſſenſit, ita tamen, ne quicquam caſtellorum, vel terrarum redderetur, quod poſt regis captionem in ius imperatricis, vel quorumq; fidelium eius tranſierat. Illud ſane nullo potuit obtinere modo quatenus ſui ſecum liberarentur, offenſis videlicet aliis, quod tantas eorũ promiſſiones de principatu totius regni quodã quaſi faſtu faſtidiẽs repudiauerat. Et quia maxime annitebantur, vt propter regiam dignitatem primo rex liberaretur, deinde Comes, cum id ille dubitaret cõcedere, firmauerunt iureiurando Legatus & Archiepiſcopus, quod ſi rex poſt liberationem ſuam detrectaret Comitem liberare, ipſi ſe in captionem Comitis incunctanter iniicerent, quocunq; ipſi libuiſſet abducendi. Nec adhuc quieuit, ſed præter hæc, quo ſibi præuideret, ſagax animus inuenit. Poſſet nempe fieri, vt rex malorum, quod ſæpe fit, præuentus conſilio captionem fratris ſui, & Archiepiſcopi parui duceret, dummodo ipſe liber in pluma iaceret. Exegit ergo a b vtroq; ſigillatim breuia, & ſigilla ſua ad Apoſtolicũ in hunc ſenſum; *Sciret dominus Apoſtolicus eos ob regis liberationẽ, & regni pacẽ hoc ſe pacto Comiti aſtrinxiſſe, quod ſi rex eum poſt ſuam ipſius liberationẽ liberare diſſimularet, ipſi vltro ſe in captionẽ ipſius immitterent. Quapropter ſi ad hoc infortuniũ peruentũ foret obnixe rogare, (quod Apoſtolicæ humanitatis eſſet ſponte facere) vt & eos qui ſuffraganei ipſius erant, & Comitẽ pariter ab indebitis nexib. exueret.* Et quædã talia Hæc ſcripta *Robertus* ab vtriſq; pontificibus recepta tuto loco depoſuit, & Wintoniã cum iiſdem, & ſimul magna Baronum copia venit. Rex quoq;, vt in præteritis dictũ eſt, nõ multo poſt eodẽ veniens familiare colloquiũ cum Comite cõmunicauit. Sed quamuis & ipſe & cuncti principes, qui aderant, magno anniſu ſatagerent Comitẽ in ſua vota traducere; ille velut pelagi rupes immota reſiſtens omnes eorũ conatus vel irritos fecit, vel rationabiliter cõpeſcuit. Non eſſe rationis dicens ſed nec humanitatis, vt ſororem ſuam desereret, cuius partes iuſte defendendas ſuſcepiſſet: nullius commodi cauſa nec tam regis odio quam reſpectu Sacramenti ſui, quod violare nefas eſſe ipſi quoq; deberent attendere prçſertim cum ab Apoſtolico ſibi mandatum meminiſſet vt ſacramento, quod ſorori, præſente patre, fecerat, obedientiam exhiberet. Ita infecta pace ab vtriſque diſceſſum. hæc ideo in ſuperioris anni geſtis non appoſui, quia clam conſcientia mea erant. Sẽper quippe horrori habui aliquid ad poſteros trãſmittẽdum ſtylo cõmittere, ꝙ neſcirem ſolida veritate ſubſiſtere. Ea porro, quæ de præſenti anno dicenda ſunt, hoc habebunt principum.

Vtrǫque partes imperatricis & regis ſe cum quietis modeſtia egerunt a natale vſque ad Quadrageſimam, magis ſua cuſtodire, quam aliena incurſare ſtudẽtes, rex in ſuperiores regiones abceſſit, neſcio quæ compoſiturus. Superueniens Quadrageſima omnibus vacationem bellorum indixit, qua mediante imperatrix cum ſuis ad Diuiſas venit, illic myſterium conſilii ſui habitum. Quod tamen eatenus exiit in vulgus, vt ſciretur omnibus fautoribus complacitum quatenus pro Comite Andegauenſi mitteretur, qui coniugis, & filiorum hæreditatem in Anglia iure defenſitare deberent. Miſſi ſunt ergo ſpectabiles viri & qui merito tantæ rei curã exequerentur. Non multo poſt in ipſis pene Paſchalibus feriis regem quædam (vt aiunt) dura meditantem grauis incommodum morbi apud Northamtunam detinuit, adeo vt in tota propemodum Anglia ſicut moriturus conclamaretur. Durauit improſpera valetudo vſque poſt Pentecoſten. Tunc enim ſenſim refuſus ſalutis vigor eum in pedes erexit. Interim nuncii ex Andegauis redeuntes, iterato apud Diuiſas in ipſis Octauis Pentecoſtes coacto concilio, imperatrici & principibus audita reportant. Comitem Andegauenſem legationibus procerum nonnulla ex parte fauere, cæterum ſolum ex omnibus Comitem Gloceſtrenſem recognoſcere, eiuſque prudentiam, & fidem, magnanimitatem, & induſtriam probatam iam olim habuiſſe. Is ſi ad ſe tranſito mari adueniat, voluntati eius ſe pro poſſe non defuturum, alioquin cæteros in eundo, & redeundo fruſtra laborem conſumpturos. Ita omnium audientium ſpebus erectis, ad Comitem preces verſæ, vt hunc laborem pro ſororis, & nepotum hæreditate dignaretur. Diſſimulauit ille primo, difficilem rem prætendens, ſuſpectum per conſertiſſimos hoſtes iter citra & vltra mare; periculoſum ſorori, quam in abſentia eius alii ægre tuerentur, qui eam in captione ſua pene reliquerant, rebus ſuis ipſi diffiſi. Fauens tandem omnium vnanimi voluntati obſides popoſcit, ſigillatim ab his, qui optimates videbantur, ſecum in Normanniam ducendos, vadeſque futuros tam Comiti Andegauenſi, quam etiam imperatrici; quod omnes iunctis vmbonibus ab ea, dũ ipſe abeſſet, iniurias propulſarent viribus ſuis apud Oxeneford manentes. Acclamatum eſt ſententiæ, datique obſides Normanniam ducendi.

Robertus ergo valefaciens ſorori, ductis ſecum obſidibus cum expeditis militibus per tuta hoſpitia ad Warham profectus eſt, quem vicum cum caſtello iamdudum commiſerat filio ſuo primogenito *Willelmo*. Ibi aliquãto poſt feſtum ſancti *Iohannis* alto ſe per Dei gratiam committens, naues quas tunc habebat, ſoluit. Quæ fere in medium mare delatæ omnes præter duas tempeſtate coorta in diuerſa iactatæ, quædamq; retro verſæ, quædam vltra deſtinatum propulſæ ſunt. Duæ ſolummodo in quarum vna Comes cum fidiſſimis erat, rectum curſum tenentes in idoneam ſtationem appulerunt. Veniens itaque Cadomum Comitem Andegauenſem per nuncios accerſiuit. Venit ille non aſpernanter, ſed auditæ legationi ſua impedimenta & ea multa obiecit: inter quæ, quod rebellione multorum caſtellorum in Normannia detineretur, quo minus in Angliam veniret. Ea res moras redeundi Comiti Glouceſtrenſi vltra placitum innexuit. Nam vt Andegauẽſem omni occaſione nudaret, cum eo 10. caſtella in Normannia expugnauit. Sed propemodum nihil quantum ad legationem hac promouit induſtria. Andegauenſis Comes & alias occaſiones, priorib. ſolutis, ſubſtituit, quibus in Angliam aduentum excuſaret ſuum. Magni ſane loco beneficii filium ſuum ex imperatrice primogenitum auunculo conceſſit in Angliam deducendũ, cuius intuitu proceres iuſti hæredis partes propugnare animarentur. *Henricus* vocatur puer nomen aui referens, vtinam fœlicitatem, & potentiam quandoque relaturus. Interea rex in Anglia Comitis abſentiam aucupatus, ſubito ad Warham veniens & vacuum propugnatorib. offendens, ſuccẽſo & deprædato vico, ſtatim, ẽt caſtello potitus eſt. Nec eo contentus (qui fortunam ſibi aſpirare videret) tribus diebus ante feſtum ſancti *Michaelis* inopinato caſu Oxenford ciuitatem concremauit, & caſtellũ, in quo cum domeſticis militib. Imperatrix erat, obſedit: ita ſcilicet obfirmato animo, vt nullius ſpe commodi, nullius timore detrimẽti diſcedendum pronuntiaret, niſi caſtello reddito, & imperatrice in ditionem ſuam redacta. Mox optimates omnes imperatricis confuſi, quia a domina ſua præter ſtatutum abfuerant, cõfertis cuneis ad Walingeford cõuenerũt eo propoſito, vt regẽ bello impeterent, ſi ipſe in aperto campo Martem experiri voluiſſet, ſed cũ intra ciuitatẽ aggredi conſilium non fuit, quam ita Comes Gloceſtriæ foſſatis munierat, vt inexpugnabilis præter incendium videretur. His rumoribus in Normannia diſſeminatis Comes *Robertus* reditum maturauit. Trecẽtos itaq; milites, & aliquanto plures, quorum tamen numerus ad 400. non peruenit, nauibus 52. impoſuit, his duas, quas in redeundo in pelago expugnauit, adiunxit. Itaq; piæ voluntati Deus per ſuam gratiam egregie fauit, vt nulla è tanto numero nauium longius euagaretur, ſed omnes vel pariter iunctis lateribus, vel leniter vnæ ante alias progreſſæ placida ſulcarent maria. Nec vero violentia fluctuum nauigia impetebat, ſed quodam famulatu proſequebatur; ſicut aſpectus maris ſolet eſſe gratiſſimus, cum placidis alliſa lapſibus alludit vnda littoribus. In portum ergo Warham delatæ, Comites & omnes ſocios deſideriis ſuorum fœlices carinæ reſtituere. Cogitauerat primo ad Hamtunam appellere, vt diſpendio ciuium ſimul & domini eorum iniurias ſuas vlciſceretur. Sed flexerunt eius impetum precib. multis Vituli, qui arctiſſimarum neceſſitudinum parentes, quos apud Hamtunam habebant, ærumnis cæterorum inuolui timerent. Genus hominum nauticorũ eſt, quos Vitulos vocant. Qui, quia fide clientes Comitis ſunt, preces eorum nõ negligendas arbitratus, cœpto deſtitit. Simul & honoratius viſum, vt in locum, de quo egreſſus fuerat, reuerteretur, quod per violentiam amiſerat vi recuperaturus. Statim ergo portu & vico in poteſtatem ſubactis, caſtellum obſedit, quod lectiſſimorum militum, quos ibi rex locauerat, munitione ſua confirmabat animoſitatem, ne dicam contumaciam. At enim paulo poſt milites machinis Comitis labefactati, & conſternati petierunt inducias, vt ſicut moris eſt, illorum hominum efflagitarent à rege ſuppetias, die dicta, ſi forte venire negaret caſtellũ reddituri. Id ſpe regẽ ab obſidione ſororis abducendi acceptiſſimum Comiti fuit, quamuis impatienti deſiderio caſtelli habendi teneretur. Qua putamus animi confidentia, vt nullo ex Anglia fultus adhuc auxilio cũ 300. & paulo plus militib. regem intrepidus operiretur, qui mille milites & eo amplius habere ferebatur. Multi .n. non tã imperatricis odio quã auiditate prædæ ad obſidendum conuolauerant. Veruntamẽ cũ relatũ eſſet, quod obſeſſis apud Warham a rege negaretur auxilium, ea ſc. obſtinatione, qua prædixi, caſtellum recepit, & eodem impetu inſulam Portland, quam incaſtellauerant, ſubegit. Nec minus & tertium cuius nomen * Lullewerden armis perdomuit. Inde omnes imperatricis fautores ad Cireceſtram conuocauit, iam ingreſſo domini aduentu. Ibi igitur ad dominæ ſuæ ſuccurrẽdum omnibus viribus conſpirati, profectionem ad Oxenford meditabantur, infenſis mentibus, cum rege, niſi abſcederet, præliatum iri. Enimuero iam progreſſis plauſibile nũcium allatum eſt, egreſſam imperatricem ab obſeſſo caſtello Oxenford, & apud Wallingeford

al. Sullewerden

turo

tuto manere. Illuc ergo diuertentes eiuſdem dominæ conſilio, quia & milites, qui ea excunte remanſerant, caſtello reddito indemnes abierant, & ſancti dies quieſcere, vel parum admonebant, bello abſtinendum rati ad ſua quiq; ſunt reuerſi. Modum ſane liberationis imperatricis gratanter apponerem, ſi pro certo compertum haberem. Eſt * ergo euidens Dei miraculum. Illud ſatis cōſtat, quod metu aduenientis Comitis, obſeſſoribus plurimis apud Brentford, quo quiſque poterat, dilapſis: reliqui laxiores cuſtodias, & remiſſiores excubias fecere, magis ſi ad bellum veniretur ſaluti ſuæ ſolliciti, quam aliorum exitio infeſti. Qua re ab oppidanis animaduerſa imperatrix cum ſolis quatuor militibus per poſterulam egreſſa amnem tranſiit. Mox vt nonnunquam, & fere ſemper neceſſitas & remedium excogitat, & audaciam ſubminiſtrat, pede Abbadoniam profecta, hinc ad Walingford equo ſubuecta eſt. Quæ tamen latius perſequi fert animus, ſi vnquam dante Deo ab his, qui interfuere, veritatem accepero. *al. enim*

PROLOGVS LIBRI PRIMI.

PRIMA ſedes Epiſcoporum poſt Chriſtianitatem Anglorum, Cantuariæ habita eſt, & habetur. Ea vrbs eſt Angliæ, nec adeo magna, nec exiliter parua, quæ & poſitione terræ, quippe ſoli affinis maxima vbertate, & integro murorum ambitu, licet multoties Martias fortunas experta, ciues ſuos fouet, multorum ſanctorum cineribus copioſa, patrociniis glorioſa, nec fluminis irriguo, nec nemorū opportunitate indiga, prætcrea, maris ad duodecim milliaria vicinitate, piſcium fœcunda. Gens vrbana & ruſtica, pluſquam cæteri Angli, conſcientiam adhuc antiquæ nobilitatis ſpirans, & ad honorificentiā & hoſpitium cuiuſlibet promtior, & ad propulſandas iniurias acrior. Ibi prima ſedes Archiepiſcopi habetur, qui eſt totius Angliæ Primas & Patriarcha. Cæterum vbi fuerit Archiepiſcopatus, tempore Brittonum, cognitio labat, quia vetuſtas conſumpſit noſtri ſeculi memoriam. De huius vrbis Archiepiſcopis & eius ſuffraganeis dicere ſucceſſit animo, quicquid noſtrā attigit memoriam. Nec puto a ratione diſſidere, vt qui quondam regum Anglorum geſta perſtrinxi, nunc Anglorum Pontificum nomina transcurram; vt pollicitam dudum operam, iam tandem domino adiuuante, compleam. Quod cum fecero, videbor mihi rem nulli attentatam conſummaſſe, non meo fretus ingenio, ſed dignæ cognitionis allectus ſtudio. Quid.n. dulcius quam maiorum recenſere gratiam, vt eorum acta cognoſcas, a quibus acceperis, & rudimenta fidei, & incitamenta bene viuendi? Erat certe plenum ſegnitiei & ignominiæ, neſcire ſaltem nomina principum noſtræ prouinciæ, cum pertendat alias cognitio noſtra ad tractus vſq; Indiæ, & ſi quid vltra tacet, quod infinito Oceano patet. His adductus rationibus, & hic & alibi traxi ſtylum per latebroſiſſimas hiſtorias: quanquam mihi non hic affluat eadem copia ſcientiæ, quæ in geſtis regum. Siquidem ibi aliquid de chronicis, quæ præ me habebam, mutuatus, veluti è ſublimi ſpecula fulgente facula, qua greſſum ſine errore tenderem, admonebar. Hic autem, pene omni deſtitutus ſolatio, craſſas ignorantiæ tenebras palpo; nec vlla lucerna hiſtoriæ præuia, ſemitam dirigo. Aderit tamen (vt ſpero) lux mentium, vt & integra non vacillet veritas, & inſtituta conſeruetur breuitas. Quæ duo, ſi quis non neglexerit, nec ineptus, nec importunus erit. Itaq; propoſitam in aliis voluminibus ſeriem dicendi ſeruabo: vt ſicuti in primo libro geſtorum Regalium, regnorum diſtinxi ordinem; ita hic per ſingula volumina, Epiſcopatus prouinciarum diſtinguam. Si quid infra promiſſum fuerit, lector qui ratione factum viderit, veniam prærogabit. Hic igitur primus liber habebit geſta Archiepiſcoporum Cantuarienſium & Epiſcoporum Roffenſium, apud quos primum excreuit regnum: cæteri quique ordine ſequentur.

DE ARCHIEPISCOPIS DOROBERNENSIBVS.

CANTVARIÆ ſedit primus *Auguſtinus, Gregorii* magni diſcipulus, vt vulgo notum eſt. Pallium autem & priuilegium Archiepiſcopatus idem *Gregorius Auguſtino* ad Londoniam conceſſit, vt in primo libro geſtorum Regalium, per *Kenulfi* oſtendimus epiſtolam; quia ſcilicet ad id tempus alterius obſcuræ vrbis notitia Romanos non attigiſſet. Veruntamen quia primus doctor ſedulitate regis, hoſpitis, & ciuium charitate captus, Cantuariæ incolatum viuens

al. ſedecim

throno annis * quindecim, & mortuus tumulo fouit, omnis eo in poſterum honor tranſlatus. Eius merita quanti apud dominum penſentur, ſigna præconantur illuſtria, quæ ille non faſtidit tot adhuc inculcare ſeculis; Cantiam ſuam, immo totam Angliam in ſui veneratione torpeſcere non ſinens.

Huic ſucceſſit *Laurentius* annis quinque; cuius virtutes, & cæterorum, (de quibus *Beda* narrans, breuiter perſtringit omnia, tædii ſcilicet offenſam veritus:) Horum ergo virtutes, quantum veterum relatione addiſcere potuit, *Goſcelinus* quidam, (de quo alias dixi) ſcripſit miras prorſus & prædicandas, adiiciens, quas oculata fide perſpexerat, nouas. Eorum hæc ſunt nomina.

Mellitus, annis item quinque.

Iuſtus, annis tribus.

Honorius, viginti ſex.

Deus dedit, decem.

Theodorus, viginti duos.

Eum ab Apoſtolica ſede miſſum, *Beda* commemorat primum omnium antiſtitum Cãtuariæ vigorem pontificalem in tota Brittannia exercuiſſe; denique & citra & vltra Hũbram Epiſcopos hos pro placito abegiſſe, hos poſuiſſe: in ipſa Eboraco aliarum vrbium præſules conſecraſſe, & (vt in vita beati *Wilfridi* legitur,) eiuſdem ciuitatis pontifices; *Ceddam* & ipſum *Wilfridum* ſeu ratione, ſeu vi expuliſſe. Vbi videri & doleri poteſt humana miſeria, quod videlicet quantalibet quis ſanctitate polleat, non ad plenũm peruicaces mores exuat; quia illi duo oculi Brittanniæ controuerſias inter ſe egerint. Siquidem *Theodorus Wilfridum* iniuſte, quantum noſtra habet coniectura, eiecerit, *Wilfridus* Romano Papæ *Agathoni*, multis ante periculis iactatus, querelam detulerit. Modeſte ſane: vt nec ab Apoſtolica ſede directum, accuſationibus vrgeret, nec tamen innocentiam ſuam fluctuare permitteret. Eius enim verba hæc ſunt in ſuggeſtione, quam obtulit Papæ: *Quid autem acciderit, vt* Theodorus *ſanctiſſimus Archiepiſcopus, me ſuperſtite in ſede, quam licet indignus, diſpenſabam ſine conſenſu cuiuſlibet Epiſcopi, tres, ſua authoritate, mea humilitate non acquieſcẽte, ordinaret Epiſcopos, omittere magis, quam vrgere, pro eiuſdem viri reuerentia, condecet: quem quidẽ, pro eo quod ab hac Apoſtolicæ ſedis ſummitate directus eſt, accuſare non audeo.* Itaq; quamuis tunc iudicio concilii Romani indemnis *Wilfridus* iudicatus, & ad ſedem ſuam remiſſus fuerit: non tamen rem obtinuit, regis *Egfredi* violentia, cum præſertim *Theodorus*, vel obſiſteret ex ſententia, vel permitteret ex conniuentia. Quod ideo dicere non abſtinui, vt oſtenderem quanti apud Romam habitus ſit, cuius ſtatuta etſi perperam acta, eneruare illa ſedes non omnino voluit. Nam & epiſtola, quam idem *Agatho* ſextæ Synodo apud Conſtantinopolim congregatæ direxit huius ſermonis teſtimonio aſſiſtit, & mecum facit, in qua, inter cætera dicit. *Sperabamus deinde de Brittannia* Theodorum *conſamulum, atq; coepiſcopum noſtrum, magnæ Inſulæ Brittanniæ Archiepiſcopum & Philoſophum, cum aliis, qui ibidem hactenus demorantur, exinde ad humilitatem noſtram coniungere, & hac cauſa hucuſq; concilium diſtulimus.* Vides quanti eum fecerit, vt eius expectatione vniuerſale concilium differret.

Ei ſucceſſit *Berctualdus* annis 37. Huic *Tatwinus* horum (vt dicere cœperam) & non minus *S. Letardi*, quem cum regina *Berta* veniſſe antiquitas ferit, miracula ſuprafatus author prædicat, ſigna exaltat. *Letardum* tum in cæteris potentem, tum in pluuiæ petitione velocem non multis retro annis iucundum exhibuiſſe ſpectaculum. Cum enim media æſtate cancrum ſol inureret, arua ſqualerent puluere, & furens Syrius ſitientes ſcriberet agros, elatum ad proceſſionem ſancti corpus tarditate miraculi deſiderium expectantium irritaſſe. Tum poſt reditum cantorem ſtomachatum ingenti clamaſſe hiatu: nonne vides quanta ſit ſiccitas & tribulatio in toto mundo, & tu negligenter agis? hoc quaſi feſto conuitio ſanctum notatum multo imbrium diluuio deſiderantium auiditatem pluſquam ſatiaſſe. commemorat inde ſeriem regum cum totis neceſſitudinibus in *Auguſtiniana* Eccleſia requieſcentium: quos ille non immerito luminaria vocat Angliæ & ſenatores Anglorum curiæ. Huic ſanctorum choro, vt regis æterni diademati elaborato adiicit inæſtimabilis glorię lapides, qui perniciem in proteruos, auxilium fulgurent in ſupplices, *Adrianum* dico Abbatem & *Mildridam* virginem parili laude conſpicuos.

Tatwino, qui annis 3. Archiepiſcopatu potitus eodem anno quo *Beda* obiit, ſucceſſit *Nothelmus*, quem ferunt illum eſſe, quem in Prologo hiſtoriæ Anglorum dicit, idem hiſtoricus Eccleſiæ Lundonenſis presbyterum multo ſibi emolumento fuiſſe ad geſta compaginanda ex Romano ſcrinio allatis epiſtolis, quæ eſſent illi neceſſariæ operi.

Eo poſt quinq; annos defuncto, *Cuthbertus* qui erat Merciorum apud Herefordũ Epiſcopus,

ſcopus, Apoſtolicas reparat vices. Hic eſt qui *Bonifacii* contemporaneus, pro cōpeſcendis vitiis concilium magnum coegit Angliæ, eiuſdem *Bonifacii* admonitu, & *Ethelbaldi* regis ope, vt in geſtis regum dixi. Cuius Synodi principiū & actio per capitula hic ponetur meis aliquando verbis antiquorum ſemper ſententiis expoſtulata faſtidii venia; quia & parum Pontificalium geſtorum habemus, & patrum præcedentiū in Dei rebus zelum ſit audire operę pretium. Regnante in perpetuū Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cuncta patris imperio ac pariter Spiritus ſancti gratia viuificante diſponit; Hæc quæ ſubter habētur Synodalia geſta, Septembris menſis * 11. prope locum qui vocatur Cloueſho peracta ſunt, *al. initio.* præſentibus his Deo dilectis præſulibus Eccleſiarum Chriſti, hoc eſt honorabili Archiepiſc. *Cuthberto*, venerabili Epiſcopo Roffenſis Eccleſiæ *Dunno*, atq; reuerendiſſimis Epiſcopis Merciorum, *Totta* & *Huitta*, ac *Podda*: ſed & probatiſſimis Epiſcopis Occidentaliū Saxonum, *Humfredo* & *Herewaldo*, venerabilibuſq; ſacerdotibus *Herdulſo* Orientaliū Anglorum, atq; *Egtulſo* Orientalium Saxonum, & *Milrdo* Wictiorum: ſed & honorabilibus Epiſcopis, *Alwio* Lindiſſę prouinciæ atq; *Siga* Auſtralium Saxonum; anno Dom. incarnationis, 747. Indictione 15. Anno autem regni *Ethelbaldi* regis Merciorum, qui tunc aderat cum ſuis principibus ac ducibus 33. Cum igitur ex diuerſis Brittanniæ prouinciis ſacri ordinis præfati præſules cum minoris ordinis dignitatibus conueniſſent, & recitata eſſent ſcripta in duabus chartis venerandi Papæ *Zachariæ*, quibus admonebat Anglos, vt caſtigatius viuerent, & contemnentes excommunicare minabatur: *Primo capitulo decreuerunt, vt Epiſcopi ſollicitius à modo viuerent, & ſollicitius ſubditos admonerent. Secundo vt pacifico animo viuerēt quāuis locis diſcreti degerēt. Tertio, vt omni anno, parochias ſuas ſinguli circūirent. Quarto, vt quiſque in ſua diœceſi, Abbates & monachos moneant regulariter viuere, & prælatos ſubiectos ſuos non opprimere, ſed diligere. Quinto, vt etiam monaſteria, quæ ſeculares homines peruaſerant, nec tunc ab eis auferri poterant, docerent regulariter * viuere. Sexto, ne ali*- *al. conuerſari.* *quis ordinetur, niſi prius eius vita examinetur. Septimo, vt per monaſteria, lectio ſacrarum ſcripturarum frequentetur. Octauo, vt presbyteri non ſint negotiorum ſecularium diſpoſitores. Nono, vt ipſi presbyteri non accipiant pretium pro baptizandis pueris. Decimo, vt Dominicam orationem & Symbolum Anglice diſcant & doceant. Vndecimo, vt omnes vno eodemq; modo, ſua miniſteria peragant. Duodecimo, vt modeſta voce ſacra in Eccleſiis canant. Tertiodecimo, vt vno eodemque tempore, vbique Dominicæ feſtiuitates, & ſanctorum natalitia celebrentur. Quartodecimo, vt honorabiliter obſeruetur Dominicus dies. Quintodecimo, vt ſeptem canonicæ horæ diebus ſingulis obſeruentur. Sextodecimo. vt Rogationum dies & minorum & maiorum non omittantur. Septimodecimo, vt feſtiuitas Sancti* Gregorii *&* Auguſtini *patris noſtri obſeruetur. Octauodecimo, vt ieiunia quatuor temporum obſeruentur. Nonodecimo, vt monachi & ſanctimoniales regulariter veſtiantur. Viceſimo, vt Epiſcopi obſeruent, ne iſta decreta negligantur. Viceſimo primo, ne Eccleſiaſticus ordo inebrietur. Viceſimo ſecundo, vt communio ab Eccleſiaſticis non negligatur. Viceſimo tertio, vt idem à laicis pro temporibus obſeruetur. Viceſimo quarto, vt prius probentur laici, quam monachentur. Viceſimo quinto, vt eleemoſynæ non negligantur. Viceſimo ſexto, vt hæc præcepta ſinguli Epiſcopi ſubiectis notificent. Viceſimo ſeptimo, de vtilitate eleemoſynæ diſputatum eſt. Viceſimo octauo, de vtilitate Pſalmodiæ. Viceſimo nono, vt congregatio pro modo facultatum conſtituatur. Triceſimo, vt monachi inter laicos non habitent. Triceſimo primo, vt pro regibus & principibus publice oretur.* Cuius Synodi actionem, (nam capitula tantum tetigimus) *Cuthbertus* Archiepiſcopus ſtatim per *Kinebertum* diaconum ſuum *Bonifacio* Moguntino Archipræſuli miſit; ipſe congratulans elegāter reſcripſit, ſicut ſuo loco lector inueniet. Sed, quia huius viri *Bonifacii*, qui ante *Winfridus* dicebatur, toties ſe ingeſſit mentio, quiddam non adeo auditum cunctis & memorabile de *Friderico* eius diſcipulo, quod aures meas attigit, ſtylo mandabo. Nam & ſanctitas magiſtri ex diſcipuli virtute poteſt coniici, quod habuerit ille domi, vnde addiſceret potentes non timere, mortem contēnere. *Willebrordus* primus Traiectenſium Epiſcopus, de quo *Beda* memorat, ſanctitate & ſenio emeritus diem clauſerat, curæque & prædicationi eius in Friſia *Bonifacius* ſucceſſerat, apud Traiectum * *Conabo* Epiſcopo ordinato. Spatioſum ergo tempus præteriit, quod hi ambo incolatus *al. Cobano.* mortalis pertæſi repoſcebantur cœlo, cum ecce Friſones furiis vt creditur infernalibus acti vtroſque trucidantes Martyres fecerunt. Tum *Bonifacii* ſedem apud Moguntium impleuit, vt * dixi *Lullus*; * *Eubano* non adeo feſtinus ſucceſſor propter ferociam gentis, apud *al. dixit.* Traiectum fuit *Fridericus* cum ſanctitatis *Bonifacii* nectar ſpirantem, vtpote nepotem & *al. Banco.* diſcipulum, *Ludouicus Pius* filius *Caroli Magni* eo promouit, licet multi tum pro ſe, tum pro ſuis adniterentur, primaque ordinationis die conſeſſu dexteræ in prandio nouū præſulem dignatus eſt. Multa ergo edulii parte conſumpta ad eum purpurati ſermo dirigitur, vt recentis profeſſionis memor, anteceſſorumque cōſtantiæ ſequax, ſine acceptione per-

ſonarum vera proponat, contemnentibus anathema indicat. At ille pudibundo lumine & dimiſſo capite: recte inquit domine imperator agis, qui profeſſionis meæ teneritudinē ſanctis animas hortatibus: ſed oro te non grauetur maieſtas tua ſoluere, quod animi mei receſſus diu volutarunt. Et ne longe exempla petantur. vtrum piſcem hunc menſæ appoſitum honeſtius eſt à capite an à cauda aggredi; ille præproperus, & quantum ſe inuiſcaret neſcius, à capite reſpondit. Nec moratus *Fridericus* rapuit verbum, dicens, ſic eat, domine *Auguſte*, ſic eat, vt fides & pietas chriſtiana de tuis erratis te ſecure compellat, ne ſubiecti audeant ſpernere, quod te viderint toleraſſe. Renuncia ergo inceſto, quod contraxiſti, matrimonio: quia iſta *Iudith*, quam tuo fœderaſti lateri, proximo tibi affinis eſt ſanguine, nec decet vt thorus regius infametur libidine. Hoc dictum licet *Ludouicus* ægre accepiſſet, modeſta tamen taciturnitate abſoluit, raptimq; Epiſcopum ad ſuam ſedem ire laxauit. Veruntamen ſermo in tanta Palatinorum frequentia effuſus occultari non potuit: quin omnium Epiſcoporum regionis aures inquietaret, corda exulceraret, non friuolo dolore conferentium; quod Epiſcopus nouus talia aperta promulgaſſet libertate, qualia veteres ipſi nec tacito damnaſſent murmure. Quare ad audiendum erecti frequentibus egere conciliis, vt deducto connubio cælebs viueret imperator. Itaque ipſum in ergaſtulum, fœminam in monaſterium includunt, conante quam maxime, vt ſupra dixi, *Lothario Ludouici* primogenito, vt his dictitabat, Chriſtianitatis inſtinctu, ſed reuera inuidiæ obtentu. Poſterius vero mediãte Apoſtolicæ ſedis pietate molliori concilio decretū eſt, vti indicta pœnitentia legitimo de cætero lætarentur coniugio, & imperator quidem libens ceſſit ſententiæ, rancorem aduerſus omnes benignitate mentis eiiciens. At *Iudith* fœmineum virus exhalans, & in cœtu ſuorum de iniuriis *Friderici* Traiectenſis Epiſcopi conqueſta, quo potiſſimum authore pertuliſſet mala, inuenit duos, qui ad eius interfectionem operam ſuam pollicerentur. Nec iſta præſulem latebant, qui eſſet ipſius deitatis ſacrarium, ſed vēturos operiebatur intrepidus carnifices, accuſabatq; nebulonum moras impatiens martyrii cupido. Ita ipſo mane, quo venturos non neſciebat, ad Miſſam ſe parat. Iamq; albam induerat, cum ingreſſus puer, cuius erat officium admittere volentes dominum cōuenire, nunciat imperatricis legatos pro foribus aſtare. Ille impedimento excuſato iubet eos interim expectare in triclinio. Miſſa cantata ſicuti erat ſacris veſtibus indutus ſecretarium ingreſſus eſt, illucq; introduci lictores ſemotis arbitris mandat. Ingreſſos ita claritate viſus, & veſtium reuerentia perculit, vt animis concidentes, etiam manibus ſicas amitterent. Quo ille animaduerſo, qui vitam præſentem ſpe futuræ proiecerat, vltro ad perficiendum, propter quod venerant, animauit percuſſores, vt reſumerent animos, repararēt vires, hortatus: Ita (*quia nequitia facilis eſt ad perſuadendum*) ſedentem adorti, alter à pectore ad inguina, alter per media ilia, ſicas duxere. Tum ille comprehendens & conſtringens ambabus manib. vitalia defluentia, abite inquit miſeri, abite, dum res clam meis eſt fidelibus, ne ſi vos deprehenderint, actum de vobis ſit. Sicarii vero velocitati pedum ſtimulos timoris addentes decurrere ad Rhenum, & inde brachiorum robore nauem vltra impegere. Cubicularium interea ſuperuenientem, percunctatumq; quid ita exanguis ſederet, turbide abegit, iubens cito de muro ſpecularetur ſi imperatricis nuncii Rhenum tranſiſſent: compertoq;, quod longinquitas fugæ comprehēdendi illos difficultatem procuraſſet, clerum propere conuocari iuſſit, totius tragœdiæ integro & ſermone & ſenſu expoſitor. Impoſita igitur per ſe antiphona, aperire mihi portas iuſticiæ & cætera, viuens ſe mauſeolo compoſuit, pulchra & venerabili morte cœlum adeptus. Quod idcirco, præter materiam exterius lecturis proferre duxi non inutile, vt Anglorum deputetur gloriæ, quod terras alienas illuſtrarint, peregrinante etiam ſanctitate. *Cuthbertus* poſt 17. annos Epiſcopatus morbo tactus & mori pergens iuſſit ſuis vt apud Archiepiſcopium infoderetur, & quia *Auguſtiniani monachi* ex antiqua cōſuetudine peruicaces defunctorum Archiepiſcoporum corpora cum quadam rapiebant violētia, luctuoſos vlulatus per curiam & vrbem ceſſare præcepit, funebreſq; exequias palam fieri prohibuit. Ita dum interius ceſſante tumultu alieni arcerentur aditu, cadauer præſulis Eccleſiæ principalis finibus illatum, nec ab alteris qui ſe ingenio circumſcriptos viderent, repetitum.

Huic *Breguinus* 3. annis ſubſtitutus ſedem *Lambrutho S. Auguſtini* prius Abbati vacuefecit, de iſto in lib. 1. Regalium geſtorum diximus, & nunc non tacemus, quod *Offa* rex Merciorum contractis inimicitiis cum Cantuariris eum primatu ſpoliare conatus eſt. Simul regnum Merciorū Archiepiſcopatu inſignire affectans epiſtolis ad *Adrianum* Papam & fortaſſis muneribus egit, vt pallio Licetfeldenſem Epiſcopum contra morem veterum efferret, omneſq; Merciorū pontifices ei ſubiugaret, (quorū hęc fuere nomina: *Denebertus* Wigornēſis, *Werenbertus* Legeceſtrēſis, *Edulfus* Sidnaceſtrenſis, *Wlfeard* Herefordēſis)

& duos

& duos Orientalium Anglorum Epiſcopos, * *Elcard* Helmanenſem, *Litfrid* Dammucenſem, vocabatur autem Epiſcopus Licetfeldenſis *Aldulphus*. Plures enim Epiſcopatus pro potentia ſua *Offa* in Merciis fecerat, & Orientales Anglos occiſo Rege eorum *Ethelbrutho* inuaſerat. Epiſcopatuum vero quidam alio tranſlati, vt Helmanenſis in Norwicenſem; quidam alteris vniti, vt Dammucenſis in eundem: quidam omnino non extant, vt Legeceſtrenſis & Sidnaceſtrenſis. Remanſerunt autem 4. Epiſcopi; Epiſcopo Cantuarienſi, Lundonienſis, Wintonienſis, Roffenſis, Seleſcienſis. Stetit hæc peruerſitas toto præſulatus *Lambrithi* tempore, quamuis nihil ille vel ſumptibus, vel laboribus omiſiſſet, quo dignitatem ſedis aſſereret, cupiditatem peruaſorum contunderet.

al. Albterd.

Sed eo poſt 27. annos defuncto, & in capitulo apud S. *Auguſtinum* tumulato ſucceſſit annis 13. * *Ethelardus* Wintonienſis Epiſc. vir excellentis induſtriæ, potentis apud optimates gratiæ. Cuius conſiliis * *Egfertus* filius *Offæ* mollitus, Cantuariæ honorem Archiepiſcopatus reſtituiſſet, niſi eum fata de medio tollere properaſſent. At vero *Kenulphus* Rex Merciorum eius & *Eanbaldi* Ebor. Archiepiſc. monitis quantum nefas anteceſſor commiſiſſet edoctus antiquitatis morem reparauit in ſolidum, ad *Leonem* ſucceſſorem *Adriani* miſſis ſua & omnium Epiſ. Angliæ Epiſtolis, ipſo Archiepiſc. legationem grauiter adminiſtrante: ad quæ manifeſtius probanda portiunculas competentes ex Epiſtolis *Alquini* ſubiiciam. Sanctiſſimo patri & in membris Chriſti valde venerando *Ethelardo* Archiepiſcopo *Alquinus* diaconus in Chriſti charitate ſalutem. *Audiens ſalutem & proſperitatem veſtram & conuentũ cum* Eanbaldo *Eboracenſi Archiepiſcopo filio meo, ſatis mihi placuit ſperanti ex veſtræ colloquio ſanctitatis honorẽ ſanctæ Eccleſiæ exaltari, & Deo in eis ſeruientium corrigi vitam. Ideo ſuaſi aliis literarum mearum apicibus ſanctitatem veſtram permanere in patria, nolens lumen Brittanniæ extingui. Sed fiat quod Deo placet, vt proficiat Chriſti Eccleſiis, proſperum iter faciat vobis Deus, angeloq; eius comitante proſpere vos ducat atq; reducat dulciſſime & amantiſſime pater. Maxime autem precor vt apud ſanctos Apoſtolos mei habeatis memoriam, ſicut nos apud S.* Martinum *veſtri habere dulce habemus.* Domino ſanctiſſimo atq; omni honore digniſſimo *Ethelardo* Archiepiſcopo. *Lectis proſperitatis veſtræ literis & proſperitate itineris veſtri & reuerſionis in patriam & qualiter Apoſtolica benignitate ſuſcepti fuiſtis, toto cordis affectu animoq; lætiſſimo gratias egi domino Deo ſempiterno, qui magno clementiæ dono viam veſtræ peregrinationis proſpero direxit itinere, & dedit vobis gratiam in conſpectu * patris Apoſtolicæ legationis effectu & voti compotem redire conceſſit: & primi noſtri doctoru ſanctiſſimam ſedem ad priſtinum culmen dignitatis per te iterum exaltare dignatus eſt: quæ cuiuſdam diſſenſionis ſciſſura quorundam inuidioſa contentione ad horam diſciſſa eſſe videbatur. Fœlix qui vnitatem pacis fraterno amore conſeruare ſtudet: ſed ille multo fœlicior, qui ab aliis diſrupta charitatis viſcera pio labore ad vnius compagem corporis reformare nititur. Igitur nunc gratia operante diuina membrorũ vnitas adhæret capiti proprio, & ſacerdotalis dignitas antiquo gratulatur honore, & germana pax inter ſummos Brittanniæ pontifices ſplendeſcit, & ſub duabus Metropolitanorum ciuitatibus vna pietatis & concordiæ viget voluntas, ſicut in literis veſtræ beatitudinis lectum intellexi.* Item in alia Epiſtola intercedit pro Merciorum Epiſcopo vt viuens pallio non exuatur his verbis. *Sanctarum Scripturarum lectio per tuam ſanctiſſimam curam renouetur & Eccleſiaſtica dignitas vbiq; exaltetur, & ſancta ſedes quæ prima fuit in fide, prima ſit in ſanctitate & honore, quæ partim diſciſſa eſt, nõ rationabili conſideratione ſed quadam pietatis cupiditate. Quod ſi fieri poſſit vt pacifice adunetur, & ſciſſio reſarciatur, bonũ videtur eſſe cum conſilio omnium ſacerdotum Chriſti & Coepiſcopi veſtri Eboracenſis Eccleſiæ vt fiat, ita tamen vt pater pius diebus ſuis pallio non exuatur, licet ordinatio Epiſcoporum ad ſanctam & primam ſedem recurrat.* Fuit igitur *Ethelardus* vnus, qui nobis non cunctando ſed ſatagendo reſtituit rem. Licet enim nobis mutuari dictũ *Ennii de Fabio. Ei non ſolum Cantia ingentis beneficii eſt obnoxia quod eam ad priſtinam dignitatem laboribus ſuis ſuſcitauerit, verumetiam tota Anglia, quam degenerij, i. ſubſterni paſſus non fuerit.* vir poſt primos doctores ſummis pontificibus comparandus, & pene dixerim præferendus, atq; haud ſcio ſi dicto delinquo: cũ profecto excellentius videatur reſtauraſſe dignitatem amiſſam, quam conſeruare partam, quamuis & illud nonnullæ laudis habeatur. Quod ſi alicui in quæſtionem venerit, quantæ ſanctitatis & reuerentiæ fuerit, legat Epiſtolam *Leonis Papæ Kenulfo* regi miſſam, quæ in primo libro geſtorum Regalium inuenitur: in qua, vocat eum ſanctiſſimum, digniſſimũ, chariſſimum, peritiſſimum. Quæ nimirum verba ſummus ille & ſanctus Papa non iteraret, niſi rata eſſe conſtaret.

al. Athelardus.
al. Egfridus.
al. patris Apoſtolici & legationis effectu voti compotem.

Poſt eum *Wilfredus* annis 28.
* *Egeldus* menſibus tribus.
Celnothus menſibus 4
* *Etheredus* annis 18. Continuatis ſucceſſionibus Archiepiſcopi multa Deo & ſecu-

al. Theogildus.
al. Æthelredus.

lo digna vt credimus exercuere: ſed omnia vetuſtas obſorduit & deleuit; nihilq; illorum inter nos niſi tenuis fama manet.

Poſt *Etheredum*, *Pleimundus* 33. annis fuit, magiſter *Elfredi* regis, qui vt in ſecundo libro geſtorum Regalium dixi ſeptem Epiſcopos vno die Cantuariæ ordinauit, quorum nomina & locos ibi qui volet, leget.

Habuitq; ſucceſſorem *Athelmum*, vnum ex illis, quem Eccleſiæ Wellenſi ordinauerat.

Athelmo ſucceſſit *Wlfelmus* tredecim annis in Wellis, eidemque defuncto in Cantuaria.

Tunc *Odo* ſanctus Wiltunenſium epiſcopus in Archiepiſcopum viginti annis emicuit. Siquidem præter illos quinque Weſtſaxoniæ Epiſcopos, quos *Edwardi* ſenioris tempore *Pleimundum* conſecraſſe neſcio quoties dixi, non multo poſt additus eſt ſextus, qui haberet ſedem in Ramesburia, diœceſim in Wiltonenſi pago, permanente Epiſcopo in Scireburnia, ſaluaque parochia Dorſatenſis & * Berkenſis pagi. *Odonis* igitur non leuem in ſanctitate & miraculis gloriam libare par eſt, quantum ad nos ex ſucceſſione fama manauit. Et hoc non ſolum de eo, ſed & de aliis ſanctis Angliæ, quorum occurret occaſio, facere fert animus, præſertim quorum geſta non vbiq; ſunt celebria. Nam eorum geſta, quos aliorum extulerunt ingenia hic enucleatim reuoluere, res eſſet amentiæ. *Odo* vt teſtatior eius eſſet ſanctitatis indoles, ſicut ortu ſuo dumorum aſperitatem eluctatur roſa depreſſa feritate Danica, cuius gentis *Oriundus* erat, in magnum ſpecimen bonitatis euaſit. Parentes eius tempore Regis *Elfredi* infeſtauerant Angliam. Ipſe cæteris vel abeuntibus vel extinctis *Edwardo* aliquandiu militans, nec multo poſt comam tonſus clericatum profeſſus fuerat, meritisque crebreſcentibus Wiltunenſi Eccleſiæ prælatus, Regem *Ethelſtanum* in ſui amicitiam exciuerat. Vnde factum eſt, vt Rege contra *Analauum* profecto, Epiſcopus lateri adeſſet, qui accenſor in proſperis, corrector in fortuitis eſſet. Quare illa lugubri nocte, qua, vt in ſecundo regalium geſtorum libro dixi, ipſa ſecuritate incautior, ab hoſtibus pene præuentus enſem etiam amiſiſſet, inclamatus *Odo* affuit. Cumq; omnia cæci tumultus eſſent plena, primus ille porrectis in cœlum precibus intuitus vidit gladium, cœleſte ſcilicet munus, vaginæ regiæ illapſum diuinitus. Qui caſus ſtatim eo clamante *Ethelſtano* relatus, tantum momenti habuit, vt & tunc *Odonem* vitæ ſuæ patronum non dubitaret dicere: Et poſt *Wulſhelmo* defuncto in primatem Cantiæ ſublimare. Ille qui nondum amiciſſet Monachum, conſtantius reniti, ne morem maiorum ambitione ſua turbare videretur. Nullum enim ad id tempus niſi monachili ſchemate indutum Archiepiſcopum fuiſſe. Sed cum regiæ voluntati Epiſcoporum omnium aſſenſus accederet, tandem vix reuerendiſſimus propoſiti ſui rigore edomito, in communem perrexit ſententiam, recogitans illud prouerbium, *Vox populi, vox Dei.* Itaque tranſito mari apud Floriacum monachilia accepit, frugi homo & prudens: vt nec fauorem ciuium rideret, nec priſcam conſuetudinem decoloraret. Ita toto quo *Ethelſtanus* vixit æuo, incorrupta Regis & Pontificis familiaritas viguit: dum mutuis officiis iſte exerceret in Dei rebus eloquium, ille, ſi neceſſe eſſet, vibraret gladium. Sed poſtquam æmula florentem fata tulere iuuenem, *Odo* ætate maturus, & canos ſanctitate nobilitans, non imparis amicitiæ apud *Edmundum & Edredum* gratiam tenuit: quia nihil illi moribus prætenderent, in quod rigor Epiſcopalis intentari deberet. Quinimo cum illis in Northanimbros profectus eſt, non vt prælia faceret, ſed vt ſanctorum ſacros cineres, quorum illa humus olim ferax fuerat, efferret. Vnde factum eſt, vt præcellentiſſimi patris *Wilfridi* dirutam per Danos apud Ripenſem Eccleſiam dolenter conſpicatus, ruinis ſuper mauſeolum eruderatis, reliquias Cantuariam reuerenter transferret: Et vt clariſſimum Patriæ iubar produceret in ſpeculam, heroico metro vitam illius texi præcepit. Executus eſt id munus *Fridegodus* quidam verſibus non ita improbandis, niſi quod latinitatem peroſus græcitatem amat, græcula verba frequentat, vt merito dictis eius aptetur illud *Plautinum, Hæc quidem præter* Sibyllam *leget nemo.* Ipſe quoque *Odo* non mediocre literarum dedit in epiſtola iudicium, quam poſt Synodale tempore Regis *Edmundi* concilium ad ſuffraganeos dedit: cuius hæc forma eſt. *Mirabili cuncti potentis præſulis polorum clementia opitulante. Ego* Odo *Eccleſiæ ſaluatoris Domini noſtri* Ieſu Chriſti *Archiepiſcopus, Dorobernenſis ciuitatis Metropolitanus, Coepiſcopis fidei Catholicæ compaginatoribus, ſpiritali charitate, etiam comitatus rigore, meis confratribus, præſentium proſperitatem æthereiq; decoris beatitudinem. Si aliquo modo fieri poſſet, vt totius mũdi opes ante noſtros ponerentur obtutus, ita vt Imperiali munere nobis vniuerſaliter deſeruirent, libenter illa omnia diſtribuerem, meq; ipſum inſuper pro veſtrarum animarum ſalute impenderem. Quippe quoniam meipſum à veſtræ ſanctitatis ſtudio* cupio

al. Beruntrenſis.

cupio & ſpero corroborari ſuper eo, in quo Dominus Deus nos operarios conſtituit. Et multa, quibus onus Pontificatus exponit, ſubdidit: Idcirco humiliter, quaſi indignus ſed deuotus precor & hortor ſanctitatem veſtram, ne tepide & negligenter in regimine animarum conuerſemini, vt non in tempore tremendæ vindictæ conqueratur de vobis Dominus dicens. Paſtores non paſcebant gregem meum ſed ſemetipſos. *Et iterum*, Principes extiterunt, & ego ignoraui: *ſed potius curemus familiæ domini ſuper qua nos conſtituit rectores cibum dare in tempore ſuo, menſuram tritici, probatam ſcilicet doctrinam. Et quamuis meritorum qualitate, non præſumam conſolari & hortari quemquam, quippe qui ſolus indignus & innumerabilium culparum reus, gaudeo & indigeo fraternis admonitionibus fideliter corroborari, tamen propter antiquam authoritatem prædeceſſorum meorum beatæ ſcil. memoriæ* Auguſtini *& aliorum ſanctorum, quorum ſtudiis regula Chriſtianitatis, primum ab hac Archiepiſcopali ſede cunctis finibus Anglorum innotuit: Idcirco iſtos diuinos apices ad vtilitatem omnium veſtrum caraxare decreui: quatenus Rex Auguſtiſſimus egregio vocabulo* Edmundus *cum omni populo ſuo imitari gaudeat, quod in nobis & ex nobis audiat, omneſq; gentes quæ undique regali imperio ipſius ſubiectæ ſunt, titulos liquidæ noſtræ conuerſationis ouanter ſequi ament & delectent.* At vero *Edwinus* filius *Edmundi* & regni poſt *Edredum* patruum ſucceſſor præcipitis temeritatis & corporei luxus infamis, Pōtificis animos irritauit, vt & ipſum à Chriſtianitate ſuſpenderet & ganeæ pellicatum, primo expulſione, poſt ſucciſura poplitis interrumperet. Retulit ille vicem in Monachos totius Brittanniæ furibunde bacchatus, dum nemo, præter *Odonem & Dunſtanum* tunc abbatem, vel verbo reſiſtere auderet. Quia vt *Seneca* ait, *Gallus in ſterquilinio ſuo plurimum valet.* Interea præſul mentem in Dominum dirigere, miracula non egene facere, multa ſedis ſuæ appendicia prædia, quæ Danica excurſione ablata erant, ad ius legitimum trahere, in tantum, vt conſtet neminem illius ætatis Archiepiſcopum parem *Odoni* in talibus fuiſſe. Quantulum autem eſt teſtimonium, quod ei perhibet *Osbernus*, qui eum dicit pro ſanctitate ſua & induſtria ab omni Anglorum orbe ſemper deflendum, niſi *Dunſtanus* ſucceſſiſſet. Neſcio qua incuria Eccleſiam Archiepiſcopatus tecto vacantem ita orationibus operuit, vt toto quo tectura parabatur tempore (niſi quod dicam incredibile videatur) nec pluuiæ ſtillicidium loci madefecerit ambitum. Et hoc eo celebrius habetur, quod plurima vis imbrium, frequens tempeſtas turbinum, totum illis diebus concuſſit mundum: plurimoſq; de veritate Dominici corporis dubitantes ita roborauit, vt panem altaris verſum in carnem, vinum calicis in ſanguinem, propalam oſtenderet, & denuo in genuinam ſpeciem retorta vſui humano conducibilia faceret. Beatiſſimum *Dunſtanum* electum Wigornienſem antiſtitem dum Cantuariæ benediceret, totius conſecrationis egit ordinem, Wicciorum vt non Pontificem, ſed Cantuariæ benedicere videretur archipræſulem. Clericis modeſte muſſitantibus vaticinium protulit, ſcire ſe quid faceret, quod ſe defuncto *Dunſtanus* Primatis Eccleſiæ rector foret. Quapropter quod miniſterio ſuo nutus diuinus actitaſſet, calumnia ſi recte iudicarent, carere deberet. Nec vero præſagio matura fides defuit: licet *Elſinus* Wintonienſis Epiſcopus illud interpolare tentaſſet. Namq; cum *Odo* iamdudum exſpectantes ſuperos ſua præſentia lætificaſſet, ille paratis aduocatis, quorum manus palpauerat, ſubreproq; Regis *Edgari* edicto Cantiam intruſus eſt: primoq; exceptionis die non abſtinuit, quin furias mente confotas euomeret, tumulum beati viri pede pulſans, animam voce laceſſens. Tandem, ait, peſſime ſenex, viuacem animam effudiſti, ſero meliori locum faciens abiſti. Itaque quod diu cupiueram, te inuito teneo, inde tibi malas gratias ago, & habeo. Sed illo exacto die, cum rabiei efflator cubili ſe dediſſet, vidit beati viri effigiem aſtantem, & improperare conuitium, & velox minari exitium. Ille qui volatico phantaſmate ſe derideri putaret, nihilominus ad recipiendum pallium Romam per Alpes contendebat. Ibi niuali frigore gelatus, nihil aliud remedii comminiſci potuit, quam vt exenteratorum equorum adhuc ſpirantibus extis immergeret pedes, quibus ſancti ſepulchrum violarat. Sed nec ſic algore tepente, in mortem anima fugiente diriguit.

Elſino ergo defuncto *Dunſtanus* iamdudum archipontifex diuino præſignatus oraculo, Regis *Edgari* ambitur precibus, vt ſedem Primariam dignaretur ſanctitatis ſuæ induſtria. Sed ipſe non ſemel ſurdis auribus rogantem differens, tandem concordi omnium Epiſcoporum aſſenſu preſſus, manus dedit. Fuerat ille *Athelmi* Archiepiſcopi ex fratre nepos, prius abbas Glaſtoniæ, poſt Wicciorum, & Londonienſiū Epiſcopus: vltimo Cantuariæ Archiepiſcopus, promotionis ſuæ gradus indefeſſis comebat virtutibus. Afflauerat profecto cor regis diuinitatis ſpecie, vt eius conſilium ſuſciperet in omnibus incunctanter, faciens quæcunq; Pontifex iubenda putaret. Ille quoq;, quicquid famæ & ſaluti regis cōcinnū eſſe intelligeret, non omittere, differentē acrius vrgere. Ipſius prius mores in ſubditorū

ſpeculum effigians, cum exceſſiſſet, abſque perſonæ reſpectu ferocius vlciſcens. Exemplum dicti in geſtis Regum appoſui: quod eum ſeptenni mulctaſſet pœnitentia, pro illicita in eam, quæ vel vmbratice ſanctimonialis fuiſſet concupiſcentia. Ita vt proceres ad ſpecimen & normam Regis compoſiti, parum vel nihil contra ius, & æquum auderent: qui Dominum ſuum tam obnoxium *Dunſtano* intelligerent. Iam vero non dubites quantum temperaret à noxio vulgus promiſcuum, vel mercari volens dominorum gratiam, vel vitare volens auſteram legum ſententiam. Huc accedebant militaris diſciplina, cuſtodita probe furum rapacitas, argentariorum falſitas capitali damno coercita; nihil prorſus omiſſum, quod internum offenderet arbitrium. Ordo monaſticus æmulam profeſſionis ſuæ vitam per omnia loca non negligebat, propterea quod haberent rectores vita religioſos, ſcientia claros, quos nec deſidia tardos, nec audacia præcipites faceret. Tales enim librato diu multumq; examine propenſaq; & certante animorum perſpicacia, cum Rex, tum Archiepiſcopus promouerant vbicunq; locorum. Itaq; clerici multarum Eccleſiarum data optione, vt aut amictum mutarent, aut locis valedicerent, ceſſere melioribus, habitacula vacua facientes. Surgebant ergo in tota inſula religioſorum Monaſteria, cumulabantur mole pretioſi metalli Sanctorum altaria, nec degenerabant à decore ædium mores ædificantium. Ita hominibus omnis ordinis, feruentibus in Dei obſequio, terra ra quoq; ipſa videbatur gaudere otio. Agri prouentu vberi reſpondebant cultoribus, omnium bonorum copia plenis effluebat cornibus, nec facile vnquam tempore *Dunſtani* ſpem Prouincialium meſſis ægra decepit. Elementa lætis renitebant vultibus, nullæ nebulæ, nubila nulla pigro contrahebant cœlo contagia, tranſmarinorum hoſtium metus procul, quieta & tranquilla omnia. In vrbibus, nec in pauperes præiudicium, nec inter viuentes diſſidium, nec propter morientes iuſtitium. Horum bonorum radix per Domini gratiam ſpectabat ad *Dunſtanum*, de *Dunſtano* prodiit in *Edgarum*, de *Edgaro* pullulauit in populum. Fœlicia tunc fuere tempora habentia præſulem, qui nihil infra dictum faceret: Regem, qui ſedulus edictis præſulum intenderet. Hæc immortalem viro pepererunt & ſeruauerunt gloriam multo magis quam miracula. Quamuis Domino adminiſtrante nec eorum mendicus fuerit. Quorum hic vel breuiter indicula ponere illa efflagitat ratio, vt ſi quis geſtorum eius expers iſta fortaſſis attigerit, norit quantum ſanctus iſte huius adhuc peregrinationis incola mente ſuperna prælibauerit gaudia. Denique ſanctitatis eius futuræ præſagus idem qui author Deus iucundo prodigio natiuitatem eius pręcurrit. Siquidem cum mater eius fertilis in aluum maturoque iam in partum fœtu in purificatione ſanctæ *Mariæ* frequenti ciuium collegio templo aſſiſteret, omnium repente luminaria ſeu caſus, ſeu Dei nutus extinxit. Omnibus ſtupefactis, matronæ cereus lucem accepit cœlitus, communicatoq; cæteris igne, timorem diſpulit, ſecuritatem induxit. Puer literis datus cũ omnes inſtitutionis libros potenter addiſceret, tum libentius & charius illa exoſculabatur, quæ moribus informatis mentem ad ſuperna dirigerent. Eius ætatulæ puſio Diabolum noctu occurſantem, rabidorumq; canum agmine ſtipatum virga abegit: obſeratam Eccleſiam obuiis angelorum auxiliis ad terram leniter depoſitus intrauit. Cui proceſſu cithara eius paxillo appenſa, vocale melos ſine hominis digito intonuit: *Gaudent in cœlis animæ ſanctorum*, & ſequentia. Quo audito, ad tribulationum patientiam ſe admoneri, & tunc intellexit, & non multo poſt expertus, exhorruit. Iuuenis olim defuncti officio concepit oraculum quantum profectum ſumpturus eſſet in Domino, & in ſeculo. Ne ſe derideri phantaſmatis inanis arbitraretur nebula, ſignum accepit, monſtrato loco, quo poſt triduum eſſet ſepeliendus presbyter, qui nec dum erat inualidus, nec æger. Regem effrænis æqui curſu delatum ad præcipitium nomine ſuo à præeunte inclamato, abſens liberauit, animalis curſu cohibito, in ipſo præruptarum faucium hiatu. Trabalem molem incuria artificum deorſum vergentem, ſignaculo crucis eminus porrecto, loco reſtituit ſuo. Iam Pontifex & Brittanniæ Primas, ad diuinum miniſterium egens aqua, ex natiuo ſilicis ſinu laticem produxit, qui perennes riuos deducit ad hanc diem. Diaboli quaſcunque inſidias præuidebat perſpicaciter, & eludebat potenter. Fœmineas quondam ſordes inſuſurrantem ignitis forcipibus adurens, eundemque ſibi in oratione infeſtum, ſimulacroque, vel vulpis, vel vrſi indutum, baculo abigens. Effuſos pro exilii ſui lætitia cachinnos ingeminantem minis arguens, minas effectui mancipauit, dum ab exilio regreſſus ingentem Diabolo iacturam, de lucrandis Domino animabus, faceret. *Edmundi* Regis proxime futurum & *Edwini* præteritum obitum dæmonum edoctus lætitia: illius corpus Glaſtoniæ ſepeliuit, iſtius animam inimicorum violentiæ eripuit. Quid illud? nonne magnæ reuerentiæ metu dicendum quod corporalibus oculis tantum intuitus ſpiritum columbina ſpecie agonizanti fœminæ & ſibi Miſſas facienti vidit adeſſe, inde-

indeque ſuper memoriam beatiſſimi *Odonis*, plauſibili volatu ſediſſe? Quapropter cunctis in poſterum occaſionibus acceptis *Odonem* bonum vocauit vſitato & quam proprio nomine *Ode the good*. Tum præterea quam familiariter illi, Deus bone, ſuperni ſpiritus apparebant? quam conſerre cum eo famulabantur? Cuius adhuc patriam ſuſpirantis tędium ſanctis hortatibus animantes. *Edgari* Regis ortum & fœlicitatem futuram ſymphonia angelica: *Edredi* deceſſum ferociori nubium impulſu cognouit. Horriſonum enim ſtrepitum probauit mors animalis, cui inſederat, non morata. Diſcipuli fœlicem ad cœlos exceſſum abſens vidit & pronunciauit, prophetia perſpicuus, nec vllius vnquam falſitatis repulſam paſſus. *Ethelredo* Regi futuram ærumnam, virgini *Editha*, & *Ethelwoldo* antiſtiti mortem prædixit conterminandam, eidemq; ſanctum *Elfegum* ſubſtituit, admonitorem nactus Apoſtolum *Andream*: eius enim præcipue fruebatur ſolatio, vel vitare aduerſa vel moderari ſecunda. Sed excellit omnia, præiuit vniuerſa, quod Dominam Domini matrem præſenti miraculo & vigilanti oculo conſpicatus eſt ſocias pudoris, (inter quas, & eiuſdem Pontificis matrem) ad *Chriſti* laudem inuitare, illudq; ſedulianum modulato canore concinere & repetere.

Cantemus Domino ſocia, cantemus honorem:
Dulcis amor Chriſti perſonet ore pio.

Mirum eſt prorſus, mirum omnino quod dicitur, nec tamen à ſtabilitate veritatis alienum, vt, (quod Dei magno munere ſanctis in futura vita concedendum, nunc eos ſpe beata ſollicitat molliter, palpat fœliciter,) ipſe lutea compage circumdatus oculis caperet, auribus hauriret, & credo equidem, nec vana fides, quod etiam Angelorum cantum audierit Kyrie eleiſon pſallentium, quod nunc libenter Eccleſiæ diſcunt & docent Anglorum. His glorioſus triumphis, victorioſus adoreis viceſimo ſeptimo Patriarchatus ſui anno exacto, translatus eſt ad ſuperos, ingenti ſua gloria, immani patriæ ærumna. Siquidem ſtatim læta elementorum facies emarcuit, pax per eius ſapientiam procurata ſuperuentu Danorum euanuit, quamuis ille maximis ſignis filiorum calamitates leuigaret. Quorum illud ſcriptum non vidi, quod nuper quodam Eccleſiæ *Chriſti* Monacho referente audiui: furem damnatum præcipitio, ſancti *Dunſtani* auxilium inclamaſſe, ligatiſq; oculis a carnificibus retroactum, deſiluiſſe in præruptum, nec læſum: Ibi beatum *Dunſtanum*, corporaliter cum eo locutum, nexus oculorum ſoluiſſe. Quo ſolatio miſerum animatum, per confragoſas ſemitas in ſuperiora euaſiſſe manus cuiuſdam quam non videret niſu, pendula pergentis terga, ne retro laberetur, ſuſtentante. Sed quia de temporũ turbine in noſtris; de ſancti miraculis in aliorum legitur literis, ſucceſſionem Epiſcoporum repetam.

Dunſtano ſucceſſit anno vno *Ethelgarus*, qui primus in nouo Monaſterio Abbas à beato *Ethelwoldo* Wintoniæ factus, poſt etiam præſulatum Auſtralitum Saxonum acceperat, cuius ſedes tunc erat apud Seleſeiam, nunc eſt Ciceſtriæ. Hoc de medio facto ſedit annis II. Wiltunenſium prius Epiſcopus *Ælfricus*, qui & ante Abbas Abendonenſis fuerat. De quo quod quidam dicunt eum Cantuariæ Monachos proturbatis clericis poſuiſſe; veriſimile non videtur. Conſtat enim Monachos in Eccleſia Sancti *Saluatoris* fuiſſe à tempore *Laurentii* Archiepiſcopi, qui primus beatiſſimo *Auguſtino* ſucceſſit, ſicut in Epiſtola *Bonefacii* Papæ ad Regem *Ethelbertum*, quæ inferius ponetur, conſtabit.

Poſt eum *Siricius* & ipſe Wintonienſis præſul annis quinque, cuius conſilio in geſtis Regum dixi *Ethelredum* Regem animi libertatem Danis pretio vendicaſſe, vt eorum pacem argento redimeret, quos ferro propellere poſſet, niſi corde careret. Vnde importabilis tributi penſio impoſita Angliæ fortunas prouincialium ad ſolum vſq; deſtruxit.

Quod cum ſucceſſor eius *Ælphegus* ex Epiſcopo Wintonienſi Archiepiſcopus annis ſex, & menſibus ſeptem, facere contemneret, ne molliciem otii ſui miſerorum diſpendio mercaretur; tentus, & in compedes coniectus; poſtremoque ab ipſis Danis lapidatus, animam cœlo dedit. Cuius vitam ſcripſit *Osbernus* plenam virtutibus, & miraculis: illo præcipue, quod Romæ poſitus, obitum *Kenulfi*, qui ei in Wintonia ſucceſſerat, perſpicua veritate ſuis nunciauit. Præterea die gloriæ ſuæ illuceſcente iam iamque morte furorem hoſtium ſatiaturus, vidit *Dunſtanum* tranſitoriam prænunciantem pœnam, & futuram promittentem gloriam. Nam quod corpus eius etiam recentis cruoris præferens veſtigia labem putredinis ad hunc diem ignorauerit, & alias dixi & populariter tritum non eget inculcari.

Succeſſit martyri *Ælphego Liuingus* qui & *Ethelſtanus*, annis ſeptem: Ex Epiſcopo Wilſenſi ſuffragio Regis *Ethelredi* in Archiepiſcopum prouectus. Spirabat adhuc vi-

tam Rex ille, veram Prophetiam beatiſſimi *Dunſtani*, quam ſuperius diximus, calamitatibus ſuis nimis expertus, vir qui coram videret Prouincias ſuas ſubuerti, ſeipſum poſtremo exulem agi, nec vllum comminiſceretur remedium. Id quidam inæqualitati corporis, quidam ſegnitiei animi deputant. Veruntamen vtcunque dicta mea ferant poſteri, abſolute pronuncio: magnum inſigne fuiſſe miſeriæ, quod Primati patriæ ſeptem menſibus incarcerato nullam opem rex attulerit, nec ad vindictam excitauerit, ſeu præſulis maieſtate, ſeu calamitatis indignitate permotus. Quare de *Ethelredo* poſſum antiquum illud prouerbium dicere, quod *è conſpicuo probitatis fulmine, natæ fuiſſent inertes tenebræ*. Quid enim vnquam *Edgaro* patri, in probitate, quid huic filio in ſocordia comparabile habuit Anglia? Impleuit ergo locum defuncti *Elfegi*, *Liuingus*, vt dixi.

Et poſt eum *Egelnodus*, Octodecim annis, de quo in geſtis *Cnutonis* aliqua commemoraui.

Huic *Edſius* ſucceſſit annis vndecim, qui poſt mortem *Hardecnuti* Regem *Edwardum* prouexit in regnum, aſſiſtens authoritate & benedictione ſua, conatibus *Codwini* Comitis, & Danorum contra nitentium votis irritis. Nec multo poſt incurabilem morbum nactus, viuens & volens poteſtati deceſſit, cum prius ſecretiori conſilio apud Regem & Comitem egiſſet, vt ei *Srwardus* Abbas Abendonienſis ſuccederet. Sed cum ille in ipſum qui honorem intulerat ingratus etiam neceſſario victu infirmum fraudaret, iam deſignatus ſucceſſor eliminatus eſt, datuſq; ei Epiſcopatus *Roffenſis*, quo leuiaret verecundiam, quo detrimentum conſolaretur.

Tunc Rex *Robertum*, quem ex monacho Gemmeticenſi Londoniæ fecerat Epiſcopum, archiepiſcopum creauit annis duobus, ampliſſimo præmio bona ſibi quondam in Normannia exulanti ab ipſo impertita recompenſans. Is ergo & amore antiquo & recenti honore primas partes in conſiliis regalibus vendicabat, quos vellet deponeret, quos liberet, ſublimaret. Anglis nota loquor, & alias dicto repeto. Angli ergo Normanno inuidere, & Regis beneuolentiam extenuare. Ille contra pertinacius inſiſtere, donec præcipuos optimates *Godwinum* dico & filios eius proditionis apud Reges accuſatos Angliæ expelleret. Expulſionis aliæ quoq; fuere cauſæ, & alii authores, ſicut alias non tacuimus. Sed ille clarius claſſicum cecinit, inſtantius accuſauit. Et tunc quidem animi ſententiæ blanditus eſt effectus rei. Sed poſteriori anno cauſa in ſuffragium popularium deducta, exules reſtituit. Quorum reconciliationem cum ſibi nocituram archiepiſcopus non dubitaret, iudicii deliberationem præueniens Romam iuit. Vnde cum Epiſtolis innocentiæ & reſtitutionis ſuæ allegatricibus rediens finem vitæ apud Gemmeticum inuenit.

Tunc *Stigandus* quidam, qui quondam dimiſſo Orientalium Anglorum Epiſcopatu, ſublimiorem gradum meditatus Wintonienſem inuaſerat, rapuit occaſionem deſideratam, vt innocentis Regis ſimplicitatem circumueniens, Archiepiſcopatum ſeptendecim annis tantis honoribus adiungeret: alias ſane nec imprudens, nec inefficax. Cæterum aduerſus ambitum nihil dignitati ſuæ conſulens, quæcunq; poſſet aliis præripere, ſibi abſcondere, nunquam auaritiam ſuam moderari: ſacros honores Eccleſiarum, hos ſibi pecunia comparans, iſtos aliis lingua vendicans: prorſus publicas nundinas ex Epiſcopatibus & abbatiis faciens, & ibi cupiendi modeſtiam admittens, vbi quod cuperet deeſſet. Nonne illud belluinæ rapacitatis dices, quod Wintoniæ Epiſcopatum & Cantuariæ Archiepiſcopatum, præterea multas Abbatias ſolus ipſe poſſidebat, quæ ſingula ſatis ſuperque ſufficerent alicui probo viro? Sed ego coniicio illum non iudicio ſed errore peccaſſe, quod homo illiteratus (ſicuti plerique & pene omnes tunc temporis Angliæ Epiſcopi) neſciret quantum delinqueret, rem Eccleſiaſticorum negotiorum ſicut publicorum actitari exiſtimans. Quare nunquam pallium à Roma meruit, quamuis & ibi venalitas multum operetur, niſi quod quidam *Benedictus* apoſtolicæ ſedis peruaſor ipſi miſit gratulatus, quod eum quem alii Archiepiſcopi ducebant ludibrio, ipſe Papam appellaſſet. Sed illo poſt non multum deiecto, omnia eius facta euacuata, decretumque conſilio ſalubri non potuiſſe eum dare legitime pallium, qui iuſte non habuiſſet Papatum. Non reſipuit ſuper his *Stigandus* ſed perſtitit, parum cogitans de animarum ſalute, tantum forenſi frueretur honore. Interea *Willielmus* Comes Normanniæ Angliam veniens armis Prouinciā perdomuit, cum & Dei permiſſio ſuffragaretur, & nonnullæ cauſæ ſuppeterent, quas non infirmas ipſe arbitraretur. Qui cum & belli Haſtingenſis victoria, & caſtelli Dofrenſis deditione terrorem ſui nominis ſparſiſſet, Londoniam venit, venienti *Stigandus* cum potentiſſimis Anglis proceſſu & fauore ſuo applauſit: conſertiſque loquelis *Willielmus* eū in patrem & Archiepiſcopum, ipſe *Willielmum* in Regem recepit, & filium. Veruntamen coronam regni de manu eius Rex detractauit ſuſcipere, aſtutia, qua conſueuerat, prohibitores

bitores ex parte Apoſtolici ſubornans. Nec multo poſt in Normanniam nauigans ſub velamine honoris illum renitentem ſecum traxit, ne quid perfidię ſe abſente per eius authoritatem in Anglia pullularet. Inter quæ difficile dictu eſt, quantis eum exceperit officiis dignanter vbicunq; locorum aſſurgendo, & contra eum in omnibus Epiſcopatibus Normanniæ & Abbatiis longa ſerie Pompæ procedi faciendo. Sed quicquid his tegebatur inuolucris, erupit in clarum veniente in Angliam *Ermenfredo*, Seduenſe Epiſcopo, Legato *Alexandri* Papæ, qui ad voluntatem Regis, coacto concilio *Stigandum* depoſuit, fidem *Willielmi* appellantem, & violentiam reclamantem. Et quamuis ille ſe blande excuſans præceptum Papæ obiectaret, non tamen opinionem affectatæ depoſitionis excluſit, quod eum toto æuo in vinculis Wintoniæ habuerit. Ibi ergo *Stigandus* tenui victu vitam tolerauit, quod ei parum de fiſco ferebatur & ipſe ingenita mentis duritia nihil de ſuo inferri pateretur. Quin & hortantibus amicis & præcipue regina *Edgitha*, *Edwardi* Regis relicta, vt ſe delicatius veſtiret, & paſceret, per omne ſanctum peierabat non ſe habere nummum nec valens. Sed huic ſacramento ſoliditatem veri abfuiſſe probauit ingens vis opum poſt mortem eius in ſubterraneis ſpecubus inuentarum. Ad quarum indicium vt veniretur, auxilio fuit clauicula collo exanimati dependens, quæ familiaris ſcrinii eſſet cuſtos. Ea ſeræ immiſſa, manifeſtauit per cartas inuentas, & qualitatem metallorum & quantitatem ponderum.

Nondum ille efflauerat, cum à *Willielmo* Rege *Lanfrancus* Cadomenſis Abbas ad Archiepiſcopatum electus eſt. Is gente Longobardus, non adeo abiecta & obſcura progenie oriundus erat. Sed literatura perinſignis liberales artes quæ iamdudum ſorduerant, à Latio in Gallias vocans, acumine ſuo expoliuit. Teneriorem ætatem in ſecularibus deterens, in ſcripturis diuinis animo & æuo maturuit. Quibus edoctus mundi fumos & ampullata gentilium eloquia parui pendens Monachatus deſiderium imbibit. Multiſq; diu locis circumſpectis ex omni Abbatiarum copia Beccum apud Normanniam potiſſimum elegit, paupertate loci & Monachorum religione captus. (Siquidem eo forte adueniens ipſum Abbatem *Herlewinum* nomine, ad coquendos panes ſuccinctum, & manus fimo oblitum conſpicatus eſſet.) Factus ergo ibi Monachus homo, qui neſciret agreſti opere victum quærere, publicas ſcholas de Dialectica profeſſus eſt, vt egeſtatem Monaſterii ſcholarum liberalitate temperaret. Exiuit fama eius remotiſſimas Latinitatis plagas eratq; Beccum magnum & famoſum literaturæ gymnaſium. Gloria laudis conflauit apud improbos viro inuidiam, capellanis, qui infra eius ſcientiam ſe viderent, animum Comitis *Willielmi* in ipſum turbantibus, quod vnum eorum palam de inſcitia literarum irriſiſſet. Quapropter *Lanfrancus* edictum accipiens, vt Normanniam ſua importunitate vacuaret, curiam venit, moxq; indulgentiam Comitis meruit, quod ille ſtatim viuacitate ſenſus intellexiſſet, quantæ prudentiæ *Lanfrancus* eſſet ex dignitate frontiſpicii, & facetia reſponſi, interiora coniectans. Nec multo poſt apud Cadomum Abbatem fecit, vbi ſancto *Stephano* Monaſterium fundamentis leuauerat. Quin & Regni faſtigiatus ſolio, Archiepiſcopum, vt dixi, inſtituit, quod ipſe melius ſcripto ſuo inſinuabit. quod de ordinatione ſua, & de controuerſia inter ſe & Eboracenſem *Thomam* commota & ſedata, ita ſcripſit.

Anno Dominicæ incarnationis milleſimo ſeptuageſimo intrauit Anglicam terram *Lanfrancus* Cadomenſis cœnobii Abbas, mouentibus & præcipientibus *Willielmo* glorioſo Rege Anglorum, & fœlicis memoriæ *Alexandro* totius ſanctæ Eccleſiæ ſummo Pontifice. Is poſt paucos ſui introitus dies Dorobernenſem Eccleſiam ſuſcepit regendam. Conſecratus eſt autem quarto Calendarum Septembris in ſede Metropoli à ſuffraganeis ipſius ſedis *Willielmo* Londonienſi Epiſcopo, *Siwardo* Roffenſi, *Walchelmo* Wentano, *Remigio* Dorcenſi ſiue Lincolnienſi, *Herfaſto* Helmanenſi ſiue Theofordenſi, *Stigando* Seleſienſi, *Hermanno* Schireburnenſi, *Giſone* Wellenſi. Cæteri, qui abſentes fuerunt, cauſas ſuæ abſentiæ tam Legatis, quam literis oſtenderunt. Ipſo anno *Thomas* Eboracenſis Eccleſiæ antiſtes electus Cantuariam ex priſca conſuetudine ab eo ſacrandus aduenit. à quo cum *Lanfrancus* ſcriptam de obedientia ſua profeſſionem cũ adiectione iuriſiurandi, cuſtodito anteceſſorum ſuorum more expoſceret: Reſpondit *Thomas* ſe id nunquam facturum niſi prius ſcriptas de hac re authoritates legeret, niſi teſtes huius antiquitatis aſſertores cerneret: Poſtremo, niſi congruas ſuper hac re rationes audiret, quibus id iuſte & rationabiliter ſine ſuæ Eccleſiæ præiudicio facere deberet. Hoc autem ignorantia magis quam ſpiritus elati pertinacia faciebat. Nouus enim homo & Angliæ conſuetudinis penitus expers, verbis adulatorum plus æquo & bono fidem exhibebat. *Lanfrancus* tamen in præſentia paucorum Epiſcoporum, qui ad eum pro hac conſecratione aduenerant, quod poſtulabat oſtendit. At ille aſpernatus omnia, non ſacratus abſceſſit, quod

Rex audiens grauiter accepit, exiſtimans *Lanfrancum* iniuſta petere, & ſcientia literarum magis quam veritate & ratione confidere, quamuis nec ipſi *Thomæ* deeſſet literarum peritia, multo ingenio multoque ſtudio comparata. Paucorum dierum ſpatio euoluto *Lanfrancus* ad curiam venit, a Rege audientiam poſtulauit, redditis rationibus eius animum mitigauit, tranſmarinis, qui aderant, ſuæ parti iuſtitiam adeſſe ſuaſit & perſuaſit. Angli enim qui rem nouerant aſſertionibus eius per omnia conſtantiſſime teſtimonium perhibebant. Itaque regio edicto communique omnium decreto ſtatutum eſt, ad præſens debere *Thomam* ad matrem totius Regni Eccleſiam redire, profeſſionem ſcribere, ſcriptam legere, lectam inter examinandum in præſentia Epiſcoporum *Lanfranco* porrigere, in qua præceptis quidem eius in omnibus, quæ ad Chriſtianæ Religionis cultum pertinent, ſe obtemperaturum abſolute nulla interpoſita conditione promitteret, ſucceſſoribus vero eius non ita, niſi prius vel coram vel in Epiſcopali concilio competens ei ratio redderetur, qua anteceſſores ſuos Dorobernenſis Eccleſiæ Primatibus id feciſſe & facere debuiſſe euidentiſſime comprobaretur. Igitur rediit, quæ iuſſa ſunt impleuit, ſacratus abſceſſit. Non multos poſt dies *Lanfrancus* ab vniuerſis Anglici Regni Epiſcopis, qui diuerſis temporibus, diuerſis in locis ab aliis Archiepiſcopis vel à Papa tempore *Stigandi* ſacrati ſunt, profeſſiones petiit & accepit. Sequenti anno cum præfato Archiepiſcopo Romam iuit, & honorifice a ſede Apoſtolica ſuſceptus vnum quidem pallium ab altari Romano more accepit, alterum vero in indicium ſui amoris, videlicet cum quo Miſſam celebrare ſolebat, *Alexander* ei Papa ſua manu porrexit. In cuius præſentia *Thomas* calumniam mouit de Primatu Dorobernenſis Eccleſiæ, & de ſubiectione trium Epiſcoporum Dorcenſis ſiue Lincolnienſis, Wigornienſis, Lecefeldenſis, qui nunc eſt Ceſtrenſis, dicens Cantuarienſem Eccleſiam atque Eboracenſem parem ad inuicem honorem habere, nec alteram alteri ſecundùm beati *Gregorii* conſtitutionem debere vllatenus ſubiacere, excepto quod alter vtrius Archiepiſcopum priorem & digniorem oporteat eſſe eo quem conſtiterit fuiſſe poſterius ordinatum. Prædictos vero tres Epiſcopos ſuæ ſedi, ſuiſque anteceſſoribus ab antiquis temporibus extitiſſe ſubiectos. *Lanfrancus* hoc audiens etſi moleſte tulit, modeſta tamen diſcretione verba illius veritate penitus carere reſpondit, aſſeuerans *Gregorianam* illam conſtitutionem non de Cantuarienſi & Eboracenſi Eccleſia, ſed de Londonienſi, & Eboracenſi eſſe prolatam. De qua re & de tribus Epiſcopis multis hinc inde verbis prolatis, decreuit *Alexander* Papa, oportere cauſam hanc in Anglicam terram audiri, & illic totius Regni Epiſcoporum, & Abbatum teſtimonio & iudicio definiri. *Lanfrancus* quamuis alligatum illum ſuo tempore facta ab eo profeſſione teneret, maluit tamen pro ſucceſſoribus laborare, quam eis in poſterum indiſcuſſam hanc tantam calumniam diſcutiendam reſeruare. Vterque ergo in Paſchali ſolemnitate ad Regem venit, ibique prolatis in medium partium rationibus ſententiam de negotio regalis curia dedit. Iuſſum eſt fieri tranſcriptum totius cauſæ continens finem. *Lanfrancus Alexandro* Papæ direxit Epiſtolam, in qua ei totius negotii geſtionem breuiter & veraciter enarrauit. Vtraque ſcripta ſunt, ſubter annexa præmiſſa profeſſione quam *Thomas Lanfranco* coram Rege & eius curia manu in manum porrexit. *Decet Chriſtianam quemque Chriſtianis legibus ſubiacere, nec his quæ à Sanctis patribus ſalubriter inſtituta ſunt, quibuslibet rationibus contrarire. Hinc namque iræ, diſſenſiones, inuidiæ, contentiones, cæteraque procedunt, quæ amatores ſuos in pœnas æternas demergunt. & quanto quiſque altioris eſt ordinis, tanto impenſius diuinis debet obtemperare præceptis. Propterea ego* Thomas *ordinatus iam Eboracenſis Eccleſiæ Metropolitanus antiſtes, auditis cognitiſque rationibus abſolutam tibi* Lanfrance *Dorobernenſis Archiepiſcope, tuiſque ſucceſſoribus de Canonica obedientia profeſſionem facio, & quicquid à te vel ab eis iuſte & Canonice mihi iniunctum fuerit, ſeruaturum me eſſe promitto. De hac re autem dum à te ordinandus eſſem, dubius fui. Ideoque tibi quidem ſine conditione, ſucceſſoribus vero tuis conditionabiliter obtemperaturum me eſſe promiſi. Anno ab incarnatione Domini noſtri* IESV CHRISTI *milleſimo ſeptuageſimo ſecundo, Regni vero* WILLIELMI *glorioſi Regis Anglorum & ducis Normannorum ſexto, Pontificatus autem Domini* ALEXANDRI *Papæ vndecimo, in præſentia Regis & Epiſcoporum atque Abbatum ventilata eſt cauſa de Primatu. Quem* LANFRANCVS *Dorobernenſis Archiepiſcopus ſuper Eboracenſem Eccleſiam iure ſuæ Eccleſiæ proclamabat, & de ordinationibus quorundam Epiſcoporum, de quibus ad quem ſpecialiter pertinerent certum minime conſtabat. Et tandem aliquando diuerſis diuerſarum cauſarum authoritatibus probatum atque oſtenſum eſt, quod Eboracenſis Eccleſia Cantuarienſi Eccleſiæ debeat ſubiacere, eiuſque Archiepiſcopi, vt Primatis totius Brittanniæ diſpoſitionibus in iis, quæ ad Chriſtianam Religionem pertinent in omnibus obedire. Subiectionem vero Dunelmenſis hoc eſt Lindiſfarnenſis Epiſcopi. &*

omnium

omnium regionum à terminis Licefeldenſis Epiſcopi, & Humbræ magni fluuii vſq; ad extremos fines Scotiæ, & quicquid ex hac parte prædicti fluminis ad parochiam Eboracenſis Eccleſiæ iure competit, Cantuarienſis Metropolitanus, Eboracenſi Archiepiſcopo, eiuſq; ſucceſſoribus in perpetuum obtinere conceſſit: Ita vt ſi Cantuarienſis Archiepiſcopus Concilium cogere voluerit; vbicunque ei viſum fuerit, Eboracenſis Archiepiſcopus ſui præſentiam cum omnibus ſibi ſubiectis Epiſcopis ad nutum eius exhibeat, & eius Canonicis diſpoſitionibus obediens exiſtat. Quod autem Eboracenſis Archiepiſcopus profeſſionem Archiepiſcopo Cantuarienſi facere etiam cum ſacramento debeat, Lanfrancus Dorobernenſis Archiepiſcopus ex antiqua anteceſſorum conſuetudine oſtendit, ſed ob amorem Regis, Thomæ Archiepiſcopo Eboracenſi ſacramentum relaxauit, ſcriptamque tantum profeſſionem recepit, non præiudicans ſucceſſoribus ſuis qui ſacramentum cum profeſſione à ſucceſſoribus Thomæ exigere voluerint. Si Archiepiſcopus Cantuarienſis vitam finierit, Eboracenſis Archiepiſcopus Doroberniam veniet, & eum, qui electus fuerit, cum cæteris præfatæ Eccleſiæ Epiſcopis vt Primatem proprium iure conſecrabit. Quodſi Archiepiſcopus Eboracenſis obierit, is qui ei ſucceſſurus eligitur accepto à Rege Archiepiſcopatus dono Cantuariam, vel vbi Cantuarienſi Archiepiſcopo viſum fuerit, accedet, & ab ipſo ordinationem canonico more ſuſcipiet. Hic ſi Epiſtolam Lanfranci ad Alexandrum Papam totam poſuero, erit onerosum profecto. Quapropter quod ad rem tantum attinet, ſupponam, adiiciens etiam priuilegia ſedis Apoſtolicæ, quæ ad ſuam cauſam firmandam magno fuiſſe ſuffragio ipſe aſſeuerat. Vnde me iure nullus criminari debebit, quaſi talibus ſcriptis volumen implendo, alienam in me transferam gloriam, ſed dabit potius ſi æquum iudicat neceſſitati ſuſceptæ hiſtoriæ veniam. Quinimo à ſtudioſo Lectore habendæ ſunt ſcriptori gratiæ, quod omnia hic congeſta inueniet, quæ & labori eſſet per multa volumina ſcrutari, & dubietati, ſi vnquam forte poſſent inueniri. Simul quod nec adhuc controuerſia inter duos Metropolitanos conquieuit, ſed in magno etiam nunc verſatur litigio, cum ad iſtos qui modo diſſident ordine venero, non habeo neceſſe oſtendere, quæ pars veritate nitatur, cum iam tempore iſtius Lanfranci præoccupauero. Domino totius Chriſtianæ religionis ſummo ſpeculatori, Alexandro Papæ, Lanfrancus Sanctæ Dorobernenſis Eccleſiæ antiſtes, debitam cum omni ſeruitute obedientiam. In concilio, quod Angliæ per veſtram authoritatem coactum eſt, vbi querelæ Thomæ Archiepiſcopi prolatæ & ventilatæ ſunt, allata eſt Eccleſiaſtica gentis Anglorum hiſtoria, quam Eboracenſis Eccleſiæ presbyter & Anglorum doctor Beda compoſuit: lectæ ſententiæ, quibus pace omnium demonſtratum eſt, à tempore beati Auguſtini, Primi Dorobernenſis Archiepiſcopi, vſque ad ipſius Bedæ vltimam ætatem, quæ fere centum & quadraginta annorum ſpatio terminatur, anteceſſores meos, ſuper Eboracenſem Eccleſiam totamque Inſulam, quam Britanniam vocant, necnon & Hyberniam, Primatum geſſiſſe, curam paſtoralem omnibus impendiſſe, in ipſa Eboracenſi vrbe perſæpe, locisq; finitimis, vbi eis viſum fuit: Epiſcopales ordinationes atq; concilia celebraſſe, Eboracenſes, antiſtites ad ipſa concilia vocaſſe, & cum res popoſciſſet, de ſuis eos actibus rationem reddere compuliſſe. Epiſcopos quoq;, quorum ſubiectionem in quæſtionem Thomas adduxerat, infra illud centum & quadraginta annorum ſpatium, per Dorobernenſes Archiepiſcopos fuiſſe ſacratos, ad concilia vocatos, quoſdam quoque, culpis exigentibus ab eis cum Romanæ ſedis authoritate depoſitos: multaq; in hunc modum, quæ Epiſtolaris modeſtia per ſingula explicare non poteſt, Diuerſa ad legendum porrecta concilia, quæ diuerſis temporibus, diuerſis de cauſis, à meis ſunt anteceſſoribus celebrata. Quæ tametſi eandem ſuæ inſtitutionis non habuere materiam, eandem tamen de Primatu & ſubiectione Epiſcoporum tenuere ſententiam. Recitatæ eorundem, de quibus quæſtio verſabatur Epiſcoporum ante prædeceſſores meos factæ electiones, & per eos ordinationes, qui Dorobernenſi Eccleſiæ de ſua obedientia ſcriptas reliquerunt profeſſiones. Vrbs namq; quæ nunc Cantuaria vocatur, antiquis temporibus ab ipſius terræ incolis Dorobernia vocabatur. Nec defuerunt geſta quibus reſeratũ eſt cũ Anglia per plures eſſet regulos diuiſa, Nortanhumbrorũ regem vbi ſita eſt ciuitas Eboraca, accepto pretio cuidã ſymoniaco Epiſcopiũ vendidiſſe. pro qua culpa à Dorobernenſi Archiepiſcopo ad concilium vocatum eſſe, nolenteq; venire pro ſua inobedientia excõmunicationis ſententiã pertuliſſe. Cuius communionis atq; conſortii omnis illarũ partium Eccleſia tã diu abſtinuit, quoad vſq; concilio ſeipſum exhibuit, & quod male geſtum eſt correxit. Vltimum quaſi robur totiuſq; cauſæ firmamentũ, prolata ſunt anteceſſorum veſtrorum, Gregorii, Bonefacii, Honorii, Vitaliani, Sergii, Item Gregorii, Leonis, Iohannis priuilegia, atq; ſcripta, quæ Dorobernenſis Eccleſiæ præſulibus, Anglorumq; regibus aliis atq; aliis tẽporibus variis de cauſis ſunt data atq; tranſmiſſa. Reliqua. n. reliquorum tam autentica quam eorum exemplaria in ea combuſtione atq; abolitione quam Eccleſia noſtra ante quadrienniũ perpeſſa eſt, penitus ſunt abſumpta. His atq; aliis, quæ particulariter breuiterq; explicari nõ poſſunt ex parte Eccleſiæ noſtræ in cauſa peroratis contra tantã tantarum auctoritatum euidentiã pauciſſimas contradictiones oppoſuit, Epiſtolam illam præcipue ferens in medium, qua beatus Gregorius Londonienſem atq; Eboracenſem Eccleſiam pares eſſe, nec alteram alteri ſubiacere inſtituit. Quam ſcripturam cum in rem

nihil facere concordi ſententia cuncti protinus definiſſent, pro eo quod nec ego Londonienſis Epiſcopus eſſem, nec de Londonienſi Eccleſia eſſet quæſtio inſtituta, vertit ſe ad alia egena atq; infirma argumenta, quæ poſt paucam moram Chriſto reuelante paucis ſunt obiectionibus abolita, &c. Domino excellentiſſimo atq; præcellentiſſimo filio Regi Anglorum Ethelberto, Bonefacius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dum Chriſtianitatis veſtræ integritas ita circa conditoris ſui cultum excreuerit, vt longe lateq; reſplendeas, & in omni mundo annunciata veſtra Deo digna operationis augmenta referat: enormes largitori omnium bonorum Deo grates exſoluimus, qui vos de excelſo proſpexit, & in tanto culmine virtutum erexit. Quapropter, fili glorioſe, quod ab Apoſtolica ſede per Coepiſcopum noſtrum Mellitum poſtulaſtis, libenti animo concedimus, id eſt, vt veſtra benignitas, in Monaſterio in Dorobernenſi ciuitate conſtituto, quod ſanctus doctor veſter Auguſtinus beatæ memoriæ Gregorii diſcipulus Sancti Saluatoris nomini conſecrauit, cui ad præſens præeſſe dignoſcitur dilectiſſimus frater noſter Laurentius, licenter per omnia Monachorum regulariter viuentium habitationem ſtatuat Apoſtolica authoritate decernentes, vt ipſi veſtri prædicatores Monachi Monachorum gregem ſibi aſſocient, & eorum vitam ſanctitatum moribus exornent. Quæ noſtra decreta, ſi quis ſucceſſorum veſtrorum, ſiue Regum, ſiue Epiſcoporum, clericorum ſiue Laicorum irrita facere tentauerit, à principe Apoſtolorum Petro, & à cunctis ſucceſſoribus ſuis anathematis vinculo ſubiaceat, quoad vſque quod temerario auſu peregit, Domino placita ſatisfactione pœniteat, & huius inquietudinis veram emendationem faciat. In Chriſto valeas Domine fili. Miſſa per manum Melliti Epiſcopi Londonienſis, anno Dominicæ incarnationis 615. Dilectiſſimo fratri Iuſto Bonefacius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Suſceptis veſtræ dilectionis apicibus, in quibus reperimus inter alia plurimos ex gentilibus ibidem degentibus Deo Omnipotente & Domino noſtro Ieſu Chriſto auxiliante conuerſos, maxime autem in partibus Cantiæ ad veri Dei noſtri fidem veſtris laboribus eſſe perductos: valde gratulati ſumus: Edbaldi quoq; Regis animum ad veræ agnitionis viam eſſe correctum, Dominum Omnipotentem in eo laudamus, qui ſui nominis ſacramentum, veſtriq; laboris fructum non deſeruit, ſicut ipſe prædicatoribus Euangelii veraciter repromiſit, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſeculi. Multa enim clementia, apud Dominum, multa eſt in vobis demonſtrata, cum aperiantur corda barbararum gentium ad ſuſcipiendum prædicationis veſtræ ſingulare myſterium. Vt enim proficerent, veſtris meritis eſt eorum ſaluatio procurata, Domino dicente, Qui perſeuerauerit vſq; in finem hic ſaluus erit. Cognoui ſiquidem in veſtris ſyllabis, vt ſanctæ recordationis prædeceſſor noſter Gregorius conſtituit Auguſtino & omnibus ſucceſſoribus ſuis in poſterum Metropolitanam & Primitiuam ſedem in Ciuitate Dorobernia, vbi caput totius gentis Anglorum à diebus Paganorum habetur. At vero nunc per reuelationem Ieſu Chriſti, qui eſt origo, & caput Chriſtianitatis, eadem ciuitas exaltatur & orthodoxa fides, quæ eſt radix nobiliſſima ibidem collocatur vt ex illa ſegete vberrimum fructum boni operis ad pabulum cœleſtis patriæ omnes Inſulani metere queant. O quam fœlix illa ciuitas quæ meruit in ſe Chriſtum habitatorem habere! fœlix illa ciuitas: fœlix & tota gens cum illos ſuperna miſericordia viſitare non dedignata ſit, quos ante mundi creationem prædeſtinauerat ſibi ſociare. Quare abſit ab omni Chriſtiano, vt ex illa ciuitate Dorobernia aliquid minuatur, aut in aliud mutetur nunc vel futuris temporibus, quæ à prædeceſſore noſtro Domino Papa Gregorio ſtatuta ſunt, quoquo modo res humanæ quaſſentur. Sed magis ex authoritate beati Petri Apoſtolorum principis ad ipſum præcipientes firmamus, vt in Dorobernia ciuitate ſemper in poſterum Metropolitanus totius Brittanniæ locus habeatur. omneſq; prouinciæ regni Anglorum præfati loci Metropolitanæ Eccleſiæ ſubiiciantur, immutilata & perpetua ſtabilitate decreuimus. Hanc autem Eccleſiam vtpote ſpecialem, conſiſtentem ſub poteſtate & tuitione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſiquis conatus fuerit imminuere, eiq; de conceſſa poteſtatis iure quicquam abſtulerit, auferat eum Omnipotens Deus de libro vitæ ſuæ, ſciatq; ſe ſub anathematis vinculis eſſe nodatum. Deus te incolumem cuſtodiat Reuerende frater. Dilectiſſimo fratri Honorio Honorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Suſceptis veſtræ dilectionis literis in iis reperimus veſtri laboris ſollicitudinem circa vobis commiſſum gregem multa fatigatione occupatam, multo labore & anguſtia crebreſcentibus malis & mundanis vſibus mentis veſtræ difficultates ſæpius ſuſtinere grauitatem. Nos vero hortamur veſtram dilectionem, vt opus Euangelii, quod cepiſtis, teneatis. quod in eo laborandum tibi atque perſeuerandum magis quam omittendum eſt. Momento Euangelici præcepti, quo dicitur: Ego pro te rogaui Petre vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Et iterum in Apoſtolo: Stabiles eſtote & immobiles, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis coram Domino. Ideo ſuppliciter veſtram dilectionem admonemus, vt fide & opere in timore Dei & charitate veſtra adquiſitio, prædeceſſorumque veſtrorum, quæ per domini Gregorii exordia pullulat conualeſcendo amplius extendatur, vt ipſa promiſſio Dominici eloquii vos ad æternam feſtiuitatem euocet, quæ dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos reficiã. Et iterum Euge ſerue bone & fidelis, q; ſuper pauca fuiſti fidelis ſuper multa te conſtituam. Interea

tuæ ſedis authoritatem noſtræ authoritatis priuilegio firmari poſtulaſti. Nos vero abſq; vlla dilatione gratuito animo annuentes quod rectum eſt, vt quod ſemel ſtatutum atque diſpoſitum à prædeceſſoribus noſtris cognouimus, hoc ipſum & nos confirmemus, eorumque veſtigia ſequentes iuxta ritum priſcæ conſuetudinis, quæ à tempore ſanctæ recordationis Auguſtini prædeceſſoris veſtri nunc vſq; Eccleſia tua detinuit ex auctoritate beati Petri Apoſtolorum principis Primatum omnium Eccleſiarum Brittanniæ tibi Honorio tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum obtinere concedimus. Tuæ ergo iurisdictioni ſubiici præcipimus omnes Angliæ Eccleſias & regiones, & in ciuitate Dorobernia Metropolitanus locus & honor Archiepiſcopatus & caput omnium Eccleſiarum Angliæ ſemper in poſterum ſeruetur: & à nulla perſona per aliquam malam ſuaſionem in alium locum mutetur. Aliter autem ſi quis fecerit typho ſuperbiæ inſtinctus, & noſtræ præceptioni inobediens, & prænominatæ Eccleſiæ conceſſis ſuæ dignitatis contenderit reniti, ſciat ſe ſeparatum à participatione corporis & ſanguinis redemptoris Ieſu Chriſti. Deus cuſtodiat te incolumem reuerende frater. Dilectiſſimo fratri Theodoro Vitalianus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Inter plurima, quæ per veſtras ſyllabas nobis intimari iuſſiſti, cognouimus etiam deſiderium veſtrum pro confirmatione diœceſis, quæ tuæ ſubiectioni ſubiacet, quia in omnibus ex veſtro Apoſtolicæ authoritatis priuilegio ſplendeſcere deſideras. Nos ergo petitioni veſtræ annuentes quia congruit paſtorali ſollicitudine circa Eccleſias Dei, quæ à priſcis temporibus ab hac ſede ſtatuta intelligimus, irrefragabili ratione volumus vt ſicut à nobis ita et a ſucceſſoribus noſtris perpetua ſtabilitate muniãtur. Vnde nobis viſum eſt te exhortari ac in præſenti commendare tuæ ſagaciſſimæ ſanctitati omnes Eccleſias in Inſula Brittanniæ poſitas. Omnia ergo, quæ à ſancto Gregorio prædeceſſore noſtro Auguſtino Sincello ſuo ſtatuta ſunt atque firmata, vel etiam per ſacrum vſum pallii conceſſa, nos tibi in æuum concedimus, & Dorobemiam ciuitatem, vbi primitus per Reuelationem Ieſu Chriſti Domini noſtri fides Catholica ſecundũ inſtitutionem ſacrorum Canonum ſuſcepta eſt, habeto. Ex authoritate autem Petri Apoſtolorum principis, cui à Domino Deo poteſtas data eſt ligandi atque ſoluendi in cælo ac in terra, nos licet immeriti eiuſdem beati Petri clauigeri regni cælorum vicem tenentes, tibi Theodore tuiſque ſucceſſoribus ſicut abolinatis temporibus fuerint condonata in perpetuum, ita in ipſa tua Metropolitana ſede, quæ ſita eſt in Dorobernia, immutilanda concedimus obtinenda. Si quis vero, quod non optamus, contra hanc noſtræ Apoſtolicæ definitionis priuilegii authoritatem venire tentauerit, ſi quidem Epiſcopus aut presbyter aut Diaconus fuerit, ex hac Apoſtolica authoritate decernimus, vt Epiſcopus ordine præſulatus careat, & Presbyter vel Diacon⁹ à ſuis gradib. ſe nouerint deiectos. Ex numero autem Laicorum tam ex Regibus quam principibus ſiue magna ſiue parua perſona fuerit, ſciat ſe alienum à participatione Domini noſtri Ieſu Chriſti. Hanc autem priuilegii paginam ſuffultam authoritate beati Petri Apoſtolorum principis, cuius miniſterio fungimur, tibi Theodore tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum obtinendam delegamus. Deus te incolumem cuſtodiat dilectiſſime frater. Sergius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Ethelredo, Alfrido, Adulfo Regibus Anglorum. Donum gratiæ ſpiritualis, Sancti Spiritus illuſtratione fidelium corda ſuccendit, ac reparando reficit, & virtutis mirificæ conſtantia roborat, & cæleſtium donorum beneficiorum inſtituit perenniter promereri ſuffragia, & labentium rerum exitia nihilominus præcauere. Quo vſi munere pietatis Dei Sancti Patres, vt quadam aſtrorum cæleſtium ſplendifera luminaria mundi totius per ambitum renitentes glorioſe poſt præſentis vitæ fælicia gaudia inter numerum electorum meruere aſcribi. Porro vos gens ſancta, genus electum, populus acquiſitionis, filii lucis, ſtirps regia, fidei propago ac incrementa virtutum gaudete in Domino & exultate quod veſtri non immemor ſtudii egregius ac primus Apoſtolorum Petrus fidei firmiſſima petra, dum mentis ac conſcientiæ veſtræ ſenſu lætatur, nominum quoque veſtrorum reminiſcitur & agnoſcit. Confidimus namq; quod & aditum Regni cæleſtis aperiat, quibus tantum inter gentes, quibus Deo auſpice præpolletis, fauorem contulit dignitatis. Et vos igitur Chriſtianiſſimi ac dilectiſſimi filii, eius authoritate collatum vobis antiſtitem Brithwaldum Cantiæ ſedis præſulem totiuſq; Brittaniæ primum Pontificem alacri pectore menteque deuota ſuſcipite, ſcientes quod mercedem Prophetæ accipiet, ſi quis hunc vt prophetam accipiat, & ſi ſpernere illum forſan, quod abſit, faſtu quiſquam proſiliat, non eum ſed à quo miſſus eſt ſpernet. Qui iuxta Dominicam vocem abſque vllo adminiculo condemnabitur. Procul ergo à vobis longeque talis abſit infanda temeritas ne diram hoſtis antiquus inobedientiæ faciem in vobis inueniat, quos Sancta Dei Eccleſia in gremio filiorum adoptionis ſociare dignata eſt. Optamus ergo, quo miſericordia ſolita Dominus noſter Ieſus Chriſtus faciat vos ineffabiliter miniſterii ac Regii culminis honore ſublimari, & in examine futuri iudicii reſeruari. Dilectiſſimis fratribus vniuerſis Epiſcopis per Brittanniam conſtitutis Sergius. Sicut nobis quibus curam officii paſtoralis beati Petri Apoſtolorum principis ſuperna dignatio miſerationis, " regimenque conceſſit fratris ignoti, reuerendam aduexit præſentiam, ita quoque veſtri religioſiſſimi præſulatus collegii, agnita ſalus geminum attulit tripudii munus. Nam omnium bonorum authori Domino Deo noſtro immenſas peregimus gratias reperta fratrum fidelium in ſinu ſanctæ matris Eccleſiæ vna-

nimitatis deuota conſtantia & amore feruente inter ſe dilectioniſq; conſortio. Sic enim ſagaci ſolertia Deum complacare noſcuntur, offerentes ei pura libamina cum in arca pectoris ſplendorem veri luminis refouentes nullis illecebris mentem illudant, nullis fratrum ſtimulis corda percellant, nullis proximos nocentibus mentibus animant: ſed vt Dei miniſtri ſpeculum ſe ſubiectis vitæ morumq; probitate exhibeant. Hinc ſibi Dominum proſperantem inuenient in aduerſis, nec quicquam poterunt hoſtis inſidiæ iis nocendo ſurripere. Etenim vbi præſto eſt Domini adiutorium, cuncta fugatur ſpirituum malignorum aduerſitas. Cum ita ſit, paternis affatibus collætantes veſtræ fraternæ dilectionis vnanimi religioſitati, inſinuamus vobis, quod præſens dilectiſſimus frater * Bruhwaldus Cantuariæ Prouinciæ Præſul qui in ſedem reuerendæ memoriæ Theodori quondam Archiepiſcopi ſubrogatus eſt, iuxta ritum priſcæ conſuetudinis, quæ à tempore Sanctæ ac reuerendæ memoriæ D. prædeceſſoris noſtri Gregorii Rom. Pontificis nunc vſq; ſua Eccleſia detinuit à nobis, imo à beato Petro Apoſtolorum principe Primatum omnium Eccleſiarum Brittanniæ ſortitus, cum ſacro vſu Pallii ac venerabilis dalmaticæ illic demandatus eſt. Quod non incommode fratres chariſſimi adeptus promeruit, cum nequaquam faſtu ſiue tumore iactantiæ, ſed mente ſubnixa ac humili corde tantum munus dignus obtinuit. Quocirca hortamur fratres veſtrum à Deo dicatum conſortium ſalubriq; conſilio monemus, vt propter Dei amorem atq; futuræ viciſſitudinis ſpem, eidem fratri veſtræ regionis Archiepiſcopo, ac ſi nobis debitum miniſterii honorem exſoluere, & vt præſuli primatum gerenti efficaciter ſciatis obedire, non ignari quid vas electionis inſinuet, Obedite præpoſitis veſtris: Et rurſum, Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Ideoq; fratres vos admonemus vniuerſoſq; ordinum gradus, præcipientes ex hac Apoſtolica authoritate, vt nullus ſit, qui præſumat contra hæc, quæ ab hac Apoſtolica ſede olim conſtituta præſentibus vel futuris temporibus contraire. Sed ſemper præmemoratæ Eccleſiæ conceſſæ poteſtates illibatæ ſeruentur in perpetuum. Et quod vos annuente diuina clementia hæc peracturos indubitata mente confidimus quæ commonere ſtatuimus, fraternitatis veſtræ religioſum propoſitum ineffabilem Sancti ſaluatoris noſtri potentiam exoramus, vt pia vos ſemper religione pollentes perenni tribuat lætitia gratulari, & fraternis affectibus collætantes ſanctorum meritis in æterna beatitudine ſociari. Deus vos incolumes cuſtodiat dilectiſſimi fratres.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Epiſcopis Angliæ ſalutem. Dei omnipotentis immenſæ pietatis magnitudinem collaudamus, qui ſuæ maieſtatis gloriam ſic dilatare dignatus eſt, vt in omnem terram exierit iam ſonus prædicatorum ſuorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Cuius ineffabili pietatis gratia, ſicut noſcimur procreati: ita quoque ſumus adoptati, ſanctæ regenerationis portantes myſterium in ſpem gloriæ filiorum Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrū. Reuerentia itaq; veſtræ dicato collegio collætantes, vt in fide ſtabiles, & in opere efficaces inueniamini, hortamur honore inuicem præuenientes, & alter alterius onera portantes, quod ſic adimplebitis legem Chriſti, charitatem continuam habentes in dilectione Dei & proximi, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo. Fratris igitur noſtri Tatwini, qui beatæ memoriæ Auguſtini prædicatoris veſtri cathedræ ſubrogatus eſt, aduentus nos admodum lætificauit. Quod virum religionis & magnæ probitatis, ſub ipſo tempore, quo apud nos ſtetit, eum cognouimus. Proinde auditis eius petitionibus anteceſſorum eius iura dignitatis perquiri in ſacro ſcrinio fecimus: & inuenientes eum iuſta poſtulaſſe, ſacrum pallium cum venerabili vſu dalmaticæ Apoſtolica ei authoritate tradidimus, annuentes quoq; iura dignitatis omnia, quæ prædeceſſores ſui à tempore beatæ memoriæ Auguſtini habuiſſe noſcuntur. Sicut ergo prædeceſſoris noſtri Gregorii Rom. Pontificis decretum præfato Auguſtino ſincello ſuo prædicatori veſtro omnes Epiſcopos Angliæ ſubiecit ſic nos Deo autore & beato Petro Apoſtolorum principe licet indigni eius nomine vicem gerentes, tibi Tatwine Doroberniæ ciuitatis Archiepiſcopo tuiſque ſucceſſoribus legitimis omnes Eccleſias Brittanniæ earumque rectores ſubiicimus, Apoſtolica authoritate præcipientes, vt omnis homo totius Angliæ tuis canonicis iuſſionibus obediat, & te ſciat eſſe Primatem atq; ſpeculatorem totius Inſulæ, cui vices noſtras per omnia gerendas in regione illa commiſimus. Tuam autem Eccleſiam Doroberniæ conſtitutam vt propriam & primam ſobolem religionis veſtræ in Chriſto ſpecialiter ſub tuitione manus noſtræ tenemus, quam volumus in pacis tranquillitate vigere, eiuſq; iura & dignitatis priuilegia in perpetuum immutilata ſeruari. Quod prima & mater eſt aliarum omnium, primitus in veſtra regione conſtituta in honore Sancti ſaluatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti. Scriptum eſt enim. Non eſt ſanctus, vt eſt Dominus, & vbi eſt caput vegetū, reliqua membra fortius vegetantur. Vos itaq; fratres hæc Apoſtolicæ authoritatis mandata cum alacritate & ſubiectionis reuerentia audite & ſuſcipite, & cum præfato fratre noſtro Archiepiſcopo veſtro in meſſe Dei laborate. Si autem quiuis hæc perturbare voluerit, & noſtræ definitionis ſtatuta diuellere contenderit ac violare, ſciat ſe contra ipſum mundi ſaluatorem, & beati Petri authoritatem niti: & ideo niſi reſipuerit æternæ damnationis ſententiam incurrere. Deus vos incolumes cuſtodiat dilectiſſimi fratres. Leo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, * Ethelardo Archiepiſcopo Dorobernenſis Eccleſiæ in perpetuū. Pontificali diſcretioni præcipue conuenit præſulibus Eccleſiarū ſe-

al. Bertwaldus.

al. Athelardo.

cun-

eundum eorum irreprehenſibilem fidem audientiam præbere, & eorum qui per beatum Petrum Apoſtolorum principem, & nos gerere deſiderauerint, quæ canonicis non refragentur ſanctionibus, effectum concedere; vt cum id, quod deſiderant obtinuerint, flagrantiores erga religionis amorē exiſtant. Exhortanda itaq; nobis eſt ac prædicāda fraterna almitas, pro diœceſibus Angliæ tibi cōmiſſis videlicet Epiſcoporū ſeu monaſteriorū tam monachorū quam clericorum & puellarum. Quæ ſicut abolitanis temporibus tua Eccleſia tenuit, vt in ſacro ſcrinio noſtro requiſita cognouimus, ita tibi tuiſq; ſucceſſoribus tenenda confirmamus. omnes Anglorum Eccleſias ſanctus ac egregius prædicator Gregorius ordinauit, atq; catholice confirmauit beato Auguſtino Archiepiſcopo ſincello ſuo ſubiectas fore in æuum per ſacrum vſum pallii: & ideo ex authoritate beati Petri Apoſtolorum principis (cui à Domino Deo poteſtas ligandi atq; ſoluendi conceſſa eſt dicente: Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam & portæ inferni non præualebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis) immo & ſecundum inſtituta ſacrorum canonum cenſuram licet immeriti eiuſdem Petri clauigeri regni cœlorum vicem gerentes tibi Athelardo tuiſq; ſucceſſoribus omnes Anglorum Eccleſias ſicut à Priſcis temporibus fuere, in perpetuum in ipſa tua Metropolitana ſede per ſubiectionis cognitionem irrefragabili iure concedimus obtinendas. Si quis vero, quod non optamus, contra hanc definitionis noſtræ vel Apoſtolici priuilegii authoritatem venire tentauerit, ex Apoſtolica authoritate ſtatuimus, vt ſi Archiepiſcopus vel Epiſcopus fuerit, ex ordine præſulatus ſit deiectus: ſimiliter presbyter vel diaconus, vel alius quilibet miniſter ſacri miniſterii ſi fuerit, ab ordine ſit depoſitus. Si autem ex numero laicorum fuerit, tam rex, quam princeps, aut qualibet ſiue magna ſiue parua perſona ſit, à ſacra communionis participatione ſe nouerit alienum. Hanc priuilegii paginam authoritate beati Petri Apoſtolorum principis, cuius miniſterio fungimur, tibi Ethelardo tuiſq; ſucceſſoribus in perpetuum concedimus obtinendam. Ad cuius firmitatem manibus noſtris ſubſcripſimus, illudq; nomine noſtro ſignari mandauimus. Quam etiam à Sergio ſcrinario noſtro ſcribi præcepimus menſe Ianuario, data 15. Kalend. Febr. per manum primicerii Euſtathii ſedis ſanctæ Apoſtolicæ imperante domino Carolo piiſſimo Conſule Auguſto à Deo coronato magno pacificoq; imperatore, anno ſecundo poſt conſulatum eiuſdem domini, indictione 10. Fratribus & filiis in Chriſto omnibus Epiſcopis Angliæ Formoſus. Audito nefandos ritus Paganorum partibus in veſtris repullulaſſe, & vos tenuiſſe ſilentium, vt canes non valentes latrare, gladio ſeparationis à corpore Dei Eccleſiæ vos ferire deliberauimus. Sed quia, vt nobis dilectus frater noſter Pleimundus intimauit, tandem euigilaſtis, & ſemina verbi Dei olim venerabiliter iacta in terra Anglorum cœpiſtis renouare, mucronem deuotationis retrahentes, Dei omnipotentis & beati Petri Apoſtolorum principis benedictionem vobis mittimus orantes, vt in bene cœptis, perſeuerantiam habeatis. Vos enim eſtis fratres de quibus loquens Dominus inter alia inquit. Vos eſtis ſal terræ, & ſi ſal euanuerit in quo ſalietur. Et iterum. Vos eſtis lux mundi, ſignificare volens per verbi ſapientiam condiri mentes hominum à vobis debere: & in moribus & in vita veſtra bonæ actionis ſtudium quaſi lumen apparere fidei, per quod gradientes, ad vitam quomodo cautè ambulent, videant, vt ad promiſſionem æternam beatitudinis ſine offenſa currentes, valeant peruenire. Nunc accingimini ergo & vigilate contra leonem, qui circuit quærens quem deuoret, & non patiamini vlterius in regione veſtra penuria paſtorum Chriſtianam fidem violari, gregem Dei vagari, diſpergi, diſſipari. Sed cum vnus obierit, alter qui idoneus fuerit, canonice protinus ſubrogetur. Nam ſecundum legem plures facti ſunt ſacerdotes eo quod morte prohiberentur permanere. Quod Dauid conſiderans, & in ſpiritu Chriſti Eccleſiam fore permanſuram ad finem ſeculi proſpiciens, ait, Pro patribus tuis naſcentur tibi filii, conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Nulla itaq; mora ſit ſubrogandi alium, cum quilibet ſacerdotum ex hac vita migrauerit, ſed mox vt ille, qui primæ ſedis principatum gerens inter vos cæteris Epiſcopis præeſſe dignoſcitur, fratris obitus fuerit denunciatus, facta electione canonica alter conſecratus ſuccedat. quis autem inter vos principatum tenere debeat, quæue ſedes Epiſcopalis cæteris præpolleat habeatq; primatum, abolitanis temporibus notiſſimum eſt. Nam vt ex ſcriptis beati Gregorii eiuſq; ſucceſſorum tenemus, in Dorobernia ciuitate Metropolim ſedemq; primam Epiſcopalem conſtat eſſe regni Anglorum, cui venerabilis frater noſter Pleimundus nunc præeſſe dignoſcitur, cuius honorem dignitatis nos nullo pacto imminui permittimus, ſed ei vices Apoſtolicas per omnia gerere mandamus. Et ſicut beatus Gregorius Papa primo veſtræ gentis Epiſcopo Auguſtino omnes Anglorum Epiſcopos eſſe ſubiectos conſtituit: ſic nos prænominato fratri Doberniæ ſiue Cantorberiæ Archiepiſcopo eiuſque ſucceſſoribus legitimis eandem dignitatem confirmamus, mandantes, & authoritate Dei, & beati Petri Apoſtolorum principis præcipientes, vt eius canonicis diſpoſitionibus omnes obediant, & nullus eorum, quæ ei ſuiſque ſucceſſoribus Apoſtolica authoritate conceſſa ſunt, violator exiſtat. Si autem quiuis hominum contra hæc aliquando niti ac imminuere iſta tentauerit, ſciat ſe proculdubio multandum fore graui anathemate, & à corpore ſanctæ Eccleſiæ, quam inquietare molitur, per-

petuo, niſi reſipuerit, ſeparandum. Iohannes *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei confratri* Dunſtano *Dorobernenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo vitæ perpetuæ permanendam in Chriſto ſalutem. Si paſtores ouium ſolem geluq́; pro gregis ſui cuſtodia die ac nocte ferre contenti ſunt, & oculis conſpectant vigilantibus, ne aliqua ex ouibus aut errando pereat, aut laniata morſibus rapiatur, quanta cura quantoq́; ſudore debemus eſſe peruigiles ob ſalutem animarum, qui dicimur paſtores eſſe earum. Attendamus igitur nos officium exhibere erga cuſtodiam ouium Dominicarum, & ne quaſi lupo veniente territi fugiamus: ne in die diuini examinis pro deſidia noſtra ante ſummum paſtorem & negligentia veſtra excruciemur, vnde modo honoris reuerentia in ſublimiore arce cæteris diiudicamur. Primatum itaq́; tuum in quo tibi ex more anteceſſorum tuorum vices Apoſtolicæ ſedis exercere conuenit; ita tibi ad plenum confirmamus, ſicut beatum* Auguſtinum, *eiuſq́; ſucceſſores præfatæ Eccleſiæ pontifices habuiſſe dignoſcitur. Pallium vero fraternitati tuæ ex more ad miſſarum ſolēnia celebranda cōmendamus, quo tibi non aliter vti concedimus, quam eo vſu, quem anteceſſores noſtri prodiderunt, Eccleſiæ tuæ priuilegiis in ſuo ſtatu manētibus. Neq́; tua prudentia hoc incognitum habet vel cuiuſcunq́;, quātum indumenti honor moderatione actuum tremendus erit. Honeſtati morum tuorum hæc ornamenta conueniunt quatenus Deo authore poſſis eſſe conſpicuus, ita vt vita tua filiis tuis ſit regula. Et in illa, ſi qua fortitudo illis ineſt, dirigatur, dum in ea, quæ imitentur, aſpiciant. Et in fine epiſtolæ, Sancta Trinitas fraternitatem veſtram gratiæ ſuæ protectione circundet, atque ita in timoris ſui viam te dirigat, vt poſt vitæ huius amaritudinem ad æternam peruenire ſimul mereamur dulcedinem. Et hoc ſcriptum eſt per manum* Leonis *ſcrinialis ſedis Apoſtolicæ, in menſe Octobr. indictione 4. die primo Kalend. Octob. Anno 12. ſummi Pontificis* Iohannis. Hæc ſacra priuilegia ſanctorum Apoſtolicorum in conſilio totius Angliæ lecta, tunc magnum * momentum (*al. firmamentum*) Cantuarienſis Eccleſiæ primatui attulere. Hic quoq́; inſerta, ſi lectorum poterunt euitare nauſeam, non incommodum locum obtinebūt. Contra quæ *Thomas* Eboracenſis Archiepiſcopus parum virium habebat, nec ei diffuſior calumniarū campus patebat, licet ſecum fautorum claſſes aſciſceret. Oppoſuit tamen ſoli *Auguſtino* a beato conceſſum *Gregorio*, vt non ſolum Epiſcopos quos ordinauit, neq; hos tantummodo, qui per Eborac. Epiſcopum eſſent ordinati, ſed ēt omnes Brittanniæ ſacerdotes haberet Domino Deo noſtro Ieſu Chriſto authore ſubiectos. Poſt obitum vero eius eſſet inter Londinenſem & Eboracenſem Epiſc. mutua gratiæ viciſſitudo, & foret amplitudo prior honoris anticipatio ordinationis; voluiſſe *Gregorium* vt *Auguſtinus* poneret ſedem Londoniæ, ſed ipſum charitate regis *Ethelberti* delinitum reſediſſe Cantiæ. Non difficile fuiſſe *Gregorio*, ſi competere videret, vt pauculis verbis controuerſiæ ambiguitatem ſedaret, dicens, hæc tibi *Auguſtine*, & omnibus ſucceſſoribus tuis concedo; ſed quod hoc rationi reſultare cerneret, voluiſſe verba ſua ventis diffundere. Hæc & huiuſmodi plura pergenti dicere, quod & defenſionis neceſſitas, & antiquitatis inſcitia eius eloquio miniſtraret arma, *Lanfrancus* diſputationis pedem contulit huiuſmodi vigilantiſſimo reſponſo occurrens. Opinio eſt veritatis egena, qua niteris vt dicatur ſoli *Auguſtino* conceſſum habere ſubiectionē omnium Epiſcoporū Brittāniæ, & corū ēt, qui eſſent ordinati per Epiſcopū Eborac. Exile & omnino anguſtū id eſſet munus, quod familiari ab olim ſuo, nouo Anglo vir largiretur Apoſtolicus; præſertim cū viuo *Auguſtino* nullus Eboracēſis Pontifex ordinaret, quos ſubiectos haberet *Auguſtinus*, ſed nec aliquis ibi extiterit Epiſcopus. Beatus ſiquidem *Paulinus* primus eiuſdem vrbis præſul non tempore *Iuſti*, qui quartus fuit Cantiæ Pontifex, illuc directus eſt. Neſcientem geſta Anglorum docebunt, quod dico. Hoc intelligentes ſanctiſſimi ſedis Apoſtolicæ præſules ſubiectionem omnium Epiſcoporum Angliæ ſucceſſoribus *Auguſtini* confirmarunt, ſicut priuilegia recitata teſtantur. *Gregorianam* vt dicunt conſtitutionem verbis ornantes ampliſſimis & liberalitate munifica proſequentes, eiuſdem ſedis arbitri, eiuſdem ſententiæ patroni. Æquumq́; cenſent vt omnes Anglorum Eccleſiæ ab eo loco mutuentur viuendi diſciplinam, à cuius fomite rapuerunt credēdi flammam. Quis enim neſciat, quod a Cantia manauit *Chriſti* credulitas in Eboracum, & in cæteras Angliæ Eccleſias. Porro quod dicis potuiſſe beatum *Gregorium* ſi voluiſſet ſucceſſoribus *Auguſtini* confirmare dicto quod conceſſerat *Auguſtino*, verum omnino eſt nec poteſt ambigi. Sed quod quæſo præiudicium hoc Cantuarienſi ſedi affert? A ſimili cauſam proponam. Nam quando Dominus & ſaluator noſter *Ieſus Chriſtus* dixit beato *Petro*, *Tu es* Petrus *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum*, potuiſſet adiicere ſi voluiſſet, *eandem poteſtatem ſucceſſoribus tuis concedo*: verum dicti prętermiſſio nihil reuerentiæ imminuit ſucceſſoribus *Petri*. Ibis ne his verbis obuiam? referes ne aduerſa? Enimuero omnium Chriſtianorum conſcientiis eſt inclitum vt nihilo minus quam beato *Petro*, ſucceſſoribus eius & minantibus attremant, & ſerenam dignitatem indulgentibus gaudenter applaudant. Eſtq́; tunc demum omnium Eccleſiaſticarum rerum rata diſpēſatio, ſi ſucceſſorum

beati

beati *Petri* fuerit comprobata iudicio. Quid illud agit, niſi vis diuinæ liberalitatis per Dominum Ieſum à beato *Petro* in vicarios eius diffuſa? ergo de ſimilibus idem pronunciabis iudicium ſi dialecticam noſti. Præterea *quod valet in toto valet in parte: quod valet in maiori, valet in minori*. Romana Eccleſia quaſi totum eſt omnium Eccleſiarum, cæteræ Eccleſiæ quaſi eius partes. Sicut enim quodam intuitu homo eſt genus indiuiduorum ſuorum, & tamen in vnoquoq; indiuiduo ineſt totius hominis tota proprietas, ita quodam reſpectu ſedes Romana eſt genus, & totum omnium Eccleſiarum; & tamen in vnaquaque Eccleſia totius Chriſtianæ fidei tota regnat integritas. Ipſa eſt maior omnium Eccleſiarum, & quod in ea valet, debet & valere in minoribus, vt poteſtas primi cuiuſcunque Eccleſiæ principis in ſuccedētes dimanet, niſi ſiquid perſonaliter & nominatim excipiatur. Quare ſicut *Chriſtus* dixit omnibus præſulibus Romanis quod dixit beato *Petro*, ita quod dixit *Gregorius* omnibus ſucceſſoribus *Auguſtini* dixit in *Auguſtino*. hinc conficitur, vt ſicut Cantia ſubiicitur Romæ, quod ex ea fidem accepit: ita Eboracum ſubiiciatur Cātiæ, quæ eo prædicatores miſit. Iam vero quod allegas voluiſſe *Gregorium* vt *Auguſtinus* reſideret Londoniæ, fluctuat plane. Quî enim firmari poteſt, vt ipſe magiſtri ſui voluntati reſultans, in repulſam decretorum iret? Sed famæ tam multorum aſſenſu firmatæ derogare fidem refuto. Eſto enim vt alias migraret, quid ad me, qui Londinenſis Epiſcopus nō ſum? Nihil enim mea intereſt, niſi quod vſus antiquitatis non patitur, ſi tu cum Londinenſi pontifice primatus honorem patiaris. Ea de re ſi, lite ſequeſtrā, pace media negotium vētilari deſideres, pro mei iuris officio non deero recto iudicio. Succubuit tantis rationibus *Thomas*, & placitum ad moderationem transferens libenter conditioni conceſſit animum: vt vlterior ripa Humbræ fluminis eſſet principium ſuæ diœceſis, citerior eſſet limes parochiæ Cantuarienſis. Emicat *Lanfrancus* tripudio, & victrici cauſa fretus geſta ſcripto excepit, ne ſe præterirent, & laberentur recentia, & rerum neceſſariarum poſteri fraudarentur notitia. modeſtè ſane: vt nec ſcienda prætermitteret, nec dicendo efflueret, quod *in proprias laudes facetiari odioſa iactantia eſt*. Veruntamen ego coniicio nullum alium potuiſſe tantam dubietatem ad planum abſoluere quantalibet quis vigeret induſtria, & cui etiam ſuffragaretur ipſa, quæ *Lanfranco*, iuſticia. Erat enim tunc temporis in doctrina & mundi ſapientia famoſiſſimus, & quem venerabiliter ſuſpiceret *Alexander* Apoſtolicus: honoris maximum fuit indicium cum Romam venienti ſequeſtrato illo Romani ſupercilii faſtu dignanter aſſurgeret, profeſſus, Hanc venerationem non ſe illius Archiepiſcopatui, ſed magiſterio literarum deferre. Quapropter ſe feciſſe quod eſſet honoris: illum debere facere quod eſſet iuſticiæ, vt pro more omnium Archiepiſcoporum Sancti *Petri* vicarii veſtigiis aduolueretur. Reddidit ille debitum tanti amoris expertus inſignia, vt quæcunq; petenda putaſſet haud dubie impetraret. Deniq; ambos itineris ſui Comites *Thomam* Archiepiſcopum Eboracenſem, & *Remigium* Epiſcopum Lincolnienſem baculis & annulis expoliatos; quod primus eſſet filius presbyteri, Secūdus pro auxiliis *Willielmo* venienti Angliam præbitis factus eſſet Epiſcopus, diuinum munus bellicoſis laboribus nundinatus, precibus ſuis reſtituit officio. Papa enim pondus facti à ſe reiiciens in eum conſiderationem transfudit, bene an ſecus fieret, redderet ipſe inueſtituras ſi vellet, ſi minus, faceret quod commodum ſciret. Ita illi de manu *Lanfranci* baculos & annulos recipientes lætum ad patriam cum eodem moliti ſunt reditum. Nec minori eum amoris diligentia palpandum curauit *Gregorius* *Alexandri* ſucceſſor multa illius conſilio tranſigens, multa etiam domeſticis ſuis ignota illius conſcientiæ communicans. Sermonis huiuſcemodi veritati aſſiſtit epiſtola initio Papatus Angliam directa, quæ inter epiſtolas *Lanfranci* reperitur. Porro *Willielmus* rex in omnibus ei aſſurgebat, aggaudebatq; & ei & aliis, quos in bono feruore audiſſet, permiſitq; ei concilia congregare, quorum vnius actio hæc eſt.

Anno Domini, milleſimo, ſeptuageſimo quinto. Regnante Willielmo *anno nono, congregatum eſt concilium in Londonia, præſidente* Lanfranco *Archiepiſcopo Dorobernienſi, conſidentibus ſecum* Thoma *Archiepiſcopo Eboracenſi & cæteris Epiſcopis. Roffenſis Eccleſia per id tempus paſtore carebat.* Lindiffarnenſis *qui & Dunelmenſis Epiſcopus canonicam excuſationem habens concilio intereſſe non potuit. Et quod multis retro annis in Anglico regno vſus conciliorum obſoleuerat; renouata ſunt nonnulla, quæ antiquis etiā fuerant canonibus definita. Ex concilio igitur Toletano quarto Mileuitano atq; Bracarenſi ſtatutum eſt, vt ſinguli ſecundum ordinationis ſuæ tempora ſedeant, præter eos, qui ex antiqua conſuetudine ſiue ſuarum Eccleſiarum priuilegiis digniores ſedes habent. De qua re interrogati ſunt ſenes & ætate prouecti, quid vel ipſi vidiſſent, vel à maioribus atq; antiquioribus veraciter ac probabiliter ipſi audiſſent, ſuper quo reſponſo petitæ ſunt induciæ ac conceſſa vſque in craſtinum. Craſtina autem die concorditer perhibuere, quod Eboracenſis Ar-*

chiepiſcopus ad dexteram Dorobernenſis ſedere debeat; Londonienſis Epiſcopus ad ſiniſtram. Wenlanus *iuxta Eboracenſem. ſi vero Eboracenſis deſit, Londinenſis ad dexteram,* Wenlanus *ad ſiniſtram. Ex regula beati* Benedicti, *& ex antiqua regularium locorum conſuetudine, vt monachi proprium ordinem tenerent, & proprietate careant. Si quis vero cum proprietate inconfeſſus obierit, in cœmeterio non ſepeliatur. ex decretis ſummorum Pontificum* Damaſi *& Leonis, nec non ex conciliis Sardicenſi & Laodicenſi, in quibus prohibetur Epiſcopalis ſedes in villis exiſtere, conceſſum eſt regia munificentia, & Synodali authoritate Epiſcopis de villis tranſire ad ciuitates,* Hermāno *de* Schirebnrne *ad Salesberiam:* Stigando *de* Seleſeia *ad Ciceſtriam:* Petro *de* Lichfeld *ad Ceſtriam. Ex multis Romanorum Præſulum decretis, diuerſiſque ſacrorum Canonum authoritatibus, ne quis alienum Clericum, vel Monachum ſine commendatitiis literis ordinet, vel retineat. Ad comprimendam quorundam indiſcretorum inſolentiam ex cōmuni decreto ſancitum eſt, ne quis in concilio loquatur, præter licentiam à Metropolitano conceſſam, exceptis Epiſcopis, & Abbatibus: Ex decretis* Gregorii *maioris, & minoris vt nullus de propria cognatione vel vxoris defunctæ, ſeu quam cognatus habuit vxorem accipiat, quoad vſque parentela ex alterutra parte ad ſeptimum gradum perueniat. Vt nullus ſacros ordines ſeu officiū Eccleſiaſticū emat, vel vendat. Ne Sortes ſeu diuinationes ab aliquo exerceantur. Ex conciliis Heliberitano & Toletano decimo, vt nullus Epiſcopus vel Abbas ſeu quilibet ex clero, hominem truncandum membris, vel occidendū iudicet, vel iudicantibus faueat.*

Interea cum pater *Lanfrancus* omnibus virtutibus ſolidaret ingenium, componeret animum, tum eleemoſyna præcipue: aiunt eius Prognoſticon fuiſſe: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Quo ille accepto ab acclamantibus hilari vultu ad Dominum dixerit, Certemus ergo mutua viciſſitudine, tu dando, egó diſpertiendo. Reſpondit cœleſtis pietas prædicabilis viri voto: affluebantque ſibi tanta, quæ quantumlibet ambitum poſſent & explere, & vincere. Nec ille ſegnis erat in erogando, auaritiam familiare Longobardis vitium, ex ſua perſona propulſans, & decutiens. Et erat non inconſideratus dator, nec deperibat eius liberalitas, quam diſcretio, & animi condiebat alacritas: luxque vultus eius non cadebat in terram, ſed erat accipienti gratiſſima; ſicut Sol mane nouo exoriens, qui diſcuſſis nubilis tranquillat ventos, & ſerenat aera. Expendebantur ergo pauperibus panes, calcei, & prorſus quæ ad victum pertinent & veſtitum, denarii non dabantur maturiori tractatu, conſilio profundiori, quod huius temporis vulgus ſuffarcinato etiam marſupio, ſicco concoquat ore famem. Et quaſi aliquid ſacroſanctum vitat dare pro victu nummum, ne debiliter numerum. Clericis egentibus, & monaſteriis immenſum quantum nummorum cumulat, plerumque verecundiores ad rogandum inuitans. Nec pudebat Archiepiſcopum alte ſuccinctum pauperibus cibos apponere, & tenuioris fortunæ ſcholares ad diſputationum pugnam cōmittere. Poſt verba vtrique læti abibant, dum & victor ſcientiæ pręmium, & victus acciperet verecundiæ ſolatium. Ædificia Eccleſiæ, cui ſedebat, vorax flamma ante nō multum conſumpſerat, cumulabantque ruinam aggeres parietum, diſiecta tectorum. Ille deturbatis veteribus fundamentis ſuſcitauit in ampliorem ſtatum omnia: ignores maiore pulchritudine, an velocitate. Auxit enim bonæ voluntatis gloriam celeritatis induſtria. Et primo quidem monachos, tumultuariis & anguſtis, poſt elaboratis & magnificis ædibus incluſit. Iam vero ex abundanti eſt dicere quantum ibi ornamentorum congeſſerit, vel in palliis, & ſacris veſtibus, in quibus cedente materia manus aurificum vincebat expenſarū precium, vel in diuerſicoloribus picturis, vel lenocinante ſplendore fucorum ars ſpectabilis rapiebat animos, & pulchritudinis gratia ſollicitabat oculos ad lacunaria. Poſſeſſiones omnes villarū, quæ vel anteceſſorum incuria, vel exactorum violētia aliena ingemiſcebāt imperia, in ius domeſticum reuocauit, fauente rege, & manu tenente: adeo vt etiā ab eiuſdem regis fratre *Odone* Baiocenſi Epiſcopo, & Comite Cantiæ placito extorqueret, q̃ ille iniuſte detinebat. Animus enim verſipellis, & fallax bona Cantuarienſis Eccleſiæ inhiauerat, & ꝑfectò peſſum dediſſet, niſi *Lanfrancus* obſtaret. Præualebat in eo animæ viuacitas, ſed & beatiſſimi *Dunſtani* in eum fauor effuſus. Nam quotieſcunque in talibus cunctabundus ne res male vergeret ſuſpenſam differret ſententiam, aderat ille ſoporato detegens aduerſariorum argutias, & euadendi demonſtrans ſemitas. Quinetiam quondam ægrum, & cunctantis vitæ pertæſum in viſione, qua videretur cum eo luctam iniuiſſe, eripuit diſcrimini, reſtituit bonæ valetudini. Monachi Cantuarienſes, ſicut omnes tūc temporis in Anglia ſecularibus haud abſimiles erant, niſi quod pudicitiam nō facile proderent, canū curſibus auocari, auium prædam raptu aliarum volucrum per inane ſequi, ſpumantis equi tergum premere, teſſeras quatere, potibus indulgere, delicatiori victu, & accuratiori cultu fragilitatē neſcire, parcimoniā abnuere, &c. id genus, vt magis illos cōſules, quā monachos præ frequentia famulantiū diceres: hoc ille conſpicatus aliquandiu patien-

patientiam tenuit, nec comminus pauidos rancore auſteritatis exterruit. Sciebat enim artis artium, id eſt, regiminis animarum peritiſſimus *conſuetudinem à natura eſſe ſecundam, & repentina morum conuerſione teneriores exacerbari animos.* Quapropter blandis monitionibus per interualla temporis nunc illa, nunc iſta ſubtrahens cote virtutum rudes exacuebat ad bonum mentes, elimabatq́; ab iis vitiorum rubiginem; & vndecunq́; malorum extirpabat plantaria, continuo ibi bonorum iaciebat ſemina. Nec prius abſtitit, quam adulterinis abdicatis fœtibus vltronei geniales virtutum adoptarent ſucceſſus. Sunt hodie ampliori, quam vſpiam Angliæ, vt decet numero, religione Cluniacenſibus non impares. Plurimus ineſt iis adhuc *Lanfrancus*, multa viri memoria, ingẽs in Deum deuotio, pulchra in aduenientes affabilitas manet, nec in æuum abolebitur communis in omnes, ſingularis in vnumquemq́; illius charitas. Quod nullum vnquam triſtem permitteret, ſed ſi quenquam ſubnubilum videret, ſtatim ſciſcitaretur cauſam & quæreret, cognitæ impiger mederetur. Vltroneus iuuenibus offerre denarios, quibus neceſſitudinum propriarum inopiæ occurrerent. Si autem datum fortuito excideret, geminare, idq́; clam aliis eſſe præcipere. Prouidens præterea per totam Angliam monachis: vt nec deplorarent neceſſaria, nec claudicarent a regula. Iamq́; enim Epiſcoporum liuor increuerat, volentium ab Epiſcopalibus ſedibus monachos clericis immiſſis extrudere. Author huius factionis fuit *Walchelmus* Wentanus ad cætera bonus, ſed in hoc ad prauum conſiliis ſuſurronum flexus, plus 40. canonicos, cappis, & ſuperpellicüs ornauerat. Regem in ſententiam traxerat, & tantum moræ in medio vt Archiepiſcopi conſenſum eliceret. Is quo minus haberetur, nihil dubitandũ. At ille auditũ facinus exhorruit, & tot pot entũ excogitatas machinas, vt caſſes aranearũ, ſolo intuitu diſſoluit. Quinetiã ne idẽ auderent poſteri, egit, vt *Alexander* Papa ſcriptis inhiberet: magnũ id, & laudandũ, vt quod ſedula ſanctorũ benignitas tẽpore regis *Edgari* inchoauerit, iſte labefactari nõ permiſerit. Quamuis nunquã cõparatione factũ huius cũ illorũ facto penſitetur. Nã illi totius Angliæ magiſtri, arridente ẽt rege facile quod vellent efficerent. Iſte aũt ſolus cõtra tot obſiſtentes rẽ profligauerit & vicerit, Abbatiã ſancti *Albani* per *Paulũ* Abbatẽ, quẽ ibi conſtituit, in eũ quo nũc eſt ſtatum prouexit. In Roffenſi Epiſcopatu clerici ſeruientes vix ad quaternariũ numerũ aſſurgere poterant, & ipſi quotidiani panis egentes. Hos per *Gundulfum* Epiſcopũ ſuſtentans ſumptibus propriis monachos ad quinquaginta introduxit, quibus villa magnifica data procurauit, vt non ſolũ non afficerentur inopia, ſed ẽt victualium gauderent copia. Extra Cantuariã vrbẽ in Aquilonali parte lapideas domos omnib. egenis, in Occidentali parte regia valetudine fluentib. ligneas locauit, canonicis ẽt apud ſanctũ *Gregorium* regularib. inſtitutis, qui iis diuina facerent officia, diuiſis pro varietate ſexuum habitaculis, ſumptib. prouiſis, miniſtris delegatis huiuſmodi tẽmpore *Willielmi* maioris inſiſtebat operibus, non multas de his, quæ ab eo petenda putaſſet, repulſas paſſus. Nã ad cæteros minus ciuilis, illi erat affectuoſus & dulcis, laborãti ergo iuſtitiæ præbebat manũ ne laberetur in præceps; cæterum multoties vitæ ſuæ tædium apud amicos ingemiſcẽs, coniectabatq́; & prædicebat ex præſentibus futurorum peſtem vir ſagacis animi, & æui maturus. Nec eum fefellit æſtimatio. Siquidem defuncto patre iunior *Willielmus* in regnũ ſuffectus, cũ *Lanfrancum* parum ſibi conniuentem offenderet, ingentib. promiſſis iuris & æqui tenendi mollitũ ad ſuffragium ſuum auertit. Sed poteſtate potitus, multiſq́; pro defectione principum pene omnium angoribus conflictatus promiſſa negligebat. Quapropter ſponſionis ab Archiepiſcopo admonitus turbide reſpondit, Quis omnia poteſt facere, quæ promittit? His pertæſus non moras longas in luce traxit: Sed poſt annos 19. Epiſcopatus febrim nactus, cum medici conſulti neceſſariam potionem reſpondiſſent, prius ſe confeſſione & viatico muniuit. Hinc poculo ſumpto, ſed in contrarium verſo efflauit, qualem ſemper optauerat exitum ſortitus. hoc enim domeſticis confitebatur, ſe dominum deprecari; vt vel diſſenteria vel febri vrgente moreretur, quod hæ valetudines nec memoriam turbẽt, nec loquelam implicent. Vir cuius induſtriam prædicabit Cantia, cuius doctrinam in diſcipulis eius ſtupebit latinitas, quantum omnes anni durabunt. Nam ipſe pauca ingenii ſui monumenta reliquit, decretales epiſtolas, & præcipuam contra *Berengarium.*

Poſt eum vacauit ſedes Archiepiſcopatus annis plus quatuor. Rex enim malorum ſuſurronum conſiliis, plus iuſto credulus omnes ſibi redditus annumerabat. Sed de talibus alias dixi, multum, vt decet, regiæ maieſtati deferens. Ad præſens nos aliud vrget opus, vt de ſucceſſore *Lanfranci* rerum ſeriem pertendamus. Quanquam non ſeriatim verba, ſed ſummatim facta executurus ſum, prono fauore domino *Edmero* cedens, qui omnia ita lucide expoſuit, vt ea quodãmodo ſubieciſſe oculis noſtris videatur. De *Anſelmo* eſt ſermo, qui in Auguſta ciuitate oriundus, quæ ſe primã trãnſcendentib. Alpes exhibet,

mediocritatem natalium in clariſſimam famam face virtutum ſuarum extulit. Puer literis inſtitit, pueritiam egreſſus nũquam vel laſciuiori aſpectu caſtimoniam turbauit. Patriam terram exeundi patris ira adoleſcenti occaſionem ingeſſit: quam cum ille nullo poſſet lenire ingenio: ne domeſtica ſimultas in violationem naturæ tranſiret, abſceſſu fefellit ſuo. Euaſis Alpibus, cum volutaret anxius animi quo tenderet, diuina dignatio fluctuantem ſerenauit, Normanniam ad *Lanfrancum* eundum, cum quo ſi moraretur, & patriæ neceſſitudine, & literarum fomite incolatum leuigaret. Cum ergo Beccum veniſſet, non aſpernanter à *Lanfranco* ſuſceptus, magnũ ei leuamentũ ad ſcholas regendas fuit. Adoleſcebat interea virtus cũ æuo, induſtria cũ ingenio. Iamq; vernans tempus ætatis meditabatur in robur iuuentutis ſerpere. Erat.n. 27. annorũ cum deſiderio monaſticæ religionis afflatus eſt. Nã ẽt olim tenellus puer idẽ deſiderauerat, inſignes auſus in anguſto corpuſculo verſans. Petierat, & acceperat adeo grauis morbi incõmodum, quo parens vterq; perterritus Deo filiũ voueret. Tunc vero plurib. ſecũ ratiocinationib. agebat, quid præſtaret, heremitã agere vel monachũ. Si monachũ, vtrũ conduceret animę diuiti loco, an tenui. Diues ſc. locus conferret otium pro vbertate reddituũ, ſed auferret pœnitudinis tædiũ pro copia neceſſariorũ. Tenuis è contra pro laborib. laſciuiam excuteret, ſed pro debilitate virium multiplicaret ſuſurrũ. Item vtrũ melius eſſet monachũ fieri Becci, an alibi. ſi Becci, fruſtra ſe ingeniũ triuiſſe in literis, cum nullus eſſet, ibi quẽ doceret, quod quãlibet magnã ſcientiã fama *Lanfranci* obſcuraret. Si alibi, vbi pauci eſſent literis probati, ex ſolitudine, & ſingularitate ſcientiæ poſſe ſuperbiam generari. Has ratiocinationes ſecũ diu decoctas in amantis ſui *Lanfranci* ſinum cõpetenti euaporauit tempore. Ille ad *Maurelium* Rothomagẽſem Archiepiſcopũ referendũ cenſuit, quod eſſet monachus, & quod pro longæuitate religionis ſectarum omnium diſcretus arbiter. Quid morer? Prolatis & diſcuſſis rationibus monachatus præfertur cunctis religionibus, quod ſoli monachi viuãt ſub alieno arbitrio, ſubſternantur obedientiæ, valefaciant voluntati propriæ. locus Beccus eligitur: vbi temperato inter egenum & ſuperfluum vſu, nec labor frangeret, nec mollities eneruaret, vbi ſurgentem faſtum in *Anſelmo* premeret *Lanfranci* comparatio. Monachi non eſſe, vt per doctrinam nundinetur famam, vt cupiditate gloriæ vendat literaturam. Fit ergo ibi monachus, & poſt triennium tranſlato *Lanfranco* Cadomum, Prior ab *Herlewino* Abbate inſtitutus eſt. In quo officio 15. annis vitam ſuam omnibus virtutibus excoluit, iuuenibus maxime intendens, quod pro ætatis teneritudine poſſent vel induſtria ad bonum, vel incuria ad malũ effigiari. frugalitati adeo inſueuit, vt tunc conſtricta vitalia, poſteriori tempore, etiamſi vellet, ampliori cibo aditũ negarent. Peculiaritatis vitium cũ in ſe voluntate; tũ in aliis prædicatione extirpabat, id eſſe ſolũ dictitans, quod Diabolũ è cœlo, hominem è paradyſo eliminauerat, quod ipſi Dei præcepti transfugæ, volũtati indulſiſſent proprię. Itaq; proprio mentis arbitrio indulgentiã auferens, nihil omnino exterius aggregabat omnis generis peccatũ adeo cauens, vt diceret, malle ſe eſſe ſine peccato in inferno, quam cũ peccato in cœlo: Dictũ tunc plauſibus exceptum, nunc intellectorẽ deſiderat, ſed alias quærẽdus expoſitor. Orationum, & meditationũ eius inſtantiã indicat liber de his, ſpiritu ſancto, vt credimus, dictante conſcriptus, cuius ipſe affluentiam bibulis hauſerat medullis: Soliloquiorum ẽt ad ſe & allocutionum ad Deum libri, quibus cogitata omnium anteceſſorum euicit, vel vt mitius dicam in vnũ aceruum coegit. Credulitatem.n. noſtrã, quam illi authoritate extorquere volunt, ille ratione roborat, quod credimus, ita eſſe, nec aliter eſſe poſſe, inuincibilibus approbans argumentis. diſcretione & patientia ęmulorum animos obtinuit, qui ſibi prælatũ illum dolerent. Sedulitate in defunctũ iuuenẽ cæterorũ omnium ad bonũ accendit ignauiã, animauit induſtriã. Nec interea tacita in eius pectore ſine miraculis viuebat religio, ſed non paucis ſignis Deus viri gratiam exhibebat. cogitãti nocte quomodo Deus potuiſſet prophetis vno momento oſtendere præterita, præſentia & futura, idem munus collatum. Recluſis enim à dormitorio in Eccleſiam omnium parietum obſtaculis, vidit monachum, cuius id curę erat, à lecto egreſſum funẽ ſigni tenere, quo monachos admoneret ſurgere. pudendorum ſanies ſolo eius viſu in ſanitatem reſtoruit. lauatura manuum eius in potu ſumpta leproſus luridam cutẽ exuit. Languidũ morti vicinum, qui ſe videret à lupis immanibus circumſeptum, belluinoq; rictu deuorandum, ideoq; clamores horrendos eiiceret, aduentu ſuo fugatis hoſtibus placida quiete donauit. Alter à deſperato morbo per aquę benedictæ iactum conualuit. tertius illecebras carnis eius benedictione euaſit: is fuit *Boſo* tunc iuuenis, poſtea Beccenſis Abbas, qui cũ *Anſelmo* in libro, Cur Deus homo, loquitur. Qui iuuenis adhuc ab eo monachus factus recẽtis profeſſionis tædium patiebatur: veteris & deſuetæ flammæ agnoſcens & ingemiſcens veſtigia. Quapropter patri æſtus ſuos confeſſus: hoc tantum reſponſi accepit. Deus miſe-

reatur

reatur tibi fili. Quo dicto, animæ patientis lux ſecreta influēs coagulū vitiorum extenuauit & depulit. Defuncto dehinc *Herlewyno* Abbate amplius munus ſuſcepit *Anſelmus* ab omnibus Beccenſibus in Abbatem electus: quamuis multis excuſationibus refugere niteretur. Hoc ille magnis virtutibus inſeruit, de quibus par videretur aliquas perſtringere. nā 15. annis, quoque hoc officium exercuit: ſed quia eſt animus magis illa deſcribere, quæ ad eius Archiepiſcopatum pertinent, furabor, & pertranſibo locum hunc. Caſtigat enim & præcipitat dicendi moras ſuſcepti operis neceſſitas: ne reculcare videat, quæ clariſſimo præoccupata ſunt ingenio. Quamuis, ſicut in aliis dixi, non videatur abſurdum ſi virtutum eius & operum indicem texuero, vt qui ſpatioſa illa volumina non attigit, iſto inſtruatur compendio. Suſcepto ergo in alteram vitam *Lanfranco*, deprædationes Eccleſiarum vbique in Anglia, bonorum proſcriptiones exerceri. Mater Eccleſiarum in Cantuaria fiſco adiecta regio, annuis & ſæpe etiam menſtruis exactoribus vellicabatur. Tolerabilius enim propemodum videretur, ſi vnius, cui conſueſſet, perpetuum imperium ingemiſceret, quam nouis & ſibi ſemper ſuccedentibus dominis ſubiaceret. Inter hæc apud Epiſcopos ſilentium grande, nec erant canes, qui latrare valerent. Nulla vox credebatur dolori, *intra conſcientiam ſtrangulabatur iudicium ob vnius hominis metum. Nam quid attinet loqui, vbi loquendo irrites odium, nec vllum nanciſcaris emolumentum? Erat tamen ſpes nonnulla his malis poſſe imponi finem, ſi quando Cantuarienſem Archiepiſcopum viderent, qui eſſet os omnium, vexillifer præuius, vmbo publicus. Spargebaturq́; in vulgus rumor, haud equidem ſine mente & numine Dei, vt arbitror, *Anſelmum* fore Archiepiſcopum virum penitus ſanctum, anxie doctum, fœlicem futuram huius hominis benedictionibus Angliam. Huiuſmodi verba ad aures eius prolata continuerunt eum in Normannia totis 5. annis, quamuis crebro cauſis ingruentibus vltra mare aduocaretur. Inuitabat ergo eum multorum neceſſitas, ſed retrahebat timor, ne famæ melioris oblitus raptari ambitione Archiepiſcopatus putaretur. Poſtremo, cum iam differre ſine diſpendio animarum nequiret, in Angliam nauigauit, conſcientiæ ſuæ puritatem domino ſacrificans. Cæterum quid homines loquerentur, ipſi viderent, cum quantum ſua intereſſet, eorum obloquia honeſta diu conuerſatione vitaſſet. Simul etiam rumor de eius Archiepiſcopatu minas olim intentans longinquitate temporis deteruerat. Aduentus plures & rationabiles fuere cauſæ, ſed hæ præcipuæ: vt Abbatiam apud Ceſtrum firmaret, quam eiuſdem ciuitatis Comes *Hugo* monachis potiſſimū Beccenſibus implere volebat: vt eundem *Hugonem* iamdudum languētem viſitaret, qui quanquā in ſupremis poſitus omnium in confeſſione ſupercilium recuſans *Anſelmum* expetebat, veteris amicitiæ pignus apud eum depoſiturus, ſi moreretur: vt prædiorum ſuorū vectigalia lenito interceſſionibus ſuis rege leuigaret. Et prima quidē continuo expediuit, tertium vero abſoluturus, curiam contendit. Nec molles, vt alii rimatus aditus, ſtatim vt venit pro ſanctitatis reuerentia in interiora admiſſus eſt. Data ſecreti copia, cuncta, quibus regem accuſabat fama, incunctanter aperuit, neceſſitates quoque ſuas modeſte, allegans. Ille omnia negotia Beccenſis Eccleſiæ ad arbitrium rectoris componens, cæterarum rerum amaritudinem cachinno diſſoluit, famæ licentiæ non ſe poſſe obuiare dictitans, cæterum ſanctum virum non debere illa credere. neq; enim procaciore reſponſo exſufflare hominem tunc volebat, ſciens quanti eum pater & mater pendere ſoliti eſſent, dum aduiuerent. Nam & hoc in rege magnificum videri debet, quod qui omnia pro poteſtate facere poſſet, magis quædam ioco eludebat, ad ſales multa extra iudicium animi transferens. Cū enim ab Epiſcopis ei ſuggereretur, vt permitteret orationes per regnum fieri, quo Deus ei dignaretur inſpirare vt matrem Eccleſiarum paſtorē ſubleuaret: Reſpondit ludibundus riſu iram diſſimulans, Orate quod vultis, ego faciam quod placebit, quod nullius vnquam oratio volūtatem meam labefactabit. Item cum in conſeſſu procerum de *Anſelmo* haberetur verbum, vnus intulit, ipſum eſſe ſolum noſtro tempore nullius honoris cupidum: Tum ille ſubſannans, nec ait Archiepiſcopatus Cantuarienſis? quod cum ei æque à colloquente negaretur, affirmauit *Anſelmum* omnia pedibus, manibuſq́; acturum, ſi modo vllius ſpei honoris illius conſequendi nanciſceretur ſpiritum. ſed per ſanctum inquit vultum de *Luca*, & ipſe & omnes Archiepiſcopatus competitores hoc tempore mihi cedent, quod ego Archiepiſcopus ero. Talia frequenter ingeminās, mox vim morbi grauem perſenſit, quo aucto poſt paucas horas decubuit. Ac tum forte *Anſelmus* a tumultibus curiæ ſe remouerat, ſed pernicitate à rege directi nuncii concitatus, deſideranti præſentiam ſuam exhibuit, cuius cōfeſſione, ex conſenſu Epiſcoporum ſuſcepta, de peccatis dolentem inſtituit, vt virgam emendationis indicem per Epiſcopos, qui tunc frequentes conuenerant, ſuper altare vadem mitteret, viduatis Eccleſiis paſtores ſufficeret, exules reſtitueret, vinculatos expediret. Facit ille

al. contra

omnia, nihilo remiſſiori deuotione quam ſi à Deo iuberetur. vrgebat eum amarior valetudo, pœnaſq; delictorum repoſcere ſperabatur. Tunc commode ad circumſtantes ſermonem produxit ægrotus de conſolatione Cantuarienſis Eccleſiæ, in epiſcopos eius rei conſiderationem tranſmittens. Plauſu exceptum eſt verbum, ibatq; clamor in cœlū, bona, & ſalutem regi optantium. Transfunditur tamen in eum cōſultationis dignatio, proniſq; mentibus in aſſenſum regium pendetur, vt quem ipſe dignum pronunciaret, cuncti profecto ſuſciperent. Ita ille cubito ſeſe attollens, hunc ait ſanctum virum *Anſelmum* eligo, ingenti ſubſequuto fragore fauentium. Hoc audito ſecuritatem *Anſelmi* pectoris pauor hauſit, ſimul & facies impalluit. Conantem ſuper his excuſationes moliri, in partem tulerunt epiſcopi: & primo quidē his verbis deliniunt. Gratularetur tempori, quod ipſe Deus proculdubio adminiſtraſſet, vt per eius Archiepiſcopatum poſſent tot per Angliam mala recidi, perturbationibus omnibus dexter modus imponi. Pronunciaret ille, quod fieri in Dei rebus vellet, ſe non defuturos eius ſuffragio. Ille dominū pro eis oraret, ipſi forenſia, ſi qua eſſent, pro eo ſuſciperēt. Suſciperet ergo benigne, quod diuinitus regi feroci videbatur inſpiratū, ne omnium peruerſitatum, quæ deinceps in regno emergerent, culpabilis eſſet. Talia iactabant: ſed ipſe futurorum præſagus, omnes eorum ratiocinationes leui reſponſo exuit. Tanto ponderi ſe pro ætatis debilitate non eſſe cōgruum; præſumptuoſum ſi iuuenis quilibet tantū tentaret laborem, nedum ipſe cui ſanguis heberet, & cuius vires æmula ſenectus carpſiſſet. Secularia negotia ſe neſcire, quia nollet ſcire, quorū occupationes, ſemper poſt monachatum horruiſſet, liberū affectans animum voluptati ſanctarū ſcripturarū intendere: velle illos diſſonantia facere, vt aratrum ſanctæ eccleſiæ, quod in Anglia duo boues validi, & pari fortitudine ad bonum certantes, id eſt rex, & archiepiſcopus Cantuarienſis debeāt trahere, nunc oue vetula cū tauro indomito iugata diſtorqueatur a recto. & ego, inquit, ſum ouis vetula, qui ſi quietus eſſem, verbi Dei lacte, & operimento lanæ aliquibus poſſem fortaſſis non ingratus eſſe: ſed ſi me cum hoc tauro cōiungitis, videbitis pro diſparilitate trahentiū aratrum nō recte procedere. Nullū ergo de hoc facto emolumentū habebitis, imo dū timor veſtra opilauerit ora, videbitis eccleſiā, cui inconſulte cōſulere vultis, viuo paſtore carētem. Præterea, cum ſim alterius regni abbas, quam indecens, & ambitione plenū ſit videtis, vt defraudem monachos, quibus tutelam, & archiepiſcopū exhonorem, cui profeſſionem debeo. Eo inſtantius illi vrgere, & omnibus quæ obiecerat feſtinam medelam promittere. Rex quoq; nūciata ſibi obſtinatione repulſæ, per paternam & maternā amicitiam obteſtari, ne ſuæ detrimento animæ, velit in ſentētia permanere. quin ēt omnib. ad eius pedes prouolutis, ipſe quoq; in faciem concidit, nulliſq; flectebatur heros lachrymis, nullis lactabatur promiſſis, adeo (vt poſtea ſub obteſtatione deitatis dicebat) tūc anxius, vt ſi voluntas Dei eſſet, mallet carere ſpiritu quā tanto curarū fluctuare æſtu: quin & monachos ſuos pręſentes de ſuffragio lachrymabiliter appellabat, donec epiſcopi mutuo ſe cohortati, impetū quaſi in hoſtem coniurant. Itaq; pars à tergo, pars ab ante, cum ad lectū iacentis impellūt. Arreptæq; manus digitos, quos in volā ſtricte curauerat, erigere conātur: aliquantoq; labore caſſato, ꝙ fortitudinem in viro ſuſcitauerat ira, & dolor, vix indice leuato, cū ille pro violentia voces dolētis exprimeret, baculū paſtoralem appoſuere. Stringentes continuo manū ne abiiceret, traxerunt potius, quā duxerunt in eccleſiam, ſolennia pro more munia executi: & licet læta vox omniū, *Te Deum laudamus*, canentiū, diuerberaret auras: ille, niſu, quo poterat, clamabat, „Nihil eſt, quod agitis, nolo, nō conſentio: Regreſſuſq; ad regē illum propediē melius habiturū dixit, ſe non cōſenſiſſe violētiæ: Ideoq; omnia, quæ facta fuerant, de hac re in ſe in irritū deduci poſſe, & debere. His dictis, comitatus magnatibus excedens curia, ſucceſſit hoſpitio, lachrymas vbertim eiiciēs, multoq; dolore grauis. Tali ergo geſtu internæ volūtatis interprete, magis* intendit decūbentis animos, vt ſtatim iuberet ipſum pronunciari in vulgus archiepiſcopū, inueſtiriq; omnibus, quæ ad eccleſiæ Cantuarienſis ſpectāt reditus. vrbē præterea Cātuariæ, quā Archiepiſcopus *Lanfrancus* habuerat, ex beneficio iſti conceſſit ex ſolito. Act. anno ab incarnatione Domini 1093. pridie Non. Martii prima Dominica quadrageſimæ. *Anſelmus* igitur in prædia eccleſiaſtici iuris abiit, & rex diſcuſſa infirmitate conualuit. Impigre enim quod inceperat, vrgebat, vt *Anſelmum* in Archiepiſcopatum firmaret: miſſiq; ſunt nuncii in Normanniam cum literis regis ad Archiepiſcopum Rothomagenſem, & monachos Beccenſes, qui liberam ei ceſſionem impetrarent. Illi quoq; rationem rei, quæ petebatur, diligenti lance penſantes, aliquantis controuerſiis prolatis, & euentilatis tandem conceſſerunt. Sed ſuſpendit ordinationem eius ſimultas inter ipſum & regem, irrepens huiuſcemodi de cauſa. Conuenerat eum rex fauorabilis aſſentationibus, vt poſſeſſiones Eccleſiæ *Chriſti*, quas ipſe abalienauerat, voluntaria di-

al. accendit

ria indignatione in clientum ſuorum ius æternum tranſcriberet, qui illas poſt deceſſum *Lanfranci*, per eius donum inuaſerant: negauit *Anſelmus* infligere damnum Eccleſiæ, cui ipſe nihil contuliſſet. Commota ex his principis bile, quod ante de pontificatu eius ſummo celebrabat ſtudio, dilatum, & pene omiſſum: vnde egregia mens eius aſſurrexit lætitia, ſperans ſe omni prælationis defunctum munere, & in ſolitariam vitam transferẽdum. Iam enim Abbatiæ dato baculo deceſſerat per Rothomagenſem Archiepiſcopum *Willielmum* abſolutus. Solebatq; tunc, & ſæpe profiteri, quod ad nullam prælationem valeret, niſi ad Prioratum clauſtri, quia & gauderet ocio, & aliis laboribus impar, linguam ad benedicendum promptam haberet. Veruntamen multo fluente tempore omnium querelis rex turbatus, quod carentes rectore peſſum irent Eccleſiæ, vix perſuaſit ei, vt ſuſcipiẽs Archiepiſcopatum conſenſu ſuo cunctorum roboraret deſiderium. Ingentibus autem promiſſis, quæ ipſas onerarent auras, effuſis, quæ hominem illicerent, tardantem impellerent, Regalia pro more illius temporis faciens principi, 7. Kal. Octobris, Cantuariæ aſſedit: ſed pridie N. Decembris ab omnibus Epiſcopis Angliæ ſolennia Epiſcopalia ſuſcepit, fuitq; Prognoſticon eius, *Vocauit multos, & miſit ſeruum ſuum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent, quia parata ſunt omnia, & cœperunt omnes ſimul excuſare*, Nec multo poſt rex mare tranſiit. Erãt his diebus duo competitores Romani præſulatus, *Wibertus* & *Vrbanus*, ſummi ambo, & præſtantes viri, neuterq; alteri pro perſona cedebat. Conſenſu dubio fluctuabat Anglia, in *Wibertum* tamen metu regis inclinatior. *Anſelmus* iamdudum *Vrbanum* in Papam ſuſceperat, idq; rege non abnuente exceperat, cum ad Archiepiſcopatum eligeretur. Veruntamen cum ille rediſſet in regnum, caſſus moliminis, quo meditatus fuerat fratrem prouincia ſpoliare, adiit eum Pontifex, petiitq; licentiam Romam eundi pro pallio ſumendo a Papa *Vrbano*. Hoc dicto rex, vt ſemper calori pronus erat, nouas cauſas irarum inuenit: excitatuſq; in malum pronunciauit, non rectam eum fidem, quam ſibi promiſerat, poſſe ſeruare, ſi ſua ſine licentia *Vrbanum*, vel quemlibet Papam appellaret. Differendum id ad frequentiorem conuentum reſpondit *Anſelmus*, ſerioq; tractandum, vtrum ideo fidelitatem terreni Domini debilitaret, ſi vicarium ſancti *Petri* appellaret. Magnis ergo vtrinque motibus, magnis conſultationibus actum: eratque ratiocinatio regis huiuſmodi. Conſuetudo regni mei eſt à patre meo inſtituta, vt nullus præter licentiam regis appelletur Papa. Qui conſuetudines regni tollit, poteſtatem quoque & coronam regni violat. Qui coronam mihi aufert, inimicitias, & infidelitatem in me agit. Reſpondebat *Anſelmus*, Dominus contra ſapit, qui hanc quæſtionem duobus præceptis abſoluit, & enodem reddidit. Quid enim fidelitatis debeamus vicario beati *Petri*, ipſe docet. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: &, tibi dabo claues regni cœlorum, & quæcunque ligaueris ſuper terram erunt ligata & in cœlis, &, quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in cœlis*, & communiter omnibus, *Qui vos audit, me audit, &, qui vos ſpernit, me ſpernit*. Et iterum, *Qui vos tangit, quaſi qui tangit pupillam oculi mei*. Porro quid debeamus regi, alias declarat. *Reddite quæ ſunt* Cæſaris, Cæſari, *& quæ ſunt Dei, Deo*. Reddam ergo ſine offenſa in his, quæ Dei ſunt, vicario beati *Petri* obedientiam: & in his, quæ terrenæ dignitati domini mei competunt, fidele auxilium & conſilium pro poſſe meo non ſubtraham. In his exequendis omnes Epiſcopi Angliæ Primati ſuo ſuffragium negarunt, partes agentes mercenarii, & libertatis profugi. Et quaſi parum id eſſet, omnem ei obedientiam, & ſubiectionem abnegauerunt. Incentor, & vexillifer factionis erat *Willielmus* Dunelmenſis Epiſcopus, homo importunæ facundiæ, & ambitionis infeſtæ. Qui ſperaret Archiepiſcopatui intrudi *Anſelmo* depulſo: ideoque improbius inſiſtebat negotio, promiſeratque regi futurum ſua ſolertia, vt cederet honori, ſponte reddito annulo, & baculo. Sed ventilabat ingenium aduerſo Deo, cum omnia eius, & cæterorum conſilia longis ambagibus voluntata vno contudit reſponſo. Si quis eſſet, qui probare præſumeret, quod ideo fidem terreno negaret regi, quia appellaret vicarium beati *Petri*, eſſet ipſe contra paratus, cui, & vbi deberet, reſpondere. Eo magis illi animis labefactati, maiorem, quam opinabantur animaduerterunt viro ineſſe prudentiam quod ſciret non debere Archiepiſcopum Cantuariæ iudicari, niſi in conſiſtorio Apoſtolici. Ita toto acumine limatorum in conſiliis virorum inaniter aduerſus eum, cui Deus aderat, certabatur. Nam quæcunq; dicenda putaſſent, inuenta ſtatim ratione, ſicut vehementi flatu caſſes araneorum dirumpebat; adeo immotus animo, & ſollicitudinis vacuus, vt illis in partes ſecedentibus, & dicta ſua huc, & illuc ponderantibus, ipſe ſopori ad parietem reclinatus indulgeret. Eodem vultu mente inconcuſſus, nec ira turbulentus, nec metu anxius, tranquillitatem animi, & ipſe fatebatur, & faciei prætendebat hilaritas. Surrectum ergo in clamores, & furias, Dunel-

menſi Epiſcopo palam pronunciante, Eum qui ratione non poſſit compeſci, debere vi opprimi. Reclamatum eſt a proceribus, qui multo magis quam Epiſcopi, ab iniuriis Archiepiſcopi temperandum cenſebant. Deniq; iuſſi vt ei ſubiectionem abnegarent, prorſus refutarunt, dicentes ſe Chriſtianos eſſe, nec velle in aliquo Archiepiſcopi ſui voluntati reſultare. Id rex quamuis moleſte tuliſſet, formidine tamen maioris tumultus, iram intra fauces repreſſit. Tum quoniam ſponſio Epiſcoporum non bene proceſſerat, in eorum reclinatur conſilium, volens vt *Anſelmus* priuatus baculo & annulo pelleretur regno. Sed cum id vi nequiret obtinere, & ille, ſe quidem Anglia cedere, ſed inſignia, & nomen non reddere profiteretur, dilata omnia cum bona pace ab Idibus Martii, quæ tunc erant ad Octauas Pentecoſtes. Hoc illi iam vacationem meditanti, cum proceres renunciaſſent, producto ſuſpirio gemebundus retulit; Quanquam ex præteritis futura nō neſciam, tamen ne omnia meo videar vrgere arbitrio, pacem amplector, quantum mea refert, ab ea non deuiaturus. Qui violator pacis extiterit, ipſe, quantum ad Deum eſt, videret. Nec fortuitum dictum viri a veritate decidit. Nam ante præfinitum tempus multa ei impacta contraria, camerarius eius ad pœnam ante oculos eius abreptus, quidam, quorum conſiliis potiſſimum innitebatur, vltra mare fugati. Arguta malignitatis conſilia, ad eius honoris detrimentū excogitata, & ad rem deducta. Nuncii duo, ſingulares verſutiarum artifices ipſo ignorante, & nihil minus ſuſpicante Romam miſſi, vt explorato vrbis ſtatu agerent apud Papam, vt pallium regi mitteret tradendum cui liberet. Strenue illi, & impigre, quæ iuſſi fuerant executi, Albanenſem Epiſcopum *Walterum* ex præcepto *Vrbani* Papæ Angliam adducunt. Is Dofris appulſus clam *Anſelmo* curiam venit, ingentibuſq; promiſſis animum *Willielmi* ſitientem expleuit. Si *Vrbanus* in Anglia reciperetur ad Papam, fore vt quæcunque rex petenda exiſtimaſſet, ille priuilegio ſedis Apoſtolicæ roboraret. Cæterum ad cauſam Archiepiſcopi nihil ſuffragii, niſi quod rogatus vt eum expelleret, impoſſibile factu reſpondit, vt vir celebratiſſimæ ſanctitatis, & ſcientiæ, & in præſulatum introductus legitime, deturbaretur, nullius obnoxius culpæ. Continuo igitur edictum per prouinciam promulgatur, *Vrbanum* Apoſtolicum debere dici, & credi. Eo audito mirari *Anſelmus*, cum ecce frequentes Epiſcopi ad eum miſſi venerunt: pertentatóque ſenſim homine, vtrum ad redimendam regis amicitiam eſſet infractior, cum nihilo mutatum experirentur, quod latebat aperuere. Dominum regem ſua opera, & impenſa pallium a Roma meruiſſe, ſuóque labore tranſegiſſe negotium, quod illi conſtaret multis marcis. Par eſſe vt tanto Principis beneficio, digno reſpondeat muneris officio. Ingemuit ille doli machinam in effectum deductam, dicta Epiſcoporum largis ſuſpiriis excipiens, negauitque ſe quicquam propter hoc daturum, quia parui æſtimaret beneficium, cuius amplitudinem ipſi tanti penderent. Per hoc Rex edoctus nullo modo mentis eius robur eneruari poſſe, vt in amicitiam ſuam cederet, ſalua dignitatis ſuæ magnanimitate vltro eam expetiit, & impetrauit. Dataque ei publice poteſtate, vt per totum regnum Primatus ſui ius exerceret libere, dies præfixa, quæ Albanenſis Epiſcopus cum pallio Cantuariam veniret, venienti, & ſacrum inſigne in vaſe argenteo deferenti vulgo applauſum, ab Archiepiſcopo nudipede, ſed ſacerdotalibus veſtimentis induto occurſum. Inde ſuper altare Domini ſaluatoris pallium aſſumptum ſacratus Pontifex beatis humeris compoſuit, & ad diuina celebranda proceſſit: erat tunc dies Dominica, 4. Idus Iunii, fuitque nonnullis ingenti miraculo, quod idem Euangelium illa die occurrit, quod ante Prognoſticon eius fuerat, *homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos, & miſit ſeruos ſuos hora cœnæ, &c.* Ita concordia inita, & rege vltra mare profecto, ſerena pacis tranquillitas toto illo anno ab animo *Anſelmi* curas depulit, & bonorum hominum leuauit ſollicitudines. Sed poſteriori tempore *Willielmo* reuerſo rurſus tempeſtas intonuit, rurſus procella odiorum inhorruit. Enimuero ille fœlici lætus euentu, ſtatim in Walenſes contendit. Nam maxima Dei gratia omnibus eius conatibus occurrente, ita in omnibus vſus eſt placido alluſu fortunæ, vt videretur cum eo Deus beneficiis certare. Si pugnam adoriretur, opimas manubias referebat: ſi pelago impacato nauigare volebat, ſtatim venti furorem ponerent. Videbat hæc *Anſelmus*, & aggaudebat, ſperans illum propter tam affluentem gratiam quandoque liberam facere Eccleſiam. Quocirca de Gualenſi expeditione reuerſum meditabatur leniter aggredi, ſed præuenit ille conuitiis per nuncium exagitando Archiepiſcopum, cauſatus militum, quos in hoſtem miſerat, paucitatem, & inertiam. Quo allato ſpes omnis emendationis apud *Anſelmum* obtorpuit. Dimiſit igitur nuncium reſponſione vacuum, ne reciprocis relatibus iurgiorū campus aperiretur. Sæuiebat credo, inſtinctu diaboli cōtra Pontificem fortuna: parabanturq; in proximam curiam contra eum machinamēta. Quæ

omnia

omnia petendo licentiam eundi Romã quaſſauit, & depulit; cum prius multis moliminibus voluntatem eius ſuper eccleſiarum ſtatum attentaſſet. Quocirca hæc communicaturus cum Papa, rogauit, vt dixi, licentiam pergendi Romam, bis terq; fruſtra. Intelligo enim, aiebat rex, licentiam interdicendam, cum eum nullo graui peccato ſciam onerari, cuius à Roma petat abſolutionem, nec egere illius loci conſilio, cum ei nullius ſcientiæ deſit copia. Magis certe dixerim, *Vrbanum Anſelmi* cedere ſapientiæ, quam *Anſelmum Vrbano* indigere. Quodſi pertinacius cœptis inſtiterit, omnem Archiepiſcopatũ in meum fiſcum redigam. Transgreditur enim promiſſa ſua, quibus fidem ſuam aſtrinxit omnes conſuetudines ſeruaturum regni mei. Inſolitum eſt quippe mihi, vt quiſquam procerum meorum eat Romam, niſi meo potiſſimum miſſu. Ideo vel iuret mihi ſe nunquam deinceps pro qualibet * oppreſſione ſedem Apoſtolicam appellaturum, vel euacuet regnum.

al. impreſſione

Hæc, inquit, vos fideles mei dicite ſibi, & ſi videritis eum velle deſiſtere itinere, tunc vigorem curialis iudicii experiatur, quod me toties inquietare nõ timuerit de re, quam ad ſummam perducere nolit. Contra hęc per nuncios *Anſelmus* agendum non ratus, ipſe ad regem ingreſſus, pro more dextræ illius aſſedit, habuitq; orationem ad hanc ſententiam. Quod dicis me non debere ire Romam, quod graui peccato caream, & ſcientia affluam, quamuis neutrum pro vero arrogem, tamen Dei libræ committo examinanda. Quod dicis me promiſiſſe, vt conſuetudines tuas ſeruarem, amplector, ſed conditiones requiro: cum exceptione.n.dixi me ſeruaturum illas duntaxat, quæ legibus Dei conſentaneæ, cum honeſtate eſſent conſtitutæ. Quod dicis me fidẽ excedere, quod præuaricatis conſuetudinibus tuis ſedem appello Apoſtolicam, cuſtodita reuerentia principatus tui, * non verum eſſet, ſi alter diceret: fidelitatẽ enim, quam tibi rex debeo, ex Dei fide habeo, cuius vicarius eſt ſanctus *Petrus*, cuius ſedem appello.

al. no verum eſſe alter diceret

Quod dicis, debere me iurare, ne vlterius pro quauis cauſa Romam appellẽ, publice pronuncio, quod Chriſtianus princeps ab Archiepiſcopo ſuo tale ſacramentum exigit iniuſte. Si enim ſanctum *Petrum* iureiurando abiurarem, negarem *Chriſtum*. Quando vero pro vlla re Chriſtum negauero, tunc tibi de petitæ licentiæ peccato ſatisfacere nõ tardabo: forſitan autem me diſcedente procurabit Deus vt non diu res eccleſiaſticæ, ſicut minaris, tuis famulentur cõpendiis. Obſtrepunt dicenti rex, & proceres, illud maxime obiurgantes, nunquam in conſuetudinibus ſeruandis mentionem Dei fuiſſe, vel honeſti recti. Tum ille comi vultu, & pene in riſum reſoluto dixit hæc verba eadem. Pape: Si nec Dei, nec rectitudinis mentio, vt dicis, facta fuit, cuius tunc? Abſit ab omni Chriſtiano leges, vel cõſuetudines tenere, & tueri, quæ Deo, & rectitudini noſcuntur eſſe cõtrarię. hoc illi dicto quaſi malleo frontes impudentes repercuſſi, demiſſione capitum, & vocis ſilentio iniuſtitiam ſuam teſtati ſunt. Nihil enim ille turbabatur, ſed quandocunque illi ſucclamarent, tacens rurſus ad caput ſententiæ impermotus reuertebatur. veruntamen non continuit rex animum, quin crudeles minas intorquens, diceret, non illum quicquam de regno ſuo exoptaturum. At ille impauidus, pedes, (inquit) & nudus pergam; ſi equitaturas meas & veſtes veſtrùm eſſe quis affirmauerit. Puduit principem dicti, & rubore cinctus ora, non ita inquit volo, ſed vndecimo ab hinc die, cum ad portum veneris, nuncio meo in portandis, vel dimittendis parebis. Iraſceretur alius, ſed *Anſelmus* imperturbatus manens benedictionem ſuam regi nõ abnuenti obtulit, præloquutus moleſte ſe quidem, & ægre iram regiam ferre: ſed ſi dignaretur intelligere ad commodum eius animæ viam inchoatam ſpectare. Subterfugerunt hoc negotium, ſicut & prius Epiſcopi: quos cum ille de ſuffragio conueniſſet, reſponderunt illum & religioſum & ſapientem eſſe. Pro ſapientia cõſilio eorum non indigere: ſed quid faciendum ſit, optime ſcire: pro ſanctitate incunctanter bonum exequi velle, & poſſe: ſed aduerſum dominum ſuum nõ poſſe aſſurgere, cuius gratia carere nollent pro honoribus, & parentibus ſuis, quos diligerent. Ille qui eſſet omnis labis mundanæ & cupiditatis immunis, rem Dei, vt cœperat, perſequeretur, habiturus Epiſcoporum voluntatem tacitam, cæterum vocis opem nullam. Quanquam ſi qua fides, ſi quis aditus meliori conſilio eſſet, præſtaret domi dulce confouere ocium, quam patria & honoribus extorrem tanto indulgere labori. Ita omnes diſceſſere, ſoliſq; duobus pœnitentiam, antequam mare tranſiret, petentibus benignus ignouit. Eorum nomina fuerunt *Oſmer* * Saleſberienſis, & *Robertus* Herefordenſis.

al. Schireburnenſis

vna ergo die Cantuariæ commoratus, peram & baculum, ſolatia, & indicia itineris pro conſuetudine aſſumpſit. Inde Doueram veniens, 15. diebus propter inclementiam venti, ibi contra votum retentus erat. Quo ſpacio nuncius, vt dicebatur, à rege miſſus contubernioq; & conuiuio eius indefeſſe potitus cauſam aduentus ſecretam tenuit. Sed cum iam proſperitas flatuum naues vocaret in altum, ille ex præcepto regis omnes bulgias, & manticas efferri coram, & expilari imperauit. Cru-

dele, & miſerabile ſpectaculum Primatem Angliæ, caput totius religionis, & ſapientiæ, prædonis more exagitari. Sed cum ſolummodo neceſſaria ſupellex, & nihil pecuniarum inueniretur, ille qui venerat facti, quod inuitus fecerat, pœnitens, abire permiſit indemnem. Solutas naues Notus prouexit in ſalum, primo quidem ſegniter, adeo vt retorto flamine retro viderentur Angliam annare. Quod cum præ dolore cordis ſiccis oculis nequiret pater videre, eleuatis in altum manibus auxilium cœlo detraxit. venti enim placatis animis conſtrauerunt æquora, & verſus Flandriam intenderunt carbaſa: ita naues flatu ſecundo ſulcantes mare, non multo poſt Withſandum appulere. Primum hoſpitium illi cum monachis ſancti *Bertini* fuit: cætera fauor adminiſtrauit, omnibus certatim cum Epiſcopis, & Abbatibus inuitantibus, & inuitum etiam detrahentibus. Ibat fama viri prænuncia, & dulci corda audientium afflabat aura. Quocirca quanto amore omnium ſuſceptus, quantis officiis delinitus ſit, conanti dicere ſuccumbit ſermo, & fatiſcit oratio, mira rerum conuerſione, vt honoratior eſſet in aliena prouincia, quam fuerat ciuis in patria, Archiepiſcopus in Eccleſia. Ipſe Lugdunenſis Archiepiſcopus *Hugo* Legatus Apoſtolicus in Gallia magni nominis, & potentiæ, nec religionis egenus, vbi ad eum Lugdunum iter aduertere audiuit, alacriter occurrit, deuote obſequutus eſt. Eius igitur conſilio ibi reſedit, totius cauſæ indices Romam *Vrbano* Apoſtolico mittens, valetudo ſubitanea flagitabat ocium ſimul & conſilium. Videbatur interim Wibertinis prædonibus cedere. ferebat enim per omnium rumor ora veniſſe Archiepiſcopum Cantuarienſem ab Anglia, Romamq; tẽdere ad *Vrbanum* ſuffarcinatum pecunia, magnum eſſe quod ſecum ferat Archiepiſcopus Angliæ, quæ ſit Prouincia omnium fertiliſſima. His illi animos incenſi iam tum ſemitas omnes obſederant, anguſtias locorum occupauerant, ne qua elaberetur. Ingens domino ſuo fore commodum, ſi prenderetur, qui *Vrbani* partium propugnator eſſet. Quare paſſus eſt ardores eorum ad tempus negata præda langueſcere, vt ſe opinione deceptos eſſe credentes, domum redirent: hoc conſilio fructum detraxit inſidiantibus, & iam redierat nuncius præcipiens ex parte Apoſtolici, vt remota omni excuſatione per obedientiam Romam veniret. Neſcius ille cõtraire obedientiæ, & de ſpe miſericordiæ Dei audẽtior viam inuaſit. Nam & vigor ſalutis refuſus audaciam ſuggerebat, & citra ſenium viridis, & cruda ſenectus bene adhuc labores patiebatur. Euaſis ergo Alpibus Romam incolumis venit, nullo ſuorũ homine, vel iumento deſiderato; vno tantum in toto itinere tentatus diſcrimine, quod tamen fuit ſucceſſus & alimentum gloriæ. Dux ſiquidẽ Burgundiæ eadem, qua Wibertini ſpe raptatus, ad eum deprædandum inflatiore ſpiritu animatus erat: ſed vno tantum aſpectu eius emollitus, omnẽ exhalauit ſuperbiam, reſumpſit humilitatem. Adeo dulci intuitu, leni facie, placida canitie aſpicientem rapiebat, vt in quemcunq; oculorum gratiam iniiceret, ſtatim in amorem ſui alliceret. Ita cordis tumor duci per nebulonum verba conceptus eo viſo reſedit. Continuoq; Pontificis exceptus oſculo benedictionem vltro expetiit: aduocatoq; vno ex magnatibus ſuis, (ſtipatus enim multis, cum maximo venerat tumultu) præcepit vt eum ſecure per terrã ſuam deduceret: & nõ minus ei quam ſibi vbiq; ſeruiri faceret. Fœderata ergo amicitia diſceſſit, ſæpius contra maledicos infrendens, & ingeminans eis odium Dei, qui ſibi perſuaſiſſent, vt perſequeretur Dei Angelum. *Anſelmus* ergo ſecurus, Cluniacũ, mox vt dixi, Lugdunum, inde Romam peruenit. Quem Apoſtolicus magnifice ſuſcipiens coram ſenatu ampliſſimis laudibus extulit. Illum eſſe totius latinitatis magiſtrum, in diſciplinis liberalibus, in religione parem non inuenirent: contumelias multas pro fidelitate Romana paſſum, tandem per plenas periculis, & mortibus vias ad ſe veniſſe, flagitare à ſe ſuffragium, cuius ipſe magis egeret conſilio. Talia *Vrbanus* iactabat: ſed *Anſelmus* pudore caput demiſſus ſilentium premebat. ſed vbi ſummus Pontifex laudum finem fecit, ille data copia cauſam ſuam omnẽ veraciter allegauit. Pollicetur præſul, pariterq; ſenatus auxilium; ſcribuntur literæ *Willielmo* regi Angliæ: Iubetur *Anſelmus* omnibus ſuis reueſtiri. Statim enim vt ille mare tranſierat, Archiepiſcopatum totum ſuæ ditioni ſubſterni, & quæcumq; ante ſtatuerat, in irritũ deduci iuſſerat. Literarũ reſponſum iubetur Archiepiſcopus circa Papam operiri. Sed non fuit animus diu ibi conſiſtere, quod illius vrbis aer inſalubris eſſet peregrinis. Quocirca cuidam *Iohanni*, qui olim ſuus Monachus apud Beccum fuiſſet, ſed tũ ab *Vrbano* Abbas cœnobii ſancti Saluatoris, quod prope * Teleſinã vrbẽ eſt, inſtitutus, roganti ceſſit, vt in villa ſua Sclauia nomine, æſtũ æſtatis vitaret. Ea villa in ſupremo montis vertice conſtituta, ideoq; hinc inde veniente temperie refrigerata prope momentis omnibus peſtiferi nihil habet ſpiritus. Iuuabat itaq; *Anſelmum* captiuitas ſua, vidẽs ſibi redditũ, quod diu deſiderauerat ocium. Quapropter iamdudũ reſides animos in Deum excitans, conſummauit ibi librum egregium, cuius titulus & materia eſt, *Cur Deus homo*: omni-

al. Teſelniam

buſq;

buſq; amori,& honori erat,adeo vt *Rogerius* dux Apuliæ,apud quem Rex Angliæ illum literis inſimulandum curauerat,ſpretis næniis longe aliter ſententiam ſuam in viri honorem transferret: Illi villas,illi caſtella,illi poſtremo quæcunque placerent, offerens, tantum remanentia ſua terram ſuam beatificaret.Cum circa Papam eſſet, in omnibus illi ſecundus in proceſſionibus,in ſtationibus habebatur: ad eum ſalutationes,ad eum poſt Apoſtolicum munera commeabant.Audiebatur libenter ab omnibus,fiebatq; quod iubebat,cum diuinos intonaret ſermones.Quod maxime ſibi delectationi erat,fructum ſciētiæ pronuncians eſſe,ſi cum bene dicas,alius de doctrina tua profectum bene viuendi accipiat.Ferebatur ergo magna cupiditate,vt Archiepiſcopatus depoſito faſce Deo poſſet intendere.Quod cum ab Apoſtolico obnoxie poſtularet, renuit prorſus: Immo, inquit, per obedientiam iubeo,vt vbicunq; ſis,nomen & honorem Cantuarienſis Archiepiſcopi non deponas. *Delicati militis eſt ante bellum fugere: nec eſt religioſi, & conſtantis animi citra vllam læſionem minis tantum & terroribus cedere.* Tum ille,obedientiam pater non refugio,nec plagas,quia & mortem ipſam pro Deo non horreo,niſi forte animus meus mihi mentiatur.Sed quid inquit,ibi faciam,vbi non ſolum vacillat,ſed iam omnis oppreſſa eſt iuſtitia? vbi ſuffraganei mei partes boni non modo propter timorem non adiuuant,verum & propter fauorem impugnant.De his,reſpondit Papa,& talibus,geſtit animus in conſilio apud Barum agere,vbi & præſentiam tuam volo, & auxilium deſidero. Vt ergo ventum ad cōcilium, Apoſtolicus ante corpus Sancti *Nicolai* conſtratus, tapetibus,& palliis, ipſe caſula cum pallio amictus tribunal aſcendit: cæteri cum cappis ſedebant. Omnibus ergo ſuum locum ex antiquo vendicantibus, *Anſelmus* humilitate ſummus,quo poterat aſſedit. Exciderat animo ſummi Pontificis ingruente tumultu,vt ei locum delegaret.Sed erroris admonitus eſt,quæſtionis neceſſitate a Græcis propoſita,probare volentibus,Spiritum ſanctum non niſi à Patre procedere.Hanc ergo queſtionem dum expedire tentans,magis inuolueret,Gręcis contra non improbabiliter occurrentibus, *Anſelmi* recordatus exclamat, viuidæ vocis tonitruum,ædis capacitas,& turbæ multiplicitas ingeminant, Pater & Magiſter *Anſelme* Anglorum Archiepiſcope,vbi es.Ille vbi ſe vocare audiuit, in pedes conſtitit.Quem Apoſtolicus compellans,nunc,inquit,magiſter opus eſt ſcientia, opus eloquentiæ tuæ opera:veni,aſcende huc,& defende matrem tuam Eccleſiam, quam Græci labefactare conantur.Succurre ergo,quaſi à Deo huc miſſus. Continuo cuncti aſtantes, & aſſidentes oculos & ora in eum conuerſi,percunctari quis eſſet, annitentibuſque proximis ad conſeſſum Apoſtolici leuatus,ſedere iuſſus iuxta Romanum Archidiaconum, cui ante Papam ſedere moris eſt, Includamus, inquit,hunc in orbe noſtro,quaſi alterius orbis Papam.Nec morantibus omnibus expoſuit palam qui genus,vnde domo,cuius ſcientiæ,cuius facundiæ,quam religioſus,quanta pro fidelitate Romanæ ſedis paſſus eſſet. Dilatuſq; in poſteram diem quæſtionis tractatus,quamuis *Anſelmus* ſtatim reſpondere non dubitaret.Sed ſequenti die ſolito maturius cœtu coacto promotus in editum,ita pertractauit quæſtionis latera, ita penetrauit, & enubilauit intima, vt Latini clamore teſtarentur gaudium,Græci de ſe præberi dolerent ridiculum: Nullus porro inops, & inanis ſcientiæ diſcederet.Senſus illius ſermonis procedente tempore luculenter digeſſit in libro de proceſſione Spiritus ſancti facto.Tunc vero vbi verbum abſoluit, omnes in eum oculos, & ora conuerſi, hic laudare fidem,ille ſcientiam, omnes eloquentiam. Sedato fragore,quem laus eius ſuſcitauerat,intendens in eum ſummus Pontifex,ait, Benedictum ſit cor tuum, & ſpiritus tuus, & os, & ſermo oris tui benedictus. Nec mora, cum conſenſu omnium roboratus in aliter ſentientes fulmen excommunicationis intorſiſſet,ventilari de Rege Anglorum ſermo cœpit.Proferuntur in medium ſcelera dictu horrenda, adiicitur contemptui humano cœleſtis iniuria quod ſcilicet,bis,terque admonitus nihil correctionis exhibuerit. Quocirca cum ſuffragio & clamore omnium Papa ad excommunicandum iam paratus eſſet, *Anſelmus* genibus affuſus eius, orat dilationem, & vix impetrat. Quæ res non mediocrem ei apud cunctos videntes peperit gratiam: eo quod oſtenſione veræ ſanctitatis viciſſet famæ ſuæ gloriam. Quam pulchrum erat, vt illi oraret veniam,à quo tantam exceperat contumeliam! Papa Romam regreſſo, comitatuique eius adhærente *Anſelmo*, ſuperuenit nuncius à rege directus, qui allegationes *Anſelmi* eneruaret,obiecta crimina dilueret.Quanquam omnem verecundiam proiecerat, in immenſum elatus,non multum curaret,quid de ſe diceretur.Legati hoc fuit verbum ad Papam coram Archiepiſcopo.Miratur dominus meus cur tibi vel in mentem venerit,vt *Anſelmum* iuberes reſaiſiri.cum illud ei incunctanter prædixerit,ſi ſine permiſſu ſuo egrederetur Angliam.Accuſat, inquit, eum Apoſtolicus de alia re?non, ait.Et pro hac arripuiſti, ait,tantum laborem huc veniendi, vt diceres Primatem ideo rebus ſuis omnibus expo-

liatum, quod Apoſtolicum appellauit iudicium? Si ergo amas dominum tuum, matura reditum, & dic ei, vt ſi non vult excommunicari, cito eum faciat omnibus ſuis inueſtiri. Et ne te de termino reddam ſuſpenſum, tertia hebdomada poſt Paſcha ad concilium in hac vrbe celebrandum affer reſponſum: certe pulſator iam excommunicatus eſſet, niſi pulſatus interceſſiſſet: perculſus ille tam inſperato reſponſo, myſterium domini ſui ſe illi ſecreto communicaturum reſpondit. Ardebat enim aliquid efficere, vt ampliorem locaret apud Regem amicitiam. Itaq; arte, qua peritus erat, negotium conficiens, ſingulos ambiendo muneribus, & pollicitationibus, Regi terminum ad feſtum ſancti *Michaelis* obtinuit. Cunctatus eſt multum ad id concedendum *Vrbanus*, quod luctarentur in eius animo, *Anſelmi* religio, & munerum oblatio. Sed præualuit tandem pecunia. Itane omnia ſuperat, omnia deprimit nummus? Indignum factum, vt pectori tanti viri, *Vrbani* dico, vileſceret famæ cura, Dei reſpectus cederet, & pecunia iuſtitiam præuerteret. Viſum ergo eſt *Anſelmo*, circa tam vænalem hominem expectationem non perdere, ſed Lugdunum remeare. Sed enim licentiam impetrare non potuit, retinente Papa, vt inuidiam facti aliquo leuaret ſolatio. Fecit igitur eum manere ſecum, vſque ad Concilium in Patriarchio, deditque ei domum iure hoſpitii perpetuo: Crebroque ad eum veniens ioca, & ſeria cum eo tranſigebat, vt vnam curiam non duorum diceres. Iamque aderat tempus concilii, omnibuſque Epiſcopis Gallicanis ſedes ſuas agnoſcentibus, nulloque recordante aliquem Cantuarienſem Archiepiſcopum concilio Romano interfuiſſe, poſita eſt ei ſedes in corona, vt antea dixi, & in æternum ius ſibi, & ſucceſſoribus ſuis tranſcripta. In Eccleſia ſancti *Petri* erat concilium, ingens ſtrepitus aſtantium, multus concurſus venientium. Ideoque cum decreta minus audirent, præcipit Papa *Reingerio* Lucenſi Epiſcopo, vt vocali ſonoritate cuncta enunciaret in vulgus. Aſſurgit ille imperato muneri, nec clamor inceptus fruſtrabatur hiantem: ſed etiam longe poſitorum pulſabat, & penetrabat auditum. Multaq; parte decretorum ediſſerta, repente quaſi animo excuſſus, aliena, & quæ à negotio diſſidere videbantur, verba intulit. Sed væ: quid faciemus? præceptis ſubditos oneramus, & auxilium à nobis quærentibus nullum afferimus. Dolet hinc, & conqueritur totus mundus, quod caput omnium membris ſuis non conqueritur. Ecce quidam inter nos modeſte ſedet & tacite, cuius ſilentium clamor magnus eſt apud Deum, qui iam ſecundo anno Apoſtolicæ ſedis vigorem operiens, de omnibus ſuis iniuſte ablatis quid quæſo excepit auxilii? *Anſelmus* eſt, de quo dico, Archiepiſcopus Angliæ. Hæc dicens, virgæ quam tenebat, graui ad pauimentum illiſione, indignitatem rei exaggerare viſus eſt. Hic Papa in eum tendens, Abſiſte, inquit, moueri, frater *Reingeri*, procurabitur huic rei correctio. At *Reingerius* feruore ſpiritus actus, cum dixiſſet: ita expedit, aut iuſtum iudicem res non tranſibit, rurſus interruptam ſeriem decretorum contexuit. Horum dictorum ſtupor affecit *Anſelmum*, cum ſciret nec ſuorum, nec ſuis querelis *Reingerium* ad hæc commemoranda inductum fuiſſe. In hoc concilio Papa cum omnibus ſententiam excommunicationis vibrauit in Laicos inueſtitores Eccleſiarum, & inueſtitos à Laicis, & in taliter inueſtitos conſecrantes, & in illos, qui pro Eccleſiaſticis honoribus Laicorum homines fiunt. Poſtero die concilii archiepiſcopus iter retrogradum compoſuit: plurimiſque laborum iactatus periculis, per montuoſa, & ſaltuoſa loca Lugdunum contendit. Neque enim rectum tramitem tenere potuit, quod ferebatur *Wibertus* pictore Romam miſſo imaginem eius in tabula pingi feciſſe, vt quocunque ſe habitu effigiaret, non lateret. Lugdunum ergo perueniens, ſolitam benignitatem *Hugonis* expertus eſt, vt proprius loci dominus, non vt peregrinus. Omnium ius intus, & foris antiſtes non roganti obtulit, & vt vellet coegit, Primatum in conſeſſu, amorem in occulto, reuerentiam in publico, officium in omnibus. Solari curas, partiri vel potius totos exponere honores: adeo vt Miſſas celebranti ſuffraganei loco ſeruiret, vbicunque ſermonem facienti ad pedes ſederet. Vir magnanimus, & conſtans, qui auderet opes contemnere, fortunam prouocare. Fuit igitur ibi pater *Anſelmus* toto tempore quo ſuperfuere *Vrbanus*, & *Willielmus*. Nec multo poſt vtrumque fata rapuere. Audita morte Regis fudit lachrymas *Anſelmus*, amoris indices, pietatis interpretes, continuoque à nouo Rege *Henrico* inuitatus, Angliam aduentu ſuo dignatus eſt: vbi etiam proceres, quià fide deficiebant, ſæpe ex voluntate Regis conueniens multos ad rectum inuitauit. Timebant conſcii cæteri, libera fronte & vuidis luminibus in eum intenti etiam acclamabant dicenti. Poſtremo cum iam *Robertus* frater Regis appuliſſet, & multi diſceſſionem facere meditarentur, toto exrecitu circumſtante locum editiorem aſcendens verba fecit ad populum. Quo quaſi claſſico excitata agmina elatis vocibus bona Regi, & fidem promiſerunt, ſi malorum ſub *Willielmo* iuniore inſtitutorum remiſſam faceret, ſi bonas leges

ſanci-

ſanciret. Horum ille faciendorum omnibus *Anſelmum* vadem obtulit, & fidem in manu dedit. Ita omnes feruentiore ſpiritu in Regis fidem animati ſunt, vt ſi oporteret conſpiratis animis, & deuotis dextris in ferrum pro Rege ruerent. Quo vulgato *Robertus*, qui magis aliorum perfidia, quam ſua fidens induſtria, venerat, deſtitit prælio, deſciuità negocio: & qui ſpe Regnum præſumpſerat; obuiis manibus pacem amplexus in fraternæ neceſſitudinis amorem libenter accurrit.

Veruntamen cum Rex more anteceſſorum ſuorum ab Archiepiſcopo hominium interrogaret, & ille pro excommunicatione Romæ facta differret, miſſi Romam ab vtraq; parte nuncii. Iubetur Regi interim hominium facere, vel abſolutis morarum nexibus regno excedere. Quin potius reſpondit ille, inſpiciantur Apoſtolicæ literæ, & quod tenor earum continet, fiat. Redierant enim iam Roma nuncii, & caſſo labore, ſemitam triuerant, quod *Paſchalis* Papa ſententiam anteceſſoris ſui inuicto robore tuebatur. Quid ad me de literis Apoſtolici ait Rex? Iura regni mei nolo amittere. Procedente in contentionem ſermone, aſſeruit *Anſelmus* terram ſe non exiturum, ſed ad ſuam iturum Eccleſiam, conſideraturumq; quis ſibi, vel ſuis inferret violentiam: ita tunc diſceſſum, ſed poſterioribus diebus molliores ex parte Regis virum conuenere literæ, vt pacato animo curiæ præſentiam ſuam exhiberet, futurum, vt habito inter ſe colloquio, omnis ſopiretur contentio. Non negat ille aduentum, ſi forte Deus inſtinctu ſuo regalem contigiſſet animum. Rurſus igitur communi edicto, mittuntur legati Romam, qui tam dura præcepta tentent vel lenire, vel reſcindere, ex parte antiſtitis *Baldwinus & Alexander* Monachi: ex parte Regis, *Girardus* Archiepiſcopus Eboracenſis, *Herebertus* Norwicenſis, *Robertus* Ceſtrenſis Epiſcopi. Sed priores familiaris quoq; cauſa vrgebat, *Girardum*, pro adeptione pallii, *Herebertum* pro reſciſſione priuilegii Abbatiæ ſancti *Edmundi*, quod *Baldwinus* Abbas illi cœnobio per *Alexandrum* Papam multis laboribus acquiſiuerat. Id erat, vt Abbas illius loci nec Epiſcopo *Norwicenſi*, in cuius parochia eſſe cognoſcitur, nec vlli alii, niſi Primati Angliæ ſubiiciatur. Hoc *Herebertus* depellere intendens, & pergens, ignoro quo infortunio ſocios relinquens, & deuia ſequutus prædonum manum incurrit. Sed, 40. marcis datis ſeruitutem exuit, libertatem vix recepit: primo per omnem (quod dicitur) ſanctum iurare compulſus *Gwidoni*, (id nomen viro raptorum magiſtro) nihil ſe Romæ acturum, quod ad Domini ſui *Anſelmi* Archiepiſcopi ſpectaret incommodum. Datis ergo nummis, raptim ſocios proſequebatur, liberiore ocio, quia leuiore marſupio. Coniuncti corripiunt viam, Papæque obtutibus præſentati, quicquid poterant promiſſis & muneribus agunt, vt Regis voluntatem effectui mancipare poſſint: ſed nequicquam: ſtat ille inflexibilis, nolens, vt dicebat, ſtatuta ſanctorum patrum eneruare pro voluntate vnius hominis. Nihil ergo iſte labor profecit ad aliud, niſi vt lites confererentur in Regno, legatis inter ſe diſſidentibus. Nam Rex Epiſtolam ab Epiſcopis ſibi allatam, quod ſuæ voluntati refragari viderat, occulendam putauit. Cæterum nuda verba foras extulit, quibus illi pro Epiſcopali veritate aſſerebant Apoſtolicum Regis inueſtituras æquinanimiter ferre, ſi cætera boni principis officia exequeretur. Ideo autem noluiſſe hæc literis videre, ne accepta occaſione, cæteri principes in eum inclamarent. Contra Monachi palã clamitabant Apoſtolicis præceptis fraudem innecti conquerentes. Siquidem, & Epiſtola, quam *Anſelmo* attulerant, vulgo iam lectitabatur: in qua non ſolum inueſtituras non concedere, ſed etiã ſtatuta *Vrbani* pertinaciter probabatur *Paſchalis* vrgere, ſeruandaq; monere. Strepebat igitur omnis aula murmure, non debere attendi Monachis, qui libenter fucis veritatem obſcurent, dummodo Archiepiſcopo placeant. Epiſcopalem gradum, & ſermonem magni eſſe ponderis: Monachos ius in ſecularium rerum teſtimonio perdidiſſe. At iſtud, inquit *Baldwinus*, ſeculare negocium non eſt. Tum proceres: probum, & prudentem te ſcimus virum, nec de illis eſſe, quæ maxima turba ordinem veſtrum male viuendo infamat, ſed tamen & humana, & diuina exigit ratio vt magis tribus Epiſcopis, quam duorum Monachorũ credatur teſtimonio. Diu ergo fluctuauit *Anſelmi* ſententia, quo vergeret: quod & aduerſa fronte teſtimonium Epiſcoporum refellere; videbatur ſuperbum: porro epiſtolæ, quæ ſigillum Apoſtolicum prætendebat, non credere ſtultum. Confirmato animo reſpondit ad certitudinem facti cognoſcendam miſſurum ſe Romam. Interim illis, qui inueſtirentur, nec communionem ſuam negandam, nec benedictionem impartiendam. Erant electi *Rogerus* Cancellarius Regis ad Saleſburiam, *Reynelmus* Cancellarius reginæ ad Hereford. *Willielmus* etiam fuerat adhuc recenti poteſtate *Henrici* violenter ad Wintonienſem Epiſcopatum electus, nec electioni aſſentiens, immo eligentes aſperis cõuitiis, & minis inceſſens. Sed regrediente *Anſelmo*, ab eo, & baculo paſtorali donatus, & in Eccleſiam eſt introductus. Quare ad illius benedictionem libens aſſenſum commo-

dabat. Ita Rex paulo commotior *Girardo* Eboracenſi conſecrationis omnium munus iniunxit. Nec ille retractaſſet, ſi non illi electi altiore ratione refugiſſent. Quorum *Reinelmus* mox relato Regi annulo, & baculo Epiſcopatu ceſſit. *Willielmus* non minus niſi quod annulum non reddidit. *Rogerus* prædicanda prudentia ita rem temperauit, vt nec Regem irritaret, nec Archiepiſcopo iniuriam faceret. Ita cum *Anſelmus* nullo modo deſiſteret, diceretque ſe nec pro vitæ ſuæ damno contra ſedis Apoſtolicæ definitiones acturum niſi ab eadem abſolutionis procedat remedium, omnis laboris procella ſuper eum cecidit. Conuenitur à Rege, & Epiſcopis, & magnatibus, vt ipſe Romā dignetur proficiſci, quod alii minus egerant ſua præſentia ſuppleturus. Non careret effectu, quod vellet, quem ſedes Apoſtolica tanti penderet: impenderet modo hunc laborem patriæ quo pacem Eccleſiæ, quo dignitatem repararet imperii. Iſte precibus flecti non neſcius, ne omnia ſuo tantum videretur præſumere arbitrio, conſenſit; iturum ſe, ne cunctorum voluntati deeſſet: quanquam legatorum penuria eos ad vnum ſenem annis grauem, corpore debilem adegiſſet; ſcirent tamen nihil ſe Apoſtolico ſuggeſturum, quod anteceſſoris ſui gloriam abrogaret, ſtatuta effringeret. Tu tantum, inquit vade, & in Apoſtolici præſentia, Legato ſi vera dicat teſtimonio tuæ authoritatis adſtipulare. Conſenſu accepto diſceſſum eſt ab inuicem. *Anſelmus* continuo proſperis flatibus maxima pericula tranſuectus bona etiam fortuna terrenum iter Romam vſq; emenſus eſt. Vbi Apoſtolico fauore, & ſenatoria frequentia exceptus paucis diebus ſilentio, & quieti indulſit iubente Papa. Cumq; vires reſumpſiſſet ocio, die conſtituto palatium Lateranenſe ingreditur. Adeſt & nuncius, qui paucis diebus aduentum eius præuenerat, notus iam Romæ *Willielmus* de Warlewaſt, electus Exonienſis Eccleſiæ. Is omnes impendens eloquentiæ vires, cauſam Regis perorabat, vt ei omnes paternę, fraternæq; conſuetudines redderentur, Angliam peculiarem eſſe Romanæ Eccleſiæ prouinciam, & ei tributa quotannis penſitare, Regem ſicut munificum, ita magnanimum. Dedecus ei, & videri, & eſſe, ſi anteceſſorum ſuorum iura perderet, quos ipſe & animi magnitudine, & opum affluentia longe præiret, & premeret. Prouideret itaq; Papa Regis honori, conſuleret ſibi quem non dubitaret magno fructu emūgendum pecuniæ niſi putaret abſtinendum canonum ſeueritate. His & aliis ad cauſam valentibus dictis traducta eſt in ſententiam Romana curia obnixis fauoribus Regis vota debere impleri pronuncians. Silebat interea Pontifex vterque, perorantis ampullas, & adulantium fumos prudenter attendens, latenter irridens. Tum Legatus putans illorum taciturnitatem eſſe conniuentiam, ſecurus erupit. Plurima hic inde poſſunt agitari verba, ſed hæc eſt ſumma, quod dominus meus nec pro amiſſione Regni patietur ſibi Eccleſiarum inueſtituras auferri. Nec ego, inquit Papa, pro capitis mei redemptione eum inueſtituras permittam impune habere. Huiuſcemodi dicti tenore conuerſæ fautorum linguæ, & in diuerſa mutatæ: Benedicta, inquiunt, cordis tui conſtantia, benedicta oris tui loquela. Legatus confuſus obticuit: effecit tamen vt nonnullæ conſuetudines patris Regi laxarentur, ipſoq; interim ab excōmunicatione, quod aliquos inueſtierat immuni, inueſtiti authoritati canonum ſubiacerent: eorum ſatiſfactio *Anſelmi* commiſſa iudicio. Qui cum remeandi licentiam accepiſſet, alter reditum excuſauit, dicens ſe votiſ reum eundi ad ſanctum *Nicolaum*. Auerſabatur dicto intentio. Nitebatur enim, vt quoquo modo Papam à ſententia traduceret. Quod vbi ad nihilum tendere vidit, compendiario tramite Archiepiſcopum ad Placentiam anticipauit. Aliquantis ergo diebus communiter perrectum. Sed cum eos viæ ſepararet diuortium, ille quod ante celauerat aperuit, dicens, Mandat tibi dominus meus, quod ſi ſic te ſibi exhibueris, ſicut anteceſſor tuus exhibuit ſe patri ſuo, libenter volet aduentum tuum in Angliam: ſin minus, prudenti loquor, ſcis quid ſequatur. Ita *Willielmus* citato Angliam, *Anſelmus* Lugdunum contendit. Indeq; miſit literas regi ſuper veritate dictorū *Willielmi* exculpenda. Epiſtolarum ſeriē, quę in immenſum porrigitur, Apoſtolici ad regē, & *Anſelmi* ad regē & regis ad *Anſelmū*, hic non placuit intexere, volentibus legere liber *Edmeri* copiā faciet, quas ideo vir ille appoſuit, vt nullus eū mendacii carperet, & vt ipſe inuictū robur dictorū aſſumeret. Effluebat enim ocio, vtpote ſolius *Anſelmi* geſtis enucleandis intentus. Ego maius opus moueo, & in multorum geſta conor, ideoque neceſſaria tantum libans, faſtidio lectorum mederi meditor. Rex ergo Archiepiſcopatum ſaiſiuit, propenſiori tamen modeſtia, quam frater, vt res Eccleſiaſticas non extraneis, ſed ipſius Archiepiſcopatus hominibus adminiſtrandas delegaret. At vero *Anſelmus* Lugduni reſedit anno integro, & menſibus quatuor. Quo toto tempore nihil ab Apoſtolico, niſi perſuaſorias literas, nihil à Rege niſi dilationum cauſas obtinuit. Ibant enim crebro Romam regales nuncii, redibantq; inefficaces, niſi quod moras quaſdam impetrabant, quæ protelarent boni viri exilium, emendandis rebus afferrent impedi-

pedimentum. Quapropter proſpiciens quo loco rerum ſuarum fortuna ſtaret, fœcundum pietate pectus ad vltionem tandem concuſſit, excommunicationem in Regem meditatus. Quod dum ex reſcripto ſororis ſuæ *Adalæ* Bleſenſis Comitiſſæ, Regem ipſum non latuiſſet, precibus exegit, vt Normanniam, vbi ipſe Rex erat, *Anſelmus* cum ipſa Comitiſſa veniret. Venit, & Rege multũ fauente de omnibus ſuis reſaiſitus eſt: ſed eius in Angliam tranſitus ideo delatus eſt, quia nolebat communicare cum inueſtitis. Rex igitur Angliam, ille Beccum diuertitur. Directi Romam Legati *Willielmus* de * Warlewaſt, & *Baldwinus* Monachus controuerſiam tot annis agitatam ſingulari probitate ſedarunt. Conceſſit ſiquidem Papa, vt Rex homagia de electis acciperet, ſed nullum per baculum, & annulum inueſtiret. Dum autem nuncii morarentur crebræ ad *Anſelmum* ex Anglia ferebantur querelæ, de ſceleribus vbiq; nimium pullulantibus, rogabaturq; reditum accelerare, ab Epiſcopis præſertim, quos iam ſcelera ipſa pigeret. Nam & presbyteros concilii Lugdunenſis violatores (quod ante abſceſſum *Anſelmi* celebratum fuerat) presbyteros inquam, qui poſt concilium mulierculas domibus ſuis vel introduxerant recentes, vel reuocauerant veteres, Rex diſcrimine pecuniæ mulctare meditabatur. Id vero *Anſelmus* ferendum non arbitratus, Regi ſcripſit vt ab hac exactione temperaret. Quod Eccleſiaſticorum miniſtrorum vitia Epiſcoporum nõ ſecularium corripi debeant inſtantia. Ille, qui ſua prudentia conſilio Mellentini Comitis *Roberti* iam in omnibus defæcatus maturuerat, conſilia ſalutaria dignanter accepit: Leniter reſcripſit, venturum proxime Normanniam, ſi quid deliquiſſet in his & aliis, per eius emendaturum obedientiam. Cum ergo Roma rediſſent nuncii, non multas ipſe moras aucupatus apud Beccum *Anſelmum* conuenit. Itaque omnia, quæ illos hactenus in diuerſa trahebant, tunc per Dei gratiam prolata & ſedata. Eccleſias ſiquidem, quas *Willielmus* frater eius cenſui ſubiecerat, ipſe in manus *Anſelmi* liberas reddidit: & ſe de his nil accepturum, quamdiu paſtore carerent, promiſit. Damnum presbyterorum, qui pecuniam dederant ita ſarciuit, vt toto triennio ab omnibus functionibus vacarent: qui dare ſuperſederant, vlterius nihil darent; omnia de Archiepiſcopatu ſublata, cũ Angliã rediſſet, redditurum vadimonio dato pollicitus eſt. *Anſelmo* ergo fœlicibus auris Angliam euecto, bona ſpes quam de illo prouinciales habebant, minime deſiderantes fefellit. Siquidem ſtatim firmarii Eccleſiarum eiecti, ſymoniaci damnati, pellicatus presbyterorum inhibiti, amplexus conſanguineorum deturbati: pluraque in hunc modum illicita, quæ antehac impune vagabantur, caſtigata. Acceſſit ſerenitati temporum fœlicitas Regis, à quo tunc temporis in Normannia *Robertus* frater ſuus captus & in vincula coniectus eſt: multique alii, quos vel iam pro importunitate oderat, vel pro rebellione timebat: videbaturque debitum talionem rependere fratri, quod illum quieto regno ſollicitauerat: ſimulque mentiebatur illum minus habilem ad gubernandum Rempublicam pro lenitate ingenii, quod videret Normanniam ſuam, genialem amborum patriam ab improbiſſimis graſſatoribus vaſtari, nec noſſet tueri. Huius ergo victoriæ gaudium Rex *Anſelmo* confeſtim literis enunciauit ſuis: quas hic apponere videtur non extraordinarium, propter vnicum deuotionis Regiæ inſigne. *Henricus* Rex Anglorum *Anſelmo* Cantuariæ Archiepiſcopo, ſalutem & amicitiam. *Paternitati & ſanctitati veſtræ ſignificamus* ROBERTVM *Comitem Normanniæ cum omnibus copiis militum & peditum, quos prece & precio coadunare potuit, die nominata & determinata mecum ante* TENEBRACHIVM *acriter pugnaſſe: Sed tandem ſub miſericordia Dei vicimus, & ſine multa cæde noſtrorum. Quid plura? diuina miſericordia ducem Normanniæ, & Comitem Moretonii, &* WILLIELMVM *Criſpinum, &* Willielmum *de Ferreris, &* Robertum de Stuteuilla *ſenem, & alios vſque ad* 400. *milites, & decem peditum in manus noſtras, & Normanniam dedit. De illis autem, quos gladius peremit non eſt numerus. Hoc autem non elationi, vel arrogantiæ, nec viribus meis, ſed dono diuinæ diſpoſitionis attribuo. Quocirca, pater venerande, ſupplex & deuotus genibus tuæ ſanctitatis aduolutus te deprecor, vt ſupernum iudicem, cuius voluntate & arbitrio triumphus iſte glorioſus & vtilis mihi contigit, depreceris, vt non ſit mihi ad damnum & detrimentum, ſed ad initium bonorum operum & ſeruitii Dei, & ad Sanctæ Eccleſiæ Dei ſtatum trãquillã pace tenendum & roborandum, vt à modo libera viuat, & nulla concutiatur tempeſtate bellorum.* Hinc eſt contemplari quãta materia boni in Regis pectore fuerit, ſi quis tam ingenuæ fidei ſcintillas fomento verborũ animaret, & in maiores vires bonis admonitionibus excitaret. Venit igitur Rex ſublimi trophæo ſplendidus, & triumphali gloria Angliam inuectus inueſtituraſq; Eccleſiarũ *Anſelmo* in perpetuum in manum remiſit: eodem concedente, vt propter hominium Regi factum nullus arceretur à benedictione. Conſecrati ſunt ergo Cantuariæ quinque Epiſcopi ab *Anſelmo*, die qui fuit quartus Idus Auguſti: *Willielmus* ad Wintoniam, *Rogerus* ad

al Warelwaſt.

Salesberiam, *Reinelinus* ad Hertfordum, *Willielmus* de Watlewaſt ad Exoniam, *Vrbanus* ad clamorgan. Erant & ibi aſſiſtebant primæ ſedis ſuffraganei, *Girardus* Eboracenſis, *Richardus* Lincolnienſis, *Iohannes* Bathonienſis, *Herebertus* Norwicenſis, *Robertus* Ceſtrenſis, *Radulphus* Ciceſtrenſis, *Ranulphus* Dunelmenſis. Ita per reuerendum *Anſelmum* libertas Eccleſiarum rediit, pax ſerena infulſit. Cæterum de decretis conciliorum ab eo celebratorum nihil attinet dicere, cum omnia iam obſoleta ſciantur deperiſſe; vnde non caſu factum, ſed diuino ſenſu putatur, vt & in eius conſecratione, & in pallii ſuſceptione legeretur; *Miſit ſeruum ſuum hora cœnæ, &c.* In nullo enim ei efficaciter obtemperatum, ſed omnibus pene prætenta excuſatio, quæ vel prædicando docuit, vel interminando prohibuit. Sed ad exemplum ſerui Euangelici, qui bino exitu de non inuitatis nuptiale impleuit triclinium, ipſe bino ab Anglia exceſſu multa lucra animarum prædicando euexit ad cœlum. Veruntamen ne ſtudioſos rerum fraudare videar, leue iudicabo in deſcribendo concilii textu operam perdere. Anno Dominicæ incarnationis milleſimo centeſimo ſecundo, quarto autem præſulatus *Paſchalis* ſummi Pontificis, tertio regni Regis glorioſi *Henrici* Anglorum, ipſo annuente, communi conſenſu Epiſcoporum, & Abbatum, & principum totius Regni, adunatum eſt concilium in Eccleſia beati *Petri* in Occidentali parte iuxta Londoniam ſita: in quo præſedit *Anſelmus* Dorobernenſis Archiepiſcopus, & Primas totius Brittanniæ, conſidentibus venerabilibus viris, *Girardo* Eboracenſi Archiepiſcopo, *Mauricio* Londinenſi Epiſcopo, *Willielmo* Wintoniæ electo Epiſcopo, aliiſq; tam Epiſcopis quam Abbatibus. Huic conuentui affuerunt, *Anſelmo* Archiepiſcopo petente a Rege, primates Regni, quatenus quicquid eiuſdem concilii authoritate decerneretur, vtriuſque ordinis concordi cura & ſollicitudine ratum ſeruaretur. Sic enim neceſſe erat, quia multis retro annis ſynodali cultura ceſſante vitiorum vepribus ſuccreſcentibus, Chriſtianæ religionis feruor in Anglia nimis refrixerat. *Primum ergo ex authoritate ſanctorum patrum ſymoniaca hæreſis ſurreptio in eodem concilio damnata eſt, in qua culpa inuenti depoſiti ſunt:* Guido *de Perſona, &* Wymundus *de Tauiſtoc, &* Aldowinus *de Rameſey, & alii nondum ſacrati, remoti ab Abbatiis ſuis: ſcilicet,* Godericus *de Burgo,* Haymo *de Cernel,* Egelricus *de Middeltone. Abſq; ſymonia vero remoti ſunt ab Abbatiis ſuis, pro ſua quiſq; cauſa.* Richardus *de Heli, &* Robertus *de ſancto* Edmundo, *& ille qui erat, apud Michenley. Statutum quoq; eſt, ne epiſcopi ſecularium placitorum officium ſuſcipiant: & vt non ſicut Laici, ſed vt perſonas religioſas decet, ordinatas veſtes habeant: & vt ſemper & vbiq; honeſtas perſonas habeant teſtes conuerſationis ſuæ; vt archidiaconatus non dentur ad firmam: vt Archidiaconi ſint diaconi: vt nullus Archidiaconus, presbyter, diaconus, canonicus vxorem ducat, aut ductam retineat. Subdiaconus vero quilibet, qui canonicus non eſt, ſi poſt profeſſionem caſtitatis vxorem duxerit, eadem regula conſtringatur. Vt presbyter quamdiu illicitam conuerſationem mulieris habuerit, non ſit legalis, nec miſſam celebret, nec ſi celebrauerit, eius miſſa audiatur. vt nullus ad ſubdiaconatum aut ſupra ordinetur ſine profeſſione caſtitatis. vt filii presbyterorum non ſint hæredes Eccleſiarum patrum ſuorum. nec quilibet clerici ſint ſecularium præpoſiti vel procuratores aut iudices ſanguinis. vt presbyteri non eant ad potationes, nec ad pinnas bibant, vt veſtes clericorum ſint vnius coloris, & calceamenta ordinata. vt Monachi vel clerici, qui ordinem ſuum abiecerunt, aut redeant aut excommunicentur. vt clerici patentes coronas habeant. vt decimæ non niſi Eccleſiis dentur. ne Eccleſiæ aut præbendæ emantur. ne nouæ capellæ fiant ſine conſenſu Epiſcopi. ne Eccleſia ſacretur, donec prouideantur neceſſaria & presbytero, & Eccleſiæ. ne Abbates faciant milites, & vt in eadem domo cum Monachis ſuis dormiant & comedant, niſi aliqua neceſſitate prohibente. ne Monachi pœnitentiam cuiuis iniungant ſine conſenſu Abbatis ſui, & quod Abbates ſui de hoc eis licentiam dare non poſſunt, niſi de eis, quorum animarum curam gerunt. ne Monachi compatres, nec Monachæ cõmatres fiant. ne Monachi teneant villas ad firmam. ne Monachi eccleſias niſi per Epiſcopos accipiant, neque ſibi datas ita expolient ſuis redditibus vt presbyteri ibi ſeruientes in his, quæ ſibi & Eccleſiis neceſſaria ſunt, penuriam patiantur. vt fides inter virum & mulierem, occulte & ſine teſtibus data de coniugio, ſi ab alterutro negata fuerit, irrita habeatur. vt criniti ſic tondeantur, vt pars aurium appareat, & oculi non tegantur. ne cognati vſq; ad ſeptimam generationem copulentur, vel copulati ſimul permaneant, & ſi quis huius inceſtus conſcius fuerit & non oſtenderit, eiuſdem criminis ſe participem eſſe cognoſcat. ne corpora defunctorum extra parochiam ſuam ſepelienda portentur. vt presbyter parochiæ perdat, quod illi inde iuſte debetur: ne quis temeraria nouitate corporibus mortuorum, aut fontibus, aut aliis rebus, (quod contigiſſe cognouimus) ſine Epiſcopali authoritate reuerentiam ſanctitatis exhibeat. ne quis illud nefarium negotium, quo hactenus in Anglia ſolebant homines ſicut bruta animalia venundari, deinceps præſumat. Sodomiticum flagitium facientes, & eos in hoc voluntarie * viuentes, in eodem concilio graui anathemate damnati ſunt, donec confeſſione & pœnitentia abſolutionem mereantur. Qui vero in hoc crimine publicatus fuerit, ſtatutum eſt, ſiquidem fuerit perſona reli-*

* *al. inuãtes.*

gioſa,

gloſa, vt ad nullum amplius gradum promoueatur, & ſi quem habet, ab eo deponatur; ſi autem Laicus, vt in toto Regno Angliæ legali ſuæ conditionis dignitate priuetur, & ne huius criminis abſolutionem, his qui ſe ſub regula non vouerunt, aliquis niſi Epiſcopus deinceps facere præſumat. Statutũ quoq; eſt, vt per totam Angliam in omnibus Eccleſiis, & in omnib. Dominicis dieb. excõmunicatio præfata renouetur. Perſeuerauit ergo in *Anſelmo* ad exitũ vitæ inuictus vigor, pietatis feruor. Exceſſit anno incarnationis Dominicæ milleſimo* centenſimo nono, Regni *Henrici* nono (*al. decimo*), ætatis ſuæ ſexageſimo ſexto, Pontificatus decimo ſexto: ſepultuſque primo ad caput prædeceſſoris ſui *Lanfranci*, poſtea dignius mauſoleum in Orientali porticu accepit: vir qui omnes, quos quidem viderimus, ſapientia & religione præſtaret. Adeo peccatorum extorris, vt viro veraciſſimo, mihique notiſſimo dixerit, nunquam ſe poſteaquam Monachus fuiſſet, ita ſtimulis iræ actum, vt alicui impingeret conuitium, niſi ſemel tantum in hoc excidiſſe. Nunquam niſi vnum dictum emiſiſſe, cuius memoria conſcientiam exulceraſſet. Super cœnam quondam recordatus crudum ſe halec comediſſe, percuſſo pectore peccatum ingemuit, quod crudam carnem contra legem aſſumpſiſſet. *Edmero* vero qui aſſideret dicenti, quod ſal cruditatem halecis excoxiſſet; ſanaſti me, inquit, ne peccati torquerer memoria. Obedientiæ pertinax cuſtos, cum Archiepiſcopus liberæ poteſtatis eſſet, rogauit Papam *Vrbanum*; vt ſibi aliquem proponeret, cuius iuſſis vitam diſponeret. Is *Edmerum* exhibuit, cuius *Anſelmus* iuſſa tanti faciebat, vt cum eum cubili locaſſet, non ſolum ſine præcepto eius non ſurgeret, ſed nec latus inuerteret. Eloquentiæ etiam in communi loquela torrens profluus, qui nec inter comedendum à diuinis vacaret eloquiis. Delectabaturque eximie cum quæſtionibus propoſitis obiicientium acumen experiretur, fere omnia vel ſua aſſum pta ſimilitudinibus, vel aliorum obiecta tranſigens vel eludens. Iam vero ex induſtria hebetem in ſecularibus ſe præbebat, vt turbulenta talium negotiorum procella vexatus, artubus quoque deficeret. Quod cum domeſtici contubernales viderent, ſemotis turbis ſubornabant aliquem, qui animum reſidem cote quæſtiuncularum exacueret. Continuoque ille ſuſcitata mente, & ſcintillanti lumine in quærentes intendens robur vtriuſque reſumebat materiæ. Quam penitus vero arcanos humanorum & diuinorum ſenſuum ſinus intrauerit, indicio ſunt libri: quibus iamdudum decedente liuore, orbis Latini ſucceſſit fauor. *Nec vero Epiſcopatus onus, tantorum negotiorum moles, conſuetis miraculis ferias infixit. Ignes materiales & fulmineos, qui iam vicinas ædes depaſcebantur, porrecto ſalutari ſigno in cinerem compeſcuit. Stupuit Campania nouum ebullire de rupe fontem, quando ipſius benedictione ſilex cauatus euomuit laticem. Lepuſculus ab hoſtibus circumuentus, dum ſub pedibus animalis cui Sanctus inſederat, quærit remedium ſaluus effugit: iuſſit ille, & perſequutores inhiantes latratus deſtituit, ſimul & conantes curſus fefellit. Ecce mulieris orbes vacuos ſputo iniecto iubar ſerenum impleuit. febricitantis rigorem panis ab eo datus coercuit. Cum iam ſupremum poſt decem & ſex annos Epiſcopatus efflaſſet, percontatus eſt* Baldwinum Radulphus *Roffenſis Epiſcopus qui aderat, an balſami vel aliquantas guttas haberet, quo caput ſaltim delibutum corruptionis labem euitaret in poſterum. Protulit ampullam, in fundo cuius paruiſſimum quiddam reſederat. Manui ergo* Ædmeri *nectareus liquor quantus erat infuſus, vix volæ medietatem madefecerat: Quo velociter expenſo, iterum tantum effluxiſſe miratus eſt. nec deſtitit auarus exactor repetitis auſibus vrgere prodigium, donec totum corpus ex omni ſui parte, non perfunctorie balſamico vnguine inficeret. Quoq; magis facto applaudas, ampulla modo demiſſo ventre, modo obliquato ſinu totiens vacuata, peracto ſolenniter inunctionis officio inuenta eſt plena plus medio. Poſteroq; die cum ad ſepeliendum componeretur, offenderunt lapidem corporis receptaculum minus pleno palmo temere cauatum. Cumq; omnes muſſitarent, quod nec alius lapis facile eſſet inuentu; ne corpus curuando iniuriam vellent ſancti ſpiritus facere organo, repente viderunt lapidem idoneum, & corpus ſine adminiculo decenter ſepulchro illapſum. Aſtantium oborta lætitia clamor impulit aſtra; quem non tam meruit (quanquam prædicanda) miraculi dignitas, quam ſubuentionis non expetita celeritas. Vndecimo Calendarum Maii in alterum ſeculum abiit: nec tamen amantes ſui vacuos opis mundo expoſuit: militat adhuc ſe inuocantibus, nec facile quiſquam prona ſpe accedit ad tumulum, qui nõ plenarie precum referat effectum. Mirum illud, quod nuper Lugduni contigit; erant ibi duæ anus recluſæ, quibus nihil ſanctius, nihil concordius. Ad has* Anſelmus *dum ibi maneret dignanter veniens, crebras admonitiones virtutum infundebat: ſed poſt eius diſceſſum, ſimultas inter eas propere (vt mos eſt fœminarum) ebulliens, rupit pacem, ſcidit concordiam. Senſim itaq; in manus proceſſum: quod obliqua inuidia, & amaris ſtimulis opprobriorum dies noctesq; agerent. furor armabat linguas, ira miniſtrabat contumelias, & ambas quidem ſtultitia inuoluebat communio; ſed magis vnam premebat reatus, quæ dediſſet liti principium. Huic* Anſelmus *nocte aſtitit, multum mutatus ab illa lenitate vultus, quam in viuente viderat. Dabat authoritatẽ ſermonibus auſteritas, & quaſi à longe & ab alieno petita ſeueritas. Pulchre ait monita mea ſeruaſtis,*

quæ vobis ſeruanda commendare debuiſſent vel profeſſionis veſtræ religio, vel meæ ſedulitatis dilectio. Nunc ſeritis iurgia, irritatis odia oblitæ famæ veſtræ, reuerentiæ meæ, profectus vtrorūq;. Quare per tanta terrarum internalla me ad vos fatigaſtis: vt ſi deſinitis pacem reſtituam, ſi permanetis interminer pœnam. Hæc viſio litigatricum manſuefecit mentem, leniuit tumorem: Eiſdemq; nocte ſequenti cum poſt lachrymas iuges feſſus ſopor reclinaſſet, cæleſtes protelauit excubias. Nam remotis terrenorum ſenſuum nebulis, viſa eſt perſpicue Domina noſtra ſancta Mariæ *aſſiſtere, iuſſa pedibus aſſedit. Cumq; dominæ dignatio copiam quæ vellet interrogandi feciſſet, illa fœlici auſu animata de* Hugone *illius vrbis Archiepiſcopo recenter defuncto interrogauit quid ſperare poſſet. Bene, inquit, filia erit, & per miſericordiam Dei in proximo, & iam in foribus eſt remiſſio. Et de Domino meo* Anſelmo *Cantuariæ Archiepiſcopo quid ſciendum? De illo, ait nullo modo dubites quin in magna Dei ſit gloria.* Hæc dicta quaſi anilium ſomniorum figmenta, nullus quæſo excipiat cachinno, nullus proſequatur ludibrio. Conſtat enim fœminas illas & omnis rigore abſtinentiæ & ſalubri mentis compunctione, nullis vſquam ſanctis inferiores fuiſſe. Igitur poſtquam venerandæ memoriæ *Anſelmus* lutei corporis nodos euadens, huic vitæ valefecit, vacauit Archiepiſcopatus pleno quinquennio. Hoc toto ſpatio cum Rex admoneretur vt matris ſuæ Eccleſiæ viduitati conſuleret, miti reſponſo differebat: Optimos fuiſſe Archiepiſcopos quos pater fraterq; miſiſſent: ſe nolle à parentū fœlicitate degenerare. Quocirca magno ſcrutinio debere agitari conſilium, vt eum poneret Archiepiſcopum qui vel æquis paſſibus virtutum anteceſſores ſuos conſequeretur, vel æmularetur proximis. Talia reſponſa videbantur plena iuris & æqui, & erant plane. Diu ergo multumq; librato conſilio concilium Windleſoris coegit, ſummam manum negotio impoſiturus. Eratq; mentis propoſitum, vt eligeretur *Faricius* Abbas Abendonienſis, vir ingentis acrimoniæ, & inſignis induſtriæ ad ea quæ cœpiſſet explenda. Nihil tamen in Archiepiſcopi duntaxat electione voto indulgens ſuo, in commune arbitrium refudit electionem: quod & tunc, & alias inſigni continentia feciſſe dignoſcitur, ipſorum in diuino examine intererit, quo animo iudicium ſibi delegatum ventilauerint. Tunc ergo cum ex clericali ordine aliquem vellent, reclamatum eſt: nullum vnquam clericum Archiepiſcopum Cantuariæ fuiſſe præter vnum *Stigandum*, qui & proterue ingreſſus, & digne expulſus fuerit. Non eſſe neceſſe conſuetudinem tantæ antiquitatis infatuari, præſertim cum contra fidem eſſe non poſſet probari. Hoc deiecti conſilio, habenteſq; ſuſpectum rigorem *Faricii*, hæc contulere. Si Longobardus ille fuerit Archiepiſcopus, rurſus lites, rurſus diſſidia: nulli noſtrum parcet, præſertim cum eum Rex non aliter ſuſcipiat, quam ſi è cœlo demiſſus ſit. Sed hæc palam non dicenda: dicatur quod nullius vulneret conſcientiam. Satis ſuperq; alienæ gentis homines fuiſſe Archiepiſcopos: abundare patriæ linguæ viros, qui referant *Lanfrancum* ſcientia, religione *Anſelmum* exhibeant, pannis vtrunq;. Eſſe *Radulphum* Roffenſem Epiſcopum, qui fama æquet antiquos, humili affabilitate vincat & veteres & nouos. Si genus explores, ſpectabili Normannorū proſapia oriundum: ſi vitam inquiras, nulla etiam infamia perſtrictum. Solum eſſe cuius religionem nec liuor carpere poſſit quod diſcreta ſit. Si ſcientiam literarum rimeris, totas exhauſit Athenas: ſi eloquentiam exigas, melleo quodam lapſu ex eius ore fluit oratio: cui accedit genialis ſoli id eſt, Cœnomanici accuratus & quaſi depexus ſermo. Hæc meruerunt ſuffragia, vt continuo mutata ſententia Rex in eorum voluntatem tranſiret. Actum quinto die poſt exactum quinquennium à morte *Anſelmi*.

Radulphus apud *Sagium* quæ eſt Abbatia Normanniæ, primo adoleſcentiæ flore Monachum ſe deuouerat; coaleſcentibuſque virtutum incrementis primo ſupprior, mox Prior, poſtremo Abbas fuerat. Hunc ille locum exilem admodum & anguſtum, probe foris & intus exaltauerat. Aſſentiebatur ei primo *Robertus* Beleſmenſis illius prouinciæ Dominus, patiebaturque hominem libere religioni excubare. Sed ſimul, vt alias diximus, ab *Henrico* Rege Anglia pulſus, Normanniam conceſſit, de ſacramento & homagio Abbatem exagitare, pertinacius inſiſtere: alter qui Romæ Papæ prohibitionem audiſſet, prorſus abnuere. Quapropter Abbatia relicta Angliam appulſus, circuitione Abbatiarum, in quibus vitæ & ſermocinationum merito gratioſe ſuſcipiebatur, multum tempus eluſit & perdidit. Nec enim ad Normanniam ad *Robertum* redire iudicabat ingenuum, quod eſſet ille omnium fœditatum & iniquitatum altiſſimus gurges. Nec vero alicubi in Anglia diu fouere hoſpitium putabat honeſtum, ne importunitate ſua indigenarum nauſeam irritare videretur. Multitudo enim Normannorum Abbatum tunc inundauerat Prouinciam, qui meditatos in patria & exſculptos ſermones inferebant Anglis, nunc hic nunc illic aliorum impendio lenta conſumentes ocia: aſſueti venditare linguas, fauoris venari auras. Iſtas faſtidii cauſas quantum modeſte poterat *Radulphus*

euitans,

euitans, magis circa Archiepiſcopum conuerſabatur, cuius iam inde ab adoleſcentia fuiſſet ſancto familiaris contubernio. Hinc fuit, vt illum, *Gundulfo* Roffenſi Epiſcopo defuncto ſubrogaret: accepto ab eo prius homagio & ſacramento fidelem fore ſanctæ Cãtuarienſi Eccleſiæ. Imminente conſecrationis die, *Anſelmum* obnixe Deum rogaſſe accepimus, vt quia *Radulphum* elegiſſet Epiſcopum, tale illi prognoſticon efferret, quo ſuum iudicium diuinæ voluntati concordare gauderet. Affuit ſimplici preci pia diuinitas, & hunc verſum exhibuit, *Erunt ſimiles Angelis Dei.* Ita factus Epiſcopus æſtimationem boni quam de eo habuerant homines non fefellit: ſed prouexit in effectum, euexit in publicum. Quare cum de Archiepiſcopo ageretur, omnes in eius electionem voluntate prona, tum etiam voce conſona concurrerunt. Ductus ergo ad ſedem, non multo poſt pallium meruit Romanæ ſedis indulgentia, afferente *Anſelmo* Legato, nepote ex ſorore *Anſelmi* Archiepiſcopi. Nam & in principio Regni *Henrici* venerat Angliam ad exercendam legationem *Guido* Viennenſis Archiepiſcopus, qui poſtea Apoſtolicus fuit: tunc *Anſelmus*, nec multo poſt quidam *Petrus*, omneſque reuerſi nullo effectu rei, grandi præda ſui, *Petrus* maxime, quod omnes eum incendere cauerent, qui eſſet filius *Petri Leonis*, ſummi Romanorum principis. Crebra ergo ad Angliam commeabat Legatio Romanorum inſidiantium imbecillitati *Radulphi.* Sed effugabantur omnes cautela *Henrici.* Nolebat, enim ille in Angliam præter conſuetudinem antiquam recipere Legatum niſi Cantuarienſem Archiepiſcopum: illique libenter refringebant impetum propter violentiam denariorum. At non ita facilis flecti *Cono* legatus in Gallia, omnes Epiſcopos & Abbates Normanniæ ſuſpenſionis nota implicuit, quod tertio vocati ad concilia ſua, non venerant. ſuper quo habito tractatu, miſſus Romam *Radulphus* Archiepiſcopus & HEREBERTVS Norwicenſis, vt ſuo labore tantam Legatorum confuſionem digererent. Sed cum ad caſtellum, quod Feritatem vocant, veniſſet, fœdiſſimum vlcus faciem eius inuaſit & tumefecit, certum futuræ paralyſeos indicium. Carbunculum vocat *Plinius* ſecundus, peculiare vultus vitium, quod vel cutem ad oſſa corrodat, vel medicorum præuentum diligentia, deformem cicatricem relinquat. Multis ergo diebus decubuit. Sed poſtea valetudine ſedata, vel potius morte dilata Romam peruenit. Abſens tunc erat *Paſchalis* Papa, Beneuentique morabatur. Obſederant Imperatoris ſatellites, qui tunc ſecundo Romam armis territabat, medios calles: nec potuit Archiepiſcopus potiri Papæ colloquio niſi per internuncios. Illi quid apud Papam egerint, Epiſtola manifeſtabit. *Paſchalis* Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus Angliæ Epiſcopis, & chariſſimo filio *Henrico* illuſtri regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. *Veniente ad nos chariſſimo ac reuerendiſſimo fratre noſtro* Radulpho *Archiepiſcopo, veſtram ad nos miſſam Legationem per venerabilem Epiſcopum* Herebertum *Norwicenſem cognoſcimus. Et quidem grauibus infirmitatum moleſtiis impediti iidem fratres & Coepiſcopi, peruenire ad noſtram præſentiam minime valuerunt. Sed nunciorum honeſtis venerabilibuſque perſonis peruenientibus, eorum ſcripta ſuſcepimus: in quibus & ipſorum poſtulationes & veſtræ legationis vota perſpeximus. Id enim optabatur, id poſcebatur, ne Eccleſia Cantuarienſis temporibus noſtris, ſua dignitate priuetur: ne nos eandem dignitatem minuamus, aut minui ſinamus, quæ videlicet potita eſt, ex quo à beato* Gregorio *per beatum* Auguſtinum *fundata eſt. Præter hæc literarum indicia, Legati, qui ad nos miſſi ſunt, vt ſapientes ac ſtrenui viri, aſſertiones ſuas prudenter, inſtanter, efficaciter exequuti ſunt. Nos profecto & legatorum perſonas, & aſſertiones, & veſtrum omnium legationes tanquam chariſſimorum fratrum, benigne hilariterque ſuſcepimus: quod vobis in Domino propter dominum placere optamus. Veſtræ ergo dilectioni notum habere volumus, quod Cantuarienſis Eccleſiæ dignitatem nec imminuimus nec imminuere * deſideramus. Beatum namq́;* Gregorium *Apoſtolicæ ſedis Pontificem tanquam præcipuum* Chriſti *Domini membrum tanquam Chriſtiani populi paſtorem & doctorem, & tanquam ſalutis æternæ miniſtrum in omnibus veneramur: & rata eſſe cupimus, quæ ab eius inſtitutionibus proceſſerunt. Illam ergo dignitatem, quam ab eo per beatũ* Auguſtinum *Cantuarienſis ſuſcepit Eccleſia, & quam ſanctæ memoriæ frater noſter* Anſelmus *iure ac poſſeſſione legitima tenuiſſe cognoſcitur, nos profecto nullatenus imminuimus: ſed in eodem ſtatu eſſe Cantuarienſem Eccleſiam volumus, vt authentica eius priuilegia iuxta canonum ſanctiones nullis perturbationibus violentur. Data Beneuenti 9. Calend. Aprilis.* Hic ſi Papa expreſſe dixiſſet, has & has dignitates habuit Eccleſia Cantuarienſis, & eaſdem illi confirmo, abſoluiſſet litigium, controuerſiis impoſuiſſet modum. Sed dicens, quæcunq; authentica habet, nos nullatenus imminuimus, indeterminatam rem, vt erat, reliquit in medio. Sic callidus lepos Romanorum nouit ſe conuertere ad oratorum verſutias, & quæ vult, caſſa ſuſpendit ambage, non parcens alienis laboribus, dummodo conſulat ſuis profectibus. Ita circa Romam plures dies *Radulphus* commoratus, modo in Imperatoris exercitu Papæ duntaxat

*al. deliberamus.

conceſſu, modo in Sutrio colloquium operiebatur Papæ, quem rumor diſperſerat iam iamq; affore. Qua ille ſuſpectatione ſuſpenſus perdidit impenſam. Namq; illo non veniente regreſſus Normanniam circa Regem manſit plus anno meditatus *Gelaſio* ſucceſſori *Paſchalis* citra montes venienti occurrere, vt præſens ſuæ partis patronatus obiectiones aduerſariorum diſpelleret. *Turſtanus* enim Eboracenſis electus, qui nollet Cantuarienſi Archiepiſcopo profeſſionem facere, impigre mentes Romanorum ad ſui fauorem ſollicitabat. Quin & *Gelaſio* de medio facto, cum *Guido* Vienenſis Archiepiſcopus, *Calixtus* in Papatu dictus, ſucceſſiſſet, & Remis concilium celebraret; miſit ei *Radulphus* nuncios ſuæ partis aſtipulatores, quos ille & palam ſuſcepit gratius, & clam fefellit callidius, quam tantum virum deceret, Eboracenſem electum ſpreta omni antiquitatis regula conſecrando. Sed quibus modis rationes ſuas tutatus fuerit aduerſo etiam Rege *Turſtanus*, cum ventum fuerit ad recenſionem Eboracenſium, ſermo non prætermittet euoluere. Sed Angliam reuerſus *Radulphus* veteri, quod diximus, paralyſis incômodo indies aucto angebatur, non vſque adeo tamen vt ſolennia prætermitteret. Quanquam voce impeditior, at in conſiliis non futilis author, imo ad iram acrior, quod ſit illius valetudinis conſuetudo, vt ad iracundiam agat animum, cum aliquid contra ius Eccleſiæ ſuæ fieret, ægre ferre & aſpere vlciſci. Nec verò diu manſit in vita, cum morbus quotidie ferocior exitum maturaret. Obiit 13. Kalendas Nouembris, anno 9. patriarchatus, incarnationis Dominicæ milleſimo centeſimo viceſimo ſecundo. Hunc habuit finem *Radulphus* religione impar nulli, peritia literarum magnifice pollens, affabilitate certe facile omnium primus. Qui fortunarum amplitudine nihil plus acquiſierit, niſi vt plus benefacere poſſet, quibus vellet. Quanquam ad æſtimationem vulgi tantum eius decedebat gloriæ, quantum accedebat fortunæ. Cæterum nullius delicti ſuſpicione vel leui notabilis, niſi quod ad riſus & iocos inclinatior erat, quam vel dignitatis vel gradus intereſſe videretur. Sed quæcunq; faciebat, bono vtiq; animo vir ille faciebat: de quo quicquam ſiniſtrum ſuſpicari, contra religionem eſt niti.

DE EPISCOPIS ROFFENSIBVS.

CAntuarienſem Eccleſiam ſequitur Rofenſis, vicinitate loci, non authoritate priuilegii proxima. Quæ & olim illa lactante fidem imbiberit, & nunc ſequaci virtutum linea matrem imitari contendat. Roſa eſt oppidum ſitu nimium anguſtum, ſed quod in edito locatum fluuio volantiſſimo alluitur, hoſtibus ſine periculo non acceſſibile. Pauca prorſus & pene nulla præſulum illius vrbis geſta didicerim, quæ memoranda putẽ. Nuda ergo nomina ſi ponam, ſuccenſeri mihi non debet. *Dicendorum enim penuria pauca dicenti emolietur inuidiam.*

Primus ibi *Iuſtus* à beato *Auguſtino* conſtitutus Epiſcopus decedente *Mellito* Archiepiſcopo thronum Cantuarienſem conſcendit.

A Iuſto Romanus apud Rofam ſubſtitutus, & Eccleſiaſticæ legationis cauſa ad *Honorium* papam directus, marinorum fluctuum rabie ſuffocatus animam amiſit.

Vacanti ſede ſucceſſit *Paulinus*. Huius laudẽ ſemper hactenus præ ſe tulit antiquitas, & in immenſum extulit. Natione fuiſſe Romanũ, à beato *Gregorio* cum cæteris in vſum verbi Angliam miſſum, à *Iuſto* Archiepiſcopo Northanimbrorum genti ordinatum Epiſcopum. Prælatum apoſtolum Regem detrectantem euocaſſe ad fidem denunciatione cœleſtis oraculi, quod quondam diuinæ aſſenſus clementiæ *Edwino* oſtenderit, nunc ſpiritus vaticinii *Paulino* infuderit. Ipſum ab *Honorio* Papa pallium ſuſcepiſſe, *Honoriũ* in Archiepiſcopũ Cãtuariæ poſt *Iuſtum* conſecraſſe. Poſt multa populi Aquilonalis ſpolia Diabolo detracta ne militi emerito perſecutionum deeſſet temptatio, violentia hoſtili perturbatum à ſede Cãtiam conceſſiſſe: tũ (vt ſuperius dixi) Rofenſem Eccleſiam ſuſcepiſſe regendam, *Honorio* Archiepiſcopo & Rege *Edbaldo* fauorabili aſſentatione ſanctiſſimũ ſacerdotem ambientibus. Suſcepit ille * quod ex fraternis animis ſuggerebat charitas, & inferioris loci ſolio interim contentus tempore ſuo tramitem carnis ingreſſus eſt poſt annos, ex quo ad Eboracũ ordinatus eſt, 19. menſes duos, dies 21. Tumulatus eſt in Eccleſia, quã ibi Rex *Ethelbertus* à fundamentis excitauerat ſancto *Andreæ* Apoſtolo, cuius honorẽ illa ſedes adornat: famoſus in illa prouincia ſanctus, & pro velocitate impigri ad preces occurſus ab omnibus venerabiliter dilectus. *Paulini* locũ expleuit apud Rofam *Ithamar* ab Archiepiſcopo *Honorio* datus & conſecratus: Anglus quidem ortu, ſed in quo nihil perfectæ ſanctitatis quantum ad vitam, nihil elegantiæ Romanæ quantum ad ſcientiam deſiderares. Ita primus in patriam pontificalis honoris in Angli perſona ferens gratiã, prouincialibus ſuis nonnullam dignitatem

al. vt.

ratem adiecit. Poſt *Honorium* ordinauit apud Cantuariam *Deus dedit* Archiepiſcopum, eſſet id Archiepiſcopi Eboracenſis ſolenne, ſed pulſo (vt dixi) *Paulino* nullus ſucceſſerat. Nam & Scoti, qui Northanimbrorum Regum fauore prouinciam compleuerant illam, magis in paludibus inglorii deliteſcere, quam in excelſis vrbibus conſueuerant habitare. Simul, quia cum in multis, tum in obſeruatione Catholicæ Paſchæ delirabant, cauebant Romanorum apud Cantiam reliquiæ ordinationes erroneorum ſuſcipere.

Defuncto *Ithamar* ſucceſſit *Damianus*, à *Deusdedit* Archiepiſcopo conſtitutus.

Huic *Puttam Theodorus* ſuccedere iuſſit, quantum idoneum otio Eccleſiaſtico, tantum hebetem & ſegnem forenſi negotio. Denique cum ſæpe rerum adhuc profunda pace decedere meditaretur epiſcopatui, hoſtilis iniuriæ cauſam libens ſuſcepit. Nam *Ethelredus* Rex Merciorum, neſcio quo inſolenti Cantuariæ Regis reſponſo incenſus, totam Cantiam ferro, & flamma premebat, omneſq; terras Roffenſis Epiſcopatus abolitioni addixerat. Hanc *Putta* patienti animo complexus ærumnam, ad *Sexwlfum* Merciorum Epiſcopum ſeceſſit. Cuius liberalitatis munere Eccleſiam campeſtrem & agellum adeptus quod reliquum erat æui pacifice conſumpſit, cantuum Eccleſiaſticorum publicam ſcholam quocunq; ire rogabatur exercens.

Tum *Quichelmus* ad locum ordinatus, non poſt multo neceſſariorum penuria confuſus & ipſe abſceſſit.

Gebmundus ſubſtitutus permanere ſuſtinuit.

Habuitq; ſucceſſorem *Thobiam* ſcientia literarum (vt *Beda* dicit) extrema ſatietate imbutum, quippe qui non modo Latinam, ſed & Græcam linguam ita familiares haberet, vt eis quodcunq; vellet æque vt propria, non minus facete quam expedite proferret.

Iſq; *Aldulfo* ſucceſſore deceſſit, qui videlicet extremus in recenſione Roffenſium Pontificum apud *Bedam* inuenitur: hactenus enim ille. Cæterorũ nomina in chartulis notata ſubiiciam.

Dun.
Erdulfus.
Deora,
Weremundus.
Berumodus.
Burthricus.
Alſtanus.
Godwinus.

Siwardus, hic eo tempore erat Epiſcopus, quo Normanni venerunt Angliam, paucíſque diebus ſuperuiuens fatum expleuit. Derelicta Eccleſia miſerabili & vacua, omnium rerum indigentia intus & extra. Vix enim quatuor canonici erant, qui victu exili, & ipſo ad horam vel prece vel pretio comparato, & indumento plebeio vitam tolerarent.

Has miſerias corrigere pergens ſapientiſſimus *Lanfrancus* Archiepiſcopus *Arnoſtum* quendam monachum pontificem loco dedit.

Sed eo veloci morte prærepto *Gundulfum* æque Monachum induxit. Sub eo res Eccleſiæ auctæ magnifice. Monachi plus quinquaginta facti, à quibus & amatur regula, & omnia abundant neceſſaria. Deputatur id *Gundulfi* gloriæ, maximeque *Lanfranci* induſtriæ, qui etiam ex ſuo villam Heddraam coemptam, monachorum Sancto Apoſtolo famulantium vſibus victuro iure tranſcripſit. Eratq; *Gundulfus* religionis plenus, literarum non neſcius, in rebus forenſibus acer & elimatus, & qui putatus ſit diuina potiſſimum electione hunc honorem meruiſſe. Nam cum adhuc apud Cadomum diuinas ſcripturas audiret, forte cum duobus aliis iuxta magiſtrum Euangelium tenens conſederat. Alteri vocabulum *Gualterius*, alterius nomen elapſum eſt. Tum magiſtro alias interim intento, illi inter ſe nonnulla ludo agentes, experiamur, inquiunt, reuolutione foliorum, quis noſtrum futurus ſit Abbas, quis Epiſcopus. Simulq; cum dicto reuoluto folio inuenit *Gundulfus* prior. *Fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.* Walterus: *Euge ſerue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Tertium neſcio quid durum inuentum turbauit: quod etſi audiui, libenter oblitus ſum, quia *ingenuæ mentis non eſt alienis inſultare malis.* Cachinnis ex euentu crepantibus, interrogauit *Lanfrancus* quid haberent lætitiæ, vtq; cognouit, indubitate pronunciauit *Gundulfum* Epiſcopum, *Walterum* fore Abbatem, tertium ad lubrica ſeculi reuoluendum. Euentus rei probauit veritatem dicti. *Gundulfus* enim apud Roſam præſul, *Walterus* Abbas apud *Eueſham* fuere: tertius abiit in vanũ. Eoq;

maius miraculum viſum eſt poſterius, quod nullam adhuc ſpem Archiepiſcopatus, nec etiam ad Angliam tranſitus *Lanfrancus* conceperat.

Functus ergo ſancto fine *Gundulfus*, *Radulfum* (vt ante dixi) Sagienſem Abbatem ſucceſſorem habuit.

Quo ad Archiepiſcopatum leuato *Ernulfus* ſucceſſit. Is natione Gallus, apud cœnobium ſancti *Luciani* in Beluaco non paucum tempus Monachus egit. Sed quum nonnulla plena inſolentiæ videret, quæ nec emendare poſſet, nec pati vellet, diſceſſum intendit. Quæſito prius a *Lanfranco* conſilio, incunctanter facturus quicquid ille iubendum putaſſet. Ille, qui hominis induſtriam probe calleret (nam & apud eum diu Becci ſtuduerat) perſuaſit, vt ad ſe veniret, quia ibi animam ſuam ſaluare non poſſet. Venit ergo, & toto tempore *Lanfranci* Monachus apud Cantuariam, ab *Anſelmo* prior ibidem, mox apud Burgum Abbas, a *Radulfo* Epiſcopus apud Roſam conſtitutus eſt. Graue quidem memoratu, quantæ probitatis & prudentiæ in omnibus officiis fuerit. Cantiæ deiectam priorem partem Eccleſiæ, quam *Lanfrancus* ædificauerat, adeo ſplendide erexit, vt nihil tale poſſit in Anglia videri, in vitrearum feneſtrarum luce, in marmorei pauimenti nitore, in diuerſicoloribus picturis, quæ mirantes oculos trahunt ad faſtigia lacunaris. In Burgo Monachorum numerus auctus, religio bonis moribus confota, ędium veterum ruderibus deturbatis noua fundamenta iacta, culmina erecta. Eaq; omnia cum vorax ignis abſumpſiſſet meditanti reficere honos pontificalis impactus. Ibi quamuis omnia iam facta viderentur (præuenerat enim viuacitas *Gundulfi* omnium ſucceſſorum diligentiam) tamen ſemper aliquid comminiſci, vbi virtus eniteſcere poſſet; firmare antiqua, moliri recentia. Vixit in Epiſcopatu aliquot dies ſuper nouennium. Deceſſitq; quatuor & octoginta annos natus, multa probitatis ſuæ monumenta relinquens.

PROLOGVS LIBRI SECVNDI.

LIBRVM *primum huc vſq. Chriſto ſolatiante protraxi, in quo nihil infra pollicitationem meam feciſſe videor, dicens quicquid de Cantuariorum vel Roſenſium Epiſcopis memorabile noſtra ſcientia potuit attingere. Nunc ergo ſecundū regalium geſtorum propoſitum ordo poſceret, vt ſtatim Weſtſaxonicos proſequerer, niſi me vicinitas locorum admoneret vt illis Orientalium *Saxonum & Orientalium Anglorum Pontifices anteponerem. Quod autem aliam ſeriem regnorum tenui, norit lector factum neceſſitate, vt maximis prius regnis enumeratis, quorum & anni & facta exſtabant, tunc demum illa ſubiicerentur, quorum pene omnia annorum veterno & poteſtatis exiguitate obſoleuerant. Hic autem poſſet aſcribi iniuriæ, ſi Epiſcopatus ſuis fraudarem locis; quorum nec eſt ſeries clauda nec adeo fama obſcura. In hoc igitur ſecundo libro enumerabo nomina Epiſcoporum Orientalium Saxonum, & Orientalium Anglorum, illiſq. ſubdam Epiſcopatus omnes Weſtſaxoniæ. Nec prætergredietur cura mea quaſcunque noui in horum Epiſcopatuum diœceſi Abbatias, ſanctoſque in eis requieſcentes, breuiterq. omnia digerens, quantum potero conſulam ſtudioſorum notitiæ & faſtidioſorum nauſeæ. Hoc ſane impetratum iri rogo, ne quis mihi vertat vitio, quod quædam, quæ alias poſui, huc iiſdem verbis & ſententiis tranſtuli. Quod ſcilicet ideo feci, vt ſeries rerum non aliunde petendarum pulchrius vno loco conſtaret, & ſi quid alibi commode dixi, non hic me commodius dicturum poſſe putaui.*

DE EPISCOPIS LVNDONIENSIBVS.

LIB. II.

HAVD longe à Roſa quaſi 25. milliariis eſt Londonia ciuitas nobilis, opima ciuium diuitiis, conſtipata negotiatorum ex omni terra, & maxime ex Germania venientium, commerciis. Vnde fit vt cum vbique in Anglia * caritas victualium pro ſterili prouentu meſſium ſit, ibi neceſſaria diſtrahantur & emantur minore quam alibi, vel vendentium compendio, vel ementium diſpendio. Peregrinas inuehit merces ciuitatis finibus Tameſis fluuius famoſus, qui citra vrbem ad 80. milliaria fonticulo fuſus, vltra plus 70. nomen profert, apud Doueram enim pelago conditur.

al. raritas

Hic

Hic primus cathedram pontificalem ſedit *Mellitus* beato *Auguſtino* conſtituente, *Mellitus* Romæ Abbas non cum *Auguſtino* Angliam venerat, ſed poſtmodum ad prædicatorum ſupplementum miſſus fuerat. Epiſcopus ordinatus habuit ſedem in Apoſtoli *Pauli* Eccleſia, quam *Ethelbertus* rex Cantiæ fecerat Londoniæ. Eius enim inclinabatur imperio rex Orientalium Saxonum *Sebirthus*, eiuſdem ex ſorore *Ricula* nepos, ad quem Londonia ſpectabat. Antiquitus enim Orientales & Auſtrales Saxones, & Orientales Angli Cantuaritarum parebant regi. Quod illas prouincias à *Vortigerno* rege Britonum *Hengiſtus* primus apud Cantiam rex non bello, ſed dolo obtinuiſſet. Poſt *Ethelbertum* vero Auſtrales Saxones Occidentalium Saxonum ditioni ſubiecti ſunt. Alteris Merciorum reges principabantur, donec & hos & illos WeſtSaxonum occupauit, & ſubiecit imperium. Sed iſta poſterius. Tunc vero *Mellitus* Deo cooperante, & *Ethelberti* adiutus adminiculo Chriſtianitatis fidem egregie in prouincia propagauit. Nam & monaſterium beato *Petro* in Occidentali ciuitatis parte fecit, ipſius Apoſtoli, vt fertur, admonitus nuncio. Qui & coram viſus Eccleſiam recens factam per ſe dedicauerit, & per ruſticum Epiſcopo Xenium gratiſſimum, grandem ſcilicet piſcem deſtinauerit. Nec vero de dicto dubitare voluit, qui videret agreſtis fatuitatis hominem, qui nec Chriſtianus eſſet, de *Petro* afferentem nuncium, eiuſdemq; corporis lineamenta, quæ *Mellitus* noſſet, ex pictura veraciter pronunciantem. Creditum ergo nec conſecrationis myſterium repetitum, quam perfectum monſtrarent candelæ per totam Eccleſiam accenſæ, cruces factæ, nec minus aquæ aſperſæ, & ſacrati olei locis debitis non friuola veſtigia. Ceſſit diuino officio humana ſedulitas, pronunciauitq; voce prophetica momenti magni futurum monaſterium, in quo Apoſtolus Pontificale exercuiſſet obſequium. Senſim vaticinii veritas proceſſit in medium præſertim tempore regis *Edwardi* vltimi, qui ampliori monachorum conuentu ibidem adunato Eccleſiam ædificationis genere nouo fecit. Nec minus ſed multo etiam magis rex *Willielmus* extulit locum magnis redditibus prædiorum, quod ibi regni ſuſceperit inſignia. Conſuetudo igitur apud poſteros eualuit, vt propter *Edwardi* inibi ſepulti memoriã, regiam ibi regnaturi accipiant coronam. Poſt mortem itaq; *Ethelberti* & *Seberti* a ſucceſſoribus regulis ſede deturbatus *Mellitus* Cantuariam venit. Ibi magno curarum æſtu, quæ ſociorum pectora decoquebant, exceptus, coniuncto ſibi *Iuſto* ſeceſſit in Galliam expectaturus ſi forte temporum ſerenaretur turbo. Veruntamen affuit diuinitatis inſtinctus, qui corde regis *Ethelbaldi* ad credendum emollito ambos mature reuocauit, & quidem *Iuſtus* ſedem propriam non difficulter intrauit. *Mellitum* vero pro penuria poteſtatis *Ethelbaldus* reſtituere nequiuit. Ita aliquãto tempore honoris exſors. Poſtmodum *Laurentio* decedente Archiepiſcopus Cantuariæ factus eſt.

Durauit in Orientalibus Saxonibus perfidiæ labes ad tempora *Sigeberti* regis eorum, qui hortatu regis *Oſwii* Northanimbrorum à *Finano* Epiſcopo baptizatus gentem ſuam ad fidem, quam cum *Mellito* expulerant, reduxit per Epiſcopum *Ceddum*. Is fuit ſecundus Lõdinẽſium Epiſcopus, ſed in Northanimbria apud Leſtingei monaſterium ſuum ſepultus. Latius iſta in *Beda* reperies, qui & commemorat *Ceddam* fratrem iſtius *Ceddi* habuiſſe ſedem Epiſcopalem & ſepulturam in Lichfield. Poſt *Sigebertum*, *Swithelmus* frater eius regnauit, eo mortuo *Sighere* & *Sebbi* regnum tenuere ſub *Wlferii* regis Merciorum regimine. *Sebbi* illibatæ fidei ſpecioſi finis compos fuit. *Sighere* tempore mortalitatis fidei ſignaculum fregit. Sed inſtantia *Wlferii* per *Ierumanum* Epiſcopum recepit.

Is *Wlferius* defuncto *Ceddo* per pecuniam corruptus *Wine* quendam, qui WeſtSaxonum fuiſſet Epiſcopus, vacanti throno induxit.

Succedentibus autem annis *Theodorus* à *Vitaliano* Papa Cantuariam Archiepiſcopus miſſus, *Erkenwaldum* venerabilem virum Londonienſibus præſulem dedit. Eum in miraculis perſpicuum fuiſſe confirmat & recens fama & vetus memoria. Quorum illud notabilius fuit, quod quum æger pedes parochias lectica circumiret, ad oram rapaciſſimi amnis forte deuenit. Ibi quum comites hæſitarent, quod infirmus nec equo nec pedibus tranſuadare poſſet, eſſetq; timor ne vehiculum aquarum violentia ſubſideret, repẽte gurges diſparuit, fluuius in eo loco totus diffugit; ſtatimq; vt Epiſcopus cum comitatu tranſiit, amnis, qui ſtans ſeorſum criſpantibus vndis ſe collegerat in cumulum, alueo ſuo redditus eſt. Eiuſdem lecticæ attactu imbecilles multos curatos author eſt *Beda*. Fecit duo monaſteria, vnum ſibi, alterum ſorori. Suum Certeſię dicitur, quod per adminiculum cuiuſdam *Frithwoldi*, qui ſub *Wlferio* ſubregulum agebat, opulentia rerum & monachis impleuit. Splenduit ibi religio, nec defuit neceſſariorum copia vſque ad Danos, qui vt cætera locum illum peſſundedere, eccleſia ſuccenſa cũ monachis & Abbate. At vero rex *Edgarus* princeps incõparabilis non contẽtus nouis monaſteriis, quæ vbiq; tum per ſe, tum per

Epiſcopos ædificabat, niſi & vetera reſarciret: illud refecit in ſolidum, vndique veteribus chartis conquiſitis, quarum teſtimonio prædia reuocaret ad locum, quæ quidam ex magnatibus ſeu vi, ſeu vetuſtatis authoritate occuparant ad ius ſuum. Sororis cœnobium appellatur Berekingum in latere Londoniæ ad octo milliariá ſitum. Ibi illa *Ethelburga* vocata habuit cohærentes ſibi ſanctitatis & * pietatis ſocias *Hildelidam* proximo loco ſucceſſorem, ad quam extat emiſſus beatiſſimi *Aldelmi* de virginum laude codex: *Wlfildam* pene modernam, quæ paucis annis *Eadgari* regis tempora præuenit, quæq; vetuſtatem cæterarum ſanctitatis gratia compenſat & fere dixerim anticipat. Nihil enim orator irritum rogat, modo credulitate non careat. Quarum (vere fateor) orationibus locus ille nunquam omnino deſtructus, nunc etiam tempore Normannorum, vt plæraq; alia, numero ſanctimonialium & ædium pulchritudine ad ſupremum euectus. Habetur ergo *Erkenwaldus* Londoniæ maxime ſanctus, & pro exauditionis celeritate fauorem canonicorum nonnihil emeritus. Alii adeo ſub obſcuritatis nubilo iacent, vt non eorum ſciantur mauſolea. Omnes etiam Epiſcopatus hæc infecit miſeria, vt apud habitatores illius memoria magnę gloriæ ducatur, qui ſciat Epiſcoporum loci vel proferre nomina. Cæterum de geſtis vel ſepulchris, nec verbum, ſucceſſorum itaq; hæc ſunt nomina.

al. poteſtatis

Waldhere.
Ingnaldus.
Egulf.
Wigeth.
Edbriht.
Eadgar.
Kenwalk.
Eadhald.
Hecbertus.
Oſmundus.
Ethelnoth.
Celbertus.
Cernulf.
Swithulf.
Etſtan.
Wlſius.
Ethelward.
Elſtan.
Theodred.

Huius non penitus exſoletam memoriam ciues prædicant, dicentes eum fuiſſe regis *Ethelſtani* tempore. Cum eo ad bellum contra *Analauum* profectum, cœleſtis muneris, vt deſupra diximus, cum *Odone* Wiltenſi deprecatorem & indicem. Cognomen boni, vulgo ſortitum pro prærogatiua virtutum, vno excidiſſe magis errore quam crimine, quod fures apud ſanctum *Eadmundum* deprehenſos, quos conatibus irritis martyr inuiſibili nodo aſtrinxerat, ſeueritati legum addixerat patibulis adiudicatos. Sed de facto recogitantem piguiſſe, totoq; vitæ tempore poſt exercuiſſe pœnitentiam, culpa mordente cõſcientiam. Eius corpus iuxta feneſtram *Criptæ* locatum eſt in ædito prætereuntibus conſpicuo. Poſt *Theodredum* hi ſucceſſiones continuas habuerunt.

Wlſtanus.
Brithelmus.
Dunſtanus poſtea Cantuariæ Archiepiſcopus.
Elfſtanus.
Wlſtanus.
Elfhunus.
Elfwius.
Elfwordus.

Rodbertus, ex monacho Gĕmeticenſi ab *Edwardo* rege factus, prius Londonienſis Epiſcopus, mox Cantuarienſis Archiepiſcopus. Cuius qui fuerit finis, ſermo antecedens dicere præuenit.

Et *Willielmus* ab eodem rege datus ſucceſſor fuit.

Porro *Willielmus* ex Comite Normanniæ rex Angliæ *Hugonem*, quendam cognomento *de Orival* Epiſcopum creauit. Is poſt paucos ordinationis annos in morbum incurabilem incidit. Siquidem regia valetudo totum corpus eius purulentis vlceribus occupans, ad pu-

ad pudendum remedium tranſmiſit. Nam credens aſſerentibus vnicum fore ſubſidium, ſi vaſa humorum receptacula ferenda ſcilicet exſecarentur, non abnuit. Itaq; & opprobrium ſpadonis tulit epiſcopus, & nullum inuenit remedium, quoad vixit leproſus.

Hugoni ſucceſſit *Mauritius* regis Cancellarius, quamuis in quibuſdam minus proſperæ famæ, prædicabilis tamen efficaciæ. Magnanimitatis certe ipſius eſt indiciū baſilica beati *Pauli*, quam inchoauit Londoniæ, tāta eſt decoris magnificentia, vt merito inter præclara numeretur ædificia: Tanta Criptæ laxitas, tanta ſuperioris ædis capacitas, vt cuilibet populi multitudini videatur poſſe ſufficere. Quia igitur *Mauritius* erat mentis immodicus, laborioſi operis impenſam tranſmiſit ad poſteros.

Deniq; cum *Richardus* ſucceſſor eius omnes redditus ad epiſcopatum pertinentes ędificationi baſilicæ tranſcripſiſſet, aliunde ſe ſuoſq; ſuſtentans propemodum nihil efficere viſus eſt, totumq; cenſum ad hoc bene prodigus exhauriebat & parum in effectum prodibat. Quare, impetus boni, quem in initio epiſcopatus habuit cedentibus annis, deſperatione laſſeſcens, paulatim elanguit. Locus eſt in diœceſi Londonienſi apud Orientales Saxones * Cit, gentili vocabulo dictus, vbi eſt beatę *Oſgithæ* in miraculis famoſæ virginis *al. Cie.* requies: hunc vir ille terris aliquantis & regularibus impleuit canonicis. Erant ibi & ſunt clerici literatura inſignes eorumque exemplo talis habitus hominum, læta, vt ita dicam, totam patriā veſtiuit ſeges. Meditabaturq; ipſe depoſitis olim inuolucris mūdi eo tranſire, præſertim longæ paralyſis tabe admonitus, ſi non ægrum illecebris animum poteſtatis conſuetudo retraheret. Huius loci fuit primus Prior *Willielmus de Corbuil* qui defuncto *Radulpho* Cantuariæ Archiepiſcopo in illum honorem euectus eſt. Quem, quamuis monachi trepidaſſent ſuſcipere, quod eſſet clericus, tamen nihil pœnitendum fecit. Erat enim religionis multæ, affabilitatis nonnullæ, cæterum nec iners, nec imprudens.

DE EPISCOPIS ORIENTALIVM Anglorum, & Monaſteriis.

PRimus Orientalium Epiſcopus Anglorum fuit *Fælix*, Burgundus natione, qui *Sigeberto* in Gallia exulanti familiaris effectus, Angliam cum eodem poſt mortem *Eorpwaldi* venit. Illoq; regnum prouinciæ ſortito, epiſcopus ordinatus animoſitati regiæ non defuit, quin ingenti ſtudio & vigilanti labore toti regioni Chriſtianam credulitatem infunderet. Scholas quoq; literarum opportunis locis inſtituens barbariem gentis ſenſim comitate Latina informabat. Decurſa vitæ meta poſt ſeptendecim annos epiſcopatus ſepultus eſt in Domuc ſede ſua, inde tranſlatus apud Seham, quæ eſt villa iuxta ſtagnum, quod volentibus ire in Heli quondam periculoſum nauibus, nunc facta via per paluſtre harundinetum tranſitur pedibus. Sunt ibi adhuc indicia dirutæ & à Danis incenſæ eccleſiæ, quæ ibi habitatores pariter exuſtos ruinis operuit ſuis. Corpus vero ſancti multo poſt quæſitum & repertum in Rameſienſi cœnobio, de quo poſterius dicetur, humatum eſt.

Ei ſubſtitutus eſt *Thomas* Diaconus ſuus ex Giruiorum prouincia oriundus,

Cuius poſt quinq; annos defuncti ſedem impleuit *Bonifacius*, gente Cātuaria, eodemq; annorum numero, quo *Fælix* prædeceſſor ſuus, egit officium.

Tum *Biſi* vir venerabilis à *Theodoro* Archiepiſcopo creatus epiſcopus, quoad valetudo proſpera permiſit, ſine crimine vitam duxit. Sed aduerſo morbo correptus duobus locū dedit. Rexerunt ergo duo ſemper Epiſcopi prouinciam illam vſq; ad tempus *Egbrithi* regis Weſtſaxonum, quorum vnus ſedebat apud Domuc, alter apud Helmaham.

Baldwine & *Heta*.
Nortbertus & *Aſtulfus*.
Netholacus & *Edredus*.
Edelfridus & *Cuthwinus*.
Lamferd & *Albrithus*.
Athewlf & *Eglaf*.
Huferd & *Eudred*.
Sigge & *Althun*.

Alberd & *Titfrid*, hi duo erant epiſcopi Orientalium Anglorum; *Alberd* Helmonenſis, *Titfrid* Domucenſis, quando *Offa* rex Merciorum fecit Archiepiſcopatum apud Lichfield.

Humbrith & *Weremund*, & poſt eum *Wildred*. tempore enim *Ludecanii* regis Merciorum, & *Egbrithi* regis Weſtſaxonum *Humbrithus* & *Wilredus* fuerūt epiſcopi Orientaliū

Anglorum. Sed eodem *Ludecano* & anteceſſore eius *Burhredo* incurſante prouinciam, etiam Epiſcopi neceſſariorum copiâ deſtituti ſunt. Et quidem vtrique reges intra regionem prouincialium incurſu extincti. ceſſarunt tamen Epiſcopatus, & ex duobus vnus factus ſedem apud Helmaham villam non adeo magnam accepit. Fuerunt ergo hi Pontifices.

Athulf.
Affricus.
Duo *Theodredi.*
Athelſtanus.
Algarus. De iſtius ſanctitate non minimum indicium dedit ſcrpitor vitæ venerabilis beati *Dunſtani*, quod hic eiuſdem verbis apponam. Dies, inquit, Aſcenſionis Chriſti feſtiuus diem clarificationis beati *Dunſtani* præceſſit tertius. Tantæ itaq; diei ſurgente aurora ſacerdos quidam nomine *Algarus* doctrinæ & actionis merito præcipuus, quem poſteà nobilem in Helmeham Epiſcopum claruiſſe accepimus, dum ſacros Dominicæ Aſcenſioni honores in Eccleſia ſaluatoris peruigil impenderet, & mentem ad cœleſtia contemplanda extenderet, ſeipſo & omnibus huius mundi rebus tranſcenſis, *Dunſtanum* pontificali throno conſpicit præſidentem, & clero iura canonica dictantem. Et ecce per omnis Eccleſiæ ianuas irruentium Angelorum infinita ingrediuntur agmina. Qui dum coactis ordinibus ſedenti aſtarent pontifici, huiuſmodi illi ſalutationis alloquium perſoluerunt. Salue *Dunſtane* noſter, ſi paratus es, veni, & noſtro gratioſus contubernio vtere. Reſpondit *Dunſtanus*, ſcitis ô ſancti Spiritus hodie *Chriſtum* aſcendiſſe, noſtriq; officii eſſe tam verbo quam ſacramento populum Dei reficere: ideoq; hodie venire nequeo. Dixerunt, paratus eſto die Sabbati hinc nobiſcum Romam tranſire, & ante ſummum Pontificem *ſanctus æternaliter manere. Diſceſſere Angeli. At ſacerdos qui rerum tam euidens contemplator extiterat, exitum earum ſtupidus & tacitus explorabat. Et infra. Sacerdos etiam, qui tam mirabilem in Eccleſia extaſin viderat, cognito quod non in imagine, ſed in rerum veritate eandem ſuſtinuiſſet, palam omnibus & cum gemitibus magnis, quæ viderat abſoluit. Hæc ab alieno ſcripto mutuatus ſum, vt oſtendatur lecturis quam venerabilis *Algarus* fuerit, qui tam occulta myſticis intuitus luminibus, foras quoque efferre dignus fuerit. Nec vero credibile putauerim, vt maiori ſuſcepto gradu minus ſanctitudini aduigilaret; imo credendum & propter reuerentiam virtutum Epiſcopum factum, & inter Angelorum agmina, quæ viderat, ſuo die in cœlum receptum.

* al. cũ ſanctis

Poſt eum *Alfwinus.*
Duo *Elfrici.*
Stigandus, ſed eiectus.

Et pro auro *Grimketel* electus tenuit duas parochias Orientalium Anglorum & Auſtralium Saxonum. Interceſſu vero temporis ſic redditis rationibus *Stigandus* eualuit, vt ſibi Auſtralium Saxonum Epiſcopatum reſtitueret, & Orientalium Anglorum fratri *Ethelmero* acquireret. Minimum id animoſitati ſuæ ratus, Wintonienſem & Cantuarienſem thronos aſcendit, vix ægreq; exoratus, vt Auſtralibus Saxonibus proprius ordinaretur antiſtes.

Poſt *Ethelmerum* fuit Helmanenſis Epiſcopus *Herfaſtus*, ſicut inuenitur in concilii textu, quod ſexto anno *Willielmi* regis pro primatu duorum Metrapolitanorum factum eſt. Qui ne nihil feciſſe videretur, vt ſunt Normanni famæ in futurum ſtudioſiſſimi, Epiſcopatum de Helmaham tranſtulit ad Thethfordum. Parcæ (vt aiunt) mentis homo, & nonnulla ex parte literis eruditus: quiq; ante aduentum *Lanfranci* in Normanniam probabilis in eis ſcientiæ æſtimatus ſit. Sed eo apud Beccum monachato, cum vbiq; ſcholares inflatis buccis dialecticam ructarent, *Herfaſtus* iam *Willielmi* Comitis poſtea regis capellanus, ad famoſum gymnaſium magna ſociorum & equorum pompa peruenit. Tum *Lanfrancus* ex prima colloquutione intelligẽs quam prope nihil ſciret, Abecedarium ipſi expediendum appoſuit, ferociam hominis Italica facetia illudens. Quo is irritatus per Comitem effecit, vt *Lanfrancus* Becco Normanniaq; omni ſummoueretur. Sed intercedente Dei gratia animus *Willielmi* pacatus eſt, alterq; retẽtus: ſatagente maxime *Willielmo* filio *Osberni*. Maximaq; fuit recuperãdæ gratiæ occaſio, quod cum *Lanfrancus* ad curiam commeatum petiturus veniſſet, equus eius forte claudicans Comiti cachinnum excuſſit.

Poſt hunc diebus *Willielmi* minoris emit Epiſcopatum Tetfordenſem *Herebertus* cognomento *Loſinga*, quod ei ars adulationis impegerat, ex Priori Fiſcanii, & ex Abbate Rameſeiæ factus Epiſcopus, patre ſuo *Roberto* eiuſdem cognominis in Abbatiam Wintoniæ intruſo. Fuit ergo vir ille magnus in Anglia ſymoniæ fomes, etiam Abbatiam Epiſcopatumq;

tamq́; nummis aucupatus, pecunia ſcilicet regiam ſollicitudinem inuiſcans, & principum fauori promiſſiones non leues aſſibilans. Veruntamen erroneum impetum iuuentutis aboleuit pœnitentia Romã profectus ſeuerioribus annis, vbi loci baculum ſymoniacum & annulum deponens, indulgentia clementiſſimæ ſedis iterum recipere meruit. quod Romani ſanctius & ordinatius cenſeant, vt Eccleſiarum omnium ſumptus ſuis potius ſeruiant marſupiis, quam quorumlibet regum vſibus militent. Ita *Herebertus* domum reuerſus ſedem Epiſcopalem tranſportauit ad inſignem mercimoniis & populorum frequentia vicum nomine Norvic. Ibi monachorum congregationem numero & religione percelebrem inſtituit, omnia iis neceſſaria ſumptu mercatus domeſtico. Prouidens ſcz. ſucceſſorum querelæ, nullas de Epiſcopo terras monachis largitus eſt, ne illi Dei famulos fraudarent victualibus, ſi quid offendiſſent, quod ſuis competeret rebus. Præterea apud Theodfordum monachos Cluniacẽſes inſtituit, quod ſint illius cœnobii profeſſores vbiq; gentium pene diſperſi, locupletes in ſeculo, & ſplendidiſſimæ religionis in Deo. Ingenti ergo & numeroſa virtutum gratia præteritarum offenſarum obumbrauit molem, præcipue Prognoſticõ anteceſſoris & ſuo, a malo exterritus, & ad bonũ erectus. *Herfaſti* fuit, *Nõ hũc ſed Barabã*: ſuũ; *Amice, ad quid veniſti*: quo audito nec lachrymis, nec his fere verbis abſtinuit: *Male quidẽ intraui Cõfiteor, ſed Dei gratia operãte bene egrediar*. Erat ergo diſertitudinis & literarũ copia, nec minus ſecularium rerum peritia, Romanæ celſitudini ſuſpiciendus. Mutatuſq; *Herebertus* fuit (vt *Lucanus* de Curione dicit) *momentum & mutatio rerum*: ſicut tempore *Willielmi* regis ſymoniæ cauſidicus, ita regnante *Henrico* propulſator inuictus. Neq; ab aliis fieri voluit, quod a ſe quondam præſumptum iuuenili feruore indoluit. Præ ſe (vt ferunt) ſemper ferens *Ieronymi* dictum; *Errauimus iuuenes, emendemus ſenes*. Poſtremo quis in illius facti laudem digne attexat, quod tam nobile monaſterium Epiſcopus non multum pecunioſus fecerit, in quo nihil fruſtra deſideres vel in ædificiorum ſpecie ſublimium, vel in ornamentorum pulchritudine, tum in monachorum religione, & ſedula ad omnes charitate? Hæc & viuum ſpe fœlici palpabant, & defunctum (ſi non vana fides pœnitentiæ) ſuper æthera tulerunt. Ad Epiſcopi Norwicenſis diœceſin pertinere dignoſcitur monaſterium ſancti *Edmundi*. De quo, quanquam alias dixerim, nunc ſi breuiter commemorauero, non vacat à ratione. Sic enim & diſpoſitum meum ordine procedet quo cogitaui, poſt commemorationem Epiſcoporum ſanctos in eorum parochiis requieſcentes non præterire. Et gratioſe fateor accidit, vt primus ſanctus *Edmundus* occurreret, qui quaſi rex & princeps patriæ compatriotarum ſanctorum primus palmam laudis vendicaret. Regnauit ille in Orientali Anglia, vir Deo deuotus, & auita regum proſapia excellens. Qui, quum aliquot annis pacifice prouinciæ præfuiſſet, in illa temporum mollitie virtutem eiurare compulſus: Danorum duces *Hinguar* & *Hubba*, Northanimbrorum & Orientalium Anglorum depopulaturi prouincias venere. Quorum primus regem non reſiſtentem, ſed armis proiectis ſolo pronum, & orantem cepit, & poſt nonnulla tormenta decapitauit. Tunc & ſedes Epiſcopalis apud Seham, (vt ſupra dixi) & monaſterium Helienſe ſanctimonialibus effugatis incenſa, & ſolo complanata. *Sed emicuit poſt necem beati viri tranſactæ vitæ puritas dignis miraculis. Caput à corpore lictoris ſæuitia diuiſum dumeta Danis proiicientibus occuluerant. Quod dum ciues quærerent, hoſtem abeuntem veſtigiis inſecuti, funeri regio iuſtas inferias abſoluturi, iocunda Dei munera hauſere, exanimati capitis vocem expreſſam omnes ad ſe lictores inuitantem, lupum feram carnibus aſſuetam lacertis illud circumplexam innoxiam prætendere cuſtodiam: eundem more domeſtici animalis baiulos poſt tergum ad tumbam modeſte ſecutum nullum læſiſſe, à nullo læſum eſſe. Tunc pro tempore humi traditum corpus venerabile, tumultuario iniecto ceſpite terrea gleba ſuperiecta, & exilis pretii lignea capella ſuperſtructa. Sed & domunculam ſuccedenti tempore vepres obtexerant, animiſq; prouinciales memoriam martyris abiecerant. Affuit ille oſcitantibus, ſemiſopitas mentes eorum ad ſui reuerentiam ſignis excitans, & leue quidem ac frigidum ſit, ſed tamen primum virtutum eius experimentum, quod ſubiiciam. Cæci, qui baculo viam tentaret, errore nocturno capellam ingreſſi lux cœlitus obuia orbes impleuit. Mox latrunculos eandem ædem noctu expilare aggreſſos, inuiſis loris in ipſis conatibus irretiuit, formoſo admodum ſpectaculo, quod præda prædones tenuit, vt nec cœpto deſiſtere, nec inchoata valerent perficere. Quapropter Londoniæ præſul plebeiæ machinæ diuturnam ſuſtulit inuidiam, auguſtius ædificium ſuper veneranda membra molitus, quæ & miranda incorruptione, & lacteo quodam candore gloriam ſanctæ animæ prædicabant. Caput reliquo corpori compaginatum, ſignum tamen martyrii coccinea cicatrice prætendens. Porro illud humana excedit miracula hominis mortui crines & vngues pullulare, quos* Oſwen *quædam ſancta mulier quotannis hos tonderet, illos deſecaret magna veneratione poſteris futuros: ſanctæ temeritatis fœmina, quæ contrectaret artus, quibus omnis inferior eſt mundus. At non ita* Leffſtanus *effrenatæ audaciæ adoleſcens,*

qui ſibi corpus martyris minis inſlatioribus oſtendi exegerat, famæ (vt dicebat) incertum fide oculorum ponderare deliberans. Ideoq; præcipitis auſus pœnam tulit amens effectus, & poſt modicum ſcaturiens vermibus & mortuus. Nouit profectò, quæ olim conſueuerat, nouit Edmundus facere, Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos. Quibus duobus ita omnes ſibi Brittanniæ deuinxit incolas, vt beatum ſe inprimis aſtruat, qui locum requietionis eius, vel nummo, vel pretio illuſtret. Ipſi reges aliorum Domini ſeruos ſe illius gloriantur, & coronam ei regiam miſsitant, magno, ſi vti volunt, redimentes commercio. Exactores vectigalium, qui alias bacchantur fas nefaſq; iuxta metientes, ibi ſupplices citra foſſatum ſancti Edmundi litigationes ſiſtunt, experti multorum pœnam, qui perſeuerandum putarunt. Foſſatum Cnuto rex præcepit fieri, patris ſui Swani miſerabili fine edoctus ad bonum. Nam cum ille tempore regis Edelredi totam Angliam deuaſtans, in terra ſancti Edmundi nihilo refractiores minas anhelaret, à martyre leuiter admonitum per ſomnium ferunt, ſed barbarica ineptia durius reſpondentem conto percuſsit & exanimauit. Tantum mora in medio, quod excuſſus ſopore authorem & modum mortis aſtantibus patefecerit. Confabulationes enim altercantium & ſonum ictus cuſtodes corporis mirum in modum audierant. Sciebat hæc Cnuto, ideoq; nihil non effecit, vt ſancto blandiretur. Præter foſſatum, quod prælibaui, quod terras ſancti ab omni inquietudine defenderet: denique baſilicam animoſitate regia, quantum illius temporis vſus flagitabat, ſuper venerabile corpus conſtruxit, Abbatem & monachos inſtituit, prædia multa & magna contulit. Perſtat hodieq; donorum eius amplitudo integra, quod locus ille infra ſe aſpiciat Angliæ nonnulla monaſteria. Per ſucceſsiones Abbatum fuit ibi Lefſtanus tempore regis Edwardi: hic quibuſdam de incorruptione ſancti malè credulis, male conſulens ſuo diſcrimine aliorum fidei proſpexit. Prolatumq; corpus in medium inſpiciendum exhibuit, ipſo a capite monacho ſuo à pedibus trahente. Palam itaque imprecatus eſt dicens. Domine ſancte Edmunde, tu noſti quòd non infideli mente, ſed pro aliorum ſalute hoc fecerim, ne diuinum in te mundo celaretur miraculum: quia tamen peccatorum multorum ſum reus, nec a me debuiſſet contrectari ſancti Spiritus organum, ſi tibi factum diſplicet in me temporaliter vlciſcere. Præſtat enim, & malo, vt aliqua inſigniar corporis clade, quàm æterna inuoluar vltione. Vix orationem finierat, cum ecce ambarum manuum digiti vel retro miſerabiliter retorti, vel vola pertinaciter infixi, pœna, quam rogauerat, virum mulctauere. Poſt etiam aliis debilitatibus correptus, regem Edwardum per nuncios conuenit, vt ſibi medicum mitteret. Ille Baldwinum ſancti Dionyſii monachum eius artis peritum dirigendum curauit. Qui cum in cæteris probe, in digitorum curatione nihil promoueret, mirari cœpit homo, qui magnæ in medendo fortunæ eſſet. Sed cauſam morbi à ſcientibus edoctus, in loco remanſit, amorem martyris totis præcordiis amplexus. Pluribus ergo annis notitiam plenam principum adeptus, Lefſtano non tam ſucceſſit, quam acceſſit Abbas, illo amittente, rege volente. Sub eo & per eum libertas monaſterii ab Alexandro Papa data, vt nulli Epiſcopo locus ille ſubdatur in aliquo, Archiepiſcopi tantummodo nutum in legitimis ſpectaturus. Omnia intus & extra innouata. Ædificiorum decus oblationum pondus quale & quantum in Anglia nuſquam. Iacent in Eccleſia duo ſancti, Germanus, & Botulfus. Quorum geſta nec ibi, nec alibi haberi memini, niſi quod primus frater ſanctæ Etheldrithæ, ſecundus Epiſcopus aſſeritur.

DE EPISCOPIS OCCIDENTALIVM SAXONVM, & primo de Wintonienſi.

AGe nunc, quia Cantuarienſium Epiſcoporum & Roffenſium, Orientalium Saxonum & Anglorum nomina tranſcurrimus, cæterorum ſedes & geſta, quantum vel fama vel ſcripto ſciuntur, commemoremus. Ac primum pro ratione propoſiti offerunt ſe WeſtSaxones, quibus primo fuit Epiſcopus vnus in Dorceſtria: mox duo, vnus in Wintonia, alter in Schireburnia. Duobus tẽpore regis Edwardi tres additi, Wellenſis, Cridienſis, Cornubienſis. Nec multò poſt ſextus in Ramesburia. De quibus omnibus quia ordinatum ſermonem meditatur oratio, primum pro dignitate ciuitatis de Wintonienſi dicendum.

Tempore igitur quo Kinegiſlus & Quicelmus apud WeſtSaxones regnabant, Birinus (dubium vnde oriundus) hortante Honorio Papa in Brittanniam prædicationis munus ſuſcepit. Ordinatuſq; in Epiſcopum ab Aſterio Genuenſi Epiſcopo pertendit ad pelagus, quo Brittanniam tranſmitteret. Cumq; reculas ſuas in ſarcinas componeret, nautis pro tempeſtiuo vento vrgentibus, corporalia (quæ dicuntur) oblitus eſt. Sed iam in altum promotus, cum ſerenum ſalum puppis ſulcaret læta, recordatus iacturæ hæſit mente: ſi nautas appellaret de reditu, pro ſecunda nauigatione non dubiũ quin rideretur; ſi taceret,

damnum

damnum Apoſtolici muneris pateretur. *Itaq; animoſitate tota credulitatis arma concutiens, deſcendit pedibus in mare, concitoq; curſu littus relictum repetiit. Ibi corporalibus repertis & acceptis geminato beatæ fœlicitatis auſu ad ſocios redijt, vndarum cumulos & mille obuias mortes fide diſpergens.* Illi quoq; tanto emolliti miraculo, iactis ancoris curſum nauis tenuerunt. Quapropter certatim omnium obſequio receptus, non multo poſt continentem attingit in regione WeſtSaxonum. Is erat annus 40. poſt aduentum *Auguſtini*, regnantibus prædictis regibus, anno 25. pollicitus fuerat *Birinus Honorio* Papæ, quod extremas Anglorum penetraret prouincias, ibi credulitatis ſaturus ſemina, vbi nec Euãgelii fuiſſet nomen auditum. Veruntamen, continuo vt appulit, omnes ibi ſacrilegis ritibus pertinaciſſime deditos inuenit. Quocirca fatuum viſum eſt vlterius pertendere, &, cum illic nullum ſanum reperiret, ægros, quibus mederetur, quærere. Reſtitit ergo, & cum diuino nutu, tum ſuo annisu prius ipſi regi *Kinegiſlo*, mox etiam prouinciæ omni lauacrum ſalutare impertiit. Contigitq; laudabili plane ſpectaculo, vt dies dicta regis baptiſmati occurreret diei, quo filiam ſuam deliberauerat nuptum tradere *Oſwaldo* ſanctiſſimi Northanimbrorum regi. liberali ergo commercio actum eſt, vt futurus *Kinegiſli* carnalis gener, prius eius fieret in baptiſmo ſpiritualis pater. Reges igitur ambo dederunt prædicatori ſuo ſedem Epiſcopalem Dorceſtriam, tunc vrbem, modo villam: quam tempore illo reges habuerunt WeſtSaxonum, ſed ſequenti Pontifices Merciorum. Deniq; ad noſtram ætatem durauit ibi Epiſcopalis Merciorum ſedes, nunc vero eſt apud ciuitatem Lincolniam. Ita *Birinus* ſacris laboribus emeritus vitaq; defunctus, Dorceſtriæ in Eccleſia, quam ædificauerat, ſepultus eſt. Poſterioribus annis confirmato Epiſcopatu WeſtSaxonum in Wintonia, illuc a Põtifice *Hedda* translatus patronus ciuitatis poſt Deum habetur.

Poſt eum *Angilbertus* natione Gallus prouinciæ præſulatum tenuit. De cuius aduentu & abſceſſu in *Beda* latius lecturus, hic cognoſces compendio. Subintroducto in Epiſcopatum Wintoniæ *Wine* vocabulo, homine Anglo, ſed apud Gallos ordinato, abſceſſit infenſus. Nec diu inuaſor fouit otium, ſed eiuſdem regis tyrannide pulſus ad *Wlferium* regem Merciorum fecit confugium: emptoq; ab eo Epiſcopatu Londoniæ dies vitæ reſiduos conſumpſit ſæuo exemplo poſteris, vt non facile diſcernas maiore peccato & infamia, an illius qui rem ſacram vænum propoſuerit, an illius qui emerit. Tum *Angilbertus* per nuncios regis exoratus vt rediret, excuſauit aduentum, quod Pariſiaci Epiſcopatus vinculis teneretur aſtrictus. Ne tamen ſpem poſtulantis eluderet, miſit nepotem *Lutherium*, qui prono prouincialium aſſenſu exceptus, & à *Theodoro* Archiepiſcopo conſecratus, 7. annis WeſtSaxonum rexit Eccleſiam. Quod ideo non tacui, quia de annis Epiſcopatus eius *Beda* nihil expreſſum reliquit, mihi ex Chronicis cognitum diſſimulare ſilẽtio præter religionem videbatur.

Eius ſucceſſor fuit plus 30. annis *Hedda*, qui prius fuerat monachus & Abbas. Hunc *Beda* dicit officium exercuiſſe magis inſito ſibi amore virtutum, quam vllius literaturæ doctrina præditum. Vnde non paruo moueor ſcrupulo, quippe qui legerim eius formales epiſtolas non nimis indocte compoſitas, & *Aldelmi* ad eum ſcripta maximam vim eloquentiæ & ſcientiæ redolentia. Sanctitatis eius reuerentiam numerus miraculorum cœlitus emiſſorum hominum manifeſtauit notitiæ: quæ nunc interim ſupprimit contentus gloria olim poſt recentem obitum acquiſita.

Ipſo defuncto, quia diœceſis eius ab vno nequibat gubernari idoneè pro circuitus ſpacioſitate, diuiſa eſt in duas; vna data *Danieli*, altera *Aldelmo*. De *Aldelmo* & eius ſucceſſoribus tempus erit Deo comite cum ſermo procudetur, quantum vtilitati auditorum ſufficiat: nunc vt ſpopondi Wintonienſes aggrediar. *Daniel*, defuncto *Aldelmo*, multo tempore ſuperſtes fuit 43. annis in Epiſcopatu. Poſtmodum, vt viuacem ſenectam ſancto conſummaret otio viuens honorem exuit, Melduni (quantum vixit) monachum exercens, vt fama fert ſinceriter ad nos per ſucceſſiones manans. Ibidemq; ſepultus aſſeueratur. Quãuis Wintonienſes eum apud ſe habere contendant, nec eius mauſoleum vel vere vel ſuſpicioſe oſtendere præualeant.

Succeſſit *Humfredus*, cuius memoria fit in concilio *Cuthberti* Archiepiſcopi.
Tum *Kinebardus*.
Illi *Athelardus*, ex Abbate Melduni mox Archiepiſcopus.
Athelardo Egbald.
Dudd.
Cineberd.
Almund.
Wighten.

Herefrith.

Eadmund.

Helmſtan,hic fuit tempore Regis Weſtſaxonum *Egbrithi.*

Quo viam patrum ingreſſo, *Swithunus* ſucceſſit, eiuſdem presbyter Eccleſiæ ab *Helmſtano* iamdudum ordinatus. In quo,dum vitæ religio cum ſimplici prudentia cōquadraret,natura induſtriaq; laudabilis Regis auditum non effugit. Quocirca illum hactenus excoluit,vt & multa negotiorum eius conſilio tranſigeret,& filium *Adulfum* eius magiſterio locaret.Quo facto præluſit fœlicitati futuræ adoleſcentis fortuna, vt ſub ſanctiſſimo pædagogo addiſceret, qualiter non rudis olim ad gubernandam remp. procederet. Eſt enim *Platonis* vetus & laudata ſententia; *Tunc fore beatam rempublicam , ſi vel Philoſophi regnarent,vel Reges Philoſopharentur.* Veritas dicti prodiit in effectum per iſtum *Adulfum*, cum patre defuncto , quia alter legitimus hæres non extaret,ex gradu Subdiaconi Wintonienſis in Regem translatus eſt,concedente *Leone* illius nominis Papa tertio.Tum vero palam erat,quid eum ſpiritualis philoſophia docuiſſet,dū magis famulorum Dei,quā ſuis vtilitatibus proſpiciens omne regnum Deo decimaret: Nihil faceret niſi ratum, nihil iuberet niſi pium.Sed hæc alias egimus: nun in manibus *Swithuni* geſta euoluimus. Quem ille vt altorem,doctoremq; ſuum ſuſpiciens(ſic enim eum vocabat)non prius abſtitit,quā Epiſcopatu Wintonienſi honoraret conſentiente clero, ordinante Archiepiſcopo Cantuariæ *Celnotho.* Lætis ergo incrementis fundamenta bonorum in regno iacta per Regem , pullulabant per Pontificem,dum iſte bonum vrgeret, quod ille ſuis præſertim admonitionibus inciperet.Et erat quidem virtutum omnium promptuarium , ſed aggaudebat duabus maxime,clementia & humilitate. Abbatum inſignia ſtylus ſubiiciet. Operariis ad Pontem in Orientali parte vrbis faciendum forte aſſederat, vt inſtanti præſentia ſuſcitaret ſtimulos deſidum incuriæ.Et ecce per pontem comeabat in ciuitatem fœmina * commercii ferens oua.Proſiliunt vndiq; (vt mos eſt eius generis hominibus) & petulanti excuſſu omnia oua ad vnum confringunt.Id non leue ſanioris mentis hominibus viſum,ſed ſtatim in notitiam Domini Epiſcopi delatum.Is ante ſe adductæ muliercula annis & pannis ſqualidæ querelam auſcultat, damnum ſuſpirat, miſericordia mentis cunctantem * miraculum excitat,ſtatimq; porrecto crucis ſigno fracturam omnium ouorū conſolidat.Exiguumne eſt hoc ſanctitatis & clementiæ documentum ? Quod de humilitate ? Quandocunq; nouam fabricam in Dei Eccleſiam conſecrare deberet,eo quamlibet longum eſſet,non equo vel vehiculo,ſed pede impiger contendebat.Et ne daretur ab imperitis ridiculo,vel ſuperbis iactantiæ notaretur elogio,viſibus hominum abditus, nocturnus viator totum iter conficiebat.Solitariæ ſanctitatis amator,nulla pompa bona ſua proſtituebat.Hinc factum opinor,vt cœlo tantum teſte fruitus, omnium miraculorum ſuorum notitia poſterorum fraudaret conſcientiam.Iam vero vitæ præſenti valefacturus Pontificali authoritate præcepit aſtantibus,vt extra Eccleſiam cadauer ſuum humarent: vbi & pedibus prætereuntium,& ſtillicidiis ex alto rorantibus eſſet obnoxium. Exceſſit anno ab incarnatione Domini 863.poſt mortem *Adulphi* 6. Præteriere multa tempora, & margarita Dei latebat ingloria annis fere centum. Hoc annorum diſcurſu, octo Epiſcopi dies ſuos expleuere : Quorum hæc ſunt nomina.

al.commercii cauſa.

al. in miraculum.

Alfrithus.

Dunbertus.

Deneuulfus.

Fretheſtanus.

Birnſtanus.

Elphegus.

Elſſius.

Brithelmus.

Quorum aliquos celebriore vita diffamatos noſtra ſedulitas non omittet. *Deneuulfus*, ſi famæ creditur, ad multam ætatem non ſolum literarum expers,ſed & ſubulcus fuit. Eū *Elfredus* rex hoſtium violentia regno cedens, & in ſyluam profugus, caſu ſues paſcentem offendit. Et ne multis innectar,comperto eius ingenio, quod ad bonum ſpectaret, literis informandum tradidit.Nec deſciuit ab officio,donec perfectius inſtitutū crearet Epiſcopum,commentus rem dignam miraculo.*Fritheſtanus* fuit vnus ex ſeptem Epiſcopis, quos *Plegmundus* Archiepiſcopus tempore regis *Eduardi* filii *Elfredi* vno die conſecrauit Cantuariæ.Multa eius bona oſtendit adhuc librorum copia, vitæ ſanctitatem,non ita vt aliorum,in obſcura latens ſepultura.*Birnſtanus* quatuor tantum annis rexit Epiſcopatum. Illum puriſſimæ ſanctitatis fuiſſe accepimus , quotidie non intermiſſa ſedulitate Miſſam

pro defunctorum requie cantaſſe: noctibus depulſa formidine ſolum circuire ſolitum, pro animarum ſalute pſalmos frequentaſſe. Hoc cum quadam vice faceret, & expletis omnibus ſubiungeret, *requieſcant in pace*, voces quaſi exercitus infiniti a ſepulchris audiuit reſpondentium, *Amen.* Iſtud mirabilius quo infrequens eſt mortuos cum viuo ſeuiſſe ſermonem, ne eum officii pigeret, quod tot animabus gratū audiret. Idem Dominici exempli ardentiſſimus executor, pedes egenis omni die remotis arbitris lauabat, menſam & cibos apponens, nec minus pro diſciplina famulantium reliquias abſtergens. Obſequio conſummato, pauperibuſq; dimiſſis, ad multas ibi remanebat horas orationibus, (vt creditur) vacans. Quadam ergo die pro conſuetudine ingreſſus, nulla antea interpellatus moleſtia ægritudinis ſubito clam omnibus ſpiritu vitali caruit. Clientes, qui conſuetudinem eius noſſent, tunc quoq; orationibus occupatum crederent, tota die iacere paſſi. At vero ſequenti diluculo irrumpentes, inueniunt cadauer ſine mente. Conclamatus eſt ergo, & ſepulturę datus. Sed ciues, quod interceptum morte videbant, omnem eius memoriam obliterauere ſilentio, neſcientes quod ſcriptum eſt, *Non poteſt male mori qui bene vixerit. Et iuſtus quacunq; morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Correxit id diuina rectitudo longo poſt tempore, ſuccedente *Ethelwoldo*, cui noctium principio ante ſanctorum reliquias lucubrare ſolito, apparuere tres aſſiſtere perſonæ, non in extaſi, ſed plane inſomni. Quarum quæ media, has exprimere voces eſt audita. *Ego ſum* Birnſtanus, *quondam huius vrbis Epiſcopus: hic (dextram oſtendens) eſt* Birinus *prædicator primus: iſte (& oſtendit ſiniſtram) eſt* Swithunus, *ſpecialis huius Eccleſiæ & ciuitatis patronus. Noueriſq; quod ſicut me cum eis hic vides in præſentia, ita cum eis in cœlo non diſpari fruor gloria. Cur igitur fraudor honorificentia mortalium, qui magnificor conſortio cœleſtium ſpirituum?* Finierat & in aerem cum ſociis elapſus preciosa ſui memoria prouincialibus appoſita, nihil non venerationis deinceps emeruit. *Ephelgus* ad cæterarum virtutum cumulum, quibus tam laudabiliter quam abunde pollebat, etiam prophetia clarus fuit. Huiuſmodi dicti duo erant cauſa exempli. * Dies cinerum, & Pontifex pro more pœnitentes Eccleſiæ liminibus excludebat: cæteros adhortatus eſt, vt ieiunio & caſtitati vacantes, etiam vxorias delicias abiicerent: illis diebus fructum dignum pœnitentiæ eſſe, ſi qui multa illicita commiſeris, etiam licitis abſtineas. Doctrinam reuerenter audientibus cęteris, vnus ioculari voce emiſſa aliis riſum excuſſit. Non poſſe ſe temperare conuiuio ſimul & coniugio, vt pariter abſtineat cibis & Venere. Quinimo vxorem, quam cubili aliquandiu ſubmouiſſet, in proximo ad vſum noctis reuocaturum, petulanti & vulgari verbo fatuitatem ſuam exaggerans. Tum vox Epiſcopi ſubmurmurantis ab aſtantibus audita & intellecta eſt. Contriſtas me miſer, neſciens quid ventura pariat dies. Duram prophetiam vicina mors nebulonis excepit. Poſtero enim mane in cubiculo repertus eſt exanimis, incertum à diabolo guttur eliſus. Alio tempore ordinauit pariter ad presbyteratus gradum tres Monachos: *Dunſtanum, Ethelwoldum*, & quendam *Ethelſtanum*, qui poſtmodum Monachicæ veſtis apoſtata, cœlibatu contempto in meretriciis amplexibus vitam effudit. Completis ſolemniis, ſanctæ recordationis præſul adhærentes alloquitur. Hodie coram Deo tribus viris manus impoſui, quorum duo Pontificalis ordinis gratiam nanciſcentur: vnus in ciuitate Wigornia, deinde in Cātia: alter meam ſedem implebit quandoq; ſucceſſione legitima: tertius voluptatum volutabro ſe ingurgitans miſerabilem ſortietur exitum. Hic *Ethelſtanus*, qui pro familiaritate cognationis præſens eſſet, proterua conſultatione ſacerdotem inuaſit. Num ego ero vnus ex duobus, qui Epiſcopali dignitate ſublimandi ſunt? Non, inquit, erit tibi pars neque ſors in eo, quem præfatus ſum ordine, neque permanſurus es in ea, qua hominum oculis lenocinaris veſte. Quanta ſanctiſſimæ mentis dignitas, vt euidenter & ſine fuco cœlorum efferret ſecreta? Neque enim in terram ceciderunt verba iſta, ſed omnia in rerum ſolidauit conſequentia, quod *Dunſtanus* & *Ethelwoldus* anguſtam viam, quæ ducit ad vitam, tenentes, inſignes in prædictis Epiſcopatibus emicuere: tertius latas ſeculi ſemitas curſitauit. *Elſſii* præcipitem in emendo Archiepiſcopatu rabiem & miſerabilem mortem ſuperior liber abſoluit.

al. dies erat cinerum

Quare iam cōgruum video, vt de patre *Ethelwoldo* aliquid vel breuiter dicam, qui ſucceſſit *Brithelmo* ſucceſſori *Elſſii* in Wintonia. Eius vterque parens nec egenus fortuna, nec abiectus ſtirpis linea ciuis Wintoniæ fuit. Ipſe in pueritia literas, in adoleſcentia curiam frequentans, *Ethelſtano* percharus fuit. Cuius conſilio à prædicto *Elphego* tonſoratus in clericum, non multo poſt à *Dunſtano* Glaſtonienſi Abbate eſt cucullatus in Monachum: ordinatuſq; in Monaſterii Decanum. Hos doctrina, illos religione, omnes amore demerebatur. Quo tempore Abbas vidit de eo ſomnium ſane memorandum. Arborem infra eiuſdem cœnobii ſepta ſuccreſcere, quæ per quatuor mundi plagas ramis diffuſis totam

inumbraret Angliam: opertam per omnes frõdes cucullis, maximamq́; cucullam in ſummo poſitam, cæteras minores manicarum quaſi fomento protegere. Stupefactum illum tantæ viſionis miraculo, ab aſtante venerabilis canitiei ſene quæſiſſe oraculum. Arbor illa, inquit, eſt hæc inſula: cuculla maior eſt Monachi tui *Ethelwoldi* vita: cæteræ hominum innumerorum, quos ipſe verbo & exemplo trahet ad Dominum. Conſonat huic præſagio matris eiuſdem viſio, quæ ipſi iam vtero grandeſcenti, iamq́; puerperium meditanti oſtẽſa eſt. Auream aquilam ex ore ſuo auolaſſe, quæ pennarum plauſu diu ciuitatem perluſtrans, nouiſſime altitudine nubium euecta cœlum ſubiſſet. Harum viſionum veracem exitum iam prælambens fortuna ferebat in populum. cum ille arctioris vitæ deſiderio Gallicanum exilium ſitiens ab *Edredo* rege retentus eſt: agente id & filium ſtimulãte matre *Edgifa*, omni religionis laude orbi Brittannico nota. Datur ergo ei cœnobium perexile Abendonia dictum, vbi vires ſuæ prudentiæ experiretur. Nec ipſe ſpei datorum ſtrenuitate abfuit, ſed in laudabilem (vt hodie cernitur) celſitudinem erexit. Paucis vero elabentibus annis iam *Dunſtano* Archiepiſcopo facto, ipſe ab *Edgaro* rege, ad Epiſcopatum Wintonienſem electus, & ab eodem Archiepiſcopo conſecratus eſt. Tum vero magnis conatibus ad Eccleſiarum vtilitatem conſurgere, extirpare vitia, virtutum inſerere plantaria. Neſcires quid in eo magis laudares: ſanctitatis ſtudium, an doctrinarũ exercitium; in prædicatione inſtantiam, in ædificiis induſtriam. Clerici Epiſcopatus ſimul & alterius Eccleſiæ, quæ iuxta erat, quam nouum Monaſterium vocabant, data optione, vt aut vitam mutarent, aut loco cederent, molliorem partem eligentes, exturbati ſunt Monachis introductis. Plura eis ex Epiſcopatu delegata prædia viciniora ſitu, ampliora redditu. In eadem vrbe ſanctimonialium fundatum & factum Monaſterium. De cæteris, quæ in diuerſis regionibus inſtituit, fiet verbum cum ad eorum Epiſcopos ventum fuerit. Et mirum quidem videtur, quod tanta fecerit, niſi quod rex *Edgarus* omnino voluntati eius deditus erat: à quo ſupra omnes infra *Dunſtanum* diligeretur. maximoq́; & laudabili operibus eius fuit emolumento beatiſſimus *Swithunus* eodem tempore reuelatus. Qui antiquæ vitæ humilitatem tenens, non alicui inflatiori perſonæ, ſed homuncioni pauperculo, qui manuum artificio vitam toleraret, per viſionem talia proferre viſus eſt. Vade Wintoniam ad vetus Monaſterium, requiſitoq́; loci æditno, præcipe vt dicatur Epiſcopo *Ethelwoldo* quatenus *Swithuni* olim Epiſcopi mauſoleum aperiens, efferat reliquias, inuenturus ibi omni theſauro pretioſiores margaritas. Reſpexit tempora eius clemens diuinitas, vt per me cœleſtibus illuſtrentur prodigiis: & ne cuncteris, hoc habe ſignum. Annulos ferreos violenter cum plumbo lapidi ſepuchri affixos leui anniſu cum voles extrahes, cum voles appones: cæteri ſi idem tentauerint fruſtra erit: iuit ille, & promiſſionis coram æditno cõpos effectus ad præſentiam Pontificis admiſſus eſt. ibi rem intrepide proſequutus, fidem dictorum habuit. Die ergo dicta eleuantur oſſa de tumulo, componuntur in ſcrinio. Concurrit vis ingens vulgi, vota offerre, vota cumulare. Nullus ſe queritur fraudatum, omnia fiunt, cuncta cõceduntur. Deniq́; tanta miraculorum copia in omni genere valetudinem exhibita eſt, quantam nulla memoria hominum alibi factam attingere poteſt. habet ergo cognomentum *Pij* ſanctus ille, omni ſe inuocanti, niſi fides defuerit, ad auxiliandum celer. Cuius bonitas iamdudum inchoata, nec noſtra ætate exſoleſcit. Vidi ego, quod mirum ſit, hominem cui violentia raptorum effodiſſet lumina, oculis vel illis vel aliis (nam illi longiuſcule proiecti fuerant) receptis, ſerenam lucem per *Swithuni* merita recepiſſe, eratq́; præteritæ calamitatis indicium, quod aculei punctionum palpebras deformabant. Vult interea ſanctus, vt in omnibus glorificetur Deus, nec patitur, vt aliquis per eum ſanatus, carnis volutetur lubrico, qui nolit præterito implicari morbo. Quinetiam cum olim Monachi miraculorum frequentia defeſſi eſſent, & mediis noctibus euentu alicuius prodigii, ſeſe inopes quippe ſomni * citarent, non latuit torpor eorum ſancti oculum de longe intuentem.

al. tricarent

Continuoq́; *Ethelwoldo* apud curiam regis ſoporato aſtitit, vacationem minitans ſanitatum, ſi Monachi vlterius à laude Dei putaſſent ceſſandum. Cur enim in Dei dormitarent laude, cum ipſe pro eorum vigilaret ſalute? Sed nec ipſe *Ethelwoldus* à miraculis ociabatur: videbaturq́; æmula viui & mortui ſanctorum pietas, dum hinc inde crebreſcentibus ſanctorum prodigiis huius corroboraretur fides, huius valetudini reuocaretur ſanitas: mortiferum virus fraudulentia miniſtrorum hauſtum, cum iam per artus irrepens depaſceretur vitalia, fide diſcuſſit: vas oleagini liquoris receptaculum reparauit perditum, accumulauit inuentum; furacis Monachi brachia inuiſibilibus laqueis verbo irretiuit, ſolaq́; benedictione eiuſdem confitentis lora euoluit: alterum in præcipiti ſtantem caſus deiecit, ſed oratio *Ethelwoldi* ruenti manum ſuppoſuit, officio reſtituit. Inedia ciborum pro ſterilitate ſoli prouinciam inuaſerat, iuſſit ille ſacrata vaſa

confringi

confringi & diſtribui, proteſtatus melius eſſe vt metalla miſerorum inopiæ, quam ſacerdotum famularentur iactantiæ. Noua ergo Eccleſia, vt diu deſiderauerat, ædificata ſublatus eſt mundo magna monachorum ærumna, ſua nulla. Quippe ille ſublimis exultat in gloria: cœnobia, quæ fecerat poſt eius obitum multa diruta, cuncta minorata.

Ethelwoldo ſucceſſit *Elphegus* bono bonus: de quo ſuperius aliquid dixi, & nunc latius garrire libet. Puer librorum amplexus ſcholas, adoleſcens alterauit habitum apud * *Derherſt* tunc exiguum cœnobium, nunc inane antiquitatis ſimulacrum. Illic cum vitæ Monachilis regulam accepiſſet, altius quid anhelans Bathoniam contendit, vbi ſe cellulæ ſecretioris parietibus includens cœleſtia mente libabat. Plures per eum boni ad locum Monachi congregati, etiam vt fit in magno corpore corruptelam morbi cõtraxere. Quidam enim ex eis neſciente patre conuiuia in noctem ducere, perindeq; potationibus ad lucem inſiſtere. Non tulit id diutius Deus: ſed ſigniferum factionis in æde conuenticulorum conſcia, morte perculit nocte intempeſta. Interim ſanctus orationibus interpolatis concepit auribus ſonum ab eadem domo prolatum quaſi vim inferentium & ſuſtinẽtium. Miratus rei nouitatem, pedetentim ſuſpenſo halitu acceſſit ad oſtium. Tum vero per rimas feneſtrarum vidit duos ingentes dæmones, cadauer exanime crebris malleorum ictibus torquentes, illo miſerabilibus eiulatibus ſuffragium quærente. Reſpondebat hoſtes, nec tu obediſti Deo, nec nos tibi. Quod cum mane cæteris retuliſſet, non mirum fuit ſi comeſſationum complices facti ſunt abſtinentes. Defuncto ergo Wẽtano Epiſcopo *Dunſtanus* Archiepiſcopus *Andreæ* Apoſtoli *Elphegum* nominatum eligentis animatus oraculo, eundem ſubſtituit throno. Ipſe prudẽs in ſeculo, ſimplex in Deo, extima prouidere, intima non negligere. Anteceſſoris ſui oſſa extulit anno 12. poſt depoſitionem eius, ſignis quibuſdam, & eis non leuibus ad audendum perſuaſus. Atque vt tanti patris ſedem digne ornaret, veſtigia ſanctitatis eius tenẽs, quando ſedebat ad menſam, nec vẽtris ingurgitabat lacunam, nec abſtinentis incurrebat pompam. Carnibus nũquam niſi æger indulſit: pocula ſummo tenus ore ſemper libauit. Prodebat abſtinentiam commeſtionis tenuitas corporis, quod vix oſſibus hærebat. Noctibus fallens cuſtodes procedebat ſolus ad amnem, vbi demerſus ad ilia, & in Dei laudibus excubans, albeſcẽte iam diluculo, neſcientibus ſuis ſuccedebat cubiculo. Exactis in Epiſcopatu annis duobus & viginti, tranſlatus eſt Cantiam, inuitus (vt aiunt) quod conſueto priuatus honore, maiore premeretur onere. Wentanum enim Epiſcopatum *Kenulphus* Burghenſis Abbas nummis nundinatus fuerat; ſed non diu ſacrilego auſu lætatus, ante duos annos hominem exuit. At *Elphegus*, vt pallium ab Apoſtolico reciperet, Romam contendens, Alpes tranſcẽdit. Ibi in vico quodam hoſpitatum ruſtica multitudo adorſa, omnibus ſuis exuit. Statimq; ignis, incertum vnde natus, domos corripuit, qui ſpiraculo vẽti adiutus toti vico exitium minabatur. Tũ brutæ mentis homines ægre licet animaduertentes delictum, rabidis paſſibus iam egreſſum iamq; profectum conſequuntur: adorant, veniam rogant, ablata reſtituunt. *Elphegus* flecti facilis, ſignum crucis igni è regione oppoſuit: continuoq; in ſe retorta flamma elanguit, incendium omne ad cineres refrixit. Romæ cum eſſet, exceſſum ſucceſſoris ſui, nemine, vt alias dictum eſt, afferente vidit & enunciauit. Inde ad ſedem regreſſus annis ſeptem patriarchatũ fœliciter egit: quibus elapſis, à Danis in vincula coniectus 7. menſibus ergaſtuli inhabitator fuit. Cauſas vinculorum alias quære. Interea tabes lethifera graſſata in Danos cateruatim hoſtes *Elphegi* fundebat, adeo vt celeritas mortis præueniret ſenſum doloris. Putor itaq; cadauerum inſepultorũ aerem infecit, corruptiorq; cœli tractus, cæteris, qui ſani videbantur, peſtem creauit. Ruebant ergo ſine modo, ſine numero, cum ille exoratus pane a ſe benedicto communicatis peſtem depulit, ſalutem reſtituit. Nec minus illi beneficiorum ingrati curatorem ſuum lapidibus contrucidarunt. Nonnulli vero, quibus ſanius conſilium, de ſepeliendis exuuiis Pontificis contendentes, aliquandiu percuſſores aduerſarios habuerunt. Sed lite in iudicium deducta, conuenit, vt lignũ aridũ, quod ſors obtulerat, ſi ſanguine eius litũ craſtino reuireſceret, arbitratu ſuo Chriſtiani cadauer humarent. Factumq; eſt: & lignum, cui tum & cortex deerat, mane inuentũ reuiruiſſe, pubeſcens floribus, turgeſcẽs fructu. Quocirca corpus ad ſanctum *Paulum* Londoniæ tũc pacificè humari permiſſum: indeq; decimo anno iubente & aſtante rege *Cnutone* ſublatum, ſine vlla ſui labe patriarchatus ſedem glorificat. Durat adhuc & nuperrime viſa fuit & ſanguinis nouitas, & corporis integritas. Nec ſane aliquis euaſit ex occiſoribus, quin pœnas lueret: quas veraciter enumerare poſſem, niſi me calamitates miſerorum narrare pigeret. Satis inculcatur miſeria perſequutoris, quando eminet gloria Martyris.

al. Dubuſt

Poſt *Elphegum* in Wintonia ſedit *Ethelwoldus*.

Ethelwoldo * *Elſius*. al. Egelſi

Elſio Elwinus.

Elwino Stigandus ſucceſſit.

Stigando (vt ſæpe dictum eſt) depoſito ſucceſſit *Walkelmus* à *Willielmo* rege datus, cuius bona opera famam vincētia ſenium a ſe vetuſtatis repellent, quamdiu inibi ſedes Epiſcopalis durabit. *Maurilius* eum Archiepiſcopus Rothomagenſis viam mortis meditans in fidei pignus commendauerat, quod eſſet in eo ſpes indolis laudandæ, ſi haberet materiā, qua virtus poſſet eniteſcere. Sponſionem Pontificis *Walkelmus* produxit ad verum, faciēs quanta non poſſent ſperari in religione, & numero monachorum, in ædificiis domorum. Et primo quidem aduena nouus monachos exoſus fuerat: ſed facile correctus vmbraticum illud odium ſæpe deplorauit: deinceps fouens eos vt filios, diligens vt fratres, honorans vt dominos: nihil minus pro diſſimilitudine veſtis exhibens eis vel adiutorii vel familiaritatis. Nullum conuicus inceſſere, pronuntians quod Epiſcopalis grauitas ſuam indigna macula reſpergat gloriam, ſi in pauperiorum deſcendat contumeliam. Vnū eſt permaximum, in quo peccauit, quod ad trecentas libratas terras Monachis auferens, ſuis & ſucceſſorum vſibus implicuit. Conſtituit ipſe Priorem loci *Godefridum* quendam ex Cameraco genitum, qui religione & literatura inſignis fuit. Literaturam proteſtantur Epiſtolæ, familiari illo & dulci ſtylo editæ, maximeq; epigrammata, quæ ſatyrico modo abſoluit, præterea verſus de Angliæ Primatum laudibus; Quid quod omne diuinū officium, quod vetuſtate quadam obſoletum, natiua excultum venuſtate fecit ſplendeſcere? Religionis & hoſpitalitatis normam pulchre inchoatam delineauit in monachos, qui hodie in vtriſque *Godefridi* ita formam ſectantur, vt aut nihil aut parum eis deſit ad laudis cumulum. Denique eſt in ea domo hoſpitium terra marique venientium, quantum libuerit, diuerſorium ſumptu indeficiente, charitate indefatigata. Inter hæc inerat ſancto viro morum humilitas, vt nihil ex illo vnico philoſophiæ promptuario redoleret niſi humile, procederet niſi dulce. Quantula vero poteſt videri hæc eius laudatio? Quotus vero quiſq; eſt qui vel minimum imbutus literis non alios infra dignitatem ſuam opinetur, tumido geſtu, & pompatico inceſſu præ ſe ferens conſcientiam literarum? Veruntamen ne quid perfectionis ſanctæ deeſſet animæ, multis ille annis grabbatum fouit, camino diuturnæ tabis peccata excoctus.

DE MONASTERIIS.

Est etiam in eadem ciuitate Monaſterium, quod quondam Rex *Elfredus* mente conceperat, & *Edwardus* filius ædificauerat, & in eo canonicos poſuerat, *Grimbaldo*† quondam Flandrenſi ſuadente, qui ibidem magna gloria humatus, ſanctus prædicatur & creditur. Sed beatæ memoriæ *Ethelwoldus* canonicis expulſis Monachos poſuit, præficiens eis Abbatem *Edgarum* nomine, de quo ſuperius dixi. Ad huius Monaſterii officinas inſtituendas ſufficiens terræ ſpatium ab Epiſcopo *Denewlfo* & canonicis illius temporis mercatus ſupradictus Rex, ad vnumquemque pedem mancam auri publico pondere penſitauit. Et erant ambæ Eccleſiæ ſic vicinæ parietibus cōtiguis, vt voces canentium aliæ obſtreperent aliis. Vnde tum propter hoc, tum propter cætera infœlix liuor plurimas effodiebat cauſas, quibus non modicas inuicem exculperent offenſas. Quapropter nuper illud cœnobium extra vrbem tranſlatum ſanius incolitur, liberius inſignitur. Præterea conſtruxit ſupradictus Rex in eadem vrbe ſanctimonialium cœnobium, ſed poſterioribus annis per beatum *Ethelwoldum* ampliatus eſt locus ille: quibus præpoſuit *Edelritham* virginem anum, quæ ad coniecturam ſomnii, quod mater eius de aquila viderat aurea, multa de ipſo prophetauit. Fuerat ibi ante hanc Monaſteriolum, in quo *Edburga* regis *Edwardi* ſenioris filia conuerſata & defuncta fuerat, ſed tunc pene deſtructum. *Edburga* vix dum trima eſſet, ſpectabile futuræ ſanctitatis dedit periculum. Explorare volebat pater, vtrum ad Deum an ad ſeculum declinatura eſſet puſiola. Poſueratque in triclinio diuerſarum profeſſionum ornamenta: hinc calicem & Euangelia, inde armillas & monilia. Illuc virguncula à nutrice allata genibus parentis aſſedit: iuſſaque vtrum vellet eligere, toruo aſpectu ſecularia deſpuens, prompteque manibus repens Euangelia & calicem puellari adornauit innocentia. Exclamat cœtus aſſidentium, auſpicia futuræ ſanctitatis exoſculatus in puella. Pater ipſe arctioribus baſiis dignatus ſobolem: vade (inquit) quo te vocat diuinitas, ſequere fauſto pede, quem elegiſti ſponſum. Ita ſanctimonialium habitum induta, cunctas ſodales ad amorem ſui ſedulitate obſequii inuitauit. Nec reſupinabat eam proſapiæ celſitudo, quod generoſum putaret in *Christi* inclinari ſeruitio. Creſcebat cum ætate ſanctitas, adoleſcebat cum adulta humilitas in tantum,

† *al. quodam Monacho Flandrenſi & ſacerdote &c.*

tantum, vt ſingularum ſoccos furtim noctu ſurriperet, & diligenter lotos & inunctos lectis rurſus apponeret. Deuotionem ergo pectoris eius & integritatem corporis, miracula in vita & poſt mortem commendant plurima, quæ cuſtodes templorum viua voce melius pronunciant. In eiuſdem Epiſcopatus diœceſi ſunt tria Monaſteria: Certeſeia, Rumeſeiæ, Warewellæ. Sed de Certeſienſi dictum eſt. De Warewellæ ſcitur, quod *Elfrida* vxor Regis *Edgari* ædificauerit illum in honore ſanctæ crucis, compuncta priuigni ſui *Edwardi* nece indigna: cuius ipſa conſcia & autor fuit. Apud Rumeſeiam, quod cœnobium præcellentiſſimus Rex *Edgarus* inſtituit, noui iacere duarum virginum corpora *Merewinnæ, & Elfredæ*: quarum geſta, quod neſcio, non tam prætereo, quam ad maiorem ſcribendi diligentiam reſeruo, ſi forte cognouero.

DE EPISCOPIS SCHIREBVRNENSIBVS, Salesburienſibus, Wiltunenſibus.

IN diuiſione Weſtſaxonici Epiſcopatus, hoc obſeruatum palam eſt, vt qui Wintoniæ ſederet, haberet duos pagos, Hamptonenſem, & Sudreienſem: Alter, qui Schireburniæ, haberet Wiltunenſem, Dorſetenſem, Beruchenſem, Somerſetenſem, Domnonienſem, Cornubienſem. Schireburnia eſt viculus, nec habitantium frequentia, nec poſitionis gratia ſuauis, in quo mirandum, & pene pudendum ſedem Epiſcopalem per tot duraſſe ſecula. Nunc de præſulatu in Abbatiam mutatus, commercio noſtra ætate non inſueto, qua omnia factione atq; libidine deprauata, virtus ludibrio & probro habetur.

Primus ibi ſedit pater *Aldelmus*, quem hic tantum loco ordinis nomino. Namque, quod eius vitam nuſquam plene digeſtam reperi, ſpectantq; ad eam quamplurima, *quę ſi in poſteros celauero, delinquo, cogitaui annuente Deo, in extremo huius opuſculi libro cum eiuſdem modi materia liberiori congredi otio.

Poſt eum igitur ſederunt in Schireburnia *Fordere*,
Herewald.
Ethelmod.
Denefrith.
Wibertus.

Alſtanus. Hic tempore *Egbrithi* Regis Weſtſaxonum & *Adulfi* filii eius ſimul, & vltra, magnæ in ſeculo potentiæ, & ingens in conſiliis author fuit: *Egbrutho* Regi Cantuaritas & orientales Anglos bellicis ſubegit laboribus. *Aldulfum* videns manſuetioris ingenii, ſedulis admonitionibus ad ſcientiam Regni ſtimulabat, contra Danos, qui tum primum inſulam infeſtabant, ſegnem animans, ipſe pecunias ex fiſco ſufficiens, ipſe exercitum cõponens. Multa per eum in talibus, & inchoata conſtanter, & perfecta fœliciter, qui annales legerit, inueniet. Vixit in Epiſcopatu annis 50. fœlix, qui tanto tempore in procinctu bonorum operum fuerit! Quem libenter laudarem, niſi quod humana cupiditate raptatus vſurpauit indebita, quando Monaſterium noſtrum ſuis ſubſtrauit negociis. Sentimus ad hunc diem impudentiæ illius calumniam, licet locus ille ſtatim eo mortuo omnem Epiſcoporum eluctatus fuerit violentiam, vſq; ad noſtrum tempus, quando in idem diſcrimen recidit. *Ita proteruum eſt mala inchoare, quod ſi author decidit, exemplum non tranſit. Delectat pertinacem animum, quid mali alius geſſerit, recognoſcere, & quid gerere poſſit, audire.* Minori dedecore Monachi illius temporis ſuſpirauerunt libertatem ademptam, quam nos amiſimus, ſtatim per eos præſertim reſtitutam. Et erat ille (vt ex ſcriptis audiuimus) ſicut cupiditate præferuidus ita liberalitate præcipuus. Noſtri prædones, & populantur, & premunt, vt nec libera vox dolori concedatur. Potentiam eius per hoc quilibet cognoſcere poterit, quod Regem ipſum Roma reuertentem regno arcuerit, ſtatutoq; ad vmbram regnandi filio, niſi arbitratu ſuo pace compoſita ſenem in ſua regredi non ſiuerit. Reliquit Eccleſiam ſuam prædiuitem prædiis vndecunq; acquiſitis, quanta ſi audias, hominis vel cupiditatem, vel fœlicitatem mireris.

Illum ſubſecuti ſunt *Eadmundus.*
Ethelegus.
Alſius.
Aſſerus.

Sighelmus. Quorum vltimi ambo ſub Rege *Alfredo Adulfi* quarto filio fuiſſe noſcuntur. *Aſſerus* ex Sancto *Dewi* euocatus, non vſq; quaq; contemnendæ ſcientiæ fuit. Qui librum

Boetii de Conſolatione Philoſophiæ planioribus verbis elucidauit, illis diebus labore neceſſario; noſtris ridiculo. Sed enim iuſſu Regis factum eſt, vt leuius ab eodem in Anglicum transferretur ſermonem. *Sighelmus* trans mare cauſa eleemoſynarum Regis, & etiam ad ſanctum *Thomam* in Indiam miſſus, mira proſperitate, quod quiuis in hoc ſeculo miretur, Indiam penetrauit, indeq; rediens exotici generis gemmas, quarum illa humus ferax eſt, reportauit. Nonnullæ illarum adhuc in Eccleſiæ monumentis viſuntur.

Sighelmo ſucceſſit *Ethelwardus*, quo mortuo ceſſauit Epiſcopatus Weſtſaxonum annis ſeptem, vi ſcilicet hoſtilitatis cogente. Poſtmodum vero *Pleymundus*, Archiepiſcopus, & Rex *Edwardus* filius *Elfredi* minis & edictis *Formoſi* Papæ coacti quinq; Epiſcopos pro duobus fecere (vt ſæpius diximus) & nunc importune pro contexenda rerum ſerie repetimus. *Athelmum* ad Wellenſem Eccleſiam, *Edulfum* ad Cridienſem.

Werſtanum ad Schireburnenſem, *Athelſtanum* ad Cornubienſem, *Fideſtanum* ad Wintonienſem. Habebat ergo *Ethelmus* Somerſetam, *Edulfus* Domnoniam, *Athelſtanus* Cornubiam, cuius ſucceſſorũ nomina nuſquam reperio. *Werſtano* relicti ſunt pagi tres: Dorſatenſis, Berkenſis, Wiltenſis. Veruntamen non multo poſt eodem viuente rege in Wiltenſi pago propius factus Epiſcopus *Ethelſtanus* nomine, ſedem in Rameſberia habuit. *Werſtanum* ferunt in prælio contra *Analafum* à Rege *Ethelſtano* ſuſceptum, à paganis trucidatum. Cum enim (vt alias dictum eſt) Rex conſulto ceſſiſſet, Epiſcopus ad bellum cum ſuis veniens, incautuſq; inſidiarum pro viridantis campi æquore vnde Rex abſceſſerat, tabernaculum tetendit: *Analafus*, qui pridie locum explorauerat, noctu paratus aduenienſ, quod reperit, incunctanter deleuit.

Poſt eum hi fuerunt Epiſcopi, *Ethelbaldus*.
Alfredus.

Wilſſinus. Hunc *Duſtanus*, Archiepiſcopus cum eſſet Epiſcopus Londoniæ, Abbatem apud Weſtmonaſterium fecerat; inſtructo ad 12. monachos cœnobiolo, in loco vbi quondam *Mellitus* Eccleſiam Sancto *Petro* fecerat. Ita commiſſum officium ſancte & prudenter adminiſtranti bonos Epiſcopalis apud Schireburniam impactus: qui confeſtim in ſede Epiſcopali Monachos clericis eiectis inſtituit, ne in tanta contemporaneorum Epiſcoporũ ſedulitate dormitare videretur. Cœnobitis nihil ad victus neceſſitatem ex Epiſcopatu largitus, ſed ex alieno mercatus, Abbatem quoque inſtituere cogitauit. Illis reclamantibus, quod eius dulci dominatione, dum aduiuerent carere nequirent, ceſſit inuitus, palamq; pronuncians magnarum id calamitatum initium ſucceſſoribus eorum fore. Cuius ſanctitatis documentum, cum in vita ſæpe, tum in morte præcipue manifeſtatum eſt. Namq; cum iam proxime mortis ianuas vrgeret, apertis mentis oculis exclamauit in cantum: *Ecce video cœlos apertos, &* Ieſum *ſtantem à dextris Dei*. Quo cantu ſine titubantia expreſſo inter cãtandum defungitur; ſancta & venerabilis anima, quæ dictum primi & beatiſſimi Martyris, mutuari potuit; beata, quæ cœlum apertum vidit, & introire meruit. Seruatur ibi adhuc baculus eius, & quædam alia pontificis inſignia, mediocritatis & humilitatis eius, viuum (vt ita dicam) ſimulachrum præferentia.

Succeſſerunt ei *Alfwoldus*.
Ethelricus.
Ethelſius.
Brithwinus.
Elmerus.
Brinwinus.

Alfwoldus frater eius, ex Monacho Wintonienſi Epiſcopus, qui apud Schireburniam imaginem ſanctiſſimi *Swithuni* collocauit, facem venerationis extulit. Conſtat eum reuerendiſſimæ vitæ fuiſſe, & inter profuſiſſimos conuiuiorum apparatus, qui tunc in Anglia à Danorum tempore exhibebantur, catino ligneo, ſine vllo vnctiori cibo, & pocillo exiguo aqua ſuperfuſa, vt omnis ſapor ceruiſiæ dilueretur, ſemper vſum. Audiui ego bonæ fidei presbyterum, & iam canis ſparſum, bona eius lachrymabili gaudio referentem. Quorum illud non excidit, nullum vnquam vel ante, vel poſt obitum eius impune potuiſſe ſedem eius dormitando premere, quin ſtatim terris imaginibus territus reſiliret, increpantibus, cur ſedẽ Epiſcopi vſurparet indignus. Id multis nonnullo fuiſſe ſpectaculo. Surrexerat inter eũ & *Godwinum* comitem ſimultas anxia, qua de cauſa incertum mihi. Die placito dicta cum res non ad pacem, ſed ad litigiũ procederet, diſceſſit Epiſcopus poſt altercationem, has minas in Comitem iaculatus. Per dominam meam ſanctam *Mariam*

rium male tibi erit, quod contriſtaſti me. Domum ergo regreſſus vix pedem terræ appoſuerat, equitaturam peditatu commutans, cum ecce ſatelles Comitis aduenit, equo admiſſo & pulſu ilium curſus celeritatem prodente. Rogare ille miſerabiliter genibus affuſus vt redeat. Dominũ ſuum ſtatim poſt eius abſceſſum æſtuare corde, vix lingua palpitare. Tum inquit Epiſcopus, Nondum ſedata ira, per dominam meam ſanctam *Mariam*, væ ſibi erit. Sed vnanimi orantium prece inflexus, delicti gratiam fecit, benedictionem dedit, ægrum reparauit. Referebatq; Presbyter, quod fuiſſet Epiſcopus prona obſequela S. *Cuthberto* deuotus, ad omnem eius memoriam lætanter illachrymans. Peneq; ſemper antiphonam illã de ſancto tenebat corde, *ruminabat ore exercebat opere*. Sanctus antiſtes *Cuthbertus*, vir perfectus in omnibus, in turbis erat, Monachus digne cunctis reuerendus. Cũque quotidianus amor in eius pectore dulce incrementum acciperet, nec in eo bona flãma ſe caperet, ad ſanctum *Cuthbertum* Dunelmum profectus eſt. Ibiq; quod magnæ videtur audaciæ reuulſo ſepulchri operculo, cum eo quaſi cum amico fideliter colloquutus, xeniolum in perpetui amoris pignus depoſuit, & abiit. Iam vero fatali puncto inſtante, antiphonam quamdiu vox ſuffecit cantitans, ſermone præcluſo, vt dicerent cæteri, manu innuit. Ita indicium amoris, quem in ſanctum habebat, cum extremo efflatu emiſit. Poſt cuius obitum iterum Epiſcopatus Wiltonienſis cum Salesberienſi iunctus eſt. Quod quomodo actum ſit dicam, ſi prius nomina Epiſcoporum poſuero.

Primus ibi Wiltunenſis Epiſcopus fuit *Ethelſtanus*.
Secundus *Odo*, poſtea Archiepiſcopus.
Tertius *Oſulfus*.
Quartus *Algarus*.

Quintus *Elſtanus*. Hic primo Monachus ſancti *Ethelwoldi* apud Abendoniam fuit, cuius obedientiæ miraculum relator eiuſdem vitæ ſic inſinuat. Erat in congregatione quidam frater *Elſtanus* nomine, ſimplex & magnæ obedientiæ vir, quem Abbas iuſſit prouidere cibaria artificum monaſterii: cui ſeruitio deuotiſſime ſe ſubdens, coxit ipſe carnes quotidie, & operariis ſedulus attendebat, aquam apportans, & vaſa denuo emundans: exiſtimante Abbate illum, hoc cum ſolatio, & iuuamine alterius miniſtri facere. Accidit namq; quadam die, cum Abbas more ſolito peragraret monaſterium offendit inopinate fratrem illum iuxta feruentem lebetem ſtantem, viditq; omnia vaſa munda, & pauimentum ſcopatum. Delectatus ergo facto, dixit ad eum, frater *Elſtane*, hanc obedientiam mihi furatus es. Sed ſi talis miles es, qualem te oſtendis, mitte manum tuam in bullientem aquam, & fruſtum de imis mihi impiger attrahe. Paruit ille, ceſſitq; feruor indomitus audaci fidei, nihilq; eſt læſus Monachus. Eundem fratrem poſtea Abbatem vidimus, qui etiam deinde pontificali honore ſublimatus ſancto fine quieuit in Domino.

Sextus *Siricius*.

Septimus *Alfricus*, qui ambo (vt ſuperius memoratum eſt) Archiepiſcopi fuere Cantuarienſes.

Octauus *Brithwoldus*, ex Monacho Glaſtonienſi, qui multis annis à tempore Regis *Ethelredi* vſq; ad *Edwardum* vltimum, adminiſtrauit Epiſcopatum. Is tempore Regis *Cnutonis* quadam vice cœleſtibus apud Glaſtoniam, vt ſæpe faciebat, intentus excubiis, diuinam viſionem expertus eſt. Cum enim ſubiſſet eum cogitatio, quæ frequenter cum angebat, de Anglorum regia ſtirpe pene deleta, hoc meditanti ſopor irrepſit, & ecce in ſuperna raptus, vidit Apoſtolorum principem *Petrum* manu tenentem *Edwardum* filium Regis *Ethelredi*, qui tunc in Normannia exulabat, & in Regem conſecrare cœlibe deſignata vita, & certo 24. annorũ numero computato, quo Regni metam terminaret: eidẽque de poſteritate conquerenti reſpondiſſe, Regnum Anglorum eſt Dei, poſt te prouidebit regem ad placitum ſui. Decurſu vitæ ſpacio ſepultus eſt *Brithwoldus* Glaſtoniæ, cuius poſſeſſiones multis prædiis, & redditibus ampliauerat, noſtro quoq; monaſterio perliberalis. Regnabat iam tunc *Edwardus*, qui *Hermanno* Capellano ſuo, natione Flandrenſi cõtinuo pontificatum donandum putauit. Eius animi magnitudini, vel potius cupiditati cũ non ſufficeret rerum anguſtia, quoniam apud Ramesberiam nec Clericorum conuentus, nec quo ſuſtentaretur erat, à rege petiit, vt qui ſe dignatus honore fuiſſet, non inhonorum victitare permitteret. Anteceſſores ſuos indigenas fuiſſe, ſe alienigenam nullo parentum compendio vitam quo ſuſtentet habere. Proinde Meldunenſe cœnobium ſibi ad faciendam ſedem concederet, abbatem opportuno ſibi caſu proxime obiiſſe. Id Rex pro ſimplicitate, cui pronior, quam prudentiæ ſemper erat, legitime concedendum ratus, ter-

tio abhinc die diſſoluit. Nam antequam *Hermannus* in re, vel ſaiſitione inuiſcaretur, excellentis prudentiæ Monachi, audito quid in curia actum, quid iuſtitiæ ſurreptum eſſet, ad Comitem *Godwinum* eiuſq; filium ſumma celeritate contendunt. Illi rei indigna nouitate permoti Regem adeunt, & à ſententia deducunt. Facile id fuit viris ſummis ampliſſima authoritate prædițis, quibus & cauſæ rectitudo, & Regis facilitas ſuffragaretur. Ita *Hermannus*, nec dum plane iniciatus expulſus eſt. Quo pudore cōfuſus Angliam indignabundus reliquit. Nec multo poſt ægritudine admonente ſimul, & quod ſecularia parum proſperauerant, fortunæ iratus mundo renunciauit, Monachus apud Sanctum *Bertinum* factus. Sed vt fere fit talibus repentino illo impetu religionis frigeſcente, indies in Angliam reditum meditabatur. Figebat hominem aſſuetum obſequiis, innutritum deliciis, carere delinimentis, quæ ab ineunte fuerat expertus ætate. afflaueratq; ſecundus rumor aures eius, *Alwoldum* Epiſcopum Schireburnenſem obiiſſe, cuius Epiſcopatum ſuo veniēdum antiquis *Edgitha* Reginæ promiſſis operiebatur. Quo concitatior veniens congruū ſpei ſuæ effectum inuenit. Etiam *Godwinus*, quem vehementer timebat, diſceſſerat, filiuſque eius voluntati regis & in hoc & in aliis acceſſerat, adoptioni ſcilicet inhians.

Accepit ergo *Hermannus* Schireburnenſem Epiſcopatum integrum, cum tribus pagis *Edwardo* Rege dante, viuacitateque ſua datoris annos tranſcendens ad *Willielmi* tempora durauit. Sub quo cum ex canonum decreto edictum eſſet, vt ſedes Epiſcoporum, ex villis ad vrbes migrarent, tribunal ſuum tranſtulit à Schireburnia Salesberiam, quod eſt viceciuitatis caſtellum locatum in edito, muro vallatum non exiguo, cæteris commeatibus vtcunque valens, aquæ penuria laborans, adeo vt miſerabili commercio ibi aqua veneat. Illic inchoata noui operis Eccleſia, morte ſenili tempus dedicationis præuenit.

Veruntamen ſuccedente ſibi *Oſmundo* viro probatiſſimo Eccleſia ad ſummam deducta, & cætera, quæ competebant, adaucta. Clerici vndecunq; literis inſignes venientes non ſolum libenter retenti, ſed & liberaliter coacti vt remanerent. Deniq; emicabat ibi magis quam alias canonicorum claritas cantibus & literatura iuxta nobilium: librorum copia conquiſita, cum Epiſcopus ipſe nec ſcribere, nec ſcriptos ligare faſtidiret, caſtitate præminens; de cuius virtute mentiri erubeſceret famæ volubilitas. vnde fiebat, vt pœnitentibus aſperior æquo videretur, dum quod in ſe non inueniret, in aliis durius vindicaret: Ambitionis immunis ſua ſtulte non perdere, aliena non quærere, abbatias intra diœceſin ſuam ſitas nulla penſione graui emungere. Veruntamen quæcunq; mundiali labe contracta creditur patientia ſua luiſſe, diuturno morbo ante mortem tabefactus.

DE MONASTERIIS.

IN Dorſatenſi pago ſunt Abbatiæ: Cernelienſis, Mildeltunenſis virorum, Sceptonienſis fœminarum, præter aliquas, quæ vel omnino deſtructæ, vel multum imminutæ ſunt. Cernelienſis exordium ita accepimus. *Auguſtinus* primus Doctor Anglorum poſt Cantiam *Chriſto* ſubditam, reliquas Anglorum prouincias peruagabatur, quantum *Ethelberti* Regis imperium protendebatur. Habebat enim (vt alias diximus) ſibi ſubiectum, quicquid Angli Brittanniæ incolunt, præter ſolos Northanimbros. Pagum ergo ſupra nominatum *Auguſtinus* adorſus crebris à Diaboli damno prædis Chriſtianitatis augebat numerum. Sed loco illo virtus hæſit dæmonis conflata inuidia; qui tantis animarum lucris doleret. Aggrediuntur ergo virum & ſocios, furiatis mentibus incolæ, & magnis dehoneſtatum iniuriis, ita vt etiam caudas racharum veſtibus eius affigerent, impellunt, propellunt, expellunt. Patienter ille & modeſte gaudenſq; pro nomine *Ieſu* contumeliam pati, & ne magis miſerorum irritaret inſaniam excuſſo pedum in eos puluere, longe quaſi milliariis tribus receſſit. Tum vero perſecutionis remoto turbine in quietem regreſſus animi, vidit mentis oculo diuinam adeſſe pręſentiam, exhilaratoq; vultu ait ſuis. Cerno Deum, qui & nobis retribuet gratiam, & furentibus illis emendatiorem infundet animam. Cum dicto aduenerunt illi properatis greſſibus, facti poſcentes veniam, fidem pollicentes ſuam. Euentus, vel potius verbum loco indidit vocabulum, vt vocaretur Cernel ex duobus verbis Hebraico & Latino. Quod Hel Deus dicatur Hebraice, *Dixit* Auguſtinus *dominum ſe cernere*: nec veritas ſermoni abfuit, quod tam cito mente mutata plebs ante lymphata credidit. Nam & ibidem cū ad baptiſmum deeſſet aqua, ad iuſſum pontificis ex occultis meatibus fons erupit, qui hodieq; & *Auguſtini* merito, & vſus ſui commodo incolis clarus habetur. Ibi ſuccedentibus annis, *Edwoldus* frater *Edmundi* regis & Martyris vitam heremiticam ſolo pane cibario, & aqua triuit, pertæſus (vt fama eſt) mundi delicia-

liciatum, quod ſe & fratrem durior excepiſſet fortuna. Fit enim plerumq; vt aduerſitatibus ſeculi admonitus generoſus animus, ad dominum ſe conuertat attentius, qui nec falli, nec fallere nouit. *Et prima quidem virtus eſt bene per ſe velle, ſecunda cogi poſſe.* Non minoris vt æſtimo, deputatur meriti *Paulus*, qui ad bonũ flagello coactus eſt aſpero, quam *Petrus*, q libens & ſtatim accurrit vocanti domino. *Edwoldus* poſt religioſe actã vitã magna ſanctitatis opinione ibi ſepultus, dedit occaſionẽ poſteriori tẽpore *Egelwaldo* prædiuiti homini, vt cœnobiũ eo loco ſancto *Petro* conſtrueret: Nõ ita exiliter (vt putatur) quinimo abundanter, ſi illi quorum intereſt, non ea nebulonibus ſuis, ſed Dei ſeruis impertirent. Sed ita omnia noſtro tẽpore in Anglia immutauit, & peruertit ambitio, vt res quas antiqui viri liberaliter contulerunt monaſteriis, magis diſpergantur pro poſſeſſorum ingluuie, quam famulentur Monachorum, hoſpitum, egenorum vitæ. Et certe datores non fraudabuntur mercede ſua, viderint iſti quomodo eorum intentiones olim examinentur in diuina libra. Mildeltunenſem fecit Rex *Ethelſtanus* pro anima fratris ſui *Edwini*, quem prauo corruptus conſilio Anglia eiecit. Cuius qui fuerit finis alias non ſilui. Ibi multas ſanctorum reliquias ex Brittannia tranſmarina emptas repoſuit, inter quos eminent præcipue beatiſſimi *Sampſonis* oſſa, Dolenſis quondam Archiepiſcopi ſanctiſſimi & plane Deo digni viri: cuius virtutes aliquas hic referrem, niſi quia notæ ſunt, & indigenarum ſanctorum miraculis ſcribendis occupatas manus habeo. Scephtonia eſt vicus modo, quondam vrbs, locus in prærupto montium ſitus: vetuſtatis indicium dat lapis in capitulo ſanctimonialium inſculptus, ita à vetuſtiſſimi muri ruinis illuc translatus. Anno Dominicæ incarnationis 880. *Elfredus* Rex, fecit hanc vrbem, regni ſui 8. Ibi *Elgiſa* vxor *Edmundi*, qui fuit pronepos huius *Alfredi*, monaſterium ſanctimonialium fecit. Ibidemq; carnis exuuias poſt fatum depoſuit: Mulier bonis operibus ſemper intenta, pietate & dulcedine prædita, & vt reos, quos triſtis ſententia iudicum palam damnauerat, ipſa occulte redimeret: precioſus amictus, qui mulieribus nonnullis eſt leno ſoluendi pudoris, illi erat ſupellex munificentiæ, vt quãlibet caram veſtem conſpecto ſtatim largiretur pauperi: ſpeciem corporis & artificium manuum in ea liuor quoq; laudaret, cum nihil reprehendere poſſet. De prophetali gratia, quam ei Deus affuderat, alias dictum eſt, & viuens quidem virtutum fecit opera: ſed poſt mortem micuerunt miracula ſicut rhythmice quondã cecini. *Nam nonnullis paſſa annis morborum moleſtiam, defæcatam & excoctam Deo dedit animam, functas ergo vitæ fato beatas exuuias, infinitis clemens ſignis illuſtrabat Deitas. Inops viſus & auditus, ſi adorant tumulum, ſanitati reſtituti probant ſanctæ meritum. Rectum greſſum refert domum, qui acceſſit loripes, mente captus redit ſanus, boni ſenſus locuples.* Eo loci iacet vel potius iacuit ſanctus *Edwardus* huius ſanctæ ex filio *Edgaro* nepos, quem nouercali fraude innocenter cæſum cœlum excepit, & prima quidem ſepultura illi apud Warham fuit, quod non longo à loco, in quo occiſus fuit, qui Corf vocatur, imminet mari. Iacuit ergo ibi triennio inuidentibus inimicis mortuo ceſpitem Eccleſiaſticum: cui viuo inuiderant decus regium. Sed affuit diuina potentia, qui inſontem ſignorum leuaret gloria. *Ibi oſtenſa de cœlo lumina, ibi claudus greſſum compoſuit, ibi mutus organum reſumpſit, ibi prorſus omnis inualetudo ſanitati locum fecit. Sparſus rumor per Angliam Martyris prædicabat merita, quo excita interfectrix illuc iter adoriebatur. Sed animal familiare, quo ſedere conſueuerat, ante ventis pernicius, quod auras ipſas (vt dici ſolet) præcurreret, tunc nutu Dei ſtabat immobile: flagris miniſtrorum inſtantibus caſſus labor conſumitur. mutatoq; iumento, caſus idem ſequitur. Intellexit tarde licet brutum pectus, quo portentum illud reſpiceret; ideo quod per ſe non potuit, per alium fieri conſenſit vt ſacra reliquiæ de ignobili tumulo leuatæ Scephtoniam cum magna deferrentur gloria.* Poſteriori vero tempore pars corporis Leſmonaſterium, pars Abendoniam deportata eſt: vbiq; ipſe viget, maximeque Scephtoniæ & virtutum gratia & ſanctiſſimo virginum choro coruſcat. Locuſque ille ab eo cognomen ſortitus, vulgo per metonomiã ad ſanctum *Edwardum* dicitur. *Miraculo ſane oſtenditur pulmo toto dudum conſumpto corpore, adhuc integra viriditate palpitans.* Sed quod pene omne miraculum reprehenſioni patet, quidam illud ſiniſtra interpretatione diſtorquent, merito pulmonem incorruptum, qui teſte *Suetonio* ſi ſit veneno tinctus, putredine, ſed nec igne confici nequeat. Conſtat enim inter bibendum ſica foratum, voluntq; virus ſiticuloſo propinatum, ferroq; vim veneni præuentam. At ego diligentius re animaduerſa mendacium intelligo, quod tam cito venenum vitalia penetrare nequiuerit, præſertim cum *Suetonius* non hoc de pulmone ſed de corde dixerit. Sit ergo cœleſte miraculum, quod nullius hominis tergiuerſationi poſſit eſſe obnoxium. In Wiltenſi pago ſunt iſta cœnobia: Malmesberiæ virorum, Wiltoniæ & Ambresberiæ fœminarum. De Malmesberienſi alias loqui ſedit animo. De Ambresberienſi nihil aliud ad noſtram notitiam attigit, niſi quod ab *Helfrida* Sancti *Edwardi* interfectrice, & illud & Warewel-

lenſe facta ſunt cauſa pœnitentiæ. Iacet ibi Sanctus *Melorius*, cuius proſapiæ cuiuſue ſanctimoniæ incertum mihi. Wiltonienſe cœnobium beatá *Editha* filia Regis *Edgari* ſedem oſſium ſuorum dulcibus exuuiis ornat, amore fouet. Wiltuna eſt vicus non exiguus ſupra Wile fluuium poſitus, tantæ celebritatis, vt totus pagus ab eo vocetur. Ibi ab infantia Editha Deo ſacrata incorrupta virginitate Domini, obſequiorum ſedulitate hominum gratiam emebat, natalium tumorem ingenuitate mentis premens. Vnum à maioribus accepi, quo non mediocriter iudicium offendebat hominum, fallens videlicet oculos eorum apparatu auratarum veſtium. Siquidem cultioribus indumentis ornata procederet, quam illius profeſſionis ſanctitudo expoſceret, vnde à Sancto *Ethelwoldo* palam increpata reſpondiſſe fertur nec inepte, nec infacete. Verax inquit, & irrefragabile iudiciū Dei ſola mortalium operitur conſcientia: nam & in ſordibus luctuoſis, vt *Auguſtinus* dicit, poteſt eſſe iactantia. Quocirca puto, quod tam in corrupta mens poteſt eſſe ſub iſtis auratis veſtibus, quam ſub tuis diſciſſis pellibus. Viderat eam ſanctus *Dunſtanus*, in conſecratione baſilicæ beati *Dionyſii*, quam illa ob amorem martyris ædificauerat, pollicem frequenter dextrum protendere, & ſignum crucis fronte è regione pingere, delectatuſq; admodum, nunquam ait putreſcat hic digitus, continuoq; intra Miſſarum agenda prorupit in lachrymas, lachrymas adeo profluas, vt ſingultiente voce Diaconum prope altarem concuteret. Cauſam quæſitus, cito inquit hæc florida roſa marceſcet, cito auis Deo dilecta euolabit, poſt ſex ab hoc die ſeptimanas. Conſequuta eſt è veſtigio rerum veritas pontificale vaticinium. Namq; illa nobilis propoſiti tenax prædicta die, citra iuuentæ terminum efflauit; cum eſſet annorum 23. Nec multo poſt idem beatus vidit ſomnii viſione ſanctū *Dionyſium* virginem amicabiliter manu tenentem, & ex oraculo diuino iubentem, vt à famulis honorificaretur in terris, ſicut à ſponſo & Domino venerabatur in cœlis. *Ita crebreſcentibus ad tumbam miraculis, edictum, vt efferretur virginis corpus, Inuentumq; totum in cineres ſolutum, præter digitum & aluum aluoq; ſubiecta, vnde ſancto dubitanti virgo ipſa per viſum aſſiſtit, dicens: non mirum eſſe, ſi partes illæ corporis putruerint, quod vſus habeat exanimata corpora in quoſdam arcanos naturæ ſinus defluere, & ipſa vtpote puella membris illis peccauerit. Cæterum ventrem nulla corrumpi iuſte putredine qui nulla vnquam aculeatus ſit libidine immunem ſe fuiſſe crapula, & carnalis copula.* Huius fuit frater *Ethelredus* Rex, ad exterminium Angliæ pene propter inertiam ſuam natus. Cui ſucceſſit *Cnuto*, natione Danus vir efficax, ſed q pro gentilitiis inimicitiis ſanctos Anglos nō diligeret. Qua conſuetudine cōtumacior, cum quadam Pentecoſte apud Wiltunam eſſet, in ipſam virginē ſolemnes cachinnos effudit: nunquam ſe crediturum filiam Regis *Eadgari* ſanctam eſſe, qui vitiis deditus, maximeq; libidinis ſeruus, in ſubiectos propior tyranno fuiſſet. Hæc dum ille ſtomacho ſuo ſeruiens credulitate ructaret barbarica, contradicebat *Ednodus* Archiepiſcopus, qui aderat. Cnuto concitatior aperiri ſepulchrum iubet, viſurus quid ſancti mortua virgo afferret. Effracto ergo mauſoleo, defuncta oppanſo ante faciem velo cingulo tenus aſſurgere, & in contumacem Regem impetum facere viſa. Hoc ille turbatus metu, longe reducto capite debiliatoq; rigore genuum lapſus humo concidit. Ruina corpus attriuit, adeo vt intercepto diutius anhelitu exanimis putaretur. Sed redeunte paulatim vigore lætum erubuit, quod, quamuis ſeuere caſtigatus, pœnitentiæ reſeruatus ſit. Habetur ergo in plurimis locis Angliæ feſtum eius venerabile, quod nemo impune temerare præſumat. Iacet in eadem Eccleſia mater eius *Wilfrith*, quam non ſanctimonialem, ſicut opinio vulgaris* delegat, ſed ſubito timore Regis ſuo tantum conſilio velatam conſtat, abrepto velo regio cubili ſubactam. Vnde ille, quod fœminam attigiſſet, quæ vel vmbratice ſanctimonialis fuiſſet, à ſancto *Dunſtano* redargutus, ſeptennem exegit pœnitentiam. Illa quoq; partu explicito voluptati frequentandæ non inhæſit: ſed doluit potius & ſpreuit, ſanctaq; pro vero aſſeritur, & celebratur. In Berkenſi pago ſunt monaſteria duo: Abendonienſe, & Radingenſe, virorum vtrumq;. Abendoniæ cœnobium fundauerunt *Ciſſa* pater *Ina*, mox ipſe *Ina* Rex occidentalium Saxonum, multiq; ab origine Reges. Sed *Elfredi* tempore Regis, cum barbarica vbique Dani diſcurſarent petulantia, ædificia loci ad ſolum complanata. Tum Rex malorum præuentus conſiliis, terras, quæcunque appendices eſſent, in ſuos ſuorumque vſus redegit. At vero Rex *Edredus Edfredi* nepos, loci miſeratus ſolitudinem, ſimulq; aui animæ conſulens, cuncta reſtituit ablata per manum *Ethelwoldi*, quem ibi Abbatem poſuerat. Tantumq; amoris aſſumpſit in Eccleſiam, vt per ſe loca ædificiorum metaretur, & fundamenta iactaret; meditans inibi celeberrimæ famæ monaſterium conſtruere. feciſſetque voluntati ſatis, ſi non eum fata de medio propere repuliſſent. Inſtitit tamen *Ethelwoldus* cœptis ſed antequam ſummam manum rebus imponeret, ad Epiſcopatum Wintoniæ ab *Edgaro* prædicandæ memoriæ rege raptus eſt.

al. delirat.

eſt. Compleuit magiſtri molimina *Ordgarus*, ab eo in Abbatia ſubſtitutus, ditatuſque eſt locus, & immane quantum exaltatus, ſucceſſoribus ſemper aliquid recens molientibus, quo anteceſſoribus nō impares æſtimarentur. Emicuit præcipue noſtris temporibus Abbas *Faricius* in meliorandis rebus, Tuſcus, genus arte medicus, * Aretinus, noſter profecto Monachus. Cuius laudes effigiare, quia ſucceſſit animo, non quod ipſe comminiſcar, ſed ſodalis mei *Petri* Monachi verſus apponam; quibus & laudabilis Abbatis virtus eniteſcet, &, ſi quis hæc lectione dignabitur, verſificatoris in primis egregii leporem animaduertet. Erit ergo hic experimentum eius eloquentiæ duntaxat exiguum, cæterum ipſe alias in pluribus aſſecutus eſt famam altioris gloriæ.

al. ciuis Aretinus

Vir probus & prudens, vir vere conſiliorum,
Extera ditauit, curauit & intima morum.
Omnibus inſtructus, quos tradit litera fructus,
Ad decus Eccleſiæ vertit monumenta Sophiæ.
Omnibus imbutus, quas monſtrat phyſica leges,
Ipſos demeruit medicandi munere Reges.
*Reges & proceres * ſubiti, parere videres,*
Illius ad nutum credentes viuere tutum.
Hinc animos illi fauor Anglicus hactenus hauſit,
Vt de iure ſuo certare potentibus auſit.
Quos adeo fregit, quos ad tantilla redegit,
Vt ſibi ſubiectos Dominos premeret dominator.
Fallo niſi Gyffard *flexit ſua colla cucullo,*
Ingenuos inter non exæquatus ab vllo.
Hinc amiſſa diu reuocauit ſub ditionem:
Hinc infrendentem ſibi repulit ambitionem.
Quid turbam memorem procerum, populumque minorem?
Quotquot pulſauit de iure ſuo ſuperauit.
Ex his fama viro, de fama gloria creuit.
Ex his Eccleſiæ mature res adoleuit.
Ille Dei donum memor eſſe fluenta bonorum,
Omnem ſplendorem conuertit ad interiorem.
Addita prædia, pallia regia, munera, veſtes,
Vaſcula ditia, picta tapetia ſunt mihi teſtes.
Fulgurat aurea per laquearia pompa decoris,
Cruſta metallica, gemmea fabrica plena ſtuporis.
Nec tamen ad votum ſuffecit vita beatum,
Rupit vtrumq́ ſimul raro tam flebile fatum.

al. ſubici.

Radingis fuit quondam cœnobium ſanctimonialium, ſed iam multis annis abolitum. Illud Rex *Henricus* pro indicta ſibi pœnitentia reſtaurare intendens, duo olim diruta monaſteria Leſminſtre & Celſi adiunxit: conſtituitq; illud inter duo flumina, Kenetum & Tamenſem in honorem matris Domini, & *Ioannis* Euangeliſtæ loco, vbi ad populoſiores vrbes Angliæ omnium pene itinerantium poſſet eſſe diuerſorum. Poſuitq; ibi monachos Cluniacenſes præclarum ſanctitatis exemplum, hoſpitalitatis indefeſſę indicium. De corporibus ſanctorum in duobus monaſteriis requieſcentium nihil attinet dicere, cum aliunde illuc aducta peregrinos incolatus exerceant, & iam olim ſcriptorum prędicata præconio de noſtro non neceſſe habeant ſuſpirare ſilentio.

DE EPISCOPIS WELLENSIBVS.

TErtius Epiſcopatus Weſtſaxonum fuit apud Wellas, villam in Somerſetenſi pago, pro copia fonticulorum ibi ebullientium ita dictam. Ibi à tempore Regis *Edwardi* ſenioris, vſq; ad tempus *Willielmi* iunioris hi fuerunt Epiſcopi.

Athelmus.
Wlfelmus. Ambo poſtea Cantuarienſes Archiepiſcopi.
Elfeh.
Wlfelmus.
Bruthelmus.

Kinewardus.
Sigarus.
Elwinus.

Liningus qui & *Elſtan*, poſtea tempore regis *Ethelredi* poſt ſanctiſſimum *Elphegum* Cantuarienſis archiepiſcopus.

al. Elwinus — * *Ethelwinus* abbas de Eueſham poſtea eiectus.

Brithwinus. *Elwinus* iterum reuerſus, & *Brithwinus* eiectus: itemque *Elwino* reiecto, *Brithwinus* reuerſus.

al. Merewitt — * *Meruith*, qui & *Brithwi* natione Lotharingus, tempore regis *Edwardi* & *Willielmi* magni. Omnes hi ſedes ſuas Wellis habuerunt, in eccleſia ſancti *Andreæ*.

Cum vero iis ſucceſſiſſet *Ioannes*, natione Turonicus, profeſſione medicus, qui nõ minimum quæſtum illo conflauerat artificio, minoris gloriæ putãs ſi in illa villa reſideret inglorius, transferre thronum in Bathoniam animo intendit. Sed cum id inaniter viuente *Willielmo* patre ſeniore cogitaſſet, tempore *Willielmi* filii effecit. Nec eo contẽtus, totam ẽt ciuitatẽ in ſuos & ſuorum vſus tranſtulit; ab *Henrico* rege quingentis libris argenti mercatus vrbem, in qua balnearum calidarũ latex emergẽs authorẽ *Iulium Caſarem* habuiſſe creditur. Salubres ſunt aquæ illæ lauantibus, ſed olor ſulphuris primo aduenientibus grauis, donec conſuetudo ſenſus horrorem compeſcat. Ibi rex *Offa* monaſterium poſuerat: & *Edgarus* ſicut pleraque alia more ſuo auxerat, delectatus loci magnificentia, & quod ibi coronam regni ſuſceperat. Hanc ergo abbatiam *Ioannes* a rege non grauate obtinuit. Primoque aliquantum dure in monachos agebat, quod eſſent hebetes, & eius æſtimatione barbari, & omnes terras victualium miniſtras auferens, pauculumque victum per laicos ſuos exiliter inferens: ſed procedentibus annis factus nouus, monachis mitius ſe agere, aliquantulum terrarum, quo ſe hoſpiteſque ſuos quoquomodo ſuſtentarent, Priori indulgens. Multa ibi nobiliter per eum incepta & conſummata in ornamentis & libris, maximeque monachorum congregatione, qui ſunt ſcientia literarum & ſedulitate officiorum iuxta prædicabiles. Erat medicus probatiſſimus non ſcientia ſed vſu, vt fama (neſcio an vera) diſperſit. Literatorum contubernio gaudens, vt eorum ſocietate aliquid ſibi laudis adſciſceret. Salſioris tamen in obloquentes dicacitatis, quam gradus eius intereſſe deberet. Valetudinis bonæ, dapſilis cum in ſe tum in alios. Obiit grandæuus, qui nec etiam moriens emolliri põtuit, vt plena manu monachorum terras redderet, ſucceſſoribus ſuis non imitandũ præbens exemplum. Sepultus eſt in eccleſia S. *Petri*, quam à fundamẽtis erexerat magno & elaborato parietũ ambitu. Ceſſit.n. *Andreas Simonis* fratri frater maior minori. Omnis tractus epiſcopatus illius in ſolo Somerſetenſi pago iacet, habetque tres abbatias virorum: Glaſtonienſem, Adelingenſem, Miclanienſem. Glaſtonia

Abbatia Glaſtonienſis. — eſt villa in quodam receſſu paluſtri poſita, quæ tamen & equo & pede aditur, nec ſitu nec amœnitate delectabilis. Ibi primo rex *Hina* cõſilio beatiſſimi *Aldelmi* monaſterium ædificauit, multa illuc prædia, quæ hodieq; nominãtur, largitus. Et varia quidem viciſſitudine temporũ, ſed indeficientibus ſucceſſion bu:, congregationib. monachorũ ſplendidus locus, vſq; ad Danorũ ſub *Elfredo* rege aduentum. Tunc.n. vt cætera, deſolatus, aliquantis annis notos deſiderauit incolas. Porro, quicquid turbo bellorum obtriuerat, reparauit egregie *Dunſtanus*, qui prius eo loci vitam ſolitariã monachus actitarat. Poſtmodo vero liberalitate regis *Edmundi* omnia quondã appendicia, & iis multo plura nactus, abbatiam cõpoſuit: qualis nuſquã in Anglia ſit, fueritue. Tãta eſt diffuſio & opportunitas fundorum, tanta librorum pulchritudo & antiquitas exuberat. Cæterũ (neſcio quo) infortunio ſemper poſt aduentum Normannorum peſſimis infracta eſt laboribus, nec in nouis ædificiis, nec inhabitorũ cõpendiis profecit. Abbates rerũ gloria elati non religioſos, ſed tyrannos agũt, foris tumidi ſed inualidi, intus crudeles & incõmodi. Ad quod probandũ *Turſtini* ſolius ſufficiet factum. Qui dono regis *Willielmi* patris eius monaſterii factus ab-

al. lecatorum — bas, terras & pecunias in * lectatorũ ſuorũ abuſis cõſumpſit. A monachis ſeuere ordinem exigere, ſed inter hæc eos in victualibus miſerabiliter tractare. hinc lites verborũ, animo-

al. plebs — rũ diſcordiæ: qua, vt *Lucanus* ait, *Neſcit* * *plebes ieiuna timere*. Poſt iurgia ventũ ad arma, coactiq; à militib. monachi in eccleſiam, ſancto altari miſerias applorabãt ſuas. Sed irrũpentibus militib. duo ex iis ibidem cæſi, 14. vulnerati, cæteri repulſi. Nam & furor inſanientium dum eminus monachos impetit, crucifixum ſagittis inhorrere fecerat. huius criminis noxa tota vita regi infamatus abbas, exilio apud Cadomum deportatus eſt: eoque defuncto pro redẽptione peccati auxiliarib. annumerata pecunia honori reſtitutus eſt. Impudens & infamis, qui tanti ſacrilegii cõſcius, auſus ſit iterũ loco, quẽ violauerat, intrudi.

Iacet

Iacet ibi *Patricius*, ſi credere dignum, natione Britto, beati *Germani* Autiſiodorenſis diſcipulus quem à Papa *Cœleſtino* ordinatum Epiſcopum Hybernienſibus miſit Apoſtolum. Qui cum multis annis in conuerſione illius gentis ſuo agente labore, Dei gratia cooperante non nihil promouiſſet, tandem annoſæ peregrinationis tædio ſimul & vicino ſenio admonitus patriam redeundum ratus, ibi diem clauſit. Subſequuti ſunt magiſtrum * *Hindrachus* *al. Intrabtus.* Hybernienſis Regis filius (cuius indole nihil dulcius, nihil ſanctius) & 7. comites illius terræ ſpectabiles: Quos ibidem irruentibus latrunculis cæſos, in martyres credula conſecrauit antiquitas. Quid porro de cæteris ſanctis ibi requieſcentibus ſermo exilis maieſtate rerum comminuetur dignum? multos illuc Rex *Edmundus* miſit in expeditione aquilonali compertos, & de terra leuatos: inter quos *Hildam* abbatiſſam cœnobii, quod olim Streneſhalh nunc Witebi nuncupatum, tunc ſanctimonialium, modo Monachorum. Cuius quanti penderit merita verax hiſtoricus *Beda*, promptum faciet hiſtoria *Celfrithum* Abbatem Wirenſis cœnobii, de quo idem *Beda* proprium texuit librum. Eum in extrema ætate dum Romam tenderet apud Lingones morte præoccupatum & ſepultum, ſed poſtmodo conſtat relatum: partem oſſium *Aidani* Lindisfarnenſis antiſtitis primi. Nam, quod partem *Colmannus* Scotiam eodem hiſtoriographo teſte aſportauerit, notius eſt, quam vt dubitari debeat. Prædicatur ibi *Benignus* confeſſor, qui non longe hinc anachorita fuerit, præcluiſq; miraculis vicinos monachos ad ſui venerationem & translationem excitauerit. Sepulti ſunt in eo cœnobio Reges: *Edmundus*, de quo ſuperius dixi, loci inſtaurator, & *Edgarus* filius eius, qui paternæ memoriæ non ingratus donis genitoris ampliſſimarum poſſeſſionum adiecit cumulum. Adelingea eſt non maris *Abatia Adelingẽſis.* inſula, ſed ita ſtagnorum refuſionibus & paludibus inacceſſa, vt nullo modo niſi nauigio adiri queat. Alnetum in ea permaximum, ceruos & capreas multaſque id genus beſtias continet. Terra ſolida vix duobus iugeribus lata monaſteriolum & monachorum officinas habet. Eius conſtructor fuit Rex *Elfredus*, qui quondam à Danis pulſus prouincia, tutas illic aliquandiu latebras confouerat. Mox cum per ſomnium reſtitutionis ſuæ vadem ſanctum *Cuthbertum* accepiſſet, ibidem ſe Monaſterium conſtructurum Deo pollicitus eſt. Fecitque Eccleſiam ſitu quidem pro anguſtia ſpacii modicam, ſed nouo ædificandi modo compactam. Quatuor enim poſtes ſolo infixi totam ſuſpendunt machinam: quatuor cancellis opere ſphærico in circuitu ductis. Sunt ibi Monachi pauci numero & pauperes, ſed qui egeſtatem ſuam quietis & ſolitudinis amore vel magni pendant vel cõſolentur: Qui laudes patroni ſui Sancti *Egelwini* ferant in aſtra præconiis, ſanctitatem ſentiant continuis impenſis beneficiis. Illum fratrem Regis Weſtſaxonum *Kenewalh* fuiſſe, & generis magnitudinem ſanctitatis indole inaltaſſe perſeuerans eſt opinio, languoris perpetuo detentum compede nihilo ſegnius Deo ſeruiſſe, bono fine conſummatum omnibus ſe inuocantibus præſto ad remedia occurrere. Author * Miceluenſis cœnobii *al. Micelnenſis.* idem, qui Middeltunenſis, vbi eadem illectus cauſa, ſimilia contulit & villarum & reliquiarum xenia; eoq; plus quod Monachi liberius cœleſtibus poſſunt excubare ſecretis, quo minus frequentantur hominum conuenticulis. Eſt enim aditu difficilis, permeaturque æſtate pede vel equo plærumq;, hyeme nuſquam. Sed de hoc ſatis eſt, flectenduſque ſermo, quia huius prouinciæ vocant reliqua.

DE EPISCOPIS CRIDIENSIBVS, Exonienſibus, Cornubienſibus.

Seriem ergo Cridienſium Pontificum hic ſermo euoluet. Cridia eſt villula Domnoniæ, quæ vulgo dicitur Deueneſcira, 12. milliaribus ab Exonia. Hic ſederunt per ordinem pontifices iſti.

Edulfus.
Edelgar.
Elfwod.
Sideman.
Alfric.
Elfwod.
Ednod qui & *Wine.*

Liuingus, ex Monacho Wintonienſi Abbas Tauiſtokenſis & Epiſcopus Cridienſis, maximæ familiaritatis & potentiæ apud *Cnutonem* Regem habitus eſt. Cum eo Danamarchię multo cõuerſatus tempore in Romano itinere comitatui adhæſit: nec minus ex-

plicitis apud Romam negotiis, cum Rex pedeſtri via Danamarchiam contendiſſet, ille regiarum epiſtolarum baiulus, & mandatorum executor futurus, nauigio Angliam venit: omnibuſq́;, quæ iniuncta fuerant, ſapienter & mirifice ante aduentum Regis conſummatis, eo apud eum gratiæ proceſſit, vt defuncto auunculo ſuo *Brithwoldo*, qui erat Cornubienſis Epiſcopus, ambos arbitratu ſuo vniret Epiſcopatus. Ambitioſus & proteruus Eccleſiaſticarum legum tyrannus vt fertur inuictus, qui nihil penſi haberet, quo minus omni voluntati ſuæ aſſiſteret. Deniq; à maioribus accepimus, cum ille ſpiritum efflaret, tũ horriſonum crepitum per totam Angliam auditum, vt ruina & finis totius putaretur orbis. Humatus eſt Tauiſtokiæ, quo loci multa ſpectabilia contulerat, tantamq; ſui gratiam apud Monachos locauerat, vt hodieq; 15, graduum Pſalmos continuata per ſucceſſores conſuetudine pro eius decantent quiete.

Huic tempore Regis *Edwardi* ſucceſſit *Lefricus* apud Lotharingos altus & doctus, qui ſedem Epiſcopatus tranſtulit in ciuitatem, quæ propter fluuium Exam, qui muros lapſu ſuo allambit, vocatur Exceſtre. Hanc vrbem primus Rex *Ethelſtanus* in poteſtatem Anglorum effugatis Brittonibus redactam turribus inſigniuit, muro ex quadratis lapidibus cinxit, vbi omne adeo abundat mercimonium, vt nihil fruſtra deſideres, quod humano vſui conducibile iudices: licet ſolum ieiunum & ſqualidum, vix ſteriles auenas & plerunq; inane folliculum ſine grano producat. Hic *Lefricus* eiectis ſanctimonialibus à ſancti *Petri* monaſterio Epiſcopatum & Canonicos ſtatuit, qui contra morem Anglorum ad formam Lotharingorum vno triclinio comederent, vno cubiculo cubitarent. Tanſmiſſa eſt huiuſcemodi regula ad poſteros, quamuis pro luxu temporum nonnulla iam ex parte deciderit. Habentq; clerici œconomum ab Epiſcopo conſtitutum, qui eis diatim neceſſaria victui, annuatim amictui commoda ſuggerat.

Succeſſit *Lefrico Osbernus* Regis *Willielmi* tempore, natione Normannus, frater *Willielmi* præcellentiſſimi Comitis, in Anglia ſub *Edwardo* Rege liberaliter & * domeſtice conuerſatus: quippe qui cognationem regiam vicino attingeret gradu. Vnde in victualibus & cæteris rebus ad Anglicos mores pronior parum Normannorum pompam ſuſpiciebat, conſuetudines Domini ſui Regis *Edwardi* efferens, & cum per alios exhiberentur cum aſſidentibus manu & geſtu aggaudens. Ita pro more antiquorum præſulum veteribus contentus ædificiis, liberalis animo & caſtus habebatur corpore. Vixit ad quartum annum Regis *Henrici* imminente ſenio non paucis annis lumine captus. Eſt in Domnonia cœnobium Monachorum iuxta Tau fluuium, quod Tauiſtok vocatur, quod per *Ordgarum* Comitem Domnonienſem, patrem *Elfridæ*, quæ fuit vxor Regis *Edgari* ſurgendi exordium, per *Liuingum* Epiſcopum creſcendi accepit auſpicium locus amœnus opportunitate nemorum, captura copioſa piſcium, Eccleſiæ congruente fabrica, fluuialibus riuis per officinas Monachorum decurrentibus, qui ſuo impetu effuſi, quicquid inuenerint ſuperfluum, portant in exitũ. *Rumonus* ſanctus ibi prædicatur, & iacet Epiſcopus pulchritudine decoratus ſcrinii, vbi nulla ſcriptorum fides aſſiſtit opinioni, q; non ſolum ibi, ſed in multis locis Angliæ inuenies violentia hoſtilitatis abolitam omnẽ geſtorum notitiã nuda ſanctorum nomina, & ſi quæ modo prætenduntur miracula ſciri. Cernitur in eodem monaſterio ſepulchrum *Ordgari*, ſpectaculoq; ducitur enormitas mauſolei filii eius. *Edulfus* hic vocatus eſt, gigantex molis & immanis roboris, ſicut breuiter demonſtrare incidit animo. Viam agebat cũ *Edwardo* Rege, cuius erat cognatus, Exoniam verſus. Ita, cũm iuxta portam equis diſſiluiſſent, offenderunt introitum forinſecus repagulis, intus ſeris damnatum. Et forte ianitor, quem latuiſſet eorum aduentus (nam domeſtico adequitauerant ocio) longe diſceſſerat. Tum *Edulfus* ambabus manibus arripiens repagula, paruo (vt videbatur) conamine deiecit in fruſta, partem etiam muri pariter euellens. Semelq; caleſactus & ſecum infrendens ſecundo virtutum periculum dedit. Nam pedis impulſu valuas debilitans, biforem recluſit cardinem, adeo vt etiam materiam eliderct. Cæteris laudantibus Rex factum iocularitier attenuans, diabolicæ fortitudini nõ humanæ virtuti attribuit. Eſt nem⁹ præterea in Dorſeta iuxta Hortunã, quæ modo deſtructa, tũc eius liberalitate inter Abbatias numerabatur. Ibi mirandæ fortitudinis dabat ſpectaculũ, ſi quando remiſſis curis venerat in ocium. Riuulus iuxta ſaltum venationis feracem labitur, ab vna ripa ad alteram decem pedum ſpacio. Ille diuaricatis pedibus vtramq; continuabat, paruoq; cultro ferarũ ad ſe actarum capita leuibus & pene irritis ictibus decutiebat in amnẽ. Sed enim tantus taliſq; adhuc ætatis calore perferuidus ceſſit morti, iuſſitq; ſe apud Hortunam ſepeliri. Verũntamen quia ſecum quædam Eccleſiæ danda demandauerat, præuenit Abbatis *Sithricii* violentia, datorẽ, & data pariter transferens in ſua. *Sithricius* poſtea ſub rege *Willielmo* piraticã aggreſſus religionẽ polluit, Eccleſiã infamauit. Cornubienſi

al. modeſtice.

ſane

ſine Pontificum ſucciduum ordinem nec ſcio nec appono, niſi quod apud ſanctum *Petrocum* confeſſorem fuerit Epiſcopatus ſedes. Locus eſt apud aquilonales Brittones ſupra mare iuxta flumen, quod dicitur Hegelmithe. Quidam dicunt fuiſſe ad ſanctum *Germanū* iuxta flumen Liner ſupra mare in auſtrali parte.

DE EPISCOPIS SELESIENSIBVS.

PErcenſitis omnibus Epiſcopatibus Weſtſaxonicæ, ad Auſtralium Saxonum Epiſcopos ordo narrandi dirigitur. Prouincia illa collimitatur ab vna parte Weſtſaxonibus ab altera Cantuariis, occidentalium Regum ditioni ſemper ſubiecta cum regulis, poſtquam *Cedwalda* Regem eorum *Edelwalk* bello fudit. Is *Edelwalk* ſuadente Rege *Wlferio* baptizatus, in Mercia beatiſſimum *Wilfridum* à ſede ſua exulantem benigno dignatus hoſpitio Epiſcopatus etiam ſede extulerat, loco, qui Seleſige dicitur, nec niſi vno introitu poteſt adiri, mari vndiq; circumgyratus. Veruntamen (vt dixi) Rege occiſo, & *Wilfrido*, qui ibidem monaſterium ædificauerat, domum reddita pace regreſſo, multis annis Epiſcopatus vacauit, ſpectabatq; interim pontificatus adminiſtratio ad Wintonienſem antiſtitem.

Poſtmodo vero à *Nothelmo* Archiepiſcopo factus eſt Epiſcopus *Edbrith*.

Cui ſucceſſit *Ella*. Eo defuncto ſeriem ſucceſſionis continuauerunt,

Sigelin, qui interfuit concilio *Cuthberti* Archiepiſcopi.

Alubrith.

Boſa.

Giſlhere.

Totta.

Pehtum.

Ehelnulf.

Bernegus, quem ordinator ſuus *Pleimundus* Archiepiſcopus idoneum fuiſſe pronunciat.

Cenred.

Cutheard.

Elfred.

Eallhelm.

Ethelgar prius Abbas Wintonienſis, poſtea Cantuarienſis Archiepiſcopus.

Ordbrich.

Elmar.

Ethelric.

Grimkatel, qui eiectus à ſede Orientalium Anglorum quam emerat, etiam hanc pecunia emeruit, & obſedit.

Hetta.

Stigandus, non ille, qui poſtea fuit Epiſcopus Wintonienſis, & Archiepiſcopus Cantuarienſis. Hic *Stigandus* à *Willelmo* Rege ibi factus Epiſcopus mutauit ſedem in Ciceſtram diœceſis ſuæ ciuitatem prope mare vbi antiquitus & ſancti *Petri* monaſterium, & congregatio ſanctimonialium fuerat.

Huic ſucceſſit *Willelmus*.

Willelmo Radulfus proceritate corporis inſignis, ſed & animi efficacia famoſus, qui contuitu ſacerdotalis officii *Willelmo* iuniori in faciem pro *Anſelmo* Archiepiſcopo, quem immerito exagitabat, reſtiterit. Cumq; ille conſcientia poteſtatis elatus minas ingeminaret, nihil alter reueritus baculum protendit, annulum exuit, vt, ſi vellet, acciperet; nec vero vel tunc vel poſtea auſteritatem inflecteret, ſi aſſertorem haberet. Sed quia diſceſſu ſuo ſpem eius & cæterorum, ſi qui boni eſſent, *Anſelmus* eneruauit, & tunc cauſa decidit, & poſtmodo damno ſuccubuit. Succedentibus quoq; annis religioſam contumaciam mandatis *Henrici* Regis exhibuit, volentis per totam Angliam à presbyteris pecuniam exigere. Id aliis vel concedentibus, vel metu ſilentium tenentibus, in ſolo *Radulfo* rigor Pontificalis emolliri nequiuit, per totam ſiquidem diœceſin diuina vacare officia, ianuas Eccleſiarum ſpinis obſtrui præcepit, monachorum cantum non inhibens, ſed tamen laicis aditum arcens. atrocitas facti Regem inflexit, vt ei ſoli quaſi mentis inconſideratæ homini cenſum presbyterorum indulgeret. Veruntamen religio & animoſitas viri magnam ſibi apud regium animum laudem parauit, vt ipſi omnia remitteret, ſubinde dictitans pauperem eſſe Epiſcopatum, Eccleſiam eſſe abſumptam, non debere tributis expi-

lari, ſed oblationibus augeri, ita conſtans innocentia hominem ſpectabilem fecit, vt rex, qui aliis auferret, ipſi libens & ſummiſſus daret: deniq; Eccleſiam ſuam, quam à nouo fecerat, cum fortuitus ignis (vt dixi) peſſundediſſet, liberalitate potiſſimum Regis breui refecit. Obiit Chriſtianiſſime, omnibus ſuis in vſum pauperum diſtractis, qui & panniculos ſuos vſq; ad ſtramen moriens ante ſe iuſſerit erogari. Vir æternam boni memoriam merito adeptus, qui ſedem ſuam ex humili & miſerabili ad ſummum gloriæ culmen prouexit. Clerum quantum victualia Epiſcopatus ſuſtinere poſſunt, congregauit: ornamenta omnis generis adiecit: quorum omnium pudendam ante paucitatem taxare piget. Tero omni anno diœceſin ſuam cauſa prædicandi circuibat, nihil Epiſcopali poteſtate à prouincialibus ſuis exigens, ſed quæ offerebantur gratabundus accipiens: delinquentibus increpando non parcens, & ſi minus increpatio valeret, ingenuo ludo culpam eludens.

DE MONASTERIIS.

IN eius diœceſi ſunt duo duntaxat cœnobia è nouo facta: ſancti *Martini* de bello, quod rex *Willielmus* fundauit & prouexit in loco, vbi Angliam debellauerat, multa ibi & pretioſa cum viuus tum mortuus delegans. Altare Eccleſiæ eſt in loco, vbi *Haroldi* pro patriæ charitate occiſi cadauer exanime inuentum eſt. Sancti *Pancratii* de Lewes, quod auctore *Willielmo* Comite de Warrenna, *Lanzo* quidam Monachus Cluniacenſis in ſupremo religionis locauit cacumine. Efficaciam viri ſublimitas prætendit loci, adeo vt veraciter aſſeratur, nullum omnino Monaſterium poſſe illud vincere religione ad Monachos, affabilitate ad hoſpites, charitate ad omnes. Vincit Pompam famæ rerum veritas, licet fatiget audientes referentium verboſitas. Certe de *Lanzone* plura loquerer, niſi alias non contemnenda dixiſſem, ſimulq; eius meritum omne tranſcendit eloquium.

PROLOGVS LIBRI TERTII.

SEcunda poſt Cantuariam dignitatis eſt Eboracum, vrbs ampla & Metropolis, elegantiæ Romanæ præferens indicium, à duabus partibus Huſæ fluminis ædificata includit in medio ſinu ſui naues à Germania & Hybernia venientes: furori Aquilonalium gentium prima ſemper obnoxia, barbaricos Danorum motus toto tempore, quo dominati ſunt Angliæ, excepit & ingemuit. Quapropter multis ruinis quaſſata, vltima peſte ſub Willielmo Rege concidit. Qui vrbanis iratus, quod Danis aduentantibus receptui & conſultui fuiſſent, prius inedia, mox flamma ciuitatem confecit. Regionis etiam totius vicos & agros corrumpi, fructus & fruges igne vel aqua labefactari iubet. Ita prouinciæ quondam fertilis nerui, præda, incendio, ſanguine ſucciſi. Humus per 60. & eo amplius milliaria omnifariam inculta, nudum omnium ſolum ad hoc vſq; tempus. Vrbes olim præclaras, turres proceritate ſua in cælum minantes, agros lætos paſcuis, irriguos fluuiis, ſi quis videt modo peregrinus, ingemit; ſi quis vetus incola, non agnoſcit. In aliquibus tamen parietum ruinis, qui ſemiruti remanſere, videas mira Romanorum artificia; velut eſt in Lugabalia ciuitate triclinium lapidum fornicibus concameratum, quod nulla vnquam tempeſtatum contumelia, quin etiam nec appoſitis ex induſtria lignis & ſuccenſis valuit labefactari. Cumberland vocatur regio, & Cumbri vocantur homines, ſcripturaq; legitur in fronte triclinii: MARII VICTORIÆ. Quod quid ſit hæſito, niſi forte pars Cimbrorum olim his locis inſederit, cum fuiſſent à Mario Italia pulſi. Sane tota lingua Northanimbrorum, & maxime in Eboraco, ita inconditum ſtridet, vt nihil nos auſtrales intelligere poſſimus. Quod propter viciniam barbararum gentium, & propter remotionem regum quondam Anglorum modo Normannorum contigit, qui magis ad auſtrum, quam ad Aquilonem diuerſati noſcuntur. Rex ipſe in iſtis partibus domeſtico contentus militum numero, ſi quando partes illas regni adit, non niſi magno auxiliatorum comitatu vadit. viderat quondam * Albinus hanc fore calamitatem regionis, ex prodigio, quod Eboraci acciderat: viderat (inquam) & annunciauerat his verbis in Epiſtola ad Ethelredum regem: Quid ſignificat pluuia ſanguinis, quam quadrageſimali tempore in Eboraca ciuitate, quæ caput totius regni eſt, in Eccleſia beati *Petri* principis Apoſtolorum vidimus, de Borealibus domus ſereno aere, de ſummitate tecti cadere minaciter? Nonne poteſt putari à Borealibus partibus venire ſanguinem ſuper populum. Hæc quidem Albinus coniecit ſuo tempore ventura, quæ poſteritas

al. Alquinus.

vel

vel per Borealium violentiam, vel propter Borealium culpam veniſſe liquido cognouit. Nam tempore ſuccedente Dani vaſtauerunt Prouinciam, inde Normanni propter Danorum aduectum efferati, quod reliquum erat peſſundederunt. Dicam igitur in hoc libro, qui tertius eſt Pontificalium geſtorum, quicquid ſe de Pontificibus Eboracenſibus notitiæ noſtra vel maiorum relatione vel librorum reuolutione infudit. Quorum vt mihi videtur fuit præcipuus Wilfridus *primus, tot periculis omni penè vita immerito iactatus. Cuius vitam & omnia geſta huic breuiario inducere commodum opinor, quod nec ita nota, & multa ex hiſtoria* Bedæ *vacant. Quamuis hoc igitur meditanti aperiatur immenſum opus, conabor tamen, quantum valuero, breuiter facere, illa ſemper conſiderata mei auſus excuſatione, vt qui omnes ſanctorum vitas legere nequeat, hic deflorata vtiliora inueniat. Itaq; omiſſis longarum narrationum ambagibus veritatem ſequar, & quæ* Stephanus *presbyter de* Wilfrido *magno verborum agmine egit in compendium coarctabo.*

DE ARCHIEPISCOPIS EBORACENSIBVS, *Epiſcopis Hanguſtaldenſibus, & Witternenſibus.*

LIB. III.

PAVLINVS, fuit primus Eboraci Archiepiſcopus, qui ab *Honorio* Papa pallium accepit, vt notum eſt.

Illo pulſo, Scotti: *Aidanus.*

Finanus.

Colmannus, nec pallio nec vrbis nobilitate voluerunt attolli, in Inſula Lindisfarnenſi deliteſcentes.

Colmanno per *Wilfridum* de Paſcha erroneo conuicto, idem *Wilfridus* ad Epiſcopatum Eboracenſem electus, ab *Alfrido* rege *Oſwii* filio regis Galliam conſecrandus iuſſus eſt.

Quo vltra mare moras nectente, *Oſwius* rex, præuentus conſiliis Quartadecimanorum, (qui vocabantur ita, quia Paſcha in quarta decima Luna cum Iudæis celebrabant) *Ceddam* virum ſanctiſſimum, tamen contra regulas, intruſit tribunali Eboracenſi. Sed hæc iniquitas miſſo ab Apoſtolica ſede *Theodoro* Cantuarienſi Archiepiſcopo correcta eſt, extruſoq; *Cedda Wilfridus* inthronizatus eſt. *Wilfridus* igitur vt retro redeam non infimis parentibus apud Northanimbros natus, ſi quid natalibus defuit gratiæ generoſitate morum expleuit. *Hunc dum genitrix parturiens in lucem effunderet, clientes foris ſtantes viderunt, vt putabant domum puerperii conſciam ignibus vndiq; conflagrare, ita vt iam flamma in altum longos produceret crines. Cumq; illi ad incendium ſopiendum voces & aquam iactarent, excurrerunt ancillulæ clamoribus eorum excitæ; edictoq; ne dominam parturientem inquietarent mirabantur in ſuis non fuiſſe oculis * illi ſe vidiſſe clamarent. Nam iam ignis innoxius euanuerat, nec erat quo pudorem* al. quod illi *ſuum excuſare poſſent famuli, dum ſtarent ædes incolumes. Intellectum eſt ergo ignei vigoris eſſe puerum, in cuius ortu tantum afflatum eſſet incendium.* Cucurrit ille pueritiam ſine literis: ſed cum iam 10. annis creſcens ætas quatuor adiecisſet, nouercalem faſtum peroſus (nam mater obierat) domo exceſſit paterna, Curialibuſq; annitentibus, quibus obſequelam apud patrios lares exhibuerat, * *Eansfleda* reginæ perductus eſt in notitiam. Quæ cum adoleſcentuli ſecreta crebris percunctationibus elicuiſſet, quod Deo libentius quam ſeculo proponeret militare, cuidam *Cuddæ*, qui ex ſenatore & regis cubiculario religioſam vitam apud Lindisfarnum meditaretur, delegauit. Is eum ſecum aliquantis annis benigne habitum Reginæ remiſit, Pſalmos & nonnulla Eccleſiaſtica memoriter retinentem, ſed excellentioris profectus ſtudio Romam eundi deſiderium ingreſſum. At Regina deſiderium ephœbi, quod ſupra annos eſſet, amplexa, miſit eum peculiari adiuuandum cura regi Cantuariorum *Ercomberto*, qui filius erat patrui ſui. Ita *Wilfridus* Cantiam adueniens Romanas conſuetudines, quæ Scottorum ſcientiam vincebant, gnarus addidicit: Pſalterium denique, quod a Scottis iuxta translationem beati Hieronymi acceperat, pro Romano more iuxta quintam editionem lectitauit & tenuit. Poſt annum datus à rege in comitatum induſtrii iuuenis *Benedicti*, qui poſtea Wirenſis Abbas fuit, Romanum iter maturabat. Lugdunumq; perueniens, faciei venuſtate morumq; compoſitione *Dalfinum* vrbis Archiepiſcopum ad ſui dilectionẽ inuitauit. Quẽ cũ vel clericatu impoſito, vel nuptiis

al. *Eansfleda*

neptis ſuæ retinere tentaſſet, neutrum promouit: excuſante nuptias *Wilfrido* pro cœlibatus ſtudio, clericatum differente, quoad Roma rediret. Ideoq; Archiepiſcopi fultus conſilio & ſubleuatus marſupio, cœptam viam aggreſſus, ſocium, qui moræ illius iratus præceſſerat, breui conſequutus eſt. Romam ergo venit, cuncta, quæ optauerat, aſſecutus proſpere beato *Andrea* ſuffragante. Cuius triumphalibus liminibus affuſus, opem & literarum ingenium orauerat. Adeptus igitur beatiſſimi *Bonifacii* tunc Archidiaconi priuatam notitiam, per eum ſupremæ ſedis Pontificis gratiam meruit. Quorum contubernio fruitus & rationem Paſchalis cycli edoctus, cum plurimũ in vrbe moratus eſſet, Lugdunum ad *Dalfinum* Archiepiſcopum remeauit. Qui cum eum nihilo ſegniore indulgentia excepiſſet, hoc cõfœderati ſunt placito: peregrinus adoptatus in filium, & clericus factus, Archiepiſcopus electus in patrem, qui ſedulitate beneuola omnem memoriam reditus in patriam ab animo *Wilfridi* deleuerat. Sed inuidit diabolus *Wilfrido* Galliam, *Dalfino* longiorem vitam, *Bathildi* Reginæ furias infernales immittens, vt eum poſt nouem, quos trucidarat Epiſcopos, accumularet in decimum. Mandauerat per ſatellites illi, vt veniret. fortior ille malis, quamuis eum non lateret muliebris nequitia, venire properauit. Quem cum continuo carnifices gladiis excepiſſent, adoleſcens Anglus mirabili conſtantia prope in ipſos enſes immergens conſortium paternæ necis ſitiebat. Sed licet iam expoliatus, *al. ingulo* iam protenſo *cingulo miſeratione laniſtarũ Angliæ ſuæ reſeruatus eſt! Cuius aduentum cum fama vulgaret, ab *Alfrido* rege regis *Oſwii* filio dignanter accitus eſt. Ei cum laborem & ſeriem itineris, Gallicanam elegantiam, pompam Romanam, prætereaq; canonum regulam ediſſertaret, libenter eſt auditus & grate. Ergo circa ſe multis diebus habitum accurate propter nuper cõceptam coluit amicitiam, quam comparauerat honeſta conuerſatio, induſtria, prædicatio, rerum ſcientia, ſermonis copia. Data ei, in Ripis à rege mãſio, qua cœnobium ędificaret, collataq; a proceribus multorum xeniorum oblatio. Ibi ab *Angilberto* Epiſcopo Gallo de Scotia veniente presbyter ordinatus, & Abbas poſt non multos dies Scottis conuictis falſi Paſchæ errorem depulit, ſcientiam recti reduxit. Lætabantur reges, & heroes, gloriabatur prouincia ſe habere prædicatorem indigenam, qui iam cruditatẽ nauſeabant Scotticam, cõferebanturq; multa *Wilfrido*, quibus toleraret vitam, quibus inopum fulciret penuriam. Nec ille erat anguſtioris cordis in erogando pauperibus & aduenis, quod affluebat à ſeculo, æmula quadam iocunditate, vt quo plus erogaret pauperibus, eo copioſius Deus eroganda inferret. Præterea ventre caſtigatior, vigiliis & orationibus promptior, à matre integram ſeruans pudicitiam, nec in adoleſcentia incurrit culpã: frequentauitq; vſq; ad ſenium morem, vt nocte pergens cubitũ aqua frigida totos infunderet artus. Sed *Iohannis* Papæ iuſſu tandem vel ſero deſtitit, ne algor ſenilis corporis frigidi elementi infuſione auctus incurabilem morbum contraheret. Per hoc fauorabili plauſu ab omnibus electus eſt, dignus qui Eboracenſis Eccleſiæ cathedram ſanctificaret. Sed perſtitit ille negare, ne ab Epiſcopis Scottis vel ab iis, quos Scotti ordinauerãt, conſecrationẽ ſuſciperet, quorũ communionẽ ſedes aſpernaretur Apoſtolica. Quorum ſicut ſuũ non eſſet vllũ nominare, ita proprium famæ cõſulere, ſaluti prouidere. pateretur regia dignitãs, concederet popularis religio ſe à Gallicanis antiſtitibus ſacrato inſigniri munere: quo facto fore, vt inthronizato legitime multum accreſceret ſcientiæ. probato conſilio mittitur Galliam conſecrandus magno apparatu commeantium, magna expectatione remeantium. vbi 12. Epiſcopis, (quorum in numero excellebat *Angilbertus*) ele*al. ſuccollantibus*ctionem acclamantibus, & in ſede aurea ſedentem *ſuſtollẽtibus demum ante altare ductus & conſecratus eſt. Sed re perfecta redeuntem venti corripientes aduerſi in littus cõtrarium Auſtralium Saxonum detulere: nauem appulſam æſtus Oceani refluẽs inimicorum hiantium prædæ deſtituit, barbari qui adhuc veri Dei neſcii Bacchanalia viuebant in furiã concitati, bello conſpiratis viribus claſſicũ canunt. Tũ quanquã Pontifex indulgendũ tempori ratus pacem prætenderet, promiſſa cumularet, nihilo fractiores gentiles in arma ruunt. Quin & ſacerdos ſacrorum ſacrilegorũ in editiore ſtans loco fanaticis incantationibus Chriſtianorum vires effringere nitebatur. Tũ quidam ex ſociis Pontificis funda lapidẽ intorquens fronti gẽtilis illiſit, tã validis viribus vt oſſe penetrato cerebrum violaretur, hoc acrior populus barbarorũ in Chriſtianos bellum nouat. At illi in vtramuis parati quo fortuna vergeret, vel morte occumbere nobili, vel victoria potiri, vniti in confertam multitudinem 120. irruunt & bis terq; auertunt, orante interim & genu flectente præclaro ſacerdote cum clero in littore. quorum precatu ante horam aſcenſionis regreſſus maris æſtus famulante ſinu nautas excepit. Qui non multo poſt ad Sandwic appulerunt, lætum celeuma cantantes: quod innumeris ex hoſtibus interemptis vix quinq; ſuorum deſiderarent. victor ergo periculorũ omnium domũ reuerſus turbã rerum offendit,

Ceddamq;

Ceddamq; in ſuam ſedem ſubintroductum: quod animis religioſiſſimis in cauſa præſertim honoris ſui facile ſurripi poteſt. Quocirca *Wilfridus* tribus annis in Ripis habitans, ſacerdotale officium, quocunq; ire petebatur, exercuit, magno ſemper comitatus virorū agmine, qui eum relinquendum non putabant. Inuitabaturque creberrime a *Wlferio* Merciorum rege, qui ei locum Licefeld vocatum ad conſtruendum quodlibet, vel Epiſcopatum vel Monaſterium largitus eſt. ſed nec tenacior in honore viri fuit *Egbertus* rex Cantuariorum, quo accerſiente multos in Cantia ordinibus Eccleſiaſticis prouexit, quorum fuit vnus *Putta*, per eum ad presbyteriū, per *Theodorum* ad Epiſcopatū Roffenſem poſtea promotus. *Deus dedit* enim archiepiſcopo defuncto, exſpectabatur *Theodorus* de transmarinis partibus venturus. Qui cum veniſſet, cognoſcens rem contra canones perperam factam, *Ceddam* degradauit modeſto & immoto animo iniuriam ſuſtinentem. Patientia viri ſanctiſſimi commouit *Wilfridi* viſcera, vt eum ſuffragio ſuo per omnes gradus iterum eleuatum Licefeldi Pontificem induceret. vbi ſuperſtes aliquot annis conuēientē ſanctitati ſuę finem inuenit. Nō ſpaciabatur interea in delitiis *Wilfridus*, ſed inprimis Chriſtianitatem augere, Chriſtianorū mores informare; in ſecundis noua ædificia excitare, vetera reparare. Baſilica, quondam ab *Edwino* rege monitu beati *Paulini* in Eboraco facta, tecto vacabat, parietes ſemiruti, & ruinam plenam minantes ſolis nidis auiū ſeruiebant pro indignitate rei Pontifex interno dolore commotus, materiam ſolidauit, culmen leuauit, leuatum plumbeis laminis ab iniuria procellarum muniuit, feneſtris lucem dabāt vel panni linei tenuitas, vel multiforatilis aſſeraxis. ipſe vitreas fecit. decorē materiarum vetuſtas, & multimoda tempeſtas obduxerat. ipſe illas alba calce dealbauit. Senſit & Ripis induſtriā antiſtitis, ædificata ibi a fundamentis Eccleſia* miro in fornicum inflexu, lapidum tabulatu, porticuum anfractu. Inuitati ad eius conſecrationem reges Germani, *Egfridus, & Elwinus*. Nam pater inter hæc *Oſwius* deceſſerat. Dotauerunt illi locum ingentibus prædiis, retuleruntque famæ* præmium ampliſſimis verbis coram populo laudati, tribusque diebus lautiſſimo apparatu obſoniorum redempti. mundialis vt videbatur pompæ lætitiam continuauit de reſurrectione mortui diuinum miraculum. res ita acta eſt. *Ingreſſo Epiſcopo villam Tiddanefra occurrit vis fœminarum ingens, paruos ad confirmandos offerens. Immiſcuit ſe cōfluenti vndæ muliercula. & callide agens filium exanimem catechizandum prætendit, mortem diſſimulans, lachrymas reſorbens, credebatque integre, quod hoc commento poſſet vitam reſumere. Sed enim antiſtes obuelatam faciem puſioli cum retexiſſet, vt exequeretur officium, anima priuatum aduertit. tum mulier, quæ ſucceſſu fraudis exciderat, ad preces conuerſa orare per Deum, per matrem, ſi qua fides, ſi qua pietas, vt excitaret exanimem. ſimul veſtigiis aduoluta violentiam quandam facere, loco penitus non moueri. fluctuabat interim ſanctiſſimi hominis ſentētia, an temerarius inſuetum miraculum attentaret, an duras lachrymas orbatæ mulieris deſpiceret. Sed vicit pietas pectus virtutis, paucaq; diuinorū pſalmorū intra ſe immurmurās, indeq; dextram cadaueri apponens animam induxit corpuſculo. confeſtim enim oſcitans, & alacri palpebrarum motu totiuſque corpuſculi niſu ſe reuixiſſe teſtatus eſt. Exclamat mater in gaudiū, ſed ab Epiſcopo coercita ſiluit. vocatus eſt puer* Ethelwaldus, *& in Ripis poſtea Monachus factus, miraculorum* Wilfridi *non leue augmentum videbatur.* Simile huic miraculum apud* Hengleſteldem illis ferme diebus exhibuit. *Ibi eius ſumptibus in altum ſurgebat Eccleſia, ex cuius fabrica ſummitate Monachus delapſus totis oſſibus dilaceratus eſt. Inde portatus in oratoriū dubiū intuentib. faciebat, vtrū omnio exanimis eſſet, cui neq; vox neq; ſenſus ineſſet. At Pontifex lachrymis infuſus oculos, Monachos ad orationē vocat, hortatur, vt fidei deſidiam excutiant, nihil credentibus difficile fore. Oratio ergo in altum vno porrigitur ore, miſericordia e cœlo extrahitur, reſpirat Monachus. ſanitatis ſperatur indoles à videntibus, ligatur oſſiū fractura, conualeſcit ægrotus cum gratia.* Nec minus rex *Egfridus* ſuo deerat officio regnum dilatando in Pictos, tuendo in Mercios. Picti enim defuncto rege *Oſwio* paruifacientes teneram infantiam reguli, proruunt vltro & conſpirant in Northanimbros: quibus cum ſubregulo *Bernego* regius iuuenis occurrens ita paucis ſuis militibus innumerabilem Pictorum deleuit exercitum, vt campi cadaueribus conſtrati planitiem amitterent, flumina curſu intercepto ſubſiſterent. *Wlferius* quoque rex Merciorum in eoſdem efferatus ductauit exercitum, quippe qui meminiſſet patrem ſuum ab eis interemptum. Iraque veniebat animo regi fidenti, vt aut ſarciret diſpendium, aut adquireret regnum. Enimuero proſequebatur eum fortuna non bona, nec pene proſperior, quam paterna: niſi quod terga turpiter nudatus inglorius effugit; nec multis poſt diebus ſuperſtes, partem prouinciarum Northanimbrorum regi ceſſerit. Harum euentu victoriarum multiplicata *Wilfrido* prædia, Eccleſiæ cum monachis conſtitutæ. Diligebatur enim ab omnibus pro virtutum reuerentia laudabili: præter illas, quas ſupra enumerauimus, commendatus abſtinentia. Nam cum in continentiſſima cœna raro pluſquam vnum ferculū abſumpſiſſe,

al. miro fornicum inflexu, &c.

al. precium

al. Hengſteldeheim

nunquam vero vnum poculum exhauſiſſe percelebre eſt. Præterea mitis & affabilis omnibus, eos in gratiam alliciebat. Ideoq; Abbates & Abbatiſſæ vel viuentes ſuarum rerum Dominum, vel morientes hæredem inſtituebant. Proceres filios ſuos illi educandos committebant, cum adoleuiſſent militaturos vel Domino vel ſeculo. hinc liuor infœlix *Ermenburgæ* reginæ & quorundam ſatellitum afflauit pectora, qui tantas diuitias *Wilfrido* inuiderent. Dum enim beatiſſima *Etheldritha* ſpecietenus famularetur regio cubili, illa maritum beatiſſimo conciliabat antiſtiti, ſi quid contra ſuſurraretur, ſanitate conſilii deliniens. Ipſe quoque dum gratia Pontificis niteretur, rebus bello & domi ex voluntate fluentibus fruebatur. Sed poſtquam noua nupta intrauit triclinium, pax rupta Pontificis euanuit, domuſq; regis paulatim immutata, vltimo decubuit. Cōflauit ergo Pontifici regina inuidiam, quod tot Abbates, tot Abbatias haberet; quod aureis & argenteis vaſis ſibi miniſtrari faceret: quod clientum turba, nitore veſtium ſuperbiens, illius latus obambularet. Cucurrit ergo tam inuidioſa relatio ad Archiepiſcopum Cātuarienſem *Theodorum*. Is non moratus ſed xeniorum obtentu vigorem animi eneruans, inconſulto *Wilfrido* tres alterius regionis Epiſcopos in eius diœceſim introduxit. * Prætendebant tamen cauſam iuſtitiæ, vt inde tres alerentur Epiſcopi, vnde vnus tumebat: ſufficere tantos ſumptus tantæq; diœceſis circuitum quatuor Epiſcopis. Et hæc quidem recte dicta poſſent videri, ſi eum qui ſua induſtria omnia conquiſiuerat, vel non omnino ſpoliatum deiiceret, vel ſaltem cum conſenſu eius ageret. Nec celari potuit manifeſtiſſima violentia, cum ipſe pro tribunali regem adiiſſet, iniuriarum cauſam expoſtulans. Nihil enim, dixerunt, tibi reatus opponimus, ſed quod cōſtituimus, ratum eſſe volumus. Quo dicto quid abſurdius? quaſi dicerent illud *Iuuenalis*.

al. pratēdebat

Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.

At vero cum præſul ſedem Apoſtolicam appellaſſet, ſubſannatoribus, qui propter regem aſtarent, in riſum crepantibus hoc dictum obiecit. Hæc deriſio, quam de meo abſceſſu modo facitis, in magnum mœrorem vobis commutabitur futuro anno hoc eodem die: verax euentus rerum æmulatus eſt antiſtitis dictum. *Ethelredus* enim rex Merciorum frater *Wlferi*, poſt abſceſſum *Wilfridi* non multis diebus guerram inceptans, fraternas iniurias vltū ire cupiebat. Occurrit ei animoſus *Egfridus* ſolito terrore acturum exiſtimans: ſed fugauit Mercius copias eius, fuditq; fratrem *Edwinum*. quo dolore verſa in luctum Northanimbria, conſiliatoris ſui quondam abſentia modo ingemiſcebat. Contigitq; vt anno reuoluto eodem die, quo ille præiudicium in Eboraco paſſus fuerat, cadauer regii adoleſcentis illatum vrbi longum indiceret iuſtitium. Ita *Ethelredus* triumpho functus integritate regni recepta *Winfridum* Epiſcopum, qui *Ceddæ* apud Licefeld ſucceſſerat, quod *Egfridi* partium fuerat, expulit. Is Gallico littori forte appulſus, in *Theodoricum* regem & *Ebroinum* ducem Francorum incidit; quibus à Brittannia mandatum erat, vt *Wilfridum* Epiſcopum caperent, & ſpoliarent. Quem illi errore nominis acti ſociis occiſis & rebus ablatis, abire ſiuerūt. Luit ergo ille ambiguitatem vocabuli, alienumq; periculum ſuo redimens, vel nudus profugit a latronibus. At *Wilfridus*, cuius prudentiam hoſtilium conſiliorum machinæ non laterēt, leui Fauonio prouectus in altum, proras in Eurū obuertit, vt Friſiam nauigaret; Exceptuſq; à rege & populo honorifice, ibidem hyemē; quæ imminebat, exegit. Commercium miſerandum, vt inter barbaros tutius quam inter ſuos viueret, eiectus à patria, dilectus in Friſia. Continuo igitur ad prædicationem eius *Adalgiſus* Rex gentilem tumorem inflexus, faciliorem in cęteros prędicationis viam aperuit. Hunc ad necem vel expulſionem viri Dei *Ebroinus* Epiſtolis cum tentaſſet, aurum immenſum pollicitus, irritus fuit. Chartam enim audiente *Wilfrido*, & epulante in triclinio lectam *Adalgiſus* proiecit in ignem, dicens: Sic ardeat, qui pactum cū amico initum pro auri cupiditate diſſoluit. Iamq; ſe verna temperies aperiebat in flores, cum *Wilfridus* itinere reincepto ad *Dagobertum* regem tranſrhenanorum Francorum venit. Is nō immemor, quod eum quondam factione magnatum pulſum, & de Hybernia ad ſe venientem hoſpitio receperit, & equis ſociiſq; adiutum patriæ remiſerit, benigne habuit, multiſq; precibus fatigauit, vt prouinciam remanentia ſua dignaretur, Epiſcopatū Strateburgenſem accipiens. Cum ille rogātem ad reditum ſuum de Romā diſtuliſſet, cum *Deodato* Epiſcopo ſuo * iram laxauit. Sociali ergo gratia fretus per Campaniam iter faciens inde Romam ingreſſurus, ad *Bertharium* ducem Prouinciæ diuertit, per legationes inimicorum cauſam eius iam edoctum, & ad nocumentum promiſſis illectum. Qui licet in principio ſuperbiam erexiſſet, tamen veraci relatione audita iram reſorbuit. Itaq; non ſolū nocumento abſtinuit, ſed & ſuffragio ſuo bonum negotio finem inpoſuit, dicens, ad hoc ſe admoneri cuiuſdā regis Huno-

al. ire

Hunnorum, apud quem exulaſſet olim, humanitate, qui quamuis eſſet gẽtilis, nulla tamen ad eius damnum, cui iuraſſet, potuerit corrumpi pactione. Tandem ergo aliquando Romam veniens attonitam ſui expectatione vrbem offendit. Præuenerat enim à *Theodoro* miſſus modeſtæ religionis Monachus *Kenewald*, accuſationes ſcriptas deferens, & amaritudine delationis verbis immitibus, quo commotus *Agatho* ſanctiſſimus Papa cõſilium 50. tam Epiſcoporum quam Abbatum in baſilica Saluatoris, quæ appellatur Cõſtantiana, coegit. Cuius concilii hęc eſt forma: Agatho *ſanctiſſimus ac beatiſſimus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ atq; Apoſtolicæ vrbis Romæ conſidentibus ſecum dixit: Non credo latere veſtram ſanctam fraternitatem, quamobrem ad hunc venerabilem conuentum eam aſciuerim. Cognoſcere quippe cupio veſtram reuerentiam mecumq; tractare, qualis in Eccleſia Inſulæ Brittanniæ, vbi per Dei gratiam fidelium multitudo creuerit, nuper eſt exorta diſſenſio, quæ ad nos tam per relationem huc aduenientium, quam per ſcriptorum ſeriem delata eſt.* Andreas *reuerendiſſimus Hoſtienſis Epiſcopus &* Ioannes *Portuenſis Epiſcopus dixerunt: Omnium quippe Eccleſiarum ordinatio in veſtra Apoſtolicæ authoritatis pendet arbitrio, qui vicem beati* Petri *Apoſtoli geritis. verum & nos nuper conſidentibus coepiſcopis, & confamulis noſtris, iuſſu veſtro relegimus ſingula ſcripta, quæ de Brittannia Inſula directi Apoſtolico veſtro conſpectui detulerunt, tam ea, quæ ex perſona reuerendiſſimi Archiepiſcopi olim hinc illuc ab Apoſtolica ſede directi miſſa ſunt, aliorumve relationes aduerſus quendam Epiſcopũ ſubterfugientem (vt aiunt) quam ea, quæ à* Wilfrido *Deo amabili ſanctæ Eboracæ Eccleſiæ Epiſcopo oblatæ ſunt: qui de ſua ſede eiectus à prænominato ſanctiſſimo huc vſq; peruenit: in quibus cũ multas quæſtiones insererent, neq; ſanctorum Canonum ſubtilitate conuictum cum aliquibus facinoribus, & ideo non Catholice deiectum reperimus, neq; eum aliqua facinora perpetraſſe accuſatores eius verbis propriis oſtenderunt, pro quibus degradari debuiſſet: potius autem & modeſtiam hunc tenuiſſe cognouimus: quod non ſeditioſis quibuſdam decertationibus ſe immiſcuit, ſed de ſua ſede repulſus, coepiſcopis ſuis facti meritum innoteſcens, memoratus Deo amabilis* Wilfridus *Epiſcopus huc ad ſedem Apoſtolicam accurrit:* Agatho *ſanctiſſimus ac ter beatiſſimus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ atq; Apoſtolicæ vrbis Romæ conſidentibus dixit:* Wilfridus *Deo amabilis ſanctæ Eboracæ Eccleſiæ Epiſcopus, quem præ foribus venerabilis ſecretarii noſtri eſſe narratum eſt: ad noſtrum ſecretarium iuxta ſuam poſtulationem cum petitione, quam ſecum afferre dicitur, admittatur.* Wilfridus *Deo amabilis Epiſcopus dum venerabile ſecretarium ingrederetur, dixit. Deprecor veſtram pontificalem beatitudinem, vt meæ humilitatis petitionem excipi coramq; relegi præcipiatis.* Agatho *ſanctiſſimus Epiſcopus dixit:* Wilfridi *Deo amabilis Epiſcopi petitio ſuſcepta coram omnibus relegatur: & accipiens* Iohannes *notarius, relegit ſancto & Apoſtolico concilio.* Wilfridus *humilis & indignus Epiſcopus Saxoniæ ad hoc Apoſtolicum faſtigium tanquam ad locum munitum turremq; fortitudinis greſſus, Deo præuiante, perduxi; quod inibi normam ſacrorum canonum in omnes* Chriſti *Eccleſias emanare cognoſco: ex eo meæ humilitati iuſtitiam fieri confidenter expeto: cognouiſſe quippe non ambigo veſtrum pontificale faſtigium tam ex humilitatis meæ ſuggeſtione, quam quæ viua voce præſentialiter obtuli veſtris Apoſtolicis obtutibus, in ipſo mei aduentus exordio præſentatus; quod quidam mei Epiſcopatus inuaſores, nulla in me conuicta culpa, contra ſacrorum ſcita canonum in conuentu ſanctiſſimi* Theodori *Cantuariorum Archiepiſcopi & aliorum conuenientium antiſtitum ſedem meam, quam per decem, & eo amplius annos tenueram, vſurpare moliti ſunt: & in meo Epiſcopatu tres Epiſcopi promoti ſunt, licet canonica non ſit eorum promotio. Quid autem acciderit, vt* Theodorus *ſanctiſſimus Archiepiſcopus me ſuperſtite in ſedem, quam licet indignus diſpenſabam, abſq; conſenſu cuiuſlibet Epiſcopi tres ſua authoritate mea humilitate non acquieſcente ordinaret Epiſcopos? omittere magis quam flagitare pro eiuſdem viri reuerentia condecet: quem quidem, eo quod ab hac Apoſtolicæ ſummitatis ſede directus eſt, accuſare non audeo. Veruntamen ſi claruerit, quod contra ius regularium ſanctionum, citra vllius delicti piaculum, quod canonica percellit ſeueritas, de priſtina pulſus ſede tumultuoſus nulli apparui, ſed tantum confamulos & conſacerdotes meos illius prouinciæ Epiſcopos conteſtatus abſceſſi. ſiquidem præuidit veſtra Apoſtolica ſummitas priuatum me eſſe humili deuotione, quæ cenſentur, libenter amplector. Si autem & priſtinum Epiſcopatum ſuſcipere, ſequor totiſq; viribus veneror ab Apoſtolica ſede prolatam ſententiam, tantum vt inuaſores de priſtinis parochiis Eccleſiæ, cui ego indignus famulus veſter præfui, pellantur. Et ſi rurſus in eadem parochia, cui præfui, præſules adhiberi præuiderit, ſaltem tales iubeat promouendos, cum quibus pacifica & tranquilla poſſim concordia obtinente Deo vnanimiter deſeruire, &c.* Agatho *ſanctiſſimus ac ter beatiſſimus Epiſcopus Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ atque Apoſtolicæ vrbis Romæ dixit. Non mediocriter ſatisfacit audientibus petitionis ſeries, quam* Wilfridus *Deo amabilis Epiſcopus obtulit, in hoc, quod cum ſe indigne de Epiſcopali ſede deiectum agnouit, non contumaciter per vim ſecularem obſtitit, ſed humiliter ſentiens authoris noſtri beati* Petri *Apoſtolorum principis canonicũ expetiuit ſubſidium, & ſupplici præſtolatione, quæ ſuper eo cenſenda ſunt ſe ſuſcepturũ perhibens: quod ex ore noſtro beatus* Petrus *Apoſtolus author noſter*

cuius miniſterio fungimur, prauiderit ſtatuendum. vniuerſa ſancta Synodus, quæ reſidebat, inter cætera definiens ait: ſtatuimus atq; decreuimus, vt Deo amabilis Wilfridus *Epiſcopus Epiſcopatum, quem nuper habuerat, ſuſcipiat, & quos cum conſenſu concilii ibidem congregandi elegerit ſibi adiutores, à ſanctiſſimo Archiepiſcopo ordinati promoueantur Epiſcopi, expulſis procul eis, qui in eius abſentia in Epiſcopatum enormiter miſſi ſunt, & cætera, quibus interdicunt hæc non ſuſcipientes decreta.* His decretis gloriabundus Epiſcopus etiam iuſſu Papæ iuſſus eſt reſidere in numero ſanctorum Epiſcoporum 150. qui agitabant concilium contra illos, qui vnam operationem prædicant in duabus naturis Domini noſtri *Ieſu Chriſti*. Hinc reditum aggreſſus omnium periculorum, Deo protegente, immunis patriam venit, ægreq; licet ad regem aditu impetrato, ſcita Apoſtolici ſigillata prætendit. Ille cum ea Epiſcopis contubernalibus ſuæ factionis legi feciſſet. tantum à reuerentia Romanæ ſedis abfuit, vt ſpoliatum ſuis omnibus, comitibuſq; in diuerſa deductis, beatum Pontificem cuidā præfecto notabilis ſæuitiæ viro in ergaſtulum trudendum committeret: credulus aſſerentibus, decreta illa coempta precio, quia Romani munerantibus ſe lenocinentur. ſcatebat omnis curia pruritu Epiſcopalis iniuriæ, adeo vt regina chriſmarium Pontificis vi extortum (horreſco referens) non dubitaret cum reliquiis vel collo vel vehiculo circumferre. immoto animo & vultu ſacerdos ferebat omnia & monitionibus ſacris ſuos, quibus timebat, hortabatur vt fortiter ferrent, donec Dei pietas & inuicta fœlicitas finem calamitatibus afferret. At præfectus in alios barbarus & immanis, in iſtum anglus & lenis, nil illi tormenti præter tenebras ingeſſit, non penitus auſus regiis mandatis obſtrepere. Sed enim non paſſa eſt diuina dignatio tenebrarum indignitate premi lumen Brittanniæ, quòd fax cœlica ſignauit, cum adhuc genitrix pondus alui abſolueret. perrupit denſitatem carceris lucerna ſuperne directa, abſentemq; diem lux agebat æmula, repercuſſit fulgor carnificum oculos per rimas inſpectantium, & fugere coegit ad dominum, ille quidem auditu cohorruit, ſed *Egfridi* timore nihil præter ſolitum nouauit. ſtimulauit differentem morbus vxoris, quo repente correpta hianti rictu & ſpumanti vomitu maritum exterruit: mox etiam maiori concuſſa Dæmone exanguis & elinguis cum diriguiſſet, exiliit ille & Pontificiis pedibus affuſus, non grauate obtinuit à miſericordi antiſtite veniam. ſtatim enim orationem dedit, aquam benedictam gutturi hiantis infudit, & mulier morbo caruit, valetudinem bonam reſumpſit. Audiuit hoc *Egfridus* nuncio præfecti dolentis & orantis, ne ſe immeritum immolaret diabolo, reum in Pontificis innocentis ſupplicio. ſed nihilo mutatus auferri eum ab *Offritho* (id enim nomen viro) vt degeneris animi homine iubet, & crudelioris audentiæ ſatelliti *Tumber* nomine tradi. *Cum crudelitate regis adoleuit miraculum, nam cum eum vinculari ille iuſſiſſet; & ferox miniſter compedes ferreos expediret; quibus tibias ſancti nodaret; ſemper inter ipſas conantis manus fallax compes aſſiduo dilabebatur furto. nam vel anguſtior compes tibias groſſiores circumplecti non poterat, vel cathena laxior graciles tibias non contingebat. Iam vero ſi quando laborata arti nihil deeſſet, tanta celeritate ſe vincula euoluebant, quanta oculi cernentium occurrere non poterant. Dedit locum improbitas religioni, ſolutus eſt ſanctus, & in libera cuſtodia tentus.* Nihil horum *Egfridus* curabat, ſed ſi quando audiebat, vel ſuſpendebat ludo, vel infamabat opprobrio. Commeabant tamen frequenter ab eo ad pontificem cum mandatis nuncii, vt decretorum tenorem, quæ attulerat, vltro infirmaret, diceretque ea extorta pretio, non impetrata iudicio. Id ſi faceret, fore vt per indulgentiam regis partem Epiſcopatus & ſua omnia reciperet: ſin minus, ſui foret diſpendii, qui eſſet author diſſidii. Parum hæ minæ mouebant animum Pontificis ad conſentiendum: quinimo referebat non ſe illud facturum pro diſcrimine capitis, vt infamaret authoritatem ſedis Apoſtolicæ. quid interim regina *Ermenburga* totius mali fomes & incentrix? continuabat dies ac noctes conuiuiis, ducebatq; triumphali pompa chriſmarium antiſtitis, opimis gauiſa ſpoliis. Sed cum nocte quadam hoſpitata fuiſſet apud Abbatiſſam *Ebba* amitam mariti, totis medullis diabolo infuſo cæpit aliena ſapere, inſana dicere. Vocibus eius excitata Abbatiſſa accurrit, quid morbi haberet blande interrogans: Illa nihil contra: (nam iam anguſtia valetudinis vocem præcluſerat) tum Dei famula cauſam intelligens, author nepoti fuit, vt beatiſſimi viri redderet chriſmarium: ipſe ſuis omnibus ſecundum Apoſtolica præcepta reueſtiretur; quod præſtaret, ſi collateralem ſuam ſaluam vellet: ſi vero regia in malo perſeuerandum putaret animoſitas, quæ tulerat, redderet: ipſum liberum abire ſineret. actum eſt, & regina tunc quidem pulchre conualuit, & poſt obitum mariti habitu mutato religioſe de facto pœnituit. *Wilfridus* ergo natali ſolo pulſus WeſtSaxoniam tendebat, exceptuſq; ibi à quodam *Berethwaldo* viro nobili pauciſſimis omnino diebus latebrā fouit. Siquidē rex Merciorum *Ethelredus*, cui vir ille parebat, (erat enim filius fratris eius) acriter

acriter per nuncios denũtiauit,vt ne vno quidem die ipſum retineret. hæc in aſſentationẽ *Egfridi* fiebãt; cuius ſoror *Oſdrida* in ſolatium *Elwini* fratris occiſi *Egelredo* nupſerat,pacem inter maritum & fratrem componẽs. Inde monaſteriolo iam ibi ædificato *Wilfridus* relictis monachis ſuis,profugus ad Auſtrales Saxones adhuc paganos diuertit,cui inter Chriſtianos nullus ad latendum ſuperat locus.Rex eorũ* *Edelwalk* vocabatur,qui auditis peregrinationis cauſis ad auxiliandum antiſtiti animo concurrit. Firmiſſimum itaque fœdus *iecit,vt eum inimicis nec prece proderet,nec precio diſtraheret:qua tutela fretus,primũ regi & reginæ Chriſtianitatem prædicauit,poſt etiam prouincialibus. nec fuit in perſuadendo difficultas:cum continuo rex baptizatus, cæteros exemplo ſuo ad idem animaret: deditque propriam manſionem Epiſcopo,quam familiarius incolebat,vocabulo Seleſey/ quam ipſe monachis implens ad epiſcopalem ſedem poſteris tranſmiſit.Erat tunc *Ceadwalla* per factionem principum a Weſtſaxonia expulſus,quem frequenter ad ſe conſilii cauſa venientem ſanctus prompte refecit, præbens ei & ſuis cum equitaturas tum pecunias: is dum omnibus iraſcitur,dum omnibus infrendit,*Edelwalck* regem aliquo ſibi occurrẽtem infortunio neci dedit. idemque tota Weſtſaxonia potitus, vt magiſtrum & dominum omni prouinciæ præfecit *Wilfridum*, nihil in tota prouincia ſine illius aſſenſu faciendum arbitratus. Denique & ampliſſimas in Wetha inſula poſſeſſiones dedit, & quæ ante habuerat libens edicto firmauit. tranſierunt in his anni perplures: iam *Egfridus* in bello Pictorum occubuerat: iam *Theodorus* in mortẽ vergebat,qui de peccato in *Wilfridum* commiſſo ſauciatus conſcientiam,ipſum & *Erkenwaldum* epiſcopum euocauit Londoniam:ipſis omnia peccata confeſſus, illo ſe potiſſimum permoueri ſcrupulo dixit,quod in ſanctũ commiſiſſet, paſſus eum contra regulas ſpoliari, vel aperta inſtantia, vel occulta patientia. Et quia,inquit,finis mihi futuro anno imminet,ſicut Deo prænunciante cognoui, & frequens *ægritudo,rogo te ſanctiſſime Pontifex, vt benignus mihi cõmiſſum indulgeas, & ſedem Archiepiſcopatus mei ſubeas:quippe qui ſis omnium Anglorum in Romanis legibus peritiſſimus; ego Deo donante conabor, vt veteres offenſas recenti officiorum ſedulitate deleam,reges & authoritate & precibus amicos facturus. Placide ad hæc & vt virum ſanctum decebat,reſpondit *Wilfridus*: ſed vt Archiepiſcopatum ſine maioris definitione concilii ſuſciperet, non * conſentit: totis ergo viribus *Theodorus* exſurrexit, vt *Wilfridus* epiſcopatum reciperet,miſſis legatis & ſcriptis ad *Alfridum* regem Northumbrorũ, qui *Egfrido* ſucceſſerat, & ſororem eius *Elfledam* Abbatiſſam de Streneshalh/ vt ſimultatibus retropoſitis incunctanter * caritatem eius complecterentur. Cuius ſtudii vt feruor pateſcat,epiſtolam,quam regi Merciorum *Ethelredo* direxit,hic ponam. *Glorioſiſſimo & excellentiſſimo regi Merciorum* Theodorus *Dei gratia Archiepiſcopus in Domino perennem ſalutem, cognoſcat (fili dilectiſſime) tua miranda ſanctitas pacem me habere cum venerando epiſcopo* Wilfrido,*& ideo chariſſime te admoneo,& in Chriſti charitate præcipio tibi,vt eius ſanctæ deuotioni,quantum vires ſuppetunt patrocinium,ſicut ſemper feciſti, quamdiu viuas indulgeas, quia longo tempore propriis orbatus ſubſtantiis,multum inter paganos in domino laborauit. Et idcirco ego* Theodorus *humilis epiſcopus decrepita ætate hoc tuæ beatitudini ſuggero,quia Apoſtolica hoc,ſicut ſcis, commendat authoritas, & vir ille ſanctiſſimus in patientia ſua poſſedit animam ſuam, & iniuriarum ſibi irrogatarum mitis & humilis, caput ſuum ſequens medicinam expectauit. & ſi inueni gratiam in conſpectu tuo, licet tibi pro longinquitate itineris graue videatur, oculi mei iucundam faciem tuam videant, & benedicat tibi anima mea antequam moriar. Age ergo (fili mi) taliter de illo præfato ſanctiſſimo,ſicut te deprecatus ſum. Quod ſi patri tuo non longe de hoc ſeculo receſſuro obedieris, multum tibi proficiet ad ſalutem. Vale.* Venienti ergo ad reges cum epiſtolis Archiepiſcopi *Wilfrido*,ſalutatio impertita,indultus fauor. *Alfrithus*,qui eum quondã probe noſſet,ad ſe ſponte inuitato prius cœnobium Heuaſteldeim/ hinc definitione concilii Eboracẽſem epiſcopatum, & Ripis monaſterium liberaliter indulſit. ſtetit hæc amicitia inter eos vix annis 5. quoad viroſa conſilia, in finibus quorundam confota,eruperunt in publicũ: quibus præuentus rex *Alfrithus*,monaſterium Ripenſe poſſeſſionibus propriis mutilans, epiſcopatum ibi conſtituere meditabatur, aſſerens decretis *Theodori* Archiepiſcopi conſentiendũ non primo & vltimo tempore prolatis, ſed illis, quæ mediis diebus edicta diſcordia agitare noſcuntur, quibus infenſus *Wilfridus* ad regem Merciorum *Ethelredum* amicum ſuum diſceſſit:ſub eo plurimo conuerſatus tempore, *Sexwlfo* Licetfeldenſi epiſcopo defuncto, epiſcopatum illum rexit,omnibus prouincialibus amandus iuxta & reuerendus: plurima machinamẽta rege *Alfrido* & *Berthwaldo* Archiepiſcopo, qui *Theodoro* ſucceſſerat, in *Wilfridum* ſtruentibus,& deterentibus. Hoc tandem ſedit,vt cum ſpe pacis prætenta vocarẽt ad conciliũ,ibi vel plandimentis ad libitum ſuum inflecterent, vel,ſi non conſentiret, opprimerent. ille doli neſcius,& alios ex rectitudine animi ſui metiens,ad conciliũ perrexit:

al. *Edelwalch*

al. *icit*

al. *ægritudo admonet, &c.*

al. *conſenſu*

al. *charitatem*

ſed longe aliud, quam ſperauerat, expertus eſt: ſiquidem cum eum conuitiis & falſis obiectionibus criminum diu fatigaſſent, ad vltimum eum interrogarunt, ſi *Theodori* Archiepiſcopi decretis obedire vellet: quorum ille nequitiam perſentiens, callido reſponſo fruſtratus eſt, dicens, ſe libenter illis *Theodori* definitionibus obediturum, quæ ſanctis canonibus conſonarent. Deinde longa diſputatione in ipſos inuectus, acriter & vere quod iam per 22. annos præceptis trium Apoſtolicorum *Agathonis, Benedicti, Sergii Increduli, Theodori* Archiepiſcopi decreta per diſſenſionē acta diligerent, quieuit, & iam *Alfrido* ſurgebāt criſtæ, adeo vt Archiepiſcopo diceret: ſi præcipis, pater, opprimā eum per violentiam. quod cum etiam inimicis diſplicuiſſet, vt tanti nominis vir, & qui eorū fiducia captus ad concilium veniſſet, ſuſtineret oppreſſionis præiudicium, alio itinere gradiendum putarunt. itaque quaſi pacifice ſuadere adorſi ſunt, vt quia frequentiſſime diſſenſiones in Eccleſia Dei eius cauſa pullulabant, ipſe voluntate ſua poſſeſſionibus & Epiſcopatu cederet, & hanc renunciationem ſcripto firmaret; hoc eius commendaret famam, hoc accumularet gloriam, ſi priuatus mallet ſub quiete degere, quam pro ſuo pontificatu vel per ſe vel per alios procel-
vel. nimis. las ſeditionum mouere. Sentit pater in his * minis implicitum negotium, & reſpōdit: nihil æque ad cumulum infamiæ homini valere, quam ſi ſe ſua damnaret voce. Se primū fuiſſe, qui verum Paſcha in Northanimbria Scotis eiectis docuerit, qui cantus eccleſiaſticos antiphonatim inſtituerit, qui ſanctiſſimi *Benedicti* regulam a monachis obſeruari iuſſerit, pro quibus omnibus nunc ſenem & ſeptuaginta fere annorum Pontificem hoc in munere recipere, vt cogatur ſe ipſum ſcripto damnare. Noſſent ergo ſe illud non facturum, quod eſſet ſibi dedecus, calamitas ſubiectis, in commodum cunctis: quin potius ſedem Apoſtolicam appellare, & ſi quis eorum Eccleſiaſticum conflictum præſumeret, eo prouocare. Iam ergo ſeptuagenarius iterum labores, iterum Romam meditabatur, nec diu moratus mare tranſiit, viamque permenſus vrbem introiit, ſuſtinuitque aliquantis diebus accuſatores dum venirent: qui, cum veniſſent, illi cauſam ſuam epiſtolis, ipſe quod ad ſe attinebat, hoc allegauit modo. *Domino beatiſſimo vniuerſali Papæ* Ioanni Wilfridus *ſimplex & humilis ſeruus ſeruorū Dei Epiſcopus. Cognoſcat ſanctitas veſtra, quod perturbationibus nuper in Brittannia ortis ex parte eorum, qui contra decreta beatiſſimi* Agathonis *Papæ illiusque ſucceſſorum venerabilium patrum ſibimet Epiſcopatum & monaſteria terraſque cū omnibus facultatibus meis vſurpabant, compulſus hanc ſacroſanctam Apoſtolicam ſedem appellaui, conteſtans eos per omnipotentem Dominum & beatum* Petrum *Apoſtolum, vt ſi quis aliquā accuſationem contra me haberet, ad veſtram præſentiam veniret, ſicut beatiſſimi* Sergii *prædeceſſoris veſtri ſcripta decernebāt: & ideo petitionem humilitatis meæ glorioſæ præſentiæ veſtræ offerendam curaui, vt vos largiflua pietatis beneuolentia confirmare dignemini, quæ à beatiſſimis anteceſſoribus veſtris erga meam paruitatem decreta ſunt. & ſi quis contra me accuſator aduenerit, per veſtram iuſſionem productus in mediū, quod voluerit obiiciat: & ſi quidlibet vel minimum obiectum non probabiliter caſſauero, paratus ſum ſeueritatem canonum experiri. Deinde rogo, vt litteras commendatorias de veſtra celſitudine ad* Ethelredum *regem Merciorum adipiſcar, vt omnia monaſteria mea, quæ in eius ſunt prouincia quietē ha-*
al. Alfrithum *beant; ad* * Alfridum *regem Northanimbrorū epiſtolam habeā, vt omnia mea mihi reddat. Quod ſi forte ſibi graue videbitur, vt Epiſcopatum Eboracenſem habeam, præuideat Apoſtolica ſedes; quis ibi habeatur Epiſcopus: ego tamen monaſteria duo in ea prouincia poſita Ripis & Haguſtaldeiæ, quæ fun-*
al. Berthwaldi *daui, non amittam. In fine quoque ſpondeo me omnibus decretis* * Brethwaldi *Archiepiſcopi pariturum, quæ contra prædeceſſorum veſtrorum fundatiſſima decreta erga meam paruitatem non fuerint. His cum accuſatores à* Berthwaldo *Archiepiſcopo miſſi reſpondere iuſſi eſſent, hoc primum dixerunt: Eſſe crimen capitale, quod in concilio in Brittannia congregato decretis* Brithwaldi *Archiepiſcopi ſe non obediturum* Wilfridus *contumaciter dixiſſet. De hoc ſtans in medio Pontifex ſe expurgauit, vt diceret, Se ſic non indeſinite reſpondiſſe, ſed his tantummodo pariturum, quæ contra canonum decreta non eſſent: eſſe autem contra regulas, vt ipſe ſe ſine vllo criminis obiectu adiudicaret.* Hæc tam probabilis & facilis reſponſio cum lætum plauſum Romanis excitaſſet, iuſſi ſunt accuſatores domum redire, dicentibus Epiſcopis, quod quamuis canonibus cautū eſſet, vt accuſator primo accuſationis capitulo decidens, vlterius ad aliorum tentamentum non aſſurgeret, ſe tamen pro reuerentia *Brithwaldi* Archiepiſcopi non defuturos, quin omnia per ordinem diſcuterent. factumque eſt vt quatuor menſibus, 70. conciliabula coacta vel propter hoc ſolum vel hoc præcipuum finem glorioſum *Wilfrido*, ignominioſum accuſatoribus habuerint, Romanis maxima impenſa mirantibus illorum impudentiam, illius eloquentiam dum quicquid accuſationum obieciſſent, ille nullo excogitato reſpōſo, ſed Dei & veritatis fultus auxilio, quaſi caſſes aranearum primo motu labiorum diſcuteret & ſubrueret. hoc pronius Epiſcopi mirabantur cauſidicorum audaciam, quomodo Eccleſiaſticorum graduum

duum immunes (niſi quod vnus eorum diaconus eſſet) præſumerent accuſare venerandum ſenem 70. annorum Pontificem, torrentem eloquentiæ. inter ſe ergo multum diuq; Græcizantes, tandem ad noſtra verba conuerſi damnarunt miſſos dignos carcere, miſſorem arguerunt ſtultitiæ, *Wilfridum* pronunciarunt exſortem ab omni crimine. Hic ſubiicerem quantum emolumenti cauſæ illius attulerit Synodus *Agathonis* Papæ lecta, ſed & illud, quod in Meldis ciuitate Franciæ ab Oriente Pariſii poſita cum domum rediret infirmitate preſſus, viſione ſanatus ſit Angelica; niſi *Beda* venerabilis hiſtoricus dignus pro ſermonum ſobrietate cui debeat credi, narrationẽ præuertiſſet. Nos ab ipſo omiſſa ſcripturæ perſtricte inſerimus. Quamuis igitur antiſtes rem obtinuiſſet, ambiebat tamẽ Romę remanere ſenilem ſpiritum ſub dominorũ Apoſtolicorũ pedibus effuſurus. Reſtitit pio voto pontificis *Iohannis* ratio, qua diceret eum Anglię neceſſariũ, ideoq; iuſſit, vt quod ſupererat æui non in peregrinis auris conſumeret, ſed patriæ commodis impenderet. Rediit igitur & Apoſtolicas epiſtolas regi Merciorũ iam Monacho *Ethelredo* attulit. humiliter illi & genu flexo dignationẽ ſalutationis Apoſtolicæ ſuſcepit, & perlectis chartis, quod tenor earum iubebat a *Kenredo* filio fratris *Wlfarii*, quem ſibi regem ſuffecerat, cõpleri non grauare obtinuit. Erat enim & ille timore Dei plenus, ſicut poſt quadrienniũ voluntaria regni abrenunciatione mundo probatum eſt. nec ſegnius *Brithwaldus* Archiepiſcopus pacem non aſpernanter ambiens in vnanimitatem fraternæ concordiæ accurrit. Exterritum minis Apoſtolicæ ſedis aiunt, legatis damnationem ſuam grauibus querimoniis aggerentibus, quamuis *Wilfridus* eos iam adiudicatos exemiſſet. Solus *Alfrithus* rex Northanimbrorum obſtinatioris animi * ſententiam ferens, peruicaciam tenuit. Nunciis enim ad ſe ex parte *Wilfridi* directis, ſerenum primo reſponſum retulit, ſed deprauatus (vt creditur) maleuolorum conſiliis, quibus extra ſuam dignitatem nimis indulgebat, redeuntes ad ſe die cõdicto tali ſententia contriſtauit: ſe quidem legatorum perſonis, quod eſſent & vita graues & aſpectu honorabiles, honorem vt parentibus deferre, cæterum aſſenſum legationi omnino abnuere, quod eſſet cõtra rationem homini iam bis à toto Anglorum concilio damnato propter quælibet Apoſtolica ſcripta communicare. Sed nec ipſe multo poſt in vita moratus eſt tempore. Statim enim illis abeuntibus acerba correptus valetudine ad mortem exercebatur, amaritudo tormenti rationem olim in animo regali ſopitam elicuit, & ſecundum prophetam, *Vexatio dedit intellectum auditui*. Intelligens enim ſe merito inobedientiæ plexum, promiſit omnem emendationem facti *Wilfrido* exhibiturum, Si ſibi viuenti adduci potuiſſet, neceſſauit quantum ante præcluſam vocem loqui potuit, idem promittere, & ſi ipſe voti effectu careret, hæredem ſuum vt faceret adiurare: & ille quidẽ mature defunctus Apoſtolicas literas ſe ſpreuiſſe ſero indoluit, quarũ minas effugere non meruit: quas quia crebro commemoraui, hic abbreuiatas ponere fert animus, vt palam ſit quanta miſeria inuoluat mortales, quod illi viri, quos ſanctiſſimos celebrat antiquitas, *Theodorus*, *Bertwaldus*, *Iohannes*, *Boſa*, nec non & *Hilda* Abbatiſſa digladiabili odio impetierint *Wilfridum* Deo, vt ex ante dictis probatur, acceptiſſimum. *Dominis eminentiſſimis* Ethelredo *regi Merciorum, &* Alfrido *regi Deirorum, & Berniciorum*, Iohannes *Papa*. *De veſtra quidem religionis acceſſibus gratia Dei cooperante gaudemus, feruorem fidei cernentes in vobis, quam ex prædicatione principis Apoſtolorum Deo veſtros animos illuminante percepiſtis, & efficaciter tenetis: & vtinam gaudium noſtrum meliorum exceſſus amplificet. inextricabilis verò quorundam diſſenſio noſtros animos afficit quam oportet corrigi, ne Apoſtolicorum præceptorũ præuaricatores, ſed cuſtodes eſſe inueniamini. Dudum enim ſub Apoſtolicæ memoriæ* Agathone *Papa, cum* Wilfridus *epiſcopus, pro ſua cauſa ſedem hanc appellaſſet, & accuſatores à* Theodoro *ſanctæ Cantuariorum eccleſiæ Archiepiſcopo hinc illuc mandato, & ab* Hilda *religioſæ memoriæ Abbatiſſa miſſi veniſſent, epiſcopi tunc hic de diuerſis partibus congregati rem regulariter quæſierunt, & definierunt, eandemque ſententiam ſucceſſores eiuſdem pontificis prædeceſſores noſtri tenuerunt. ſed neque* Theodorus *Archiepiſcopus obuiaſſe cognoſcitur, qui nunquam poſtmodum aliquam huc accuſationem demandauit: nunc quoque eorum accuſationes, qui contra* Wilfridum *epiſcopum huc de Brittannia aduenerunt, & eius excuſationes apud conuentum reuerendiſſimorum epiſcoporum, qui hic inuenti ſunt per dies aliquot fieri procurauimus, tam de epiſtolis anterioribus & modernis, quam quæ verbialiter partes detulerunt, dum principales perſonæ, de quibus contentio omnis exorta eſt, hic non affuerint: quas neceſſe eſt, vt contentio finem accipiat, aduenire. Icciro commonemus* Berthwaldum *Archiepiſcopum fratrem noſtrum vt Synodum conuocet vnacum* Wilfrido, *&* Boſam *atque* Iohannem *in Synodum faciat conuenire, voceſque partium audiat, & conſideret quid ſibi inuicem partes valeant approbare: & ſiquidem apud illam Synodum potuerit rem determinare; gratum erit nobis. Sin autem moneat eos ad ſedem Apoſtolicam accurrere, vt maiori concilio decidatur, quod hactenus terminari non potuit. Sciat autem quod quicunque venire contempſerit, ſeipſum dejectioni ſubmittit, nec hic*

al. ſenum

nec ibi pro Epiſcopo amplius ſuſcipiendus. veſtra proinde regalis ſublimitas faciat concurſum, vt ea, quæ Chriſto aſpirante perſpeximus, perueniant ad effectum. quicunque autem cuiuslibet perſonæ audaci temeritate contempſerit, non erit à Deo impunitus, neque ſine damno cœlitus alligatus euadet.

Defuncto ergo *Alfrido, Edulfus* quidam tyrannidem meditatus furorem quoque male ſanæ mentis in *Wilfridum* euomuit, quaſi in vecordiam *Alfridi* iuratus eſſet. Cum enim eum pontifex quondam recordatus amicum eſſe, non inconſultum æſtimaret adire, adeo ſtultus efferbuit, vt eum continuo de regno ſuo exire iuberet ni omnibus ſuis exſpoliatus cum dedecore eiici vellet. Sed enim poſt duos menſes vita & regno priuatus captiuo diademate moribundus humũ pulſauit, proceribus regni filiũ *Alfredi, Ofredũ* ſolio reſtituẽtibus: quorũ & maximus fide & authoritate *Berthfridus* ſummonitus à *Berthwaldo* Archiepiſcopo conciliũ in Northanimbria fieri cõſenſit, vt tandẽ iuſta *Wilfredi* cauſa placabilẽ terminũ acciperet. ibi ex pręceptis Apoſtolicis data eſt optio Epiſcopis, vt aut *Wilfrido* in ſua Epiſcopatus ſede cederent, aut Romam pro ſua defenſanda cauſa pergerent, qui his reſultandũ putaret exors a cõmunione fieret. Epiſcopis ſuo more obnitẽtibus beatiſſima virgo *Elfleda* ſoror *Alfridi* Abbatiſſa poſt *Hildã* de 𝔖𝔱𝔯𝔢𝔫𝔢𝔰𝔥𝔞𝔩𝔥, terminum negotio fixit, dicẽs: Dimiſſis ambagibus teſtamentũ fratris mei, cui præſens interfui, profero: q. ſi conualeſceret iuſſa ſe Apoſtolicæ ſedis incunctanter facturũ promiſiſſe, vel quod morte interueniente facere nequiret, hæredi ſuo faciendum tranſmiſiſſe cognoſcitur. Tum * *Berfridus* verbis virginis conglutinans ſua: Ego iuſſionibus Papæ obediendũ cenſeo, inquit, præſertim cum eorũ robori accedat & regis noſtri iuſſio & noſtræ neceſſitatis ſponſio. namq; dum nos poſt mortẽ eius inimicis vrgẽtibus in 𝔅𝔢𝔟𝔟𝔞𝔟𝔲𝔯𝔥 incluſi eſſemus, in obſeſſionis anguſto, in vitæ periculo, vouimus Deo impleturos nos iuſſionẽ Papæ, ſi potuiſſemus euadere. Vix votũ finieramus, & fateor (ſacratiſſime archipræſul) ſtatim certant obſequela, omnis in noſtrũ aſſenſum accurrit prouincia. Puer regius in regẽ leuatus, hoſtis abactus, tyrannus extinctus. Eſt igitur regiæ volũtatis, vt Epiſcopus *Wilfridus* reueſtiatur: his dictis emotę diſſenſionũ nebulę, ſerenitas pacis infuſa: cucurrit epiſcopalis grauitas in amplexũ, & cõcordib. animis quantũ ſuperfuit æui exegit. Dimiſſis *Wilfrido* duobus cœnobiis, Ripis & Hengeſteldein; ille inconcuſſa pace potitus poſt 4. reditus annos, vt *Michael* Archangelus prædixerat, tẽtatus eſt eadẽ infirmitate, qua quondam in Meldis, tam valide, vt ſubito ſenſu & voce careret: Sed ſuis ad eum orãtibus vt ſaltẽ ad diuiſionem rerum ſuarum loquelam mereretur, reſumpſit ingenuę, vt & loqueretur cõtinuo, & poſt dies ſalutis vigore refuſo cuncta loca ſua * obiret. tũ pro frequẽtibus morbis vicinæ mortis nõ dubius, quicquid ante in aliquibus bonis tepidius feciſſe videbatur, suppleuit: præpoſitos omnibus cœnobiis ordinauit: gazas in quatuor diuiſit: vnã & eam optimã portionẽ Romanæ dandã Eccleſiæ, cuius authoritate cũctis ſemper iniuriis exemptus, & honorib. reſtitutus fuerit: q. & per ſe implere quãuis annis grauis meditaretur, niſi ferrea quies cogitantem anticiparet: ſecundam pauperibus: tertiam cœnobiorũ præpoſitis delegauit, qua potentiorum amicitiam redimerent, qua contrariorũ impetũ refringerẽt: quartam illis, qui laborum ſuorũ indiuidui comites, nec dum terras, quibus ſe ſuſtentarent, acceperant. Sic accepta licentia à Ripenſibus, quos præcipuo ſemper amore coluerat, & cæteris Northanimbris ad colloquiũ *Celredi* regis Merciorũ quo inuitabatur, ſimul vt & monaſteriorũ ſuorũ, quæ in illa regione plurima per indulgentiã regũ inſtituerat, quietẽ procuraret, profectus eſt. Ibi ergo cunctis circuitis & auctis, exacto anno & ſemis poſtquã ſecundo proximi obitus fuerat admonitus, apud Inſ. Inundalum languore irruente agitatus, extremũ diem ſibi ſenſit adeſſe: paucisq;, quantum vires ſuppetebant, alloquutus filios ſacramq; benedictionem impertiens, omnis vt videbatur expers angoris finem iniuit: receſſito iam à monachis pſalterio vſque ad illum verſum: *Emitte ſpiritum tuum & creabũtur &c.* exceſſit anno ætatis 76. 46. Epiſcopatus: vir pro iuſtitiæ merito multis iactatus periculis, quique in ipſis exiliis non otio deditus, ſed cœnobiis & Epiſcopatibus fundandis induſtrius eſſet: egregie factus ad promerẽdam gratiam principum, apud quos exularet, idemque pro rigore iuſtitiæ compatriotis regibus odioſus: reliquit cœnobia quot nullus, quæ ſolus aggregauerat, multis diuidens hæredibus. corpus eius in Ripis portatum, & multa reuerentia conditum: ea, qua efflauit hora cantus ſuauis auium & plauſus alarum in cœlum reuolantium auditus nec viſus. Id cum ſæpe in illa funeris pompa fieret, periti, qui aderant, voluerunt intelligi, quod eſſet Angelorum concio, quæ ad defunctum veniſſet ex promiſſio. Lauacro veſtis, ſuper quam corpus iacuerat tacta paralytica ſoliditatẽ recepit artuũ. Ædem, in qua obierat, cũ quidã incendere fuiſſent ingreſſi, ignis expauit: quin & viſus iuuenis ſpecioſus qui flammã ſummoueret. Plures poſt annos Ripis cœnobio deſtructo, Cantiam delatus *Wilfridus* inter præcipuos habetur inter primicerios honoratur.

al. Berfrithus.

al. ambiret

Verunta-

Veruntamẽ vt ad recenſionem epiſcoporum, quaſi poſt diuturnam digreſſionem, in callem regrediar: expulſo primitus (vt dictum eſt) *Wilfrido*, qui totius Northanimbrorum regionis erat epiſcopus, duo pro eo conſtituti ſunt:

In Eboraco *Boſa*. In Hauguſtald *Eta*.

Defunctoque *Eta*, *Iohannes* ordinatus pro eo. tẽpore vero *Alfridi* regis rediit in Epiſcopatum totum *Wlfridus* 5. annis, expulſis *Iohanne*, de Hauguſtaldo, & *Boſa* de Eboraco. Poſt 5. annos *Wlfrido* iterũ ab *Alfrido* expulſo, illi ſedibus ſuis reſtituti ſunt. Defuncto vero *Alfrido*, *Wilfridus* in concordiam receptus ſedem apud Hauguſtaldũ habuit, *Iohanne* in Eboracũ migrante, quia iã *Boſa* defunctus erat. *Iohannes* vir eximiarũ virtutũ notiſſimum prædicatorẽ habet *Bedã* in geſtis Anglorũ. Sed nec modo minor eſt laudibus ſuis, nec adhuc defunctus miraculis. celeberrimũ illud habetur quod habitatores Beuerley, quo loci iacet pro ſpectaculo ſoleant exhibere. *Tauri ferociſſimi, qui nodoſiſſimis vinculis aſtricti magno virorum fortiũ ſudore adducuntur, ſtatim vt cœmiteriũ ingreſſi fuerint, ita omni feritate ſopita conquieſcunt, vt oues ſimplicitate putes. Laxatis ergo nodis dimittuntur, per atrium proludere, qui ante quicquid obſtabat, ſolebant cornibus & pedibus impetere.*

Ei ſucceſſit in Eboraco *Wilfridus* presbyter ſuus, qui tranſcendit tẽpora *Bedæ*. nam cum illo anno quo obiit fuiſſe in Eboraco Epiſc. aſſeuerat, quocirca lis inextricabilis inter Cantuarienſes & Eborac. verſatur: quod dicant Cantuarienſes ſe *Wilfridum* ſeniorem habere, contra Eboracenſes contendant hunc minorem ab Archiepiſcopo *Odone* Cantiam tranſlatum.

Hoc defuncto emicuit in Pontificali ſpeculo *Egbertus* frater *Egberti* eiuſdem prouinciæ regis. Is & ſua prudentia, & germani potentia ſedem illam in genuinum ſtatum reformauit. namque, quod cuiuis geſta legẽti Anglorum in promptu eſt, *Paulinus* eiuſdem primus antiſtes vi hoſtilitatis loco pulſus, & apud Roueceſtriam diem obiens, ibidẽ illud inſigne pallii, quod ab *Honorio* Papa ſuſceperat reliquit. Cæteri poſt eum tantæ vrbis præſules ſimplici Epiſcopi vocabulo contenti nihil altius anhelarunt. At vero *Egbertus* inthronizatus animoſioris ingenii homo cogitans; *Quod ſicut ſuperbũ eſt ſi appetas indebita, ita ignauum ſi negligas debita*, pallium multa throni apoſtolici appellatione reparauit. Hic omnium liberalium artium armariũ (vt ita dicam) fuit, & nobiliſſimam Bibliothecam Eboraci cõſtituit. Cuius rei teſtem idoneum aduoco *Alcwinum*, qui dixit in epiſtola ad *Carolum Auguſtum*: *Date mihi exquiſitiores eruditionis ſcholaſticæ libellos, quales in patria habui, per bonam & deuotiſſimam magiſtri mei* Egberti *Archiepiſcopi induſtriam. Et, ſi placet excellẽtiæ veſtræ, remittã aliquos ex pueris noſtris, qui excipiant inde quæque neceſſaria, & reuehant in Franciam flores Britanniæ.* Sepultus eſt cum fratre ſuo in * vna porticu apud Eboracum, poſt 36. annos Epi- *al. ima.*
ſcopatus.

Huius ſucceſſor ſenex ſubſtitutus eſt *Eãbaldus*, præfati *Alcwini* diſcipulus induſtrius: vnde in epiſtola ad eundem dixit. *Laus & gloria Deo, qui dies meos in proſperitate bona conſeruauit, vt in exaltatione filii mei chariſſimi gauderem, qui laboraret vice mea in Eccleſia, vbi ego nutritus & eruditus fueram.* Præeſſe theſauris ſapientiæ: in quibus me magiſter meus dilectus Archiepiſcopus *Egbertus* reliquit hæredem. Ipſe eſt *Eanbaldus*, qui cum *Æthelardo* Archiepiſcopo Cantuarienſi mutuis probitatis officiis inuaſionem, quam *Offa* rex Merciorum ſuper Cantuarienſem Eccleſiam fecerat, ad nihilum redegit: quod *Alquinus* ſignificare videtur, in epiſtola ad eundem *Athelardum* ita dicens: *Audiens ſalutem & proſperitatem veſtram & conuentum cum Eboracenſi Epiſcopo filio meo* Eanbaldo *ſatis mihi placuit, ſperanti ex veſtræ colloquio ſanctitatis vnitatem ſanctæ Eccleſiæ recompaginari, quæ partim diſciſſa eſt, non rationabili conſideratione, ſed quadam poteſtatis cupiditate.* Poſt eum hi fuerunt Archiepiſcopi.

Wilfridus.
Wimundus.
Wlfere.
Ethelbald.
Rodewild.

Wlſtanus. Hic tempore regis *Eadmundi* fratris *Ethelſtani* pertinacioribus ſtudiis iram eius emeritus, quod Danis contra eum rebellantibus faueret, ita quietum & benignũ excitauit animum, vt eum in vincula coniiceret. Sed nõ multo poſt actus pœnitudine, & reſpectu clericalis reuerentiæ indemnem abire permiſit: quamuis ille ſibi datam veniam indignatus, vitam è veſtigio * exuit: *al. exierit*

Poſt eum *Oskitel* gradum accipiens honoris, floruit temporibus *Edredi*, & *Edwii*, & *Edgari* regum, habuitque ſucceſſores.

Oſwaldum

Edulfum.

Wlſtanum. Qui omnes Epiſcopi etiam Wigornienſes fuere hac de cauſa. *Oſwaldus* non exili progenie oriundus, vtpote *Odonis* Archiepiſcopi nepos, apud Floriacum in Gallia alteratus eſt in monachum familiari per id tempus Anglis conſuetudine: vt ſi qui boni afflati eſſent deſiderio in beatiſſimi *Benedicti* monaſterio cœnobialem ſuſciperent habitum, à quo religionis huiuſcemodi manauit exordium: In hoc ergo loco iuuentutis fregit lubricum, multis annis religioni & literis ſeruiendo. Et licet ab Archiepiſcopo inuitaretur, crebris reſtitit epiſtolis, prætendens cauſam nouitatis in veſte, teneritudinis in religione, nec niſi tarde venit, nuncio ægri iam diſcumbentis auunculi percuſſus. Iam ergo Dofris appulſus, vt defunctum audiuit, minimum abfuit, quin ſtatim Floriacum rediret, ſed admonitu ſociorum neceſſitudines parentum non negligendas, poſt iuſta ſancto Archiepiſcopo ſoluta, ad Archiepiſcopum Eboraceſem *Oskitellum*, quem proximo conſanguinitatis gradu attingebat, venit: eius dulcedine captus, non paucis annis religione & cõtubernio eius * fructus eſt. Interea *Dunſtanus* Wigornienſi & Londonienſi Epiſcopatibus decedens, Cantiam tranſiit, qui ſanctitatis & efficaciæ *Oſwaldi* non neſciens, Wigorniẽſem Epiſcopatum ipſi a rege impetrauit. Ille paulatim conſiderans in clericorum ibi conſiſtentium animis boni materiam ineſſe, ſi quis eam hortando animare & effigiare noſſet, non eos turbulente repulit, ſed ſanctiſſima circumuenit arte. Nam quod ſedes Epiſcopalis ſancti *Petri* famulabatur honori, alteram in eodem cœmiterio, in genetricis Dei nomine fecit Eccleſiam. Vbi dum monachos poſuiſſet, libentius cum eis conuerſari, familiarius diuina officia exercere. Quod videns populus, qui benedictionibus tam religioſi Epiſcopi carere nefas immane duceret, omnis eo accurrere. Ita clerici immedio relicti, maluerunt monachorũ veſtem ſuſcipere, quã ſibi diſpendio, plebi ludibrio eſſe. Ex eo tempore dedit locum * ianitrici cœli clauiger paradiſi pulchro inter cœlicolas cõmercio, zelo bono. huiuſcemodi rumoris aura multam *Oſwaldo* amicitiam apud regem conflauit & proceres: rex conſilio *Dunſtani* vacuatum Epiſcopo Eboracum viro impleuit, qui barbariem gentis moderari pro antiquo conuictu probe noſſet. Nec tamen Wigornienſi ſedi renunciare permiſſus eſt, ne monachorũ recens habitatio altoris ſui deſtitueretur fomento, optimates ſubmiſſi viro eſſe, certatim poſſeſſiones ad monaſteria, quæ nõ exſtabant, fundanda, ad ea quæ deciderãt, ſubleuanda offerre. De quibus, cum ſe locus obtulerit, quantum competere videbitur, dicam. Præterea literis excellentes viros in Angliam euocatos munificenter curare ne illo bono fraudaret patriã, ſine quo cętera bona pene mihi videntur inania. quorum vnus fuit *Abbo* Floriacenſis monachus, qui multam ſcientiæ frugem Angliæ inuexit, qui paſſionem *Edmundi* martyris iubente *Dunſtano* Archiepiſcopo, plenitudini literarum adiecit, is domum reuerſus poſtea, & ibidem Abbas conſtitutus ſeueritati religionis ſedulus extitit: quem morem cum in cella quadã cœnobii Floriacenſis, quæ in Waſconia poſita hodieq; ad regulam dicitur, exercere contenderet: non tulit Waſconia, ſed lancea exanimatum ſuperis tranſmiſere. At *Oſwaldus* multis annis vtriq; ſufficiens epiſcopatui, magis ad Wigorniam ventitabat: ſupervixit quinq; annis *Dunſtano*, decem *Ethelwaldo*: tantamq; ſui admirationem Angliæ prębuit, vt ſolus eos exhibere videretur, autoritate illum, efficacia iſtum ambos ſanctimonia. Pridie quam excederet, Wigorniæ pro foribus aſtans, diu ſuſpexit cœlum lętabiliter illachrymatus. Percunctantibus, qui aderãt, quid ita irreuerberato lumine aſpectaret, reſpondit. Sinite me fratres reſpicere, quo intendo pergere: velox eſt depoſitio corporis mei, & temp⁹ reſolutionis meæ inſtat. Mirati ſunt illi, quod nec ante aliquam ſuſpicionem ægrotantis dediſſet, ſed largiori curæ corporis indulſiſſet. Sed poſtero die cum pro more lotis pauperum pedibus diceret hymnum: *Gloria patri & filio, & ſpiritui ſancto*; in ipſa genu flexione vitali ſpiritu priuatus eſt. Tunc in eccleſia beatæ *Mariæ* ſepultus, poſt XII. annos ſignis diuinitus oſtenſis à terra elatus eſt. *Quid ſane miraculi ſit, quod toto corpore in puluerem aſſumpto, ſtola ſacerdotalis, qua fuerat amictus corruptela vſq; ad hunc diem damnum non ſentiat, Domini reſeruetur examini*? Succeſſit ei in vtraque ſede *Aldulphus* ex Abbate Burchenſi, ſanctus (vt perhibent) vir & reuerendus. Ipſi pro ſanctitate ignoſcitur, quod contra regulas canonum duas ſedes tenuerit, quod ſcilicet non hoc ambitione, ſed neceſſitate fecerit: *Wlſtano* non ita, qui ſanctitate diſcrepabat & habitu. licet *Aldulphus* Wigorniæ etiam Floriacẽſi monaſterio pro copia xeniorum, quibus *Oſwaldi* munificentiam æmulari ſategit, prædicandus.

al. fruitus · *al. genitrici Dei.*

Poſt *Wlſtanum* ſedem Eboracenſem *Elfricus*, Wigornienſem *Leſſius*. *Elfricus* tempore *Cnuti* & *Hardacnuti* fuit, haberturq; in hoc deteſtabilis, quod *Hardacnutus* eius conſilio fratris ſui *Haroldi* cadauere defoſſo caput truncari, & infami mortalibus exemplo in Tamenſem proiici iuſſit. Quin & Wigornienſibus pro repulſa epiſcopatus infenſus, author

Hardecnu-

Hardecnuto fuit, vt quod illi pertinacius exactoribus regiorum vectigalium obſtiterant, vrbem incenderet, fortunas ciuium abraderet.

Elfrico Kinſius. Illi quoque *Aldredus* ſuffectus eſt, ante ex monacho Wintonienſi Wigornienſis Epiſcopus: qui ſimplicitati *Edwardi* illudens, moremque anteceſſorum magis pecunia quam ratione allegans, Archiepiſcopatum Eboracenſem non intermiſſa priori ſede ſuſcepit. Diſpoſitoque apud regem conſilio Romam pertendit comitatus duobus electis epiſcopis, *Giſone* Wellenſi, & *Waltero* Herefordenſi: nec nō & *Toſtino* Comite Northambrorum. Comitem *Nicolaus* Papa gratioſe ſuſcepit, & cum in Synodo, quam contra Symoniacos coegerat, ſibi a latere aſſidere fecit. *Giſonem* & *Walterum* voti compotes reddidit, qui eſſent non vſquequaque contemnendæ ſcientię, & nullius notati ignominia Symoniæ. *Aldredum* ſuapte reſponſione culpabilem vtrobique repertum, omni honore ſeuerus exſpoliauit. Ita differenti effectu cum regrederentur, vna pariter ærumna omnes inuoluit: nam prædonibus irruentibus, præter ſimplices veſtes exſpoliatis omnibus, ad *nummum valens corporibus tamen illæſis Romam refugere. Hæc calamitas peperit *al. minimum.* *Aldredo* recuperandorum occaſionem honorum. *Toſtinus* quoque grauibus verborum contumeliis Apoſtolicum aggreſſus in ſententiam ſibi placitam reduxit, parum metuendam a longinquis gentibus eius excommunicationem, quam propinqui latrunculi deriderent. in ſupplices enim furere, in rebelles parum valere, aut ſua ſibi per eius authoritatem reddenda, quæ per eius fraudulentiam conſtaret amiſſa: futurum vt hæc rex Anglorum audiens tributum ſancti *Petri* merito *Nicolao* ſubtraheret, ſe non defuturum rerum veritati exaggerendæ. Hoc minarum fulmine Romani territi Papam flexerunt, vt *Aldredo* Archiepiſcopatum redderet, & pallium: eſſe impium, ſi & inglorius, & vaſtatus repatriaret. fecit ille, quod monebat ratio, hac moderationis libra adiecta, vt Wigornienſi ſedi proprius antiſtes accederet. abierunt ergo domum incolumes magna & diffuſa omnes Apoſtolici liberalitate de damno priori conſolati. Conſequuti ſunt abeuntes Romanorum legati, qui ſanctiſſimum *Wlſtanum* per conſenſum *Aldredi* Wigorniæ ordinarunt epiſcopum. Nec enim à *Stigando* tunc Cantuarienſi nomine tenus Archiepiſcopo quiſquam bonus Pontificale munus ſuſciperet, qui non per oſtium in ouile ouium intraſſet, qui quamuis ſæpe à ſede vocaretur Apoſtolica, tamen nunc dilationibus, nunc muneribus eludebat omnia, donec veniret rex *Willielmus*, quem nulla corrūpere poſſet tergiuerſationis aſtutia: is *Stigandum* palam notabilem reddidit, nolens ab eo ſacramentum regiæ benedictionis ſuſcipere: exhortatus *Aldredus* conſecrationem egit, exacto prius coram omni populo iureiurādo, quod ſe modeſte erga ſubiectos ageret, & æquo iure Anglos, quo Francos, tractaret: itaq; illum quamdiu erga ſuos temperiem habuerit, dilexit vt prolem, veneratus eſt vt regem. Sed cum importabilis tributi penſum à prouincialibus exigeret, conuenit eum per legatos antiſtes, quos ægre admiſſos cum turbulento reſponſo abegiſſet, non moratus ille maledictionis telum in illum & omnem eius vibrabat progeniem. Præfatus, Poſſe ſe maledictionem dare merito, qui benedictionē dediſſet immerito, quod cum relatū eſſet regi amicorum admonitione delinitus miſit, qui epiſcopum exorarent. Veruntamen præuenerat nuncios mors antiſtitis, qui ex ægritudine animi (vt plærumq; fit) contracto morbo decubuerat, & obierat. libertas animi eius in vno verbo enituit præclare, quod Anglice apponam, quob Latina verba non ſicut Anglica * concinnanti reſpondent. *Vrſus* erat *al. concinnitati.* viceecomes Wigorniæ a rege conſtitutus, qui in ipſis pene faucibus monachorum caſtellum conſtruxit, adeo vt foſſatum cœmiterii partem decideret. querela ad Archiepiſcopum qui tutor eſſet Epiſcopatus delata eſt: ille cum vidiſſet, *Vrſum* his verbis adorſus eſt. Hateſt thou Vrſe/ Haue thou Gods curſe: eleganter in his verbis, ſed dure nominum euphoniæ alludens; vocaris inquit Vrſus: habeas Dei maledictionem, & (quod Anglice non appoſui) meam, & omnium conſecratorum capitum, niſi caſtellum hinc amoueris: & ſcias profecto quod progenies tua non diu de terra ſanctæ *Mariæ* hæreditabitur. Dixit ille implēda, quæ nos videmus impleta. Siquidem non multis annis filius eius *Rogerius* paternarum poſſeſſionum compos, graui regis *Henrici* indignatione pulſus eſt, quod quendā ex miniſtris regiis præcipiti furore iuſſiſſet interimi. *Aldredo* defuncto, & in Eboraco ſepulto, clades illa, quā prædixi, ſequuta eſt è veſtigio, iuſſu *Willielmi* regis inflicta. Et tunc quidem omnis nobilitas popularis emarcuit falce belli demeſſa. Nam iam olim tempore Danorum monaſteria per totam prouinciam vice ſyderum micantia peſſum ierant. Stant adhuc ſemiruti parietes, qui ſint non delectationi oculo, ſed triſtitiæ monumento. ibi fuit olim apud Wiremuth monaſterium, *Beda* & multorum literatorum virorum nobile gymnaſium. Ibi Streneſhalh ſanctarum virginum choro, beatorum antiſtitum, & egregiorum regum mauſoleis inſigne, quod nunc Witebi dictum ſemiſopitos cineres in vitam

quorundam induſtria ſatagente ſuſcitat: inuentaque ſunt nouiter, & in eminentiam elata ſanctorum corpora; *Trumwini* Epiſcopi, *Oſwii* regis, & *Elfledæ* filiæ eius quæ eidem monaſterio poſt *Hildam* præfuit: nec non & illius monachi, quem diuino munere ſcientiam cantus accepiſſe *Beda* refert. Cuius non fuiſſe apud Deum populare meritum, miracula modo multa (vt ferunt) ſupernè demiſſa prætendunt indicium, vnde neceſſario illius prouinciæ monaſteria non euoluo, quod vetuſta omnino diruta, vel ſi noua, adhuc ignota. quãuis hoc opere non omnia per Angliam enumeranda ſuſceperim, niſi quæ ſint pro indigenarũ ſanctorum corporibus maioris famæ, altioris gloriæ. Huc accedit, quòd quædam noſtræ notitiæ occulit memoriæ vetuſtas, quædam conſtructionis nouitas: iſta prouinciæ longinquitas, illa ſanctorum in eis requieſcentium pro miraculorum raritate obſcuritas: quibus omnibus etſi ex neceſſitate ſtyli noſtri deeſt officium, parum tamen noſtrum ſuſpirabunt ſilentium, cum fuerint olim vel Dei voluntate vel ſua induſtria propalata. Interea dũ diuerſamur in hac prouincia, ſucceſſit animo Epiſcoporum Hauguſtaldẽſium, & ad candidã caſam, quod Anglicè Witerne dicitur, nõ reticere nomina: quia enim quondã Archiepiſcopatui Eboracenſi ſubiecti, ad tempus non excurrerunt noſtrum, rectè in referendo proprium non occupant locum, furtim ergo ſe Archiepiſcopis immiſceant, vt eorum contubernio ſociati commemoratione non careant. Hauguſtaldehem vocatur locus quinquaginta ab Eboraco milliaribus diſparatus, fiſco regio famulabatur, quando eum beatæ memoriæ *Wilfridus* à beatiſſima *Etheldritha* regina pro aliis poſſeſſionibus commutauit. Ibi ædificia minaci altitudine murorum erecta, & diuerſis anfractibus per cochleas circunducta, mirabile quantum expoliuit, arbitratu quidem multa proprio, ſed & cæmentariorum, quos ex Roma ſpes munificentiæ attraxerat, magiſterio. Ferebaturq; tunc in populo celebre, ſcriptisque etiam eſt inditum, nuſquam citra Alpes tale eſſe ædificium: nunc qui Roma veniunt idem allegant, vt, qui Hauguſtaldẽſem fabricam vidẽt, ambitionem Romanam ſe imaginari iurent adeo tot temporum & bellorum iniuriæ venuſtatem ædificiis non tulere.

Primus ibi fuit *Wilfridus* Epiſcopus, quo violenter eiecto, ſubrogati ſunt,

Eata.

Tumbert.

Iohannes.

At vero *Wilfrido* reuerſo, & poſt receptionem ſedis defuncto ſucceſſit *Acca*, vir imprimis induſtrius & ſanctus. Vtrarumq; rerũ aſtipulator eſt idoneus *Beda*, cuius inſtinctu & fauore multa (vt notum eſt) elaborauit volumina: veruntamen non proſperiore fortuna vſum, quam magiſtrum ex chronicis accepi: pulſumq; poſt obitum *Bedæ* triennio à ſede ſua, incertum an regreſſum.

Accæ Fredebert.

Ei *Tilbert.*

Ipſi quoq; *Ethelbreth* ſucceſſit. adhunc & congregationem eius eſt epiſtola *Alcuini*, in qua inter cæteras dicit, *O nobiliſſima progenies ſanctorum patrum, illorum honoris, venerabiliſq; vitæ ſucceſſores, & pulcherrimorum habitatores locorum, veſtrorum ſequimini veſtigia patrum: vt de his pulcherrimis habitationibus ad horum, qui nos genuerunt, æternæ beatitudinis conſortium peruenire mereamini.* Poſt *Ethelbrethum* tres tantum Epiſcopi Hauguſtaldenſes fuere.

Herdred.

Eambertus.

Thiffriddid. Exercitus enim Danorum, qui iam tempore *Alcuini* metuebatur, vt alias diximus & dicemus, veniens habitatoribus exſtinctis vel effugatis habitaculorum tecta ſuccendit, & ſecreta cœlo expoſuit. Nunc eſt Hauguſtaldem villa Archiepiſcopi Eboracenſis.

EPISCOPI CANDIDAE CASAE.

Candida Caſa vocatur locus in extremis Angliæ iuxta Scotiam finibus, vbi beatus cõfeſſor *Nima* requieſcit, natione Britto, qui primus ibidem *Christi* prædicationem euangelizauit. Nomen loco ex opere inditum, quod eccleſiam ibi ex lapide polito Brittonibus miraculum fecerit. Sanctum hunc *Nimam* præclarum virtutibus experta eſt antiquitas. Scribit *Alcuinus* in epiſtola ad fratres eiuſdem loci dicens: *Deprecor veſtræ pietatis unanimitatem vt noſtri nominis habeatis memoriam in Eccleſia ſanctiſſimi patris veſtri* Nimæ *epiſcopi, qui multis claruit virtutibus, ſicut mihi nuper delatum eſt per carmina metrica artis, quæ nobis per fideles noſtros diſcipulos Eboracenſis eccleſiæ ſcholaſticos directa ſunt, in quibus & facientis cognoui eruditionem, & facientis miracula ſanctitatem.*

Ibi ſub extremo *Bedæ* tempore primus factus eſt Epiſcopus *Pethelmus*, qui multo ante tempore in Weſtſaxonia commoratus ſanctiſſimi *Aldelmi* diſcipulatui intereſſe meruerat: eum ſubſequuti ſunt.

Frethewald.

Pecwine.

Ethelbrith.

Beadulf. nec præterea plures alicubi reperio, quod cito defecerit Epiſcopatus, qui extrema Anglorum in ora eſt, & Scottorum vel Pictorum depopulationi opportuna. His igitur, quæ prætermittere conſilium non erat, decurſis, ad Eboracum regredietur oratio.

Anno ab incarnatione Domini, 1076. *Thomas* Canonicus Baiocenſis à *Walhelmo* rege Archiepiſcopus Ebotaco datus eſt, permanſitq; in honore 30. annis omni vita integer, & cui nihil vel in geſtis, vel in dictis ſuccenſeri debeat, niſi quod primo Archiepiſcopatus tempore in cauſa Primatus Cantuarienſis magis èrrore quam pertinacia certauit: cuius rei exitum liber geſtorum Pontificalium abſoluit. elegantia perſonatus ſpectabilis deſiderio videntibus erat, iuvenis vigore & æqualitate membrorum commodus, ſenex viuido faciei rubore & capillis cygneus. liberalitate ſua ſucceſſores ſuos contriſtauit, vt qui multam Epiſcopalium terrarum partem in clericorum vſum nimie (vt dicunt) prodigus diſtraxerit, clerum ſufficientem opibus & literis adunauit, Eccleſiam à fundamẽtis inchoatam conſummauit. cœlibatum eius nunquam ſiniſter rumor aſperſit; Philoſophus antiquis ſcientia comparandus, nec elatus ſermone, & vultu comis, moribus dulcis. Nec cantu, nec voce minor multa Eccleſiaſtica compoſuit carmina. Si quis in auditu eius arte ioculatoria aliquid vocale ſonaret, ſtatim illud in diuinas laudes effigiabat: illud apud clericos quam maxime agere, vt maſculam in Eccleſia muſicam haberent, *nec quicquam*, effeminate diffungentes, *tenero*, vt Perſius ait, *ſupplantarent verba palato.* Æuo igitur & honore ſeculi & gratia Dei abunde plenus obiit anno primo *Henrici* in Nouembri, cum eum antea in Auguſto ad regem coronaſſet propter abſentiam Cantuarienſis Archiepiſcopi.

Nec mora *Girardus* nepos *Walchelmi* Epiſcopi Wintonienſis, qui erat Epiſcopus Herefordenſis, electus eſt, & introductus in Archiepiſcopum, qui dum cunctatur ſubiici Primati Cantuarienſi, has ei literas miſit *Paſchalis* Papa. Paſchalis *Papa, ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri Eboracenſi Archiepiſcopo*, Girardo *ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quanquam praue contra nos, imo contra matrem tuam ſanctam Romanam Eccleſiam te non ignoremus egiſſe: præſentibus tamen tibi literis mandamus, vt profeſſionem venerabili fratri noſtro* Anſelmo *Cantuarienſi Archiepiſcopo facere nõ negligas. Audiuimus enim* Thomam *quondam prædeceſſorem tuum ex hac eadem re contentionem mouiſſe & cum in præſentia domini* Alexandri *Papæ ſecundi ventilata eſſet, ex præcepto eius definitione habita poſt varias adquiſitiones* Lanfranco *prædeceſſori ſuo & ſucceſſoribus ſuis eandem profeſſionem feciſſe. Vnde & nos, quod tunc temporis definitum eſt, volumus authore Deo firmum illibatumque ſeruari.* Hanc epiſtolam directam ſibi *Girardus* nõ legit, quia neceſſe non fuit. Præuenerat ipſo iuſſum Apoſtolicum, & hortatu regis *Anſelmo* in manum dederat ſeruaturum ſe ipſi eandem profeſſionem in Archiepiſcopatu Eboracenſi, quam fecerat in Epiſcopatu Herefordenſi. Nequitia, qua cum Papa notat, hæc fuit, quod à Roma cum pallio regreſſus, mendacio ſuo ſedem Apoſtolicam infecit dicẽs regi, quod ſi ſe in aliis Eccleſiaſtice ageret, inueſtituras Eccleſiarum fieri æquanimiter Papa toleraret. literarũ non neſcius, in eloquentia diffuſus. Deceſſit inſperate, morbo quidem ſed leui antea tactus. Nam cum aliquantulum æger in quodam viridario domui ſuæ vicino cubitaret, vt ſalubriore aura, quã ſuaue halantes herbarũ flores animarent, foris frueretur, iuſſit vt aſtantes domum ſecederent, corporis curæ interim prouiſuri. Abierunt illi, & poſt epulas reuerſi, fleuerunt dominum exanimem. Vtinam hæc rumor finxerit, nec homo Pontificalis gratiæ ſic obierit: certe canonici Eboracenſes, ne in eccleſia ſepeliretur, pertinaciſſime reſtitere, vix ignobilem ceſpitem cadaueri pro foribus inıici paſſi.

Quamuis poſt aliquot annos *Thomas* ſucceſſor eius indignitatẽ facti leniens, in Eccleſia ipſum iuxta prædeceſſores ſuos eminentiſſime tumulauerit. Is filius *Samſonis* Wigornienſis Epiſcopi, dum in Archiepiſcopatum electus ad conſecrationẽ ſuam ſuſcipiendam pro more Cantuariam venire inuitaretur ab *Anſelmo*, primo benigne reſpondit, grates ſe quod vocaretur agere, ſed inducias petere ad tam magnum apparatum immodico ſumptu opus eſſe. ſecundo accitus, vi ſe & rationibus ſuorum clericorum teneri renunciauit. tertio etiam per Epiſcopos Londonienſem & Roffenſem conuentus, omnino negauit. Quare *Anſelmus* cum de conſilio *Thomæ Paſchalem* Papam certum feciſſet, & defectus ipſe corporis viribus cœleſte iter acceleraret, ſcripſit *Thomæ* Epiſtolam, quam & Epiſcopis omnibus Angliæ ſingulam ſingulis cum ſuo ſigillo miſit, vt ſcirent qualiter erga

Thomam agere deberent. Anſelmus miniſter Eccleſiæ Cantuarienſis Thomæ electo Archiepiſcopo Eboracẽſi. Tibi Thoma in cõſpectu Dei Omnipotentis ego Anſelmus Archiepiſcopus Cãtuariæ & totius Brittanniæ Primas loquor, loquens ex parte ipſius Dei: ſacerdotale officium, quod meo iuſſu in parochia mea per ſuffraganeum meum ſuſcepiſti, tibi interdico, atque præcipio, ne te de aliqua cura paſtorali vllo modo præſumas intromittere, donec à rebellione, quam contra Eccleſiam Cantuarienſem incepiſti, diſcedas, & ei ſubiectionem, quam anteceſſores tui, Thomas videlicet, & Girardus Archiepiſcopi ex antiqua anteceſſorum conſuetudine profeſſi ſunt, profitearis. Quod ſi in his quæ cœpiſti, magis perſeuerare, quam ab iis deſiſtere delegeris, omnibus Epiſcopis totius Brittanniæ ſub perpetuo anathemate interdico, ne tibi vllus eorum manus ad promotionem Pontificatus imponat. vel ſi ab externis ordinatus fueris, ne pro Epiſcopo iidem in aliqua Chriſtiana communione ſuſcipiant. Tibique Thoma ſub eodem anathemate ex parte interdico Dei, vt nunquam benedictionem Epiſcopatus Eboracenſis ſuſcipias, niſi prius Profeſſionem, quam anteceſſores tui videlicet Thomas & Girardus Eccleſiæ Cantuarienſi fecerunt, facias. Si Epiſcopatum Eboracenſem ex toto dimiſeris, concedo vt officio ſacerdotali, quod iam ſuſcepiſti, vtaris. Erat enim Rex Normanniæ, qui cum in regnũ rediiſſet, ventilare cauſam cœpit. Lecta eſt ante eum Epiſtola prohibitionis Anſelmi, & ab Epiſcopis omnibus ſuſcepta & approbata; quamuis ſuſceptionem eius ad Regalis potentiæ contemptum retorquere Comes de Mellento viſus eſſet. Tantus autem Epiſcoporum fuit conſenſus non refragante & patre Thoma Wigornienſi antiſtite, vt mallent omni honore ſpoliari, quam præcepta patris ſui Anſelmi tranſgredi. confirmauit religionem illorum principalis aſſenſus, cum ſubiecit: Quicquid aliorum ſententia feret, ego patris Anſelmi excommunicationi nec ad horam ſubiacere aliquatenus volo. Itaque quia præter Epiſtolam Anſelmi ſunt priuilegia ſedis Apoſtolicæ, ſunt definitiones ante patrem meum & matrem cum conſilio totius regni ſtatutæ, quibus authoritas Cantuarienſis Eccleſiæ nititur: eligat Thomas aut ſubiectionem Eccleſiæ Cantuarienſi facere, aut Epiſcopatui valefacere. Ceſſit ille non rationi ſed potentiæ, factaque profeſſione ſubiectionis ſuæ Cantuarienſi Eccleſiæ: ſuſcepit à miniſtro Richardo ſcilicet Lõdonienſi Epiſcopo, quod detrectauerat ſuſcipere à magiſtro. De facilitate ergo credulitatis in clericos ſero doluit, exulceratam quantum vixit deferens conſcientiam, quod benedictione Anſelmi fuerat priuatus. Erat tunc temporis in Anglia Odolricus quidam Cardinalis, qui pallium Eboracenſis eccleſiæ attulerat per Anſelmi conſilium dandũ. Sed cum eum iam obiiſſe inueniebat, hærebat animo incertus quid faceret. Sedata ergo omni per poteſtatem regis controuerſia, decretum eſt, vt Eboracum ab eodem Cardinali deportaretur pallium. Factum eſt, & redimitus Thomas pallio in Archiepiſcopum enituit, expers (vt credebatur) ab adoleſcentia fœminarum, ſed & obſcœnitatum omnium, dapſilis exemplo ſui ad omnes, prædicandæ pietatis & fauoris in clericos. deceſſit iuuenis vix 14. annis fũctus gradu.

Succeſſit Thurſtanus prædicandæ conſtantiæ clericus. Qui cum poſt aliquot annos acceptæ electionis profeſſionem Radulfo Archiepiſcopo Cantuariæ facere nollet, volentẽ rege vltro Archiepiſcopatu ceſſit. Sed clericorum ſuorũ monitu poſtea Romã profectus hanc Epiſtolam meruerat. Paſchalis Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Henrico illuſtri regi Anglorum, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Nos authore Deo de probitate tua non tantum bona ſed meliora confidimus. Idcirco monemus excellentiam tuam, vt diuinæ gratiæ memor ſemper exiſtas, qui tibi & regni pacem & iuſtitiæ notitiam tribuit. Honorem igitur Dei & Eccleſiarum eius in regno tuo diligenter obſerua, & iuſtitiam efficaciter exequere; quia per honorem Dei tuus profecto augebitur. Audiuimus Electum Eboracenſem virum ſapientem & ſtrenuum ſine iudicio ab Eboracenſi Eccleſia ſequeſtratum, quod nimirum diuinæ iuſtitiæ & ſanctorum patrum inſtitutionibus aduerſatur. Nos quidem neque Cantuarienſem Eccleſiam minui, neque Eboracenſem volumus præiudicium pati, ſed eam conſtitutionem, quæ à beato Gregorio Anglicæ gentis Apoſtolo inter eaſdem eccleſias conſtituta eſt, firmam cenſemus illibatamque ſeruari. Idem ergo Electus, vt iuſtitia exigit, ad ſuam Eccleſiam omnimodis reuocetur. Si quid autem quæſtionis inter eaſdem Eccleſias naſcitur, præſentibus vtriſq; partib. in noſtra præſentia pertractetur. Hac epiſtola fretus Turſtanus, ſedem ſuam repetiit libens. Augebatur indies diſſidium inter eum & Radulphum Archiepiſcopum, quia Radulphus nullis delinimentis, nullis minis adduci potuerat, vt ei manus imponeret, niſi profeſſionem faceret, nec Turſtanus id ſe facturũ pro capitis periculo, pollicebatur. Succeſſori ergo Paſchalis Papæ Gelaſio citra montes venienti ambo ſtatuerunt occurrere, cauſarum ſuarum patrocinio affuturi. Sed mors Apoſtolica non diu prolongata tardauit eorum impetum, donec Calixtus, qui ei ſucceſſerat, Rhemis ad celebrandum venit concilium. Eo Turſtanus impiger contendit, pollicitus regi nihil ſe contra decus Eccleſiæ Cantuarienſis moliturum. Quod mox, vt opportunum vidit, oblitus effregit; ab Apoſtolico contra omnes conſuetudines maiorum benedictionem epiſcopalem ſuſcepit. Pręceſſerat

ceſſerat ſane *Turſtanum* ad Papam Legatus regis, idemque frater *Radulfi Sefredus*, poſtea Ciceſtrenſis Epiſcopus, denunciaturus Papæ, ne vllo modo *Turſtanum*, aut ipſe ſacraret, aut ab aliquo niſi a Pontifice Cantuariorũ ſecundum antiquum morem ſacrari permitteret. Et ſi contra hoc ipſe Apoſtolatus ſui iure niti vellet, certus exiſteret, quia nec pro amiſſione coronę ſuæ propoſitum ſuũ in hac cauſſa mutaret. His reſpondit Apoſtolicus, *Ne putet Rex me de quo agit negotio aliter acturũ, quam ipſe velit. Neque enim voluntas mea vnquã me tulit, vt Cantuarienſis Eccleſiæ dignitatẽ, cui tot præclari patres (vt pene toti mundo notiſsimum eſt,) præſederunt, quoquo modo humiliem.* His blanditiis perſuaſus Legatus reditum maturauit. Poſt cuius diſceſſum Apoſtolicus Romanorum iuſſis obnoxius, qui in amicitiam *Turſtani* tranſierant, eum ſacrauit, palam illud interdicente *Iohanne* archidiacono Cantuarienſi. reſponditque ei Apoſtolicus: nullam iniuſtitiam Eccleſiæ Cantuarienſi volumus facere, ſed ſalua iuſtitia & dignitate illius, quod propoſuimus, exequamur. Friuolũ id audientes iudicauerũt, cum diſſideret factum a dicto. Hoc audito rex *Turſtano* interdixit omnem dominationis ſuæ terram. Quam ſeueritatem nec tunc voluit diminuere, cum eum apud Giſortium præſens appellaſſet Apoſtolicus, aſſerens ſe de fide, qua ſe Rex obligatũ eſſe dicebat, eum authoritate beati *Petri* ſoluturum. Quod cum fruſtra fuiſſet, tunc quidem rex impacatus remanſit. Sed ſequenti anno, cum iam præfatus Papa in ſede Apoſtolatus corroboratus, liberius, quæ vellet, diſponeret, miſit Epiſtolam, qua videbatur, vt aut *Turſtanus* Epiſcopatu ſuo poriretur, aut rex anathemate, & Pontifex Cantuarienſis ſuſpenſione ſacerdotalis officii plecteretur. Hic metus coegit regem cœptis deſiſtere: receptus eſt *Turſtanus* in ſede. Ita ille quamuis *Radulphus* & ſucceſſor eius *Willielmus* multa conarentur, multa effunderent, omnes eorum allegationes inſtãtia ſua diſſoluit, & irritas fecit. Obiit ſanctiſſime poſt exactũ quadriennium mortis *Henrici* regis abrenuncians prius epiſcopatui, & monachus factus apud pontem fractum, cellam Cluniaci.

DE EPISCOPIS LINDISFARnenſibus & Dunelmenſibus.

EX omnibus, qui quondam in Northanhimbria epiſcopatibus poſiti, principatum Eboracenſem ſuſpiciebant, ſolus ille, qui apud Lindisfarne fuit, remanſit. Lindisfarne eſt Inſula exigua, quæ nunc a prouincialibus Halieland vocatur, quam ſanctiſſimus *Aidanus* appetitor ſilentii & ſanctæ paupertatis in ſedem epiſcopatus, ſpreta illa Eboracenſis frequentiæ pompa, elegit. Viri tenuitatem & modeſtiam ſecuti ſunt ſucceſſores eius,

Finanus. Colmannus. Tuda. Eata.

Celeberrimus & illibato corpore adhuc pauſans eximius *Cuthbertus*, qui ſolus hanc gratiam meruit, quod nunquam eius incorruptio vel in quæſtionem venerit.

Edberthus, qui pro maximæ ſanctitatis prærogatiua meruit in tumulo ſepeliri, quem anteceſſor ſuus fœliciſſimæ memoriæ 11. annis integro conſecrauerat cadaueri. Euentum cito ſequuturæ mortis & ſepulturę prædixit ipſe allatis ad ſe ſacratiſſimis induuiis, quæ tot annis infoſſæ labem putredinis euaſerant. Hæc *Beda* in vita *Cuthberti* latiſſime exequitur.

Edfridus, cuius iuſſu & rogatu idem hiſtoriographus fœlicem *Cuthbertum* tam oratione rhetorica, quam dulcedine metrica extulit.

Ethelwoldus.

Cinewlfus.

Higebaldus. Huius tempore depopulati ſunt Dani Inſulam, vt nec ſacroſanctis parcerent altaribus, ſicut manifeſtum facit Epiſtola *Alchwini* ad eundem in hunc modum. *Beatiſſimi patris* Cuthberti *Epiſcopi in* Chriſto *filiis* Hingobaldo *Epiſcopo & omni congregationi Lindiſfarnenſis Eccleſiæ* Alchwinus *diaconus ſalutem. veſtræ charitatis familiaritas me multum lætificare ſolebat, ſed verſa vice veſtræ tribulationis calamitas licet abſentem multum me contriſtauit quod Pagani contaminauerunt ſanctuaria Dei & fuderunt ſanguinem ſanctorum in circuitu altaris, calcauerunt corpora ſanctorum in templo quaſi ſterquilinium in platea. Quæ eſt fiducia Eccleſiis Britanniæ, ſi ſanctus* Cuthbertus *cum tanto ſanctorum numero ſuam non defendit Eccleſiam? &c.* Quibus hortatur, ne à moribus anteceſſorum degeneres veſtium luxui & gulæ intemperiei profeſſionis ſuæ reuerentiam decolorent. per tranſgreſſionem diuinæ legis accidiſſe talia, acceſſuraque deteriora, ſi perſeuerandum in vetitis putauerint. Adiicit etiam in Epiſtolæ calce, *Cum Dominus noſter Rex* Carolus *hoſtibus per miſericordiam Dei ſubditis domum reuerteretur, nos Deo iuuante ad eum venire diſponimus, & ſi quid tunc vel de pueris, qui in captiuitatem ducti ſunt à Paganis, vel de aliis neceſſitatibus noſtris proficere poterimus, diligenter ad effectum producere curabimus.* Item ad Ethelredum regem. *Ecce Eccleſia ſancti* Cuth-

al. Northanimbrorum.

al. Bubedford.

berti *ſacerdotis Dei ſanguine aſperſa omnibus ſpoliata ornamentis, locus cunctis in Brittannia venerabilior Paganis gentibus datur ad debellandum. Et vbi primum poſt diſceſſum ſancti* Paulini *ab Eboraco Chriſtiana religio in* * *Northambrorum gente ſumpſit exordium, ibi miſeriæ & calamitatis cœpit initium.* Quapropter penſato conſilio decretum eſt, vt ab Inſula illa, quæ eſſet maritimorum prędonum hiatibus expoſita, corpora ſanctorum in continentem transferrentur. Tunc beatum magni *Cuthberti* corpus cum quidam religioſo (vt putabant) furto Hiberniam tranſvehere ambirent, perdiderunt fructum operæ, dum aut multis diebus ventum operirentur in littore, aut flatu aliquantum concitatiore in altum prouecti, ſtatim repellerentur. Quocirca cum honore debito ſacrum corpus apud * Bulbeford, incertum an Epiſcopatus ſedem depoſuere iuxta amnem Twyda. Iacuit ibi multis annis vſque ad aduentum *Ethelredi* regis. Nec tamen interim in adiutorio prouincialium feriabatur, ſed per totam Angliam vagabatur miraculis; quorum vnum ſi retulero, non ab re vt æſtimo fecero, eo inſignius, quo illud in clariſſima perſona oſtenſum totius Anglię libertatem reduxit, ſeruitutem exuit. Erat Rex *Elſredus* barbarorum infeſtatione ad hoc redactus inopiæ, vt in Inſula quadam paruiſſima quæ vocatur Adeligei lateret inglorius. Dixi ſuperius de hac Inſula in geſtis Pontificum Wellenſium. Ibi ergo quadam die cum domi ſoporatus iaceret, (dolor enim animi ſomnum impetrauerat) ſociis per oram fluminis diſperſis ecce beatus *Cuthbertus* dormientem alloquitur. *Ego ſum* Cuthbertus *Lindisfarnenſis quondã antiſtes. Miſit me Deus, vt proſpera tibi annuntiem. Quia enim Anglia iamdudum peccatorum pœnas enormiter luit, modo tandem indigenarum ſanctorum meritis ſuper eam miſericordiæ ſuæ oculo reſpexit. Tuquoque tam miſerabiliter regno extorris glorioſe poſt paucum tempus in ſolio reponeris, Atque adeo ſignum eximium tibi dabo. Venient hodie piſcatores tui magnam vim grandium piſcium corbibus euehentes. Quod eo erit mirabilius, quia his diebus gelante aqua ſtagnum aſperatum nihil tale ſperari permittet. Super hac gelido rore ſtillans aer omnium piſcantium artem eludit. Verum tu fortunæ ſecundæ vere compos regaliter feceris, ſi adiutorem tuum Deum & me eius nuncium competenti deuotione demerueris.* Hæc dicens ſanctus regem ſoporatum ſollicitudinibus exuit, matremque prope cubantem eiuſdem nuntii lætitia confortauit. Experrecti ambo vnum & idem ſe ſomniaſſe frequenti recurſu verborum iterabant: cum piſcatores ingreſſi copia innumerabili piſcium fidem ſomnio fecere. Nec multo poſt ille regnum & regni gloriam ſuſcepit, vt latius in geſtis diximus. *Hingebaldo* hi ſucceſſere:

Egberth.
Erdulf.
Cutheard.
Milred.
Witred.
Sexhelm.
Aldredus.
Alſius.
Aldum.

al. Ethelredo.

Eadmund, qui quantumuis mirabili caſu in Epiſcopum creatus eſt. Electio enim olim præſulum & Abbatum tempore Anglorum penes clericos & monachos erat. Monachi ad corpus ſancti *Cuthberti* non ſeruiebant, quamuis Epiſcopi conſuetudinaliter Monachi eſſent, ad exemplum ſanctiſſimi patris, qui monachus clericis præfuerat. Defuncto ergo *Aldulmo* antiſtite, clerici conſederant de rectoris futuri electione conſultantes: nec (vt fit in talibus) quicquam certi pro ſchiſmate partium definientes. Tum *Eadmundus*, quẽ nullus accerſendum putauerat, cunctantibus ſuperueniens, conſuetaque vſus facetia, me (inquit) accipite, & Epiſcopum facite. Illi omnes quaſi diuinitus accenſis ſpiritibus rapuerunt ex ore eius verbum quaſi diuinum miraculum. ſtupentemque & dicti pœnitentem, vtpote qui mallet luſum pilæ, quam vſum cuculli, monachum fecerunt, & regi * *Egelredo*, qui tunc regnabat, in Epiſcopum ſibi poſtulauerunt. omine fœlici fuit hæc facta proluſio, vt commemorant indigenæ loci. Regis enim ſerenitas, quod petebatur, annuit, & propitia diuinitas, quod ſperabatur, impleuit. Sub eo enim præſule multum in modũ Eccleſiæ promouit proſperitas. Corpus ſanctum delatum Dunelmum, baſilica ibidem à fundamentis conſummata; multa prætera, quæ nullo vnquam apud ciues æuo fallax conſumet obliuio. Dunelmum eſt collis, ab vna vallis planitie paullatim & molli cliuo turgeſcẽs in tumulum: & licet ſitu edito & prærupto rupium omnem aditum excludat hoſtium, tamen ibi moderni collibus impoſuerunt caſtellum. Ad radices pedis caſtelli defluit amnis piſcoſus, & vt plæraque & omnia pene Northambriæ flumina. ita enim *Iſicius* in partibus Occidentalib. & Aquilonalibus Angliæ ſuperfluit, vt ruſtici proiectis piſcibus ſues paſcãt.

Poſt

Poſt *Eadmundum* fuerunt, *Edred.*

Egelwinus.

Egelricus, quorum vltimus ſub rege *Willielmo* rebellionis accuſatus, quod turbaſſet pacem regiam piraticam adorſus, perpetuo exilio Weſtmonaſterium deportatus eſt. Ibi quantum vixit voluntaria inedia & lachrymarum affluentia præteritos reatus attenuans & diluens, ſanctitatis opinionem apud homines concepit. Deniq; ab iis, qui eum viderũt, poſteris memoriam tradentibus, hodieq; tumulus eius nec votis nec frequentia petitorum caret.

Superpoſitus eſt adhuc viuenti *Walkerus*, qui eſſet dux pariter prouinciæ & Epiſcopus, frænaretq; rebellionem gentis gladio, & reformaret mores eloquio. Qui dum id exequeretur ſedulo, indigne peremptus occaſionem dedit Regi, vt prouinciæ illius *prouincias, quæ aliquantulum reſpirauerant, funditus exterminaret. Cauſa cædis hæc fuit. Præfecerat Epiſcopus, rebus forenſibus *Gilebertum* cognatum, interioribus *Leobinum* clericum, ambos in rebus commiſſis ſtrenuos, ſed effrænes. Tolerabat Epiſcopus eorum immodeſtiam gratia ſtrenuitatis inductus. Et quia eos eleuarat, cumulum benignitatis augebat. *Indulget enim natura ſibi, placidoq; fauore aſſentatur ſuis ipſa muneribus.* Is *Leobinus Liulfum* beatiſſimi *Cuthberti* miniſtrum adeo dilectum, vt ipſe Sanctus coram vigilanti aſſiſtens placita imperaret, hunc inquam *Leobinus* per *Gilebertum* obtruncari fecit, liuore ictus quod amplioris amicitiæ locum apud Pontificem pro ſcientia & æquitate iudiciorum haberet. Perculſus nuncio *Walkerus* parentelæ furenti defuncti legalis placiti iudicium obtulit, proteſtatus *Leobinum* ſuæ ſuorumq; necis authorem. vbi ventum ad placitum, nullis effera gens rationibus emolliri potuit, quin in Epiſcopum referret culpam, quod ambos homicidas poſt necem *Liulfi* in curia eius familiariter diuerſatos vidiſſent. Surrectum ergo in clamores & iras, & *Gilebertus* de Eccleſia, in qua cum Epiſcopo aſſederat, vltro egrediens, vt ſuo periculo vitam domini mercaretur, impie occiſus eſt. Præſul etiam pro ianuis prætentum ramum præferens neci datus, fomeſq; mali *Leobinus* ſemiuſtulatus; quod niſi cremata Eccleſia exire nolebat exiliens mille lanceis exceptus eſt. Prędictum id ab *Edgitha* Regina relicta Regis *Edwardi*. Quæ cum vidiſſet *Walkerium* Wintoniæ ad conſecrandum duci cæſarie lacteolum, vultu roſeum, ſtatura prægrandem, pulchrum (ait) hic Martyrem habemus, coniectura videlicet immoderatæ gentis ad præſagiendum inducta. Hunc exitum vitæ tulit *Walkerus*, vir neque immodeſtus neque illiteratus, qui canonicos Monachili ſeruitio aſſuetos, quod ſemper Monachum habuiſſent Epiſcopum, ad vſum clericorum redegit.

Succeſſit ei *Willielmus* ex Abbate Sancti *Karileſi*, qui Monachos Dunelmo poſuit; potens in ſeculo & oris volubilitate promptus, *maximus ſub *Willielmo* rege iuniore. quapropter & amicorum cohorti additus, & Angliæ prælatus, non permanſit in gratia. Quippe nullis principis dictis vel factis cõtra eum exiſtentibus, ab amicitia deſciuit, in perfidia *Odonis* Baiocenſis & cæterorum ſe immiſcens. Quapropter victis partibus ab Anglia fugatus poſt duos annos indulgentia principis rediit. Epiſcopatu ergo reſumpto ſedulo agebat, vt in antiquum reſumeretur amorem, ſpectatoq; regis ingenio quocunq; ille vergendum putaſſet, & ipſe vergere. vnde factum eſt, vt in turbine, qui inter *Anſelmum* & *Willielmum* ſurrexit maximas contra Archiepiſcopum turbas iſte ſignifer excitaret: Sperans (vt aiunt) vel alliciendam regis gratiam, vel ſe pro *Anſelmo* fore Archiepiſcopum. ſed enim vtroq; excidit. Nam non multò poſt orto inter ipſum & regem diſſidio ægritudinem apud Gloceſtriam incurrit. ibi tunc erat curia, & iuſſus eſt Epiſcopus exhiberi, vt cauſam ſuam defenſaret. Cui cum reſponſum eſſet infirmitate detineri, quo minus veniret: per vultum de *Luca* fingit ſe inquit. Enimuero ille vera valetudine correptus morti appropinquabat. Cumq; confidentes Epiſcopi iudicaſſent, vt in Eccleſia Dunelmi, quam ipſe magnifice inchoauerat, ſepeliretur, reſumptis viribus hæc verba ſpirauit. non placeat Deo, vt pro me mutetur vel minuatur Domini mei ſancti *Cuthberti* reuerentia, pro cuius honore nullus vnquam anteceſſorum meorum in Eccleſia humatus eſt: ſed in capitulo me ponite. Defunctus ergo Dunelmumq; delatus pulchrũ ſuæ induſtriæ monumentũ apud Monachos habet, quod & eos congregauerit, & tam libris quam cæteris ornamentis Eccleſiam decorauerit, quin & Priorem loci hoc inſigni extulerit, vt in toto Epiſcopatu Decanus & vicedominus eſſet.

Quod cum *Turgotus* ab eo Prior conſtitutus ſeuerius exequeretur, ita *Ranulphum* ſucceſſorem *Willielmi* exacerbauit, vt eo ad Epiſcopatum ſancti *Andreæ* in Scottia tranſlato nullum alium Priorem ponendum putaret. Is eſt *Ranulphus* quondam regis *Willielmi* capellanus, ex quo ambiguum genere, lingua & calliditate prouectus ad ſummum, & totius

al. reliquias

al. maxime, vel maximo

regni procurator effectus. Iſte ſi quando edictum regium proceſſiſſet, vt nominatum tributum Anglia penderet, duplum adiiciebat, ſubinde ridente rege ac dicente, ſolum eſſe hominem, qui ſciret ſic agitare ingenium, nec aliorum curaret odium, dummodo complacaret dominum. Quibus artibus fretus epiſcopatum Dunelmenſem meruit. Venit ergo Dunelmum, & primum quidem timidius ſe agebat ſanctum verens offendere, qui fertur peccâtium ſeuerus inprimis correptor eſſe. Sed vno & altero delicto cōmiſſo nec vindicato, eo proceſſit, vt reum ſiquando ad Eccleſiam Sancti confugeret abſtrahere nō dubitaret, auſus ſcelus omnibus retro annis inauditum. In ædificiis autem Monachorū nouis & translatione beatiſſimi *Cuthberti*, nonnullam gloriam nomini ſuo commeritus eſt. Extulit ergo eius famam ſancti corporis elatio, quod e mauſoleo leuatum cunctis volentibus fecit conſpicuum. Tractauit illud auſu fœlici *Radulphus* tunc *Sagienſis* Abbas, poſtea Archiepiſcopus Cantuarienſis, & propalam illibatum protulit, quod quibuſdam veniſſet in dubium, vtrum olim vulgatum adhuc de integritate compaginis miraculum duraret. veſtes quoque omnes recenti ſplendore nitentes, calix ſuper pectus eius, cuius ſuperior pars aurea, inferior onychina eſſet, facies tam ſtricte obuoluta ſudario, vt nullo Abbatis niſu diſſociari poſſet. caput *Oſwaldi* regis, & Martyris inter brachia eius inuentum. oſſa ſanctorum *Bedæ* & *Celuulfi*, qui apud Lindisfarnum Monachus, & ſanctus, in ſingulis ſaccis lineis reperta. Erat ſpectaculū ingens in cœmiterio ſereno aere, nulla pēdente nubium craſſitudine, monachis omnibus ſolemnibus indutis veſtibus, longa pompa euntiū & redeuntium magnaq; conſtipatio ſe ingerentium, dū ſemel viſum iuuat iterumq; * iterumq; videre. Viſum ergo vt ſancto putatur indignum, quod ita eſſet expoſitus ad ſpectaculum pluuiaq; ingens inopinate oborta omnes intra Eccleſiā coegit. Nec caruit miraculo, quod monachorum veſtes tanta inundante procella non ſolum illæſæ, ſed nec etiā madefactæ. Macte virtute (Præſul ſanctiſſime) præclarum omnino miraculum & tuæ ſanctitate congruum: qui etiam non multis ante diebus aliud exhibueras. Ad translationem corporis parata erant omnia in noua Eccleſia: chorus monachorum, altare ſepulcrū. expectabatur tantum, vt materia lignorum, quæ recētem presbyterii teſtudinem ſuſtinebat, leuiter deponeretur. Sed nō paſſus es (beatiſſime) ſanctum tuorum deſiderium prolongari, & omnia nocte intempeſta ſubruiſti. Quis enim alius tanti facti autor? Accurrit Prior ſono excitus, altari & pauimento timens, de lignis cura minor. ſed nō ſolum illa de quibus metuebatur, ſed & ligna ita ſeruaueras integra, vt fuerant appoſita. Merito a Monachis tuis timeris, vt nullus rebellionis cōtra Priorem vel in ſe grauis criminis conſcius, pernoctare audeat delicti ſine confeſſione reus. Quapropter te ſupplex oro, vt mei in bono meminiſſe digneris, qui vbi ſe occaſio dedit laudem tui quanquam exilem prætermittere nolui Domine ſancte & merito dilecte pater.

vl. iterum

PROLOGVS LIBRI QVARTI.

INæquales dicto libros, quia non æque affluit nobis vbique dicendorum copia. Et promptum quidem habeo velle ſanctos Patriæ meæ laudare, ſed deſtituit conantem ſcire & poſſe. Nam nec omnes ſanctos valeo ſcire, vel quos remotiſſime à nobis diſparant plaga, vel quorum nulla propter ſcriptorum deſidiam extarent, quas viderimus, vitæ: nec illos, quos mihi diuinitatis munus donauit & vicinia terrarum & ſcientia literarum aliquantulam noſſe, poteſt ſterile ingenium & exile eloquium dignis informare laudum titulis, æquiparare victoriarum triumphis. ſed rurſum hoc meditanti fides occurrens, dubietatis nebulas diſiicit, ſecuritatē inducit: cum ſciam ſolam hominis bonam voluntatem, ſi forte fortuna æmula effectum inuideat, æternæ mercedi ſufficere. Mentior ſi non angeli bonæ voluntatis pacem annuntiauerint. Militet ergo ſanctis, ſi aliud in me non eſt, pronæ deuotio mentis. ſeruiat ei ſi poteſt lingua dicentis, quem ſæpe hactenus ſeruatum, nuper præclaro miraculo, nuper inſigni exemerunt periculo. Iuxta ergo inceptum iter circumibo in hoc quarto libro Pontificatus Merciorum, ſicut quarto ordine peruagatus ſum olim eorum Imperium. id fuit ſemper pro tempore ampliſſimum, ideoque in plures Epiſcopatus diuiſum, animoſitate præſertim Regis Offæ, *qui in* Licefeld *Archiepiſcopatum conſtituit, non authoritate ſed in cunctæ religionis medulla ductus. Hinc igitur propoſitum executuro curſum, tale ſe offert dicendi auſpicium.*

DE EPISCOPIS WIGORNENSIBVS.

LIB. IIII.

PRouincia Merciorum quinque habet modo Epiſcopatus, olim forſitan plures. Et apud Wigorniam quidem hi fuerunt Epiſcopi:

Boſel.	*Herebertus.*
Oſteor.	*Alwinus.*
Edwinus.	*Henferdth.*
Wilfrid.	* *Ecelin.* [al. Ethelin]
Milred.	*Wilfert.*
Weremund.	*Kinewold.*
Tilher.	*Dunſtan.*
Ethelred.	*Oſwald.*
Denebertus.	*Aldulf.*

Wlſtanus. Iſti tres fuerunt Archiepiſcopi.
Leſitus.
* *Brihegus.* [al. Britegus]
Liuingus.
Alred.

Wlſtanus in ſanctitate noſtro ſeculo nominatiſſimus, de quo ſi ſe amplior porrexerit ſermo, nullum quęſo tędeat. *Wlſtanus* a puero educatus honeſte, inter diſciplinatos viros & literarum curam quanta tunc in Anglia erat, adoleuit. Cum vero id ætatis eſſet, presbyteratum accepit, nec a gradu morum vitiis degenerauit. Non enim, vt tunc & nũc quidam Miſſa curſim manc cãtata, tota die poſt hoc gulæ vel quæſtibus inhiabat, ſed moroſiore cura debitum conſummans officium, orationes quotidianas & diuturnas adiiciebat, oblationibus fidelium contentus. His vitam tolerabat. Pudoris ſingularis ſaluum ſignaculum poſt virginitatis vitam cœlo exhibuit. Ita adhuc conſtitutus in ſeculo maior quolibet æſtimabatur Monacho, ſuperflui potus expers, eſui carnium indulgebat: quas tamen ſtatim, vt potuit, occaſionem rapiens, ſpreuit. cauſſa fuerat, quia die certa ad quoddam placitum exire deberet, neceſſitas rei omni excuſationi repudium indixerat. Viſum eſt tamen vt ante miſſam cantatam inediæ conſuleret. Acceleratur à clientibus, ne impranſus abiret dominus: apponitur auca igni. Aſtitit altari presbyter, & deuotione, qua ſolet agit, cum inter ſecreta Miſſæ, quia erat Eccleſia domui vicina, nidor aduſtæ carnis nares eius oppleuit. Odor mentem aduocauit, vt & voluptatis illecebra caperetur, continuoq; reducto animo culpam agnoſcens, luctabatur valide vt cogitationem alias auerteret. ſed cum id fruſtra eſſet, iratus ſibi iuramentum ad ſacramenta, quæ tangebat, fecit, nullo ſe amplius pacto id genus cibi comeſturum. Cantata ergo Miſſa cibo vacuus ad negotium diſceſſit, quod iam tardior hora vrgeret cauſatus. occaſio illa effecit, vt arduum penitus ſequutus exemplum, omni in perpetuum carne & etiam vnctiori cibo temperaret. non tamen comedentes rigido ſuſpendens ſupercilio, nullo ſe affirmabat eorum ciborum teneri deſiderio, ſi qua tamen eſſet caro delectabilis, opinari ſe, quod alaudæ maiorem veſcentibus darent voluptatem. Creſcente autem deuotione propoſiti apud Wigorniam Monachus factus per omnia officia ad Prioratum aſcẽdit. In quo, dum ſublimi laude virtutum refulget, tentationem diaboli bonis eius (credo) inuidentis expertus eſt. Qui cum quadam nocte ante altare orãtem, vt luctaretur ſecum eſt aggreſſus. Fortior ille metu prouocantem adorſus diris brachiorum nodis eliſit. idem ſecundo, & tertio fecit, niſi quod tertia vice ſuſpirioſus, extis incaleſcentibus illum pulſu ſe defeciſſe pene ſignificauit. Sed affuit clemens diuinitas, quæ monſtrum inſaniens abegit. Quo in auras euaneſcente, intellexit *Wlſtanus* diabolum eſſe, cum ante putaſſet ſeruientem quẽdam fuiſſe, cuius ille formam induerat. Cuius rei nõ fallax dabatur indicium, quod quocunque euentu ſeruientem illum videret, ſtatim tremore membra pererrante totus expalleſceret. Cætera omni timore vacuus, vt affirmaret ſe neſcire quid eſſet terror, qui nũquam pro fractura pontis equo deſcenderit, qui in ſummitate fabricarum per anguſtiſſimos axes ſecurus inceſſerit, vt de ipſo merito dicatur, *Iuſtus vt Leo confidit.* Interea, quam ſuperius dixi, cauſa exorta eſt, qua Roma veniens *Alredus* Archiepiſcopus conſecutiſe veſtigio Cardinalibus Wigornienſi ciuitati Epiſcopum vrgeretur conſecrare. Ille conſilio deducto in medium cauenſq; rebus ſuis in poſterum *Wlſtanum* elegit, inefficacem ſci-

licet ratus, cuius ſimplicitate & ſanctimonia rapinas vmbraret ſuas, rapturus de rebus Epiſcopatus, quod liberet. Cardinalium ergo fauore *Wlſtanus* approbatus, & examinatus ſeueritate, diuinum munus ſuſcepit; pulchroq; & venerabili præſagio prognoſticon obuenit: *Ecce vere Iſraelita, in quo dolus non eſt*: Nihil prorſus verius. nec enim bonum in eo ſimulatæ ſanctitatis, nec ſi ſecus quid, callidæ fraudulentiæ fuit. Sed nec *Aldredus* ita ſegnem (vt putabat) perſenſit. Siquidem maiorem partem rerum, quas indebite detinebat, blanditiis ab eo ſurripuit, tenuitatē ſuam illi ex tempore allegans. Ita officium iniunctum magis inſito virtutum amore quam literatura fretus exercebat. Quanquam non ita hebes in literis (vt putabatur) fuerit, qui cætera negotia ſciret, præter fabulas Poetarum & tortiles ſyllogiſmos dialecticorum, quæ nec noſſet, nec noſſe dignaretur. Cæterum probe doctus poſſe ſermonem quamlibet elegantem extemporaliter facere, auditorum lachrymas, gaudia cœli, & pœnas inferni proponendo artifex mouere, perſuadere dictionem, quam vellet, dum quadraret vita doctrinæ, nec aliter viueret, quam viuendum doceret. Ideoq; ſuggerebat ei Deus eloquium, quod eſſet & laudum eius incremēto & auditorib. proficuo. Cibi, & potus (vt ante dixi) erat abſtinēs, quamuis in aula eius pro more Anglorū, totis poſt prandiū biberetur horis, cū quibus ipſe aſſidens Pſalmos ruminabat. ordine tamen ſuo ſe bibere ſimulabat. hauriebant alii ſpumantes pateras; ipſe vaſculum minutiſſimum tenens eos ad hilaritatem inuitabat magis conſuetudini patriæ, quam iudicio ſatisfaciens animi. Nam & conſuetudines Normannorum non omittebat, pompam militum ſecum ducens, qui ſtipendiis annuis quotidianiſq; cibis immane quantum populabantur. Circa religiones talem accepimus. Quotidie Miſſam cantans, addebat Pſalterium, omniumq; ſanctorum memorias, quorum toto anno ſingula ſolemnia ſuccedūt, ſingulis in ſeptem diuiſas, per ſeptem non omittebat horas. Quotieſcunq; Wigorniæ eſſet, Miſſam maiorem impiger cantabat dicens id ſe rependere ſeptimanarii officio, quo ipſe pro Epiſcopatu abſolui nollet. collationem quoq; frequēter interebat, ienſq; cum cęteris in Eccleſiā facta confeſſione redditaq; benedictione in tricliniū ſe recipiebat. Equo quocunq; vadens Pſalterium frequentabat, orationales verſus, qui occurrebant, ad faſtidium cōcantantis crebro repetens. Nullius vnquā perſonæ contuitu, nec ēt in curia regis poſitus, & ad menſam eius aſſidēs, benedictiones, quas Angli ſuper potū faciebant, omiſit. Si quando eū neceſſitas ad comitatū vrgebat, omnium primo maledictionē prauis, benedictionē rectis imprecabatur arbitris. Tū conſidēs ſi diuinū quid euentilaretur, vigilāter intendebat mentis aciē: ſi ſeculare, quod crebrius erat, faſtidio ſegnis obdormiſcebat; licet ſi quis contra eū dicendū putaſſet, non eum obtuſæ ſcientiæ eſſe in reſpōdendo intelligeret. Venerat ad eū fama religionis accitus presbyter vocabulo *Egelricus*; cuius exēplo ſcintillante multum in ſe ſanctitatis fomitem rapuerat. Erat enim ille orationibus continuis etiam inter turbas ad miraculum videntium deditus, vt qui quotidie Pſalteriū cum orationibus, non minoris numeri euolueret poſt Miſſam. Adeo in corripiendo acer, vt etiam Epiſcopum ipſum, ſi quando (vt fit in loquendo) eſſet remiſſior, ſtatim vel argueret verbis, vel reuerberaret oculis. Nam antiſtes ſuorum à recto tranſgreſſiones alumnorum corripiebat, ſed ſæpius quatenus honeſtas ſineret, tolerabat; In diuino ſegnitiem obſequio nullo modo patiens. ſi quis miniſtrorum vel temulentia, vel ſomnolētia victus, matutinis non affuiſſet, acri ferulæ ictu in illum vlciſci. Poſtremo perſonas honeſtiores per ſe excitando ipſe matutinas eis cantare. Indifferenter vilioribus vtebatur veſtibus, magis agninis quam alterius generis pellibus frigus depellens. Si vero ei diceretur, vt ſaltē cattinas pelles amiciret, iocoſa comitate reſpondebat; Crede mihi (nam hic mos iurandi Epiſcopo inoleuerat) nunquā audiui cantari, cattus Dei ſed Agnus Dei, ideoq; non catto, ſed agno volo calefieri. ita Dei timor mentem eius inſederat, vt quod alii torquebant in pompam, ipſe in compunctionis transferret materiam. Cum Eccleſiæ maioris opus, quod ipſe à fundamētis inceperat, ad hoc incrementi proceſſiſſet, vt iam monachi migrarent in illam, iuſſum eſt veterem Eccleſiam, quam & beatus *Oſwaldus* fecerat, detegi & ſubrui. Ad hoc ſpectaculum ſtans ſub Diuo *Wlſtanus*, lachrymas tenere nequiuit. Super quo modeſte à familiaribus redargutus, qui gaudere potius deberet, quod ſe ſuperſtite tantus Eccleſiæ honor acceſſit, vt ampliatus Monachorum numerus ampliora exigeret habitacula, reſpondit: Ego longe aliter intelligo, quod nos miſeri ſanctorum opera deſtruimus, vt nobis laudem comparemus. non nouerat illa fœlicium virorum ætas pompaticas ædes cōſtruere, ſed ſub qualicunq; tecto ſeipſos Deo immolare, ſubiectoſq; ad exemplum attrahere: nos è contra nitimur, vt animarum negligentes curam accumulemus lapides. dixit plura in hunc modū allegationibus ſuis occurrentes ſententias infirmans. Nunc quod miraculorū expers non fuerit, ſermo ſubiiciet: nam de moribus eius dicta hunc modum tenebūt.

In cu-

In cuiuſdam Eccleſiæ dedicatione ſermonem fecerat ad populum, in quo multa de cæteris plura de pace dixerat: quo commoti non nulli, qui digladiabili diſſidebant odio, offenſas vtrinq; donauere. vnus erat, qui nullis admonitionibus, nullis ſuadelis adduci potuit, vt fratris necem indulgeret inimico huic. adducto in medium, & poſt multum ſermonem pertinaciſſime recuſanti, eadem quæ referam, verba dixit Epiſcopus. Dominus dixit in Euangelio; *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* conſtat ergo quod ſi pacifici ſunt beati, & filii Dei, diſcordantes ſunt miſeri & filii diaboli. Illi igitur, cuius filius es, te commendo, & trado te Satanæ ad interitum carnis, iuxta præceptum Apoſtoli, *vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini. vix ſanctus ſermonem expleuerat, cum miſer ille mancipium hoſtile factus, coram omni plebe dentibus ſtridere, ſpumas iacere, crinem rotare occepit. poſtremo in terram eliſus volutabatur furens. Exoratus* Wlſtanus *vt miſereretur, diſtulit: ſed preſſus tandem & victus lachrymis, iubet inimico vt abeat. ille diſcedit eadem facilitate qua venerat reductus in mentem homo, conuentuſq;, vt delicti gratiam cederet, mira pacem negauit imprudentia. iterum ergo vexari, iterumq; ſanari iuſſus inficiari perſtitit. Tertio iam cum totus membris labefactatus ex concuſſione dæmonis pene ſingultiret animam, pacem iniit, perpetuo poſt hoc vſq; ad mortem integer & incolumis.* Sub ſeniore *Willielmo* inclamatū eſt in *Wlſtanū* a *Lanfranco* de literarū inſcitia: a *Thoma* Eboracenſi Archiepiſc. quod ſubiici deberet ei ex antiquo iure. vtriſq; obiectionib. cū in cōcilio reſpōdere iuberetur, egreſſus eſt vt ſtrictiore cōſilio reſpōſum cōmeret ſuū. Tū Monachorū, qui cū eo erant, animis ad ſummū negotiū attonitis, ille ſubintulit: crede mihi adhuc non cantauimus Nonā: cantemus ergo. ſociis referentibus, vt prius propter quæ venerāt expedirent, quod ſatis ſuperq; ſufficeret cātibus tempus; regem & proceres, ſi hoc audierint, riſui ſe haberi non immerito credituros: prius (crede mihi) faciemus Dei ſeruitium, & poſt agitabimus hominū litigiū. hora igitur cantata, nulla excogitata falſi tergiuerſatione, nullo cōmentato veri ſplendore aulā concilii pergebat ingredi: ſuis eum retinere tentantibus perſuaderi non potuit: Quin potius timentibus cauſæ, pro certo, ait, noueritis viſibiliter me hic videre beatos Archiepiſ. *Dunſtanum* & *Oſwaldum*, qui hodie me ſuis precibus tuentes falſiloquorū acumen hebetabunt. ita data benedictione monacho minimæ facundiæ viro, ſed Normāniæ linguæ ſciolo rem obtinuit, vt qui diœceſis ante putabatur indignus regimine, ab Archiepiſ. Eboraci ſuppliciter rogaretur, vt ſuas dignaretur luſtrare, quo ipſe pro timore hoſtiū vel ſermonis ignorantia cauebat accedere. Nec ſolum hoc, ſed & villas reliquas Epiſcopatus, quas *Aldredus* Archiepiſcopus retinuerat, recuperauit ad vnā, cū *Lanfrancus* Archiepiſcopus conſtanter aſſiſteret cauſæ, vrgens videlicet æmulum primatus & potētiæ. Sub *Willielmo* iuniore *Rogerius* Comes de mōte Gomerico perfidiā contra principē meditatus, cū eiuſdem factionis cōplicibus arma mouebat infeſtus: Iamq; a Scrobesberia vſq; ad Wigorniēſem coloniam omnib. vaſtatis vrbē ipſam appropinquabat, cū milites regii, qui prætendebant, periculū exponūt Epiſcopo. is maledictionis fulmen iaculatus in perfidos, qui Domino ſuo fidem non ſeruarent, iubet milites properare, Dei & Eccleſiæ iniurias vlturos. mirū quis dixerit, quod ſubiiciam, ſed auctoritati veracium narratorum credendū. quidam enim aduerſariorum regiis conſpectis timore inerti perculſi, quidam & cęcati victoriam plenam & qualem ſperare nequibant, oppidanis ceſſere. multi enim a paucis fugati, pars cæſi, pars ſaucii abducti. Quid quod prophetia non caruit? *Aldwinus* erat quidam ab eo factus Monachus, ſicq; in vaſtiſſimo illo ſaltu, quod Maluernum vocatur Eremiticam vitam cum *Guidone* ſocio exercebat. *Guidoni* poſt longos Agones compendioſius ad gloriam viſum, vt Ieroſolymam iret, vbi labore itinerario vel Domini ſepulchrum videret, vel fœliciter manu Sarracenorum mortem anticiparet. *Aldwinus* eidem ſententiæ inductus conſilium tamen cum patre *Wlſtano* quęſiuit. diſſuaſit Pontifex, & ardentem refrigerauit dicens: Noli ſodes *Aldwine* quoquam ire, ſed in loco mane: crede mihi, mirareris ſi ſcires quod ſcio: quantum in illo loco per te Deus operaturus eſt. Diſceſſit hoc audito Monachus, firmoq; iam durabat in propoſito, leuiabatq; ſpe prophetię omne genus ærumnæ. Nec multo poſt vaticinium properauit impleri: veniebantq; ad *Aldwinum* alter poſt vnū, tertius poſt alterum, & ita vſq; ad tricenarium numerum; affluebatq; eis in primis victualium copia, vicinis beatos ſe iudicantibus, qui aliquid Dei famulis impertirētur. quod vero eis deerat, fide ſupplebant, dū parui facerēt, ſi carerēt carnali cibo, qui ſpirituali pingueſcebant gaudio. *Sewlfus* quidam negociator ad eum quotannis venire conſueuerat, vt eius conſilio morbis mederetur animæ. cui ſemel poſt abſolutionem factam dixit, Sępe peccata, quæ confeſſus es reiteras, quia (vt dicitur) *opportunitas latronem facit.* Quare cōſulo, vt Monachus fias, quod ſi feceris, horum peccatorum opportunitate carebis. Cum retuliſſet ille, non ſe Monachum pro rigore propoſiti fieri poſſe, ſubſtomachatus Epiſcopus, vade (inquit) Monachus fies velis nolis,

ſed cum vitiorum vtenſilia in te ſenuerint. Quod nos poſtea vidimus quia in noſtro Monaſterio, iam ſenectute fractus morbo admonente conuerſus eſt. Sed licet multoties pœnituerit, quotieſcunque tamen dictum Epiſcopi aliquis præſentaſſet ei, reuocabat impetum, remolliebat animum. *Nicolaus* ſpecialis eius alumnus, qui poſtea Wigornienſis Eccleſiæ Prior fuit, pedibus eius aſſidebat. Epiſcopus interim effuſus in lætitiam, blanda manu caput iuuenis palpauit, crinibus defluentibus improperio caluitii vicinum, & puto (inquit) caluus fies. At ephœbus, qui iam adoleſcentia ſe illa parte ſeneſcere doleret, queſtus fata capillorum cadentium, quare (inquit) non eos tenes? contra Epiſcopus renidens crede mihi, ait, nunquam quantum vixero, qui reſidui ſunt deficient. Factum eſt, quod dixerat. Sed eadem hebdomada qua vitæ huic renunciauit, ita omnes (quo neſcio) euanuere vt nudam cutim relinquerent. Suam mortem non occultis indiciis manifeſtauit ſæpe quidem, ſed hic apertius. Allato ſibi nuncio de ſororis exceſſu, quam vnicam habebat, reſpondit, modo aratrum ad meum peruenit ſulcum. Sequeturque frater ſororem, non multis poſt diebus. decubuit ergo febribus iam dimidium annum obitus, exercebaturque ad cœleſtis vitæ introitum. Magnanimiter ille ferebat incommodum, & ſuos ante ſe lachrymantes, & tyrannidem futuri Pontificis metuentes conſolabatur dicens; ceſſent gemitus, vacent fletus. non eſt enim iſta vitæ amiſſio, ſed vitæ commutatio, neque vnquam vobis deero, ſed quanto lutea compage ſoluta Deo fuero præſentior, tãto ero in auxiliando celerior. me impetrante, accedet vobis proſperitas, me propulſante, diſcedet aduerſitas. Fœlix lingua, quæ de abundanti penu conſcientiæ, tam ſecura verba in hominum aures auderet effundere. Alii ſuſpiriis & ſingultibus agunt, vt pro ſe oretur, ille pro aliis ſe oraturũ pollicebatur. Quid iſtud eſt miraculi? An nullius peccati conſcius erat? Imo loquebatur ſancta ſimplicitas, ſimplicitas neſcia de Dei diffidere miſericordia. Sublatus ergo præſentibus magno Laicorum & Monachorum eiulatu, delatus in Eccleſiam triduo ſuper terram detentus eſt. Nam ipſa ſpecies & forma exanimis corporis videbatur gratiam viuentis Pontificis prætendere, mulcebatque oculos leniebatque dolorem. Iacebatque in libitina corpus ante altare Pontificalibus inſignibus ornatum, carens operimento, populique vndique confluentes, datis oblationibus, & adorato corpore recedebant cum mœrore. Quarto die terræ delatum à *Roberto* Herefordenſi Epiſcopo, ſancta illi iampridem familiaritate coniuncto. Iacet inter duas pyramides, arcu lapideo pulchre ſuper voluto, lignũ in ſuperiori prominet, quod caſſes ferreos, quos vocant araneas, infixos habet. Hæc eo dixerim, quia miraculo ſubiiciendo materia cohæret. Poſt nõ paucos annos eius deceſſus, ignis ab vrbe per incuriam veniens, Eccleſiæ tectum omnino conſumpſit. plũbo liquefacto, aſſeres regnante incẽdio in carbonem mutati, trabes perinde grandes vt integræ arbores ambuſtæ deciderũt ad ſolum. Quod ignem intra Eccleſiam effugere potuit, tantæ molis ruina diſſiluit & crepuit. *Sepulchrum inter hoc ſancti non ſolũ à furore flammæ immune, ſed nec fuligine tinctum nec fauilla opertum fuit. Et vt augeretur miraculum, matta qua accubitare ſolebant orantes ante mauſoleum incolumis reperta. lignũ & quod ſuperne prominere dixi, quantum extra lapides extabat, inuentum integrum, quod petra incluſerat ipſa corrupta in cineres ſolutũ.* Et hoc miraculum nõ primum, ſed aliis celebratius, quia publicũ. Quis enim illa quotidiana enumeret, quæ in domeſticis neceſſitatibus homines ſentiunt, dum nullus cũ fide affuſus ad tumulũ exors redeat votorũ. Superant illa cuiuſcunq; facundiſſimi facultatem eloquii, quæ nec colligi numero, nec queunt excipi ſcripto. Et profecto, ſi facilitas antiquorũ hominum adiuuaret, iãdudum elatus in altum ſanctus prædicaretur. Sed noſtrorum incredulitas, quæ ſe cautelæ vmbraculo exornat, non vult miraculis fidem adhibere, etſi conſpiciat oculo, etſi palpet digito. Ego me reum ſilentii timui fore, ſi certis auctoribus cognita taciturnitati addicerem, & notitiam ſtudioſorum fraudarem. qui enim mihi aſſumam, vt inertes quique legant vel pro amore ſancti vel noſtra, qui ſancta faſtidiunt Euangelia?

Wlſtano ſucceſſit *Samſon* canonicus Baiocẽſ. nõ paruæ literaturæ vir, nec contẽnendæ facundiæ. Antiquorũ homo morum: ipſe liberaliter veſci, & aliis dapſiliter largiri. Innoxius ad monachos, niſi quod eis Weſtberiam abſtulit, vbi *Wlſtanus* monachos, poſuerat, & priuilegio ſanctitatis ſuæ munierat. Illud *Sampſon* dirupit, nec multis poſt annis in eadem villa, qua culpam commiſerat, exceſſit.

Poſt eius mortem, qui dono *Willielmi* iunioris Epiſc. acceperat, data eſt eadem ſedes ab *Henrico* rege *Thinlfo* Baiocenſi æque canonico. qui anteceſſori ſuo non abſimilis moribus, eodem rege regnante diem clauſit. ſepulti ſunt ambo in naui Eccleſiæ ante crucifixum.

Præſulatus tunc à rege datus eſt *Symoni* capellano reginæ *Adelidæ*, quæ poſt prioris vxoris

vxoris mortem *Henrico* nupſerat. *Simon* igitur affabilitate & morum dulcedine, munificentiaq; quo ad res Epiſcopatus anguſtæ pati poſſent, inſignis habetur.

Poſt eum ſucceſſit *Alfredus* capellanus Regis *Henrici* iunioris. Diœceſis Wigornienſis pagos habet; Glauceſtrenſem, Wigornienſem, Warwicenſem dimidium. Glouceſtria eſt ciuitas ſuper flumine Sabrina poſita, putaturq; à *Claudio* nominata, qui ſecundus Romanorum Imperator poſt *Iulium Cæſarem* Brittanniam adiit. Deniq; Brittannice vocabatur Airchalu. Meminit quoq; *Seneca* in lib. de morte *Claudii*, *Barbaros in Bretannia eum pro Deo colere, & in honorem ipſius ciuitatem ædificare*. Ab ea ciuitate tota regio vallis Gloceſtrenſis vocatur. Terra omnis frugum opima, fructuum ferax hic & ſola naturę gratia, illic culturæ ſolertia, vt quamuis tædioſum per ſocordiam prouocet ad laboris illecebram: vbi centuplicato fœnore reſponſura ſit copia. Cernas tramites publicos veſtitos pomiferis arboribus non inſitiua manus induſtria, ſed ipſius ſolius humi natura. Ipſa ſe terra ſponte ſubrigit in fructus, eoſq; ſapore & ſpecie cæteris plurimum præſtantes. Quorum plures ante annum marceſcere neſciunt, vt omnes vſq; ad nouos ſucceſſores præſtent officium. Regio pluſquam alię Anglię prouinciæ vinearum frequentia denſior, prouentu vberior, ſapore iucundior. Vina enim ipſa bibentium ora triſti non torquent acredine, quippe quę parum debeant Gallicis dulcedine. Villæ innumerabiles, abbatiæ præſtantes, vici frequētes. quibus omnibus accedit ad gloriam fluuius Sabrina, quo nullus in hac terra alueo latior, gurgite rapacior, arte piſcoſior. In eo quotidianus aquarum furor, quod vtrū voraginem vel vertiginem vndarum dicam neſcio, fundo ab imo verrens arenas & conglobans in cumulum cum impetu venit, nec vltra quam ad pontem pertendit, nonnunquam etiam ripas tranſcendit, & magna vi parte terræ circuita victor regreditur. Infœlix nauis, ſi quam à latere attigerit. Nautæ certe gnari cum vident illam Higram (ſic enim Anglice vocant) venire, nauem obuertunt, & per medium ſecantes violentiam eius elidunt. In eadē valle eſt vicus celeberrimus Briſtow nomine, in quo eſt nauium portus ab Hybernia & Noregia & cæteris tranſmarinis terris venientium receptaculum, ne ſcilicet genitalibus diuitiis tam fortunata regio, peregrinarum opum fraudaretur commercio.

Glouceſtria.

Briſtow.

DE MONASTERIIS.

Eſt ergo in ipſa ciuitate Glouceſtriæ ſancti *Petri* Monaſterium, quod ibi *Aldredum* Archiepiſcopum incepiſſe non ſemel dixi. Paucos ibi & non plus quam tres Monachos inuenit abbas *Serlo* à Rege *Willielmo* ſeniore donum exile adeptus. Sed quantum Dei gratia cum illius conſpirans induſtria locum extulerit, illum quis congrua explicet facundia? Nota eſt Glouceſtrenſis religionis diſcretio, quam infirmus poſſit * ſuſcipere, nec validus poſſit contemnere. Hoc illis ſignifer intulit *Serlo*, vt *Ne quid nimis*: quamuis vt erat bonis humilis, ita minax ſuperbis & terribilis. Contra fremunt de Sancto *Oſwaldo* canonici, quod terras quæ ſuæ deberent famulari Eccleſiæ *Thomas* Archiepiſcopus Monachis dederit. In eadem enim vrbe tempore Regis *Elfredi* filia eius *Elſleda* cum coniuge ſuo *Ethelredo* Monaſterium ædificauerant, nulla parcimonia ſumptuum, nulla inopia victualium: Illucq; ex Bardanio reliquias *Oſwaldi* regis tranſtulerant, quod omnis Mercia pareret imperio. Floruit id cœnobium ad tempus Danorum, fuitq; affinitate arctiſſima noſtro, id eſt Malmesberienſi coniunctum, ſicut in archiuis vtriuſq; reperitur Eccleſiæ. Sed Monachis vi hoſtilitatis dilapſis, dum Archiepiſcopus Eboracenſis occaſione Wigornienſis Epiſcopatus Monaſterium illud habuiſſet, canonicos recepit, præcipuamq; ibi *Türſtanus* Archiepiſcopus exhibuit diligentiam, & in ſcrinio ſancti renouando, & in Eccleſia dilatanda, vbi cum veteribus fundamentis deturbatis noua iacerentur, inuenta ſunt amborum coniugum in porticu Auſtrali ſepulchra, & corpora antiquam reuerentiam prætendentia. De beatiſſimo ſane *Oſwaldo* in libro geſtorum regalium plura dixi, dubium mihi eſſe pronuncians, vtrum brachia apud Bebenburch ſeruarentur, ſicut *Bedam* dixiſſe memineram. Veruntamen, quid de his poſtea cognitioni meæ acceſſerit, cum ad locum venero, non tacebo. In eodem pago eſt Wincelcumbenſe Monaſterium quod *Kenulfus* Rex Merciorum conſtruxit, ingenti & temporibus noſtris incredibili munificentia, fecitque dedicari Eccleſiam à 13. Epiſcopis, quorum princeps *Wilfridus* Cantuariæ Archiepiſcopus. Ibi in illa dedicationis pompa in decem ducum conuentu manumiſit ad altare Regem Cantuaritarū, quem nuper belli iure ceperat captiuum. Ibi præter illa xenia, quę magnates ſuſceperant, inęſtimabilis ſcilicet numeri & pretii, erogauit omnibus, qui agros nō habebant, libram argenti, presbyteris marcam auri, Monachis ſolidum vnum, præterea toti populo plura. Hoc Monaſteriū, vt *ſemper mortalia labūtur in decurſum*, cū tempore regis

al. ſuſpicere.

Edgari ſolo fere nomine ſtaret, per beatum *Oſwaldum* Archiepiſcopum nonnihil reſuſcitatum eſt. Factus ibi *Germanus* Abbas, quem de Floriaco ſecum adduxerat, magno adiumento fuit & religioni & reſtaurationi Eccleſiæ. Ibi requieſcit pater *Kenulfus* cum filio *Kenelmo*, quem genitor ſeptennem *Quendridæ* ſorori reliquerat alendum. Sed illa falſo cupiditati ſuæ regnum pollicita, fraterculum tollendum è medio ſatelliti, qui alumnus erat, commendauit. Is inſontem quaſi venatum ducens, inter fruticeta obtruncatum occuluit. *Et mirum dictu, quod fraus tam celate in Anglia commiſſa Romæ diuinitus innotuit. Siquidem membrana ſuper altare ſancti* Petri *columba ſuperne ferente delapſa, necis & ſepulturæ loci per ordinem index fuit. Quæ quod elementis Anglicis erat conſcripta, à Romanis & aliarum gentium hominibus, qui aderant, fruſtra legi tentata. Sed ſalubriter & in tempore aſtitit Anglus, & latialiter lingua inuolucrum euoluens, effecit vt Apoſtolici Epiſtola regibus Anglis compatriotam Martyrem indicaret. Quocirca frequenti cœtu pueruli corpus leuatum, vehebatur* Wincelcumbam. *Ita clericorum vocali cantu, & Laicorum alacri plauſu parricida fœmina commota, è feneſtra cœnaculi, in quo ſtabat, caput extulit, & forte Pſalmum cantabat,* Deus laudem meam. *Quem à fine neſcio quo præſtigio retrogradum ducens, nitebatur lætitiam cantantium infirmare. Tum vero vi diuina lumina venefica cauis orbibus euulſa cruore verſum polluerunt.* Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum, & qui loquuntur mala aduerſus animam meam. *Cruoris ſigna extant hodie immanitatem mulierculæ, & Dei vltionem ſpirantia.* Eſt & Monaſterium Theokesberiæ, quod nouiter *Robertus* filius *Hamonis* fauore ſuo prouexit, nec facile memoratu, quantum exaltauit, vbi & ædificiorum decor, & Monachorum charitas aduentantium rapit oculos, & allicit animos. Fuerat illud primitus apud Craneburnam: ſed Abbatis *Geraldi* prouiſione, pro vicini fluminis opportunitate, & dominicarum terrarum contiguo, Theokesberiam aptius locari viſum. Simul & videbatur voluntati religioſæ nomen applaudere. Quod Theokesberia dicatur quaſi Theotocosbiria, id eſt, Dei genitricis curia, vocabulo ex Græco & Anglico compoſito. Increuit etiam noſtris temporibus in eadem prouincia Maluernenſe monaſterium, quod mihi per antiphraſin videtur ſortitum eſſe vocabulum. Non enim ibi male, ſed bene & pulcherrime religio vernat, vbi ad immortalem ſpem commemoro, dum mortalium rerum penuria Monachos trahit & animat. Habet etiam Wigornienſis prouincia Abbatiam Eueshamenſem, Perſcorenſem. Eueshamum fundauit beatus *Egwinus* Epiſcopus, de quo quid miraculi ſit, quod *Beda* tacuerit, nondum per me potui aduertere, vel per alios addiſcere, præſertim quod cũ *Kenredo* Rege Merciorum & *Offa* Rege Orientalium Anglorum Romam iuerit, quorum profectionem hiſtoricus non ſiluit. Verum tamen quæcunq; res hanc taciturnitatem imperauerit, conſtat eum tertium Wigornienſium præſulem fuiſſe, locum illum, quo nunc cœnobium viſitur, peculiariter amaſſe, incultum antea & ſpinetis horridum, ſed Eccleſiolam ab antiquo habentem, ex opere forſitan Brittannorum. Eo loci vir ſanctiſſimus, dum ſolitudine inuitante frequentaret excubias, Dei genitricis viſione & alloquutione mulceri meruit, plane & abſq; ſcrupulo præcipientis, vt ibidem ſibi fundaret cœnobium futurum ſibi gratioſum, illi negotioſum. Inſtitit ille iuſſis, & complens opus, Apoſtolicis & regiis priuilegiis corroborauit. *Quid illud? credendumne putatur, quod tradit antiquitas peccatorum iuuenilium quondam conſcium, pedes compedibus irretiiſſe, clauibus compedum in amnem iactatis palam dixiſſe, tunc ſe demum de peccatis ſecurum futurum, cum compedes vel diuinitus, vel ipſis reſerarentur clauibus, ita Romam profectum proſpereq; reuerſum. Iam vero in illo mari, quo à Gallico continenti Angliam nauigio tranſmittitur, cum nauigaret, immanem piſcem ſaltu puppim, qua pontifex vehebatur, ingreſſum certatimq; annitentibus nautis retentum. In eius exenterati iecore clauem repertam, ſeraque compedum appoſitam ſancto ſoluto ſecuritatis plurimum donaſſe.* Nominatiſſimus profecto pater eſt, & petentibus exorabilis, ſi credulitas rogantium non titubauerit. *Implebis & tu laude tua huius paginulæ partem, qui cœnobium idem illuſtras,* Fœlix puer Wolſtane *fili* Wimundi, *fili* Wiclafii, *Regis Merciorum, &* Ethelfledæ *filiæ* Celwlfi, *qui fuit patruus* Kenelmi. *Te (inquam) non tacebo, quem* Berferthus *cognatus nefarie interemit. Norint itaque poſteri, ſi qui has cognitione dignas literas putauerint, nihil in ſeculo indole tua glorioſius, qua iratus lanio te morti dederit, nihil in Deo puritate tua innocentius, qua inuitatus internus arbiter te glorificauerit. Nam cœlo dimiſſa columna lucifera, denſaq; noctis dirumpens pallia, profundæ caueæ ſcelus detexit, carnificis nequitiam arguit.* Quapropter venerandæ reliquiæ leuatæ parentum obſequio, Rapendunę locatæ ſunt, tunc temporis famoſo monaſterio: nunc eſt villa Comitis Ceſtrenſis, cuius gloria pro ſitu vetuſtatis exoleta. Nunc Eueſtamum (vt dixi) inhabitas, dignus qui fauentum votis ſerenus indulgeas. Perſcore fundauit & perfecit cœnobium tempore Regis *Edgari Egelwardus* dux Dorſatenſis minime parcus animo, ſed effuſo in largitatem ſtudio. Verum & illud, vt cætera, quanto ſuccubuerit detrimento miſerabi-

ſerabile, plus ſui medietate diminutum. Partem diuitum occupauit ambitio, partem ſepeliuit obliuio, maiuſculam portionem Reges *Edwardus* & *Willielmus* contulere Weſtmonaſterio. Habentur hic aliquanta fœlicis *Edburgæ* oſſa, celebranturq; inſtanti reuerentia, quod ibi frequentiori quam alias miraculorum meruit gloria.

DE EPISCOPIS HEREFORDENSIBVS.

TRans Sabrinam pene collimitatur Wallenſibus ciuitas Herefort, non grandis, quæ tamen foſſatorum præruptorum ruinis oſtendat ſe aliquid magnum fuiſſe. Huius à principio hi fuerunt Epiſcopi.

Putta.
Tirtel.
Tortere.
Walſtoch.

Cuthbert, poſtea Cantuarienſis Archiepiſcopus. Cuius eximiam in rebus Eccleſiaſticis diligentiam, cum in Archiepiſcoporum rebus ſermo verſaretur, ediſſeruit: ſed & verſus iſti nuper mihi viſi antiquitatem viri quantumcunq; anteceſſores ſuos honorificauerit inſinuabunt, & ſi quid ab eis ad ornatum domus Dei cœptum, ipſe ſuo ſtudio perfecerit.

Hæc veneranda crucis Chriſti veneranda ſacrata:
Cœperat antiſtes venerandus nomine Walſtod
Argenti atq; auri fabricare monilibus amplis.
Sed quia cuncta cadunt mortalia tempore certo,
Ipſe opere in medio moriens, è carne receſſit.
Aſt ego ſucceſſor præfati præſulis, ipſe
Pontificis tribuente Deo qui munere fungor,
Quiq; gero certum Cuthberth *de luce vocamen,*
Omiſſum impleui, quod cœperat ordine pulchro

Item ſuper ſepulchrum anteceſſorum.

Qui quondam extiterant famoſi, altiq; per orbem,
Corpora ſena tenes hominum, hic marmor obumbrans.
Tumbaq; mirifico præſens fabricata decore
Deſuper ex alto cohibet cum culmine tecta.
Hos ego Cuthbertus *ſacri ſucceſſor honoris*
Incluſi titulis, exornauiq; ſepulchris:
Pontifices ex his ternos ſancta infula cinxit,
Nomina ſunt quorum Walſtodus, Torhere, Tirhtil.
Regulus eſt quartus Milfrith *cum coniuge pulchra*
Quenburga, *extitit è ſenis hæc ordine quinta.*
Sextus præterea eſt Oſelini *filius* Offrith.

Poſt *Cuthbertum, Podda.*
Ecca.
Cedda.
Altbertus.
* *Eſne.* *al. Elne.*
Celmundus.
Vtel.
Wlſeard.
Benna.
Edulf.
Cutulf.
* *Mucel.* *al. Muſel.*
Deorlaf.
Cuemund.
Edgar.
Tidhelm.
Wlfelm.

Alfricus.

Athulfus.

Ethelſtan.

Leouegar. Hunc tempore Regis *Edwardi Griſin* Rex Walenſium vrbe cremata expulit ſede & vita.

Walterus ſucceſſit, qui à *Nicolao* Papa Romæ ſacratus, pertendit ad quintum annum *Willielmi* Regis,& cum indecoro exitu,niſi fama mentitur, deceſſit. Erat in villa muliercula,quam neſcio quo infortunio ex occurſu viſam,multo arſit tempore. Ignorabat illa flammas pontificis; & ſi ſciret,contemneret: *Interea ſæpe cogitans Pontifex quod nihil eſt miſerius quam ſenex amans*, luctabatur pro ætatis & gradus reuerentia morbum depellere. Probeq; iam conualuerat,& victus furor terga dederat,cum ex occaſione, quam Diaboli fraus adminiſtrauit intra cubiculum illam accerſiit. * Subiecerat cauſam,vt cubiculariis veſtes incideret. Dicebatur enim officii perita. Illa ingreſſa, & operi propter quod venerat intenta, clientes ſecretorum conſcii agmine facto diſcedunt. Tum, ne multis morer, Epiſcopo poſt obſcœna dicta vim inferre paranti fœmina forcipibus, quas tenebat,inguina ſuffodit. Rumor criminis & vltionis totam peruagatus Angliam Regis quoque aures attigit Ille dignitate regia credulitatem diſſimulans,ne vel cæteri diſſeminarent grauiſſimo coercuit edicto.

al.ſuberat cauſa.

Non multo poſt accepit ſedem illam *Robertus* Lotharingus, qui ibi Eccleſiam tereti ædificauit ſchemate, Aquemſem baſilicam pro modo imitatus ſuo: omnium liberalium artium peritiſſimus,abacum præcipue, & lunarem computum, & cœleſtium aſtrorum curſum rimatus. Erat tunc temporis Monachus * *Marianus* apud Mogontiam incluſus,qui longo ſolitudinis otio chronographos ſcrutatus diſſonantiam cyclorum *Dionyſii*, exigui contra Euangelicam veritatem, vel primus vel ſolus animaduertit. Itaq; ab initio ſeculi annos ſingulos recenſens, 22.qui circulo deerant, ſuperaddidit, magnam & diffuſiſſimam Chronicam facere adorſus.Eum librum *Robertus* miratus vnice, æmulatus mirifice Angliæ inuehendum curauit. Deniq; captus *Mariani* ingenio quicquid ille largius dixerat,in arctum contrahens defflorauit.Adeo ſplendide, vt magis valere videatur defloratio,quam ingentis illius voluminis diffuſio. Præ cæteris contemporaneis Epiſcopis ſanctiſſimi *Wlſtani* familiaritati deditus erat,quem & vicinitate præſulatus attingebat. Remotis ergo ſæpiſſime forenſibus negotiis domeſticum illi contubernium præſtabat, delectatus vitæ illius puritate,& innocentia,quem quamuis ante ſe extulerit, non tamen ſocialis amoris vinculum mors illius prolõgata corrupit.Decumbebat *Wlſtanus* Wigorniæ,beato iam proximus fini: *Robertus* in curia inuitus duntaxat regalia placita tranſigens, aſtitit ipſi in viſu dicens omnino intelligibiliter, Si me vis videre viuum, feſtina venire Wigorniam, antequam obeam.Quo viſo petita à Rege licentia venire feſtinabat concitus,nulli quieti ſiue die vel nocte indulgens. Metus enim pius præſagium, quod res firmauit,infuderat,ne non ſuperſtitem inueniret.Longiuſcule enim fuerat curia. Et iam in manſione proxima Wigorniæ ſomno deditus, iterato videt *Wlſtanum* dicentem, Nihil minus quam pius amor poſcit,feciſti: ſed fruſtratus es deſiderio tuo.Iam enim migraui,tu modo(amice ſodalis) vitæ tuæ conſule,prouide ſaluti: quia non longas moras poſt me facies in hac luce,& ne phantaſtica viſione te credas illudi,ſignum accipe. Poſtquam cras corpus,quod iam triduo tuum ſuſtinet aduentum,terræ mandaueris,dabitur tibi xenium ex parte mea, quod meum eſſe cognoſces.Ita Pontifex expergefactus viam peregit; Wigorniam venit,officium ſepulturæ impleuit, re omnibus relata. Iamq; valedicto Monachis meditabatur diſcedere,calcitatumq; calcaribus equus operiebatur, cum Prior loci genibus eius reuerenter affuſus prætendit xenium dicens, * Accipite domine, ſi vobis placet, amatoris veſtri cappam agninis pellibus inſultam, qua indutus equitare ſolebat; quæ & longum veſtrum teſtetur amorem & ſanctitatis Domini noſtri mereantur protectionem. Hoc ille audito & munere recognito impalluit,gelidusq; cucurrit per oſſa tremor: ſtatimq; dilata profectione,concionem Monachorum acciuit in capitulum, lachrymis & ſuſpiriis quantum res exigebat, referens quanta veritate ſomnium & factum quadraſſent. Itaque omnibus ſua morte commendata diſceſſit de admonitione quidem lætus,ſed ſemper ſancto timore ſollicitus.Ianuario mediante *Wlſtanus* tranſiit,nec *Robertus* Iunium tranſcendit.

al. Marimannus.

al. accipe.

Girardo ſucceſſori eius in Eboracum translato.

Subſtitui iuſſus eſt à Rege quidam *Rogerius Lardarius*. Sed is nullo Pontificali munere ſuſcepto infra octo dies electionis apud Londoniam, vbi tunc erat curia, defunctus eſt: Manda-

Mandato ante Archiepiſcopo *Anſelmo* (Deus bone quam mira ineptia!) vt ſe in Epiſcopũ conſecraret antequam moreretur, eoq; anxie & inſtantiſſime poſtulato. Quam hominis fatuitatem nullo relato reſponſo ſanctus antiſtes ſolius modeſtia riſus infirmauit.

Tunc ſtatim electus eſt *Rainaldus* reginæ Cancellarius, vt mortui locum teneret. Qui ſecundum morem, quem Rex legitimum tunc arbitraretur, per principem annulo & baculo inueſtitus, vbi benedicere illum & cæteros ſic inueſtitos Archiepiſcopo recuſante perperam ſe feciſſe intellexiſſet, vltro nec rogatus, nec iuſſus retulit annulum & baculum Regi. Quocirca amicitiæ regalis extorris curia quoq; arceri iuſſus eſt. Tacite id ille & patienter tulit, donec dulciori aura cor regium ſerenante, legitime introductus & honorifice conſecratus eſt. Manſit in Epiſcopatu magna modeſtia, tum virtutibus cæteris, tum compunctione timoris Dei vbiq; & maxime inter Miſſarum agenda lachrymis irriguus, nullius mali opinione infamis, niſi quod minus quam decebat, & citra facultatem ſuam eſſe dapſilis dicebatur.

Deceſſit poſt paucos annos vitio podagræ, accepitq; ſucceſſorem *Gaufredum* cognomento de *Diua* non plus quinque annis, vulgatiſſimo iam per ora hominum infortunio, vt non diu quiſquam Epiſcopus apud Hereford ſuperſit. Bonus quidem & ille continentiſſimuſq; indifferenter cibis & veſtibus, quæ minori precio taxarentur, vtens, agriculturæ ſtudens, terras Epiſcopat⁹, q̃ ante exactionibus vectigaliũ multum leſæ fuerant, reparauit & prouexit. Quare & farre & cæteris, quæ victũ miniſtrant, ſufficiens paulo tenacioris animi ad pauperes fuit. Lacerandam ergo famam ſuam merito præbuit, quod nulla miſericordia erga egentes motus magnam copiam victualium nulli hæredi reliquit.

Datus ergo eſt Epiſcopatus ab Rege *Henrico Richardo* clerico de ſigillo, qui non multis annis ſuperfuit.

Tum demum bono (ſi Deo placet) omine electus eſt factusq; præſul *Robertus* prior canonicorum de Lantoni, qui hodieq; ſupereſt, cuius facta poſteri iudicabunt. Nunc plane illi benignum fama ſtrauit iter; ipſum eſſe religioſiſſimũ, in victu & veſtitu abſtemium. Apoſtolicæ certe curiæ ita notus, vt ei poſt legatum & Archiepiſcopum omnes diſpoſitiones ſuas in Anglia iniungat. Ornat Epiſcopalem ſedem reliquiis ſuis Rex & martyr *Egelbrithus* apud Orientales Anglos natus & principatus: hunc Rex Merciorum *Offa* pro confirmatione (vt putabat) & prouectu regni nullis extantibus cauſis peremit, nefariam rem in procum filiæ machinatus. Inuaſitq; continuo eo mortuo regnum Orientale, inuaſionis hæreditatem tranſmittens in ſucceſſores. Verum mors *Egelbrithi* innocua morte *Offæ* non multo poſt ſubſecuta, & eiuſdem filii breui regno creditur vindicata. Quin & Deus adeo euidentibus ſignis ſanctitatem eius notitiæ ciuium tradidit, vt tantæ dignitatis Epiſcopatus ſub eius conſecretur nomine. Eſt ergo martyr, & creditur non rationibus humanis, ſed virtutibus diuinis. Nec ineptum videri debet aut incongruum, quod anteceſſores noſtri probi præſertim & religioſi viri vel taciturnitate tolerauerunt, vel auctoritate roborauerunt. Nunquidenim beatus *Dunſtanus*, vt cæteros omittam, in quẽ ſe ſcientia literarũ & Dei gratia pleno ſinu infuderat, pateretur vel *Kenelmum* vel *Egelbrithum* vel *Wlſtanum* coli vt martyres, niſi ei gratum eſſe conſtaret apud ciues cœleſtes? Succumbat ergo mortalis ſententia vbi Dei fauor oſtenditur per miracula.

DE MONASTERIIS.

IN diœceſi præſulatus ſunt duo cœnobia: apud Scrobesboriam, & Wenloch. Scrobeſberienſium recens eſt à *Rogero* Comite de monte Gomerico conſtitutum. Ibi Monachos locauit ex Sagio, anguſto victu & amictu; ſed qui has ærumnas ſpe futuræ mercedis lætis animis paruipendant. Apud Wenloch fuit antiquiſſima ſanctimonialium habitatio. Ibiq; beatiſſima *Milburga* ſoror ſanctæ .* *Mildredæ* neptis *Pendæ* Regis Merciorum ex *al. Mildritha.* filio tranſegit vitam, & ſita eſt. Sed locum omnino deſertum prædictus Comes Monachis Cluniacenſibus impleuit, vbi modo ſpecioſa germina virtutũ conantur in cœlum. Enimuero ſepulchrum virginis clam erat nouis aduenis, omnibus videlicet vetuſtatis monumentis violentia hoſtium & temporum deletis. *Nouiter vero dum inchoata noui templi fabrica, quidam puer per pauimentum concitatius curſitaret, effracta mauſolei fouea propalam corpus virginis fecit. Tunc balſamici odoris aura per Eccleſiam ſpirante altius elatum tot miracula præbuit, vt cateruatim eo populorum vnda confluerent. Vix patuli campi capiebant populorum agmina, dum æquis vmbonibus diues & mendicus ſe agerent, cunctos in commune præcipitante fide. Nec caſſum euentum res habuit, vt nullus exinde niſi extincta vel mitigata valetudine diſcederet, nonnullos etiam regius morbus medicis ſane incurabilis per merita virginis relinqueret.*

DE EPISCOPIS LICEFELDENſibus, & Ceſtrenſibus.

LIcetfeld eſt villa exigua in pago Standfordenſi longe à frequentia vrbium. Nemoroſa circa Regio: riuulus aquæ propter fluit. Eccleſia Anguſto ſitu erat, antiquorum virorum mediocritatem & abſtinentiam præferens. Locus pudendus noſtri æui Epiſcopis, in quo Epiſcopalis dignitas diuerſari deberet. Ibi, vt prædictum eſt, ſanctiſſimus *Cedda* & ſedit, & obiit. Nam præter duos Epiſcopatus Merciorum, quos ſupra recenſui, tota reliqua prouincia Merciorum & Lindisfarorum primis annis Chriſtianitatis vnum habuit Epiſcopum, ſingulos ſingulis ſuccedentes: quorum hæc ſunt nomina.

Diuma.
Cellah, ambo de Scotia.
Poſt hos *Dumhere* natione Anglus.
Iaruman.
Cedda, cuius fuit ſedes, vt dictum eſt ſæpe, apud Licetfeld.
Cedda ſubſtituit *Theodorus* Archiepiſcopus *Wilfridum*, qui Diaconus anteceſſoris ſui fuerat.
Et huic *Sexwlfum.*
Sexwlfo duo ſucceſſerunt, *Hedda* apud Licetfeld.
Wilfridus apud Legeceſtram, *Wilfrido* vi hoſtilitatis deiecto ambas tenuit parochias *Hedda.*
Et poſt eum *Aldwinus.* Quo defuncto tres facti ſunt Epiſcopi in illa diœceſi.
Witta Licetfeld. *Totta* Legeceſtræ. *Ethead* Dorceſtræ. Licetfeldenſes hi fuerunt Epiſcopi.
Poſt *Witam Hemel.*
Cuthfrid.
Berthum.
Aldulf, qui tempore *Offæ* Regis accepit pallium.
Herewin.
Herkenwald.
Humbert.
Cinebert.
Tunfrith.
Elle tempore Regis *Elſtani.*
Elgar.
Kinſi.
Winſi.
Elfeth.
Godwine.
Lefgar.
Brithmar.
Wlſi.
Leowine.

Petrus, hic tempore Regis *Willielmi* ſenioris derelicta Licetfeld migrauit in Ceſtram, quæ abeſt ab eo loco millibus quinque & viginti. Ceſtra legionum ciuitas dicitur, quod ibi emeriti legionum militarium reſedere: Collimitatur Aquilonaribus Britannis. Regio farris & maxime tritici, vt plæraq; Aquilonalium, ieiuna & inops, pecorum & piſcium ferax. Incolæ lac & butyrum delicias habent, qui ditiores ſunt carnibus viuunt, panem hordeacium & ſiliginem pro magno amplectuntur. transmittitur à Ceſtra Hyberniam, reuehunturq; ciuitati neceſſaria, vt quod minus natura ſoli habet, labor negotiantium apportet.

DE MONASTERIIS.

IN vrbe fuit ex antiquo ſanctimonialium monaſterium, nunc per *Hugonem* Ceſtrenſem Comitem Monachis repletum. Prædicatur ibi *Wireburga* virgo filia *Wlferii* regis Merciorum, & *Ermenilda* filiæ *Sexburgæ*, quæ fuit filia *Annæ* Regis Orientalium Anglorum, & vxor *Erkomberti* Regis Cantuariorum. Wereburga *cælibatum profeſſa in illa ciuitate plurimo temporum curriculo bonis emicuit virtutibus, cuius vnum narro miraculum, quod ab incolis celebritate ſui famam & memoriam meruit. Rus extra muros habebat, cuius ſegetes depaſcebantur*

auca

anceſylueſtres. Villicus cuius officii intererat, omni cura abigere, ſed parum promouere. Quare dum herili aſſiſteret obſequio, huiuſce rei inter cæteras diei fabulas ſubintulit querimoniam. Vade, inquit illa, & include omnes in domo. Stupefactus agreſtis nouitate præcepti ludere putabat dominam: ſed illa conſtanter & ſerio præcipiente, ad ſegetem reuerſus vbi prædictas improbas primum conſpicatus eſt, vt ſe ex præcepto heræ ſequerentur, clara edixit voce. Tum omnes grege facto collis demiſſis hoſtem ſecutæ tecto incluſæ ſunt. quarum vnam præſumpſit ruſticus ad cœnam, nullum accuſatorem ſcilicet veritus. Diluculo venit virgo, & de rapina rerum alienarum volucres increpitans, fugam capeſcere imperauit. Nec defuit alitibus ſenſus, quæ ſe integras non eſſe ſcirent, quin circa dominæ pedes circumeuntes, nec vſquam prodeuntes, querela qua poterant, pietatem virginis excitarent. Illa Deo ſibi reuelante intelligens non ex nihilo eſſe tantam querimoniam auium, villicum ſedulo percunctata furtum cognouit. Iubet oſſa recolligi, nec mora, ſigno virgineæ manus medicante, cutis & caro oſſibus ſuperducta. cutis cœpit plumeſcere, donec ales animata, ſaltu primo alacri, mox volatu ſe librauit in æthera. Sequutæ ſine cunctatione cæteræ conſtante iam numero, exhibito prius liberatrici venerationis officio. Huius virginis apud Ceſtram prædicantur merita, extolluntur miracula. Cumq; omnium petitioni ſit incunctanter fauorabilis, tum maxime orationes fœminarum & puerorum vicino & contiguo auxilii pede attingit. In eadem ciuitate (vt dixi) fecit *Petrus* Epiſcopus ſedem in Eccleſia ſancti *Petri*, poſitis pauculis canonicis.

At vero ſucceſſor eius *Robertus* iterum ſedem in Couentreiam migrauit. Erat in diœceſi Ceſtrenſi Couentreiæ cœnobium à magnificentiſſimo Comite *Leofrico* & vxore *Godiua* conſtructum, tanto auri & argenti ſpectaculo vt anguſti viderentur ipſi parietes Eccleſiarum theſaurorum receptaculis, miraculo porro viſentium oculis. hoc *Robertus* inhians ex ipſis Eccleſiæ gazas ſic cepit, vnde Regis occupationes falleret, vnde Romanorum auiditati irreperet. Ex vna enim trabe quingentas marcas argenti corraſit, quæ ſcrinia ſuſtentabat. Plures moratus annos, nihil probitatis exhibuit loco: adeo tecta ruinam minantia nunquam exemit periculo, adeo ſacras opes dilapidans peculatus crimen incurrit * repetendarum reus futurus Epiſcopus, ſi eſſet accuſator paratus. Monachos miſerabili ſtipe cibans nec regularis ordinis amorem curauit accendere, nec niſi ad popularem literaturam paſſus eſt adſpirare, ne vel ciborum affluentia delicatos, vel regulæ rigor & ſcientię vigor redderet elatos cõtra ſe. Agreſti igitur victu & triuiali literatura cõtenti ſatis habebant ſi vel quiete viuere poſſent. Quin etiam moriens non apud Ceſtram ſed apud Couentreiam ſe tumulatum iri præcepit, ſua opinione relinquens ſucceſſoribus non indebitum ius calumniandi ſed quaſi legitimum vindicandi.

al. repetundarũ.

Ei ſucceſſit alter *Robertus* cognomento *Peccam* ex capella *Henrici* ad Epiſcopatum datus. vixit paucis annis & ibidem ſepultus eſt, prædeceſſoris ſui quoad vixit ſedulo æmulatus veſtigia.

Nunc eſt ibi *Rogerus* Epiſcopus ex dono eiuſdem Regis nepos cuiuſdam *Galfridi* de Clintone, magni quondam in Anglia nominis. Couentreiæ habetur brachium magni *Auguſtini* theca incluſum argentea. Cernunturq; in celatura huiuſmodi literæ: *hoc brachium S.* Auguſtini, Egelnodus *Archiepiſcopus rediens à Roma ad Papiam emit centum talentis argenti & talento auri.* Ibi ergo iacet Epiſcopus *Robertus* non ita infamis in omnibus. nam & iocundus dicitur & delapſis, & magnarum apud Licefeld ædificationum inchoator extitit. In ambabus porticibus Couentreiæ iacent ædificatores loci præcellentiſſimi coniuges, quorum maxime prædicatur fœmina: quæ cum theſauros viuens ibi totos congeſſiſſet, iamiamq; moritura circulum gemmarum, quem filo inſuerat, vt ſingularum contactu ſingulas orationis incipiens numerum non prætermitteret; hunc ergo gemmarum circulum collo imaginis ſanctæ *Mariæ* appendi iuſſit. Sed quam pretioſarum putas gemmarum? profecto à gnaris centum marcis argenti æſtimantur.

DE EPISCOPIS LEGECESTRENSIBVS.

Legeceſtra eſt ciuitas antiqua in mediterraneis Angliæ, à Legra fluuio præterfluente ſic vocata; cuius Epiſcoporum nomina ſolum ponam, quod de ipſis nihil aliud ad nos manauit.

Totta.
Edbertus.
Vnwina.
Werenberth.
Berhum.
Aldred.
Celred.

Leouinus hic tempore Regis *Edgari* coniunxit Epiſcopatus Lindisfarorum qui nunc dicitur Lincolnienſis & Legeceſtrenſium.

DE EPISCOPIS DORCECESTRENſibus, ſiue Lincolnienſibus.

DOrceceſtria eſt villa in pago Oxenfordenſi, exilis & infrequens: maieſtas tamen eccleſiarum magna, ſeu veteri opera, ſeu ſedulitate noua.

Ibi poſt *Hedhedam* hi fuerunt Epiſcopi: * *Epelpine.* — *al. Edelwine.*

Edgar.

Kinebert.

* *Alpith.* — *al. Alwib.*

Aldulf.

Celnulf.

Edulf.

Bricthred.

Leouine. Hic eſt ille, qui ambos coniunxit Epiſcopatus.

Elfnod.

* *Eſcpi.* — *al. Eſcwi.*

Elfelm.

Ednod.

Etheweric.

Ednod.

Wluin.

Remigius ex Monacho Fiſcanenſi, qui *Willielmo* Comiti Normannorum in Angliam venienti auxilium in multis præbuit, Epiſcopatum ſi vinceret pactus. Nec fuit *Willielmus* ſegnior in dando quam *Remigius* in accipiendo. Cum eum vnde *Alex.* papa (vt iam dixi) conuiciſſet & adiudicaſſet, rogatu tamen archipiſcopi *Lanfranci* honori reſtituit. Ille primis annis egregia apud Dorkeceſtram meditatus, & aliqua facere ingreſſus, nouiſſime curam omnem & ſedem tranſtulit ad Lindocolniam ciuitatem vnam ex populoſioribus Angliæ, emporium hominum terra mariq; venientium. Ibi *Remigius* in honorem Dominæ matris fundatam Eccleſiam canonicis multis impleuit, & ipſis literarum ſcientia & diuitiarum affluentia, quas ex ſuo coemerat, eminentibus. cœnobium monachorum apud ſanctam *Mariam* de Stou ex nouo fecit: alterum apud Bardenei ex veteri fauore ſuo innouauit. Quod eo iucundius erat, quia ipſe pro exiguitate corporis pene portentum hominis videbatur, luctabatur excellere & foris eminere animus, eratq;

Gratior exiguo veniens è corpore virtus.

Quem ideo natura compegiſſe videtur, vt ſciretur beatiſſimum ingenium in miſerrimo corpore habitare poſſe. Fœliciter ergo acta vita in ipſo apparatu conſecrationis ſuæ Lindocolniam pridie futuræ dedicationis æmula illum mors tantis gaudiis ſubtraxit. Nã & magnanimi viri hortatu omnes vndiq; pontifices regium edictum acciuerat. Solus *Robertus* Herefordenſis venire abnuerat, & certa inſpectione ſyderum dedicationem tempore *Remigii* non proceſſuram viderat, nec tacuerat.

Tunc ergo rem dilatam ſucceſſor eius non grauiter expleuit, vtpote qui in labores alterius delicatus intraſſet, *Robertus Bloet* homini nomen. vixit in Epiſcopatu annis paulo minus 30. diſceſſit procul à ſede apud Woodſtocke, vbi, cum regio lateri cum alio quodam Epiſcopo adequitaret, ſubito fato interceptus eſt. Cætera ſatis ſuis hilaris, & parum grauis: negotiorum ſcientia ſecularium nulli ſecundus, Eccleſiaſticorum non ita. Eccleſiam cui ſedit ornamentis precioſiſſimis decorauit. Defuncti corpus extenteratum, ne tetris nidoribus vitiaret aerem, viſcera Egnesham, reliqua Lindocolniæ ſepulta ſunt. Monachos enim qui apud Stou fuerunt, viuens Egesham migrauerat. Notum eſt autem monachos Egeshamenſes Dominæ noſtræ deuotos, & ab ea dilectos. Denique, cum præterito anno quidam eorum adoleſcens decumberet, conſpicatus eſt eam ſibi auxilio aduentantem turbas dæmonum, qui conuenerant, effugare. Quos ille digito præſentibus oſtendens, benedictæ aquæ aſpergine rogabat abigi. Illi ex vna parte propulſati, ſtatim alibi aderant. Veruntamen potẽti imperatrice aduenientе omnes euanuere. Tum ęgrotus prorſus quaſi incolumis canora voce reſponſorium incepit: *Gaude* Maria *virgo.* Cumq; mediũ feciſſet, vi morbi vel potius obliuionis vitio hæſit: ſed ab aſtante monacho admonitus memoriam recollegit, itaq; cum extremo verbo vltimũ exhalauit ſpiritum. Hac igitur occaſione de hoc cœnobio prelibata, cętera in Lincolnienſi diœceſi ſita ſtylo peruagabimur. Fuit antiquitus in Oxenfordenſi ciuitate monaſteriũ ſanctimonialiũ

in

in quo requieſcit * *Frideſwida* virgo ſacratiſſima, Regis filia, Regis thoros deſpexit, integritatem ſuam Domino *Chriſto* profeſſa. Sed ille cum ad virginis nuptias appuliſſet animum, precibus & blanditiis inaniter conſumptis, vi agere intendit. Quo *Frideſwida* cognito, fugæ in ſyluam conſuluit. Nec latibulum latere potuit amantem, nec cordis deſidia obfuit, quin perſequeretur fugitantem. Iterato ergo virgo iuuenis furore comperto, per occultos tramites Deo comitate Oxenfordiam ingreſſa eſt nocte intempeſta. Illuc cum mane curioſus amator * deuolaſſet, puella iam de fuga deſperans, ſimulq; pro laſſitudine nuſquam progredi potens, Dei tutelam ſibi, proſequutori pœnam imprecata eſt. Iamque ille cum comitibus portas ſubibat vrbis, cum cœleſti plaga irruente cæcitatem incurrit. Intellectoq; pertinaciæ ſuæ delicto, & *Frideſwida* per nuncios exorata, eadem celeritate, qua perdiderat, lumen * accepit. Hinc timor regibus inoleuit Angliæ, illius vrbis ingreſſum & hoſpitium cauere: quod feratur peſtifer eſſe, ſingulis refugientibus ſui damno periculi veritatem rei experiri. Ibi ergo fœmina virginei triumphi compos, ſtatuit monaſterium & diebus ſuis ſponſo vocante ſubiuit fatum. Tempore vero *Egelredi*, cum Dani neci adiudicati in monaſterium illud confugiſſent, pariter cum domibus inſatiabili ira Anglorum flammis abſumpti ſunt. Sed mox Regis pœnitentia purgatum ſacrarium, reſtitutum monaſterium, veteres terræ redditæ, recentes poſſeſſiones additæ. Noſtro tempore, paucisſimis ibi clericis, qui pro libito viuerent reſiduis datus ille locus à *Rogero* Saleberienſi Epiſcopo *Guimundo* excellentis literaturæ & non aſpernandæ religionis canonico: Qui non inoperoſe cōmiſſo inſudans muneri multos ibi canonicos regulariter victuros Deo exhibuit. Pagus Bedefordenſis continet Abbatiam ſancti *Albani*. Is non mercenarius nec futilis martyr habet laudatores & teſtes martyrii præcipuos, *Bedam & Fortunatum* quorum copiæ ſi vellem aliquid adiicere, tale eſſet ac ſi cuperem mari aquas infundere. Corpus ſanctiſſimum, quod diu in terræ puluere iacuerat, Rex *Offa* in ſcrinio collocatum erexit in lumen, baſilica pulcherrimi operis, & monachorum numeroſitate honorauit. Nec res eſt in ambiguo cum Bathoniæ conſiſtentem admonitum ſomnio, cumq; illuc iter ageret, eſſetq; vir in proximo lucis, in modum ingentis faculæ ſupra locum ſepulchri, & noctu & interdiu deſcendentis animatum indicio. Id cœnobium nunquam omnino ruinæ patuit, ſed noſtra ætate per *Paulum* abbatem agente *Lanfranco* Archiepiſcopo in ſummũ auſpicium religionis euaſit. In Huntendinienſi pago ſunt Burch & Rameſeia & Crosland. Burch olim Medehamſtede dicebatur: ſed poſtquam *Kenulfus* abbas locum muro erexit, à ſimilitudine vrbis Burch vocatus eſt. Hic beatiſſimus *Æthelwoldus* monaſterium conſtruxit, adeo elaboratis ſumptibus & ampliatis poſſeſſionibus, vt pene tota circa regio illi ſubiaceat. Colunt & fouent in reliquias corporum ſuorum virgines eximiæ, *Kinedreda & Kineſwida Pendæ* Regis filiæ. Ambæ ab infantia Deo dicatæ nobile propoſitum tenuerunt ad ſenium. Sed iunior non ſolius ſui contenta ſalute etiam *Offam* ſponſum cœlibatui conſecrauit. Is fuit Rex Orientalium Anglorum paucis annis, ephœbus iucundi vultus & animi, ætatis floridæ, maximi apud ciues amoris, *Kineſwidæ*, cuius nuptias ſperauerat, monitu edoctus amores mutare in melius. Romam cum *Kenredo* Rege Merciorum & *Egwino* Wicciorum antiſtite iuit, vbi attonſus in Monachum, terrenis ſuo tempore valefecit. Ornat ſodalitatem virginum (vt prædicant) rex ſanctus *Oſwaldus*, cuius ibi brachium haberi dicunt, neruis, cute, carne, integrum ab antiqua requietionis ſede furtim ablatum: Daturq; oſtenſui ſcriniũ magnum illius theſauri receptaculum. Sed fides dictorum vacillat, vbi nihil auditor viſu explorat. Hoc vero non dixerim, q; de integritate ſancti ſum dubius, ſed vtrum eo loci contineantur, nolo eſſe affirmator præproperus. Rameſienſis abbatiæ fuit ædificator ſanctus *Oſwaldus* Eboracenſis * Epiſcopus, cooperante *Egelwino* quodam orientalium Anglorum Comite; laudabili liberalitate vtriq; prædicabiles, ſed maxime laicus, qui hoc loco, quod vidiſſet antiſtitem cuiuſdam principis inferias agentẽ dulciter defixo in ſolum lumine ingenue illacrymaſſe, adeo religione ipſius captus eſt, vt ei omnia ſua prona faceret. Sācto ergo fauore propenſus cœnobium illud opulentiſſime cōſtruxit in paluſtri quadam vligine ſitum. Fœlix ibi orientalium Anglorum Epiſcopus primus de Scham iuſſu Comitis *Egelwini* aſportatus iacet: ſed & duo germani *Egelredus & Egelbrithus*, quos filios patrui ſui *Egbertus* rex Cantuariorum in ſpem regni adoleſcere metuens, aliquandiu circa ſe habitos tandẽ ab aulæ frequentia remouit, contuitum ſuum eis inuidens. Acceſſit regiæ malignitati miniſter funeſtus nomine *Thunre*, q; tonitruum ſonat qui eos quotidianis deceptos baſiis inter amplexus ipſos pugione cōfodit: interemptus ſcrobi profundæ, & (vt fertur) ſub ipſo ſedili regis immerſit, ne quiſquam ibi pueros quærendos putaret. Quis .n. eos ibi quæreret? ſed diuinus ille oculus, quẽ arcana cordium non fallunt, tulit inſontes in lucem, multas ibi largitus ſanitatũ copias. Præterea terribili mira-

al. Fritheſwida.

al. aduolaſſet.

al. recepit.

al. Archiepiſcopus.

culo regem afficiens, vt eum ſupra ſedentem afflaret incendium. Vicini ergo commoti, rudera illa tumultuario ceſpite corporibus iniecta effodientes, baſilicam eorum martyrio poſuere. Ipſe rex pœnitens cædis ſorori puerorũ partem prægrandē inſulæ Tanati ad monaſterium delegauit ędificandum pro piaculo interfectoris & interfectorum. Quod cum conſueta impudentia *Thunre* in prauũ torqueret, ſubito telluris hiatu abſorptus, videns & viuens intrauit infernum. Locus erat ſepulchri ſanctorũ in orientali Anglia, cuius nomen Eaſtreia. Quapropter Comes prouinciæ *Egelwinus* de obſcura leuatos Eccleſia celebri pompa Rameſeiam perduxit. Iam vero illum & iſtos præcedit miraculis, tranſcendit ſignis, qui iacet ibidem *Iuo* Perſa Epiſcopus. Is quondam pertæſus deliciarum, quas * ibi amplißimus Epiſcopatus adminiſtrabat, reliquit clam ſuis omnia, peregrinationem longiſſimam tribus tantum ſociis aggreſſus. Multorũ ergo annorum iter permenſus, & ruſticum ſe habitu pannoſo videntibus ementitus Angliam tandem adnauigauit, Delectatuſque admodũ ignotæ linguæ Barbariæ, quod quaſi fatuus ab omnibus rideretur, in lutoſa prouincia ſubſtitit, ibiq; vitam ſuam, quanta fuit exegit. Sequuti ordine, quo Deus præuiderat, Comites prouinciales nec locum ſepulchri, nec nomen ſancti norant. Lapſa ſunt multorum momenta temporum, iacebatq; ſub obliuionis obſcuro cœleſte margaritum. Iam beatus *Oſwaldus* reliquerat terras, iam *Egelwinus* finem vitæ fecerat. Cum autem eo placuit, qui tempora diſponens in menſura & numero & pondere cuncta ordinat, apparuit in viſu ſanctus *Iuo* ſimplicitatis innocentis viro, eiq; nomen & gradum & ſepulchri locum per ordinem expoſuit. Iret ergo, & abbati Rameſienſi ſeriem viſionis explanans adiiceret: vt ſe Rameſeiam exportato ſocios ibi relinqueret, non corpus ſuum locandum in ſcrinio, ſed in loco altari contiguo adeuntibus opportuno. Hactenus hæc viſio valuit, vt Abbatis Rameſienſis credulitatē eliceret. Qui ſicut ad credendũ tardus, ita ſemel fide cõcepta, ad facienda quæ viſa fuerant, celer & maturus. Perrectum eſt igitur, & ſepulchrum quęſitum, inuentum, apertum. Cõtinuoq; ſancto corpore in linteo expoſito, ex ipſis mauſolei ſinuoſis anfractibus erupit vnda bullis vberrima fugacibus. Manat ad hunc diem fons dulcis potui, accommodus omnium valetudini. Nec poteſt numero æſtimari, nedũ comprehendi ſcripto multitudo per beatum illum ſanatorum; adeo vt nullus ſit in Anglia ſanctus *Iuone* vel exoratu facilior vel effectu efficacior. Vidi ego quod dicam, Monachus quidam morbo intercutis aquæ languebat. Iam turgida pellis in altum creuerat, iam grauis halitus aſtantes ſubmouebat, Ipſe ſibi epotaturus totos amnes, exſiccaturus plena dolia videbatur. Admonitus in ſomnis ad ſanctum *Iuonem* perrexit, ibiq; tertio potata aqua vndam ſuperflui humoris ore reiecit. Detumuit venter, remarcuerunt crura, & ne plura, totus homo in ſanitatem reuiruit, tandemque gloriatus eſt pro tam ſalubri vomitu ſe aliquando ſatiari poſſe de potu. Croland eſt vna inſularum iacentium in illo tractu orientalium ſtagnorum, quæ à meditullio terræ orientia, & per centum & eo amplius millia fluentia in mare, cum multis & magnis fluminibus impetu ſuo præcipitantur. Hic *Guthlacus* non deiecta ſtirpe oriundus ephœbus, ſpreto vſu armorum, quo pollebat, cum eſſet viginti quinque annorum ſolitariam vitam ingreſſus quindecim annis deguit. Quibus aſſiſtente Dei gratia & ſacerdotii gradu & ſignorum honore & vaticiniorum veritate approbatus eſt. Sed magis virtutum eius gratia poſt obitum ſplenduit tam ſacratiſſimi corporis poſt annum incorruptela, quam multorum miraculorum oſtenſione præcipua. Meritis quoque eius datur, quod ad corpus eius ædificato monaſterio inter tot bellorum turbines, inter tot temporum volubilitates nullam ærumnam vel detrimentum ſui locus ille perſenſerit. Acceſſit & nouus hoſpes, ſed vetus apud Dominum patronus *S. Neotus*, q quondam beatiſſimi *Erkenwaldi* diſcipulus apud Einulfeſbari maxima ſemper veneratione habitus eſt. Sed illinc pro Danorũ incurſu ſublatus, & Croland delatus, modo iuncto cũ *Guthlaco* vmbone indigenas ꝓtegit, aduenarũ ēt vocibus exorabilis. Quamuis enim locus niſi ꝑ aquã, nuſq̃ adiri poſſit, tamen ante portã monaſterii publicus (vt ita dicam) ꝑternauigantium trames habetur. Quo fit, vt pene nunq̃ ibi deſint hoſpites vltra citraq; cõmeantes. Inuenerunt quoq; noſtra tẽpora, quem cõſecrarent martyrẽ, ꝙ innocẽter cæſum fama pronunciet. Quod vtinã à veritate nõ diſſideat. *Waldefus* is eſt ample proſapiæ Comes, filius Siwardi magnificentiſſimi Northõbranorũ Comitis. Hic à *Willielmo* rege ſeniore pro cuiuſdã coniurationis in ſe factæ ſuſpicione cõprehenſus diu in vinculis tent⁹, vltimo capite ſpoliatus eſt, & apud Croland ſepult⁹. Opiniones Normannorũ in malũ in geſtis regũ poſui. hic Angli quid de diuerſo aſſerant, nõ tacebo, Angli plurimũ veritato ꝑſtantes: neceſſitate comitē in conuiuio interceptũ ad coniurationē ſolũ motu labiorũ nõ voluntate * addictũ in fidelitatis ſacramentũ agitaſſe. Eo id fuiſſe palã, ꝙ & *Lanfranco* archiepiſcopo & ipſi regi vltro cõfeſſus pœnitentiã de ſimulato ad horã cõſenſu fecerit. Anglorũ aſtipulationi diuinitas aſſentiri videtur, miracula multa & ea ꝑ maxima ad tumbã il-

al. illi.

al. adductum.

lius oſtendens. Aiunt enim in catenas connexum quotidianis ſingultibus perperam commiſſa diluiſſe. Mihi prior loci narrauit, ſe miraculis commotum, corpus nobile ab omni labe immune contrectaſſe, caput reliquo corpori compaginatum rubra tantum quaſi linea ſignum cædis oſtentante vidiſſe. Quapropter non ſe dubitare illum in omni ſermone ſanctum appellare, in illius nomine orationes & beneficia loci petentibus dare dicebat.

DE EPISCOPIS ELIENSIBVS.

REſtat Helienſis Epiſcopatus à nobis percenſendus, qui cum fuerit explicitus ferias tantarum circuitionum hic labor noſter accipiet. Hely ſtagnantium inſularum maxima ab anguillarum copia ita dicta, ſicut *Beda* communi notitiæ conſentiens author eſt. Deniq; illorum & omnis pene amicorum piſcium generis tanta eſt copia, vt ſit aduenis miraculo, indigenis pro illorum admiratione ludibrio. Nec minor aquaticarum volucrũ vilitas, vt pro vno aſſe de vtroq; cibo quinq; homines & eo amplius nõ ſolum famem pellant, ſed & ſatietatem expleant. Ibi fœliciſſima domina* *Edeldrida* prima monaſterium ſtatuit ancillarum Dei: poſt eam *Sexburga* ſoror eius vxor *Erkomberti* regis Cantuariorum & mater ſanctiſſimæ virginis *Ercongettæ*: in eodem loco ſub religione & nomine Abbatiſſæ conſenuit. Ibi ſucceſſit in regimine altera eius filia *Ermenilda*, quæ fuerat vxor *Wlferii* regis Merciorum, & mater *Wereburgæ* virginis, de qua ſuperior ſermo veritatem perſtrinxit. Hæ tres continuatis ſucceſſionibus abbatiſſæ fuerunt: habueruntq; ſucceſſiuis tẽporibus multas & regiminis & religionis imitatrices vſq; ad tempora Danorum, qui etiam in ipſas paludes irruentes, habitatricibus effugatis habitacula ſubruunt. *Quorum vnus, cui cordis immanitas rabiẽ aſpirabat, precioſum pallium, quo tumba virginis* Etheldridæ *operiebatur, ſurripuit, & marmor mauſolei bipenni percuſſit: quo ictu cũ cruſta diſsiluiſſet marmoris fragmentum illud repercuſſo à terra impetu in oculum percuſſoris volauit. Sed & ipſe in terram ſine mente ruit. Cæteri certatim illo* * *eiecto aliarum ſanctarum ſepulchra, quæ temerare meditabantur, inuiolata relinquentes in fugam proruunt.* Sed nõ diu ſolitudo ſacratiſſimi loci durauit, annitentibus & rege Angliæ & prouincialibus. *Poſiti ergo ad tempus clerici, qui ſacra diuina frequentarent. Eorum aliquis procacior cæteris aut puto ſyncera mente ad virginis incorruptionem certius explorandam ſocios exacuere tentauit. Illis periculum rei præ ſe ferentibus ipſe acceſſit, primoq́; per foramen, quod Dani effecerant, appoſitam virgæ candelam immittens, curioſitate oculorum quantum poterat ſequutus, omnia rimari: mox ſummitate virgæ fiſſa pannos, quibus ſacrum corpus inuoluebatur, ad ſe trahere conari. Iamq́; partem attraxerat, cum virgo indignata nudum corpus à nebulone videri pannum introrſum violenter retraxit, adeo vt illum contranitentem terra ſupinum eliderit: quo caſu perpetuo debilis, & poſterius amentia non caruit.* Id foramen poſtea *Ethelwoldus* Epiſcopus ſanctus cæmento & lapide damnauit, extruſiſq; clericis Monachos induxit: contulitq; ibi magna & quanta quis miretur prędia, omnia ex ſuo mercatus. Quantitatem poſſeſſionum antiquarum ex hoc conijce: quod licet plura dempta plura vſurpata, is qui modo rem regit, mille & quadraginta libras marſupio ſuo quotannis annumerat: monachis vix trecentas contulerit, præter ea, quæ in ſuos & ſeruientium & hoſpitum vſus abſumit. *Brithnodus* ibi ab *Ethelwoldo* abbas conſtitutus tranſtulit ad cœnobiũ corpus *Withburgæ* ſororis ſanctæ *Etheldredæ. Iacebat ad hoc tempus illa in rure ignobili in quo ipſa pluribus annis cælebs & ciborum continens tranſegerat: miniſtrabat ei quotidianum ex vberibus potum cerua domeſtica & manui aſſueta, quam cum quidam ſeu telo ſeu iaculo appetiſſet & exanimaſſet, regio non multo poſt morbo captus extabuit. Huius ergo illibatũ corpus impoſitum naui* Brithnodus *transferebat, ciuibuſq́; ad arma recognita proſilientibus niſi puppim in fluctus præcipitare properaſſet, profecto pœnas luiſſet. Non. n. inſula tunc niſi nauigio adiri poterat: ſed noſtra ætas ſolertior vicit naturam, aggeribuſq́; in paludem iactis tramitem terreſtrem præbuit, & inſulam pedibus acceſſibilem fecit. Nautis ergo inter vndarũ volumina periclitantibus, quia illi timore pericli ſe inexplorato ſtagno commiſerant, columna ignea è cœlo ad nauem pertendens, nauem cito curſu ad littus perduxit.* At vero de *Withburgæ* incorruptione cum quibuſdam veniſſet in dubium, tempore *Richardi* abbatis cum transferrentur corpora ſanctarum, dubietas euentilata eſt: & beatam quidem *Etheldritham* nemo penitus pro veteri fide præſumpſit attingere, ipſam vero vltra mammas detexere, viſaque eſt toto corpore integra, dormienti ſimilior quam mortuæ, puluillo ſerico ad caput appoſito, velo & totis veſtibus integra nouitate renitentibus, ſerena facie, roſeo rubore ſuauis, dentibus candidis, labiis paululum reductis, papillis admodum paruulis. Habuit ergo hoc cœnobium abbates vſq; ad nonum annum *Henrici* Regis. Tunc enim, quia Lincolnienſis Epiſcopatus diœceſis nimium protendebatur, conſilium habitum eſt, vt apud Hely conſtitueretur epiſcopus, haberetq; pagum Grantebrigenſem. Et ne Lincolnienſis ſumptus ſuos imminutos quereretur, dedit regia liberalitas ex alieno villam Helienſem Spallinges vocatam, quæ Epiſcopi damnum ſarciret, querelam compeſceret.

al. Etheldrida.

al. erecto.

Inthronizatus eſt ergo ibi *Herueus* quidã, qui fuerat Bancorenſis Epiſcopus, dimiſeratque ſpe maiorum diuitiarum ſedem, cauſatus quod ſibi & Wallenſibus non conueniret. Eſt enim Bancor in ipſis Wallis, monaſterium quondam nobile & tot habitatoribus plenum, vt (ſicut *Beda* refert) ſi in ſeptem partes diuideretur, non minus quæq; portio quam trecentos homines haberet: ſunt certe adhuc ibi tot ſemiruti parietes Eccleſiarum, tantæ turbæ ruinarum quantæ vix alibi. In eius (Helienſis dico) Epiſcopi parochia eſt Thorneiæ cœnobium. Thorneia vlterior ſcripto & contractior ſpacio, ſed prior laudum titulo, paradiſi ſimulachrum, quod amœnitate iam cœlos ipſos imaginetur, in ipſis paludibus arborum ferax, quæ enodi proceritate luctantur ad ſydera, æquora planities herbarum viridantibus comis oculos aduocant, currentibus per campum nullus offenſioni datur locus. Nulla ibi vel exigua terræ portio vacat, hic in pomiferas arbores terra ſe ſubigit; hîc prætexitur ager vineis, quæ vel per terram repunt, vel per baiulos palos in celſum ſurgunt. Mutuum certamen naturæ & cultus, vt quod obliuiſcitur illa, producat iſte. Quid dicetur de ædificiorum decore, quæ ſolum mirabile quantum inter illas paludes ſolidum inconcuſſis fundamentis ſuſtinet? Solitudo ingens ad quietem data monachis, vt eo tenacius hæreant ſuperis, quo caſtigatius mortales conſpicantur. Fœmina ibi ſi viſitur monſtro habetur, maribus aduenientibus quaſi Angelis plauditur. Cæterũ ibi nullus niſi momentanee conuerſatur. Famuli monachorum & ipſi feriatis diebus abſunt. Vere dixerim inſulam illam eſſe caſtitatis diuerſorium, honeſtatis contubernium, diuinorum philoſophorum gymnaſium Thorneie propter condenſitatem dumorum vocata.

vel ſarriri. At vero *Ethelwoldus* vepres extirpari, ſpinas * ſarciri iuſſit, iam principio Epiſcopatus meditatus omnibus mundi omiſſis heremiticam exercere ibi vitam. Libabatq; vt poterat, futuræ quietis primitias diebus quadraginta in remotiſſima, quam ipſe conſtruxerat, Eccleſia ſolus Deo vacans. Idcircoque non tantum terrarum illuc, quantum alibi, congeſſit: ſed quantum ſibi & 12. Monachis ſatis eſſet. Omne vero, quicquid loco contulit, ab omnibus in perpetuum publicis functionibus liberum fecit Regis edicto cunctorum Epiſcoporum & optimatum aſſenſu firmato. Corpora ſanctorum, qui olim in illa eremo diuerſati fuiſſent, necnon & aliorum per Angliam tot aduexit, vt omnes pene anguli Eccleſiæ pleni ſint: quorum nomina ſcribere vltro refugio, quia barbarum quiddam ſtridunt: non quod eos ſanctos vel diſcredam, vel diffitear. Cuius enim auctoritatis ego ſum, qui in diſceptationem vocem, quæ facta conſecrauit antiquitas? ſed quia (vt dixi) vocabula eorum inconditum ſonant, horridum olent fatuis duntaxat hominibus quales multos noſtra parit ætas, nolo ſanctos exponere ludibrio: præſertim cum eorum vitas nec habitatores legant, friuolumq; videatur, ſi eorum prædices merita, quorum nulla inuenias miracula. Igitur omni reuerentia cuſtodita pace ſolum *Benedictum* auſim propalare, qui *Bedæ* nutritius & Abba fuit. Hic Wiræ amnis vtraſq; ripas (qui apud Northumbros non incelebris famæ habetur) monaſteriis prætexuit ſub Apoſtolorum *Petri & Pauli* nomine, charitatis & regulæ vnione non diſcrepantibus. Huius induſtriam mirabitur, qui leget librum, quem idem *Beda* compoſuit de vita eius & cæterorum abbatum ſuorum: induſtriam, ꝙ copiam librorum aduexerit, quod artifices ædium lapidearum & vitrearum feneſtrarum primus omnium Angliam aſciuerit: totum æuum pene, tranſigendo talia, peregrinatus. Quippe ſtudio aduehendi cognatis aliquid inſolitum amor patriæ & voluptas elegantiæ aſperos fallebant labores. Nec enim lapidei tabulatus in Anglia ante *Benedictum* niſi perraro videbantur, nec perſpicuitate vitri penetrata lucem ſolaris iaciebat radius: Patientiam, quod in poſſeſſione cœnobii ſancti *Auguſtini* apud Cantuariam libenter venienti *Adriano* ceſſerit, non reueritus *Theodori* Archiepiſcopi ſupercilium, ſed veneratus magiſterium. Fuerat enim illius cœnobii abbas *Egberto* Rege conſtitutus, ſed (vt dixi) reuerentiæ *Theodori* ceſſit: cui præceperat *Vitalianus* papa, vt *Adrianum* iuxta ſe locaret ſpeculaturum ne quid in Eccleſia more Græcorum nouaret: quod dum per alienas terras curſitat, diu abſens ſubintroductum à monachis ſuis Wirenſibus ſe inconſulto abbatem æquanimiter imo magnanimiter tulerit: domũq; reuerſus parilẽ illi honorem in cõſeſſu, in omni porro poteſtate cõmunicauerit: quin & ictus paralyſi tam valide, vt nihil artuũ ei eſſet flexibile, tertium conſtituerit, ꝙ alter (de quo diximus) eadẽ decoqueretur valetudine non mitius quam ipſe. Cumq; morbus iam creſcens quateret vitalia, ſocio ad ſe accito ſolo nutu valedixit. Sed nec ille præſtantius valuit redhibere officium, vtpote qui propinquiorem tendebat ad exitum. Nam ante *Benedictum* defunctus eſt. Huius ergo corpus magno coemptum pretio *Adelwoldus* Thorneiam aduexit, & obſcurioribus ſanctis lucifluum iubar inuexit.

HEN-

HENRICI

ARCHIDIACONI

Huntindonienſis

HISTORIARVM

LIBRI OCTO.

ANNO

M. D C I.

PROLOGVS AD ALEXANDRVM EPISCOPVM LINCOLNIENSEM.

CVM *in omni fere literarum ſtudio dulce laboris lenimen, & ſummum doloris ſolamen, dum viuitur, inſitum conſiderem: tum delectabilius & maioris prærogatiua claritatis hiſtoriarum ſplendorem amplectendum crediderim. Nihil namq; magis in vita egregium, quam vitæ calles egregie indagare & frequentare. Vbi autem floridius niteſcit virorum fortium magnificentia, prudentium ſapientia, iuſtorum iudicia, temperatorum modeſtia, quam in rerum contextu geſtarum? audiuimus quidem quid* Homericam *laudans hiſtoriam* Flaccus *intimauerit dicens: qui quid ſit pulchrum, quid turpe, quid vtile, quid non, plenius & melius,* Chryſippo *&* Crantore *dicit.* Crantor *ſiquidem &* Chryſippus *circa doctrinam morum Philoſophãtes, multis codicibus deſudauerunt.* Homerus *autem velut ſpectaculo eliquans prudentiam* Vlyſſis, *fortitudinem* Agamemnonis, *temperantiam* Neſtoris, *iuſtitiam* Menelai: *& è contra imprudẽtiam* Aiacis, *debilitatem* Priami, *intemperantiam* Achillis, *iniuſtitiam* Paridis, *honeſtum & vtile & his contraria lucidius & delectabilius Philoſophis hiſtoriando diſſeruit. Sed quid in alienis moramur? vide quo modo ſancta doceat hiſtoria morum inſtituta, dū* Abrahæ *iuſtitiam aſſignat,* Moyſi *fortitudinem,* Iacob *temperantiam,* Ioſeph *prudentiam, & contra dum* Achab *iniuſtitiam,* Oziæ *inualitudinem,* Manaſſe *intemperantiam,* Roboam *imprudentiam demonſtrat. Præſertim O Deus bone, quantæ humilitatis fax eſt, quod ſanctus* Moyſes, *Deum ſe protegentem & vlciſcentem vt ab hoſtibus ſuis auerteret, thuris odorationem cum fratre admonens, in medium periculi terribilis ſe iniecit, & pro* Maria *ſe blaſphemante lachrymas effudit; & pro maleuolis ſemper orando ſudauit! quantæ benignitatis lux eſt, quod* Dauid *maledictis, iniuriis* * Simei, *& blaſphemiis læſus, & irritatus ab eo vehementer, vnum & perſequentem & debilem armatus & comitatus & fortiſſimus contra feriri prohibuit; & poſtea victor & regno reſtitutus vltionem fieri in eum non permiſit? ſic etiam in rebus geſtis omnium gentium & nationum, quæ vtiq; Dei iudicia ſunt, benignitas, munificentia, probitas, cautela, & his ſimilia, & contraria non ſolum ſpirituales ad bonum accendunt, & à malo repellunt: ſed & ſeculares ad bona ſollicitant, & in malis muniunt. Hiſtoria præterita quaſi præſentia viſui repræſentat: futura ex præteritis imaginando diiudicat. Habet quidem & præter hæc illuſtres tranſactorum notitia dotes, quod ipſa maxime diſtinguat à brutis rationabiles: bruti namq; homines & animalia vnde ſint neſciunt, genus ſuum neſciunt, patriæ ſuæ caſus & geſta neſciunt, immo nec ſcire volunt. Quorum, homines quidem illos infæliciores iudico; quia quod beſtiis ex creatione, hoc illis ex propria contingit inanitione; & quod beſtiæ ſi vellent non poſſent, hoc illi nolunt cum poſſint; ſed de his iam tranſeundum eſt, quorum mors & vita ſempiterno dotanda eſt ſilentio. Hæc ergo conſiderans, huius regni geſta & noſtræ gentis origines iuſſu tuo (præſul* Alexander) *qui flos & cacumen regni & gentis eſſe videris, decurrenda ſuſcepi: tuo quidem conſilio* Bedæ *venerabilis Eccleſiaſticam, qua potui, ſequutus hiſtoriam nonnulla etiam ex aliis excerpens, authoribus, inde chronica in antiquis reſeruata librariis compilans, vſq; noſtrum ad auditum & viſum præterita repræſentaui. In quo ſcilicet opere ſequenda & fugienda lector diligens dum inuenerit, ex eorum imitatione & euitatione Deo cooperante melioratus mihi fructum afferet exoptabilem. Plerumq; etenim ad ipſam morum puritatem iuxta callem directum hiſtoriæ reſilimus, nihil autem ſine diuina inuocatione incipientes, Deo inuocato incipiamus.*

HENRICI HVNTINGDONIENSIS

ADonai, opifex, paſtor, ſuſceptio noſtra,
Principium rerum, vegetatio, finis earum,
Hoc opus aſpira, deduc finiq; precamur.
Hoc opus, in patribus, quod es ipſe parens operatus,
Iudicio grandis, & regna leuanſq; premenſq;.

Iudicio

Iudicio nunc occulto, nunc vero patenti.
His pœnas dum complerent ſua crimina tardans,
His pœnas cum compleſſent ſua crimina librans.
Quicquid enim reges, quicquid populi meditantur,
Vt faciant, ſi perficiunt, fieri facis illud,
Pacificanſq́; malumq́; citans teſtante propheta,
Ens ſolus, tantuſq́; manens, quantus voluiſti:
Ex quo, per quem ſunt, in quo ſunt omnia ſolo.
Tuq́; pater patriæ, princeps à rege ſecundus,
(Præſul Alexander) *ſi quæ perſcripſimus apta,*
Laude tua niteant, minus apta precamur vt aptes.
Hic reges populoſq́; vides, quos alea fati,
Extulit & preſſit, ſed ab his metire futura.
Aſpice (magne pater) quo deuenere potentes:
Aſpice quam nihili ſit honor, lux, gloria mundi.

HENRICI HVNTINDONIENSIS HISTORIARVM.

LIB. I.

BRITTANNIA igitur beatiſſima eſt inſularum, fœcunda frugibus & arboribus, copioſa riuis & nemoribus, iucunda volucrum & ferarum venatibus, ferax auium multi & diuerſi generis terra, mari, & fluuiis; alendis autem mira pecoribus & iumentis. Vnde *Solinus*, *Ita pabuloſa in quibuſdam locis eſt Brittannia, vt pecora, niſi interdum à paſtibus arceantur, ad periculum agat ſatietas.* Fluuiis vero abundat valde piſcoſis, fontibus præclara copioſis: & quidem præcipue iſicio redundat & anguilla; abundat & vitulis marinis, nec non & halecia & oſtrea miro in ea redundant, & varia conchyliorum genera: inter quæ ſunt & muſculæ, quibus ſæpe incluſam margaritam omnis quidem coloris optimam inueniunt, rubicundam ſcilicet & hyacinthinam, purpuream, & praſſinam, ſed maxime candidam: nec dēſunt cochleæ, quibus tinctura coccinei coloris conficitur. cuius rubor pulcherrimus nullo vnquam ſolis ardore, nulla valet iniuria pluuiarum palleſcere; ſed quo vetuſtior, eo ſolet eſſe vetuſtior. capiuntur & ſæpe delphines & balenæ. vnde *Iuuenalis.*

Quantum Delphinis balena Britannica maior.

Venis etiam metallorum æris redundat, ferri ſcilicet, ſtanni, & plumbi, nec non & argēti, ſed rarius. Aduehitur autem argentum à proxima parte Germaniæ per Rhenum pro mira fertilitate piſcium & carnium, lanæ pretioſiſſimæ & lactis armentorumq́; abſq́; numero; vt maior ibi videatur copia argenti, quam in Germania: vnde omnis moneta eius argento puro conficitur. Gignit etiam lapidem Gagatem plurimum optimumq́;. Eſt autem nigrogemmeus & ardens: igne accenſus ſerpentes fugat, attritu calefactus adplicita detinet, æque vt ſuccinum. Fontes etiam ſalinarum habet: adſunt & fontes calidi, & ex eis fluuii balneorum calidorum omni ætati & ſexui per diſtincta loca iuxta ſuum cuiq́; modum accommodi. *Aqua enim* (vt ſanctus *Baſilius* dicit) *feruidam qualitatem recipit, cum per certa quadam metalla tranſcurrit, & fit non ſolum calida ſed & ardens.* Hæc autem inſularum nobiliſſima cui quondam nomen Albion fuit, poſtea vero Brittannia, nunc autem Anglia, inter Septentrionem & Occidentem ſita eſt; 800. millibus longa, & 200. millibus lata, exceptis duntaxat prolixioribus diuerſorum promontoriorum tractibus, quibus efficitur vt circuitus eius quadragies octies ſeptuaginta quinq́; millia compleat, habet autem ab Oriente Germaniā & Daciam, ab Occidente Hyberniā, à meridie Galliā Belgicā; cuius proximū littus tranſmeantib. aperit ciuitas, quæ dicitur *Rutupi portus, a gente Anglorū nūc corrupte Reptaceſter vocata, interpoſito mari à Geſſoriaco Morinorū gentis littore proximo traiectū milliū 50. ſiue (vt quidam ſcripſerunt) ſtadiorum 450. Gallia aūt Belgica a Beluaci nobiliſſima quondam vrbe Galliæ dicta eſt: quæ prouincia nunc in duas diuiſa videtur: in eam ſcz. quæ vocatur Pontica, & in eam quæ vocatur Normannia, vbi modo Normanni gens noua ſed validiſſima degunt. Habet aūt à Septentrione, vnde Oceano infinito patet, Orcadas inſulas nouē, de quarū vltima Thule dictū eſt: *Tibi ſeruiat vltima Thule.* Cū autem

al. Rutubi

plurimas inſulas habeat Brittannia, tres maiores habet, vnam Orcadas, de quibus dictum eſt: aliam Man / vel Euboniam, quæ in vmbilico maris inter Hyberniam & Brittanniã ſita eſt: tertiã *Wicht, *al. Guith.* quæ Auſtralis eſt, & vergit contra Normannos & Armoricos, qui nunc Brittanni dicuntur: ſicut in prouerbio dicebatur antiquo, quando de iudicibus & regibus ſermo fiebat: *Iudicabit Brittanniam cum tribus inſulis.* Erat autem & ciuitatibus quondam 28. nobiliſſimis inſignita, præter caſtella innumera, quæ & ipſa muris, turribus, portis, ac ſeris erant inſtructa firmiſſimis. ciuitatum autem nomina hæc erant Brittannice, Kair-Ebranc, id eſt, Eboracum. Kair-chent, i. Canturia. Kair-Gorangon, i. Wigornia. Kair-Lundene, i. Lundonia. *Kair-Legion, *al. Lirion* i. Leiceaſtria. Kair-Collon, i. Coleceaſtria. Kair-Glou, i. Gloueceaſtria. Kair-Cei, i. Ciceaſtria. Kair-Briſtou. Kair Ceri, i. Cireceaſtria. Kair-Guẽt, i. Winceaſtria. Kair-Grant, i. Granteceaſtria, quæ modo dicitur *Cantebrigia. *al. Grantebrigia* Kair-Lion, q̃ vocamus Carleuil. Kair-Dauri, i. Doreceaſtria. Kair-Dorm, i. Dormeceaſtre, quæ ſita in Huntedonenſi prouincia ſuper flumẽ, quod vocatur Nen, penitus deſtructa eſt. Kair-Loitchoit, i. Lincolnia. Kair-Merdin, quæ nunc quoque ſic vocatur. Kair-Guorcon. Kair-Cucerat. Kair-Guortigern. Kair-Vrnac. Kair-Celemion. Kair-Meguaid. Kair-Licelid. Kair-Peris, i. Porceſtre. *Kair-Kegion, *al. Lerion* in qua fuit Archiepiſcopatus tempore Brittonum: nunc autem vix mœnia eius comparent, vbi *Vſca *al. Oſca* cadit in Sabrinam. Kair-Draiton. Kair-Mercipit. Kair-Segent, quæ fuit ſuper Tameſin non longe à Reding, & vocatur Silceſtre. Hæc erãt nomina ciuitatum tempore Romanorum & Brittannorum. Quinque autem plagas ab exordio vſq; ad præſens immiſit vltio diuina Brittanniæ, quæ non ſolũ viſitat fideles, ſed ẽt diiudicat infideles; primam per Romanos, qui Brittanniam expugnauerunt, ſed poſtea receſſerunt: ſecundam per Pictos & Scottos, qui grauiſſime eam bellis vexauerunt: nec tamen obtinuerunt: tertiam per Anglicos, qui eam debellauerunt & obtinent: quartã per Dacos, qui eam bellis obtinuerũt, ſed poſtea deperierunt: quintam per Normannos, qui eam deuicerunt, & Anglis impræſentiarum dominãtur. Quando aũt Saxones hanc terram ſibi ſubiugauerunt, reges 7. ſtatuerunt, regniſq; nomina pro libitu impoſuerunt. Primũ regnum vocatũ eſt *Kent: *al. Cent* 2. Sudſear / in quo ſita eſt Ciceaſtria: 3. Weſtſear, cuius caput erat Wiltonia, quæ nunc data eſt ſanctimonialibus, in quo ſunt vrbes Winceaſtria, Salesburia, & plures aliæ: 4. regnum Eſtſear / quod nõ durauit, ſed cæteris regnis ſubiugatum eſt: 5. Eaſtangle / in quo ſunt prouinciæ, quæ vocãtur Nordfolc & Sudfolc / 6. Merce / in quo eſt Lincolnia, & aliæ complures: 7. Nordhumbre / in quo eſt Eboracum. Poſtquam autem reges Weſtſear cæteris præualuerunt & monarchiam obtinuerũt, terras per 35. prouincias ſibi diuiſerunt: quarum ſitus & nomina, quamuis inhabitantibus notiſſima ſint, nõ tamen pigeat ſubſcribere. Deueniet enim forſitan, vt quemadmodum nomina ciuitatum prædicta, quæ olim grata & excelſa erãt, modo in barbariem & riſum vertuntur, ita & decurſũ temporum quæ modo notiſſima ſunt, incognita & incredibilia fiant. vnde patet quam miſere & fruſtra nominis noſtri famam incolæ prouinciarum appetamus, cum nec ipſarum vrbium vel prouinciarum nomina durare poſſint. Prima igitur prouincia eſt *Kent / *al. Cent* in qua eſt Archiepiſcopatus Cantuariæ, & Epiſcopatus Roueceaſtriæ: ſecũda eſt Sudſear / in qua eſt Epiſcopatus Ciceaſtriæ: tertia Suthrie: quarta Hamteſire / in qua eſt Epiſcopatus Winceaſtriæ: quinta Bereſire: ſexta Wilteſire / in qua eſt Epiſcopatus Salesberiæ: ſeptima eſt Dorſet: octaua Sumerſet / in qua eſt Epiſcopatus Badhe / vel Acemaneceſtriæ: nona Deueneſire / in qua eſt Epiſcopatus Exceaſtriæ: decima *Cornuallie: *al. Cornugallia* vndecima Eaſtſear: duodecima Midleſear / in qua eſt Epiſcopatus Lundoniæ: tertiadecima Sudfolc: quartadecima Northfolc / in qua eſt Epiſcopatus Norwiciæ: quintadecima Cantebrigeſire / in qua eſt Epiſcopatus Ely: ſextadecima Lincolesire / cuius caput eſt Lincolnia, cui ſubiacent ſeptem aliæ prouinciæ, ſcilicet prouincia Leiceaſtriæ, & Hamtoniæ, & Huntundoniæ, & *Hereford / *al. Herteford* Bedeford / Buxingeham / Oxeneford. Extenditur enim Epiſcopatus Lincolniæ à magno flumine Humbræ vſque ad flumen Tameſis. Vigeſimaquarta eſt Gloueceaſtreſire: vigeſima quinta eſt Wireceaſtreſire / in qua eſt Epiſcopatus Wigorniæ: vigeſima ſexta Herefordſire / in qua eſt Epiſcopatus Herefordiæ: vigeſima ſeptima Salopſire, vigeſima octaua Ceaſtreſire / in qua eſt Epiſcopatus Ceaſtriæ: vigeſima nona Warewic: trigeſima Stafford: poſt trigeſimam prima eſt Derebi: ſecunda Notingham: tertia Euerwiceſire / in qua eſt Archiepiſcopatus Eboraci: quarta eſt Northumberland / cui præeſt Epiſcopus *Dunolmiæ. *al. Dunhelmia* quinta illa regio, in qua eſt nouus Epiſcopatus *Caruil.* Syra vero Anglice latine dicitur prouincia. igitur 17. Epiſcopatibus inſignita noſtro tempore floreſcit Anglia. vrbes vero multo plures ſunt quam Epiſcopatus, vt Gloueceaſtria, Leiceaſtria, Oxenefordia, & aliæ plures Epiſcopis carentes. ſed in Occidentali parte Brittanniæ,

niæ, quæ vocatur Wallia, tres ſuperſunt Epiſcopatus. Vnus apud ſanctum *Dauid*: alius apud *Bangor: tertius apud Glamorgan. ſunt tamen hi tres nullarum vrbium Epiſcopi propter deſolationem Walliæ, quæ ſola deuictis remanſit Brittannis. tempore autem noſtro recepit Epiſcopus ſancti *Dauid* pallium a Papa, quod ſcilicet fuerat olim apud Kairlegion, ſed ſtatim tamen amiſit. Vrbes autem prædictæ amœnis inſitæ locis ſuper flumina coruſcant fertilia & pulcherrima. ſunt autem duo flumina cęteris clariora, Tameſis & Sabrina quaſi duo brachia Brittanniæ, per quæ ſibi ſuas & alienas effert & infert diuitias. proprie vero proprium Brittanniæ eſt, vt incolæ eius in peregrinationem tendentes omnibus gētibus cultu & ſumptu clariores, ex hoc vnde ſint, dignoſci poſſunt. Cum autem tot rebus abundet Brittannia, vineæ quoq; fertilis eſt, ſed raro, vt habeant, qui diuitias eius emēdas appetunt, ſecum quod inferant. De cuius laude quidam ita ſcripſit.

al. Paingor

Illa quidem longe celebri ſplendore beata
Glebis, lacte, fauis ſupereminet Inſula cunctis.
Quas regit ille Deus, ſpumanti cuius ab ore,
Profluit Oceanus.

Et paulo poſt.

Teſtes Londoniæ ratibus, Wintonia Baccho,
Herforda grege, Wirceſtria fruge redundans.
Batha lacu, Salebira feris, Cantuaria piſce,
Eboracum ſyluis, Exceſtria clara metallis.
Noruicium Dacis, Hybernis Ceſtria, Gallis
Ciceſtrum, Norwagenis Dunelma propinquans.
Teſtis Lincoliæ gens infinita decore,
Teſtis Ely formoſa ſitu, Roueceſtria viſu.

Nec tacendum arbitror quod temperie gratiſſima, & ideo inhabitantibus ſaluberrima ſit Brittannia. Cum enim inter Septentrionem & Occidentem ſita ſit, frigus, quod recipit à Septentrione, temperat calor, quem recipit à ſole Occidente. Nunquam autem in ea aliquos arripuit ignis ſacer, ſed à Galliis allati ibi ſolent ſanari. & quia prope Septētrionalem mundi verticem iacet, lucidas æſtate noctes habet, ita vt in medio ſæpe tempore noctis in inquiſitionem veniat intuentibus, vtrum crepuſculum adhuc maneat veſpertinum, an iam aduenerit matutinum, vtpote nocturno ſole non lōge ſub terris ad Orientem Boreales per plagas redeunte. vnde etiam plurimæ longitudinis habet dies æſtate ſicut & noctes contra in bruma, ſole nimirum tunc Lybicas in partes redeunte, id eſt, horarum decem & octo. Plurimæ item breuitatis noctes æſtate & dies habet in bruma: hoc eſt, ſex ſolummodo Æquinoctialium horarum, cum in Armenia, Macedonia, Italia, cæteriſq; eiuſdem lineæ regionibus longiſſima dies ſiue nox 15. breuiſſima 9. compleat horas. Quatuor autem ſunt, quæ mira videntur in Anglia. Primum quidem eſt, quod ventus egreditur de cauernis terræ in monte qui vocatur Pec, tanto vigore, vt veſtes iniectas repellat, & in altum eleuatas procul eiiciat. Secundum eſt apud Stanenges, vbi lapides miræ magnitudinis in modum portarum eleuati ſunt, ita vt portæ portis ſuperpoſitæ videantur: nec poteſt aliquis excogitare, qua arte tanti lapides adeo in altum eleuati ſunt, vel quare ibi conſtructi ſunt. Tertium eſt apud *Chederole, vbi cauitas eſt ſub terra, quam cum multi ſæpe ingreſſi ſint, & ibi magna ſpatia terræ & flumina pertranſierint, nunquam tamen ad finem euenire potuerunt. Quartum eſt quod in quibuſdam partibus pluuia videtur eleuari de montibus, & ſine mora per campos diffundi. Tantæ autem gratiæ inhabitantibus fuit Brittannia, quod quatuor in ea calles à fine in finem cōſtruerent regia ſublimatos authoritate, ne aliquis in eis inimicum inuadere auderet. Primus eſt ab Oriente in Occidentem & vocatur Ichenild: ſecundus eſt ab Auſtro in Aquilonem, & vocatur Erningeſtrate. Tertius eſt ex tranſuerſo à Dorobernia in Ceſtriam ſcilicet ab euroauſtro in Zephyrum Septentrionalem, & vocatur Watlingeſtrate. quartus maior cæteris incipit in Catenes & deſinit in Totenes ſcilicet a principio Cornugalliæ in finem Scottiæ: & hic callis vadit ex tranſuerſo a Zephyro Auſtrali in Eurum Septentrionalem, & vocatur Foſſa, tenditq; per Lincolniam. Hi ſunt 4. principales calles Angliæ, multum quidem ſpatioſi, ſed nec minus ſpecioſe ſanciti edictis regum, ſcriptiſq; verendis legum. Quinque autem linguis vtitur Brittannia: Brittonum videlicet, Anglorum, Scottorum, Pictorum, & Latinorum, quæ doctrina ſcripturarum cæteris omnibus eſt facta communis: quamuis Picti iam videantur deleti, & lingua eorum ita omnino deſtructa, vt iam fabula videatur, quod in veterum ſcriptis eorum mentio inuenitur. cui autem non comparet amorem cœleſtium

al. Chederhole, vel Chedrenhole

& horrorem terreſtrium, ſi cogitet non ſolum reges eorum, & principes, & populum deperiiſſe; verũ etiam ſtirpẽ omnem, & linguam, & mentionem ſimul defeciſſe? & , ſi de aliis mirum non eſſet, de lingua tamen, quam vnam inter cæteras Deus ab exordio linguarum inſtituit, mirandum videtur.

Huc vſque de ſitu & habitu Brittãniæ, licet de multis pauca dixerimus, dicta ſufficiant. Nunc a quibus, & quo tempore primum inhabitata fuerit dicendũ eſt: quod in *Beda* non inuentum in aliis authoribus reperi. ſcripſerunt enim à *Dardano* principiũ emanaſſe Brittonum. *Dardanus* autem pater fuit *Trou*, *Trous* autem pater *Priami* & *Anchiſæ*, *Anchiſes* pater *Æneæ*, *Æneas* pater *Aſcanii*, *Aſcanius* pater *Siluii*, *Siluius* aũt cum vxorem duxiſſet, & prægnans eſſet, prædixit magus quidam filium, vnde prægnans erat, interfecturũ patrem ſuum. Occiſo mago pro vaticinatione illa, natus eſt filius, & vocatus eſt *Bruto*. poſt multum vero interuallum, dum ipſe luderet cum pueris, ictu ſagittæ occidit patrem, non induſtria ſed caſu. quamobrem expulſus ab Italia peruenit in Galliam, ibiq́; condita ciuitate Turonorum, quę vocatur Turonis, inuaſit tractum Armoricanum: de tractu autem Armoricano huc aduenieñs Auſtrales ſibi partes Inſulæ ingentis vẽdicauit. & ex nomine ſuo Brittanniam vocauit. dicunt autem illi authores quod quando *Bruto* regnabat in Brittannia, *Hely* ſacerdos iudicabat Iſrael. & *Poſthumus* ſiue *Siluius* filius *Æneæ* regnabat apud Latinos, cuius nepos erat *Bruto*. Poſt interuallum vero octoginta annorũ contigit gentem Pictorum de Scythia Oceanum ingreſſam circumagente flatu ventorum extra fines Brittanniæ Hyberniam perueniſſe, eiuſque Septentrionales oras intraſſe, atq; inuẽta ibi gente Scottorum ſibi quoq; in partibus illis ſedes petiſſe, nec impetrare potuiſſe. Dixerunt itaq; Scotti: nos ambos Inſula hæc non caperet, ſed nouimus Inſulam eſſe aliam non lõge à noſtra contra ortum ſolis, quam ſæpe lucidioribus diebus de longe aſpicere ſolemus: hanc adire ſi vultis, habitabilem vobis facere valetis: vel ſi quis reſiſtere voluerit, nobis auxiliariis vtimini. Itaq; petentes Brittanniam Picti, habitare per Septentrionales Inſulæ partes cœperunt. Nam Auſtrinas Brittones occupauerunt. Cumque vxores Picti non habentes peterent eas a Scottis, ea ſolum conditione dare conſenſerunt, vt vbi res veniret in dubium, magis de fœminea regũ proſapia quã de maſculina regem ſibi eligerent. quod vſque hodie apud Pictos conſtat eſſe ſeruatum. Hæc ſunt, quæ à ſcriptis veterum traduntur de aduentu Brittonum in partem illam terrarum, quæ Brittannia vocatur, & de aduentu Pictorum in Inſulam eandem. quæ quamuis Inſula ſit, cum maximi ſit ſpatii, nõ minoris excellentiæ eſt quod inſula eſt, cum totus mundus Inſula ſit. Sed quia vulgo dicitur, *Veto plenia, & riſus dolori miſcetur*; ob prærogatiuas ipſius Brittanniæ diuitias omnium circumadiacẽtium in ſe liuorem & inuidiam mouit. Quamobrem ſæpe expugnata eſt, ſæpiſſime vero impugnata eſt. procedente namque tempore venerũt & Scotti ab Hybernia in Brittanniam duce *Reuda*, qui in Pictorum parte vel amicitia vel ferro ſedes ſibi, quas hactenus habent, vendicarunt. à quo videlicet duce Dalreudini vocantur. Nam lingua eorũ Dal partem ſignificat. dicendum eſt igitur paucis de Hybernia. quod quamuis de propoſito non ſit, prope tamen eſt, & ad laudem Dei Omnipotentis hoc ſcribere apponam.

Hybernia enim poſt Brittanniam omnium inſularũ optima eſt. quę quãuis Brittanniæ diuitiis cedat, latitudine tamen ſui ſtatus & ſalubritate ac ſerenitate aerum multum ei præſtat. quæ ſicut contra Aquilonem breuior eſt, ita in meridiem ſe trans illius fines plurimũ protendens vſq; contra Hiſpaniæ Septentrionalia quamuis magno æquore interiacente peruenit. Nunquam aut raro ibi nix pluſquam triduana remanet. Nemo propter hyemem aut fœna ſecat æſtate, aut ſtabula fabricat iumentis. Nullum ibi reptile videri ſolet, nullus ſerpens viuere valet. nam ſæpe illo de Brittannia allati ſerpentes, mox vt

al. quia proximante terris nauigio odore aeris illius attacti fuerint, intereunt. * Cum potius omnia, quæ de eadem Inſula ſunt, contra venenum valent. denique quibuſdam vidimus à ſerpente percuſſis raſa folia codicum, quæ de Hybernia fuerunt, & ipſam raſuram aquæ immerſam, ac potui datam talibus protinus totam vim veneni graſſantis, totum inflati corporis abſumpſiſſe ac ſedaſſe tumorem. Mirabili igitur dono Deus hanc ditauit Inſulam, multitudinemque ſanctorum ad eius tuitionem in ea conſtituit: præterea lacte & melle ditauit, vinearumq́; non expertem, venatu piſcium, & volucrum, ceruorum & caprearũ inſigniuit: hæc autem proprie patria Scottorum eſt. ſi quis autem ſcire voluerit quo tẽpore primum habitata fuerit, de hoc nihil apud venerabilem *Bedam*, ſed apud quẽdam authorem reperi. Quod Ægyptiis in mari rubro ſubmerſis, illi, qui ſuperfuerant, expulerunt à ſe quendam nobilem Scyticum, qui apud eos degebat, ne dominium ſuper

al. Ruſicadam eos inuaderet. at ille expulſus diu circuiens per Africam peruenit cum familia ad aras Philiſtinorum, & per lacum Salinarum venerunt inter * Ruſſicadam & montana Syriæ, & vene-

& venerunt per flumen Malua, tranſieruntq́; per Mauritaniam, & ad columnas *Herculis* nauigarunt Tyrrhenum mare, & peruenerunt vſque ad Hiſpaniam, & ibi per annos habitarunt multos, & progenies eorum multiplicata eſt valde. Inde autem venerũt Hyberniam, poſt mille & duos annos a tranſitu Iſrael per mare rubrum. Brittones tamen occuparunt, prius Brittanniam. Brittones namq́; in tertia mundi ætate Brittanniam: Scotti in quarta venerunt Hyberniam. Hæc cum non certiſſima ſint, hoc tamen certum eſt, quod ab Hiſpania, Hyberniam venerũt, & inde pars eorum egreſſa tertiam in Brittannia, Brittonibus & Pictis gentem addiderunt. nam & pars, quæ ibi remanſit, adhuc eadem vtitur lingua, & Nauarri vocantur. eſt autem ſinus maris permaximus, qui antiquitus gentem Brittonum a Pictis ſecernebat, qui ab Occidente in terras longo ſpatio erumpit, vbi eſt ciuitas Brittonũ munitiſſima vſq; hodie, quę vocatur *Aldclud: ad cuius videlicet ſinus partem Septentrionalem Scotti, quos diximus, aduenientes ſibi locum patriæ fecerunt. *al. Aldclud.*

Iulius vero *Cæſar* primus Romanorum Brittanniam bello laceſſiuit, 60. annos ante incarnationem Domini noſtri, anno ab vrbe condita ſexcenteſimo nonageſimo tertio. ipſe ergo functus gradu Conſulatus cum *Lucio Bibulo*, cum Germanos & Gallos iure prelii ſuperaſſet, qui tum Rheno tantum flumine dirimebantur. inde venit ad Morinos; vnde in Brittanniam breuiſſimus eſt tranſitus. fecit igitur naues parari octoginta onerarias & actuarias, & ipſe cum legionibus in Brittanniam tranſuolat: nec tamen ſecundum quod ſperabat euenit. egrediens enim de nauibus Brittonum pugnam acerbam pluſquam credere poſſet ſenſit. videns ergo ſuos pauciores, alioſq́; quam putauerat præſtantiores, vi cõpulſus eſt naues reintrare. Tunc vero tempeſtate correptus magnam claſſis partem, magnum militum numerũ, equites vero omnes pene amiſit. confuſus & reuerſus in Galliam acrius exarſit: legionibuſq; hyemantibus ſexcentas naues vtriuſq; commodi parauit. vere autem vir expectato cum maximis copiis Brittanniam reuehitur: egrediens cum exercitu in hoſtem pergebat: naues interim anchoris fixę tempeſtate corripiuntur, colliduntur, conſtringuntur. Ex quibus 40. perierunt: cæteræ poſt longum non ſine difficultate ſunt reparatæ. dux igitur magnus ſpe fugiendi amiſſa acrius animos militũ hortatur, & in ipſo hortatu hoſtibus commiſcetur. vnanimiter vtrinq; viribus & animis extenſis pugnatur, dum Romanis ſpes fugiendi nulla, Brittannis ſpes vincendi ex ſolito certa. *Labienus* ergo tribunus militum dum primam aciem in *Dolobelli* cuneum, qui Proconſul erat Brittannici Regis, acrius immergit, cedenteſq́; cędit, proſternit, & perſequitur, regalis acies inter Cæſareas, & *Labieni* Phalanges infigitur. Rex autem vocabatur *Belinus* frater *Caſſibellani* regis: & erat filius *Liud* regis fortiſſimi, qui multas Inſulas maris bellis occupauerat. Circumuentum igitur *Labienum* cum tota acie ſua cædunt, ſubitoq́; morti tranſmittunt. Videns *Iulius* diem infauſtum, dicenſq́; pugnandum cum Brittannis magis artibus quam viribus, antequam maiora detrimenta ſuſtineret, fugæ indulſit. perſequuti ſunt Brittanni Romanos multiſq́; peremptis nemorum vicinitate cohibiti ſunt. Tertio *Cæſar* congreſſus eſt Brittannos, taliterq́; ſuos exhortatus eſt.

Conſortes fortiſſimi quorum virtuti nec aſperitas maris, nec labor terrarum refragari potuit: quorum vires nec audacia Gallorum, nec fortitudo Germanorum perferre ſuſtinuit; non me exhortari vos arbitremini, vt veſtram verbis augeam probitatem. quæ enim ſumma, & perfectiſſima eſt, & tot in periculis toties probata creſcere nequit, decreſcere neſcit: illa inquam virtus, quæ ſemper in aſperrimis clarius refulſit, & vbi alii deſperarent, ſpe certa progrediens, & ſecura hilaritate confligens: quid nota vobis, imo cunctis gentibus memorem: quoties victi victores noſtros vicerimus, & ira cõpulſi fortioribus fortiores deuenerimus? Debet læſa probitas iraſci. *Nunc igitur, ſi aliqua laus Romani nominis, nunc diſciplinam militarem, quam perfecte didiciſtis, perfectius exercuiſtis, perfectiſsime ſupremo in periculo demonſtretis. Ego certe ex duobus alterum ineuitabiliter elegi, aut hodie* Vincere, quod beatum eſt; aut mori pro patria, quod ſecurius eſt: ſola fuga miſerorum eſt. *Vnde ſi alicui veſtrum idem animus eſt, erigat dextram inexpugnabilem, ſtupeantq́; hoſtes nos detrimentis refocillari, & diminutione roborari.* Sic loquutus erexit dextram, cunctiſq́; tollens ad ſydera clamorem exercitus dextris erectis infrenduit, & in ipſo clamore miſcentur hoſtibus; apparuitque virtus Romana, dum ſagacius ordinati cautius pugnant, obſtinatius perſeuerant. fatigatis ergo Brittannis percutiendo, Romaniſq́; ſtudentibus in ſe protegendo, cum diu prælium duraſſet, feſſis Inſulanis *Cæſarei* recentes videntur. Tunc igitur non ſine magno ſuorum diſcrimine victores fiunt Romani. inde ad flumen *Tameſim prouectus in huius vlteriore ripa *Caſſibellauno* duce immenſa hoſtium multitudo conſederat; ripamque fluminis ac pene totum ſub aqua vadum acutiſſimis ſudibus præſtruxerat: quarum veſtigia ſudium ibidem vſque hodie viſuntur: & videtur inſpectantibus, quod ſingulæ earum ad modum humani femoris groſſæ & circumfuſæ plũbo *al. Tamęſem*

immobiliter fundo fluminis infixæ perſeuerant. ſed hoc Romani deprehenderunt, vitanteſque barbaris irruerunt. illi impetum Legionum non ferentes ſyluis ſe occuluerunt, vnde crebris irruptionibus Romanos grauiter ac ſæpe vexabant. at Trinouantum firmiſſima ciuitas cum *Androgeo* duce datis ſeptuaginta obſidibus *Cæſari* ſeſe dedit. ſimiliter & aliæ vrbes complures in fœdus Ramanorum venerunt. iiſdem demonſtrātibus, *Cæſar* oppidum *Caſſibellauni* inter duas paludes ſitum, obtētu inſuper ſyluarum munitum, omnib. rebus confertiſſimum tandem graui pugna cepit. Poſtquam vero *Cæſar* à Brittanis reuerſus in Galliam, Legiones in * Hiberniam miſit, repentinis bellorum curis circumuentus pro Legionibus, quæ remanſerāt in Brittannia, & in * Hiberniam miſit, vt ſecum Romam irent. de qua re *Lucanus*:

al. Hiberniæ. *al. Hiberniæ, vel Hibernis.*

Soluuntur flaui longa ſtatione Britanni.

Romam vero inuitam recipiens, in honorem ſuum Quintilem menſem Iulium iuſſit vocari; ſiquidem Idibus Martiis in curia dolo perimitur. ſed quia de *Cæſare* & ſucceſſoribus eius, qui rexerunt Brittanniam vſque ad tempus *Martiani*, qui fuit quadrageſimus quartus a *Cæſare*, tractandum eſt, non pigeat laudes eorum perſtingere: vt Chriſtianos principes noſtros, ſi moribus non pudeat illis æquiparari, ſaltem pudeat illos deteriores eis inueniri. Authentica laus *Cæſaris* ex *Solino*. *Quantum fortiſſimi militum* Sergius *&* Siſinnius *cæteris militibus præfulſerunt, tantum omnibus ducibus, imo omnis tēporis hominibus* Cæſar *præniteuit. eius ſiquidem ductu vndecies centena nonaginta & duo millia hoſtium cæſa ſunt. Nam quantū bellis ciuilibus fuderit, noluit adnotare. ſignis collatis quinquagies & bis dimicauit*, Marcum Marcellum *ſolus ſupergreſſus, qui triginta & nouem vicibus pari modo fuerat præliatus. ad hoc nullus celerius ſcripſit, nemo velocius legit, quaternas etiā Epiſtolas ſimul dictauit. tantæ fuit bonitatis, vt quos armis ſubegerat, clementia magis vicerit.*

Auguſtus Iulio Cæſari ſuccedens Monarchiam totius mundi tenuit. deſcripſit autem vniuerſum Orbem, & à Brittannia ſicut ab aliis regnis cenſum accepit, vt *Virgilius* ait:

Purpurea intexti tollunt aulæa Britanni.

Hoc autem fecit anno Imperii eius quadrageſimo ſecundo, quando lux vera mundo nata innotuit, per quem omnia regna mundi & inſulæ caligine oppreſſæ cognouerunt Deum vnum eſſe, & viderunt eum, qui creauit eos. Cum autem regnaſſet *Auguſtus* 55. annis & dimidio legem mortis ſequutus eſt. *Laus* Auguſti *ex Eutropio.* Auguſtus, *exceptis ciuilibus bellis, in quibus inuictus fuit, ſubegit Armeniam, Ægyptum, Galatiam, Cantabriam, Dalmatiam, Pannoniam, Aquitaniam, Illyricum, Rhetiam, Vindelicos, Talaſſos, Pontum, & Cappadociam. Dacos, & Germanos ita vicit, quod* 400000. *captiuorum ex eis ſuper ripam Rheni in Gallia collocaret. Perſæ obſides ei, quod nulli antea, dederunt, & ſigna* Craſſo *direpta reddiderunt. fuit mitis, gratus, ciuilis animi, corpore toto pulcher, ſed oculis præcipue, in ciues clemens, in amicos tantus, vt pene eos ſibi coæquaret: nulli genti niſi iuſtis de cauſis bellum indixit, peſſimum ducens cauſis triumphandi dubios euentus adire. Sic à Barbaris dilectus, vt quidam Reges ad ei obſequendum Romam ſponte venerint: quidam in honore eius ciuitates conderent, vt* Iuba *&* Herodes. *omni die legebat, ſcribebat, declamabat, cibi ac vini multum abſtinens, probra ſibi dicta non vlciſcens, proditionis ſuæ reis dans veniam, Romam lateritiam inuenit, reliquit marmoream.*

Tiberius priuignus *Auguſti* poſt eum regnauit annis 23. tam ſuper Brittanniam quam ſuper alia regna totius mundi. *Laus* Tiberii. Tiberius *prudens in armis fortunatuſque fuit. vnde ſub* Auguſto *meruit, vt ei ſuccederet. erat literarum ſcientiſſimus, ſed magis eloquio clariſſimus, repentinis reſponſionibus aut conſiliis melior quam præmeditatis. arguebatur autem ſimultatis, quaſi infenſus his, quos diligebat, his vero quos oderat quaſi beneuolus apparens.*

Caius cognomento *Caligula* regnauit ſuper Orbem terrarum annis fere quinque.

Claudius poſt ſexaginta duos annos ab incarnatione Domini, anno ab vrbe condita ſeptingenteſimo nonageſimo octauo Imperium ſuſcepit. quarto anno regni ſui Brittanniam adiit, quoſdamque rebelles ſine vllo prælio vel ſanguine citiſſime in deditionem recepit. Orcadas etiam Inſulas vltra Brittanniā in Oceano poſitas, de quibus prædiximus, Romano adiecit Imperio, & ſexto, quo profectus erat, menſe Romam rediit, ſibique & filio ſuo Brittannici nomen indidit. de quo *Iuuenalis*:

Oſtendenſque tuum generoſe Brittannice ventrem.

Quo etiam anno fames grauiſſima per Syriam facta eſt: quæ à *Luca* in Actibus Apoſtolorum per Prophetam *Agabum* prædicta eſſe memoratur. Temporibus *Claudii Petrus* fidei noſtræ princeps cathedram Romæ ſuſcepit, quam 25. annis tenuit, id eſt, vſq; ad vltimum *Neronis* annum. ab eodem *Claudio Veſpaſianus* miſſus in Germaniam, ac deinde in Brittanniam, trigeſies & bis cum hoſte conflixit: duas validiſſimas gentes afflixit: 20. oppida armis cepit: Inſulam quoque Vectam Brittanniæ adiacentem Romano ſubiecit Imperio:

Cum

Cum autem regnaſſet 13. annis & pluſquam dimidio viam patrum obtinuit. *Laus* Claudii. Claudius *multa geſsit tranquille & moderate, quædam minus caute. Romanum Imperium auxit, vir bellicoſus fuit: adeo ciuilis circa quoſdam amicos extitit, vt etiam* Paulinum *nobilem virum, qui in expeditione Brittannica multa egregie fecerat, triumphantem ipſe proſequeretur, & conſcendenti Capitolium læuus incederet.*

Nero regnauit annis 13. & pluſquam dimidio. hic quamuis iuuenis ſtrenuus fuiſſet, tamen cum imperaret, in re militari ſegnis factus eſt. vnde inter alia Romani Imperii detrimenta Brittanniam pene amiſit. Nam duo ſub eo nobiliſſima oppida illic ſubuerſa & deſtructa fuerunt. hic eo anno quo *Petrum* & *Paulum* occidit, ignominioſe deperiit.

Veſpaſianus, qui Ieruſalem deſtruxit, regnauit annis fere decem: ipſe ſcilicet qui Brittanniam ſub *Claudio* adierat, & Inſulam Vectam Romanæ ditioni ſubiecerat: quæ habet ab Oriente in occaſum 30000. circiter paſſuum, ab Auſtro in Boream 12. in Orientalibus ſui partibus mari ſex millium, in Occidentali trium à meridiano Brittanniæ littore diſtans. Hic etiam vir nobiliſſimus coloſſum erexit, habentem altitudinis 107. pedes. *Laus authentica* Veſpaſiani. *Romæ ſe Imperio moderatiſſime geſsit, pecuniæ tantum auidior fuit, ita tamen vt eam nullis iniuſte auferret: quam cum omni diligentiæ prouiſione colligeret, tamen ſtudioſiſſime largiebatur, præcipue indigentibus. nec facile ante eum cuiuſquam principis vel maior eſt liberalitas comperta, vel iuſtior. Placidiſſimæ lenitatis erat: vt qui maieſtatis contra ſe reos non facile punierit vltra exilii pœnam. hic vicit Iudæam, Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, Thraciam. Ciliciam, Comagenem: offenſarum & inimicitiarum immemor fuit. conuitia à cauſidicis & Philoſophis leuiter tulit; ſenatui, populo, cunctis amabilis & iucundus.*

Titus filius eius regnauit annis duobus & menſibus duobus, vir omnium virtutum genere mirabilis, adeo vt amor & deliciæ humani generis diceretur. hic amphitheatrum Romæ ædificauit, & in dedicatione eius 5000. ferarum occidit. Laus *Titi* ſumma. Titus *iucundiſſimus, bellicoſiſſimus, moderatiſſimus, cauſas Latine egit, poemata & tragœdias Græce compoſuit. in oppugnatione Ieroſolymorum ſub patre militans 12. propugnatores 12. ſagittarum ictibus confixit. Romæ tantæ ciuilitatis Imperio fuit, vt nullum omnino puniret. conuictos aduerſum ſe coniurationis dimiſit, & in eadem familiaritate qua ante habuit, facilitatis & liberalitatis tantæ fuit, vt cum nulli quicquam negaret, & ab amicis reprehenderetur, reſponderit; nullum triſtem debere ab Imperatore diſcedere. Pro hoc inuſitato fauore dilectus eſt, & tantus luctus eo mortuo publicus fuit, vt omnes tanquam in propria dolerent orbitate. cum procul à Roma mortuus eſſet, ſenatus obitu ipſius circa veſperum nuntiato, nocte irrupit in curiam, & tantas mortuo laudes gratiaſq; conceſſit, quantas nec viuo vnquam egerat, nec præſenti.*

Domitianus frater *Titi* annos regnauit 15. menſibus 5. hic ſecundus poſt *Neronem* Chriſtianos perſequitur, quem diuina prouidentia omnibus inuiſum ſenatus coegit, vt ſe ipſe perimeret.

Nerua anno vno & paulo plus Imperium terrarum tenuit.

Traianus annos regnauit 19. & dimidium. hic tam Brittanniam quam cætera regna mirabili vigore rexit. Romanum enim Imperium, quod poſt *Auguſtum* defenſum magis fuerat quam ampliatum, longe lateq; diffudit. Hic eſt ille, qui cauſa iuſtitiæ oculum ſibi & oculum filio eruit: quem *Gregorius* ab inferis reuocauit. intelligite igitur legentes quanti ſit iuſtitia, quæ nec infidelem tam perfectum amatorem ſui relinquere potuit deſolatum. Laus *Traiani* ex *Suetonio*. Troianus *inuſitatæ ciuilitatis & fortitudinis Daciam ſubegit, & ea, quæ ſunt circa Danubium, & Armeniam, quam occupauerant Parthi. Albanis regem dedit, Hiberorum regem, & Sauromatarum, & Boſphoranorum, & Arabum & Oſdroenorum, & Colchorũ in fidem accepit, Corduenos, Marchamedos occupauit, & Antemuſiũ magnam Perſidis regionem, Seleuciam, & Cteſiphontem, Babylonem, & Meſſenios vicit, ac tenuit. vſq; ad Indiæ fines & mare rubrũ acceſsit, atq; ibi tres prouincias fecit, Armeniam, Aſſyriam, Meſopotamiã, cum his gentibus, quæ Madenam attingunt. Arabiã poſtea in prouinciæ formam redegit, in mari rubro claſſem inſtituit, vt per eam Indiæ fines vaſtaret. gloriam tamen militarem ciuilitate & moderatione ſuperauit, Romæ & per prouincias æqualem ſe omnibus exhibens, amicos ſalutandi cauſa frequentans, vel ægrotantes: cum feſtos dies habuiſſent, conuiuia cũ eiſdem indiſcreta viciſſim habens, ſæpe in vehiculis eorũ ſedens, nullum ſenatorem lædens, nil iniuſtum ad augendũ fiſcum agens, liberalis in cunctis: publice priuatimque ditans omnes, & honoribus augens, quos vel mediocri familiaritate cognouiſſet, orbem terrarum ædificans, multas immunitates ciuitatibus tribuens, nihil non tranquillum & placidum agens; adeo vt omni eius ætate vnus ſenator damnatus ſit, atque is tamen per Senatum ignorante* Traiano. *ob hoc per orbem terrarum Deo proximus: nihil non venerationis meruit & viuus & mortuus. inter alia dicta hoc ipſius fertur egregium: amicis enim culpantibus quod nimiũ circa omnes comis eſſet, reſpondit: ſe talem Imperatorem eſſe priuatis, quales ſibi Imperatores eſſe priuatus optaſſet.*

ſolus omnium intra vrbem ſepultus eſt. oſſa collata in vrnam auream in foro, quod ædificauit, ſub columna poſita ſunt, cuius altitudo 142. pedes habet. huius tantum memoriæ delatum eſt, vt vſq; ad noſtram ætatem non aliter in ſenatu principibus adclametur, niſi fœlicior Auguſto, *melior* Traiano.

Adrianus rexit orbem terræ annis 21. hic Iudæos ſecundo rebelles perdomuit, Ieruſalemq; reædificauit, Iudæiſq; eam videndi licentiam abſtulit. Laus *Adriani.* Adrianus *princeps me dius fuit: pacem omni tempore Imperii ſui habuit. ſemel tantum per præſidē dimicauit: Orbem Romanum circuiit: multa ædificauit: facundiſſimus latino ſermone, Græco eruditiſſimus fuit.*

Antoninus Pius Monarchiam mundi tenuit annis 23. & dimidio. *Laus* Antonini *Pij, vir honeſtus & inſignis merito* Numæ Pompilio *confertur, vt* Romulo Traianus *æquatur: nulli acerbus, cunctis benignus: in re militari moderatus, defendere magis prouincias quam amplificare ſtudens: viros æquiſſimos ad adminiſtrandum rempublicam quærens, bonos in honore habens, improbos ſine aliqua acerbitate deteſtans, regibus amicis tam venerabilis, vt ad eum controuerſias deferrent, ſententiæq; parerent: in amicos liberaliſſimus, ærarium tamen opulentum reliquit, Pius propter clementiam dictus eſt.*

Marcus Antoninus Verus cum fratre *Aurelio Lucio Commodo* annis 19. menſibus 2. hi primum æquo iure Imperiū adminiſtrauerūt, cū vſq; ad hoc tēpus ſinguli *Auguſti* fuiſſent. bellū deinde contra Parthos admirabili virtute & fœlicitate geſſerunt. quorum temporibus cū *Eleutherius* Pōtificatui Romanæ Eccleſiæ præeſſet, miſit ad eum *Lucius* Brittanniarū rex Epiſtolam, obſecrans vt per eius mandatum Chriſtianus efficeretur. Et mox effectū piæ poſtulationis conſequutus eſt, ſuſceptamq; fidem Brittanni vſq; in tempora *Diocleſiani* principis inuiolatam integramq; quieta pace ſeruabant. Laus *Antonini Veri* ex hiſtoria Romana. *Hic* Antonio *conſorte ſuo per apoplexiam defuncto ſupra laudabilis in imperio remanſit: quippe qui nūquam vultum vel è gaudio vel mœrore immutauerit. Philoſophiæ deditus Stoica, ſummus moribus & eruditione philoſophus, literis Latinis & Græcis eruditiſſimus, omnib; æquus, nunquam elatus, liberalitate promptiſſimus. prouinciis benignus ac moderatus. Contra Germanos fœliciter conflixit; bellum Marcomanicū geſſit contra Squados,* W*andalos, Sarmatas, Suetos & omnem barbariem, quartum nulla memoria tradit, adeo vt Punicis conferatur. vir igitur diuinus tanti prælij victor cum* Commodo *filio triumphauit. cum igitur ærario exhauſto regios cultus vendidiſſet, eis, qui reddere voluerunt, poſtea precia reſtituit, eis, qui noluerunt, immoleſtus fuit. hic permiſit viris clarioribus, vt conuiuia eodem cultu, quo ipſe, & miniſtris ſimilibus exhiberent in editione munerum poſt victoriam adeo magnificus extitit, vt centum ſimul leones exhibuiſſe tradatur.*

Commodus prædicti *Commodi* filius imperauit annis 13. hic aduerſum Germanos bellum fœliciter geſſit, coloſſiq; capite ſublato ſuæ imaginis caput iuſſit ei imponi.

al. Celius *Aelius Pertinax* menſes ſex, qui *Iuliani* iuris periti ſcelere occiditur in palatio.

Seuerus Pertinax interfecto *Iuliano* iuris perito regnauit 17. annis. hic genere Afer Tripolitanus ab oppido Lepti, natura ſęuus, multis ſemper bellis laceſſitus, fortiſſime quidem remp. ſed laborioſiſſime rexit. victor ergo ciuilium bellorum, quæ ei grauiſſima occurrerant, & *Didio Albino*, qui ſe in Gallia *Cæſarem* fecerat apud Lugdunum interfecto, in Brittannias tranſit. vbi magnis grauibuſq; præliis ſæpe geſtis receptam partem inſulæ a cæteris indomitis gentibus non vt quidam æſtimant muro, ſed vallo diſtinguendam putauit. murus etenim de lapidibus, vallum vero, quo ad repellendam vim hoſtium caſtra muniuntur, fit de ceſpitibus, quibus circumciſis è terra velut murus extruitur altus ſuper terrā, ita vt in ante ſit foſſa, de qua leuati ſunt ceſpites, ſupra quam ſudes de lignis fortiſſimis prægiguntur. itaque *Seuerus* magnam foſſam firmiſſimumq; vallum crebris inſuper turribus communitum à mari vſq; ad mare duxit, ibiq; apud Eboracum oppidum morbo obiit. reliquit duos filios *Baſſianum* & *Getam*: quorum *Geta* hoſtis publicus iudicatus interiit. *Baſſianus Antonini* cognomine aſſumpto regno potitus eſt. Laus *Seueri* ex *Eutropio.* Seuerus *bella multa & fœliciter geſſit, vicit Parthos, & Arabas, & Azabenos, vnde* Parthicus, *Arabicus, Azabenicus dictus eſt. multa toto orbe ad Romanum decus reparauit.* Seuerus *tamen præter bellicam gloriam etiam ciuilibus ſtudiis clarus fuit, & literis doctus Philoſophiæ ſcientiam ad plenum adeptus* Diuus *appellatus eſt.*

Antoninus Caracalla filius *Seueri*, 7. annis regnum mundi tenuit.

Macrinus cum vno anno regnaſſet apud Archelaidem, cum filio ſuo militari tumultu occiditur.

Marcus Aurelius Antoninus 4. annis dominium terrarum habuit. *Aurelius Alexander* annis 13. hic in *Mammeam* matrem ſuam vnice pius fuit, & ob id omnibus amabilis. Laus *Alexandri. Hic ſuſcepto aduerſus Perſas bello* Xerſen *regem glorioſiſſime vicit, militarem diſciplinam ſeueriſſime rexit, quaſdam tumultuantes legiones integras exauctorauit. Roma admodum fauorabilis fuit, militari tumultu periit in Gallia.*

Max

Maximianus prior annis tribus terras & inſulas rexit.hic Germanos bello vicit.

Gordianus annis 6.Origenes floruit,qui 5. millia librorum ſcripſit, vt narrat *Hieronymus.* hic Perſas vicit.

Philippus cum *Philippo* filio annis 7.hic primus imperatorum omnium Chriſtianus fuit: ac poſt tertium imperii eius annum milleſimus à conditione Romæ annus expletus eſt: magnificiſq; ludis hic auguſtiſſimus omnium præteritorum annis à Chriſtiano imperatore celebratus eſt. Laus *Philippi* iunioris. *hic adeo ſeueri animi fuit, vt nullo commento ad ridendum ſolui potuerit, patremq; cachinnantem vultu auerſo notauerit, ſemper vitiis reſtans, & ad ardua virtutis anhelans.*

Decius anno vno menſibus 3.hic cum Philippos patrē & filium interfeciſſet, ob odium eorum Chriſtianos perſequitur.

Gallus cum *Voluſiano* filio annis 2.& menſibus 4.

Valerianus cum filio *Gallieno* annis 15. hic in Chriſtianos perſequutione cōmota ſtatim à Perſarum rege accipitur: ibiq; luminibus orbatus ſeruitute miſerabili conſeneſcit.

Claudius ſecundus anno 1.menſibus 9. iſte Gothos iam per annos 15. Illyricum Macedoniamq; vaſtātes ſuperat: ob quod in curia clypeus aureus, ei & in capitolio ſtatua aurea collata eſt.

Aurelianus annis 5.menſibus 6.hic cum Chriſtianos perſequeretur, fulmen ante eum magno horrore circumſtantiam ruit, & paulo poſt à militibus occiditur. Laus *Aureliani* ex geſtis mirabilium virorum. *Cum* Alexander *annis* 13. Cæſar 14. *orbem ſubiugaſſent, iſte triennio tribuſq; prœliis orbem pacificauit. iſte primus Romanorum diadema ſumpſit, gemmiſq; & aurata omni veſte vſus eſt. diſciplinæ militaris & morum diſſolutorum corrector. ſed ferus nimis, & ſuperbus, & ſæuus omni tempore.*

Tacitus 6.menſibus, quo apud Pontum occiſo regnauit *Florianus* 3.mēſibus, & ſic apud Tarſum occiditur.

Probus annis 6.menſibus 4.hic Gallias iamdudum à barbaris occupatas deletis tandem hoſtibus ad perfectum liberauit. Laus *Probi* ex authenticis. *Probus vir illuſtris, acer, ſtrenuus, iuſtus:* Aurelianum *pene gloria æquauit, ſed morum ciuilitate ſuperauit. hic cum bella innumera geſſiſſet pace parata dixit, breui milites neceſſarios non futuros.*

Carus annis 2.hic cum Perſas ſuperaſſet, ſuper Tigride flumine periit.

Diocleſianus cum *Herculio Maximiano* 20.annis: quorum tempore *Carauſius* quidam genere quidem infimus, ſed conſilio & manu promptus, cum ad obſeruanda oceani littora, quæ tunc Franci & Saxones infeſtabant, poſitus plus in perniciem, quam in * proficuum *al. profe-*
remp. ageret, & ereptam prædonibus prædam nulla ex parte reſtituendo dominis, ſed ſibi *ctū reip.*
ſoli vindicando, accendens ſuſpitionem, quia ipſos quoque hoſtes ad incurſandos fines artifici negligentia permitteret. quamobrem à *Maximiano* iuſſus occidi, purpuram ſumpſit, ac * Brittanniam occupauit. quibus ſibi per ſeptem annos fortiſſime vindicatis ac re- *al. Britā-*
tentis, tandem fraude *Allecti* ſocii ſui interemptus eſt. *Allectus* poſtea erepta *Carauſio* in- *nias*
ſula per triennium tenuit, quem *Aſclepiodotus* præfectus prætorio oppreſſit, Brittanniamque poſt 10.annos recepit. bellis vero coacti prædicti imperatores *Conſtātium* in occidente, *Galerium Maximinum* in oriente aſſumunt in regnum. eo tempore perſequutio crudeliſſima vbiq; terrarum exarſit in Chriſtianos. *S. Albanus* ſe Deo ſacrificium ea tempeſtate obtulit, de quo *Fortunatus* in laude virginum ſcribit:

Albanum egregium fœcunda Britannia profert.

Qui cum ciuis apud Verolanium eſſet, & clericum quendam paganos fugientem hoſpitio recepiſſet, & per eum latentem conuerſus interim fuiſſet, pro eo quærētibus ſe pœnis obtulit: cumq; tormentis affectus excapitandus duceretur, *Flumē ſiccatum eſt per orationem Sancti, quia populus tantus per pontem tranſire nequibat. quod cum inter alios ipſe etiam carnifex eum percuſſurus vidiſſet, genibus eius aduolutus, fidelis & cum eo martyr factus eſt: fons etiam martyrio eius affuit, qui poſt martyrium eius reuerſus eſt in naturā. oculi autem percutientis eum cum capite Sancti in terram deciderunt.* Paſſus eſt aūt iuxta Verolamium id eſt Wirlamceſter ſiue Wadlingeceaſter, vbi poſt Eccleſia mirandi operis conſtructa eſt, & Abbatia nobiliſſima: vbi etiam vſq; hodie fit curatio infirmorum & operatio virtutū. paſſi ſunt quoq; eo tempore *Aaron* & *Iulius* Legionum vrbis ciues. alii quoq; plures vtriuſq; ſexus inaudita membrorum diſcerptione & diuerſis cruciatibus in teſtimonium Dei excelſi. hæc perſequutio tam crebra erat, vt intra vnum menſem 17.millia martyrum pro *Chriſto* paſſa inueniantur. cum autem vigeſimo regni ſui anno *Diocletianus* Nicomediæ, *Maximianus* Mediolani purpuram depoſuerunt: cœpit perſequutio mitigari vſq; ad tempus *Arrii* Laus *Diocleſiani.* Diocleſianus *moratus callide fuit, ſagax præterea & admodum ſubtilis ingenio, & qui ſe-*

ueritatem ſuam aliena inuidia vellet explere. diligentiſſimus tamen & ſollertiſſimus princeps, qui primus contra Romanam libertatem adorari ſe iuſſerit, cum ante eum cæteri ſalutarentur. gemmas veſtibus calceamentiſq́; indidit, inuſitata virtute vſus, vt ſolus omnium ex tanto faſtigio ſponte priuatus fieret. Contigit igitur ei, quod nulli poſt natos homines, vt cum priuatus obiiſſet, inter diuos tamen referretur. Maximianus *vero vir crudeliſſimus & vultu fuit horrendus.*

Conſtantius, qui ſub prædictis imperatoribus regnauerat ſuper Galliam & Brittanniam & Hiſpaniam 15. annis, vno anno poſt depoſitionem eorum imperauit in occidentalibus partibus, *Maximino* imperante in orientalibus. condidit autem *Conſtantiam in ea parte Galliæ, quæ nunc vocatur Normannia. accepitq́; filiam regis Brittannici de Colecestre, cui nomen erat Coel, ſcilicet *Helenam*, quam ſanctam dicimus, & genuit ex ea *Conſtantinum* magnum. obiit autem *Conſtantius* vir ſummæ magnitudinis & ciuilitatis in Brittannia Eboraci. Laus *Conſtantii.* Conſtantius *vir præſtantiſſimus diuitiis prouincialium ac priuatorum ſtudens, fiſci commoda non admodum affectauit: dicens melius publicas opes à priuatis haberi quam intra vnum clauſtrum reſeruari. cultus modici, mitis animi. hic non modo amabilis ſed venerabilis etiam Gallis fuit.*

[Margin: *al. ciuitatem Conſtantiam*]

Conſtantinus flos Brittanniæ regnauit 30. annis & 10. menſibus. hic igitur Brittannicus genere & patria: ante quem nec poſt ſimilis eſt egreſſus de Brittannia. duxit exercitum a Brittannia & Gallia in Italiam. *Maximianus* enim *Maxentium* filium ſuum Romæ *Auguſtum.* conſtituerat. *Contra quem* Conſtantinus *adhuc infidelis tendens, vidit angelum Dei oſtendentem ſibi ſignum crucis, & hortantem ſe vt crederet. credidit ille ſtatim. Maxentiumq́; Deus flumine ſubmerſit. Conſtantinus* igitur potitus imperio *Maximinum* bis lege belli ſuperauit, ſolusq́; regnum mundi tenuit: & a vulnere lepræ, vt ſcripta tradunt, per *S. Syluestrum* in baptiſmate mundatus, fecit Romæ vbi baptizatus eſt baſilicam *Ioannis Baptiſtæ*, quæ vocatur *Conſtantiniana*: item baſilicam *Petro* & *Paulo* in templo *Apollinis*, corpus vtriuſq́; ære cipro circundans 5. pedes in groſſo: item baſilicã in Palatio Soſoriano, quæ cognominatur Hieruſalem. vbi de ligno crucis Domini poſuit: item baſilicam ſanctæ matris *Agnetis* ex rogatu filiæ ſuæ: item baſilicam beato *Laurentio* via Tiburtina in agro *Verano*: item baſilicam via Lavicana *Petro* & *Marcellino* martyribus: & mauſoleum vbi matrem ſuam poſuit in ſartophago purpureo: item baſilicam in ciuitate Hoſtia iuxta portum vrbis Romæ: item baſilicam in ciuitate Albanenſi *S. Iohannis Baptiſtæ*: item baſilicam in vrbe Neapoli. *Conſtantinus* vrbem ſui nominis ſtatuẽs in Thracia ſedem Romani imperii & totius orientis caput eſſe voluit: item Depranam ciuitatem Bythiniæ in honorem martyris *Luciani* ibi condit, inſtaurans ex vocabulo matris ſuæ Helenopolim vocauit. idem ſtatuit citra vllam hominum cædem paganorum templa claudi. *Helena* vero Brittanniæ nobilis alumna Londoniam muro, quod adhuc ſupereſt, cinxiſſe fertur, & Coleceſtriam mœnibus adornaſſe. ſed & inter alia multa Hieruſalem inſtaurauit, mundatamq́; idolis baſilicis pluribus adornauit. Laus *Conſtantini* ex ſacris ſcriniis. *Vir primo imperii tempore optimis principibus, vltimo medius comparandus: innumeræ in eo animi corporiſq́; virtutes claruerunt, militari gloria ſummus, fortuna par & induſtria ciuilibus artibus & ſtudiis liberalibus deditus, affectator iuſti amoris in amicos egregius, verum inſolentia rerum ſecundarum aliquantum ex illa fauorabilis animi docilitate tandem immutatus eſt.*

[Margin: *al. ſarcophago*]

Conſtantius cum *Conſtantino* & *Conſtante* fratribus annis 24. menſibus 5. hæreſis Arriana *Conſtantii* regis fulta præſidio varie & valde catholicos afflixit.

Iulianus Apoſtata 2. annis menſibus 8. hic digne à barbaris Dei hoſtis bellando perimitur. Laus *Iuliani* ex *Paulo. Fuit* Marco Antonino *non abſimilis, quem etiam æmulari ſtudebat: liberalibus diſciplinis adprime eruditus, memoria tenacis & ampla, facundiæ ingentis & prompta, philoſopho propior. ciuilis in cunctos, auidus gloriæ, & per hoc animi plerunq́; immodici.*

Iouinianus bonus & pius 8. menſibus, cuius læta principia mors immatura corrupit.

Valentinianus cum fratre ſuo *Valente* II. annis regnorum iura cuſtodiuit. Laus *Valentiniani* ex hiſtoria *Pauli. Fuit* Aureliano *ſimilis, vultu decens, ſolers ingenio, grauis animo, ſeuerus, vehemens, infeſtus vitiis, maximeq́; auaritiæ, doctus pingere venuſtiſſime, noua arma meditari, fingere ſimulachra cera ſeu limo; ſermone cultiſſimus, prudens & aſtutus.*

Valens cum *Gratiano* & *Valentiniano* fratris ſui prædicti filiis, regnauit annis 4. *Valens* ab Arrianis baptizatus catholicos perſequitur, legeq́; data vt monachi militarent, nolentes fuſtibus iuſſit interfici. Gens Hunorum diu in inacceſſis ſecluſa montibus repentina rabie percita exarſit in Gothos: eoſq́; ſparſim conturbatos ab antiquis ſedibus expulit. Gothi tranſito Danubio fugientes, a *Valente* ſine armorum depoſitione ſuſcepti, mox per auaritiam *Maximi* ducis fame ad rebellandum coacti ſunt. victoq́; *Valentis* exercitu per Thraciam ſeſe miſcentes, ſimul omnia cædibus, incendiis, rapiniſq́; fuderunt.

Gra-

Gratianus cum fratre *Valentiniano* anno ab incarnatione Domini trecenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo regnauit annis 6. quamuis iamdudum cum patruo ſuo *Valente* regnaret. qui cum afflictum & pene collapſum reipub. ſtatum videret, *Theodoſium* Hiſpanum virum reſtituendæ reip. neceſſitate apud Sirmiam purpura induit, orientiſq; & Thraciæ ſemel præfecit imperio. *Theodoſius* igitur maximas illas Scythicas gentes, hoc eſt, Alanos, Hunos, & Gothos magnis & multis prœliis vicit. interea *Maximus* à Brittannia oriundus, vir quidem ſtrenuus & laude dignus, niſi contra ſacramenti fidem per tyrannidem emerſiſſet in Brittanniam; ibidem imperator creatus in Galliam tranſiit: vbi *Gratianum, Auguſtum*, ſubita incurſione perterritum interfecit, fratremq; eius *Valentinianum Auguſtum* Italia expulit, qui ad *Theodoſium* in oriente refugit. Laus *Gratiani*. *Fuit* Gratianus *literis haud mediocriter inſtitutus, carmen facere, ornate loqui, explicare controuerſias rhetorum more, nihil aliud die noctuque agere quam ſpiculis meditari, ſummaq; voluptatis diuinaq; artis credere deſtinata ferire, parcus cibi, ſomniq; ac libidinis victor.*

Theodoſius poſt mortem *Gratiani* annis 11. regnauit cum *Valentiniano*, quem regno reſtituit, clauſo videlicet intra muros Aquileiæ & occiſo *Maximo* tyranno. Brittones vero, quos *Maximus* ſecum adduxerat in Gallia Armorica vſque hodie remanſerunt: vnde & Brittones Armorici vocantur: à quibus ſpoliata emarcuit Brittannia. Laus *Theodoſii*. *Theodoſius propagator reip. fuit atq; defenſor eximius, moribus & corpore* Traiano *ſimilis quantum ſcriptura veterum & pictura docent, à quo & originem traxit: ſic eminens ſtatus, membra eadem, par cæſaries: ſed illi non tam ingentes oculi erant: neſcio an & tanta gratia tantuſque flos in facie ſeu tanta dignitas in inceſſu fuit. mens vero prorſus ſimilis, adeo vt nihil dici queat, quod non ex libris iſtis videatur transferri. miſericos, communis, ſolo habitu differre ſe cæteris putans, in omnes homines honorificus, verum effuſius in bonos: ſimplicia ingenia diligere, erudita mirari, ſed innoxia; largiri magno animo magna. illa tamen, quibus* Traianus *aſperſus eſt, vinolentiam ſcilicet & cupidinem triumphandi vſque eo deteſtatus, vt bella non mouerit ſed inuenerit. miniſteria laſciua, pſaltriaſq; commeſſationibus adhiberi lege prohibuit. literis mediocriter doctus, ſagax plane, multumque diligens ad noſcenda geſta maiorum. execrabatur, cum legiſſet ſuperbiam dominantium, præcipue perfidos & ingratos. iraſci ſane rebus rebus indignis, ſed ſubito flecti. & quod eſt raræ virtutis, poſt auctam annis potentiam imperialem auri argentique pondera ſublata à tyrannis, multis ex ſuo reſtituit. patruum pro genitore habuit, nepotes & cognatos pro filiis. elegans lætumque conuiuium dare, nec tamen ſumptuoſum, miſcere colloquia pro perſonis & dignitatibus ſermone cum grauitate iucundo, blandus pater, concors maritus. regebat valetudinem continentia veſcendi, ambulatione moderata. huius & apud homines manſuetudo, & apud Deum extitit ſumma deuotio.*

Arcadius filius *Theodoſii* cum fratre *Honorio* annis 13. Gothi Italiam, Wandali atq; Alani Gallias aggrediuntur. *Pelagius* Britto & *Iulianus* Campanenſis hæreſin ſuam longe lateq; ſeminauerunt, quibus ſanctus *Auguſtinus*, ſicut & cæteri patres orthodoxi multis ſententiarum catholicarum millibus reſponderunt. nec eorum tamen dementiam corrigere valebant. ſed quod grauius eſt correpta eorum veſania magis augeſcere contradicendo quam fauendo veritati voluit emendari. vnde *Proſper* rhetor verſificans ait:

Contra Auguſtinum *narratur ſerpere quidam*
ſcriptor, quem dudum liuor adurit edax.
Aut hunc fruge ſua æquorei pauere Britanni,
aut hic campano gramine corda tumet.

Honorius cum *Theodoſio* minore fratris ſui *Arcadii* filio annis 15. euius temporibus eum Alani, Sueui, Wandali totas ſæuirent per Gallias, apud Brittanniam *Gratianus* municeps tyrannus creatur & occiditur. huius loco *Conſtantinus* ex infima militia propter ſolam ſpem nominis ſine merito virtutis eligitur, qui continuo vt inuaſit imperium in Gallias tranſiit: ibi ſæpe à barbaris inceptis fœderibus illuſus detrimento magno reipub. fuit. inde mox iubente *Honorio Conſtantinus* Comes in Galliam cum exercitu profectus apud Arelatem ciuitatem eum clauſit, cepit, & occidit: *Conſtantemque* filium eius, quem ex Monacho *Cæſarem* fecerat, *Gerontius* comes ſuus apud Viennam interfecit. contigit autem quod *Alaricus* rex Gothorum Romam inuaſit & cepit anno conditionis eius milleſimo, centeſimo, ſexageſimo quarto: cumque partem eius cremaſſet incendio, deprædata vrbe ſexto die egreſſus eſt, poſt annos ferme quadringentos ſeptuaginta, ex quo *Iulius Cæſar* ſibi Brittanniam ſubiecit. Habitabant autem Romani intra vallum (quod *Seuerum* trás inſulam feciſſe commemorauimus) ad plagam meridianam, quod ciuitates, pontes, fari, & ſtratæ ibidem factæ vſq; hodie teſtantur. cæterum vlteriores Brittanniæ partes, vel eas

etiam,quæ vltra Brittanniam ſunt,inſulas iure dominandi poſſidebant. Brittannia igitur militaribus copiis floridaq; iuuentute ſpoliata (quæ maxime per *Maximum* tyrannum fuerant abductæ, poſt etiam reliquiæ per proxime dictum *Conſtantinum*) prædæ ſiquidem tantum patuit Scottis & Pictis gentibus ſæuiſſimis. Hæ quidem remotæ ſunt à Brittonibus duobus ſinibus maris interiacentibus,quorum vnus ab orientali mari, alter ab occidentali longe irrumpunt,quamuis ad ſe inuicem * pertinere non poſſint. Orientalis autem habet in medio ſui vrbem Guidi: Occidentalis ſupra ſe, hoc eſt ad dextram ſui habet vrbem Aldclyhit:quod lingua eorum ſignificat Petram clyhit. Eſt autem iuxta fluuiũ nominis illius. Ob harum ergo infeſtationem gentium Brittones legatos Romam cum Epiſtolis mittunt auxilia flagitantes. Quibus mox legio deſtinatur, quæ hoſtium magnam multitudinem ſternens cęteros à finibus expulit. Sicq; domum cum magno triumpho reuerſa eſt,indicentes Brittannis vt ſuper vallum *Seueri* murum conſtituerent,quatenus vbi munitio aquæ deerat præſidium valli adeſſet. at Brittanni murum non tam lapidibus quã ceſpitibus conſtruentes ad nihil vtilem ſtatuunt: veſtigia vero valli illius latiſſimi & altiſſimi vſq; hodie cernuntur. incipit autem ferme duorum millium ſpatio à loco, qui vocatur Peneltune, & terminatur in occidentem iuxta vrbem Aldclyhit. verum priores inimici vt Romanum militem abiiſſe conſpexerunt, mox aducti nauibus irrumpunt acrius. vnde prece Brittannorum rurſum Romani redeunt, & cæſum hoſtem transmaria fugant. coniunctiſq; ſibi Brittannis murum non vt ante ex ceſpitibus, ſed ex ſaxo à mari vſque ad mare collocant. Sic & in littore meridiano, quia & inde hoſtis timebatur, turres per interualla ad proſpectum maris ſtatuunt, ſic valedicunt ſociis tanquam vltra non reuerſuri, dicentes vltra ſe tam laborioſis expeditionibus non poſſe fatigari. Romanis igitur domum reuerſis hoſtes acrius inſultant, inſulæque partem vſque murum capeſſunt. deinde murum vrbeſque appoſitas ſternunt, poſtea cis murum longe patriam vaſtant, vt & ipſi Brittanni latrocinio ac rapacitate famem temperarent, donec omnis regio totius cibi ſuſtentaculo, excepto venandi ſolatio, vacuaretur. Laus *Honorii. Fuit* Honorius *moribus & religione patri* Theodoſio *non valde abſimilis. Cuius temporibus quamuis externa multa & ciuilia bella ſurrexerunt, vel nullo vel minimo ſanguine quieuere.*

al. pertingere.

Theodoſius ſecundus qui vocatur iunior Brittanniæ poteſtatem amiſit. imperauit autem Romanis 28. annis, cuius regni anno 23. *Aetius* vir illuſtris cum *Symmacho* geſſit conſulatum: ad hunc Brittonum reliquiæ mittunt epiſtolam. In proceſſu Epiſtolæ cuius hoc principium eſt (*Aetio* ter conſuli) ita ſuas calamitates explicant. *Repellunt barbari ad mare, repellit mare ad barbaros. Inter hac oriuntur duo genera funerum: aut iugulamur aut mergimur.* Neq; hoc tamen agentes quicquam ab illo auxilii impetrare quiuerunt: vtpote qui grauiſſimis eo tempore bellis cum *Bledda & Attila* regibus Hunorum erat occupatus. Et quamuis anno ante hunc proximo *Bledda Attilæ* fratris ſui interemptus ſit inſidiis, *Attila* tamen ipſe adeo intolerabilis reip. remanſit hoſtis, vt totam pene Europam exciſis inuaſiſq; ciuitatibus atq; caſtellis corroderet. Quin etiam & eiſdem temporibus fames Cõſtantinopolim inuaſit, nec mora peſtis ſequuta eſt. Sed & plurimi eiuſdem vrbis muri cum 56. turribus corruerunt. Multis quoq; ciuitatibus collapſis fames & aerum peſtifer odor plurima hominum millia iumentorumq; deleuit. Brittaniam quoque ſicut & cæteras prouincias præfata fames affecit: tunc igitur Brittanni videntes humanũ deeſſe auxilium inuocant diuinum: miſertuſque eſt eorum dominus omnipotens & tentauit eos, admiſitq; eorum robur brachiis & aciem gladiis. exiluerunt igitur de montibus & latebris & ſyluis, irruenteſq; in Scottos & Pictos vndique cœperunt indeficienter cædere & ſternere. hoſtes vero nec ſe in ictibus ſuis cognoſcebant, nec in protectione armorum iam confidebant: quæ ſcilicet iam Brittannorum armis erant quaſi veſtis. Contabuit ergo cor hoſtium, diſſolutiſq; viribus horreſcentes aufugiunt. fit itaque in eis ſtrages innumera. Scotti cum dedecore Hyberniam redeunt. Picti in extrema inſulæ parte tunc primum & deinceps quieuerunt: deditq; Dominus victoriam populo ſuo, & confuſi ſunt qui eos cõfundebant. his temporibus ſcilicet anno *Theodoſii* octauo mittitur *Palladius* à Papa *Celeſtino* ad Scottos primus eorum futurus Epiſcopus. *Theodoſius* etiam poteſtatem Galliæ & Hiſpaniæ & Africæ amiſit: gens quippe Wandalorum & Alanorum & Gothorum omnia ferro, flammis arripuerant & deſtruxerant. ſed beatus *Auguſtinus* Hipponenſis Epiſcopus, ne ciuitatis ſuæ ruinam videret, tertio obſidionis eius menſe migrauit ad Dominum *Geiſerico* crudeliſſimo eam obſidente.

Brittannis ergo victoribus & quieti datis miſit Dominus ineffabilem frugum abundantiam, quantam nulla ætas retro meminit: vt ſicut confuſiones ante habitas triumpho releuauerant, ita famem præfatam opulentia releuarent: probauitque Deus vtrum omni-

mnimoda proſperitas redderet gratioſos, quos nulla aduerſa reddiderant correctos. Illi tunc vero omnia ſcelera tranſacta ſuperantes in luxuria furere, & in omnium lue ſcelerum ſine reſpectu Dei cœperunt. ita vero demum crudelitas & odium amorq; mendacii in eis exarſit, vt ſi quis eorum mitior & veritati aliquatenus propior videretur, in hunc quaſi Brittanniæ ſubuerſorem omnium odia telaque ſine reſpectu contorquerentur, & non ſolum hoc ſeculares viri, ſed & ipſe grex Domini eiuſq; paſtores egerunt, ebrioſitate, animoſitate, litigio, contentione, inuidia, cæteris huiuſmodi facinoribus ſua colla abiecto leui iugo *Chriſti* ſubdentes. reſpexit ergo Dominus, & in iram concitatus corruptæ mentis homines acerba peſte contriuit, quæ in breui tantum eius multitudinem ſtrauit, vt ne ſepeliendis quidem mortuis viui ſufficerent. ſed nec morte quidem ſuorum, nec timore mortis, hi, qui ſupererant, à morte animæ, qua peccando ſternebantur, reuocari poterát. iuſto itaq; & patenti iudicio conſtituit Deus exterminare gentem illam, mandauitq; ſtatim ſtimulos iræ ſuæ Scottos ſcilicet & Pictos, qui cædes ſuas vindicaturi iracundius ſolito aduenīunt, irruuntq; Brittannis, quaſi lupi in agnos, cognoueruntq; ſe in ictibus ſuis, & Brittannos in fuga ſua. rurſumq; igitur ex more Brittanni latebras & ſyluas & ſaltus repetunt: poſtea vero inierunt conſilium quid agendum, vbi quærendum eſſet præſidium ad euitandas vel repellendas tam veras tamque creberrimas gentium aquilonalium irruptiones: placuitq; omnibus cum rege ſuo *Vortigerno*, vt Saxonum gentem de tranſmarinis partibus in auxilium vocarent, quod domini nutu diſpoſitum eſſe conſtat, vt veniret contra improbos malum, ſicut euidentius rerum exitus probauit.

HENRICI HVNTINDONIENSIS HISTORIARVM.

LIB. II.

TRACTATVM eſt in ſuperioribus de 45. Imperatoribus, qui tam Brittanniam quam cæteras mundi partes rexerunt: quorum ſi aliqui gloria potiuntur in cœlis, illam tantum habent, quia iam hic nullam habent. viluit enim ſermocinatio de eis, & prolixior confabulatio de actibus eorum videtur amara, tędii ſcilicet & odii generatrix. quapropter excogitemus ex eorum comparatione, quorum potentiæ & maieſtati vix ſufficiebat vniuerſus mundus, quam nihil ſit gloria noſtra, potentia noſtra, tumor noſter, quorum de cauſa laboramus, ſudamus, inſanimus. Si autem gloriam cupimus, vt humane loquar, concedo, cupiamus, ſed veram: ſi famam, illam, quæ non euaneſcit: ſi honorem, illum, qui non defloreſcit: non qualem prædicti imperatores, quorum omnis gloria iam non eſt niſi viles reliquiæ fabularum: veram autem gloriam, & famam, & honorem habebimus, ſi ei, qui ſolus verus eſt, cum iucunditate & lætitia innitamur, ſi ſpem noſtram & fiduciam omnem in Deo ponamus, non in filiis hominum, ſicut Brittanni, qui Deo abiecto & magnificentia timoris eius, auxilium petierunt à paganis, habueruntq; ſed quale decebat. *Gens namq; Saxonum vel Anglorum inuitata à Rege præfato Brittanniam tribus longis nauibus aduehitur, anno gratiæ quadringenteſimo quadrageſimo nono, cum* Martianus & Valentinus, *quorum imperium 7. annis durauit, imperarent, vigeſimo quarto anno poſtquam regnum Francorum inchoauerat: quorum primus Rex fuit* Pharamundus. *Saxones igitur in orientali parte inſulæ iubente eodem Rege locum manendi quaſi pro patria pugnaturi, re autem vera hanc expugnaturi ſuſceperunt.*

Inierunt autem certamen contra Pictos & Scottos, qui iam venerunt vſque ad Stanfordiam, quæ ſita eſt, in auſtrali parte Lincolniæ, diſtans ab ea 40. miliariis. cum igitur illi pilis & lanceis pugnarent, iſti vero ſecuribus gladiiſq; longis rigidiſſime decertarent, nequiuerunt Picti pondus tantum perferre, ſed fuga ſaluti ſuæ conſuluerunt. Saxones victorioſi triumpho, & præda potiti ſunt. *Quod vbi Saxoniæ nuntiatum eſt, ſimul & inſulæ fertilitas ac ſegnities Brittonum, mittitur confeſtim illo claſſis prolixior armatorum ferens manum fortiorem: quæ præmiſſam adiuncta cohorti inuincibilem fecit exercitum. ſuſceperunt ergo qui aduenerant donantibus Brittonibus locum habitationis inter eos: ea tamen conditione, vt hi pro patriæ pace & ſalute contra aduerſarios militarent, illi militantibus debita ſtipendia conferrent. aduenerunt autē*

de tribus Germaniæ populis fortioribus, id eſt, Saxonibus, Anglis, Iutis. de Iutarum origine ſunt Cantuarii, & Victuarii: hæc eſt ea gens, quæ Vectam tenet inſulam: & ea, quæ vſq; hodie in prouincia occidentalium Saxonum Iutarum natio nominatur, poſita contra ipſam inſulam Vectam. de Saxonibus

al. regione.

*id eſt, ea * generatione, quæ nunc antiquorum Saxonum cognominatur, venere orientales Saxones, meridiani Saxones, occidui Saxones. Porro de Anglis (hoc eſt illa patria, quæ Angulus dicitur, & ab eo tempore vſq; hodie manet deſerta, & inter prouincias Iutarum & Saxonum eſſe perhibetur) orientales Angli, mediterranei Angli, Mercii, tota Northanhumbrorum progenies, id eſt, illarum gentium, quæ ad boream Humbri fluminis inhabitant, cæteriq; Anglorum populi ſunt orti.* Duces eorum primi fuiſſe perhibentur duo fratres *Hengiſt & Horſa*: erant autem filii *Widgils*, filii *Wicta*, filii *Vecta*, filii *Woden*, filii *Frealof*, filii *Fredulf*, filii *Fin*, filii *Flocwald*, filii *Ieta*: quẽ dixerunt filiũ *Dei* ſcilicet alicuius Idoli: de quorum patrum progenie multarũ prouinciarũ regium genus originem duxit. non mora ergo confluentibus certatim in inſulam gentiũ memoratarum cateruis grandeſcere populus cœpit aduenarum, ita vt ipſis quoq;, qui aduocauerant, indigenis eſſent terrori. dicitur autem à quibuſdam, quod Rex *Vortigernus* formidans robur eorum filiam *Hengiſti* paganam duxerit. dicitur etiam quod ad cumulum damnationis ſuæ propriam filiam ſuam duxerit, & ex ea filium genuerit: vnde à S. *Germano* & ab omni conuentu Epiſcopali excommunicatus eſt.

Rex *Vortigernus* à genero ſuo & ab exercitu belli occaſionem (Deo volente) quærentibus, annonas eis affluentius miniſtrare repoſcitur, minantes niſi profuſior eis copia alimentorum detur, ſe cuncta inſulæ loca rupto fœdere vaſtaturos: nec ſegniter minas perſequuntur effectibus: inito namque fœdere cum Pictis & congregato, innumerabili exercitu, neminem, qui eis reſtare auderet, vſquã inuenerũt. accenſus igitur manibus paganorum ignis iuſtas de ſceleribus populi Dei vltiones expetiit, non illius impar, qui quondam a Caldæis ſucceſſus Hyeroſolymorum mœnia imo ædificia cuncta conſumpſit. ſic enim & hic agente impio victore, imo diſponente iuſto iudice proximas quaſque ciuitates agroſq; depopulans ab orientali mari vſq; ad occidentale nullo prohibente ſuum continuauit incendium, totamq; prope inſulæ pereuntis ſuperficiem obtexit. ruebant ædificia publica ſimul & priuata, paſſim ſacerdotes inter altaria trucidabantur. præſules cum populis ſine vllo reſpectu honoris ferro pariter & flammis abſumebantur: nec erat qui crudeliter eos interemptos ſepulturæ traderet. Itaq; nonnulli in montibus comprehenſi iugulabantur: alii fame confecti procedentes manus hoſtibus dabant, pro accipiendis alimentorum ſubſidiis æternum ſubituri ſeruitium, ſi tamen non continuo trucidarentur: alii tranſmarinas regiones dolentes petebant: alii perſtantes in patria trepidi pauperem vitam in montibus, ſyluis, vel rupibus arduis ſuſpecta ſemper mente agebant. Rex autem *Vortigernus* in occidentali parte Brittanniæ inter prærupta montium & ſyluarum omnibus exoſus degebat. dicitur autem quod cum rex prædicationem ſancti *Germani* audire nollet: fugeretq; ſanctum ſe ſequentem, quadam nocte ignis de cœlo cecidit ſuper arcem, in qua rex erat. rex autem tam ruina quam igne deſtructus nuſquam comparuit. At vbi Saxones diſperſis indigenis copiam exercituum domum remiſerunt, cœperunt Brittanni emergentes de latibulis vires reſumere animoſq;. congregatoq; permaximo exercitu in Cantiam contra *Hengiſt & Horſa* vexilla direxerunt. vtebantur eo tempore duce *Ambroſio Aureliano* viro modeſto, qui ſolus forte Romanæ gentis præfatæ tempeſtati ſuperfuerat, occiſis in eadem parentibus nomen regum & inſigne ferentibus. duoq; filii *Vortigerni* duces erant cum eo, *Gortimer & Catiger. Ambroſius* igitur primam aciem bello induxit, *Gortimer* ſecundam, *Catiger* tertiam: *Hors* vero & *Hengiſt* licet multo minores numero eſſent, audaciſſime tamen eis obuiauerunt, duoq; fratres duas acies in hoſtem direxerunt.

Anno 7. aduentus Saxonum in Angliam commiſſum eſt bellum apud Aeilleſtreu. principio ergo percuſſit *Hors* aciem *Catigerni* tanto vigore, vt ad modum pulueris diſperſa proſterneretur, & filium regis proſtratum cecidit. *Gortimer* autem frater eius vir vere ſtrenuiſſimus ex obliquo aciem *Horſi* diſrupit, & ipſo *Horſo* interfecto virorum fortiſſimo, reliquiæ cohortis ad *Hengiſtum* fugiunt, qui cum *Ambroſii* cuneo inuicte confligebat. totum ergo pondus prælii verſum eſt ſuper *Hengiſtum*, & probitate *Gortimeri* coarctatus, cum diu perſeueraſſet, non ſine magno detrimento Brittannorum victus, qui nunquam fugerat, fugit. Scripſerunt quidam *Hengiſtum* poſtea in eodem anno ter cõtra eos pugnaſſe, nec potuiſſe reſiſtere probitati *Gortimeri* & numero Brittonum; ſed ſemel in inſulam Tenet, ſemel ad naues fugiſſe, & pro his qui abierant in patriam miſiſſe.

Anno vero ſequenti, regnante *Leone* imperatore, qui regnauit 17. annis, morbo periit flos iuuenum *Gortimerus*, cum quo ſimul ſpes & victoria Brittonum exſtincta eſt. *Hengiſt*

giſt igitur & *Eſc* filius ſuus receptis auxiliis à patria ſua, & morte iuuenis freti, bello ſe præparant apud Creganford. Brittanni vero 4. phalanges maximas 4. ducibus munitas fortiſſimis bello proſtituunt. Sed cum ludum belli Brittones iniſſent, numerum Saxonum maiorem ſolito male ferebant. recentes quippe, qui ſuperuenerant, & viri electi erant, ſecuribus & gladiis horribiliter corpora Brittonum findebant: nec tamen ceſſerunt donec quatuor duces eorum proſtratos & cæſos viderunt. tūc vero vltra quam credi poteſt perterriti à Cent vſq; in Londoniam fugerunt, & nunquam in * Cantia poſtea gratia pugnandi venire auſi ſunt. exinde regnauit *Hengiſt & Eſc* filius ſuus in Cantuaria. regnum igitur Cantiæ incepit 8. anno aduentus Anglorum. *al. Cantiū*

Circa ea tempora venerat *Germanus* Antiſiodorenſis Epiſcopus, vir ſanctitate miraculiſq; conſpicuus, & *Lupus* Trecaſinæ ciuitatis Epiſcopus in Brittanniam ad Pelargianam hæreſim deſtruendam. *Quibus ratione coram omni populo deuictis, ad confirmationem ſua rationis filiam tribuni 10. annis cæcam curauit: præterea caſulam, in qua infirmus iacebat, ab igne circumquaque furente, & adiuncta ipſi caſulæ conſumente ſaluauit*: petenſque ſepulchrum ſancti *Albani* reliquias in ipſo diuerſorum martyrum impoſuit. maſſamque pulueris adhuc rubentis ſanguine martyris ſecum portaturus abſtulit: quo in loco innumeram hominum turbam eadem die conuertit ad Dominum.

Interea Saxones & Picti bellum contra Brittannos iunctis viribus inierunt. Brittones trepidi ſancti *Germani* petierunt auxilium: Sanctus adueniens ducē ſe prælii profitetur. in valle igitur circūdata mediis montibus è regione, qua ſperabatur aduentus hoſtiū, componit exercitum ipſe dux agminis. & iam aderat ferox hoſtium multitudo, quam appropinquare ſpeculatores intuebantur. tunc ſubito ſanctus ſignifer vniuerſos admonet, vt voci ſuæ vno clamore reſpondeant: ſecuriſque hoſtibus qui ſe inſperatos adeſſe confidetent, Alleluia iam tertio repetitum, ſacerdotes exclamabant. ſequitur vna vox omnium, & elatum clamorem repercuſſo aere montium concluſa multiplicant. hoſtile agmen terrore proſternitur: & ſuper ſe non ſolum rupes circundatas, ſed & ipſam cœli machinam contremiſcunt. dum igitur fugientibus vix ſufficere pedum pernicitas creditur, paſſim ruunt, arma proiiciunt, gaudentes vel nuda corpora eripuiſſe diſcrimini: plures etiam timore cæcatos flumen, quod tranſierant, deuorauit: vltionem ſuam innocens exercitus intuetur, & ſpolia cœleſtis palmæ cum gaudio colligunt. triumphant pontifices hoſtibus fuſis ſine ſanguine victoria fide obtenta non viribus. ſuperatis igitur hoſtibus mentis & corporis beati pontifices ad ſua remearunt. *Sed non multo poſt Pelagiana hæreſi iterum pullulante precibus omnium ſacerdotum Brittanniæ rediit* GERMANVS *cum* Seuero *Epiſcopo Treueriſ, fidemq; rectam reſtituens filium* * Elafii *principis contractum neruis & poplite in conſpectu omnium ſanauit*: omnibuſque proſpere geſtis inde ad Rauennam pro pace Armoricanæ gentis ſupplicaturus aduenit, ibiq; à * *Valentiniano* ſumma reuerentia ſuſceptus migrauit ad *Chriſtum*, nec multo poſt *Valentinianus* interimitur à ſatellitibus *AEtii* patritii, quem occiderat: cui Brittanni quondam miſerant vt prædiximus epiſtolam. cum quo ſimul Heſperium concidit regnum. *al. Elaul.* *al. Valentiano.*

Superuenientibus vero auxiliariis poſt aliquantum temporis *Hengiſt* Rex & *Eſc* filius ſuus inuictiſſimum congregauerunt exercitum anno 17. aduentus eorum in Angliam: contra quos omnis Brittannia viribus congregatis 12. phalanges nobiliter ordinatas oppoſuit apud Wippedesflede. pugnatum eſt diu & acriter, donec *Hengiſtus* 12. principes cuneorū proſtrauit, & vexillis eorū deiectis, & manipulis eorum proturbatis in fugam coegit. ipſe autem multos principum ſuorum & gentis amiſit, & quendam magnum principem qui vocabatur *Wipped*, ex cuius nomine locum belli illius prædicto nomine vocauit. victoria igitur illis lachrymabilis fuit & odioſa, ita vt poſtea non paruo tempore nec ipſe intra Brittannorum fines, nec Brittanni in Cantiam venire præſumerent. Brittanniæ igitur dum ceſſarent externa bella, non ceſſabant ciuilia. ſed inter exterminia ciuitatum ab hoſte dirutarum pugnabant inuicem, qui hoſtem euaſerant ciues. dum tamen recens eſſet memoria calamitatis inflictæ, ſeruabant vtcunque reges, ſacerdotes, priuati, & optimates, ſuum quiq; ordinem. cum autem iunior ætas creuiſſet, præſentis ſolum ſerenitatis ſtatum experta, ita cuncta veritatis & iuſtitiæ moderamina concuſſa ſunt ac ſubuerſa, vt earum non dicam veſtigium, ſed nec memoria quidem præter in paucis & valde paucis vlla appareret. immiſit ergo Deus ex partibus Germaniæ duces plures ferociſſimos per ſucceſſiones temporum, qui gentem Deo inuiſam delerent. & in primis dux *AElle* venit & 3. filii ſui *Cymen, & Pleting, & Ciſſa.*

Igitur dux *Aelle* cum filiis ſuis & claſſe militaribus copiis inſtructiſſima in Brittannia ad Cymenesore appulerunt. egredientibus autem Saxonibus de mari, Brittanni clamorem

excitarunt, & à circumadiacentibus locis innumeri conuolarunt, & ſtatim bellum initum eſt. Saxones vero ſtatura & vigore maximi, impudenter eos recipiebant, illi vero imprudenter veniebant. nam ſparſim & per interualla venientes à conglomeratis interficiebantur, & vt quiq; attoniti veniebant, rumores ſiniſtros ex improuiſo ſentiebant. Fugati ſunt igitur Brittanni vſq; ad proximum nemus quod vocatur Andredeſleige. Saxones autem occuparunt littora maris in Sudſexe, magis magiſq; ſibi regionis ſpatia capeſſentes vſq; ad nonum annum aduentus eorum. tunc vero cum audacius regionem in longinquum capeſſerent, conuenerunt reges & tyranni Brittonum apud Mercredeſburne, & pugnauerunt contra *Aelle* & filios ſuos, & fere dubia fuit victoria. vterq; enim exercitus valde læſus & minoratus alterius congreſſum deuouens ad propria remearunt. miſit igitur *Elle* ad compatriotas ſuos auxilium flagitans. annus autem, quo *Elle* venit in Angliam fere 30. fuit ab aduentu Anglorum 42.

Mortuus eſt *Hengiſt* Rex Cantiæ 40. anno poſt aduentum ſuum in Brittanniam, & regnauit *Eſc* filius eius pro eo 34. annis, tempore *Zenonis* imperatoris, cuius imperium fuit 17. annis. *Eſc* autem patria virtute patriam contra Brittannos potenter tenuit: regnumque ſuum regnis eorum ampliauit.

Regnum Sudſexe incipit, quod *Ella* diu & potentiſſime tenuit. venerant enim ei auxiliares à patria ſua anno tertio poſt mortem *Hengiſti*, tempore *Anaſtaſii* imperatoris Romani, qui regnauit 27. annis. fretus igitur copiis ingentibus obſedit Andredeceſter vrbem munitiſſimam. congregati ſunt igitur Brittanni quaſi apes, & die expugnabant obſidentes inſidiis, & nocte incurſibus. nullus dies erat, nulla nox erat, quibus ſiniſtri & recentes nuntii Saxonum animos non acerbarent. inde tamen ardentiores effecti continuis inſultibus vrbem infeſtabant. ſemper vero dum aſſilirent inſtabant eis Brittones à tergo cum viris ſagittariis & amentatis telorum miſſilibus. dimiſſis igitur mœnibus greſſus & arma dirigebant in eos Pagani. tunc Brittones eis celeritate præſtantiores ſyluas curſu petebant: tendentibuſq; ad mœnia rurſum à tergo aderant. hac arte Saxones diu fatigati ſunt, & innumera ſtrages eorũ fiebat, donec in duas partes exercitũ diuiſerunt, vt dũ vna pars vrbẽ expugnaret, eſſet eis à tergo contra Brittonum excurſus bellatorum acies ordinata. tunc vero ciues diuturna fame contriti, cum iam pondus infeſtantium perferre nequirent, omnes ore gladii deuorati ſunt cum mulieribus & paruulis, ita quod nec vnus ſolus euaſit. & quia tot ibi damna tolerauerant extranei, ita vrbem deſtruxerunt, quod nunquam poſtea reædificata eſt. locus tantum quaſi nobiliſſimæ vrbis tranſeuntibus oſtenditur deſolatus.

Anno 47. aduentus Anglorum, *Certic & Cenric* filius ſuus cum 5. puppibus venerunt ad Certiceſore. eodem die conuenit multitudo regionis, & pugnatum eſt contra eos. Saxones acie conferta coram nauibus immobiliter ſtabant, Inſulani audacter in eos irruebant, & ſine perſequutione reuertebantur, aduenis quippe nunquam locum deſerentibus. ſic irruendo & redeundo bellatum eſt, donec noctis tenebræ litem diremerunt. inuentis igitur Saxonibus aſperis Brittanni ſe retraxerunt, & neutra ex parte habita eſt victoria. hoſpitati tamen *Certic* & filius ſuus in terra hoſtili, magis magiſq; circa littora maris cœperunt occupare non ſine frequentibus bellis regiones.

Septimo autem anno poſt aduentum *Certici* venit *Port*, & duo filii eius, *Beda & Megla* cum duabus nauibus maximis apud Porteſmudham, ſtatimque clamor maximus impleuit omnem prouinci.ãdux igitur prouinciæ & omnis multitudo pugnam aggreſſi, abſque ordine vt quiſque adueniebat in ictu oculi deperiere. audacia namque agebat Brittones in hoſtem: fortitudo vero hoſtis agebat imprudentiam eorum in confuſionem. duce igitur & populo perempto vel fugato victoria potiti ſunt *Port*,) de quo dicta eſt Porteſmuham) & duo filii eius.

Bellum ſcripturus ſum, quod *Nazaleod* rex maximus Brittannorum egit contra *Certic & Cinric* filium eius ſexageſimo anno aduentus Anglorum. *Nazaleod* vero magni nominis erat & magnæ ſuperbiæ, à quo regio illa dicta eſt Nazaleoli, quæ modo dicitur Certicheſforde. congregata igitur omni multitudine Brittanniæ auxilium petierat in ſupremis negotiis *Certic* & filius eius ab *Eſc* Rege Cantuariorum, & ab *Ella* magno Rege Sudſexorum, & à *Port* & filiis eius, qui nuper venerant & duas acies bello ſtatuerunt, vnam regebat
al. Cenric.
Certic, aliam vero * *Cinric* filius eius. *Certic* regebat cornu dextrum. *Cinric* vero ſiniſtrum. Inito ergo prælio Rex *Nazaleod* dextrum cornu videns præſtantius, irruit ipſe & omnes vires eius, vt illud, quod fortiſſimum erat, prius proſterneretur. proſtratis ergo vexillis & acie perforata, *Certic* in fugam verſus eſt, & facta eſt ſtrages maxima aciei eius in momento. videns autẽ ſiniſtrum cornu ductum à filio, ꝙ dextrum cornu patris ſui deſtructum

ctum eſſet, irruit in terga perſequentium, & aggrauata eſt pugna vehementer & cecidit rex *Nazaleod*, & verſi ſunt ſui in fugam & interfecti ſunt ex eis quinque millia: cæteris vero celeritas fuit ſubſidium. Saxones igitur prærogatiua victoriæ potiti ſunt, & quies data eſt eis annis non multis: aduenerūtq; eis adiutores fortes & multi.

Sexto namque anno poſt bellum prædictum venerunt nepotes *Certic, Stuf, & Witgar*, cum tribus nauibus apud Certicesfore. Primo autem mane duces Brittannorum acies in eos ſecundum belli leges pulcherrime conſtruxerunt. Cumque pars eorum in montibus pars eorum in valle progrederetur caute & excogitate, apparuit ſol oriens, offenderuntque radii clypeis deauratis, & reſplenduerunt colles ab eis, aerq; finitimus clarius refulſit, timueruntq; Saxones timore magno & appropinquauerunt ad prælium. dum autem colliderentur exercitus fortiſſimi, fortitudo Brittannorum diſſipata eſt, quia Deus ſpreuerat illos, & facta eſt victoria patens, & adquiſierunt duces prędicti regiones non paucas, & per eos fortitudo *Certici* terribilis facta eſt, pertranſiitq; terram in fortitudine graui.

Circa hoc tempus obiit *Ella* Rex auſtralium Saxonum, qui omnia iura regni Anglorum, reges ſcilicet & proceres & tribunos in ditione ſua tenebat. regnauitq; poſt eum *Ciſſa* filius eius, progenieſq; eorum poſt eos. at in proceſſu temporum valde minorati ſunt, donec in aliorum iura regum tranſierunt.

Regnum Weſtſexe incipit anno aduentus Anglorum 71. anno ab incarnatione Domini 519. tempore *Iuſtini*, qui vocatur ſenior, qui imperauit 8. annis: quod ſcilicet regnum cætera omnia ſibi proceſſu temporum ſubiugauit, & Monarchiam totius Brittanniæ obtinuit: quam ob cauſam omnium aliorum tempora regnorum ad hos Reges applicare libet, vt ſicut horum potentia creuit, ita tempora regnorum per eos dinoſcantur.

Certic regnauit 17. annis in Weſtſexe: inierant namq; bellum fortiſſimi Brittannorum contra eum apud Certicesford in eodem anno: perſtiteruntq; duces eorum magnanimiter & proterue ex vtraq; parte, donec declinante iam die ad veſperū Saxones victoriam obtinuerunt, & facta eſt plaga magna in die illa ſuper incolas Albion: atrocior vero multo fuiſſet, niſi ſol occidens prohiberet. ampliatum eſt autem nomen *Certici*, & diuulgata eſt fama bellorum eius & *Kinrici* filii ſui per vniuerſam terram. ab illa quippe die incepit regnum Weſtſexorum, quod vſque ad noſtra tempora cæteris regnis omnibus ſibi vendicatis durat. *Certic & Kinric* filius eius anno nono Regni eius pugnauerunt iterum contra Brittannos apud Certicesford, & facta eſt ſtrages magna ex vtraq; parte. ea tempeſtate venerunt multi & ſæpe de Germania, & occupauerunt Eaſtangle & Merce: ſed nec dum ſub vno rege redacta erant. Plures autem proceres certatim regiones occupabant, vnde innumerabilia bella fiebant. proceres vero, quia multi erant, nomine carent.

Arthurus belliger illis temporibus dux militum & regum Brittanniæ contra illos inuictiſſime pugnabat. duodecies dux belli fuit, duodecies victor * bellatorum. primum bellum contra eos iniit iuxta oſtium fluminis, quod dicitur * Glenus. ad ſecundum, tertium, quartumq;, ac quintum bellum ſuper alium amnem, qui nominatur Brittannice * Duglas, qui eſt in regione Iniis. ſextum bellum ſuper flumen, quod vocatur Baſſas. ſeptimum vero contra illos iniit bellum in ſylua Chelidonis, quæ Brittannice Cattoit Celidon nominatur. octauum contra barbaros egit bellum iuxta caſtellum Guinnion: in quo idem *Arthurus* imaginem ſanctæ *Mariæ* Dei genetricis ſemperq; virginis ſuper humeros ſuos portauit, & tota ille die Saxones per virtutem Domini noſtri *Ieſu Chriſti* & ſanctæ *Mariæ* matris eius in fugam verſi ſunt, & multi ex illis magna cæde perierunt. nonum egit bellum in vrbe Leogis, quæ Brittannice Kaerlion dicitur. decimum vero geſſit bellum in littore fluminis, quod nos vocamus Tractheuroit. vndecimum in monte, qui nominatur Breuoin: vbi illos in fugam vertit, quem nos * Cathbregion appellamus. duodecimum contra Saxones duriſſime *Arthur* bellum in monte Badonis perpetrauit, in quo corruerunt impetu illius vna die 440. viri, nullo ſibi Brittonum in adiutorium adhærente, ipſum ſolum Domino confortante. hæc autem bella & loca bellorum narrat *Gildas* hiſtoriographus; quæ tamen omnia loca noſtræ ætati incognita ſunt. quod prouidentia Dei factum eſſe putamus ad deſpectum popularis auræ, laudis adulatoriæ, famæ tranſitoriæ. interim tamen vbiq; multa bella fiebant, in quibus quandoq; Saxones quandoq; Brittones victores erant. quanto magis autem plures Saxonum proſternebantur, tanto plures in auxiliū eorum veniebant, ab omnibus circumiacentibus terris inuitati.

al. bellorũ.
al. Glemu.
al. Duglas.
al. Cathbregio.

Regnum Eſtſexe / id eſt, orientalium Saxonum incipit, quod primus (vt putatur) tenuit *Erchenwin*, ſecundum quod ex veterum ſcriptis coniicere poſſumus. qui fuit filius *Offa* filii *Biedcan*, filii *Sigewlf*, filii *Spoewe*, filii *Geſac*, filii *Andeſc*, filii *Saxnat*. poſt *Erchen-*

win vero regnauit *Slede* filius eius, qui ducens filiam *Ermerici* Regis Cantuariorum, ſororem ſcilicet *Ethelberti* genuit ex ea * *Sibrictum*, qui primus regum Eſtſexe conuerſus eſt ad fidem.

al. Sibertum.

Certic namque & *Kinric* filius eius congregatis ingentibus copiis apud Witland prœliati ſunt, belloque deuicto inſulam ceperunt, & innumerabilem ſtragem hoſtium fecerunt apud Witgaresburcg 13. anno regni ſui. eandem autem inſulam, quæ ſcilicet Latine dicitur Vecta, dederunt quarto poſt hunc anno duobus nepotibus ſuis *Stuf & Witgar*.

Certic primus Rex Weſtſexe cum regnaſſet 18. annis mortuus eſt, & *Kinric* filius eius regnauit poſt eum 26. annis, *Iuſtiniano* Romæ imperante, qui imperauit 38. annis, tempore *Vigilii* papæ.

Kinrici anno 5. obſcuratus eſt ſol à mane vſque ad tertiam menſe Martio, ſeptimo vero anno regni eius obſcuratus eſt ſol à tertia pene vſq; ad nonam, ita vt ſtellæ apparerent. 12. Kalendis Iulii, decimo autem anno regni eius obiit *Witgar*, & ſepultus eſt apud Witgarесbrig, quæ ſic ab eo vocatur.

Regnum Nordhumbrorum incipit 13. anno Regni *Kinrici*. cum enim proceres Anglorum multis & magnis prœliis patriam illam ſibi ſubiugaſſent, *Idam* iuuenem nobiliſſimum ſibi regem conſtituerunt, qui fuit filius * *Eope*, filii * *Eſc*, filii *Ingum*, filii *Angenwit*, filii *Aloc*, filii *Beonoc*, filii *Brand*, filii *Beldet*, filii *Woden*, filii *Fredelaf*, filii *Fredeulf*, filii *Fin*, filii *Godwlf*, filii *Heata*. Hic igitur regnauit 12. annis fortiſſime, ſemper armatus & laborioſus. conſtruxit autem Bebanburgh & circundedit eam prius ſepe, poſtea muro. regnum hoc incepit anno gratiæ 547.

al. Coppe. al. Eſe.

Kinric rex anno 18. regni ſui pugnauit contra Brittannos, qui venerant cum maximo exercitu vſq; ad Saleſbirig. ille autem vndiq; congregatis auxiliis occurrit eis inuictiſſime, ingentibuſq; copiis fuſis, vtrinq; diſperſit eos, & in fugam conuertit.

Kinric 22. anno regni ſui & * *Ceaulin* filius eius pugnarunt iterum contra Brittannos: ſic autem pugnatum eſt. Britanni quaſi vindicaturi confuſionem belli, quam circa quinquennium pertulerant, congregatis viris bellicoſis armis & numero munitis acies ordinauerunt apud Beranburi. Cumque ſtatuiſſent nouem acies, qui numerus bello eſt aptiſſimus, tribus ſcilicet in fronte locatis, & tribus in medio, & tribus in fine, ducibuſque in ipſis aciebus conuenienter inſtitutis, viriſque ſagittariis & telorum iaculatoribus equitibuſq; iure Romanorum diſpoſitis, Saxones in eos omnes in vna acie conglobati audaciſſime irruerunt, vexilliſq; colliſis & deiectis, fractiſue lanceis gladiis rem egerunt: donec adueſperante die victoria in dubio remanſit. nec hoc mirum videri debet: cum illi maximæ ſtaturæ & vigoris & audaciæ fuerint; quamuis noſtri temporis exercitus in ipſa prima colliſione ſtatim alteruter in fugam conuertatur, viris ſcilicet modo paruæ ſtaturæ & vigoris & audaciæ exiſtentibus.

al. Chenling.

Kinric cum regnaſſet 26. annis mortuus eſt, & *Ceaulin* filius eius regnauit pro eo 30. annis. Similiter eodem anno obiit *Ida* Rex Nordhumbræ, & *Ella* poſt eum regnauit 30. annis, quamuis iſte non fuiſſet filius *Idæ*, ſed filius *Iffæ*, filii *Iſefrea*, filii *Witgils*, filii *Weſtrefalena*, filii *Sefugil*, filii *Seabald*, filii *Sigegeat*, filii *Wepdeg*, filii *Woden*, filii *Fredealaf*.

* *Ceaulino* 6. anno regnante ſuper Weſtſexe cœpit *AEdelbert* rex magnus regnare ſuper Kent tempore *Iuſtini* Imperatoris: qui tertius quidem in regibus gentis Anglorum cunctis auſtralibus eorum prouinciis, quæ Humbræ fluuio & contiguis ei terminis ſequeſtrantur à borealibus imperauit. nam primus imperium huiuſmodi tenuit *AElla* rex auſtralium Saxonum. ſecundus *Ceaulin* rex occidentalium Saxonum. tertius (vt diximus) *AEthelbert* rex Cantuariorum. quartus *Redunald* rex orientalium Anglorum, qui etiam viuente *Ethelberto* eidem ſuæ genti ducatum præbebat. quintus *Edwine* Rex Nordhumbrorum gentis maiore potentia cunctis, qui Brittanniam incolunt, Anglorum pariter & Brittonum populis præfuit, præter Cantuariis tantum. nec nō & Meuanias Brittonum inſulas, quæ inter Hyberniam & Brittanniam ſitæ ſunt Anglorum ſubiecit imperio. ſextus *Oſwald* rex Nordhumbræ ſanctiſſimus eiſdem finibus regnum tenuit. ſeptimus *Oſwius* frater eius æqualibus pene terminis regnum nonnullo tempore coercens. Pictorum quoq; atque Scottorum gentes, quæ ſeptentrionales Brittanniæ fines tenent, maxima ex parte perdomuit, ac tributarias fecit. octauus * *Egbert* rex Weſtſexe, qui vſq; ad Humbram imperauit. nonus nepos eius *Alfredus*, qui omnes partes regni in ditione ſua ſuſcepit. decim* *Edgar* nepos nepotis *Alfredi*, rex fortis & pacificus, q; & Anglos & Scottos vel in dominio vel proſus ad libitū ſuum habuit, & hæredes eius poſt eū vſq; ad hanc diē. regis autē *AEthel-*

al. Chenlingo.

al. Egbrith.

AEthelberti tempore conuerſi ſunt Anglici ad fidem: vnde diligenter in ſequentibus tractabitur.

* *Ceaulin* nono anno regni eius, & * *Chuta* frater eius, viri audaciſſimi cauſis variis compellentibus pugnauerunt contra *Aedelbert*, qui in regnum eorum viribus ſuperbis introierat, ingreſſi vero prælium apud Wipandune duos conſules eius ſcilicet *Oslaf* & *Cnebam* & innumeram multitudinem cum eis bello fulminantes ceciderunt, regemque *AEdelbert* vſque ad Kent fugauerunt. iſtud eſt primum bellum, quod inter ſe reges Anglorum geſſerunt.

al. Chenling. *al. Cutha.*

Ceaulini anno 12. pugnauit *Cutha* frater eius cum Brittannis apud Bedeanfordam quæ modo dicitur Bedeforda. & eſt modo caput prouinciæ circumiacentis. pugnauit igitur & vicit, cepitque armorum effectu 4. caſtra munita, ſcilicet * Lienberig, & Aileſbury, & Benſintune, & Aegnesham. ſed *Cutha* vir magnus frater regis eodem anno obiit.

al. Lienbirig.

Regnum Eſtangle incipit, quod continet Nordfolck & Sudhfolck. hoc autem regnum primus tenuit *Vffa*, a quo reges orientalium Anglorum *Vffingas* appellãt, quod poſtea * *Titulus* filius eius tenuit pater *Redwaldi* fortiſſimi regis Eaſtangle.

al. Titilus

Ceaulin & *Cutwine* filius eius 18. anno regni eius pugnauerunt contra Brittannos. tres autem reges eorum *Commagil* & *Candidan*, & *Farinmagil* acies in eos confertas & ſplendidas prælii legibus diſtinxerunt apud * *Deboram*. bellatum eſt igitur robuſtiſſime, victoriam vero dedit hoſtibus ſuis Dominus omnipotens, abiecitque ſuos, qui valde offenderant eum, & ceciderunt die illa tres reges Chriſtianorum prædicti, reliqui autem in fugam verſi ſunt. Saxones vero horribiles eis facti inter ſequendum eos tres vrbes excellentiſſimas ſibi ceperunt: Glouceſtre, & Cireceſtere, & Badeceſtre.

al. Deorham.

Ceaulin vigeſimo quinto anno regni ſui & *Cuthwine* pugnauerunt cum Brittannis apud * Fedhalnea. pugnatum eſt autem pernicioſe & horribiliter vtrinq;: *Cuthwine* graui multitudine oppreſſus, proſtratus & occiſus eſt. victi ſunt igitur Angli & fugæ dati. rex tamen *Ceaulin* rurſus reparato exercitu cum fugam ſui abiuraſſent tandem prælio victores vicit, perſequenſque Brittannos regiones multas innumerabilia ſpolia cepit.

al. Fedhanlea.

Regnum Mercc incipit, quod *Crida* (vt ex ſcriptis coniicere poſſumus) primus obtinuit. nunc igitur inchoata ſunt omnia regna Anglorum. quorum ætates & variationes ſecundum quod in libris veterum inuenimus, vt diſtinctius poterimus, deſignauimus; conferentes tamen ea ætati regum Weſtſer.

Ceaulin 30. regni ſui anno mortuus eſt, & *Ceolrik* regnauit poſt eum 5. annis. ſimili modo *Ella* rex Nordhumbrorum eodem anno obiit, & *Edelric* poſt eum regnauit 5. annis. tertio autem poſt hunc anno Brittanni & Saxones bellum conſtituerunt apud Wodneſbirite. Cum autem Brittones more Romanorum acies diſtincte admouerent, Saxones vero audacter & confuſe irruerent, maximum prælium factum eſt. conceſſitque Deus victoriam Brittannis. Saxones vero quanto in bellis præſtantiores eſſe ſolebant, tanto in fuga ſegniores effecti, valde contriti ſunt. Poſt hæc tempora *Crida* rex Mercc periit, cui ſucceſſit filius eius *Wipha*. circa hæc etiam tempora poſt *Edelric* regnauit *Edelfert*, qui vocatur ferus, ſuper Nordhumbre. his etiam temporibus occuparunt Longobardi Italiam. nec multo poſt *Gregorius* verbum Dei ſignauit in Angliam.

Celrico regnante ſuper Weſtſere, *Edelfert* ſuper Nordhumbre, & Wippa ſuper Mercc conuerſi ſunt rex *AEthelbertus* Cantiæ, & populus Kentenſis ad fidem, vt in ſequenti libro oſtendemus. Poſt *Wippam* vero regnauit * *Cherlus*, qui nõ filius eius ſed conſanguineus fuit.

al. Keorl.

Celric cum 5. annis regnaſſet viuendi finem fecit, poſt quem regnauit *Ceolwlf* ſuper Weſtſer 14. annis, & cunctis diebus regni ſui pugnabat vel contra Anglos, vel contra Scotos, vel contra Pictos. *Ceolwlf* fuit filius *Chuta*, *Chuta* filius *Kinric* filii *Certic*.

Ceolwlfi regis igitur anno 7. *Phocatis* Imperatoris anno primo, qui 8. annis imperauit Romæ, *Edelfert* rex ferus Nordhumbrorum, fortis & gloriæ cupidus plus omnibus Anglorum regibus gentem vaſtabat Brittonum. nemo in tribunis, nemo in regibus plures eorum terras exterminatis vel ſubiugatis indigenis, aut tributarias genti Anglorũ, aut habitabiles fecit. Cui merito poterat illud aptari *Beniamin. Lupus rapax: mane comedet prædam, & veſpere diuidet ſpolia.* Vnde motus eius profectibus * *AEden* rex Scottorum, qui Brittanniam inhabitant, venit contra eum cum immenſo ac forti exercitu, ſed cum paucis victus aufugit. ſiquidem in loco celeberrimo, qui dicitur Degſaſtan, omnis pene eius eſt cæſus exercitus. in qua etiam pugna *Tedbald* frater *Edelfridi* cum omni illo, quem

Bed. lib. 1. c. vltimo. *al. AEdan.*

ipſe ducebat, exercitu peremptus eſt. neq; ex eo tempore quiſquam regum Scottorum aduerſus gentem Anglorum in prælium venire auſus eſt.

Ceolwlfi vero Regis anno nono pugnauit prædictus Rex *Edelfert* contra Brittannos, victor apud Kaerlegion. de quo bello bellorum maximo in libro conuerſionis Anglorum, qui hunc ſequitur, dicendum eſt.

Ceolwlfus vero inter multa bella contra multos facta, quæ cauſa breuitatis prætermiſſa ſunt, pugnam maximam habuit contra Sudſexas. in qua vterq; exercitus ineffabiliter contritus eſt. Clades tamen deteſtabilior contigit Sudſexis.

al. Ceolric. — *al. filium.*

Ceolwlf cum regnaſſet 14. annis, homo eſſe deſiit. *Kenegils* vero regnauit poſt eum 31. annis ſuper Weſtſexe tempore *Heraclii* Imperatoris, qui Imperauit 26. annis. *Kinegils* fuit filius * *Ceola*, filii *Chuta*, filii Kinric, filii *Certic*. Quarto autem regni ſui anno aſſumpſit ſecum * fratrem ſuum Kichelmum in regnum, & inierunt bellum contra Brittannos apud Beandune. ordinatis igitur manipulis & cuneis & aciebus cum eis lege rata centuriones & conſules & duces vtrinque præeſſent, bellum inceptum eſt. Cum igitur obuiarent ſibi acies terribiliter & pulcherrime vexillis inclinatis in ipſa prima colliſione inuaſit horror Brittannos, timenteſque aciem ſecurium maximarum ſplendentium & framearum magnæ longitudinis, fuga in principio, ſero tamen potiti ſunt. Saxones igitur ſine detrimento ſui victores numerauere mortuos Brittannorum, & inuenti ſunt mortui duo millia & ſexaginta duo.

K[illegible]egils vero cum ſex annis regnaſſet mortuus eſt *Ethelbert* Rex Kentenſis. cui ſucceſſit *AEdbold* filius eius. Sequenti quoque anno *AEdelfridus* Rex Nordhumbrorum, & *Redwaldus* rex Eſtangle obuiauerunt ſibi prouocati vtrinque cum exercitibus copioſis. Pugnatum eſt igitur in finibus Merciorum ad Orientalem plagam amnis, qui vocatur Idle, vnde dicitur: *Amnis* Idle, *Anglorum ſanguine ſorduit*. *Edelfridus* Rex ferus dedignans & mirans, quod aliquis ei auderet reſiſtere, cum militibus electis & bello aſſuetis audaciſſime quidem, ſed inordinate irruit in hoſtem: quamuis acies *Redwaldi* eleganter ordinatæ terribiles eſſent aſpectu. Nam hirſutæ galeis & haſtis & innumeris decoræ vexillis terno procedebant ordine, multoque maiores erant numero quam hoſtes. Rex tamen Nordhumbrorum quaſi præda inuenta ſubito proruens in cuneos conglomeratos *Rainerum* filium Regis cum tota acie ſua gladiis proſtrauit, & ad inferos ante ſe miſit. *Redwaldus* autem tanta clade non perterritus, ſed iracundior, inuincibiliter cum duabus aciebus perſtitit. Cumq; impenetrabiles eſſent Nordhumbris, *Edelfridus* findens cuneos vltra poſſe ſuum longe à ſuis ſuper magnam ſtragem hoſtium proſtratus eſt. Fugit igitur Rege adempto totus eius exercitus. Huic ergo in Regnum ſucceſſit *Edwinus* qui poſtea factus eſt Chriſtianus. Tanta autem pax erat in Brittannia tempore Regis *Edwini*, vbicunque Imperium eius attingebat, vt mulier cum nato paruulo à mari ad mare ſecura gradi poſſet. Rex autem ad lucidos fontes iuxta vias ob refrigerium viantium erectis ſtipitibus æreos caucos ſuſpenderat, quos nullus vel magnitudine timoris auderet, vel amoris vellet attingere. Vbiq; autem ante regem vexilla geſtabantur, nec non per plateas illud genus vexilli, quod Romani *Tuffam* vocant, Angli Tuf appellant, ante eũ vbilibet ferri ſolebat.

al. victi. — *al. Cnidda.* — *al. Angeltheau.*

Kinigils cum regnaſſet ſexdecim annis, & *Kichelmus* pugnantes contra *Edwinum* Regem prædictum, quem prius morti proditione parauerant tradere, iure * necati ſunt, vt poſt dicetur. Eodem anno *Penda Strenuus* cœpit regnare ſuper Merce. regnauit autem triginta annis. *Penda* autem fuit filius *Wibba*, filii *Crida*, filii *Cinewald*, filii * *Cnibba*, filii *Icil*, filii *Comer*, filii * *Angeltean*, filii *Offa*, filii *Weremund*, filii *Witlac*, filii *Woden*. Eodem anno obiit *Sebertus* Rex Eſtſexe, cui duo filii eius ſucceſſerunt in regnum, nec longe poſt pugnauerunt contra *Kinigels* & *Kichelm*, audacter quidem cum paucioribus contra plures, ſed infœliciter. vterq; enim iuuenis acie gladii corruit, & ex toto eorum exercitu vix aliquis fugam capeſſere potuit obſtantibus cadauerum ſuorum montibus, & ſanguinis torrentibus. Quibus ſucceſſit *Sigebertus* cognomine *Paruus*, cui poſtea *Sigebertus* vir ſanctus, & virtutibus plenus, quem ſui proditione occiderunt.

Kinigils & *Kichelm* tertio anno poſt hunc pugnauerunt contra *Pendam* apud Cirenceſtre congregata vtrinq; multitudine graui. Cumque vterque exercitus fuga abiurata inuincibiliter perſiſterent, ſolis occidentis gratia dirempti ſunt. mane autem cum ſe vtraſque in perniciem redigendos, ſi applicarentur, viderent moderatis vtrinq; impetitionibus concordati ſunt.

Kinigils cum regnaſſet viginti tribus annis, occiſus eſt Rex *Edwine* per *Pendam Strenuum*, quæ res in libro ſequenti digne & prolixe tractabitur. Anno vero ſequente OSWALD Rex ſanctus adeptus eſt regnum Nordhumbrorum & regnauit nouem annis.

Anno

Anno hunc ſequente conuerſus eſt *Kinegils* ad fidem. Anno etiam proximo baptizatus eſt
Kichelm regnans cum *Kinegils* fratre ſuo, qui obiit eodem anno. Diebus in iiſdem conuer-
ſus eſt * *Carpwald* rex Eſtanglorum filius *Redwaldi* regis ad fidem rectam, & eo mox oc- al. Eorp-
ciſo per *Pendam Strenuum*, conuerſus eſt *Sigbert* frater & ſucceſſor ſuus per *Fœlicem* Epi- wald.
ſcopum, & tota gens Orientalium Anglorum cum eo. Quarto poſt hunc anno obiit *Ead-*
bald rex Kent/qui regnauit viginti tribus annis. Poſt quem regnauit filius ſuus * *Erchen-* al. Ercō-
brith 26. annis tempore * *Eradonas* Imperatoris, qui imperauit duobus annis. bert.

Kinigils cum regnaſſet 31. annis vita caruit tempore *Conſtantini* Imperatoris, qui impera- al. Era-
uerat * triginta tribus annis, filius ſcilicet *Conſtantini* prioris, qui regnauerat dimidio an- clonas.
no. Succeſſit autem *Kinigilſo* filius eius * *Cenwald*, & regnauit vno & triginta annis al. 28.
ſuper Weſtſexe, ſicut & pater eius fecerat. Eodem anno occiſus eſt Rex ſanctus *Oſwald*, al. Ken-
ſicut in conſequenti libro dicetur, & poſt eum regnauit *Oſwi* frater eius viginti octo an- walkius.
nis.

Cenwald quinto anno regni ſui inuaſus eſt à Rege *Penda*, qui ſororem eius dimiſerat:
ſed non potuit ei reſiſtere vt pater eius fecerat: ſed prælio victus fugit ante faciem eius, &
fugatus eſt à regno ſuo. Poſt triennium vero regno recuperato dedit *Cenwald AEdredo* co-
gnato ſuo, & adiutori ter mille villas iuxta * Eſeſdune. His temporibus ſucceſſit *Carp-* al. AEſcē-
waldo regi Eſtanglorum *Sigebert* frater eius Dei ſeruus. Qui nimirum Deo tantum ad- dune.
hæſit, vt cognato ſuo * *Ecgnice* regno commendato Monaſterium intraret, & tonſuram al. Egrico.
acciperet. Poſt multos annos autem coegerunt eum exire contra regem *Pendam*, ille ta-
men non niſi virgam in manu habebat in prælio. occiſus eſt igitur cum Rege *Ecgnice* &
totus eorum exercitus. Succeſſit autem eis *Anna* filius *Eni* de regio genere vir optimus, &
optimæ pater ſobolis.

Cenwald cum regnaſſet tredecim annis, inuaſit *Annam* prædictum regem Eſtanglo-
rum *Penda Strenuus*. Cui bene poterat aptari illud *Lucani*.

> *Totus in arma furens nullas niſi ſanguine fuſo,*
> *Gaudet habere vias.*

Inſurrexit igitur exercitui perituro regis *Anna*, inſurrexit & infrenduit.

> *Vt lupus ad caulas iniuſtæ prodigus iræ,*
> *Molle pecus nec pro meritis mactatq́, voratq́,*
> *Ora fluunt ſanie, latus vndiq́, ſanguine manat,*
> *Perſtat atrox nec abit donec ſimul omnia fundat,*
> *Sic ſuper attonitos fertur Rex* Penda *propinquos.*

Deuorati ſunt igitur *Anna* Rex & exercitus eius ore gladii in momento, ita quod vix a-
liquis ſuperfuit ex iis. Succeſſit autem *Annæ* frater eius *Edelhere*. Quo mox occiſo à Rege
Penda ſucceſſit * *Adelwold* in regno. Prædato igitur regno acies & vexilla in Nordhum- al. Ethel-
bre direxit *Penda Strenuus*. wald.

Cenwald cum regnaſſet quatuordecim annis, *Penda*, qui cæteros gladio perimebat,
gladio peremptus eſt: Secundum illud, *Qui gladio percuſſerit, gladio peribit*. Percuſſus ve-
ro eſt per *Oſwium* regem apud amnem Winwed. vnde dicitur,

> *In* Winwed *amne vindicata eſt cædes Annæ,*
> *Cædes regum* Sigbert & Egnice
> *Cædes regum* Oſwald & Edwine.

Succeſſit ei filius eius *Peda*, qui primus regum Merce baptizatus eſt, & gens regni
Merce (quæ etiam vocatur Midelengle, id eſt, mediterranea Anglia) cum eo, & per eum
ad fidem conuerſi ſunt. Sed ipſo poſt breue interuallum occiſo regnauit *Wlfere* frater e-
ius pro eo viginti annis, vir patriæ virtutis hæres. Eo etiam tempore baptizatus eſt Rex
Eſtſexe, id eſt, Orientalium Saxonum, nomine *Sigbert*, qui poſt *Sigbertum* cognomento
Parunm prouinciæ illius regnum tenuit.

* *Cenwald*, rex Occidentalium Saxonum 17. anno regni eius pugnauit contra Brittan- al. Cen-
nos apud Pennum. ſcientes enim eum victum fuiſſe à *Penda Strenuo*, & à regno fugatum, worth
minus aptum exiſtimantes ad onus prælii ſuſtinendum, congregata multitudine graui cū aut Cen-
ſuperbia bellum inierunt. Prima quidem colliſione Brittones Anglos aliquantulum re- walh.
pulerunt. Cum autem Angli magis horrerent fugam quam mortem, & in repercutiendo
perſiſterent, defatigati ſunt Brittanni & more niuis liquefacta eſt vis eorum. dederunt er-
go terga percutientibus, & fugati ſunt à Pennum vſq; ad Pedredan, & facta eſt ſuper pro-
geniem *Bruti* plaga inſanabilis in die illa.

Cenwald vero 20. anno regni eius aliter pugnauit contra *Wlfere* Regem Merce fi-

lium *Penda*. Rex namque Merce patria virtute & fortuna vſus, hoſti *Martis* euentibus præſtitit. Cumq; Rex Weſtſexe campo Martio expulſus fugam elegiſſet, pertranſiit *Wlfere* terram hoſtilem in multitudine grandi, & Inſulam Wiht vltra poſitam debellauit, & obtinuit. Eius autem induſtria conuerſus eſt Rex * *Adelwold* Rex Sudſexe primus ad fidem. cui de lauacro ſuſcepto dedit in ſignum adoptionis Inſulam Wiht; & vt eandem Inſulam ad fidem *Chriſti* conuerteret, miſit illo * *Epam* presbyterum ad prædicandum: illa tamen nec dum conuerti potuit. Anno poſt hunc tertio ſol obſcuratus eſt, tertio die Maii: Quod ſignum peſtilentia grauiſſima tam in Brittannia quam in Hybernia perſecuta eſt. Eo igitur anno *Ercemberi* Rex Kentenſis, & *Deusdedit* Archiepiſcopus Kentenſis vno & eodem die obierunt. Poſtea filius eiuſdem prædicti Regis *Egbrith* regnauit 9. annis ſuper Cantuariam. Ipſe igitur rex *Egbriht* & Rex *Oſwi* miſerunt *Wthard* presbyterum Romam, vt fieret Archiepiſcopus. Sed eo ibidem defuncto miſit *Vitallianus* Papa pro eo *Theodorum* Archiepiſcopum magnum, de cuius ſtrenuitate in ſuo loco dicetur.

al. Edelwalkius. al. Eppā. Beda Wigardus.

Cenwald regis anno 29. obiit rex *Oſwi* maximus Nordhumbre morbo confectus. Poſt quem *Egferd* filius eius regnauit 15. annis.

Cenwald cum regnaſſet 31. annis mortuus eſt. Poſt quem *Sexburgh* vxor eius regnauit vno anno. præcedenti autem anno fuit maxima pugna volucrum in Anglia. Quod vt credibilius videatur, hoc etiam tempore noſtro contigit in Normannia, rege *Henrico*, qui primus regum Angliæ ſic vocatus eſt. (Hoc autem determinatum eſt, quia ſic aliquis alius futuro tempore forſitan vocabitur.) *Palam vero apud Rotomagum volucres pugnauerunt, ita vt millia volucrum occiſa inuenirentur, & extranei volucres fugam iniſſe viderentur. Quod ſignum ſcilicet fuit prælii, quod geſtum eſt inter* Henricum *dominum Angliæ & Normanniæ, &* Ludouicum *filium* Philippi *regem Franciæ. Quo in prælio rex fortis* Henricus *victor extitit, &* Ludouicus *victus aufugit.*

Sexburgh regnante mortuus eſt *Egbricht* rex Cantuariç, cui ſucceſſit *Lotarius* in regnum. Tunc etiam tenuit *Theodorus* concilium apud Tedforde. *Lotarius* autem filius regis prædicti regnauit 12. annis.

Eſcwine cœpit regnare ſuper Weſtſexe, ſed breui regnum eius, morte præripiente, durauit. Cuius regis anno ſecundo fuit pugna grauiſſima inter eum & *Wlfere* regem Mercenſem. Rex vero Mercenſis patria & auita virtute vſus aliquantulum præſtantior pugna fuit. vterque tamen exercitus terribiliter contritus eſt, & multa millia vtrinque ad inferos demerſa ſunt. Operæ autem pretium eſt attendere quam viles ſint actus hominum quam vilia ſint bella regum glorioſa & geſta nobilia. cum enim reges prędicti tantam cladem genti ſuæ cauſa pompæ & tumoris & inanis gloriæ ingeſſiſſent, alter eorum ſcilicet *Wlfere* eodem anno morbo periit, alter vero ſequenti. Poſt hunc *Edelred* regnauit ſuper Merce.

Eſcwine cum duobus annis regnaſſet vitę demptus eſt, & *Kenwine* regnauit ſuper Weſtſexe nouem annis. Eodem anno rex *Edelred* nouus Merce inſurrexit contra *Lotarium* Regem Kentenſem. *Lotarius* vero patriam & auitam virtutē formidans diuertit ſe à conſpectu eius, nec obuiam proceſſit. Rex igitur Mercenſis vrbem Rouenſem deſtruxit, prouinciam Kentenſem tranſmeauit, prædam innumerabilem reduxit.

Bed. l. 4. c.

Centwine regis anno tertio cometa per tres menſes apparuit, & vnoquoque mane velut ſol reſplenduit. Anno vero ſequente *Egferd* Rex Nordhumbre & *Edelred* rex Merce pugnauerunt grauiſſime iuxta Trent. Et ibi occiſus eſt *Alwine* frater Regis *Egferdi* iuuenis vtrique prouinciæ multum amabilis. Nam & ſororem eius, quæ dicitur *Oſtrith*, rex *Edelred* habebat vxorem. Cumque materies belli acrioris & inimicitiæ longioris inter reges populoſq; feroces videretur exorta, *Theodorus* Deo dilectus antiſtes diuino functus auxilio ſalutifera exhortatione cœptum tanti periculi funditus extinguit incendium, adeo vt pacatis alterutrum regibus ac populis nullius anima hominis pro interfecto Regis fratre, ſed debita ſolummodo mulcta pecuniæ regi vltori daretur. Cuius fœdera pacis multo ex inde tempore inter eoſdem reges eorumque regna durauerunt. Eodem anno obiit *A Edeldrida*, quæ fuerat vxor regis *Egferdi*, virgo tamen perpetua.

Bed. AElfwine.

Kentwine rex 7. anno regni ſui congreſſus eſt Brittannos, eoſque male reſiſtentes victorioſus & vehemens cæde & incendiis vſque ad mare fugauit. Circa hoc tempus tenuit *Theodorus* concilium apud Hatfeld.

Kentwino rege defuncto venit *Cedwalla* ad regnum, qui mox Inſulam Vectam captam conuerti fecit ad fidem, ad quam ipſe poſtea conuerſus eſt.

Omnes igitur reges Angliæ iam fideles effecti, & vniuerſę regionum partes *Chriſti* lumine & gratia fruebantur.

Tracta-

Tractatum eſt, vt æſtimamus, in confuſione de geſtis Anglorum adhuc infidelium, in libro hoc, quem vocamus, De aduentu Anglorum; perduximuſq; ſeriatim ab ipſa inuaſione Brittanniæ, quæ per Saxones facta eſt, vſque dum ſingula regna ſuis regibus illuſtrata, & reges ſinguli fulgore fidei ſunt irradiati. Nunc igitur cum liber hic licet verbis breuis ſit, geſta tamen multa, euentus, & bella contineat: termino donandus eſt. Scribendum namq; attentius eſt in libro ſequente, qui prædicatores, quorum hortatu, quibus miraculis, qua prædicatione, quos reges, quo ordine ad fidem Domini noſtri conuerterint. Hæc autem bella geſta ſunt tempore 14. Imperatorum, annis circiter 218. tempore *Marciani*, qui regnauit 7. annis: Tempore *Leonis*, qui regnauit 17. annis. Tempore *Zenonis*, qui etiam regnauit 17. annis. tempore *Anaſtaſij*, qui regnauit 18. annis. tempore *Iuſtini* ſenioris, qui regnauit 8. annis: tempore *Iuſtiniani* maioris, qui regnauit 38. annis: tempore *Iuſtini* Iunioris, qui regnauit 11. annis: tempore *Tiberii*, qui regnauit 7. annis: tempore *Mauricij* qui regnauit 21. annis: tempore *Focatis*, qui regnauit 8. annis: tempore *Heraclij*, qui regnauit 26. annis: tempore *Eraclonas*, qui regnauit 2. annis: tempore *Conſtantini*, qui regnauit dimidio anni: tempore *Conſtantini* filii ſui, qui regnauit 38. annis.

Nomina ergo omnium regum Angliæ, qui vſq; ad hunc terminum fuerunt, quia confuſe diſperſa ſunt, ſi ſecundum regna ſingula breuiſſime recapitulem, non tædioſus, vt æſtimo, ſed apertior & lectori gratior exiſtam.

Reges etiam *Centenſes* hi ſunt ex ordine. *al. Kentenſes*

Primus rex *Hengiſt* 8. annis regnum ſibi conquiſiuit, & poſtea 32. annis regnauit.
Eſc filius eius regnauit 34. annis glorioſe.
Otta circa 20. annos obſcure regnauit.
Irmiricus etiam circa *25. annos ſimiliter regnauit. *al. 10.*
Aedelbertus filius *Irmirici* primus Chriſtianus *50. annis ſplendidiſſime regnauit. *al. 56.*
Eadbaldus 34.
Erchembrictus 34.
Egbrictus 9.
Nonus Lotharius 12.

Reges vero Weſtſexe hi ſunt ex ordine.

Primus *Cerdic* anno 71. ab aduentu Anglorum, regnauit 17. annis.
Kinric filius *Cerdici* regnauit 26. annis.
**Ceuling* filius *Kinrici* regnauit 30. annis. *al. Cheuling*
Chelric filius *Cheulingi* regnauit 5. annis.
Chelwlf filius *Cutha* fratris *Ceulingi* regnauit 14. annis.
Kinigils filius *Ceola*, filii *Cutha* regnauit 31. annis, & fidem primus ſuſcepit.
**Cenwalh* filius *Kinigilſi* ſimiliter regnauit 31. annis. *al. Chenvvalh*
**Serburh* vxor *Cenwalh* regnauit vno anno. *al. Sexburgh*
Eſcwine filius *Cenwalh* regnauit 2. annis.
Cenwine cognatus *Eſcwini* regnauit 9. annis.

Reges vero Eſtſexe hi ſunt ex ordine.

Primus **Exchenwin*. *al. Erchevvine*
Slede.
**Sebert*. Primus ſuſcepit fidem. *al. Seberth*
Sigebertus.
Sibertus.
Swithelmus.
Sebbi.
Sigardus.

Reges etiam Nordhumbre hi ſunt ex ordine.

Primus *Ida*.
Aella.
Edelfert.
Eduvinus. Primus fidem ſuſcepit.

Oſwaldus.
Oſwi.
Egferd.

Reges vero Eſtangle hi ſunt ex ordine.

Primus *Vffa.*
al. Titulus *Titilus.*
Redwaldus.
Erwaldus. Fidem primus ſuſcepit.
Sigebertus.
Egnicus.
Anna.
Adelhere.
Adelwold.
Aldulfus.

Reges quoque Merce hi ſunt ex ordine.

Primus *Crida.*
Wibba.
Ceorlus.
Penda.
Peda. Fidem primus ſuſcepit.
Wlfhere.
Aedelred.

Reges Sudſexe hi ſunt ex ordine.

Primus *AElle.*
Sciſſe.

Cæteros penuria ſcriptorum, vel fama obſcura recondit, præter Regem *Adelwold*, qui iure adhuc nomen habet, quia primus nomen *Chriſti* agnouit. Et hæc quidem expliciunt. Vide igitur lector & perpende, quanta nomina quam cito ad nihilum deuenerint. Attende quæſo & ſtude, cum nihil hic duret, vt adquiras tibi regnum & ſubſtantiam illam, quæ non deficiet: nomen illud & honorem, qui non pertranſibit; monimentum illud, & claritatem, quæ nullis ſeculis veteraſcet. Hoc præmeditari ſummæ prudentiæ eſt, adquirere ſummæ calliditatis, adipiſci ſummæ felicitatis.

HENRICI HVNTINDONIENSIS HISTORIARVM.

LIB. III.

ANNO gratiæ quingenteſimo octogeſimo ſecundo *Mauricius*, qui quinquageſimus quartus ab *Auguſto* imperauit, imperium ſuſcepit: cuius principis anno quartodecimo, miſit ſeruus Dei *Gregorius Auguſtinum* & alios plures cum eo monachos prædicaturos in Angliam, anno aduentus Anglorum in Brittanniam circiter centeſimo quinquageſimo. qui iuſſis pōtificalibus obtemperantes cum Angliam appropinquarent, horrore maximo nimirum perculſi redire domum potius quam adeo feram gentem, cuius nec linguam noſſent, adire cogitabant. Nec mora *Auguſtinum*, quem iis Epiſcopum ordinandum, ſi ab Anglis ſuſciperentur, diſpoſuerat, domum remittunt; qui à beato *Gregorio* humili ſupplicatu obtineret, ne tam periculoſam, tam laborioſam, tam incertam peregrinationem adire deberent. Quibus ille exhortatorias literas mittēs in opus eos verbi diuino confiſos auxilio proficiſci ſuadet, quarum videlicet literarum iſta eſt forma.

Gregorius *ſeruus ſeruorum Dei ſeruis Domini noſtri. Quia melius fuerat bona non incipere quam ab iis, quæ cœpta ſunt, cogitatione retrorſum redire: ſummo ſtudio dilectiſſimi filij oportet, vt opus bonum, quod auxiliante Domino cœpiſtis, impleatis. Nec labor vos ergo itineris nec maledicorum hominum lingua deterreant, ſed omni inſtantia omniq; feruore, quæ inchoaſtis, Deo authore peragite,*

ſcientes

ſcientes quod laborem magnum maior æternæ retributionis gloriâ ſequitur. Remeanti autem Auguſtino *præpoſito veſtro, quem & Abbatem vobis conſtituimus, in omnibus humiliter obedite, ſcientes hoc veſtris animabus per omnia profuturum, quicquid à vobis fuerit in eius admonitione completum. Omnipotens Deus ſua gratia vos protegat; & veſtri laboris fructum in æterna me patria videre concedat, quatenus ſi vobiſcum laborare nequeo, ſimul in gaudio retributionis inueniar, quia laborare ſcilicet volo. Deus vos incolumes cuſtodiat dilectiſſimi filii. Data die* 10. *Kalend. Auguſtarum imperante domino noſtro* Mauricio Tiberio *piiſſimo* Auguſto, *anno* 14. *imperii eiuſdem domini noſtri, Indictione* 14.

Roborati ergo beati patris confirmatione, Brittanniam prædicatores perueniunt. Erat eodem tempore rex *Ethelberth* in Cantia potentiſſimus, qui ad confinium vſq; Humbræ fluminis maximi, quo Meridiani & Septentrionales Anglorum populi dirimuntur, fines imperii tetenderat. Eſt autem ad Orientalem Cantiæ plagam Tenatos inſula nõ modica, id eſt, magnitudinis iuxta conſuetudinem æſtimationis Anglorum, familiarum ſexcentarum. Quam a continenti terra ſecernit fluuius Wantſumu, qui eſt latitudinis circiter trium ſtadiorum, & duobus tantum in locis tranſmeabilis, vtrumque enim caput protendit in mare. In hac ergo applicuit ſeruus Dei *Auguſtinus* & ſocii eius, viri, (vt ferunt) ferme 40. miſſiſq; interpretibus mandauit regi prædicto, ſeſe veniſſe de Roma, ac nuncium ferre optimum, qui ſibi obtemperantibus æterna in cœlis gaudia, & regnum ſine fine cum Deo viuo & vero futurum ſine vlla dubietate promitteret. Qui hoc audiens manere eos in ea, quam adierant inſula, & iis neceſſaria miniſtrari, donec videret quid de illis faceret, iuſſit. Nam & antea fama Chriſtianæ religionis ad eum peruenerat, vtpote qui & vxorem habebat Chriſtianam de gente Francorum reginam vocabulo *Berte*. quam ea conditione à parentibus acceperat, vt ritum fidei ac religionis ſuæ cum epiſcopo, quem adiutorem dederant, nomine *Ludhardo* inuiolatum ſeruare licentiam haberet. Poſt dies vero paucos venit ad inſulam rex, & reſidẽs ſub diuo iuſſit *Auguſtinum* cum ſociis ſuis ad ſuum ibidem aduenire colloquium. Cauerat enim, ne in aliquam domum ad ſe introirent veteri vſus augurio: ne ſuperuentu ſuo, ſi quid maleficæ artis habuiſſent, eum ſuperando deciperent. At illi non dæmoniaca, ſed diuina virtute præditi veniebant, crucem pro vexillo ferentes argenteam, & imaginem Domini ſaluatoris in tabulis depictam, letaniasq; canentes pro ſua ſimul & eorum, propter quos & ad quos venerãt, ſalute æterna Domino ſupplicabant. Cumq; ad iuſſionem regis reſidẽtes verbum ei vitæ vna cum omnibus, qui aderant, eius comitibus prædicarent, reſpondit ille dicens.

Pulchra ſunt quidem verba & promiſſa, quæ affertis, ſed quia noua ſunt & incerta, non iis poſſum aſſenſum tribuere, relictis iis, quæ tanto tempore ſeruaui cum omni gente Anglorum. Verum quia de longe huc peregrini veniſtis, & vt ego mihi videor perſpexiſſe, ea, quæ vera vos & optima credebatis, nobis quoq; communicare deſideraſtis; nolumus moleſti eſſe vobis: quin potius benigno vos hoſpitio recipere curamus, & quæ victui ſunt neceſſaria veſtro miniſtrare, nec prohibemus, quin omnes, quos poteſtis fidei veſtræ religioni prædicando ſocietis. Dedit ergo iis manſionem in ciuitate Derouernenſi, quæ imperii ſui totius erat Metropolis: iiſque vt promiſerat, cum adminiſtratione victus temporalis licentiam quoque prædicandi non abſtulit. Fertur autem quia appropinquantes ciuitati more ſuo cum cruce ſua & imagine magni regis Domini noſtri *Ieſu Chriſti* hanc letaniam conſona voce modularentur: *Deprecamur te Domine in omni miſericordia tua, vt auferatur furor tuus & ira tua à ciuitate iſta & de domo tua ſancta, quoniam peccauimus, Alleluia.*

Ingreſſi ergo vrbem, vitam Apoſtolicam primitiuæ Eccleſiæ imitantes, conuerſatione cœleſti & dulcedine doctrinæ multos ad fidem & baptiſmum compulerunt. Baptizabant autem, Miſſaſque celebrabant in Eccleſia Sancti *Martini* ad Orientem ipſius ciuitatis antiquitus a Britannis facta, in qua regina prædicta orare conſueuerat. At vbi rex inter alios delectatus vita mundiſſima ſanctorum, & oſtenſione miraculorum ad fidem cõuerſus eſt, cœpere innumeri *Chriſti* Eccleſiæ vniri. Quos quidem arctius rex diligebat, nullum tamen ad fidem cogebat. Didicerat enim à ſuæ ſalutis authoribus ſeruitium *Chriſti* voluntarium, non coactum eſſe debere. Locum vero ſedis congruum, poſſeſſioneſque varias conferre non diſtulit. Pergens igitur vir domini *Auguſtinus* Arelas, & ab Archiepiſcopo eiuſdem ciuitatis *Ætherio* iuxta præceptum domini Papæ ordinatus Archiepiſcopus, reuerſus eſt Brittanniam; miſitque *Laurentium* presbyterum Romam, per quem res geſtas ſummo Pontifici mandauit, & gerenda nouem quæſtionibus conſuluit. Contra quas reſcripta Papæ recepit, quæ quia prolixa ſunt, in decretis vel canonibus lector quærat & inueniet.

Oſwaldus.
Oſwi.
Egferd.

Reges vero Eſtangle hi ſunt ex ordine.

Primus *Vffa.*
al. Titulus *Titilus.*
Redwaldus.
Erwaldus. Fidem primus ſuſcepit.
Sigebertus.
Egnicus.
Anna.
Adelhere.
Adelwold.
Aldulfus.

Reges quoque Mercæ hi ſunt ex ordine.

Primus *Crida.*
Wibba.
Ceorlus.
Penda.
Peda. Fidem primus ſuſcepit.
Wlfhere.
Aedelred.

Reges Sudſexe hi ſunt ex ordine.

Primus *AElle.*
Sciſſe.

Cæteros penuria ſcriptorum, vel fama obſcura recondit, præter Regem *Adelwold*, qui iure adhuc nomen habet, quia primus nomen *Chriſti* agnouit. Et hæc quidem expliciunt. Vide igitur lector & perpende, quanta nomina quam cito ad nihilum deuenerint. Attende quæſo & ſtude, cum nihil hic duret, vt adquiras tibi regnum & ſubſtantiam illam, quæ non deficiet: nomen illud & honorem, qui non pertranſibit; monimentum illud, & claritatem, quæ nullis ſeculis veteraſcet. Hoc præmeditari ſummæ prudentiæ eſt, adquirere ſummæ calliditatis, adipiſci ſummæ felicitatis.

HENRICI HVNTINDONIENSIS HISTORIARVM.

LIB. III.

ANNO gratiæ quingenteſimo octogeſimo ſecundo *Mauricius*, qui quinquageſimus quartus ab *Auguſto* imperauit, imperium ſuſcepit: cuius principis anno quartodecimo, miſit ſeruus Dei *Gregorius Auguſtinum* & alios plures cum eo monachos prædicaturos in Angliam, anno aduentus Anglorum in Brittanniam circiter centeſimo quinquageſimo. qui iuſſis pōtificalibus obtemperantes cum Angliam appropinquarent, horrore maximo nimirum perculſi redire domum potius quam adeo feram gentem, cuius nec linguam noſſent, adire cogitabant. Nec mora *Auguſtinum*, quem iis Epiſcopum ordinandum, ſi ab Anglis ſuſciperentur, diſpoſuerat, domum remittunt; qui a beato *Gregorio* humili ſupplicatu obtineret, ne tam periculoſam, tam laborioſam, tam incertam peregrinationem adire deberent. Quibus ille exhortatorias literas mittēs in opus eos verbi diuino confiſos auxilio proficiſci ſuadet. quarum videlicet literarum iſta eſt forma.

Gregorius *ſeruus ſeruorum Dei ſeruis Domini noſtri. Quia melius fuerat bona non incipere quam ab iis, quæ cœpta ſunt, cogitatione retrorſum redire: ſummo ſtudio dilectiſſimi filij oportet, vt opus bonum, quod auxiliante Domino cœpiſtis, impleatis. Nec labor vos ergo itineris nec maledicorum hominum lingua deterreant, ſed omni inſtantia omniq; feruore, quæ inchoaſtis, Deo authore peragite,*

ſcientes

ſcientes quod laborem magnum maior æternæ retributionis gloriâ ſequitur. Remeanti autem Auguſtino *præpoſito veſtro, quem & Abbatem vobis conſtituimus, in omnibus humiliter obedite, ſcientes hoc veſtris animabus per omnia profuturum, quicquid à vobis fuerit in eius admonitione completum. Omnipotens Deus ſua gratia vos protegat, & veſtri laboris fructum in æterna me patria videre concedat, quatenus ſi vobiſcum laborare nequeo, ſimul in gaudio retributionis inueniar, quia laborare ſcilicet volo. Deus vos incolumes cuſtodiat dilectiſsimi filii. Data die* 10. *Kalend. Auguſtarum imperante domino noſtro* Mauricio Tiberio *piiſsimo* Auguſto, *anno* 14. *imperii eiuſdem domini noſtri, Indictione* 14.

Roborati ergo beati patris confirmatione, Brittanniam prædicatores perueniunt. Erat eodem tempore rex *Ethelberth* in Cantia potentiſſimus, qui ad confinium vſq; Humbræ fluminis maximi, quo Meridiani & Septentrionales Anglorum populi dirimuntur, fines imperii tetenderat. Eſt autem ad Orientalem Cantiæ plagam Tenatos inſula nō modicæ, id eſt, magnitudinis iuxta conſuetudinem æſtimationis Anglorum, familiarum ſexcentarum. Quam a continenti terra ſecernit fluuius 𝔚𝔞𝔫𝔱ſ𝔲𝔪𝔲, qui eſt latitudinis circiter trium ſtadiorum, & duobus tantum in locis tranſmeabilis, vtrumque enim caput protendit in mare. In hac ergo applicuit ſeruus Dei *Auguſtinus* & ſocii eius, viri, (vt ferunt) ferme 40. miſſiſq; interpretibus mandauit regi prædicto, ſeſe veniſſe de Roma, ac nuncium ferre optimum, qui ſibi obtemperantibus ęterna in cœlis gaudia, & regnum ſine fine cum Deo viuo & vero futurum ſine vlla dubietate promitteret. Qui hoc audiens manere eos in ea, quam adierant inſula, & iis neceſſaria miniſtrari, donec videret quid de illis faceret, iuſſit. Nam & antea fama Chriſtianæ religionis ad eum peruenerat, vtpote qui & vxorem habebat Chriſtianam de gente Francorum reginam vocabulo *Berte*. quam ea conditione a parentibus acceperat, vt ritum fidei ac religionis ſuæ cum epiſcopo, quem adiutorem dederant, nomine *Ludhardo* inuiolatum ſeruare licentiam haberet. Poſt dies vero paucos venit ad inſulam rex, & reſidēs ſub diuo iuſſit *Auguſtinum* cum ſociis ſuis ad ſuum ibidem aduenire colloquium. Cauerat enim, ne in aliquam domum ad ſe introirent veteri vſus augurio: ne ſuperuentu ſuo, ſi quid maleficæ artis habuiſſent, eum ſuperando deciperent. At illi non dæmoniaca, ſed diuina virtute præditi veniebant, crucem pro vexillo ferentes argenteam, & imaginem Domini ſaluatoris in tabulis depictam, letaniasq; canentes pro ſua ſimul & eorum, propter quos & ad quos venerāt, ſalute æterna Domino ſupplicabant. Cumq; ad iuſſionem regis reſidētes verbum ei vitæ vna cum omnibus, qui aderant, eius comitibus prædicarent, reſpondit ille dicens.

Pulchra ſunt quidem verba & promiſſa, quæ affertis, ſed quia noua ſunt & incerta, non iis poſſum aſſenſum tribuere, relictis iis, quæ tanto tempore ſeruaui cum omni gente Anglorum. Verum quia de longe huc peregrini veniſtis, & vt ego mihi videor perſpexiſſe, ea, quæ vera vos & optima credebatis, nobis quoq; communicare deſideraſtis; nolumus moleſti eſſe vobis: quin potius benigno vos hoſpitio recipere curamus, & quæ victui ſunt neceſſaria veſtro miniſtrare, nec prohibemus, quin omnes, quos poteſtis fidei veſtræ religioni prædicando ſocietis. Dedit ergo iis manſionem in ciuitate Dorouernenſi, quæ imperii ſui totius erat Metropolis: iiſque vt promiſerat, cum adminiſtratione victus temporalis licentiam quoque prædicandi non abſtulit. Fertur autem quia appropinquantes ciuitati more ſuo cum cruce ſua & imagine magni regis Domini noſtri *Ieſu Chriſti* hanc letaniam conſona voce modularentur: *Deprecamur te Domine in omni miſericordia tua, vt auferatur furor tuus & ira tua à ciuitate iſta & de domo tua ſancta, quoniam peccauimus, Alleluia.*

Ingreſſi ergo vrbem, vitam Apoſtolicam primitiuæ Eccleſiæ imitantes, conuerſatione cœleſti & dulcedine doctrinæ multos ad fidem & baptiſmum compulerunt. Baptizabant autem, Miſſaſque celebrabant in Eccleſia Sancti *Martini* ad Orientem ipſius ciuitatis antiquitus a Britannis facta, in qua regina prædicta orare conſueuerat. At vbi rex inter alios delectatus vita mundiſſima ſanctorum, & oſtenſione miraculorum ad fidem cōuerſus eſt, cœpere innumeri *Chriſti* Eccleſiæ vniri. Quos quidem arctius rex diligebat, nullum tamen ad fidem cogebat. Didicerat enim à ſuæ ſalutis authoribus ſeruitium *Chriſti* voluntarium, non coactum eſſe debere. Locum vero ſedis congruum, poſſeſſioneſque varias conferre non diſtulit. Pergens igitur vir domini *Auguſtinus* Arelas, & ab Archiepiſcopo eiuſdem ciuitatis *Ætherio* iuxta præceptum domini Papæ ordinatus Archiepiſcopus, reuerſus eſt Brittanniam; miſitque *Laurentium* presbyterum Romam, per quem & res geſtas ſummo Pontifici mandauit, & gerenda nouem quæſtionibus conſuluit. Contra quas reſcripta Papæ recepit, quæ quia prolixa ſunt, in decretis vel canonibus lector quærat & inueniet.

Miſit etiam Papa *Gregorius*, *Auguſtino* Epiſcopo tunc temporis ab vrbe Roma cooperatores ac verbi miniſtros plures, in quibus primi & præcipui erant *Mellitus*, *Iuſtus*, *Paulinus*, *Ruffianus*. miſit & per eos vaſa, & indumenta, codices, & ornamenta Eccleſiis neceſſaria. Miſit & literas, quarum iſte eſt textus: *Reuerendiſſimo & ſanctiſſimo fratri* Auguſtino *coepiſcopo* Gregorius *ſeruus ſeruorum Dei. Cum certum ſit pro omnipotenti Deo laborantibus* * *ineffabilia æterni regni præmia reſeruari, nobis tamen iis neceſſe eſt honorum beneficia tribuere, vt in ſpiritualis operis ſtudio ex remuneratione valeant multiplicius inſudare. Et quia noua Anglorum Eccleſia ad omnipotentis Dei gratiam eodem Domino largiente & te laborante perducta eſt, vſum tibi pallij in ea ad ſola Miſſarum ſolennia agenda concedimus: ita vt per loca ſingula duodecim Epiſcopos ordines, qui tuæ ſubiaceant ditioni, quatenus Londonienſis ciuitatis Epiſcopus ſemper in poſterum à Synodo propria debeat conſecrari, atq; honoris pallium ab hac ſancta & Apoſtolica, cui Deo authore deſeruio, ſede percipiat. Ad Eboracam vero ciuitatē te volumus Epiſcopū mittere, quē ipſe iudicaueris ordinare, ita duntaxat, vt ſi eadem ciuitas cum finitimis locis Verbum Dei receperit, ipſe quoq; 12. Epiſcopos ordinet, & Metropolitani perfruatur honore. Quia ei quoq; ſi vita comes fuerit, pallium tribuere Domino fauente diſponimus: quem tamen tuæ fraternitatis volumus diſpoſitioni ſubiacere. Poſt obitum vero tuum ita Epiſcopis, quos ordinauerit, præſit, vt Londonienſis Epiſcopi nullo modo ſubiaceat ditioni. Sit vero inter Londoniæ & Eboracæ ciuitatis Epiſcopos in poſterum honoris iſta diſtinctio, vt ipſe prior habeatur, qui prius fuerit ordinatus. Communi autem conſilio & concordi actione quæq; ſunt pro* Chriſti *zelo agenda, diſponant vnanimiter, recte ſentiant, & ea, quæ ſenſerunt, non ſibimet diſcrepando perficiant. Tua vero fraternitas non ſolum Epiſcopos quos ordinauerit, neque hos tantummodo qui per Eboraci Epiſcopum fuerint ordinati, ſed etiam omnes Brittanniæ ſacerdotes habeat Domino noſtro* Ieſu Chriſto *ſubiectos: quatenus ex lingua & tuæ vitæ ſanctitate & recte credendi & bene viuendi formam percipiant, atq; officium ſuum fide ac moribus exequentes ad cæleſtia, cum dominus voluerit, regna pertingant. Deus te incolumem cuſtodiat reuerendiſſime frater. Data die decimo Kalendarum Iuliarum imperante domino noſtro* Mauricio Tiberio *piiſſimo* Auguſto, *anno decimoſeptimo.*

al. inæſtimabilia

Cum autem legatarii prædicti Brittanniam peterent, miſit poſt eos Apoſtolicus literas, in quibus quam ſtudioſus erga ſalutem gentis noſtræ fuerit, aperte demōſtrat ita ſcribens: *Dilectiſſimo filio* Mellito *Abbati* Gregorius *ſeruus ſeruorum Dei. Poſt diſceſſionem congregationis noſtræ quæ tecum eſt, valde ſumus ſuſpenſi redditi, quia nihil de proſperitate veſtri itineris audiſſe nos contigit. Cum ergo Dominus omnipotens vos ad reuerendiſſimum virum fratrem noſtrum* Auguſtinum *Epiſcopum perduxerit, dicite ei, quid diu mecum de cauſa Anglorum cogitans tractaui: videlicet quia fana idolorum deſtrui in eadem gente minime debeāt: ſed ipſa, quæ in iis ſunt, idola deſtruantur, aqua benedicta fiat, in iiſdem fanis aſpergatur, altaria conſtruantur, reliquiæ componantur. Quia ſi fana eadem bene conſtructa ſunt, neceſſe eſt vt à cultu dæmonum in obſequium veri Dei debeant commutari. vt dum gens ipſa eadem fana ſua non videt deſtrui, de corde errorem deponat, & Deum verum cognoſcens & adorans ad loca, quæ conſueuit, familiarius currat. Et quia boues ſolent in ſacrificio dæmonum multos occidere, debet iis etiam hac de re aliqua ſolennitas immutari, & die dedicationis vel natalitiis ſanctorum martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula ſibi circa eaſdem Eccleſias, quæ ex fanis commutatæ ſunt de ramis arborum faciant, & religioſis conuiuiis ſolennitatem celebrent. Nec diabolo iam animalia immolent, ſed ad laudem Dei in eſu ſuo animalia occidant, & donatori omnium de ſatietate ſua gratias referant. Et dum iis aliqua exterius gaudia reſeruantur, ad interiora gaudia facilius conſentire valeant.* Nam duris mentibus ſimul omnia abſcindere impoſſibile eſſe non dubium eſt. *Quia & is, qui ſummum locum aſcendere nititur, gradibus vel paſſibus, non autem ſaltibus eleuatur. Sic Iſraelitico populo in Aegypto Dominus ſiquidem innotuit: ſed tamen iis ſacrificiorum vſus, quæ diabolo ſolebat exhibere, in cultu proprio reſeruauit: vt iis in ſuo ſacrificio animalia immolare præciperet, quatenus cor mutantes aliud de ſacrificio amitterent, aliud retinerent. Vt etſi ipſa eſſent animalia, quæ conſueuerant immolare, vero tamen Deo hæc & non idolis immolantes iam ſacrificia ipſa non eſſent. Hæc igitur dilectionem tuam prædicto fratri neceſſe eſt dicere, vt ipſe in præſenti illic poſitus perpendat qualiter omnia debeat diſpenſare. Deus te incolumem cuſtodiat dilectiſſime fili. Datum die quintodecimo Kalendarum Iuliarum imperante domino noſtro* Mauricio Tiberio *piiſſimo* Auguſto *anno nonodecimo: poſt conſulatum eiuſdem domini noſtri anno octauo decimo, indictione quarta.*

Auguſtino etiam ſuper miraculis eius miſit epiſtolam, ne in iis extolleretur, his verbis: *Scio (frater chariſſime) quia omnipotens Deus per dilectionem tuam in gente, quam eligi voluit, miracula oſtendit. Vnde neceſſe eſt vt de eodem dono cæleſti & timendo gaudeas & gaudendo pertimeſcas. gaudeas videlicet, quia Anglorum animæ per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahuntur: Pertimeſcas vero, ne inter ſigna quæ fiunt infirmus animus præſumptione ſe eleuet, & vnde foras in honorem tollitur, inde per inanem gloriam intus cadat. Meminiſſe etenim debemus quia*

quis diſcipuli cum gaudio à prædicatione redeuntes dum cœleſti magiſtro dicerent. Domine in nomine tuo etiam dęmonia nobis ſubiecta ſunt, *Protinus audierint,* Nolite gaudere ſuper hoc, ſed potius gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. *In priuata enim & temporali lætitia mentem poſuerant, qui de miraculis gaudebant, ſed de priuata ad communem, de temporali ad æternam lætitiam reuocantur. Quibus dicitur, In hoc gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. Non enim omnes electi miracula faciunt, ſed tamen eorum nomina in cœlo tenentur adſcripta. Veritatis enim diſcipulis eſſe gaudium non debet, niſi de eo bono, quod commune cum omnibus habent, & in quo finem lætitiæ non habent. Reſtat itaq́; (frater chariſſime) vt inter ea, quæ operãte Domino exterius facis, * ſemper te interius ſubtiliter iudices, ac ſubtiliter intelligas, & temetipſum quis ſis, & quanta ſit in eadẽ gente gratia, pro cuius conuerſione ẽt faciendorum dona percepiſtis ſignorum. Et ſi quando te creatori noſtro ſeu per linguam ſiue per opera reminiſceris deliquiſſe, ſemper hæc ad memoriam reuoces: vt ſurgentem cordis gloriam memoria reatus premat, & quicquid de faciendis ſignis acceperis vel accepiſti, hæc non tibi, ſed illis deputes donata, pro quorum tibi ſalute collata ſunt.*

* al. ſuper

Aedelberto quoque regi miſit Papa *Gregorius* epiſtolam ſimul & dona in diuerſis ſpeciebus, vt temporalibus donis extolleret, quem gratiæ cœleſtis muneribus conſignauerat.

Domino glorioſiſſimo atq́; præcellentiſſimo filio Ædelberto *regi Anglorum* Gregorius *Epiſcopus.*

Propter hoc omnipotens Deus bonos quoſque ad populorum regimina perducit, vt per eos omnibus, quibus prælati fuerint, dona pietatis ſuæ impendat. quod in Anglorum gente factum cognouimus. Cui veſtra gloria idcirco eſt præpoſita, vt per bona, quæ nobis conceſſa ſunt, etiam ſubiectæ vobis genti ſuperna beneficia præſtarentur. Et ideo (glorioſe fili) eam, quam accepiſti diuinitus gratiam, ſollicita mente cuſtodi, Chriſtianam fidem in populis tibi ſubditis extendere feſtina. Zelum rectitudinis tuæ in eorum conuerſione multiplica, idolorum cultus inſequere, fanorum ædificia euerte, ſubditorum mores & magna vitæ munditia exhortando, terrendo, blandiendo, corrigendo, bonis operis exemplo mõſtrando ædifica: vt illum retributorem inuenias in cœlo, cuius nomen atq́; cognitionem dilataueris in terra. Ipſe enim veſtræ quoq́; gloriæ nomen etiam poſteris glorioſum reddet, cuius vos honorem quæritis & ſeruatis in gentibus. Sic etenim Conſtantinus *quondam piiſſimus imperator Romanã rempublicam a peruerſis idolorum cultibus, reuocans omnipotenti Deo & Domino noſtro* Ieſu Chriſto *ſecum ſubdidit, ſeq́; cum ſubiectis populis tota ad eum mente conuertit. vnde factum eſt, vt antiquorum principum nomen ſuis vir ille laudibus vinceret, & tanto in opinione, quanto & in bono opere, ſuperaret præceſſores ſuos. Et nunc itaque veſtra gloria cognitionem vnius Dei patris & filii & ſpiritus ſancti regibus ac populis ſibimet ſubiectis feſtinet infundere: vt & antiquos gentis ſuæ reges laudibus ac meritis tranſeat, & quanto in ſubiectis ſuis etiam aliena peccata deterſerit, & tanto etiam de peccatis propriis ante omnipotentis Dei terribile examen ſecurior fiat. Reuerendiſſimus frater noſter* Auguſtinus *epiſcopus in monaſterii regula edoctus, ſacræ ſcripturæ ſcientia repletus, bonis authore Deo operibus præditus, quæque vos admonet, libenter audite; deuote peragite, ſtudioſe in memoria reſeruate. Quia ſi vos eum in eo, quod pro omnipotenti Deo loquitur, audieritis, idem omnipotens Deus hunc pro vobis exorantem celerius exaudiet. Si enim (quod abſit) verba eius poſtponitis, quando eum omnipotens Deus poterit audire pro vobis, quem vos negligitis audire pro Deo? Tota igitur mente cum eo vos in feruore fidei ſtringite atq́; niſum illius virtute, quam vobis diuinitas tribuit, adiuuate, vt regni ſui vos ipſe faciat eſſe participes, cuius vos fidem in regno veſtro recipi facitis & cuſtodiri. Præterea ſcire veſtram gloriam volumus, quia ſicut in ſcriptura ſacra ex verbis Domini omnipotentis agnoſcimus, præſentis mundi terminus iam iuxta eſt, & ſanctorũ regnum venturum eſt, quod nullo vnquam fine poterit terminari. Appropinquante autem eodem mundi termino multa imminẽt, quæ ante non fuerunt, viz. immutationes aeris, terroreſque de cœlo, & contra ordinationem temporum tempeſtates, bella, fames, peſtilentiæ, terræmotus per loca. Quæ tamen non omnia noſtris diebus ventura ſunt, ſed poſt noſtros dies omnia ſubſequentur. Vos itaq́;, ſi qua ex iis euenire in veſtra terra cognoſcetis, nullo modo veſtrum animum perturbetis, quia idcirco hæc ſigna de fine ſeculi præmittũtur, vt de animabus noſtris debeamus eſſe ſolliciti, de mortis hora ſuſpecti, vt venturo iudicio in bonis actibus inueniamur eſſe præparati. Hæc nunc (glorioſe fili) paucis loquutus ſum, vt cum Chriſtiana fides in regno veſtro excreuerit, noſtra quoque apud vos loquutio latior excreſcat, & tanto plus loqui libeat, quanto ſe in mente noſtra gaudia de gentis veſtræ perfecta conuerſione multiplicant. Parua xenia tranſmiſi, quæ vobis parua non erunt, cum a vobis ex beati* Petri *Apoſtoli benedictione fuerint ſuſcepta. Omnipotens itaque Deus in vobis gratiam ſuam, quam cœpit, perficiat, atque vitã veſtram & hic per multorum annorum curricula extendat, & poſt longa tempora in cœleſtis vos patriæ congregatione ſuſcipiat. Incolumem excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat. Data die decimo Kalendarum Iulii, imperante domino noſtro* Mauricio Tiberio *piiſſimo* Auguſto, *anno decimo nono, poſt conſulatum eiuſdem domini, anno decimo octauo, indictione quarta.*

Auguſtinus autem in regia ciuitate eccleſiam, quam Romani fideles olim conſtruxe-

rant, in ſedem ſibi & ſucceſſoribus ſuis ſacrauit in honorem ſaluatoris. Rex vero Eccleſiam *Petri* & *Pauli* ad orientem ciuitatis conſtruxit & dicauit, in qua Archiepiſcoporum & regum Cantiæ poni corpora poſſent. Cuius primus Abbas *Petrus* presbyter fuit, qui legatus Galliam miſſus demerſus eſt in ſinu maris, qui vocatur Amfleot, & ab incolis loci ignobili traditus ſepulturæ. Sed omnipotens Deus vt qualis meriti fuit demonſtraret, omni nocte ſupra ſepulchrum eius lux cœleſtis apparuit, donec animaduertentes vicini, qui videbant ſanctum fuiſſe virum, qui ibi fuiſſet ſepultus, & inueſtigantes vnde vel quis eſſet, abſtulerunt corpus, & in Bononia ciuitate iuxta honorem tanto viro congruum in Eccleſia poſuerunt.

Sexcenteſimo anno gratiæ tranſacto, magnus Papa *Gregorius* ad veram vitam migrauit, anno poſt hunc quinto, ſecundo *Focatis* imperatoris anno. Qui genere Romanus, ortu nobilis, diuitiis abiectis monachicam elegit vitam. Poſtea vero de monaſterio abſtractus Conſtantinopolim apocriſiarius à *Fœlici* Papa directus eſt, vbi moralia *Iob* inchoauit, quæ poſtea Papa perfecit. Vbi etiam *[*al. Euticij*] *Eutychij* hæreſim præſente imperatore damnauit. compoſuit etiam librum egregium, qui vocatur Paſtoralis, libroſq; dialogorum 4. & homilias 40. primamq; & vltimam *Ezechielis* partem expoſuit: quamuis omnis iuuentutis ſuę tempore viſcerum doloribus, & ſtomachi imbecillitate, & lentis quidem, ſed tamen cõtinuis febribus cruciaretur. Hæc quidem de immortali eius ſunt dicta ingenio, quod nec tanto corporis potuit dolore reſtringi. Nam alii quidem pontifices Eccleſiis ornandis operam dabant: hic autem omnia pauperibus diſpergebat, vt illud beati *Iob* dicere poſſet: *Auris audiens beatificabat me, & oculus videns teſtimonium reddebat mihi, quod liberarem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non eſſet adiutor. benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ cõſolatus ſum, iuſticia indutus ſum, & veſtiui me ſicut veſtimento & diademate iudicio meo. oculus fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum, & cauſſam, quam neſciebam, diligentiſſime inueſtigabam. conterebam molas iniqui, & de dentibus eius auferebam prædam.* Et paulo poſt: *Si negaui* (inquit) *quod volebant pauperes, & oculos viduæ expectare feci, ſi comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea. Quia ab infantia creuit mecũ miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum.* Fecit autem inter alia beatus Papa ſuper corpora Apoſtolorum *Petri & Pauli* Miſſas celebrari, in ipſa vero miſſarum celebratione tria verba maximæ perfectionis adiecit. *Dieſque noſtros in tua pace diſponas, atq; ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari.* Dicitur autem (vt ait *Beda*) quod vir Dei prædictus, die quodam Romæ in mercaturam profectus iuuenes Anglorum viderit corpore & vultu capilliſq; valde venuſtos. Quos cum de Brittannia veniſſe & paganos eſſe cognouiſſet, ſuſpirans (inquit,) Heu proh dolor! quod tam lucidi vultus homines tenebrarum author poſſidet, interrogauit ergo quod eſſet vocabulum gentis illius, reſponſum eſt, quod Angli vocarentur. At ille, bene inquit, nam & Angelicam faciem habent, & tales Angelorum in cœlis decet eſſe cohæredes. Quod habet prouincia nomen ipſa de qua iſti ſunt allati? reſponſum eſt, quod Deiri vocarentur iidẽ prouinciales. At ille, Bene, inquit, Deiri, de ira eruti, & ad miſericordiam Chriſti vocati. Rex prouinciæ illius quo modo appellatur? reſponſum eſt, quod *Alle* diceretur. At ille alludens ad nomen ait, *Alleluia* ad laudem creatoris in illis partibus oportet cantari. Accedens igitur ad Pontificem Romanum, (nondum enim erat pontifex factus) legationem prædicandi iis petiit. quod cum impetrare non poſſet, mox vt ipſe pontifex factus eſt, per alios opus diu deſideratum perfecit. Sepultus eſt autem in Eccleſia beati *Petri* Apoſtoli ante ſacrarium, vbi eſt Epitaphium huiuſmodi.

Suſcipe terra tuo corpus de corpore ſumptum,
Reddere quod valeas viuificante Deo.
Spiritus aſtra petit, leti nil iura nocebunt,
Cui vitæ alterius mors magis ipſa via eſt.
Præſulis hoc ſummi clauduntur membra ſepulchro,
Qui tamen innumeris viuit vbiq; bonis.
Anglos ad Chriſtum vertit pietate magiſtra,
Multiplicans fidei ſemina gente noua.
Sic conſul domini factus letare Gregori:
Namq; triumphalis iam tibi laurus adeſt.

Ordinauit autem *Auguſtinus Iuſtum* in ipſa Cantia Epiſcopum in ciuitate Dorubreui, quam Angli à quodam principe *Rof* Rofeceſtriam vocant. in qua rex *Edelbert* Apoſtoli *Andreæ* Eccleſiam fecit, factamq; territoriis ac poſſeſſionibus ditauit. diſtat autem à Dorouernenſi milliariis vigintiquatuor. Pertractatum eſt igitur, quo modo rex & populus Cantiæ ad fidem Chriſti ſunt conuerſi.

Secunda pars incipit, qua aperitur quo modo rex & populus *Eſtſexe*, id eſt, Orientalium Saxonum verbum Dei ſuſceperint. Miſit namq; *Auguſtinus* ad eos virũ perfectum & probatum euangelizare, *Mellitum* ſcilicet. Orientales autẽ Saxones Tameſi dirimuntur à Cantia: quorum Metropolis Londonia multorum emporium populorum terra mariq; venientium eſt. Ibi tunc temporis *Sebertus* nepos *AEdelberti* ſub eo tamen, regnabat, qui omnibus, vt ſupra dictum eſt, vſque ad Humbram imperabat. Re igitur bene proſperata & rege *Seberto* & populo ad fidem conuerſo fecit rex *Edelbertus* in Londonia Eccleſiã *Pauli* ad ſedem Epiſcopi, multiſque prædiis dotauit, in qua videlicet *Mellitus* digne pontifex conſtitutus eſt.

At *Auguſtinus* adiutorio vſus *AEdelberti* regis cum *Mellito* Epiſcopo & *Iuſto* conuocauit ad ſuum colloquium Epiſcopos ſiue doctores maximæ & proximæ Brittonũ prouinciæ, in loco, vbi vſq; hodie lingua Anglorũ Auguſtinks ac, id eſt, robur *Auguſtini in confinio* ' *Wiccorum* & Occidentalium Saxonum appellatur. *Cumque de celebratione Paſchæ contra Scottos & Pictos certaret, & illi inuictiſſimæ rationi aſſentire nollent, aſſertionem ſuam confirmauit cæco Anglico in commune adducto ad ſanandum, ex conuentione ad alterutræ partis confirmationem. Quem cum pontifices eorum curare non poſſent, flectens genua* Auguſtinus *coram omnibus ad illuminationem totius gentis cæcum illuminauit.* Tunc Brittanni & Scotti petentes inducias à quodam, qui videbatur iis prudens & religioſus eſſe, conſilium petiere quid agẽdum eſſet. Quibus ille dixit, ſi ſeruus Dei eſt, aſſentite ei. At illi: vnde hoc poterimus dignoſcere, tum ille, Si mitis eſt & humilis corde, ſeruus Dei videtur eſſe. At illi cõtra, Quomodo, vtrum humilis ſit poterimus ſcire. Quibus ille, Si vobis aſſurrexerit humilis habeatur. Si autẽ, cum plures numero ſitis, aſſurgere ſpreuerit, & vos ſpernite illum. Cum ergo conueniſſent, & *Auguſtinus* Romano more in ſella reſidens iis non aſſurrexiſſet, obiurgãtes & diſcordantes abiere. Quibus *Auguſtinus* prædixit, quia ſi pacem cum fratribus accipere nollent, bellum cũ hoſtibus forent accepturi, & ſi nationi Anglorũ noluiſſent viam vitæ prædicare, per horũ manus vltionẽ eſſent mortis paſſuri. Quod ita per omnia (vt prędixerat) diuino iudicio agente patratum eſt. Siquidem poſt ipſe (de quo diximus) rex Anglorũ *Edelfrid* ferus collecto grãdi exercitu ad ciuitatem legionũ, quæ à gente Anglorum Leac-Ceſtre vocatur, à Brittonibus autem rectius Kaerlegion appellatur, maximam gentis perfidæ ſtragem dedit. Cumq; bello acturus videret ſacerdotes eorum, qui ad exorãdum Deum pro milite bello agente conuenerant, ſeorſum in tutiori loco conſiſtere, ſciſcitabatur qui eſſent hi, quidue acturi illuc conueniſſent. Erant autẽ plurimi eorum de monaſterio ' Bangor, in quo tãtus fertur fuiſſe numerus monachorum, vt cum in ſeptem portiones eſſet cum præpoſitis ſibi rectoribus monaſterium diuiſum, nulla harum portio minus quam trecentos homines haberet: qui omnes de labore manuum ſuarum viuere ſolebãt. Horum ergo plurimi ad memoratam aciem peracto triduano ieiunio cum aliis orandi cauſa conuenerunt, habentes defenſorem nomine *Brocmailum*, qui eos intentos precibus à barbarorum gladiis protegeret. Quorum cauſam aduentus cum intellexiſſet rex *Edelfridus* ait: Ergo ſi aduerſum nos ad dominum ſuum clamant, profecto & ipſi quãuis arma non ferant contra nos pugnãt, qui aduerſis nos imprecationibus perſequũtur. Itaq; in hos primum arma verti iubet, & ſic cæteras nefandæ militiæ copias non ſine magno exercitus ſui damno deleuit. Extinctos in ea pugna fertur de iis qui ad orandũ venerãt, viros circiter mille ducentos, & ſolũ quinquaginta fuga eſſe lapſos. *Brocmail* ad primum hoſtiũ aduentum cum ſuis terga vertens, eos, quos defendere debuerat, inermes ac nudos ferientibus gladiis reliquit. Sicque completum eſt præſagium ſancti pontificis *Auguſtini*, quamuis ipſo iã multo ante tempore ad cœleſtia regna ſublato: vt etiam temporalis interitus vltionẽ ſentirent perfidi, quod oblata ſibi perpetuæ ſalutis conſilia ſpreuerunt.

al. Pictorum.

al. Brancor.

Defunctus eſt autem Deo dilectus *Auguſtinus*, & ſepultus eſt foras iuxta Eccleſiam *Petri & Pauli*, quia nec dum perfecta erat nec dedicata. Vt vero dedicata eſt, à ſucceſſore eius *Laurentio*, in porticu illius Aquilonali decenter translatus eſt, in qua Archiepiſcoporum omnium corpora vſque ad *Theodorum* ſepulta ſunt, nam plura porticus capere nequiuit. Scriptum vero eſt in tumba ſancti Epitaphium huiuſmodi. *Hic requieſcit dominus* Auguſtinus *Doronernenſis Archiepiſcopus primus, qui olim huc à beato* Gregorio *Romanæ vrbis pontifice directus, & à Deo operatione miraculorum ſuffultus*, Edelbertum *regem ac gentem illius ab idolorum cultu ad Chriſti fidem perduxit, & completis in pace diebus officii ſui defunctus eſt ſeptimo Kalendas Iunii, eodem rege regnante.*

Laurentium vero adhuc viuens ordinauerat *Auguſtinus* in Archiepiſcopum, exemplo beati *Petri*, qui *Clementem* ſimiliter ordinauerat, ne ſe defuncto ſtatus Eccleſiæ tum rudis, vel ad horam paſtore deſtitutus vacillaret. qui ſtrenuiter fidem fundatam auxit,

non ſolum nouæ eccleſiæ Anglorũ curam gerens, ſed etiam veterum Brittonum & Scottorum, qui in obſeruatione Paſchæ errabant. Quibus & epiſtolam miſit, cuius hoc principum eſt: *Dominis fratribus chariſsimis, Epiſcopis vel Abbatibus per vniuerſam Scotiam,* Laurentius, Mellitus *&* Iuſtus *Epiſcopi ſerui ſeruorum Dei. Dum nos ſedes Apoſtolica more ſuo ſicut in vniuerſo orbe terrarum in his occiduis partibus ad prædicandum gentibus paganis dirigeret, atq; in hanc inſulam contigit introiſſe, antequam cognoſceremus, credentes quod iuxta morem vniuerſalis eccleſiæ ingrederentur, in magna reuerentia ſanctitatis tam Brittones quam Scottos venerati ſumus. Sed cognoſcentes Brittones, Scottos meliores putauimus. Scottos vero per* Daganum *Epiſcopũ &* Columbanum *Abbatem nihil diſcrepare à Brittonibus in eorum conuerſatione didicimus. Nam* Daganus *Epiſcopus ad nos veniens non ſolum cibum nobiſcum, ſed nec in eodem hoſpitio, quo veſcebamur, ſumere voluit.*

Mellitus epiſcopus Londoniæ Romam profectus concilio *Bonifacii* Papæ interfuit, in quo de vita & quiete monachorum tractauit. Hic eſt *Bonifacius* quartus a *Gregorio* Papa, qui templum Pantheon a *Focate* imperatore impetrauit, quod in honorem omnium ſanctorum dedicauit.

Edelbertus rex obiit ſexenteſimo ſextodecimo anno gratiæ, qui regnauerat 56. annis & ſepultus eſt in Eccleſia prædicta *Petri* & *Pauli.* Hic vir maximus & eximius inter cætera bona genti ſuæ decreta iudiciorum ſcripſit. At vero poſt mortem *Edelberti, Edbald* filius eius infidelis vxorem patris duxit. vnde multi ad priorem vomitum redierunt. rex tamen crebra mẽtis veſania puniebatur. Rex autem Orientalium Saxonum defunctus tres filios paganos hæredes regni reliquit. Qui cum eſſent idololatræ, deriſorie dicebant Epiſcopo in Miſſarum ſolenniis. Quare non & nobis panem nitidum porrigis, quem patri noſtro dabas, & adhuc populo donas: quibus ille reſpondebat: Si vultis ablui fonte illo ſalutari, quo pater veſter ablutus eſt, poteſtis etiam panis ſancti, cuius ille participabat, eſſe participes: ſin autem lauacrum vitæ contemnitis, nullatenus valetis panem vitæ percipere. at illi, Nolumus, inquiunt, fontem illum intrare, quia illo nec opus nos habere nouimus, ſed tamen pane illo refici volumus. Cumq; diligenter ac ſæpe ab illo eſſent admoniti, nequaquam ita fieri poſſe, vt abſq; purgatione ſacroſancta quis oblationi ſacroſanctæ communicet, ad vltimum furore commoti aiebant, Si non vis aſſentire nobis in tam facili cauſa, quam petimus, non poteris iam in noſtra prouincia demorari. Et expulerũt eum, ac de ſuo regno cum ſuis abire iuſſerunt. Qui expulſus inde venit Cantiam tractaturus cum *Laurentio* & *Iuſto* coepiſcopis, quid in his agendum eſſet. Decretumque eſt communi conſilio quod ſatius eſſet, vt omnes in patriam redeuntes libera mente ibi Domino deſeruirent, quam inter rebelles fidei barbaros ſine fructu reſiderent. Diſceſſere itaque primi *Mellitus* & *Iuſtus* atque ad partes Galliæ receſſere, ibi finem rerum expectare diſponentes. Sed non poſt multo tempore reges, qui præconem a ſe veritatis expulerunt, dæmoniacis cultibus impune non ſeruiebant. Nam egreſſi contra gentem Geuiſſorum in prælium omnes pariter cum ſua militia corruerunt. Nec licet authoribus perditis exercitatum ad ſcelera vulgus potuit recorrigi, atque ad ſimplicitatem fidei & charitatis, quæ eſt in Chriſto, reuocari. Cum vero & *Laurentius Mellitum Iuſtumque* ſecuturus, ac Brittanniam eſſet relicturus, iuſſit ipſa nocte ſibi in Eccleſia beatorum Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* de qua frequenter iam diximus, ſtratum parari. In quo cum poſt multas preces ac lachrymas ad dominum pro ſtatu Eccleſiæ fuſas ad quieſcendum membra poſuiſſet, atque obdormiſſet, apparuit ei beatiſſimus Apoſtolorum princeps, & multo illum tempore ſecreto noctis flagellis arctioribus afficiens, ſciſcitabatur Apoſtolica diſtrictione. *Quare gregem, quem ſibi ipſe crediderat, relinqueret? vel cui paſtorum oues* Chriſti *in medio luporum poſitas fugiens ipſe dimitteret? An mei, inquit, oblitus es exempli, qui pro paruulis, quos mihi in indicium ſuæ dilectionis commendauerat, vincula, verbera, carceres, afflictiones, ipſam poſtremo mortem, mortem autem crucis ab infidelibus & inimicis* Chriſti *ipſe cum Chriſto coronandus pertuli?* His admonitus *Laurentius* mox regi omnia reuelauit. Rex autem nimio terrore perterritus abdicato non legitimo connubio baptizatus eſt: mittenſque ad Gallias reuocauit *Mellitum* & *Iuſtum. Iuſtum* Rouenſes receperunt. *Mellitum* Londonienſes abiecerunt, idololatris magis pontificibus ſeruire gaudentes. Rex autem *Edbald* non erat tantę poteſtatis, quantę pater, vt iis inuitis reſtituere poſſet Epiſcopum.

Edbaldi regis tempore obiit *Laurentius* cui *Mellitus* Londonienſis Epiſcopus ſucceſſit: Ipſe igitur & *Iuſtus* Roffenſis Epiſcopus cum magno labore Eccleſiam Anglorum regebant. Erat autem *Mellitus* podagricus, ſed mentis greſſibus ſanus, carne nobilis, ſed mente nobilior. *Vnum autem virtutis eius opus eſt quod flammis vrbem conſumentibus ipſe ſe ferri obuiam iuſſit, & ſtatim orãdo deſtruxit flammarum impetus. Iuſtus* Rouenſis Epiſcopus *Mellito* quinque

queannis Archiepiſcopo ſucceſſit. Cui *Bonifacius* Papa ſucceſſor *Deus-dedit* miſit & pallium cum his literis. *Dilectiſſimo fratri* Iuſto Bonifacius. *Quã deuote quãq; vigilanter pro* Chriſti *Euangelio elaboraueris veſtra ſi æternitas, non ſolũ epiſtolæ directæ à vobis tenor, immo indulta deſuper operi veſtro perfectio indicauit. Nec enim omnipotens Deus aut ſui nominis ſacramentũ, aut veſtri laboris fructum deſeruit, dum ipſe prædicatoribus Euangelii fideliter repromiſit.* Ecce ego vobiſcũ ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. *Susceptis namque apicibus filii noſtri* Edbaldi *regis, reperimus quanta ſacri eloquii eruditione eius animum ad veræ conuerſationis & indubitatæ fidei credulitatem fraternitas veſtra perduxerit. Pallium itaque per præſentium laborem fraternitati tuæ direximus, quo videlicet in ſacroſanctis celebrandis myſteriis vtendi licentiam imperauimus, concedentes etiam tibi ordinationes epiſcoporum exigente opportunitate, domini præueniente miſericordia celebrare, ita vt Chriſti Euangelium plurimorum annuntiatione in omnibus gentibus, quæ necdum conuerſæ ſunt, dilatetur. Deus te incolumem cuſtodiat dilectiſſime frater.*

Tertia pars incipit, de conuerſione Nordhumbrorum, id eſt, eorum qui ad Aquilonalem Humbræ fluminis plagam inhabitant. Rex vero eorũ *Edwinus* tanta poteſtate terreni creuerat Imperii, vt (quod nemo Anglorum ante eum) omnis Brittanniæ fines acciperet, & omnes prouinciæ, quas vel Angli vel Brittones habitabant, ſub ditione eius eſſent. Quin & Meuanias Inſulas Imperio ſubiugauit Anglorum: quarum prior, quæ ad auſtrum eſt, & ſitu amplior & frugum prouentu atque vbertate fœlicior, nongentarum ſexaginta familiarum menſuram: Secunda trecentarum & vltra ſpatium tenet. Rex autem ille filiam *Edelberti* regis *Edelburgam* Chriſtianam paganus duxerat: quæ alio nomine vocabatur *Tate*. Cum qua venit *Paulinus* vt ibi prædicaret, ad hoc ordinatus Epiſcopus a *Iuſto* Archiepiſcopo. Anno autem ſequente venit quidam ſicarius nomine *Eumer* miſſus à rege 𝔚𝔢𝔰𝔱ſexe *Chichelmo* vt regem *Edwinum* interficeret. Qui ſimulans legationem Domini ſui, cucurrit in regem cum ſica bicipiti toxicata, iuxta amnem Doruentionem. quod videns *Lilla* regius miniſter interponens ſe ictui transfixus eſt. & eodem ictu rex parumper vulneratus eſt. interfectoque alio equite ſicarius ille gladiis cæſus eſt. Eadem nocte peperit regina filiam nomine * *Einflat*. Cumque rex gratias inde diis ageret, dixit *Paulinus* quod *al. Eanfled.*
precibus ſuis apud Deum obtinuerit, vt regina illam pareret abſque dolore. Cuius verbis delectatus rex promiſit ſe *Chriſto* ſeruiturum ſi victoriam donaret ei aduerſus *Chichelmum*, & in pignus promiſſionis implendæ filiam ſuam baptizari iuſſit. Quæ cum vndecim de familia eius baptizata eſt. Rex autem ſuperato *Chichelmo* & hoſtibus ſuis aut occiſis aut in deditionem receptis cum victor rediret in patriam, nõ ſtatim Chriſtianus effectus eſt: ſed ſæpe ſolus, ſæpe cum aliis ratione fidei audita, quid ageret diſcutiebat vir natura ſagaciſſimus.

Bonifacius ergo Papa exhortatorias ad fidem literas ei miſit. Miſit & munera, de quibus in fine epiſtolæ meminit his verbis: *Præterea benedictionem protectoris veſtri beati* Petri *Apoſtolorum principis vobis direximus, id eſt, camiſiam cum ornatura in auro vnam, & lænam ancyrianam vnam. quod petimus vt eo benignitatis animo gloria veſtra ſuſcipiat, quo à nobis noſcitur deſtinatum.*

Edelburgæ quoque reginæ miſit literas & munera, de quibus in fine epiſtolæ ſic ait: *Præterea benedictionem protectoris veſtri beati* Petri *Apoſtolorum principis vobis direximus, id eſt, pectinem eburneum auratum, & ſpeculum argẽteum, quod petimus, vt eo benignitatis animo veſtra gloria ſuſcipiat, quo à nobis noſcitur deſtinatum.*

Paulino autem ſpiritus ſanctus oraculum reuelauit regi *Edwino* quondam oſtenſum hoc modo. cum *Edelfrido* illum perſequente, qui ante eum regnauit, profugus apud regẽ *Redwaldum* moraretur, cognouit per quendam amicum ſuum *Redwaldum* corruptum muneribꝰ regis *Edelfridi* eum interficere velle, promiſitq; ſe à prouincia illa eum eductur ũ, ſi vellet: cui *Edwinus*: quo nunc fugiam, qui per omnes Brittanniæ prouincias tot annis hoſtium inſidias vitaui? Si autem mori oportet, malo vt hic me interficiat quam ignobilior. His dictis remanſit ſolus, dumque mentis angoribus & cæco carpitur igne, vidit intẽpeſto noctis ſilentio hominem incognitum dicentem ſibi, ne formides: ſcio enim cauſam triſtitiæ tuæ. quid autẽ dares ei, qui hac te abſolueret, & *Redwaldo* regi ſuaderet, vt te amaret. Qui cum reſponderet, omnia quæ poſſem, adiecit ille, quid ſi etiam & te regem futurum potentiorem prioribus extinctis hoſtibus vere promittat? reſpondente *Edwino* vt prius, adiecit iterum. Quid ſi is meliorem viam vitæ tibi oſtenderit, quam aliquis parentum tuorum habuerit, obtẽperabiſne ei? Promittente hoc *Edwino* firmiſſime, ſubdidit ille imponẽs manus capiti eius, cum ergo hoc tibi ſignum aduenerit, memento huius temporis & ſermonis. Quo dicto repente diſparuit, vt intelligeret non hominẽ eſſe ſed ſpiritũ.

Et cum regius iuuenis ſolus adhuc ibidem ſederet, præfatus eius amicus venit & ait, Surge hilaris, mutatum eſt cor regis, conſilioque reginæ fidem ſuam tibi diſpoſuit ſeruare. Quid plura? *Redwaldus* congregato exercitu *Edelfridum* ſibi occurrentem occidit in finibus Merciorum ad Orientalem plagam amnis, qui vocatur Idle. Ibi tum filius *Redwaldi* nomine *Rainer* occiſus eſt, ac ſic *Edwine* regno Nordhumbrorum potitus eſt. Cum autẽ *Paulinus* hoc oraculum regi dixiſſet, imponens manum capiti eius, procidere volentem ad pedes eius leuauit.

Rex igitur ad fidem promptus, vt lucraretur ſuos ſciſcitabatur quid eis videretur. Cui *Coiſi* pontifex ait, Nemo ſtudioſius ſeruiuit diis quam ego ad lucrum terrenum. Multi autẽ ſunt, qui maiora beneficia à te receperunt, vnde nil valere Deos probaui. Tum alius optimatum regis ſubdidit, talis mihi videtur, rex, vita hominum præſens in terris ad comparationem eius, quod nobis incertum eſt temporis, quale cum te reſidente ad cœnam cum ducibus ac miniſtris tuis tempore brumali, accenſo quidem foco in medio & calido effecto cœnaculo, furẽtibus autem foris per omnia turbinibus hyemalium pluuiarum vel niuium, adueniens vnus paſſer domũ citiſſime peruolauerit, qui cum per vnum oſtium ingrediens mox per aliud exierit, ipſo quidem tempore, quo intus eſt, hyemis tẽpeſtate non tangitur, ſed tamen paruiſſimo ſpatio ſerenitatis ad momentum excurſo, in hyemem mox de hyeme regrediens oculis tuis elabitur. Ita hæc vita hominum ad modicum apparet: quid autẽ ſequatur quidve præceſſerit, prorſus ignoramus. vnde ſi hęc noua doctrina certius aliquid attulit, merito ſequẽda eſſe videretur. His ſimilia cum etiã cæteri dicerẽt, adiecit *Coiſi*, quod vellet ipſum *Paulinum* audire de Deo dicẽtem. Quo audito exclamauit ſe & alios penitus erraſſe, fideq; *Chriſti* ſe ſuſcepturos omnes pariter promiſerũt. *Coiſi* autem Pontifex accepto equo emiſſario a rege, cum Pontificem idolorum non liceret niſi ſuper equam equitare, arreptoq; gladio & lancea, quod etiam non licebat, vidẽtib. cunctis ſuccendit & deſtruxit, quas ipſe ſacrauerat aras. Oſtenditur autem locus ille quõdam idolorum non longe ab Eboraco ad Orientem vltra amnem Doruencionem, id eſt, Derewent, & vocatur hodie* Godmundham.

al. Godmundingeham

Igitur baptizatus eſt rex *Edwinus* die ſancto Paſchæ & multi cum eo in Eccleſia ſancti *Petri*, quam ipſe de ligno conſtruxerat ſedem Epiſcopatus *Paulino*. Mox autem maiorẽ incepit lapideam, quã poſtea perfecit *Oſwald*. baptizati ſunt etiam *Ofrid* & *Eadfrid* filii regis *Edwini*, qui ambo ei exuli nati ſunt de *Quenburga* filia regis *Cearli* Merciorum, baptizati ſunt tẽpore ſequenti & liberi eius de *Edeiburga* regina progeniti, quorum duo adhuc albati mortui ſunt, & Eboraci in eccleſia ſepulti. Tanta autem fertur tunc fuiſſe verborũ fides ac deſiderium lauacri ſalutaris gentis Nordhumbrorum, vt quodam tempore *Paulinus* veniens cũ rege & regina in regiã villam, quę vocabatur Adgebrin, triginta ſex diebus ibidem cum iis catechizãdi & baptizandi officio deditus moraretur. In prouincia Berniciorum baptizabat in fluuio Glein, iuxta locum, qui vocatur Melmin: In prouincia vero Deirorum in fluuio* Swale, qui vicum Cataractum præterfluit.

al. Swaloa

Paulinus etiam conuertit prouinciam Lindiſſæ, quæ eſt ad meridianam ripam Humbræ fluminis, priuſque præfectum Lindocolinę ciuitatis cui nomen *Blecca* cum domo ſua conuertit, in qua ciuitate eccleſiam egregii operis fecit, & in ea *Honorium* conſecrauit Archiepiſcopum. Cuius tecto vel longa incuria vel hoſtili manu deiecto parietes hactenus ſtare videntur. Vrbs aũt Lincolniæ, quæ tũc Lindocolina vocabatur, & ꝓuincia Lindiſſæ ei adiacens, quæ circumquaque clauditur vel fluuiis vel paludibus vel mari, ad Mercie regnum pertinet. Vrbs autem illa & ſitu ſplendida eſt & prouincia rerum multarum locuples, vnde quidam:

Vrbs in colle ſita eſt, & collis vergit ad Auſtrum.

Narrauit Abbas de Peartaneu ſe vidiſſe ſeniorem à *Paulino* baptizatum cum cætera turba coram rege *Edwino* in fluuio Trẽta iuxta ciuitatem, quæ tunc* Tiugeceſter vocabatur. De cuius effigie dicebat quod eſſet vir longæ ſtaturæ, paululum incuruus, nigro capillo, facie macilenta, naſo adunco pertenui, venerabilis ſimul & terribilis aſpectu.

al. Tiowlfingaceſtre.

Honorius autem papa miſit accenſorias regi *Edwino* literas his auditis. Quarum poſtremam partem neceſſarium duxi apponere, quę ſcilicet *De agendis Archiepiſcoporũ Angliæ* tractat diſtinctè per hæc verba. *Prædicatoris veſtri domini mei Apoſtolica memoria Gregorii frequenter lectione occupati præ oculis affectum doctrinæ ipſius, quem pro veſtris animabus libenter exercuit habetote, quatenus eius oratio & regnum veſtrum populumq; augeat, & vos omnipotenti Deo irreprehenſibiles repræſentet. Ea vero, quæ à nobis pro veſtris ſacerdotibus ordinanda ſperaſtis, hac pro fidei veſtræ ſinceritate, quæ nobis multimoda relatione per præſentium portatores laudabiliter inſinuata eſt, gratuito animo retribuere vlla ſine dilatione preuidemus. & duo pallia vtrorumque*

Metropo-

Metropolitanorum, id eſt, Honorio & Paulino *direximus. Vt dum quis eorum de hoc ſeculo ad authorem ſuum fuerit acceſitus, in loco ipſius alterum epiſcopum ex hac noſtra authoritate debeat ſubrogare. Quod quidem tam pro veſtræ charitatis affectu, quam pro tantarum prouinciarum ſpatio, quæ inter nos & vos eſſe noſcuntur, ſumus inuitati concedere, vt in omnibus deuotioni veſtræ noſtrum concurſum iuxta deſideria veſtra præberemus. Incolumem excellentiam veſtram ſuperna gratia cuſtodiat.*

Quarta pars incipit de conuerſione Anglorum Orientalium. Quorum rex *Erpwaldus* filius *Redwaldi* regis hortatu *Edwini* regis ſibi amiciſſimi fidem ſuſcepit. Et quidẽ pater eius *Redwaldus* iamdudum in Cantia fidem ſuſceperat, ſed fruſtra. nam rediens domum, ab vxore ſua & à quibusdam peruerſis ſeductus habebat altare *Chriſti* & dæmonis in eodem fano. Quod rex eiuſdem prouinciæ *Aldulf*, qui venerabilis *Beda* ætate fuit, vſq; ad ſuum tempus perduraſſe teſtatur. Verum *Erpwaldus* non multo poſtquam credidit tẽpore occiſus eſt à viro gentili *Rigberto*. cui ſucceſſit *Sigbert* frater eius Chriſtianiſſimus, & cæteros chriſtianizans cum *Fœlice* epiſcopo: quem de Burgundia ortum miſerat illuc *Honorius* epiſcopus ad prædicandum. Iuxtaque nomen ſuum acceptam ſedem epiſcopatus in ciuitate Domoc ſeptendecim annis tenuit, & in pace ibidem obiit.

Hæc inter *Iuſto* Acrhiepiſcopo defuncto *Paulinus Honorium* ſibi occurrentem ordinauit in vrbe Lindecolniæ, quæ modo vocatur Lincolina, in eccleſia, quam ipſe fecerat ibidem, ſicut prædictum eſt. *Honorius* autem papa miſit *Honorio* Archiepiſcopo pallium, & literas de ordinatione & dignitate vtriuſque Archiepiſcopatus, quarũ hæc eſt forma. *Dilectiſſimo fratri* Honorio Honorius. *Inter plurima, quæ redemptoris noſtri miſericordia ſuis famulis dignatur bonorum munera prærogare, illud etiam clementer collata ſuæ pietatis munificentia tribuit, quotiens per fraternos affectus vnanimem dilectionem quadam contẽplatione alterius aſpectibus repræſentat. pro quibus maieſtati eius gratias indeſinenter abſoluimus, eumque votis ſupplicibus exoramus, vt veſtram dilectionem in prædicatione euangelii elaborantem & fructificantem, ſequentemque magiſtri & capitis ſui* Gregorii *ſancti regulam perpetua ſtabilitate confirmet, & ad augmentum Eccleſiæ potiora per vos ſuſcitet incrementa. vt fide & opere in timore Dei & charitate veſtra acquiſitio deceſſorumque veſtrorum, quæ per domini* Gregorii *exordium pullulat, conualeſcendo amplius extendatur, vt ipſa vos Dominici eloquii promiſſa in futuro reſpiciant: voſque vox illa ad æternã feſtiuitatẽ euocet,* Venite ad me oẽs qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. *& iterum*, Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. *Et nos quidem fratres chariſſimi hæc vobis pro æterna charitate exhortationis verba promittentes, quæ rurſus pro Eccleſiarum veſtrarum priuilegiis congruere poſſe conſpicimus, non deſiſtimus impartire, & tam iuxta petitionem veſtram quam filiorũ noſtrorum regum vobis præſenti noſtra præceptione vice beati* Petri *Apoſtolorum principis authoritatem tribuimus, vt quando vnum è vobis diuina ad ſe iuſſerit gratia euocari, is, qui ſuperſtes fuerit, alterutrum in loco defuncti debeat epiſcopum ordinare. Pro qua etiam re ſingula veſtræ dilectioni pallia pro eadem ordinatione celebranda direximus: vt per noſtræ præceptionis authoritatem poſſitis Deo placitam ordinationem efficere. Quia vt hoc vobis concederemus longa terrarum mariſq; interualla, quæ inter nos & vos obſiſtunt, ad hæc nos condeſcendere coegerunt, vt nulla poſſit eccleſiarum veſtrarum iactura per cuiuslibet occaſionis obtentum quoquomodo prouenire: ſed potius commiſſi vobis populi deuotionem plenius propagare. Deus te incolumem cuſtodiat dilectiſſime frater. Data die tertio iduum Iuniarum, imperantibus dominis noſtris piiſſimis* Auguſtis Heraclio, *anno vigeſimo quarto, poſt conſulatum eiuſdem anno vigeſimo tertio, & conſulatus eius anno tertio, ſed* Heraclio *fœliciſſimo* Cæſare, *id eſt, filio eius anno tertio, indictione ſeptima, id eſt, anno Dominicæ incarnationis ſexcenteſimo triceſimo quarto.*

Miſit & idem Papa *Honorius* genti Scottorum literas correctorias de obſeruatione Paſchæ, ne paucitatem ſuam cunctis per orbem *Chriſti* eccleſiis ſapientiorem æſtimarent. Sed & *Iohannes*, qui ſucceſſori eiuſdem *Honorii Seuerino* ſucceſſit, miſit literas pro eodem errore corrigendo, & Pelagiana hæreſi, quam apud eos reuiuiſcere didicerat; quæ dicebat, hominem ſine peccato poſſe exiſtere ex propria voluntate & non ex gratia Dei. *Nec enim homo poteſt ſine peccato eſſe niſi* Ieſus Chriſtus *ſine peccato conceptus & natus.* Nam cæteri homines etſi actuali peccato careant, contrahunt tamen originale ſecundum illud: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.*

At vero *Edwinus* poſt ſeptemdecim annos regni ſui conſerto graui prælio in campo, qui vocatur * Hatfeld, occiſus eſt à *Cedwalla* rege Brittonum adiuuante eũ *Penda Strenuo*, qui ex eo tempore rex fuit Merciorum, eiuſque totus vel peremptus eſt vel diſperſus exercitus. *Offrid* quoq; bellicoſus filius eius occiſus eſt ante eum. Alter *Eafrid* neceſſitate cogente ad *Pendam* refugit, à quo poſtmodum regnante *Oſwaldo* perfide peremptus eſt.

al. Hethfeld.

Dicitur autem quod Hatfeld rubens vndique nobilium fumabat cruore. Ibi namque miſerabilis & inopinata fortiſſimorum facta eſt ſtrages. *Cedwalla* ſiquidem rex potentiſſimus innumerabilem multitudinem ſecum adduxerat: *Penda* vero *Strenuus* ſtrenuiſſimos, facta eſt igitur magna ſtrages in Eccleſia Nordhumbrorum. *Penda* enim Paganus erat, *Cedwalla* vero pagano ſæuior, nec mulieribus nec paruulis parcens, ſe Anglos Brittannia eraſurum deliberans. Nec Brittones magis communicant Anglis quam paganis, fidem eorum nihili pendentes. Allatum eſt autem caput *Edwini* regis Eboracum & illatum in Eccleſia *Petri*, quam ipſe cœpit, ſed *Oſwaldus* perfecit. Nordhumbris igitur nihil præſidii niſi fugam habentibus, *Paulinus* aſſumpta ſecum regina *Edelburga*, quā pridem adduxerat, rediit Cantiam nauigio, atque ab *Honorio* Archiepiſcopo & rege *Eadbaldo* honorifice ſuſceptus eſt, habēs etiam ſecum filium & filiam *Edwini*. Quos poſtea mater metu *Eadbaldi* & *Oſwaldi* regum miſit in Galliam nutriendos regi *Dagoberto*, qui erat amicus illius, ibique pueri defuncti ſunt. Attulit quoque ſecum vaſa precioſa *Edwini* & crucem magnam auream & calicem aureum, qui in Eccleſia Cantiæ adhuc ſunt. *Romano* autē Rouenſi, præſule abſorpto fluctibus Italici maris, dum legatarius *Honorii* tenderet Romam, *Paulinus* eundem Epiſcopatum tenuit vſquedum vixit: ibique moriens pallium, quod a Papa acceperat, reliquit. Reliquerat autē in eccleſia ſua Eboraci *Iacobum* Diaconū virum ſanctū, qui ex hinc baptizabat, & docebat, vſquedū recuperata pace in prouincia, & creſcente numero fidelium magiſter Eccleſiaſticæ cantationis iuxta morem Romanorū cœpit exiſtere, & ipſe ſenex & plenus dierum iuxta ſcripturas vias patrum ſecutus eſt.

Eadwino regi ſucceſſit *Oſric*, cognatus eius in prouincia Deirorum. *Eanfrid* filius *Edelfridi* regis ſuſcepit regnum Berniciorum. Nam in has duas prouincias gens Nordhūbrorum antiquitus diuiſa erat. Hi autē iuuenes tempore regis *Edwini* apud Scottos & Pictos exulantes baptizati ſunt. vbi autem reges facti ſunt, ad idola conuerſi ſunt. Quos rex *Cedwalla* impie, ſed iuſte peremit, & primo quidem proxima æſtate *Oſricum*, dum ſe in oppido municipio temerario obſediſſet, erumpens ſubito cum ſuis omnibus imparatum deſtruxit. Poſt annum vero occidit *Enfridum* ad ſe poſtulandæ pacis gratia venientem cū duodecim militibus. Infauſtus ille annus tam propter regum apoſtaſiam, quam propter *Cedwallæ* tyrannidem, qua non terras vt victor acquirebat, ſed vt peſtis deſtruebat. vnde ille annus ſequentibus regis *Oſwaldi* aſſignatur. Qui poſt occiſionē fratris *Enfridi* ſuperueniēs cum paruo exercitu ſignum ſanctæ crucis manibus ſuis erexit, ac foueæ impoſitam ceſpitibus firmauit. Dixitq; flectamus genua & Deum omnipotentem viuum ac verū in commune deprecemur, vt nos ab hoſte feroci ac ſuperbo ſua miſeratione defendat. Scit enim, quia iuſta pro ſalute gentis noſtræ bella ſuſcipimus. Quo facto, incipiente diluculo congreſſi *Cedwallam* & copias illas, quibus nihil reſiſtere poſſe iactabat, ceciderūt apud Deniſeſburne, id eſt, riuus *Deniſi*: Vnde dicitur, *Cædes* Cedwallæ *Deniſi curſus coercuit*. Qui locus in magna veneratione habetur, vt in libro miraculorum dicetur.

Oſwaldus igitur rex vt fidem augeret, miſit in Scotiam vbi exulauerat, accepitq; pontificem *Aidanum* ſummum virum, quamuis Paſcha non recte celebraret more Septentrionalium Scottorum. Auſtrales enim Hyberniæ inſulæ partes iamdudum admonitione Papæ rectum Paſcha ſuſceperant. Venienti ergo Epiſcopo rex ſedem Epiſcopalem in inſula Lindesfarnenſi tribuit. Igitur fides cœpit dilatari, pulchroque ſpectaculo ſæpe contigit, vt euangelizante *Aidano*, qui Anglorum linguam perfecte non nouerat, ipſe rex ſuis ducibus ac miniſtris interpres exiſteret. Longo enim exilii ſui tempore linguam Scottorum plene didicerat. Creſcebat igitur fides, monachiſque venientibus de Scotia, feruenter docebatur. monachus enim ipſe Epiſcopus erat de inſula, quæ vocatur Hii, cuius monaſterium Septentrionalium Scottorum & omnium Pictorum arcem tenebat. Quæ inſula ad ius quidem Brittanniæ pertinet, non magno ab ea freto diſcreta: ſed donatione Pictorum, qui illas Brittanniæ plagas incolunt, monachis Scottorum tradita, eo quod ab illis fidem perceperunt.

Namq; anno gratiæ, 565. regnante poſt *Iuſtinianum Iuſtino* minore, venerat de Hibernia Abbas *Columba* ad prædicandum Septentrionalibus Pictis, id eſt, iis, qui arduis & horrentibus montium iugis ab Auſtralibus Pictis ſeparantur. Auſtrales enim Picti prius conuerſi fuerant per *Niniam* Epiſcopum Brittonem Romæ edoctū. Cuius ſedem epiſcopatus Sancti *Martini* nomine, vbi ipſe *Columba* ſepultus eſt, iam nunc Anglorum gens obtinet. Qui locus ad prouinciam Berniciorum pertinens vulgo vocatur, Ad Candidam Caſam, eo quod ibi Eccleſiam de lapide inſolito Brittonibus more fecerit. venit autem *Columba* regnante *Bridio* filio *Meilocon* rege Pictorum potentiſſimo, vigeſimo anno regni eius, gentemque illam conuertit. vnde & præfatam inſulam ab iis accepit,

quæ

quæ eſt quaſi familiarum quinque iuxta æſtimationem Anglorum, quam ſucceſſores eius vſque hodie tenent. vbi & ipſe ſepultus eſt. Erat autem & aliud Monaſterium nobile in Hybernia de Armach, id eſt, campus roborum. Ex quo vtroque Monaſterio plurima in Hybernia & Anglia propagata ſunt: in quibus omnibus Monaſterium Hii principa-patum tenet. Abbati autem illius Inſulæ omnis prouincia & etiam Epiſcopi ordine inuſitato ſolent eſſe ſubiecti, quia *Columba* prædicator non Epiſcopus fuit, ſed presbyter & Monachus. Cuius ſucceſſores eius imitatione valde claruerunt: tamen in obſeruatione Paſchæ errabant, donec *Egbertus* Anglicus eos correxit. *Aidanus* igitur hinc miſſus Epiſcopatum Nordhumbræ tenuit. Cuius inſtitutione formatus rex *Oſwaldus*, vt mente proficiebat, ita & regno plus quam omnes maiores eius. Omnes igitur gentes Brittanniæ, ſcilicet, Brittones, Anglos, Pictos, Scottos in ditionem accepit. adeo tamen ſublimis humilis fuit, & benignus peregrinis & pauperibus.

Quinta pars ſequitur, de conuerſione Occidentalium Saxonum, qui antiquitus Geuiſſæ vocabantur: quæ facta eſt per *Birinum* Epiſcopum: qui concilio Papæ *Honorii* adueniens, ad quod etiam ordinatus eſt Epiſcopus per *Aſterium* Genuenſem Epiſcopum, gentem Geuiſſorum ingrediens paganiſſimam, baptizauit eos & regem eorum *Kinigils*. contigit autem pulchre ſanctum regem *Oſwaldum* affuiſſe, eumq; de lauacro ſuſcepiſſe, cuius filiam *Oſwaldus* erat accepturus in coniugem. Donauerunt autem ambo reges *Birino* ciuitatem Dorcic ad ſedem Epiſcopii, ibique conſtructis Eccleſiis ſepultus eſt. Et poſt multos annos *Hedde* Epiſcopatum agente, translatus inde in Wentam ciuitatem, quæ Wincestre vocatur, & in Eccleſia *Petri* & *Pauli* poſitus eſt. defuncto autem rege *Kinigilſo* ſucceſſit filius eius *Cenwalh*, qui fidem tenuit, nec impune. Repudiata enim ſorore *Pendæ* regis Merciorum, quam duxerat, aliamque ducens bello victus eſt, & regno priuatus ab illo: Trienniōq; exulans apud *Annam* regem Orientaliū Anglorū fidelem fidem recognouit. Cum vero *Cenwalh* reſtitutus eſſet in regno, conſtituit Epiſcopum * *Ailbertum* natione Gallum, *al. Agil-*
ſed tunc de Hybernia gratia legendi venientem. Poſtea vero rex Anglicum ſciens tantum *bertum.*
pertæſus barbaræ loquelæ ſubintroduxit in prouinciam ſuæ linguæ Epiſcopum *Wine*, & ipſum in Gallia ordinatum diuidenſque in duas parochias prouinciam, huic in Wenta ſedem tribuit. vnde offenſus *Ailbertus*, quod hoc ipſo incōſulto ageret, rediit Galliam, & acceptum Epiſcopatum Pariſiis vſq; ad obitum tenuit. Poſtea rex idem pepulit etiam *Wine* ab Epiſcopatu, qui ſecedens ad *Wulfere* regem Merciorum emit pretio ab eo ſedem Londoniæ ciuitatis, eiuſq; Epiſcopus vſq; ad obitum manſit. Carente igitur paſtore prouincia, cum rex hoſtibus & damnis ideo ſæpius affligeretur, miſit pro *Ailberto* Pariſios. qui nolens Epiſcopatum illum dimittere, miſit *Leutherium* nepotē ſuum. hic igitur ordinatus Epiſcopus a *Theodoro* archiepiſcopo epiſcopatum Geuiſſorum longo tempore rexit ſolus.

Ea tempeſtate poſt *Eadbaldum* regem Centenſem, *Ercembert* filius eius 24. annis nobiliter regnauit. hic primus in toto regno idola deſtrui, & ieiunium quadrageſimale obſeruari præcepit, pœnas tranſgreſſoribus poſuit; duxitque *Sexburh* maiorem filiam regis *Annæ*, minorem vero filiam ſuam *Edelburh* & filiam vxoris ſuæ *Setrid* miſerat rex *Anna* ad Monaſterium Bruges ad ſeruiendum Domino. quæ vtraque cum eſſet peregrina merito virtutum Bregenſis Abbatiſſa effecta eſt. Tunc ſiquidem mittebant nobiles Angliæ filias ſuas erudiendas in Bruge & in Kala & in Andilegum Monaſterio. Miſit & *Ercembert* Bruges filiam ſuam *Erchengotam Chriſti* virginem ſanctam & præclaram. Cuius opera virtutum, cuius ſigna miraculorum ab incolis loci illius vſque hodie narrantur. de cuius laude in libro miraculorum dicemus.

Eo quoq; tempore *Oſwaldus*, cum regnaſſet nouem annis internumerato illo anno aliorum prædicto, occiſus eſt etiam à *Penda Strenuo* commiſſo graui prælio apud * Meſa- *al. Maſen-*
feld, anno ætatis ſuæ 38. die quinto Auguſti. Vnde dicitur, *Campus Meſafeld ſanctorum can-* *feld.*
dues oſſibus. Occulto autem Dei iudicio inuiſi Deo Pagani dilectos eius mactauerunt, & eſcas volatilibus cœli dederunt. In loco autem cædis illius miracula vſq; hodie fiunt. Succeſſit vero regi ſancto frater eius *Oſwi*, regnans 28. annis in prouincia Berniciorum. Sed in prouincia Deirorum *Oſwine* filius *Oſrici* regis (de quo prædictū eſt) 7. annis regnauit. Ingraueſcentibus vero cauſſis cum reges ſimul conflicturi eſſent apud Wilfaresdune, id eſt, montem *Wilfari*, & eſt à vico Cataractone decem ferme millibus contra Solſtitialem occaſum, videns ſe *Oſwine* imparem viribus, remittēs exercitum abſcondit ſe in domo *Hunwaldi* Comitis, quem ſibi amiciſſimum putabat, cum vno tantum milite nomine *Tondebere*. ſed ab eodem Comite proditus eſt *Oſwio*, & deteſtanda omnibus morte cum eodem milite per præfectum eius * *Edelwinum* interfectus eſt in Getlingum: vbi pro vtriuſq; *al. Eilwi-*
regis anima, id eſt, occiſi & eius qui occidere iuſſit, Eccleſia conſtructa eſt. Erat autem *num.*

rex *Oſwine* aſpectu venuſtus, ſtatura ſublimis, affatu iucundus, moribus ciuilis, manu lar-
gus, & ideo ab omnibus dilectus, & à nobilibus cuiuſque prouinciæ frequentatus. de cu-
ius humilitate digna relatu inter *S. Aidani* ſibi dilectiſſimi opera referemus. Secundo au-
tem anno *Oſwi* regis ſucceſſit patri magno *Paulino Itamar* Epiſcopus in Rouenſi Eccle-
ſia. Tunc temporis regno Orientalium Anglorum poſt *Carpwaldum Redwaldi* ſucceſſo-
rem *Sigbert* frater eius præerat homo religioſus: qui in Gallia exulans pro inimicitia *Red-
waldi* baptizatus fuerat. Rexque factus, vt in Gallia viderat, ſcholas puerorum inſtituit,
iuuante ſe *Fælice* Epiſcopo. ad quem ſanctus *Furſeus* de Hybernia veniens nobiliter ſuſ-
al. Egrico ceptus eſt. Rex autem tantum Deo adhæſit, vt cognato ſuo * *Egnice* regno commen-
dato Monaſterium intraret, & tonſuram acciperet. Poſt multos autem annos coe-
gerunt eum exire contra regem *Pendam*. Ille tamen non niſi virgam in manu habebat in
prælio. occiſus eſt igitur cum Rege *Egnice* & exercitu. quibus ſucceſſit *Anna* filius *Eni* de
regio genere vir bonus & bonæ pater ſobolis: quem etiam *Penda* poſtea cecidit. *Fælici*
autem Epiſcopo Orientalium Anglorum ſucceſſit *Thomas*, poſt quem *Bonefacius*. Hos o-
mnes cum ordinaſſet *Honorius* Archiepiſcopus, mortuus eſt. cui *Deus-dedit* ſextus Archi-
epiſcopus Centenſis ſucceſſit, ordinatus ab *Ithamar* Rouenſi Epiſcopo *Ithamaro* vero ſuc-
ceſſit *Damianus*.

Sexta pars ſequitur de conuerſione Midelengle, id eſt, Mediterraneorum Anglo-
rum ſub principe *Peda*, quem pater illi genti præfecerat. dederat namq; rex *Oſwi Pedæ* filio
Pendæ regis filiam ſuam eo pacto vt Chriſtianus efficeretur. Hoc etiam maxime factum
eſt perſuaſione *Alfredi* filii *Oſwi* regis, qui ſororem eius duxerat *Chineburgam* filiam *Pen-
dæ*. baptizatus eſt igitur *Peda* cnm ſuis à *Finano* Epiſcopo in vico, qui dicitur Ad murum.
al. Abda. acceptiſque presbyteris ſecum *Cedda* & * *Adda* & *Betti* & *Dinma*, reuerſus eſt ad propria.
al. Peda. Nec prohibuit * *Penda* quin de ſua, hoc eſt Merciorum natione crederent, qui vellent,
temnebatq; credẽtes & male viuentes. Poſt bienniũ vero cõuerſi ſunt Merci hoc modo.
Oſwi namque Rex cum irruptiones *Pendæ* regis intolerabiles ferre non poſſet, obtulit ei
munera innumera. *Penda* vero *Strenuus*, quia gentem eius exterminare decreuerat,
munera ſpreuit. Igitur *Oſwi* ſupremis accenſus doloribus ait: Si Paganus neſcit accipere
noſtra donaria, offeramus ei qui nouit Deo. vouit ergo ſe filiam ſuam Deo ſacraturum,
& duodecim prædia Monaſteriis danda, & ſic cum paucis multos aggreſſus eſt. Denique
fertur, quia tricies maiorem Pagani habuerunt exercitum: ſiquidem ipſi triginta legio-
nes ducibus nobiliſſimis inſtructas in bello habuere. Quibus *Oſwius* Rex cum *Alfrido* fi-
lio ſuo perparuum (vt dixi) habens exercitum, ſed *Chriſto* duce confiſus occurrit. Nam
alius filius eius *Egfrid* eo tempore in prouincia Merciorum apud reginam *Cinewiſſem*
obſes tenebatur. Filius autem *Oſwaldi* regis *Edilwald*, qui iis auxilio eſſe debuerat, in par-
te erat aduerſariorum, iiſdemque contra patriam & patruum ſuum pugnaturus ductor
extiterat. Quamuis in ipſo tempore pugnandi ſeſe pugnæ ſubtraxerat, euentumq; diſcri-
minis tuto in loco expectabat. inito ergo certamine fugati ſunt & cæſi Pagani duces tri-
ginta. Deus enim Omnipotens cum ſuis aderat, diſſoluitque fortitudinem regis *Pendæ*, ſo-
litumque robur neruorum brachiis eius dempſit, & cor magnanimum contabeſcere iuſ-
ſit. ideo nec ſe in ictibus ſuis cognouit, nec armis hoſtium impenetrabilis fuit: ſtupuitque
hoſtes tales eſſe, qualis ipſe hoſtibus eſſe ſolebat, ſe vero talẽ, quales illi eſſe ſolebant. Qui
ergo ſemper alienũ ſanguinẽ fuderat, ſenſit quod egerat, dũ iam cruore ſuo terrã imbuit,
& cerebro reſperſit. ergo qui ad auxiliũ eius venerant pene ſunt omnes interfecti. In qui-
bus *Adilhere* frater *Annæ* regis Orientalium Anglorum, qui poſt eum regnauit, auctor ipſe
belli perditis militibus ſiue auxiliis interẽptus eſt. Et quia prope fluuiũ Windwed pugna-
tum, qui tunc per inundantiam pluuiarum late alueum ſuum imo omnes ripas ſuas tranſ-
ierat, contigit vt multo plures aqua fugientes quam bellantes perderet enſis. Igitur *Elfle-*
al. Herten *da* filia *Oſwi* regis Monachata eſt in * Hertei/ id eſt, Inſula Cerui. deinde conſtructo Mo-
naſterio in *Streneshalh*, Abbatiſſa ibidem obiit, Vbi ſepultus eſt pater eius *Oſwi* & mater
eius *Enflad* & pater matris eius *Edwine*: Tribus igitur annis poſt mortem *Pendæ* rexit *Oſwi*
gentem Merciorum & cæteras Auſtrales prouincias gentemque Pictorum ex parte ma-
gna. dedit etiam *Pedæ* filio *Pendæ* cognato ſuo regnum Auſtraliũ Merciorum, qui ſunt fa-
miliarum 5. millium, diſcreti fluuio Trente ab Aquilonaribus *Mercis*, qui ſunt familiarum
7. millium. *Peda* autem proditione coniugis ſuæ occiſus eſt. *Oſwio* igitur regi gentes Mer-
ciorum tribus annis ſubiectæ fuerunt, quæ deſecto capite perfido ad fidei Chriſtianæ
gratiam per eum conuerſæ ſunt. Igitur *Dium*[illegible] factus eſt Epiſcopus Midelengle/ & Mer-
al. Coellec ciorum, & Lindisfarorum: qui ibidem defunctus eſt. cui ſucceſſit * *Coellet*, qui ad Scottos
vnde venerat rediit. Sed poſt tres annos duces Merciorũ rebellãtes *Wulfere* filium *Pendæ*
in re-

in regem leuauerunt. Quo regnante 17. annis, fuit primus Epiſcopus *Trumbere*, ſecundus *Iaruman*, tertius *Ceadda*, quartus *Wilfrid*.

Tunc quoq; Orientales Saxones, qui olim *Mellitum* expulerant, iterum cõuerſi ſunt. Erat enim rex eiuſdem gentis *Sigbert*, qui poſt *Sigbertum* cognomento *Paruum* regnauit, amicus regis *Oſwi*. Ad quem cum ſæpe veniret, & prædicaretur ab eo, baptizatus eſt à *Finano* Epiſcopo in vico ad murum, qui eſt 12. millibus à mari Orientali. Vocatus autem *Ceadda* a Medelenglis factus eſt Epiſcopus ſuper Eſtſexe. baptizabatque maxime in ciuitate Ytanceſtre, quæ eſt in ripa Pentæ, amnis, & in Tilaburh, quæ eſt in ripa Tameſis. Conſuli ergo cuidam pro illicito coniugio vetuit omnium communionem: quod contemnens rex prandit cum eo: reuertenſque obuiantis Epiſcopi cecidit ad pedes. quem iacentem iratus virga tangens prædixit eum in ipſa domo moriturum: contigitque vt conſul prædictus & frater eius eum in ipſa domo interficerent. dixeruntque ſe id feciſſe, quia nimis mitis erat & parcens hoſtibus. Succeſſit autem *Sigberto Switelm* baptizatus ab ipſo *Ced*, in Eſtanglia in Rendleſham, id eſt, manſione *Kendli*. ſuſcepitque eum de lauacro *Adelwald* rex ipſius gentis, frater *Anna* regis eorundem. *AEdelwaldus* vero filius regis *Oſwaldi* rex Deirorum eidem *Ced* Epiſcopo tribuit locũ ad Leſtingaei Monaſterii faciendi. Quo conſtructo cum illuc ab Eſtſexe ſæpe rediret, tempore mortalitatis ibidem obiit. cui ſucceſſit in Epiſcopatu frater eius *Ceadda*.

Interea *Finan* Epiſcopus in Inſula Lindisfarnenſi Eccleſiam fecit totam de ſecto robore. Quam cum poſtea *Theodorus* Archiepiſcopus dedicaſſet, *Edbert* Epiſcopus ibidem plumbo parietes & tectum operuit. *Finano* defuncto ſucceſſit *Coleman*, qui male ſeruabat Paſcha ſicut *Aidanus* & *Finan*. igitur inde diſputatum eſt corã *Oſwi* rege & *Alfrido* rege filio eius. Hinc erat *Colmannus* & *Ced* Epiſcopus prædictus: inde *Ailbertus* Epiſcopus Occidentaliũ Saxonum, qui ad *Alfridum* regem amicũ eius venerat, & *Iacobus* diaconus *Paulini*: quorum digne pars præualuit. *Ced* igitur poſtea rectũ Paſcha ſeruabat. *Colmannus* vero cum parte oſtium patris *Aidani* nolens mutare ſectã, in patriã reuerſus eſt. Cui ſucceſſit *Tudda* in Epiſcopatu Nordhũbræ. *Eata* vero prius cuſtos, poſtea Epiſcopus factus eſt Lindesfarnenſis. Hi autem tres Epiſcopi Scottorum, *Aidanus*, *Finan*, *Colmannus* miræ ſanctitatis fuerunt & parcimoniæ. Nec enim potentes ſeculi ſuſcipiebant, qui ad eos niſi orandi cauſſa non veniebant. Rex ipſe cum quinque vel ſex miniſtris cum oraſſet vel diſcedebat, vel cibo fratrum vtebatur. Adeo autem ſacerdotes erant illius temporis ab auaritia immunes, vt nec territoria niſi coacti acciperent. Nec longe poſt facta eſt eclipſis Solis die tertio Maii hora decima diei: quam grauis peſtilentia ſequuta eſt, Brittanniam & Hyberniam magna ſtrage deuaſtans. Qua plaga *Tuda* Epiſcopus mortuus eſt, & ſepultus in Wemalett.

Alfridus vero filius *Oſwi* iam regnans in parte regni patris miſit *Wilfridum* presbyterum ad regem Galliarum, vt eum conſecrari faceret Epiſcopum. quem *Ailbertus* prædictus iam tunc præſul Pariſius cum plurimis Epiſcopis honorifice conſecrauit in vico, qui vocatur Compendium. Rex autem *Oſwi* imitatus induſtriam filii miſit *Ceddam* presbyterum, quia Archiepiſcopus iam obierat, ad *Wine* Epiſcopum Occidentalium Saxonum, qui ab eo ordinatus eſt Epiſcopus Eboracenſis Eccleſiæ. *Cedda* igitur Epiſcopus *Aidanum* magiſtrum ſuum cœpit ſequi, & exemplum *Ced* fratris ſui, pergens non equo ſed pedibus, inſtans lectioni, ſtudens veritati, amicus caſtitatis, ſeruus humilitatis. veniens quoque Brittanniam *Wilfrid* iam Epiſcopus doctrina ſua multa Eccleſiæ Anglorum contulit.

Poſt *Switelm* regem Eſtſexe cum *Sighere* & *Sebbi* regnarent, pro præfata mortalitate *Sighere* & gens ſua ad idola reuerſi ſunt. Rex autem *Wulfere* mittẽs ad eos *Iaruman* Epiſcopũm reuocauit eos ad fidem per eum fœliciter. Tunc quoque regibus Anglorum nobiliſſimis *Oſwi* & *Egbert* miſit *Vitallianus* Papa literas, requiſitus de ſtatu Eccleſiæ & Paſchæ. Nec longe poſt miſit iis *Theodorum* Archiepiſcopum.

Theodorus poſt *Damianum* ordinauit *Puttam* Roffi Epiſcopum. regis etiã *Wulferi* petitione *Ceddam* tranſtulit à Monaſterio, quod eſt in Leſtingei ad Epiſcopatum Lichefeld, vbi miraculis claruit, quæ ſuo loco dicentur. *Oſwio* autem rege infirmitate defuncto regnante *Egfrido* filio eius anno tertio coegit *Theodorus* concilium cum cæteris Epiſcopis, cuius decreta in vltimo librorum ponentur. Poſt hæc offenſus per quandam inobedientiam *Theodorus* *Winfridum* Epiſcopum Merciorum depoſuit, pro quo *Sexwlfum* ordinauit. Londoniæ etiam *Ercenwaldum* conſtituit Epiſcopum tempore *Sebbi* & *Sighere* regum prædictorum, cuius miracula ſuo loco dicentur. Eo tempore *Edelred* rex Merciorum Cantiam vaſtauit, Roffi deſtruxit, *Putta* Epiſcopus aufugit. Huic *Chichelmus* ſucceſſit,

ſed paupertate ſeceſſit. Tunc vero *Gebmundus* ſucceſſit. Anno eodem Cometa apparuit tribus menſibus mane.

Egfridus rex Nordhumbriæ fugauit *Wilfridū* ab Epiſcopio. Loco cuius *Boſa* Deirorum prouinciam, *Eata* Berniciorum ſuſcepit, hic Eboraci, ille in Hauguſtaldenſi vel Lindisfarnenſi Eccleſia. Tunc etiam *Eadhed* in prouincia Lindisfarorum, quam nuperrime rex *Egfrid* ſuperato *Wulfere* obtinuerat, ordinatur epiſcopus. Et hūc primum eadem prouincia proprium accepit præſidem, ſecundum * *Ailwinum* tertium *Eadgarum*, quartum *Kinebertum*, quem in præſenti habet, inquit *Beda*. Habebat enim ante *Eadhedum* antiſtitē *Sexulfum*, qui etiam Merciorum & Midelengle ſimul epiſcopus fuit. vnde & expulſus de Lindeſei in illarum prouinciarum regimine permāſit. ordinati ſunt autem *Eadhed* & *Boſa* & *Eata* Eboraci a *Theodoro*, qui etiam poſt annos tres abſceſſionis *Wilfridi* horum numero duos addidit antiſtites, *Trumbertum* ad Eccleſiam Hauguſtaldenſium, remanēte *Eata* ad Lindisfarnenſem, & *Trumwine* ad prouinciam Pictorum, quæ tunc Anglis ſubiecta erat. *Eadhedum* de Lindeſei reuerſum, eo quod rex *Ædelred* prouinciā recepiſſet, Ripenſi Eccleſiæ præfecit.

al. *Ædilwinum*

Septima pars ſequitur de cōuerſione Auſtralium Saxonum per *Wilfridum* Epiſcopū facta, qui ab epiſcopio pulſus (vt ſupra dixi) Roma petita Brittanniā rediit, & Auſtrales Saxones, qui ſunt familiarum ſeptem milliū, ad fidem conuertit. Rex autem eorum * *Adilwald* paulo ante baptizatus fuerat in prouincia Merciorum ſuaſione regis *Wulfere*, à quo etiam de lauacro ſuſceptus eſt. in cuius ſignum adoptionis dederat illi Vectam Inſulam & Meanwarorum prouinciam in gente Occidentalium Saxonum. Concedente igitur immo gaudente rege *Wilfridus* prædicans, primo duces & milites, deinde plebem ſacro fonte abluit. Ipſa igitur die populo imber affluxit, qui tribus ceſſauerat annis; vnde fames acerbiſſima plebem proſtrauerat. Denique ferunt, quia ſæpe 40. ſimul aut 50. inedia homines macerati proceſſerunt ad præcipitium aliquod ſiue ripam maris, & vinctis miſere manibus pariter omnes aut ruina perituri aut fluctibus abſorbendi deciderent. Sed baptiſmate ſimul & pluuia veniente refloruit terra, rediit viridantibus aruis annus lætus & frugifer. Sic & cor omnium & caro omnium exultauit in Deum viuum. Docuit etiam eos antiſtes piſcari. nec enim prius niſi ad anguillas tantum piſcari ſciebant. Collectis ergo retibus miſit ſe in mare, & mox trecentis piſcibus captis, cētū pauperibus dedit, centū iis quorum erant retia, centū in ſuos vſus reſeruauit. Quod vidēs populus libentius eius verbis cœleſtia bona ſperare cœperūt, cuius miniſterio tēporalia bona ſumpſerūt. Dedit autē ei rex *Adelwald* Inſulam 87. familiarū, nomine Selſei, id eſt, Inſulam vituli marini. Circumdatur vndique mari præter fundæ iactū ab Occidente. qualis locus a Latinis peninſula, à Græcis χεῤῥόνησος vocatur. Ibi ergo *Wilfrid* fundato templo 5. annis fuit, id eſt, vſque ad mortem *Egfridi* regis, vbi ſeruos ſuos & ancillas 250. Chriſtianos fecit & liberos.

al. *Adilwalds.*

Interea *Ceadwalla* iuuenis de regio genere Geuiſſorum exulans interfecit regem *Adelwald*. Sed mox expulſus eſt à ducibus regis *Berthuno* & *Anduno*, qui prius regnauerunt. Sed cum *Cedwalla* eſſet rex Geuiſorum, priorem occidit & prouinciam grauiter vexauit tam ipſe quam ſucceſſores eius. Vnde toto illo tempore reuocato domum *Wilfrido* proprio caruit antiſtite, & Epiſcopo *Wentæ* ſubiecti ſunt.

Cedwalla rex debellauit Inſulam Vectam adhuc idololatram, & ſecundum votum quartam partem dedit *Wilfrido* Epiſcopo, qui tunc forte de gente ſua ſuperueniens aderat. Eſt autem Inſula mille ducentarum familiarū. vnde data eſt Epiſcopo poſſeſſio trecētarum familiarum. Duos autem filios *Arwaldi* regis Inſulæ iam occiſi poſt patrem occidendos fecit Abbas Redfort (id eſt, vadū arundinis,) prius baptizari conceſſione *Cedwallæ*. Sic conuerſa eſt Vecta vltima regio Brittanniæ. Hoc ergo ordine poſtquam omnes Brittanniarum prouinciæ fidem *Chriſti* ſuſceperant, *Theodorus* Archiepiſcopus ad confirmandam fidem tam recentium quam veterū, concilium conſtituit cum Epiſcopis Brittanniæ de fide catholica tractaturus: & tractatum ſynodalibus literis æternæ memoriæ commendauit. Quas literas in exordio ſequentis libri, quem de geſtis regum Anglorum fidelium vſque ad aduentum & bella Dacorum perducturi ſumus, dignum duxi proponere. Huius namque libri partes omnes ſecundum ordinem & propoſitum pertractatæ ſunt.

HEN.

HENRICI HVNTINDONIENSIS HISTORIARVM.

Lib. IIII.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti ſaluatoris noſtri, imperantibus dominis noſtris pyiſsimis Egfrido rege Hymbronenſium anno decimo regni eius, & Centwino rege Weſtſexe, anno 5. regni eius, & Edelredo rege Merciorum anno 6. regni eius, & Adulfo rege Eſtanglorum anno ſeptimo decimo regni eius, & Lothario rege Cantuariorum anno 7. regni eius, ſub die quintodecimo Kalendarum Octobrium, indictione ſeptima, præſidente Theodoro gratia Dei Archiepiſcopo Brittanniæ Inſulæ & ciuitatis Doruernenſis, vna cũ eo ſedentibus cæteris Epiſcopis Brittanniæ Inſulæ viris venerabilibus, præpoſitis ſacroſanctis Euangelius in loco, qui Saxonico vocabulo Hatfeld nominatur. Pariter tractantes fidem rectam & orthodoxam expoſuimus ſicut Dominus noſter Ieſus Chriſtus incarnatus tradidit diſcipulis ſuis qui præſentialiter viderunt & audierunt ſermones eius, atque ſanctorum patrum tradidit ſymbolum, & generaliter omnes ſanctæ & vniuerſales Synodi, & omnis probabilium Catholicæ Eccleſiæ doctorum chorus. Nos itaque ſequentes eos pie atque orthodoxe iuxta diuinitus inſpiratam doctrinam eorũ profeſsi credimus conſtanter & confitemur ſecundum ſanctos patres propriè & veraciter, patrem & filium & Spiritum ſanctum, Trinitatem in vnitate conſubſtantialem, & vnitatem in Trinitate: hoc eſt, vnum Deum in tribus ſubſiſtentibus perſonis & conſubſtantialibus, æqualis gloriæ & honoris. Et poſt multa huiuſmodi, quæ ad rectæ fidei confeſsionem pertinebant, hoc quoque ſancta Synodus ſuis literis addidit: Suſcipimus ſanctas & vniuerſales quinque Synodos beatorum & Deo acceptibilium patrum, id eſt, qui in Nicæa congregati fuerunt 318. contra Arrium impiiſsimum & eiuſdem dogmata, & in Conſtantinopoli 150. contra veſaniam Macedoni & Eudoxi & eorum dogmata & in Epheſo primo 200. contra Neſtorium nequiſsimum & eius dogmata, Et in Chalcedone 430. contra Eutychen & Neſtorum & eorum dogmata, Et iterum in Conſtantinopoli quinto congregati ſunt concilia in tempore Iuſtiniani minoris contra Theodorum, & Theodoreti, & Ibæ Epiſtolas & eorum dogmata contra Cyrillium. Et paulo poſt, Et Synodum quæ facta eſt in vrbe Roma in tempore Martini Papæ beatiſsimi, indictione prima, imperante Conſtantino piiſſimo anno nono ſuſcepimus, & glorificamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſicut iſti glorificauerunt, nihil addentes vel ſubtrahentes. & anathematizamus corde & ore, quos anathematizauerunt, & quos ſuſceperunt, ſuſcipimus, glorificantes Deum patrem ſine initio, & filium eius vnigenitum ex patre generatum ante ſecula, & Spiritum ſanctum procedentem ex Patre & Filio inenarrabiliter ſicut prædicauerũt hi, quos memorauimus ſupra, ſancti Apoſtoli, & Prophetæ, & doctores & nos omnes ſubſcripſimus, qui cum Theodoro Archiepiſcopo fidem Catholicam expoſuimus. Intererat autem huic Synodo Iohannes archicantator Eccleſiæ ſancti Petri Romæ, & abbas ſancti Martini, qui nuper inde venerat iuſſu Papæ Agathonis cum Benedicto Abbate venerabili. Benedictus autẽ cõſtruxerat Monaſteriũ ſancto Petro iuxta oſtiũ fluminis Wiri. Qui Romam profectus ad confirmandum priuilegium templi illius ex conceſſione regis Egberti, rediens Iohannem prædictum ſecum adduxit. Huius Benedicti ſucceſſor fuit Ceolfridus Abbas ſub quo Beda deguit. Ibi ergo Iohannes cantare docuit Romano more, & decreta Synodi Martini Papæ vbi ipſe interfuerat, ibi ſcripta reliquit. Repetens vero Romam, relaturus qualitatem fidei Anglorum in via mortuus eſt, & Turonis ſepultus. Nunc igitur his ita pertractatis redeundum eſt ad contextum hiſtoriæ regum Anglorum, quem in fine libri ſecundi deſecuimus: connectenduſque eſt illi tractatui tractatus iſte, vt in directum protendatur narratio.

*Centwino igitur Occidentalium Saxonum rege defuncto Cedwalla poſt eum regnãs auxilio Mul fratris ſui Inſulam Vectam ſuam viribus ſuis fecit. namq; frater eius Mul laudabilis & gratioſus, terribilis erat viribus, & decorus aſpectu: ideoque & omnibus amabilis erat, & famæ prærogatiua clariſſimus. Perrexerunt ergo fratres prædicti in Centenſem prouinciam cauſſa virium ſuarum exercitandarum & famæ ampliandæ. Ipſi namque nec dum baptizati erant, quamuis prædeceſſores eorum & populus omnis Chriſti eſſent. Igitur ingredientes Cent nullo obſiſtente prædati ſunt totam prouinciam. *al. Kenwino.*

Cedwalla namque cum regnũ ſuum inuaderet, Lotarius rex Cantiæ regnũ ſuum moriens deſeruit. vulneratus namq; eſt rex impiger Lotarius in pugna Auſtralium Saxonum, quos contra eum Eadric filius Egberti aggregauerat, & vulnerum immanitate inter me-

dendum defunctus eſt. Ac poſt eum idem *Eadric* anno vno & dimidio ſine amore & reuerentia Centeſium regnauit. Eo quoq; tempore *Egfridus* rex Nordhumbre mortuus eſt: miſerat namque anno præcedente Hiberniam ducem *Berctum* cum exercitu, qui miſere gentem innoxiam, & nationi Anglorum ſemper amicam vaſtauit. At Hiberni & pro poſſe ſuo repugnantes, & diuinæ auxilium pietatis inuocantes, cœlitus ſe vindicari continuis Deum imprecationibus poſtulabant. Et quamuis maledici regnũ Dei poſſidere non poſſint, creditum eſt tamen, quod ii, qui merito impietatis ſuę maledicebantur, ocius Domino vindice pœnas ſui reatus luerẽt. Siquidem anno poſt hunc proximo idem rex cum temere exercitum ad vaſtandum Pictorum prouinciam duxiſſet, multum prohibentibus amicis & maxime beatæ memoriæ *Cutberto*, qui nuper fuerat ordinatus Epiſcopus (Anno namq; eodem fecerat rixidem Lindisfarnenſem Epiſcopum) introductus eſt ſimulantib. fugam hoſtibus in anguſtias inaceſſorum montium, & cum maxima parte copiarum, quam ſecum adduxerat, extinctus: datumq; eſt illi, ne audiret amicos reuocantes ſe, quia noluerat audire patrem *Egbertum* ne Scotiam nil ſe lædentem impugnaret. Exinde ſpes cœpit & virtus Anglorum fluere, & retro ſublapſa referri. nam & Picti terram ſuam cuius partem tenebant Angli recuperauerunt; Brittones quoque nonnullam libertatem receperunt, quam hactenus habẽt. Vir autem Domini *Tramwine* abbas Ebercurni poſiti quidem in regione Anglorum ſed iuxta fretum, quod Anglorum terras Pictorumque diſterminat, fugit inde & in Monaſterio Streneshal ſæpe dicto obiit. Succeſſit autem *Egfrido* in regnum *Alfrid* vir in Scripturis doctiſſimus, qui frater eius & filius regis *Oſwi* eſſe dicebatur: deſtructumq; regni ſtatum, quamuis intra fines anguſtiores, nobiliter recuperauit.

Cedwalla ſecundo anno regni ſui miſit fratrem ſuum *Mul* fortiſſimum, & iuuenes cum eo fortiſſimos prædatum Cent, petitione eiuſdem fratris ſui. Allexerat enim eum præteriti anni lucrum glorioſum, & famæ pretium non exoſum. Pergens igitur in Cent non inuenit, qui ei reſiſteret, & terrã prædando in ſolitudinem redigens, & *Christi* ſeruos immeritos affligẽs, maledicta corũ merita ſenſit. Nam cum hoſtes effœminatos duceret, & nihil ſibi pro viribus præuideret, irruit in domum quandam longe à ſuis cum duodecim tantum militibus prædaturus. vbi inopinata multitudine circumuentus cum hoſtes interficiendo non deficeret nec proficeret, qui armis cædi non poterat, in ipſa domo cum duodecim militibus ſuis igne combuſtus eſt. Periit ergo flos iuuenum, & iuuenilis euanuit exercitus. Vnde comparet quam nihili ſit confidentia fortitudinis ad Dei Omnipotentiam. Hæc audiens *Cedwalla* rurſus ingreſſus eſt Cantiam vbi mirabili cæde & innumera ſatiatus rapina, cum non inueniret quid cæderet vel raperet, ad ſua magnus vindex & victor ſæuus rediit.

Cedwalla Rex cum duobus annis regnaſſet, ſe regnumque ſuum abdicans propter Deum regnumque perpetuum Romam petiit, Illud gloriæ ſingularis ſibi æſtimans, ſi ibi baptizaretur & moreretur. *Sergius* ergo Papa baptizauit eum, & ex nomine Apoſtoli *Petrum* vocauit. rex vero ſecundum votum infra ſeptem dies in albis mortuus eſt duodecimo Kalen. Maii, & ſepultus eſt in Eccleſia ſancti *Petri*, ſuper quẽ ſcriptũ eſt hoc Epitaphiũ.

Culmen, opes, ſobolem, pollentia regna, triumphos,
Exuuias, proceres, mœnia, caſtra, lares,
Quæque patrum virtus, & quæ congeſſerat ipſe
Cedwal *armipotens liquit amore Dei:*
Vt Petrum *ſedemque* petri *rex cerneret hoſpes,*
Cuius fonte meras ſumeret almus aquas:
Splendificumque iubar radianti carperet hauſtu,
Ex quo viuificus fulgor vbique fluit.
Percipienſque alacer rediuiua præmia vitæ,
Barbaricam rabiem nomen & inde ſuum
Conuerſus conuertit ouans, Petrumque *vocari*
Sergius *antiſtes iuſſit, vt ipſe pater.*
Fonte renaſcentis quem Chriſti *gratia purgans,*
Protinus albatum vexit in arce poli.
Mira fides regis, clementia maxima Chriſti,
Cuius conſilium nullus adire poteſt.
*Soſpes enim * veniens ſupremo ex orbe Britanni* — al. iuuenis
Per varias gentes, per freta, perque vias,
Vrbem Romuleam vidit, templumque verendum
Aſpexit Petri *myſtica dona gerens.*

Candidus inter oues Chriſti *ſociabilis ibit,*
Corpore nam tumulum, mente ſuperna tenet.
Commutaſſe magis ſceptrorum inſignia credas,
Quem regnum Chriſti *promeruiſſe vides.*

Ine regnauit poſt hunc ſuper Weſtſexe 37. annis. *Ine* fuit filius *Cenred*, filii *Ceolwold. Ceolwold* fuit frater *Cinewold*, fueruntq; ambo filii *Cudwine* filii *Ceauling* filii *Chenric* filii *Certic.* Huius regis anno ſecundo *Theodorus* Archiepiſcopus 22. anno Epiſcopatus ſui trāſiit: cuius loco *Brituvold* Abbas *Raculf* lectus eſt, & ſacratus Archiepiſcopus. ad hoc vſque tempus fuerunt Romani Archiepiſcopi: ex inde fuerunt Angli. Ipſe vero *Brituvoldus* ordinauit *Thobiam* Rouenſem Epiſcopum, Latina, Græca, & Saxonica lingua multipliciter inſtructum. Eo tempore erant duo reges in Cent, non tam ſecundum ſtirpem regiam quam ſecundum inuaſionem. Scilicet *Nithred* & *Webhard.*

Ine 6. anno regnante legitimus Rex Centenſis *Withred* confortatus in regno religione ſimul & induſtria ſuam gentem ab extranea inuaſione liberauit, *Withred* namq; fuit filius *Egbrith*, filii *Erchenbricht*, filii *Eadbald*, filii *Edelbrith.* Tenuit autem regnum Centenſe 32. annis nobiliter & pacifice. Anno eodem *Ine* rex caſtrorum acies ordinatas & terribiles in Cātiam deduxit vindicaturus combuſtionem *Mul* cognati ſui. Rex autem *Withred* obobuiam ei affuit non cum feroci arrogantia ſed pacifica ſupplicatione, non cum frendentibus minis, ſed rhetorici mellis dulcedine. qua regi fero perſuaſit, vt armis depoſitis multam pecuniæ a Centenſibus acciperet pro cæde iuuenis. & ſic lis finita ruit, pax cōfirmata reuixit. Rex vero Centenſis abhinc ſemper in pace regnauit. Tertio poſt hūc anno Merca, qui dicuntur etiam *Sudhumbri, turpe ſcelus commiſerunt, reginam namq; *Oſtridam* vxorem *Edelredi* regis ſui & *Egfridi* regis ſororem inhumane occiderunt. *al. Subhimbri*

Ine 11. anno regnante **Bertus* prædictus Conſul *Egfridi* ſenſit maledicta Hybernēſium, quorum Eccleſias deſtruxerat. ſicut & dominus ſuus ſenſerat. Sicut enim *Egfridus* rex ingreſſus terram Pictorum cædem ibi pertulit, ita & iſte ingreſſus terram eorundā vindicaturus dominū ſuū ab iiſdem occiditur. Circa hoc tēpus ab incarnatione Domini ſeptingenti anni fuerunt. *Aedelred* filius *Pendæ* rex Mercæ Omnipotentis benignitate viſitatus fit Monachus anno 29. regni eius, & ſepultus eſt apud Bardenie fœliciter: cui ſucceſſit *Cenred* cognatus eius ſimilis virtute & fœlicitate. Cum enim quinque annis regnum nobiliter tenuiſſet, nobilius multo ſceptra regni reliquit. Veniens namq; Romam, & Monachus ibi factus *Conſtantino* Pontificante vſq; ad diem permanſit vltimum: cum quo etiam *Offa* filius *Sigheri* regis Orientalium Saxonum, rex ſi permanſiſſet futurus, pari ductus deuotione Romam iuit, & Monachatum ſuſcepit. Imitamini ergo horum duorum regum fœliciſſimam ſtrenuitatem, ſcilicet *Edelredi* & *Cenredi*, quorum nomen permanet in æternum, qui diademata, vxores, vrbes, cognatos, & omnia relinquentes multis millibus idem faciendi exemplum fuerunt. O Deus bone! quæ & qualia diademata ei reddes, & ipſe manu tua ceruicibus eorum ſummus Pontifex impones in die exultationis & lætitiæ, quando cunctis millibus legionum cœleſtium & terreſtrium tecum reges prędictos ſuſcipientibus cum triumpho, & faciem eorū videre deſiderātibus, afferent fructū non centenum tātum, ſed potius millenū! fructū odoriferū, fructū expectābilē, & tibi ipſi viſu delectabilē. O Deus bone! quis nunc etiam igne ſancti Spiritus accenſus exēpla regum illorum, & vere regum ſequatur, vt adhuc etiam creſcat eis exultatio noui fructus, & vberiora tibi ſequentium probitate munera offerant cum deuotiſſima iocunditate? heu miſeri. dimittēdus eſt ſermo de regibus cœli, qui ô vtinam perennis in cordibus noſtris miſerulis & inertiſſimis figatur. Sed redeundum eſt de cœlo ad terras. Succeſſit namq; regibus prædictis Mercæ *Ceolred* in regno, quod idem octo annis patriæ & auitæ virtutis hæres clariſſime rexit.

al. Bribt

Ine, viceſimo anno regni ſui diuiſit Epiſcopatum Weſtſexiæ in duo, qui vnus eſſe ſolebat partem Orientalem a ſyluis tenuit *Daniel*, Occidentalem *Aldelmus. Aldelmo* vero ſucceſſit *Forthere.* Eodem anno *Wilfridus* Epiſcopus de quo inter miracula non ſilebitur, obiit apud Wundalum, 45. anno Epiſcopatus ſui, & ſepultus eſt apud Ripun. Anno huic proximo pugnauit rex *Ine*, & *Nun* cognatus eius contra **Gerentem* regem Wales. Cuius pugnæ principio occiſus eſt dux *Higebald*, ad vltimum vero *Gerente* cū ſuis faciem ab Angliſauerterit, & fugiens arma & ſpolia ſequentibus reliquit. Tunc etiam *Berfrid* Conſul reſtitit ſuperbiæ Pictorum, dimicans inter Heue, & Cere; vbi multitudine magna Pictorum ſtrata vltor extitit regis *Egfridi* & Conſulis *Berti.* *Acca* presbyter ſucceſſit *Wilfrido* Epiſcopo. *Alfridus* vero rex Nordhumbre quarto ante hunc anno infirmans perierat apud Driffeld, anno regni ſui viceſimo nondum impleto. Cui ſuccedens *Oſredus* filius eius *al. Gerēte*

puer octo annorũ regnauit 11. annis. *Oſred* vero rex belli infortunio iuxta Merce pugnans interfectus eſt. Cui ſuccedens *Cenred* regnauit duobus annis, & mortuus eſt. Poſt quos *Oſricus* regnauit ibidem vndecim annis. Hi namq; quatuor reges regnauerunt in Nordhumbre tempore *Ine* regis.

Ine 26. anno regni ſui pugnauit contra *Ceolred* regem Merce filium *Edelredi* regis apud Wonebirih, adeo autem horribiliter pugnatum eſt vtrinq;, vt neſciatur, cui clades deteſtabilior contigerit. Anno vero ſequente idem rex Merce *Ceolred* mundo exiit, & ſepultus eſt apud Lichfeld. *Adelbold* ſucceſſit ei in regnum Merce, vir fortis & vehemens, regnauitq; victorioſe 41. annis. Eodem anno *Egbertus* vir venerabilis conuertit Monachos, qui erant in Hii ad catholicum Paſcha & canonicam tonſuram. Cumq; cum iiſdem conuerſis moratus fuiſſet 13. annis, iam ſecutus de correctione fratrum ipſo die Paſchali cũ Miſſarum ſolemnia celebraſſet, exultauit vt videret diem Domini, vidit, & gauiſus eſt. Eo tempore *Natton* rex Pictorum conuerſus fuerat, ad rectum Paſcha literis inſtructoriis à *Ceolfrido* Abbate directis, qui poſt *Benedictum*, de quo prædiximus, rexit Monaſterium, quod eſt ad oſtium Wiri amnis, & iuxta amnẽ Tina in loco, qui vocatur Ingiruum. ſcripſit ergo regi literas de Paſcha & de tonſura magna plenas authoritate. quod autem ille literis perſuaſit, rex in toto regno ſuo regia authoritate perfecit. Circa hoc tempus *Cudburh* ſoror *Cueburh* conſtituit abbatiam apud Wineburn. quæ data fuerat *Egferdo* regi Nordhumbre ſed eo viuente ſeparata.

Ine 36. anno regni eius exercitum ſuum in Sudſexe promouit, pugnauitq; contra Sudſexas potenter & victorioſe, & interfecit in eodem prælio *Ealdbrith*, quem prius fugauerat à Caſtro, quod vocatur Tantune, quod quidem rex *Ine* conſtruxerat, ſed quia iuuenis prædictus *Ealbrith* caſtrum introierat, qui regius hoſtis erat, *Edelburh* regina vxor *Ine* caſtrum cepit armis, captumq; deſtruxit, & eum fugere compulit in Sudrei. Eodem anno *Withred* rex Centenſis, cum per 34. annos pene regnaſſet, defunctus eſt; tres filios, *Edilbertum*, *Edbertum*, *Aeilricum*, relinquens hæredes. Circa hoc tempus *Thobias* Rouenſis Epiſcopus, *Theodori* Archiepiſcopi & Abbatis *Adriani* diſcipulus expirauit, cui ſucceſſit *Aldulfus*.

Ine rex potens & fœlix relinquens *Adelardo* cognato ſuo regnum, Romam petiit, & ibi peregrinans in terris ſtipendia promeruit in cœlis. Huius autem regis tempore, vt mundi volubilitas quam velox ſit ex hinc perpendatur, fuerunt Imperatores *Iuſtinianus* minor, qui regnauit decem annis. *Leo* qui regnauit tribus annis. *Tiberius*, qui regnauit 7. annis. *Iuſtinianus* ſecundus, qui regnauit 6. annis. *Philippus*, qui regnauit anno & dimidio. *Anaſtaſius*, qui regnauit tribus annis. *Theodoſius*, qui regnauit vno anno. *Leo*, qui regnauit 9. annis. *Conſtantinus* etiam, cuius regni anno tertio *Ine* Romam profectus eſt. Apoſtolici autem in eius tempore hi fuerunt. *Sergius* Papa, *Iohannes*, alius *Iohannes*, *Siſinnius*, *Conſtantinus*, *Gregorius*. cuius tempore rex *Ine* ſponte victor cupiditatis exulauit. Reges autem Francorum hi fuerunt ex ordine tempore eius: Rex *Childericus*, rex *Theodoricus*, rex *Clodoueus*, rex *Childebertus*, rex *Dagobertus*. Tempore etiam huius regis cœli palatia conſcenderunt. Sanctus *Heddi* Epiſcopus Winceſtrenſis, Sanctus *Gutlacus* heremita Croilandẽſis, Sanctus *Iohannes* Eboracenſis Archiepiſcopus. Reges vero cõtigui *Cedwalla* & *Ine*, magni viribus, quod commune fuit eis cum belluis: maiores vero ſanctitate, quod proprium eſt angelorum & hominum ſed paucorum, egregie fecerunt. Vnde beatos dicent eos omnes generationes, ſicut & duo reges contigui Mercefecerunt, ſcilicet *Edelred* & *Cenred*: qui relictis omnibus bonis falſis verum & ſummum bonũ, quod Deus eſt, adepti ſunt. Reges ergo terræ præſentes, imitamini reges prædictos ſapientes & beatos, non furioſos & infœlices. quorum diſtinctionem opera & finis operum in præſenti tractatu demonſtrant. Quatuor ergo reges prædicti luminaria ſunt omnibus regibus terræ, vt boni quos imitentur habeant, mali vnde excuſentur non habeant. Vos etiam, qui reges non eſtis, reges prędictos imitamini, vt cœli reges efficiamini. Si enim cum illi maiora reliquerunt, vos minora relinquere nolueritis, ſancti reges prædicti veſtræ damnationis iudices erunt.

Adelhard Rex Weſtſexe primo anno regni ſui pugnauit contra *Oſwald* iuuenem de regia ſtirpe, regnum idem ſibi acquirere conantem. *Oſvvald* namq; filius fuit **Adelbold*, filii *Chenebold*, filii *Cudvvine*, filii *Ceaulin*, filii **Chinric*. Cum autem iuuenis impar numero regalibus turmis, pondus prælii diu pertuliſſet, & vltra nõ poſſet, fuga regi regnum reliquit. Rex igitur prædictus in regno confortatus eſt.

al. Aedelbold — *al. Cinric*

Adelhardi regis anno tertio, apparuerunt duæ Cometæ circa ſolem terribiles, vna quippe ſolem præcedebat Orientem, alia ſequebatur Occidentem, quaſi Orienti ſimul & Occidẽti diræ cladis præſagæ. vel certe vna diei, altera noctis præcurrebat exortum, vt

vtroq;

vtroque tempore mala mortalibus imminere ſignarent. Portabant autem faciem ignis contra Aquilonem quaſi ad accendendum accliuem; apparebantque menſe Ianuario, & duabus ferme ſeptimanis permanebant. Quo tempore grauiſſima Sarracenorum lues Gallias & Hiſpanias late miſera cæde vaſtabat: Et ipſi poſt non multo in eadem prouincia dignas ſuæ perfidię pœnas luebant. Eodem quoque anno *Oſricus* rex Nordhumbre vita diſcedens, regnum, quod 11. annis gubernauerat, *Ceolwlfo* reliquit fratri illius, qui ante ſe regnauerat tempore *Cenredi* regis. Rex autem *Ceolwlf* 8. annis regnum tenuit. Hic eſt rex ille, cui *Beda* vir ſanctus & venerabilis, vir ingenii florentis & *Christi* philoſophus Eccleſiaſticam hiſtoriam Anglorum ſcripſit. qua regi miſſa quantum profecerit finis beatus regis oſtendit.

Adelardo regnante quinque annis *Brithwoldus* Archiepiſcopus pene 38. annis, obiit: & *Tadwinus*, qui fuerat presbyter apud Bredune in Merce factus eſt Archiepiſcopus. Illum autem ſacrauerunt viri beatæ memoriæ *Inguald* Londonienſis epiſcopus, & *Daniel* Wintonienſis epiſcopus, & *Aldulf* Rouenſis epiſcopus, & *Aldwine* Liceſteldenſis epiſcopus. Poſt biennium vero *Ædelbold* rex Merce fortiſſimus congregato terribili exercitu obſedit Sumerton caſtris diſpoſitis per gyrum. cumque non eſſet, qui auxilium incluſis inferret, vel includētibus reſiſtere poſſet, eam recepit in ſuam. *Edelbald* igitur rex Mercēſis maxima virtute ſuper reges coætaneos profectus, omnes prouincias Angliæ vſque ad Humbram flumen cum ſuis regibus ſibi ſubiectas eſſe voluit, & fecit. Eodem anno Sol obſcuratus eſt.

Adelhardi regis anno 8. *Tadwinus* archiepiſcopus vir religione & prudētia inſignis ſacris quoque literis nobiliter inſtructus hominibus vltra non apparuit. Aſcendit autem in loco eius *Egbricht* recepto Romæ pallio. Anno eodem venerabilis *Beda* ſemper mēte inhabitata cœli conſcendit palatia. qui regia virtute ſua & aliorum vitia compeſcens, cum regibus ipſis inferior non ſit, digniſſime regum in ordine quaſi rex ponatur. *al. Egbrith.*

Beda igitur presbyter Monaſterii, quod eſt ad Wiremudham, & Ingiruū à *Benedicto* abbate eiuſdem loci, ac deinde *Ceolfrido* educatus & eruditus, ſemper ſcripturis ſtuduit. reliquit autem mundum anno 62. ætatis ſuæ, ſenex annis & ſapientia, & plenus dierum non in vano conſumptorum. quod apparet in operum ſuorum numero. Scripſit ergo à principio Geneſis vſque ad natiuitatem *Iſaac* libros tres. De tabernaculo & vaſis eius & veſtibus lib. tres. In primam partem *Samuelis* vſque ad mortem *Saulis*, lib. quatuor, De ædificatione Templi allegorice, duos. De libris Regum librum 30. quæſtionum. In Prouerbia *Salomonis* tres. In Cantica canticorum ſex. In *Eſdram* & *Neemiam* tres. In canticum *Abacuc*, vnum. In librum *Tobiæ*, vnum. Capitula quoque lectionum veteris teſtamenti. In Euagelium *Marci* quatuor. In *Lucæ* ſex. In Apoſtolum quæcunque in opuſculis *Auguſtini* inuenit cuncta per ordinem tranſcripſit. In actus Apoſtolorum duos. In ſeptem Epiſtolas Canonicas libros ſeptem. In Apocalypſim tres. Item capitula lectionum in totum Nouum Teſtamentum excepto Euangelio. Item librum Epiſtolarum ad diuerſos. Item de Hiſtoriis ſanctorum. Item de vita ſancti *Cuthberti* primum heroice, poſtea plano ſermone. Item de vita abbatum Monaſterii ſui duos. Item Martyrologium. Item librum Hymnorum. Item librum de temporibus. Item librum de metrica arte. Et hiſtoriam Eccleſiaſticam Anglorum in libris quinque, in qua pie perorat, vt apud omnes legentes, fructum interceſſionis inueniat.

De ſtatu autem Eccleſiaſtico in ſuo tempore ita idem *Beda* ait. In præſenti Cantuarienſis archiepiſcopus eſt *Tadwine*. Rouenſis epiſcopus *Aldulfus*. Londonienſis *Ingualdus*. Super Orientales Anglos ſunt *Edbertus* & *Hedhelac* epiſcopi. ſuper Merce eſt *Aldwinus* epiſcopus. ſuper gentem quæ ad Occidentem Sabrinæ amnis habitat, eſt *Walſted* epiſcopus. in prouincia Vicciorum eſt *Wilfridus* epiſcopus. in prouincia Lindisfarorum *Chinebertus*. Vecta inſula ad *Danielem* Epiſcopum Wentæ pertinet. Et prouincia Auſtralium Saxonum iam aliquot annis ſine epiſcopo eundem colit. Sub rege vero *Ceolwlfo* ſunt quatuor epiſcopi, *Wilfrid* Eboracenſis, *Edelwold* Lindisfarnenſis, *Acca* Hauguſtaldenſis, *Wettelmus* in Candida Caſa. quæ nuper Pontificata ipſum primum habet antiſtitem. Rex vero Cent eſt *Eadbriht*. Rex Weſtſexe *Ædelhard*. Rex Eſtanglorum *Selred*. Rex Nordhumbre *Ceolwlfus*. Rex Merce *Edelbaldus* maximus omnium. Anno aduentus Anglorum circiter ducenteſimo octuageſimo ōctauo. Anno Dominicæ incarnationis ſeptingenteſimo triceſimo quarto, in cuius regno perpetuo exultet terra, & congratulante in fide eius Brittannia lætentur multæ inſulę, & confiteantur memoriæ ſanctitatis eius. Huc vſque authoritatem venerabilis *Beda* presbyteri in hac noſtra hiſtoria contexenda ſecuti ſumus, & maxime in iis omnibus, quæ de rebus Eccleſiaſticis dicta ſunt: in aliis etiam ſemper quantū- *al. Ædelred.*

cunq; potuimus. Hinc igitur, quæ in ſcriptis veterum diligenti ſcrutinio collectis inuenire potuimus, ad inſtructionem poſteritatis literis mandare ſtuduimus. Namque ſicut in prologo hiſtoriæ Anglorum doctiſſimus *Beda* teſtatur, *Vera lex hiſtoriæ eſt ſimpliciter id, quod fama vulgante colligitur, ſcribendo poſteris notificare.*

Adelardi regis anno decimo *Nottelmus* Archiepiſcopus accepit pallium à Papa. nec lõge poſt *Forthere* Epiſcopus & * *Frigedida* regina relictis poſſeſſionibus ſplendidis, & deliciarum voluptatibus Romam profecti ſunt. Quod iis temporibus plures de gente Anglorum nobiles, ignobiles, clerici, laici, viri, ac fœminæ, certatim facere conſueuerunt. Eo etiam tempore *Adiluualdus* Lindisfarnenſis Epiſcopus viuendi finem fecit; poſt quem Epiſcopatus honorem *Cheneuulf* adeptus eſt. Nec ſegnius venerabilis *Acca* presbyter & Hauguſtaldenſis poſtea præſul corporeis rebus exutus eſt.

al. Fridegia

Adelardi regis anno 11. *Ceoluulf* rex nobiliſſimus Nordhumbre nobiliſſime fecit. *Ceoluulf* namq; fuit filius *Cudha*, filii *Cuduuine*, filii *Leduuold*, filii *Eguuold*, filii *Aldelin*, filii *Ocche*, filii *Idæ* regis. *Ceoluulf* igitur cum ſæpe viuenti *Bedæ* colloqueretur, & ſæpe ante mortem eius, & poſt mortem hiſtoriam eius ad ſe ſcriptam oculis adhiberet, cœpit diligenter regum ſingulorum facta & finem ſecum diſcutere, viditq; luce clarius *regna terrena & res humanas cum labore perquiri, cum timore poſſideri, cum dolore amitti.* Et quia quibuſdam minus callidis, vel ætate teneris videntibus temporalia pulchra & delectabilia, cum audierint prædicari ea deſerenda & temnenda, videtur friuolum & contra rationem, quia nondum perceperunt quomodo mordeant mundi diuitiæ, quomodo ad nihilum deueniant, & fructum tandem nullum niſi ſeram pœnitudinem generẽt. Horũ nihil regẽ callentem & expertum impediebat. Senſerat enim in ſeipſo regnum ſibi cum labore fuiſſe perquiſitũ, cũ timore poſſeſſum: noluit vero cum dolore amittere. Sponte igitur diuitiarum non ſeruus, ſed Dominus, quaſi magnus viles abiecit. Maxime autem accẽderat eum quod cum pueri vel mulieres vulguſq; vel etiam ditiores proſilirent ad eum conſpiciendum & eius beatitudinem mirandam, ipſe horribilibus curis necis & proditionis & multimodæ calamitatis intus cruciabatur, & animo & corpore decoquebatur. Cumq; alii iudicarent eum beatiſſimũ, ipſe qui ſolus animi ſui ſecreta nouerat iudicabat ſe miſerrimum. quum ergo paruo ſpatio, i. octo annis regnaſſet, permaximum viſum eſt ei, & valde anxiatus eſt quod tanto tempore vitam ſuam amiſerit curis vanis & diſciplinis fragilibus deditam; reliquam aũt ſaltem vitæ ſuæ non erroneæ ſtultitiæ ſed ſapientiæ & vtilitati propriẽ dicare certauit. Exemplumq; aſſumens ex hiſtoria beati viri prædicta, ſex reges fortiſſimos vir vere fortiſſimus proſecutus eſt: ſcilicet *Edelredum* regem Merce, & *Cenredum* ſucceſſorem eius; nec non *Ceduuallam* regem Weſtſexe, & *Ine* ſucceſſorem eius, ſed & * *Sigebertum* regẽ Eſtangle, qui Monachus effectus eſt, quem poſtea *Penda* occidit, & *Sebbi* regem Eſtſexe, qui Monachus effectus diem iucundum mortis ſuæ præuidit, vidit & gauiſus eſt. Iſti non deuorarũt ſubſtantias ſuas cum meretricibus, ſed euntes cum dolore ſemina ſua ſeminauerunt, vt venientes veniant cum exultatione ſuos Deo manipulos afferentes. Compleuit ergo *Ceoluulfus* hebdomadam regum perfectorum; & habitu Monachali ſuſcepto capiti eius corona de lapide pretioſo impoſita eſt a Domino. * *Egbricto* vero cognato ſuo regni ſceptra reliquit. *Egbrictus* namq; fuit filius * *Eccæ*, filii * *Leduuoldi*, regnauitq; 51. annis. In hoc regum commercio *Edelbold* rex ſuperbus Mercenſis, alterius vir animi, & ideo aliuſmodi deditus fini. ſpreta ſanctificatione, gladiiſq; iura poſtponens, introiuit Nordhumbre, & cum non eſſet, qui ei reſiſtere poſſet, præda arrepta quantam voluit ſecum ad ſuos tranſuexit.

al. Sibrectum
al. Aedbricto
al. Etatæ
al. Lethuuoldi

Adelhardus rex decimo quarto anno regni ſui mortuus eſt, & regnauit *Cudred* cognatus eius pro eo ſuper Weſtſexe, ſexdecim annis. *Edelbaldus* vero rex ſuperbus ſæpe cum nunc ſeditionibus, nunc bellis affligebat. Fortuna autem varia vicibus variis modo hũc modo illum Martis euentibus extollebat. Aliquando vero pacem inter ſe ſtatuebant, quam breui tenentes ſpacio denuo * debellabant. Eodem anno * *Egbert* ſacratus eſt Archiepiſcopus tempore *Zachariæ* Papæ, & *Dun* Epiſcopus apud Rouecceſtre.

al. rebellabant
al. Aedbert.

Cudredus anno regni ſui quarto, & *Edelbald* rex Merce tunc ſimul pacificati pugnauerunt viribus coniunctis cõtra Brittannorum vndiq; congeſtorum innumerabilem multitudinem. Cumque reges fortiſſimi exercituſq; eorum clariſſimus inter ſe diuiſi, hinc & inde certatim & quaſi ex inuidia Brittannorum phalanges percutientes ſternerent, nequierunt tantum bellandi onus perferre Brittanni. Fugam igitur eligentes dederunt terga percutientibus, & ſpolia ſequentibus. Reges autem victorioſi remeantes ad ſua, triumphalibus gaudiis ſuſcepti ſunt. Anno vero ſequenti obiit *Wilfrid*, qui fuerat Epiſcopus

decem

*decem annis apud Eboracum. Anno vero eodem viſum eſt ſignum mirabile in cœlo, ſtellæ namq; hâc & illac diſcurrebant per aera, quod omnibus intuentibus magno fuit monſtro. Anno vero hunc ſequente deceſſit *Daniel* quadrageſimo tertio anno, ex quo fuit Epiſcopus. Anno etiam hos prædictos ſequente rex *Selred* vitæ ademptus eſt, ſcripta namque veterum, quod hoc anno occiſus fuerit, dicunt; quomodo autem, vel a quo occiſus fuerit, non dicunt. *al. triginta*

Cudredi anno nono occiſus eſt *Kinric* filius eius, armorumq; decus, debellatorq; ferarum; ætate tener, ſed armis acer, annis paruus, ſed vigore magnus. qui cum ſucceſſibus ſuis inſtaret fortunamq; *Martis* nimis ſollicitaret, immoderationem animi cædes militari ſeditione illata puniuit. Eodem anno obiit *Edbrus* rex Centenſis, qui regni inſula 22. annis potitus fuerat.

Cudredus anno vndecimo regni ſui pugnauit cōtra *Edelhun* audaciſſimum Conſulem: qui ſeditionem mouens in dominum, licet numero militum lōge domino debilior eſſet, diu tamen & grauiſſime Martio perſtitit in campo: probitaſq; conſulis excelſa loco millium fuit. Cumq; ei iam pene victoria lætis applauderet alis, infixum tandem corpori vulnus, & animo periurium, iuſtam regis cauſam triumphare compulerunt.

Cudredus decimo tertio anno cum iam regis *Edelboldi* ſuperbas exactiones & inſolentiam ferre non poſſet, occurrit ei cum legionibus vexillatis apud *Hereford* omni ſpe viuendi poſtpoſita libertati. Adduxit aūt ſecum *Edelhun* prædictum Conſulem iam ſibi cōcordem, cuius viribus fretus, & cōſilio belli diſcrimen ingredi potuit. *Edelboldus* vero rex regum cum Mercenſibus Centenſes adduxerat, Orientaleſq; Saxones & Anglos, copiaſque multiplices. Aciebus igitur diſpoſitis cum in directum tendentes appropinquarent, *Edelhun* præcedens Weſtſexenſes regis inſigne draconem ſcilicet aureum gerens tranſforauit vexilliferum hoſtilem. Vnde clamore orto pars *Cudredi* valde confortata eſt, ſtatimq; acies ſibi inuicem offenderunt. Ergo tonitruum belli, ſcilicet offenſionis armorum & ſonitus ictuum clamoriiq; cadentium terribiliter exarſit, bellum maximum & inæſtimabile incipitur. Quod vel Mercenſes, vel eos Weſtſexe vſq; in longam poſteritatem vincenti ſupponeret. Videres igitur acies loricis criſpantes, galeis acutas, lanceis hirſutas, vexillis depictas, auro reſplendentes, paruo tempore ſanguine perfuſas, lanceis caſſas, ruina diſſipatas, cerebris aſperſas, viſu horrendas. congregantes autem ſe ad vexilla vtrinq; procaces & fortiſſimi, gladiis & ſecuribus Amazonicis rem agentes, acies aciebus funeſte irruebant. Memoria fugæ nulla, ſpes victoriæ vtrinq; certa, Mercenſes ſuperbiæ tumor inuitabat, Weſtſexas ſeruitutis horror accendebat. At vbicunq; Conſul prædictus aciebus ſe infigebat, via ruinarum patebat, dum ſecuris eius timendiſſima modo fulminis corpora finderet & arma. Rex fortiſſimus autem *Edelboldus* quacunq; ruebat ſtrages hoſtilis fiebat, dum gladio eius inuictiſſimo eſſent arma pro veſte, oſſa pro carne. Cum igitur quaſi duo ignes diuerſis in partibus impoſiti obſtantia quæq; conſumerent, contigit vt ſibi obuiam rex & Conſul venirent. Vterq; vero alteri terribilis corpore infrenduit, dextram excuſſit, ſe in armis collegit, & ictibus vniuerſis arma obſtantiſſima pares laceſſunt. Deus autem, qui ſuperbis reſiſtit, a quo robur, fortitudo, & magnanimitas procedit, gratiæ ſuæ regi *Edelboldo* terminum poſuit, animoq; regis confidentiam ſolitam dempſit. Cum igitur nec animum ſuum nec vires ipſe recognoſceret, pugnātibus adhuc ſuis à Domino omnipotētu territus fugam primus incepit. Nec ab hac die vſq; ad mortis ſuæ tempora proſperum aliquid ei Deus permiſit. Quarto ſiquidem poſt hunc anno rurſum pugnans apud Secandune non ſine mirabili exercituum ruina iugā dedignans occiſus eſt. Occiſus apud Secandune, ſepultus eſt apud Repandune. ſic itaq; rex validiſſimus cum quadraginta & vno annis regnaſſet ſuperbiæ immoderatæ pœnas exſoluit. Regnum vero Weſtſexe ex hoc tempore valde roboratum creſcere vſque in perfectum non deſtitit. *al. Bereford*

Cudredus quartodecimo anno regni ſui pugnauit contra Brittannos, qui victori regis *Edelboldi*, vt prædictum eſt fruſtra reſiſtentes cito fugam inceperunt, cladem q; maximam ſine hoſtium detrimento digne pertulerunt. Anno ſequente *Cudredus* rex magnus & excelſus tot proſperitatibus & victoriis potitus mortis inclementia lætitiam finiuit.

Sigebertus regis prædicti cognatus ſucceſſit ei, ſed breui tempore regnum tenuit. Namque ex præceſſoris ſui euentibus tumefactus & inſolens, etiam ſuis intolerabilis fuit. Cum autem omnibus modis male tractaret eos, legeſq; vel ad commodum ſuum deprauaret, vel pro commodo ſuo deuitaret, *Cumbra* cōſul eius nobiliſſimus prece totius populi querimonias eorum regi fero intimauit. Quem quia regem ſuaſerat, vt leuius populum regeret, & inhumanitate depoſita, Deo & hominibus amabilis appareret, mox impia nece iuſſit interfici: populoq; ſæuior & intolerabilior tyrannidem augmentauit.

Sigebertus rex in principio ſecundi anni regni ſui cum incorrigibilis ſuperbię & nequitiæ eſſet, congregati ſunt proceres & populus totius regni & prouida deliberatione, & vnanimi cōſenſu omnium expulſus eſt à regno. *Kinewlf* vero iuuenis egregius de regia ſtirpe oriundus, electus eſt in regem. *Sigebertus* vero rex fugatus à ſuis nō minora meritis metuens, in ſyluam magnam, quæ vocatur Andredeſwald, fugiens ſe abſcondit, vbi quidam Porcarius *Cumbra* conſulis, nequiter, vt diximus, interfecti, regem abſconſum inuenit, inuentum cognouit. cognitum domini ſui vindex occidit. Ecce manifeſtum Domini iudicium, ecce quomodo Domini iuſticia non ſolum in futuro ſeculo, verum etiam in iſto digna meritis recompenſat. Eligens namq; reges improbos ad contritionem promeritam ſubiectorū, alium diu inſanire permittit, vt & populus prauus diu vexetur, & rex prauior in æternum acrius crucietur, veluti *Edelboldum* regem Merce præfatum: alium vero cita diſterminatione præoccupat, ne populus ſuus nimia tyrannide oppreſſus non reſpiret, & immoderata principis nequitia, citiſſimas vltionis æternæ debito pœnas incurrat, veluti *Sigebertum* hunc, de quo tractamus. Qui quanto nequior extitit, tanto vilius a ſubulco interfectus, à dolore in dolorem tranſiit. Vnde Domini iuſticiæ æternæ laus & gloria nunc & ſemper.

Kinewlfi regis, anno primo *Edelboldo* regi Merce ſucceſſit *Beornred* in regnum, ſed breui. *Offa* enim eodem anno fugauit eum, regnauitq; ſuper Merce 39. annis: *Offa* iuuenis nobiliſſimus fuit, filius quidem *Wingferd*, filii *Eanvvlf*, filii *Oſmod*, filii *Epa*, filii *Wippa*, filii *Creada*, filii *Kinevvald*, filii *Cnibba*, filii *Icil*, filii *Eomer*, filii *Ageltheu*, filii *Offa*, filii *Weremund*, filii *Withlad*, filii *Woden*. *Offa* ſtrenuiſſimus rex fuit, vicit namq; Centenſes prælio, vicit quoque Weſtſexas prælio, vicit quoque Nordhumbros prælio. *Offa* fuit vir religioſus: tranſtulit namq; oſſa ſancti *Albani* in monaſterium, quod conſtruxerat, multiſq; modis ditauerat, deditq; vicario beati *Petri* Romanæ vrbis pontifici redditum ſtatutum de ſingulis domibus regni ſui in æternum.

Kinevvlfi regis anno tertio *Eadbert* rex Nordhumbre videns regum prædictorum *Edelboldi* ſcilicet & *Sigeberti* vitam ærumnoſam & finem infauſtum, *Ceolvvlfi* vero prædeceſſoris ſui vitam laudabilem & finem glorioſum, meliorem partem elegit, quæ non auferetur ab eo. Regno namq; relicto tōſuram capitis æternum diadema generaturam ſuſcepit, furuaſq; veſtes æthereum ſplendorem collaturas induit. Iſte eſt octauus regum illorum, qui regna ſua pro *Chriſto* ſponte dimiſerūt, immo vt verius dicam pro regno æterno commutarunt, quibus octo beatitudinum iocunditas perennis multiplici delectamento ineffabiliter iocundatur, quorum ſtrenuitatem imitari beatorum eſt. Succeſſit autem in regno *Oſulf* filius ſuus, ſed cum vno anno regnaſſet a familia ſua nefanda proditione occiſus eſt. Poſt quem *Mol Edelvvold* regnauit ſex annis. Circa hoc tempus *Cudbrictus* Archiepiſcopus vitæ demptus eſt.

Kinevvlf cum 6. annis regnaſſet, *Edelbricht* rex Centenſis metas viuendi attigit. eodem anno *Ceovvlfus* tunc monachus, ſed quondam rex non hic obiit, ſed hinc abiit, ſtipendia mirabilia recepturus. Anno vero ſequente *Mol* rex Nordhumbre interfecit *Oſvvine* fortiſſimum ducum ſuorum, qui committens prælium erga dominum ſuum apud* Eadwineſcliue iure gentium ſpreto iure Dei occiſus eſt. Anno vero ſequente *Iambeth* factus eſt Archiepiſc. Eborac. Tunc etiam *Fridvvald* Epiſc. Ceaſtrenſis viuere deſtitit, qui factus fuerat Epiſc. 6. anno regni *Ceolvvlf*. Eo tempore *Witvvine* factus eſt Epiſc. Witern *Mol* vero cum 6. annis regnaſſet, regnum Nordhumbre dimiſit: poſt quem *Alred* 8. annis regnauit. Cuius regni anno 2. animas emiſerunt *Egbert* Archiepiſc. Eborac. cum Archiepiſc. fuiſſet 36. annis, & *Fridebertus* Epiſcopus Hauguſtaldenſis, cum Epiſcopus fuiſſet 34. annis: *Edberto* Archiepiſc. ſucceſſit *Adelbert*, *Frideberto* Epiſcopo ſucceſſit *Alcmund*. Anno 4. *Alredi* regis obierunt *Pipinus* rex Francorum, & *Stephanus* Papa Romanorum & *Eadbert* filius *Eata* dux famoſiſſimus Anglorum.

al. Edvvineſcline

al. Ecca

Anno gratiæ 769. *Kinevvlfi* vero regis anno 15. incepit fieri mutatio dextræ excelſi, imperium namq; Romanum, quod tot annis in ſe præcellentiſſimum fuerat, *Carolo* regi magno Francorum ſubiectum eſt poſt 50. annos regni eius, quod in hoc anno inceperat & ſucceſſoribus eius vſque ad hunc diem exinde contigit.

Kinevvlfi regis anno 20. pugnauit rex *Offa* cum Mercenſibus cōtra Centenſes apud Otenford, clade autem horrenda vtrinque peracta, belli ſucceſſibus *Offa* clarus effulſit. Eodem anno Nordhumbri fugauerunt regem eorum *Alred* ab Eouerwic in hebdomada Paſchali; & elegerunt ſibi in regem *Edelred* filium *Mol*, qui regnauit annis 4. Hoc autem anno viſa fuerant in cœlo rubea ſigna poſt occaſum ſolis, & horrendi ſerpentes viſi fuerunt in Sudſexe cum magna admiratione. Secunda autem ab hoc anno Saxones antiqui, vnde

vnde gens Anglorum deſcendit, ad fidem conuerſi ſunt. Quo anno *Witwine* Epiſcopus Witterne 24. anno Epiſcopatus ſui morte affectus eſt.

Kinewlf 24. anno regni ſui pugnauit contra *Offam* circa Benetune. Martis autem caſu minoratus loco ſeceſſit, & *Offa* Rex caſtrum idem in iura ſua redegit. Eodem anno *Edelbert* ſacratus eſt apud Eouerwic Epiſc. in Witterne. *Anno ſequente* Edelbald, & Herbert *duces Regis* Nordhumbre *rebellantes domino ſuo, occiderunt* Aldulf *filium* Boſe *regalis exercitus primatem*, Martis *congreſſibus apud* Kingſcliue, *& poſtea duces Regis* Kinewlf, & Eggan *prælio ingenti occiderunt duces prædicti apud Hilathirnum*. Rex autem prædictus *Adelred* ducibus ſuis & ſpe amiſſis fugit à facie eorum: illi vero conſtituerunt *Alfwld* in regem, qui gnauit decem annis. Anno autem hunc ſequente principes & præpoſiti Nordhumbre quendam Cõſulem & iuſticiarium ſuum, quia rigidior æquo extiterat, combuſſerunt. Eodem anno *Edbert* Archiepiſc. obiit in Ceſtre, cui ſucceſſit *Enbald*. Eodem anno *Kinebold* factus eſt Epiſcopus Lindiſfarnenſis. Eodem anno antiqui Saxones, & Franci pugnauerunt: Franci vero vicerunt. Anno vero proximo Rex Nordhumbre *Alfwld* miſit Romam propter pallium & dedit *Embaldo* Archiepiſcopo. Tunc *Alcmundo* Epiſcopo Hauguſtoldenſi defuncto *Tilberb* ſucceſſit. *Carolus* eo anno Romam iuit. Circa hoc tempus cõcilium fuit apud Acle.

Kinewlf cum regnaſſet 20. & 6. annis & contra Brittannos victorioſus multa geſſiſſet prælia, & eos ex omni parte domaſſet, tandem exulare ſtatuit adoleſcentem *Kineard* fratrem *Sigeberti*. Ipſe autem impetiit regem apud Weretune, vbi priuate perrexerat ad quandam mulierem. Rex autem id comperiens in oſtio viriliter ſe defendebat, donec cõſpecto iuuene foras exiliens vulnerauit eum, & omnes ſocii eius in regem pugnantes interfecerunt eum. Clamore autem audito milites regis, qui in vrbe erant, in iuuenem cucurrerunt, renuenteſq; oblatas ab eo terras & pecuniam, pugnando omnes mortui ſunt, præter vnum Brittannum obſidem grauiter vulneratum. Mane autem milites regis, qui circa erant in atrio, vbi Rex occiſus erat, obſederunt iuuenem & ſuos. Qui dixit eis. Cognati veſtri mecum ſunt, vobiſq; dabo terram & pecuniam ſecundum cor veſtrum, ne pugnetis contra nos: idem autem ſociis veſtris obtuli renuenteſq; perierunt. Illi autem reſponderunt nullam pecuniam cariorem Domino ſuo eſſe iis, ſeq; Domini ſociorumq; ſanguinẽ vlturos, irrumpenteſq; graui prælio in portam iuuenem & 84. qui cum eo erant, interfecerunt. Remanſitq; ſolus filiolus iuuenis, vulneratus tamen. *Kinwlf* igitur 31. anno regni ſui ſepultus eſt apud Winceſtre, iuuenis autem apud Aceſemminſter.

Brictrich, qui etiam de progenie *Certici* ſæpe dicti regis erat, poſt *Kinwlfum* regnauit ſuper Weſtſexe ſexdecim annis, cuius anno ſecundo *Adrianus* Papa miſit legatos in Brittanniam ad renouandam fidem quam prædicauerat *Auguſtinus*. Ipſi vero honorifice à Regibus & populis ſuſcepti, ſuper fundamentum ſtabile ædificauerunt, pulchre *Chriſti* miſericordia cooperante. Tenuerunt autem concilium apud Cealtide, vbi *Iambert* dimiſit partem Epiſcopatus ſui. Ibi etiam *Higebrit* electus eſt ab *Offa* Rege. Eodem anno * *Egfert*: ſacratus eſt in Regem Kentenſis prouinciæ. [al. Egferd] Anno vero ſequente, qui eſt annus gratię ſeptingenteſimus octogeſimus ſextus, apparuit ſignum crucis in veſtibus, quod dictu & auditu ſeculis omnibus videri poteſt mirabile. Factumne igitur fuit ad demonſtrationem motionis Ieroſolymitanæ cum crucibus aſſumptis, quæ facta eſt poſt trecentos & nouem annos tempore iunioris *Willielmi*, aut potius factum eſt ad correctionem gentium, ne plagam *Dacorum*, quæ proxime ſecuta eſt, correcti perferrent? Nos autem nihil temere definimus ſed Domini ſecreta Domino relinquimus.

Brictricus anno regni ſui quarto duxit in vxorem *Eadburh* filiam Regis *Offa* Merce. vnde confortatus eſt in regno, & profectus in ſuperbiam. His autem diebus venerunt Daci cũ tribus puppibus in Brittanniam prædationis cauſa. Quod præpoſitus Regis illius prouincię videns, occurrit eis debito ſecurius, vt comprehenſos ad regium duceret caſtrum. Neſciebat autem qui eſſent, qui appulerant, vel cur appuliſſent. Statim vero immixtus eis occiſus eſt. Hic primus fuit Anglorum cæſus à Dacis, poſt quem multa millia millium ab iiſdem cæſa ſunt, & hæ puppes primæ fuerunt, quas huc Daci adduxerunt. Anno ſequenti conuenit concilium apud Nordhumbre in Wincenhale.

Brictrici Regis 6. anno congregata eſt Synodus apud * Aclea, [al. Adea] *Sigan* vero occidit nefanda proditione *Alfwld* regem Nordhumbre. In eo autem loco, vbi Rex amicus Domini occiſus eſt, lumen cœleſte ſæpe viſum eſt. Et ipſe ſepultus eſt in Eccleſia apud Hanguſtaldam: poſt quem *Oſredus* regnare incepit, ſed anno ſequenti proditus eſt, & à regno fugatus, & *Edelred* filius *Mol* item regno eſt reſtitutus. *Oſredus* vero 4. anno poſtquam rex fuerat, cum congregatis viribus rediret, vt *Edelred*, per quem expulſus fuerat, regno expelleret, inter eundũ captus eſt & occiſus, & ſepultus eſt Tinemuthe. Quam bene igitur dixit, q'

dixit. *O caeca futuri mens hominum.* Cum enim iuuenis prædictus *Ofred* tripudians & lætabundus Rex fieret, quam parum æſtimabat ſe, anno 2. regali ſede, anno vero 4. vitali luce priuandum, vnde ſemper inter proſpera ſolliciti ſimus, ignari ſcilicet quam prope ſint aduerſa. Ea tempeſtate *Offa* Rex Merce præcepit amputari caput S. EDELBRICTI. His etiam diebus *Iambrih* Archiepiſcopus vltra non vixit, & Abbas *Edelred* electus eſt in Archiepiſcopum. *Eubaldus* vero Archiepiſcopus Eboracenſis ſacrauit *Baldulf* Epiſcopum apud Witerne.

Brictrici regis anno 10. viſi ſunt flammei dracones, volantes per aera, quod ſignum duæ peſtes ſecutæ ſunt: primo maxima fames, poſtea gens pagana à Norwagia & Dacia veniens, quæ prius gentem Nordhumbrenſem miſere deſtruxerunt, & poſt in Lindisfarnẽ prouincia Eccleſias *Chriſti* cum inhabitantibus horribiliter deſtruxerunt in Idibus Ianuarii. Qua etiam tempeſtate *Sigga* dux qui *Alfwold* Regem beatum indigne * prodiderat, digne deperiit.

al. prodierat.

Brictrici regis anno 11. Nordhumbri regem ſuum *Edelred* occiderunt, qui anno eo, quo Rex *Ofredus* occiſus fuerat, in ſuperbiam elatus, ſua relicta nouam duxerat vxorem, ignorans, quod & ipſe poſt biennium perimendus eſſet, breuiſq; regni gaudium mortis deſolatione tam cito terminandum foret. Poſt quem *Ardulf* regnum Nordhumbre ſuſcepit. Hunc igitur *Eubaldus* Archiepiſcopus, & *Edelbertus* Epiſcopus, & *Higebaldus* Epiſcopus, & *Baldulfus* Epiſcopus ſacrauerunt in regem, & eleuatus eſt in regia ſede apud Eboracum. Nec multo poſt obiit *Eubaldus* Archiepiſcopus apud Eboracum, cui ſucceſſit alter *Eubaldus*. His diebus *Adrianus* Papa & Rex magnus *Offa* vitæ metas attigerunt. Poſtea *Egfert* filius *Offa* regnauit ſuper Merce, & 141. die mortuus eſt; cui ſucceſſit Rex *Cenwlf*. Eodem anno *Eadbrict* vocatus alio nomine *Pren* adeptus eſt regnum Centenſe. gens vero pagana prædauerunt Nordhumbre; & monaſterium Egfert ſpoliauerunt apud Donemuth. Tunc vero occurrentibus eis nobiliſſimis, & bello aſſuetiſſimis Anglorum, ducibus eorum occiſis victi ad puppes fugerunt. Cum vero in puppibus fugiendo perſeuerarent, aliquæ earum per tempeſtatem fractæ ſunt, & multi virorum naufragati ſunt. quidam vero viuentes capti ſunt, & iuxta littus capite priuati ſunt. Nec multo poſt *Cenwlf* Rex Merce Cẽtenſem prouinciam tranſuerberans prædatus eſt, regemq; eorum *Pren* viribus ſibi imparem, & ideo per latibula & diuortia deliteſcentem comprehendit, & victum victorioſus ſecum reduxit.

Brictrici Regis anno 10. quarto Romani amputauerunt linguam *Leonis* Papæ, & oculos ſibi eruerunt, eumq; à ſua ſede fugauerunt. Sed ipſe (vt ſcripta tradunt) per Domini miſericordiam iterum videre & loqui potuit, rurſuſque Papa effectus eſt. Poſt triennium vero *Carolus* Rex factus imperator & à *Leone* Papa ſacratus damnauit morti illos, qui Papam dehoneſtauerant, ſed poſtea precibus Papæ mortem induſit, & in exilium eos retruſit. Poſt triennium quoq; defecit *Brithric* rex Weſtſexe. Hoc in tempore fuit magnum prelium in Nordhumbre apud Wellehare, in quo periit *Alric* filius * *Heberti*, & alii cum eo multi. Singulorum autem bellorum geſta, fines, & modos ad plenum determinare nimietas prolixitatis neceſſario prohibet. Gens enim Anglorum naturaliter dura erat & ſuperba, & ideo bellis inteſtinis inceſſanter attrita.

al. Hereberti.

Egbricht, anno gratiæ 80. octauus numero, 10. regum fortiſſimorum, quos in 2. libro prærogatiua ſingularis excellentiæ notauimus, regnauit 37. annis & ſex menſibus, ſuper Weſtſexe, quem iuuenili quidem ætate *Brictrich* prædeceſſor eius & *Offa* Rex Merce ab hac terra fugauerant; exulauit igitur 3. annis cum Rege Francorum, nobiliter tamen & egregie. Defuncto autem Rege prædicto, cum reuerſus regnum ſuſcepiſſet, eodem die * *Edelmund* Conſul receſſit à *Wicum* & veniens Kinemeresford obuiauit *Wicſtan* Conſuli cum Wilſatis, & ilico ſimul pugnauerunt, & ambo conſules occiſi ſunt, & Wilſates vicerunt. Quarto poſt hunc anno deceſſit *Edelred* Archiepiſc. Centenſis & *Wlfred* loco ſuo ſacratus eſt. Inde vero poſt biennium *Cudred* Rex centenſis vitali priuatus aura. Anno vero ſequenti *Hardulf* Rex Nordhumbre fugatus eſt à regno ſuo.

al. Adelmund.

Egbricht 14. anno regni ſui prędauit in regnis Brittonum ab Oriente vſq; ad Occidentem, nec fuit, qui eius immanitati vel conaretur reſiſtere. Anno autem huic proximo *Carolus* Rex Francorum, & imperator Romanus vita exierat. Anno autem huic proximo, S. *Leo* Papa venerabilis corpus depoſuit, & *Stephanus* ei ſucceſſit: *Stephano* vero *Paſchalis*. Poſt paruum vero ſpacium tempore *Cenwlf* rex Merce morti datus eſt. Poſt quem regnauit *Ceolwlf* in loco eius. Sed 3. ab hoc anno regnum amiſit, & *Beornwlf* ſibi illud occupauit.

Egbricht 24. anno regni ſui commiſit prælium contra *Beornwlf* regem Merce apud Ellendune; vnde dicitur: *Ellendune riuus cruore rubuit, ruina reſtitit, fœtore tabuit.* Ibi au-

tem

tem maximo gentis exterminio vtrinque peracto *Egbricht* victor funeſtus extitit. Inde vero ſucceſſus vrgens ſuos,& fortunæ inſtans miſit *Adelwlf* filium ſuũ, qui poſtea rex deuenit, * *Alcſtan* Epiſcopum,& Walard Conſulem cum magno exercitu in Cent/ qui fugauerunt Regem *Balred* vltra Tameſim. Tunc ergo populos Cantiæ, & Sudriæ, & Sudſexe/& Eſtſexe, Rex *Egbricht* in dominium ſuſcepit, quos prius cognatus ſuus *Pren* iniuſte amiſerat. Hoc etiam anno Rex Eſtangle cum gente ſua recepit *Egbricht* regem in Patronum: & poſtea hoc eodem anno Eſtangli occiderunt *Beornwlf* regem Merce, cui ſucceſſit *Ludecen*. Eodem anno maximum prælium fuerat inter Brittones & gentem Dauenesciæ apud Gauelford, vbi multa millia vtrinq; corruerunt. Anno vero proximo *Ludecen* Rex Merce/& quinq; Conſules cum eo occiſi ſunt.

al. Healcstan.

Egbricht 27. anno regni ſui fugauit *Wilaf* Regem Merce, qui Regi *Ludecen* ſucceſſerat, regnumq; ſibi acquiſiuit. Cum ergo obtineret omne regnum ex auſtrali parte Humbre/ duxit exercitum contra Nordhumbras apud Dore. Illi vero Regi magno deuote concordiam offerentes & ſubiectionem, pacifice ſeparati ſunt. Anno vero ſequente Rex *Egbricht* miſericordia motus conceſſit *Wilaf*, vt regnũ Merce teneret ſub eo. Et inde Rex *Egbricht* duxit exercitum in Nordwales, & eam ſibi patrocinio armorum ſubdidit. Anno vero hos ſequente *Wilfrido* Archiepiſcopo Centenſi defuncto * *Celnod* ſucceſſit. *al. Ceolnod.*

Egbrichti Regis anno 33. Redierunt Daci in Angliam, 38. anno poſtquam apud Donemutham victi,& fugati ſunt. Primum igitur prædauerunt Sepeige. Rex vero *Egbricht* pugnauit cum exercitu ſuo contra eos, qui triginta & quinque maximis puppibus aduecti fuerant anno ſequente apud Carrum,& ibi Dacenſes alea belli præualuerunt: & duo Epiſcopi ſcilicet *Herefert & Wigfert*, & duo Duces, ſcilicet *Dudda & Oſmod* perierunt. Anno vero ſequente venit exercitus Dacorum naualis in Weſtwales: & Walenſes cum Dacis coadunati ſunt,& contra Regem *Egbricht* inſurrexerunt. Rex vero ſecunda vſus fortuna Dacos & Walenſes contritione cõtriuit,& triumphoſe fortiſſimos fugauit apud * Hengiſtentune. Anno his proximo *Egbricht* Rex & monarcha Brittanniæ fatis conceſſit. Regnorum, quæ in manu propria tenebat, filios fecit hæredes: *Edelwlfum* ſuper Weſtſexe/ *Edelſtan* vero ſuper Cent & Sudſexe & Eſtſexe. Sed cum iam ad monarchiam Angliç peruenimus,& ad plagam horribilem, quæ per Dacos illata eſt, liber proprius rebus nouis donandus eſt. *al. Hengiſtesdune.*

Verum vt in libro ſecundo factum eſt, ea, quæ in hoc libro dicta ſunt breuiter repetenda ſunt: & regnorum ſingulorum progreſſio ex ordine dirigetur, vt quod confuſum eſt in tot regum commixtionibus, hæc abbreuiatio diligenter elucidet. Vnde cum lectori gratior extitero, fructum laboris deſiderabilem, Domini gratia, percipiam.

HAEC EST ABBREVIATIO DE regibus Cantuariæ in hoc libro prætractatis.

LOtharius regnauit duodecim annis, & pugna Auſtralium Saxonum neci traditus eſt.

Eadricus regnauit anno & dimidio, extraneus à regali proſapia.

Nidred & Wibbehard ſimiliter extranei regnauerunt 6. annis & repulſi ſunt.

Withred de regia ſtirpe ortus regnauit 34. annis in pace, & cum Rege *Ine* concordiam fecit.

Edbriht filius *Witredi* cum duobus fratribus regnum tenuit 22. annis.

Edelbriht ſceptro regni potitus eſt 12. annis.

Egfert regnum idem 34. annis, vt coniicere poſſumus ex ſcriptis, tenuit.

Edbrit Pren regnauit 3. annis,& captus eſt,& abductus à *Cenwlfo* rege Merce.

Cudred regni inſulas obtinuit 9. annis.

Balred regnauit 18. annis, & fugauit eum à regno Rex *Egbricht* Weſtſexe.

Egbrichtus Rex Weſtſexe regnum conquiſitum dum vix obtinens *Adelſtano* filio ſuo moriens reliquit, ceſſauit ergo regia ſtirps Cantuariæ, & in aliena iura regnum tranſiit.

HAEC EST ABBREVIATIO DE REgibus Weſtſexe in hoc libro prætractatis.

CEdwalla cum duobus annis regnaſſet Vectam inſulam acquiſiuit: Cent bis prædauit, pergenſq; Romam in albis mortuus eſt,& inſignia regni commutauit.

Ine regnauit 37. annis: vicitq; prælio *Gerentem* Regem *Walenſem*, domuitq; bello Auſtrales Saxones: Romamq; petens ſe fœliciter regno depoſuit.

Adelhardus cognatus Regis *Ine* Regnum ſibi ab eodem traditum rexit in pace quatuordecim annis.

Cudredus regnauit ſexdecim annis, vicitq; Brittannos bis lege prælii, & Regem *Edelboldum*.

al. Sigebrictus. * *Sigebertus* crudelis regnauit vno anno, & paulo plus, & à regno iuſte expulſus, & poſtea occiſus eſt.

al. Sigeberch. *Kinewlf* regnauit viginti tribus annis quem * *Sigebert* frater Regis neci tradidit.

Brictricus regnauit 16. annis, cuius tempore primum Dacorum ſæuitia Brittanniam laceſſiuit.

Egbrichtus regnauit 37. annis & prædauit in Brittanniam ab Oriente vſq; ad Occidentem, vicitque Marte *Beornwlfum* Regem Merce, & *Balred* Regem Cantiæ, & Regem *Wilaf*, & Dacos.

HAEC EST ABBREVIATIO DE REGIbus Nordhumbre *in hoc libro præſignatis*.

ALfridus frater Regis *Egfridi* doctus in ſcripturis, ſtrenuus in bellis, regnauit viginti annis.

Oſredus filius eius regnauit 11. annis, & pugnans interfectus eſt.

Cenred regnauit 2. annis, & infirmatus mortis celeritate præuentus eſt.

Oſricus regnauit 11. annis, & vitali luce caruit.

Ceolwlfus frater *Cenredi* prædicti Regis regnauit 8. annis, & monachus effectus eſt. Cuius tempore *Beda* presbyter venerabilis & *Chriſti* Philoſophus fœliciter deceſſit.

al. Adbrichtus. * *Egbrictus* cognatus eius regnauit 21. annis, effectuſq; monachus fragilem vitam fine glorioſo perluſtrauit.

Oſulf filius eius regnauit vno anno, & à familia ſua proditus eſt, & occiſus.

Mol Edelwold regnauit 6. annis, & coactus dimiſit illud.

Alredus regnauit 8. annis, & fugatus depoſitus eſt à gente ſua.

al. Aedelred. * *Adelred* filius *Mol* regnauit tribus annis, & fugit à facie ducum ſuorum rebellantium.

Alfwold regnauit 10. annis, quem *Sigga* dux proditione occidit.

Oſred nepos regis prædicti regnauit vno anno & à regno fugatus eſt à ſuis, & poſt triennium occiſus.

Adelred filius *Mol* iterum regnauit quatuor annis, & occiſus eſt à populo ſuo ſemper nequiſſimo.

Ardulf regnauit 12. annis, & à ſuis fugatus eſt à regno ſuo. Poſtea Nordhumbri (vt apparet) inſania nequitiæ præoccupati aliquantiſper ſine Rege fuerunt, & *Egbrichto* Regi concordati ſunt.

HAEC EST ABBREVIATIO REgum Merce *in hoc libro prædictorum*.

* EDelred filius *Penda* regnauit 29. annis, & glorioſe Monachus effectus eſt.

al. Adelred. *Cenred* cognatus eius regnauit 5. annis, Romamque petiit, & victorioſus monachatum ſuſcepit.

Ceolred filius *Edelredi* regis regnauit octo annis, pugnauitque valide contra Regem *Ine*.

al. Adelbald. * *Edelbold* ſuperbus regnauit 41. annis; hic prædauit Nordhumbre, vicitque gentem Walliæ præfuitque Regibus omnibus Angliæ. Sed tandem à *Cudredo* Rege victus, & poſtea occiſus eſt.

Beornred vno anno regnum tenuit, ſed *Offa* validus eum aufugauit.

Offa 39. annis regnauit. Is Regem Weſtſexe *Kinewlf* bello minorauit, & Centenſes, & Nordhumbras.

Egferd filius *Offæ* Regis vno ad plenum anno viuere non ſuffecit.

Cenwlf regnauit 26. annis pacifice, & mortuus eſt communi morte.

Ceolwlf tribus annis regnum tenuit, quod tunc ei *Beornulf* ferox diripuit.

Beornulf vno anno regnauit, & ab *Egbricto* Rege bello victus demarcuit.

Ludicen Rex primo anno Regni ſui cum conſulibus quinq; ſuis occiſus eſt.

Wilaf ab Rege *Egbricto* victus bellando tributarie ſub eo regnum tenuit. Regnum vero Eaſtangle iam regnis aliis variis modis ſubiectum fuerat.

PROLOGVS LIBRI QVINTI.

IN *huius hiſtoriæ principio quinq; plagis percuſſam diximus Brittanniam: quarum de quarta, quæ per Dacos facta eſt, præſenti libro tractabimus. Hæc ſiquidem longe immanior, longe crudelior cæteris fuit. Romani namque ſibi Brittanniam breui ſubiugauerunt, & lege dominantium ſplendide rexerunt. Picti vero & Scotti crebras irruptiones ex Boreali parte Brittanniæ faciebant, ſed nec eam ex omni parte aggrediebantur, nec nunquam pernicioſe repulſi tẽpore non pauco ab inuaſione ceſſabant. Saxones autem pro viribus paulatim terrã bello capeſſentes, captam obtinebant, obtentam ædificabant, ædificatã legibus regebant. Nec non & Normanni cito & breuiter terram ſubdentes ſibi, victis vitã & libertatem legeſque antiquas regnitur(a)e conceſſerunt, de quibus in antea dicendum eſt. Daci vero terram vndique creberrime, diutiſſime inſilientes & aſſilientes eam non obtinere ſed prædari ſtudebant, & omnia deſtruere, non dominari cupiebant. Qui ſi quandoq; vincerentur, nihil proficiebant victores, cum alibi claſſis & exercitus maior inſurgeret: Vtroq; modo cum reges Anglorum orientalem partem contra eos pugnaturĩ tenderent, antequam hoſtibus turmis appropinquarent, aduolabat nuntius dicens. Rex quonam tendis? Claſſis paganorum innumerabilis ex auſtrali parte Angliæ littora occupauit, vrbeſq; & villas depopulans, omnia cædi tradit & igni. Eadem die accurrebat alius dicens. Rex quo fugam capeſſis? Terribilis exercit⁹ in occidentali parte Angliæ appulit, contra quos niſi feſtinus reuertaris, te fugiſſe exiſtimantes, cæde & flamma à tergo perſequentur. Adueniebat cadẽ die vel craſtina nunti⁹ alius, q diceret. Quo tendis ô proceres? Daci Borealibus plagis appulſi, iam domos veſtras combuſſerunt, iam res veſtras aſportarunt, iam pueros ſurſum iactatos lancearum acumine ſuſceperunt, iam coniuges veſtras quaſdam vi oppreſſerunt, quaſdam ſecum abduxerunt. Sic tot rumorum miſerabili plaga percuſſi rex & populus manibus & corde diſſoluebantur, & tabeſcebant. Igitur nec cum vincerent, lætitia vt* aſſolent erat eis vlla, nec ſpes ſalutis aliqua. Cur autem tanto furore Dei iuſtitia in eos exarſerit, cauſa hæc eſt. In primitiua Angliæ Eccleſia religio clariſſime ſplenduit: ita vt reges & reginæ, duces & Epiſcopi, vel monachatum vel exilium, vt præmonſtrauimus, appeterent. Proceſſu vero temporum adeo omnis virtus in eis emarcuit, vt gentem nullam proditione & nequitia ſibi parem eſſe permitterent. Quod maxime apparet in hiſtoria regum* Nordhumbre. *Sicut autem in regalibus geſtis impietas eorum deſcripta eſt, ita vniuſcuiuſq; ordinis & officii homines dolo & proditione inſiſtebant. Nec erat dedecori niſi pietas & cauſa digniſſima cædis innocentia. Immiſit ergo Dominus omnipotens velut examina apium gentes crudeliſſimas, quæ nec ætati nec ſexui parcerent, ſcilicet Dacos cum Gothis, Norwagenſes cum Suathedis, * Wandallos cum Freſis, qui ab exordio regni* Edelwlfi *Regis vſq; ad aduentum Normannorum* Willielmi *regis ductu ducentis triginta annis terram hanc deſolauerunt. Quæ etiam nonnunquam ex affinitate Brittanniæ Dei vindices & ſtimuli Galliam pro meritis crudeliter inuaſerunt. Sed iam ad hiſtoriæ ordinem his explanatis redeundum eſt.*

al. aſſolet.

al. Wandalos.

HENRICI HVNTINDONIENSIS HISTORIARVM.

LIB. V.

ADELWLF primo anno regni ſui cum ipſe aduerſus hoſtes prædictos in vna parte Regni ſui perſiſteret, vndique confluente paganorum multitudine miſit *Wlfard* conſulem cum parte exercitus ad debellandum Dacos, qui cum 33. nauibus apud Hamtonam appulerant. vbi magna ſtrage hoſtium patrata clariſſime triumphauit. Miſit etiam Rex *AEdhulf AEdelhem* conſulem vt pugnaret contra alium exercitum apud Port cum exercitu Weſtſexe. Cumque diu conflixiſſent, occiſo prædicto conſule Daci victores extiterunt. Anno vero ſequente *Herebertus* conſul pugnauit contra eos apud Mereſware, Daciſque vincentibus, ſuiſque fugientibus occiſus eſt. Eodemque perrexit paganorum exercitus per orientales partes Angliæ, ſcilicet per Lindeſie, & Eſtangle, & Cantiam, gentiq; innumeræ vitam ferro rapuerunt. Anno vero hos ſequente terram profundius introiens exercitus circa Cantuariam & Rouecceſtriam & Londoniam multitudinem magnam ſtrauit.

Adelwlf quinto anno regni ſui cum parte exercitus (diuiſi namq; erant exercitus) pu-

gnauit contra gentem 35. puppium apud Carrum: Dacique victores fuerunt. licet enim paruus fuiſſet numerus puppium, magnus tamen erat puppes maximas numerus ingreſſorum. Anno vero ab hoc quinto * (*al. Alcſtan, vel Algſtan.*) *Aleſtan* Epiſcopus venerabilis & dux *Ernulfus*, cum Sumerſetis & dux *Oſredus* cum Dorſetis pugnauerunt contra Dacos apud Pedredeſmuth/ & Deo auxiliante multos eorum proſtrauerunt, & victoriæ ſplendorem obtinuerunt. *Adewlf* decimoſexto anno regni ſui & *Edelbaldus* filius ſuus congregatis omnibus copiis pugnauerunt cum maximo exercitu, qui cum 250. nauibus appulerant ad Temeſmuth, vrbeſque præclaras & multis inclitas annis Londoniam ſcilicet & Cantuariam fregerunt, & fugauerunt *Bricwlf* regem Merce victum cum exercitu ſuo, qui nunquam poſtea viguit. Cui ſucceſſit *Burred* in regnum Merce. Ingredienteſque Sudreiam regalibus cuneis obuiauerunt apud Haclea. Commiſſum eſt igitur inter maximos exercitus tantum & tam graue prælium, quantum nullus retro audierat in * (*al. Anglia.*) Angliam commiſſum. Videres igitur viros bellatores more ſegetis vtrinque ruere; ſanguiniſque fluuios capita & membra cæſorum ſecum voluere. Scribere autem ſingula nonne nimiæ & faſtidioſæ prolixitatis eſſet? Conceſſit ergo Deus fortunam belli in ſe credentibus, & inenarrabilem contritionem ſe contemnentibus. Rex igitur *Edelwlfus* victor extitit clariſſimus. Eodem anno *Edelſtan* Rex Cantiæ & dux *Ealhere* nauali prælio contra Dacos pugnauerunt apud Sandwic: & magna ſtrage hoſtium facta nouem puppes eorum ceperunt: aliæ veræ fugerunt. Conſul quoque nomine *Cheorl* cum gente Dauneſcyre pugnauit contra paganos, multoſque percuſſit, & victor extitit apud * (*al. Wicbeorne.*) Wicnorne. Hic igitur annus Anglorum genti fortunatus extitit. Hoc anno primum quidem paganorum exercitus per totam hyemem in hac patria * (*al. Conuerſatus eſt apud Tenet.*) conuerſatus eſt.

Adelwlfus decimo octauo anno regni ſui adiuuit *Burred* regem ad ſubiugandum, ſibi Nordwalenſes potentiſſime, ſociauitque ei filiam ſuam in matrimonio. Anno eodem miſit Rex *Adelwlf Aluredum* filium ſuum *Leoni* papæ Romam. quem *Leo* poſtea in regem benedixit & loco filii ſuſcepit. Hoc anno dux *Ealhere* cum Centenſibus, & *Huda* cum Sudrigenſibus pugnauerunt contra exercitum paganorum apud Tenet: & magna gens ex vtraq; parte occiſa eſt, & naufragata, & ambo duces mortui ſunt.

Adelwlfus decimo nono anno regni ſui, qui totam terram ſuam ad opus Eccleſiarum decumauit propter amorem Dei & redemptionem ſui: poſtea vero cum magno honore Romam perrexit, & ibi vno anno conuerſatus eſt. Et inde rediens filiam *Caroli Calui* regis Franciæ aſſumpſit in vxorem, & eam ſecum in hanc patriam adduxit: & cum duobus annis eam tenuiſſet, hominibus ademptus eſt, & ſepultus apud Winceſtre. *Hic primum fuerat Epiſcopus apud* * (*al. Winceaſtre.*) Winceſtre, *ſed* Egbricto *patre ſuo defuncto neceſſitate cogente factus eſt rex, & vxore ducta quatuor filios genuit, qui omnes poſt eum Reges fuerunt.* Circa hoc tempus pagani perendinauerunt tota hyeme apud Scepeigei.

AEdelbaldo filio ſuo reliquit prædictus rex nobiliſſimus regnum hæreditarium Weſtſexe: *Adelbricto* filio ſuo alii reliquit regnum Cantiæ, & Eſtſexe/ & Sudſexe. Ambo igitur fratres optimæ indolis iuuenes regnum ſuum, dum vterq; vixit fœliciſſime tenuerunt. *Adelbaldus* Rex Weſtſexe cum regnum ſuum quinq; annis in pace tenuiſſet, morte immatura præreptus eſt. planxit autem omnis Anglia *Adelbaldi* regis iuuentutem, & factus eſt luctus vehemens ſuper eum: & ſepelierunt eum apud Sireburne. Senſitq; poſthac Anglia quantum amiſerit in eo.

Adelbricht frater regis prædicti regnauit poſt eum ſuper Weſtſexe, qui prius erat Rex Centenſis. In diebus eius venit naualis exercitus & egredientes deſtruxerunt Winceſtre/ & ſic.

Vrbs antiqua ruit multos dominata per annos.

Tunc vero dux *Oſric* cum Hamtoneſyre & dux *Edelwlf* cum Barruceſcyre pugnauerunt contra eundem exercitum. Quibus cum magna contritione fugatis noſtri victores extiterunt.

Adelbricti regis anno quinto venit exercitus paganorum apud Tenet. quibus cum Centenſes cauſa induciarum pecuniam promiſiſſent, infra inducias nocte quadam improuiſe proruperunt, & Cantiam ex Orientali parte deprædati ſunt. Eodem anno *AEdelbrictus* cum regnaſſet ſuper Weſtſexe quinq; annis, ſuper Cantiam vero decem annis mortem guſtauit. Poſt quem *Edelred* frater eius regni ſuſcepit inſignia. Hoc autem anno venit maximus exercitus paganorum in terram Anglorum, quorum duces fuerunt *Hinguar & Vbba*, viri ſtrenuiſſimi, ſed crudeliſſimi. *Hinguar* erat ingentis ingenii, *Vbba* vero fortitudinis admirandæ. Perendinantes igitur in hyeme in Eſtangle inducias & equos ab iis acceperunt & quietis gratia fortitudini ſuæ ad tempus pepercerunt.

Adel-

Adelredi Regis anno ſecundo venit exercitus prædictus quem *Hinguar & Vbba* rexerunt in Nordhumbre apud Eouirwic, eratque inter gentem patriæ illius ſolita proditione magna diſcordia, quia regem ſuum *Osbric* abiecerant, & alium degenerem nomine *Elluu* acceperant: ideoq; tarde concordati congregato exercitu venerunt ad Eouirwic/ in qua erat paganus exercitus; fractoq; muro intus irruentes cum eis pugnauerunt, & ibi occiſus eſt vterq; Rex *Osbric & Ellan*, & innumera multitudo gentis Nordhumbre intra vrbem & extra. Et qui reſidui fuerunt, inducias cum paganis ceperunt. Hoc anno obiit *Alfſtan* Epiſcopus, ſepultus apud Scyreburne/ vbi fuit Epiſcopus quinquaginta annis.

Adelredus Rex anno tertio regni ſui iuit Snotingham cum fratre ſuo *Alfredo* in auxilium *Burredi* Regis Merce. exercitus namque prædictus venerat Snotingham, & ibi in hyeme fuit. congregatis igitur omnibus copiis Anglorum, cum ſuos obſeſſos & viribus impares *Hinguarus* videret, vulpeculari aſtutia verbiſque delinitis inducias ab Anglis impetrauit. Rediensq; Eboracum, ibi crudeliter vno anno permanſit. Sanctus *Eadmundus* anno Dominicæ incarnationis 870. *Adelredi* Regis anno quinto cœli palatia conſcendit. exercitus namq; prædictus *Hinguari* regis veniens per Merce ad Tedforde, ibi in hyeme permanſit, clademque maximam genti miſerrimæ intulit. Rex vero *Edmundus* magis eligens mortem perferre, quam deſolationem ſuorum videre, captus eſt ab iis, corpuſque ſanctiſſimum ſagittis impiorum ad ſtipitem vndiq; tranſuerberatus: Dei vero clementia multa ſuper eo ſignauit miracula.

Edelredi regis anno ſexto venit exercitus nouus & maximus, quaſi fluuius inundans & omnia ſecum voluens in Weſtſexe vſq; ad Redingum, præ nimia vero multitudine cum ſimul non poſſent procedere, diuerſis turmis & locis gradiebantur. Duces eorum autem fuerunt duo reges *Basreg & * Aldene*. Itaq; poſt tres dies dux *Edelwlf* duobus obuians conſulibus exercitus apud Englafeld pugnauit cum eis & vicit, & vnum occidit, qui vocabatur *Sidrac*. Et poſt quatuor dies Rex *Edelred* & frater ſuus cum magna gente venientes Redingum, pugnauerunt cum exercitu, & multi ceciderunt ex vtraq; parte, & Daci victores fuerunt. Et poſt quatuor dies iterum pugnauerunt Rex *Adelred* & frater ſuus *Alfred* contra totum exercitum apud Eicesdune, qui fuit diuiſus in duas partes. ex vna parte fuerunt *Basreg & Aldene* Reges pagani, contra quos pugnauit rex *Edelred*, & occidit Regem *Basrege*: ex alia vero parte fuerunt pagani conſules, contra quos pugnauit *Alfred* frater regis, & occidit quinq; conſules: *Sidroc* ſenem, & *Sidroc* iuuenem, & *Osbearn, & Frena, & Harolde*: & exercitus fugatus eſt, & multa milia occiſa ſunt, durauitq; prælium vſq; ad noctem. Iterum poſt 14. dies *Adelred* Rex, & frater ſuus *Alfred* pugnauerunt cum exercitu apud Baſingum, & Daci vicerunt. Iterum poſt duos menſes rex *Adelred* & frater ſuus *Alfred* pugnauerunt cum exercitu apud Meredune, & multi ex vtraq; parte ceciderunt. & Daci diu fugati in fine vicerunt. Ibi occiſus eſt *Edmundus* Epiſcopus, & multi proceres Angliæ. Poſt hoc prælium venit in æſtate magnus exercitus apud Redingum. hoc anno obiit *Adelred* rex poſt paſcha ſepultus apud Winburnhamminſter, qui regnauit quinq; annis. Tunc *Alfred* frater ſuus filius *Edelwlfi* regnauit ſuper Weſtſexe, & poſtea circa vnum menſem pugnauit cum pauca gente apud Wintune contra exercitum & diu fugauit eũ & poſtea Daci vicerunt. Hoc anno fuerunt nouem prælia campeſtria contra exercitũ in regno ex auſtrali parte Temeſe: præter inuaſiones, quas *Alfred* frater eius & duces regis ſæpe fecerunt. Et hoc anno ſunt occiſi rex vnus & nouem Comites, & proceres Weſtſexe ceperunt inducias cum exercitu paganorum.

al. Hamdene, vel Alfdene.

* *Alfredi* regis anno primo exercitus venit Londoniam à Reding & ibi per hyemem fuit, & Mercenſes ceperunt inducias cum exercitu. Secundo vero anno rex Haldene duxit exercitum eundem hyematum in Lindeſei apud * Torchſeige. Tertio autem anno hyemauerunt apud Rependune. Tunc vero congregati ſunt cum eo tres alii reges *Godrun, & Oſcetin, & Anwed*, & facti ſunt inuincibiles, & *Burred* regem, qui regnauerat 22. annis ſuper Merce trans mare fugauerunt. Rex autem *Burred* Romam perrexit, ibiq; moriens ſepultus eſt in Eccleſia S. *Mariæ* apud Anglecneſcolam. Daci autem tradiderunt regnum Merce *Ceolwlfo* cuidam inſipienti regi ad ſeruandum ad opus eorum. Ipſe autem iurauit, & obſides iis dedit ſe redditurum illis regnum quandocunq; vellent, & ſeipſum præſto eſſe cum omnibus quos abducere poſſet in auxiliũ eorum. *Alfredi* regis anno quarto exercitus receſſit a Rependune & diuiſus eſt. *Aldene* rex cũ parte quadam exercitus perrexit in Nordhumbre & fuit in hyeme iuxta Tinam & ſaiſiuit terram & diuiſit eam ſuis, & coluerant eã duobus annis, & ſæpe prædauit ſuper Pictos. Tres vero reges Dacorũ prædicti venerunt cum maiori parte exercitus ad Grantebrige/ & ibi vno permanſerunt anno. Hoc anno pugnauit rex *Alfred* nauali prælio contra 7. puppes, quarum vnam cepit, cæteras fugauit. Anno vero

al. Alwredi, vel Alvredi

al. Torcheſige.

ſequente exercitus trium regum venit apud Werham in Weſtſexe. Rex vero *Alfredus* cepit inducias cum exercitu, acceptis ab eo obſidibus ex nobilioribus eorum. Ipſi autem iurauerunt ei, quod nunquam alicui antea fecerant, ſe cito exituros à regno illius, & in proxima nocte furtim recedens exercitus, qui equos habebant, perrexerunt Exanceaſtre. Hoc anno *Rollo* cum ſuis Normanniam venit. anno vero ſequente exercitus periurus venit à Werham ad Exanceaſtre, & naualis exercitus circum remigans tempeſtate obrutus eſt, perieruntq; 120. puppes apud Swanawic. Rex autem *Alfred* cum magna gente ſecutus eſt exercitum, qui equos habebant, nec eos conſequi potuit ante Exanceaſtre. Tunc exercitus tradidit illi quotquot obſides ipſe volebat, & pacem tenere iurauit, & bene tenuit. Tūc exercitus iuit in Mercee, & partem regni tenuit, partem dedit *Ceolwlfo*.

al. Tamiſis, vel Tamaſis.

Alfredi regis anno ſeptimo, cum iam Daci omne regnum à boreali parte * *Temeſis* obtinerent, regnaretq; Rex *Haldene* in Nordhumbre, & frater *Haldeni* eſſet in Eſtanglee, tres vero reges prædicti cum *Ceolwlfo* rege eorum eſſent in Mercee, & Londonia, & Eſtſexe: regi vero *Alfredo* non remanſiſſet niſi terra vltra Tameſim, indignum viſum eſt Dacis, vt vel hoc ei remaneret. Tres igitur reges venerunt Cipenham in Weſtſexe cum mira multitudine, quæ nuper à Dacia venerat. Operienteſq; terram quaſi locuſtæ, cum nullus eis poſſet reſiſtere, occupauerunt eam ſibi. pars igitur populi trans mare fugit, pars *Alfredum* regem ſecuta eſt, qui cum paucis ſe in nemoribus abſcondebat, pars vero ſubdita eſt hoſtibus. Cum autem rex *Alfredus* iam nec terram haberet, nec ſpem habendi, reſpexit in reliquias plebis ſuæ Dominus. venit namque frater Regis *Haldene* cum 23. nauibus in Weſtſexe in Dauenſcyre. Gens autem Regis *Alfredi* occidit eum, & 840. homines exercitus ſui, captumq; eſt ibi vexillum eorum, quod vocabatur Rauen. Ergo rex *Alfredus* hoc ſucceſſu confortatus parauit firmitatem quandam apud Ethelingeie, & ſic fretus pugnauit ſæpe cum exercitu auxilio Sumerſetenſium, qui ibi propinqui erant. Et in ſeptima hebdomada poſt paſcha perrexit ad Eghrichſtam ex orientali parte * Salundu, & venerunt contra eum omnes Sumerſeti, & Wilſati, & qui reſidui fuerant de Hantuneſcyre, læti pro aduentu ſuo, & ipſe in craſtino inde perrexit ad Aeglea, & inde alia die ad Edendune, & ibi pugnauit contra exercitum, & eum fugauit, & eum perſecutus eſt vſq; ad firmitatem ſuam, & ibi fuit 14. diebus. Tunc exercitus tradidit regi obſides, & iurauit ſe receſſurum à regno ſuo. Promiſit etiam quod rex eorum baptizaretur, & factum eſt. venit enim *Godrū* princeps regum eorum ad *Alfredum* regem, & baptizatus eſt. *Alfredus* vero patrinus eius factus, cum eum ſecum 12. diebus tenuiſſet, abeunti multa dedit munera.

al. Seabwdic.

Alfredi anno octauo iuit exercitus prædictus à Chipenham ad Cyrenceſtre, & ibi hyemauit in pace. Eodem anno * Wincigi collegerunt nouum exercitum, & manſerunt apud Fulenham iuxta Tameſim. hoc anno ſol obſcuratus eſt. Anno vero ſequente exercitus prædictus regis *Godrum* receſſit à Cyrenceaſtre & perrexit in Eſtangliam, & terram illam obtinuit, & diuiſit. Eodem anno exercitus, qui fuit apud Fulenham mare tranſiit, & ad Gant vno anno permanſit. Sequenti vero anno pugnauerunt cum Francis, & vicerunt eos. tertio autem anno venerunt per Meſe in Franciam. Quo in tempore rex *Alfredus* nauali prælio quatuor puppes Dacorum cepit, & eos, qui inerant, interfecit. quarto vero anno venit exercitus apud Scat in Cundoet, & ibi vno anno permanſit. hoc anno *Macrinus* papa miſit *Alfredo* regi lignum Domini, *Alfredus* autem miſit eleemoſynam ſuam Romæ, & etiam in Indiam ad ſanctum Thomam, ſecundum votum quod fecerat, quando hoſtilis exercitus hyemauit apud Londoniam.

al. Wicingi.

Alfredi Regis anno decimo quarto pars exercitus qui in Gallia erat, venerunt ad Roueceſtriam: & ciuitatem obſidentes, ceperunt facere ibi aliam firmitatem. Adueniente vero rege, ad puppes fugerunt, & mare tranſierunt. Miſit autem Rex *Alfred* naualem exercitum ad Cent in Eſtanglia, qui cum veniſſent Sturemutham obuiantes 16. puppibus Wiccingorum vicerunt eas bello: ſed redeuntes cum ſpoliis & victoria obuiauerunt magno exercitui Wiccingorum, & cum iis pugnantes victi ſunt. Eodem anno interfecit aper quidam *Carolum* regem Franciæ filium *Lodouei* filii *Caroli Calui*, cuius filiam * *Iubetam* duxerat rex *Edelwlf*. Tunc quoq; papa *Macrinus* obdormiuit. Anno ſequente venit exercitus Dacorum per Secanam ad pontem Pariſius, & illic hyemauit. *Alfredus* rex Londoniam obſedit, quia maxima vis Dacorum ſecuta fuerat Gallicanum exercitum. omnes autem Anglici ſtatim ei ſubditi ſunt, & receperunt eum. Daci namq; aufugerunt. Rex vero tradidit *Aedredo* duci ciuitatem in cuſtodiam. Anno vero hos ſequente exercitus recedens à Ponte Pariſius iuit per Sacanam vſq; ad Marnam, & per Marnam vſq; ad Cadri & in ea, & in * Iorna duobus annis conuerſati ſunt. Circa hoc tempus factione *Erulfi* quinq; reges facti ſunt in Francia.

al. Iubetham.

al. Ierata.

Alfre-

Alfredi Regis anno 19. *Godrun* Rex Dacus, qui fuit filiolus *Alfredi* Regis, & regnauit in Eſtangle, luce demptus eſt. hoc anno venit exercitus à Secana ad Scanlaudam quod eſt inter Brittanniam, & Franciam. Brittones vero cum eſs pugnantes, & in flumen quoddam fugantes, multos necauerunt: hic *Pleumundus* Archiepiſcopus à Deo & omni populo electus eſt. Anno vero ſequente exercitus iuit in orientem, & Rex *Arnulfus* cum Francis, & Saxonibus & Bauerienſibus pugnauit contra exercitum, & repulit eos. Poſtea rediit in Angliam ille magnus exercitus cum omnibus rebus ſuis ad portum Limene cũ 250. nauibus; qui portus eſt in orientali parte Cent iuxta magnum nemus Andredeſlaige, quod 120. millia in longitudine, 30. in latitudine continet. Egreſſi vero conſtruxerunt caſtrum apud Anoldre. Interim venit *Haſting* cum 80. nauibus in portum Tameſis, & parauit caſtrum apud Middletune: poſtea vero Regi *Alfredo* iuramenta fecit, ne in aliquo ei noceret. Rex ergo ipſi, & vxori ſuæ, & filiis multa dona dederat. quorum alterum Rex ipſe in baptiſmate tenuerat, alterum vero *Edredus* dux magnus. *Haſteng* autem ſemper infidus, caſtrum conſtruxit apud Beamfled. Cumq; iſſet prædatum ſuper regem, fregit rex caſtrum prædictum, & cepit ibi vxorem eius, & filios, & pecuniam, & ſpolia, & puppes. Vxorem vero & filios reddidit *Haſtengo*, quia patrinus eorum erat. Regi autem *Alfredo* venit nuntius dicens: centum puppes venerunt à Nordhumbre & Eſtangle/ & obſident Exanceaſtre. Rex igitur dum illuc tendit, exercitus, qui erat apud Awldre/ inuaſit Eſtſexe / & caſtrum fecit apud Scrobrih: indeque permeantes venerunt vſque ad Budingtune iuxta Seuernam, & ibi caſtrum fecerunt. vnde tamen bello repulſi, fugerunt ad caſtrum ſuum in Eſtſexe. Illa autem, qui obſederant Exanceaſtre, audito aduentu Regis ad puppes fugerunt, & in mari prædantes manebant. Quartus exercitus venit eodem anno à Nordhumbre vſq; in Legeceſtriam, ſed ibi obſeſſi ſunt, & tanta fame afflicti ſunt, quod etiam equos ſuos cōederent.

Alfredi Regis anno 23. Daci qui erant in Legeceſtria, iuerunt circum per Nordwales & Nordhumbre ad Wereſeige inſulam Eſtſexe/ & poſt in hyeme traxerunt puppes ſuas per Tameſim in flumen Luye, ille autem exercitus, qui obſederat Exanceaſtre, deprehenſus eſt prædans iuxta Cicceaſtre, vbi multos ex ſuis amiſerunt, & quaſdam ex puppibus ſuis perdiderunt. Anno vero ſequenti exercitus, qui erat in Luye / fecit iuxta idem flumen caſtrum quoddam viginti millibus à Londonia. venerunt igitur Londonienſes ad caſtrum illud, & cum Dacis pugnantes, quatuor ex ducibus eorum occiderunt, & victoriam in tempore opportuno dedit ſuis Dominus omnipotēs. Cum ergo fugiſſent Daci ad caſtrum, fecit Rex aquam Luye findi in tria brachia, ne puppes ſuas per eam reducere poſſent. quod Daci comperientes relictis puppibus perrexerunt vſque ad Quadruge iuxta Sauernam, & ibi caſtrum fecerunt, & ibidem hyemauerunt, commendatis vxoribus ſuis in Eſtangle. Rex vero cum exercitu perſecutus eſt eos. at Londonienſes puppes Dacorum relictas quaſdam ad Londoniam duxerunt, quaſdam combuſſerunt. Hi igitur his tribus annis prædictis, ſcilicet ex quo Daci ad portum Limene appulerunt, Anglis multa mala fecerunt, ſed & ipſi multo plura tolerauerunt. Anno vero quarto diuiſus eſt exercitus partim in Nordhumbre/ & partim in Eſtangle. pars vero transfretans iuit in Secanā: poſtea tamen quædam puppes Dacorum venerunt iuxta littora Weſtſexe/ quæ crebris irruptionibus ſæpe prædantes & ſæpe pugnantes cladem non modicam prouincialibus Weſtſexe contulerunt. De multis vero conflictibus vnum pertractabo, quia inſoliti fuit euentus. Rex *Alfredus* naues longas ſcilicet 40. remorum vel plurium fecit parari contra puppes Dacorum prædictas. ſex autem puppes Dacorum, cum in quodam littore Dauenſcyre ſtarent, preoccupauerunt eas nouem regiæ naues. Quod Daci videntes tres rates cōtra eos commouerunt. alię namq; tres ſtabant in littore immobiles nereo ſcilicet retracto. ſex igitur puppes Anglorum pugnauerunt contra tres puppes Dacorum. Tres vero reliquæ progreſſæ ſunt ad tres naues Dacorum in littore ſtantes. Tres igitur naues Dacorum contra ſex deſperate & omnino audaciſſime & diu pugnantes conflictum aſperrimum peregerunt. Vicit tamen numerus maior, duæq; rates Dacorum captæ ſunt. tertia vero aufugit, omnibus tamen occiſis, qui inerant, præter quinq;. Hoc autem perpetrato, cum ad naues ſociorum, quæ iuxta puppes Dacorū ex aduerſo littore erant, reuerti vellent, exiccatæ ſunt: quod Daci videntes egreſſi de tribus puppibus pugnabant contra gentem Anglorum, quæ erat in tribus ratibus. Videres autem gentem ſex nauium bellum aſpicientem & auxilium ferre nequientem, pugnis cædere pectus, & vnguibus rumpere crines. Angli tamen viriliter agebant, & Daci fortiſſime inſtabant. ceciderunt ex Anglis 42. & ex Dacis 120. Daci tamen *Lucheman* præpoſitum regalis exercitus acrius inſiſtentem occiderunt. ob quam rem Angli dū paulatim cederent, Daci pene victores viſi ſunt. Sed ecce,

mari redeunte ad puppes Daci maris alta inuadunt, quos poſtea 9. puppes Anglorum ſero & fruſtra perſecutæ ſunt. Ventus vero aduerſus victores Dacos aggreditur, & duas ex puppibus eorum ad terram proiecit, vnde homines capti & adducti ad Regem, omnes ſuſpenſi ſunt apud Winceſtriam, qui vero in tertia puppe erant valde ſauciati appulerunt in Eſtangle. Eodem anno perierunt 20. naues cum hominibus iuxta auſtralia littora.

Alfredus rex, cum regnaſſet viginti octo annis & dimidio ſuper totam Angliam, præter illas partes quæ ſubditæ erant Dacis mortis ſenſit aculeum. De cuius regimine laborioſo & inextricabili vexatione verſifice proloqui dignum duximus.

Nobilitas innata tibi probitatis honorem
Armipotens Alfrede *dedit, probitasq́; laborem,*
Perpetuumq́; labor nomen. cui mixta dolori
Gaudia ſemper erant, ſpes ſemper mixta timori.
Si modo victor eras, ad craſtina bella pauebas.
Si modo victus eras, ad craſtina bella parabas.
Cui veſtes ſudore iugi, cui ſica cruore
Tincta iugi, quantum ſit onus regnare, probarunt.
Non fuit immenſi quiſquam per climata mundi,
Cui tot in aduerſis vel reſpirare liceret.
Nec tamen aut ferro contritus ponere ferrum,
Aut gladio potuit vitæ finiſſe labores.
Iam poſt tranſactos vitæ regniq́; dolores,
Chriſtus ei ſit vera quies, ſceptrumq́; perenne.

Edwardus filius Regis *Alfredi* paternum regnum tenuit. 24. annis * *Edwldus* vero frater ſuus iunior accepit vxorem, & ſaiſiuit Winburnam ſine voluntate tam regis quam nobilium regni. quapropter iuit rex *Edwardus* cũ exercitu vſq; ad Batham iuxta Winburnã. *Edwldus* autem cum hominibus ſuis in Winburna permanens ianuis clauſis dicebat, quia ibidem perſiſteret aut occumberet. Nocte tamen inde recedens iuit ad exercitum, qui erat in Nordh. Illi vero nobilitati iuuenis congaudentes conſtituerunt eum regem & principem ſuper reges & duces ſuos. Rex autem ſaiſiuit vxorem eius, quam iuuenis prædictus vltra vetitum Epiſcopi duxerat, quia ſacrata fuerat in ſanctimonialem. Eodẽ anno obierat *Edred* dux * Dauene vno menſe ante obitum *Alfredi* regis, qui cum eo multa fidelis & fortis geſſerat bella.

al. AEdelwoldus. *al. Daneſcyre.*

Edwardi regis anno tertio, *Edelwoldus* frater regis coactis viribus duxit nauigium immenſum in Eſtſexe/ & Eſtſexenſes ſine mora ſubditi ſunt. Anno vero ſequente duxit exercitum grauiſſimum in Merce/ & prædauit eam vndiq; vſq; ad Cricalade. Ibique tranſiens Tameſim cepit * Inbrithenten/ & circumquaq; quicquid aderat. Sicq; patrato facinore ciſuo domum reuerſi ſunt cum gaudio. At Rex *Edwardus* congregans exercitum quam citius potuit, iuit poſt eos & terram eorum totam prædatus eſt inter * Dicum & Vſam vſque ad paludes in * Nordhumbre: poſtea cum inde recedere vellet, præcepit per totũ exercitum ſuum, vt omnes ſimul recederent. & receſſerunt omnes præter Centenſes, qui remanſerunt vltra præceptum regis, & rex miſit propter eos 7. nuntios. Tunc exercitus Dacorum ibi eos intercepit, & pugnauit cum eis, ibiq; occiſus eſt *Siulf* dux, & * *Sigbelm* dux, & *Adelwald* baro regis, & *Cenwlf* abbas, & *Sigebricht* filius *Siulfi*, & *Edwold* filius *Accæ*, & plures alii, licet ditiores nominentur. Et ex parte Dacorum occiſus eſt rex *Eoric & Edeluoldus* iuuenis, quem elegerant in regem, & *Beorthſigt* filius *Brithnodi Adeling*, & *Hiſſebold*, & * *Occelhold*, & plures alii, quos omnes nominare nequiuimus, & multus populus cecidit ex vtraq; parte, & ex parte Dacorum plures occiſi ſunt, licet ipſi victoriam obtinuiſſent. Hoc eodem anno obiit *Ealcſwid* vxor Regis *Edwardi*.

al. Inbrethdẽne. *al. Ducũ.* *al. Nord.* *al. Sigbelm.* *al. Oſceteltbold.*

Edwardus rex anno quinto conſtituit inducias cum Eſtanglis & Nordhumbris apud Itingforde. Anno vero ſequenti miſit exercitum rex fortiſſimum ex Weſtſexe & Merce, qui prædam maximam ceperunt ab exercitu, qui erat in Nordhumbre/ tam hominum quam animalium. Multiſque Dacorum occiſis manſerunt in terra eorum quinque hebdomadis prædantes. Anno ſequenti exercitus Dacorum venit in Merce prædatum. Rex autem congregauerat centum puppes: & miſit eas contra exercitum, quas poſtquam comperuit exercitus, putauit ab eis habere auxilium, & quod ſecurius poſſent ire quoquo vellent. Porro Rex miſit exercitum poſt eos Weſtſexe & Merce, qui conſecuti ſunt eos à tergo, cum domum reuerterentur, & cum eis pugnauerunt. Bellum ingens eſt commiſſum. Contriuit autem Dominus infideles contritione magna, & ex eis multa millia mors cruenta deuorauit, corrueruntq; principes eorũ in cõfuſione, & deuorati in puluere for-

ſorduerunt. Occiſi namq; Rex *Haldene*, & Rex *Eolwlf*, & *Vthere* conſul, & *Owlſhold*, & *Beneſinghold*, & *Hanlaſinger*, & *Wrſerhold*, & *Oſſerhold*, & *Oſſerdhlyte*, & *Hahmundhold*, & *Gudſerdhold*, & alius *Gudſerd*. Serui autem Domini victoria tanta potiti, exultantes in Deũ viuum, in hymnis & concentibus dominum exercituum benedicebant. Anno ſequente defuncto *Edredo* duce Merce, Rex *Edwardus* ſaiſiuit Londoniam, & Oxinefordiam, omnemq; terram Mercenſi prouinciæ pertinentem.

Edwardus Rex anno 9. Regni ſui conſtruxit Herefordiam caſtrum non immenſum ſed pulcherrimum inter Beneficiam, & Mimeram, & Lune flumina non profunda ſed clariſſima. Eodem anno conſtruxit burgum quendam Witham in Eſſere/ & interea manebat apud Mealdune: & ei ſubdita eſt magna pars gentis illius, quæ prius erat in ſubditione Dacorum. Sequenti vero anno exiit Dacorum exercitus ab Hamtonia & Legeceſtria, & fregerunt inducias, quas Rex iis dederat, & fecerunt cædem magnam Anglorum apud Hocheneretune, & ibi circum in Oxinefordſcyre. Et poſtquam domum redierunt, ſtatim exiit alia caterua, & iuit ad Ligetune. Gens autem patriæ illius eos comperiens pugnauit cum eis, & eos fugauit, & totam prædam, quam ceperant, eis abſtulit, & etiam equos eorum.

Edwardus Regis anno vndecimo venit magnus naualis exercitus ab auſtro ex Lidwicum & duo conſules * *Vther* & *Rahald*, & circuierunt in Weſt/ quouſq; venerunt ad littus Sauerne, & ibi prædati ſunt in Nordwales, vbicunq; poterant iuxta littora, ceperuntque *Camelegeac* Epiſcopum, & duxerunt eum ad puppes ſuas. Rex autem *Edwardus* redemit eum quadraginta libris. Poſtea exercitus exiit volens prædari ſuper Yrcingafeldas, & tunc obuiauerunt eis Legeceaſtrenſis, Herefordienſeſq; & homines ex aliis caſtris, quæ ibi erant propinqua, & cum eis pugnantes eos fugauerunt: occideruntq; *Rahald* conſulem, & *Geolcil* fratrem *Vtheri* conſulis, magnamq; partẽ exercitus, & fugauerunt eos in caſtrum quoddam obſidentes eos ibi, quouſq; illi dederunt eis obſides iurauerùntque ſe receſſuros à terra Regis. Rex autem fecit cuſtodiri littora Sauerne ex auſtrali parte à Walia vſq; ad Afenam, ita quod ipſi nullo modo ex illa parte irrumpere præſumpſerunt. ipſi tamen bis furtim exierunt, vna vice ex orientali parte Weced, alia vice apud Pordacan: & vtraque vice pauci euaſerunt, qui occiſi non eſſent præter illos, qui poterant natare ad puppes. Et tunc manſerunt in inſula Stepen cum magna miſeria, ita quod cibus eis defecit, & multi fame mortui ſunt, quia cibum conquirere nequibant. Tunc receſſerunt ipſi in Diomedum, & inde in Hyberniam. Eodemq; anno Rex *Edwardus* iuit cum exercitu ad Buchingaham, ibiq; manſit quatuor hebdomadis, fecitque vallum ex vtraque parte aquæ, antequam inde receſſiſſet. Et *Turchefel* conſul ibi ſubditus eſt Regi: omneſq; conſules & meliores barones, qui appendebant ad Bedefordiam, & plures ex illis, qui appendebant ad Hamtoniam.

al. Vhter.

Edwardi Regis anno duodecimo fuiſſe prælium apud Holme inter Centenſes & Dacos ſcripturæ veterum dicunt. quis autem victor fuerit nonne indeterminatum relinquunt? ſecũdo ab hoc ãno luna valde obſcurata eſt, & magno fuit horrori videntibus. Tertio ãno apparuit cometa. quarto anno Legeceſtria renouata eſt, quinto anno corpus ſancti *Oſwaldi* tranſlatum eſt à Bardenei in Merce. ſexto anno Anglici & Daci pugnauerunt apud * Totanhale. Quis autem cunctorum horrendos aggreſſus, ignitas colliſiones, formidabiles tinnitus, feras irruptiones, miſerabiles occaſus, clamores horriſonos, ſcriptis exequetur? Tandem ſuos diuina pietas victoria decorauit, & Dacos infideles cæde ſimul & fuga dehoneſtauit. Eodem anno * *Edelfled* domina Merce, quæ ſub *Etheredo* patre ſuo infirmo regnum Merce regebat, conſtruxit burgum Bruneſburih.

al. Totenhale.

al. Adelfled.

Edwardi Regis anno 18. mortuus eſt *Ethered* dominus Merce, pater *Edelfled*, qui fuerat diu infirmus, & dedit terram ſuam filiæ ſuæ, quia nullum filium habebat. Secundo ab hoc anno *Edelfled* domina Merce conſtruxit burgum ad Scoriate & eodem anno burgum apud Bruge. tertio anno *Edelfled* domina Merce conſtruxit burgum Tamewrthe in principio æſtatis: & ante Auguſtum, illum apud Stafforde. quarto *Edelfled* domina Merce conſtruxit burgum Edesbirh in principio æſtatis, & in fine Auguſti illum apud Wirenegewic: quinto *Edelfled* domina Merce conſtruxit burgum apud Cereburih poſt natale, & illud apud Wardebirh in æſtate, & eodem anno illum apud Rumcouen. ſexto miſit exercitum in Walliam, Walenſibuſque victis fregit Brecanammere/ in qua cepit vxorem Regis Walenſis cum 31. hominibus. ſeptimo EDELFLED domina Merce adquiſiuit Derbi cum prouincia ei appendicia. cum autem multitudo hoſtium intra Derbi concluſa, egredi contra eam non auderet, caſtellum acerrime inuaſit, & in ipſo portæ introitu prælii maxima vis exarſit, vbi quatuor duces fortiſſimi *Edelfled* cæſi ſunt. ſed ſui nihilo-

minus portam & muros fregerunt. octauo *Edelſled* domina Merce conquiſiuit Legeceſtriam, & maior pars exercitus, qui ibi erat, ſubdita eſt, Eboracenſeſq; illi promiſerant, & quidam eorum fidem dederant, quidam vero iurauerant quod forent in auxilium eius. Poſt illam autem conuentionem ipſa obiit apud Tamewrthe, duodecim diebus ante feſtum S. *Iohannis*, octauo anno, ex quo obtinuit dominium Merce, & ſepulta eſt apud Glouceſtre in porticu ſancti *Petri*. Hæc igitur domina tantę potentiæ fertur fuiſſe, vt à quibuſdam non ſolum domina vel regina, ſed etiam Rex vocaretur ad laudem & excellentiam mirificationis ſui. Et vt æſtimatum & dictum eſt, niſi fati velocitate prærepta fuiſſet, viros virtute tranſiſſet vniuerſos, vnde ad tantæ probitatis memoriam, camœnam diuturnitatis largitricem vel pauca dicere compulimus.

Ô Elfleda *potens, ô terror virgo virorum,*
victrix naturæ, nomine digna viri.
Tu quo ſplendidior fieres, natura puellam,
te probitas fecit nomen habere viri.
Te mutare decet, ſed ſolam, nomina ſexus,
tu regina potens, rexq́; trophæa parans.
Iam nec Cæſarei *tantum meruere triumphi,*
Cæſare *ſplendidior virgo virago vale.*

Edwardus Rex viceſimo ſexto anno regni ſui exhæredauit ex Dominio Merce totius *Alfwen* ſororem *Adelſled*, quæ poſtea regnum illud tenuit, magis curans an vtiliter vel inutiliter, quam an iuſte vel iniuſte. Poſtea vero conſtruxit burgum apud Glademuthan. Nec longe poſt migrauit à corpore apud Ferandune, & *Alfwarde* filius eius cito poſt patrem defecit apud Oxineforde, & ſepulti ſunt apud Winceſtre. Nec multo ante *Sedric* Rex Nordhumbre occiderat fratrem ſuum *Nigellum*, quo ſcelere patrato Rex *Reginaldus* conquiſiuerat Eouirwic.

Adelſtan filius *Edwardi* electus eſt Rex in Merce, & ſacratus apud Kingſtun, qui regno quidem parum vixit, ſed clare geſtis non parum ſplenduit: quia fortiſſimis laceſſitus, ſed bello nunquam potuit vinci. Curriculo ſiquidem ſequentis anni *Gudfridum* Regem Dacorum, patrem *Reginaldi* prædicti regis bello laceſſitus, bello repulit, repulſum fugauit, fugatum perdidit. Nec multo poſt aduerſa percuſſus fortuna, fratrem ſuum *Edwinum* magni vigoris iuuenem, & bonæ indolis, maris fluctibus flebiliter amiſit. At vero rex *Adelſtan* his tranſactis gentem perfidam Dacorum, & inſidam Scottorum in exterminium traducere diſponens, confertiſſimum duxit exercitum terra & mari in Nordhumbram, & Scotiam. cui cum non eſſet, qui reſiſtere inciperet, vel qui reſiſtere perſiſteret, vbique terrarum progrediens, & pro libitu prædans, cum triumphali rediit lauro.

Adelſtan Rex anno gratiæ 945. Regni vero ſui anno quarto commiſit prælium ad Bruneburh præliorum maximum contra *Anlaf* Regem Hyberniæ, qui vires ſuas gente Scottorum & Dacorum in Anglia conuerſantium adauxerat. De cuius prælii magnitudine Anglici ſcriptores quaſi carminis modo proloquentes, & extraneis tam verbis quam figuris vſi, translatione fida donandi ſunt, vt pene de verbo in verbum eorum interpretantes eloquium, ex grauitate verborum grauitatem actuum & animorum gentis illius condiſcamus.

Rex Adelſtan *decus ducum, nobilibus torquium dator, &* * *frater eius* Edmundus *longa ſtirpis ſerie ſplendentes percuſſerunt, in bello acie gladii apud* Bruneſburh, *ſcutorum muros fiderunt, nobiles ceciderunt, domeſtica reliquia defuncti* Edwardi. *Sic namque iis ingenitum fuerat à genibus cognationum, vt bellis frequentibus ab infeſtis nationibus defendere, vt patriæ theſauros, & domos, pecunias, & xenia. Gens vero Hybernenſium, & puppium habitatores fatales corruerunt, colles reſonuerunt: ſudauerunt armati, ex quo ſol mane prodiit micans hilariter, lætificans profunda, Dei luminare, fax creatoris, vſque quo idem nobilis ductor occaſu ſe occulit. Ibi viri iacuerunt multi à Dacia ortundi, telis perforati, ſub ſcutis lanceati, ſimul & Scotti bello fatigati. Gens vero* Weſtſexe *tota ſimul die prius electi, poſt indefeſſi, inuiſæ gentis globos ſtrauerunt. viri elegantes haſtas cedebant, viri Mercenſes acuta iacula mittebant duro manus ludo. ſanitas ibi nulla his, qui cum* Anlauo *trans maris campos in ligni gremio terram petierunt Marte morituri. Quinque occubuerunt in loco belli reges iuuenis gladiis percuſſi, duceſque ſeptem Regis* ANLAVI, *abſque numero ceciderunt Scotti, deperiitque Normannorum tumor; nec enim paucos ad litem belli duxerant ſecum. Cum paucis vero in maris fluctus rex naui prouectus intrinſecus gemebat. Simul &* Froda *ductor Normannus cumque ſuis noti dux* Conſtantinus *de martis congreſſu iactare nequiuerunt, vbi cognationis ſuæ fragmen apparuit, vbi amici ſui corruerant in ſtatione populi bello proſtrati, & filium*

al. filius.

ſuum

ſuum in loco prælii vulneribus demolitum charum reliquit. Nec Gude *Dacus declamare potuit, licet verbis blandus, & mente vetuſtus. nec* Anlaf *ipſe cum reliquiis ſuis mentiri potuit, quod ad hoc negotium ſui præſtiterint in campo belli, ictuum immanitate, telorum transforatione, in concilio proborum, Matres vero & nurus planxerunt ſuos belli alea cum* Edwardi *filiis luſiſſe. Cum Normanni nauibus clauatis, &* Anlaf *labefactus vltra profundum flumen terras ſuas mœſto animo repetiſſent. Poſtea frater vterq; redit* Weſtſexe *belli reliquias poſt ſe deſerentes, carnes virorum in eſcam paratas. Ergo coruus niger ore cornutus, & buffo liuens, aquila cum miluo, canis, lupuſq; mixtus colore: his ſunt delitiis diu recreati. Non fuit bellum hac in tellure maius patratum, nec cædes tanta præceſſit iſtam, poſtquam huc venerunt trans mare latum Saxones & Angli, Brittones pulſuri: clari Martis fabri Walenſes vicerunt, reges fugauerunt, regna ſuſceperunt.* His cauſa recreandi interpoſitis ad hiſtoriam redeamus.

Adelſtanus rex cum regnaſſet quatuordecim annis hominibus vltra non apparuit. ſucceſſit autem ei in regno *Eadmundus* filius ſuus, & regnauit *ſex annis & dimidio. cuius regni anno quarto occiſus eſt per proditionem regis Franciæ, *Willielmus* filius *Rollionis*, qui terram, quæ vocatur Normannia, à rege Franciæ conquiſierat. A *Rollione* autem gẽs Normannorum duxit originem. *al. nouem*

Eadmundus rex ducens exercitum in illam partem Merce, quæ paganis diu ſubdita fuerat vſq; ad latiſſimum flumen Humbre, belli ſorte Dacos vicit, & quinq; vrbes victorioſus cepit Lincolniam, Legeceſtriam, & Stanfordiam, & Snotingham, & Derebi. Dacos igitur, qui etiam eo tempore Normanni ſunt vocati, penitus extirpauit, & ab vrbibus prædictis infidelitate remota Dei gratia fidei fulgorem reſtituit. Eo in tempore obiit rex *Anlaf*, de quo prædiximus. poſtea vero rex *Eadmundus* ſuſcepit quendam alium *Anlaf* regem Dacorum in baptiſmate tam viribus regis cedentem, quam prædicationi credentem. Et poſt paucos dies *Reginaldum* regem Eboracenſem (de quo prædiximus) quia Eboracum conquiſierat tenuit ad manum Epiſcopi.

Edmundus rex cum rediſſet ad Weſtſexe & honorabili triumpho ſuſceptus eſſet, reges prædicti Dacorum ſcilicet *Anlaf* filius *Sidrici* & *Reginaldus* filius *Gudferdi* fregerunt pacem, quam cum eo conſtituerant, deprædantes in parte regni ſibi direpta. Rex igitur fortiſſimus *Eadmundus* cum militari copia prouectus in Nordhumbre bello commiſſo reges vtroſq; & à regno fugauit, & Nordhumbram primus regum Weſtſexe in dominio proprio tenuit. Sequenti vero anno totam Cumberland, quia gentem prouinciæ illius perfidam & legibus inſolitam ad plenum domare nequibat, prædauit & contriuit. & commendauit eam *Malculmo* regi Scotiæ hoc pacto, quod in auxilio ſibi foret terra & mari.

Edmundus rex inuictus cum regnaſſet fœliciter ſex annis & dimidio, & omnia ei proſpere contigiſſent, & ſolus diceretur rex in Anglia, nefanda proditione confeſſus eſt, & omnibus ſeculis deteſtanda die ſancti *Auguſtini*. cui morte inæſtimata prærepto parcat *Chriſti* pia benignitas.

Edredus frater *Eadmũdi* regis, filiuſq; regis *Adelſtani* fratri ſuo ſucceſſit in regno: & eodẽ anno Nordhumbras iugum dominationis ſuę ferre nolẽtes, cum valida armatorum manu petiit, totamq; ſibi conquiſiuit. Inde vero in Scotiam vexilla direxit. Scotti igitur nimio terrore perculſi, ſine bello ſubdiderunt ſe regi, & iurauerunt ei tam Nordhumbri quam Scotti debitam domino fidelitatem. quod tamen iuramentum diu non durauit.

Edredo namq; reuerſo in auſtrales regni ſui partes, *Anlaf*, qui à regno Nordhumbre aufugatus fuerat, rediit cum magna claſſe in Nordhumbram, & cum gaudio ſuſceptus eſt à ſuis, & regno iterum reſtitutus, quod in fortitudine tenuit quatuor annis. Quarto autem anno ſolita infidelitate vtentes Nordhumbri fugauerunt regem eorum *Anlaf*, & ſuſceperunt *Hirc* filium *Haraldi* in regem. ſed ille iterum breui tenuit regnum.

Edredus rex 7. anno regni ſui receptus eſt iterum in regno Nordhumbre. gens namque patriæ illius dominum diu non perferens, vnum tertio anno regni ſui *Hirc* filium *Haraldi* vt leuiter acceperat, leuiter abiecerat, & regem *Edredum* ad ſe ſponte vocatum regni ſede reponunt.

Edredus rex eximius & inuictus cum ſuper omnes partes Angliæ tandem rex ſolus regnaſſet fatis exigentibus hominem exuit octauo anno poſtquam diadematis inſigni ſublimatus fuerat.

Edwi filius regis *Edmundi* ſuper vniuerſam Angliam poſt hunc regnauit. *Edmundus* namq; filius *Adelſtani* probiſſimi regis, filii *Edwardi* fortunati principis, filii *Alfredi* laborioſi ducis, filii *Edelwlfi* magni patris, filii *Egbricti*, qui regnum Weſtſexe maxime primus in ſublime prouexit, & in monarchiam ſuæ fortitudinis diligentia protelauit, duos filios habuit, *Edwi* primogenitum, & *Edgar* minorem, quos ſecundum ordinem natiuitatis

ordo regnandi diſpoſuit. Secundo autem anno regni eius *Wlſtan* archiepiſcopus vitali priuatus eſt aura. Rex autem prædictus *Edwi* non illaudabiliter regni inſulam tenuit.

Edwi rex anno regni ſui quinto cum in principio regnum eius decentiſſime floreret, proſpera & lætabunda exordia mors immatura perrupit.

Edgarus pacificus, frater regis prædicti 16. annis regnauit. in diebus eius hæc terra maxime meliorata eſt, & Dei omnipotentis gratia, quam ipſe pro poſſe ſuo deuotiſſimus meruit, ſemper dum vixit in pace regnauit. Ille namque *Chriſti* fidem in regno ſuo validiſſime dilatauit, & opera ſalutis exemplo ſuo clariſſime fœcundauit. Dilectus namq; Deo & hominibus gentes terræ ſuæ ſemper pacificare ſtuduit, nec aliquis prædeceſſorum ſuorum tanta pace & gaudio regnum tenere potuit. Ipſe ſiquidem nomen Dei honorabat, & de lege Dei ſępius inquirens libenter eam diſcebat, & gaudenter docebat, & verbis & operibus populum ſuum bonorum operum exercitationi promptus inuitabat. Domini autem omnipotentia ſeruo ſuo *Edgaro* bene geſta non ſolum in futuro, verum etiam in præſenti ſeculo retribuit, quia regulos omnes & conſules & patriæ totius gentem cum tremore & amore pro velle ſuo ſubdidit, abſque prælio & aliqua Martis perturbatione. fama vero & nomen regis clariſſimum terris vniuerſis dilatabatur ampliſſime, & veniebāt extranei videre gloriam eius & audire doctrinam oris eius. In hoc tamen peccabat quod paganos eos, qui in hac patria ſub eo degebant, nimis firmauit, & extraneos huc adductos plus æquo diligens valde corroborauit:

Nihil enim in rebus humanis perfectiſſimum eſt.

Edgari pacifici anno 5. *Edelwaldus* venerabilis fœliciter epiſcopatū Wínceſtre ſuſcepit. Hic ſecūdo epiſcopatus ſui anno quoſdam canonicos in veteri monaſterio Wínceſtre degentes, & ordinem ſuum pigre & negligenter obſeruantes eiecit, & monachos impoſuit. Quæ eccleſia noſtris temporibus loco auulſa eſt: quia nimis coniuncta erat matri eccleſiæ, quę ſedes eſt epiſcopi. Conſenſu igitur epiſcopi & Abbatis eiuſdem monaſterii extra muros vrbis fundata eſt. *Adelwaldus* vero egregius præſul ædificator ſepium fuit, auertens ſemitas iniquitatis, & plantans radices charitatis. Ipſe namq; ſeminator optimi conſilii fuit, cuius montis rex *Edgarus* nouellas plantationes & arbuſta teneritudinis Deo gratiſſima inſtituit. Abbatiam namq; Glaſtinbirḣ conſtruxit, Abbatiam Abancune ſuper Tameſim compoſuit, Abbatiam apud Burch prope Stanfordiam ſtabiliuit: Abbatiā Thornei prope illam, quæ eſt apud Burch in mediis paludibus, loco tamen amœniſſimo fixit. Conſilio etiam *Edelwoldi* epiſcopi, *Ailwinus* conſul eiuſdem regis Abbatiam Rameſci in inſula pulcherrima intra eaſdē paludes fixit. Eſt autem palus illa, de qua loquimur, latiſſima, & viſu decora multis fluuiis decurrentibus irrigata, multis lacubus magnis & paruis depicta, multis etiā ſiluis & inſulis florida: intra quā ſunt eccleſia Helienſis, Abbatia Rameſienſis, abbatia Chaterie, Abbatia Thorneie, abbatia Crulande, ſed iuxta eam ſunt abbatia Burgenſis, abbatia Spaldinge, eccleſia S. *Iuonis* ſuper Vſam fluuium Huntendoniæ, eccleſia S. *Egidii* ſuper Grentam fluuium Cantabrigiæ, eccleſia S. *Trinitatis* in Tedfordia.

Rex *Edgarus* vndecimo anno regni ſui iuſſit prædari inſulam Tenet, quia iura regalia ſpreuerant, non vt hoſtis inſaniens, ſed vt rex malo mala puniens.

Edgarus rex 13. anno regni ſui ſacratus eſt in die Pentecoſtes apud Baḣam: inde vero poſt pentecoſten duxit exercitum ſuum ad Legececeſtre, vbi venerunt contra eum ſex reges, qui omnes ditioni eis ſubiecti ſunt, & omnes illi domino debitam dederūt fidem ſe terra & mari ſeruituros ei ad eius imperium.

Edgarus pacificus rex, magnificus, *Salomon* ſecundus: cuius tempore nunquam exercitus aduenarū venit in Angliam, cuius dominio reges & principes Angliæ ſunt ſubiecti; cuius potentiæ Scotti etiam colla dedere; cum regnaſſet ſedecim annis & duobus mēſibus fœliciter viuens fœliciter obiit. nec potuit male mori, qui bene vixerat, qui tot Eccleſias Deo fundauerat, qui tot bona perennia breui tempore ſtatuerat. cuius plantationum gratiæ quanto inſtantius Deum laudare non ceſſant, tanto beati regis in cœleſtibus gloria creſcere nō deſiſtit. De cui⁹ laude muſam aliquātulū dicere pro meritis ꝓmouim⁹.

Auctor opum, vindex ſcelerum, largitor honorum,
ſceptriger Edgarus *regna ſuperna petit.*
Hic alter Salomon, *legum pater, orbita pacis;*
quod caruit bellis claruit inde magis.
Templa Deo, templis monachos, monachis dedit agros,
nequitiæ lapſum, iuſtitiæque locum.
Nouit enim regno verum perquirere falſo,
immenſum modico, perpetuumque breui.

Edwar-

Edvvardus filius *Edgari* regis, qui dicitur ſanctus, regnauit pro patre ſuo: cuius regni principio apparuit cometa, ſignum ſcilicet maximæ famis, quæ in anno ſequente ſecuta eſt. Tunc vero conſul quidam nequiſſimus *Elſere* nomine Abbatias plures, quas rex *Edgarus* & *Edelvvld* Epiſcopus conſtruxerant, quorũdam potentum aſſenſu & factione deſtruxit. inde dominus ad iram permotus priſtinam renouare ſtatuit cladem.

Edvvardi ſancti regis anno quarto, omnes optimates Anglorum ceciderũt à quodam ſolio apud Calne præter ſanctum *Dunſtanum*, qui trabe quadam apprehenſa reſtitit. vnde quidam eorum valde læſi ſunt, quidã vero mortui: Signum ſcilicet Dei excelſi fuit, quod proditione & interfectione regis ſui ab amore Dei caſuri eſſent, & a diuerſis gentibus digna contritione conterendi.

Edvvardus ſanctus cum quinque annis regnaſſet, occiſus eſt proditione gẽtis ſuæ perfide die adueſperaſcente apud Coruesgate: & inimicitias, quas viuenti ingeſſerant, in mortuum protelantes, ſepelierunt eum ſine regio honore apud Marham; vt ſicut vitam regis extinxerant, ita & nomen eius extinguerent. Hic vero compertum eſt, contra diuinam prouidentiam non ſufficere prauum cor hominis & inſcrutabile. Quem enim perfidi terris abiecerant Deus in cœlo glorioſe ſuſcepit: & memoria æterna inſigniuit eum Dominus, cuius mentionem proditores obnubilare ſtuduerant. Inde Dominus iterum ad iram promotus & plus ſolito irritatus genti peſſimæ malum inextricabile conferre cogitauit. *Dicitur autem, quod nouerca eius mater ſcilicet regis* *Edelredi *dum ciphum ei porrigeret, cultello percuſſerit.* [al. Ailredi]

**Edelred* filius *Edgari* regis & frater *Edvvardi* coram ducibus Anglorum ſacratus eſt in regem apud Kingſtun omine ſiniſtro ſicut de eo cum paruulus eſſet ſanctus *Dunſtanus* prophetauerat. [al. Adelred] Minxit namq; cum baptizaretur in ſacro fonte. Vnde vir Domini exterminium Anglorum in tempore eius futurum prædixit. Poſt paruum vero tempus, ex quo *Edelred* regnauit, tranſtulit *Alfere* cõſul corpus ſancti *Edvvardi* à Marham ad Scaftesbirh cum debito honore nutu Dei compellante. Venerũt autem tertio anno regis *Edelredi* ſeptem puppes Dacorum quaſi prænuntiæ futuræ vaſtationis, & prædauerunt Hamptune. Poſtea vero *Alfere* cõſul vitam deſeruit, cui ſucceſſit *Alfricus*, quem rex crudeliter exulauit. Eo tempore ſanctus *Adelvvold* Epiſcopus pater monachorum, & fidus Anglorũ Domini viſionem, quam ſemper optabat, adeptus eſt. Nec longe poſt ſanctus *Dunſtanus* Archiepiſcopus à mundi tenebris tranſiit ad cœli gloriam. His autem duobus luminaribus Anglorũ genti ſubtractis caruit Anglia lorica protectionis ſuæ, & vindictæ Dei præmeditatæ deſolata patuit. Succeſſit vero ſancto *Dunſtano Adelgarus*, *Adelgaro* vero poſt annum *Siritius*. Rex autem *Edelred* crudeliter deſtruxerat Epiſcopatum Roueceaſtre. inde iterum Dominus ad iram promotus, quod facere parauerat, non diſtulit. veneruntq; Daci ex multis partibus, & operuerunt Angliam quaſi nubes cœli. ex vna igitur parte *Wechportte prædata eſt. [al. Wechport] Inde autem Daci progredientes exercitui Anglorum obuiati ſunt. qui confligentes **Gadam* ducem eorum occiderunt, & partem illam exercitus in exterminium redegerunt. [al. Godam] Ex alia vero parte Wic prædata eſt. *Britnod* vero conſul cum magnis viribus obuians eis, pugnauit & victus eſt, & gladiis cæſus occubuit, & phalanges eius in perniciem redactæ ſunt.

Edelredi regis anno decimo tertio primum ſtatuerunt Angli conſilio infauſto *Siricii* Archiepiſcopi, quod ipſi cenſum Dacis perſoluerent, quatenus à rapinis & cæde ceſſarent. & dederunt eis decem mille libras. Hoc autem malum vſq; in hodiernum diem durauit, & diu, niſi Dei pietas ſubueniat, durabit. Regibus namq; noſtris modo perſoluimus ex conſuetudine, quod Dacis perſoluebatur ex ineffabili terrore. Poſt hæc rex Dacis inſidias molitus eſt. *Alfric* vero cõſul, quem rex exulauerat, & poſtea tamen receperat, præmunire fecit exercitum. Iure autem dicitur: *quem ſemel grauiter læſeris, non facile tibi fidelem crediderit*. Cum ergo veniſſet regia claſſis a Londonia, quibus præerant *Alfricus* & *Toroldus* conſules, vt interciperent Dacos; præmoniti omnes euaſerunt. Tunc exercitus maior Dacorum obuiam puppibus regiis venerunt, qui nauali prelio pugnantes & multos Londonienſium cædentes, puppes totas armatas triumphoſe ceperunt, & *Alfricum* conſulem qui inerat. Eodẽ anno S. *Oſvvaldus* Eboracenſis Archiepiſcopus tranſit ad gloriam cœli. & *Eadvvlf* ſuſcepit ſedem Euervvic: ex inde Bebanburh fracta eſt & prædata, & poſt inde meauit exercitus in Humber, & prædati ſunt ex vtraque parte in Lindeſey & Nordhumbre. At vero Angli militaribus copiis aggregatis cum contra eos acies direxiſſent, ante ipſam colliſionem inceperunt fugam *Frena* & *Godvvine*, & *Fridegiſt*, qui duces erant exercitus Anglorum. Ea tempeſtate fecit *Edvvinus* erui oculos

Alſgaro filio *Alfrici* conſulis, vnde odium & infamia eius crudelitatis adaucta eſt. Tunc *Richardo* veteri defuncto ſucceſſit *Richardus* filius eius in Normannia. His tranſactis *Anlaf* & *Suain* Londoniam impetierunt cum nonaginta quatuor nauibus in natiuitate Sanctæ *Mariæ*. Cuius glorioſæ virginis auxilio liberati ſunt Chriſtiani a Paganis. Vrbem namque aſſilientes, & flammis demoliri parantes, inæſtimata confuſione repulſi ſunt. Quamobrem ſpe fruſtrati in Eaſtſexe/& Cent/& Sudſexe/& Hamtuneſcire, acceptis equis ſæuiores ſolito perrexerunt, omnia cæde & incendio replentes. Idcirco rex miſſis nunciis promiſit cenſum eis & cibum, quod concedentes hyemauerunt in pace apud Hamtune. Rex autem *Edelred* mittens pro rege *Anlaf* datis obſidibus honorifice ſuſcepit cum apud Andoure: tenenſq; eum ad confirmationem Epiſcopi multis lætificauit muneribus. *Anlaf* itaque ſe nunquam amplius ſine pace venturum in terram Anglorum regi promiſit, promiſſumq; tenuit. His temporibus obiit *Siritius* Archiepiſcopus, poſt quem A*lfricus* pallio eſt potitus.

Edelredi regis anno decimo nono Daci circa Cornugalliam perrexerunt in Sauernam prædantes in Dauene & Sudwales/egredienteſq; ad Wecheport cum ferro & flamma inde reuerſi ſunt circa *Penwiſtrit, ex Auſtrali parte, venienteſq; in Tamremutham, & inde apud Lideford facibus & flammis omnia commendabant, & monaſterium *Ordulfi* apud Eſingeſtoche combuſſerunt. His tranſactis perrexerunt hoſtes in Frondmudham exeunteſq; a puppibus perambulauerunt Dorſete cum clade ſolita nullo reſiſtente. Hoc tamen anno quandoq; perendinabant in Vecta inſula, & paſcebantur de Hamtuneſcire & Sudſexe. Poſt hæc vero venerunt in Tameſim, & inde per flumen Medewei ad Roueceaſtriam. Illic igitur Centenſes congregati ſunt cuneiſq; conſtructis acerrime bellum inceperunt. Daci vero ſemper & ſoli bello nitenti Martio tandem potiti ſunt campo. Exinde rex *Edelred* iuit in Cumberland cum exercitu grauiſſimo, vbi maxima manſio Dacorum erat: vicitq; Dacos bello maximo, totamq; fere Cumberland prædando vaſtauit. His actis venit quidam exercitus Dacorum ad Exammutham, & ibi caſtrum expugnare ſatagentes, viriliter reſiſtentibus ceſſerunt. Itaq; diffuſi ſunt per patriam circumquaq; cum ducibus ſolitis *Marte* & *Vulcano*. Congregati ſunt ergo contra eos Summerſeti & pugnauerũt apud Penho. Daci vero ſemper bellis exercitati belli fortuna potiti ſunt. Sed iam liber hic Dacorum magnitudinis ſuæ meritis termino donandus eſt.

* *al. Penwithſtrict*

More autem ſolito lux apertionis ex ordinata abbreuiatione genita, perſtrictis huius libri ſummitatibus, lectori diligenter anteponenda eſt.

De regno Canciæ pauca dicenda ſunt, ſiquidem cum *Egbrictus* rex Weſtſexe, *Balredo* fugato regnum Canciæ in domino ſuo tenuiſſet. *Adelſtano* filio ſuo moriens illud reliquit. *Adelſtano* vero ad fratrem *Edelulfum* regem Weſtſexe regnum illud rediit, quod cum hæreditario iure *Adelberto* filio ſuo reliquiſſet, & alius filius eius A*thelbaldus* rex Weſtſexe poſt 5. annos periiſſet, regnum vtrumq; A*delbricto* ſubditum eſt, & nunquam poſtea diuiſum. Hic igitur omnino regnum Canciæ explicit.

De regno vero Weſtſexe *hac elucidatio adhibeatur.*

Ethelwlfus regnauit 19. annis, victuſq; à Dacis apud Carrum, pernicioſe vicit eos apud Aclea.

A*thelboldus* filius regis prædicti regnauit quinque annis & ſepultus eſt apud Scireburnam.

Ethelbricht frater eius regnauit 5. annis, cuius duces & exercitus Dacos vicerunt apud Winceſtre.

A*thelred* frater eorum 5. annis, & paulo plus, qui contra Dacos apud Redingum mire cum fratre ſuo conflixit.

Alfredus regnauit 28. annis, & dimidio, de quo nihil breuiter dici poteſt, quia multa fecit & miranda.

Edwardus 23. annis, & pugnauit contra Dacos in Nordhumbre, & in egreſſione Merce, vicit eos glorioſe, & occidit reges fortes, vicit quoque Dacos apud Totenhale, & conquiſiuit Merce.

Adelſtan filius *Edwardi* quatuordecim annis, qui fecit maximum prælium apud Brunneburh.

Edmundus 6. annis & dimidio qui ſuper Dacos 5. vrbes cepit, & eiſdem victis Nordhumbram in dominio tenuit.

Edredus frater *Edmundi* 9. annis omnes Angliæ partes fœliciter obtinuit.

Edwi

Edwi filius *Edmundi* 4.annis eodem ſpatio & potentia tenuit.
Edgarus filius *Edmundi* 16.annis pacifice & glorioſius omnibus aliis imperauit.
Edvvardus rex Sanctus 5.annis regnum tenuit & fœliciter occiſus eſt.
Edelred frater eius ira Dei perturbatus ærumnóſe regnauit, de quo nobis multa reſtant dicenda.

De regno vero Nordhumbre pauliſper tangendum eſt. *Osbrictus* namq; tempore regis *Athelwlfi* regnauit ibidem quem more ſuo abiicientes conſtituerunt *Ellam* regem. Qui vtriq; cum à Dacis occiſi fuiſſent, regnauerunt Daci multo tempore in Nordhumbre: Scilicet rex *Haldene*, & *Gudfert*, & *Nigellus*, & *Sidric*, & *Reginaldus*, & *Anlaf*. Confuſe autem regnauerunt Daci, ita quod modo ibi rex vnus erat, modo duo, modo reguli multi. Poſtea vero *Edredo* regi Weſtſexe in dominium cótigit, & ſucceſſoribus eius. Hic igitur omnino regnum Nordhumbre explicit.

De regno vero Merce paucis dicendum eſt. *Brithulf* namq; rex Merce tertio anno regni ſui fugatus eſt à Dacis. *Burhred* etiam cum regnaſſet viginti & duobus annis fugatus eſt à regno. Daci ergo regnum illud ſibi cónquiſitum prius *Ceolwlfo* ad ſeruandum tradiderunt, poſtea vero ſibi minute diuiſerunt. itaq; pars patriæ & procerum quandoq; erat ſub legibus Weſtſexe. *Edmundus* vero rex Merce Weſtſexe totã ſibi in dominium ſubdidit. Hic igitur regnum Merce dominio Weſtſexe penitus ſubiectum explicit.

Regnum verò Eſtangle, quod dudum regnis aliis vt prædictum eſt variis modis ſubiectum fuerat, nunc reges Weſtſexe vel Cantiæ in dominio tenebant, nunc alicui vel aliquibus dabant. Igitur rex vnus ibi erat, aliquando multi alii reguli. vltimus tamen Anglorum ſub rege Weſtſexe regnauit ibidem *S. Edmundus* quo interfecto regnauit *Godrun* Dacus, poſtea regnum minutim Daci partiti ſunt, fuitq; ſub eis vſq; dum regi *Edvvardo* ex maxima parte ſubiecta eſt. Hic igitur regnum Eſtangle dominio Weſtſexe contingens explicit, & iam ad primordia cauſamq; aduentus Normannorum peruenimus.

HENRICI HVNTINDONIENSIS HISTORIARVM.

LIB. VI.

ANno milleſimo ab incarnatione Domini, *Richardi* Conſulis Normannorum filiam rex prædictus *Edelred* in coniugem aſſumere præcogitauit ad tuitionem regni ſui. Ille enim fortiſſimus erat, & omni regno Francorum formidabilis. Ipſe autem ſe ſuoſq; valde debilitatos videbat, futuramq; cladem nõ mediocriter horrebat. Hoc autem Dei nutu factum eſſe conſtat, vt veniret contra improbos malum. Genti enim Anglorum, quam ſceleribus ſuis exigẽtibus diſterminare propoſuerat, ſicut & ipſi Brittones peccatis accuſantibus humiliauerant, Dominus omnipotens duplicem contritionem propoſuit, & quaſi militares inſidias adhibuit. Scilicet vt hinc Dacorum perſecutione ſæuiente, illinc Normannorum coniunctione accreſcente, ſi ab Dacorum manifeſta fulminatione euaderent, Normannorum improuiſam cum fortitudine cautelam non euaderent. Quod in ſequentibus apparuit, cum ex hac coniunctione regis Anglorum & filiæ ducis Normannorũ Angliam iuſte ſecundum ius gentium Normanni & calumniati ſunt & adepti ſunt. Prædixit etiam eis quidam vir Dei, quod ex ſcelerum ſuorum immanitate non ſolum quia ſemper cædi & proditioni ſtudebant, verum etiam quia ſemper ebrietati & negligentiæ domus Domini dediti erãt, eis inſperatum à Francia aduenturum dominium: quod & eorum excellentiam in æternum deprimeret, & honorem ſine termino reſtitutionis euẽtilaret. Prædixit etiam, quod non ea gens ſolum, verum & Scottorum, quos viliſſimos habebant, eis ad emeritam confuſionem dominaretur. Prædixit nihilominus varium adeo ſeculum creandum; vt varietas, quæ in mentibus hominum latebat, & in actibus patebat, multimoda variatione veſtium & indumentorum deſignaretur. Hac igitur prouidentia cum legatariis ad ducem Normannorum miſſis rex Anglorum ſuæ petitionis conceſſionem obtinuiſſet, Statuto tempore tanto digno miniſterio ad dominam ſuam recipiendam & adducendam proceres Anglorum mittuntur in Normániam, quæ longo & digno regibus apparatu dirigitur in Angliam.

Milleſimo 2. anno *Emma* Normannorum gemma venit in Angliam, & diadema nomenq; reginæ ſuſcepit. Quo prouẽtu rex *Adelred* in ſuperbiam elatus, & perfidiã prolatus,

omnes Dacos qui cum pace erant in Anglia, clandeſtina proditione fecit mactari vna eademq; die, ſcilicet in feſtiuitate S. *Bricii*, de quo ſcelere in pueritia noſtra quoſdam vetuſtiſſimos loqui audiuimus: quod in vnamquamq; vrbem rex præfatus occultas miſerit epiſtolas, ſecundum quas Angli Dacos omnes eadem die & eadem hora vel gladiis truncauerunt impræmeditatos, vel igne ſimul cremauerũt ſubito comprehenſos. Eodem anno rex præfatus *Leſſium* ducem exulauit, quia *Effic* regis vicecomitem occiderat.

al. ſanguine.

Milleſimo 3. anno ira Daci exarſerũt digna, ſicut ignis, quem* ſanguine velit aliquis extinguere. Aduolantes igitur quaſi multitudo locuſtarum quidam Exaceaſtriam venerunt, & vrbem totam funditus deſtruxerunt, & omnia ſpolia ſecum, cineribus tantum relictis, deportauerunt. *Hugonem* vero Normannum, quem ibi iam regina *Emma* vicecomitem ſtatuerat in perniciem compegerũt. Congregatæ ſunt itaq; gentes Hamptuneſcire & Wiltuneſcire pugnatum cum exercitu. Cum autem appropinquarent ad prælium finxit ſe dux eorum *Alfricus* infirmum, & cogebat ſe ad vomitum: ſicq; gentem Anglorum, quam ducebat, prodidit. Et quoniam verum eſt quod vulgo dicitur. *Quando dux deficit exercitus vileſcit*, Daci videntes defectum hoſtium, perſecuti ſunt eos vſq; ad Wiltune, quam prædantes & comburentes venerunt ad Salcobiri & inde ad puppes ſuas cum præda & triũpho remearunt.

al. Wlfketel

Anno 4. *Suain* rex Dacorum fortiſſimus, cui Deus regnum Angliæ deſtinauerat, cũ nauibus multis venit ad Nordwic, & eã prædatus eſt, & cõbuſſit. Quod* *Vsketel* dux illius prouinciæ videns, fecit pacem cum exercitu, improuiſum eius aduentum ſuſtinere non ſufficiens. Infra pacem vero exercitus poſt tres hebdomadas furtim perrexit ad Tetforo, & eam prædatam combuſſit. Quod comperiens dux *Vlfketel* mane ex improuiſo cũ parua manu reuertenti ad puppes occurrit exercitui, quibus grauiter & diu reſiſtere, ſed nõ ſuffecit perſiſtere.

Anno 5. Daci redierunt in patriam ſuam. Ne tamen interea plaga carerent Angli, tanta deſolatio famis Brittanniam inuaſit, quantam nullus hominum meminiſſe potuit.

al. Swein

Anno 6. cum* *Suain* vir audaciſſimus cum magna claſſe rediſſet ad Sandwic, quem ſemper comitabantur tres ſociæ, prædatio, combuſtio, occiſio: frenduit omnis Anglia, & commota eſt velut arundinetum Zephyro vibrante colliſum. Rex autem congregato exercitu cum toto autumno contra eos perſiſteret, nihil profecit; illi namq; claſſem alio dirigentes ludum ſolitum exercebant. In principio vero hyemis in inſula Vecta manſerunt, & ſicut per prophetam dictum eſt, *Dies feſtos vertam in luctum*, in natale Domini perambulauerunt Hamtoneſcire & Bereſcire, vſque ad Redinge, inde ad Wallingford, inde ad Coſſeige, inde iuxta* Elendune ad Chichelmeslaue. Quocunque autem pergebant, quæ parata erant hilariter comedentes cum diſcederent, in retributionem procurationis reddebant hoſpiti cædem, hoſpitio flammã. Reuertentibus autem *Dacis* ad mare obuiauit exercitus Weſtſex & pugnauit cum eis. Quid autẽ aliud profecit, niſi quod ſpoliis ſuis Dacos victus ditauit. Vidit igitur gens Winceſtre exercitum hoſtilem, ſuperbum, & audacem iuxta portas vrbis tranſeuntem: & cibum, quem vltra 50. milliaria a mari conquiſiuerat, & ſpolia, quæ a bello victis acceperat, ſecum deferentẽ. Rex autem *Adelred* cum mœſtitia & confuſione erat ad firmam ſuam in Salopſcire, ſæpe rumorum ſauciatus aculeis.

al. Etſeſdune

Anno 7. rex & ſenatus Anglorum dubii quid agerent, quid omitterent, communi deliberatione grauem conuentionem cum exercitu fecerunt: & ad pacis obſeruationem 30. millia librarum ei dederunt. Eodem anno Dei prouidentia ad perniciem Anglorum factus eſt *Edricus* dux ſuper Merce, proditor nouus ſed maximus.

Anno 8. qui eſt annus 30. regni prædicti regis, fecit rex parari per totam Angliam ex 310. hidis nauem vnam, & ex octo hidis loricam & galeam. Hida autem Anglice vocatur terra vnius aratri culturæ ſufficiens per annum.

Anno 9. *Richardo* Normannorum duci miſit rex nuncios ſuos cauſa conſilii & auxilii poſtulandi. Puppes autem prædictæ cõgregatæ ſunt apud Sandwic, & viri optime armati. Nec fuit tantus numerus nauium tempore alicuius in Brittannia. Illuſit autem eos Deus. Siquidem rex exulauerat *Wlnod* puerum nobilem Sudſexe. Ille vero cum 20. nauibus cœpit prædari iuxta littora maris. Igitur *Brictric* frater ducis *Edrici* laudem ſibi volẽs adquirere, 80. ex puppibus prædictis ſecum duxit: & hoſtem viuũ vel defunctũ ſe regi allaturũ promiſit. Sed inter eundũ, ventus vltra modũ horribilis naues eius, omnes ad terrã pernicioſe iactauit. *Wlnod* vero ſuperueniens ſtatim eas cõbuſſit. Siniſtris angariatæ nunciis puppes reliquæ, Londoniam redierunt. Exercitus quoq; diuiſus eſt, & ſic omnis labor Anglorum caſſatus eſt. Tempore igitur meſſis venit exercitus Dacorũ nouus & innumerabilis apud Sandwic, & inde ad Cantuariã progreſſi ſtatim cepiſſẽt eam, niſi 3000. libras

dando

dando, ciues pacem impetraſſent. Daci ergo in Vectam deuenerunt: & inde Sudſexe & Hamtuneſcire, & Berceſcire prædati ſunt. Rex autem *Aedelred* collectis omnibus Anglorum viribus regredientibus Dacis obuiauit; finemq; ſæuitiæ eorum impoſuiſſet, niſi dux *Edricus* ſemper proditor rumoribus fictis, & terroribus falſis regi pugnam diſſuaſiſſet. Poſtea Daci redeuntes hyemauerunt in Tameſe, Londoniamq; ſæpe aſſilientes, ſæpe repulſi ſunt. Trans natale vero perrexerunt per Chiltern ad Oxineford. Qua combuſta redeuntes, perſtantes in Cantia puppes ſuas contra ſe adductas in Quadrageſima emendauerunt.

Anno 10. venerunt Daci apud Gipeſwic in die aſcenſionis Domini, & inſurrexerunt in Vlfketel ducem exercitus. & Eſtangli protinus fugerunt. Sed homines Grantebridgeſcire viriliter obſtiterunt; vnde dum Angli regnauerunt, laus Grantebrigienſis prouinciæ ſplēdide floruit. Cunctis vero inter ſe inuincibiliter confligentibus mortiſq; caſum vilipēdentibus, occiſus eſt *Athelſtan* ſororius regis, & *Oſwi* dux, & *Edwi* frater *Enici*, & *Wulfric* conſul, & multi cum eis principes. Anglis vero cum memoria fugæ nulla adeſſet, *Turcetil Mirenehened*, id eſt, caput formicæ, primus fugam incepit, & opprobrium meruit ſempiternum. Daci vero victores terram Eſtangle tribus menſibus, & etiam paludes præcedēti libro deſcriptas cū Eccleſiis vel prædati ſunt, vel combuſſerunt: deſtruxerunt ēt Tedford: combuſſerunt quoq; Grantebrige; & inde recedentes per montana amœniſſima loci delectabilis, qui vocatur *Balcſham, quoſquos inuenerunt, in eodem loco neci dederunt: puerosq; iactantes ſuper acumina lancearum recipiebant. Quidam vero fama dignus extenta in gradus turris templi, quod adhuc ibidem ſtat, aſcendit: & tam loco quam probitate munitus ab omni ſolus exercitu ſe defendit. Inde vero Daci tranſeuntes per Eſtſexam venerunt ad flumen Tameſis. Nec ſegnes inde promouerunt acies in Oxinefordſcire, & in Bokinghamſcire: & ſic iuxta Vſam ad Bedeford/ & ſic ad Temesford. Flumen vero Vſæ per tria caſtra, quę ſunt capita prouinciarum, decurrit: ſcz. Bukingham/ Bedeford & Huntendune. Huntendonia vero, id eſt, mons venatorum loco Godmundceſtre nobilis quondam vrbis, nunc vero villæ non inamabilis ex alia parte fluminis ſita, Caſtris duobus prædictis, tam ſitus fulgore, quam ſui decore; tam prædictarum paludum vicinitate quam ferarum & piſcium fertilitate longe præminet. Ad feſtum vero *S. Andreæ* diuerterunt ad Northamtune. Qua combuſta pertranſeuntes cis Tameſim, totam terram combuſſerunt, & ad natale claſſi ſuæ ſe reddiderunt. — al. Ecleſham

Anno 11. cum iam Daci prædaſſent ex Boreali parte Tameſis, Eſtangle & Grantebrigeſcire & Oxinefordſcire & Bukinhamſcire & Eſtſexe & Middleſexe & Herfordſcire & Bedefordſcire / & partem Huntedunescire, quæ eſt ex ea parte fluminis, & multum in Hamtuneſcire: ex Auſtrali parte Tameſis Kent & Sudreie & Haſtings & Sudſex & Berceſcire/ & Hamptſcire & multum in Wiltuneſcire, Metropolim Angliæ Cantuariam obſiderunt, & proditione ceperunt. *Almar.* n. quē* *Alfegus* Archiepiſc. à morte liberauerat, eam prodidit. Ingreſſi igitur ceperunt *Alfegum* Archiepiſcopum, & *Godwine* Epiſcopum, & *Lefwine* Abbatem, & *Alfvvord* præpoſitum regis, & clericos cum monachis, & viros cum mulieribuſſicq; victores ad puppes redierunt. Videres autem ſpectaculum horrendum faciem vrbis antiquæ & pulcherrimæ totam in cineres redactam, cadauera ciuium per vicos deſiſſime iacentia, ſanguine ſolum flumenq; nigreſcentia, fletum & eiulatum puerorum & mulierum in captiuitatem tranſducendorum, caput fidei fontemq; doctrinæ Anglorum vinculis mancipatum opprobrioſe pertrahi. — al. *Alfei*

Anno 12. cum Sabbatum adeſſet in hebdomada Paſchali, commoti ſunt Daci erga Archiepiſc. quia prohibebat pecuniam dari pro ſe. Erant etiam ebrii vino, quod venerat ab auſtro. Adducto igitur Archiepiſc. in medio eorum iactauerunt in eum oſſa & capita boū: vnde cum Deo omnipotenti grates lætiſſimas ex intimo corde redderet, percuſſus eſt capite cum ſecuri. Cecidit ergo vir Dei ſanctoq; cruore terram aſpergens, anima beata cœli decorauit templa. Mane autem Epiſcopi *Ednod* & *Helhum* ſuſceptum corpus cum debito honore detulerunt, & ſepelierunt ad monaſterium *S. Pauli*: quo in loco Deus merita ſancti Martyris oſtendit. Succeſſit aūt ei *Lefvving* Archiepiſc. Tūc vero rex nimis ſero pacē fecit cū Dacorum exercitu, dans eis 8000. librarum. Nunquam. n. tempore opportuno pax fiebat, donec nimia cōtritione terra langueret. Subdiderunt aūt ſe regi 45. puppes Dacorum promittentes quod Angliam tuerentur, rex vero inueniret eis victum & veſtitum.

Anno 13. *Svvein* rex Dacorum venit per Humbram vſq; Gainſburh: ſtatimq; ſubditus eſt ei *Vthred* dux Nordhumbre & tota gens illa. Gens etiam Lindſey, & gens vrbium 5. & omnes ex Boreale parte Watlingſtreet dederunt ei obſides. Rex vero tradidit obſides, & puppes *Cnut* filio ſuo cuſtodiendas: pergenſq; ad Oxinefordiam & Winceſtriam gentes

illas in ditionem accepit. Inde reuertēs Lundoniam, populum multum amiſit in Tameſi quia non curabant ire ad pontem. Ciues vero, quia rex *Adelred* inerat, fortiter ei reſtiterunt. *Suain* igitur inde recedens iuit ad Wallingford, & inde ad Bathan: & omnis Weſtſex ſubdita eſt ei. Poſtea vero cum *Suain* reuerſus eſſet ad puppes ſuas, Londonienſes etiā ſubditi ſunt ei, quia timebant, ne eos in perniciem redigeret. Quod videns rex *Aedelred* miſit *Emmam* reginam *Richardo* fratri ſuo in Normanniam: & poſtea *Edwardum* & *Aelfredum* filios ſuos. *Suain* vero ab omni populo habebatur pro rege, iuſſitq; dari per Angliā victum & cenſum exercitui ſuo. *Turchil* vero ſimiliter iuſſit dari exercitui ſuo, qui erat in Greneuwic. Rex autem *Aedelred* petiit Withland, quo per natale moratus transfretauit fugitiuus ad *Richardum* Normanniæ ducem.

Anno 14. *Suain* iam rex Anglorum in exordio regni ſui ſubita morte periit. Exercitus autem eius elegit *Cnut* filium ſuum in regem. Angli vero in Normanniam *Aedelredo* regi nuncios direxerunt, intimantes, quod ſi humanius ſolito vellet eos tractare, nullum eo libentius ſe in regem recepturos. Ille autem per *Edwardum* filium ſuum præmiſſum omnia rege & populo digna ſpondens eis, adueniens ab omni Anglorum gente cum lætitia ſuſceptus eſt. *Cnut* vero cum exercitu ſuo moratus apud Geinſburh, vſq; ad Paſcha, hominibus Lindſey concordatus eſt. Quod audiens rex *Adelred* cum maximo exercitu ſuperueniens prouinciam illam combuſſit, & prouinciales pene omnes interfecit. *Cnut* vero intime dolens gentem illam ſui cauſa deſtructam, perrexit cum nauibus ad Sandwic, ibiq;

al. adnitens * emittēs obſides nobiliſſimos, qui erāt patri ſuo traditi, abſcidit eis manus & naſum. Præter hoc malum iuſſit rex exercitui, qui erat apud Greenwic, reddi 21. mille librarum. Addidit autem Dominus malis ſolitis malū inſolitum. mare namq; aſcendens ſolito ſuperius villas cum populo ſubmerſit innumero.

Anno 15. dux *Edricus* prodidit *Siferd* & *Morchere* proceres egregios: vocatos namq; in cameram ſuam fecit occidi. *Edmundus* filius regis *Adelredi* terram eorum ſaiſiuit, & vxorem *Sigeferdi* duxit. *Cnut* vero rediit a Dacia in Sandwic, veniēſq; in Weſtſexe ad Frodemutham, inde prædauit Dorſet & Sumerſet, & Wiltſire. Rex vero *Adelred* iacebat infirmus apud Choſam. Tunc *Edmundus* filius regis & dux *Edricus* cōgregato exercitu contra *Cnut*, cum ſimul veniſſent, voluit dux prodere iuuenem. Ideoq; diuiſi ſunt, & prælium dimiſſum eſt. Igitur Weſtſexe ſubdita eſt *Cnut* regi Dacorum.

Anno 16. dux *Edricus* cum 40. nauibus ſubdens ſe *Cnut* regi, & rex cū 160. nauibus conuenerunt in Tamaſim; pergenteſq; apud Crikelade, Warewicſire ferro & flamma deſtruxerunt. Rex autem *Adelred* fecit edictum, vt quicunq; Anglorum ſanus eſſet, ſecum in bello procederet. Cum autem congregata eſſet gens innumera, dictum eſt regi, quod ſui prodere volebant eum. Quamobrem dimiſſo exercitu rediit Londoniam. *Edmundus* vero iuit ad *Vtred* ducem Nordhumbre, prædaueruntq; ſimul in Staffordſcire, & in Scropſcire, & in Legeceaſtre. *Cnut* vero ex alia parte iuit per Bukinghamſcire, in Bedfordſcire, & ſic in Huntenduneſcire, & inde iuxta paludes ad Standford: & ſic in Lincolnſcire, & inde in Snotingamſcire, & ſic in Nordhumbre erga Euerwic. Quod audiens *Vtred* dimiſit prædationem ſuam & reuerſus eſt in Nordhumbre, & neceſſitate ſubditus eſt *Cnut* & cum eo tota Nordhumbre: & dedit obſides, & tamen ibi occiſus eſt. *Edmundus* vero rediit Londoniam ad patrem ſuum. Sed *Cnut* ſtatuens *Hirc* conſulem ſuper Nordhumbre in loco *Vtredi*, rediit ad puppes ſuas ante Paſcha: poſt Paſcha vero cum nauigio ſuo tendebat Londoniam.

Adelred cum regnaſſet 37. annis, poſt multos labores & anxietates vitæ ſuæ deceſſit in Londonia antequam nauigium hoſtile adueniſſet.

Poſt quem *Edmundus* filius eius electus eſt in regem: qui cognominatus eſt *Ireneſide*, id eſt, ferreum latus; quia maximi vigoris, & mirabilis patientiæ bellicis erat in negotiis. *Edmundus* rex iuit in Weſtſexe, & omnis gens ei ſubdita eſt. Interea venerunt Dacorū puppes ad Grenewic, & inde Londoniam: facienteſq; foueam magnam ex Auſtrali parte, traxerunt puppes ſuas ex Occidentali parte pontis, fodienteſq; circa vrbem, ita quod nemo intrare vel exire poſſet, vrbem ſæpe & grauiter aſſilierunt, ſed ciues eis caute & viriliter reſtiterunt. De bellis vero regis *Edmundi*, & de fortitudine eius nonne hæc ſcripta ſunt in hiſtoriis veterum cum laude ſumma?

Edmundus primum bellum geſſit contra exercitum Dacorum apud Peonnam iuxta Gillinges, ſucceſſuſq; manifeſtior contigit *Edmundo*. Secūdum bellum geſſit contra *Cnut* regem apud Sceorſtan, vbi pugnatum eſt acerrime. Dux vero *Edric*, & *Almer Derling* erant in prælio contra regem *Edmundum*. Igitur multi ex vtraque parte ceciderunt, & exercitus per ſe diuiſi ſunt. Tertio cum manu electa bellatorum venit Londoniam; & fugato

exercitu

exercitu ad puppes, qui obſederat vrbem, fortiſſime liberauit eam: & cum debito triumpho ingreſſus eſt in eam. Quartum bellum geſſit contra eundem exercitum poſt duos dies apud Brendeforde. Multi autem ſuorum in eo tranſitu nimis feſtinantes flumine ſubmerſi ſunt: ipſe tamen belli feſtinum decus obtinuit. Rex igitur *Cnut* ſummo timore perſtrictus manum ſuam multis copiis ad ſe mandatis augmentauit. Cogitauerunt etiã *Cnut* rex & dux *Edricus*, vt quem armis vincere nequibant, proditione vincerent. Igitur dux *Edricus* concordatus eſt ei, vt eum proderet. Iuit ergo conſilio eius in Weſtſexe, vt maximum contra *Cnut* duceret exercitum. *Cnut* vero interea Lõdoniam obſidens, terra & aqua fortiter aſſiliuit: ſed ciues ei viriliter obſtiterunt. Quinta vice rex *Edmundus* tranſiens iterum Tameſem fluuium apud Brendeforde iuit in Kent pugnatũ cum Dacis. Sed in ipſa obuiatione præcedentium vexillatorum horror nimius Dacos inuaſit, & in fugam verſi ſunt. *Edmundus* vero perſequutus eſt eos cum occiſione magna vſque ad * Ilesford. Quod ſi *al. Eileſford.* eos perſequi perſiſteret, vltimus ille dies bello Daciſque fuiſſet. Dux vero *Edricus* conſilio nequiſſimo fecit eum reſiſtere. Conſilium peius datum non fuerat in Anglia. Sextum bellum cõmiſit *Edmundus* cum maxima gente, & *Cnut* cum õmnibus Dacorum exercitibus congregatis in Eſtſexe apud Eſeſdune. Bello igitur acerrimo & finali pugnatum eſt, & vtrique inuincibiles cæde deſpecta perſiſtebant. Apparuit autem ibi virtus *Edmundi* iuuenis. Cum enim Dacos ſolito acrius pugnare videret, loco regio relicto, quod erat ex more inter draconem & inſigne, quod vocatur Standard, cucurrit terribilis in aciem primam; vibrans igitur gladium electum, & brachio iuuenis *Edmundi* dignum, modo fulminis fidit aciem: abrumpenſque mediam pertranſiit, ſeque ſequentibus obruendam dedit. Inde in aciem regalem aduolat; vbi cum clamor & ſtridor horrendus inciperet, videns dux *Edricus* ruinam Dacorum imminere, clamauit Anglorum genti, Flet / Engle, flet Engle: dedis *Edmund*. Quod interpretatur, *Fugite Angli, fugite Angli: mortuus eſt* Edmundus. Sic igitur clamans fugam cum ſuis primus incepit, quem tota gens Anglorum in fugam ſubſequuta eſt. Illic igitur miranda ſtrages Anglorum facta eſt: illic occiſus eſt *Eadnod* dux, & *AElfric* dux, & *Godwine* dux, & *Vlfketel* dux de Eſtangle: & *Ailward* filius *Alfſi* ducis, & omnis flos nobilitatis Brittanniæ. Rex vero *Cnut* tanta fretus victoria Londoniam & ſceptra cepit regalia. Septima tamen vice congregati ſunt exercitus in Glouceſtreſcyre. Hinc autem formidantes fortitudinem regis *Edmundi*, illinc vero regis *Cnut*, dixerunt inter ſe proceres: *Cur inſenſati necis periculum totiens incurrimus? pugnent ſingulariter, qui regnare ſtudent ſingulariter*. Placuit ſententia regibus. nec enim mediocris erat rex *Cnut* probitatis. Poſiti igitur reges Molaniæ duellum inceperũt. Telis igitur & lanceis vtrinque fractis ſuper arma omnium armorum præſtantiſſima rem gladiis egere. Audiebant igitur, & videbant horribiles tinnitus, & igneas colliſiones populus vterq; cũ gemitu & clamore: tandem vigor incomparabilis *Edmundi* fulminare cepit. Cui *Cnut* rex cũ magno vigore reſiſtens, & tamen ſibi timens, inquit; *Iuuenum omnium fortiſſime, quæ neceſſitas eſt alterum noſtrum regnandi cauſa ferro perire. Simus fratres adoptiui, regnumque partiamur, imperemuſque ego rebus in tuis, tuque in meis. Dacia quoque tuo diſponatur imperio.* His verbis iuuenis mens generoſa delinita eſt: & oſculum pacis inuicem datum eſt. Conueniente igitur populo & præ gaudio lacrymante, *Edmundus* regnum ſuſcepit Weſtſexe, *Cnut* vero regnum Mercee ſuſcipiens reuerſus eſt Londoniam.

Edmundus rex poſt paucos exhinc dies proditione occiſus eſt apud Oxineford. Sic autem occiſus eſt: Cum rex hoſtibus ſuis terribilis & timendiſſimus in regno floreret, iuit nocte quadam in domum euacuationis ad requiſita naturæ, vbi filius *Edrici* ducis in fouea ſecretaria deliteſcens conſilio patris, regem inter celanda cultello bis acuto percuſſit: & inter viſcera ferrum figens fugiens reliquit. *Edricus* igitur ad regem *Cnut* veniens, ſalutauit eum dicens; Aue rex ſolus. Cui cum rem geſtam denudaſſet, reſpondit rex: *Ego* te ob tanti obſequii meritum cunctis Anglorum proceribus reddam celſiorem. Iuſſit ergo eum excapitari, & caput in ſtipite ſuper celſiorem Londoniȩ turrim figi. Sic periit *Edmundus* rex fortis, cum vno anno regnaſſet: & ſepultus eſt iuxta *Edgar* auum ſuum in Glaſtengebirh.

Cnut rex Anglorum *Emmam* ducis Normannorum filiam, vxorem regis *Adelredi* duxit. Poſtea vero rex dignam retributionem nequitiæ Anglis reddidit. Ipſe namque in dominio ſuo Weſtſexam habebat, *Hyrc* Nordhumbram, *Turchillus* Eſtangle, *Edricus* Mercee. Rex vero *Cnut* *Edricum* occidit: *Turchillum* exulauit; *Hyrc* fugere compulit. Præterea ſummos procerum aggreſſus Normannum ducem interfecit; *Edwiadelinge* exterminauit; *Adelwoldum* detruncauit; * *Edwi Cheorleging* exulauit; *Bridric* ferro vita priuauit. Fecit quoque per Angliam mirabilem cenſum reddi ſcilicet 82. mille lib. præ- *al. Edwi ceorleking*

al. exauctorem ter vndecies mille lib. quas Londonienſes reddiderunt. Dignum igitur *exactorem Dominus iuſtus Anglis impoſuit.

Cnut tertio anno regni ſui iuit in Daciam, ducens exercitum Anglorum & Dacorum in Wandalos. Cum autem hoſtibus craſtina die conflicturus appropinquaſſet, *Godwinus* Conſul Anglorum ducens exercitum rege inſcio nocte profectus eſt in hoſtes. Igitur improuidos inuaſit, occidit, fugauit. Rex vero ſummo mane cum Anglos fugiſſe, vel ad hoſtes perfide tranſiſſe putaret, acies ordinatas in hoſtem dirigens non inuenit in caſtris, niſi ſanguinem & cadauera & prædam. Quamobrē ſummo honore deinceps Anglos habuit, nec minori quam Dacos. His actis in Angliam rediit. Hoc circa tempus *Leuing* Archiepiſcopo defuncto, *Athelnold* ſucceſſor eius Romā petiit. Cum quo *Lefwinus* Abbas Elienſis profectus abbatiam iniuſte ſibi ablatam, Papa *Benedicto* iubente, rehabuit. Archiepiſcopus vero Roma rediens corpus ſancti *Alfei* a Londonia tranſtulit Cantuariam.

Cnut regis anno octauo dux Normannorum *Ricardus* ſecūdus pater *Emmæ* reginæ Anglorum viuere non adiecit. Poſt quem *Ricardus* filius ſuus anno prope vno imperauit: & poſt eum *Robertus* frater eius octo annis. Anno vero ſequenti iuit cum exercitu Anglorum rex in Daciam contra *Vlf* & *Eilaf*: qui grauiſſimam cōtra eum multitudinem terra & mari adduxerunt de gente Speon. Ibi ergo periit populus multus Anglorum & Dacorum ex parte *Cnut*, & Speon vicerunt.

Cnut rex anno duodecimo iuit ab Anglia cum quinquaginta puppibus in Norwegiam, & bello fugauit *Olaf* regem Norvvegēſium, regnumq; illud recepit in ſuam ſubditionem. Cum vero inde rediſſet in Angliam rex *Olaf* rediens in Norvvegiam a patriæ illius gente occiſus eſt. Remanſitq; *Cnut* regnum illud dum vixit. Circa hoc tempus *Roberto* regi Frācorum ſucceſſit *Henricus* filius ſuus.

Cnut regis anno decimoquinto *Robertus* dux Normanniæ in peregrinatione Ieroſolymitana mortuus eſt. cui ſucceſſit *Willielmus* nothus filius ſuus in puerili ætate. Rex vero *Cnut* Romam ſplendide perrexit: & eleemoſynam, quæ vocatur Romſcot, quam anteceſſores ſui dederant Eccleſiæ Romanæ, perēniter aſſignauit. Quis autem numeret eleemoſynas eius, & dapſilitates eius, & magnalia, quæ geſſit rex magnus in peregrinatione illa? Non fuit rex ſub Occidentali limite, qui tam ſplendide, tam famoſe Romæ ſancta loca petiſſet. Eodem vero anno Roma rediens, perrexit in Scotiam: & *Melcolm* Rex Scotiæ ſubditus eſt ei, & duo alii reges *Melbeathe* & *Iermarc*.

Cnut rex cum viginti annis regnaſſet, viuere deſtitit apud Scafteſbirh, & ſepultus eſt apud Winceſtre in veteri Monaſterio. de cuius regis potentia pauca ſunt perſtringenda. Nec enim ante eum tantæ magnitudinis rex fuerat in Anglia. Erat enim dominus totius Daciæ, totius Angliæ, totius Norvvagiæ, ſimul & Scotiæ. enimuero extra numerum bellorū, quibus maxime ſplenduit, tria geſſit eleganter & magnifice: Primum eſt, quod filiam ſuam Imperatori Romano cum ineffabilibus diuitiis maritauit. Secūdum, quod Romam pergens omnes malas exactiones in via, quæ per Gallias Romam tendit (quæ vocantur tolonea vel tranſuerſa) data pecunia ſua diminui fecit vſq; ad medietatem. Tertium, quid cum maximo vigore imperii, *ſedile ſuum in littore maris, cum aſcenderet, ſtatui iuſſit. Dixit autem mari aſcendenti, tu mea ditionis es, & terra in qua ſedeo mea eſt: nec fuit qui impune meo reſiſteret imperio. Impero igitur tibi, ne in terram meam aſcendas, nec veſtes nec membra dominatoris tui madefacere præſumas. Mare vero de more conſcendens pedes regis & crura ſine reuerentia madefecit. Rex igitur reſiliens ait. Sciant omnes habitantes orbem vanam & friuolam regum eſſe potentiam, nec regis quempiam nomine dignum præter eum, cuius nutui cælum terra mare legibus obediunt æternis.* [*Rex igitur* Cnut *nunquam poſtea coronam auream ceruici ſuæ impoſuit, ſed ſuper imaginem Domini, quæ cruci affixa erat, poſuit eam in æternum, in laudem Dei regis magni:*] Cuius miſericordia *Cnut* regis anima quiete fruatur.

al. Alwina, vel Alivva *Haraldus* filius *Cnut* regis & *Ailiuæ* filiæ *Alfelmi* ducis electus eſt in regem. Fuit namque placitum magnum apud Oxenford: vbi *Lefricus* Cōſul & omnes principes ex Boreali parte Tameſis cum Londonienſibus elegerunt *Haraldum*, vt conſeruaret regnum fratri ſuo *Hardecnut*, qui erat in Dacia. *Godvvinus* vero Conſul pater *Haraldi* poſtea regis, & principes Weſtſexe cœperunt contradicere, ſed non profuit. Conſilium ergo inierunt, quod *Emma* regina cum regis defuncti familia conſeruaret Weſtſexe apud Winceſtre in opus filii ſui: *Godvvinus* vero Conſul dux eis eſſet in re militari.

Haraldus rex exulauit *Emmam* reginam, nouercam ſcilicet ſuam. quæ diuertens ad *Baldevvinum* conſulem Flādriæ accepit ab eo caſtrum Bruge, vt ibi & inde degeret. *Wilhelmo* namq; Normannorū domino adhuc in ætate puerili cum rege Francorū manente,

Nor-

Normãnia fiſcus regalis erat. Anno ſequente **Atelnod* Archiepiſcopo Cantuarienſi migrante, ſucceſſit *Eadſi*.

al. Athelnold

Haraldus rex cum regnaſſet 4 annis & menſibus 4. mortem ſenſit apud Oxenford, & ſepultus eſt apud Weſtminſter. In diebus illis redditæ fuerant 16. puppibus ab vnoquoque portu 8. marcæ argenti, ſicut & patris ſui tempore.

Hardecnut filius regis *Cnut* & *Emmæ* reginæ, veniens à Dacia apud Sandwic illico ſuſceptus eſt, & electus in regem ſimul ab Anglis & Dacis. Huius anno ſecundo redditus eſt cenſus exercitui Dacorum, ſcilicet 21000. lib. & 89. lib. & poſtea ſunt redditæ 32. puppibus 11000. lib. & 48. lib. Eodem anno venit *Edwardus* filius *Edelredi* regis a Normannia, ad regem *Hardecnut* fratrem ſuum: ambo etenim erant filii *Emmæ* filiæ *Ricardi* Conſulis.

Hardecnut rex morte præreptus eſt cum regnaſſet 2. annis, in medio flore iuuentutis ſuæ apud *Lambithe, qui claræ indolis & benignæ iuuentutis fuerat ſuis. Tantæ namque largitatis fertur fuiſſe, vt prandia regalia quatuor in die vicibus omni curiæ ſuæ faceret apponi, Malens à vocatis appoſita fercula dimitti, quam a non vocatis apponenda fercula repoſci, cum noſtri temporis conſuetudo ſit, cauſa vel auaritiæ, vel (vt ipſi dicunt) faſtidii, principes ſemel in die tantum ſuis eſcas anteponere. Sepultus eſt autem rex *Hardecnut* in veteri Monaſterio apud Wincestre iuxta *Cnut* patrem ſuum. **Proceres igitur Anglorum iam Dacorum dominio liberati, hilares pro* *Alfredo *primogenito filio* Ædelredi, *vt regni diademate ſublimetur, nuntios mittunt. Ille autem cum eſſet patre Anglicus, & matre Normannus aliquos ex conſanguineis matris ſuæ, multos ex coæuis commilitantibus à Normãnia ſecum duxit in Angliam.* Godwinus *vero cum eſſet Conſul fortiſſimus, & proditor ſæuiſſimus, præcogitauit ſe* Edwardo *fratri minori & ſimpliciori poſſe dare filiam ſuam in reginam. Hunc vero* Alfredum, *quia primogenitus erat & magnæ probitatis, nullo modo filiam ſuam dignaturum præuidebat. Intimauit igitur proceribus Angliæ,* Alfredum *nimiam copiam Normannorum ſecum adduxiſſe: terras Anglorum eis promiſiſſe: gentem fortiſſimam & ſubdolam, inter eos inſtirpare Anglis ſecurum non eſſe. Hos perſoluere pœnas oportere, ne alii poſthac audeant pro regis cognatione ſe Anglis ingerere. Capti ſunt igitur & ligati Normanni, qui venerant cum* Alfredo: *& cum ordine ſederent, nouem ſemper excapitati ſunt, & decimus remanſit apud* Gildeforde. *Cum autem omnes interfecti eſſent, niſi decima pars, nimium viſum eſt Anglis tot ſupereſſe: feceruntq́; decimam decimari, & ſic pauciſſimi euaſerunt.* Alfredum *vero captum duxerunt in* Ely, *& oculos eius eruerunt, & mortuus eſt. Miſerunt ergo pro* Edwardo *iuniore in Normannia nuntios, & obſides, mandantes ei, quod pauciſſimos Normannorum ſecum adduceret, & cum in regem fideliſſime ſtabilirent. Paruit* Edvvardus *& cum paucis venit in Angliam. & electus eſt in regem ab omni populo, & ſacratus ab* Eadſi *Archiepiſcopo apud* Winceſtre *in die Paſchæ. Eadſi* vero Archiepiſcopus dimiſit Archiepiſcopatum propter infirmitatem, & ſacratus eſt *Stvvard* in loco eius. Tunc quoque factus eſt *Stigandus* Epiſcopus Eſtangle.

al. Lambhite

** Et antequã ſepultus eſſet, electus eſt* Edvvard⁹ *frater eius ab omni populo: & ſacratus eſt ab* Eadſi *archiepiſcopo apud* Winceſtre *in die Paſchæ.*

al. Aluredo

Edvvardus rex in patrocinium regni ſui duxit filiam *Godvvini* fortiſſimi Conſulis nomine **Edgitham*, ſororem regis *Haraldi* futuri. Circa hoc tempus tanta fames Angliam inuaſit, quod ſextarius frumenti, qui equo vni ſolet eſſe oneri venundaretur 5. ſolidis, & etiam plus. Poſtea vero *Stigandus*, qui erat Epiſcopus in Eſtangle, factus eſt Epiſcopus etiam apud Winceſtre. Rex autem exulauit *Suain* Conſulem, filium *Godvvini* prædicti conſulis. Qui recedens ad *Balvvinum* conſulem Flandriæ, ibidem hyemauit apud Brugge.

al. Ediuam

Edvvardi regis anno ſexto commiſſum eſt bellum apud Waleſdune inter *Henricum* regem Francorum, & proceres Normanniæ, quia nolebant *Willielmum* in dominum recipere. Quos cum dux *Willielmus* victos obtinuiſſet quoſdam exulauit, quoſdam corpore minuit. venerunt eo tempore duo principes Dacorum, *Lothen* & *Hirling* apud Sandwic, vbi capta innumerabili præda, auri quoque & argenti copia, per mare gyrantes Eſtſexam prædati ſunt. Inde vero dirigẽtes iter in Flandriã, vendita præda ſua reuerſi ſunt vnde venerant. Anno ſequenti rediit *Suain* conſul in Angliam impetratum pacem à rege. Quod cũ *Haraldus* frater eius & *Beornd* Conſul diuertiſſent, venit poſtea ad *Godvvinum* patrem ſuum apud Peuenſe. cui humillime ſupplicans & fratribus ſuis *Haraldo* & *Toſti* & *Beornd* Conſuli, obtinuit ab eis, vt *Beornd* Conſul ſecum proficiſceretur vſq; ad Sandwic ad amicitiam regis impetrandam. *Beornd* igitur introiens in naues *Suain* conſulis ad auxiliũ eius, nequiter occiſus eſt ab eis: cadauerq́; eius proiectum ſepelierunt amici ſui apud Winceſtre iuxta *Cnut* regem auunculum ſuum. *Suein* vero reuerſus eſt in Flandriam. Sequenti vero anno *Suein* regi concordatus eſt cautela *Godvvini* patris ſui. Eo tempore *Leo* Papa tenuit ſynodum apud Verzelei, vbi *Vlf* Epiſcopus Dorſeceſtriæ interfuit: & pene fractus eſt baculus eius Epiſcopalis, niſi maius pretium dediſſet. Neſciebat. n. officium ſuũ ſicut Epi-

ſcopum deceret. *Eadſi* Archiepiſcopus vita caſſatus eſt. Obierat etiam *Siwardus* ſucceſſor eius.

Edwardus decimo anno regni ſui dedit *Roberto* Epiſcopo Lūdoniæ Archiepiſcopatum Cantuariæ. Regi vero delatum eſt, quod *Godwinus* gener ſuus & *Suein* filius eius & *Haraldus* prodituri eum eſſent. Quos in cauſam vocatos, cum ſine obſidibus venire recuſarent, rex exulauit. Itaq; *Godwinus* & *Suein* iuerunt in Flandriam, *Haraldus* vero in Hyberniam. Rex vero in iram promotus, dimiſſa regina theſaurum ſuum & terras ei abſtulit. Deditq; *Odoni* conſulatum Dauneſyre/& Sumerſete/& Dorſete: *Algaro* vero filio *Lefrici* conſulis dedit conſulatum *Haraldi*.

Edwardi regis anno 11. *Emma* Normannigena, vxor regum & mater regum morem mortis pertulit. *Godwinus* autem conſul & *Suein* filius eius currentes velis extenſis a Flandria ad inſulam Wiht, prædati ſunt eam: prædati ſunt quoq; Portland. *Haraldus* vero veniens ab *Hybernia* prædatus eſt apud *Pordocam: & inde veniens ad patrem ſuum in Wiht perrexerunt in Peuenſe, & inde ad Neſſe, & in Rumene, & in Hithe, & in Folceſtane, & in Douere/& in Sanwic/& in Scepeie: vbiq; accipientes obſides & puppes. Quidam vero exeuntes Middeltune villam regis combuſſerunt, claſſis vero per Nordmutham tendens in Londoniam, obuiauit 50. puppibus, quibus rex inerat. Tunc igitur per internuncios conſilio *Stigandi* Epiſcopi datis obſidibus concordati ſunt rex & gener ſuus: reddiditq; illi & ſuis terras, & omnia, quæ prius habuerant, & iterum accepit reginam ſuam. *Robertus* vero Archiepiſcopus & omnes Franci, quorum conſilio rex conſulem exulauerat, exulati ſunt. *Stigandus* autem factus eſt Archiepiſcopus Cantuariæ. Circa hoc tempus *Siwardus* Conſul fortiſſimus Nordhumbre, pene gigas ſtatura, manu vero & mente prædura, miſit filium ſuum in Scotiam conquęrendam. Quem cum bello cæſum patri renuntiaſſent, ait: Recepitne vulnus letale in anteriori vel poſteriori corporis parte? Dixerunt nuntii: in anteriori; At ille, gaudeo plane. non enim alio me vel filium meum digner funere. *Siwardus* igitur in Scotiam proficiſcens regem bello vicit, regnum totum deſtruxit, deſtructum ſibi ſubiugauit.

* al. Portlocam

Edvvardus 12. anno regni ſui cum pranderet apud Windleſhores, vbi plurimum manere ſolebat, *Godvvinus* gener ſuus & proditor recumbēs iuxta eum dixit. Sæpe tibi rex falſo delatum eſt me proditioni tuæ inuigilaſſe: ſed ſi Deus cœli verax & iuſtus eſt, hoc panis fruſtulum concedat ne guttur pertranſeat, ſi vnquam te prodere vel cogitauerim. Deus autem iuſtus & verax audiuit vocem proditoris, & mox eodem pane ſtrangulatus mortem prægustauit æternam. *Haraldus* vero filius eius habuit conſulatum patris ſui. Sed *Algarus* Conſul Ceſtriæ habuit conſulatum *Haraldi*.

Edvvardi regis anno 13. pugnauerunt proceres Normanniæ contra gētem Francorum apud caſtrū, quod vocatur mortuum mare: & interfectus eſt *Radulphus* Camerarius princeps exercitus Francorum: contigitq; victoria Normannis. Et quidem rex *Henricus* Francorum, & dux *Willielmus* Normannorum bello non intererant. Anno ſequente *Sivvardus* Conſul rigidiſſimus profluuio ventris ductus mortem ſenſit imminere. Dixitq;, quantus pudor me tot in bellis mori non potuiſſe, vt vaccarum morti cum dedecore reſeruarer? Induite me ſaltem lorica mea impenetrabili, præcingite gladio, ſublimate galea: ſcutum in læua, ſecurim auratam mihi ponite in dextra, vt militum fortiſſimus modo militis moriar. Dixerat: & vt dixerat, armatus honorifice ſpiritum exhalauit. Sed quia *Walteof* filius eius adhuc paruulus erat, datus eſt conſulatus eius *Toſti* filio *Godvvini* Conſulis. Eodem anno *Algarus* Conſul Ceſtriæ exulatus eſt, quia de proditione regis in conſilio conuictus fuerat. Ille vero pergens ad *Griffinum* regem Nordwales, rediens cum eodem rege combuſſit Hereford & Eccleſiam ſancti * *Ailbricti*. Poſtea venit *Edvvardus* filius *Edmūdi Irenſide* in terram iſtam, & ſtatim mortuus eſt, & ſepultus apud Londoniam in Eccleſia ſancti *Pauli*. Hic fuit pater *Margaretæ* reginæ Scottorum, & *Edgari* * *Adelinge*. *Margareta* vero fuit mater *Matildis* reginæ Anglorum, & *Dauidis* vrbaniſſimi regis Scottorum. *Lefricus* quoq; Conſul nobiliſſimus Ceſtriæ defunctus eſt eo tempore: cuius vxor *Godina* nomine perpetuo digna, multa probitate viguit, & Abbatiam apud Couentre conſtruxit: & auro & argento incomparabiliter ditauit. Conſtruxit etiam Eccleſiam Stow ſub promōtorio Lincolniæ, & multas alias. *Algarus* vero filius eius ſuſcepit conſulatum Ceſtriæ.

* al. Athelbricti

* al. Atheling

Edvvardi regis anno 22. cum iam *Henrico* rege defuncto *Philippus* filius eius regnaret, *Willielmus* dux Normannorum ſubiugauit ſibi Cenomanniam. *Haraldus* vero tranſiens in Flandriam, tempeſtate compulſus eſt in Ponticam prouinciam. Quem captum Conſul Ponticus *Willielmo* duci Normanniæ reddidit. *Haraldus* vero iurauit *Willielmo* ſuper reliquias ſanctorū multas & electiſſimas ſe filiam eius ducturū: & Angliā poſt mortē *Edwardi* regis

regis

adopus eius ſeruaturum. Summo igitur honore ſuſceptus, & muneribus amplis ditatus, cum reuerſus eſſet in Angliam periurii crimen elegit. Anno vero ſequenti *Haraldus & Toſti* perrexerunt in expeditionem in Walliam. Gens vero patriæ ſubdita eſt eis, & obſides dedit. Poſt ea ſiquidem occiderunt Regem ſuum *Griffinum*, & attulerunt Haraldo caput eius. *Haraldus* vero ſtatuit ibi alium regem. Contigit autem eodem anno, quod in aula regia apud Windleshores Toſti Haraldum fratrem ſuum regi vina propinantem capillis coram Rege ipſo arripuerit. Inuidiæ namq; & odii fomitem miniſtrauerat quod cum *Toſti* ipſe primogenitus eſſet arctius à Rege frater ſuus diligeretur. Igitur impetu furoris propulſus non potuit cohibere manus à cęſarie fratris. Rex autem perniciem eorum iam appropinquare prædixit. & iram Dei iam non differendam. Tantę namq; ſæuitiæ fratres illi erant, quod cum alicuius nitidam villam conſpicerent, dominatorem de nocte interfici iuberent, totamq; progeniem illius, poſſeſſionemq; defuncti obtinerent. Et iſti quidem iuſticiarii erant regni. *Toſti* igitur furibunde diſcedens à Rege & à fratre ſuo, perrexit ad Hereforde/ vbi frater ſuus corrodium regale maximum parauerat: vbi miniſtros fratris ſui omnes detruncans ſingulis vaſis vini, medonis, ceruiſiæ, pigmenti, morati, ſiceræ, crus humanum, vel caput, vel brachium impoſuit. Mandauitq; regi, quod ad firmam ſuam properans cibos ſalſatos ſufficienter inueniret, alios ſecum deferre curaret. Rex ergo eum ob ſcelus adeo infinitum delegari, & exulari præcepit.

Edwardi Regis anno 24. Nordhumbri hæc audientes *Toſti* conſulem ſuum, qui multas eis cædes & clades ingeſſerat, fugauerunt: Omnemque familiam ſuam interficientes tam Anglos quam Dacos, ceperunt theſauros & arma eius in Eouerwic. Conſtituerunt igitur *Margerum* filium *Algari* conſulis ſuper eos conſulem: qui cum gente illa & cum Lincolneſire/ & Snotinghamſire/ & Derbiſire perrexit vſq; ad Hamtune/ & *Edwinus* frater ſuus venit contra eum cum hominibus conſulatus ſui, & plures Brittanni cum eo. Tunc venit *Haraldus* conſul ad eos. Ipſi vero miſerunt eum ad regem & nuncios cum eo precantes, vt poſſent habere *Marcherum* conſulem ſuper eos. Quod Rex conceſſit, & remiſit *Haraldum* ad eos, ad Hamtune/ qui hæc eis affirmauit. Ipſi vero interim comburentes & prædantes & occidentes prouinciæ illi non pepercerunt, ſed multa millia hominum ſecum abducentes cum petitionem ſuam obtinuiſſent, multis annis deteriorem partem illam regni reddiderunt. *Toſti* vero & vxor ſua ad *Baldwinum* conſulem Flandriæ diuertentes hyemauerunt.

Milleſimo ſexageſimo ſexto anno gratiæ, perfecit dominator Dominus de gente Anglorum, quod diu cogitauerat. Genti namque Normannorum aſperæ & callidæ traditit eos ad exterminandum. Enimuero cum baſilica S. *Petri* apud Weſtminſter dedicata eſſet in die ſanctorum innocentium, & poſtea in vigilia *Epiphaniæ* Rex *Edwardus* mundo deceſſiſſet, & ſepultus eſſet in eadem Eccleſia, quam ipſe conſtruxerat, & poſſeſſionibus multis ditauerat, quidam Anglorum *Eadgar*, * *Adeling* promouere volebant in regem. *Haraldus* vero viribus & genere fretus regni diadema inuaſit. *Willielmus* vero dux Normanniæ tribus de cauſis mente ſtimulatus, & intrinſecus irritatus eſt. Primum, quia *Alfredum* cognatum ſuum *Godwinus* & filii ſui dehoneſtauerant & peremerant. Secundo, quia *Robertum* Epiſcopũ & *Odonem* cõſulem & omnes Francos *Godwinus* & filii ſui arte ſua ab Anglia exulauerant. Tertio, quod *Haraldus* in periurium prolapſus regnum, quod iure cognationis ſuum eſſe debuerat, ſine aliquo iure inuaſerat. Principes vero Normannorum conuocans, auxilium Angliæ cõquirendæ ab eis petiit. Quibus ad ſe conſiliandos euntibus *Willielmus* filius *Osberti* dapifer ducis interfuit: qui grauiſſimum iter ad Angliam capeſſendam, gentemq; Anglorum fortiſſimam perhibens, contra pauciſſimos in Angliam ire volentes acerrime litigauit. quod audientes proceres valde gauiſi fidem dederunt ei, vt quod ipſe diceret, omnes concederent. Ingreſſus igitur ante eos coram duce, dixit. Paratus ſum in hac expeditione cum omnibus meis deuote proficiſci. Oportuit ergo omnes Normannorum principes verbum eius proſequi. Claſſis itaque maxima parata eſt ad portum, qui vocatur Sancti *Walerici*. Quod audiens Rex *Haraldus* vir bellis acerrimus, cum nauali exercitu contra *Willielmum* ducem in mare profectus eſt. Interea venit *Toſti* Conſul in Humbram cum 60. puppibus: *Edwinus* vero Conſul veniens cum exercitu fugauit eum. Ille vero fugiens in Scotiam obuiauit *Haraldo* regi Norwagiæ cum 300. puppibus: & *Toſti* gauiſus valde ſubditus eſt ei. Deinde ambo venerunt in Humbram vſq; ad Eouorwic/ & iuxta vrbem pugnauerunt cum eis *Edwinus & Markerus* conſules: Cuius locus pugnæ in Auſtrali parte vrbis adhuc oſtenditur. *Haraldus* vero Rex Norwagiæ & *Toſti* cum eo Martis omine glorioſo potiti ſunt. Quod audiens *Haraldus* rex Angliæ cum manu valida obuiauit eis apud * Stainfordbrige. Pugna igitur ince-

* al. Atheling.

* al. Steinfordesbrige.

rto.

pta eſt, qua grauior non fuerat. Coeuntes namq; à ſummo mane vſq; ad Meridiem, cum horribiliter ruentes vtrinque perſeuerarent, maximus numerus Anglorum Norwacenſes cedere, ſed non fugere compulit. Vltra flumen igitur repulſi, viuis ſupra mortuos tráſeuntibus magnanimiter reſtiterunt. Quidam vero Norwagenſis fama dignus æterna ſuper pontem reſtitit, & plus 40. viris Anglorum ſecuri cædens electa vſq; ad horam diei nonam omnem exercitum Anglorum detinuit ſolus: vſque quo quidam nauim ingreſſus per foramina Pontis in celandis eum percuſſit iaculo. Tranſeuntes igitur Angli *Haroldum* regem & *Toſti* occiderunt, & totam Norwagenſium aciem vel armis ſtrauerunt vel igne deprehenſos combuſſerunt.

Haraldus Rex Anglorum eadem die reuerſus ad Eouirwic cum ſumma lætitia, dum pranderet, audiuit nuntium dicentem ſibi. *Willielmus* dux Normanniæ littora Auſtralia occupauit, & caſtellum conſtruxit apud Haſtings. Rex igitur non ſegnis aduolans aciem ſuam conſtruxit in planis Haſtinges. *Willielmus* vero 5. cateruas equitum ſplendide promouit in hoſtem; *Quibus terribiliter diſpoſitis orationem huiuſcemodi habuit. Vos alloquor Normanni gentium fortiſſimi, non quaſi veſtræ probitatis incertus, non quaſi de victoria non ſecurus: quæ nunquam caſu aliquo, vel impedimento à vobis euadere potuit. Quod ſi ſemel non vincere potuiſſetis exhortandi forſitan eſſetis, vt probitas veſtra præradiaret. Quod autem natiuum vobis eſt, & quaſi neceſſarium, quæ indiget exhortatione? O mortalium validiſſimi, quid potuit Rex Francorum bellis proficere cum omni gente quæ ſunt à Lotaringa vſque ad Hiſpaniam contra* Haſtin■ *anteceſſorem noſtrum? Qui quantum voluit Franciæ ſibi adquiſiuit, quantum voluit regi permiſit, dum placuit, tenuit, dum ſatiatus eſt: ad maiora anhelans reliquit. Nonne* Rou *pater meus dux primus & author noſtræ gentis cum patribus noſtris Regem Francorum * Pariſius in medio regni ſui bello vicit? Nec Francorum rex potuit ſperare ſalutem, niſi & filiam ſuam & terram quæ ex vobis Normannia vocatur, ſupplex obtuliſſet? Nonne patres veſtri Regem Francorum in Rotomago ceperunt, & tenuerunt, donec* Richardo *puero duci veſtro Normanniam reddidit, eo pacto quod in omni collocutione Regis Franciæ & ducis Normanniæ gladio dux accingeretur, regē vero nec gladium nec etiam cultellum ferre liceret? Hanc æternam ſanctionem patres veſtri regi magno cogentes ſtatuerunt. Nonne idem dux patres veſtros vſq; ad Mirmandum iuxta Alpes adduxit: & vrbis ducem generum ſcilicet ſuum ſponſæ ſuæ prælians parere coegit? Et ne parum ſit vobis homines viciſſe, vicit & ipſe diabolū corporaliter colluctans, & proſternēs, ligansq; manus eius poſt terga confuſumq; victor Anglorum reliquit. Sed quid priſca narro? Nonne vobis congredientibus in eo tempore apud Mortemer, Franci præcipites præpoſuere fugam bellis, calcaria telis? Vos autem* Radulfo *ſummo duce Francorum interfecto, fama ſpoliisq; potiti, naturale bonū ſolita neceſſitate tenuiſtis. Eia procedat aliquis Anglorum, quos centies anteceſſores noſtri & Daci & Norwagenſes bellis vicerunt demonſtretq; gentem* Rou *ex eius tempore vſq; nunc ſemel militiæ naufragia perpeſſum eſſe, & ego victus abſcedo. Nonne igitur pudori vobis eſt gentem vinci ſolitam, gentem belli caſſam, gentem nec etiam ſagittas habentem contra vos (ò fortiſſimi) quaſi bello ordinatam procedere? Nonne vobis pudet regem* Haraldū *contra me in præſentia veſtri periurū faciem ſuam vobis oſtendere auſum fuiſſe? Mihi tamen ſtupori eſt, quod eos qui parentes veſtros cū* Alfredo *cognato meo proditione nefanda excapitauerunt oculis veſtris vidiſtis, & eorū capita adhuc humeris eorū ſuperſunt. Erigite vexilla viri: nec ſit iræ promeritæ modus vel modeſtia. Ab Oriente ad Occidentem videatur fulmen gloriæ veſtræ; audiatur tonitruum impetus veſtri, vindicesq; generoſiſſimi ſanguinis. Nondum perorauerat dux* Willielmus: *omnes ira accenſi vltra quā credi poteſt ſecundum acies ſuas impetu ineffabili prouolabant in hoſtem, ducemq; iam ſibi ſoli loquentem relinquebant.* Quidam vero nomine *Taillefer* diu antequam coirent bellatores, enſibus iactatis ludens coram gente Anglorum, dum in eū omnes ſtuperent, quendam vexilliferum Anglorum interfecit. Secundo ſimiliter egit. Tertio idem agens, & ipſe interfectus eſt: & acies ſibi offenderunt. Incipit lętifera nubes ſagittarum, Tonitruum ſequitur ictuum. Inſilit ignita colliſio galearum & enſium. Cum ergo *Haraldus* totam gentem ſuam in vna acie ſtrictiſſime locaſſet, & quaſi caſtellum inde conſtruxiſſet, impenetrabiles erant Normannis. Docuit igitur dux *Willielmus* genti ſuæ fugam ſimulare. Fugientes autem ad quandam foueam magnam doloſe protectam deuenerunt: vbi multus numerus eorum corruens oppreſſus eſt. Dum igitur Angli in ſequendo perſiſtunt, acies principalis Normannorum mediam Anglorum cateruam pertranſiit. Quod videntes qui perſequebantur per foueam prædictam, redire compulſi, ibidem ex magna parte perierunt. Docuit etiam dux *Willielmus* viros Sagittarios, vt non in hoſtem directe, ſed in aera ſurſum ſagittas emitterent, cum eum hoſtilem ſagittis cæcarent. Quod Anglis magno fuit detrimento. Viginti autem equites ſtrenuiſſimi fidem ſuā dederunt inuicem, quod Anglorum cateruam perrumpentes, ſignum regium, quod vocatur Standard/ arriperent. Quod dum facerent plures eorum occiſi ſunt. Pars autem

* al. Pariſiis.

tem

tem eorum via gladiis facta Standard aſportauit. Interea totus imber ſagittariorum cecidit circa regem *Haraldum*: & ipſe in oculo percuſſus corruit. Irrumpens autem multitudo equitum regem vulneratum interfecit, & *Girh* conſulem interfecit, & *Lewine* cõſulem & fratres cum eo. Sic igitur contritus eſt exercitus Anglorum. *Willielmus* vero tãta potitus victoria ſuſceptus eſt a Londonienſibus pacifice & coronatus eſt apud Weſtminſter ab *Aldredo* Eboracenſi Epiſcopo. Et facta eſt mutatio dextræ excelſi; quam Cometa ingens in exordio eiuſdem anni deſignauerat. Vnde dictum eſt,

Anno milleno ſexageno quoque ſeno
Anglorum metæ flammas ſenſere Cometæ. Commiſſum eſt autem bellũ mẽſe Octob. in feſtiuitate ſancti *Calixti.* Quo in loco rex *Willielmus* abbatiam nobilem poſtea pro defunctis ſuis conſtruxit: & eam digne nomine Belli vocauit.

Willielmus rex anno ſequenti mare tranſiit ducens ſecum obſides & theſauros; & eodem anno rediens diuiſit terram militibus ſuis. Sed *Eadgar* iuuenis cum multis militibus pergens in Scotiam, regi Scottorum ſororem ſuam *Margaretam* deſponſauit. Cum autem rex *Roberto* Comiti conſulatum Nordhumbre dediſſet, prouinciales, eum & cum eo nongintos homines occiderunt. Tunc *Edgar* iuuenis cum omni gente Nordhumbre venit Eouirwic: & Burgenſes cum eo pacem fecerunt. Rex vero veniens cum exercitu ciuitate prædata, magnam gentis perfidæ ſtragem dedit. *Edgarus* autem reuerſus eſt in Scotiam.

Willielmi regis anno tertio venerunt duo filii *Swain* regis Dacorum & *Osbertus* Conſul frater ſuus cum trecentis puppibus in Humbram, ad quos *Walthef* Conſul & *Edgar* iuuenis venerunt: iunctique ſimul Daci & Angli Caſtellum de Eouirwic ceperunt; multoſque Francorum perimentes, principes eorum vinctos & theſauros ad puppes tulerunt: & inter Vſam & Trentam hyemauerunt. Rex autem adueniens Dacos aufugauit, & Anglos illius prouinciæ deſtruxit. At Conſul *Walthef* cum rege concordatus eſt. An. ſeq. *Baldewino* Flandriæ Conſuli defuncto, cuius filiã rex *Willielmus* duxerat, ſucceſſit filius ſuus *Ernulfus*: quem rex *Willielmus* Anglorum, & *Philippus* rex Francorum manu tenebant. *Rodbertus* autem Friſenſis frater eius bello confligens occidit *Ernulfum* Conſulem, & *Willielmum* filium *Osberti*, de quo prædiximus, & multa millia hominum vtriuſque regis.

Willielmi regis anno quinto *Markerus* & *Edwinus* Conſules cœperunt prædari per campos & nemora. *Edwinus* autem occiſus eſt a ſuis. *Markerus* vero & *Herewardus* & *Alwinus* Epiſcopus venerunt in * Heli. Rex vero ducens exercitum terra & mari Inſulam obſedit, pontem parauit, domum belli artificioſe conſtruxit, quæ vſque hodie perſtat: viros prædictos introiens Inſulam cepit præter *Herewardum*, qui ſuos viriliter ſtrenuiſſimus eduxit. Sequenti anno duxit Rex exercitum terra & mari in Scotiam, *Melcolm* vero Rex Scottorum homo ſuus effectus eſt, & obſides ei dedit. Anno ſequenti Rex duxit exercitum Anglorum & Francorum in Cenomanniam. Angli vero terram illam deſtruxerunt villas comburendo, vineas cędendo, & eam regi ſubdiderunt. Proximo vero anno iuit Rex in Normanniam, & *Edgar* iuuenis concordatus eſt ei, & in curia regis diu permanſit.

el. Eli.

Willielmi regis anno nono, *Radulfus*, cui Rex conſulatum Eſtangle dederat, regem à regno expellere præcogitauit conſilio *Walthef* conſulis, & *Rogeri*, qui fuit filius *Willielmi* filii *Osberti*: cuius ſororem Conſul prædictus duxit, & in ipſis nuptiis hanc proditionem prolocuti ſunt. Proceres vero regni ei viriliter obſtiterunt: vnde ipſe naues introiens apud Nordwic receſſit in Daciam. Rex autem rediens in Angliam *Rogerum* Conſulem cognatum ſuum miſit in carcerem. Sed *Walthef* Conſulem decollari fecit apud Winceſtre, & ſepultus eſt apud Cruland. Cæterorum vero, qui nuptiis prauis interfuerant, multos fugauit, multos oculis priuauit. *Radulfus* autem Conſul adducens ſecum *Cnuth* filium *Swein* regis Dacorum & *Hacun* Conſulem rediit in Angliam cum 200. puppibus. Sed cum non auderent contra regem *Willielmum* pugnare transfretauerunt in Flandriam. Eodem anno *Edith* regina deceſſit, & ſepulta eſt iuxta virum ſuum regem *Edwardum* apud Weſtminſtre. Anno ſequenti Rex transfretans obſedit Dol. Britanni autem caſtellum tenuerunt viriliter, donec Rex Franciæ adueniens liberauit eos. Poſtea vero rex Franciæ, & rex *Willielmus* concordati ſunt. Rex autem Scottorum *Melcolm* prædatus eſt in Nordhumbre vſque ad Tine: & prædam maximam, multoſq; homines ſecum in vinculis reduxit. Rex quoque *Willielmus* ſeditione militari agens contra *Robertum* filium ſuum apud Gerberei, quod eſt caſtrum in Francia, equo ſuo propulſus eſt: & *Willielmus* filius ſuus vulneratus eſt, & multi ex ſuis occiſi. Maledixit autem Rex

Roberto filio ſuo. Porro Nordhumbri proditione occiderunt *Walkerum* Epiſcopum Dunelmiæ, in quodam placito pacifice ſtatuto iuxta Tinam, & centum homines cum eo.

Willielmus rex anno decimo quinto duxit exercitum in Walliam, & eam ſibi ſubdidit: *Odonem* Epiſcopum fratrem ſuum poſtea in carcerem poſuit. His tranſactis Regina *Matildis* obiit. Eo tempore cepit Rex ab vnaquaq; hida Angliæ ſex ſolidos. *Turſtanus* vero Abbas Glaſtingebirh turpe ſcelus commiſit. Tres namq; Monachos ſub altare poſitos occidi fecit: & octodecim vulnerari; Ita quod ſanguis eorum cucurrit ab altari ſuper gradus & à gradibus ſuper arenam.

Willielmus rex anno decimo octauo, (quo in anno *Vrbanus* Papa effectus eſt Romanus) redit à Normannia in Angliam cum tanto exercitu Francorum, Normannorum, Brittannorum; quod mirum videbatur, quomodo hæc terra paſcere eos poſſet. Didicerat enim fama crebreſcente, quod Rex Daciæ *Cnuth*, & *Robertus* Friſenſis Conſul Flandriæ volebant ditioni ſuæ Angliam Martis greſſibus ſupponere: cum autem apparatus eorum Deo volente defeciſſet, remiſit magnas partes exercituum ad natale ſolum. Miſit autem dehinc rex potentiſſimus iuſticiarios per vnamquamq; ſcyram, id eſt, prouinciam Angliæ, & inquirere fecit per iuſiurandum quot hydæ, (id eſt iugera vni aratro ſufficientia per annum) eſſent in vnaquaque villa, & quot animalia. fecit etiam inquiri, quid vnaquæq; vrbs, caſtellum, vicus, villa, flumen, palus, ſylua, redderet per annum. Hæc autem omnia in chartis ſcripta delata ſunt ad regem, & inter theſauros repoſita vſq; hodie ſeruantur. Eodem anno *Mauricius* effectus eſt Epiſcopus Londoniæ, qui templum maximum quod nec dum perfectum eſt, incepit.

Willielmus rex fortis anno decimo nono regni ſui cum de more tenuiſſet curiam ſuam in Natali apud Gloucceſtre, ad Paſcha apud Winceſtre, ad Pentecoſten apud Londoniam, HENRICVM filium ſuum iuniorem virilibus induit armis. Deinde accipiens hominium omnium terrariorum Angliæ, cuiuſcunq; feudi eſſent, iuramentum etiam fidelitatis recipere non diſtulit. Poſtea Rex adquiſitis magni theſauri copiis ſuper quoſcunq; aliquam cauſam inuenire poterat, ſiue iuſte ſiue iniuſte, iuit in Normanniam.

Anno vigeſimo primo Regni WILLIELMI Regis cum iam Domini iuſtam voluntatem ſuper Anglorum gentem Normanni compleſſent: nec iam vix aliquis princeps de progenie Anglorum eſſet in Anglia, ſed omnes ad ſeruitutem & ad mœrorem redacti eſſent: ita etiam, vt Anglicum vocari eſſet opprobrio: Huius author vindictæ WILLIELMVS vitam terminauit. Elegerat enim Deus Normannos ad Anglorum gentem exterminandam: quia prærogatiua ſæuitiæ ſingularis omnibus populis viderat eos præminere. Natura ſiquidem eorum eſt, vt cum hoſtes ſuos adeo depreſſerint, vt adiicere non poſſint, ipſi ſe deprimant, & ſe terraſque ſuas in pauperiem & vaſtitatem redigant: ſemperque Normannorum Domini cum hoſtes contriuerint, cum crudeliter non agere nequeant, ſuos etiam hoſtiliter conterunt. Quod liquide in Normannia, & Anglia, Apulia, Calabria, Sicilia, & Antiochia terris optimis, quas eis Deus ſubiecit, magis magiſq; apparet. In Anglia ergo tholonea iniuſta, & peſſimæ conſuetudines his temporibus pullulauerunt. Principes omnes auri & argenti cupiditate cæcati adeo erant, vt illud de iis vere dici poſſit, Vnde habeat, nemo quærit, ſed oportet habere: quanto magis loquebantur de recto tãto maior fiebat iniuria. Qui iuſticiarii vocabantur, caput erant omnis iniuſtitiæ. Vicecomites, & præpoſiti, quorum erat officium iuſtitia, & iudicium furibus & raptoribus atrociores erant, & omnibus ſæuiſſimis ſæuiores. Rex ipſe cum ad firmam terras ſuas, quanto carius poterat, dediſſet: alii magis offerenti, & deinde alii, ſemper negligens pactum, & ad maiora ſtudens, dabat. Nec erat cura quanta iniuria pauperibus a præpoſitis fieret. In hoc anno igitur peſtes infirmitatis & famis Angliæ Deus immiſit, vt qui febribus euaderet, fame moreretur. Immiſit etiam tempeſtates, & tonitrua, quibus multos hominum occidit: nec animalibus, nec pecori pepercit. Iuerat autem hoc anno Rex WILLIELMVS in Franciam prædauitq; regnum Regis PHILIPPI, & multos ſuorum neci dedit. Combuſſit quoq; caſtrum nobile quod vocatur * Maante; & omnes Eccleſias, quæ ibi inerant, plebemque multam, & duos Anachoritas ſanctos igni tradidit. Quibus de cauſis Deus irritatus Regem cum inde rediret infirmitati, poſtea morti conceſſit. De cuius Regis potentiſſimi vita bona perſtringenda ſunt, & mala: vt à bonis ſumantur exempla, & à malis diſcatur cautela.

al. Anaũte

Willielmus omnibus Normanniæ conſulibus fortior fuit. omnibus Anglorum Regibus potentior fuit: omnibus prædeceſſoribus laude dignior fuit. Erat autem ſapiens, ſed aſtutus: locuples, ſed cupidus: glorioſus, ſed famæ deditus: erat humilis Deo ſeruientibus,

bus, durus ſibi reſiſtentibus. Poſuerat namq; conſules, & principes in carcerem: Epiſcopos, & abbates poſſeſſionibus ſuis priuauerat: fratri proprio non pepercerat: nec erat, qui reſiſteret. Auferebat quoq; potentiſſimis etiam auri & argenti millia, ad caſtella ſolus omnes fatigabat conſtruenda. Si ceruum caperent, aut aprum, oculos iis euellebat, nec erat, qui obmurmuraret. Amauit autem feras, tanquam pater eſſet earum: vnde in ſyluis venationum, quæ vocantur Noueforeſt/ Eccleſias & villas eradicari, gentem extirpari, & a feris fecit inhabitari. Cum autem raperet ſuis ſua, non pro aliqua neceſſitate, ſed præ nimia cupiditate, in intimis cordium amaricabantur, & tabeſcebant. Ipſe vero nihili pendebat iras eorũ. Sed oportebat omneis obſequi regis nutui: ſi amore eius, vel pecunia, vel terris vel vita vellent perfrui. Heu quanto dolore plangendum eſt, quod aliquis hominũ, cũ cinis, & vermis ſit, adeo ſuperbiat, vt ſuper omnes ſe ſolum mortis oblitus extollat. regi namq; præfato Normannia hereditarie peruenerat. Cenomanniam armis acquiſierat: Brittanniam ſibi accliuem fecerat. Super Angliam ſolus totam regnauerat: ita quod nec ibi vna ſola hyda inerat, de qua neſciret cuius eſſet, & quid valeret. Scotiã quoq; ſibi ſubiugauerat: Walliamq; reuerendus in ſuam acceperat: pacis autem tantus author fuerat, quod puella auro onuſta regnum Angliæ pertranſire poſſet impune. Si aliquis quempiam quacunq; de cauſa peremiſſet, capitali ſubiacebat ſententiæ: ſi aliquem vi oppreſſiſſet, genitalibus priuabatur armis. Conſtruxit autem abbatiam *Belli*, de qua prædictum eſt. Et illam apud * *Cahom* in Normannia, in qua ipſe ſepultus eſt. Vxor vero ſua *Matildis* nomine abbatiam ſanctimonialium ibidem conſtruxit, in qua ipſa ſepulta eſt. Quorum animabus miſereatur, qui ſolus poſt mortem medetur. vos igitur qui legitis, & viri tanti virtutes & vitia videtis bona ſequentes, & à malis declinantes, pergite per viam directam, quæ ducit ad vitam perfectam. *al. Chad.*

Eodem anno Pagani ſuper Chriſtianos in Hiſpania prædati ſunt, & partes Regni magnas occupauerunt. *Amphos* vero Rex Chriſtianos accepto circumquaq; à Chriſtianis auxilio reſurgens Paganos occidit, fugauit, terræ ablatæ damna reparauit. Accidit etiam in Dacia, quod Daci nunquam antea in Dominum fide læſi, *Cnut* regem ſuum in Monaſterio quodam proditione peremerunt. *Willielmus* vero Rex *Roberto* filio ſuo primogenito dimiſerat Normanniam: *Willielmo* filio eius ſecundo regnum Angliæ; Henrico tertio filio ſuo theſauri copiam: pro quo cum *Robertus* partem ei Normanniæ vendidiſſet, theſauro habito terram ei abſtulit. Quæ res Deo valde diſplicuit: ſed vindictam in tẽpore diſtulit. *Willielmus* vero pergens apud Wínceſtre theſaurum patris ſui ſecundum imperium eius diuiſit. Erant autem in theſauro illo 60. mille libræ argenti: excepto auro, & gemmis & vaſis & palliis. Deditq; inde quibuſdam Eccleſiis decem marcas auri, quibuſdam ſex. & vnicuiq; Eccleſiæ villæ quinq; ſolidos, & miſit in vnumquemq; Comitatum centum libras diuiſum pauperibus. Præcepto quoq; patris ſui omnes vinctos à vinculis ſoluit. Rex igitur nouus curiam ſuã ad natale tenuit apud Londoniam, in qua affuerunt *Lanfrancus* Archiepiſcopus, qui eũ ſacrauerat in regem, & *Thomas* Eboracenſis archiepiſcopus, & *Mauricius* Londonienſis epiſcopus, & *Walchelmus* Wintonienſis, & *Gaufridus* epiſcopus Exceceſtre/ & *Wlnod* epiſcopus ſanctus Wirceceſtriæ, & *Willielmus* Tedfordiæ, & *Robertus* Ceaſtre/ & *Willielmus* Dunelmiæ, & *Odo* epiſcopus Baiocenſis iuſticiarius & princeps toti' Angliæ: & *Remigius* epiſcop' Lincolnienſis, de quo pauca tangere res exigit.

Remigio igitur, qui Monachus fuerat apud Feſcamb dederat Rex Epiſcopatum Dorceceſtre, quæ ſita eſt ſuper Tamaſim. Cum autem Epiſcopatus ille maior omnibus Angliæ à Tamaſi vſque ad Humbram duraret, moleſtum viſum eſt Epiſcopo, quod in ipſo termino Epiſcopatus ſedes eſſet Epiſcopalis: Diſplicebat etiam ei, quod vrbs illa modica erat, cum in eodem Epiſcopatu ciuitas clariſſima Lincolniæ dignior ſede Epiſcopali videretur. Mercatis igitur prædiis in ipſo vertice vrbis iuxta caſtellum turribus fortiſſimis eminens in loco forti fortem, pulchro pulchram, virgini virginum conſtruxit Eccleſiam: quę & grata eſſet Deo ſeruientibus, & vt pro tempore oportebat inuincibilis hoſtibus. Prouinciam tamen Lindiſſe Archiepiſcopus Eboracenſis calumniabatur ex antiqua temporum ſerie. *Remigius* vero nihili ducens impetitionem eius, non ſegniter opus inceptum peregit: peractumq; clericis doctrina & moribus approbatiſſimis decorauit. Erat ſiquidem ſtatura paruus, ſed corde magnus: colore fuſcus, ſed operibus venuſtus. De regia quidem proditione fuerat impetitus: ſed famulus eius ferri igniti iudicio dominum purgans regio reſtituit amori, & maculam Pontificali deterſit decori. Hoc tempore, hoc authore, his cauſis incepta eſt Eccleſia moderna Lincolnienſis.

Verum iam rebus vſque ad tempora noſtra perductis, nouis nouus liber eſt donandus. Si autem & hic prædictorum recapitulatio elucidans requiratur, nec ob iſta, cum

pauca ſint, lectori moleſtus apparebo. Ecce igitur ſpeculum de regibus libri terminati.

AEthelred regnauit ſuper vniuerſos fines Angliæ 37. annis ſemper cum labore.

Edmundus iuuenum fortiſſimus regnauit vno anno, & proditione occiſus eſt.

Cnut omnium prædeceſſorum ſuorum maximus regnauit glorioſe viginti annis.

Haraldus filius eius regnauit quatuor annis, & 16. hebdomadis.

Hardecnut munificus regis *Cnut* filius cum regnaſſet duobus annis ſex diebus minus, morte præreptus eſt.

Edwardus Rex bonus & pacificus regnauit in pace viginti quatuor annis.

Haraldus rex periurus vno anno, & tamen non pleno, quem proprio perdidit iniuſtitia.

Willielmus omnium prædictorum ſummus viginti vno annis glorifice ſplenduit, de quo dictum eſt,

Cæſariem, Cæſar, *tibi ſi natura negauit,*
Hanc Willielme *tibi ſtella* * *cometa dedit.*

al. cometa.

HENRICI HVNTINDONIENSIS HISTORIARVM.

LIB. VII.

HACTENVS de iis, quæ vel in libris veterum legendo reperimus, vel fama vulgante percepimus, tractatum eſt. Nunc autem de his quæ, vel ipſi vidimus, vel ab iis, qui viderant, audiuimus, pertractandum eſt. Declaratumq; conſtat, quo modo Dominus ſalutem & honorem genti Anglorum pro meritis abſtulerit, & iam populum non eſſe iuſſerit. Patebit à modo, quomodo & ipſos Normannos vindices quidem ſuos variis cladibus afficere inceperit. Omnes namq; nobiliores procerum in *Willielmum* iuniorem non ſine periurio bellum mouentes, & *Robertum* fratrem ſuum in regnum aſciſcentes, ſuis quiq; prouinciis debacchati ſunt. *Odo* præſul Baiocenſis, princeps, & moderator Angliæ, in Cantia ſeditionem exordiens, regis & Archiepiſcopi villas inuaſit, & combuſſit. *Rogerus* Conſul de * Moretiel circa Peuenſe idem incepit. *Galfridus* Epiſcopus prodiens à Brigeſtou vrbē Bade, & Berchelai, & circumiacentia deſtruxit. *Rogerus* in caſtello Nordwic ſceleris exercitium per Eſtangle non ſegnius inchoauit. *Hugo* in prouincia Legeceſtriæ & Hamptoniæ nihil mitius egit. *Willielmus* Epiſcopus Dunelmiæ in finitimis ſimilia perpetrauit. Principes vero Herefordſhyre & Salopeſcyre cū Walenſibus prædantes combuſſerunt prouinciam Wireceſtre vſq; ad portas vrbis. Cum autem templum & caſtellum aſſilire pararent, *Wlſtanus* Epiſcopus ſanctus quendam amicū familiarem ſummis in neceſſitatibus compellauit, Deū videlicet excelſum. Cuius ope corā altari iacens in oratione paucis militibus emiſſis quinq; mille hoſtium, vel occidit, vel cepit: cæteros vero mirabiliter fugauit. Rex autem congregato Anglorum populo, reddidit venatus, & nemora, legeſq; promiſit exoptabiles. Perrexit igitur ad caſtellum Tunebruge: vnde Gilebertus ei rebellabat. Cum autem regalis exercitus iam caſtellum cōſtringeret, cū rege pacificatus eſt. Rex inde progrediens ad Peueneſe, obſedit ibi *Odonem* Epiſcopum, & *Rogerum* cōſulem per ſex hebdomadas. Interea *Robertus* dux Normanniæ Angliam feſtinans adire, & auxilio prædictorum obtinere, præmiſit partem exercitus in auxilium ſuorum, diſponens cum copiis ingentibus eos proſequi. Anglici vero mare cuſtodientes occiderunt, & ſubmerſerunt ex illis innumerabiles. Igitur qui erant in Peueneſe deficiente cibo caſtrum regi reddiderunt. Odo ſiquidem Epiſcopus iurauit ſe ab Anglia receſſurum, & caſtellum Roueceſtriæ redditurum: cum autem vt illud redderet cum regis hominibus eo veniſſet, *Euſtacius* Conſul & cæteri proceres, qui vrbi inerant fallacia ipſius Epiſcopum regiſq; miniſtros ceperunt, & in carcerem retruſerunt. Quibus rex auditis Roueceſtriam obſedit, donec firmitas reddita eſt: & Epiſcopus *Odo* non rediturus mare tranſiit. Mittens quoq; rex exercitum Dunelmię obſedit vrbē, donec reddita eſt ei. Epiſcopus vero multiq; proditorū propulſi ſunt in exiliū. Rex vero terras infidelium fidelibus ſuis diſtribuit. *Lanfrancus* archiepiſc. doctor luculentus clericorum, & pater dulciſſimus monachorū, à rebus tranſitoriis anno ſequente tranſiit. quo in anno terræ motus fuit terribilis. Iunior *Willielmus* anno 3. regni ſui vlciſci paratus iniurias, quas ei frater ſuus ingeſſerat, muneribus datis acquiſiuit ſibi caſtellū *S. Walerici* & Albemarle. qui milites ſuos mittens, prædari, & comburere terram fraternam cœpit. Anno vero ſequenti Rex ipſe ſequens eos concordiam cum fratre ſuo fecit. Eo tamen pacto, vt caſtra illa, quæ frater ab eo in-

al. Moretuil.

iniuria acquiſierat, regi remanerent. Rex autem adiuuaret eum ad omnia, quæ pater ſuus habuerat conquirenda. Statuerunt etiam, ſi quis eorum moreretur prior altero ſine filio, quod alter fieret hæres illius. Hoc pactum iurauerunt duodecim principes viceregis, & duodecim viceducis. Interea *Melcolm* Rex Scottorum prædatum veniens in Angliam, validiſſime vexauit eam. venientes igitur in Angliam Rex & cum eo *Robertus* frater ſuus, direxerunt acies in Scotiam. Itaq; *Melcolm* nimio timore perſtrictus homo Regis effectus eſt, & iuramento fidelitatis ei ſubiectus. *Robertus* autem dux cum fratre ſuo diu perendinans cum plus ficti amoris quam veri circa eum reperiſſet, transfretauit ad propria. Succedente anno rex reædificauit Carleol/ & ex auſtralibus Angliæ partibus illuc habitatores tranſmiſit. *Remigius* vero præſul cum Eccleſiam Lincolnienſem iam perfectam dedicaturus eſſet, vno die ante hoc languore correptus expirauit.

Iunior *Willielmus* in Quadrageſima infirmatus eſt apud Glouceaſtre 6. anno regni ſui deditq; archiepiſcopatum Cantuariæ *Anſelmo* abbati viro ſancto, & venerabili: *Roberto* quoq; cognomento *Bloet* cancellario ſuo dedit Epiſcopatum Lincolnię, quo nō erat alter forma venuſtior, mente ſerenior, affatu dulcior. Promiſit quoq; rex ſe prauas leges emendaturum, & in domo Domini pacem poſiturum. Sed ex quo ſanus fuit, pœnituit eum, & ſolito peior effectus eſt. Condolens igitur, quod Epiſcopatum Lincolniæ non vendiderat, cum archiepiſcopo Eboracenſi calumniatus eſt *Robertum* Epiſcopum, quod vrbs Lincolniæ, & prouincia Lindiſſe archiepiſcopo eidem ſubiacere debuiſſent. Nec potuit cauſa terminari, donec *Robertus* 5000. lib. regi pro libertate Eccleſiæ ſuæ pepigerit; quod Regi quidem ſymoniæ, præſuli vero iuſtitiæ deputatum eſt. Eodem anno *Melcolm* Rex Scotiæ in Anglia prædans, ex improuiſo eſt interceptus, & interfectus, & *Edwardus* filius ſuus hęres, ſi viueret, eius. Quod vt audiuit *Margareta* regina, duplici contritione anxiata eſt in anima vſq; ad mortem: pergenſq; ad Eccleſiā confeſſionem & communionem recepit, & Domino precibus ſe cōmendans animā reddidit. Scotti vero elegerunt * *Dunenal* fratrē *Melcolm* in regem. [al. Dunecnal.] Sed *Dunecan* filius *Melcolm* regis, qui erat obſes in curia regis *Willielmi*, auxilio eiuſdem regis ſuperueniens auunculū ſuū fugauit, & ſuſceptus eſt in regem. Anno vero ſequenti cōſilio eiuſdem *Dunenal* Scotti regem ſuū *Dunecan* inſidiantes occiderūt.

Iunior *Willielmus* 7. anno regni ſui, prouocatus à fratre ſuo, quod iuſiurandum non ſeruaſſet, transfretauit in Normanniam. Cum ergo fratres ſimul veniſſent iuratores omnē culpam regi impoſuerunt. Rex vero ferus ea negligens, & iracunde diſcedens caſtellum Bures inuaſit, & cepit. E contra dux Caſtellum Argentes cepit, & in eo conſulem Regis nomine *Rogerum* Pictauenſem & cum eo 700. milites, & poſtea caſtrum Hulme. Fecit interim rex ſummoneri 20000. peditum Anglicorum, vt venirent in Normanniam; cū autem ad mare veniſſent, rex ab vnoquoq; eorum pecuniam victualem ſcilicet decem ſolidos accipiens, eos domum remiſit. Dux vero *Robertus* adduxit *Philipppum* regem Francorum ſecum, & exercitum copioſum: vt obſiderent regem *Willielmum* apud * Hou. [al. Ou.] Ingenio autem & pecunia regis *Willielmi* rex Francorum reuerſus eſt, & ſic totus exercitus pecuniæ tenebris obnubilatus euanuit. Rex vero *Willielmus* mandauit *Henrico* fratri ſuo, qui erat apud Damfrunt/ vt eſſet in natali cōtra eum in Anglia. *Henricus* ergo in natali fuit apud Londoniam: rex vero apud Withſand: vnde appulit Doroberniam. Anno vero ſequenti miſit *Henricum* fratrem ſuum in Normanniam cum pecunia multa, vt eam loco regis diutinis inuaſionibus expugnaret. Cum autem *Robertus* conſul Nordhumbræ in ſuperbiam elatus, quia regem Scottorum ſtrauerat, curiam regis adire repudiaret: promouit rex exercitum in Nordhumbre: ſtatimque in quadam firmitate, quæ vocatur Nouum caſtellum, omnes meliores conſules & proceres cepit. Inde vero caſtellum Tinemuth cōquiſiuit, & fratrem conſulis in eo. Poſt hæc obſedit conſulē ad * Bahanburh: quod cum [al. Bebanburh.] armis inexpugnabile videret, parauit ante illud caſtellū aliud, quod appellauit Maluciſin: in quo partem relinquens exercitus receſſit. Quadam vero nocte cum conſul receſſiſſet à Bahanburh/ ſecutus eſt eum regalis exercitus vſq; in Tinemuthan: vbi cum ſe defendere conaretur, nec poſſet, vulneratus eſt & captus, & apud Winſeſhores in carcere poſitus. Ergo redditum eſt regi caſtrum Behamburch: fautores vero conſulis male pacati ſunt. Nā *Willielmus* de Ou oculis priuatus eſt; *Odo* conſul Campaniæ, cæteriq; complures exhæredati ſunt. Eodem anno rex impiger vexilla direxit in Walliam, cauſa autem hæc eſt. Anno præterito multos Francorum occiderant, & procerum firmitates confregerant, & ferro & igne finitimos inuaſerant. Anno etiam præſenti caſtellum Mungumerie ſtrauerant, & inhabitantes necauerant: rex igitur pertranſiens omnes fines Walliæ cum in diuerſoriis montium & ſyluarum eos perſequi nō poſſet, parum vel nihil proficiens, reuerſus eſt. Eo tempore ſtellæ viſæ ſunt de cœlo cadere, ita ſpiſſæ, quod numerari non poterant.

Anno milleſimo nonageſimo ſexto facta eſt motio Ieroſolymitana prædicatione *Vrbani* Papæ. *Robertus* igitur dux Normanniæ illuc proficiſcens poſuit Normanniam in vadimonium fratri ſuo Regi *Willielmo*. Iuit autem cum eo *Robertus* dux Flandriæ, & *Euſtachius* conſul Boloniæ. Iuerunt & ex alia parte dux *Godefridus*, & conſul de monte *Baldewinus*, & alius *Baldewinus* reges Ieruſalem futuri. Iuerunt quoque ex tertia parte Comes de Sancto *Ægidio Reimundus*, & Epiſcopus Podienſis. Quis autem taceat *Hugonem* magnum fratrem regis Francorum, & *Stephanum* Comitem * *Blais*? Qui non memoret *Buamundum*, & nepotem eius *Tancredum*? Hoc eſt miraculum Domini magnum temporibus noſtris factum, ſeculis omnibus inauditũ, vt tam diuerſæ gentes, tot fortiſſimi proceres, relictis poſſeſſionibus ſplendidis, vxoribus & filiis, omnes vna mente loca ignotiſſima morte ſpreta petierint: ob cuius rei magnitudinem digrediendi veniam à lectore poſtulo. Nec enim ſi voluero tam miranda Dei magnalia tacere vel coactus potero, cum nec abſit cauſa, Normannorum ducis occaſio.

al. Bleſis.

Alexi igitur apud Conſtantinopolim imperante cuncti prædicti proceres conſenſu imperatoris ſiue volentis, ſiue obedientis ibidem congregati ſunt, pertranſeunteſq; mare ſtrictiſſimum, quod olim Helleſpontiacum nunc brachium S. *Georgii* vocatur, Nicæam vrbem, quæ caput eſt Romaniæ, obſederunt. Ad portam igitur *Orientalem* conſederat dux Normanniæ *Robertus*, iuxta quem conſul Flandriæ: ad portam Borealem dux *Buamundus*, iuxta quem *Tancredus*: ad Occidentalem dux *Godefridus*, iuxta quem *Hugo* magnus, & Comes *Stephanus*: ad Auſtralem conſul *Reimundus*, iuxta quem Podienſis Epiſcopus. Turba autem ibi innumerabilis erat Angliæ, normanniæ, Brittanniæ, Aquitaniæ, Hiſpaniæ, Prouinciæ, Franciæ, Flandriæ, Daciæ, Saxoniæ, Alemanniæ, Italiæ, Græciæ, & regionum multarum. Non perluſtrauerunt radii ſolares à prima ſui creatione tantam, tam præclaram militiam, tam verendam, tam Numeroſam turbam, tot & tam bellicoſos duces. Ceſſet Troia, ceſſent Thebæ duces & principes deſtructionis ſuæ, vt excuſentur, nominare. Hic affuerunt electiſſimi omnium temporum filii fulgentes occidentis: omnes crucis ſigno inſigniti: omnes in regnis ſuis reliquorum fortiſſimi. Igitur in die Aſcenſionis Domini lituis vndique concinentibus vrbs aggreſſa eſt. Repletur cœlum clamoribus, nigreſcit aer ſagittis, mugit terra propulſibus, reſonant aquæ ſtridoribus, venitur ad murum, foſſoribus res agitur. Paganis non ſagittæ, non tela, non ligna, non lapides, non fragmenta, non moles, non ignis, non aqua, non ars, non vires, non proſunt amentata miſſilia. Cum ecce Turcorum exercitus acie terribilis ordinata, ex Auſtrali regione vexillis erectis apparuit. Quibus conſul *Reimudus*, & Epiſcopus Podienſis diuina virtute protecti, & armis terrenis fulgidi cum ſuo lætantes occurrunt exercitu. Dum igitur noſtri vehementer irruunt in illos, horrore inſperato liquefacti Domino iubente diſſoluuntur. Magna quidem pars fugientium capitibus minorata eſt: quæ fundis in vrbem proiecta non modicum contulerunt in habitantibus tremorem. Igitur inæſtimabiliter perterriti noſtris vrbem reddunt: noſtri vero ſecundum quod pepigerant imperatori. Cum igitur per ſeptem hebdomadas, & tres dies ibi morati fuiſſent, iter ad Antiochiam dirigunt. contigit autem quod die tertia in duo diuideretur exercitus. In quo quidem principes erant, dux Normannorum *Robertus*, *Buamundus Richardus*, de Principatu, *Tancredus*, *Euerardus* de Puiſat: *Achardus* de monte Merloy, & plures alii. Hos igitur circumdederunt Parthorum, qui modo Turci vocantur, & Perſarum, & Publicanorum, & Medorum, & Cilicienſium, & Sarracenorum, & * Angulanorum, ter centum ſexaginta millia, extra Arabes: quorum non erat numerus. Mittitur ergo nuncius à prædictis principibus ad alium exercitum. Interim vero bellum geritur horrendum. Dum namque Turci, & Perſæ, & Medi mortem immittunt ſagittis, Cilicienſes vero & Angulani telis, Sarraceni quidem & Arabes lanceis, ſed Publicani clauis ferratis & gladiis; proſtrati ſunt vehementer Chriſtiani. Equi namque eorum inſolitum non ferentes clamorem & buccinarum clangorem, & ictus taburciorum, calcaribus non obtemperabant. Noſtrates quoque tanto ſtridore perculſi, quid eſſet ignorabant. Dum igitur iam fugam Chriſticolæ vel meditarentur, vel inciperent, occurrit *Robertus* dux Normanniæ clamans: Quo milites? Quo fugitis? Equi eorum velociores noſtris ſunt: fuga non eſt præſidio: Hic potius moriendum eſt mecum ſentite, me ſequimini. Dixerat, & in quendam Paganorum regem lanciæ direxit aciem, quæ lignum & æs & corpus æque diffidit, ſtrauitq; in momento ſecundum, ac tertium. Igitur *Tancredus* impiger & *Buamundus* belliger & *Richardus* de Principatu & *Robertus* de Anſa dux & miles fortiſſimus non ſegnius indulgent ictibus. Redit animus noſtris, pugna committitur grauiſſima, & horrende prolixa, cũ ecce *Hugo* magnus, & *Anſelmus* de * Ripemunt cũ centum tantum

al. Angulanorum.

al. Ribemunt.

tum militibus alium præuolantes exercitum defeſſos Paganos recentes findunt. Erat namque *Hugonis* lancea quaſi fulmen aduolans: gladius *Anſelmi* quaſi flamma diuidua. Tunc duo principes noſtrorum cæſi ſunt, dum Arabum quanto plures cæduntur tanto plures ingruunt. *Willielmus* namq; frater *Tancredi* dum regem lancea transfixit, lancea eiuſdem Regis transfigitur. *Godefridus* quoq; de Monte Scabioſo dum caput Arabis amputat ſagitta Parthi corpus perforatur, lorica calefacta iam non reſiſtente. Pondus & numerum hoſtium iam Franci vltra perferre nequibant, cum ecce ex aduerſo ſylua vexillorum alterius exercitus apparuit. Cum autem bellum duraſſet vſq; in horam 9. innumeri in primo exercitu occiſi ſunt, nulluſq; eorum euaſiſſet, niſi alius cœtus ſuperueniſſet. Nec quoquam poſtea tempore pagani tam ſedulo pugnauerunt. Exercitus autẽ ſuperuenientis prima *Godefridi* acies procedebat, ad dextram cuius vterq; *Baldwinus* aciem dirigebat. Ad ſiniſtram vero conſul *Stephanus* & * *Vſewardus de Nulſione*. Aciem quidem *Baldwini* à longe ſequebatur *Remundus* conſul cum ſuis, aciem vero *Stephani Robertus* validiſſimus cõſul Flandriæ cum ſuis. Sed aciem *Godefridi* ſequebatur acies procerum, & turbæ abſq; numero. Epiſcopus vero Podienſis ex alio monte cum exercitu inuictiſſimo apparuit. Pugnantes igitur Pagani dum tot hoſtes ex inſperato proſpiciunt, quaſi cœlum ruiturum ſuper eos eſſet animis deliquerunt & fugæ indulſerunt cum *Solimanno* duce ſuo. Chriſtiani autem victoria licet damnoſa & ſpoliis innumeris potiti ſunt primo die Iulii. Porro Franci continuantes propoſitum Antiochiæ petendæ venerunt ad Erachiam. Inde ad Tarſum quæ ſubdita eſt *Baldwino* mirifico Comiti. Athena vero & Manuſtra ſubditæ ſunt *Tancredo* viro fortiſſimo. Dux autem nobiliſſimus Normannorum dedit quandam ciuitatem Turcorum, *Simeoni*. *Reimundus* vero conſul magnus, & *Buamundus* lux belli, dederunt aliam ciuitatem, *Petro* de Alpibus. Inde peruenerunt Chriſtiani vſq; ad Coxan, quæ ciuitas ſubdita eſt eis. Princeps autem quidam *Petrus* de Roſa, cepit Ruſam & plurima caſtra. Gens vero Chriſtianorum peruenit Maraſim, quæ ſe dedit eis. Inde peruenerunt ad pontem ferreum. Poſtea Antiochiam, quæ caput eſt Syriæ, obſederunt, 12. Kalendas Nouembris. Audiens vero *Buamundus*, quod Turci eſſent in caſtro congregati, q. vocatur Areg, iuit cũ exercitu ſuo pugnatum contra eos, multoſq; cum paucis Deo volente proſtrauit, multoſque ante portam vrbis decollandos, vt ciues amaricaret, adduxit. Natali vero à Chriſtianis in eadem obſeſſione celebrato; *Buamundus* & Comes Flandriæ cum viginti millibus bellatorum, in terram Saracenorum perrexerunt. Congregati autem erant multi ab Ieruſalem & Damaſco, & Alef. & aliis regnis ad ſuccurrendum Antiochiæ: quibus irruentes vnanimiter noſtri alios in fugam * verterunt, alios occiderunt. Reuertenteſq; duces prædicti cum ſpoliis maximis, debito triumpho à noſtris ſuſcepti ſunt. Interea vrbe incluſi obſidentibus acerrime rebellabant: vexilliferumq; Podienſis Epiſcopi, & multos alios morti dederunt. In Februario vero congregatus eſt mirabilis exercitus Paganorum vltra pontem ferreum, apud caſtellum Areth. Dimittenteſque omnes milites pedites in obſidione omnes milites promouerunt principes ad bellũ: & ſex acies equitum parauerunt. Primã ducebat dux inuictus Normannorum, ſecundam dux *Godefridus* Alemannorum; tertiam *Reimundus* conſul egregius; quartam *Robertus* Flandriæ decus; quintam nobiliſſimus Podienſis Epiſcopus; ſextam, quæ maxima erat, cum *Tancredo Buamundus*. Dum ergo fortiſſime colliduntur hoſtibus, clamor reſonabat ad cœlum, imbres telorum obnubilabant diẽ vnuſquiſq; percutiebat, & percutiebatur. Poſtquam venit maxima vis Parthorum, quæ retro erat, noſtros tam acriter inuaſit, vt paulatim iam cederent; *Buamundus* vero bellorũ arbiter, & certaminum iudex cuneũ ſuum adhuc intactum mediis immiſit hoſtibus. Tũc *Robertus* filius *Girardi* miles optimus, & ſignifer eius, quaſi leo inter agmina gregum, ſic proruit inter agmina Turcorum: & ſemper linguæ vexilli eius volitabant ſuper capita Turcorum. Quod videntes alii animo recuperato vnanimiter inuadunt hoſtes. Dux igitur Normannorum gladio caput cuiuſdam, & dentes, & collum & humeros vſq; in pectora diffidit. Dux vero *Godefridus* quendam medium ſecauit. Cũ igitur pars terræ cecidiſſet, partem domini ferebat equus inter Paganos pugnantes, quo monſtro perterriti ſimul cuncti fugientes in iram damnationis abierunt. Capita igitur multorum delata ſunt ad Antiochiam cũ gaudio, factũ autem eſt hoc bellum inchoante Quadrageſima. Venerant interea multi de gente *Amiralii* Babylonis in Antiochiam. Cũq; noſtri conſtruerent caſtrum ante portam, vbi pons eſt & mahumeria; *Reimundusq; & Buamundus* iuiſſent ad portũ S. *Simeonis* pro victualibus, exercitus ciuitatis proceſſit audacter ad prælium, irruenteſq; noſtris miſerunt eos in fugam, multiſq; occiſis vſq; in tentoria fugauerunt. Craſtina vero die *Reimundum & Buamundum* inuadentes, mille ex ſuis occiderunt. Duces vero fugientes ad noſtros aduolarunt. Franci igitur bis ſauciati & in iram compulſi, in campo an-

al. Oſwardus de Nulſione.

al. miſerunt.

te portas vrbis ſtatuunt terribiliter caſtrorum acies ordinatas. Pagani non ſegniter aciebus diſpoſitis noſtro inuadunt; at Chriſtiani ſignum crucis acclamantes, tam acriter in prima inuaſione hoſtes percuſſerunt & propulerunt, vt ſtatim fugæ darentur. Venienteſque ad anguſtum pontem, vel gladiis cæſi ſunt, vel flumine ſubmerſi ſunt. Pauci náq; per pontem euadere poterant. Vnda fluminis ſanguine rubens & aucta torrebat. Itaq; 12. Amiralii ibidem cæſi ſunt, deditq; Dominus victoriam clariſſimam populo ſuo. Sed in craſtino cum ciues ſuos mortuos ſepeliſſent, noſtri diffodientes eos, aurum & argentũ & pallia, quæ circa eos erant, ceperunt, & capita eorũ in vrbem proiecerunt. Iamq; omnis ſpes & ſuperbia ciuiũ euanuerat. *Tancredus* namq; caſtellũ prędictum ante portam cuſtodiens ſpem victualiũ eis eripuit. *Pirrhus* igitur quidam Amiralius, de gente Turcorum ſæpe prouocatus in amicitiam à *Buamundo*, præuidenſq; ſuos perituros, tres turres, quæ ſui iuris erant, *Buamundo* reddidit. Erectis itaq; vexillis ſuper turres, Franci portis fractis, in vrbem irruerunt. Turcorũ vero alii repugnantes occiſi ſunt, alii extra vrbem fugerunt, quidã autem caſtellũ ſuperius obtinuerunt. *Caſſianus* vero dominus vrbis fugiens, à Surianis comprehenſus eſt, & caput eius *Buamundo* delatũ. Sic Antiochia 3. nonas Iunii capta eſt. *Curbaran* princeps militiæ *Soldani* Perſiæ, & rex Dammaſci, & rex Ieruſalẽ adduxerunt ſecum,

al. Curtos

ad obſidendos Francos, Turcos, Arabes, Sarracenos, Azimitas, * Curtas, Perſas, Augulanos. Sed quid numerẽ maris arenam? Hi igitur obſederunt vrbem. *Curbaran* igitur partem militiæ ſuæ poſuit in ſuperiori caſtello, quæ die nocteq; contra nos pugnabat. Cæteri vero obſidebant vrbem ne alimenta intrarent. Tertia quidẽ die egreſſi ſunt filii Dei, contra filios diaboli. Quibus bello parato putabant ſe poſſe reſiſtere, ſed tanta fuit vis & numerus infideliũ, quod noſtri reintrare vrbẽ coacti ſunt, multis hoſtium armis, multis oppreſſione ad introitum portæ mortuis. Craſtina die quatuor proceres exercitus ſcz. *Willielmus, & alius Willielmus, & Albericus, & Lambertus* fugerunt latenter ad portum S. *Simeonis*, ſuaſione autem eorum omnis claſſis victuaria cum eis aufugit. Noſtri vero, cum caſtellanorũ crebros incurſus perferre non poſſent, murũ inter ſe & illos conſtruxerunt. ſpes igitur creuit Paganis, & fames Chriſtianis. Namq; dum expectarent imperatoris, quẽ promiſerat, aduentum, gallinam 15. ſolidis emebant, ouum duobus ſolidis, vnam nucem vno denario. Præterea folia arborum & cardui cocta comedebant, ſic etiam coria equorũ & aſinorum dequoquebant & vorabant. *Stephanus* igitur Comes muliebriter aufugiens obuiauit imperatori, cui Francos omnes iam perditos nuncians flentem fecit reuerti. Spes igitur nulla populo Dei iam remanſerat, cũ fame victi nec arma iam ferre poſſent. Apparuit autem ignis de cœlo & cecidit inter exercitum Turchorum. Seruo autem ſuo apparuit dominus in viſione, dixitq; Deus: Hæc dices filiis occidentis, Ego Niceã ciuitatẽ vobis tradidi, & omnia bella exterorum, & ciuitatem fortiſſimã Antiochiæ, quã cum læti & incolumes poſſederitis, operati eſtis cũ mulierib. Chriſtianis & Paganis vnde fœtor aſcendit in cœlum; corruens vir Dei ad pedes eius ait, domine ſubueni in oppreſſione tanta, dixitq; dominus: ſubueni & ſubueniam. Dic populo meo reuertimini ad me, & ego ad vos, & infra 5 dies, vobis ipſe propugnator adero. Apparuit autem cuidam S. *Andreas* Apoſtolus lanceã, vnde percuſſus ſaluator fuerat, ei reuelans, ſicut ipſe populo firmauit iuramento. Peractis igitur triduanis ieiuniis, proceſſionibus celebratis, miſſis ſolemnizatis, eleemoſynis datis, 6. aciebus diſpoſitis ductore domino progrediuntur in hoſtes cũ lachrymis ad bellum. Primam aciem ducebat *Hugo* magnus & cõſul Flandrenſis; 2. dux *Godefridus & Baldwinus*; 3. *Robertꝰ* fortis Normannus; 4. Podienſis epiſcopus & *Willielmus* de Muntpeiller cũ exercitu *Reimundi* cõſulis, q remanſerat in cuſtodia ciuitatis; 5. ducebat *Tancredus* cũ *Richardo* principe; 6. *Buamundus* cum conſule de Ruſinole. Egreſſi vero 7. ſtatuerunt in honorẽ S. Spiritꝰ, cui p̃fuit *Rainaldus*. Epiſcopi vero presbyteri, clerici, monachi ſacris veſtib. induti ſuper muros vrbis hymnos Deo concinebant. Ipſi itaq; viderunt exercitũ cœleſtem equis albis & phœbeis armis, quorũ ductores erant *Georgius Mercurius, & Demetrius*. *Curbarã* vero nunq̃ lętior q̃ tempore illo diſpoſitis turmis innumeris fecit fœnum copioſum ex aduerſo monte accendi, vt noſtri fumo cæcarentur. Dominus autem ventorũ præſes ventum conuertit, & Pagani fumo cæcati ſunt, & præcipites fugerunt. Inſecuti ſunt eos Chriſtiani cæde magna & tanta nunquam ſpolia in aliquo bellorum capta ſunt. His viſis Amiralius, qui caſtellum ſuperius cuſtodiebat reddidit illud Chriſtianis, & Chriſtianus effectus eſt. Hoc bellum egit Dominus in Vigilia *Petri & Pauli*, & exaltatum eſt nomen eius ſolius in die illa. Chriſticolæ igitur cum gaudio perendinauerunt in regno illo vſque ad Kalendas Nouembris. Interea quidam procerum, cui nomen *Reimundus Piletus* exercitum congregans cepit caſtrum, cui nomen Talamannia. Inde venit ad vrbem, cui nomen Marra, quę plena erat Saracenis, qui venerant ab Alef: præliantes ergo Barbari contra noſtros primi-

tus

rufugere coacti ſunt, in fine tamen vicerunt & magna Francorum occiſio facta eſt ibi. Menſe Nouembri congregati ſunt duces & exercitus Chriſtianorum ad capeſſendam viam Ieruſalem. Quarto vero die ante Octobrem, venerunt ad Marram, & aſſiliuerunt eam, turri lignea ſuper quatuor rotas ducta & aliis ingeniis debellauerunt eam, 11. die Decembris. Manentes igitur in vrbe illa in natali morati ſunt ibi, per vnum menſem & quatuor dies, quia iter Hieroſolymitanum impeditum erat pro diſcordia, quæ erat inter *Buamundum & Remundum* cauſa Antiochiæ poſſidendæ. Ibi tanta fames inuaſit Chriſtianos, quod de cadaueribus Paganorum fruſta coquerent & comederent. Sed 14. die Ianuarii exeuntes ceperunt duo caſtra bonis omnibus referta. Poſtea vero vrbem quæ vocatur Zaphaila: inde caſtrum opulentiſſimum in valle Deſem. Mediante vero Februario obſederunt caſtrum Arche per tres ferme menſes, ibiq; paſcha celebratum eſt. Sed * *Anſelmus* de Ripemunt miles fortiſſimus iactu lapidis ibi deperiit, & *Willelmus Picardus*, & alii multi. Rex vero Camelæ ciuitatis pacem fecerat cum exercitu. Interea pars exercitus cepit Tortoſam ciuitatem, & vrbem Maracleam. Amiralius vero *Gibel* fecit pacem cum exercitu. Poſtea ante vrbem Tripolim multitudinem ciuium interfecerunt ita quod omnes aquæ vrbis & etiam ciſternæ ruberent. Poſtea vero rex Tripolis ducibus Francorum dedit 300. peregrinos & 15. millia Biſancia, & 15. equos precioſos, vt diſcederent à Tripoli & à caſtro Arche, quod ſuum erat. Franci igitur tranſeuntes per caſtrum Betelon applicuerunt in die aſcenſionis Domini ad vrbem iuxta mare, quæ dicitur Barat, inde ad Sagittam inde ad Surh, inde ad Acram, inde ad Caiphas, inde ad Cæſaream in Pentecoſten, inde ad vicum ſancti *Georgii*, inde ad Hieruſalem, & obſederunt eam 8. Idus Iunii, A Septentrione dux electiſſimus Normannorum; ab Oriente conſul *Robertus*; ab Occidente dux *Godefridus & Tancredus*; à meridie ſcilicet in monte Sion Comes *Reimundus*. Sæpe igitur vrbem aſſilientes erexerunt caſtrum ligneum altiſſimum, contra quod cum turres lapideas Pagani conſtruxiſſent, turrim ligneam noſtri diſſoluerunt, & in alia parte vrbis, quæ immunita erat, erexerunt. Inde igitur vrbẽ opprimentes & ſcalis muros aſcendentes vrbẽ ceperunt, & multos in templo Domini rebellantes occiderunt, & ciuitatẽ ſanctam ab immundis nationib. filii Dei mundauerunt. Obtulerunt igitur regnum Ieruſalẽ *Roberto* Normannorũ duci. Quod quia cauſa laboris repudiauit, offenſus eſt in eũ Deus, nec proſperũ quid deinceps ei contigit. Ipſe itaq;, & conſul Flandriæ, & *Reimundus* conſul ad propria remearunt. Dux vero *Godfridus* regnauit in Ieruſalem, & poſt eum *Baldwinus* ſtrenuiſſimus frater eius, & poſtea *Baldwinus* ſecundus nepos eorum, & poſt *Gaufridus* dux Andegauenſis, & poſt eum *Gaufridus* filius eius multa & grauiſſima bella peragentes, ſubdiderunq; ꝓuincias *Chriſto* & vrbes finitimas præter Aſcalon, quæ adhuc in ſcelere ſuo perſeuerat.

al. Anſelmus de Ribemũt.

Iunior *Willielmus* anno 10. Regni ſui cum Normanniam, quam à *Roberto* fratre ſuo ad Ieruſalem profecto in vadimonium acceperat, pro libitu ſuo diſpoſuiſſet, rediit ad Vigiliam Paſchæ in Angliam, attulit apud Arundel. Cum autem feſtiue diadematus eſſet ad Pentecoſten apud Winleſores / poſtea cum magno exercito pergens in Walliam, ſæpe multas Wallenſium turmas proſtrauit: ſæpe multos ſuorum anguſtiis locorum amiſit. Videns igitur eos plus inexpugnabiles ſitu terræ, quam viribus & armis, fecit parare caſtella iuxta fines Walliæ, & rediit in Angliam. *Anſelmus* vero Archiepiſcopus receſſit ab Anglia, quia nihil recti Rex prauus in regno ſuo fieri permittebat. Sed prouincias intolerabiliter vexauit in tributis, quæ nunquam ceſſabant, in opere muri circa turrim Londoniæ: in operæ aulæ regalis apud Weſtminſter / in rapina quam familia ſua hoſtili modo, vbicunq; rex pergebat, exercebant. At Rex ad feſtum ſancti *Martini* mare tranſiens in Normanniam miſit *Eadgarum* iuuenem cum exercitu in Scotiam qui regem *Dunenal* magno prælio fugauit, & *Edgarum* cognatum ſuum filium *Melcolm* regis in Regem ſtatuit. Eodem anno Cometa apparuit.

Iunior *Willielmus* anno 11. Regni ſui in Normannia fuit, ſemper hoſticis tumultibus & curis armorum deditus, tributis interim & exactionibus peſſimis populos Anglorum non abradens, ſed excorians. In æſtate autem viſus eſt ſanguis ebullire à quodam ſtagno apud Finchamſtede in Bercſcire. Poſt hoc apparuit cœlũ tota nocte pene, quaſi arderet. Eodem anno *Walkelmus* Epiſcopus in Winceſtre defunctus eſt, & *Hugo* conſul Salopiſcire occiſus eſt ab Hybernenſibus, cui ſucceſſit *Robertus* de Belem frater eius.

Iunior *Willielmus* 12. anno regni ſui rediens in Angliam, tenuit primum curiam ſuam in noua aula apud Weſtminſter: quam cum inſpecturus primum introiſſet, cum alii ſatis magnam vel æquo maiorem dicerent: dixit Rex eam magnitudinis debitæ dimidia parte carere. Qui ſermo regi magno fuit, licet paruo conſtaret, honori rurſus cum venaretur in nouo Foreſto, venit ei ſubito nũcius à Cenomannia, dicens ei familiam ſuam ibi obſideri.

Illico rex feſtinus ad mare veniens naues introiuit: cui nautæ: Cur *Regum maxime tempeſtate intolerabili maris alta laceſſis, & mortis imminens periculum non formidas? Quibus Rex: De Rege fluctibus ſubmerſo loqui non audiui.* Ergo mare tranſiens nihil dum viueret, egit, vnde tantam famam, tantum gloriæ decus haberet. Cenomanniam vero petens *Heliam* conſulem fugauit, & ſui iuris eſſe iuſſit, & in Angliam rediit. Anno illo Rex *Ranulfo* placitatori ſed peruerſori, exactori, ſed exuſtori totius Angliæ dedit Epiſcopatum Dunelmiæ. Hoc etiam anno deceſſit *Oſmundus* Salesbiriæ Epiſcopus.

Milleſimo centeſimo anno gratiæ, decimo tertio anno Regni ſui Rex *Willielmus* vitam crudelem miſero fine terminauit. Namque cumglorioſe & patrio honore curiam tenuiſſet ad natale apud Glouceſter/ad Paſcha apud Wincheſter/ad Pentecoſten apud Londoniam, iuit venatum in nouo Foreſto, in craſtino Kal. Auguſti, vbi *Walterus Tyrel* cum ſagitta ceruo intendens regem percuſſit inſcius: Rex corde ictus corruit, nec verbum edidit. Paulo ſiquidem ante ſanguis viſus eſt ebullire à terra in Berceſcire/iure autem in medio iniuſtitiæ ſuæ præreptus eſt. Ipſe namque ferus vltra hominem erat, & conſilio peſſimorum, quod ſemper eligebat, ſuis nequam, ſibi nequiſſimus, vicinos werra, ſuos exercitibus frequentiſſimis & geldis continuis vexabat. Nec reſpirare poterat Anglia miſerabiliter ſuffocata. Cum autem omnia raperent & ſubuerterent, qui regi famulabantur, ita vt adulteria etiam violenter & impune committerent, quicquid antea nequitiæ pullulauerat, in perfectum excreuit: quicquid antea non fuerat, his temporibus pullulauit. Inuiſus namq; rex nequiſſimus Deo & populo Epiſcopatus & abbatias aut vendebat aut in manu ſua retinens ad firmam dabat: hæres autem omnium eſſe ſtudebat. Siquidem in die qua obiit, in proprio habebat Archiepiſcopatum Cantuariæ, & Epiſcopatum Winceſtriæ, & Salesbiriæ, & 11. Abbatias ad firmam datas. Poſtremo quicquid Deo, Deumq; diligentibus diſplicebat, hoc Regi Regemq; comitantibus placebat. Nec luxuriæ ſcelus tacendum exercebat occulte, ſed ex impudentia coram ſole. Sepultus eſt autem in craſtino perditionis ſuæ apud Winceſter/& *Henricus* frater eius iunior ibidem in regem electus dedit Epiſcopatum Winceſtriæ *Willielmo Giffard*, pergenſque Londoniam ſacratus eſt ibi à *Mauricio* Londonienſi Epiſcopo, melioratione legum & conſuetudinum optabili repromiſſa. His auditis *Anſelmus* Archiepiſcopus rediens in Angliam deſponſauit *Matildem* filiam *Malcolm* Regis, & *Margaretæ* reginæ *Henrico* regi nouo. Capta vero vrbe Ieruſalem (vt dictum eſt) & ingenti prælio poſtea victorioſe patrato contra exercitum Amiralii Babyloniç rediit. *Robertus* dux in Normanniam menſe Auguſto, & cum lætitia ſuſceptus eſt ab omni populo. *Thomas* Eboracenſis Archiepiſcopus vir ingenii florentis & Muſarum à ſecretis hominibus apparere deſiit.

Henricus Rex cum ad Natale tenuiſſet curiam ſuam apud Weſtminſter/ & ad Paſcha apud Winceſtre/ commoti ſunt principes Angliæ erga regem cauſa fratris ſui *Roberti* aduenientis cum exercitu; miſit autem rex in mare nauale prælium geſturos contra fratris ſui aduentum; ſed quædam pars eorum ſubdidit ſe *Roberto* venienti. Cum ergo appuliſſet apud Portesmuth/ante Kalendas Auguſti, & Rex tenderet contra eum cum maximis copiis, principes vtrinq; fraternum bellum non perferentes concordię fœdus inter illos ſtatuerunt, eo pacto quod *Robertus* vnoquoq; anno tria millia marcarum argenti haberet ab Anglia, & qui diutius viueret, hæres alterius eſſet, ſi alter abſq; filio moreretur. Hoc autem iurauerunt 12. eximiores procerum vtrinq;. *Robertus* igitur in pace perendinauit vſq; ad feſtum S. *Michaelis* in regno fratris ſui, & ad propria rediit. *Ranulfus* autem peruerſus Epiſcopus Dunelmiæ, quem rex *Henricus* poſuerat in vinculis conſilio gentis Anglorum, cum à carcere euaſiſſet clandeſtine perrexerat in Normanniam conſilio & admonitione ſua *Robertum* promouens in fratrem ſuum.

Henricus Rex quendam conſulem nequiſſimum & perfidum *Robertum* de Beleſme iure in eum exurgens exulauit, obſedit namq; prius caſtellum Arundel. Quod cum grauiſſimum eſſet ad conquirendum, caſtellis ante illud conſtructis, iuit & obſedit Brugge/ quouſque caſtellum ei redditum eſt: & *Robertus* de Beleſme gemebundus in Normanniã migrauit. Eodem anno ad feſtum S. *Michaelis* tenuit *Anſelmus* Archiepiſcopus concilium apud Londoniam, in quo prohibuit vxores ſacerdotibus Anglorum ante non prohibitas. Quod quibuſdam mundiſſimum viſum eſt, quibuſdam periculoſum, ne dum munditias viribus maiores appeterent, in immunditias horribiles ad Chriſtiani nominis ſummum dedecus inciderent. In illo concilio multi Abbates, qui acquiſiuerant Abbatias ſuas ſicut Deus noluit, amiſerunt eas ſicut Deus voluit. Anno ſequenti venit *Robertus* Normannorũ Conſul in Angliam, cauſiſq; variis intercedentibus, & cauta Regis verſutia condonauit ei ter mille marcas, quas rex debebat ei per annũ. Eodem anno viſus eſt ſanguis ebulli-

& à terra in Bercſcire apud Hamſtude. Curriculo anni ſequẽtis rex & frater ſu⁹ diſcordati ſunt cauſis intercedentibus. miſit igitur rex milites in Normanniam, qui à proditoribus conſulis recepti, prædis & combuſtionibus non minimam cladem rebus conſularibus ingeſſerunt. *Willielmus* vero cõſul *Morteuil, cauſa perfidiæ ab Anglia exhæredatus à rege, in Normanniam diſcedens animo perfecto & exercitio feruenti vir probiſſimus indixit & infixit regalibus turmis Werram calamitate refertam. Hoc anno apparuerunt circa ſolem in meridie quatuor circuli albi coloris. *al. Moretuil*

Henricus rex quinto anno regni ſui perrexit in Normanniam, contra fratrem ſuum certaturus: conquiſiuit igitur Cadomum pecunia, Baiocum armis & auxilio Conſulis Andegauenſis. cepit quoque alia plurima caſtra, & omnes fére principes Normanniæ regi ſe ſubdiderunt. His actis menſe Auguſto, rediit in Angliam. In anno quidem ſequenti venit dux Normannorum ad regem fratrem ſuum apud Northamptune, amicabiliter ab eo petens, vt ablata ſibi fraterna redderet gratia. Cùm vero Deus eorum concordiæ non aſſentiret, dux iratus perrexit in Normanniam, & rex ante Auguſtum ſecutus eſt eum. Cum ergo rex obſediſſet caſtrum Teuerchebrai venit dux Normannorum, & cum eo *Robertus* de Beleſme, & Conſul Moretuil, & omnes fautores eius. Rex vero ſecum omnes proceres Normanniæ, & robur Angliæ, & Andegauis, & Brittanniæ non improuidus habebat. Igitur cum cornua rauco ſtrepuiſſent cantu, dux Normanniæ cum paucis multos audaciſſime aggreſſus eſt: aſſuetuſq; bellis Ieroſolymitanis aciem regalem fortiter & horrende repulit. *Willielmus* quoq; Conſul de Mortuil aciem Anglorum de loco in locum turbans promouit. Cum acies equeſtris Brittannorum (rex namq; & dux & acies cæteræ pedites erant vt conſtantius pugnarent) aciem ducis ex aduerſo promens ſubito diffidit, & mole magnitudinis oppreſſa gẽs ducis diſſoluta eſt & victa. *Robertus* vero de Beleſme ſimul hoc aſpexit, fuga ſibi conſuluit. Captus eſt igitur dux fortiſſimus Normannorum *Robertus*, & *Willielmus* conſul de Mortuil: redditq; Dominus vicem duci *Roberto*; quia cum glorioſum reddidiſſet eum in actibus Ieroſolymitanis, regnum Ieruſalem oblatum ſibi renuit; magis eligens quieti & deſidiæ in Normannia deſeruire, quam Domino regum in ſancta ciuitate deſudare. Damnauit igitur eum Deus deſidia perẽni & carcere ſempiterno. Huius rei ſignum in eodem anno cometa apparuerat. Viſæ ſunt in cœna Domini duæ lunæ, vna ad Orientem, altera ad Occidentem.

Henricus rex anno ſeptimo regni ſui cum deletis vel ſubiectis hoſtibus Normanniam pro libitu diſpoſuiſſet, rediit in Angliam, fratremq; ſuum ducem magnificum & Conſulem de Mortuil carceralibus ingeſſit tenebris: igitur victorioſus & tunc primum rex fortis tenuit curiam ſuam ad paſcha apud Winleſores: in qua proceres Angliæ ſimul & Normanniæ cum timore & tremore affuerunt. Antea namq; & dum iuuenis fuiſſet, & poſtquam rex fuerat, in maximo habebatur deſpectu. Sed Deus, qui longe aliter iudicat, quam filii hominum, qui exaltat humiles & deprimit potentes, *Robertum* omnium fauore celeberrimum depoſuit, & *Henrici* deſpecti famam per orbem terrarum clareſcere iuſſit, deditq; ei gratis tria Dominus omnipotens munera; ſapientiam, victoriam, diuitias. Quibus ad omnia proſperãs omnes ſuos anteceſſores præceſſit; vnde omnes ſuos ditauit. Hoc anno obiit *Mauricius* Epiſcopus inceptor Londonienſis Eccleſiæ, & *Eadgarus* rex Scotiæ: cui ſucceſſit *Alexander* frater ſuus conceſſu regis *Henrici*.

Henricus 8. anno regni ſui cum deceſſiſſet *Philippus* rex Francorum tranſit in Normanniam contra *Lodouicum* filium *Philippi* regem nouum Franciæ Werram promouens maximam. Anno eodem *Gerardo* Archiepiſcopo Eboracenſi defuncto, *Thomas* poſtea ſucceſſit. Tempeſtate ſequentis anni miſſi ſunt ab *Henrico* imperatore Romano nuncii, mole corporis & cultuum ſplendoribus excellentes, filiam regis in domini ſui coniugium poſtulantes. Tenens igitur curiam ſuam apud Londoniam, quam nunquam ſplendidiorem tenuerat, ſacramenta depoſtulans de connubio filiæ ſuæ, ab imperatoris recepit legatis ad Pentecoſten, obierat autẽ *Anſelmus* Archiepiſcopus *Chriſti* philoſophus in Quadrageſima. Anno igitur ſequenti data eſt filia regis imperatori, (vt breuiter dicam) ſicut decuit. Rex itaq; cepit ab vnaquaq; hida Angliæ tres ſolidos. Eodem anno cũ rex curiam ſuam tenuiſſet ad Pentecoſten apud nouam Winleſores, quam ipſe ædificauerat, exhæredauit eos, qui ei nocuerant, ſcilicet *Philippum* de Brahuſe, & *Willielmum Malet*, & *Willielmum Bainard*: *Helias* vero Conſul Cenomanniæ, qui eam ſub *Henrico* rege tenebat, vita priuatus eſt. At Conſul Andegauenſis ſuſcipit Cenomanniam cum filia ipſius, & tenuit eam contra regem *Henricum*. Hoc in anno apparuit cometa quidam more inſolito. Cum namque ab Oriente inſurgens in firmamentum aſcendiſſet, regredi videbatur. Eodem anno

Nicolaus pater illius, qui hanc ſcripſit hiſtoriam, mortis legibus conceſſit, & ſepultus eſt apud Lincoliam. De quo dictum eſt:

Stella cadit cleri, ſplendor marcet Nicolai,
ſtella cadens Cleri ſplendeat arce Dei.

Hoc ideo ſcriptor operi ſuo inſeruit, vt apud omnes legentes mutuum laboris obtineat, quatenus pietatis affectu dicere dignentur. Anima eius requieſcat in pace, Amen.

Henricus rex anno 11. regni ſui pergens in Normanniam contra Conſulem Andegauenſem, qui Cenomanniã eo tenebat inuito, Werræ leges in eum ferro & flamma exercuit conſtanter. Deceſſit autem *Robertus* Cõſul Flandriæ, qui Ieroſolymitano clariſſimus interfuerat itineri, vnde memoria eius non pertranſeat in æternũ. Poſt quem *Baldwinus* filius eius Conſul effectus eſt, iuuenis omnino ſtrenuus armis. Proximo anno exulauit rex
al. Ebreus Conſulem * *Eureus*, & *Willielmum Criſpin* a Normannia. Cepitq; *Robertum Beleſme* virum nequiſſimũ, de quo prædiximus, rediensq; anno ſequenti in Angliã, poſuit eũ in carcerem perennẽ apud Warram. Succedenti autem anno rex dedit Archiepiſcopatũ Cantuariæ *Radulfo* epiſcopo Roueceſtriæ. Tunc quoq; *Thoma* Eboracenſi Archiepiſcopo defuncto *Turſtanus* ſucceſſit. Inter *Radulfum* vero & *Turſtanum* Archiepiſcopos orta eſt magna diſſenſio, quia Eboracenſis Cantuarienſi de more ſubiici nolebat. Cauſa autem ſæpe coram rege, ſæpe corã Apoſtolico ventilata eſt, ſed nec dum definita. Hoc in anno duxit rex exercitum in Walliam: Walenſes vero ſubditi ſunt ei ſecundum magnificentiam libitus ſui. Cometa ingens in fine Maii apparuit. Rex vero tranſiit in Normanniam, & anno ſequenti fecit omnes proceres patriæ fidelitatem Domino debitam *Willielmo* filio ſuo iurare, & in Angliam rediit.

Henricus rex 16. anno regni ad natale interfuit dedicationi eccleſię ſancti *Albani*, quam dedicauit *Robertus* venerabilis Epiſcopus Lincolnienſis per *Richardum* memorabilem
al. milit. * Abbatem eiuſdem loci. Cum autem rex ad Paſcha transfretaſſet in Normanniam, fuit maxima diſcordia inter eum & regem Francorũ; cauſa autem hæc erat: *Tedbaldus* Conſul Bleſenſis nepos regis *Henrici* contra dominum ſuum regem Francorum arma promouerat, in cuius auxilium rex Anglorum duces ſuos militiamque ſuam miſit, & regem *Lodouicum* non mediocriter afflixit. Spacio igitur ſequentis anni grauiſſimus labor *Henrico* regi inſurrexit. Iurauerunt namque rex Francorum & Conſul Flandrenſis, & Conſul Andegauenſis ſe Normanniã regi *Henrico* ablaturos, & *Willielmo* filio *Roberti* ducis Normannorũ eam daturos. Multi etiã procerum regis receſſerunt ab eo, quod maximo ei fuit detrimento. Rex tamen non improuidus in auxilio ſuo *Thedbaldum* prædictũ & Conſulẽ Brittannorũ habebat. Venerunt igitur rex Francorum & Conſul Flandrenſis cum exercitu in Normanniam. In qua cum vna nocte fuiſſent, formidantes aduẽtum regis *Henrici* cum Anglis & Normannis & Brittannis, ad ſua ſine bello reuerſi ſunt. Hoc anno pro neceſſitate regis geldis creberrimis & exactionibus variis Anglia compreſſa eſt. Tonitrua vero & grandines in Kalendis Decembris affuerunt, & in eodẽ menſe cœlũ rubens quaſi arderet apparuit. Eodem autem tempore maximus terræ motus in Longobardia eccleſias, turres, & domos, & homines prouoluens deſtruxit. Curriculo anni ſequentis continua debellatio iam dictorũ principũ grauiſſime regem vexauit, donec *Baldwinus* ſtrenuiſſimus Flandrię Conſul apud Du, in Normannia ſeditione militari funeſte vulneratus ad ſua receſſit. Porro *Robertus* Conſul de Mellent ſapientiſſimus in rebus ſecularibus omnium vſq; in Ieruſalem degentium, & regis *Henrici* conſiliarius, in fine ſtultus apparuit. Etenim cũ terras quas abſtulerat ſacerdotum ſuaſu, nec reddere, nec confeſſionẽ qualẽ oportuit vellet inire, corde pauperrimus quaſi ſponte deperiit. Bene igitur dictum eſt, *Stultitia eſt apud Deũ omnis ſapientia huius mundi.* Tunc quoque regina *Matildis* luce caruit. De cuius facetia & morum prærogatiuã dictum eſt:

Proſpera non lætam fecere, nec aſpera triſtem:
Aſpera riſus ei, proſpera terror erant.
Non decor effecit fragilem, non ſceptra ſuperbam,
Sola potens, humilis, ſola pudica decens.
Maij prima dies, noſtrarum nocte dierum
Raptam perpetua fecit ineſſe die.

Rex *Henricus* quinquageſimo ſecundo anno, ex quo Normanni Angliã obtinuerũt, regni vero ſui anno 19. pugnauit glorioſe contra regem Francorum. Præpoſuerat quidem rex Francorum aciem, cui præerat *Williehnus* filius *Roberti* fratris *Henrici* regis. Ipſe vero cum maximis viribus inſequenti erat agmine. Rex vero *Henricus* in prima acie proceres ſuos conſtituerat, in ſecunda cum propria familia eques ipſe reſidebat, in tertia vero filios ſuos

ſuos cum ſummis viribus pedites collocauerat. Igitur acies prima Francorum agmẽ procerum Normanniæ ſtatim equis depulit, & diſperſit. Poſtea vero ac iei, qua rex *Henricus* inerat, collidens, & ipſa diſperſa eſt. Acies itaq; regales ſibi inuicem offenderunt, & acerrime pugnatum eſt; haſtæ franguntur omnes, gladiis res agitur. Interim *Willielmus Criſpin* regis *Henrici* caput gladio bis percuſſit: cumq; lorica eſſet impenetrabilis, magnitudine tamen ictuum ipſa lorica aliquantulum capiti regis inſerta eſt, vt ſanguis prorũperet. Rex vero percuſſorem ſuum ita gladio repercuſſit, vt cum galea eſſet impenetrabilis, mole tamen ictus equitem & equum proſterneret, & mox ante regios pedes captus eſt. Sed acies pedeſtris, in qua filii *Henrici* regis inerant, nondum percutiẽs ſed mox percuſſura, lanceis inclinatis ex aduerſo inſurrexerunt. Quod Franci videntes horrore inſperato liquefacti terga dederunt. *Henricus* autem rex victoriæ perſtitit in campo, donec Optimates hoſtium capti ſunt, & ante pedes eius poſiti. Reuerſus vero Rhotomagum in ſignorum ſonitibus & cleri concentibus Deum & Dominum exercituum benedixit. De cuius magnificentia victoriæ ſic quidam ſcripſit Heroice:

Henricus *regum rex & decus abſtulit altos*
Francigenis animos; Lodouicum *namq; Nugenſi*
Rex regem campo, magnum maior ſuperauit.
Præpoſuere fugam bellis, calcaria telis
Galli præcipites. fama ſpoliiſq; potitos
Laurea Normannos & laus æterna coronat.
Sic decus iſte ducum, ſic corda tumentia preſſit,
Oraq; Francorum mutire ſuperba coegit.

Eodem anno Papa *Gelaſius* obiit, & ſepultus eſt apud Cluniacum. Tunc *Wido* Viennẽſis Archiepiſcopus electus eſt in Papam, vocatus *Calixtus*, & tenuit cõcilinm Rhemis. Inde profectus eſt Giſors contra regem *Henricum*, & collocuti ſunt ſacerdos magnus, & rex magnus. *Baldwinus* etiam Conſul Flandriæ per vulnus, quod in Normãnia acceperat, deceſſit. Cui ſucceſſit *Carolus* cognatus eius filius *Cnut* S. regis Dacorum.

Anno 1120. gratiæ omnibus domitis & pacificatis in Gallia cum gaudio rex *Henricus* rediit in Angliam: ſed in ipſo maris tranſitu duo filii regis *Willielmus* & *Richardus*, & filia regis & neptis, nec non & multi proceres, dapiferi, camerarii, pincernæ regis, & *Richardus* Conſul Ceſtriæ naufragati ſunt. Qui omnes vel fere omnes Sodomitica labe dicebantur & erant irretiti. ecce coruſcabilis Dei vindicta! deperierunt etenim & omnes fere ſepultura caruerunt. Improuiſe igitur mors abſorbuit emeritos, cum mare tranquilliſſimum ventis careret. De quibus ita ſcripſit Poeta:

Dum Normannigenæ Gallis clari ſuperatis
Anglica regna petunt, obſtitit ipſe Deus.
Nam fragili toruum dum percurrunt mare cimba,
Intulit excito nubila denſa mari.
Dumq; vagi cæco rapiuntur tramite nautæ,
Ruperunt imas abdita ſaxa rates.
Sic mare dum ſuperans tabulata per vltima ſerpſit,
Merſit rege ſatos, occidit orbis honos.

Henricus rex ad natale fuit apud Bramtune, cum *Theobaldo* Conſule Bleſenſi, & poſthac apud Windeſores duxit *Adelidam* filiam ducis Luuaniæ cauſa pulchritudinis. Cum autem rex ad Paſcha fuiſſet apud Berklea, ad Pentecoſten fuit diadematus cum regina ſua noua apud Londoniam. In æſtate vero, dum tenderet cum exercitu in Walliam, Walenſes ei ſuppliciter obuiantes ſecundum magnificentiam libitus ſui concordati ſunt ei. At in vigilia natalis Domini ventus inſolitus non ſolum domos ſed turres deiecit lapideas. De pulchritudine vero reginæ prædictæ ſic quidam dixit elegiace:

Anglorum regina tuos * Adelina *decores* *al. Adelida*
ipſa referre parans Muſa ſtupore riget.
Quid diadema tibi pulcherrima? quid tibi gemma?
Pallet gemma tibi, nec diadema nitet.
Deme tibi cultus, cultum natura miniſtrat,
nec meliorari forma beata poteſt.
Ornamenta caue, nec quicquam luminis inde
accipis, illa micant lumine clara tuo.
Non puduit modicas de magnis dicere laudes,
ne pudeat dominam te precor eſſe meam.

Henricus rex fuit anno ſequenti ad natale apud Nordwic, & ad Paſcha apud Northamtune, & ad Pentecoſten apud Winleſores, inde ad Londoniam, & Cent, & poſtea perrexit in Northumberland ad Dunelmiam. Eodem anno obiit *Radulfus* Cătuarienſis Archiepiſc. & *Iohannes* Bathenſis Epiſc. Anno vero huic proximo fuit rex ad natale apud Dunestaple/ & inde perrexit ad Berchamſted. Ibi rem dignam Deus oſtendit. Erat namque quidam Cancellarius regis *Randulfus* iam 20. annis infirmitate decoctus, ſemper tamen in curia iuuene promptior ad omnia ſcelera, innocentes opprimens, terras multas ſibi diripiens, eratq; ei pro magno, quod dum corpore langueret, ſic animo vigeret. Cum igitur regem ad hoſpitandum ſecum duceret in ipſo montis vertice, vnde caſtellum eius proſpiciebatur, elatus mente corruit ex equo, & monachus ſuper eum equitauit. vnde ſic contritus eſt, vt poſt paucos dies vita careret. Ecce quanta ſuperbia quam viliſſime Deo volente deperiit. Inde iuit rex ad Wodeſtoc, ad locum inſignem, vbi rex cohabitationem hominum & ferarum fecerat. Ibiq; *Robertus* Lincolnienſis Epiſcopus diem clauſit vltimum, cuius Epitaphium hoc eſt.

Pontificum Robertus *honor, quem fama ſuperſtes*
perpetuare dabit, non obiturus obit.
Hic humilis diues, (res mira) potens pius, vltor,
compatiens, mitis cum pateretur erat.
Noluit eſſe ſuis Dominus, ſtuduit pater eſſe,
ſemper in aduerſis murus & arma ſuis.
In decima Iani *mendacis ſomnia mundi,*
liquit, & euigilans vera perenne videt.

Poſtea ad feſtum Purificationis dedit rex Archiepiſcopatum Cantuariæ *Willielmo* de Curbuil, qui prior fuerat apud Chicce. Ad Paſcha vero apud Winceſter dedit Epiſcopatũ Lincolniæ *Alexandro* venerabili viro, qui nepos *erat *Rogeri* Salesburienſis Epiſcopi. *Rogerus* autem iuſticiarius *fuit totius Angliæ, & ſecundus à rege. Dedit etiam rex Epiſcopatum Bathæ *Godfrido* Cancellario reginæ. At circa Pentecoſten mare tranſiit, & receſſit ab eo Comes de *Mellend diſcordia propalata. Rex aũt caſtellum eius, quod vocatur *Puntaldemer, obſedit & cepit. Anno vero ſequente rex fortunate glorificatus eſt. *Willielmus* namq; de Tancaruile Camerarius regis aciebus ſtatutis confligens cepit Comitem prædictum, & *Hugonem* de Munford ſororium eius, & *Hugonem* filium *Geruaſii*, & tradidit eos regi: rex autem poſuit eos in carcerem. Eodem anno *Teulfus* Wigornienſis Epiſcopus, & *Ernulfus* Rouceceſtriæ Epiſcopus obierunt. Sequenti anno toto rex fuit in Normannia, & ibi dedit Epiſcopatum Wigorniæ *Simoni clerico reginæ. *Sifrido* quoq; Abbati Glaſtengbiri dedit Epiſcopatum Ciceſtriæ. Porro *Willielmus* Archiepiſcopus dedit Epiſcopatum Rouceceſtriæ *Iohanni* Archidiacono ſuo. Ad Paſcha vero *Iohannes* Cremenſis Cardinalis Romanus deſcendit in Angliam, Perendinanſq; per Epiſcopatus & Abbatias nõ ſine magnis muneribus ad natiuitatem Sanctæ Mariæ celebrauit concilium ſolenne apud Londoniam. Sed quia *Moyſes* Dei ſecretarius in hiſtoria ſancta parẽtum etiam ſuorum vt virtutes ſcripſit & vitia: ſcilicet facinus *Lot*, ſcelus *Ruben*, proditionem *Simeon* & *Leui*, inhumanitatem fratrum *Ioſeph*: nos quoque veram hiſtoriæ legem de bonis & malis ſequi dignum eſt. Quod ſi alicui Romano vel Prælato diſplicuerit, taceat tamẽ, ne *Iohannem* Cremenſem ſequi velle videatur. Cum igitur in concilio ſeueriſſime de vxoribus ſacerdotum tractaſſet, dicens ſummum ſcelus eſſe à latere meretricis ad corpus *Chriſti* conficiendum ſurgere: cum eadem die corpus *Chriſti* confeciſſet cum meretrice poſt veſperam interceptus eſt. Res apertiſſima negari non potuit, celari non decuit. Summus honor vbiq; habitus in ſummum dedecus verſus eſt. Repedauit igitur in ſua Dei iudicio confuſus & inglorius. Eodem anno obiit *Henricus* imperator gener *Henrici* regis. Operæ precium vero eſt audire quam ſeuerus rex fuerit in prauos. Monetarios enim fere omnes totius Angliæ fecit ementulari, & manus dextras abſcindi, quia monetam furtiue corruperant. Iſte eſt annus cariſſimus omnium noſtri temporis, in quo vendebatur onus equi frumentarium 6. ſolidis. Hoc etiam anno perrexerunt Romam, *Willielmus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, & *Turſtanus* Eboracenſis Archiepiſcopus, & *Alexander* Lincolnienſis Epiſcopus: de cuius laudabili munificentia & inexterminabili fama ſic quidam dixit Heroice:

Splendor Alexandri *non tam reniteſcit honore,*
Quam per eum reniteſcit honor, flos namq; virorum.
Dando tenere putans theſauros cogit honoris,
Et gratis dare feſtinans, ne danda rogentur.
Quod nondum dederit, nondum ſe credit habere,

Margin notes: al. eſt; al. eſt; al. Meſlẽd; al. Pũdaldemer; al. Simeoni

O decus, O morum directio! quo veniente
Certa fides, hilaris clementia, cauta poteſtas,
Lene iugum, doctrina placens, correctio dulcis,
Libertaſq́; decens, venere, pudorq́; facetus.
Lincoliæ gens magna prius, nunc maxima ſemper,
Talis & iſte diu ſit nobis tutor honoris.

Vigeſimo ſexto anno regni ſui rex *Henricus*, ad Natale, & Paſcha, & ad Pentecoſten moratus eſt in Normannia, & confirmatis pactis cum Franciæ principibus, qualia regem victorioſiſſimum decebat, circa feſtum Sancti *Michaelis* rediit in Angliam; adduxit ſiquidem ſecum filiam imperatricem, tanto viro (vt prædictum eſt) viduatam. Deceſſit *Robertus* Ceſtrenſis Epiſcopus. Anno ſequenti rex curiam ſuam tenuit ad Natale apud Winteshores / pergens inde Londoniam. In Quadrageſima & Paſcha fuit apud Wodeſtoc, vbi nuncius dixit ei. *Carolus* Comes Flandrenſis tibi dilectiſſimus nefanda proditione occiſus eſt à proceribus ſuis in templo apud Brige: rex autem Francorum dedit Flandriam *Willielmo* nepoti & hoſti tuo, qui iam valde roboratus diuerſis cruciatibus omnes proditores *Caroli* multauit. Super his igitur rex anxiatus concilium tenuit ad Rogationes apud Londoniam. Et *Willielmus* Archiepiſcopus Cantuarienſis ſimiliter in eadem villa apud Weſtmunſter. Cum autem ad Pentecoſten fuiſſet apud Winceſter, miſit filiam ſuam in Normanniam deſponſatum filio conſulis Andegauenſis, & ſequutus eſt eam ipſe rex in Auguſto. *Richardus* vero Londonienſis Epiſcopus obierat, cuius Epiſcopatum rex dedit *Gileberto* vniuerſali viro doctiſſimo. Deceſſit etiam *Richardus* Herefordenſis Epiſcopus.

Henricus rex *ſapientiſſimus toto ſequenti anno moratus in Normannia, perrexit hoſtiliter in Franciam, quia rex Francorum tuebatur nepotem & hoſtem ſuum. Perendinās igitur apud Sparnum octo diebus tam ſecure, ac ſi in regno ſuo eſſet, compulit regem *Lodouicum* auxilia Comiti Flandrenſi non ferre. Vbi cum originem & procurſum regni Francorum rex quæreret *Henricus*, ſic quidam non indoctus reſpondit. *Regum potentiſſime ſicut pleræq́; gentes Europæ, ita Franci à Troianis duxerunt originem.* Antenor *namq́; cum ſuis profugus ab excidio Troiæ in finibus Pannoniæ ciuitatem Sicambriam nomine ædificauit. Verum poſt mortem* Antenoris *conſtituerunt ſui duces ſuper ſe* Turgotum *&* Franctionem, *à quo Franci appellantur. Quibus defunctis elegerunt ducem* Marcomirum: Marcomirus *vero genuit* Faramundū *primum regem Francorum.* Faramundus *rex genuit* Clodiū *crinitum; à quo reges Francorum criniti habentur.* Clodio *decedente,* Meroueus *cognatus eius regnauit, à quo reges Francorum* Merouingi *ſunt appellati.* Meroueus *genuit* Childericum: Childericus Clodoueum, *quem baptizauit Sanctus* Remigius: Clodoueus Clotarium: Clotarius Chilpericum: Chilpericus Clotarium *ſecundum:* Clotarius *vero ſecundus genuit* Dagobertum *famoſiſſimum ac dulciſſimum regem:* Dagobertus Clodoueum: Clodoueus *genuit tres filios ex* Batilde *regina ſua Sancta* Clotarium Childericum, *atque* Theodoricum: Theodoricus *rex* Childebertum: Childebertus Dagobertum: Dagobertus Theodoricum: Theodoricus Clotarium *huius proſapiæ vltimum regem. Poſt quem regnauit* Hildericus, *qui tonſus & in monaſterio retruſus eſt,* Pipino *rege effecto. Ex alterius autem ſerie generationis ex filia* Clotarii *regis genuit* Ausbertus Arnoldum: Arnoldus *ſanctum* Arnulfum, *poſtea Metenſem Epiſcopum: Sanctus* Arnulfus Anchiſem: Anchiſes Pipinum *maiorem domus*: Pipinus Carolum Martellum; Karolus Pipinum *regem*: Pipinus *rex* Karolum *magnum imperatorem, qui quaſi ſydus effulſit præcedentium, & ſequentium:* Carolus *genuit* Lodouicum *imperatorem;* Lodouicus Carolum *imperatorem* Caluum: Carolus Lodouicum *regem patrem* Caroli Simplicis: Carolus Simplex Lodouicum: Lodouicus Lotarium: Lotarius Lodouicum *huius proſapiæ regem vltimum.* Lodouico *igitur defuncto Francorum proceres regem ſuper ſe ſtatuunt* Hugonem *ducem, qui filius* Hugonis *magni ducis fuit.* Hugo *vero rex genuit piiſſimum regem* Robertum: Robertus *vero genuit tres filios* Hugonem *dulciſſimum ducem,* Henricum *regem amantiſſimum,* Robertumq́; *Burgundiæ ducem.* Henricus *rex genuit* Philippum *regem, qui ad finem monachatus eſt, &* Hugonem *magnum, qui in motione Ieroſolymitana Ieroſolymam cum multis ducibus Europæ debellaturum eam petiit ſuper Paganos anno ab incarnatione Domini milleſimo nonageſimo quinto.* Philippus *vero rex genuit* Lodouicum, *qui regnat in præſenti. Qui ſi probitatis antiquorum veſtigia teneret, tam ſecure in regno eius non quieſceres.* His dictis & actis reuerſus eſt rex *Henricus* in Normanniam. Aduenit autem à partibus Alemanniæ quidam dux *Theodoricus* Flandriam calumnians, quoſdam proceres Flandriæ ſecum habens, & hoc ſuaſu regis *Henrici*. *Willielmus* autem Comes Flandrenſis aciebus ordinatis obuiam venit ei. Pugnatum eſt acriter. *Willielmus* conſul numerum ſuorum, cum pauci eſſent, ſupplebat

al. fortiſſimus

probitate inexterminabili. Cruentatus igitur omnia arma ſua ſanguine hoſtili, findebat enſe fulmineo cuneos hoſtium, nec pondus potuerunt terribile iuuenilis brachii perferre hoſtes perterriti & fugæ dediti. Victorioſiſſimus itaque conſul, dum caſtrum hoſtile obſideret & in craſtino reddi deberet iam pene annihilatis hoſtibus Deo volente paruo vulnere ſauciatus in manu deperiit. Nobiliſſimus autem iuuenum ætate breui famã promeruit ſempiternam, de quo *Walo* verſificator ſic ait:

Mars obit in terris, deſlent par ſydera ſydus,
Numina par numen, parque decora decus.
Res noua: temporibus moriuntur numina noſtris,
Amodo credibile eſt numina poſſe mori.
Vnicus ille ruit, cuius non terga ſagittam,
Cuius noſſe pedes non potuere fugam.
Nil niſi fulmen erat, quoties res ipſa monebat.
Et ſi non fulmen, fulminis inſtar erat.
Flandria ſe iactat tumulo, Normannia cunis,
Hic fuit occaſus ſyderis, ortus ibi.

Hoc etiam anno *Hugo* de Paiens, magiſter militum Templi Ieroſolymitani veniens in Angliam ſecum multos duxit Ieruſalem. Inter quos *Gaufridus* Andegauenſis Conſul rex futurus perrexit. Obierunt *Randulf Flambardus* Dunelmenſis Epiſcopus, & *Willielmus Giffardus* Wintonienſis Epiſcopus.

Sequenti anno *Lodouicus* rex Francorum fecit ſublimari filium ſuum *Philippũ* in regem. rex vero *Henricus* pacificatis omnibus, quæ in Francia, Flandria, Normannia, Brittannia, Cænomannia, Andegauia erant, cum gaudio in Angliam rediit. Tenuit igitur concilium magnum ad Kalendas Auguſti apud Londoniam de vxoribus ſacerdotũ prohibendis. Intererant ſiquidem illi concilio *Willielmus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, & *Turſtanus* Archiepiſcopus Eboracenſis, *Alexander* Lincolienſis Epiſcopus, *Rogerus* Salesburienſis Epiſcopus, *Gilbertus* Londonienſis Epiſcopus, *Iohannes* Roueceſtrenſis, *Sifridus* Sudſexenſis, *Godfridus* Batenſis, *Symon* Wigornienſis, *Euerardus* Norwicenſis, *Bernadus* ſancti *Dauidis*, *Herueus* primus Helienſis Epiſcopus. Nam Wintonienſis, & Dunelmẽſis, & Ceſtrenſis, & Herefordenſis obierant. Hi columnæ erant regni & radii ſanctitatis hoc tempore. Verum rex decepit eos ſimplicitate *Willielmi* Archiepiſcopi: conceſſerunt namque regi iuſticiam de vxoribus ſacerdotũ & improuidi habiti ſunt, quod poſtea patuit, cum res ſummo dedecore terminata eſt. Accepit enim rex pecuniam infinitam de presbyteris, & redemit eos. Tunc, ſed fruſtra conceſſionis ſuæ pœnituit Epiſcopos, cum pateret in oculis omnium gentium deceptio prælatorum, & depreſſio ſubiectorũ. Eodem anno illis, quos *Hugo* de Paiens (de quo prædictum eſt) ſecum duxerat Ieroſolymam, male contigit: Deum ſiquidem offenderant illius ſanctæ telluris incolæ luxuria, & rapina, & variis ſceleribus: vt autem ſcriptum eſt in *Moyſe* & regum libris: Non diu ſcelera locis illis ſunt impunita. In vigilia namque ſancti *Nicolai* à paucis Paganorum multi Chriſtianorum deuicti ſunt, cum antea ſoleret è contraria contingere. In obſidione igitur Damacena cum magna pars Chriſtianorum progreſſa eſſet ad victualia perquirenda, mirati ſunt Pagani Chriſtianos plures & fortiſſimos ſe muliebriter fugientes: & perſequentes innumeros trucidarunt. Eos autem, qui fuga ſibi ſalutem quæſierant, in montibus, tẽpeſtate niuis & frigoris Deus ipſa nocte perſecutus eſt, ita quod vix aliquis euaſit. Contigit etiam quod filius regis Francorũ *Philippus*, qui diademate regni fuerat (vt prædictum eſt) decoratus, dum cornipedem ludens agitaret, obuium ſuem habuit: cum pedes equi currẽtes offenderẽt, cecidit rex nouus, & fractis ceruicibus expirauit. Ecce res miſera & inſolita & admiratiõe digniſſima. Ecce quãta celſitudo quã cito quã leuiter annihilata eſt.

al. Win*ceſtre.*

Anno trigeſimo regni ſui, fuit rex *Henricus* ad natale apud * Wirceſtre, ad Paſcha apud Wodſtoc, vbi fuit accuſatus *Galfridus* de Clintune, & infamatus de proditione regis falſo. Ad Rogationes fuit apud Cantuariam ad dedicationem nouæ Eccleſiæ. Ad feſtiuitatem ſancti *Michaelis* tranſiit in Normanniam: eodem anno deceſſit *Honorius* Papa. Sequenti anno recepit rex apud Carnotum Papam *Innocentium*, *Anacleto* ſubiici recuſans. Hos enim vtroſque Romani bipartiti elegerant. Expulſus vero ab vrbe *Innocentius* vi *Anacleti*, qui *Petrus* de Leues prius vocabatur, auxilio regis *Henrici* receptus eſt per totas Gallias. Poſt quod in æſtate rediit in Angliam ſecum filiam ſuam adducens. Fuit igitur in Natiuitate ſanctæ *Mariæ* magnum placitum apud Nordhamtune: In quo congregatis omnibus principibus Angliæ deliberatum eſt, quod filia ſua redderetur viro ſuo ſcilicet Conſuli Andegauenſi eam requirenti. Miſſa autem poſt hæc filia regis viro ſuo recepta eſt

faſtu

faſtu tanta viragine digno. Poſt Paſcha mortuus eſt *Reginaldus* Abbas Rameſienſis huius nouæ *fundator Eccleſiæ. In principio hyemis obiit *Heueus* primus Helienſis Epiſcopus. *al. author* Anno ſequenti fuit rex *Henricus* ad natale apud Dunſtaple, ad Paſcha apud Wodeſtoc. Poſt Paſcha fuit magnum placitum apud Londoniam, vbi de pluribus quidem & maxime de diſcordia Epiſcopi ſancti *Dauidis* & Epiſcopi Clamorgenſis de finibus parochiarum ſuarum tractatum eſt. Obiit *Baldewinus* rex Hieroſolymæ, & *Galfridus* ſucceſſit. Anno regni ſui trigeſimo tertio fuit rex *Henricus* ad natale apud Windleſores infirmus. Ad caput ieiunii fuit conuentus apud Londoniam ſuper Epiſcopos ſancti *Dauidis* & Clamorgenſis, & pro diſcordia Archiepiſcopi & Lincollienſis Epiſcopi. Ad Paſcha fuit rex apud Oxineford in noua aula: & ad *Rogationes* fuit iterum conuentus apud Wincester ſuper rebus prædictis. Poſt Pentecoſten dedit rex Epiſcopatum Helienſem *Nigello* & Epiſcopatum Dunelmiæ *Galfrido* Cancellario. Fecit etiam rex nouum Epiſcopatum apud Karloil, & tranſiit mare. Eclipſis ſolis facta eſt quarto nonas Auguſti. Sequenti anno rex *Henricus* moratus eſt in Normannia præ gaudio nepotum ſuorum, quos genuerat Conſul Andegauenſis in filia regis. Obiit *Gilebertus* Londonienſis Epiſcopus & *Lauendenſis Epiſcopus in via Romæ *al. Lauādenſis* pro cauſa ſua tam diu agitata. Hoc anno transfretauit Archiepiſcopus *Willelmus* & *Alexander* Lincollienſis Epiſcopus ad regem pro diſcordia, quæ inter eos erat pro quibuſdam conſuetudinibus parochiarum ſuarum. Anno trigeſimo quinto rex *Henricus* cõtinue moratus eſt in Normannia, & ſæpe non rediturus in Angliam redire proponebat: ſed detinebat eum filia eius variis diſcordiis, quæ oriebantur pluribus cauſis inter regem & Conſulem Andegauenſem, artibus ſcilicet filiæ ſuæ. Quibus ſtimulationibus rex in iram & animi rancorem excitatus eſt, quæ à nonnullis cauſa naturalis refrigidationis, & poſtea mortis eius cauſa fuiſſe dictæ ſunt. Cum igitur rex à venatu rediiſſet apud ſanctum *Dionyſium* in ſylua Leonum comedit carnes murænarum: quæ ſemper ei nocebant, & ſemper eas amabat. Cum autem medicus hoc comedi prohiberet, non adquieuit rex ſalubri Conſilio: ſecundum quod dicitur,

Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſq́ negata.

Hæc igitur comeſtio peſſimi humoris illatrix, & conſimilium vehemens excitatrix ſenile corpus lethaliter refrigidans, ſubitam & ſummã perturbationem fecit. Contra quod natura renitens excitauit febrem acutam ad impetum diſſoluẽdum materiei grauiſſimæ. Cum autem reſtare nulla vi poſſet, deceſſit rex magnus cum regnaſſet triginta quinque annis & tribus menſibus in prima die Decembris. Et iam in tanti fine regis finem libro præſenti dicabimus, cui tamen (ſi meruit) Muſam memoriale dare compreceмur.

Rex Henricus *obit, decus olim nunc dolor orbis:*
Numina flent numen deperiiſſe ſuum.
Mercurius *minor eloquio, vi mentis* Apollo,
Iupiter *imperio, Marſq́ vigore gemunt,*
Ianus *cautela minor,* Alcides *probitate,*
Conflictu Pallas, *arte* Minerua *gemunt.*
Anglia, quæ cunis, quæ ſceptro numinis huius
Ardua ſplenduerat, iam tenebroſa ruit.
Hæc cum rege ſuo, Normannia cum duce marcet:
Nutriit hæc puerum, perdidit illa virum.

LECTORI.

INTER *librum ſeptimum & eum, qui hic eſt octauus, ex codicibus manuſcriptis nonnulli duos alios libros interponunt. Initium prioris,* Hic eſt annus qui comprehendit ſcriptorem. *Poſterioris,* De viris illuſtribus Anglorũ, & quæ per eos. *In priore libro continentur tres Epiſtolæ. prima ad* Henricum *regem eius nominis primum de ſerie regum potentiſſimorum, qui per orbem terrarum vſque ad ſua tempora fuerunt. altera ad* Warinum *Britonem de ſerie regum Brittannorum ex* Galfredo Arthuro. *Tertia ad* Walterum *Archidiaconum Oxinefordienſem conſortem ſuum de contemptu mundi. Poſterior liber eſt de Miraculis Anglorum, ex* Beda *fere totus ſumptus. Hos itaque libros, (quamuis ab Huntindo-*

nenſi ſine dubio conſcriptos) & quia alterius ſunt argumenti, & quia in plurimis codicibus non extant, & quia nihil afferunt noui, quod non in Beda *Monemuthenſi, alius plenius reperiatur, omittere viſum eſt.*

HENRICI HVNTINDONIENSIS HISTORIARVM.

LIB. VIII.

DEFVNCTO igitur rege *Henrico* magno, libera (vt in mortuo ſolent) iudicia populi depromebantur. Alii enim eum tribus vehementer irradiaſſe ſplendoribus aſſerebant: ſapientia ſumma: nam & conſilio profundiſſimus, & prouidentia conſpicuus, & eloquentia clarus habebatur: victoria etiam, quia exceptis illis, quæ egregie geſſerat, regẽ Francorũ belli lege ſuperauit: diuitiis quoq;, quibus omnes anteceſſores ſuos longe lateq; præceſſerat. Alii autem diuerſo ſtudio tribus illum vitiis inficiebant: cupiditate nimia: qua (vt omnes parentes ſui) pauperes opulentus tributis & exactionibus inhians delatoriis hamis intercipiebat: Crudelitate ẽt: qua Conſulem de Moretoil cognatũ ſuum in captione poſitum exoculauit: Nec ſciri facinus tam horrendum potuit vſq; quo mors ſecreta regis aperuit: Nec minus & alia proponebãt exempla, quæ tacemus: Luxuria quoq;: quia mulierũ ditioni regis more *Salomonis* continue ſubiacebat. Talia vulgus liberũ diuerſificabat. Succeſſu vero temporis atrociſſimi, quod poſtea per Normannorum rabioſas proditiones exarſit, quicquid *Henricus* fecerat vel tyrannice vel regie comparatione deteriorum viſum eſt peroptimum. Venit enim ſine mora *Stephanus Thedbaldi* Bleſenſis Conſulis frater iunior eo, vir magnæ ſtrenuitatis & audaciæ, & quamuis iuraſſet in ſacramentum fidelitatis Anglici regni filiæ regis *Henrici*, fretus tamen vigore & *impudentia regni diadema Deum tentans inuaſit. *Willielmus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, qui primus ſacramentum filiæ regis fecerat, eum (proh dolor) in regem benedixit. vnde iudicium illud Deus in eum ſtatuit, quod ſacerdoti magno *Ieremiæ* percuſſori ſtatuerat: ſcilicet ne poſt annum viueret. *Rogerus* magnus Salesburienſis Epiſcopus, qui ſecundus ſacramentum illud prædictum fecerat, & omnibus aliis prædicauerat, diadema ei & vires auxilii ſui contribuit: vnde iuſto Dei iudicio poſtea ab eodem, quem creauit in regem, captus & excruciatus miſerandum ſortitus eſt exterminium. Sed quid morer? Omnes qui ſacramentum iurauerant tam præſules quam conſules & principes aſſenſum *Stephano* præbuerunt, & hominium fecerunt. Hoc vero ſignum malum fuit, quod tam repente omnis Anglia ſine mora, ſine labore, quaſi in ictu oculi ei ſubiecta eſt. Diadematus igitur curiam ſuam tenuit ad natale apud Londoniam. Corpus autem regis *Henrici* adhuc inſepultum erat in Normannia. Rex namq; *Henricus* prima die Decembris obierat: cuius corpus allatum eſt Rotomagum, & ibi viſcera eius & cerebrum & oculi conſepulta ſunt. Reliquum autem corpus cultellis circumquaque deſecatum, & multo ſale aſperſum, coriis taurinis reconditum eſt cauſa fœtoris euitandi, qui multus & infinitus iam circumſtantes inficiebat. Vnde & ipſe, qui magno precio conductus ſecuri caput eius diffiderat, vt fœditiſſimum cerebrum extraheret, quamuis linteaminibus caput ſuum obuoluiſſet, mortuus tamen ea cauſa precio male gauiſus eſt. Hic eſt vltimus è multis, quem rex *Henricus* occidit. Inde vero corpus regium Cadonum ſui deportauerunt. vbi diu in Eccleſia poſitum, in qua pater eius ſepultus fuerat, quamuis multo ſale repletum eſſet, & multis coriis reconditum, tamen continue ex corpore iugiter humor & horribilis ſcoria pertranſiens decurrebat, & vaſis ſub feretro ſuſceptus à miniſtris fœtore & horrore fatiſcentibus abiiciebatur. Vide igitur quicunque legis, quomodo regis potentiſſimi corpus, cuius ceruix diadematizata auro & gemmis electiſſimis, quaſi Dei ſplendore vernauerat: cuius vtraq; manus ſceptris præradiauerat, cuius reliqua ſuperficies auro textili tota rutilauerat, cuius os tam delicioſiſſimis & exquiſitis paſci ſolebat cibis, cui omnes aſſurgere, omnes expaueſcere, omnes congaudere, omnes admirari ſolebant: vide (inquam) quo corpus illud deuenerit, quam horribiliter deliquerit, quam miſerabiliter abiectum fuerit. Vide rerum euentum, ex quo ſemper pendet iudicium. Et diſce contemnere quicquid ſic diſterminatur, quicquid ſic annihilatur. Tãdem reliquiæ regalis cadaueris allatæ ſunt in Angliã, & ſepultæ ſunt intra 12. dies Natalis Domini

*al. imprudentia

Domini apud Abbatiam Redinges, quam rex *Henricus* fundauerat, & multis poſſeſſionibus ditauerat. Ibique rex *Stephanus* venit à curia ſua, quam tenuerat apud Londoniam in ipſo natali contra corpus patrui ſui. & *Willielmus* Archiepiſcopus Cantuariæ & multi præſules & proceres ſepelierunt regem *Henricum* cum debita tanto viro reuerentia. Inde perrexit rex *Stephanus* apud Oxeneforde, vbi recordatus eſt, & confirmauit pacta, quæ Deo & populo & ſanctæ Eccleſiæ conceſſerat in die coronationis ſuæ. Quæ ſunt hæc. *Primo vouit, quod defunctis Epiſcopis nunquam retineret Eccleſias in manu ſua, ſed ſtatim electioni Canonicæ conſentiens Epiſcopis eas inueſtiret. Secundo vouit, quod nullius clerici vel Laici ſyluas in manu ſua retineret, ſicut rex* Henricus *fecerat, qui ſingulis annis implacitauerat eos, ſi vel venationem cepiſſent in ſyluis propriis, vel ſi eas neceſſitates ſuas extirparent, vel diminuerent.* Quod placiti nefandi genus adeò fuit execrabile, vt ſi alicuius lucum, quem habere pecuniam æſtimarent, a longe conſpicerent, ſtatim vaſtatum perhiberent ſiue eſſet ſiue non, vt eum immerito redimerent. *Tertio vouit, quod Danegeldū, (id eſt) duos ſolidos ad Hidam, quos anteceſſores ſui accipere ſolebant, ſingulis annis in æternum condonaret.* Hæc principaliter Deo vouit & alia, ſed nihil horum tenuit.

Stephanus rex primo anno regni ſui, cum veniſſet in fine natalis Domini ad Oxeneforde, audiuit nuncium dicentem ſibi: Rex Scottorum ſimulans ſe pacifice venire ad te gratia hoſpitandi, veniens in Karlol & nouum caſtellum doloſe cepit vtraque: Cui rex *Stephanus*: quæ doloſe cepit, victorioſe recipiam. Promouit igitur rex impiger exercitum tantum erga *Dauid* Scottorum regem, quantum nullus in Anglia fuiſſe memorare potuit. occurrens igitur ei rex *Dauid* circa Dunelmiā concordatus eſt, ei reddens nouū caſtellum Karloil vero retinuit conceſſione regis *Stephani*, rex tamē *Dauid*, homo regis *Stephani* non eſt effectus; quia ſacramentum primus omnium Laicorum iurauerat filiæ regis, ſcilicet nepti ſuæ de Anglia ei manu tenenda poſt mortem *Henrici* regis. Filius autem *Dauid* regis *Henricus* homo regis *Stephani* effectus eſt, Deditque ei rex *Stephanus* Burgum, quod vocatur Huntendonia in augmentum. Rediens autem inde rex *Stephanus* in Quadrageſima tenuit curiam ſuam apud Londoniam in ſolemnitate Paſchali, qua nunquam fuerat ſplēdidior in Anglia multitudine, magnitudine, auro, argento, gemmis, veſtibus, omnimoda dapſilitate. Ad *Rogationes* vero diuulgatum eſt regem mortuum eſſe. Quod audiens *Hugo Bigot* in caſtellum Nordwic ſubintrauit, nec reddere voluit, niſi ipſi regi aduenienti valde tamen inuitus. Iam ergo cœpit rabies Normannorum prædicta periurio & proditione pullulare. Cepit igitur rex caſtellum de Bathentune, cuius dominus *Robertus* quidam proditor à rege deſciuerat. Inde obſedit vrbem Execeſtre, quam tenebat *Baldwinus* de Reduers contra eum, ibiq; diu morando, machinas multas cōſtruendo, multū theſauri ſui abſumpſit. Sero tamē redditū eſt ei caſtellum, & vindictam non exercuit in proditores ſuos peſſimo conſilio vſus: ſi enim eam tum exercuiſſet, poſtea contra eum tot caſtella retenta nō fuiſſent. Inde igitur rex perrexit in Inſulam Vectā, & abſtulit eā *Baldwino* de Reduers (de quo prædiximus) & exulauit eum ab Anglia. Elatus igitur rex hiſce proſpere geſtis venit venatum apud Bramptoniam, quæ abeſt miliario ab Huntendonia: & ibi placitauit de foreſtis procerum ſuorum (id eſt) de ſyluis & venationibꝰ, & fregit votum & pactum Deo & populo.

al. Riuers

Stephanus rex anno ſecundo fuit ad natale apud Dunſtaple. In Quadrageſima vero transfretauit in Normanniam. Tranſiit autem Lincolienſis Epiſcopus *Alexander* & multi proceres cum eo. Vbi rex Martiis altercationibus aſſolitus omnia, quæ incepit, luculenter perfecit, hoſtium circumuentus repulit, hoſtilia caſtella depulit, egregie inter ſummos ſplenduit, concordiam rege Francorum compoſuit, & *Euſtachius* filius eius homo regis Francorum effectus eſt de Normannia, quæ Francorum adiacet imperio. Quod videns Conſul Andegauenſis, qui ſupremus hoſtis eius erat (qui nimirum filiam regis *Henrici* duxerat, quæ Imperatrix Alemanniæ fuerat, & ſacramenta de regno Angliæ acceperat: vnde & calumniabantur Angliam ſponſus & ſponſa) cœpit tamen inducias cum rege *Stephano*. Videbat enim ſe ad præſens regias vires non poſſe perſtringere, tam pro multitudine probitatis quam pecuniæ, quæ adhuc ex abundantia theſauri regis defuncti ſupererat. Cunctis igitur proſpere geſtis in ipſo veſtibulo natalis Domini rediit rex in Angliam clarus. Hi ergo duo anni *Stephano*, regi proſperrimi fuerunt. Tertius vero, de quo dicemus, mediocris, & interciſus; Duo vero vltimi exitiales & prærupti.

Stephanus rex impiger tertio anno in ipſo ingreſſu Angliæ prouolauit ad Bedefordiam & in vigilia natalis Domini & in toto natali obſedit eam: quod etiam multis Deo diſplicuiſſe viſum eſt, quia ſolennitatem ſolemnitatum parui vel nihili pendebat. Reddita autem Bedfordia in Scotiam promouit exercitum. Rex namq; Scottorū, quia ſacramentum

fecerat filiæ regis *Henrici*, quaſi ſub velamento ſanctitatis per ſuos execrabiliter egit. Mulieres enim grauidas findebant, & fœtus anticipatos abſtrahebant, pueros ſuper acumina lancearum iactabant, presbyteros ſuper altaria detruncabant, crucifixorum capita abſciſſa ſuper cæſorum corpora ponebant, mortuorum vero capita mutuantes ſuper crucifixa reponebant. Quæcunq; igitur Scotti attingebant, omnia erant plena horroris, plena immanitatis. Aderat clamor mulierum, eiulatus ſenum, moriētium gemitus, viuentium deſperatio. Rex igitur *Stephanus* inſurgens combuſſit & deſtruxit Auſtrales partes regni regis *Dauid*: ipſo quidem *Dauid* non audente cum eo congredi. Poſt Paſcha vero exarſit rabies proditorum nefanda. quidam namq; proditorum nomine *Talebot* tenuit contra regem caſtellum Herefordiæ in Wales, quod tamen rex per obſidionem in ſuum recepit. *Robertus* Conſul filius *Henrici* regis nothus tenuit cōtra eum fortiſſimum caſtellum, quod vocatur Briſto, & alium quod vocatur Slede. * *Willielmus Luuel* tenuit caſtellum de Kari: *Paganellus* caſtellum de Ludelau: *Willielmus* de * Moun caſtellum de Duneſtor: *Robertus* de Nichole caſtellum de Warram: *Euſtachius* filius *Iohannis* caſtellum de Meltune: *Willielmus* filius *Alani* caſtellum de Salopeſbiri/ quod rex quidem cepit armis, captorumq; nōnullos ſuſpendit. Quod audiens *Walkelinus*, qui tenebat caſtellum de Doure, reginæ ſe obſidēti reddidit illud. Occupato igitur rege circa partes Auſtrales Angliæ *Dauid* Scottorum rex innumerabilem exercitum promouit in Angliam, cōtra quem proceres Borealis Angliæ admonitione & iuſſu *Turſtani* Archiepiſcopi Eboracenſis reſtiterunt viriliter, fixo Standard (id eſt) regio inſigni apud Aluerton. Cum autem morbi cauſa non poſſet Archiepiſcopus intereſſe pugnæ, miſit loco ſui *Radulfum* Epiſcopum Orcadum: qui ſtans in acie media loco eminenti huiuſmodi vſus eſt incentiuo.

al. Radulfus — *al. Moiun*

Proceres Angliæ clariſſimi Normannigenæ (meminiſſe enim veſtri vos nominis & generis præliaturos decet) perpendite qui, & contra quos, & vbi bellum geratis. vobis enim nemo impune reſtitit: Audax Francia vos experta delituit. Ferax Anglia vobis capta ſuccubuit: Diues Apulia vos ſortita refloruit: Hieroſolyma famoſa & inſignis Antiochia ſe vobis vtraq; ſuppoſuit. Nunc autem Scotia vobis rite ſubiecta repellere conatur inermem: præferens temeritatem, rixæ quam pugnæ aptior. In quibus quidem nulla vel rei militaris ſcientia, vel præliandi peritia, vel moderandi gratia. Nullus igitur verendi locus ſed potius verecundiæ, quod hi, quos ſemper in patria ſua petiuimus & vicimus, in patriam noſtram ritu tranſuerſo ebrii dementeſq; conuolarunt. Quod tamen vobis ego præſul & archipræſulis noſtri loco ſitus diuina prouidentia factum denuncio, vt hi, qui in hac patria templa Dei violauerunt altaria cruentauerunt, presbyteros occiderunt, nec pueris, nec prægnantibus pepercerunt, in eadem condignas ſui facinoris luant pœnas. Quod iuſtiſſimum ſuæ diſpoſitionis arbitrium per manus noſtras hodie perficiet Deus. Attollite igitur animos viri elegantes, & aduerſus hoſtem nequiſſimum freti virtute patria, immo Dei præſentia exurgite. Neq; vos temeritas eorum moueat, cum illos tot noſtræ virtutis inſignia non deterreant. Illi neſciunt armare ſe in bello, vos in pace armis exercemini, vt in bello caſus belli dubios non ſentiatis. Tegitur vobis galea caput, lorica pectus, ocreis crura, totumq; corpus clypeo; vbi feriat hoſtis non reperit, quem ferro circumſeptum conſpicit. Procedentes igitur aduerſus inermes ac nudos quid dubitamus? An numerum? ſed non tam numerus multorum quam virtus paucorum bellum conficit; *Multitudo enim diſciplinæ inſolens ipſa ſibi eſt impedimento in proſperis ad victoriam, in aduerſis ad fugam. Præterea maiores veſtri multos pauci ſæpe vicerunt. Quid ergo conferet vobis gloria parentalis, exercitatio ſolemnis, diſciplina militaris, niſi multos pauciores vincatis. Sed iam finem dicendi ſuadet hoſtis inordinate proruens, & quod animo valde meo placet diſperſe confluens. Vos igitur archipræſulis veſtri loco, qui hodie commiſſa in Domini domum, in Domini ſacerdotes, in Domini gregem puſillum vindicaturi eſtis, ſi quis veſtrum prælians occubuerit, abſoluimus ab omni pœna peccati in nomine Patris, cuius creaturas fœde & horribiliter deſtruxerunt, & filii, cuius altaria maculauerunt, & Spiritus ſancti, à quo ſublimatos inſane reciderunt.*

Reſpondit omnis populus Anglorum, & reſonuerunt montes & colles Amen, Amen: Exclamauitq; ſimul exercitus Scottorum inſigne patrium, & aſcendit clamor vſque in cœlum, Albani, Albani. Extinctus autem clamor eſt ictuum immanitate & horrendo fragore. Principium pugnæ. dum acies Loenenſium, qui gloriam primi ictus à rege Scottorum inuito præripuerant, amentatis miſſilibus & lanceis longiſſimis ſuper aciem equitum noſtrorum loricatam percutiunt, quaſi muro ferreo offendentes, impenetrabiles inuenerunt. Viri vero ſagittarii equitibus immixti obnubilantes eos nimirum inermes penetrabant. Tota namq; gens Normannorum & Anglorum in vna acie circum Standard conglobata perſiſtebant immobiles. Percuſſo igitur ſagitta ſummo duce Loenenſium corruit ipſe, & tota gens eorum in fugam verſa eſt. Offenſus namq; Deus excelſus erat in eis, & omnis virtus eorum tanquam aranearū contextio demolita eſt. Quod videns acies

maxima

maxima Scottorum, quæ ex alia parte acerrime pugnabat, animo deliquit, & fugæ indulſit. Regalis autem acies, quam ex pluribus gentibus rex *David* conſtituerat, ſimul hoc vidit, ceperunt primum ſingillatim, poſtea coaceruatim aufugere, rege iam pene ſolo perſiſtente. Quod amici regis videntes, coegerunt eum ſonipede arrepto terga dare, filius autem regis ſtrenuiſſimus non attendens ad hæc, quæ a ſuis fieri videbat, ſed ſoli gloriæ & virtuti inhians fugientibus reliquis fortiſſime aſſiluit aciem hoſtium, & miro impetu percuſſit. Sola namq; acies eius equis reſidebant ex Anglis videlicet & Normannis cõpoſita, qui patris in familia conuerſabantur. Equitantes aũt nulla ratione diu perſiſtere potuerũt contra milites loricatos pede perſiſtentes, & immobiliter coaceruatos: ſed lãceis contractis & equis vulneratis aufugere quidem, glorioſe tamẽ re geſta compulſi ſunt. Vndecim millia Scottorum in eo campo fama refert occiſa, extra eos, qui in ſegetibus & ſyluis inuenti & perempti ſunt. Noſtri vero minimo ſanguine fœliciter triumpharunt. Huius pugnæ dux fuit *Willielmus* Cõſul de Albemarle & *Willielmus Piperellus* de Notingam & *Walterus* * *Eſpect*, & *Ibertus* de Laci, cuius frater ibi ſolus ex omnibus equitib. occiſus eſt. Cuius euentus belli cum regi *Stephano* nũciatus eſſet, ipſe & omnes qui aderant ſummas Deo gratias exſoluerunt. Hoc bellum menſe Auguſti factum eſt. At in aduentu Domini Concilium apud Londoniam *Albericus* Eccleſiæ Romanæ Legatus, & Hoſtienſis Epiſcopus tenuit. Et ibidem annitente Rege *Stephano Thedbaldus* Abbas Beccenſis Cantuarienſis Archiepiſcopus effectus eſt.

al. Eſpech *al. Gillebert de Laci*

Anno quarto rex *Stephanus* poſt natale caſtellum de Slede cepit obſidione; Perrexit autem poſt hæc in Scotiam, vbi cum rem *Marte* & *Vulcano* ducib. ageret, Rex Scotiæ cum eo concordari coactus eſt. *Henricum* igitur filium regis Scottorum ſecum ducens in Angliam obſedit Ludlaue, vbi idem *Henricus* vnco ferreo equo abſtractus, pene captus eſt: ſed ipſe rex eũ ab hoſtibus ſplẽdide retraxit. Inde re * imperfecta Oxinfordiam petiit, vbi res infamia notabilis & ab omni conſuetudine remota comparuit. Rex namq; *Rogerum* Epiſcopum Salesburienſem, & *Alexandrum* Lincolnienſem ipſius nepotem cum pacifice ſuſcepiſſet, violenter in curia ſua cepit nihil iuſticiæ recuſantes, & iudicii æquitatem deuotiſſime poſcentes. Ponens igitur ibidem *Alexandrum* Epiſcopum in carcere, Epiſcopum Salesburienſem ſecum duxit ad caſtellum eiuſdem, quod vocatur Diuiſe (quo non erat aliud ſpendidius intra fines Europæ) Angarians igitur eum & ieiunii tormento & filii eius, qui Cancellarius regis fuerat, laqueo collum circumnectens, vt ſuſpẽderetur. Tali modo caſtellum ſibi extorſit male recordãs bonorũ, quæ in introitu regni ſui præ omnib. aliis ei congeſſerat. talem ei deuotionis ſuæ retributionẽ exhibuit. Similiter cepit Sireburnã, quod parũ Diuiſis decore cedebat; Accipienſq; theſauros Epiſcopi comparauit inde *Conſtantiam* ſororem *Lodouici* regis Francorum ad opus *Euſtachii* filii ſui. Rex inde rediens *Alexandrum* Epiſcopũ Lincolienſem, quem dimiſerat in captione apud Oxinefordiam, duxit ſecum ad Newercam. Ibiq; conſtruxerat Epiſcopus ſuper flumen Trente in loco amœniſſimo Vernantiſſimum florida compoſitione caſtellum. Quo cũ veniſſet rex indixit Epiſcopo ieiunium non legitimum, aſtruens fide data eum omni cibo cariturum, donec ei redderetur caſtellũ. Vix igitur Epiſcopus lachrymis & precibus à ſuis obtinere potuit, vt caſtrum ſuum à iure ſuo in extraneorũ cuſtodiam deponerent. Similiter redditum eſt caſtellũ aliud eius, quod vocatur Slaforde, neq; forma neq; ſitu à prędicto ſecundum. Nec longe poſt, cum *Henricus* Wintonienſis Epiſopus frater regis iam Legatus Romanæ Eccleſiæ concilium apud Wintoniam teneret ipſe & *Thedbaldus* Archiepiſcopus Cãtuarienſis & omnes Epiſcopi, qui aderant ad pedes regios deuoluti ſunt, deuotiſſima ſupplicatione poſcẽtes, vt Epiſcopis prędictis poſſeſſiones ſuas redderet, vt omnia in eos cõmiſſa regi benigne condonarent. Sed rex conſilio prauorum tot & tantorum tam verendam proſternationem deſpiciens, nihil eos impetrare permiſit. Ob quod patefacta eſt domus regis *Stephani* finitimæ condemnationi. Statim namq; filia regis *Henrici*, quæ fuerat Imperatrix Alemanniæ, cui Anglia iuramento dedicata fuerat, venit in Angliam. Quam cum rex obſediſſet apud Arundel vel perfida credens conſilia, vel quia caſtrum videbat inexpugnabile, ire permiſit ad Briſtou. Eodem anno *Rogerus* prædictus Epiſcopus tam mœrore quam ſenio confectus demarcuit. Stupeant igitur omnes lecturi tantam tam ſubitam rerum permutationem. Viro namq; pręfato tot à iuuentutis exordio bona contigerant, & ſine interpellatione in cumulum creuerant, vt diceremus omnes in eo fortunam ſuæ volubilitatis oblitam: nec aliquibus aduerſis in tota vita ſua potuit affici, donec tantæ miſerię cumulus ſimul confluens in extremis eum præfocauit. Nullus igitur de fœlicitatis aſſiduitate confidat. Nullus de fortunæ ſtabilitate præſumat. Nullus in rota volubili ſedem confixam diu ſupereſſe contendat.

al. perfecta

Quinto anno regni ſui fugauit rex *Stephanus Nigellum* Epiſcopum Elyenſem de Epiſcopatu ſuo, quia nepos prædicti Epiſcopi Salesburienſis erat, à quo odii incentiuum in progeniem eius traxerat. vbi autem ad natale, vel ad Paſcha fuerit, dicere non attinet. Iam quippe curiæ ſolennes & ornatus regii ſcematis ab antiqua ſerie deſcendens prorſus euanuerant. Ingens theſauri copia iam deperierat: pax in regno nulla: cædibus, incendiis, rapinis omnia exterminabantur; clamor, & luctus, & horror vbique, vnde ſic dictum eſt elegiace:

Quis mihi det fontem. quid enim potius lachrymarum?
Et lachrymer patriæ geſta nefanda meæ.
Aduenit caligo ſtygis dimiſſa profundo,
Quæ regni faciem conglomerata tegit.
Ecce furor, fremitus, incendia, furta, rapinæ,
al. cædes **Clades, nulla fides conſociata ruunt.*
Iam furantur opes, & opum dominos, & in ipſis
Sopitos caſtris (ô noua furta) premunt.
Periurare, fidem mentiri nobile factum,
Prodere vel dominos actio digna viris.
Concio prædonum cœmiteria, templa refringit,
Namq́; ſacerdotes, res miſeranda, rapit.
Detorquent vnctos Domini, ſimul & mulieres
Proh pudor, vt redimant, excruciare ſtudent.
Affluit ergo fames, conſumpta carne gementes
Exhalant animas oſſa, cutiſq́; vagas.
Quis tantos ſepelire queat cœtus morientum,
Ecce ſtygis facies, conſimiliſq́; lues!

Sexto anno rex *Stephanus* Lincoliæ vrbem infra natale obſedit, cuius munitiones fraudulenter ceperat *Ranulfus* Comes Ceſtrenſis, Seditq́; ibi vſque ad purificationem Sanctæ Dei genetricis Virginis *Mariæ*. Tunc namq́; *Ranulfus* Comes prædictus adduxit ſecum *Robertum* filium *Henrici* regis, generum ipſius, & proceres validiſſimos alios ad obſidionem regis diſſoluendam. Cum autem Conſul audaciſſimus paludem pene intranſibilem vix tranſiſſet in ipſa die aciebus diſpoſitis regem bello aggreſſus eſt; Ipſe cum ſuis aciem primam conſtruxerat, ſecundam illi, quos rex *Stephanus* dehæredauerat; Tertiam dux magnus *Robertus* cum ſuis. à latere vero erat turma Walenſium magis audacia quam armis inſtructa. Tunc Conſul Ceſtrenſis vir bellicoſus, & armis inſignibus coruſcans *Robertum* Conſulem, proceresq́; reliquos ſic alloquitur: *Gratias tibi multas (dux inuictiſſime) vobiſque (proceres, & commilitones mei) cum ſumma deuotione perſoluo, qui vſque ad vitæ periculum amoris affectum mihi magnanimiter exhibuiſtis. Cum igitur ſim vobis cauſa periculi, dignum eſt, vt periculo me prius ingeram, & infidiſſimi regis, qui datis induciis pacem fregit, aciem prius illidam. Ego quidem tam de mea virtute, quam de regis iniuſticia confidens, iam iam regalem cuneum diffindam, gladio mihi viam per hoſtes medios parabo: veſtræ virtutis eſt ſequi præeuntem, & imitari percutientem. Iam videor animi mei præſagio regias acies tranſuolare, proceres pedibus conculcare, regem ipſum gladio tranſuerberare.* Dixerat. Dux autem *Robertus* ſic iuueni reſpondit, & in loco ſtãs eminenti huiuſmodi orationem habuit, *Non indignum eſt, quod ictus primi dignitatem poſcis, tam ex nobilitate, quam virtute, qua præcellis. Si tamen de nobilitate contendas: ego filius regis nobiliſſimi, & nepos regis ſummi non antecellor: Si de virtute, hic multi ſunt electiſſimi, quibus nemo viuentium probitate poteſt præferri. Sed longe alia me mouet ratio. Rex enim contra ſacramenta, quæ ſorori meæ fecit, regnum crudeliter vſurpauit, & omnia conturbans multis millibus cauſa necis extitit, & exemplo ſui nihil iuris habentibus terras diſtribuit, iure poſſidentibus diripuit. ab ipſis nequiter dehæredatis (ſummo iudice cooperante & vindictam ſubminiſtrante) prius aggrediendus eſt. Reſpiciet, qui iudicas populos in æquitate, de excelſo cælorum habitaculo, & iniuſtum iuſte appetentes in hac tanta neceſſitate nequaquam relinquet. Vnum vero eſt (proceres fortiſſimi militeſque vniuerſi) quod vobis animo firmiter ingerere volo, quia per paludes, quas vix pertranſiſtis, nulla poteſt eſſe fugientibus reuerſio. Hic igitur vel vincendum vel occumbendum, ſpes fugæ nulla. Hoc ſolum supereſt vt in vrbem gladiis viam paretis. Siquid autem vere coniecturas animus mihi, hoc quod fugere nuſquam poteſtis, illud eſt, quod hodie vobis Deo adiuuante victoriam præſtabit. Neceſſe eſt enim vt ad probitatem confugiat, cui non poteſt eſſe aliud diffugium. Ciues autem Lincolienſes, qui ſtant vrbi ſuæ proximi in impetus grauedine animis liqueſcentibus ad domos ſuas transfugere victorioſi videbitis. Veruntamen contra quos bellum geratis attendite.* Alanus *Britonum dux contra nos immo contra Deum procedit armatus, vir nefandus,*

& e-

& omnium ſcelerum genere pollutus, malitia paris neſcius, cui nunquam nocendi defuit affectus, cui ſe non eſſe crudelitate incomparabilem, ſolum & ſupremum videtur opprobrium. Procedit quoque contra nos Comes Mellenſis, doli callidus, fallendi artifex, cui innata eſt in corde nequitia, in ore fallacia, in opere pigritia, glorioſus corde, magnanimus ore, puſillanimus opere, ad congrediendum vltimus, ad digrediendum primus, tardus ad pugnam, velox ad fugam. Procedit contra vos Hugo *Conſul, cui parum viſum eſt ſe contra Imperatricem periurum fuiſſe, niſi & ſecundo ſe patentiſſime periuraret, affirmans Regem* Henricum Stephano *Regnum conceſſiſſe, & filiam ſuam abdicaſſe, qui nimirum fallaciam virtutem credit, & elegantiæ periurium ducit. Procedit Conſul de Albemarle, vir in crimine ſingularis conſtantiæ, ad agendum volubilis, ad relinquendum immobilis, quem ſponſa ſua cauſa ſpurcitiæ intollerabilis fugitiua reliquit. Procedit contra vos Conſul ille, qui cõſuli prædicto ſponſam abripuit, adulter patentiſſimus, & excellenter impurus,* Baccho *deuotus,* Marti *ignotus, vino redolens, bello inſolens. Procedit* Simon *Comes Hamptonienſis, cuius actus ſola loquutio, cuius datum ſola promiſſio, qui cum dicit, fecit; cum promittit, dedit. Procedunt cæteri proceres, regi ſuo conſimiles, latrociniis aſſueti, rapinis delibuti, homicidiis ſaginati, omnes tandem periurio contaminati. Vos igitur (viri fortiſſimi) quos magnus* Henricus *Rex erexit, iſte deiecit: Ille inſtruxit, iſte deſtruxit: Erigite animos, & de virtutibus veſtris, immo de Dei iuſtitia confiſi vindictam vobis à Deo oblatam de facinoroſis præſumite, & gloriam immarceſſibilem vobis poſteriſq; veſtris præfigite. Iam ſi vobis idem animus eſt ad hoc iudicium Dei perpetrandum, progreſſionem vouete, fugam abiurate, erectis in cœlum vnanimiter dextris.* Vix finierat, & omnes in cœlum manibus extenſis terribili clamore fugam abiurauerunt, & ſe in armis colligentes, in hoſtem ſplendide progrediuntur. Rex interea *Stephanus* curarum magnis exæſtuans fluctibus Miſſam in tanta ſolemnitate audierat. Cum autem de more cereum Rege dignum Deo offerens manibus *Alexandri* Epiſcopi imponeret, confractus eſt. Hoc fuit Regi ſignum contritionis, cecidit etiam ſuper altare pixis, cui corpus Domini inerat abrupto vinculo præſente Epiſcopo: Hoc fuit Regi ſignum ruinæ. Proinde Rex ſtrenuiſſimus egreditur, acieſq; cum ſumma ſecuritate bello diſponit. Ipſe pedes omnem circa ſe multitudinem loricatorum equis abductis ſtrictiſſime collocauit, conſules cum ſuis in duabus aciebus equis pugnaturos inſtituit; Sed admodum paruæ illæ equeſtres acies comparuerunt. Paucos enim ſecum ficti, & factioſi conſules adduxerant: acies autem regalis maxima erat, vno tantum ſcilicet ipſius regis inſignita vexillo. Tunc quia Rex *Stephanus* feſtiua voce carebat, *Baldwino* filio *Gileberti*, magnæ nobilitatis viro, & militi fortiſſimo ſermo exhortatorius ad vniuerſum cœtum iniunctus eſt. Qui loco ſtans excelſo omnium oculis in eum erectis, vbi attentionem eorum modeſta taciturnitate ſtimulauit, ſic exorſus eſt.

Omnes (qui aciebus diſpoſitis conflicturi eſtis) tria prævidiſſe oportet, primum iuſticiam cauſæ, deinde militum copiam, poſtremo adſtantium probitatem. Iuſtitiam cauſæ, ne periculum animæ incurratur; copiam militum, ne hoſtium numeroſitate comprimatur: probitatem aſtantium, ne numero confiſa, debilibus tamen innixa ſubruatur. In his omnibus negotium, quo tenemur, expeditum conſpicimus. Cauſa namque noſtra iuſtitia eſt, quod Regi ea, quæ coram Deo nouimus ſeruantes contra ſuos in eum periuros in periculo mortis adſtamus. Numerus vero nobis in equitibus non inferior, in peditibus confertior. Probitatem vero tot procerum, tot conſulum, militum quoque bellis ſemper aſſuetorum, quis vocibus exæquet? Virtus autem ipſius Regis infinita vobis loco perſtabit millium. Cum igitur ſit in medio veſtrum dominus veſter vnctus Domini, cui fidem deuouiſtis, votum Deo perſoluite, tanto donatiuum maius à Deo accepturi; quanto fidelius & conſtantius pro Rege veſtro fidi contra infidos, legitimi contra periuros pugnaueritis. Securi quinetiam & ſumma repleti confidentia, contra quos bellum geratis perpendite. ROBERTI *ducis vires notæ ſunt. Ipſe quidem de more multum minatur, parum operatur, ore leoninus, corde leporinus, clarus eloquentia, obſcurus inertia. Conſul autem Ceſtrenſis vir audaciæ irrationabilis, promptus ad conſpirandum, inconſtans ad perficiendum, ad bellum impetuoſus, periculi improuidus, altiora ſe machinans, impoſſibilibus anhelans, aſſiduorum paucos adducens, conuenarum diſperſam multitudinem congregans: nihil habet, quod timeri debeat: Semper enim quicquid viriliter incepit, effœminate reliquit. In omnibus quippe geſtis ſuis infortunate rem agens, vel in congreſſibus victus aufugit, vel ſi raro victor extitit, maiora victis detrimenta ſuſtinuit. Walenſes autem, quos ſecum adduxit ſolos, vobis deſpectui ſint, qui inermem bello præferunt temeritatem, & arte, & vſu belli carentes, quaſi pecora decurrunt in venabula: alii vero tam proceres, quam milites, transfugæ, & gyrouagi, vtinam plures adducerentur, qui quanto numero plures, tanto effectu deteriores. Vos igitur Conſules, & viri conſulares meminiſſe vos decet (namq; decet) veſtræ virtutis, & nobilitatis. Hodie probitates veſtras numeroſas in cacumen florentiſſimum extollite, & patrum imitatores filiis veſtris ſplendorem ſempiternum relinquite. Aſſiduitas itaq; victoriarum incentiuum ſit vobis confligendi: aſſiduitas ino*

fortuniorum incentiuum fiet illis fugiendi. Iam ſiquidem (nec fallor) eos adueniſſe pœnitet: iam de fuga meditantur, ſi locorum aſperitas admittat. Cum ergo nec illis confligere, nec confugere ſit poſſibile: quid aliud egerunt, niſi quod vobis Dei nutu, & ſe, & impedimenta ſua obtulerint? Equos itaque eorum, arma, & ipſorum corpora ditioni veſtræ ſubiecta conſpicitis. Extendite ergo animos veſtros: & dextras inexpugnabiles (viri bellicoſi) ad diripiendum cum ſummo tripudio, quod ipſe vobis obtulit Deus. Sed iam antequam orationis ſeriem terminaret, clamor adeſt hoſtium, clangor lituorum, equorum fremitus, terræ ſonitus.

Principium pugnæ. Acies exhæredatorum, quæ præibat, percuſſit aciem regalem: in qua Conſul *Alanus*, & ille de Mellent / & *Hugo* Conſul de Eſtangle / & *Symon* Comes, & ille de Warrenna inerant tanto impetu, quod ſtatim quaſi in ictu oculi diſſipata eſt, & diuiſio eorum in tria deuenit. Alii namque eorum occiſi ſunt, alii capti, alii aufugerunt. Acies cui principabatur Conſul de Albemarle / & *Willielmus* Iprenſis percuſſit Walenſes, qui à latere præcedebant, & in fugam coegit. Sed acies Conſulis, Ceſtrenſis perculit cohortem prædicti conſulis, diſſipata eſt in momento ſicut acies prior. Fugiunt igitur omnes equites regis, & WILLIELMVS Iprenſis à Flandria oriundus vir exconſularis, & magnæ probitatis. Qui cum eſſet belli peritiſſimus, videns impoſſibilitatem auxiliandi reges, diſtulit auxilium ſuum in tempora meliora. Rex itaque *Stephanus* cum acie ſua pedeſtri relictus eſt in medio hoſtium. Circuierunt igitur vndiq; aciem regalem, & totam in circuitu expugnabant, ſicut caſtellum ſolet aſſiliri. Tunc vero horrendam faciem belli videres in omni circuitu regalis aciei, ignem proſilientem ex galearum & gladiorum colliſione, ſtridorem horrendum, clamorem terrificum: reſonabãt colles, reſonabant vrbis muralia. Impetum igitur equorum regalem turmam offendentes, quoſdam cædebant, quoſdam ſternebant, nõnullos abſtractos capiebant. Nulla quies iis, nulla reſpiratio dabatur, niſi in ea parte, qua Rex fortiſſimus ſtabat, horrentibus inimicis incomparabilem ictuum eius immanitatem. Quod vbi Comes Ceſtrenſis comperit regis inuidens gloriæ cum omni pondere armatorum irruit in eum. Tunc apparuit vis regis fulminea bipenni maxima cædens hos, ruens illos. Tunc nouus oritur clamor: omnes in eum, ipſe in omnes. Tandem regia bipennis ex ictuum frequentia confracta eſt. Ipſe gladio abſtracto dextera regis digno, rem mirabiliter agit, donec & gladius confractus eſt. Quod *Willielmus* videns Dekains, miles validiſſimus, irruit in regem, & eum galea arripiens voce magna clamauit. Huc omnes, huc, regem teneo. Aduolant omnes, & capitur rex. Capitur etiam *Baldwinus* qui orationem fecerat perſuaſoriam multis confoſſus vulneribus, multis contritus ictibus, vbi egregie reſiſtendo gloriam promeruit ſempiternam. Capitur etiam *Richardus* filius *Vrſi*, qui in ictibus dandis, & recipiendis clarus, & glorioſus comparuit. Adhuc capto rege pugnabat acies regalis; nec enim circumuenti fugere poterant, donec omnes vel capti vel cęſi ſunt. Ciuitas ergo hoſtili lege direpta eſt, & rex in eam miſerabiliter introductus eſt.

Dei igitur iudicio circa Regem peractò ducitur ad Imperatricem, & in turri de Briſtow captiuus ponitur. Imperatrix ab omni gente Anglorum ſuſcipitur in dominam, exceptis Kentenſibus, vbi regina, & *Willielmus* Iprenſis contra eam pro viribus ſuis repugnabant. Suſcepta eſt prius à Legato Romano Wintonienſi Epiſcopo, & mox à Londonienſibus. Erecta eſt autem in ſuperbiam intolerabilem, quia ſuis incerta belli proſperauiſſet, & omnium fere corda à ſe alienauit. igitur ſiue ſubdolorum inſtinctu, ſiue Dei nutu, imo quicquid homines egerint Dei nutu expulſa eſt à Londonia. Irritata igitur muliebri angore, regem vnctum Domini in compedibus poni iuſſit. Poſt dies autem cum auunculo rege Scottorum, & fratre ſuo *Roberto* viribus coactis veniens obſedit turrim* Londonienſis Epiſcopi. Epiſcopus autem miſit pro Regina & *Willielmo* Iprenſi, & pro vniuerſis fere proceribus Angliæ. Factus eſt igitur exercitus, vtrinque magnus. Dimicabant quotidie non congreſſibus acierum, ſed militarium anfractuum circuitionibus. Non igitur ſicut in belli cæcitate confundebantur geſta. Sed patebat cuiuſque probitas, & gloria pro meritis aderat, vt mora illa pro omnibus his voluptuoſa videretur in illuſtrium ſplendoribus excelſis. Venit tandem exercitus Londonienſis, & aucti numeroſe, qui contra Imperatricem contendebant, fugere eam compulerunt. Capti ſunt in fuga multi. Captus eſt & *Robertus* frater Imperatricis, in cuius turri Rex captiuus erat: cuius ſola captione Rex euadere poterat. Abſolutus eſt vterque. Sic Rex Dei iuſtitia miſerabiliter captus, Dei miſericordia mirabiliter liberatus eſt, & ab Anglorum proceribus cum magno gaudio ſuſceptus eſt.

*al. Wintonienſis.

Septimo anno Rex *Stephanus* conſtruxit caſtrum apud Wiltonam. Tunc ſuperueniens multitudo hoſtium ex inſperato cum regii milites circuitionibus bellicis incepiſſent,

ſent, & non potuiſſent reſiſtere, regem in fugam compulerunt. Capti ſunt ex ſuis plærią;. captus eſt etiam *Willielmus Martel* dapifer regis, qui pro redemptione ſua dedit inſigne caſtellum de Syrcburne. Eodem anno rex obſedit Imperatricem apud Oxineford poſt feſtum ſancti *Michaelis* vſq; ad aduentum Domini. In eo quippe termino non procul à natali aufugit Imperatrix per Tamaſim glaciatam circumamicta veſtibus albis reuerberatione niuis & ſimilitudine fallentibus oculos obſidentium: fugit autem ad caſtellum de Wallingford, & ſic Oxineford regi tandem reddita eſt.

Octauo anno Rex *Stephanus* interfuit concilio Londoniæ in media Quadrageſima: quod quia nullus honor vel clericis vel Eccleſiæ Dei à raptoribus deferebatur, & æque capiebantur, & redimebantur clerici, vt Laici, tenuit conſilium Wintonienſis Epiſcopus vrbis Romanæ Legatus apud Londoniam clericis pro tempore neceſſarium; In quo ſancitum eſt, ne aliquis qui clerico violentas manus ingeſſerit, ab alio poſſit abſolui, quam ab ipſo Papa, & in præſentia ipſius, vnde clericis aliquantulum ſerenitas vix eluxit.

Eodem anno cepit Rex *Gaufridum* de magna villa in curia ſua apud ſanctum *Albanum*, magis ſecundum retributionem nequitiæ Conſulis, quam ſecundum ius gentium, magis ex neceſſitate, quam ex honeſtate. Niſi enim hoc egiſſet perfidia Conſulis illius regno priuatus fuiſſet. Igitur, vt Rex eum liberaret, reddidit ei turrim Londoniæ & caſtellum de Walſedene, & illud de Plaiſſeiz. Poſſeſſionibus igitur carens Conſul prædictus inuaſit Abbatiam Rameſienſem, & Monachis expulſis raptores immiſit, & Eccleſiam Dei ſpeluncam fecit latronum. Erat autem ſummæ probitatis, ſed ſummæ in Deum obſtinationis: magnæ in mundanis diligentiæ, magnæ in Deum negligentiæ. Ipſo anno ante natale Wintonienſis Epiſcopus & poſtea Cantuarienſis Archiepiſcopus Romam petierunt delegatione acturi: Mortuo iam *Innocentio* Papa, cui ſucceſſit *Celeſtinus*.

Nono Rex *Stephanus* anno Lincoliam obſedit. vbi cum munitionem contra caſtellum, quod vi obtinebat Conſul Ceſtrenſis conſtrueret, operatores ſui ab hoſtibus præfocati ſunt, fere octoginta. Re igitur imperfecta rex confuſus abſceſſit. Anno autem ipſo Conſul *Gaufridus* de magna villa Regem validiſſime vexauit, & in omnibus valde glorioſus effulſit. Menſe autem Auguſti miraculum iuſtitia ſua dignum Dei ſplendor exhibuit. Duos namq;, qui Monachis auulſis Eccleſias Dei conuerterant in caſtella ſimiliter peccantes ſimili pœna mulctauit. *Robertus* namq; *Marmiun* vir bellicoſus hoc in Eccleſia de Couentre peruerſus exegerat. Porro *Gaufridus* de magna villa (vt diximus) in Eccleſia Ramaſienſi ſcelus idem patrauerat. Inſurgens igitur *Robertus* Marmium in hoſtes inter ingentes ſuorum cuneos coram ipſo Monaſterio ſolus interfectus eſt, & excommunicatus morte depaſcitur æterna. ſimiliter *Gaufridus* Conſul inter acies ſuorum confertas, à quodam viliſſimo pedite ſolus ſagitta percuſſus eſt. Et ipſe vulnus ridens poſt dies tamen ex ipſo vulnere excommunicatus occubuit. Ecce Dei laudabilis omnibus ſeculis prædicanda eiuſdem ſceleris eadem vindicta. Dum autem Eccleſia illa pro caſtello teneretur, ebulliuit ſanguis è parietibus Eccleſiæ, & clauſtri adiacentis indignationem diuinam manifeſtans, ſceleratorum exterminationem denuncians. Quod multi quidem, & ego ipſe oculis meis inſpexi. Quia igitur improbi dicebant Deum dormire, excitatus eſt Deus, & in hoc ſigno, & in ſignificato. Eodem quippe anno & *Ernulfus* filius Conſulis, qui poſt mortem patris Eccleſiam incaſtellatam retinebat, captus eſt, & per hoc exulatus: & princeps militum ſuorum in hoſpitio ſuo ab equo corruens effuſo cerebro expirauit: Princeps autem peditum ſuorum *Reimerus* nomine cuius officium fuerat Eccleſias frangere, vel incendere, dum mare cum vxore ſua tranſiret (vt multi perhibuerunt) nauis immobilis facta eſt. Quod monſtrum nautis ſtupentibus, ſorte data rei cauſam inquirentibus, ſors cecidit ſuper *Reimerum*: quod cum ille nimirum totis contradiceret niſibus, ſecundo & tertio ſors iactata in eum deuenit. Poſitus igitur in ſcapha eſt, & vxor eius, & pecunia ſceleſtiſſime acquiſita: & ſtatim nauis curſu velociſſimo, vt prius fecerat, pelagus ſulcat. ſcapha vero cum nequiſſimis ſubita voragine circumducta in æternum abſorpta eſt. Eodem anno *Celeſtino* Papa defuncto, *Lucius* ſubſtituitur.

Decimo anno Rex *Stephanus* prius in agendis circa diſcurſus *Hugonis Bygot* occupatus fuit. Sed in æſtate Robertus Conſul, & omnis inimicorum regalium cœtus conſtruxerat caſtellum apud Ferendois. Rex non ſegnis viribus coactis aduolat, & Londonienſium terribilem, & numeroſum duxit exercitum. Aſſilientes igitur totis diebus caſtrum, dum *Robertus* Conſul, & fautores ſui copias maiores non procul ab exercitu Regis expectarent laborioſiſſima probitate, non ſine magna ſanguinis effuſione ceperunt. Tunc demum Regi fortuna cepit in melius permutari, & in ſublime protelari. Eodem anno Epiſco-

pus Lincollienſis *Alexander* iterum Romam pergens munificentiſſime ſe, vt prius, habuit. Itaq; honorificentiſſime ſuſceptus eſt ab *Eugenio* Papa nouo viro ſumma dignitate condigno. Cuius mens ſemper benigna: cuius diſcretio ſemper æqua: cuius facies ſemper non ſolum hilaris, ſed & iocunda: Rediens autem ſequenti anno, cum ſumma ipſius Papæ, totiuſq; curiæ gratia, a ſuis cum ſumma reuerentia, & gaudio ſuſceptus eſt. Eccleſiam vero ſuam, quæ combuſtione deturpata fuerat, ſubtili artificio ſic reformauit: vt pulchrior quam in ipſa nouitate ſui compareret, nec vllius ædificii ſtructuræ circa fines Angliæ cederet.

Vndecimo anno Rex *Stephanus* magnum congregans exercitum caſtellum conſtiuxit inexpugnabile ſitum contra Walinford/ vbi *Ranulfus* Comes Ceſtrenſis iam Regi cõcordia coniunctus, cum magnis interfuit copiis. De hinc vero Conſul ipſe ad regis curiam cum pacifice veniſſet apud Nordhamtonam, nihil tale metuentem cepit, & in carcerem * retruſit, donec redderet ei caſtellum clariſſimum Lincolliæ, quod ab eo doloſe ceperat: & cætera quæcunq; fuerant ditionis ſuæ caſtella. Sic igitur Conſul eiectus carcere, in liberum reſtitutus eſt arbitrium.

al. intruſit.

Duodecimo Rex *Stephanus* anno ad natale Domini in vrbe Lincollienſi diademate regaliter inſignitus eſt, quo regum nullus introire, prohibentibus quibuſdam ſuperſtitioſis, auſus fuerat: vnde comparet, quantæ Rex *Stephanus* audaciæ, & animi pericula non reformidantis fuerat. Poſt diſceſſum vero Regis venit Conſul Ceſtrenſis Lincolliam cum militaribus copiis, vt aſſiliret eam. Dux igitur eius vir fortis & inuictiſſimus in introitu portæ Borealis occiſus eſt. & ipſe Conſul pluribus amiſſis fugere compulſus eſt. Ciues igitur victorioſi ſummo gaudio repleti virgini virginum protectrici eorum laudes & gratias inſigniter exoluerunt. Ad Pentecoſten Rex Franciæ *Lodoueus*, & Conſul Flandriæ *Theodoricus*, & Conſul de ſancto *Egidio*, & innumerabilis exercitus de vniuerſo Franciæ regno, & multi de gente Anglorum crucibus aſſumptis iter Ieroſolymitanum arripuerunt, vt Paganos, qui ceperant vrbem Roheis expugnarent. Maiorem exercitum tamen duxit imperator Alemanniæ *Conradus*, tranſiitq; exercitus vterq; per imperatorem Conſtantinopolis, qui eos poſtea prodidit. Menſe Auguſto profectus eſt *Alexander* Lincolliẽſis Epiſcopus Altiſſiodorum ad *Eugenium* Papam, qui prius Pariſius, tunc ibi morabatur. Ipſe quidem à Papa honorifice ſuſceptus eſt, ſed ex intempeſtiua caloris nimietate ſeminarium languoris attulit in Angliam. Vnde mox infirmitati, deinde languori, tandem morti ſuccubuit.

Anno igitur 13. Regis *Stephani* mortuus eſt *Alexander* Epiſcopus, & ſepultus apud Lincolliam in capite ieiunii. Dicenda ſunt igitur de viri moribus ſecundum conſuetudinem *Moyſi* vera. Nutritus igitur in ſummis deliciis à *Rogero* auunculo ſuo Salesberienſi Epiſcopo, maiores inde animos contraxit, quam opportunum eſſet ſuis. Siquidem prætcrire volens principes cæteros largitione munerum & ſplendore procurationum, cum proprii redditus ad hoc non ſufficere poſſent, à ſuis ſummo ſtudio carpebat, vnde egeſtatem ſuam nimietate prædicta comparatam complere poſſet: nec tamen complere poterat, qui ſemper magis, magiſq; diſpergebat. Fuit autem vir prudens, & adeo munificus, vt curia Romana vocaretur magnificus. Anno eodem exercitus imperatoris Alemanniæ & regis Francorum, qui ſummis ducibus illuſtrati cum ſumma incedebant ſuperbia ad nihilum deuenerunt: quia Deus ſpreuit eos. Aſcendit enim in conſpectu Dei incontinentia eorum, quam exercebant in fornicationibus non occultis; In adulteriis etiam, q Deo valde diſplicuit, poſtremo in rapinis & omni genere ſcelerum. Prius itaq; fame conſternati proditione imperatoris Conſtantinopolitani, poſtea ferro hoſtili emarcuerunt. Rex autem Franciȩ & imperator Alemanniæ cum pauciſſimis prius Antiochiam, poſtea Ieroſolymam ignominioſæ aufugerunt. Tunc vero rex Franciæ, quaſi aliquid acturus ad detrimentum famæ refocillandum auxilio militum templi, quod eſt in Ieruſalem, & viribus vndiq; congeſtis obſedit Damaſcum. Sed gratia Dei carens, & ideo nihil proficiẽns rediit in Galliam. Interea quidam exercitus naualis virorum non potentum, nec alicui magno duci innixi, niſi Deo omnipotenti: quia humiliter profecti ſunt optime profecerunt. Ciuitatem namq; in Hiſpania, quæ vocatur Vlixisbona, & aliam, quȩ vocatur, Almaria, & regiones adiacentes à multis pauci Deo cooperante bellis obtinuerunt. Vere *Deus ſuperbis reſiſtit: humilibus autem dat gratiam*. Exercitus namq; regis Francorum & imperatoris Alemanniæ ſplendidior & maior fuerat, quam ille, qui prius Ieruſalem conquiſierat; & à pauciſſimis contriti ſunt: & quaſi telæ aranearum diſterminati ſunt, & demoliti. His autem pauperibus, de quib. prædiximus, nulla multitudo * reſtare poterat. ſed quando plures iis inſurgebant, debiliores efficiebantur. Pars autem eorum maxima venerat ex Anglia.

al. reſiſtere.

Eodem

Eodem anno appropinquante natali *Robertus* cuius cognomen eſt de querceto Archidiaconus * Leiceſtrenſis iuuenis omni laude dignus electus eſt in Epiſco. Lincolnienſem. A cunctis igitur honore tanto dignus eſt habitus, rege, & clero, & populo cum ſummo gaudio annuente benedictionem pontificalem ab Archiepiſcopo Cantuarienſi ſuſcepit, & apud Lincolliam cum ſummo tripudio magnus expectatione, maior aduentu à clero & populo cum deuotione ſuſceptus eſt. Proſperet ei Deus tempora praua, & iuuentutem eius foueat rore ſapientiæ, & exhilaret faciem eius iocunditate ſpirituali. *al. Legreceſtrenſius.*

Anno 14. Henrico nepoti ſuo Dauid Rex Scotorum virilia tradidit arma. Cum autem congregati eſſent in ſolemnitate, Rex Scotorum cum viribus ſuis, & nepos ſuus cum Occidentalibus Angliæ proceribus: timens rex *Stephanus* ne Eboracum inuaderent, venit in vrbem cum maximo exercitu: ibiq; moratus eſt per menſem Auguſtum. *Euſtachius* vero filius regis *Stephani* (nam & ipſe eodem anno virilia ſumpſerat arma) irruit in terras procerum, qui erant cum *Henrico* filio imperatricis. Nullo ergo contradicente, *Marte & Vulcano* comitantibus, non modicum illis damnum inflixit. Rex vero Anglorum, & Rex Scotorum, quorum alter erat apud Eboracum, alter apud Karloil, ſibi mutuo cauentes, & offendere timentes, per ſeipſos diuiſi ſunt, & ad domicilia regnorum repedauerunt.

Anno 15. Rex *Stephanus* agminibus congregatis vrbem Wirceceſtre pulcherrime aſſiliuit: & captam incendio deturpauit, caſtellum tamen, quod vrbi inerat, capere non potuit. Vrbs namq; illa *Waleramni* Conſulis erat de Mellent, quam ipſe Rex *Stephanus* ei malo ſuo dederat. Ditatæ igitur ſpoliis vrbis direptæ regales turmæ, per terras inimicorum remeauerunt, & inde prædam innumerabilem nullo reſiſtente ſecum reduxerunt.

Anno decimo ſexto, *Tedbaldus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, & Apoſtolicæ ſedis legatus tenuit Concilium generale apud Londoniam in media Quadrageſima, vbi Rex *Stephanus*, & filius ſuus *Euſtachius*, & Angliæ proceres interfuerunt, totumq; illud Concilium nouis appellationibus infrenduit. In Anglia namq; appellationes in vſu non erant, donec eas *Henricus* Wintonienſis, dum legatus eſſet, malo ſuo crudeliter intruſit. In eodem namque Concilio ad Romani pontificis audientiam ter appellatus eſt. Rex autem *Stephanus* eodem anno iterum Winceſtriam irrupit: & quia caſtellum anno prædicto capere non potuit, ad eius captionem totis viribus deſudabat. Porro cum viriliter incluſi reſtarent, duo caſtella ad illud expugnandum cõſtruxit. Quoſdam igitur ex proceribus ſuis ibidem relinquens ad propria remeauit. Sed quia mos regius erat, quod multa ſtrenuiter inciperet, & ſegniter exequeretur, arte Conſulis de Legeceſtria caſtella regis obſidentia demolita ſunt, & obſceſſum callide deliberatum eſt. Conſul etenim prædictus frater erat Conſulis de Mellent. Itaq; regis ſtudium, & labor emarcuit, & euanuit. Eodem Anno Conſul Andegauium regis *Henrici* gener, & regis Ieroſolymitani filius, vir magnus & clariſſimus mortis conceſſit legibus. Igitur *Henrico* filio ſuo primogenito Andegauiam, & Normanniam contradidit: & ius hæreditarium, quod in Angliæ regno licet carens obtinebat, ei conceſſit. Contigit autem, quod *Ludouicus* rex Francorum à ſponſa ſua filia Conſulis Pictauenſis per cognationis iuſiurandum diuideretur. Henricus igitur dux nouus Normannorum, duxit eam, & per eam Conſulatum Pictauenſem ſummis honoribus ampliatus poſſedit. Ea tamen deſponſatio incentiuum, fomeſq; odii maximi fuit & diſcordiæ inter regem Francorum, & ipſum ducem.

Inſurgens itaque *Euſtach*.... filius Regis *Stephani* cum ipſo Rege Francorum non modicis aſſultibus Normanniam oppugnabant. Dux vtriſque & omni Francorum exercitui robuſtiſſime reſtabat. Rex tamen quoddam caſtellum, quod vocatur nouum mercatum, copiis omnibus aggregatis aſſiliit, & potentiſſime & pene inexpugnabile cepit, & obtinuit, & *Euſtachio* filio Regis Angliæ, qui ſororem eius duxerat reddidit.

Anno decimo ſeptimo, Rex *Stephanus* filium ſuum *Euſtachium* regio diademate voluit inſignire. poſtulans igitur ab Archiepiſcopo Cantuarienſi *Theobaldo*, & cæteris Epiſcopis, quos ibidem congregauerat, vt eum in Regem vngerent, & benedictione ſua confirmarent, repulſam paſſus eſt. Papa ſiquidem literis ſuis Archiepiſcopo prohibuerat, ne filium regis in Regem ſublimarent: videlicet, quia Rex *Stephanus* regnum contra iuſiurandum præripuiſſe videbatur. Intimo igitur dolore decoctus, & ira nimia feruefcens tam pater, quam filius, in domo quadam omnes includi iuſſerunt, & vehementer angariantes, vt poſtulata peragerent, compellabant. Illi ſummo perterriti timore (rex namque *Stephanus* nunquam clericos liquide dilexerat, & pridem duos incarcerauerat Epiſcopos) reſtiterunt tamen capitum ſuorum * pericula nihil metuentes. Receſſerunt tamen omnes illæſi poſſeſſionibus quidem ſpoliati, quas poſtea rege pœnitente rehabuerunt. Rex eodem anno caſtrum Nubiriæ, quod non procul abeſt à Wintonia obſidens oppugna- *al. pericula metuẽtes.*

uit,& tandem expugnauit. Inde caſtellum de Wallingford obſedit, & in ipſo pontis ingreſſu caſtellum obſeſſorium conſtruxit, quod incluſus eſcarum illationem liberam progreſſionem diripuit. Tunc igitur primo grauiſſime compreſſi, à domino ſuo duce Normanniæ petierunt, vel auxilii exhibitionem, vel caſtellum in manus regis reddendi licentiam.

Anno Regis *Stephani* decimo octauo dux Normannorum tanta neceſſitate compulſus intperatus aduolauit in Angliam. Tunc vero miſerabilis Anglia deſtructa quidem, ſed iam per aduentum eius quaſi vitam rehabitura, in hæc verba cum lachrymis irrupit.

Dux Henrice *nepos* Henrici *maxime magni*
Anglia celſa ruo, nec iam ruo tota ruina.
Dicere vix poſſum, fueram: ſum namq́; receſſit.
Si mihi, quæ miſeris ſupereſt, vel ſpes ſupereſſet,
Clamarem miſerere, veni, ſuccurre, reſiſte.
Nam ſum iure tui iuris, potes, erige lapſam,
Sed nunc ora rigent: nunc vox, nunc vita recedunt.
At quis clamor adeſt, venit ingeminant quoq́; venit?
Quis dux ille ducum puer annis, mente ſenilis?
Gemma virum, vir aue, mea ſpes, dum ſpes mihi, ſalue,
Sero venis: perii: clames tamen, Anglia ſurge,
Immo reſurge: tuam refero tibi mortua vitam.
Ad vocem rediuiua tuam poſt fata reſurgam.
Ergo reuiuiſcens, video quod inhorreo: cernis
Prælia quanta mouet Stephanus: *moueat, volo: quippe*
Gloria nulla foret, ſi prælia nulla moueret.
Quot contra Stephanum, *cui copia multa virorum,*
Duxiſti? paucos: cur paucos? gloria maior
Eſt multos paucis, quam multos vincere multis.
Cum Rex Francorum Comites, proceresq́;, ſed omnes
In te conſurgunt: leuis eſt iactura: repugno
Diis abſens, pugno tibi præſens, cur ſimul, edam,
Si non pugna duplex, nec erit mihi gloria duplex:
Multo magisq́; nitet reges, quam vincere reges:
Quis tibi ſignifer eſt: ipſius gratia Chriſti,
Quam mihi conciliat mea, nec minus actio regis.
Namq́; placet pax ſola mihi, diſcordia regi.
Pacem ſero ſero, pacem tibi ſanguine quæro,
Dulcis alumna mei, cui tanta pericula ſumpſi.
Te potiar, ſi pace tamen per me potiare,
Si ſecus, emoriar, ne te videam morientem.

Cum igitur dux glorioſus Angliæ littora tempeſtate propulſus occupaſſet, ſubitis afflata rumoribus infrenduit terra, velut arundinetum zephyro vibrante colliſum. Tranſuolans itaq; fama, (vt aſſolet) alis pernicibus ſemina ſparſit, aliis exultationis, & lætitiæ, aliis formidinis, & mœſtitiæ. Diu tamen de aduentu eius admodum tripudiantes ſuper hoc, quod paucos ſecum duxerat, aliquantulum commouebantur. Hoſtium vero confuſio ex eadem paucitate non modicum releuabatur. Vtriq; tamen ſuper hoc mirabantur. Et, quod in medio hyemis gremio mare tempeſtuoſum intraſſet, ſui magnanimitatem, alii iudicabant audaciam. At iuuenis ſtrenuiſſimus congregans ſuos, tam quos inuenerat, quam quos adduxerat, mora maxime peroſa caſtellum de Mamneſbirh obſedit: & quia viri tanti probitates magnæ ſunt, & multæ breuiter quidem perſtringendæ ſunt, ne rerum geſtarum copia plenius elucidata nimietatem congerat prolixitatis. Obſeſſum igitur caſtellum ſtatim; nunquam enim morā gerendis intermiſcebat, aſſiluit moxq; cepit. Expugnata tamē vrbe turris excellentiſſima *Iordani*, q̄ regali obſeruabat imperio, ſola fame domabilis manſit. Vnde *Iordanus* cum ſumma feſtinatione egrediens, rem geſtam Regi *Stephano* propalauit. Siniſtris angariatus rex *Stephanus* nunciis ſui vultus dignitatem obducto mœrore cōmutauit. Non ſegniter tamen copiis omnibus congregatis nō longe à Manbebirh fixit tentoria. Craſtina vero aduentus ſui die acies equitibus electiſſimis refertas, legib⁹ bellicis diſtinctas, eleganter ordinauit. Erat quidē exercitus ingens procerū numero-

ſtate condenſus, inſignibus aureis coruſcus, valde terribilis,& decorus, ſed procul ab iis receſſerat Deus,in quo ſolo tota ſalus. Apertis enim cataractis cœli tãtas in facies ipſorum miſit inundationes,tantas acerrimi frigoris obſtinationes,tãtas vẽtuoſi turbinis impulſiones,vt Deus ipſe videretur pro duce rem agere.Ibant tamen aciebus diſpoſitis,quaſi cõtra Dei potentiam contendentes horrendis quidẽ exagitati cruciatibus.ſtabat è regione iuuenilis exercitus, magis viribus confiſus,quam numero. Præcipue tamen Dei gratia corroboratus quã eis iuſtitię cauſa,pro qua ſcilicet aſtabãt miſericorditer.Stabãt equidẽ non pcul ab vrbis præfatæ muralibus prope fluenta fluminis, quod pluuiarum,& niuium inundatio tanto impulſu,tanta immenſitate ducebat, vt ingreſſuris horrorem incuteret,ingreſſis egreſſum negaret. Præcedebat ſuos iuuenis nobiliſſimus armis tanto duce dignis inſignitus,animi plenitudinem ſpecie corporis imaginans, quẽ adeo formæ dignitas cõmendabat: vt ſi dicere licet,eum non tantum arma decerent, quantum ipſius decor arma ſplendificaret.Erat quidem ei, ſuiſq; tempeſtas à tergo; regi, ſuiſq; in faciem,vt nec arma ſuſtinere, nec lãceas imbribus profluentes cõtrectare poſſent. Et quia præuiderat Deus, quod puero ſuo terram ſine ſanguinis effuſione contraderet, cum nullus eorum flumen tranſgredi poſſet,nec rex tãtas illuuiones vltra perferre ſufficeret, repedauit Londoniam opera caſſatus,confectus moleſtia. Igitur turri, quam obſederat, duci reddita properauit exhilaratus ad id, pro quo venerat, ſcilicet vt caſtro de Wallingford iam fame perituro ſuccurreret. Congregata igitur militũ copia, quæ victualibus inferendis caſtro Wallingford eſſet ſubſidio,proſperauit Deus & hoc inceptum, tranquillum iis largiens effectum. Erant equidem caſtella numeroſa in circuitu militia regali referta, nec tamen impedire venientes, vel redeuntes Domino volente potuerunt, paruum fuit medii ſpaciũ tẽporis & iã dux validiſſimus omni militia, quæ ſibi adhærebat coadunata obſedit caſtellum de *Craumers,rem arduam & inæſtimatã laudabiliter incipiens, cinxit caſtellũ regis & exercitum ſuum vallo maximo: vt ſuis egreſſus tantum pateret per caſtellum de Wallingford;obſeſſis vero nullus permitteretur exitus.Quod rex audiens, tunc prorſus omnibus copiis ſuæ ditioni pertinentibus agglomeratis duci ſuperuenit terribilis. Terrore tamen nullo dux permotus,licet impar copiis eſſet regi,vallũ, quod exercitui ſuo fuerat pro munimento, ſtatim deiici iuſſit: & obſidionem relinquens aciebus diſpoſitis contra regem ſplendide proceſſit. videns igitur inopinate regalis exercitus acies hoſtiũ ordinatas in facies ſuas exurgentes, timuerunt valde. Rex autem nullo timore compreſſus ſuorũ quoq; turmas caſtrorũ terribiliter diſpoſitas progredi iuſſit. Inſurrexerunt autẽ proceres, immo proditores Angliæ de concordia inter eos agentes, nihil tamen magis,quã diſcordiã diligentes.ſed bellum committere nolebant,quia neutrũ exaltare volebant,in altero ſubacto alter iis libere dominaretur: ſed ſemper alter alterum metuens, regiam in eos poteſtatem exercere non poſſet. Inducias igitur inter ſe rex duxq; conſtituerunt coacti nolentes, vterq; proditione ſuorũ comperientes. Iuueni tamen ſuo Deus honorẽ de more contulit. Caſtrum namq; regiũ,quod dux obſederat, ex illius cõpactione fœderis detectũ eſt. Locuti ſunt poſtea rex ſolus,& dux ſolus amne interpoſito de pace perpetua inter eos conſtituenda de proditione procerũ ſuorũ anxie conquerentes inter ſe. Prælibatum eſt illud pacis negotiũ,ſed tamen in aliud tempus delatũ eſt.Nondũ igitur ſopita diſcordia cum ad ſua remeaſſent, diluculũ fœlicitatis duci magno ſereniſſime comparuit. Suos etenim hoſtes immaniſſimos,& ſumma potentia præditos filiũ ſcilicet regis *Euſtachium*, & *Symonem* Comitẽ de Northamptune/Dei prouidentia nil tale metuentes, in eodem demoliuit tempore. vnde virtus & ſpes omnium ei rebellantium ex improuiſo emarcuit euentu, vterque iuuenis eodem morbo eadem deperierunt hebdomade. Sepultus eſt *Simon* Comes apud Northamptune/plenus omnium,quæ non licebant,omnium quæ non decebant. Sepultus eſt filius regis in Abbatia,quam mater eius fundauerat, apud Feuereſham / militia quidem probatus,ſed in ea,quæ Dei ſunt, obſtinatus, rectoribus Eccleſiarum duriſſimus, perſequentibus eam deuotiſſimus. exſtirpatis igitur hoſtibus *Henrici* dilecti ſui fortiſſimis iam Deus ipſe tranquillitatem regni ipſius præparabat benigniſſime.

Tertiam igitur obſidionem congeſſit circa caſtellum de Stanford / capta ſtatim vrbe *rebellantes ei, qui turri inerant,nuncios regi miſerunt, auxilium incluſis poſcentes. Rex autem obſederat caſtellum de Gipeſwig/quod *Hugo Bigot* contra eum tenebat,cuius obſidionem cum nollet dimittere, nec incluſus auxilium impendere, redditum eſt caſtellum *Henrico* principi magno:ſed & caſtellum,quod rex obſederat,regi redditum eſt. A Stanfordia dux Normannorũ diſcedens, Nottingham petiit,& ſtatim vrbẽ cepit. Illi vero, qui caſtello vrbis inerant,vrbem ipſam combuſſerunt.

Interim vero *Tedbaldus* Archiepiſcopus cũ rege de concordia cum duce componenda

al. Crawemerſe

al. debellantes

magno opere tractabat. Ipſe frequenter regi colloquens, duci vero per internuncios. Erat ei coadiutor *Henricus* Wintonienſis Epiſcopus, qui prius regnum funeſte turbauerat, *Stephano* fratri ſuo regni diadema contradens: nunc autem pœnitentia motus cum omnia videret, rapinis, incendiis, cædibus demolita, ad tantorum finem malorum concordiæ principium inuigilabat. Diſpoſitio præſertim Dei faciens pacem, & creans bonum, condignis Angliæ flagellis finem deſtinans; dedit eis euentum incœpti, & ab eo per ipſos pacis ſerenitas, concordia ſacramentis confirmata reſplenduit. O quam inæſtimabile gaudium! quam beata dies cum in vrbe Wintoniæ proceſſione pontificum & heroum coruſcante, & innumerabilis populi frequentia congratulante, iuuenis clariſſimus ipſo rege ducente glorioſe ſuſceptus eſt. Ipſum ſiquidem rex in filium ſuſcepit adoptiuum: & hæredem regni conſtituit. Exinde rex ducem Londonias ſecum duxit, ibique non minori gaudio ab innumerabilis conuentu plebis, proceſſionibus luculentiſſimis, vt tantũ decebat virum, ſuſceptus eſt: ſic Dei miſericordia pacis aurorã, & noctis ærumnoſæ finem regno diruto contribuit Anglorũ. His igitur actis cum ſummo gaudio & amore rex *Stephanus* & filius eius nouus mox conuenturi diſceſſerunt. hæc etenim concordia ante Natale Domini confirmata eſt. Ad Octauas autem Epiphaniæ rurſus conuenerunt apud Oxinefordiam, cum iam dux per annum fecit in expugnatione, immo in reſuſcitatione Angliæ in ipſa commoratus fuiſſet. Igitur ibi principes Anglorum iuſſu regis hominium, & domino debitam fidelitatem duci ſimul exhibuerunt: regi autem honorem debitum, fidemque dum viueret conſeruaturi. At hoc conuentu magnifico pace noua fruentes ad propria cum gaudio diſceſſerunt. Nec longa fuit medii mora temporis, cum iterum apud Duneſtaple conuenerunt. Ibi aliquantulum dies clariſſima obnubilata eſt. Diſplicebat enim duci, quod caſtella poſt mortem *Henrici* regis in peſſimos vſus circumquaque conſtructa non diruerentur, ſicut confirmatum & ſancitum fuerat inter eos in concordia & firmiſſimo fœdere, pars quidem magna iam erat diruta; quibuſdam tamen caſtellis ſuorum regis clementia vel verſutia parcens, pacti communionem debilitare videbatur. Dux igitur ſuper hoc regem angarians, repulſam paſſus eſt. Sed tamen patri nouo cõſentiens, ægre quidem rem diſtulit, ne concordiæ lumen extinguere videretur. vtrinque igitur diſceſſum eſt in pace; ſed non multo poſt accepta dux à rege licentia victorioſiſſimus Normanniam repedauit.

Hęc ſunt geſta *Henrici* iuuenum ſplendidiſſimi in ſecundo aduentu ſuo in Angliam. nec ſuccenſeat mihi quiſpiam, quod de multis ab eo ſplendide geſtis pauca ſcriptis tradiderim: nec enim de tot & tantis regibus, neque de rebus per tot ſecula geſtis Hiſtoriæ plenitudinem contexere potui, quod multos exigeret codices: ſed potius hiſtoriarum abbreuiationes, ne poſteros res geſtæ penitus laterent, in vnum contraxi; nunc ad propoſitum reuertamur. Itaque dux glorioſus in Gallias rediens, à genetrice ſua, & fratribus, & omni gente Normanniæ, & Andegauis, Cenomanniæ & Pictauiæ debita lætitia & honore ſuſceptus eſt. Rex autem *Stephanus* in pace tunc primo, quæ regio debebantur honori, adoptiui filii gratia potentiſſimus obtinuit. O dira mortalium rabies! O nephanda peruerſitas! Quidam filii hominum, quorum dentes arma & ſagittæ, & lingua gladius acutus, inter regem præſentem & ducem abſentem ſummopere ſtimulum diſcordiæ ſtudebant ſeminare. Rex autem vix eorum perſuaſionibus reſtare poterat, & proceſſu temporis (vt æſtimabant nonnulli) iam non reſtabat. Et prauorum conſilia non inuitus, ſed quaſi nollet diſſimulans, æquo licentius audiebat. Sed aliter filii hominum, aliter iudicabat Deus, qui (vt decebat) incœpta perficiens, prauorum conſilia, peruerſaſque machinationes ad nihilum redigebat. Cum namque caſtellum, quod vocatur Drake, iuxta Eboracum obſediſſet, & obſeſſum tandem cepiſſet, aliaque multa victor obtinuiſſet, & caſtella diruiſſet, Doroberniam petiit cum Comite Flandrenſi locuturus. Cui alloquens infirmitate, & tandem morte præreptus eſt, octo diebus ante feſtiuitatem omnium Sanctorum & in abbatia de Feuersham, iuxta vxorẽ ſuam, & filium ſepultus eſt, cum fere 19. annis laborioſe nimis, & infœliciter regnaſſet. Miſerunt itaque *Thedbaldus* Archiepiſcopus & quãplures ex Angliæ proceribꝰ nuncios feſtinantes pro domino ſuo duce Normannorũ, vt regnũ ſuſcepturus incunctanter adueniret. Impeditus tamen ventis, & mari, cauſiſq; quam pluribus, paucis diebus ante natale Domini, cum coniuge, fratribuſq; ſuis, multiſq; potentibus, magniſq; copiis applicuit apud Noueforeſt. Fuit igitur Anglia ſine rege quaſi ſex hebdomadis, nec tamen Dei gratia præueniente pace caruit: vel pro regis amore vẽturi, vel timore. At (vt dictũ eſt) cũ applicuiſſet Lõdonias petens, vt decebat tantũ & tam beatum virum cum ſumma lætitia, & multis prægaudio lachrymantibus, in regem benedi-

benedictus eſt,& in throno regni ſplendidiſſime collocatus eſt. De cuius temporis beatitudine ſic diximus Heroice.

Rex obiit, nec rege carens caret Anglia pace,
Hac Henrice *creas miracula primus in orbe.*
Rex nondum, præſens nondum, tamen efficis illud,
Quod rex non potuit præſens (digniſsime ſceptris.)
Quam bene ſceptra geres, qui regni flectis habenas,
Nondum ſceptra gerens, dum trans maris alta moraris.
Per te, ſed ſine te fruitur tamen Anglia pace,
Hæc aurora tuos præceſsit Phœbe nitores,
Ecce venis radians: radii ſunt aduenientis
Certa fides, hilaris clementia, tanta poteſtas,* *al. cauta.
Lene iugum, vindicta decens, correctio dulcis,
Caſtus amor, libratus honor, frænata voluptas.
His igitur radiis dum ſceptra decora decoras,
Tu diameda magis, quam te diadema perornas.
Anglia lethali iamdudum frigore torpens,
Nunc Solis feruore noui rediuiua caleſcens,
Erigis impreſſum terræ caput, & vacuatis
Mæſtitiæ lachrymis, præ lætitia lachrymaris.
Cum lachrymis hæc verba tuo profundis alumno:
Spiritus es, caro ſum: te nunc intrante reuixi.

FINIS.

ROGERI

DE HOVEDEN

ANNALIVM

Pars prior, & poſterior.

ANNO

M. DCI.

PROLOGVS.

IN exordio huius operis genealogiam regum Northanhimbrorum libet demonſtrare, vt ad eorum tempora valeamus peruenire, de quibus non eſt narratum poſt obitum reuerendiſſimi ſacerdotis Bedæ. Ida *rex annis* duodecim regnauit, quo decedente* Glappa *vno regnauit anno, quem ſecutus* Adda, *octo annis tenuit regni faſtigia: quo mortuo* Edelric *regnum adeptus eſt terrenum, quod tenuit ſeptẽ annis; quo defuncto* Theodericus *annis quatuor regnum tenẽs demum vitam perdidit, &* Fridubuldo *regnum dereliquit, qui ſeptẽ annis monarchiam tenens** Huſco *reliquit imperium, ipſe quoq; ſeptem annis imperium tenens, regnum & vitam perdidit. Octauus in regno claruit* Ethelfridus, *fortiſſimus regum, qui 28. annis regno potitus eſt. Huic ſucceſſit* Edwinus *rex, qui fidẽ Chriſtianitatis percipiẽs, rex et martyr cælos penetrauit, poſtquã 17. annis regnauerat.* Oſwaldus *vero rex poſt hũc regnũ Northanhimbrorũ Chriſtianiſſimus ſuſcepit, ꝙ & 7. annis tenuit, quo cæli ſecreta ſcandẽte, regnũ poſt ipſum* Oſwius *R. ſuſcepit, ꝙ & 28. annis tenuit; quo ſublato ad ſupera,* Ecgfridus *imperium ſuſcepit, qui regnauit annis 15. quo a Pictis interfecto, quia iniuſte vaſtauerat Hyberniam, regnauit pro eo* Alfridus *frater eius:* Alfrido *vero ſucceſſit filius eius* Oſredus. *quo occiſo* Choenredus *regni gubernacula ſuſcepit, cui in regnum ſucceſſit* Oſricus, Oſrico *vero ſucceſſit* Ceolwlfus *frater* Choenredi: *huic* Beda *hiſtoriographus Anglorum hiſtoriam deſtinauit. His peractis libet ex ſanctiſſimi doctoris Anglorum* Bedæ *riuulis hiſtoriæ, fundamentum aſſumere huius operis, incipientes ab vltima ipſius prædicti viri ſententia, & ſic annos Domini conſignantes, & regum tempora cauta ratione diſponentes, cæterorumque fidelium vitam, & miracula breuiter pro poſſe annotantes, optamus ſummopere cum ipſis æternæ retributionis palmam à* Chriſto *percipere.*

al. vndecim.

al. Huſſo.

Spiritus alme veni, ſine te non diſceris vnquam.
Munera da linguæ, qui das in munere linguas.

ROGERI DE HOVEDEN ANNALIVM PARS PRIOR.

ANNO ab incarnatione Domini 732. vt *Beda* narrat, *Brectwaldus* Archiepiſcopus Dorobterniæ eſt defunctus, & in eccleſia ſancti *Petri* ſepultus. Eodem anno *Tatwine* eſt conſecratus archiepiſcopus nouus Dorobernenſis eccleſiæ, *Edilbaldo* rege Merciorum quintum decimum agente annum imperii. Ipſo quoque anno *Ceolwlfus* rex captus, attonſus, & remiſſus eſt in regnum. Erat vero miro ſcripturarum ſtudio imbutus, vt *Beda* teſtatur in exordio ſui prooemii veridicus. *Acca* epiſcopus eodem anno de ſua ſede eſt fugatus, & *Cynebrect* Lindisfarnorum eccleſię antiſtes obiit. Anno 733. *Thatwine* archiepiſcopus ab apoſtolica ſede accepto pallio ordinauit* *Alwin & Sigfrid* epiſcopos. eclipſis ſolis facta eſt 19. Kalend. Septembris circa horam diei tertiam, ita vt pene totus orbis ſolis quaſi nigerrimo & horrendo ſcuto videretur eſſe coopertus. Anno 734. luna ſanguineo rubore eſt perfuſa, quaſi hora integra, ſecundo Kalendas Februarii, circa gallicinium, dehinc nigredine ſubſequente, ad lucem propriam eſt reuerſa. Eodem anno *Thatwine* archiepiſcopus nouus Dorobernenſis ciuitatis in Cantia obiit die tertio Kalend. Auguſti. Primus ipſius ciuitatis epiſcopus erat *Auguſtinus*, glorioſus doctor totius regni, ac egregius fundator Chriſtianæ fidei ac religionis, quem ordine ſequuti ſunt *Laurentius, Mellitus, Iuſtus, Honorius, Deus-dedit, Theodorus* doctiſſimus, *Brictwaldus*: quos ſequutus eſt *Thatwine* epiſcopus, ſicut præfati ſumus. Eodem anno ordinatus eſt *Fridebertus* Hauguſtaldenſis epiſcopus. Anno 735. *Nothel-*

al. Alwig

mus archiepiſcopus Cantuarienſis ordinatus eſt, & *Egbert* Eboraci antiſtes primus poſt *Paulinum*, accepto ab Apoſtolica ſede pallio, genti Northanhimbrorũ in Archiepiſcopum ordinatus eſt. *Beda* doctor obiit in Giruũ. Anno ab incarnatione Domini 736. *Nothelmus*, pallio à Romano pontifice ſuſcepto, ordinauit tres epiſcopos; *Cuthbertũ* videlicet, *Heordwaldum*, & *Ethelfridum*. Anno 737. *Aldwine*, qui & wor epiſcopus defunctus eſt, ac pro eo *Hwitta*, & *Tota* Mercis, ac Midleanglis ſunt conſecrati antiſtites. Eodẽ anno pro *Ceolwlfo* regnum Northanhimbrorum *Eadbert* filius patrui eius ſuſcepit. Anno 738. *Swetbrit* Orientalium Saxonum rex obiit. Anno ſequenti, *Ethelheard* rex Occidentalium Saxonũ defunct⁹ eſt, & pro eo *Cuthredus* frater eius rex cõſtituitur. Ipſo quoq; anno, *Nothelmus* Archiepiſcopus, poſt annos quatuor accepti Epiſcopatus diem obiit, & *Adulf* Rofenſis eccleſiæ epiſcopus eſt defunctus. Anno 740. *Ethelwald* Lindiſfarnenſis eccleſiæ antiſtes migrauit ad Dominum, & *Kinewlfe* in epiſcopatum ſubrogatus eſt. Eodem vero anno reuerendæ memoriæ, *Acca* Epiſcopus ſubleuatus eſt in regionem viuentium, peractis in epiſcopatu Hauguſtaldenſis Eccleſiæ annis viginti quatuor, ad cuius Eccleſiæ partem Orientalem corpus eius honorifice conditum eſt: ac deinde peractis à depoſitione ſua pluſquam trecentis annis, à quodam presbytero diuina reuelatione tranſlatus eſt, ac in eccleſia intra feretrum condigno honore poſitus, vbi vſque hodie in magna veneratione habetur; ob cuius ſanctitatis meritum omnibus demonſtrandum, caſula, & tunica, & ſudarium, quæ cum ſanctiſſimo eius corpore in terra poſita erant, non ſolum ſpeciem, ſed etiam fortitudinem priſtinam vſque in hodiernum diem ſeruant. ipſo autem anno, quo ſanctus *Acca* Epiſcopus ad cœleſtia regna migrauit, *Arwine* filius *Eadulfi* occiſus eſt die nono Calend. Ianuarii, feria * ſexta. [*al. ſeptima*] Eodem anno *Cuthbertus* vndecimus Dorobernenſis Eccleſiæ Archiepiſcopatum ſuſcepit, at vero poſt *Adulfum* Rofenſis Eccleſiæ ſacerdotium *Dun* accepit. Anno 741. monaſterium in Eboraca ciuitate ſuccenſum eſt nono Calendas Maii feria prima. Anno 744. factum eſt prælium inter Pictos & Brittones; ſequenti vero anno viſi ſunt in aere ignei ictus, quales nunquam antea mortales illius æui viderunt, & ipſi pene per totã noctem viſi ſunt Calendas ſcilicet Ianuarii. Eodem quoque anno (vt quidam referunt) Dominus *Wilfridus*, ſecundus Eboracæ ciuitatis Epiſcopus, migrauit ad Dominum tertio Calendas Maii. nos vero dicimus, quod priuſquam *Beda* ſuam hiſtoriam explicuiſſet, translatus ſit ille primus *Wilfridus* ad cœleſtem patriam. Ipſis diebus Lundoniæ ciuitatis Epiſcopus nomine * *Inguad* [*al. Inguald.*] obiit, his temporibus floruit ſanctus *Gutlacus*. Anno 749. *Elfwald* rex Orientalium Anglorum defunctus eſt, regnumque *Hunbenna*, & *Albert* ſibi diuiſerunt. ſequenti vero anno, hoc eſt 750. *Eadbert* rex *Kinewlfum* Epiſcopum in vrbem Bebbam captiuum adduxerat, baſilicamque ſancti *Petri* obſideri fecit in Lindiſfarnea. *Offo* quoque filius *Alfredi* ad reliquias ſancti *Cuthberti* Pontificis, innocens coactiue accurrebat, pene defunctus fame de Eccleſia ſine armis abſtractus eſt; eodem anno *Allwich* Epiſcopus obiit, & Aldulfe diaconus eius ordinatus eſt in Epiſcopum. *Cuthred* autem, rex Occidentalium Saxonum, ſurrexit contra *Ethilbaldum* regem Merciorum. Anno ab incarnatione Dominica 752. eclipſis lunæ facta eſt, Pridie Calendarum Auguſt. Anno 753. *Bonefacius* Archiepiſcopus qui & *Winfridus*, Francorum martyrio coronatus eſt cum quinquaginta tribus. Sequenti anno *Cuthred* rex Occidentalium Saxonum obiit, cuius regni ſceptra *Sigbert* accepit. Anno 756. *Eadbert* rex * [*al. decimo octauo*] decimo quinto anno regni ſui, & *Vnnuſt* rex Pictorum duxerunt exercitum ad vrbem Alclutit, ibique Brittones inde conditionem receperunt, prima die menſis Auguſti; decima autem die menſis eiuſdem interiit exercitus pene omnis, quem duxit *Deouama* ad Niwambirig id eſt ad nouam ciuitatem. Eodem anno *Baltere* Anachorita vitam ſanctorum ſequutus eſt, & migrauit ad Dominum: Luna autem ſanguineo rubore ſuperducta octauo Calendas Decembris quindecima ætate, id eſt, plenaſicque paulatim decreſcentibus tenebris ad lucem priſtinam peruenit: nam, mirabiliter, ipſam lunam ſequente lucida ſtella, & pertranſeunte, tanto ſpatio eam antecedebat illuminatam, quanto ſequebatur, antequam eſſet obſcurata. Anno 757. *Ethelbald* rex Merciorum à ſuis tutoribus fraudulenter occiſus eſt. Eodem vero anno Merci bellum ciuile inter ſe inierunt; *Bearnred* in fugam verſo, *Offa* rex victor exitit. Anno 758. *Eadbert* rex ſponte contulit regnum ſibi à Deo collatum filio ſuo nomine *Oſulfo*, qui vno anno regnum tenuit, amiſit, perdidit; quia occiſus eſt nequiter à ſua familia iuxta Mechilwongtune nono Calend. Auguſti. Sequenti vero anno *Ethelwald*, qui & *Mollis* dictus eſt, regnare cœpit nonis Auguſti, cuius tertio anno inchoante grauiſſimum iuxta Cladunum geſtum eſt bellum ſeptimo idus Auguſti, in quo cecidit *Oſwine* poſt triduum prima feria. *Ethelwald* vero rex prædictus victoriã ſumpſit in bello: ipſo quoque anno *Vnnuſt* Pictorum rex defunctus

defunctus eſt. Anno 762. *Ethelwald* rex præfatus accepit reginam *Etheldritam* Kalendas Nouemb. in Cateracta. Tertio denique anno hoc eſt 764. nix ingens gelu ligata; omnibus retro ſeculis incomparabilis, à principio hyemis pene vſque ad mediam veris terram oppreſſit, cuius vi arbores, & olera magna ex parte aruerunt, ac marina animalia multa inuenta ſunt mortua. Eodem quoque anno *Ceolwlf*, quondam rex tunc Domini noſtri *Ieſu Chriſti* ſeruus, monachusque obiit. Huic vero regi *Beda* hiſtoriographus veridicus direxit epiſtolam ſic inchoando: *Glorioſiſſimo regi* Ceolwlfo Beda *famulus* Chriſti *& presbyter, Hiſtoriam gentis Anglorum, quam nuper edideram, libentiſſime tibi, rex, deſideranti, & prius ad legendum, & poſt adſcribendum, ac plenius ex tempore meditandum tranſmitto.* Ipſe rex poſtmodum abrenuntians ſeculo, in Lindisfarnenſi eccleſia monachus effectus, cœleſti regno militauit; cuius corpus poſtea delatum in eccleſiam Northam, multis ibidem (vt fertur ab habitatoribus ipſius loci) miraculis claruit. Hoc rege, iam monacho facto efficiente, data eſt Lindisfarnenſis eccleſiæ monachis licentia bibendi vinum vel cereuiſiam; antea enim non niſi lac vel aquam bibere ſolebant, ſecundum antiquam traditionem ſancti *Aidani* primi eiuſdem eccleſiæ antiſtitis, & monachorum, qui cum illo de Scotia venientes, ibidem donante rege *Oſwaldo* manſionem acceperant; & cum magna diſtrictione, futuræ vitæ ſeruientes degere gaudebant. anno eodem multæ vrbes, monaſteriaque, atque villæ per diuerſa loca, nec non & regna repẽtino igne vaſtatæ ſunt, verbi gratia * Sterburgwenta ciuitas, Homunic, Lundonia ciuitas, Eboraca ciuitas, Donaceſtir, aliaque multa loca illa plaga concuſſit. (*al. Streburgwenta.*) Eodem anno *Frehelm* presbyter & Abbas obiit, & Epiſcopus Merciorũ gentis nomine * *Tocca* defunctus eſt, & *Eadbert* pro eo ordinatus eſt epiſcopus. (*al. Totta.*) his quoque temporibus *Frithwald* Epiſcopus Candidæ Caſæ ex hoc ſeculo migrauit, pro quo *Pechtwine* in loco illius ſubrogatur. Anno 765. ignei ictus in aere viſi ſunt, qualesquõdam apparuerunt tempore nocturno Calend. Ianuarii. vt ſuperius annotauimus. Eodem anno *Ethelwald* regnum Northanhimbrorum amiſit in Wincanheale tertio Calend. Nouembris cui *Alcred*, proſapia *Ida* regis, (vt quidam dicunt) ſucceſſit in regnum. *Hemeli* quoque Merciorum Epiſcopus obiit. *Cuthred* ordinatus eſt Epiſcopus in Licetfeldam; eadem quoq; tempeſtate *Bregwine* Archiepiſcopus defunctus *Lambertum* habuit ſucceſſorem; *Aldulfo* quoque antiſtiti defuncto in Lindiſſe *Ceolwlfe* ſucceſſit. Anno 766. *Egbert* Archiepiſcopus Eboracæ ciuitatis in pace *Chriſti* requieuit decimo tertio Calend. Decẽbris: trigeſimo quarto anno Epiſcopatus ſui: eodem anno ſanctus *Frithebertus* * Hauguſtaldenſis Epiſcopus obiit. (*al. Haguſtaldenſis*) Anno 767. *Albert* Eboracæ ciuitatis, & *Alcmund* Hauguſtaldenſis Eccleſiæ conſecrati ſunt Epiſcopi octauo Calend. Maii. Eodẽ anno *Albert* ad Eaſtſexos ordinatus eſt Epiſcopus, & *Ceolwlfe* in Lindiſſe conſecratus eſt Epiſcopus. Ipſo quoque anno *Etha* Anachorita fœliciter in Cric obiit, qui locus diſtat ab Eboraca ciuitate 10. milliariis. Anno 768. *Eadbert* decimo anno amiſſionis regni ſui in clericatu & Dei ſeruitio fœliciter emiſit ſpiritum. eodem anno *Pippin* rex Francorum obiit, & *Hadwine* ordinatur epiſcopus ad Macuhi. Anno 769. Cataracta ſuccenſa eſt ab *Carnredo* tyranno, & ipſe infœlix eodem anno incendio periit Dei iudicio. Anno 771. *Offa* rex Merciorum Heſtingorum gentem armis ſubegerat. eodem anno *Carlemon* rex Francorum ſubita præuentus infirmitate defunctus eſt, ſed & frater eius *Carolus*, cum dimidium prius patris obtinuiſſet principatum, totius regni monarchiam, & Francorum faſtigium populorum dehinc eſt adeptus inuicta fortitudine. Anno 772. *Carolus* Francorum rex collecta manu valida, & bellicoſis ſuæ maieſtatis viris coniunctis Saxonum gentem eſt ingreſſus, multiſque ex principibus ac nobilibus viris amiſſis in ſua ſe recepit. Anno ab incarnatione Dominica 773. *Hadwinus* Migenſis Eccleſiæ antiſtes obiit, & *Leuthfrid* pro eo ſubrogatus eſt Epiſcopus. *Wlfeth* quoque Abbas Beuerlacenſis obiit, & *Albertus*, Eboracenſis Archiepiſcopus pallium ab *Adriano* Papa ſibi directum accepit. Anno 774. *Eadwlf* dux obiit, & *Alcredus* rex conſilio, & conſenſu ſuorum omni regiæ familiæ, ac principum deſtitutus ſocietate, exilio imperii maieſtatem mutauit, primo in vrbem Bebban, poſtea ad regem Pictorum nomine *Cynoth*, cum paucis fugæ comitibus ſe contulit. Bebba vero ciuitas, vrbs eſt munitiſſima nõ admodum magna ſed quaſi duorum, vel trium agrorũ ſpatium, habens vnum introitum cauatum, & gradibus miro modo exaltatum; habet in ſummitate montis Eccleſiam perpulchre factam, in qua eſt ſcrinium precioſum, in quo inuolutum pallio iacet dextra manus ſancti *Oſwaldi* regis incorrupta, ſicut narrat *Beda* hiſtoriographus huius gentis: eſt in occidente, & in ſummitate ipſius ciuitatis fons miro cauatus opere, dulcis ad potandũ, & puriſſimus ad videndũ. *Ethelredus* quoque filius *Ethelwaldi* pro eo regnum ſuſcepit, & vix quinque annos tenuit, vt poſtea clarebit. Eadem tempeſtate *Carolus* rex Francorũ inuictiſſimus nobiliſſimam Longobardorũ vrbem Tycinã longa

obſidione vexatam ſimul cum ipſo rege *Deſiderio*, ac totius Italiæ imperio cepit. Anno 775. rex Pictorum *Cynoth* obiit, & *Eadulf* dux per inſidias fraudulenter captus, poſt ſpatium exigui temporis occiditur, ſepelitur, obliuiſcitur: *Ebbi* quoque Abbas obiit, *Carolus* quoque rex (vt præfati ſumus) bellicoſiſſimus Francorum cum omni exercitus ſui virtute vallatus, confortatus, glorificatus, gentem Saxonum eſt ingreſſus centuriatus, atque legionibus ſtipatus; quam regionem grauiſſimis præliis vaſtauit, igne, ferroque debacchando; quia erat efferatus animo, vrbes denique Sigeburch, & Aresburch, atq; prouinciam Boſweri, olim à Francis oppreſſam, ſuo potenter adiecit ſummo imperio. Anno 777. *Pecwine* epiſcopus Candidæ Caſæ migrauit ad Dominum, cui *Ethelbricth* ſucceſſit. Anno 779. *Ethelredo* quippe de regali ſolio expulſo, & in exilium fugato, cogitur mœſtos inire modos. *Elfwald* vero filius *Oſulſi*, *Ethelredo* expulſo, regnum Northanhimbrorum ſuſcepit, tenuitque decem annis. Erat enim iſte rex pius & iuſtus, vt ſequens demonſtrabit articulus. Anno 780. *Osbald*, & *Ethelheard* duces congregato exercitu, *Bearn* patricium *Elfwaldi* regis in * Seletunh ſuccenderunt nono Calendas Ianuarii. Eodem anno *Alberth* archiepiſcopus ex hac luce migrauit ad *Chriſtum*, *Eanbaldo*, ſe adhuc viuente, ad eandem ſedem ordinato. *Ciniwlf* quoq; Epiſcopus eodem anno relictis ſecularibus curis *Higbaldo* gubernacula Eccleſiæ cum electione totius familiæ commiſit. Eodem etiam anno *Eanbald* Epiſcopus pallium ab apoſtolica ſede ſibi directũ accepit, qui eo accepto in Epiſcopatum ſolemniter eſt confirmatus. Anno 781. *Alchmundus* Hauguſtaldenſis Eccleſiæ præſul eximiæ religionis, & magnarũ virtutum vir, regnante glorioſo rege *Elfwaldo* anno tertio regni eius, ſeptimo idus Septembris migrauit ad *Chriſtum*, & ei ſanctus *Gilbertus* ſucceſſit. Anno 783. qui eſt annus quintus *Elfwaldi* regis iuſti, *Werburc*. quondam regina Merciorum, tunc vero Abbatiſſa defuncta eſt ſemper cum *Chriſto* victura. Eo tempore *Kinwlf* Epiſcopus, anno ſui Epiſcopatus 40. ad cœleſtia regna migrauit. Anno 786. qui eſt annus *Elfwaldi* regis octauus, *Bothwine* venerabilis Abbas Hripenſis Eccleſiæ in conſpectu aſtantium fratrum ad cœleſtem patriam tranſiuit, & *Abbert* pro eo electus, eſt, & ordinatus. Eodem anno *Aldulf* conſecratus eſt Epiſcopus ab *Eanbaldo* Archiepiſcopo, *Gilbertoque* & *Higbaldo* Epiſcopis apud Corabrige. his diebus *Rictrith* iamdudum regina tunc Abbatiſſa tranſiuit ad Dominum. Ea tempeſtate *Kinwlf* Occidentalium Saxonum rex à perfido tyranno *Kinebardo* lugubri morte interfectus eſt, & ille crudelis interemptor ab *Oſredo* duce in vltionem domini ſui immiſericorditer interfectus eſt; regnumq; Occidẽtalium Saxonum *Brictrich* accepit. Tempore illo legati ab Apoſtolica ſede à Domino *Adriano* Papa ad Brittanniã directi ſunt (in quibus venerabilis Epiſcopus *Georgeus* primatum tenuit) qui antiquã inter nos amicitiam & fidem Catholicam, quam ſanctus *Gregorius* Papa per beatum *Auguſtinum* docuit, innouantes honorifice ſuſcepti ſunt à regibus, & præſulibus ſiue primatibus huius patriæ, & in pace domum reuerſi ſunt cum magnis donis, vt iuſtũ erat. Anno 787. Synodus cõgregata eſt in Pyncanhale quarto Non. Septembris, in quo tempore *Albert* Abbas Hripenſis deceſſit, & ei *Sigred* ſucceſſit. Anno 788. *Elfwaldus* rex, coniuratione facta, ab eius patricio *Sigga* nomine, miſerabili occiſus eſt morte nono Cal. Octobris in loco, qui dicitur * Silteceſter iuxta murum. Corpus vero eximii regis ad Hauguſtaldenſem Eccleſiam cum magnis monachorum cuneis, & clericorum cantilenis perlatum eſt, & in Eccleſia ſancti *Andreæ* apoſtoli honorifice ſepultum eſt: cui ſucceſſit *Oſredus* filius *Alcredi* regis, nepos eius pro eo annum vnũ. In loco vero, quo *Elwaldus* rex iuſtus interfectus eſt lux cœlitus emiſſa dicitur videri à plurimis. Conſtructa eſt ibidem Eccleſia à fidelibus illius loci, atque in honorem Dei, & ſanctorum *Cuthberti* Epiſcopi, & *Oſwaldi* regis, & Martyris conſecrata. Anno 790. *Ethelredus* de exilio liberatus eſt, & iterum per gratiam *Chriſti* regni ſolio eſt ſubthronizatus. *Oſredus* autem rex dolo ſuorum principum circumuentus, * a regno priuatus attonſus eſt in Eboraca ciuitate, & poſtea neceſſitate coactus exilium petit. Cuius anno ſecundo *Eardulf* dux captus eſt, & ad * Hripum perductus, ibique occiſus extra portam Eccleſiæ à rege præfato. Cuius corpus fratres cum Gregorianis concentibus ad Eccleſiam portantes & in tentorio foris ponentes, poſt mediam noctem viuus eſt in Eccleſia inuentus. Eodem anno *Baldwlf* ad Candidam Caſam ordinatur Epiſcopus in loco, qui dicitur Hearrahaldh, quod interpretari poteſt locus Dominorum. Anno vero priori *Ethelbert* Epiſcopus ſua ſede relicta, ſancto *Gilberto* defuncto, Epiſcopatum Hauguſtaldenſem in propriam accepit dominationem. Anno 791. filii *Elwaldi* regis ab Eboraca ciuitate vi abſtracti; & de Eccleſia principali per promiſſa fallaciæ abducti, & miſerabiliter ſunt perempti ab *Ethelredo* rege in Wonwaldremere / quorum nomina *Elf* & *Elfwine* fuerunt. Eo quoq; anno *Lambertus* Doroberneſis Eccleſiæ Archiepiſcopus migrauit ad Dominum, cui

al. Seletune.

al. Scyleceſter.

al. ac.

al. Ripum.

cui *Ethelbeardus* Hludenſis monaſterii abbas electus, & conſecratus ſucceſſit. Anno 792. *Carolus* rex Francorum miſit ſynodalem librum ad Brittanniam, ſibi à Conſtantinopoli directum, in quo libro (heu proh dolor) multa inconuenientia, & veræ fidei contraria reperiebantur: maxime, quod pene omnium orientalium doctorum non minus quam trecentorum, vel eo amplius Epiſcoporum vnanimi aſſertione confirmatum fuerit, imagines adorari debere, quod omnino Eccleſia Dei execratur. Contra quod ſcripſit *Albinus* epiſtolam ex authoritate diuinarum ſcripturarum mirabiliter affirmatam; illamque cum eodem libro ex perſona Epiſcoporum, ac principum noſtrorum regi Francorum attulit. Ipſo quoque anno *Oſredus* de exilio ſacramentis & fide quorundam principum, clam de Euſania venit, ibique deficientibus ab eo ſuis militibus, captus eſt a rege præfato *Ethelred*, atque eo iubente occiſus in loco, qui dicitur Dingburch decimo octauo Calendas Octobris: corpus vero eius ad oſtium Tini fluminis perlatum eſt, & in baſilica eiuſdem eximii cœnobii ſepultum. Eodem anno *Ethelred* rex accepit reginam *Elfledam* filiam *Offæ* regis Merciorum tertio Calendas Octobris apud Cataractam. Anno 793. qui eſt annus *Ethelredi* regis quartus, dira prodigia miſeram Anglorum terruere gentem, ſiquidem fulmina abominanda, & dracones per aera, igneique ictus ſæpe vibrare, & volitare videbantur: quæ ſcilicet ſigna famem magnam, & multorum hominũ ſtragem peſſimam, atque inediſcibilem, quæ ſubſecuta eſt, demonſtrauere. Ipſo quoque anno *Sigga* dux, qui interfecit *Elfwaldum* regem, interiit propria nece, cuius corpus ad inſulam Lindisfarnenſem perlatum eſt nono Calendas Maii. Lindisfarnenſis inſula magna eſt per ambitum, verbi gratia, octo vel amplius milliariis ſe extendens: in qua eſt nobile monaſterium, quo eximius *Cuthbertus* antiſtes poſitus erat, cum aliis præſulibus, qui eius ſucceſſores digniſſimi extiterant, de quibus conuenienter dici poteſt, quod canitur *Corpora ſanctorum in pace ſepulta ſunt*. Lindis dicitur flumen, quod in mare excurrit duorum pedum latitudinem habens, quando Ledon fuerit, id eſt minor æſtus, & videri poteſt; quando vero Malina fuerit, id eſt maior æſtus maris, tunc nequit Lindis videri. Æſtus Oceani lunam ſequitur, tanquam eius aſpiratione retrorſum trahatur in acceſſum, eiuſque impulſu retracto refundatur, qui quotidie bis affluere, & remeare vnius horæ dodrãte, & ſemiuncia (quæ eſt dimidia) tranſmiſſa videtur, vt *Beda* teſtatur. Farne autem inſula eſt in qua beatiſſimus *Cuthbertus* heremiticam duxit vitam. Non tanta eſt vt Lindisfarne ſed eſt poſita in mare, magnis exturbata fluctibus diebus & noctibus. Eodem ſane anno Pagani ab aquilonali climate nauali exercitu, vt aculeati crabrones, Brittanniam venientes, hac illacque, vt diriſſimi lupi, diſcurrentes, prædantes, mordentes, interficientes, non ſolum iumenta, boues & oues, verum etiam ſacerdotes, leuitasque, choroſque monachorum, atque ſanctimonialium. veniunt, vt præfati ſumus, ad Lindisfarnenſem eccleſiam, miſerabili prædatione, vaſtant cuncta, calcant ſancta pollutis veſtigiis, altaria ſuffodiunt, & omnia theſauraria ſanctæ eccleſiæ rapiunt, quoſdam è fratribus interficiunt, nonnullos ſecum vinctos aſſumunt, perplurimos opprobriis vexatos nudos proiiciunt, aliquos in mare demergunt, quibus recte illud aptari poteſt, fortuna vices premit inſontes,

Debita ſceleri noxia pœna.
At peruerſi reſident celſo more ſolio,
Sanctaq́, calcant iniuſta vice colla nocentes.
Latet obſcuris condita virtus clara tenebris,
Iuſtosque tulit crimen iniqui.

Illis vero recedentibus, & de præda, vel prauis actibus gratulantibus, quid infortunii ſequens annus attulerit, proſequemur. Anno 794. prædicti Pagani portum *Egfredi* regis vaſtantes, Monaſterium Doni annis prædauerunt. ſed ſanctus *Cuthbertus* nõ ſine punitione eos ſinebat abire. Princeps quippe eorum ibidem crudeli nece eſt occiſus ab Anglis, & poſt exigui temporis ſpatium vis tempeſtatis eorum naues quaſſauit, perdidit, contriuit, & perplurimos mare operuit. Nonnulli itaque ad littus ſunt eiecti, & mox interfecti abſque miſericordia, & hæc recte illis contigerunt, quoniam ſe non lædentes grauiter læſerunt. Ea tempeſtate *Ethelbeard* dux quondam, tunc autem clericus in Eboraca ciuitate obiit. *Adrianus* Papa venerabilis eodem anno migrauit ad Dominum 7. Calendas Ianuarii, qui ſedit annos 26. menſes decem, dies duodecim. Eſt quoque in Eccleſia Sancti *Petri* Apoſtolorum principis ſepultus, & ſuper ſepulchrum eius Platona (id eſt marmor) parieti infixa geſta bonorum eius aureis literis, & verſibus ſcripta iubente rege *Carolo* Anno 795. idem rex fortiſſimus *Carolus* cum manu valida Hunorum gentem armis vaſtando ſubegerat, & eorum principe fugato, & ipſius exercitu ſuperato, vel perempto, ſublatis

inde quindecim plauſtris auro, argentoque, palliiſque holoſericis precioſis repletis, quorum quodque quatuor boues trahebant; quæ omnia idem rex propter victoriam à Domino ſibi conceſſam, *Chriſti* Eccleſiis, atque pauperib⁹ diuidere præcepit, grates Deo referens, cum omnibus ſecū pugnantibus. Anno 769. qui eſt annus ſeptimus *Ethelredi* regis, *Alric* quondam dux, tunc clericus in Eboraca ciuitate obiit, & paulo poſt (id eſt quinto Cal. Aprilis) eclipſis lunæ facta eſt inter gallicinium, & auroram. Eodem anno *Ethelred* rex occiſus eſt apud Cobre 14. Cal. Maii. *Osbald* vero patricius à quibuſdam ipſius gentis principibus in regnum eſt conſtitutus, & poſt viginti ſeptem dies omni regiæ familiæ, ac principum eſt ſocietate deſtitutus, fugatuſque, & de regno expulſus, atque ad inſulam Lindiſfarnenſem cum paucis ſucceſſit, & inde ad regem Pictorum cum quibuſdam è fratribus nauigio peruenit. *Eardulf* enim, de quo ſupra diximus, filius *Earnulfi* de exilio vocatus regni infulis eſt ſublimatus, & Eboraci in Eccleſia ſancti *Petri* ad altare beati *Pauli* (vbi illa gens primum perceperat gratiam baptiſmi) conſecratus eſt ſeptimo Calend. Iunii. Et non multo poſt, id eſt ſeptimo Cal. Auguſti, *Offa* potentiſſimus rex Merciorum poſtquam 39. annos regnauit, defunctus eſt, cui ſucceſſit in regno filius eius *Ecfreth*, quiq; obiit eodem anno. *Kenulfus* pater *Kenelmi* quoque dehinc diadema regni Merciorum ſuſcepit, glorioſeque tenuit inuicta virtute ſui potentatus, ipſo quoque anno *Ceolwlf* in Lindiſſe obiit, & paulo poſt, id eſt quarto idus Auguſti *Eanbaldus* archiepiſcopus obiit in monaſterio, quod dicitur Edete, corpuſque eius magno comitante agmine ad Eboracam ciuitatē portantes in eccleſia beati *Petri* apoſtoli ſepultū eſt honorifice. ſtatim vero alter *Eanbaldus* eiuſdem Eccleſiæ presbyter electus eſt, & conſecratus ab Epiſcopis *Ethelberto*, & *Hygbaldo*, atque *Baldwlfo*, apud Sochesburg. Anno 797. *Eanbaldus* ille poſterior, accepto ab apoſtolica ſede pallio, in Archiepiſcopatum genti Northanhimbrorum ſolemniter confirmatus eſt ſexto idus Septembris in natiuitate ſanctæ *Mariæ*. vnde Poeta ait:

Splendet honore dies, in quo bona virgo Maria
Stirpe Dauid *regis procedens edita mundo eſt.*

Eodem anno *Ethelbertus* Epiſcopus Haguſtaldenſis obiit, cui *Eadred* ſucceſſit, ordinatus ab *Eanbaldo* archiepiſcopo, & *Higbaldo* Epiſcopo in loco, qui dicitur Wdforda. Anno 798. Coniuratione facta ab interfectoribus *Ethelredi* regis *Wada* dux in illa coniuratione cum illis bellum inierunt, contra *Erdulfum* regem in loco, qui appellatur ab Anglis Billingahon iuxta Wallalege, & ex vtraque parte plurimis interfectis, *Wada* dux cum ſuis in fugam verſus eſt, & *Eardulfus* rex victoriam regaliter ſumpſit ex inimicis. Eodem anno Lundonia igne repentino cum magna multitudine hominum conſumpta eſt. his tempeſtatibus *Kenulf* rex Merciorum cum omni exercitus ſui virtute prouinciam Cantuariorum ingreſſus, miſerabili prędatione pene vſque ad internecionem potenter vaſtauit. Captus eſt eodem tempore *Eadbert* rex Cantuariorum, cuius oculos præcepit auelli rex Merciorum, & manus immiſericorditer præcidi pro ſuperbia, & fraude eorum: deinde domini ſuffragio potitus adiecit imperium ipſius regni ſuo imperio, imponens ſibi coronam in capite, ſceptrumque in manu. Eodem quoque anno, qui eſt annus tertius *Kenwlfi* prædicti regis, ſynodo congregata in loco, qui dicitur Phincahnhal, præſidente *Ehanbaldo* Archiepiſcopo, aliiſque quamplurimis principalibus & Eccleſiaſticis viris. multa de vtilitate ſanctæ Dei Eccleſiæ, gentiſque Northanhimbrorum, omniumque prouinciarum conſiliati ſunt, & de obſeruatione Paſchalis, feſti, & iudiciorum diuinorum, & ſecularium, quæ diebus iuſtorum regum, & ducum bonorum, atque ſanctorum Epiſcoporum aliorumque ſapientium, clericorum ſcilicet, atq; monachorum, quorum prouidentia & iuſtitia, atque diuinis* artibus ſtatus regni Northanhumbrorum ſuauiter redolebat his temporibus. Præcepit dominus antiſtes *Eanbaldus*, recitari quinque ſynodorum fidem, de quibus in hiſtoria Anglorum ſic ſcribitur, *ſuſcipimus ſanctas, & vniuerſales quinque ſynodos beatorum, & Deo acceptabilium patrum, ſicut præſentis libri continet textus &c.* Anno 799. naues plurimæ in Brittannico vi tēpeſtatis quaſſatæ ſunt, atque concuſſæ, vel colliſæ, & cum magna multitudine hominum demerſæ ſunt. Eodem anno *Brorda* Merciorum princeps, qui & *Hyldegils* vocabatur, defunctus eſt. Abbas vero vocitatus more *Altilthegno* præfecto ſuo lugubri morte interemptus eſt. Ipſo quoque tempore *Osbald* quondam dux, & patricius, & ad tempus rex, tunc vero abbas obiit, & in Eboracenſi Eccleſia ſepultus eſt. *Aldred* vero dux, interfector *Ethelredi* regis à *Thormundo* duce in vltionem Domini ſui eiuſdem regis interfectus eſt. Anno 800. *Heardred* Hauguſtaldenſis Eccleſiæ præſul anno tertio Epiſcopatus ſui obiit, cui *Eanbrith* ſucceſſit. Tempore quoque eodem, ante natale Domini 9. Cal. Ianuar. ventus ingens ab Africo, vel à Fouonio exſurgens ſuo inenarrabili flatu vrbes multas, domos, ac villas perplurimas

al. actibus

per

per diuerſa loca deſtruxit, & ad ſolum diruit, arbores quoque innumeræ radicitus euulſæ, & ad terram proſtratæ ſunt. quo anno inundatio maris vltra terminos ſuos profluxit; facta eſt etiam magna pecorum ſtrages in locis diuerſis. Anno 801. *Eawine* qui & *Eda* dictus eſt, quondam dux Northanhumbrorũ, tunc vero per gratiã ſaluatoris mundi abbas in Dei ſeruitio roboratus diem clauſit vltimum in conſpectu fratrum 18. Cal. Februar. his temporibus *Eardulf* rex Northanhumbrorum duxit exercitum contra *Kenwlfum* regem Merciorum propter ſuſceptionem inimicorũ eius, qui & ipſe congregans exercitum ſecũ aliarum prouinciarum promouit auxilia plurima: longa inter eos expeditione facta, tandem cum conſilio epiſcoporum, ac principum Anglorum ex vtraque parte pacem inierunt per gratiam regis Anglorũ. factaque firmiſſima pacis concordia inter eos, quam ſub iureiurando in euangelio *Chriſti* ambo reges confirmauerunt, Deum teſtẽ, atq; fideiuſſorem interponentes, vt in diebus eorum, quamdiu vita pręſenti potirentur, & regni eſſent infulis ſuffulti, pax firma, veraq; amicitia inter eos inconcuſſa, & inuiolata perſiſteret. Eodem anno *Hathubert* Londonienſis epiſcopus obiit, & paulo poſt magna pars vici ipſius repentino igne conſumpta eſt. hoc anno potentiſſimus rex Francorũ *Carolus*, Romæ ſummus imperator declaratur ab omni ſenatu, impoſito capiti eius diademate imperiali à domino Papa. Anno 802. ab incarnatione dominica *Brickthrich* occidentalium Saxonum rex, qui eidem genti 17. annis nobiliſſime pręfuit, obiit, cui *Egbert* ſucceſſit. Prædictus autem rex *Brickthric* acceperat ſibi in matrimonium *Eadburgum*, quæ fuerat filia regis Merciorum nomine *Offa*, qui vallum magnum inter Brittanniam, & Merciam, id eſt de mari vſque ad mare, fieri iuſſit. hæc igitur *Eadburga*, cum eſſet filia regis, multis ſuffulta honoribus, miris ſe extollebat ambitionibus, quæ more paterno tyrannice viuere cœpit, & omnem hominem execrari, ſicque, vt omnibus eſſet peroſa, non ſolum ducibus, & magiſtratibus, verum etiam cunctis populis. Omnes religioſos viros ſemper ad regem accuſare non ceſſauit, & ita * maledica virum ſuum conſtrinxit blanditiis, vt illos, quos accuſa- *al. male-*
bat aut vita, aut regno priuaret, & ſi à rege impetrare non poſſet, veneno eos clam necare *dicta.*
non diſtulit. erat eodem tempore quidam præclarus adoleſcens regi prædicto valde amabilis, & charus, quem cum accuſare vellet ad regem, & minime præualeret, veneno ipſum maleuola extinxit, de quo veneno cum ipſe rex ignoranter guſtaſſet, animam exuit. neque enim illa venenum regi propoſuerat dare ſed puero, quem princeps ducum præoccupans, ambo necis poculum biberunt, amariſſimo ambo guſtu perierunt. quo ex hoc ſcelere perempto, venefica illa nequiſſima timore perterrita, fugiendo cum innumerabilibus theſauris mare tranſiit, regem adiens Francorum famoſiſſimum *Carolum*. ad quem cum ante ſolarium adſtaret, & regi deferret munera pretioſa, ſic eam affatus eſt, elige *Eadburg*, quem velis, me, vel filium meum, qui mecum in ſolario aſtat; at illa ſine deliberatione ſtulte reſpondet dicens, ſi mihi optio daretur, filium tuum magis, quam te eligerem, quia iunior eſſe videtur: cui rex *Carolus* reſpõdiſſe fertur, ſi me elegiſſes, haberes filium meum, ſed quia illum elegiſti, nec me, nec illum propitium habebis. cõtulit tamẽ illi propter improbitatem eius optimum monaſterium, in quo (depoſito ſeculari habitu, ſub ſpecie hypocriſina indumento ſanctimonialium aſſumpto) perpaucis fungebatur annis. Sicut enim execrabilis ipſa nequiter in propria vixit regione, ita multo miſerabilius, & nequius in terra aliena vixiſſe deprehenditur. namq; paruo tempore peracto, dum, quæ ſancta erant, exercere à quibuſdam æſtimaretur, à quodam ſuæ propriæ gentis ignobili viro conſtuprata eſt.

Cedat iuſtitiæ nubilus error,
Ceſſent profecto mira videri,
Mulierem, inquit, in adulterio deprehenſam.

Nihil eſt quod admirere; *nihil occultum, quod non ſciatur*. poſt hoc, præcipiente magno *Carolo* imperatore, proiecta eſt cum magno mentis tædio & angore à ſuo ſancto monaſterio; quę in paupertate & miſeria vitæ ſuæ tempora vituperabiliter ad finem perduxit; quæ ad vltimum vno ſeruulo comitata, quotidie mendicans per domos, & ciuitates, atque caſtella in Pauia miſerabiliter obiit. Defuncto rege glorioſo *Brickthrico* occidentalis regni ſucceſſit poſt ipſius obitum in regnum, & imperium * *Egberth* rex, qui ex regali ipſius gen- *al. Egbert*
tis proſapia exortus, diadema totius regni capiti impoſuit, maximo ſerto redimitus. Erat enim ſtrenuiſſimus vir, & potens, multaque regna ſuo ſubiecit imperio. Regnauit autem 36. annis & 7. menſibus. *Egberto* ſucceſſit *Ethelwlfus* filius eius potentiſſimus, qui de ſua nobili coniuge habebat filios quatuor, quorum iſta ſunt nomina: ſcilicet *Ethelbald*, *Ethelbrickth*, *Ethelred*, & *Alfred*, qui omnes ſibi inuicem in regnum ſucceſſerunt.

Cuthredus igitur ſupra dictus rex Weſtſęxe poſt deuictum *Edelhun* fortiſſimum con- *Cuthred*

*al. Ethelbald

ſulem, vt alibi iam diximus 13. anno regni ſui cum iam regis Merciorum * *Ethelbaldi* ſuperbas exactiones & inſolentiam ferre non poſſet, occurrit ei cum regionibus vexillatis apud Bereford omni ſpe viuendi poſtpoſita libertati. Adduxit autem ſecum *Edelhun* prædictum conſulem bellicoſum iam ſibi concordem, cuius viribus & conſilio fretus belli diſcrimen ingredi potuit. *Ethelbaldus* vero rex regum cum Mercenſibus Kentenſes adduxerat, oriẽtaleſque Saxones, & Anglorũ multiplices copias. aciebus igitur diſpoſitis cum in directum tendentes appropinquarent, *Edelhun* præcedens Weſtſexenſes regis inſigne, draconem ſcilicet aureum, gerens traſforauit vexilliferum hoſtilem. Vnde clamore orto pars *Cuthredi* valde confortata eſt moxq́; ſibi acies inuicem offenderunt & in mutuas cædes horrendis ictibus & terribili fragore concurrerunt. hoc bello Mercenſes cum omni ſuperbia ſua ita detriti ſunt, vt eos Weſtſexæ vſque in longam poſteritatem fortuna ſubiiceret. videns autem acies loricis criſpantes, galeis acutas, lanceis hirſutas, vexillis depictas, auro reſplendentes, paulo poſt videret ſanguine perfuſas, lanceis caſſatas, ruina diſſipatas, cerebris humanis aſperſas, viſu horrendas. Congregantes autem ſe ad vexilla vtrinque procaces, & fortiſſimi viri, gladiis, & ſecuribus amazonicis rem agentes, acies aciebus funeſte irruebant. Memoria fugæ nulla, ſpes victoriæ vtrinque certa; Mercenſes ſuperbæ dominationis tumor inuitabat; Weſtſexas ſeruitutis horror accendebat. At vbicunque conſul prædictus *Edhelhun* aciebus ſe infigebat, via ruinarnm patebat, dum ſecuris eius horrẽda ſtrage corpora ſimul, & arma diſſecaret. Rex autẽ fortiſſimus Mercenſium *Ethelbaldus* quacunque ruebat, ſtrages hoſtilis fiebat, dũ gladio ſuo inuictiſſimo eſſent arma pro veſte, oſſa pro carne. Cum igitur, (quaſi duo ignes diuerſis in partibus impoſiti obſtantia quæque conſumerent) contigit, vt ſibi obuiam rex, & conſul venirẽt. Vterque vero alteri terribiliter, vehementerque infrenduit, dexteram excuſſit ſeque in armis collegit, & ictibus immenſis arma inſtantia pares laceſſunt. Deus autẽ qui ſuperbis reſiſtit, animo regis ſuperbi ſolitam confidentiam depreſſit. cum igitur, nec animum ſuum, nec vires ipſe recognoſceret, pugnantibus adhuc ſuis territus fugam cœpit. Nec ab hac die vſque ad mortis ſuæ tempora proſperum ei Deus quicquam conceſſit. Quarto ſiquidem poſt hoc anno rurſus pugnans apud Secandune non ſine miſerabili exercituum ruina, fugam dedignans occiſus eſt, & apud Repandum ſepultus, ſicque rex validiſſimus, cum 41. anno regnaſſet immoderatæ ſuperbiæ pœnas exſoluit. Regnum vero Weſtſexe ex hoc tempore valde roboratum creſcere vſque in perfectum non deſtitit. * *Cudredus* decimo quarto anno regni ſui pugnauit contra Brittãnos, qui fruſtra reſiſtẽtes ei, qui regem *Edelbaldum* deuicerat, cito fugam inierunt, clademq́; maximam ſine hoſtium detrimento digne pertulerunt. Anno ſequente *Cudredus* rex magnus, & excelſus, tot proſperitatibus, & victoriis clarus diem clauſit extremum.

al. Guthredus

Sigebert*

Sigebertus regis prædicti cognatus ei ſucceſſit, ſed breui regnum tenuit, namq́; ex prædeceſſoris ſui euentibus tumefactus, & inſolens etiam ſuis intolerabilis fuit, cum autem omnibus modis male tractaret eos, communeſq́; & * proprias leges vel ad commodũ ſuum deprauaret, vel pro lucro ſuo deuitaret, *Cumbra* conſul eius nobiliſſimus prece totius populi, querimonias eorum regi fero intimauit, cumq́; regem hortaretur mitius agere, populum benigne tractare, ſolitaque crudelitate depoſita Deo & hominibus amabilem apparere, mox eum rex impia nece iuſſit interfici, populoq́; ſæuior & intolerabilior tyrãnidem augmentauit. *Sigebertus* rex in principio ſecundi anni regni ſui, cum intolerandæ ſuperbię & nequitiæ perduraret, congregati ſunt proceres, & populus totius regni, & prouida deliberatione, & vnanimi cõſenſu omniũ expulſus eſt à regno. *Kenewlf* vero iuuenis egregius de regia ſtirpe oriundus electus eſt in regem. *Sigebertus* vero impius fugatus à ſuis, & debitam nequitiæ ſuæ mortem metuens in ſyluam magnam, quę vocatur Andredeſwald, fugiẽs ſe abſcondit, vbi quidam porcarius *Cumbra* conſulis nequiter, (vt diximus) interfecti, regem abſconditum inuenit, inuentum cognouit, cognitũ domini ſui vindex occidit. Ecce manifeſtum Dei iudicium, ecce quomodo Dei iuſtitia non ſolũ futuro in ſeculo, verum & in iſto digna meritis recompẽſat. Eligens namq́; reges improbos ad contritionem promeritam ſubiectorum, alium inſanire diu permittit; vt & populus prauus diu vexetur, & rex prauior in æternum acrius crucietur; veluti *Edelbaldum* regem Merce præfatum alium vero cita diſterminatione præoccupat: ne populus ſuus nimia tyrannide oppreſſus non reſpiret, & immoderata principis nequitia citiſſimas vltionis æternæ debito pœnas incurrat; veluti *Sigebertũ* hunc, de quo tractamus, qui quãto nequior extitit; tãto vili⁹ à ſubulco interfectus, à dolore in dolorẽ tranſiit. Vnde iuſtitiæ æternę laus & gloria nunc & ſemper.

al. patrias

Kinewlfus

Kinewlfi regis anno primo, *Edelbaldo* regi Merce ſucceſſit *Beornred* in regnum, ſed breui. *Offa* enim eodem anno aufugauit eum, regnauitque ſuper Merce 39. annis. *Offa* iuuenis

iuuenis nobiliſſimus, fuit filius quidem *Wingfred*, filii * *Chanwlf*, filii *Oſmod*, filii *Epa*, filii *Wippa*, filii *Creada*, filii *Chynewald*, filii *Cinbba*, filii *Hycis*, filii *Comer*, filii *Agelthen*, filii *Offa*, filii *Wermund*, filii *Widat*, filii *Wodan*. *Offa* rex ſtrenuiſſimus fuit: vicit namque Kentenſes prælio, vicit etiam Weſtſexas prælio, vicit quoque Northumbras prælio. *Offa* vir religioſus fuit; tranſtulit namque ſancti *Albani* oſſa in monaſterium, quod conſtruxerat, multisque modis ditauerat, deditque vicario beati *Petri* Romanæ vrbis pontifici, redditum ſtatutum de domibus ſingulis regni ſui in æternum. *Kinewlfi* regis anno tertio, *Eadbert* rex Northanhumbrorum videns regum prædictorum (*Edelbaldi* ſcilicet, & *Sigeberti*) vitam ærumnoſam, & finem infauſtum; *Ceolwlfi* vero prædeceſſoris ſui vitam laudabilem, & finem glorioſum, meliorem partem elegit, quæ non auferetur ab eo. Regno namque relicto, tonſuram capitis in æternum diadema generaturam ſuſcepit, furuasque veſtes æthereum ſplendorē collaturas induit. Iſte eſt octauus, regum illorū, qui regna ſua pro *Chriſto* ſponte dimiſerunt, immo, (vt verius dicam) pro regno æterno commutauerunt: quibus octo beatitudinum iucunditas perennis multiplici delectamento ineffabiliter cumulatur quorum ſtrenuitatem imitari beatorum eſt. ſucceſſit autem ei in regno *Oſulf* filius ſuus, ſed cum vno anno regnaſſet, à familia ſua nefanda proditione occiſus eſt. Poſt quē *Moledelwald* regnauit 6. annis. Circa hoc tempus *Cuthbrictus* archiepiſcopus obiit. *Kinewlfi* regis anno ſexto *Ethelbrit* rex Kentenſis defunctus eſt. eodem anno *Ceolwlf*, qui monachus relicto regno terreno factus fuerat, ad regnū cœleſte migrauit. Anno vero ſequente *Lambertus* factus eſt archiepiſcopus Cantuarienſis. *Molledelwald* cum 6. annis regnaſſet, regnum Northumbrorum dimiſit: poſt quem *Aelred* octo annis regnauit, cuius regni anno ſecundo obiit *Egbert* archiepiſcopus Eboracenſis, expletis in archiepiſcopatu annis 36. obiit & *Fridebercht* Epiſcopus Hauguſtaldenſis, cum epiſcopus fuiſſet triginta quatuor annis. *Egberto* archiepiſcopo ſucceſſit *Adelbert*: *Friderberto* epiſcopo ſucceſſit *Almund*. Anno quarto *AElredi* regis obierunt *Pippinus* rex Francorum, & *Stephanus* Papa Romanorum, & *Eadbert* filius *Hectæ*, dux famoſiſſimus Anglorum. Anno gratiæ ſeptingenteſimo ſexageſimo nono, *Kinewlfi* regis, anno decimo quinto, incepit fieri mutatio dexteræ excelſi. Imperium namque Romanum, quod tot annis in ſe præcellentiſſimum fuerat, *Karolo* regi magno Francorum ſubiectum eſt. Poſt triginta annos regni eius, quod in hoc anno inceperat, & ſucceſſoribus eius vſque ad hunc diem contigit exinde. *Kinewlfi* regis anno viceſimo, pugnauit rex *Offa* cum Mercenſibus contra Kentenſes apud Ottanforde, clade autem horrenda vtrinque peracta, belli ſucceſſibus *Offa* clarus effulſit. Eodem anno Northimbri fugauerunt regem eorum *AElred* ab Euerwic in hebdomada Paſchali, & elegerunt ſibi in regem *Edelred* filium *Molledelwald*, qui regnauit quatuor annis. Hoc autem anno viſa fuerunt rubea ſigna in cœlo poſt occaſum ſolis horrenda: ſerpentes viſi ſunt in Sutdſexe cum magna admiratione. Secundo autem ab hoc anno Saxones antiqui, vnde gens Anglorum deſcendit, ad fidem conuerſi ſunt, quo anno *Witbwine* Epiſcopus Wihternæ, 24. anno epiſcopatus ſui morte affectus eſt. *Kinewlfus* vigeſimo quarto anno regni ſui, pugnauit contra *Offam* circa Benetune; Martis autem caſu minoratus * iocoſe ceſſit, & *Offa* rex caſtrum idem in iura ſua redegit. Eodem anno *Edelbertus* ſacratus eſt apud Ewerwic, Epiſcopus in Winterne. Anno ſequente *Edelbald* & *Herebert* duces regis Northimbræ, rebellantes domino ſuo occiderunt *Aldulf*, filium *Boſe*, regalis exercitus primatem, martis congreſſibus apud * Kingeſdiwe, & poſtea duces regis *Kinewlf* & *Eggiam* prælio ingenti occiderunt duces prædicti apud Hilatirnum. Rex autem prædictus *Edelred*, ducibus ſuis, & ſpe amiſſa, fugit à facie eorum; illi vero conſtituerunt * *Alſimod* in regem, qui regnauit decem annis. Anno autem hoc ſequente principes, & præpoſiti Northimbræ quendam conſulem, & Iuſticiarium ſuum, qui rigidior æquo extiterat, combuſſerunt. Eodem anno *Esbert* Archiepiſcopus obiit in Ceſtre, cui ſucceſſit *Enbald*. Eodem anno *Kinebald* factus eſt Epiſcopus Lindiſfarnenſis. Eodem anno antiqui Saxones & Franci pugnauerunt; Franci vero vicerunt. Anno vero proximo rex Northimbræ *Alſinild* miſit Romam propter pallium, & dedit *Embaldo* Archiepiſcopo. Tunc *Alcmundo* Hauguſtaldenſi defuncto *Gilbert* ſucceſſit. *Karolus* eo anno Romam iuit, circa hoc tempus concilium fuit apud Ade. *Kinewlf* cum regnaſſet viginti, & ſex annis, & contra Brittannos victorioſus multa geſſiſſet prælia, & eos ex * Dei parte domaſſet, tandem exulare ſtatuit adoleſcentem *Kineard* fratrem *Sigebritti*. Ipſe autem impetiit regem apud Merctune, vbi priuate perrexerat ad quandam mulierem. Rex autem id comperiens in oſtio viriliter ſe defendebat, donec, conſpecto iuuene, foras exiliens vulnerauit eum, & omnes ſocii eius in regem pugnantes interfecerunt eum: clamore autem audito, milites regis, qui in vrbe erant, in iuue-

al. Kanwlf.

al. loco ſeceſſit.

al. Kingeſcliwe.

al. Alſimold

al. omni.

nem cucurrerunt, renuenteſq; ab eo oblatas terras, & pecuniam, pugnando omnes mortui ſunt præter vnum Brittannum obſidem grauiter vulneratum. Mane autem milites regis, qui circa erant in atrio, vbi rex occiſus erat, obſederunt iuuenem, & ſuos, qui dixit iis: Cognati veſtri mecum ſunt, vobiſq; dabo terram, & pecuniam ſecundum cor veſtrum, ne pugnetis contra nos, idem obtuli ſociis veſtris, renuenteſq; perierunt. Illi autem reſponderunt nullam pecuniam chariorem domino ſuo eſſe iis, ſeq; Domini, ſociorumque ſanguinem vlturos, irrumpenteſq; graui prælio in portam, iuuenem & octuaginta quatuor, qui cum eo erant interfecerunt; remanſit ſolus filiolus iuuenis, vulneratus * tamen. *Kinewlf* igitur triceſimo primo anno regni ſui ſepultus eſt apud Wincestre: iuuenis autem apud Aceſminſter.

al. tantū.

Bricthricus, qui etiam de progenie *Certici* ſæpe dicti regis erat, poſt *Kinewlfum* regnauit ſuper Weſtſexe ſexdecim annis. cuius anno ſecundo miſit *Adrianus* Papa legatos in Brittanniam ad renouandã fidem, quam prædicauerat *Auguſtinus*: ipſi vero honorifice a regibus, & populo ſuſcepti ſuper fundamentum ſtabile ædificauerunt pulchre, *Chriſti* miſericordia cooperante, tenuerunt autem concilium apud *Cealtide*, vbi *Iamber* dimiſit partem Epiſcopatus ſui; ibi etiam *Higberit* electus eſt ab *Offa* rege. Eodem anno *Egfert* ſacratus eſt in regem Kentenſis prouinciæ. Anno vero ſequente, qui eſt annus gratiæ, 786. apparuit ſignum in veſtibus, quod dictu & auditu ſeculis omnibus videri poteſt mirabile. factumne igitur fuit ad demonſtrationem motionis Ieroſolymitanæ cum crucibus aſſumptis, quæ facta eſt poſt trecentos, & vndecim annos tempore iunioris *Willelmi*, an potius factum eſt ad correctionem gentium, ne plagam Dacorum, quæ proxime ſequuta eſt, correcti perferrent, nos autem nihil temere definimus, ſed Dei ſecreta Deo relinquimus: *Brithricus* anno regni ſui quarto duxit in vxorem *Eadburch* filiam *Offæ* regis Merciorum. Vnde confortatus eſt in regno, & prouectus eſt in ſuperbiam. his autem diebus venerunt Daci cum tribus puppibus in Brittanniam prædationis cauſa, quod præpoſitus regis illius prouinciæ videns, occurrit eis debito ſecurius, vt comprehenſos ad regium duceret caſtrum: neſciebat autem, qui eſſent, vel cur appulerant, ſtatim vero immixtus eis occiſus eſt. Hic primus Anglorum cæſus a Dacis, poſt quem multa millia millium diuerſis temporibus ab iiſdem cæſa ſunt, & hæ fuerunt puppes, quas huc Daci adduxerunt primitus. Anno ſequenti concilium apud Northimbre in Wincenhale conuenit. *Brictrici* regis ſexto anno congregata eſt Synodus apud Aclea. *Sigga* vero nefanda proditione occidit *Alwlfum* regem iuſtum Northumbre. In eo autem loco, vbi rex amicus Dei occiſus eſt, lumen cœleſte ſæpe viſum eſt, corpus vero eius in Haguſtaldenſi Eccleſia ſepultum eſt, poſt quem *Oſredus* regnare cœpit, ſed anno ſequenti proditus eſt, & a regno fugatus. *Ethelredus* filius *Molledelwaldi* regno eſt reſtitutus: *Oſred* vero quarto anno poſtquam rex fuerat, cum congregatis viribus rediret, vt *Ethelredum*, per quem expulſus fuerat, regno expelleret; inter eundum captus eſt, & occiſus, & ſepultus apud Tinemuta, quam bene igitur dixit, qui dixit, *O cæca futuri mens hominum*. Cum enim iuuenis prædictus *Oſredus* tripudians, & lætabundus rex fieret, quam parum æſtimabat ſe anno ſecundo regali ſede, anno vero quarto vitali luce priuandum. Vnde ſemper inter proſpera ſolliciti ſimus, ignari quam prope ſint aduerſa. Ea tempeſtate *Offa* rex Merciorum præcepit amputari caput Sancti *Ethelbricthi*, his etiam diebus *Lambricthus* Archiepiſcopus obiit, & Abbas *Ethelredus* pro eo electus eſt in Archiepiſcopum Cantuariæ. *Eanbaldus* vero Archiepiſcopus Eboracenſis ſacrauit *Badulfum* Epiſcopum apud Winterne. *Brictrici* regis anno decimo, viſi ſunt flammei dracones volantes per aera, quod ſignum duæ peſtes ſunt ſequutæ. Prius dira fames, poſtea gens Pagana a Norwagia, & Dacia veniens, quæ prius gentem Northimbrenſem miſere vaſtauerunt, & poſt in Lindisfarnenſi prouincia Eccleſias *Chriſti* cum inhabitantibus horribiliter deſtruxerunt in Idibus Ianuarii, qua etiam tempeſtate *Sigga* dux perfidus, qui iuſtum regem *Alfwaldum* prodiderat, deperiit. *Brictrici* regis anno vndecimo, id eſt, anno gratiæ ſeptingenteſimo nonageſimo quinto, Northimbræ regem ſuum *Edelredum* occiderunt, qui anno illo, quo rex *Oſredus* occiſus fuerat in ſuperbiam elatus, ſua relicta, nouam induxerat vxorem, ignorans, quod & ipſe poſt biennium perimendus eſſet. Poſt quem * *Herdulfus* regnum Northimbræ ſuſcepit, quem *Embaldus* Archiepiſcopus, & *Ethelbertus* Epiſcopus, & *Hingbaldus* Epiſcopus, & *Baldulfus* Epiſcopus ſacrauerunt in regem, & eleuatus eſt in regia ſede apud Eboracum. His diebus *Adrianus* Papa, & rex magnus *Offa* obierunt: hic *Offa* triginta nouem annis potenter regnauit in Mercia; Is regem Weſtſexe *Kenulfum* minorauit, & Kentenſes & Northimbras. *Offæ* regi ſucceſſit filius eius *E fr th*, centum quadraginta & vno diebus, & mortuus eſt: cui ſucceſſit rex *Kenulfus* pater *Kenelmi* maris potentiſſimus. Eodem

al. Erdul.

Eodem anno *Eadbrictus* vocatus alio nomine *Pren*, adeptus eſt regnum Kentenſe; gens vero Pagana prædauerunt Northhumbre, & monaſterium *Egfredi* ſpoliauerunt apud Tinemuthe; tunc vero occurrentibus eis nobiliſſimis, & bello aſſuetiſſimis Anglorum, & ducibus eorum occiſis victi ad puppes fugerunt barbari; cum vero etiam per mare, fugere non ceſſarent in puppibus; aliquæ earum tempeſtate confractæ ſunt, & multi virorum naufragati, quidam vero * venientes capti, & iuxta littus capite priuati ſunt. *al. iuuenes* Nec multo poſt *Kenwlfus* rex Mercæ, Kentenſem prouinciam deprædatus eſt, regemque eorum *Pren* ſibi viribus imparem, & ideo per latibula, & diuortia deliteſcentem comprehendit, & vinctum ſecum adduxit. *Brictrici* regis anno decimo quarto, Romani amputarunt linguam *Leoni* Papæ; & oculos ſibi eruerunt, cumque à ſua ſede fugauerunt, ſed ipſe, (vt ſcripta tradunt) per gratiam *Chriſti* iterum videre, & loqui potuit, rurſuſque Papa effectus eſt. Poſt triennium vero rex *Karolus* factus eſt imperator, & ab eodem *Leone* Papa ſacratus damnauit mortis illos, qui Papam dehoneſtauerant, ſed poſtea precibus Papæ mortem eorum indulſit, & eos in exilium truſit. Poſt trienniumque defecit *Brictricus* rex Weſtſexæ, poſtquam eidem genti ſeptendecim annis nobiliſſime præfuit, hauſto ſcilicet ignoranter veneno, quod vxor eius *Eadburga* filia regis *Offæ* cuidam iuueni parauerat, vnde & vterque mortui ſunt, vt in ſuperioribus copioſius ſcribitur, hoc in tempore fuit magnum prælium in Northhimbre apud Wellehare, in quo periit *Alricus* filius *Herberti*, & alii multi cum eo. Singulorum autem bellorum geſta, & modos, & fines ad plenum determinare nimietas prolixitatis neceſſario prohibet, gens enim Anglorum dura naturaliter erat, & ſuperba, & ideo bellis inteſtinis inceſſanter attrita.

* *Egbertus* igitur, anno gratiæ octingenteſimo, vel vt quidam volunt octingenteſimo ſecundo, octauus numero decem regum fortiſſimorum, quos alibi ſingularis excellentiæ prærogatiua notauimus, defuncto *Brictrico* ſucceſſit, & regnauit triginta ſeptem annis, & ſeptem menſibus ſuper Weſſexe: quem in iuuenili ætate quidem *Brictricus* prædeceſſor eius, & *Offa* rex Merce ab hac terra fugauerunt. exulauit igitur tribus annis cum rege Franciæ, nobiliter tamen & egregie. Defuncto autem rege prædicto, cum reuerſus regnum ſuſcepiſſet, eodem die *Edelmundus* conſul receſſit à Wicum, & veniens Kinemeresforde obuiauit *Wicſtano* conſuli cum Wilſatis, & illico pugnauerunt, & ambo conſules occiſi ſunt, & Wilſates vicerunt. Quarto poſt hunc anno deceſſit *Edelredus* Archiepiſcopus Kentenſis, & *Wlfredus* ſucceſſit; inde vero poſt biennium *Cudredus* rex Kentenſis obiit. Anno ſequenti *Hardulfus* rex Northimbræ fugatus eſt a regno ſuo. *Egbrictus* decimo quarto anno regni ſui prædauit in regnis Brittonum ab Oriente vſque ad Occidentem, nec fuit, qui eius immanitati vel conaretur reſiſtere. Anno autem poſt hunc proximo *Karolus* rex Francorum, & imperator Romanorum obiit: ſequenti quoque anno Sancto *Leoni* Papæ defuncto *Stephanus* ſucceſſit, & ei *Paſchalis*; nec multo poſt *Kenwlfus* rex Merce defunctus eſt, & ei *Ceolwlfus* ſucceſſit, ſed tertio ab hinc anno regnum amiſit, & *Beornulfus* ſibi illud occupauit. *Egbrictus* decimo quarto anno regni ſui commiſit prælium contra *Bernwlfum* regem Mercæ apud Ellendune. Vnde dicitur in antiquo prouerbio, Ellendune *riuus cruore rubuit, ruina reſtitit, fœtore tabuit.* Ibi autem maximo gentis exterminio vtrinque peracto, *Egbrit* victor funeſtus extitit. Inde vero ſucceſſus ſuos vrgens miſit *Edelwlfum* filium ſuum, qui poſtea rex factus eſt, & *Alcſtan* Epiſcopum, & *Walhard* Conſulem cum magno exercitu in Kent, qui fugauerunt regem *Balredum* vltra Tameſim. Tunc ergo populos Sudriæ, & Cantiæ & Surdſexæ rex *Egbrictus* in dominium ſuſcepit, quos prius cognatus eius *Pren* iniuſte amiſerat. Hoc etiam anno rex Eaſtangle, cum gente ſua recepit *Egbrictum* regem in patronum. Et poſtea hoc eodem anno Eſtangli occiderunt *Bernulfum* regem Merciorum; cui ſucceſſit *Ludecen*. Eodem anno maximum prælium fuerat inter Brittones, & gentem Dueneſchire/ apud Gauelfordam, vbi multa millia hominum vtrinque corruerunt. Anno ſequenti *Ludecen* rex Merce/ & quinque Conſules cum eo occiſi ſunt. *Egbrictus* vigeſimo ſeptimo anno regni ſui fugauit *Wilafum* regem Merciorum, qui regi *Ludecenti* ſucceſſerat, regnumque ſibi adquiſiuit. Cum ergo obtineret omne regnum ex Auſtrali parte Humbræ, duxit exercitum contra Northimbras apud Dore; illi vero regi magno deuote concordiam offerentes, & ſubiectionem, pacifice ſuperati ſunt. Anno vero ſequenti rex *Egbrictus* miſericordia motus conceſſit *Wilafo* prædicto, vt regnum Merciorum teneret ſub eo. Et inde rex *Egbrictus* duxit exercitum in Northwales / & eam ſibi patrocinio armorũ ſubdidit. Anno autem ſequenti *Wlfredo* Archiepiſcopo Kentenſi defuncto *Ceolnodus* ſucceſſit. *Egbricti* regis anno triceſimo octauo rediit exercitus Dano-

Egbertus
al. Egbrictus

al. Donemuth. *al. Wigfert.*

rum in Angliam poſtquam apud * Danemute victi, & fugati ſunt. Primum igitur prædauerunt Sepey, rex vero *Egbrictus* cum exercitu ſuo pugnauit contra eos, qui triginta quinque nauibus maximis aducti fuerant; anno ſequenti apud Carram, & ibi Dacenſes præualuerunt, & ibi duo Epiſcopi ſcilicet *Herefredus* &, * *Wilfredus*, & duo duces ſcilicet *Dudda* & *Oſmodus* perierunt. Anno vero ſequenti venit exercitus Danorum naualis in Weſtwales, & Walenſes cum Dacis coadunati ſunt, & contra regem *Egbrigthum* inſurrexerunt Rex vero ſecunda vſus fortuna eos glorioſe contriuit, & fortiſſimos fortiter effugauit apud Hengiſtendune. Anno his proximo *Egbricthus* rex magnus, & monarcha Britanniæ deceſſit, regnorum, quæ in manu propria tenebat, filios fecit hæredes, *Ethelwlfum* ſuper Weſtſexe, *Ethelſtanum* vero, ſuper Kent, & Sudſexe, & Eſtſexe. ſed cum iam ad monarchiã Angliæ peruenimus, & ad plagam horribilem, quæ per Danos illata eſt, liber proprius rebus nouis donandus eſt.

Plaga per Danos facta.

In principio hiſtoriæ noſtræ quinque plagis percuſſam diximus Brittanniam, quarum de quarta, quæ per Danos facta eſt, præſenti libro tractabimus. hæc ſiquidem longe immanior, longe crudelior cæteris fuit. Romani ſiquidem Brittanniam breui ſibi ſubiugauerunt, & lege dominantium ſplendide rexerunt. Picti vero, & Scoti crebras irruptiones ex Boreali parte Brittanniæ faciebant, ſed nec eam ex omni parte aggrediebantur & nonnunquam pernitioſe repulſi, tempore non pauco ab inuaſione ceſſabant; Saxones autem pro viribus paulatim terram bello capeſſentes, captam obtinebant, obtentam ædificabant, ædificatam legibus regebant; nec non & Normanni cito, & breuiter terram ſubdentes ſibi victis vitam, & libertatem, legeſque antiquas regni iure conceſſerunt, de quibus ſuo tempore dicendum eſt. Dani vero terram vndique creberrime, & vndique diutiſſime inſilientes, & aſſilientes eam non obtinere, ſed prædari & perdere ſtudebant, & omnia deſtruere, non dominari cupiebant, * quod ſi quandoque vincerentur, nihil proficiebat, cum alibi claſſis, & exercitus maior ex improuiſo inſurgeret; miroque modo cum reges Anglorum in Orientalem partem contra eos pugnaturi tenderent, antequam hoſtilibus turmis appropinquarent, aduolabat nuncius dicens: rex quonam tendis? Claſſis Paganorum innumerabilis ex Auſtrali parte Angliæ littora occupauit, vrbeſque & villas depopulans omnia cædi & incendio tradidit; eadem die accurrebat alius dicens; rex quo fugam capeſcis? terribilis exercitus in Occidentali parte Angliæ appulit, contra quos niſi feſtinus reuertaris, te fugiſſe exiſtimantes cæde & flamma perſequentur a tergo. eadem die, vel craſtina veniebat alter nuncius, currens & anhelans, qui diceret, quo tenditis proceres? Daci Borealibus plagis appulſi iam domos veſtras combuſſerunt, iam res veſtras aſportauerunt, iam pueros ſurſum iactatos lancearum acumine ſuſceperunt, iam coniuges veſtras quaſdam vi oppreſſerunt, quaſdam ſecum abduxerunt: * ſic ergo tot malis rumoribus, & ſiniſtris nunciis perturbati rex & populus manibus, & corde diſſoluebantur, & animis conſternati tabeſcebant. Igitur nec cum vincerent lætitia, vt aſſolet, erat eis vlla, nec ſpes ſalutis aliqua. cur autem tanto furore Dei iuſticia in eos deſæuiret, vel quare tam fortiter ira eius exarſit, cauſa hæc eſt. In Anglorum primitiua Eccleſia religio clariſſime ſplenduit, ita vt reges & reginæ, duces & principes, & Eccleſiarum præſules cœleſtis regni deſiderio ſuccenſi vel monachatum, vel ſpontaneum exilium, vt præmonſtrauimus, appeterent. Proceſſu vero temporis adeo in eis virtus omnis emarcuit, vt gentem nullam proditione & nequitia ſibi parem eſſe permitterent, quod maxime apparet in hiſtoria regum Northimbræ; ſicut autem in regalibus geſtis impietas eorum deſcripta eſt, ita vniuſcuiuſque ordinis, & officii homines dolo & proditioni inſiſtebant, nec erat dedecori niſi pietas, & cauſa digniſſima cædis innocentia. Immiſit ergo eis dominus omnipotens, velut apum examina, gentes crudeliſſimas, quæ nec ætati, nec ſexui parcerent, ſcilicet Dacos cum Gothis, Northegenſes cum Swathedis, Wandalos cum Freſis: qui ab exordio regni *Ethelwlfi* regis, vſque ad aduentum Normannorum, & *Willielmi* regis per annos * trecentos, & triginta terram hanc vehementer affligentes, & deſolantes vaſtauerunt. Qui etiam nonnunquam ex affinitate Brittanniæ Dei vindices & ſtimuli etiam Gallias pro meritis crudeliter inuaſerunt, ſed iam ad ordinem hiſtoriæ noſtræ his explanatis redeundum eſt.

al. qui. *al. ſic tot rumorũ miſerabili plaga percuſſi rex.* *al. ducentos.*

Adelwlfus.

Adelwlfus igitur primo anno regni ſui cum ipſe aduerſus prædictos hoſtes in vna parte regni ſui perſiſteret, vndique confluente Paganorum multitudine, miſit *Wlfradum* conſulem cum parte exercitus ad debellandos Dacos, qui cum triginta tribus nauibus apud Hamptonam appulerant; vbi magna ſtrage hoſtium patrata clariſſime triumphauit. Miſit etiam rex *Adelwlfus Edelhelm* conſulem, vt pugnaret contra alium exercitum apud Port cum exercitu Weſtſexe: cumque diu conflixiſſent, occiſo prædicto conſule,

conſule, Daci victores extiterunt. Anno vero ſequenti *Herbertus* conſul pugnauit contra eos apud Merſcware, Daciſque vincentibus, & ſuis fugientibus occiſus eſt. Eodem anno Paganorum exercitus per Orientales partes Angliæ perrexit, ſcilicet per Lindeſſeie/ & Eaſtangle, & Cantiam, & gentem innumerabilem ferro trucidauerunt, anno vero poſt hunc proximo, terram profundius introiens exercitus circa Cantuariam, & Rouceceſtriam, & Lundoniam multitudinem magnam ſtrauit. *Adelwlfus* quinto anno regni ſui cum parte exercitus pugnauit contra gentem triginta quinq; puppium apud Carrum, & Daci victores fuerunt. Licet enim paruus eſſet numerus puppium, magnus tamen erat numerus eorum, qui in puppibus fuerant. Anno vero ab hoc quinto *Alſtanus* Epiſcopus venerabilis, & dux *Ernulfus* cum Sumerſetenſibus, & dux *Oſredus* cum Dorſetenſibus, pugnauerunt contra Dacorum exercitum apud Pendredeſmuthe/ & Deo auxiliante multos eorum proſtrauerunt, & victoriæ ſplendorem obtinuerunt. *Adelwlfus* anno decimo ſexto regni ſui, & *Edelbaldus* filius ſuus congregatis omnibus copiis ſuis pugnauerunt cum magno exercitu barbarorum, qui cum * ducentis quinquaginta nauibus ad Temeſſemuthe/ vrbeſque præclaras, & multis inclytis annis Lundoniam ſcilicet, & Cantuariam fregerunt, & fugauerunt *Bretwlfum* regem Merciorum cum exercitu ſuo, qui nunquam poſtea viguit, cui ſequenti anno defuncto, *Burhredus* ſucceſſit. Poſt hæc audaciores effecti Dani omnis exercitus eorum ad Suthrie congregatus, regalibus cuneis obuiauerunt apud Akelea. Commiſſum eſt igitur inter maximos exercitus tantum, & tam graue prælium, quantum nullus retro audierat in tota Anglia vnquam fuiſſe commiſſum. videres igitur viros bellatores more ſegetis vtrinq; ruere, ſanguiniſque fluuios capita & membra occiſorum ſecum voluere; ſcribere autem ſingulariter ſingula vt ſunt geſta nonne nimiæ & faſtidioſæ prolixitatis eſſet? Conceſſit ergo Deus fortunam belli ſuis fidelibus, & in eo confidentibus; inimicis autem ſuis, & contemptoribus ruinam, & inenarrabilem contritionem. Rex itaque *Edelwlfus* victor illius magni certaminis glorioſe claruit. Eodem anno *Edelſtanus* rex Cantiæ, & dux *Ealredus* nauali prælio contra Dacos pugnauerunt apud Sandwicum, & magna ſtrage hoſtium facta, nouem puppes eorum ceperunt, aliæ vero fugerunt. Conſul quoque nomine Cheorle/ cum gente Dauenechire pugnauit contra Paganos apud Wienoruem, multoſque eorum percuſſit, & victor extitit. hic igitur annus Anglorum genti fortunatus extitit. Hoc anno primum quidem Paganorum exercitus per totam hyemem in hac patria conuerſatus eſt apud Teneit. *Adelwlfus* decimo octauo anno regni ſui adiuuit *Burheardum* regem Merciorum ad ſubiugandos ſibi Nortwallenſes potentiſſime, ſociauitque ei filiam ſuam in matrimonio: habebat autem quatuor filios, qui omnes poſt eum reges fuerunt, id eſt, *Adelbaldus*, *Adelbricthus*, *AElredus*, & *Aluredus*. Hunc *Aluredum* miſit pater ſuus rex *Adelwlfus* anno præfato Romam ad *Leonem* Papam, cum eſſet infans annorum 5. quem idem Papa in regem poſtea benedixit, & loco filii ſuſcepit. Hoc anno dux *Ealere* cum Kentẽſibus, & *Huda* cum Surenſibus pugnauerunt contra exercitum Paganorum apud Teneit/ & magna multitudo ex vtraq; parte occiſa eſt, & ſubmerſa naufragio, & ambo duces prædicti mortui ſunt. *Adelwlfus* inſignis rex Weſtſere 19. anno regni ſui totam terram ſuam decimauit, & Eccleſiis dedit, ꝓpter amorẽ Dei, & redemptionẽ ſui. Poſtea vero cum magno honore Romam perrexit, filiumq; ſuũ *Aluredum*, quẽ præ cæteris amabat ſecum adducens vno ibi anno conuerſatus eſt, & inde rediens filiam *Karoli Calui* regis Franciæ aſſumpſit in vxorem, & eam in hanc patriam ſecum perduxit; & cum duobus annis eam tenuiſſet diem obiit & ſepultus eſt apud Winceſtriam. Hic primum fuerat Epiſcopus apud eandem vrbem, ſed *Egbricthо* patre ſuo defuncto, neceſſitate cogente factus eſt rex, & accepta nobili vxore quatuor prædictos filios genuit, circa hoc tempus Pagani perendinauerunt tota hyeme apud Sepey, id eſt, Inſulam ouium. Prædictus rex moriens *Adelbaldo* filio ſuo reliquit regnum hæreditariũ Weſtſere, *Adelbricthо* vero alteri filio ſuo reliquit regnum Cantiæ & Sudſere & Eſtſexe. Ambo igitur fratres optimæ indolis iuuenes regnum ſuum, dum vterque vixit, fœliciſſime tenuerunt.

al. 315.

Adelbaldus rex Weſtſere, cum regnum ſuum 5, annis in pace tenuiſſet, morte immatura præreptus eſt. Planxit autem omnis Anglia *Adelbaldi* regis iuuentutem, & factus eſt luctus vehemens ſuper eum, & ſepelierunt eum apud Scireburne, ſenſitq; poſtea Anglia, quantum in eo amiſerat. *Adelbaldus.*

Adelbrichus frater regis prædicti regnauit poſt eum in Weſtſere/ qui prius erat rex Kentenſis. In diebus eius venit naualis exercitus, & * ingredientes deſtruxerunt Winceſtriam, ſic *Adelbrichus.*

Vrbs antiqua ruit multos dominata per annos.

al. egredienſes.

Adelbricтho poſt decem annos defuncто *Edelredus* ſucceſſit annis 6. cui ſucceſſit rex * *Elfredus* annis 28. cuius genealogia cum geſtis, & euentibus ſuis poſterius deſcribitur.

al. *Aluredus.*

REGES WESTSEXE.

Cerdic, 15. annis.
Kinricus filius eius 26. annis.
Chenlingus filius eius, 31. annis.
Chelricus. 6. annis.
Chelwlfus, 14.
* *Kiniglis* Chriſtianus, vno anno baptizatus à *S. Birino*. (al. *Kinigils*)
* *Kenwaldus* filius eius, 31. (al. *Kenwalh.*)
* *Sexburba* regina, vno anno. (al. *Sexburga.*)
Eſcwine, duobus annis.
Kentwine, 9. annis.
* *Cedwalla*, duobus annis, & Romæ in albis obiit. (al. *Edwalla.*)
* *Ine*, 36. annis, & poſtea Romæ obiit. (al. *Edwy.*)
Adelardus, 13. annis.
Chutredus, 16. annis.
Sigebrictus crudelis vno anno, & expulſus eſt.
Kinewlfus, 26. annis, & poſtea occiſus eſt.
Brictrichus, 16. annis, Dani primum venerunt.
Egbertus 35. annis, hic fuit monarcha totius Angliæ.
Adelwlfus, 18. annis.
Adelbaldus, 5. annis.
Adelbrichtus, 6. annis.
Adelredus frater eius, 5. annis.
Aluredus literatus, 29. annis.
Edwardus, 24. annis.
Adelſtanus frater eius, 16. annis.
Edmundus, 6. annis & die.
Edredus. 9. annis & die.
Edwinus, 3. annis & 9. menſibus.
Edgarus Iuſtus, 16. annis.
Edwardus Martyr, 4. annis.
Ethelredus frater eius 38. annis.
Edmundus Yroneſide, *nouem menſibus*.
Knut Danus, 19. annis.
Haroldus filius eius, 5. annis.
Hardecnut, duobus annis.
Edwardus Iuſtus, 24. annis.
Haroldus, 9. menſibus.
Willielmus Baſtard, 21. annis.
Willielmus Ruffus, 13. annis.
Henricus Leo iuſticiæ 35. annis, & tribus menſibus.

Genealogia regis Elfredi. Anno ab incarnatione Domini 849. Anglo ſaxonum rex *Elfredus* in illa plaga, quæ dicitur Beroſchire, naſcitur, cuius genealogia tali ſerie contexitur. *Elfredus* rex filius *Adelwlfi* regis, qui fuit *Egberti*, qui fuit *Ealmundi*, qui fuit *Eafeo*, qui fuit *Eoppa*, qui fuit *Ingild*: *Ingild*, & *Ine* famoſus Occidentalium rex Saxonum, germani duo fuerunt, qui *Ine* Romam perrexit & ibi præſentem vitam finiens cœleſtem patriam cum Chriſto regnaturus adiit: qui fuerunt filii *Cænred*, qui fuit *Ceolwald*, qui fuit *Cutha*, qui fuit *Cuthwine*, qui fuit *Ceaulin*, qui fuit *Cynric*, qui fuit *Creda*, qui fuit *Cerdic*, qui fuit *Eleſa*, qui fuit *Elta*, qui fuit *Gewis*, à quo, Britones totam illam gentem Gewis nominant: qui fuit *Wig*, qui fuit *Freawine*, qui fuit *Freoderegeas*, qui fuit *Brand*, qui fuit *Bealdeag*, qui fuit *Woden*, qui fuit *Friderwald*, qui fuit *Frealaf*, qui fuit *Fridrewolf*, qui fuit *Fingoldulf*, qui fuit *Geta*, quem *Getam* iamdudum pagani pro Deo venerabãtur, qui fuit *Cetua*, qui fuit *Bean*, qui fuit *Sceldua*, qui fuit *Heremod*, qui fuit *Itermod*, qui fuit *Hathra*, qui fuit *Wala*, qui fuit *Beadwig*, qui fuit *Sem*, qui fuit *Noe*, qui fuit *Lamech*, qui fuit *Mathuſſale*, qui fuit *Enoc*. qui fuit *Malaleel*, qui fuit *Canan*, qui fuit *Enos*, qui fuit *Seth*, qui fuit *Adam*. Mater quoq; *Elfredi Osburch* nominabatur, religioſa nimiũ fœmina, nobilis ingenio, nobilis & genere, quæ erat filia *Oslac* famoſi pincernæ regis *Adelwlfi*, qui *Oslac* Gothus erat natione. Ortus enim erat de Gothis & Iutis, de ſemine ſcilicet *Stuf* & *Withgar* duorum fratrum, & etiam Comitũ qui accepta poteſtate Vectæ Inſulæ ab auunculo ſuo *Cerdico* rege, & *Cinrico* filio ſuo conſobrino eorum, paucos Brittones eiuſdẽ Inſulæ accolas, quos in ea inuenire potuerunt, in loco, qui dicitur, Withgaraburg, occiderunt. cæteri vero accolæ eiuſdem Inſulæ aut occiſi erant, aut exules fugerant.

Anno 851. *Cheorl* Domnaniæ Comes cum Domnaniis pugnauit contra Danos, & vicit. Eodem anno magnus exercitus Paganorum cum 350. nauibus in oſtium Tameſis fluminis veniens, Doroborniam, id eſt, vrbem Cantuariorum depopulati ſunt, & *Bertwlfum* regem Merciorum, qui contra illos ad pugnam venerat, in fugam verterant. Poſthæc audaciores effecti Dani, omnis exercitus eorum ad Suthrighe eſt congregatus. Quod audiens bellipotens *Ethelwlfus* congregato exercitu cum filio ſuo *Ethelbaldo* in loco, qui dicitur Akelea, conſerto prælio Paganos ſuperans, inaudita cæde mactauit. Anno 852. rex Merciorum *Berthwlfus* vita deceſſit, cui *Burhredus* ſucceſſit. Ipſo anno *Ethelſtanus* rex & *Alcherus* Comes magnum exercitum Paganorum apud *Sandwicum* ſuperauerũt, & cunctis fere occiſis de nauibus eorum 9. rapuerunt. Anno 853. *Burhredus* Merciorum Rex ſuffultus auxilio *Ethelwlfi* regis Mediterraneos Brittones aggreſſus eſt, vicit, & ſuæ ditioni ſubegit. Eodem anno rex *Ethelwlfus* filium ſuum *Elfredum* cum eſſet annorum 5. Romam

nam cum multo nobilium agmine tranſmiſit; quem ſanctus *Leo* Papa ſui patris rogatu ordinans vnxit in regem, & in filium adoptionis ſibimet accipiens confirmauit, & ad patrem cum benedictione remiſit. Anno 854. *Wlfre* ſuſcepto pallio confirmatus eſt in Archiepiſcopatum Eboracenſem, regnante *Osberto* ſuper Northimbros; *Eardulfus* quoque ſuſcepit Epiſcopatum Lindisfarnenſem. Ea tempeſtate *Alchere* Comes cum Cantuariis & *Wada* dux cum Suthriis in Inſula Tened contra Paganos acriter pugnauerant, & in primo congreſſu vincentes, tandem plurimis vtrinque cadentibus, vtrique duces occubuerunt. Hoc anno *Ethelwlfus* Occidentalium Saxonū rex tradidit nuptum filiam ſuam Merciorum regi *Burhredo* in villa regia, quæ dicitur Cyppanhane cum affluentia rerum omnium. Anno 855. magnus Paganorum exercitus tota hyeme in Inſula Sceapege, id eſt, in Inſula ouium hyemauerunt: Eodem anno *Ethelwlfus* rex decimam totius regni ſui partem ab omni regali ſeruitio, & tributo liberauit, & in ſempiterno graphio in cruce Chriſti pro redemptione animæ ſuæ, & anteceſſorum ſuorum vni & trino Deo immolauit; ſic quoque magno cum honore Romam perrexit, filiumque ſuum *Elfredum*, quem plus cæteris dilexit, quemque iam antea Romam miſerat, etiam nunc ſecum illo deducens ibidem anno integro remoratus eſt, quo peracto ad patriam ſuam remeauit adducens ſecum *Iuthinam Caroli* Francorum regis filiam; vixit vero poſtquam Romam rediit duobus annis, qui inter cætera bona opera, quæ geſſit, omni anno trecentas manculas denariorum Romam portari præcepit; centum in honore ſancti *Petri* ad emendum oleum, quo impleantur omnia luminaria illius Eccleſiæ in vigilia Paſchæ, & ſimiliter in galli cantu: centum etiam in honore ſancti *Pauli* Apoſtoli eadem de cauſa; centum vero * manculas vniuerſali Papæ Apoſtolico. Defuncto autem illo & apud Wintoniam ſepulto *Ethelbaldus* filius eius duobus, ac dimidio annis Occidentalium Saxonum poſt patrem regni gubernacula * ſuſcepit, & *Iuditham Caroli* regis filiam, quam pater ſuus habuerat, infami ſcelere duxit vxorem. Eadem tempeſtate ſanctiſſimus *Edmundus* ex antiquorum Saxonum proſapia oriundus Orientalium Anglorum regnum ſuſcepit. Anno octingenteſimo ſexageſimo rex *Ethelbaldus* defunctus eſt, & in Syreburna ſepultus, & * *Ethelbrectus* frater ſuus ei ſuccedens, Cantiam ſupremam, Sudſexam quoque dominio ſuo mancipauit, in cuius diebus magnus Paganorum exercitus de mari adueniens, & Wintoniam ciuitatem hoſtiliter inuadens depopulatus eſt: Quibus ad mare cū ingenti præda repedantibus *Oſricus* Hamtunenſium Comes cum ſuis, & *Ethelwlfus* Comes cum Bearrocenſibus viriliter obuiauerūt, conſertoque prælio Pagani paſſim trucidantur, cæteris per fugam diſperſis. *Edelbertus* itaque quinque annis in regno pacifice & amabiliter peractis cum magno ſuorum dolore defunctus eſt, & in Syreburna iuxta fratrem ſuum ſepultus eſt anno 863. Hoc anno ſanctus *Swithunus* Epiſcopus Wintonienſis tranſiuit ad Dominum. Anno octingenteſimo ſexageſimo quarto Pagani hyemauerunt in Inſula Tened, firmumque fœdus cum Cantuariis pepigerunt: quibus pecuniam pro fœdere conſeruando Cantuarii dare promiſerūt; interea tamen vulpino more Pagani noctu clam caſtris erumpentes, fœdere dirupto maioris ſpe lucri, totam Orientalem Cantiæ plagam depopulati ſunt,

al. Mancuſas. *al. rexit* *al. Ethelbertus*

Anno 866. *Ethelredus* regis *Ethelberti* frater Occidentalium Saxonum regni gubernacula ſuſcepit. Eodem anno magna Paganorum claſſis de Danubia Brittanniam aduenit, & in Eaſtangle hyemauit, ibique exercitus ille magna ex parte equeſtris factus eſt. Anno octingenteſimo ſexageſimo ſeptimo prædictus Paganorum exercitus de Orientalibus Anglis ad Eboracam ciuitatem migrauit omnia vaſtando vſque ad Tinemutham. Eo tempore orta ſeditione inter Northimbros regem ſuum legitimum * *Hosbrichtum* nomine regno expulerunt, & tyrannum quendam *Ellam* nomine, non de regali proſapia genitum, in regni apicē leuauerunt; ſed aduenientibus Paganis, pro communi vtilitate aliquatenus ſedata diſcordia, *Osbrictus*, & *Ella* viribus adunatis, & exercitu congregato Eboracum adeunt. Quibus aduenientibus mox Pagani in vrbem refugiunt, & intra mœnia ſe defendere procurant. Quorum fugam & pauorem Chriſtiani cernentes, etiam intra vrbis mœnia eos perſequi & murum frangere cœperunt; cumque iam fracto muro multi Chriſtianorum in ciuitatem ſimul cum Paganis introiſſent, Pagani dolore & neceſſitate compulſi ſuper eos atrociter irrumpunt, cædunt, fugant, proſternunt, intus, & extra; illic maxima ex parte omnes Northimbrenſium cæſi, occiſis duobus regibus, occubuerunt; reliqui vero, qui euaſerunt, pacem cum Danis fecerunt. Quibus prædicti Pagani ſub ſuo dominio regem *Egbertum* præfecerunt, regnauitq; ſuper Northimbros vltra Tine ſex annis. Hæc geſta ſunt Eboraci 11. Kalendas Aprilis feria ſexta ante Dominicā palmarum. Eodem anno *Elſtanus* Epiſcopus Sciteburnenſis Eccleſiæ defunctus eſt, & in Sciteburna ſepultus. Anno 868. Cometis ſtella

Ethelredus *al. Osbrichtum*

manifeſtiſſime viſa eſt. venerabilis *Elfredus* frater *Ethelredi* regis vxorem de Mercia nobilem ſcilicet genere filiam *Ethelredi* Gamorum Comitis, qui cognominabatur *Mucil*, id eſt, magnus, ſubarrauit, & duxit, cuius mater *Eadburga* nominabatur de regali genere Merciorum; venerabilis ſcilicet fœmina & per multos annos poſt obitum patris caſtiſſima vidua letho tenus permanſit. Eodem anno prædictus Paganorum exercitus Northimbros relinquens Notingham adiit, & in eodem loco hyemauit. Cum quibus *Burredus* Merciorum rex pacem pepigit. Anno 869. exercitus prædictus rurſus ad gentẽ Northimbrorum profectus eſt, ibique anno integro permanſit debacchans, & inſaniens, occidens, & perdens plurimos viros, ac mulieres. Anno 870. congregata ſunt Danorum multa millia, quorum duces fuerant *Inguar* & *Hubba*, qui ad Orientales Anglos veniẽtes apud Teoford hyemarunt. Eadem tempeſtate rex *Eadmundus* ſuper omnia regna Orientalium Anglorum regnabat, vir ſanctus & iuſtus per omnia, quique eodem anno contra præfatum exercitum atrociter, & viriliter cum ſuis pugnauit, ſed quoniam Deus eum Martyrio coronandum præuiderat, ibidem glorioſe occubuit. quo anno *Ceolnothus* Archiepiſcopus Doroberniæ defunctus eſt, cui ſucceſſit *Ethelredus*. Anno 871. prædictus Paganorũ exercitus Occidentales Saxones adiens Readingum venit in Meridiana Tameſis fluminis ripa, in illa plaga quæ dicitur Bearrocſcira. tertioque aduentus ſui die, duo Comites eorum cum magna multitudine in prædam equitauerunt, aliis interim vallũ facientibus inter duo flumina, Tameſen, & Cinetan à dextra parte eiuſdem villæ regiæ; quibus *Ethelwlfus* Barrocenſis plagæ Comes cum ſuis in loco, qui Anglice Englefeld, id eſt, campus Anglorum dicitur, obuiauit, vbi animoſe pugnatum eſt ex vtraque parte, quouſque altero Paganorum Comite occiſo, & maxima exercitus parte deleta, cæteriſque fuga lapſis Chriſtiani victoria potirentur. Poſt quatuor vero dies *Ethelredus* rex & *Elfredus* frater eius congregato exercitu Reddinggum venerunt, cædendo & proſternendo vſque ad portam arcis quoſcunque de Paganis inuenire extra arcem poterant. Tandem Pagani totis portis irrumpentes, totis viribus bellum perquirunt, ibique diu & atrociter ex vtraque parte dimicatum eſt, ac demum Chriſtianis terga vertentibus, victoria ceſſit Paganis, ibiq; *Adelwlfus* Comes præfatus occubuit. Poſt quatuor item dies rex *Ethelredus* cum fratre ſuo *Elfredo*, adunata omni virtute exercitum ſuorum, contra præfatum exercitum in loco, qui dicitur Eſchedun (id eſt, mons fraxini) totis viribus, & plena voluntate in bellum prodeunt, ſed Pagani in duas ſe turmas diuidentes æquali teſtudine bellũ parant. Habebant enim tunc duos reges, & multos Comites; concedentes mediam partẽ exercitus duobus regibus; & alteram partem omnibus Comitibus: Quod videntes Chriſtiani etiam ipſi exercitum in duas turmas diuidentes teſtudines teſtudinibus non ſegnius conſtituunt. Sed *Elfredus* citius & promptius ad locum certaminis venit; erat enim tunc frater ſuus rex *Ethelredus* in tentorio in oratione poſitus, audiens Miſſam, nimiumque affirmans ſe inde non diſceſſurum, antequam ſacerdos Miſſam finiret, & diuinũ pro humano nolle deſerere ſeruitium. quæ Chriſtiani regis fides multum apud Deum valuit, vt in ſequentibus declarabitur. decreuerant ergo Chriſtiani, vt *Ethelredus* rex cum ſuis copiis contra duos Paganos reges bellum iniret; *Elfredus* vero frater illius cum ſuis cohortibus contra omnes Paganorum duces belli ſortẽ ſumere deberet. Quibus ita diſpoſitis, cum rex in oratione poſitus moras innecteret, & Pagani parati ad locum certaminis citius adueniſſent, *Elfredus* tunc ſecundarius cum diutius hoſtiles acies ferre non poſſet, niſi aut bello retrorſum cederet, aut ante fratris aduentum in bellum prorumperet, demum viriliter aprino more Chriſtianas copias contra hoſtiles exercitus produxit, ac diuino fretus auxilio, & teſtudine ordinabiliter condenſata confeſtim contra hoſtes vexilla mouet. Tandem rex *Ethelredus* expletis orationibus, quibus erat occupatus, aduenit, & inuocato magno mundi principe, mox ſe certamini dedit. Sed in hoc loco neſcientibus intimandum eſt, quod locus ille certaminis belligerantibus inæqualis erat. Nam Pagani editiorem locum præoccupauerant, Chriſtiani ab inferiori loco aciem dirigebant, erat quoq; in eodẽ loco arbor quædam ſpinoſa, breuis admodum, circa quam hoſtiles inter ſe acies cum ingenti omnium clamore hoſtiliter conuenerunt; cumq; aliquandiu animoſe, & acriter hinc & inde vtriq; pugnarent, Pagani diuino iudicio Chriſtianorũ impetum diutius non ferentes maxima parte ſuorum occiſa, opprobrioſam arripuere fugam. Quo in loco alter de duobus regib. Paganorum & 5. Comites occiſi occubuerunt, & multa millia eorum in eodẽ loco, & per totam campeſtrem Latitudinem Eſchedun vbiq; ſparſim occiſa corruerunt. cecidit ergo illic *Baiſeg* Rex, & Comes *Sydroc* ſenior; & alter Comes *Sydroc* iunior, *Osbernus* Comes, *Freana* Comes, *Haraldus* Comes, & totus Paganorum exercitus vſque ad noctem, & vſq; ad diem alteram (quouſq; ad arcem, qui euaſerant, perueniſſent) in fugam verſus eſt.

His

His itaque geſtis iterum poſt quatuor dies *Ethelredus* rex vna cum fratre ſuo *Elfredo* adunatis viribus contra Paganos pugnaturus Baſengam adiit; quibus hoſtiliter conuenientibus, & diu ſimul certantibus tandem vicere Pagani. Rurſus duobus euolutis menſibus rex *Ethelredus*, & frater eius *Elfredus* cum Paganis, qui ſe in duas diuiſerant turmas apud Meretun pugnantes diu victores exiſtunt, aduerſariis omnibus in fugam verſis; ſed illis in prælium redeuntibus multi ex his, & ex illis corruunt, & Pagani victoria potiuntur.

Elfredus.

Eodem anno poſt Paſcha rex *Ethelredus*, quinque annis in regno per multas tribulationes ſtrenue peractis, defunctus eſt, huic germanus ſuus *Elfredus* in regnum ſucceſſit, anno ab incarnatione Domini 872. hic Poetarum Saxonicorum peritiſſimus, in Dei ſeruitio vigilantiſſimus, & in exequendis iudiciis erat diſcretiſſimus; cui Regina ſua *Elſwiſa* duos filios *Eadwardum*, & *Egelwardum*, & tres filias *Egelfledam* Merciorum dominam, *Ethelgeuam* Sanctimonialem, & * *Elethrutham* peperit. Expleto vno * anno, quo regnare cœpit, in monte qui dicitur * Waltun contra Paganos cum paucis acerrime belligerauit, ſed proh dolor hoſtes victoria potiuntur. nihil enim mirandum, quod Chriſtiani paruum in prælio numerum habebant. erant enim in vno anno octies præliis contra Paganos attriti, in quibus vnus rex Paganorum & nouem duces cum innumeris cohortibus occiſi ſunt. Anno 872. defuncto Hwiciorum Epiſcopo *Alchuno*, ſanctæ Wigornienſis Eccleſiæ nutricius, & vir in diuinis ſcripturis doctiſſimus *Werefrithus* ſeptimo Idus Iunii die Pentecoſtes, ab *Etheredo* Doroberniæ Archiepiſcopo Antiſtes eſt ordinatus; qui iuſſu regis *Elfredi* libros dialogorum beati *Gregorii* Papæ de latinitate in Saxonicam linguam tranſtulit. Eadem tempeſtate Northimbræ regem ſuum *Egbertum*, & Archiepiſcopum ſuum *Wlferum* expulerunt. Paganorum exercitus Londoniam adiit, ibique hyemauit, cum quo Merci pacem pepigerunt. Anno 873. memoratus exercitus Londoniam deſerens in Northimbrorum regionem primum perrexit, & ibi hyemauit in plaga, quæ dicitur Lindeſig apud Torkeſeie, cum quo iterum Merci pacem pepigerunt. *Egbertus* rex Northanimbrorum moriens ſucceſſorem habuit *Riſiggum*, qui tribus annis regnauit. *Wlferus* quoque in ſuum Archiepiſcopatum receptus eſt. Anno 874. ſupra memoratus exercitus Lindiſſe deſerens * Morrerciam adiit, & hyemauit in loco, qui dicitur Reopadun; *Burredus* quoque Merciorum regem de regno ſuo expulerunt anno regni ſui 22. quique Romam adiens ibidem defungitur, & in Eccleſia ſanctę *Mariæ* in ſchola Saxonũ honorifice ſepelitur. Dani quoq; poſt eius expulſionem regnum Merciorum dominio ſuo ſubdiderunt; cõmendauerunt illud cuidam militi ipſius gentis nomine *Ceolwlfo* ea ratione, vt quando vellent ſine dolo accipere & habere poſſent. Anno 875. Paganorũ exercitus Reopadun deſerens in duas ſe diuiſit turmas, cuius altera pars cum * *Alfdano* in regionẽ Northanhimbrorum perrexit, & totam Northanhimbrorũ regionem dominio ſuo ſubdidit. tunc *Erdulfus* epiſc. Lindisfarnenſis, & *Edredus* abbas corpus S. *Cuthberti* de inſula Lindisfarnenſi tollentes per 7. annos paſſim vagabantur; altera autẽ pars exercitus cum * *Gudero*, & *Osbitello*, & *Amundo* tribus regibus apud Granteebrige hyemauit, rex vero *Elfredus* cũ 6. nauibus Paganorum nauali prælio pugnans vnam cepit, cæteræ fugerunt. Anno 876. rex Paganus *Haldenus* Northimbriã ſibimet, ſuiſq; diuiſit. *Riſiggus* rex Northimbrorũ moritur cui ſecundus *Egbertus* ſuccedit. *Rollo paganus* genere Danus cum ſuis Normanniam penetrauit 15. Kal. Decemb. hic primus dux Normannorũ, annis 30. poſtea baptizatus vocatus eſt *Robertus*. præfatus exercitus nocte de Granteebrige exiens, caſtellũ, quod dicitur Werham, intrauit; quorũ ſubitum aduentũ rex Saxonũ cognoſcens fœdus cum eis pepigit, ea conditione, vt ab eius regno diſcederent acceptis obſidibus. Ipſi vero more ſolito obſides & iuramenta non ſeruantes nocte quadam fœdere dirupto, ad Examceſtre, diuerterunt quæ Brittannice dicitur Caerwiſc. Anno 877. exercitus prædictus Examceſtrem derelinquens Cyppanham villam regiam adiit, ibiq; hyemauit. *Elfredus* vero rex his diebus magnas ſuſtinuit tribulationes, & inquietam vitam agebat; eodem denique anno *Inguar*, & *Haldenus* cum 20. & 3. nauibus de Metica regione, in qua hyemauerant, egreſſi vt lupi feroces, poſt multas ibi Chriſtianorum ſtrages patratas, poſt combuſtiones cœnobiorum ad Domnaniam enauigauerunt, & ibi à miniſtris regis *Elfredi* fortiſſimis cum mille ducentis viris occiſi ſunt ante Cinwich, in qua ſe prædicti regis miniſtri, refugii cauſa, concluſerant: rex autem *Elfredus* aperto cõfortatus oraculo per ſanctũ *Cuthbertum* contra Danos pugnauit, quo ipſe ſanctus iuſſerat tempore, & loco; & victoria potitus eſt, ſemperq; deinceps hoſtibus terribilis & inuincibilis erat. rex quippe in Domino confidens, venit cum immenſo exercitu ad locum, qui dicitur Edderandun, quo iuxta Paganorũ immenſas phalanges inuenit ad bellum paratas. Commiſſo itaq; prælio graui per longa tẽpora diei Pagani victi, & proſtrati ſunt; cæteri concluſi regis exercitu, ob famis, & frigoris aſperitatem verentes,

al. Ethel- tritam. *al. menſe.* *al. wilsun* *al. in Or- rerciam* *al. Alfde- ne.* *al. Gu- thrum.*

& regis auſteritatem metuẽtes lachrymoſis precibus pacem poſtulant, & obſides cum iu-
al. Gu- ramentis offerunt. rex vero ipſorum * *Guthnum* nomine Chriſtianum ſe velle fieri teſtatus
thrum eſt: quę rex *Eifredus* omnia cum conceſſiſſet, prędictus Paganorũ rex cum 30. electiſſimis
de exercitu ſuo viris ad eum, in loco, qui dicitur Aalr, peruenit, quem rex *Elfredus* in fili-
um adoptionis ſuſcipiens, de fonte ſacri baptiſmatis eliminauit, & vocauit eum *Ethel-
ſtan*, multiſque muneribus ditauit tam ipſum, quam omnes ſocios eius, qui cum ipſo ba-
ptizati erant. Manſit autem apud regem 12. diebus in magna gloria; cui rex Eſtangliam
dedit, in qua ſanctus *Edmundus* regnauerat. Anno 878. prædictus Paganorum exercitus
de Scippanhame, vt promiſerat Cyrenceſtre adiit, ibique vno permanſit anno. Eodem
vero anno immenſus Paganorum exercitus venit de tranſmarinis partibus in Tameſis
fluuio, & prædicto ſe cuneo ſociauit, quo anno Eclipſis Solis facta eſt inter nonam &
veſperas. Anno 879. Paganorum exercitus de Syrenceſtre egreſſus ad Orientales An-
glos acceſſit, ipſamque regionem diuidentes inhabitare cœperunt. Pagani, qui in In
ſula Hame hyemauerant, Franciam viſitare cœperunt, & apud Gent vno anno peren-
dinauerunt. Anno 880. præfatus exercitus equis aſcenſis in Francorum fines deuenit,
ac Franci conſerto cum eis prælio cum triumpho reuerſi ſunt. Pagani equis adquiſi-
tis, hac illacque diſcurrunt omnia deuaſtantes. his diebus plurima in eadem gente Mo-
naſteria concuſſa ſunt, & deſolata. Nam & fratres cœnobii ſancti *Benedicti* Abbatis ip
ſius reliquias à tumulo, quo locatæ fuerant, eruentes & ſecum auferentes huc illucque
diſcurrebant. Anno 881. prædictus exercitus in vlteriora Franciæ per flumen Mese na-
uibus pertractis, ibidem anno vno hyemauit. Eodem anno rex *Elfredus* nauali prælio
cõfligens cõtra naues Paganorum vicit, & duas cepit occiſis omnibus, qui in eis fuerant.
Poſthæc etiam principes duarum nauium multis vulneribus afflixit, donec armis depoſi-
tis cum ſupplici prece ſeſe illi dederant. Anno 882. ſæpe dictus Paganorum exercitus
occupans Cundoth ibidem per annum graſſatur. exercitus vero, qui ducente *Alfdeno*
Pagano rege, Northimbriam inuaſerat, iam ſine duce remanſerat, occiſo (ſicut ſupra-
dictum eſt) ipſo *Alfdeno*, & *Inguar* à miniſtris *Elfredi* regis. Iam vero ſubactis ſibi indigenis
terræ dominium vſurpauit, ibique manere parauit, & vaſtatas Northimbriæ prouincias
incolere. Tunc ſanctus *Cuthbertus* Abbati *Edredo* per viſionem aſſiſtens præcepit, vt Epi-
ſcopo, & omni exercitui Anglorum, & Danorum diceret, quatenus *Cuthredum* filiũ *Har-
decnut*, quem Dani vendiderant in ſeruũ cuidam viduæ apud Wintingham, dato redem-
ptionis pretio redimerent, & redemptum in regem ſibi leuarent. Quod factum eſt eſt 13.
anno regni *Elfredi* regis. *Gutredo* itaque in regem promoto ſedes Epiſcopalis, quæ prius e-
rat in Lindisfarnenſi Inſula, inſtauratur in Ceſtre (quæ antiquitus dicebatur Cunecaceſtre/)
poſt ſeptem annos tranſmigrationis ex Inſula Lindisfarnenſi. Tunc & legem pacis, quam
& ipſe ſanctus *Cuthbertus* per prædictum Abbatem mandauerat, (vt ſcilicet quicunque
ad corpus illius fugerit, pacem à nullo infringendam per 37. dies habebat) tam rex *Gu-
thredus*, quam *Elfredus* perpetuo conſeruandam cenſuerunt. ad hoc ante, in augmen-
tum prioris Epiſcopatus totam terram inter Tine/ & Teiſeam præfati duo reges omnium
conſenſu ſancto *Cuthberto* perpetuo poſſidendam addiderunt. Iam enim multo ante de-
fecerat Epiſcopatus Haguſtaldenſis Eccleſiæ, quicunque autem hæc ſtatuta, quocunque
ingenio infringere tentauerit, hunc infernalibus pœnis tradendum perpetuo anathema-
te damnauerunt. ſane ad Epiſcopatum Lindisfarnenſem pertinebant antiquitus Lugu-
balia, id eſt, Luel / & Northam / omnes quoque Eccleſiæ ab aqua, quæ vocatur Tweda,
vſque ad Tinam Auſtralem, & vltra deſertum vſque ad Occidentem, pertinebant illo
tempore ad præfatam Eccleſiam. Et hæ manſiones Carnham/ & Culterham / & duæ Ge-
dewrde ad Auſtralem plagã fluminis Teiuete, quas *Ecgredus* Epiſcopus condidit, & Meil-
ros/ & Tigbre/ & Tinigham & Colingham / & Brigham / & Tillemuthe / & Northam
ſupradictam, quæ antiquitus Vbbamford dicebatur. Werewrde quoque ipſius Eccle-
ſiæ poſſeſſio erat, donante rege *Ceolwlfo*, cum omnibus appendiciis ſuis. Hanc enim
manſionem ipſe rex abrenuntians mundo, ſecum Eccleſiæ Lindisfarnenſi contulit; in
qua Monachus factus cœleſti regno militauit. Cuius corpus poſtea delatum in Eccleſiam
ſupradictæ villæ Northam multis ibidem, (vt fertur ab habitatoribus loci ipſius) cla-
ruit miraculis. hoc Rege, iam Monacho facto, efficiente, data eſt Lindisfarnenſis Ec-
al. vel cleſiæ monachis licentia bibendi vinum, vel ceruiſiam. ante enim non niſi lac, * & aquam
bibere ſolebant, ſecundum antiquam traditionem ſancti *Aidani* primi eiuſdem Eccleſiæ
Antiſtitis, & Monachorum, qui cum illo de Scotia venientes, ibidem donante rege *Os-
waldo* manſionẽ acceperãt; & cũ magna diſtrictione Deo ſeruire gaudebãt. Præterea me-

moratus Epiſcopus *Egredus* ædificans Eccleſiam in loco, qui dicitur Geinforde, donauit eam ſancto *Cuthberto*; condidit etiam * Bellingham in Heorterneſſe, & duas alias villas Weclif, & Wigeclif ad Auſtralem plagam fluminis Teiſe, quas ſancto *Cuthberto* ad victum ei ſeruientium dedit; ſimiliter & Wdeceſter, & Hwittingham, & Edulfingham, & Ecwlingham, donante rege *Ceolwlfo*, fuerant antiquitus ſancti *Cuthberti*. Anno 883. *Marinus* Papa ſcholam Saxonum in Roma morantium pro amore, & deprecatione regis *Elfredi* ab omni tributo, & telone liberauit benigne, qui etiam multa dona prædicto regi tranſmiſit, inter quæ dedit ei non paruam illius ſanctæ crucis partem, in qua filius Dei pro ſalute hominum pependit. Prædictus Paganorum exercitus per flumen Sunne adiens Embenum, ibidem per annum graſſatur. Tempore *Elfredi* regis venit Angliam *Iohannes* Scottus vir perſpicacis ingenii, & multæ facundiæ, qui dudum relicta patria, Franciam ad *Carolum Caluum* tranſierat, a quo magna dignatione ſuſceptus, familiarium partium habebatur, tranſigebatque cum eo tam ſeria, quã ioca, indiuiduuſq; comes & menſæ & cubili erat, multæque facetiæ, ingenuique leporis, quorum exempla hodieque conſtant: vt ſunt iſta: Aſſederat ad mẽſam contra regem ad aliam menſæ partẽ, pcedentibus poculis, conſumptiſq; ferculis *Carolus* fronte hilarior poſt quædam alia, cum vidiſſet *Iohannem* quiddam feciſſe, quod Gallicanam comitatem offenderet, vrbane increpauit, & dixit, quid diſtat inter ſottum & Scottum? retulit ille ſolemne conuitiũ in auctorẽ, & reſpondit menſa tantum: quid hoc dicto facetius? interrogauerat rex de morum differenti ſtudio, reſpondit *Iohannes* de loci diſtante ſpacio. Nec vero rex commotus eſt, quod miraculo ſcientiæ ipſius captus, aduerſus magiſtrum nec dicto inſurgere vellet: ſic enim eum vſitate vocabat. Item cum regi conuiuanti miniſter patinam obtuliſſet, quæ duos piſces prægrandes, adiecto vno minuſculo, contineret, dedit ille magiſtro, vt accumbentibus duobus iuxta ſe clericis departiretur; erant illi giganteæ molis, ipſe perexilis corporis: Tunc qui ſemper aliquid honeſti comminiſcebatur vt lætitiam conuiuantium excitaret, retentis ſibi duobus maioribus, vnum minorem duobus diſtribuit, arguenti iniquitatem participationis regi, immo, inquit bene feci, & æque. Nam hic eſt vnus paruus de ſe dicens, & duo grandes, piſces tangens; itemque ad eos conuerſus hic ſunt duo magni, clericos innuens & vnus exiguus, piſcem nihilominus tangens. *Caroli* ergo rogatu hierarchiam *Dionyſii* Areopagitæ in Latinum de Græco verbum è verbo trãſtulit, quo fit, vt vix intelligatur latina litera, quæ volubilitate magis, Græca, quam poſitione conſtruitur noſtra. compoſuit etiam librum, quem περὶ φύσεων μερισμοῦ, id eſt, de naturæ diuiſione intitulauit, propter perplexitatem quarundam quæſtionum ſoluendam bene vtilem, ſi tamen ignoſcatur ei in quibuſdam. In quibuſdam certe à Latinorum tramite deuiauit, dum in Græcos acriter oculos intendit, quare & hæreticus putatus eſt, ſcripſitq; contra eum quidam *Florus*. ſunt enim re vera in libro περὶ φύσεων perplurima, quæ niſi diligenter diſcutiantur, à fide Catholicorum abhorrentia videantur. huius opinionis particeps fuiſſe dignoſcitur *Nicolaus* Papa, qui ait in Epiſtola ad *Carolum*, *Relatum eſt Apoſtolatui noſtro, quod opus beati* Dionyſii *Areopagitæ, quod de diuinis nominibus, vel cœleſtibus ordinibus Græco deſcripſit eloquio, quidam vir* Iohannes *Scottus genere nuper in Latinum tranſtulerit. quod iuxta morem nobis mitti, & noſtro iudicio debuit approbari, præſertim cum idem* Iohannes *licet multæ ſcientiæ eſſe prædicetur, olim non ſane ſapere in quibuſdam frequenti rumore dicatur.* Propter hanc ergo infamiam, tæduit eum Franciæ, venitque ad regem *Elfredum*, cuius munificentia illectus, & magiſterio eius, vt ex ſcriptis regis intelligitur, Melduni reſedit. Vbi poſt aliquot annos a pueris quos docebat, graphiis foratus animam exuit tormento graui, & acerbo, vt dum iniquitas valida, & manus infirma, ſæpe fruſtraretur, & ſæpe impeteret, amaram mortẽ obiret, iacuit aliquandiu inhonora ſepultura in beati *Laurentii* Eccleſia, infandæ cædis conſcia, ſed vbi diuinus fauor multis noctibus ſuper eum lucem indulſit igneã, admoniti monachi in maiorem tranſtulerunt Eccleſiam, & ad ſiniſtram altaris poſuerunt. Anno 884. ſupradictus exercitus Paganorum in duas ſe turmas diuiſit, vna in Orientalem Franciam receſſit, altera rediens in Cantiam, ciuitatem Roueceſtre obſedit, ſed viriliter repugnantibus ciuibus, ſuperueniens rex * *Elfredus* cum exercitu Paganos ab obſidione compulit ad naues, relicta ibi arce, quam ante portas prædictæ extruxerant vrbis, nec non & præda ſua cum hominibus & equis, quos ſecum de Francia adduxerant. quo anno claſſis ab *Elfredo* rege directa ad defenſionem locorum circa Eſtangliam. Cum veniſſent ad oſtium fluminis Stur, inuenerunt ibi 16. naues piratarum, quas omnes comprehenderunt interfectis omnibus, qui in eis erant. qui autem fugere poterant ex Danis cateruatim vndique congregauere naues, conſertoq; nauali prælio cum Anglis, vbi dormiebant ſomno inerti,

al. Billingbam.

al. Alvredus

occiſa eſt inermis multitudo, & Dani victores extiterunt, ea tempeſtate *Karlemannum* Occidentalium Francorum, id eſt, Alemannorũ regem in venatione, ſingulari congreſſu aper dente dilacerans occidit, cuius frater *Ludouicus* præcedenti anno defunctus fuerat, etiam ipſe rex Francorum. Fuerant enim ambo filii *Ludouici* regis Francorum, qui ſupra memorato anno, quo eclipſis ſolis facta eſt, deceſſit. Ipſe quoque filius *Caroli* regis Francorum erat, cuius filiam *Iutthittam* rex Occidentalium Saxonum *Ethelwlfus* duxit reginam: quo anno magnus Paganorum exercitus de Germania in regionem antiquorum Saxonum nauibus aduehitur, contra quos adunatis viribus Saxones, & Friſones bis vno anno pugnauerunt, & victoriam adepti ſunt. Eodem quoque anno *Karolus* Alamannorum rex Occidentalium Francorum regnum, & omnia regna (quæ ſunt inter mare Thirrenum, & ſinum maris, qui antiquos Saxones, & Gallos diuidit) voluntario omnium conſenſu præter Armoricanum regnum accepit. Hic *Karolus* erat filius *Ludouici* regis, *Ludouicus* germanus *Karoli* regis Francorum patris *Iutthittæ* prædictæ; qui duo germani fuerunt filii *Ludouici* qui erat filius *Karoli* magni illius antiqui & ſapientiſſimi, filii *Pippini* regis. Anno octingenteſimo octogeſimo quintoq; memoratus exercitus, qui prius in Orientalium Francorum regnum ſeceſſerat, iterum ad Occidentales Francos rediens per flumen Segene peruenit Pariſium, ibi per annum obſidens ciuitatem, ciuibus viriliter defendentibus, munitionem irrumpere nequibat. *Elfredus* rex poſt incendia vrbium, strageſque populorum Londoniam honorifice reſtaurauit, & habitabilem fecit, quam etiam *Etheredo* Merciorum Comiti commendauit ſeruandam. Ad quem regem omnes Angli & Saxones, qui prius vbique diſperſi fuerant, aut cum Paganis ſine captiuitate erant, venerunt, & voluntarie ſe dominio eius ſubdiderunt. his temporibus præfuit eccleſiæ Cantuarienſi *Plegmundus* Archiepiſcopus. Anno octingenteſimo octogeſimo ſexto, ſupradictus exercitus Pariſium deſerens, nihil ibidem agere præualens claſſem per Segenam, vſque ad locum, qui Cathici dicitur, direxit, vbi per annum graſſantes anno ſequenti oſtium fluminis Iona ſubintrarunt, magnoque regionis damno per annum ibi morati ſunt. Hoc anno *Karolus* rex Francorum ſexta hebdomada, poſtquam ab *Ernulfo* filio fratris ſui de regno fuerat expulſus, moritur: quo defuncto regnum in 5. diuiſum eſt, ſed principalior pars prouenit *Ernulfo*, cui alii 4. fidelitatẽ ſponte ſua iurauerunt, quia nullius eorum ex paterna progenie poterat eſſe legitimus hæres præter ſolum *Ernulfum*: apud illum enim remanſit imperium. talis autem erat regni diuiſio. *Ernulfus* obtinuit regionem ad Orientem *Rheni* fluminis; *Hrodulfus* mediterraneũ regnum, *Odo* Occidentale, *Beorgarus* & *Wido* Longobardiam, omneſque regiones, quæ ex illa parte montis ſunt, ſed hæc ita inter ſe diuiſa regna magnis ſeſe mutuo concuſſerunt bellis, alterque alterum ſe regno pepulerunt

al. Ethelbem reges. hoc anno * *Ethelbem* Comes Wiltunnenſium eleemoſynã regis *Elfredi* detulit Romam. Anno 887. inter innumera bona, quæ rex *Elfredus* geſſit, duo nobiliſſima conſtruxit monaſteria; vnum monachorum in loco, qui dicitur Ethelingege, i. nobilium inſula, vbi diuerſi generis adunatis monachis primitus *Iohannem* presbyterũ, & monachũ, genere Ealdſaxonem abbatem conſtituit: aliud quoque monaſterium iuxta Orientalem portam Sceaftesbrig habitationi ſanctimonialium nobile conſtruxit: in quo propriam filiã *Ethelgeofam* deuotã Deo virginem, Abbatiſſam conſtituit. Quæ duo monaſteria terrarum poſſeſſionibus, omnibusq; diuitiis locupletauit. Anno 888. *Ethelfredus* Archiepiſcopus Dorobemiæ defunctus eſt, cui *Pleigmundus* ſucceſſit. Anno 889. *Guthrumnus* rex, quẽ (vt præfati ſumus) de ſacro fonte rex *Elfredus* ſuſcipiens nomẽ ei *Ethelſtanũ* impoſuit, hoc anno obiit. hic in Orientali Anglia cũ ſuis habitauit, & prouinciam illam poſt martyrium ſancti regis *Eadmundi* primitus incoluit & poſſedit. Anno 890. *Wlferus* Archiepiſcopus Eboracenſis

al. forte myoparonibus. obiit anno ſui archipræſulatus 39. Anno 892. rex paganus *Heſteng* cum 80.* paronibus oſtium Tamenſis intrans munitionẽ ſibi apud Middletun ædificauit. Anno 893. *Guthredus* rex Northimbrorũ obiit. Northimbrenſes pagani pacẽ cum *Elfredo* iuramentis ſtabiliere. Anno 894. pagani naues ſuas per fluuium Tameſen, & poſtmodum per amnem Ligeam ſurſum traxerunt, ſibique munitionem prope ipſum amnem 20. milliariis à Londonia ædificare cœperunt. Anno 895. æſtatis tempore, magna pars ciuium Londonienſium, & de vicinis locis quamplures, munitionem, quam ſibi pagani conſtruxerant, deſtruere moliebantur, ſed illis fortiter reſiſtentibus Chriſtiani in fugã vertuntur, quatuorq; de miniſtris regis *Elfredi* occiduntur. Anno 896. Paganorũ exercitus in Eſtanglia, & Northimbria reſidentium furtiuã prædam circa ripas maris agentes terram Occidentalium Saxonũ grauiter vexabant, maxime longis, celeribusq; nauibus, quas ipſi ante plures annos fabricarant, aduerſus quos bis lõgiores, * acutiores, celeriores, minusq; nutãtes ex præcepto regis *Elfredi* fabricantur naues, quarũ violentia prædictæ naues hoſtiũ ſuperari poſſent. Quibus

al. altiores.

in ma-

in mare miſſis, mandat Rex, vt quos capere poſſent viuos caperent, & quos viuos capere non poſſent, occiderent; vnde actum eſt, vt eodem anno triginta naues Danicorum piratarum comprehenderentur, quorum quidam occiduntur, quidam ad Regem viui perducuntur, & in patibulo ſuſpenduntur. Anno 897. *Rollo* primus Normannorum dux cum exercitu ſuo Carnotenſem ciuitatem obſedit, ſed Epiſcopus eiuſdem ciuitatis *Walzelmus Richardum* Burgundiæ ducem, & *Ebalum* Pictauenſem Comitem in ſuum prouocans auxilium, & tunicam ſanctæ Mariæ in manibus ferens, *Rollonem* ducem diuino nutu fugauit, & ciuitatem liberauit. Anno 898. *Ethelbaldus* Archiepiſcopus Eboracenſis ordinatur. anno ab incarnatione Domini 899. Rex *Elfredus* piiſſimi Regis *Ethelwlfi* filius 29. annis, ſexq; menſibus regni ſui peractis, indictione quarta, mortem obiit, 5. Kalend. Nouembr. & Wintoniæ in nouo monaſterio ſepultus eſt.

Huic filius eius ſucceſſit *Edwardus* cognomento ſenior, literarum cultu patre inferior, ſed dignitate, potentia pariter & gloria ſuperior. Nam (vt in ſequentibus clarebit) multo latius, quam pater fines regni ſui dilatauit. Siquidem ciuitates multas ædificauit, nonnullas vero deſtructas reſtaurauit; totam Eſtſaxoniam, Eſtangliam, Northimbriam, pluresq; etiam Merciæ prouincias, quas Dani multo poſſederant tempore, manibus illorum potenter extorſit; Merciam poſt obitum ſuæ Germanæ *Ethelfredæ* totam obtinuit, & poſſedit, Scottorum, Cumbrorum, Stretcluidwallorum, omneſq; Occidentalium Brittonum Reges in deditionem accepit, reges & duces ab eo prælio victi, cæſique quamplurimi, ex muliere nobiliſſima *Egewinna* filium ſuum primogenitum *Ethelſtanum*; ex Regina autem ſua *Edgiua* filios tres: *Edwinum*, *Eadmundum*, *Edredum*, filiamque Deo deuotiſſimam virginem *Eadburgam*, treſque inſuper habuit filias; quarum vnam *Otto* Romanorum Imperator octogeſimus nonus, alteram vero in coniugem habuit Rex Occidentalium Francorum *Karolus*, cuius amitam, *Karoli* ſcz. Imperatoris filiam, vxorem duxit Rex Occidentalium Saxonum *Ethelwlfus*; tertiam autem filiam in vxorem habuit Rex Northanhimbrorum *Sithricus*. Hoc anno *Erdulfus* Epiſcopus Lindisfarnenſis obiit, cui *Guthredus* ſucceſſit: *Osbrichtus* etiam regno pulſus eſt. Anno 900. ſtrenuiſſimus dux *Athulfus*, *Ealwita* reginæ matris Regis *Eadwardi* germanus, & venerabilis Abbas de Scotia *Virgilius* obierunt, ſanctus & presbyter *Grimbaldus*, vnus magiſtrorum *Elfredi* regis, gaudia ſcandit regni cœleſtis. anno 902. Cantuarienſis cum multitudine Danicorum piratarum in loco qui Holme dicitur, pugnauerunt, & victores extiterunt. Anno 903. religioſa Chriſti famula regina *Elshwitha* mater regis *Eadwardi* vita deceſſit, quæ ſanctimonialium monaſterium Wintoniæ conſtruxit. Anno 904. Paganorum exercitus de Eſtanglia, & Northimbria inuictum eſſe Regem *Eadwardum* ſcientes, pacem cum eo faciunt in loco, qui lingua Anglorum Thitingaford dicitur. Anno 905. ciuitas, quæ Karlegion Brittannice, & Legaceſtria dicitur Saxonice, iuſſu *Etheredi* ducis, & *Egelfleda* reſtaurata eſt. Anno 906. ſancti *Oſwaldi* Regis & martyris oſſa de Bardonig in Merciam translata ſunt, Rex inuictiſſimus *Eadwardus*, quia pactum, quod ſecum Dani pepigerant, præuaricati ſunt Weſtſaxonum & Merciorum exercitum in Northimbriam miſit, qui cum illuc veniſſent per 40. ferme dies eam deuaſtare non ceſſantes, quamplures occiderunt Danorũ; & Reges, duceſque eorum cum Rege *Eadwardo* pacem, quam fregerant redintegrare compulerunt. Anno 907. in prouincia Steffordenſi in loco, qui dicitur Teotenhale / inter Anglos & Danos inſigne prælium actum eſt; ſed Angli potiti ſunt victoria. Anno 908. *Etheredus* ſubregulus Merciorum vir magnæ probitatis vita deceſſit, poſt cuius mortem vxor EGELFLE[illegible]A illius Regis *Elfredi* filia regnum Merciorum, exceptis Lundonia & Oxenforda (quas ſuus germanus Rex EADWARDVS ſibi retinuit) non breui tempore ſtrenuiſſime rexit. Anno 909. *Egelfleda* Merciorum domina, 2. Non. Maii cum exercitu in loco, qui Sceargete dicitur, venit, ibidemque arcem munitam conſtruxit, dehinc in Occidentali plaga Sabrinæ fluminis, in loco, qui dicitur Brige / aliam. Anno 910. æſtatis initio *Egelfleda* Merciorum domina cum Mercenſibus ad Tamuirting perrexit, ipſamque vrbem reſtaurauit. *Niel* Rex occiſus eſt à fratre *Sithrico*. Anno 911. defuncto * Wiciorum Epiſcopo Wigorniæ *Werfreto* magnæ ſanctitatis viro, & ſcientiæ, qui (vt ſupra dictum eſt) Regis *Elfredi* rogatu dialogum beati *Gregorii* Papæ in Saxonicam verterat linguam *Athelhunus* ſucceſſit. EGELFLEDA Merciorum Domina vrbem condidit, quæ Eadesbirig dicitur, & in fine Autumni alteram, quæ Warewic nominatur. Anno 912. Rex inuictiſſimus *Eadwardus* ante feſtiuitatem Sancti *Martini* Badefordam adiit, & eam cum habitatoribus eius in deditionem accepit, ibidemque per triginta dies moratus vrbem in Auſtrali plaga amnis Uſecondi præcepit. Anno 913. *Egelfleda* Merciorum Domina in terram Brittonum ad expugnandam arcem apud Brutenas

Edwardus.

* *al. Hwicciorum.*

mere miſit exercitum, qui expugnata arce vxorem regis Brittonum cum triginta quatuor hominibus captiuos in Merciam adduxerunt. Anno 914. *Egelfleda* Merciorum Domina ante Kalend. Auguſti Dorbeiam infringendo expugnauit, ipſamque prouinciam obtinuit: cuius miniſtri quatuor de charioribus in porta vrbis fortiter pugnantes occiſi ſunt. Anno 915. *Egelfleda* Merciorum Domina inſignis prudentiæ, & iuſtitiæ, virtutisque eximiæ fœmina octauo anno, ex quo ſola regnum Merciorum ſtrenuo moderamine rexit, 19. Kalend. Iulii obiit, & vnicam filiam ſuam *Elfwinam* ex *Etheredo* ſubregulo ſuſceptam hæredem regni reliquit; cuius corpus Glauornam delatum in eccleſia ſancti *Petri* eſt honorifice tumulatum. Anno 916. rex *Eadwardus* miſit in Northimbriam Merciorum exercitum, vt vrbem Mamceceſtre inſtaurarent, & in ea fortes milites collocarent, poſthæc *Elfwinna* neptæ ſuæ poteſtatem regni Merciorum penitus ademit, & in WeſtSaxoniam duci præcipit, Rex quoque *Sitricus* infregit Deuenport. Anno 917. rex Scottorum cum tota gente ſua, & *Reginaldus* rex Danorum cum Danis & Anglis Northimbriam incolentibus, rex autem Streeglendwallorum cum ſuis regem *Eadwardum* ſeniorem ſibi in patrem & dominum elegerunt, firmumque fœdus cum eo pepigerunt. Anno 918. *Clito Ethelwardus*, regis *Eadwardi* germanus 17. Kalend. Nouembris defunctus, in Wintonia ſepelitur, Hwictiorum epiſcopo *Athelhuno* defuncto, *Wilfretus* ſuccedit. Anno ab incarnatione Domini, 919. inuictiſſimus rex Anglorum *Eadwardus* ſenior, qui cunctis Brittanniam incolentibus Anglorum, Scottorum, Cumbrorum, Danorum pariter, & Brittonum populis glorioſiſſime præfuit, poſt multas res egregie geſtas regni ſui anno 34. in regia villa, quæ Fearndun nominatur, indictione 15. ex hac vita tranſiens, * *Athelſtano* filio ſuo regni gubernacula reliquit, cuius corpus Wintoniam delatum in nouo monaſterio regio more ſepelitur.

al. Ethelſtano.

Athelſtanus

Athelſtanus vero in Kingeſtun, id eſt, in regia villa, in regem leuatur, & honorifice ab *Athelino* Dorobornenſi Archiepiſcopo conſecratur, cuius temporibus oritur puer ſtrenuus *Dunſtanus* in Weſtſaxoniæ finibus. Anno 920. ſtrenuus & glorioſus rex Anglorum *Athelſtanus* ſororem ſuam, cum magno honore & gloria Northanhimbrorum regi *Sitrico* Danica ſtirpe progenito in matrimonium dedit. Anno 921. Northanhimbrorum rex *Sitricus* vita deceſſit, cuius regnum rex *Athelſtanus* filio illius *Cuthfredo*, qui patri in regnum ſucceſſerat, expulſo, ſuo adiecit Imperio. omnes etiam reges totius Albionis regem ſcilicet Occidentalium Brittonum *Huwaldum*, dehinc regem Scottorum *Conſtantinum*, regemque Wentorum *Wuer* prælio vicit, & fugauit. Hi omnes vbi ſe viderunt non poſſe ſtrenuitati illius reſiſtere, pacem ab eo petentes, in loco, qui dicitur Eamotum 4. Idus Iulii, conuenerunt, datoque ſacramento firmum cum eo fœdus pepigerunt. Anno 922. Hwictiorum Epiſcopo *Wilfreto* defuncto ſucceſſit *Kinewoldus*. Anno 923. vir eximiæ ſanctitatis *Fritheſtanus* Wintonienſis Epiſcopus, ordinato pro ſe in Epiſcopatum viro religioſo *Brinſtano*, Wintoniæ reſedit, & anno ſequenti tranſiuit ad Dominum. Anno 924. rex *Athelſtanus* iuſſit *Eadwinum* fratrem ſuum in mare ſubmergi. anno 925. ſtrenuus, & glorioſus rex Anglorum *Athelſtanus*, quia rex Scottorum *Conſtantinus* fœdus, quod cum eo pepigerat, fregit, cum multo exercitu Scotiam tendẽs ad ſepulchrum ſancti *Cuthberti* venit, illiusq; patrocinio ſe, ſuumque iter commendauit, multa & diuerſa dona, quæ regem decerent, ei obtulit, nec non & terras; æterno igni contradens cruciandos, quicunque ei aliquid ex his ſubtraxerint: deinde maxima vi hoſtes ſubegit, Scotiam vsque dum Feoder, & Wertermorum terreſtri exercitu vaſtauit, nauali vero vſque Catenes depopulatus eſt: vnde vi compulſus rex *Conſtantius* filiũ ſuum obſidem cum dignis muneribus illi dedit pace redintegrata rex Weſtſaxoniam rediit. Sanctus *Briſtanus* eodem anno obiit. Anno 935. religioſus monachus *Elfegus* cognomento caluus, beati *Dunſtani* propinquus ſuſcepit Epiſcopatum Wintonienſis Eccleſiæ. Anno 937. Hybernenſium multarumque inſularũ rex paganus *Anlafus* a ſocero ſuo rege Scottorum *Conſtantino* incitatus oſtium Humbræ fluminis valida cum claſſe, id eſt, cum 615. nauibus ingreditur; cui rex *Athelſtanus* fraterque ſuus *Clito Eadmundus* in loco, qui dicitur Brunanburch cum exercitu occurrerunt, & prælio à principio diei in veſperum tracto 5. regulos, ſeptemque duces, quos aduerſarii ſibi in auxilium conduxerant, interfecerunt; tantumque ſanguinis quantum eatenus in Anglia nullo in bello fuſum eſt, fuderunt, & reges *Anlafum* & *Conſtantinum*, regem quoque Cumbrorum ad naues fugere compulerunt, magnoque cum triumpho reuerſi ſunt: Illi vero ſummam infœlicitatem de interitu ſui exercitus conſecuti cum paucis redeunt in ſua.

Eadmundus

Anno ab incarnatione Domini 940. ſtrenuus, & glorioſus rex Anglorum, *Athelſtanus* anno 16. regni ſui, indictione 14. ſexto Kalend. Nouembris, feria 4. apud Glauornam

nam vita deceſſit, & ad Maidulfi vrbem delatus honorifice eſt tumulatus. cui frater ſuus *Edmundus* 18. anno ętatis ſuæ in regnum ſucceſſit. Anno 941. Nordhimbrenſes fidelitati, quam magnifico Regi Anglorum *Eadmundo* debebant, infidelitatem præferentes, Regem Noregenſium *Anlaphum* ſibi in Regem elegerunt. *Richardus* ſenior ſuſcepit Comitatum Normannorum, & tenuit 52. annis, anno autem primo regni *Eadmundi* Regis Rex *Onlaf* primo venit Eboracum, deinde ad Auſtrum tendens Hamtoniam obſedit, ſed nihil ibi proficiens vertit exercitum ad Tamewrde, & vaſtatis omnibus per circuitum dum rediens ad Legaceſtriam perueniret, occurrit ei Rex *Eadmundus* cum exercitu; nec erat ei difficilis pugna, quoniam duo Archiepiſcopi *Odo*, & *Wlſtanus*, placatis alterutrinq; regibus, pugnam ſedauerunt. pace itaq; facta terminus vtriuſq; regni erat Watlingaſtrete/ *Eadmundus* ad Auſtralem plagam, *Onlaf* ad Aquilonalem regnum tenuerunt. *Onlaf* vaſtata Eccleſia S. *Balthéri*, & incenſa Tinninghām mox periit. Inde Eboracenſes Lindisfarnem inſulam vaſtantes multos occiderunt. filius vero *Sitrici* nomine *Onlaf* regnauit ſuper Northimbros. Anno 942. magnificus rex Anglorum *Eadmundus* quinq; ciuitates: Lindicolniam, & Snotingham/ Deorbeiam, Leogereceaſtriam, & Stanfordiam manibus Danorum penitus extorſit; totamq; Merciam in ſui poteſtatem redegit. Hic Dei ſeruo *Dunſtano* ſummus, & eius conſiliis glorioſus. A quo ille diuerſis honoribus ſublimatus Gleſtoniæ in qua educatus eſt Abbatis iure præficitur. Anno 943. magnifico regi *Eadmundo* cum ſua regina Sancta *Elgiua* filium peperiſſet *Eadgarum*, Sanctus *Dunſtanus* audiuit quaſi in ſublimi voces pſallentium, & dicentium: pax Anglorum Eccleſiæ exorti nunc puero, noſtriq; *Dunſtani* tempore. eodem anno idem Rex *Onlafum* Regem, cuius ſupra meminimus de lauacro ſanctæ regenerationis ſuſcepit, regioq; munere donauit, & paruo poſt tempore *Reginaldum* Northimbrorum Regem, dum ab Epiſcopo confirmaretur, tenuit, ſibique in filium adoptauit. Anno 944. magnificus Rex Anglorum *Eadmundus* duos reges *Onlafum*, regis videlicet *Sitrici* filium, & *Reginaldum Guthferthi* de Northimbria expulit, eamque ſuæ ditioni ſubegit. Anno 945. magnificus Rex Anglorum *Eadmundus* terram Cumbrorum depopulatus eſt, illamq; Regi Scottorum *Malculmo* eo tenore dedit, vt terra marique ſibi fidelis exiſteret.

Anno ab incarnatione Domini 946. magnificus Rex Anglorum *Eadmundus* die feſtiuitatis ſancti *Auguſtini* doctoris Anglorum, dum in villa, (quæ Anglice Puleleirice dicitur) ſuum dapiferum *Leonem* à manibus peſſimi cleptoris ne occideretur, vellet eripere, quinq; annis ſeptemque menſibus regni ſui peractis, indictione quarta, ſeptimo Kalendas Iunii, feria tertia, ab eodem interficitur: & Glaſtoniam delatus à beato *Dunſtano* Abbate ſepelitur; cui *Edredus* frater ſuus in regnum ſucceſſit, & à Sancto *Odone* Archiepiſcopo in Kingeſtune Rex eſt conſecratus. Anno 947. *Wlſtanus* Eboracenſis Archiepiſcopus, proceresque Northimbrenſes omnes in villa, quæ dicitur Tadeneſclif/ egregio Regi Anglorum *Edredo* fidelitatem iurauerunt, ſed non illam diu tenuerunt. nam *Eiricum* quendam Danica ſtirpe progenitum ſuper ſe Regem leuauerunt. Anno 948. pro infidelitate Northimbrenſium egregius rex Anglorum *Edredus* totam Northimbriam deuaſtat, in qua deuaſtatione monaſterium, quod dicitur in Hripum à ſancto *Wilfrido* Epiſcopo quondam conſtructum, igne eſt combuſtum: redeunte vero domum Rege, exercitus de Eboraca erumpens ciuitate in loco, qui dicitur Ceſterford/ de extrema parte exercitus Regis multam ſtragem dedit. Vnde Rex nimis offenſus voluit illico redire, & totam illam terram penitus delere. verum hoc cognito Northimbrenſes timore perterriti *Eiricum*, quem ſibi Regem præfecerant, abiecerunt, Regis iniurias honoribus, detrimenta muneribus expleuerunt, cuiuſq; offenſam pecunia non modica placauerunt. Anno 951. ſanctus *Elfegus* cognomento *Caluus* Wentanus Epiſcopus, qui beatum *Dunſtanum* Monachatu, & presbyteratus gradu decorauit, huic vitæ modum fecit; cui *Elſinus* in Epiſcopatum ſucceſſit, * *Oſwel* quoque Rex Brittonum obiit. Anno 952. inclytus Rex Anglorum *Edredus* Eboracenſem Archiepiſcopum *Wlſtanum* in Withanbrig arctam poſuit in cuſtodiam, quia frequenter apud eum certis ex cauſis accuſabatur. Anno 953. *Wlſtano* Eboracenſi Archiepiſcopo à cuſtodia ſoluto, epiſcopalis honor apud Dorceaceſtre reſtituitur. Iam deficientibus, (vt ſupra diximus) Northimbrenſium regibus, qualiter, vel quibus Comitibus ipſa prouincia ſubiacuerit, hic placet inſerere.

Edredus.

al. Owel.

Vltimus regum illius prouinciæ (vt paulo ante dictum eſt) fuit *Eiricus*, quem Northimbrenſes violata fide, quam Regi *Edredo* iurauerant, ſibi regem fecerunt. Quare offenſus Rex iuſſit, vt tota prouincia funditus vaſtaretur. Illico Northimbrenſes expulſo Rege ſuo, & occiſo *Amanco* filio *Onlafi*, iuramentis & muneribus placauerunt regem *Edredum*, commiſſa prouincia *Oſulfo* Comiti, qui regnante Comite poſtmodum *Edgaro*, ſociū

Northimbrenſes Comites.

accepit *Oſlacum*: deinde *Oſulfus* ad Aquilonem plagam Tine/ *Oſlac* vero ſuper Eboracum, & eius fines curas adminiſtrabat. huic ſucceſſit *Walteſ* ſenior, qui ſucceſſorem habuit filium *Vcthredum*. Is cum regnante *Edredo*, Rex *Cnuto* hoſtiliter inuaderet Northimbriam neceſſitate compulſus ſe cum ſuis ad *Cnutonem* contulit, factoque iuramento & obſidibus datis, peremptus eſt à quodam Dano prædiuite *Thurebrando* cognomento Holde/ permittente *Cnutone*, in cuius locum frater eius *Eadulfus Cudel* ſubſtituitur, reliquerat autem Comes *Vcthredus* tres filios; *Aldredum*, *Eadulfum*, *Coſpatricum*: quorum duo primi Comites fuerunt Northimbrorum, alter poſt alterum: tertius vero ſine Comitatus honore habuit filium *Vcthredum*, cuius filius erat *Eadulfus* cognomēto *Rus*, qui poſtea ducem ſe exhibuit eorum, qui *Walcherum* Epiſcopum occiderunt, ipſeque dicitur ſua illum interfeciſſe manu; ſed mox & ipſe à fœmina occiſus, ſepultus eſt in Eccleſia apud Gedewrde/ ſed poſt à *Turgoto* quondam Priore Dunelmenſis Eccleſiæ, & Archidiacono talis inde ſpurcities proiecta eſt. Poſt *Eadulfum Cudel*, *Aldredus* filius præfati Comitis *Vcthredi* ſuſcepto Comitatu in vindictam patris occiſi homicidam *Thurebrandum* occidit. cuius *Thurebrandi* filius *Carl*, & præfatus Comes *Aldredus*, dum vitæ ſuæ inuicem inſidiarentur, tandem repacificantur, ſed non multo poſt *Aldredus* nil mali ſuſpicans dolo in ſylua, quæ Riſewde vocatur, à *Carl*, * [al. coniurato.] comiuramento ſibi fratre, occiditur. Poſt fratris interitum *Eadulfus* Comes efficitur Northimbrenſium, qui cum ſuperbia extolleretur Brittones, id eſt, Wallos ſatis atrociter deuaſtauit, ſed tertio poſt anno cum ad *Hardecnut* reconciliandus in pace veniſſet, interfectus eſt à *Siwardo*, qui poſt illum totius prouinciæ Northimbrorum, id eſt, ab Humbra vſque ad Twedam Comitatum habuit, cui mortuo ſucceſſit TOSTIVS: quo propter graues iniurias quas intulerat Northimbrenſibus de Anglia expulſo, ducatus illius *Morkaro* committitur à Rege *Eadwardo*, & poſtmodum a Rege *Willielmo*. *Morkarus* vero quoniam alias grauibus negotiis impeditus fuerat, Comitatum vltra Tine tradidit *Oſulfo* adoleſcenti, filio præfati Comitis *Eadulfi*. capto poſtmodum, & cuſtodiæ mancipato *Morkaro* Rex *Willielmus* Comitatum *Oſulfi* commiſit *Copſio*, qui erat patruus *Thoſti* Comitis, viro Conſiliario & prudenti. Iſte ſancto *Cuthberto* deuotus donauit ſeruientibus in ſua Eccleſia ſcilicet Dunelmenſi has terras: in Merſcum decem carrucatas terræ & dimidium, & eiuſdem villę Eccleſiam Sancti *Germani*, & in Thortuna duas carrucatas, & in Theſtrota decem bouetas terræ, & in Readecliue dimidiam carrucatam, & in Giſburgam vnam carrucatam terræ. Pulſus a *Copſio* de Comitatu *Oſulfus*, in fame & egeſtate ſiluis latitans, & montibus; tandem collectis quos eadem neceſſitas compulerat ſociis, *Copſium* in Niwebrin concludit, qui inter tumultuantes turbas lapſus, dum lateret in Eccleſia proditus, incendio Eccleſiæ compellitur ad oſtium vſque procedere, vbi in ipſo oſtio manibus OSVLFI detruncatur, quinta hebdomada commiſſi Comitatus quarto Idus Martii. Mox ſequenti autummo, & ipſe *Oſulfus* cum in obuii ſibi latronis lanceam præceps irrueret, illico confoſſus interiit. Quo mortuo *Coſpatricus* filius *Maldredi* filii *Crinani* *Willielmum* Regem adiens, multa emptum pecunia adeptus eſt Comitatum Northimbrenſium, nam ex materno ſanguine attinebat ad eum honor illius Comitatus, erat enim ex matre ALGITHA filia VTHREDI Comitis, quam habuit ex *Elgiua* filia *Ethelredi* Regis. Hanc *Algitham* pater dedit in coniugium *Maldredo* filio *Crinani*. tenuit autem *Coſpatricus* Comitatum, donec ei Rex auferret, imponens illi quod conſilio & auxilio affuit illis, qui Comitem *Robertum Cumin* cum ſuis in Dunelmo peremerant, licet ipſe ibi præſens non fuiſſet, & quia in parte hoſtium fuiſſet, cum Normanni apud Eboracum necarentur. Fugiens ergo ad MALCOLMVM, non multo poſt Flandriam nauigio petit, cui poſt aliquantum tempus Scotiam reuerſo, donauit ei Rex ſupradictus DVNBAR cum adiacentibus terris in Londoneio, vt ex his donec lætiora tempora redirent, ſe ſuoſque procuraret: ſed non multo poſt exacto tempore vſque ad extrema infirmatus, accitis ad ſe *Aldwino* & *Turgoto* Monachis, qui tunc in Meilros pauperes rebus & Spiritu pro Chriſto degebant, confeſſione peccatorum intima, magniſque pœnitentiæ lamentis terminans vitam apud Vbbanfordam, quod eſt Northam, in ipſo Eccleſiæ exitu ſepultus eſt. Dederat autem eis duo Dorſalia honeſta, vt in quocunque loco ſedem manendi acciperent, ea ibidem in ſui memoriam, reponerent quæ adhuc in Dunelmenſi reſeruantur Eccleſia. Iſte *Coſpatricus* eſt pater *Dolfini*, *Waltheni*, & *Coſpatrici*. poſt Coſpatricum datus eſt Comitatus *Waltheno Siwardi* Comitis filio, qui ei tam ex patris, quam ex matris proſapia debebatur. fuerat enim *Siwardi* Comitis filius ex filia *Alfredi* quondam Comitis *Elfleda*. capto poſtmodum *Walteno* commiſſa eſt cura Comitatus *Walchero* Epiſcopo vſq; ad diem occiſionis ſuæ. Inde Rex dedit illum honorem *Albrico*. Quo in rebus difficilibus parum valente, patriamq;

niamque reuerſo idem rex *Robertum* de Mulbrio præfecit Comitem Nordhimbrenſium, ſed eo capto Rex *Willielmus* iunior, & poſt eum rex *Henricus* Northimbriam in manu ſua tenuerunt.

Anno ab incarnatione Domini 955. Egregius Rex Anglorum *Edelredus* decimo anno regni ſui ægrotauit & deſperatus eſt. qui miſſa celeri legatione, confeſſionum ſuarum patrem, beatum ſcilicet *Dunſtanum* abbatem accerſiuit. Quo feſtine ad palatium tendente, & medium iam iter peragente vox deſuper clare ſonuit ipſo audiente. Rex *Edelredus* nunc in pace quieſcit. ad hanc vocem equus, cui inſedit, pondus vocis Angelicæ ferre non valens, abſq; vlla ſeſſoris læſione cum interitu ſuo in terram corruit: Regis autem corpus Wintoniam defertur, & ab ipſo Abbate *Dunſtano* in veteri monaſterio ſepulturæ * honorifice traditur. cuius fratruus *Clito Edwinus* Regis ſcilicet *Eadmundi* & ſanctæ *Elgiuæ* reginæ filius Monarchiam imperii ſuſcepit; & eodem anno in Kingſtone ab *Odone* Archiepiſcopo Rex conſecratus eſt. Anno 956. beatus *Dunſtanus* Abbas Rege Anglorum *Edwino* pro iuſtitia aſcriptus, mare tranſiit, & in monaſterium, quod Blandimum dicitur, ſub exilii ſui tempore manſionem accepit. *Wlſtanus* Eboracenſium Archiepiſcopus ſeptimo Kalendarum Ianuarii defunctus eſt, in Vndalam tumulatur, cui vir reuerendus ſucceſſit *Oskitellus*. *Edwinus* *al. honeſtiſſime.*

Anno 957. rex Anglorum *Edwius*, quoniam in commiſſo regimine inſipienter egit, à Mercenſibus, & Nordhimbrenſibus cōtemptus relinquitur, & ſuus germanus *Clito Eadgarus* ab eis Rex eligitur, ſicque res regum ſciuncta eſt, vt flumen Tamenſe regnum diſterminaret amborum. Mox Rex Mercenſium *Edgarus* beatum *Dunſtanum* Abbatem cum honore, & gloria de exilio reuocauit. Excurſo dehinc parui ſpatii tempore paſtor Wintenſis Eccleſiæ *Coenwaldus* vir magnæ humilitatis, & monaſticæ profeſſionis defungitur. Pro quo beatus *Dunſtanus* ad Epiſcopatum eligitur, & ab *Odone* Dorobernenſi Archiepiſcopo conſecratur. Anno 958. Sanctus *Odo* Doroberniæ Archiepiſcopus Regem Weſtſaxonum *Edwium*, *&* *Elfginam* vel quia, vt fertur, propinqua illius extiterit, vel quia ipſam ſub propria vxore adamauit, ab inuicem ſeparauit. Eodem anno idem Archipræſul vir quidem clarus ingenio, & virtute laudabilis, ſpiritu quoque prophetiæ pollens humanis exceſſit rebus Angelorum manibus ad Paradiſum deductus. huic ſucceſſit Wemſtanus Epiſcopus *Elſſinus*, & pro eo ad Epiſcopatum Wintonienſis Eccleſiæ ordinatus eſt *Brihtelmus*. Anno 959. *Elſſinus* Dorobornenſis Archiepiſcopus, dum Romam pro petendo pallio tenderet, in Alpinis montibus gelu niueq; obſtrictus defecit. Rex etiam Weſtſaxonum *Edwius* quatuor annis regni ſui peractis defunctus Wintoniæ in nouo monaſterio eſt ſepultus, cuius regnum ſuus germanus rex Mercenſium *Edgarus* ab omni Anglorum populo electus (anno ætatis ſuæ 16. aduentus vero Anglorum in Brittanniam quingenteſimo decimo, trecenteſimo autem ſexageſimo tertio ex quo Sanctus *Auguſtinus* & ſocii eius in Angliam venerunt) ſuſcepit, diuiſaque regna in vnum copulauit *Brihtelmus* Dorſetenſium Epiſcopus ad primatum Cantuariæ ſedis eligitur, ſed quia ad tantam rem minus erat idoneus iuſſus à rege Cantuaria diſcedit, atq; ad relictā nuper eccleſiā ſuam redit. Dehinc beatus *Dunſtanus* Eccleſiæ Wigornienſis Epiſcopus nutu diuino, & ſapientium conſilio primæ Metropolis Anglorū Primas, & Patriarcha conſtituitur, à quo & cæteris ſapientibus rex Anglorum ipſe *Eadgarus* decenter inſtructus paſſim improbos oppreſſit, rebelles ſub aſperitatis iugo corrigēdo redarguit, iuſtos & modeſtos dilexit, deſtructas Dei Eccleſias renouauit, & ditauit, abiectis ēt ex cœnobiis clericorum ſcholarū venenis, ad laudem ſummi creatoris monachorum & Sanctimonialiū cateruas aggregauit, & plus q̄ quadraginta monaſteria cum eis conſtitui præcepit, quos omnes vt fratres honorabat, & vt filios chariſſimos diligebat, admonens per ſe paſtores, quos ipſis præpoſuit, vt illos regulariter, & irreprehenſibiliter viuere admonerēt, quatenus Chriſto, & ſanctis eius in omnib. placerent. Anno 960. Sanctus *Dunſtanus* ad Romuleam vrbem profectus indictione tertia pallium à Ioanne Papa ſuſcepit, ſicq; per pacis itinera ad patriam remeauit. Paucis exinde menſibus interiectis regalia petit limina, ianuā regiæ pietatis ſuggeſtione preceq; pulſat humillima, vt religioſum, mitem, humilemq; Monachum ſui prędeceſſoris *Odonis* fratruelem, beatum *Oſwaldū*, quem in timore diuino, ſanctiſq; virtutum operibus, veriſſime probauerat excreuiſſe, promoueret ad pontificale decus Wigornienſis Eccleſiæ. Annuit rex *Eadgarus*, quod ſanctus petebat *Dunſtanus*, & ab ipſo inthronizatus eſt ad ſummum ſacerdotiū beatus *Oſwaldus*. Anno 963. Sanctus *Ethelwaldus* venerabilis Abbas à beato *Dunſtano* educatus, mortuo *Brichtelmo* Epiſcopatū Wintonienſis eccleſiæ ſuſcepit, & eodem anno iuſſu regis, expulſis clericis, vetus monaſterium cum monachis inſtituit. hic namque regem, cuius eximius erat conſiliarius, ad hoc maxime prouoca-

uit, vt clericos à monaſteriis expelleret, & Monachos, Sanctimonialeſq; in eis collocaret. Anno 964. rex Anglorum pacificus *Eadgarus Ordgari* ducis Domnaniæ filiam *Elſthritham* nomine, poſt mortem viri ſui *Elfwoldi* glorioſi ducis Orientalium Anglorum, in matrimonium accepit, ex qua duos filios *Eadmundum & Egelredum* ſuſcepit; habuit etiam prius ex *Egelfleda* candida *Ordmeri* ducis filia *Eadwardum* poſtea Regem & martyrem, & de ſancta *Elſthritha* virginem Deo deuotiſſimam *Editham*. Eodem anno Rex idem Monachos in nouo monaſterio, & in Middletun collocauit, & illis *Ethelgarum*, & iſtis *Kinewardum* Abbates conſtituit. Anno 967. Rex Anglorum pacificus *Eadgarus* in monaſterio Rameſcie (quod auus ſuus Rex *Eadwardus* ſenior conſtruxerat) Sanctimoniales collocauit, ſanctamq; *Meruinnam* ſuper eas Abbatiſſam conſtituit. Anno 968. *Aldredus* Epiſcopus apud ſanctum *Cuthbertum* in Cunecaceſtre vita deceſſit, cui *Elſſinus* in Epiſcopatum ſucceſſit. Anno 969. Rex Anglorum pacificus Eadgarus ſancto *Dunſtano* Dorobernenſis, & beato *Oſwaldo* Wigornenſis, & S. *Ethelwaldo* Wintonienſis Eccleſiæ Epiſcopis præcepit, vt expulſis clericis in maioribus monaſteriis per Merciam conſtructis, monachos collocarent. vnde S. *Oſwaldus* ſui voti compos effectus, clericos Wigornienſis eccleſiæ monachalem habitum ſuſcipere renuentes de monaſterio expulit; conſentientes vero huic ipſe antiſtes monachizauit, eiſq; *Winſinum* magnæ religionis virum loco Decani præfecit. Anno 970. ſancti ac venerabilis antiſtitis *Swithuni* reliquiæ (peractis à ſepultura eius centũ & decem annis) indictione 14. Idus Iulii feria 6. ſublatæ ſunt, & de monumento à S. *Ethelwaldo* venerabili pręſule, & ab *Elſtano* Glaſtonienſis, & *Ethelgaro* noui monaſterii abbatibus, & in Baſilica Apoſtolorum *Petri & Pauli* ſunt reconditæ. Anno 971. *Clito Eadmundus, Eadgari* regis filius obiit, & in monaſterio Rameſege honorifice eſt ſepultus. Non multo poſt *Ordgarus* dux Domnaniæ ſocer Regis *Eadgari* deceſſit, & in Exanceſtre ſepultus eſt. Anno 972. rex pacificus Anglorum *Eadgarus* noui monaſterii eccleſiam à patre ſuo Rege *Eadmundo* inceptam, à ſe vero perfectam honorifice dedicari fecit. Defuncto Eboracenſi Archiepiſcopo *Oskitello* ſuus propinquus S. *Oſwaldus* Wigornienſis epiſcopus pro eo in Archiepiſcopatum eligitur. Anno 973. rex pacificus *Eadgarus* anno ætatis ſuæ 30. indictione 5. Idus Maii die Pentecoſtes à beatis præſulibus *Dunſtano & Oſwaldo*, & à cæteris totius Angliæ præſulibus, antiſtibus in ciuitate Accamanni benedicitur, & maximo honore & gloria conſecratur, & in Regem inungitur. Interiecto deinde tempore ille cum ingenti claſſe Septentrionali Brittannia circumnauigata ad Legionũ ciuitatem appulit, cui ſubreguli eius octo, *Rinath* ſcilicet Rex Scottorum, *Malcolmus* rex Cumbrorum, *Maccus* plurimarum rex inſularũ, & alii quinq; ſcilicet *Duſnal, Sifrethus, Hawaldus, Iacobus, Inchillus*, vt mandarat, occurrerunt, & quod ſibi fideles, & terra mariq; cooperatores eſſe vellent, iurauerunt, cum quibus die quadam ſcapham aſcendit, illiſq; ad remos locatis ipſe clauum gubernaculi arripiens eam per curſum fluminis perite gubernauit, omniq; turba ducum & procerum, ſimili nauigio comitante à palatio ad monaſterium ſancti *Iohannis Baptiſtæ* nauigauit, vbi facta oratione, eadem pompa ad palatium remeauit: quod dum intraret, optimatibus fertur dixiſſe, tunc demum quemq; ſuorum ſucceſſorum ſe gloriari poſſe regem Anglorum fore, cum tot regibus ſibi obſequentibus potiretur pompa talium honorum. Sanctus *Oſwaldus* pallium à *Stephano* 134. Papa ſuſcepit. Anno 974. terræ motus per totam Angliam factus eſt magnus.

Edwardus Martyr.

Anno 975. Anglici orbis baſileus flos, & decus anteceſſorum regum pacificus Rex *Eadgarus* (non minus memorabilis Anglis, quam *Romulus* Romanis, *Cyrus* Perſis, *Alexander* Macedonibus, *Arſaſes* Parthis, *Karolus Magnus* Francis, *Arthurus* Brittannis) poſtquam cuncta regaliter conſummauit, anno ætatis ſuæ 32. regni autem illius in Mercia & Northhimbria 19. ex quo vero per totam Angliã regnauit 16. indictione 3. 8. Idus Iulii, feria quinta, ex hac vita tranſiuit, filiumq; ſuum *Eadwardum* & regni & morum reliquit hæredem; corpus vero illius Glaſtoniam delatum regio more eſt tumulatum. Is itaq; dum viueret 3600. robuſtas ſibi congregauerat naues, ex quibus Paſchali emenſa ſolẽnitate omni anno 1200. in Orientali, mille 200. in Occidentali, 1200. in Septentrionali inſulæ plaga coadunare, & ad Occidentalem cum Orientali claſſe, & illa remiſſa ad Borealem cũ Occidentali, ipſaq; remiſſa cũ Boreali ad Orientalem claſſem remigare: eoq; modo totam inſulam omni ęſtate circũnauigare conſueuerat, viriliter hoc agens ad defenſionem contra exteros regni ſui, & ad ſuũ ſuorumq; ad bellicoſos vſus exercitium. hyeme autẽ, & vere infra regnum vſq;quaq; per omnes prouincias Anglorum tranſire; & quomodo legum iura, & ſuorum ſtatuta decretorum à principibus obſeruarentur. neue pauperes à diuitibus præiudicium paſſi opprimerentur, diligenter ſolebat inueſtigare. In vno fortitudini, in altero iuſtitię ſtudens, in vtroq; reipub. & regni vtilitati conſulens. Hinc hoſtibus circũquaque

que

que timor,& omnium ſibi ſubditorum erga eum excreuerat amor; cuius diſceſſu totius regni ſtatus eſt perturbatus,& poſt tempus lætitiæ,quod illius tempore vigebat pacifice, cœpit tribulatio vndiq; aduenire. Nam princeps Merciorum *Elferus*, complureſq; regni primates,magnis obcæcati muneribus,Abbates cum monachis de monaſteriis, in quib. rex pacificus *Eadgarus* eos locauerat, expulerunt, & clericos cum vxoribus ſuis introduxerunt,ſed huic veſaniæ viri temerarii,dux Orientalium Anglorum *Ethelwinus* Dei amicus,& ſuus germanus *Elfwoldus*,& *Brithnothus* Comes vir religioſus reſtiterũt, & in Synodo conſtituti ſe nunquam ferre poſſe dixerunt, vt monachi eiicerentur de regno, qui omnem religionem tenuerunt in regno. congregato deinde exercitu monaſteria Orientalium Anglorum maxima ſtrenuitate defenderunt,dum hæc aguntur de rege eligendo magna inter regni principes oborta eſt diſſenſio. Quidam enim regis filium *Eadwardum*, quidam vero fratrem eius elegerunt *Egelredum*:quam ob cauſam Archipræſules, *Dunſtanus* & *Oſwaldus* cum coepiſcopis,abbatibus,ducibuſq; quamplurimis in vnum conuenerunt,& *Eadwardum*,vt pater ſuus præceperat,elegerunt, electum conſecrauerũt, & in regem vnxerunt.Cometis ſtella autumnali tempore viſa eſt. Anno 976.fames valida Eſtangliam inuaſit. Anno 977.in Eſtãglia apud villam,quæ Kirding nominatur, maxima Synodus celebratur,dehinc apud Calne regiam villam dũ alia celebraretur, totius Angliæ maiores natu,qui ibidem congregati fuerant,excepto ſancto *Dunſtano*, de ſolario corruerũt: quorum quidam mortui ſunt,quidam vero mortis periculum vix euaſerunt.

Anno ab incarnatione Domini,978.rex Anglorum *Eadwardus* iuſſu nouercę *Elſdritha* reginæ in loco,qui Corueſgate dicitur,à ſuis iniuſte perimitur,& apud Werham non regio more ſepelitur,cuius frater *Egelredus Clito* egregius, moribus elegans,pulcher vultu,decorus aſpectu,indictione ſexta,die Dominica, 8.Kalend. Maii, poſt Paſchalem feſtiuitatem a ſanctis Archiepiſcopis *Dunſtano*,& *Oſwaldo*,& decem Epiſcopis in Kingeſtun,ad regni faſtigium eſt conſecratus.prædixit autem ei ſanctus *Dunſtanus* prophetico ſpiritu plenus,quod multas in regno paſſurus eſſet tribulationes,his verbis. *Quoniam aſpiraſti ad regnum per mortem fratris tui,quem occidit mater tua,propterea audi verbum Domini, hæc dicit Dominus: Non deficiet gladius de domo tua ſæuiens in te omnibus diebus vitæ tuæ interficiens de ſemine tuo quouſq; regnum tuum transferatur in regnum alienum; cuius ritum, & linguam gens cui præſides,non nouit: nec expiabitur niſi longa vindicta peccatum tuum, & peccatum matris tuæ,& peccatum virorum,qui interfuere conſilio eius nequam. Igitur poſt hæc nubes per totam Angliam media nocte nunc ſanguinea nunc ignea viſa eſt. Dehinc in radios diuerſos & colores varios mutata circa auroram diſparuit*. Anno 979.dux Merciorum *Elferus* cum multitudine populi Werham venit, ſanctumq; corpus pretioſi regis & martyris *Eadwardi* de tumulo ſubleuari præcepit, vbi miracula multa facta fuerant: quod dum eſſet nudatum ſanum atque incolume ab omni clade,& contagione inuentum eſt, lotum deinde nouiſq; veſtimentis indutum, ad Sceafteſbiria eſt delatum,& honorifice tumulatum. Anno 980. Suthamtonia à Danicis Piratis deuaſtatur,& eius ciues omnes fere vel occiſi,vel captiui abducti ſunt. Nec multo poſt Tenedland inſulam idem deuaſtauit exercitus.Quo etiam anno ciuitatis Legionum prouincia à Norwegenſibus piratis deuaſtatur. Anno 981. *S. Petroci* confeſſoris monaſterium in Cornubia deuaſtatur à piratis,quæ anno præterito Suthamtoniã vaſtauerunt,qui deinde in Domnania, & in ipſa Cornubia circa ripas maris frequenter prædas agebant. Anno 982. ad prouincias Dorotenſium tres naues piratarum applicuerunt,& Portland deuaſtauerunt.Ciuitas Lundonia igne cremata eſt. Anno 983.dux Merciorum *Alferus* regis Anglorum *Eadgari* propinquus deceſſit,eiuſq; ducatum filius ſuus *Alfricus* ſuſcepit. Anno 984.ſanctus *Ethelwoldus* Wintonienſis Epiſcopus indictione, 2.Kalend. Auguſti è ſeculo migrauit ad Dominum,cui ſucceſſit Batonicus Abbas *Elfegus*. Hic in monaſterio, cui Dhorhirſt vocabulum eſt,religionis habitum ſuſceperat. Anno 986. rex Anglorum *Egelredus* propter quaſdã diſſenſiones ciuitatẽ Hrofi obſedit,& viſa capiendi illã difficultate iratus diſceſſit,& terras *S. Andreæ* Apoſtoli deuaſtauit.Dux Merciorum *Alfricus Alferi* ducis filius Anglia expellitur. An.987.hoc anno duæ retro ſeculis Anglorũ genti incognitę peſtes,ſc.febres hominũ,& lues animalium,quę Anglice Scitha nominatur,Latine aũt fluxus interaneorum dici poteſt, totam Angliam plurimum vexauerunt, & clade perualida tam homines afficiendo, quam animalia penitus conſumendo per omnes fines Angliæ indicibiliter ſæuierunt. Anno 988. Weecedport à Danicis Piratis deuaſtatur,à quibus ſatrapa etiam Domnaniæ *Goda* nomine,& miles fortiſſimus *Stremewoldus* cũ aliis nõnullis perimuntur,ſed tamen ex illis plurib.occiſis, Angli loco dominantur fluminis, beatus *Dunſtanus* Archiepiſcopus indictione prima,14.Kalend.Iunii,Sabbato ex hac vita tranſiuit,& cœli regna petiuit,pro quo *Ethelgarus* Scoleſigenſis Epiſcopus Archipræſulatũ ſuſ-

Egelred. *al. Ethelredus*

cepit,& vno anno tribusque menſibus tenuit. Anno 989. defuncto *Aldredo* archiepiſcopo *Aldunus* ſucceſſit. Anno 991. Gippeſwic à Danis depopulatur. Horum duces fuerunt *Iuſtinus*, & *Guthmundus* filius *Steuani* cum quibus non multo poſt ſtrenuus dux Orientalium Saxonum *Bricthnothus* iuxta Meldunam prælium commiſit, ſed vtrinq; multitudine occiſa ipſe dux occubuit, Danica vero fortuna vicit. Quo inſuper anno *Sirici* Dorobornēſis archiepiſcopi,& ducum *Athelwardi*,& *Alfrici* conſilio Danis tributum, quod erat decem librarum, primitus datum eſt, vt à crebris rapinis, incendiis, & hominum occiſionibus, quas circa maris ripas frequenter agebant deſiſterent, pacemque firmam cum iis tenerent. Sanctus *Oſwaldus* Archiepiſcopus monaſterium Ramelc, quod ipſe, & Dei amicus dux Orientalium Anglorum *Ethelwinus* conſtruxerant diuino adiutus auxilio,& confortatus adminiculo 6. Idus Nouembris, feria tertia dedicauit. Anno 992. ſanctus *Oſwaldus* Archiepiſcopus indictione quinta pridie Kalendas Martii feria ſecunda ante pedes pauperum, vbi mandatum more ſolito faciebat tranſiens ex hac vita, ſicut ante prædixerat, regni cœleſtis gaudio conſcendit,& Wigorniæ in Eccleſia Sanctæ *Mariæ*, quam ipſe à fundamentis conſtruxerat, requieſcit cui venerabilis Medeshanſtudenſis Abbas *Adulfus* ſucceſſit, nec diu poſt exceſſum beati patris *Oſwaldi* egregiæ dux memoriæ *Athelwinus* Dei amicus defunctus eſt, & in Rameſege honorifice ſepultus. Anno 993. prædictus exercitus Danorum Bebbanburg infregit, & omnia, quæ in ea reperta ſunt, ſecum aſportauit. Dehinc ad oſtium Humbre fluminis curſum ſuum dirigens in Lindiſſege, & Northimbria multis villis incenſis, hominibuſque cæſis magnam prædam cepit; contra quos prouinciales quamplures conglobati properanter aſcenderunt, ſed cum prælium eſſent commiſſuri duces exercitus *Frana* videlicet, *Frithegiſtus*, & *Godewinus*, quia ex paterno genere Dani fuerunt, ſuis inſidiantes authores fugæ primitus extiterunt Anno 994. *Anlafus* rex Noreganorum, & *Swanus* rex Danorum die Natiuitatis ſanctæ *Mariæ* cum 94. trieribus Lundoniam aduehuntur; quam mox infringere,& incendere conantur, ſed Dei ſuæque genitricis *Mariæ* iuuamine non ſine paruo ſuo exercitus detrimento à ciuibus repelluntur. Vnde furore ſimul & triſtitia exaſperati eadem die receſſerunt inde, & primitus in Eſtſaxonia, & Cantia, circaque ripas maris, deinde in Suthſaxonia, Suthamtonenſique prouincia villas incendunt, agros deuaſtant, & ſine reſpectu ſexus, vel ætatis quamplures ferro, & flamma abſumunt, prædamque ingentem agunt; ad poſtremum vero equos ſibi rapientes multaſque prouincias debacchando diſcurrentes, nec ſexui quidem muliebri, nec innocuæ paruulorum pepercerunt ætati, quin vniuerſos atrocitate ferina contraderent morti. tunc rex *Egelredus* procerum ſuorum conſilio ad eos legatos miſit promittens tributum & ſtipendium, ea conditione illis ſe daturum, vt à ſua crudelitate omnino deſiſterent. qui petitioni regis adquieſcentes ad ſuas reuerſi ſunt naues, & ſic ad Suthamtun totus congregatus exercitus, ibidem hyemauerunt. Quibus de tota Weſtſexonia ſtipendium dabatur; de tota vero Anglia tributum, quod erat ſexdecim librarum dependebatur; Interea iuſſu regis *Egelredi* Wintonienſis Epiſcopus *Elfegus*, nobiliſque dux *Ethelwaldus* regem *Alafum* adierunt, obſidibuſque datis illum ad regiam villam Andeafaran, vbi rex manebat cum honore deduxerunt. Quem rex honorifice ſuſcepit, & confirmari ab Epiſcopo fecit, ſibique in filium adoptauit, & regio munere donauit, ille vero ſe non amplius ad Angliam cum exercitu venturum regi *Egelredo* promiſit,& poſt hæc ad naues rediit, æſtate quoque imminente ad patriam deuectus ſua promiſſa bene cuſtodiuit. Anno 995. *Aldunus* Epiſcopus tranſtulit de Ceſtre in Dunholm corpus ſancti *Cuthberti*. Anno 996. *Elfricus* Doroberniæ Archiepiſcopus conſecratur. Anno 997. Danorum exercitus, qui remanſerat in Anglia circumnauigata Weſtſaxonia oſtium Sabrinæ fluminis intrauit, & nunc Septentrionalem Brittanniam, nunc Cornubiam, nunc in * Domnaniam Weſedport deuaſtauit, villiſque quamplurimis incenſis multas hominū ſtrages dedit, deinde Penwithſteord regyrato in oſtium fluminis Tamere, Domnaniam & Cornubiam ſequeſtratis nauibus deuectus proſiliuit, nulloque prohibente, vſque ad Lidefordam ſuum continuauit incendium, & cædes hominū reiterauit, ad hæc etiam *Ordulfi* primatis monaſteriū, quod Tauſtotze dicitur, combuſſit, ingentiq; præda onuſtus ad naues repedauit, eodemq; in loco hyemauit. Anno 998. memoratus exercitus Paganorum oſtiū fluminis, quod dicitur Frome, appulſus Dorſetaniā repetiit,& more ſolito prædæ inſtitit,& quotieſcunq; inuecta iacuit de Suthſaxonia, & Suthamtunenſi prouincia ſibi victum accepit, aduerſus tantam tempeſtatem multoties congregatus exercitus eſt, ſed quoties prælium eſſent cōmiſſuri Angli, aut inſidiis, aut aliquo infortunio impediti terga verterunt,& hoſtibus victoriā dederunt. Anno 999. ſæpe dictus exercitus Paganorū oſtiū Tameſis fluminis ingreſſus per flumen Meodewege, Roucceſtre aduehitur,

* al. Dompnaniam.

aduehitur. eamq; paucis diebus obſidione cinxit, ad quos repellendos conglobati Cantuarienſes aſperum cum iis prælium ineunt, ſed multis ex his, & ex illis cæſis Dani loco dominantur *fluminis: hinc equites effecti occidentalem Cantiæ plagam fere totam ſunt *al. funeris* demoliti. qua re cognita rex Anglorum *Egelredus* ſuorum primatum conſilio, & claſſem, & pedeſtrem congregauit exercitum. Verum dum paratæ erant naues duces exercitus moram de die in diem cœptis innectentes populum grauiter vexabant. Ad vltimum vero nec pedeſtris, nec claſſica manus quicquam communis vtilitatis agebat præter populi laborem, pecuniæ perditionem, hoſtium incitationem: Anno milleſimo Danorum claſſis præfata Normanniam petiit, rex Anglorum *Egelredus* terram Cumbrorum depopulatus eſt, hic ſuæ claſſi mandauit, vt circumnauigata Septentrionali Brittannia in loco conſtituto ſibi occurrerent, ſed vi ventorum præpedita non potuit, inſulam tamen quæ 𝔐𝔬𝔫𝔢𝔤𝔢 dicitur, deuaſtauit. Anno 1001. memoratus exercitus Paganorum de Normannia Angliam reuectus oſtium fluminis 𝔈𝔞𝔯𝔢 ingreditur, & mox ad expugnandam vrbem Exanceſtriam egreditur; ſed dum murum illius deſtruere moliretur, a ciuibus vrbem viriliter defendentibus repellitur. Vnde nimis exaſperatus, more ſolito villas ſuccedendo, agros depopulando, homines cædēdo, per Domnaniam vagatur: quare Domnanienſes, & Sōmerſeatunenſes in vnum congregati in loco qui dicitur 𝔓𝔢𝔫𝔥𝔬𝔲, certamen cū eis ineunt. Sed Angli pro militum paucitate Danorum multitudinem non ferētes fugam capeſſunt: illi vero multa ſtrage facta victores exiſtunt, deinde adeptis caballis per totam fere Domnaniam peiora prioribus mala geſſerunt, ingentiq; præda capta naues reperierunt. Inde ad Vectam inſulam curſum direxerunt & modo in ea, modo in Suthamtonia, modo in Dorſetania nullo obſiſtente diu ſolitæ prædæ inſtiterunt, & in homines ferro, & in villas igne ſunt in tantum graſſati; vt cum illis nec claſſica manus nauali, nec pedeſtris exercitus certare auderet prçlio terreſtri. Idcirco & regi non parua mœſtitia, & populo incredibilis triſticia inerat. Anno 1002. rex Anglorum *Egelredus* habito concilio cum regni ſui primatibus, vtile duxit a Danis dextras accipere, illiſq;, vt à malis ceſſarent, ſtipendium dare, & placabile tributum ſoluere: huius rei gratia dux *Leoſſius* ad eos tranſmiſſus eſt, qui cū veniſſet ſtipendium, & tributum, vt acciperent, flagitauit: illi vero legationem eius libenter amplectentes petitis adquieuerunt, & pro tenenda pace quantum tributi ſibi diſpenderetur, ſtatuerunt. nec diu poſt viginti quatuor libræ illis perſoluebantur. Interea idem dux *Leoſſius* nobilem virum *Eaſig* ſummum regis præpoſitum occidit, vnde rex ira ſuccenſus, patria illum expulit. Eodem anno rex *Egelredus* vxorem duxit *Emmam* Saxonice *Elgiuam* *al. Edelredus* vocatam, ducis Normannorum *Richardi* primi filiam. *Ardulfus* Archipræſul Eboracēſis Metropolis Abbatibus, presbyteris, monachis, religioſis quoq; viris aggregatis *S. Oſwaldi* Archipræſulis oſſa anno regis *Egelredi* 25. indictione 26. 17. Kalend. Maii, feria 4, è tumulo leuauit, & in ſcrinio, quod apparauerat, honorifice locauit, & nō multo poſt, id eſt, Pridie Non. Maii ipſe defunctus in Eccleſia ſanctæ *Mariæ* Wigorniæ eſt ſepultus, cui ſucceſſit Abbas *Wlſtanus*. Quo etiam anno rex *Egelredus* omnes Danos Angliam incolētes maiores & minores vtriuſq; ſexus iuſſit occidi, quod illum ſuoſq; primates vita regnoq; priuare, & totius Angliæ dominium ſuæ ditioni conati ſunt ſubdere. Anno milleſimo tertio, rex Danorum *Swein* per incuriam, & proditionem Normannici Comitis *Hugonis*, quem regina *Emma* Domnaniæ præfecit, ciuitatem Exceſtram infregit, ſpoliauit, murum ab Orientali vſq; ad Occidentalem portam deſtruxit, & cum ingenti prçda naues reperiit. Poſt hæc vero cum Wiltonienſem prouinciam deuaſtaret, fortis exercitus de Suthamtunenſi & Wiltunenſi prouincia congregatus viriliter & conſtanter aduerſus hoſtes pugnaturus aſcendit, ſed cum tam prope eſſent exercitus, vt alter alterum videre potuiſſet. *Alfricus* dux ſupra memoratus, qui loco ducis Anglis tunc præfuit, antiquas arces ſtatim prodidit, & ſimulata infirmitate vomere cœpit dicens, magnam infirmitatem incurriſſe, & ob hoc cum hoſtibus dimicare non poſſe: cuius inertiam & timiditatem, vt vidit exercitus, à ſuis inimicis ſine pugna diuertit mœſtus, vnde dictum eſt in antiquo Prouerbio; *Tremeſcente duce in prælio cæteri omnes præliatores efficiuntur pauidiores.* *Swein* autem videns Anglorum inconſtantiam ad ciuitatem Wiltoniam ſuum duxit exercitum, eamque deuaſtauit & incendit, ſimili quoque modo Serbiriam conſumpſit, & poſt ſuas naues repetiit. Anno milleſimo quarto, rex Danorum *Swein* cum ſua claſſe 𝔑𝔬𝔯𝔴𝔦𝔠𝔥 aduectus, illam deuaſtauit, & incendit. Tunc magnæ ſtrenuitatis dux Eſtanglorum *Vlfketellus*, quod ex improuiſo venit, nec ſpatium congregandi contra eum exercitum habuit, habito cum maioribus Eſtágliæ conſilio pacem cum eo pepigit, verum ille dirupto fœdere tertia poſt hæc hebdomada cum copiis ſuis latenter è nauibus proſiliens Theodfordam inuaſit, deuaſtauit, nocte vna in ea manſit, & diluculo incendit. quo cognito dux *Vlfketellus* qui-

buſdam de prouincialibus mandauit, vt hoſtium naues cõſringerent, at illi non audebãt, vel iuſſa perficere negligebant. Ipſe vero quam citius potuit, interim clam ſuum congregans exercitum aduerſus hoſtes audacter aſcendit, quibus ad naues repedantibus non æqua manu militũ illis occurrit, duriſſimumq́; cum iis prælium cõmiſit, multiſq́; ex his & ex illis cæſis nobiliores quiq́; de Eſtanglia corruerũt, Dani vero vix euaſerunt, ſed ſi vires Eſtanglorum iam adeſſent, naues ſuas Dani nullo modo repeterent, vt enim ipſi atteſtati ſunt, durius & aſperius bellum in Anglia nunquam experti ſunt, quam quod ille dux *Vlfketellus* intulerat. Anno milleſimo quinto dira, magnaq́; fames Angliam inuaſit. Quapropter rex Danorum *Swein* Danemerciam reuertitur poſt non lõgum tempus reuerſurus. Anno milleſimo ſexto, *Alfricus* Dorobernenſis Archiepiſcopus obiit, cui Wintonienſis Epiſcopus *Elfegus* ſucceſſit, & pro illo *Kenulfus* Epiſcopatum ſuſcepit. Menſe Iulio Danorum claſſis innumera Angliam aducta, portum Sanwicum ſubiit, & cæde & incendio quæq́; conſumens, modo in Cantia, modo in Suthſaxonia maximam prædam egit. ab hoc rex *Egelredus* de Mercia, & WeſtSaxonia exercitum congregauit, & fortiter cum eis dimicare ſtatuit, ſed illi cum eo palam confligere nullatenus voluerunt, verum nunc in his, nunc in illis locis frequenter rapinas exercuerunt, & mox ad naues ſolito more repedabant, eoq́; modo per autumnum Anglorum vexabant exercitum. Quod demum imminente hyeme domum redeunte, illi cum enormi pręda Vectam inſulam adiere, & ibidem vſq́; ad Natiuitatem Domini manſere. qua adueniente, quia rex tunc temporis in Scrobesberienſi prouincia morabatur per Suthamtunenſem prouinciam ad Bearrukeſchire venerunt, & Redingum, & Walingfordum Ceoleſiam, viroſque quamplures combuſſerunt. inde mouentes Eaſſeſdune tranſito Ewichelmelow adierunt, vnde per aliam viam reuertentes, iuxta Kineram incolas loci piratas ad prælium offenderunt, ſtatimq́; cum eis prælium commiſerunt, illoſq́; fugauerunt, & poſtmodum cum præda quam ceperant ad naues repedarunt. Anno milleſimo ſeptimo, rex Anglorum *Egelredus* primatum ſuorum conſilio nuncios ad Danos legans, iis mandauit, quod ſumptus, & tributum eo tenore illis dare vellet, vt à rapinis deſiſterent, & pacem cum eo firmam tenerent; cuius poſtulationi conſenſerunt, & ex eo tempore de tota Anglia ſumptus illis dabatur, & tributum, quod erat 36000. librarum, illis perſoluebatur. Quo etiam anno rex *Egelredus Edricum* quendam cognomento *Streone* Merciorum conſtituit ducem, qui licet regis filium *Edgitam* in coniugium habuiſſet, tamẽ multimoda verſutia perfidus, & patriæ proditor, & publicus hoſtis, vt in ſequentibus apparebit, frequenter expertus, dignum quãdoq́; ſub rege *Cnuto* fraudium ſuarum finem ſortitus eſt. Anno 1008. rex Anglorum *Egelredus* de trecentis & decem caſſatis vnam trierim, de nouem vero loricam, & caſſidem fieri, & per totam Angliam naues intente præcepit fabricari. quibus paratis electos in eis milites cum alimentis poſuit, &, vt ab exterorum irruptionibus fines regni ſui defenderent, illas ad Sãdwicum portum congregauit. Eo tempore frater perfidi ducis *Edrici Streone Brictricus*, homo lubricus, ambitioſus, & ſuperbus apud regem iniuſte accuſauit Suthſaxonicum miniſtrum *Wlnothum*, qui ne caperetur mox fugam iniit, & nouem nauib. adquiſitis circa ripas maris rapinas frequentes exercuit. Vbi autem regiæ claſſi nuntiatum eſt, quod ſi quis illum vellet, facile capere poſſet: octoginta trieribus aſſumptis ad perſequendum illum *Brictricus* profectus eſt, ſed cum diu proſpere nauigaſſet, ſubito validiſſima tempeſtas oborta naues conquaſſauit, diuerberauit, & in aridam proiecit, quas *Wolnothus* non multo poſt exuſſit. Ea re cognita rex cum ducibus, & proceribus domum rediit. claſſis vero iuſſu illius Lundoniam adiit, ſicq́; totius populi labor maximus periit. Anno 1009. Danicus Comes *Turkillus* cum ſua claſſe ad Angliam venit, exinde menſe Auguſto alia claſſis Danorum innumerabilis, cui præerant duces *Hemmingus*, & *Ailafus* ad Tenedlãdam inſulam applicuit, & prædictæ claſſi ſine dilatione ſe iunxit, deinde ambæ Sandwicum portum ſubeunt, & è nauibus proſilientes ciuitatem Cantuariam hoſtiliter adeunt, eamque infringere cœperunt: à quibus mox ciues Cantuarienſes cũ orientalibus Cantuariis dextras petentes acceperunt, & eis tria millia librarum pro firma pace dederũt. Illi autem naues repetentes ad Vectam inſulam curſum direxerũt, deinde in Suthſaxonia, & Suthamtunenſi prouincia circa ripas maris vti conſueuerant, frequenter prædam egerunt, & villas quamplures incenderunt. Quocirca rex *Egelredus* de tota Anglia exercitum congreuit, & per prouincias mari vicinas aduerſus illorum irruptiones locauit. ſed illi pro hoc nõ deſtiterunt, quin pro ſitu vbiq́; locorum rapinas agerent. Quadam igitur vice, dum illi ſolito longius à mari prædatum deſcenderent & onerati pręda redirent, viam, qua ad naues ſuas reuerſuri erant, rex præoccupauit multis armatorum millibus inſtructus, & vt totus exercitus erat, mori vel vincere, paratus. At perfidus dux *Edricus Streona* gener eius, & inſidiis

ſidiis & perplexis orationibus, ne prælium inirent, ſed ea vice ſuos hoſtes abire permitterent, modis omnib. elaborauit. Suaſit, & perſuaſit, & à manib. Anglorum Danos, vt patriæ proditor, eripuit, & abire permiſit. Illi vero diuertentes ab eis, magno cum gaudio ad naues ſuas regreſſi ſunt. Poſt hæc, emenſa ſancti *Martini* feſtiuitate: in Cantiam diuecti, & in Tamenſi flumine hyemalem ſtationem elegerũt, & ſumptus de Eſtſaxonia, aliiſq; prouinciis vtriq; ripæ fluminis vicinis, ſibi rapuerunt. ſæpe etiam Lundoniam ciuitatem aggreſſi, expugnare moliti ſunt, ſed à ciuibus, non ſine paruo ſuorũ detrimento, repulſi ſunt. Anno 1010. memoratus Danorum exercitus, menſe Ianuario, nauibus exilientes, per ſaltum, qui dicitur Cyltern, Heredfordam adeunt, eamq; deuaſtantes incendunt, & ſic in vtraq; parte Tameſis fluminis in redeundo, prædam agunt: quibus cum nuntiatum fuiſſet, exercitum aduerſus illos Lundoniæ congregatum, & cum eis prælium commiſſurũ; pars exercitus per ſeptentrionalem ripam gradientis, in loco, qui dicitur Stane, tranſiuit, & in vnum congregati prædæq; vbertate ditati, per Suthreiam ad ſuas repedarunt naues, quas tempore quadrageſimali, dum conſiſterent in Cantia, refecerũt. Poſt Paſcha Eſtangliam aduecti, & prope Gipeſwic nauibus egreſſi, ad locum, qui dicitur Rigmere, vbi ducem *Vlfketellum* cognouere cum exercitu conſediſſe, perrexerunt, & durum cum eo prælium tertio Non. Maii commiſerunt. ſed cum pugna vehemens eſſet, Eſtangli terga verterunt, quodam Danico miniſtro *Turketello* cognomine *Merenheaued*, fugam primitus incipiente; verum Cantesbritenſes viriliter pugnãtes diu reſtiterunt, victi demum fugerunt. In eo prælio, gener regis *Ethelſtanus*, nobilis miniſter *Oſwius* cum filio, *Wlfricus Leofwini* filius, *Edwius* * *Effuici* germanus, & multi alii nobiles miniſtri, populuſq; innumerabilis corruerunt. Dani vero loco funeris dominati, Eſtangliam obtinuerunt; & equites effecti, tribus menſibus per totam prouinciam diſcurrere, prędas agere, villas cremare, homines & animalia non ceſſabant trucidare; exinde Theodfordam, & Grauntebrigge deuaſtantes cremauerunt; his geſtis pedites nauibus deuecti, equites vero equis ſubuecti, Tameſin fluuiũ repetierunt. Paucis diebus interiectis, iterũ prædaturi exeunt, & recto tramite ad Oxenfordenſem prouinciam tendunt, eamq; primitus, deinde Buckinghamnenſem, Bedefordenſem prouincias, villaſq; cremando homines & animalia trucidando depopulantur, & poſt ad naues ſuas cum ingenti præda regrediuntur. Poſt hæc, circa feſtum ſancti *Andreæ* Apoſtoli, Northamtunam, & in circuitu eius, & quantum volebant, igni tradiderunt; & inde Tameſim fluuium tranſeuntes, Weſtſaxoniam adierunt: & Caningamerſce maioriq; parte Wintonienſis prouinciæ cremata, ſolito more cum præda magna ſuas ad naues circa natale Domini, reuerſi ſunt. Anno 1011. in boreali parte Thameſis, Eſtanglia, Eſtſaxonia, Middleſaxonia, Heordtfordenſi, Bukinghamnenſi, Oxenifordenſi, Bedefordenſi, Grantebrigenſi, prouinciis, medietate quoque Huntedunenſis prouinciæ, magnaque parte Northamtunẽſis pagi; in Auſtrali vero plaga Tameſis fluminis, Cãtia, Suthreia, Suthſaxonia, Suthamtunenſi, Wiltonienſi, Barrokeſchirenſi prouinciis, à prædicto Danorum exercitu, ferro, flammaq; demolitis: rex Anglorum, *Egelredus*, & regni ſui primates, ad illos miſerunt legatos, pacem ab iis petentes, & vt a ſua populatione deſiſterent, ſtipendium, & tributum eis promittentes. quibus auditis, vt rei probauit exitus, non ſine dolo, & ſimulatione, oblatis conſenſerunt. Licet enim eis affluenter ſumptus pararetur, & ad ſua vota tributum penderetur; non tamen deſtiterunt, quin turmatim per prouincias vbilibet diſcurrentes, villas deuaſtarent, rebus ſuis miſeros quoſdam ſpoliarẽt, quoſdam vero necarent. Eodem anno, Danorum exercitus vaſtata magna parte Angliæ, ad vltimum, inter natiuitatem ſanctæ *Mariæ* & ſancti *Michaelis* feſtiuitatem, vrbem Cantuariam circumuallantes obſederunt. Viceſimo autem obſidionis die, per inſidias *Elmeri* Archidiaconi (quem ſanctus *Elphegus* ne morti traderetur, prius eripuit) pars ciuitatis incenditur, exercitus ingreditur, vrbs capitur; alii ferro iugulantur, alii flammis conſumuntur; Plures quoq; de muris præcipites dantur; nonnulli per verenda ſuſpenſi deficiunt; matronæ crinibus per plateas ciuitatis diſtractę, demum flammis iniectæ moriuntur: paruuli à matrum vberibus auulſi, aut lanceis excipiuntur, aut ſuperacto carro minutatim conteruntur.

Interea Archipræſul *Elfegus* capitur, vincitur, tenetur, & variis modis afficitur. * *Ailmarus* Abbas Monaſterii ſancti *Auguſtini*, abire permittitur. Capiũtur *Godwinus* Hrofenſis Epiſcopus, *Leoufruna* Abbatiſſa monaſterii ſanctæ *Mildrithæ*. *Elfrigus* regis præpoſitus, monachi quoque & clerici, populuſq; innumerabilis vtriuſq; ſexus exinde Eccleſia *Chriſti* ſpoliata comburitur; grex monachilis, & turba virilis, ſed & muliebris, nec non infantilis decimatur, nouem trucidãtur, decimus vitæ reſeruatur; quatuor monachis, & octingentis viris, decimatorum ſumma perficitur. Populo cæſo, vrbe ſpoliata, & tota cremata,

al. Effici

Elfegus al. Elmerus

Archipræſul *Elſegus* vinctus extrahitur, vi impellitur, grauiter ſauciatur, hinc ad claſſem ducitur, poſt in carcerem truditur, ibique ſeptem menſibus affligitur. Interim ira Dei in homicidam populum deſæuiens, ex iis duo millia per diros internorum cruciatus proſtrauit. Cæteri quoque ſimili modo percuſſi, à fidelibus commouentur, vt pontifici ſatisfaciant, ſed differunt. Præualebat interim clades, & nunc denos, nunc vicenos, nunc plures ſimiliter abſumebat. Anno 1012. perfidus dux *Edricus Streona*, & omnes Angliæ Primates, ante Paſcha Lundoniæ cōgregati ſunt, & ibi tam diu morati ſunt, quouſque tributum Danis promiſſum, quod erat 48. librarum, perſolueretur. Interea ſacroſancto Dominicæ requiei ſabbato, archipræſuli *Elſego* à Danis proponitur conditio, vt ſi vita, & libertate velit potiri, tria millia librarum perſoluat. illo nolente, necem eius vſque ad aliud ſabbatum protelant; quo adueniente, aduerſus illum exarſerunt ira magna, & quia nimis vino inebriati fuerant; & quia prohibuerat, ne quis pro ſua redemptione quicquam daret eis; proinde carcere educitur, & ad eorum Concilium protrahitur. quo viſo, mox illi de ſedibus proſiliunt, auerſis ſecuribus illum deiiciunt, lapidibus, oſſibus, bouinis capitibus obruunt. Ad vltimum quidam *Thrum* nomine, quem confirmarat pridie, impia motus pietate, ſecurim capiti illius infixit, qui ſtatim in Domino, decimo tertio Cal. Maii obdormiuit, & victorem ſpiritum cum triumpho martyrii direxit ad cœlos. cuius corpus die ſequenti Lundoniam defertur, a ciuibus honorifice ſuſcipitur, & ab Epiſcopis *Ednotho* Lincolnienſi, & *Alſhuno* Lundonienſi, in Eccleſia ſancti *Pauli* ſepelitur. Poſt hæc tributo ſoluto, pace iuramentis firmata Danica claſſis, vt prius, erat congregata, longe lateq; diſpergitur, ſed cum rege quadraginta quinque naues remanſere, eique fidelitatem iurauere, & aduerſus exteros Angliam ſe defenſuros, eo tenore promiſerunt, vt eis victum tegimenq; præberet. Anno 1013. *Liuingus* archiepiſcopatum Doroberniæ ſuſcepit. Menſe Iulio, rex Danorum *Swanus* cum valida claſſe ad Sandicum portum eſt appulſus, ibique paucis diebus moratus deceſſit; & Eſtanglia circumnauigata, oſtium *Humbre* fluminis intrauit, de quo, in flumen Trentam ingreſſus, ad *Gaineſburg* nauigauit, vbi & caſtra poſuit. cui ſine cunctatione, Comes *Vchtredus*, & Northimbrenſes, & Lindiſienſes primitus, deinde Fiſburgenſes, mox etiam omnis populus, qui habitabat in ſeptentrionali plaga *Wathlingaſtrete* id eſt ſtrata, quam filii *Wethle* regis, ab orientali mari vſque ad occidentale per Angliam ſtrauerunt; deditionem obtulerunt, & pace cum illo ſtabilita obſidibusque datis, fidelitatem ei iurauerunt, quibus præcepit, vt equos, & alimenta, ſuo exercitui prępararent. His impletis, & claſſe cum obſidibus *Cnuto* filio ſuo commendata, ſibi lectos auxiliarios de deditis ſumens, aduerſus Auſtrales Mercios expeditionem mouit, & per tranſita *Wathlingeſtrete*, ſuis edictum poſuit, videlicet vt agros deuaſtarent, villas cremarent, Eccleſias ſpoliarent, quicquid Maſculini ſexus in manus veniret, ſine reſpectu miſericordiæ iugularent, fœminas ad ſuam libidinem explendam reſeruarent, & omnia, quæ poſſent, mala peragerent. quibus ita facientib. & rabie ferina debacchantib. venit Oxenfordã, & illã citius, quam prius putauit, obtinuit, obſidibuſq; acceptis, feſtinato Wintoniam properauit, quo cum veniſſet, crudelitatis eius magnitudine ciues Wintonienſes perterriti, pacem cum eo ſine mora fecerunt, & obſides quos vel quot expetiit, dederunt. quibus acceptis, verſus Lundoniam mouit exercitum; de quo multi in Tameſi fluuio ſubmerſi interierunt; quia nunquam pontem, neq; vadum quærere voluerunt, cumque Lundoniam veniſſet, multis modis illam, vel dolo capere, vel vi expugnare conatus eſt. ſed rex Anglorũ *Egelredus* cũ ciuibus, & iuuamine Danici Comitis *Turkilli* ſæpe memorati, qui ſecum tunc temporis intus erat, muros vrbis viriliter defendit; & illum abegit, qui repulſus primo Walingfordam, deinde Batham; obuia quoque more ſolito rapiendo, & demoliendo, adiit, ibiq; exercitum ſuum recreando, conſtituit. Tunc venit ad eum *Athelmarus* Domnaniæ Comes, & cum eo occidentales miniſtri, & pace cum illo facta, obſides illi dederunt, quibus omnib' ad velle peractis, ad ſuã claſſem reuerſus ab omni populo Anglorũ rex appellabatur, & habebatur, licet cuncta fere tyrannice faceret, ciues etiã Lundonienſes obſides illi miſerunt, & pacẽ cũ eo fecerunt. metuebãt enim furorem illius in tantũ ſuper ſe inardeſcere, vt omnibus ſuis rebus ablatis, vel oculos illorum erui, vel manus, vel pedes detruncari iuberet. Quod cum vidiſſet rex *Egelredus* reginã *Emmam* Normanniam ad ſuum fratrem ſecundum *Ricardum* Normannorum Comitem, & filios ſuos *Eadwardum* & *Elfredum*, cum magiſtro eorum *Elſhuno* Lundonienſi epiſcopo, & *Elfſium* Medeshamburcſtedenſem abbatem, nauiter miſit; ipſe vero cum Danica claſſe, quæ in Tameſi iacebat, in loco, qui *Grenwic* nominatur, aliquantum permanſit; & poſt ad Vectam inſulam deuectus, natiuitatem Domini celebrauit in illa: qua peracta, Normanniam deuehitur, & à *Richardo* Comite honorifice ſuſcipitur. Interea *Swanus* tyrannus,

ſuæ claſſi ſumptus affluenter parari,& tributum fere importabile ſolui præcepit. Similiter per omnia Comes *Turkillus*, claſſi, quæ apud Grenewic iacebat,ſolui mandauit. Et ſuper hæc omnia, vterq; illorum,quotieſcunq; eis libuerat, prædas egerunt, & multa mala fecerunt. Anno 1014. *Swanus* tyrannus poſt innumerabilia,& crudelia mala,quæ vel in Anglia vel in aliis terris geſſerat,ad cumulum ſuæ damnationis ex oppido,vbi corpus pretioſi martyris,& regis *Edmundi* incorruptum requieſcit, (quod nemo prius audebat facere, ex quo id oppidum datum fuerat memorati ſancti Eccleſiæ) grande tributum auſus eſt exigere:quod ſi cito non pōderetur,ſe proculdubio ipſum oppidum cum oppidanis crematurum, ipſius martyris Eccleſiam funditus euerſurum, clericos variis modis cruciaturū ſæpiſſime minatus eſt. Inſuper & ipſi martyri multis modis frequēter detrahere,& illū nil ſanctitatis habere,fuit auſus dicere.at quia noluit modum ſuæ malitię ponere, vltio diuina non permiſit blaſphemum diutius viuere. deniq; cum imminente veſpera diei,qua in generali placito,quod apud Geagneſburt tenuerat,hæc eadem minitans iteraret,atque Danorum cuneis circumuallatus eſſet denſiſſimis ſanctum *Eadmundum* ex aduerſo venientem ſolus vidit armatum,quem cum vidiſſet,expauit,& nimio cum clamore vociferari cœpit,ſuccurrite commilitones,inquiens,ſuccurrite,ecce,ſanctus *Eadmundus* me venit occidere,& cum hæc diceret,acriter a ſancto confoſſus cuſpide,de emiſſario,cui inſederat,decidit,& vſque ad noctis crepuſculum, magno cruciatus tormento, tertio Non. Februarii,miſerabili morte vitam finiuit.quo mortuo,filium eius * *Cnutum* ſibi regem cōſtituit claſſica manus Danorum. At maiores natu totius Angliæ, ad regem *Egelredum* pari conſenſu nuntios feſtinanter miſere, dicentes ſe nullum plus amare vel amaturos eſſe, quam ſuum naturalem Dominū,ſi ipſe vel rectius gubernare, vel mitius eos tractare vellet,quam prius tractarat. quibus auditis, *Eadwardum* filium ſuum cum legatis ſuis ad eos dirigens,maiores,minoreſq; gentis ſuæ, amicabiliter ſalutauit, promittens ſe illis mitem, deuotumq; dominum futurum,in omnibus eorum voluntati conſenſurum, conſiliis adquieturum,& quicquid ſibi,vel ſuis,ab illis probroſe dictum,vel contrarie factum fuerat, placido animo condonaturum, ſi omnes vnanimiter & ſine perfidia illum recipere vellent in regnum. ad hæc cuncti benigne reſponderunt, deinde amicitia plenaria ex vtraq; parte,& verbis,& pacto confirmatur. Ad hæc principes, ſe non amplius Danicum regem admiſſuros in Angliam,vnanimiter ſpoponderunt. His geſtis ab Anglis in Normanniam mittitur, rex feſtinato quadrageſimali tempore reducitur, & ab omnibus honorabiliter excipitur. Interea *Canuto*, & Lindiſienſibus conuenit, vt caballis exercitui ſuo paratis, prædatum ſimul deſcenderent, ſed antequam eſſent parati, venit illuc rex *Egelredus* cum exercitu valido,& *Canuto* cum claſſica manu expulſo,Lindeſeiam totā depopulans,flammiſq; conſumens,omnes incolas,quos poterat, occidit. ille vero fugæ præſidio celeriter arrepto, verſus Auſtrum curſum dirigens breui ad Sandwicum portum eſt appulſus, & obſides, qui de tota Anglia patri ſuo dati fuerant, in terram expoſuit, illorumq; manibus truncatis, auribus amputatis, naribus præciſis, abire permiſit, & deinceps profectus eſt Danemerciam,anno ſequenti reuerſurus.Super hæc omnia mala rex *Egelredus* claſſi,quæ apud Grenewic iacuit,tributum quod erat 30000.librarum,pendi mandauit. Mare littus egreditur tertio Calend.Octobris, & in Anglia villas quamplurimas, innumerabilemq; populi multitudinē ſubmerſit anno 1015.hoc anno, cū apud Oxefordā magnū haberetur & occulte placitū, dux perfidus *Edricus Streona* digniores, & potētiores miniſtros ex Seoſtenburgenſibus *Sygeferth*,& *Morkerum* filios *Earngrimi*,in cameram ſuam dolo ſuſcepit, eos ibi necari iuſſit.Quorum facultates rex *Egelredus* accepit,& derelictam vxorem *Sigeferth Aldgitham*, ad Maidulfi vrbem duci præcepit, quæ cum ibi cuſtodiretur, venit illuc *Eadmundus* filius regis,cognomento ferreum latus,& contra voluntatem ſui patris illam ſibi vxorem accepit,& inter Aſſumptionem & Natiuitatem ſanctæ *Mariæ* profectus ad Fifburgenſes, terras *Sigeferthi* & *Morkeri* inuaſit, ac populum illarum ſibi ſubiugauit. Eodem tempore *Canutus* rex Danorum cum magna claſſe ad Sandicum portum venit, & mox Cantia circumnauigata,oſtium Fromæ fluminis intrauit, & in Dorſetania, & in Somerſetania,Wintonienſique prouincia magnam prædam egit. Tunc quia rex *Egelredus* apud Coſham ægrotauit, *Eadmundus Clito* filius eius in ſua parte; & dux inſidiis & dolo plenus *Edricus Streona* in ſua parte,magnum congregauerunt exercitum, ſed cum in vnum conuenirent,modis omnibus inſidias *Clitoni* dux *Edricus* tetendit, illumque dolo perimere tentauit. quibus cognitis,mox ab inuicem diſceſſerunt, & locum ſuis inimicis dederunt. Non diu poſt idem dux de regia claſſe quadraginta naues Danicis militibus inſtructas,ſibi allexit,& *Canutum* adiens ipſius dominio ſe mancipauit. idē Weſtſaxones, datis obſidib.fecerunt,& poſt exercitui caballos parauerunt. Anno 1016. rex Danorum

* *al. Canutum*

al. equitatu

Canutus, & dux perfidus *Edricus Streona* cum multo *comitatu, amnem Tameſem in loco, qui Criſelade dicitur, tranſeuntes, ante Epiphaniam Domini Merciam hoſtiliter intrauerunt, & multas villas in Warwicana prouincia populantes, incenderunt, ac omnes quos inuenerant, occiderunt. Quod vt audiuit *Clito Eadmundus* cognomine ferreum latus, exercitum feſtinato congregauit, ſed cum congregatus eſſet, cum Weſtſaxonicis, & Danis nolebant congredi Mercēſes, niſi cū illis eſſet rex *Egelredus*, & ciues Lūdonienſes, quapropter expeditione dimiſſa, vnuſquiſque rediit in ſua. feſtiuitate vero tranſacta, iterum *Eadmundus Clito* maiorem congregauit exercitum; quo cōgregato, nuntios Lundoniam miſit, rogans patrem ſuum, vt cum omnibus, quos habere poterat, ſibi, quam citius poſſet, occurreret; qui multis pugnatoribus coadunatis illi feſtinanter occurrit. ſed cum in vnum exercitus conueniſſet, intimatum eſt regi quod niſi præcaueret ſibi, quidam ex ſuis auxiliariis eſſent illum tradituri; idcirco mox exercitu dimiſſo, Lūdoniam rediit. *Clito* vero in Northimbriam venit. Vnde putabant nonnulli, quod adhuc aduerſus *Canutum* congregare maiorem vellet exercitum, ſed ſicut *Canutus* & *Edricus* in ſua parte, ita ille, & *Vthredus* Northimbrorum Comes, prouincias nōnullas depopulati ſunt. Nam prius Staenfordenſem, deinde Scrobesberienſem, & Legaceſtrēſem prouincias deuaſtauere, quia aduerſus Danorum exercitum, ad pugnā exire noluerūt. Interea *Canutus* & *Edricus Streona*, primitus Bukinghamnenſem, Bedefordenſem, Huntendunenſem, Northamtunenſem, Lincolnienſem, Nortinghamnenſem prouincias, deinde Northimbriam depopulātur. Quo cognito, *Clito Eadmundus* ferreum latus, populatione dimiſſa, ad patrem ſuum Lundoniam properauit; Comes vero *Vthredus* domum feſtinanter rediit, & neceſſitate compulſus ad *Canutum* cum omnibus Northimbrenſibus ſe contulit, & obſides ei dedit, & tamen eius iuſſu, vel permiſſu, à *Turebrando* nobili, & Danico viro eſt peremptus, cum *Turketello Navena* filio: quo perempto *Canutus Eiricum* pro *Vthredo* Comitem poſuit, & poſt alacer verſus Auſtrum *reuerſus ante Paſchalem feſtiuitatem ſuas cum omni exercitu naues repetiit.

al. per aliā viam regreſſus

Edmūd. Ironſide

Eodem tempore, rex Anglorum *Egelredus* decima quarta indictione, nono Cal. Maii, feria ſecunda, Lundoniæ defunctus eſt poſt magnos labores, & multas vitæ ſuæ tribulationes, quas pro ſui fratris *Eadwardi* nece ſuper eum eſſe venturas Beatus *Dunſtanus* ei prædixerat, ſicut in anno primo regni eius ſcriptum eſt. Corpus vero illius in Eccleſia ſancti *Pauli* Apoſtoli, honorifice ſepultum eſt. poſt mortem cuius, Epiſcopi, Abbates, duces, & quiq; nobiliores Angliæ in vnum congregati, pari conſenſu in dominum, & regem ſibi *Canutum* elegere; & ad eum in Suthamtoniam venientes, omnemq; progeniem regis *Egelredi* coram illo abnegando repudiantes, pacem cum eo compoſuere, & fidelitatem ei iurauere. Quibus & ille iurauit, quod & ſecundum Deum, & ſecundum ſeculum fidelis eſſe vellet eis dominus. At ciues Lundonienſes, & pars nobilium, qui eo tempore conſiſtebant Lundoniæ, *Clitonem Eadmundum* vnanimi conſenſu in regem leuauere, qui ſolii regalis ſublimatus culmine, intrepidus Weſtſaxoniam adiit, & ab omni populo magna ſuſceptus gratulatione, ſuæ ditioni ſubegit eam citiſſime, quibus auditis, multi Anglorum populi magna cum feſtinatione illi ſe dederūt voluntarie. *Canutus* autem interim cum ſua tota claſſe circa Rogationes Lundoniam deuehitur, quo cum veniſſent, in Auſtrali parte Tameſis, magnam ſcrobem foderunt, & naues ſuas in occidentalem plagam pontus traxerunt, deinde vrbem alta lataque foſſa, & obſidione cingentes, ingreſſum, & egreſſum cunctis intercluſerunt: ac eam frequenter expugnare moliti ſunt. ſed à ciuib. illis viriliter reſiſtentib. procul à mœnibus repellūtur, quapropter obſidione ad tēpus dimiſſa exercituſq; parte ad naues cuſtodiendas relicta, in Weſtſaxoniā abierunt propere, & regi *Eadmundo* ferreo lateri ſpatium congregandi exercitū nō dedere. quibus tamen ille cum exercitu, quem in tantillo ſpatio congregarat, Dei fretus auxilio audacter in Dorſetania occurrit, & in loco, qui Peomum vocatur, iuxta Gillingham cum eis congreſſus, vicit, & eos in fugam vertit. Poſt hæc, media æſtate tranſacta denuo maiori, quam prius exercitu congregato, fortiter confligere ſtatuit cum *Canuto*, * qui occurrit in Hwictia, in loco, qui Scearſtan nominatur, vbi exercitū pro loco & copiis inſtruit, optimum quēq; in primam aciem ſubducit, cæterum exercitum in ſubſidiis locat, vnumquenq; nominans appellat, hortatur, rogat, vt ſe meminerint pro patria, pro liberis, pro coniugibus atq; pro ſuis domibus certare, & optimis ſermonibus militum animos accendebat, deinde tybicines canere, & cohortes paulatim incedere iubet. Idē facit hoſtium exercitus. Vbi eo vētum eſt, vbi ab illis prælium cōmitti poſſet, maximo clamore cū infeſtis ſignis occurrunt, lanceis & gladiis pugna geritur, maxima vi certatur. Interea rex *Eadmundus* ferreū latus, in prima acie comin⁹ acriter inſtabat, omnia prouidebat, multū ipſe pugnabat, ſæpe hoſtē feriebat

al. cui

Breui

ſtrenui militis & boni imperatoris officia ſimul exequebatur, ſed quia ſororius eius *Edricus Streona* dux perfidiſſimus, & *Almarus* dilectus, *Algarusq;* filius *Mehu*, qui ei auxilio eſſe debuerant, cum Suthamtunenſibus & Wiltonienſibus prouincialibus, innumeraq; populi multitudine in parte Danorum erant, eius exercitus nimis laborabat. ſed tamen primo die belli ſcilicet die lunæ, tam durum, tamque cruentum extitit prælium, vt vterque exercitus præ laſſitudine diutius non valens pugnare, ſole iam ruente, ab inuicem ſit digreſſus ſpontanea voluntate. ſed poſtera die rex *Eadmundus* Danos protereret omnes ſi perfidi ducis *Edrici Streonæ* non eſſent inſidiæ. ſiquidem cum pugna vehemens eſſet, & Anglos fortiores eſſe cerneret, cuiuſdam viri regi *Eadmundo* facie, capilliſq; ſimillimi, *Oſmeri* nomine, capite amputato, & in altum leuato; exclamat Anglos fruſtra repugnare, dicens: vos Dorſetenſes, Domnani, Wiltonienſes, amiſſo capite,* principes fugite. En Domini [al. præcipites] veſtri caput *Eadmundi* Baſilei, hic teneo manibus; cedite quantotius. Quod vbi Angli audiere, magis atrocitate rei, quam fide nuntii terrentur. Vnde factum eſt, vt inconſtantiores quique paululum à fuga abeſſent, ſed illico quod rex viueret comperto, animos tollebant, & in Danos acriter incedebant, ex illiſque multos proſternebant, ſummis certantes viribus vſque ad crepuſculum noctis, qua adueniente, vt pridie, digreſſi ſunt ſponte: at vbi plurimum noctis proceſſit, *Canutus* è caſtris ſuos abire ſilentio iuſſit, & verſus Lundoniam iter arripiens, ad naues repedauit, ac non multo poſt Lundoniam reobſedit. vbi autē dies aduenit, & rex *Eadmundus* ferreum latus Danos fugiſſe comperit, maiorem congregaturus exercitum, in Weſtſaxoniam reuertitur. cuius ſtrenuitatem videns ſororius eius dux perfidus *Edricus*, vt naturalem dominum requiſiuit illum, & pace cum eo redintegrata, ſe fidelem ei permanſurum iurauit, itaque exercitu, vice tertia congregato, Lundonienſes ciues ab obſidione rex liberauit, Danos ad ſuas naues fugauit. poſt biduum transfretauit Tameſim, in loco, qui Brenford nominatur, cum Danis tertio præliaturus, & cum eis prælium commiſit, & fugatis eis, victor extitit. ea vice, multi Anglorum populi, dum incautius flumen tranſirent, demerguntur: exinde rex numeroſiorem congregaturus exercitum, in Weſtſaxoniam properat: Dani vero Lundoniam repetunt, obſidione illam cingunt, & omni ex parte* expugnant. ſed Deo iuuante, nil omnino proficiunt. ob quam rem, cum [al. oppugnant] ſua claſſe recedentes inde, amnem, qui Areuue dicitur, intrant, & nauibus exilientes, prædatum in Merciā pergunt, obuios quoſq; cædent, more ſolito villas incendunt, prædam agunt, poſt ad naues redeunt, pedeſtres in flumen, quod Meodewege nuncupatur, nauibus deuehuntur, equeſtres vero abducere viuam prædam per terram minantur. Interea rex *Eadmundus* ferreum latus exercitum fortem de tota Anglia quarto congregauit, & in loco, vbi prius Tameſi fluuio tranſmeato in Cantiam citus intrauit, ac iuxta Ottafordam cū Danis pugnā iniit: at illi non ferentes impetum eius, terga verterunt, & cū ſuis equis in Scepege fugerunt. Ex quibus tamē omnes, quos cōprehendere potuit, occidit, & niſi perfidus dux *Edricus Streona* ſuis inſidiis eū apud *Eagleford*, ne ſuos perſequeretur hoſtes, retineret, ea die plena potiretur victoria; quo in Weſtſaxoniā reuerſo, *Canutus* ſuas in Eſtſaxoniā copias traiecit, & iterū prædandi cauſa Merciā repetiit, & peiora prioribus exercitum facere iuſſit. Illi vero ſatis impigre iuſſa peragunt, & omnibus qui in manus venerant obtrūcatis, villis quāplurimis incēſis, agris depopulatis, proinde vbertate ditati, ad naues repedant feſtini. quos rex Anglorū *Eadmundus* ferreū latus cū exercitu quem de tota Anglia extraxerat inſecutus, in monte, qui Aſſendun id eſt mons Aſſini nuncupatur, abeuntes eſt conſecutus. Ibi feſtine triplicibus ſubſidiis aciē inſtruit, deinde ſingulas turmas circuiens monet, atq; obteſtatur, vt memores priſtinæ virtutis atq; victoriç ſeſe regnūq; ſuum à Danorū auaritia defendāt, cū his certamē fore, quos antea vicerūt. Interea *Canutus* paulatim in æquum locum ſuos deducit: at contra rex *Eadmundus* aciem, ſicut inſtruxerat velociter mouet, & repēte dato ſigno, Danos inuadit; ſumma vi vtrinque dimicatur, ex his & ex illis multi cadunt. verū dux perfidiſſimus & nequiſſimus *Edricus Streona*, videns Danorum aciem inclinatā, & Anglos habituros victoriam, vt prius *Canuto* promiſerat, cum Maieſetenſibus & exercitus parte, cui præerat, fugam capeſſit, & dominum ſuum regem *Eadmundum* & Anglorum exercitū dolis circumuenit, & Danis victoriam ſuis inſidiis dedit. Occiſus eſt ea in pugna *Africus* dux, *Godwinus* dux, *Vlfketellus* Eſtanglorū dux, *Athilwardus* dux filius ducis Eſtanglorū *Athilwini* Dei amici, totuſque fere globus nobilitatis Anglorum, qui nullo in bello maius vnquam vulnus quam ibi acceperunt. *Eadnothus* quoq; Lincolnienſis epiſcopus, & *Wlſius* abbas, qui ad exorandum dominū pro milite bellū agente, conuenerant, interfecti ſunt. Interiectis poſt hæc paucis diebus, cū rex *Eadmundus* ferreum latus ad huc cū *Canuto* cōgredi vellet, dū nequiſſimus, & dolo plenus *Edricus*, & quidā alii, id nullo modo ſinebant fieri, ſed illi conſilium dabant, vt pace facta cum *Canuto* regnum

diuideretur; quorum ſuggeſtionibus, licet inuitus, ad poſtremum cum cōſentiret, recurrentibus ad inuicem nuntiis, & obſidibus vtrinque datis, ambo reges ad locū, qui Deorhirſt nominatur, in vnum conuenerunt: *Eadmundus* cum ſuis in occidentali ripa Sabrinæ, *Canutus* vero in orientali cum ſuis conſedit. Dein vterq; rex in inſulam, quæ Olanege appellatur, & eſt in ipſius fluminis medio ſita, trabariis aduehitur; vbi pace, amicitia, fraternitate, & pacto, & ſacramentis confirmata, regnum diuiditur. Dein armis & veſtibus mutatis, tributoque, quod claſſicæ manui penderetur, ſtatuto, ab inuicem diſceſſerunt. Dani tamen cum præda, quam diripuerant, ad ſuas naues redierunt, cum quibus pacem, dato pretio, ciues Lundonienſes fecerunt, & eos ſecum hyemare permiſerunt.

Poſt hæc rex *Eadmundus* ferreum latus, circa feſtiuitatem ſancti *Andreæ* Apoſtoli 15. indictione deceſſit Lundoniæ, ſed cum auo ſuo rege pacifico *Eadgaro* ſepultus eſt Glaſtoniæ. cuius poſt mortem rex *Canutus*, omnes Epiſcopos, & duces, nec non & principes, cūctoſq; optimates gentis Angliæ, Lundoniæ cogregari iuſſit, qui cum veniſſent ante eum, quaſi neſciens interrogauit eos ſagaciſſime, qui fuerunt teſtes inter eum, & *Eadmundum*, quando conuentionem amicitiæ & diuiſionem regni inter ſe fecerunt, qualiter ipſe, & *Eadmundus* de fratrib. & filiis eius, inter ſe locuti fuiſſent, vtrū fratribus & filiis eius liceret in regno occidentalium ſaxonum poſt patrem eorum regnare, ſi *Eadmundus*, ipſo viuente moreretur; at illi cœperunt dicere ſe proculdubio ſcire, quod rex *Eadmundus*, fratrib. nullam portionem regni ſui nec viuens, nec moriens commendaſſet. de filiis autem eius, hoc ſe noſſe dixerunt, quod rex *Eadmundus* vellet *Canutum* adiutorem & protectorem eſſe filiorū eius, donec regnandi ætatē haberent. verū illi, teſtante Deo, falſum exhibuerunt teſtimoniū, & fraudulenter mentiti ſunt, æſtimantes illū ſibi & mitiorem eſſe propter mendacium ſuum, & ſe ab illo præmium magnū ſuſcepturos, ex quibus falſis teſtibus quidam poſt non multum tempus ab eodē rege interfecti ſunt: tunc rex *Canutus* poſt ſupradictam interrogationem à præfatis optimatibus fidelia iuramenta recepit. & illi iurauerunt illi, q. illum regem ſibi eligere vellent, eiq; libenter obedire, & ſuo exercitui vectigalia dare, & accepto pignore de manu ſua nuda cum iuramentis à principibus Danorum, fratres & filios *Eadmundi* regis omnino deſpexerunt, eoſq; reges eſſe negauerunt. vnus autem ex ipſis prædictis Clitonibus erat *Eadwinus* egregius & reuerēdiſſimus *Eadmundi* regis germanus quem ibidē cū cōſilio peſſimo, exulē eſſe debere conſtituerunt. Cū ergo audiſſet *Canutus* adulationem ſupradictorū, & deſpectionem, quam fecerunt in *Edwinum* gaudēs introiuit in Cameram ſuam, vocanſq; ad ſe perfidum ducem *Edricum*, ſciſcitabatur ab eo, quo modo poſſet decipere *Edwinum* vt mortis ſubiret periculum, qui reſpondens dixit ſe ſcire quendā virū *Athelwardū* nomine, qui facilius eum in mortē tradere quiuiſſet, cum quo colloquiū habere poſſet, illiq; nimiā mercedē promitteret. cognito aūt viri nomine, vocauit eum rex ad ſe callide dicens. ſic & ſic allocutus eſt me dux *Edricus*, dicens te poſſe ſeducere *Edwinum Clitonem*, vt occidatur, modo adquieſce conſiliis noſtris, & quære mihi caput eius, & potieris omni honore, & dignitate patrū tuorū; & quære mihi caput eius, & eris mihi charior fratre germano. ille vero dicebat ſe velle eū quærere, vt interficeretur, ſi vllo modo valuiſſet, veruntamen nondū voluit illū occidere, ſed propter excuſationē hoc promittebat. erat. n. ille ex nobiliſſimo genere Anglorū ortus. Hoc anno rex *Canutus* totius Angliæ ſuſcepit imperium, idq; in quatuor partes diuiſit. Weſtſexoniam ſibi, Eſtangliā *Turkillo* Comiti, Merciam *Edrico* perfido duci, Northimbriam *Eirico* Comiti, fœdus etiā cum principibus & omni populo percuſſit, & amicitiam firmā inter ſe iurantes ſtabilierunt, omneſq; veteres inimicitias poſtponentes ſedauerunt. Dein conſilio perfidi ducis *Edrici*, rex *Canutus Clitonem Edwinum* regis *Eadmundi* germanum, & *Eadwinum*, qui rex appellabatur ruſticorum, exlegauit. verum cum rege pacificatus eſt *Edwinus*. *Edwinus* vero *Clito*, deceptus illorū inſidiis, quos eatenus amiciſſimos habuit, iuſſu & petitione regis *Canuti*, hoc eodē anno innocēter occiditur. dedit ēt conſiliū *Edricus*, vt Clitunculos *Eadwardum*, & *Eadmundum* regis *Eadmundi* filios necaret, ſed quia magnū dedecus ſibi videbatur, vt in Angliam perimerentur, paruo elapſo tēpore, ad regē Swanorū occidendos miſit, qui licet fœdus eſſet inter eos, precibus illius nullatenus adquieſcere voluit: ſed illos ad regē Hungariorum Salomonem nomine miſit nutriendos, vitæq; ſeruandos: quorum vnus ſcilicet *Eadmundus* proceſſu temporis ibidem vitam finiuit. *Eadwardus* vero *Agatham* filiam germani imperatoris in matrimonium accepit, ex qua *Margaretam*, poſtea Scotorū reginam, & *Chriſtinam* ſanctimonialem virginem, & *Clitonem Edgarum* ſuſcepit. Mēſe Iulio rex *Canutus*, derelictam regis *Egelredi* reginā * *Emmam* in cōiugium accepit, ex qua genuit *Heardecnutū* poſtea regem, & filiam nomine *Gunildam*, quæ nupſit *Henrico* Romanorū imperatori. Anno 1018. cum eſſet rex *Canutus* Lundoniæ in natiuitate Domini, perfidum ducem

[Margin: *Canutus* (beside "indictione deceſſit Lundoniæ"); al. *Elfgiſiam* (beside "* *Emmam*")]

Edricum

Edricum Streona in palatio iuſſit occidi, quia timebat inſidiis ab eo circumueniri quandoque, ſicut domini ſui prioris *Egelredus* & *Eadmundus* frequēter ſunt circumuenti. Corpus vero eius ſuper murum ciuitatis proiici, ac inſepultum præcepit dimitti. cum quo dux Normannus filius *Leofwini* ducis, frater ſcilicet *Leofrici* Comitis, & *Athelwardus* filius *Agelmari* ducis, & *Brictricus* filius *Alfegi* Domnanienſis ſatrapæ ſine culpa interfecti ſunt. *Leofricum* pro Normanno germano ſuo rex conſtituit ducem, & eum poſtmodum valde carum habuit. Hoc anno de tota Anglia 72. & de Lūdonia 410. libræ exercitui Danorum ſunt perſolutæ, *Aldunus* Epiſcopus Dunelmenſis obiit, ingens bellum inter Anglos, & Scotos apud Carrum geritur. Angli & Dani apud Oxenfordam de lege regis *Eadgari* tenenda concordes ſunt effecti. Anno 1019. rex Anglorum & Danorum *Canutus* Denemerciam adiit, & ibi per totam hyemem manſit. Anno 1020. rex *Canutus* in Angliam rediit, & in Paſchali feſtiuitate apud Cirenceſter magnum concilium habuit. *Eadmundus* ſuſcepit Epiſcopatum Dunelmenſem, *Liuingus* Doroberniæ Archiepiſcopus vita deceſſit, cui *Agelnothus*, qui bonus appellatur, nobilis viri *Agelmari* filius ſucceſſit. Eodem anno Eccleſia, quam rex *Canutus* & Comes *Turketellus* in monte, qui Aſſendun dicitur, conſtruxerāt, illis præſentibus, à *Wlſtano* Eboracenſi Archiepiſc. & multis aliis Epiſcopis cū magno honore & gloria dedicata eſt. Anno 1021. *Canutus* rex Anglorum & Danorum, ante feſtum ſancti *Martini*, *Turkillum* ſæpe dictum Comitem cum vxore ſua *Egitha* expulit Anglia. *Algarus* orientalium Anglorum Epiſcopus obiit, cui *Alfwinus* ſucceſſit. Anno 1022. *Agelnothus* Doroberniæ Archiepiſcopus Romam iuit, quem *Benedictus* papa magno cum honore ſuſcepit, & pallium illi dedit. Anno 1023. corpus ſancti *Elfegi* martyris, de Lūdonia Doroberniam eſt translatum. *Wlſtanus* Eboracenſium Archiepiſcopus, Eboraci quarto Cal. Iunii, feria tertia defungitur; ſed corpus eius Heli defertur, & ibi ſepelitur; cui ſucceſſit *Alfricus* Wintonienſis præpoſitus. Anno 1026. *Alfricus* Eboracenſium Archiepiſcopus, Romam iuit, & à *Iohanne* papa pallium ſuſcepit. Obiit *Richardus* ſecundus dux Normannorū, cui ſucceſſit *Richardus* tertius, qui eodem anno mortuus eſt, cui ſucceſſit frater eius *Robertus*. Anno 1027. cum regi Anglorum, & Danorum intimatum eſſet, quod Norregani regē ſuum *Olanū* propter eius ſimplicitatem, & manſuetudinem, æquitatē, & religioſitatem, *al. Olauum* nimis vili penderēt, multum auri & argenti quibuſdā illorū miſit, multis rogās petitionib. vt illo ſpreto, & abiecto deditionem illi facerent, ac illū ſuper ſe regnare permitterent; qui cum ea, quæ miſerat, auiditate magna ſuſcepiſſent, ei renuntiari iuſſerunt ad illum ſuſcipiendū paratos fore, quandocunq; voluiſſet venire. Anno 1028. *Canutus* rex Anglorum & Danorū 50. nauib. magnis Norregiam deuectus, *Olanum* regem de illa expulit, ſibiq; eum ſubiugauit. Anno 1029. *Canutus* rex Anglorum & Danorum, & Norreganorū ad Angliam rediit, & poſt Danicum Comitem *Hacun* (qui nobilem matronā *Gunhildam* ſororis ſuæ & *Wirtegornin* regis Windorū filiam in matrimonio habuit) quaſi legationis cauſa in exiliū miſit. timebat. n. ab illo vel vita priuari. Anno 1030. prædictus Comes *Hacun* in mari periit: quidam tunc dicūt eum fuiſſe occiſum in Orcada inſula: ſanctus *Olauus* rex & martyr *Haroldi* regis Norreganorum filius, quem rex *Canutus* expulerat reuerſus in Norregam iniuſte perimitur à Norreganis. Anno 1031. *Canutus* rex Anglorum & Danorum & Norreganorum de Denemercia magno cum honore Romam iuit, & *S. Petro* apoſtolorum principi ingētia dona in auro & argento, aliiſq; rebus pretioſis obtulit, & à *Iohanne* papa, vt ſcholā Anglorum in Roma morantium, ab omni tributo & telone liberaret, impetrauit; & ineundo & redeūdo largas pauperibus eleemoſynas erogauit, ac multas per viam clauſuras, vbi telon à peregrinis exigebatur, ingenti pretio dato, diſſipauit; vitæq; ſuæ, & morum emendationem, ante ſepulchrum apoſtolorū deuouit. Anno 1032. Eccleſia S. *Edmundi* regis & martyris dedicata eſt. Ignis pene inextinguibilis multa per Angliam loca concremauit. *Alffigus* Wintonienſis Epiſcopus obiit, cui *Elfwinus* presbyter regis ſucceſſit. Anno 1033 magnæ religionis, & modeſtiæ vir *Leolſſius* Hwicciorū Epiſcopus, in Epiſcopali villa Kemeſia, decimo quarto Cal. Septembris feria tertia obiit, &, vt fas eſt credi, ad cœlica regna migrauit, cuius corpus in Eccleſia ſanctæ *Mariæ* Wigorniæ cum honore tumulatur, in cuius ſedem Perſcorenſis Abbas *Brichthegus*, filius videlicet ſororis *Wlſtani* Eboracenſis Archiepiſcopus leuatus eſt. Anno 1034. *Malcholmus* rex Scotorū obiit, cui *Machetad* ſucceſſit. Anno 1035. *Canutus* rex Anglorum ante ſuum obitum ſuper Norreganos *Swanum* filium ſuum regem conſtituit; ſuper Danos vero *Hardecnutum* ſuum & *Emmæ* reginæ filium, regem locauit; *Haroldum* vero ſuum ex Hamtunenſi* *Elfgiua* procreatum regem An- *al. Elgina* glorum conſtituit, & poſtea hoc anno ſecundo Idus Nouēbris, feria quarta apud Scafteſbiriam vita deceſſit: ſed Wintoniæ, in veteri monaſterio ſatis honorifice tumulatur. Quo tumulato regina *Elfgiua* quæ & *Emma*, ibidem reſedit.

Haroldus

Haroldus vero, adepta regia dignitate, miſit Wintoniam ſuos conſtipatores celerrime, & gazarum, opumque, quas rex *Canutus* ei reliquerat, maiorem, melioremq; partem ademit illi tyrannice, ſpoliatamq; dimiſit ibidem, vt cœperat, reſidere. atque conſentientibus plurimis maioribus natu Angliæ, quia iuſtus hæres cœpit regnare, non tamen ita potenter vt *Canutus*, quia iuſtior hæres expectabatur *Hardecnutus*: vnde breui poſt tempore, regnum ſorte diuiditur Angliæ, & *Haroldo* pars ſeptentrionalis, *Hardecnuto* prouenit Auſtralis. *Robertus* dux Normannorum obiit, cui ſucceſſit *Willielmus Baſtard* filius eius, in puerili ætate. Anno 1036. innocentes *Clitones*, *Alfredus*, & *Eadwardus Egelredi* quondam regis Anglorum filii, de Normannia, vbi cum *Richardo* auunculo ſuo manſerát tempore longo, multis Normannicis militibus ſecum aſſumptis, in Angliam paucis tranſuecti nauibus, ad ſuæ matris colloquium, quæ Wintoniæ morabatur, venere. Quod indigne grauiterq; ferebant potentes nonnulli; quia, licet iniuſtum eſſet, *Haroldo* multo deuotiores extitere quam illis, maxime, vt fertur, Comes *Godwinus*. hic quidem *Alfredum* cum verſus Lundoniam ad regis *Haroldi* colloquium, vt ei mandarat, properaret, retinuit, & arctam in cuſtodiam poſuit; ſociorum vero illius quoſdam diſturbauit, quoſdam catenauit, & poſtea cæcauit, nonnullos cute capitis abſtracta, cruciauit, & manibus ac pedibus amputatis multauit: multos etiam venundari fecit, & mortibus variis ac miſerabilibus, apud Geldefordam ſexcentos viros occidit. ſed illorũ animas, nunc in Paradiſo credimus gaudere cum ſanctis, quorum corpora tam crudeliter ſine culpa perempta ſunt in aruis. Quo audito, regina *Emma* filium ſuum *Edwardum*, qui ſecum remanſerat, magna cum feſtinatione in Normanniam remiſit. Deinde *Godwini*, & quorundam aliorum iuſſione, ad inſulam Elig *Clito Elfredus* ſtrictiſſime vinctus ducitur, ſed vt ad terrã nauis applicuit, in ipſa, mox abſtraxerunt oculos eius cruentiſſime, & ſic ad monaſterium ductus monachis traditur cuſtodiendus vbi breui poſt tempore de hac migrauit luce, & in auſtrali porticu in Occidentali parte Eccleſiæ, corpus eius ſepelitur debito cum honore, anima vero Paradyſi fruitur amenitate. *Haroldus* rex Merciorum, & Northimbrorum anno 1037. vt per totam regnaret Angliam, à principibus & omni populo, rex eligitur. *Hardecnutus* vero quia in Denemercia moras innexuit, & ad Angliam, vt rogabatur, venire diſtulit, penitus abiicitur, cuius mater *Elſgiua*, quæ & *Emma*, quondam Anglorum regina, hyemis initio ſine miſericordia expellitur Anglia, quæ rate mox parata in Flandriam tranſuehitur, & à nobili Comite *Baldewino* cum honore ſuſcepta eſt. Is vt talem virum decuit, quamdiu neceſſitas popoſcerat, ei neceſſaria gratanter miniſtrari curauit. Eodem anno paulo ante magnæ religionis vir, *Auicus* Eoweſhamtunenſis Decanus obiit. Anno 1038. *Egelnothus* Dorobernenſis Archiepiſcopus quarto Calend. Nouembris vita deceſſit, cuius obitus die ſeptimo *Agelredus* Suthſaxoniæ præſul obiit. petierat enim à Deo, ne poſt mortem ſui dilectiſſimi patris *Egelnothi* in hac luce diu viueret, cui *Grimketellus* in *Epiſcopatum; *Agelnotho* vero regis Capellanus *Eadſius* in Archiepiſcopatũ ſucceſſit. deceſſit etiam eodem anno Wigornienſis epiſcopus *Britthegus*, decimo tertio Calend. Ianuarii, feria quarta, cui ſucceſſit *Liuingus*. Anno 1039. hyems extitit aſperrima, *Brithmarus* Lichfildenſis Epiſcopus obiit, cui *Wlſius* ſucceſſit. *Hardecnutus* rex Danorum Flandriam deuectus ad matrem ſuam *Emmam* deuenit.

al. præſulatum

Hardecnutus

Haroldus rex Anglorum obiit Lundoniæ, & in Weſtmonaſterio ſepelitur, quo ſepulto proceres fere totius Angliæ, legatos ad *Hardecnutum* Brige, vbi cum matre ſua morabatur, mittentes, & ſe bene facere putantes, rogauerunt illum vt Angliam veniret, & ſceptra regni ſuſciperet, qui nauibus 40. paratis, & Danicis militibus inſtructis, ante mediam æſtatem Angliam aduehitur, & gaudenter ab omnibus ſuſcipitur, regniq; ſolio mox ſublimatur; ſed ſui imperii tempore, nil egit dignum poteſtate regia. nam mox vt regnare cœpit, iniuriarum, quas vel ſibi, vel ſuæ genetrici ſuus anteceſſor fecerat rex *Haroldus*, (qui frater ſuus putabatur) non immemor, *Alfricum* Eboracenſem Archiepiſcopum, *Godwinum* Comitem, *Stir* maiorem domus, *Edricum* diſpenſatorem, *Thrond* ſuum carnificem, & alios magnæ dignitatis viros Lundoniam miſit, & ipſius *Haroldi* corpus effodere & in gronam proiicere iuſſit, quod cum proiectum fuiſſet, præcepit illud extrahi, & in flumen Tameſen mandauit proiici. breui autem poſt tempore, à quodam captum eſt piſcatore, & ad Danos allatum ſub feſtinatione eſt, & in cœmeterio, quod habuerunt Lundoniæ, ſepultum eſt ab ipſis cum honore. quibus peractis, rex *Hardecnutus*, octo marchas vnicuique ſuæ claſſis remigi, & duodecim vnicuique gubernatori de tota Anglia præcepit dependi tributum viz. tam graue vt vix aliquis id poſſet perſoluere. Quapropter omnibus, qui prius eius aduentum deſiderabant magnopere, factus eſt exoſus ſummopere. Adhuc ẽt, pro nece fratris ſui *Elfredi*, aduerſus *Godwinum* Comitem, & Wigorniẽſem Epiſcopum

Liuingum,

Liuingum, accuſantibus illos *Alfrico* Eboracenſi Archipræſule, & quibuſdam aliis, exarſit ira magna. Idcirco Epiſcopatum Wigornienſem *Liuingo* abſtulit, & *Alfrico* dedit: ſed ſequenti anno, ablatum *Alfrico Liuingo* ſecum pacificato, benigne reddidit. *Godwinus* autem Regi, pro ſua amicitia dedit trierem, id eſt, nauem fabrefactam, roſtrum deauratum habentem, armamentis optimis inſtructam, decoris armis, electiſq; octingeſimo militibus decoratam. Quorum vnuſquiſq; habebat duas in ſuis brachiis armillas aureas ſexdecim vncias pendentes, loricam triplicem, indutam in capite caſſidem ex parte deauratam, gladium deauratis capulis renibus accinctum, Danicam ſecurim auro argentoq; redimitam in ſiniſtro humero pendentem, in manu ſiniſtra clypeum, cuius vmbo clauiq; erant deaurati, in dextra lanceam, quæ lingua Anglorum 𝔄𝔱𝔢𝔤𝔞𝔯 appellatur. Inſupra etiam non ſui conſilii, nec ſuæ voluntatis fuiſſe, quod frater eius cæcatus fuiſſet, ſed Dominum Regem ſuum *Haroldum* facere, quod fecit, iuſſiſſe, cum totius fere Angliæ principibus & miniſtris dignioribus, Regi iurauit. Anno 1041. Rex Anglorum *Hardecnutus*, ſuos huſcarlas miſit per omnes prouincias regni ſui ad exigendum, quod indixerat tributum, ex quibus duos, *Feader* ſcilicet, & *Turſtanum*, Wigornienſes prouinciales cum ciuibus, exorta ſeditione, in cuiuſdam turris, Wigornienſis monaſterii ſolario, quo celandi cauſa confugerant, 4. nonas Maii, feria 2. peremerunt. Vnde Rex ira commotus, ob vltionem necis illorum *Thuri* mediterraneorum, *Leofricum* Merciorum, *Godwinum* Weſtſaxonum, *Siwardum* Northimbrorum, *Romeium* Mageſetenſium, & cæteros totius Angliæ Comites, omneſq; fere ſuos huſcarlas cum magno exercitu *Alfrico* adhuc Wigornienſem pontificatum tenente, illo miſit mandans, vt omnes viros, ſi poſſent, occiderent, ciuitatem deprędatam incęderent, totamq; prouinciam deuaſtarent. Qui paulo poſt feſtum omniū ſanctorū, & vrbem, & prouinciam vaſtare cœperunt, idq; per quatuor dies agere nō ceſſauerunt, ſed paucos è ciuibus, vel prouincialibus ceperunt, ac occiderunt, quod præcognito aduentu eorum, prouinciales quoquo locorum fugerunt; ciuium vero multitudo, in quandam modicam inſulam in medio 𝔖𝔞𝔟𝔯𝔦𝔫𝔢 fluminis ſitam, quæ 𝔅𝔢𝔲𝔢𝔯𝔢𝔤𝔢 nuncupatur, confugerant, & munitione facta, tam viriliter ſe aduerſus ſuos inimicos defenderunt, quoad pace recuperata, libere domum liceret eis redire. quinta igitur die, à ciuitate cremata, vnuſquiſq; cum magna præda rediit in ſua, & regis ſtatim ira quieuit. non multo poſt *Eadwardus Egelredi* quondam regis Anglorum filius, de Normannia vbi multis exulabat annis, venit Angliam, & à fratre ſuo *Hardecnuto* Rege ſuſceptus honorifice, in curia eius manſit. Anno 1042. Rex Anglorum *Hardecnutus* dum in conuiuio (in quo *Oſgodus Clapa* magnæ vir potentiæ, filiam ſuam *Gytam* Danico, & præpotenti viro *Tunio, Prudan* cognomento, in loco, qui dicitur * 𝔏𝔞𝔪𝔱𝔦𝔱𝔥𝔢 magna cum lætitia tradebat nuptui lætus, ſoſpes, & hilaris cum ſponſa prædicta, & quibuſdam viris, bibens ſtaret, repente inter bibendum miſerabili caſu ad terram corruit, & ſic mutus permanens ſexto Idus Iulii, feria tertia expirauit, & Wintoniam delatus iuxta patrem ſuum Regem *Canutum* eſt tumulatus; cuius frater Eadwardus, annitentibus maxime Comite *Godwino*, & Wigornenſi præſule *Liuingo*, Lundoniæ leuatur in regem, cuius pater *Egelredus*, cuius pater *Eadgarus*, cuius pater *Eadmundus*, cuius pater *Eadwardus* ſenior, cuius pater *Alfredus*. *al. Lambith.*

Anno ab incarnatione Domini 1043. *Eadwardus* ab archipræſulibus *Edſio* Dorobernenſi, & *Alfrico* Eboracenſi, aliiſq; ferme totius Angliæ præſulibus prima die Paſchæ 3. Non. Aprilis, vngitur in Regem Wintoniæ. Eodem anno, poſt feſtum Sancti *Martini*, Rex cum comitibus *Leofrico*, *Godwino*, & *Siwardo*, de ciuitate Glauorna Wintoniam venit improuiſe; & vt illi conſilium ei dederant ſuæ genitrici quicquid in auro, argento, gemmis, lapidibus, aliiſq; rebus pretioſum habuerat, abſtulit; vel quia priuſquam rex eſſet effectus, vel poſt, minus quam volebat illi dederat, & ei valde dura extiterat. defuncto *Eadmundo* Dunelmenſi Epiſcopo, *Egelricus* ſucceſſit, *Siwardo* adminiſtrante Comitatum Northumbrorum. Anno 1044. *Alwordus* Lundonienſis præſul, qui & ante Epiſcopatum, & in Epiſcopatu abbatis iure Eoueshamnenſi cœnobio præfuit, cum pontificatum adminiſtrare pro ſua infirmitate minus ſufficeret, & Eoueshammi reſidere voluit, ſed fratres illius loci ad id omnino conſentire noluerunt. Quapropter ablatis ex magna parte libris, & ornamentis, quæ ipſe eidem loco contulerat, & quibuſdam vt fertur quæ alii contulerant, ad monaſterium 𝔕𝔞𝔪𝔢𝔰𝔢𝔤𝔢 ſeceſſit, & omnia quæ attulit, ſancto contulit *Benedicto*, ibiq; reſedit, & eodem anno octauo Cal. Auguſti feria quarta defunctus ſepelitur ibidē. In generali vero concilio, quod eodem tempore celebratū eſt Lundoniæ, religioſus Heoueshamnenſis monachus, qui & Manni vt abbatis iure ſuo Monaſterio præeſſet eligitur, & quarto Idus Auguſti, feria ſexta ordinatur. eodem anno, nobis matrona *Gunnilda*, Regis *Wertgeorni*, & ſororis *Canuti* regis filia, & Comitis *Hacun*, & poſt mortem *Haroldi* viduata, *S. Edwardus.*

cum duobus filiis *Hemmingo, & Turkillo* expellitur Anglia. quæ Flandriam deuecta in loco, qui Bricge dicitur, aliquando reſedit, & ſic Danemerciam adiit. Anno 1045. *Brictwoldus* Wiltonienſis Epiſcopus obiit, cui Regis Capellanus *Hermannus* de Lotaringia oriundus ſucceſſit. Quo anno, Rex Anglorum *Eadwardus* ad Sandicum portum congregauit claſſem præualidam, contra magnum Norreganorum Regem Angliam adire diſponentem, ſed bellum à *Swano* Rege Danorum ſibi illatum, iter impediuit. Anno 1046. *Liuingius* Hwicciorum Domnaniæ, & Cornubiæ præſul, decimo Calendar. Aprilis die Dominica obiit. poſt cuius obitum, regis Cancellario *Leofrico* Brittannico, mox Cridiatunenſis & Cornubenſis datus eſt præſulatus. Et *Aldredus*, qui primo Monachus Wintonienſis, poſt abbas Tauiſtokenſis extitit, Hwicciorum pontificatum ſuſcepit. *Oſgodus Clapa* expellitur Anglia. Magnus Norreganorum Rex Sancti *Olaui* Regis filius, fugato Rege Danorum *Swano*, ſibi Danemerciam ſubegit. Anno 1047. nix in occidente tanta cecidit, vt ſyluas quoq; frangeret. *Aldwinus* Wintonienſis Epiſcopus deceſſit, in cuius ſedem *Stigandus* ſublimatur. *Swanus* Rex Danorum, ſuos legatos miſit ad *Eadwardum* Regem Norreganorum. tunc Comes *Godwinus* conſilium regi dedit, vt ſaltem 50. naues militibus inſtructis, ei mitteret, ſed quia *Leofrico* Comiti & omni populo id non videbatur conſilium, nullam ei mittere voluit. Poſt hæc, Magnus Rex Noreganorum, claſſe multa & valida conſtipatus, cum *Swano* prælium commiſit, & multis millibus vtrinq; occiſis, illum de Danemercia expulit, & poſt in illa etiam regnauit, atq; tributum ſibi non modicum pendere Danos coegit, ac non multo poſt obiit. Anno 1048. *Swanus* Danemerciam recepit, & *Haroldus, Harfager, Siwardi* Regis Norreganorum filius, & ex parte matris frater ſancti *Olaui*, patruus ſcilicet magni Regis, Norregam repetiit, breuiq; poſt tempore ſuos nuntios ad Regem Anglorum *Eadwardum* miſit, & pacem, amicitiamq; ei obtulit, & recepit. Terræmotus Calend. Maii, die Dominica extitit magnus Wigornæ, Wic, Deorbiæ, & multis aliis locis: mortalitas hominum, & animalium multas occupauit Angliæ prouincias, & ignis aereus vulgo dictus ſiluaticus, in Deorbenſi prouincia, & quibuſdam aliis prouinciis villas & ſegetes multas vſtulauit. Anno 1049. *Leo* Papa, centeſimus quadrageſimus quintus, iſte eſt *Leo*, qui nouum cantum de ſancto *Gregorio* Papa fecit. *Henricus* Imperator innumerabilem congregauit exercitum, contra Flandrenſium Comitem *Balwinum*, maxime eo quod apud Neomagum ſuum palatium combuſſiſſet, atque fregiſſet pulcherrimum. In qua expeditione fuit *Leo* Papa, & de multis terris nobiles & magnifici viri quamplurimi. *Swanus* etiam Rex Danorum, vt Imperator illi mandarat, cum ſua claſſe ibi affuit, & ea vice fidelitatem Imperatori iurauit, miſit quoque ad Regem Anglorum *Eadwardum*, & rogauit illum ne *Baldewinum* permitteret effugere, ſi vellet ad mare fugere. Idcirco cum magna claſſe Rex Sandicum portum adiit, & ibi tamdiu manſit, quoad Imperator de *Baldewino* omnia, quæ voluit, habuiſſet. Interea *Swanus* Comes, *Godwini* Comitis, & *Gytæ* filius, qui relicta prius Anglia (quod *Edgiuam* Leonenſis monaſterii abbatiſſam, quam corruperat, in matrimoniũ habere non liceat) Danemerciam adierat, nauibus 8. rediit, dicens cũ ſimulatione, ſe cũ rege à modo fideliter permanſurum. Cui *Beorne* Comes, filius auunculi ſui Danici Comitis *Vlfi*, filii *Sprallingi*, filii *Vrſi*, ac frater *Swani* regis Danorũ promiſit à Rege impetraturum, vt ſuus Comitatus ei redderetur. pacificato itaq; cum imperatore Comite *Baldwino*, Comites *Godwinus & Beorn* 42. nauibus Peueneſea, Regis licentia ſunt deuecti, reliquam vero claſſis partem domum iuſſit redire, paucis ſecum nauibus ibi retentis. Cui cum nuntiatum fuiſſet, quod *Oſgodus Clapa*, cum 29. nauibus in *Vlpe* iaceret, de nauibus, quas remiſit, quot potuit, reuocauit. *Oſgodus* autem, vxore ſua, quam apud Brige commiſerat, recepta, 6. nauibus Denemerciam rediit. aliæ vero Eſtſaxoniam adeuntes, præda non modica, circa præmontorium *Eadulfi*, rapta, redibant. Verum eas in redeundo ſæua corripuit tempeſtas, omneſque ſubmerſit, exceptis duabus, quæ in tranſmarinis partibus captæ ſunt, occiſis omnibus, qui in illis erant. dum hæc agebantur, *Swanus* Comes Peueneſea venit, & conſobrinum ſuum *Beorn* Comitem cum dolo rogauit, vt ad Sandicum portum ſecum iret, & vt illi promiſerat, eum cum Rege pacificaret qui fiſus in conſanguinitatẽ, tribus tantum ſociis aſſumptis, cum illo proficiſci cœpit; at ille ad Boſanham, vbi eius naues erant, duxit eum, & in nauem introductum duris mox loris vinciri iuſſit, ac ſecum tamdiu habuit, donec ad oſtium Dorte veniret, vbi illo occiſo, & in altam foſſam proiecto, terraque obruto, dimiſerunt illum ſex naues, quarum duas paulo poſt ceperunt Heaſtingenſes, & occiſis, qui fuerunt in eis, naues ad Sandwicum conducentes, Regi obtulerunt. *Swanus* vero ad Flandriam, duabus fugens nauibus ibi manſit, quoad Wigornienſis Epiſcopus *Aldredus*, illum reduxit, & cum rege pacificauit.

uit. Eodem anno, Sanctus *Leo* Papa, rogatu eximiæ religionis abbatis *Herimari*, in Franciam venit, habens in Comitatu ſuo præfectum, & digniores quoſque Romuleæ vrbis, & ſancti *Remigii* Francorum Apoſtoli monaſterium, Remis conſtitutum, maximo cum honore dedicauit; & poſtmodum, in ipſa vrbe, magnam ſynodum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, ſex diebus celebrauit: in qua ſynodo, fuit *Aldwinus* Rameſigenſis, & Abbas monaſterii Sancti *Auguſtini* à Rege Anglorum *Eadwardo* illo miſſus. Anno 1050. Rex Scotiæ *Machetad* Romæ argentum ſpargendo diſtribuit: *Edſius* Dorobernenſis Archiepiſcopus obiit, cui *Robertus* Lundonienſis Epiſcopus, genere Normannus ſucceſſit: *Hermannus* Wiltonienſis Epiſcopus, & *Aldredus* Wigornienſis Epiſcopus Romam ierunt. Anno 1051. *Alfricus, qui & Putta*, Eboracenſis Archiepiſcopus Suthwellæ defunctus, Medeshamburcſtede ſepelitur, cui *Kinſius* Regis capellanus ſucceſſit. Rex *Edwardus* abſoluit Anglos à graui vectigali, trigeſimo octauo anno, ex quo pater ſuus Rex *Egelredus* primitus id Danicis ſolidariis ſolui mandarat. Poſt hæc, Menſe Septembri, Bononienſes Comes *Euſtachius* ſenior, qui ſorore *Eadwardi* Regis *Godam* nomine in coniugium habuerat, paucis Doroberniam applicuit nauibus. In qua milites eius, cum ſtolide & inſipienter ſibi hoſpitia quærerent, vnum è ciuibus peremerunt: quod videns conciuis eius vlciſcitur illum, occiſo milite quodam. ob quam rem Comes, & ſui, nimis irati, viros & mulieres quamplures armis interfecerunt, pueros & infantes ſuorum pedibus equorum contriuerunt; ſed vbi ciues ad obſiſtendum concurrere viderunt, turpem fugam ineuntes, vix euaſerunt, ſeptem ex ſociis eorum peremptis, & ad Regem *Eadwardum*, qui tunc temporis Glauorne morabatur, fugerunt. Talia geſti in ſuo Comitatu Comes *Godwinus* grauiter ferens, nimiaque commotus ira de toto Comitatu ſuo, ſcilicet de Cantia, Suthſaxonia, Weſtſaxonia, & filius eius primogenitus *Swanus* de ſuo, id eſt, de Oxenfordenſi, Glauornenſi, Herefordenſi, Summerſeatunenſi, Berrukeſchirenſi prouinciis; alterque filius *Haroldus* de ſuo Comitatu, videlicet, Eſtſaxonia, Eſtanglia, Huntendunenſi, & Grantebrigenſi prouinciis innumerabilem congregauerunt exercitum, quod Regem *Eadwardum* non latuit. Idcirco, nuntiis ad *Leofricum* Mercenſium, & *Siwardum* Northimbrorum Comites feſtinato miſſis, rogauit vt ad ſe in magno periculo conſtitutum, cum omnibus, quos habere poterant, venire accelerarent. Illi autem primo cum paucis venerunt: ſed vbi cognouerunt quo modo ſe habuit res, per ſuos Comitatus celeres miſerunt veredarios, & magnum congregauerunt exercitum. ſimiliter & *Rodulfus* Comes, *Godæ* ſororis *Eadwardi* Regis filius, de ſuo comitatu quot potuit congregauit. Interea *Godwinus* & filii eius, cum ſuis exercitibus poſt natiuitatem Sanctæ *Mariæ*, in Glauornenſem prouinciam venientes, in loco qui Langeto dicitur, caſtra metati ſunt, & legatis Glauornam ad Regem directis, Comitem *Euſtachium*, & ſocios eius inſuper & Normannos, & Bononienſes, qui caſtellum in Dornbernæ cliuo tenuerunt, ſub denunciatione belli repoſcebat. Ob id autem ad tempus Rex perterritus, & in angore magno conſtitutus, quid ageret penitus ignorabat; ſed vbi exercitum Comitum *Siwardi, Leofrici, & Rodulfi* aduentare comperiit, ſe nullatenus *Euſtachium*, alioſque requiſitos traditurum conſtanter reſpondit, quo audito, vacui redeunt legati; quibus abeuntibus, exercitus Glauornam intrauit, ita inflammato & concordi animo ad pugnam paratus, vt ſtatim ſi Rex permitteret, cum exercitu *Godwini* pugnam inire vellet. At quia de tota Anglia, quique meliores in ſua, & in illorum parte erant coadunati Comiti *Leofrico*, & quibuſdam aliis, magnum videbatur conſilium, ne ipſi cum ſuis compatriotis bellum inirent; ſed obſidibus adinuicem datis, Rex & *Godwinus*, die conſtituto ad placitandum Lundoniam conuenirent. probato conſilio, & inuntiis intercurrentibus, obſidibus datis & acceptis, dux in Weſtſaxoniam rediit; Rex vero de tota Mercia & Northimbria copioſiorem exercitum congregauit, & ſecum Lundoniam adduxit. *Godwinus* autem & filii eius ad Suthweorc venere cum magna Weſtſaxonum multitudine: ſed quia ſuus paulatim defluxerat exercitus, placitum inire cum Rege non audebat, verum nocte ſuperueniente fugam iniit. Quare mane facto, Rex in ſuo conſilio, & omnis exercitus, vnanimi conſenſu illum, & quinque filios eius exules fore decreuerunt: qui cum coniuge ſua *Githa & Toſti* cum vxore ſua *Inthitha* filia videlicet BALDWINI Flandrenſis Comitis, ac duo alii filii eius *Swanus, & Girth*, ad Tornege, vbi naues eius paratæ fuerant, venerunt. In qua, tantum auri, & argenti aliarumque rerum prerioſarum, quantum illa portare potuit, feſtinanter imponentes, eamque certatim conſcendentes, ad Flandrenſium Comitem *Baldwinum* direxerunt curſum. Porro *Haroldus & * Leolwinus* filii eius, Briſtowam adeuntes, nauem quam frater illorum SWANVS ſibi parauerat, con- *al. Leofwinus.*

ſcenderunt, & in Hyberniam tranſuecti ſunt: reginam vero *Edgitham* Rex propter iram, quam aduerſus patrem eius *Godwinum* habuerat, repudiauit, & cum vna pediſſequa ad Werewellam eam ſine honore miſit, & Abbatiſſæ cuſtodiendam commendauit. his geſtis Normannicus dux *Willielmus*, cum multitudine Normannorum Angliam venit, quem Rex *Eadwardus*, & ſocios eius honorifice ſuſcepit, & magnis multiſque donatum muneribus ad Normanniam remiſit. Anno milleſimo quinquageſimo ſecundo, *Alfgiua*, id eſt, *Emma* regina quondam & coniux Regum *Egelreds*, *& Canuti*, ſecundo Nonas Martii Wintoniæ obiit, & ibi ſepulta eſt. Eodem anno Wallenſium Rex *Griffinus*. magnam partem Herefordenſis prouinciæ depopulatus eſt, contra quem prouinciales illi, & de caſtello quam plures Normanni aſcenderunt, ſed multis ex illis occiſis, ille victoriam habuit, & ſecum magnam prædam adduxit. Hæc pugna facta eſt eodem die, quo ante tredecim annos fratrem Comitis *Leofrici Edwinum* Wallenſes interfecerunt. paruo poſt tempore, *Haroldus* Comes, & frater eius *Leolfwinus* de Hybernia redeuntes, & oſtium Sabrinæ nauibus multis intrantes, in confinio Sumerſetanæ, & Dorſetanæ applicuerunt, & illis in partibus villas, & agros deprædati ſunt multos. aduerſus quos de Domnania, & Sumerſetania quãplures aſcenderunt, ſed eos vicit *Haroldus*, cæſis ex illis pluſquam triginta nobilibus miniſtris, cum aliis multis: dein ad naues cum præda rediit, & mox Penwichthſteort circumnauigauit. Tunc Rex *Eadwardus* quadraginta naues alimentis, electiſque militibus inſtructas, ad Sandwicum portum feſtinato miſit, & eos aduentum Comitis *Godwini* opperiri, & obſeruare iuſſit, ſed tamen ignorantibus omnibus, ille cum paucis nauibus reuerſus in Cantia applicuit, & miſſis latenter nunciis, primitus Cantuarienſes, dein Suthſaxones, Eſtſaxones, Suthregienſes, & omnes Buthſecarlas de Haſtinga, & vbique circa ripas maris, alioſque nonnullos in auxilium ſui allexit: hi omnes, vno ore aut viuere, aut mori ſe paratos fore ſibi promiſerunt. Quod vbi Regiæ claſſi, quæ ad Sandwicum portum iacebat, innotuit, illum inſequuntur, ille vero fugiens euaſit, & quo in loco potuit, ſe occultauit. Illi vero ad Sandwicum portum ſunt reuecti, & inde Lundoniam ſunt reuerſi. Hoc cognito, Comes *Godwinus* ad Vectam inſulam reuehitur, & circa ripas maris tamdiu nauigabatur, donec ad illum filii eius *Haroldus & Leolfwinus*, ſua cum claſſe venirent, cumque in vnum conueniſſent à deprædatione, & depopulatione deſtiterunt; victum autem exercitui ſuo, cum res expoſceret, ſumebant, circa ripas autem maris & vbicunque locorum, omnes quos pôterant ſibi in adiutorium allicientes, & Buthſecarlas omnes, quos obuios inuenerant ſecum legentes, verſus Sandwicum portum curſum direxerunt, quo cum veniſſent, Regi *Eadwardo* tunc temporis Lundoniæ demoranti, illorum aduentus nuntiatur; qui, nunciis propere miſſis, omnibus, qui à ſe non defecerant, mandauit, vt in adiutorium ſui venire maturarent, at illi nimis tardantes, ad tempus non venerunt. Interea cum ſua claſſe *Godwinus* Comes aduerſus curſum Tameſis deuectus, die exaltationis Sanctæ Crucis, feria ſecunda ad Suthweorc venit, & ibi tam diu expectauit, quoad maris acceſſus adueniret. Interim quoſdam per internuncios, ciues Lundonienſes, quos variis pollicitationibus prius illexerat, conuenit, & vt omnes fere, quæ volebat, omnino vellent, effecit. Inde rebus omnibus diſpoſitis, & ordinatis, reumate adueniente, feſtinanter anchoras ſuſtulerunt, ac nullo in ponte, obſiſtente, per Auſtralem fluminis crepidinem ſurſum nauigauerunt. Venit, & pedeſtris exercitus, ac ſe per oram fluminis ordinatim diſponens, ſpiſſam, terribilemque fecit teſtudinem: dein claſſis ſe verſus Aquilonem in Ripam vertit, quia Regis claſſem circumdare vellet. Habebat enim & Rex claſſem, & numeroſam pedeſtrem exercitum: ſed quia ibi & cum Rege, & cum *Godwino* erant perpauci, qui fortitudinis aliquid haberent, (in tantum Angli pugnare aduerſus ſuos propinquos ac compatriotas pene omnes abhorrebant) Vnde ſapientiores quique ex vtraque parte, inter Regem, & ducem pacem reintegrantes, exercitum ab armis diſcedere iuſſerunt; mane autem facto Rex habuit concilium, priſtinumque honorem pleniter reddidit *Godwino* & vxori ſuæ, filiiſque omnibus, excepto *Swano*. Ille enim ductus pœnitentia, eo quod vt prædiximus conſobrinum ſuum *Beorn* occiderat, de Flandria nudis pedibus Ieruſalem adierat, indeque rediens inualitudine ex nimio frigore contracta, mortuus eſt in Licia, filiam quoque ducis EDGITHAM Reginam digniter Rex recepit, ac priſtinæ dignitati reſtituit. Facta igitur concordia paceque firmata, omni populo rectam legem promiſerunt, & omnes Normannos, qui leges iniquas adinuenerant, & iniuſta iudicia iudicauerant, multaque Regi conſilia aduerſus Anglos dederant, exlegauerunt; paucos tamen ſcilicet ROBERTVM Draconem, & generum eius RICHARDVM

Scrobi

Scrobi filium *Alfredum* Regis ſtratorem, *Aufridum* cognomento *Ceokesfot*, & quoſdam alios quos plus cæteris Rex dilexerat, eique & omni populo fideles extiterant, in Anglia * remeare permiſerunt. Porro *Robertus* Dorobemiæ Archiepiſcopus, & Lundoniæ præſul *Willielmus* & *Vlf* Lincolnenſis antiſtes, cum ſuis Normannis vix euadentes mare tranſierunt, ſed *Willielmus* propter ſuam bonitatem, paruo poſt tempore reuocatus, in ſuum Epiſcopatum recipitur. *Osbernus* vero cognomento *Pentecoſt*, & ſocius eius HVGO ſua reddiderunt caſtella, & Comitis *Leofrici* licentia, per ſuum comitatum Scotiam adeuntes à Rege Scottorum * *Machetad* recepti ſunt. Eodem anno in nocte feſtiuitatis Sancti *Thomæ* Apoſtoli, tantus tamque vehemens extitit ventus, vt multas Eccleſias, domoſque dirueret, & innumeras arbores frangeret, vel radicitus euelleret,

al. remanere.

al. Macbeotha.

Anno milleſimo quinquageſimo tertio, *Griffini* Regis Auſtralium Wallenſium frater *Rees* nomine, propter frequentes prædas, quas egit in loco, qui Bulendun dicitur, iuſſu Regis *Eadwardi* occiditur, & Glauornam caput eius ad Regem in Vigilia Epiphaniæ eſt allatum. Eodem anno, dum ſecunda Paſchalis feſtiuitatis celebraretur feria, Wintoniæ *Godwino* Comiti ex ſolito Regi ad menſam aſſidenti, ſuprema calamitas euenit. Graui etenim morbo ex improuiſo percuſſus, mutus in ipſa ſede declinauit. Quod filii Comes *Haroldus*, *Toſtius*, & *Girth* videntes illum in cameram Regis portauerunt, ſperantes eum poſt modicum de infirmitate conualeſcere, ſed ille expers virium, quinta poſthæc feria, decimo ſeptimo Kalendas Maii vita deceſſit, & in veteri monaſterio ſepultus eſt. Cuius ducatum ſuſcepit filius eius *Haroldus*, & eius Comitatus datus eſt *Algaro Leofrici* Comitis filio.

Anno milleſimo quinquageſimo quarto, ſtrenuus dux Northimbrorum, *Siwardus* iuſſu Regis *Eadwardi*, & equeſtri exercitu & claſſe valida Scotiam adiit, & cum Rege Scottorum *Machetad*, prælium commiſit, ac multis millibus Scottorum, & Normannis omnibus, quorum ſupra mentionem fecimus, occiſis, illum fugauit, & *Malcolmum* Regis Cumbrorum filium, vt Rex iuſſerat, Regem conſtituit. In eo tamen prælio filius ſuus, & multi Anglorum, & Danorum ceciderunt. Mortuo *Godwino* Wincelcumbenſi Abbate, *Alredus* Wigornienſis Epiſcopus, in feſtiuitate Sancti *Kenelmi*, *Godricum*, *Godmanni* Regis Capellani filium, loco eius Abbatem conſtituit. Dein magnis cum xeniis idem Epiſcopus, Regis fungitur legatione ad Imperatorem, à quo ſimul, & *Heremanno* Colonenſi Archipræſule, cum magno ſuſceptus honore, ibidem per integrum annum manſit, & ex parte Regis, Imperatori ſuggeſſit, vt legatis Hungariam miſſis, fratruelem ſuum *Edwardum*, Regis videlicet *Eadmundi* ferrei lateris filium reduceret, Angliamq; venire faceret.

Anno milleſimo quinquageſimo quinto, *Siwardus* dux Northimbrorum Eboraci deceſſit, & in monaſterio Galmanho, quod ipſe conſtruxerat, ſepultus eſt, cuius ducatus *Toſtio Haroldi* ducis germano datus eſt. Non multo poſt Rex *Eadwardus* habito Lundoniæ concilio, *Algarum* Comitem, filium *Leofrici* Comitis ſine culpa exlegauit, qui mox Hyberniam petiit, & decem & octo piraticis nauibus adquiſitis, rediit, & *Griffinum* Regem Wallenſium adiit, eumque petiuit, vt contra Regem *Eadwardum* ſibi eſſet in auxilium; ille autem ſtatim de toto Regno ſuo copioſum exercitum congregans, *Algaro* præcepit, vt loco conſtituto, ſibi & exercitui eum ſuis copiis occurreret; quibus in vnum conuenientibus, fines Anglorum depopulaturi Herefordenſem prouinciam intrauerunt, contra quos timidus dux *Rodulfus* Regis *Eadwardi* ſororis filius exercitum congregans, & duobus milliariis à ciuitate Hereforda, nono Kalendas Nouembris illis occurrens, Anglos contra morem in equis pugnare iuſſit, ſed cum prælium eſſent commiſſuri, Comes cum ſuis Francis & Normannis fugam primitus capeſſit; quod videntes Angli, ducem ſuum fugiendo ſequuntur. Quos aduerſarii fere omnes inſecuti quadringentos vel quingentos viros ex eis peremerunt, multoſque vulnerauerunt; dein victoria potiti, Rex *Griffinus*, & Comes *Algarus* Herefordam intrauerunt, & ſeptem Canonicis, qui valuas principalis baſilicæ defenderant occiſis, ac monaſterio, (quod verus Chriſticola antiſtes *Athelſtanus* conſtruxerat) cum omnibus ornamentis & reliquiis Sancti *Agelberti* Regis, & martyris, aliorumque Sanctorum, combuſto, & nonnullis è ciuibus necatis, multiſque captiuatis, ciuitate etiam ſpoliata & cremata, prædæ vbertate ſunt ditati. Mox Anglia exercitum congregari iuſſit, cui Glauornæ congregato, ſtrenuum ducem *Haroldum* præfecit, qui eos perſequitur, ac fines Wallanorum audacter ingreſſus, vltra Straddele caſtra metatus eſt. Sed illi, qui virum fortem & bellicoſum imperatorem ſciebant, cum eo committere bellum non audebant, in Suthwaloniam

fugerunt. Quo comperto, maiorem exercitus partem ibi dimiſit, mandans eis, vt ſuis aduerſariis, ſi res expoſceret, viriliter reſiſterent, cum cætera vero multitudine Herefordam rediens, vallo alto illam cinxit, portis & ſeris muniuit. Interea legatis intercurrentibus, *Griffinus*, *Algarus*, & *Haroldus*, & qui cum illis fuerant in loco, qui Biligeſleage dicitur, conuenerunt, & pace data & accepta, firmam amicitiam inter ſe pacti ſunt. quibus patratis, claſſis *Algari* Comitis Legaceſtram deuecta, ſtipendium, quod eis promiſerat, ibi expectauit. Ipſe vero ad Regem venit, & ab eo ſuum Comitatum recepit. Eodem tempore, religioſus vir *Tremerinus* Walonicus antiſtes deceſſit: hic, multo tempore, vicarius *Adhelſtani* Herefordenſis præſulis extitit, poſtquam ipſe miniſterium Epiſcopale per ſe implere nequit. Erat enim per annos tredecim, oculorum lumine priuatus. *Hermannus* Wiltoniæ prouinciæ præſul offenſus, quia ei ſedem Epiſcopalem transferre de villa, (quæ Rammeſbirig dicitur) ad Abbatiam Malmesburienſem Rex nollet concedere, Epiſcopatum dimiſit, marique transfretato, apud Sanctum *Bertinum* Monachicum habitum ſuſcepit, ibique in ipſo monaſterio tribus annis manſit. Anno milleſimo quinquageſimo ſexto, *Henricus* Imperator Romanorum obiit, cui ſucceſſit *Henricus* filius eius. Vir magnæ ſanctitatis Herefordenſis Epiſcopus *Adhelſtanus*, quarto Idus Februarii, in villa, qui dicitur Boſanbrig, deceſſit, cuius corpus Herefordam delatum in Eccleſia, quam ipſe à fundamentis conſtruxerat, eſt tumulatum. Cui *Leonegarus* ducis *Haroldi* capellanus ſucceſſit, qui eodem anno decimo ſexto Kalendas Iulii, à *Griffino* Walanorum Rege in loco, qui Glaſtingebiric dicitur, cum clericis ſuis, & vicecomite *Agelnotho*, & multis aliis occiſus eſt. manſit autem in Epiſcopatu vndecim ſeptimanis, & quatuor diebus. Quo perempto, *Adredo* Wigornienſi præſuli, donec antiſtes conſtitueretur, Epiſcopatus Herefordenſis commiſſus eſt. Poſthæc idem Epiſcopus, & Comites *Leofricus* ac *Haroldus*, cum Rege *Eadwardo Griffinum* Walanorum Regem pacificauerunt. Comes Agelwinus *Oddo* Eccleſiarum amator, pauperum recreator, viduarum & pupillorum defenſor, virginitatis cuſtos, ab *Alredo* Wigornienſi Epiſcopo, ante ſuum obitum monachizatus, 2. Kalendas Septembris, apud Deorhirſt deceſſit, ſed in Monaſterio Perſcorenſi, honorifice ſepultus quieſcit. Dunelmenſis Epiſcopus *Algericus*, Epiſcopatu ſponte relicto, ad Monaſterium ſuum, quod dicitur Burh, vbi nutritus, & Monachus eſt factus, ſeceſſit ibique annis duodecim degit. cui eiuſdem Monaſterii Monachus frater ipſius *Agelwinus*, in Epiſcopatu ſucceſſit. Anno milleſimo quinquageſimo ſeptimo, *Clito Eadwardus*, *Regis Eadmundi* ferrei lateris filius, vt ei mandarat ſuus patruus, Rex *Eadwardus* de Hungaria, quo multo ante (vt prædiximus) in exilium miſſus fuerat, Angliam venit. Decreuerat enim Rex illum poſt ſe Regni hæredem conſtituere, ſed ex quo venit, paruo poſt tempore vita deceſſit Lundoniæ. excellentis vir memoriæ, laudabilis Comes *Leofricus*, *Leofwini* ducis filius, in propria villa, quæ dicitur Bromleage, ſecundo Kalendas Septembris, in bona ſenectute deceſſit, & Conuentro ſepultus eſt honorifice; quod Monaſterium, inter cætera bona opera, quæ in ſua vita geſſit, ipſe, & vxor illius Deicultrix & Sanctæ *Mariæ* ſemper virginis amatrix deuota, nobilis Comitiſſa *Godiua*, de ſuo patrimonio à fundamentis conſtruxerunt, & id terris ſufficienter locupletauerunt, ornamentis variis adeo ditauerunt, vt in nullo monaſterio totius Angliæ, tanta copia auri, argenti, gemmarum, lapidumque pretioſorum inueniretur, quanta tunc temporis habebatur in illo. Leonenſe etiam & Wanlokenſe cœnobium, ſanctique *Iohannis Baptiſtæ*, *ac Sanctæ Wereburgæ* virginis monaſteria, in Legaceſtria ſita, & Eccleſiam, quam Lincolnienſis præſul *Eadnotus* in loco famoſo, qui Sanctæ *Mariæ* Stou Anglice, Latinæ vero Sanctæ *Mariæ* locus appellatur, pretioſis ditauerunt ornamentis; Wigornienſe quoque Monaſterium terris, & Heueshamuenſe, ædificiis, ornamentis variis, terriſque locupletauerunt. Huius itaque Comitis Sapientia quamdiu dixit, Regibus, omnique populo Anglorum multum profecit, cuius ducatum filius ſuus *Algarus* ſuſcepit. Hecca præſul Auſtralium Saxonum obiit; pro quo *Egelricus* Monachus Eccleſiæ *Chriſti* Cantuarienſis eligitur. Anno milleſimo quinquageſimo octauo, *Algarus* Merciorum Comes, à Rege *Eadwardo* ſecundo exlegatus eſt, ſed Regis Walanorum *Griffini* iuuamine, & Norreganicæ claſſis adminiculo, quæ ad illum venerat ex improuiſo, cito per vim ſuum Comitatum recuperauit. *Aldredus* Wigornienſis Epiſcopus Eccleſiam, quam in ciuitate Glauorna à fundamentis conſtruxerat, in honore principis Apoſtolorum *Petri* honorifice dedicauit: & poſtea Regis licentia *Wlſtanum* Wigornienſem Monachum à ſe ordinatum Abbatem conſtituit ibidem. Dein præſulatu dimiſſo Wiltonienſis Eccleſiæ, qui ſibi ad regendum commiſſus fuerat, & HERMANNO, cuius ſupra mentionem fecimus, reddito, mare tranſiit, & per Hun-

Hungariam profectus eſt Ieroſolymam; quod nullus Archiepiſc. vel Epiſc. Angliæ eatenus dignoſcitur feciſſe. Anno 1059. *Nicolaus* Florentiæ ciuitatis Epiſcopus Papa eligitur, & *Benedictus* eiicitur. Anno 1060. *Henricus* Rex Francorum obiit, cui filius eius primogenitus *Philippus* ſuccedit. Willenſis Epiſcopus *Duduc* obiit, cui ſucceſſit *Giſa* Regis capellanus, ambo de Lotharingia oriundi. Eboracenſis Archiepiſcopus *Kinſius* 11. Kalend. Ianuarii, Eboraci obiit, cuius corpus ad monaſterium, quod Burch dicitur, delatum, honorifice eſt tumulatum. Pro quo Wigornienſis Epiſcopus *Aldredus* ad Archiepiſcopatum in natiuitate Domini eligitur, & Herefordenſis præſulatus, qui ei propter induſtriam ſuam fuerat commiſſus, capellano *Edgithæ* reginæ, *Waltero* Lotaringo eſt datus. Anno 1061. *Aldredus* Eboracenſis Archiepiſcopus cum *Toſtio* Comite Romam iuit, & à *Nicolao* Papa pallium ſuſcepit. Interim Rex Scotorum *Malcolmus* ſui coniurati fratris *Toſtii* Comitatum, id eſt, Northimbriam fortiter depopulatur, violata pace Sancti *Cuthberti* in Eilond. Eodem anno *Nicolaus* Papa obiit. *Alexander* Papa electus 149. ſucceſſit. Anno 1062. *Wlſtanus* vir venerandus pontifex Wigornienſi Eccleſiæ præficitur. Hic Deo amabilis, Regione Merciorum in prouincia Warewicenſi, parentibus religioſis oriundus, patre videlicet *Eaſtano* matre vero *Wlfgeoua* nomine, in nobili autem monaſterio (quod Burch nominatur) literis & Eccleſiaſticis officiis imbutus, extitit; qui ambo ſcilicet parentes eius in tantum religioni ſtudebant, vt longe ante finem vitæ, caſtitatem profeſſi ſe ab inuicem ſeparantes, ſub ſanctæ conuerſationis habitu, vitam conſummare gauderent. Quorum exemplo ipſe adoleſcens incitatus, matre id maxime perſuadente, ſeculum reliquit, atque in eodem Wigornienſi Monaſterio, in quo & ante pater eius Deo ſeruierat, monachicum habitum & ordinem à venerabili *Brichthego* eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopo ſuſcepit, à quo etiam in gradu tam diaconatus, quam presbyteratus ordinatus eſt. Statim igitur in ipſo initio arduam, & omni religione plenam arripiens vitam, in vigiliis, ieiuniis, orationibus, omnique virtutum genere, ſubito admirandus apparuit. hinc ob morum diſciplinam, primo magiſter & cuſtos infantium aliquandiu conſtituitur, deinde ob ſolertiam Eccleſiaſtici officii cantor ſimul, & theſaurizarius Eccleſiæ ex præcepto ſeniorum efficitur. Nactus vero occaſionem liberius Deo ſeruiendi, ex cuſtodienda ſibi commiſſa Eccleſia, totum ſe contemplatiuæ vitæ dedit; die noctuque in ea aut orationi, aut diuinæ lectioni inſiſtens, bidui, triduique ieiunio aſſidue corpus macerans; ſacris vigiliis in tantum deditus, vt non modo diem cum nocte, ſed & aliquando, quod à nobis vix crederetur ſi non ab ipſius ore hoc audiuiſſemus, quatuor dies cum noctibus abſque ſomno pertranſiens fere exſiccato cerebro periculum incurreret, niſi ſopore prælibato naturæ ſatisfacere feſtinaret. Denique & cum vi naturæ dormire compelleretur non lecto, aut lectiſterniis membra ad ſoporem fouebat, ſed ſuper ſcamnum Eccleſiæ libro, in quo orabat ſiue legebat, caput ſuſtentans, pauliſper ſe reclinabat. Poſt aliquod autem tempus, defuncto *Agelwino* Priore monaſterii, ipſe vir reuerendus Prior & Pater congregationis ab *Aldredo* Epiſcopo conſtituitur. Quod officium valde laudabiliter adimplens prioris conuerſationis auſteritatem minime reliquit, immo vt cæteris bene viuendi exemplum daret multipliciter aduxit, deinde poſt aliquot annorũ curricula, electo ad archiepiſcopatũ Eboracenſis eccleſiæ prædicto *Aldredo* Wigornienſi Epiſcopo, fit vnanimis conſenſio tam cleri, quam etiam totius plebis in eius electione, Rege videlicet *Eadwardo* annuente, vt quem ſibi vellent præſulem eligerent. contigit namque eo tempore vt & legatos Apoſtolicæ ſedis eius electioni intereſſe *Armenfredum* ſcilicet Sedunenſem Epiſcopnm, & alium, quia domino Papa *Alexandro* pro reſponſis Eccleſiaſticis ad Regem Anglorum *Eadwardum* miſſi, regio præcepto Wigorniæ per totam fere Quadrageſimam degebant, expectantes reſponſum ſuæ legationis vſque ad curiam regalem proximi Paſchæ. Hi videntes dum ibi morarentur, eius laudabilem vitam, in eius electionem non tantum conſentiebant, immo tam clerum, quam plebem maxime ad hæc inſtigabant, ſuaque autoritate electionem firmabant: illo vero obſtinatiſſime renuente, ſeque indignum acclamante, & cum ſacramento etiam affirmante ſe multo libentius decollationi quam tam altæ ordinationi ſuccumbere velle, cum ſæpe à viris religioſis ſuper hoc circumuentus, ad conſentiendum minime perſuaderi poſſet, tandem à viro Dei *Wlſio* incluſo, qui tunc plus 40. annis ſolitariam vitam egiſſe noſcebatur, acriter pro inobedientia & obſtinatia correptus, diuino etiam oraculo territus conſentire cum maximo cordis dolore compulſus eſt, & epiſcopatu ſuſcepto, Dominico die, quo ſanctæ Mariæ natiuitas celebratur, conſecratus, vita & virtutibus clarus Wigornienſis Eccleſiæ præſul effulſit. Conſecratus eſt igitur ab *Aldredo* Eboracenſi Archiepiſc. eo quod *Stigando* Dorobernię Archiepiſcopo officium Epiſcopa-

le tunc à domino Papa interdictum erat, quia *Roberto* Archiepiſcopo viuente Archiepiſcopatum ſuſcipere præſumpſit: canonica tamen profeſſione, præfato Dorobernenſi Archiepiſcopo *Stigando*, non ſua ordinatori *Aldredo* facta. Inſuper & ipſe Archipræſul Eboracenſis ordinator eius coram Rege, & regni optimatibus, ipſo *Stigando* factitante, propter ſubſequentium calumnias, profiteri iuſſus eſt, ſe nullum ius Eccleſiaſticæ, ſeu ſecularis ſubiectionis ſuper eum deinceps velle clamare, nec propter quod ab eo conſecratus eſt, nec quia ante conſecrationem eius Monachus factus eſt. facta eſt autem hæc illius ordinatio, anno ætatis ſuæ plus 50. Regni vero Regis *Eadwardi* anno 20. indictione 15. anno 1063. ſtrenuus dux Weſtſaxonum *Haroldus*, iuſſu Regis *Eadwardi* poſt Natiuitatem Domini equitatu non multo ſecum aſſumpto, de Glauorna, vbi tunc Rex morabatur, ad Radelam multa cum feſtinatione profectus eſt, vt Regem Walanorum *Griffinum* propter frequentes depopulationes, quas in Anglorum finibus agebat, ac verecundias, quas domino ſuo *Eadwardo* ſæpe faciebat, occideret. At ille, eius aduentu præcognito fugam cum ſuis iniit, nauem conſcendit, & vix euaſit. *Haroldus* vero, vt eum fugiſſe comperit, palatium eius incendit, & naues eius cum armamentis combuſſit, eodemq; die rediit, ſed circa Rogationes de Briſtow claſſica manu profectus, magna ex parte terram Walanorum circumnauigabat, cui frater ſuus *Toſtius* Comes cum equeſtri (vt Rex mandarat) occurrit exercitu, & viribus ſimul iunctis regionem illam depopulari cœperunt. Vnde Walani coacti, datis obſidibus, ſeſe dederunt, & ſe tributum illi daturos promiſerunt, regemque ſuum *Griſſinum* exlegantes abiecerunt. Anno 1064. Rex Walanorum *Griffinus* nonas Auguſti à ſuis interficitur, & caput eius, caputque nauis ipſius cum ornatura, Comiti *Haroldo* mittitur. Quæ mox ille regi detulit *Eadwardo*. Quibus geſtis, fratribus illius *Blethogento*, *& Rithwalano* Rex *Eadwardus* terram Walanorum dedit, cui & *Haroldo* Comiti fidelitatem iurauerunt illi, & ad imperium illorum, terra marique ſe fore paratos, ac omnia, quæ prius de terra illa regibus anterioribus, fuerant penſa, obedienter ſe penſuros ſpoponderunt. Anno 1065. Reuerendus vir *Agelwinus* Dunelmenſis Epiſcopus, Sancti *Oſwini* Regis quondam Berniciorum oſſa, in monaſterium, quod iuxta oſtium fluminis Tine ſitum eſt, de tumulo leuauit, tranſactis à ſepultura eius 415. annis, & in ſcrinio cum magno honore locauit. Strenuus dux Weſtſaxonum *Haroldus*, in terram Walanorum in loco, qui Portaſcith nominatur, menſe Iulio, magnum ædificari iuſſit ædificium, & multa, quæ pertinent ad eſum & potum illuc congregari mandauit, vt Dominus ſuus Rex *Eadwardus* illic aliquandiu venationis cauſa degere poſſet. Sed *Caradoc* filius Regis Suthwalanorum Griffini, quem ante paucos annos Griffinus Rex Northwallanorum occiderat, eiuſq; regnum inuaſerat, cum omnibus, quos habere poterat, die feſtiuitatis ſancti *Bartholomæi* Apoſtoli illuc venit, & operarios fere cunctos cum illis, qui eis præerant, peremit, & omnia bona, quæ ibi congregata fuerant, abſtulit. Deinde 5. Nonas Octobris, feria 2. Northimbrenſes miniſtri Gamelbarn, *Dunſtanus* filius *Agelnothi*, *Glonierm* filius *Eardulfi* cum 200. militibus, Eboracum venerunt, & pro execranda nece nobilium Northimbrenſium, miniſtrorum *Goſpatrici* (quem regina *Egitha* germani ſui *Toſtii* cauſa in curia Regis quarta nocte natiuitatis Dominicæ per inſidias occidi iuſſit) & *Gamelis*, filii *Orm*, ac *Vlfii*, filii *Dolfini*, quos anno præcedenti Eboraci in camera ſua ſub pacis fœdere per inſidias Comes *Toſtius* occidi præcepit, nec non pro immenſitate tributi, quod de tota Northimbria iniuſte acceperat, eodem die, primitus illius Danicos huſcarlas *Amundum & Rauenefwearcum* de fuga retractos, extra muros ciuitatis, ac die ſequenti, pluſquam 200. viros ex curialibus in Boreali parte fluminis Humbræ, peremerunt, ærarium quoque ipſius fregerunt, ac omnibus quæ illius erant, ablatis receſſerunt, omnes fere dehinc, comitatus illius, in vnum congregati, *Haroldo* Weſtſaxonum duci, & aliis, quos Rex *Toſtii* rogatu pro pace redintegranda ad eos miſerat, in Northamtonia occurrerunt. Vbi prius, & poſt apud Oxenefordam, die Sanctorum Apoſtolorum *Simonis & Iudæ*, dum *Haroldus* & alii quamplures Comitem *Toſtium*, cum eis pacificare vellent, omnes vnanimi conſenſu contradixerunt, ac eum cum omnibus, qui legem iniquam ſtatuere illũ incitauerant, exlegauerunt. Et poſt feſtiuitatem omnium S. cum adiutorio Comitis *Edwini* de Anglia *Toſtium* expulerunt. Qui mox cum vxore ſua *Baldwinum* Flandrenſiũ Comitem adiit, & apud ſanctum *Audomarum* hyemem exegit. * *Morgarus* vero iuſſu Regis Northumbris eſt prælatus Comes. Poſt hæc rex *Eadwardus* paulatim ægrotare cœpit, in natiuitate vero Domini curiam ſuam, vt potuit Lundoniæ tenuit, & Eccleſiam, quam ipſe à fundamentis conſtruxerat die Sanctorum Innocentiũ in honore Sancti *Petri* Apoſtolorum principis cum magna gloria dedicari fecit.

al. Morkarus.

Haroldus. Anno ab incarnatione Domini 1066. Anglorum decus, pacificus Rex *Eadwardus*

Egel-

Egelredi Regis filius poſtquam 23. annis, menſibus 6. & 27. diebus poteſtate regia Anglis Saxonibus præfuit, indictione quarta vigilia Epiphaniæ Domini, feria 5. mortem obiit Lundoniæ, & in craſtino ſepultus regio more; ab omnibus, qui tunc affuere, non ſine lachrymis plangebatur amariſſime. Quo tumulato, ſubregulus *Haroldus Godwini* ducis filius, quem Rex ante ſuam deceſſionem regni ſucceſſorem elegerat, à totius Angliæ primatibus ad regale culmen electus, die eodem ab *Aldredo* Eboracenſi Archiepiſcopo in Regem honorifice eſt conſecratus. De miraculis, quæ Deus, qui ſemper eſt mirabilis & glorioſus in ſanctis ſuis, dignatus eſt operari pro beato *Eadwardo* rege, & confeſſore in vita ſua, hic pauca ſcribuntur. *Igitur quadam die, dum idem Rex, ad celebrationem Miſſæ apud Weſtmonaſterium ante altare, in oratione proſtratus iaceret, vidit qualiter Rex Danorum parato nauigio magno, vt in Angliam hoſtiliter veniret, cum de nauicula in maiorem nauem intrare deberet, lapſus inter vtramq́; in profundum maris, ſubmerſus eſt, & ſtatim diſſipatum eſt nauigium eius. Quo viſo miraculo, beatus Rex* Eadwardus *riſit, immenſas agens gratias Deo. Epiſcopus vero, qui Miſſam illam celebrauit, timuit, quod Rex aliquid de eo vidiſſet in celebratione Miſſæ, vnde riſum feciſſet: celebrata itaq́; Miſſa, Epiſcopus conuocatis Comite* Haroldo, *& aliis magnatibus Regis, qui aderant, diligenter quæſiuit à Rege, qua de cauſa ipſe in celebratione Miſſæ riſum fecerat, & narrauit ei Rex viſionem, quam viderat, & notatis die, & hora, miſerunt legatos in Denemarchiam, & inuenerunt ita accidiſſe Regi Danorum ſicut Rex* Eadwardus *prædixerat. Item de eodem. Quadam die, cum prædictus Rex Anglorum* Eadwardus, *iter ageret, habuit ſibi obuium beatum* Iohannem *Apoſtolum & Euangeliſtam in ſpecie pauperis, petentem ab eo eleemoſynam, & cum Rex non haberet quod commodius ei daret, extraxit annulum ſuum à digito ſuo, & dedit illi. Eodem vero die, beatus ille Euangeliſta apparuit cuidam peregrino exeunti de ſancta ciuitate Ieruſalem, & ait illi; vnde es? & quo vadis? cui peregrinus reſpondit; de Anglia ſum, & ad Angliam redire deſidero: cui Apoſtolus dixit, noſtine Regem Angliæ* Eadwardum*? & reſpondens ille dixit, noui Domine, & ait illi Apoſtolus; Accipe annulum hunc, & affer Regi* Eadwardo, *& dic ei, quod* Iohannes *Apoſtolus remittit ei hunc annulum, quem ipſe illi dederat hodie in via, qua ambulabat, & Angelus Domini bonus comitetur tecum, & faciat tibi proſperum iter, Amen; & ſic accepto annulo, & valedicto, Apoſtolicus vltra non comparuit illi. Eodem autem die, peregrinus ille Domino duce, cui nihil eſt impoſſibile, venit in Angliam, & tradito Regi annulo ſuo narrauit ei omnia, quæ illi acciderant in via, & quod illo die à Ieroſolymis receſſerat; quod quamuis impoſſibile videbatur; tamen per aſſertionem peregrinorum, qui cum eo Ieroſolymis erant, poſt longi temporis ſpatium in Angliam redeuntium, verum eſſe comprobatur. Item de eodem Rege* Eadwardo *quadam die contigit, quod cum prædictus Rex Anglorum* Eadwardus, *regina, & Comite* Haroldo *deducentibus ærarium ſuum intrauit, vt pecuniam videret magnam, quam regina & Comes* Haroldus, *Rege ipſo neſciente, collegerant ad opus Regis (ſcilicet per ſingulos Comitatus totius Angliæ de vnaquaque hida terræ quatuor denarios, vt Rex inde contra natale Domini pannos emeret ad opus militum, & ſeruientium ſuorum) cumq́; Rex intraſſet ærarium ſuum, comitantibus regina, & Comite* Haroldo, *vidit Diabolum ſedentem ſuper denarios illos, & ait illi Rex, quid hic facis? cui Dæmon reſpondit: cuſtodio hic pecuniam meam, & dixit ei Rex: coniuro te per patrem & filium, & ſpiritum ſanctum, vt indices mihi quamobrem pecunia iſta tua eſt. Et reſpondens dixit ei Dæmon: quia iniuſte adquiſita eſt de ſubſtantiis pauperum. Illi autem, qui illum comitabantur, ſtabant ſtupefacti, audientes quidem illos loquentes, neminem autem videntes præter ſolum Regem; & ait illis Rex: reddite denarios iſtos illis à quibus capti ſunt, & fecerunt ſicut præcepit illis Rex. Item de eodem Rege* Eadwardo. *Quadam die ſolemni, cum prædictus Rex Anglorum* Eadwardus *Londoniæ eſſet coronatus, & regalibus indutus eſſet indumentis, & verſus monaſterium ab aula ſua ſtipatus agmine nobilium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, cleri, & populi, progrederetur, ſedit quidam leproſus vlceribus plenus, in via, qua Rex tranſiturus erat, & qui præibant, increpabant eum, vt taceret, volentes eum inde remouere, quibus, Rex ait, ſinite eum ibi ſedere, & cum Rex appropinquaſſet illi, dixit ei leproſus; coniuro te per Deum viuum, vt portes me in ſcapulis tuis, vſq; in Eccleſiam, & ſtatim Rex demiſſo capite præcepit leproſum illum in collo ſuo poni, & factum eſt ita, cumq́; Rex procederet, precatus eſt Dominum, vt ipſe ſanitatem redderet leproſo illi, & exaudita eſt oratio eius, & leproſus ſanus factus eſt ex hora illa, laudans & benedicens dominum. Haroldus* vero mox vt regni gubernacula ſuſceperat, leges iniquas deſtruere, æquas cœpit condere, Eccleſiarum ac monaſteriorum patronus fieri, Epiſcopos, abbates, monachos, clericos colere ſimul, ac venerari, pium, humilem, affabilemq; ſe bonis omnibus exhibere, malefactores exoſos habere. Namq; ducibus, ſatrapis vicecomitibus, & ſuis in commune præcepit miniſtris, fures, raptores, regni diſturbatores comprehendere, & pro patriæ defenſione ipſemet terra mariq; deſudare. Eodem anno, 8. Kalendas Maii, ſtella cometis, non ſolum in Anglia, ſed etiam vt fertur, per totum mundum viſa, per 7. dies, ſplendore nimio fulgebat. Vnde quidam ſic ait.

Anno milleno, ſexageno, quoq; ſeno,
Anglorum metæ crinem ſenſere cometæ.

Non multo poſt Comes *Toſtius* de Flandria rediens, ad Vectam inſulam applicuit, & poſtquam inſulanos ſibi tributum, & ſtipendium ſoluere coegerat, diſceſſit, & circa ripas maris, donec ad Sandwicum portum veniret, prædas exercuit. Quo cognito, Rex *Haroldus*, qui tunc Lundoniæ morabatur, claſſem non modicam, & equeſtrem exercitum congregari præcepit. Ipſe vero Sandwicum portum adire parabat. Quod dum *Toſtio* Comiti nunciatum fuiſſet, de butſecarlis quoſdam volentes, & quoſdam nolentes ſecum aſſumens, receſſit, & curſum ad Lindeſeiam direxit. In qua villas quam plures incendit, multoſque homines neci tradidit. His cognitis, dux Merciorum *Edwinus*, & Northimbrorum Comes *Morcarus* cum exercitu aduolant, illumq; de regione illa extrudunt. Ille autem inde diſcedens, Regem Scottorum *Malcolmum* adiit, & cum eo per totam æſtatem permanſit. Interea Rex *Haroldus* ad Sandwicum portum venit, ibiq; claſſem ſuam expectauit, quæ cum eſſet congregata, Vectam inſulam adiit, & quia Normannorum Comes *Willielmus Eadwardi* Regis conſobrinus in Angliam cum exercitu venire parabat, tota æſtate & autumno aduentum illius obſeruabat, ad hæc autem, pedeſtrem exercitum locis opportunis circa ripas maris locabat. Adueniente itaq; natiuitate S. *Mariæ*, victu deficiente, claſſicus & pedeſtris exercitus domum rediit. Poſt hæc igitur, cum claſſica manu perualida ſcilicet plus quingentis magnis nauibus *Haroldus Harvagra* Rex Norreganorum, frater ſancti Regis *Olaui* in oſtio Tine fluminis improuiſe applicuit, ad quem Comes *Toſtius* (vt prius condixerant) cum ſua claſſe venit, & citato curſu oſtium Humbræ fluminis intrauerunt, & ſic aduerſus curſum Vſe fluminis nauigantes in loco, qui Richale dicitur, applicuerunt. Quod vbi Regi *Haroldo* innotuit, verſus Northimbriam, expeditionem propere mouit, ſed priuſquam rex illuc veniret, duo Germani Comites, *Edwinus* ſcilicet & *Morcarus*, cum ingenti exercitu in vigilia *S. Matthæi* Apoſtoli, feria 4. in Boreali ripa Vſe fluminis, iuxta Eboracum cum Norreganis prælium commiſere: & in primo belli impetu, viriliter pugnantes, multos proſtrauere. At poſtquam diu certatum eſt, Angli Norreganorum impetum non ſufferentes, non ſine paruo detrimento ſuorum, terga dederunt, multoq; plures ex illis in fluuio demerſi fuere, quam in acie cecidere. Norregani vero adepta victoria, & obſidibus 150. de Eboraca ſumptis ad naues repedarunt, relictis in ea de ſuis 150. obſidibus. verum 5. poſt hunc die, ſcilicet 7. Kalend. Octobris, feria 2. rex Anglorum *Haroldus*, multis millibus pugnatorum armis bellicis inſtructorum ſtipatus, Eboracum venit, & Norreganis in loco, qui dicitur Stanfordbrige, occurrens, Regem *Haroldum Haruagra*, Comitemq; *Toſtium* in ore gladii, cum maiore parte exercitus ſui occidit, ac plenam victoriam, licet acerrime repugnatum fuiſſet, adeptus eſt: filium autem eius *Olauum*, & Comitem de Orchada inſula *Paulum* nomine, (qui ad naues cuſtodiendas cum parte exercitus dimiſſi fuerant) acceptis prius ab eis obſidibus, & ſacramentis, cum 20. nauibus, & reliquiis exercitus, in patriam libere redire permiſit.

WILLIELMVS SENIOR.

INterea dum hæc agerentur, & rex omnes inimicos ſuos æſtimaret fuiſſe detritos, nunciatum eſt ei *Willielmum* Comitem gentis Normannicæ, cum innumera multitudine equitum, fundibulariorum, ſagittariorum, peditumq; adueniſſe, (vtpote, qui de tota Anglia ſibi fortes auxiliarios conduxerat, & in loco, qui peneueſca dicitur, ſuam claſſem applicuiſſe; vnde rex ſtatim verſus Lundoniam, ſuum mouit exercitum cum magna feſtinatione. Et licet de tota Anglia, fortiores quoſq; in duobus præſcriptis præliis bene ſciret concidiſſe, mediamq; partem ſui exercitus nondum conueniſſe, quam citius tamen potuit in Suthſaxonia ſuis hoſtibus occurrere non formidauit, & 9. milliariis ab Haſtinga, vbi ſibi caſtellum firmauerat, priuſquam tertia pars ſui exercitus ordinaretur, 11. Kalend. Nouembris, Sabato, die ſcilicet ſancti *Calixti* Papæ & martyris, cum eis prælium commiſit, ſed quia arcto in loco conſtituti fuerant Angli, de acie ſe multi ſubtraxere, & cum eo perpauci conſtantes corde remanſere. Ab hora tamen diei tertia, vſq; ad noctis crepuſculum ſuis aduerſariis reſtitit fortiſſime, & ſeipſum pugnando tam fortiter defendit, & tam ſtrenue, vt vix ab hoſtili agmine poſſet interimi. At poſtquam ex his & ex illis plurimi corruere, heu, ipſemet cecidit, crepuſculi tempore; Comites etiam *Girth, & Leolfwinus* frater illius ibi cecidere, & fere nobiliores totius Angliæ; *Willielmus* vero Comes cũ ſuis Haſtingam velociter rediit, regnauit autem *Haroldus* menſibus 9. & diebus totidem. Vt autem ſciatur origo cauſæ, quare, *Willielmus* Angliam bello petiit, breuiter, quæ paulo ante geſta

al. appulisse.

ſta ſunt, repetantur, orto inter Regem *Eadwardum*, & Comitem *Godwinum* graui, (vt ſupra dictum) eſt diſſidio, exul ab Anglia cum ſuis Comes propellitur; cui poſtmodum gratiam Regis requirenti, vt ei repatriare liceret, nullo modo Rex concordare voluit, niſi primo, quibus ſibi ſecuritas pararetur, obſides haberet. Qua de cauſa, *Wlnothus* filius ipſius *Godwini*, & *Hacun* filius *Swani* filii eius obſides dantur, ac in Normanniam, *Willielmo Baſtardo* Comiti, filio *Roberti*, filii *Richardi* fratris matris ſuæ cuſtodiendi deſtinantur. Elapſo dehinc tempore, cum iam *Godwinus* Comes eſſet mortuus, *Haroldus* filius eius petiit a rege ire Normanniam, & fratrem ſuum, atq; nepotem, qui obſides ibidem tenebantur, liberare, & liberos ſecum patriam reducere; cui Rex non hoc, inquit, fiet per me; veruntamen ne videar te velle impedire, permitto, vt eas, quocunq; vis, & experiaris, quod poſſis; præſentio tamen te ad nihil aliud tendere, niſi in detrimentum totius Anglici regni, & opprobrium tui, nec enim ita noui Comitem mentis expertem, vt eos aliquatenus velit concedere tibi, ſi non præſcierit in hoc magnum proficuum ſui. Aſcendit itaq; *Haroldus* nauem, quæ tempeſtate valida eiecta cum omnibus, quæ ferebat, in Pontinum fluuium, qui Maia vocatur, a Domino terræ illius pro ritu loci captiuitati illius addicitur. Conſtrictus ergo *Haroldus*, quemlibet ex vulgo promiſſa mercede illectum, clam ad Comitem Normãniæ dirigit exponere, quid illi contigerit; hoc ille audito, protinus per nuncios feſtinato mandauit domino Pontini *Haroldum* cum ſuis, ab omni calumnia liberum ſibi quantotius mitti, ſi priſtina illius amicitia à modo, ſicut hucuſq;, vellet potiri, ſed cum ille hominem dimittere noluit, iterum a *Willielmo* in mandato accepit, ſe neceſſario *Haroldum* miſſurum alioquin ſciret certiſſimum *Willielmum* Normanniæ Comitem armatum, pro eo abducendo cum ſuis vſq; ad nouiſſimum quadrantem quantotius Pontinum aditurum: talibus ille minis exterritus, mittit virum cum ſociis, qui à *Willielmo* multũ honorifice ſuſcipitur, & audito, cur patria exierit, bene quidem rẽ proceſſuram, ſi in ipſo non remaneret, *Willielmus* reſpondit. tenuit ergo virũ aliquot diebus circa ſe, ſatiſq; humanũ, ac familiarem ſe illi exhibuit, vt huiuſmodi re, animũ eius in ſuos conatus alliceret, cui tandem aperuit, q; in mente habuit, dicebat itaq; regẽ *Eadwardum* quando ſecũ iuuene olim iuuenis in Normannia demoraretur, ſibi interpoſita fide ſua, pollicitum fuiſſe, quod ſi rex Angliæ foret, ius regni in illum iure hæreditario poſt ſe transferret; & ſubdens ait; tu quoq; ſi mihi te in hoc ipſo adminiculaturum ſpoponderis, & inſuper caſtellum Dofris, cũ puteo aquę, ad opus meũ te facturum, ſororemq; tuam, q̃ vni de principibus meis dederis in vxorem, te ad me tempore, quo nobis conueniet, deſtinaturum, nec non filiã meam in coniugem accepturũ, promiſeris, tunc & modo nepotẽ tuum, & cum in Angliam venero regnaturus fratrem tuum incolumen recipies: in quo regno, ſi tuo fauore confirmatus fuero, ſpondeo q; omne quod à me rationabiliter tibi poſtulaueris, obtinebis. Senſit *Haroldus* periculum vndiq;, nec intellexit, qua euaderet, niſi in omnib. *Willielmi* adquieſceret voluntati, adquieuit itaq;. At ille, vt omnia rata forent, perlatis ſanctorum reliquiis; ad hoc *Haroldum* perduxit, quatenus ſuper illas iureiurando teſtaretur ſe cuncta, quæ conuenerant inter eos, opere completurum. His itaq; geſtis *Haroldus* recepto nepote, reuerſus eſt in patriam, vbi vero quid acciderit, quid egerit, regi percunctanti narrauit, nonne dixi tibi, me *Willielmum* noſſe, & in itinere tuo plurima mala huic regno contingere poſſe, magnas in hoc facto tuo calamitates pręſentio genti noſtræ venturas, quas concedat mihi quęſo pietas ſuperna, ne meis diebus veniant? In breui poſt hæc obiit rex *Eadwardus*, & iuxta quod ipſe ante mortẽ ſtatuerat in regnum ei ſucceſſit *Haroldus*. Cui mandauit *Willielmus*, vt quamuis, violata fide, cætera non ſeruaſſet, ſi tamen filiam ſuam duceret vxorem, leuiter ferret. Alioquin ſe promiſſam regni ſucceſſionem armis ſibi vindicaturum procul dubio ſciret. At ille quidem non illud facere ſe velle, nec hoc formidare dixit: vnde *Willielmus* indignatus magna ſpe vincendi ex hac *Haroldi* iniuſtitia eſt animatus. Parata igitur claſſe non modica, Angliam petit, conſertoq; graui prælio, *Haroldus* in acie cecidit, & *Willielmus* victor regnũ obtinuit. De quo prælio teſtantur adhuc Franci, qui interfuerunt. Quin licet varius caſus hinc inde extiterit, tamen tanta ſtrages ac fuga Normannorum fuit, vt victoria, qua potiti ſunt, vere & abſque dubio Dei iudicio ſit aſcribenda, qui puniendo ſcelus periurii oſtendit ſe Deum nolentem iniquitatem. Audita igitur *Haroldi* Regis morte, Comes *Edwinus*, & *Morcarus*, qui ſecum ſuis certamini ſubtraxerunt, Lundoniam venere, & ſororem ſuam *Aldgitham* reginam ſumptam, ad ciuitatem Legionum miſere. *Aldredus* autem Eboracenſis Archiepiſcopus, & iidem Comites cum ciuibus Lundonienſibus, & Buthſecarlis, *Clitonem*, *Edgarum*, *Edmundi* Regis ferrei lateris nepotem, in Regem leuare voluere, & cum eo ſe pugnam inituros promiſere. Sed dum ad pugnam multi ſe pararent deſcendere, Comites ab eis ſuum auxilium retraxere, & cum ſuo exercitu domum

rediere. Interea Comes *Willielmus* Suthſaxoniam, Cantiam, Suthamtunenſem prouinciam, Suthregiam, Middleſaxoniam, Herefordenſem prouinciam deuaſtabat, & villas cremare, hominesque interficere non ceſſabat, donec ad villam, quæ Beorcham nominatur, veniret. Vbi *Aldredus* Archiepiſcopus, & *Wlſtanus* Epiſcopus Wigornienſis, *Walterus* Herefordenſis Epiſcopus, *Clito Edgarus*, Comites *Edwinus & Morcarus*, & de Lundonia quinq; nobiliores cum multis aliis ad eum venerunt, & datis obſidibus illi deditionem fecerunt; fidelitatemq; iurauerunt. Cum quibus & ipſe fœdus pepigit, & nihilominus exercitui ſuo villas cremare, & rapinas agere permiſit.

Appropinquante igitur Dominicæ natiuitatis feſtiuitate, cum omni exercitu Lundoniam, vt ibi in Regem ſublimaretur adiit, & quia *Stigandus* primas totius Angliæ ab Apoſtolico Papa, calumniatus eſt pallium non ſuſcepiſſe canonice, ipſa natiuitatis die, (quæ illo anno feria ſecunda euenit (ab *Aldredo* Eboracenſium Archiepiſcopo in Weſtmonaſterio conſecratus eſt honorifice, ſed prius, vt idem Archipræſul ab eo exigebat, ante altare S. *Petri* Apoſtoli coram clero & populo, iureiurando promittens ſe velle Sanctas Dei Eccleſias, ac rectores earum defendere, nec non & cunctum populum ſibi ſubiectum iuſte, ac regali prouidentia regere, rectam legem ſtatuere, & tenere, rapinas iniuſtaque iudicia penitus interdicere. Anno 1067. adueniente autem Quadrageſima, Rex *Willielmus* Normanniam repetiit, ducens ſecum Dorobernenſem Archiepiſcopum *Stigandum*, Glaſtonienſem Abbatem *Agelnothum*, *Clitonem*, *Eadgarum*, Comites *Edwinum & Morcarum*, *Waltenum Suiardi* ducis filium nobilem ſatrapam, *Agelnothum* Cantuarienſem, & multos alios de primatibus Angliæ; fratremq; ſuum *Odonem* Baiocenſem Epiſcopum, & *Willielmum* filium *Osburni*, (quem in Herefordenſi prouincia Comitem conſtituerat) Angliæ cuſtodes relinquens, caſtella per loca firmari præcepit. *Wlſius* Dorkeſtrenſis Epiſcopus deceſſit Wintoniæ, ſed ſepultus eſt Dorkaceſtre. Eo tempore extitit quidam præpotens miniſter *Edricus*, cognomento *Siluaticus*, filius *Alfrici* fratris *Edrici Streone*, cuius terram, quia ſe dedere regi dedignabatur, Herofordenſes caſtellani, & *Richardus* filius *Scrob*, frequenter vaſtauerunt; ſed quotieſcunq; ſuper eum irruerant, multos è ſuis militibus, & ſcutariis perdiderunt. Idcirco, accitis ſibi in auxilium regibus Walanorum

al. Rinoad *Bleothgento* videlicet, & * *Riwardo*; idem vir *Edricus* circa Aſſumptionem S. *Mariæ*, Herefordenſem prouinciam, vſq; ad pontem amnis Lucgæ, deuaſtauit, ingentemq; prædam reduxit. Poſthæc hyeme imminente, Rex *Willielmus* de Normannia Angliam rediit, & Anglis importabile tributum impoſuit, deinde in Domnaniam profectus hoſtiliter ciuitatem Exceſtram, quam ciues & nonnulli Anglici miniſtri contra illum retinebant, obſedit, & cito infregit. *Githa* vero Comitiſſa, mater ſcilicet *Haroldi* Regis Angliæ, ac ſoror *Swani* Regis Danorum cum multis de ciuitate fugiens euaſit, & Flandriam petiit; ciues autem dextris acceptis, regi ſe dedebant. Anno 1068. duo Papæ in Roma facti ſunt, id eſt, Epiſcopus Parmenſis, qui expulſus eſt, & Epiſcopus de Luca, qui Papa permanſit. Poſt Paſcha vero Comitiſſa *Matildis* de Normannia venit Angliam, quam die Pentecoſtes *Aldredus* Eboracenſis Archiepiſcopus conſecrauit in Reginam. Poſt hæc igitur, *Marleſwein*, & *Coſpatricus*, & quiq; Northumbranæ gentis nobiliores, Regis auſteritatem deuitantes; & ne ſicut alii quamplures in cuſtodiam mitterentur formidantes, (ſumptis ſecum *Clitone Edgaro*, & matre ſua *Agatha*, duabuſq; ſororibus ſuis *Margaretha & Christiana*) nauigio Scotiam adierunt; ibidemq; regis Scottorum *Malcolmi* pace, hyemem exegerunt. Rex autem *Willielmus* cum exercitu ſuo Snothingham venit, vbi caſtello firmato, Eboracum perrexit, ibidemq; duobus caſtellis firmatis, 500. milites in eis poſuit, & in ciuitate Lincolnia aliiſq; locis caſtella firmari præcepit. Dum hæc agerentur *Haroldi* Regis filii, *Godwinus*, & *Edmundus magnus* de Hybernia redeuntes in Summerſetanea applicuerunt; quibus *Eadnothus*, qui fuit *Haroldi* Regis ſtallarius, occurrit cum exercitu, & cum eis prælio commiſſo, cum multis aliis occiſus eſt. Illi vero potiti victoria de Domnania, & Cornubia prçda rapta non modica, in Hyberniā redierunt. An. 1069. miſit Rex *Willielmus* Northūbris ad Aquilonalem plagam Tine/Comitē *Robertū Cumin* 3. regni ſui anno (at illi omnes in vnam coacti ſententiam, ne alienigenæ dominio ſubderentur, ſtatuerunt aut illum interficere, aut ipſi omnes ſimul in ore gladii caderent:) cui appropinquanti, Dunelmenſis Epiſcopus *Egelwinus* occurrens, inſidias ſibi præcauere præmonuit, ſed ille neminem hoc

al. admonitionem audere exiſtimans, deſpexit * admonentem. Dunelmum itaq; cum multa militum manu ingreſſus permiſit ſuos hoſtiliter vbiq; agere, occiſis etiam nonnullis Eccleſiæ ruſticis, ſuſceptus autem eſt ab Epiſcop. cum omni manſuetudine & honore. At Northimbri tota nocte feſtinantes Dunelmum ſumma vi diluculo per portas irrumpunt, & ſocios Comitis imparatos vbiq; locorum interficiunt. atrociter nimis res geritur, proſtratis per domos & plateas militibus, domum epiſcopi, in q̄ Comes fuerat ſuſceptus, aggrediuntur pugnantes

ſed cum non ferrent iacula defendentium, domum cum inhabitantibus concremarunt. tanta fuit interfectorum multitudo, vt omnia pene vrbis loca replerentur cruore, nam de 700. hominib. nemo præter vnum euaſit. Hæc cædes hominum facta eſt 5. Kal. Februarii, feria 4. quo anno ante natiuitatem *S. Mariæ*, *Swani* regis Danorum filii, *Haroldus*, *Canutus*, & eorũ patruus *Osbernus* Comes, & Epiſcopus eorum *Christianus*, & Comes *Turkillus* 240 nauibus de Danemarchia venientes in oſtio Humbre fluminis applicuerunt. Vbi eis *Clito Eadgarus*, Comes *Aldeus* & *Marleſuein*, multiq; alii cũ claſſe, quam parauerant, occurrerunt. affuit & *Coſpatricus* Comes cum totis viribus Northimbrorum, vnanimiter omnes contra Normannos congregati; de quorum omnium aduentu Eboracenſis Archiepiſc. *Aldredus* valde triſtis effectus in magnam decidit infirmitatem, & 10. anno ſui Archipręſulatus 3. Idus Septemb. feria 6. vt Deum rogauerat, vitam finiuit, & in Eccleſia *S. Petri* eſt ſepultus. octauo poſt hunc die, ſcilicet 13. Kalend. Octob. Sabbato, Normanni, qui caſtella cuſtodiebant, timentes ne domus, quæ prope caſtella erãt, adiumẽta Danis ad implendas foſſas caſtellorum eſſent, igne eas ſuccendere cœperunt, qui nimis excreſcens totam ciuitatem inuaſit, monaſteriumq; *S. Petri* cum ipſa* combuſſit. ſed vltione diuina citiſſime in eis vindicatũ eſt grauiſſime. nam priuſquam tota ciuitas eſſet combuſta, Danica claſſis ſuperuenit feria 2. & hinc Dani, illinc Northimbri expugnantes caſtella eadem die infregerunt, & plus tribus millibus ex Normannis trucidatis *Willielmo Malet*, qui tunc vicecomitatũ gerebat, cum ſua coniuge, & duobus liberis, & *Gilleberto* de Gant, aliiſq; perpaucis vitæ reſeruatis, naues Dani cum innumeris manibus, ſuaſq; ſedes repetiere Northimbri. Quod vbi regi *Willielmo* innotuit, nimia commotus ira, iurauit omnes Northimbrẽſes vna ſe lancea peremptarum. at mox exercitu congregato in Northimbriam efferato properauit animo; eamq; per totam hyemẽ deuaſtare, hominesq; trucidare, & multa alia non ceſſabat agere. Interea nunciis ad Danicum Comitem *Osbernum* miſſis, ſpopondit ſe clanculo daturum illi non modicam ſummam pecuniæ, & permiſſurum licenter exercitui ſuo victum circa ripas maris ſibi rapere, ea tamen interpoſita conditione, vt ſine pugna diſcederet, peracta hyeme: ille autem auri, argentiq; auidus non ſine magno dedecore ſui, petitis adquieuit. Normannis igitur Angliam vaſtantibus in Northimbria, & quibuſdam aliis prouinciis anno præcedenti, ſed præſenti, & ſubſequenti fere per totã Angliam, maxime vero Northimbriam; & cõtiguas illi prouincias, adeo fames præualuit, vt homines humanas, equinas, caninas, & catinas carnes, & quicquid vſus abhorret, cogente inedia, comederent: alii vero in ſeruitutem perpetuam ſe vendiderunt, dummodo qualitercunq; miſerabilem vitam ſuſtentarẽt; alii extra patriam profecti in exilium, medio itinere deficientes animas emiſerunt. erat horror ad intuendũ, per domos, plateas, & itinera cadauera humana diſſolui, & tabeſcentia putredine cũ fœtore horrẽdo ſcaturire vermibus: neq; n. ſupererat qui ea humo cooperiret, omnib. extinctis, vel gladio & fame, vel propter famem paternũ ſolũ relinquentibus. Ita, terra cultore deſtituta, lata vbiq; ſolitudo patebat per 9. annos. Inter Eboracum & Dunelmum, nuſquam villa inhabitata, beſtiarũ tãtum & latronũ latibula, magno itinerantibus fuere timori. Cum hæc Eboraci circumquaq; agerer rex, *Egelwinus* Dunelmẽſis Epiſc. & optimates populi, timẽtes ne propter occiſionem & Comitis Dunelmi, & Normannorũ apud Eboracũ, gladius regis innocentes æque, ac nocentes pari clade inuolueret; vnanimi conſilio tollẽtes ſacrũ & incorruptũ beati patris *Cuthberti* corpus, fugã ineunt, 3. Idus Decembr. feria 6. primam manſionem habuerunt in Gyrwine/ ſecundã in Bethlingtun/ tertiam in Tughale/ quartam in Ealande. ſed circa veſperam cum plenũ vndiq; mare, aduenietib. prohiberet ingreſſum, ecce, ſubito ſui receſſu, liberũ præſtitit introitũ, ita vt feſtinãtes nec aliquanto tardius ſequerentur fluctus marini, nec tardantes aliquando citius præcurrerent; cum autem terram attigiſſent, ecce, refluum mare ſicut ante totas arenas operuerat. Interea regis exercitus, etiam per loca quæque inter Theiſam, & Tine diffuſus, vacuis vbiq; domibus ſolam inuenit ſolitudinem, indigenis fugæ præſidium quærentibus vel per ſyluas, & abrupta montium latitantib. tunc & Eccleſia *S. Pauli* Apoſtoli in Gyrwin, flammis eſt conſumpta. Dunelmenſis Eccleſia omni cuſtodia, & Eccleſiaſtico officio deſtituta erat, vt ait ſcriptura, ſicut deſertum, ſpelunca erat pauperum & debilium & ægrotantium. qui fugere non poterant, illuc declinãtes, fame ac morbo deficiebant. Imago crucifixi, quæ ſola de ornamentis Eccleſiæ remãſerat (quoniam non facile pro ſui magnitudine à feſtinantibus poterat aſportari) auro ſuo & argento eſt ſpoliata, detrahentibus Normannis; rex autem cum non longe eſſet, agnoſcens Eccleſiæ ſolitudinẽ, & crucifixi expoliationẽ grauiter ſatis tulit, ipſoſq;, qui hæc fecerant, perquiri præcepit. Non multo poſt eoſdẽ ipſos forte ſibi obuios habuit, quos, cum è publica via declinare conſpiceret, illico intellexit homines mali alicuius eſſe conſcios,

*al. cõſumpſit

qui protinus comprehenſi aurum & argentum, quod de Crucifixo tulerant, oſtenderunt. quos ſtatim ad iudicium epiſcopi, & eorum qui cum illo erant, iam de fuga regredientiū, tranſmiſit, ſed illi a reatu abſolutos impune dimittunt. inſtante namque verno tempore, redeunte ad Suthumbriam rege, *Egelwinus* epiſcopus cum omni populo tranſactis in **Eaſlande** tribus menſibus, & aliquot diebus, cum theſauro ſacri corporis ad Dunelmenſem eccleſiam reuerſus eſt. Anno 1070. *Willielmi* Comitis Herefordenſis, & quorundam aliorum conſilio, tempore quadrageſimali, rex *Willielmus*, monaſteria totius Angliæ, ſuos perſcrutari fecit; & pecuniam, quam ditiores Angli propter illius auſteritatem, & depopulationem in eis poſuerant, iuſſit auferri, *Egelwinus* Epiſcopus rediens (vt ſupradictum eſt) de fuga, perpetuam animo fugam meditabatur. Videns namque res Anglorum vndiq; turbari, exteræ gentis (cuius nec linguam, nec mores nouerat) graue ſibi metuens dominium decreuit epiſcopatu dimiſſo, quaque poſſet aduena ſibi prouidere: itaq; nauis ei præparata, & rebus neceſſariis impoſitis proſperū expectauit vētum in portu Wiremutnenſi. fuerant ibidem eo tempore, & aliæ naues nonnullæ, quarum ductores erant *Clito Eadgarus* cum matre *Agatha*, & duabus ſororibus *Margareta* & *Chriſtiana*, *Siwardus Barn*, *Marleſwein*, & *Elſwinus* filius Normanni, & alii cōplures (qui poſt expugnationem caſtellorū Eboraci, Danis in ſua reuertentibus, quoniam eis auxilio fuerant, indignationem regis ſibi metuebant) Scotiam ire profugi parabant, ibiq; nauigationē proſperam præſtolabantur. Per idem tempus, infinita Scotorum multitudo, ducente *Malcolmo* rege, per **Cumberland** traducta verſus orientem diuertens, vniuerſam **Teſedale**, & eius finitima loca vltra citraq; feroci depopulatione vaſtauit. vbi autem ventum eſt ad locum, qui dicitur Anglice **Hundredeskelde**, Latine autem cētum fontes, trucidatis ibidē quibuſdam gentis Anglice nobilibus, rex parte exercitus retenta, partem per viam qua venerant, cum infinita præda domum remiſit, hac ſcilicet calliditate, vt cum totus hoſtis putaretur abiiſſe miſeros indigenas, qui ſeſe, ſuaque propter hoſtilem metum latibulis quibus poterant, tuto conſeruauerant, ſecure in villas ſuas, domoſque ingreſſos, ipſe ſubito incurſu improuiſos præoccuparet. quod & factū eſt. Nam depopulata **Cliuelande** ex parte, repentina depopulatione Heorterniſſe occupat, indeque per terras ſancti *Cuthberti* ferociter diſcurrens, omnes omnibus rebus, nonnullos etiam ipſis priuat animabus. Tunc etiam Eccleſiam ſancti *Petri* apoſtoli in Wiremutha, flamma ſuorum, ipſo inſpectante, conſumpſit; alias quoque Eccleſias cum his, qui in eas confugerāt, concremauit, vbi cū circa ripas fluminis equitaret, deque altiori loco ſuorum crudelia in miſeros Anglos facinora perſpiciens, tali ſpectaculo animos & oculos paſceret, nuntiatum eſt illi *Clitonem Eadgarum*, ſuaſque ſorores regiæ ſtirpis puellas decoras, pluresque alios prædiuites de ſuis ſedibus profugos, in illum portum applicuiſſe nauibus. datis ergo dextris, venientes ad ſe benigne alloquitur. eisq; cum ſuis omnibus regni ſui habitationem, quamdiu vellent, cū firmiſſima ſua pace donauit. Inter has Scotorū vaſtationes & rapinas, *Coſpatricus* Comes, qui (vt ſupra dictum eſt) à rege *Willielmo* comitatum Northimbrorum pretio aſſecutus fuerat accitis auxiliatoribus ſtrenuis, atroci depopulatione **Cumberland** inuadit; peracta cæde, & incendio cum magna præda reuertitur, ſeque cum ſuis ſociis in munitionem **Bebbamburg** firmiſſimam concluſit, ex qua ſæpe prorumpens, vires hoſtiū debilitauit. Erat enim eo tempore **Cumberlande** ſub regis *Malcolmi* dominio, non iure poſſeſſa, ſed violenter ſubiugata; auditis ille *Malcolmus* (cum adhuc flamma ſuorum ardentem ſancti *Petri* Eccleſiam ſpectaret) quæ *Coſpatricus* in ſuos fecerat, vix præ furore ſe ipſum ferens iuſſit ſuis, vt nulli Anglicæ gentis vlterius parcerent, ſed omnes vel necando in terram funderent, vel captiuando ſub iugo perpetuæ ſeruitutis abducerent. Qua licentia accepta, miſeria erat etiam videre, quæ in Anglos faciebāt. ſenes & vetulæ alii gladiis obtruncātur, alii vt porci ad eſum deſtinati lanceis confodiuntur, rapti ab vberibus matrū paruuli, in altū aera proiiciuntur, vnde recidentes, lancearum * aculeis excipiuntur, haſtilibus confertim ſolo infixis. hac crudelitate pro ludorum ſpectaculo delectabantur beſtiis crudeliores Scoti: ſic innocens ætas cœlum aſcenſura inter cœlum pendens, & terram emittit animas. Iuuenes vero & iuuenculæ, & quicunq; operibus & laboribus idonei videbantur ante faciem hoſtiū vincti compelluntur, vt perpetuo exilio in ſeruos & ancillas redigantur. horū quidam dum plus quam vires ferrent, currendo ante ora compellentiū fatigarentur, illico ruentes in terram eundem locum caſus & mortis habebant. hæc *Malcolmus* conſiderans, nullis miſerorum lachrymis, nullis gemitibus flectebatur ad miſericordiam, ſed potius iuſſit, vt perurgerentur eundo. repleta eſt ergo Scotia ſeruis, & ancillis Anglici generis, ita vt etiam vſq; hodie nulla non dico villula, ſed nec domuncula ſine his valeat inueniri. reuerſo Scotiam *Malcolmo*, *Egelwinum* epiſcopū verſus Coloniam incipientem nauigare, mox ventus

al. acuminibus.

ſurgens

ſurgens contrarius in Scotiam repulit, quo etiam *Clitonem Eadgarum*, cum ſociis ſupra nominatis proſpero curſu peruexit. Cuius *Eadgari* ſororem *Margaretam*, rex *Malcolmus*, conſenſu propinquorum illius, matrimonio ſibi iunxit, fœminam regali proſapia nobilem, ſed prudentia & religione multo nobiliorem, cuius ſtudio & induſtria rex ipſe, depoſita morum barbarie, factus eſt honeſtior, atque ciuilior. Ex qua ſex filios ſuſcepit *Eadwardum Eadmundum, Eadgarum* regem, *Ethelredum, Alexandrum* regem, *David* regem, & duas filias, *Matildam* reginam Anglorum, & *Mariam*, quam *Euſtachius* Comes Bononiæ in coniugium accepit. Eodem anno concilium magnum in octauis Paſchæ Wintoniæ celebratum eſt, iubente & præſente rege *Willielmo*, domino *Alexandro* papa conſentiente, & per ſuos legatos *Hermenfredum* Sedunenſem Epiſcopum, & presbyteros *Iohannem*, & *Petrum* Cardinales, ſedis Apoſtolicæ ſuam authoritatem exhibente. in quo cõcilio *Stigandus* Doroberniæ Archiepiſcopus degradatur tribus de cauſis: ſcilicet quod Epiſcopatum Wintoniæ cum Archiepiſcopatu iniuſte poſſidebat, & quod viuente *Roberto* Archiepiſcopo non ſolũ Archiepiſcopatum ſumpſit, ſed etiam eius pallio, quod Cãtuariæ remanſit, dum vi & iniuſte ab Anglia pulſus eſt, in Miſſarum celebratione aliquamdiu vſus eſt, & à *Benedicto*, quem ſancta Romana Eccleſia excõmunicauit, eo quod pecuniis ſedẽ apoſtolicam inuaſit, pallium accepit: frater quoq; eius *Agelmarus* Eſtanglorũ Epiſcopus eſt degradatus, Abbates etiam nonnulli ibi degradati ſunt operam dante rege, vt quamplures ex Anglis ſuis honoribus priuarentur, in quorum loco ſuę gentis perſonas ſubrogaret ob confirmationem ſcilicet ſui, quod nouiter adquiſierat regni. hinc & nonnullos tã Epiſcopos, quam Abbates, quos nulla euidenti cauſa nec concilia, nec leges ſeculi damnabant, ſuis honoribus priuauit, & vſq; ad finem vitæ cuſtodiæ mancipatos detinuit, ſuſpicione (vt diximus) tantum inductus noui regni. In hoc itaq; concilio, dum cæteri trepidi, vtpote regis agnoſcentes animum, ne ſuis dignitatibus priuarentur, timerent, venerãdus vir *Wlſtanus* Wigorniẽſis Epiſcopus poſſeſſiones quamplures ſui Epiſcopatus ab *Aldredo* Archiepiſcopo (dum a Wigornienſi Eccleſia ad Eboracenſem transferretur) ſua potentia retentas, quæ tunc eo defuncto in poteſtatẽ regiam deuenerant, conſtanter proclamabat, expectabatq; iuſtitiam fieri tam ab ipſis, qui concilio præerant, quam à rege flagitabat. at Eboracenſis Eccleſia, non habens paſtorem, qui pro ea loqueretur muta erat. Iudicatum eſt igitur, vt ipſa querela ſic remaneret quouſque Archiepiſcopo ibi conſtituto, qui Eccleſiam defenderet, dum eſſet, qui eius querelæ reſponderet, ex obiectis & reſponſis poſſet euidentius, ac iuſtius iudicium fieri, ſicq; tunc ea querela ad tempus remanſit. Die autem pentecoſtes, rex apud Windeshoram venerando Baiocenſi canonico *Thomæ* Eboracenſis Eccleſiæ Archiepiſcopatum, & *Valcelino* capellano ſuo Wintonienſis Eccleſiæ præſulatum dedit. Cuius iuſſu mox in craſtino prædictus Sedunenſis Epiſcopus * *Armenfredus* ſynodum *al. Armfredo* tenuit, *Iohanne* & *Petro* Cardinalib. præfatis Romã reuerſis. In qua ſynodo *Agelricus* Suthſaxonum pontifex non canonice degradabatur; quem rex ſine culpa mox apud Mearleſberge in cuſtodiam poſuit, Abbates ẽt quamplures ſunt depoſiti, quibus depoſitis, rex ſuis Capellanis, *Arfrado*, orientalium Anglorum præſulatum; & *Stigando* Suthſaxonum dedit Epiſcopatum, nonnullis ẽt Normãnicis monachis Abbatias dedit, & quia Dorobernenſis archipræſul depoſitus eſt, & Eboracenſis erat defunctus, iuſſu regis in octauis pẽtecoſtes ab eodẽ *Armenfredo* Sedunẽſi Epiſcopo ſedis Apoſtolicæ legato, ordinatus eſt *Walcelinus*. Imminente autem feſtiuitate S. *Iohannis Baptiſtæ*, Comes *Osbernus* cũ claſſe, quæ in Humbre flumine hyemauerat, Danemarchiam adiit, ſed frater ſuꝰ rex Danorum *Swanus*, illum propter pecuniam, quam contra voluntatem Danorum à rege *Willielmo* acceperat, exlegauit. vir ſtrenuiſſimus *Edricus* cognomento *Syluaticus*, cuius ſupra meminimus, cum rege *Willielmo* pacificatur. Poſt hæc, rex de Normannia accito *Lanfranco* Cadomẽſi Abbate, genere Longobardo, viro vndecunq; doctiſſimo, omnium liberalium artium, diuinarumq; ſimul ac ſecularium literarum ſcientia peritiſſimo, cõſiliis quoq; ac gubernatione rerũ mundialium ęque prudentiſſimo, die Aſſumptionis ſanctæ *Mariæ* Archiepiſcopum conſtituit Cantuarienſis Eccleſiæ, & in feſtiuitate S. *Iohannis Baptiſtæ* die dominica conſecrari fecit Cantuariæ. Conſecratus eſt autem ab Epiſcopis *Giſone* Willenſi, & à *Waltero* Herefordenſi, qui ambo Romæ à *Nicholao* papa ordinati ſunt; quando *Aldredus* Eboracenſis Archiepiſcopus pallium ſuſcepit. vitabant enim à *Stigando*, qui tũc Archiepiſcopatui Doroberniæ pręſidebat, ordinari, quia illum nouerant non canonice pallium ſuſcepiſſe. *Hermannus* etiam Sariſbirienſis Epiſcopus, cum quibuſdam aliis eius interfuit conſecrationi, deinde *Lanfrancus Thomam* Eboracenſem cõſecrauit Archiepiſcopũ. his geſtis, reuerendi *Wlſtani* Wigornienſis Epiſcopi, mota eſt iterũ querela, Epiſcopo iã conſecrato *Thoma*, qui pro Eboracẽſi loqueretur Eccleſia, & in cõcilio, in loco, qui vocatur Pedreda,

celebrato, coram rege ác Doroberniæ Archiepiſcopo *Lanfranco*, & Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, & primatibus totius Angliæ, (Dei gratiá adminiculante) eſt terminata. cunctis ſiquidem machinamentis, nequaquam veritate ſuffultis *Thomas* Eboracenſis Archiepiſcopus, eiuſq; fautores Wigornienſem Eccleſiam deprimere, & Eboracenſi Eccleſiæ ſubiicere, ancillamq; facere modis omnibus ſatagebat. Veruntamen iuſto Dei iudicio, ac ſcriptis euidentiſſimis detritis, & penitus annihilatis, non ſolum vir Dei *Wlſtanus* proclamatas & expetitas poſſeſſiones recepit, ſed & ſuam Eccleſiam, (Deo donante & rege concedente) ea libertate liberam ſuſcepit, qua primi fundatores eius ſanctus rex *Athelredus*, & *Hosberus* Hwicciorum ſubregulus ſanctus viz. *Cenredus*, *Athelbaldus*, *Offa*, ſanctus *Kenulfus* pater *Kenelmi* martyris, eorumq; ſucceſſores, ac poſtea totius Angliæ monarchiam obtinentes, ſcilicet *Eadwardus* ſenior, *Athelſtanus*, *Eadmundus*, *Edredus*, *Edgarus* pater *Eadwardi* regis & martyris illorumq; ſucceſſores liberauerat.

Anno ab incarnatione Domini 1071. *Lanfrancus* & *Thomas* Romam iuerunt, & ab *Alexandro* Papá pallium ſuſceperunt. Comites *Edwinus* & *Morcarus*, quia rex *Willielmus* eos in cuſtodiam ponere voluit latenter è curia eius fugerunt, & aliquandiu contra eum rebellauerunt. Verum vbi quod cœperunt, non próſpere ſibi ceſſiſſe viderunt, *Edwinus* regem Scotorum *Malcolmum* adire decreuit, ſed in itinere, à ſuis inſidias perpeſſus, occiditur; *Morkerus* veró & *Herewardus* vir ſtrenuiſſimus, cum multis aliis Heli inſulam nauigio petierunt, in ea hyemare volentes: *Egelwinus* quoque Dunelmenſis Epiſcopus & *Siwardus* cognomentó *Barn* de Scotia renauigantes illo aduenerant. Sed, hoc audito, rex cũ Buthſecarlis in Orientali plaga Inſulæ omnem illis exitum obſtruxit, & pontem in Occidentali plaga duum miliariorum longam fieri iuſſit, at illi vbi ſe viderunt ſic eſſe incluſos, repugnare deſtiterunt: & omnes exceptó *Herewardo*, qui per paludes cum paucis euaſit, regi ſe dediderunt. qui mox Epiſcopum *Egelwinum* Abbandoniam miſſum in cuſtodiam poſuit, vbi in ipſa hyeme vitam finiuit; Comitem vero *Morkarum* cæteroſque per Angliam diuiſos partim cuſtodiæ mancipauit, partim manibus truncatis vel oculis erutis abire permiſit. *Walcherum* vero Dunelmenſi Eccleſiæ rex præfecit Epiſcopum de clero Leodienſis Eccleſiæ, conſecratus eſt apud Wintoniam. Inuitatus namque ab ipſo rege, venerat ad illum proſapia clarus honeſtus, moribus diuinæ ac ſecularis ſcientiæ gratia præditus: quem *Eilaf Huſcarl* apud regem præpollens honore, cum aliis principalibus viris perduxit Eboracum, vbi iuſſu regis occurrens Comes *Coſpatricus* ſuſcepit pontificem perducendum vſque ad Dunelmum. venit autem in Eccleſiam ſedis ſuæ, media quadrageſima. Anno 1072. poſt Aſſumptionem ſanctæ *Mariæ*, rex *Willielmus* habens in comitatu ſuo *Edricum* cognomento *Syluaticum*, cum nauali & equeſtri exercitu Scotiam profectus eſt, vt eam ſuæ ſubiugaret ditioni: grauiter namque rex Scotorum *Malcolmus* eum offenderat, qui, vt ſupradictum eſt, anno præterito regni ſui terminos tam atrociter depopulatus fuerat. Sed vbi rex Anglorum Scotiam intrauerat, rex *Malcolmus* occurrit ei in loco, qui dicitur Abernithi, & homo ſuus deuenit. rediens autem inde *Willielmus*, *Coſpatricum* Comitatus honore priuauit, imponens illi quód conſilio & auxilio affuiſſet eis, qui Comitem in Dunelmo peremerant, & quia in parte hoſtium fuiſſet, cum Normanni apud Eboracum necarentur. quo deiecto * *Waltheuus* in Comitatum ſuſtollitur, ei ex patris & matris proſapia debitum. Fuerat enim *Siwardi* Comitis filius, ex filia *Ealdredi* quondam Comitis *Elfreda*. Eodem tempore, ſcilicet quo rex reuerſus de Scotia fuerat, in Dunelmo caſtellum condidit, vbi ſe Epiſcopus cum ſuis tute ab incurſantibus habere potuiſſet; & quoniam Normannorum quidam diſcredebant beatum *Cuthbertum* vel eſſe ſanctum, vel corpus ipſius ibidem haberi, in ipſa omnium ſanctorum feſtiuitate, celebrante miſſam Epiſcopo, *præcepit rex duobus capellanis, vt ingredientes ſanctuarium aperto ſepulchro viſu & manu exploraret, vtrumne ſanctum corpus ibi haberetur. Iam enim diſpoſuerat rex, vt ſi ibidem non eſſet, vniuerſi maiores natu obtruncarentur. Itaque omnibus pauentibus Capellani intendebant iuſſa perficere: erat autem multa frigoris aſperitas. Interea rex intolerabili cœpit æſtu fatigari, ac nimium ſudare, & horrore quodam nimio concuti, moxque ad Capellanos mittens imperauit, ne præſumerent attingere ſepulchrum.* Confeſtimque aſcendens equum, donec Teiſam videret, vrgere in curſum non deſtitit, atque deinceps ipſum ſanctum in multo honore habuit, legeſq; Eccleſiæ ipſius, & conſuetudines, quas meliores retró actis temporibus habuerat, in perpetuum firmauit ſeruandas, & inſuper dedit & conceſſit, & charta ſua confirmauit, Deo & ſancto *Cuthberto*, & Priori & monachis ibidem Deo ſeruientib. in puram & perpetuam elemoſynam regium manerium ſuum videlicet villam de Heningburch cum omni terra de Brakenholm/ & cum omnib. terris adiacentibus, cum Eccleſia villæ prædictæ, & cũctis rebus eidem

al. Waltheofus

eidem pertinentibus in boſco,& plano, moris,ac prato, in ſyluis & paludibus, aquis, molendinis, & ſtagnis cum mere & mere, & Sacb, & Soſchene, & Tol,& Them,& infangentheof,& omnibus rectis diuiſis eius ita bene & quiete & libere,cum rectitudinibus,& omnibus cõſuetudinibus ſuis: ſicut vnquam ſanctus *Cuthbertus* alias terras ſuas melius & quietius habuit cum omnibus cõſuetudinibus regiis, & libertatibus, quas ipſe rex habuit in ipſo, dum illud poſt victoriam Angliæ in manu propria tenuit, & per eaſdem diuiſas, quibus ipſe ſiue ante eum *Toſtius*,vel *Swardus* ipſum manerium tenuerunt. fuerũt autem amiciſſimi ſibique mutuo accliues *Walcherus* Epiſcopus, & ** Waltheofus* Comes, vnde vna cum Epiſcopo,& in ſynodo presbyterorum reſidens, humiliter & obedienter proſequebatur quicquid, pro corrigenda in ſuo comitatu Chriſtianitate, ſtatutum ab Epiſcopo fuiſſet. *al. Walthews*

Anno ab incarnatione Domini milleſimo ſeptuageſimo tertio, omnia iuxta curſum Solis & Lunæ habentur ſicut in anno decimo quinto *Tiberii*,in quo baptizatus eſt Dominus,id eſt dies baptiſmatis octauo Idus Ianuarii die Dominica Epiphaniæ, & ſecunda feria,initium ieiunii eius quadraginta dierum; itaq; a baptiſmate Domini,in anno decimo quinto *Tiberii*, hucuſque ſunt reuoluti duo magni cycli hoc eſt mille ſexaginta quatuor anni. rex Anglorum *Willielmus* ciuitatem, quæ vocatur Cynomannis, & prouinciam ad illam pertinẽtem,maximo Anglorum auxilio,quos de Anglia ſecum adduxerat, ſibi ſubiugauit. *Clito Eadgarus* de Scotia venit Normanniam per Angliam,& cum rege *Willielmo* ſe repacificauit,Comes ** Waltheofus* miſſa manu valida Northimbrenſium,necem aui ſui *Aldredi* Comitis crudeliter vlciſcitur. ſiquidem filios *Carl*, qui eum occidi fecerat,apud Seteringetun ſimul conuiuantes gladius inſidiantium conſumpſit. Anno milleſimo ſeptuageſimo quarto, *Hildebrandus* qui & *Gregorius* Romanus Archidiaconus papa eſt electus,& conſecratus.iſte papa,ſynodo celebrata ex decreto ſancti *Petri* Apoſtoli, & ſancti *Clementis* aliorumq́ꝫ ſanctorum patrum,& banno interdixit clericis, maxime diuino myſterio conſecratis,vxores habere,vel cum mulieribus habitare,niſi quas Nicena ſynodus, vel alii canones exceperunt. decreuit quoque ſub ſententia ſancti *Petri*, vt cum *Simone Mago* damnaretur non ſolum emptor & venditor cuiuſcunque officii, vt puta Epiſcopatus, Abbatiæ, præpoſituræ, Decaniæ, vel decimationis Eccleſiæ, ſed & quicunq; conſentiret eis. Dominus enim dixit *gratis accepiſtis*, *gratis date.* Tres monachi pauperes ſpiritu de prouincia Merciorum, id eſt, Heueſham diuinitus miſſi in prouinciam Northimbrorum venerunt Eboracum: petentes ab *Hugone* filio *Baldrici*, qui tunc vicecomitatum gerebat, vt eis ducem itineris inueniret vſque locum, qui MuncECeaſtre/ id eſt, monachorum ciuitas appellatur,qui nunc Nouum caſtellum nominatur.quo perducti venientes, ad tempus ibidem morati, cum nullum antiquum ſeruorum *Christi* ibi reperirent veſtigium diuerterunt ad Giruum,vbi ruinis vix oſtendentibus, quid antiquitus fuerit,monachorum,cum ſemiruptis Eccleſiis viſebantur ædificia multa, Epiſcopo *Walchero* ſumma congratulatione illos ſuſcipiente,& neceſſaria præbente.horum nomina fuerant, prior eorum ætate & moribus erat *Aldwinus*, ſecundus vero *Elfwinus*, tertius *Remifreidus*,ex his tribus tria in regione Northimbrorum inſtaurata ſunt monaſteria. vnum Dunelmi apud patris *Cuthberti* ſacrum corpus & incorruptum,in honore ſanctæ *Mariæ* virginis. Aliud Eboraci in honorem eiuſdem Dei genetricis *Mariæ*, vbi factum nobile cœnobium primum habuit Abbatem *Stephanum*,ſecundum *Richardum*, tertium *Gaufridum*, quartum,qui & in præſenti, *Seuerinum*.tertium autem in loco,qui quondam Streoneſhalſ/ id eſt ſinus fari, nunc * Witebi appellatur, hodie habet *Benedictum* Abbatem. denique poſtquam ſæuiſſima Paganorum deuaſtatio gladio ac flamma Eccleſias ac monaſteria in cineres redegerat,deficiente pene Chriſtianitate, vix aliquæ Eccleſiæ ex virgis & fœno contextæ, ſed nulla vſpiam monaſteria per ducentos annos reædificabantur. tepeſcente paulatim fidei religione, cultu vero religionis penitus deficiente; monachorum nomen erat prouincialibus inauditum, in ſtupore vertebantur, cum quemlibet monachilis habitus, & vitæ forte conſpicerent: ſed prædictis tribus viris inter illos habitare incipientibus, incipiebant & ipſi de beſtiali vita mores in melius commutare, illis ad reſtauranda ſancta loca opem impendere, ipſi per ſemirutas Eccleſias renouare, vel etiam in quibus antea erant locis, nouas ædificare. Multi de ſeculari vita & etiam in monachalem militiam concurrere, ſed hi pauci ex prouincialibus; plures vero de remotis Angliæ partibus fama illorum acciti eis adiungebantur vnanimes. Horum *Turgotus* erat vnus, poſtea Scotorũ Epiſcopus.Is proſapiam de genere Anglorum non infimo trahens, vnus erat inter alios obſides, qui nuper ſubiugata Normãnis Anglia, *al. Withebiſtond*

pro tota Lindiſſea in Lindicollino caſtro cuſtodiebantur. Ille pecunia emolliens cuſtodem cum magno ſuorum periculo fugit clanculo ad Norwegenſes, qui tunc apud Grimesbi nauem Merciatoriam vſque Norwegeiam onerauerant, in qua naui, etiam legati regis *Willielmi* Norwegeiam mittendi, ſubuectionem ſibi parauerant. Iamque nauis illa totis aduolans velis, terras aſpectibus ſubtraxerat, cum ecce fugitiuus obſes regis ab inferioribus nauis partibus, vbi Norwegenſes eum abſconderant in medium erumpens, legatos eorumque ſocios in ſtuporem conuertit. Nam vbique locorum perquiſitus fuerat, & in naui eadem exactores regis ſcrutinia fecerant, ſed calliditas abſcondentium delufit oculos perſcrutantium. Itaque legati inſtabant, vt depoſitis velis, nauem cum fugitiuo regis ad Angliam quoquo modo reflecterent. Norwegenſes acrius repugnabant, vt cœpta velificatio proſpero curſu, in ante perferret. fit partium altercatio, ita vt aduerſus ſe inuicem armarentur. Sed cum maior vis erat Norwegenſium, citius compreſſa eſt audacia legatorum, quantoque magis terræ appropinquabant, tanto magis illis ſe humiliabant. veniens autem ille iuuenis fugitiuus honeſte, & caſte ſe agebat, nobilibus & optimatibus gratus apparebat, peruenit & ad notitiam regis *Olaus*, qui cum valde religioſus erat, ſacros codices inter manus tractare, & literas inter regni curas conſueuit addiſcere; ſæpe etiam ſacerdoti ad altare aſſiſtere, & induentem veſtimenta ſacra adiuuare, aquam manibus fundere, & cætera huiuſmodi deuote peragere. audito itaque, quod de Anglia clericus veniſſet, quod magnum tunc temporis videbatur, eum ad diſcendos pſalmos quaſi magiſtrum ſibi adhibuit. inter hæc ſatis ſuperque abundabat rebus, regis virorumque nobilium largitate profluentibus. compungebatur ſæpe animus illius ad contemptum mundi, & vbi poterat conuiuiis lætantium declinans, ſolitariis delectabatur, in lachrymis orans Dominum, vt eum dirigeret in viam ſalutis: quia religioſa deſideria dum differuntur, ſæpe mutantur, & ab illo ſtatu paulatim animus defluebat, quem iocunditas ſeculi ex ſucceſſu rerum ad ſe trahebat, ſed qui inuitatus ſponte venire noluit, quandoque compulſus domum cœleſtis patrisfamilias intrauit. poſt aliquot namque annos patriam cum multa pecunia renauigabat, ſed medio in mari (naui prævalida tempeſtate diſſoluta) rerum omnium iacturam pereuntibus ſociis ſuſtulit, ſolamque vitam, cum quinque vel ſex aliis vix cum multo labore ſeruauit veniens Dunelmũ ad orationem, *Walchero* Epiſcopo omnia circa ſe acta expoſuit, & quod monachilis propoſiti animum gereret, indicauit. Quod Epiſcopus ſatis humiliter ſuſcepit, mittensque ad *Alwinum*, de quo ſupradictum eſt, hunc, inquit, filium meum precor, & iubeo, vt ſuſcipias, atque monachili habitu indutum vitam quoque monachilem doceas ſeruare, quem ſuſceptum ille regulariter probauit, & probato monachicum quandoque habitum tradidit, atque ita verbo informauit & exemplo, vt eidem defuncto, iubente *Willielmo* Epiſcopo in Dunelmenſis Eccleſiæ ſuccederet Prioratum, quod per viginti annos ſtrenue adminiſtrauit duodecim diebus minus. anno enim Epiſcopatus *Ranulfi*, qui *Willielmo* ſucceſſit, octauo impetrante *Alexandro* rege Scotorum ab *Henrico* rege Anglorum, aſſumitur ad Epiſcopatum Eccleſiæ ſancti *Andrea*. Eodem anno, quo *Hildebrandus* Papa prædictum celebrauit concilium, *Rogerus* Comes Herefordenſis, filius *Willielmi* Comitis Eſtanglorum Comiti *Rodulpho*, contra præceptum regis *Willielmi*, ſororem ſuam coniugem tradidit, nuptiaſque permagnificas cum plurima multitudine optimatum in Grantebrigenſi prouincia in loco, qui Ixninga dicitur, celebrantes magnam coniurationem plurimis aſſentientibus contra regem *Willielmum* fecerunt, Comitemque * *Waltheofum* ſuis inſidiis præuentum, ſecum coniurare compulerunt: qui mox, vt potuit, *Lamfrancum* Dorobernenſem Archiepiſcopum, adiit, pœnitentiamque ab eo pro facto, licet non ſponte, ſacramento accepit; eiuſque conſilio regem *Willielmum* in Normannia degentem expetiit, eique rem geſtam ex ordine pandens, illius miſericordiæ vltro ſe dedit. Verum illi ſupra memorati principes, coniurationis cœptis operam daturi, ſua caſtella repetiere, rebellationemque adoriri omni conatu cum fautoribus cœpere. ſed Herefordenſi Comiti, ne, Sabrina tranſuadata, *Rodulpho* Comiti ad locum deſtinatum cum ſuo exercitu occurreret; reſtitit venerabilis *Wlſtanus* Wigornienſis epiſcopus, cum magna militari manu, & *Agelwinus* Eoweshamnenſis abbas, cum ſuis aſcitis ſibi in adiutorium *Vrſone* vicecomite Wigorniẹ, & *Waltero* de Laceio cum copiis ſuis, & cętera multitudine plebis. At vero *Rodulpho* Comiti prope Grantebrigam caſtra metanti, *Odo* Baiocenſis Epiſcopus frater regis, & *Godefridus* Conſtantienſis epiſcopus, congregata magna copia tam Anglorum, quam Normannorum ad bellum parati, * occurrerunt; ipſe autem ſuos conatus infirmari cernens, multitudinem reſiſtentium ad Norwic clanculo refugit, & caſtello ſuæ

al. Walteum

al. occurrerunt.

ſuæ coniugi, militibuſque ſuis commendato, aſcenſa naui, de Anglia ad minorem Brittanniam fugit, quem fugientem aduerſarii illius inſecuti, omnes, quos de ſuis comprehendere poterant, vel interemerunt, vel diuerſis pœnis debilitauerunt. Dein principes caſtellum tamdiu obſederunt, quoad pace data, permiſſu regis, Comitiſſæ cum ſuis exire de Anglia liceret. his geſtis rex autumnali tempore de Normannia rediens, Comitem *Rogerum* in cuſtodia poſuit, Comitem etiam *Waltheofum*, licet ab eo miſericordiam petierit, cuſtodiæ ſimiliter tradidit. *Edgytha* quondam Anglorum regina deceſſit Wintoniæ, menſe Decembri, cuius corpus iuſſu regis Lundoniam delatum, iuxta corpus Domini ſui regis *Eadwardi* honorifice eſt tumulatum in Weſtmonaſterio. Vbi rex proxima natiuitate Domini, curiam ſuam tenuit, & ex eis, qui contra eum ceruicem ſuam erexerant, de Anglia quoſdam exlegauit, quoſdam erutis oculis, vel manibus truncatis, deturbauit: Comites vero *Waltheofum* & *Rogerum*, iudiciali ſententia damnatos, acriori cuſtodiæ mancipauit. Anno milleſimo ſeptuageſimo quinto, Comes *Waltheofus* iuſſu regis *Willelmi* extra ciuitatem Wintoniam ductus eſt indigne, & crudeliter ſecuri decapitatur, & in eodem loco terra obruitur, ſed proceſſu temporis, Deo ſic ordinante, corpus eius de terra leuatur, & cum magno honore Crulande deportatur, & in Eccleſia honorifice tumulatur. hic dum adhuc temporali frueretur vita, arcta poſitus in cuſtodia, ea, quæ geſſerat inique, inceſſanter defleuit, & amariſſime vigiliis etiam & orationibus, ieiuniis, nec non, & eleemoſynis Deum ſtuduit placare, cuius memoriam voluerunt homines in terra delere, ſed illum veraciter cum ſanctis in cœlo credimus gaudere, prædicto archipræſule piæ memoriæ *Lanfranco*, à quo facta confeſſione pœnitentiam acceperat, fideliter atteſtante. qui ab impoſito crimine ſupradictæ ſcilicet coniurationis, illum immunem affirmabat eſſe, & quæ in cæteris conueniſſet, vt verum Chriſtianum pœnitentialibus lachrymis defleuiſſe, ſeq; fœlicem fore, ſi poſt exitum vitæ illius fœlici requie potiretur. poſt quem, cura Comitatus Northimbrenſium committitur *Walchero* Dunelmenſi Epiſcopo. poſt hæc mari tranſito, rex in minorem Brittanniam ſuam mouit expeditionem, & caſtellum *Radulphi* Comitis, quod Dol nominatur, tamdiu obſedit, donec Francorum rex *Philippus* illum inde fugaret. Ea tempeſtate, dum clerici magis eligerent anathemati ſubiacere, quam vxoribus carere, *Hildebrandus* Papa, vt per alios, ſi poſſet, eos caſtigaret, præcepit, vt nullus audiret Miſſam coniugati presbyteri his verbis.

Gregorius papa, qui & *Hildebrandus* ſeruorum Dei ſeruus per totum Italicum regnum, & Teutonicum. debitam ſancto *Petro* obedientiam *exhibentibus, apoſtolicam benedictionem. Si qui ſunt presbyteri, diaconi, ſubdiaconi, qui iacent in crimine fornicationis, interdicimus eis ex parte omnipotentis Dei, & auctoritate ſancti *Petri* introitum Eccleſiæ, vſque dum emendent, & pœniteant. ſi qui autem in peccato ſuo perſeuerare maluerint, nullus veſtrum ad officium eorum auſcultare præſumat: quia benedictio illorum vertitur in maledictionem, & oratio in peccatum teſtante Domino per Prophetam, *Maledicam* (inquit) *benedictionibus veſtris*, &c. Anno milleſimo ſeptuageſimo ſexto, rex Danorum *Swanus* bene literis imbutus obiit, cui filius ſuus *Haroldus* ſucceſſit. Anno milleſimo ſeptuageſimo ſeptimo, *Robertus* *Willelmi* regis primogenitus, eo quod Normanniam, quam ſibi ante aduentum ipſius in Angliam coram *Philippo* rege Francorum dederat, poſſidere non licebat, Franciam adiit & auxilio *Philippi* regis, in Normannia magnam frequenter prædam agebat, villas comburebat, homines perimebat, & patri ſuo non paruam moleſtiam, & anxietatem inferebat. Anno milleſimo ſeptuageſimo octauo, rex Scotorum *Malcolmus* poſt Aſſumptionem ſanctæ *Mariæ*, Northimbriam vſque ad magnum flumen Tine deuaſtauit, multos occidit, plures captiuauit, & cum magna præda rediit. Anno milleſimo ſeptuageſimo nono, rex *Willelmus*, filio ſuo *Roberto* ante caſtellum Gerbohtret, quod ei rex *Philippus* præſtiterat, dum pugnam inferret, ab ipſo vulneratus in brachio, de ſuo deiectus eſt emiſſario, ſed mox, vt illum per vocem cognouit, feſtinus deſcendit, ac illum ſuum caballum aſcendere iuſſit, & ſic abire permiſit. Ille autem multis ſuorum occiſis, nonnulliſque captis, ac filio ſuo *Willielmo* cum multis aliis vulnerato, fugam iniit. venerandus vir *Robertus*, qui per miniſterium reuerendiſſimi *Wlſtani* Wigornienſis Epiſcopi, gradum presbyteratus ſuſcepit, à *Lanfranco* archipræſule Doroberniæ, ad Herefordenſem Eccleſiam quarto Calendas Ianuarii die Dominica, Epiſcopus ordinatur Cantuariæ. Anno milleſimo octageſimo, *Walcherus* Dunelmenſis Epiſcopus, genere Lotharingus, morib. inſignis in loco, qui dicitur Gateſheued, id eſt, capræ caput, pridie Idus Maii feria quinta, à Northumbrenſibus innocenter eſt occiſus, in vltionem ſcilicet necis *Liulfi* nobilis, generoſiq;

al. exigentibus

miniſtri. hic itaque vir late per Angliam poſſeſſiones multas ex hæreditario iure poſſedit, ſed quia vbique locorum Normanni inceſſanter ea tempeſtate operam dabant ſuæ feritati, cum ſuis omnibus ad Dunelmum ſe contulit, quia ſanctum *Cuthbertum* corde ſincero dilexit. habuit autem in coniugio *Adgitam* filiam *Aldredi* Comitis, ex qua procreauit filios *Vchtredum*, & *Morkarum*. huius *Aldgita* ſoror fuit *Elfleda* mater *Waltheoni* Comitis, vnde ipſe Comes conſobrinum ſuum paruulum prædictum *Morkarum* Deo nutriendum monachis in Gyrwa commendauit. Quo tempore, ipſe Comes erat apud Tinemuthe/ quem locum ſimul cum prædicto paruulo, ipſis monachis commiſit diſponendum; Cuius pater *Liulfus* ab epiſcopo in tantum diligebatur, vt abſq; illius conſilio, maiores ſecularium negotiorum cauſas, nullatenus agere vellet, aut diſponere. ob quam rem ſuus capellanus *Leodwinus*, quem in tantum exaltauerat, vt in Epiſcopatu, & in Comitatu fere nil ſine illius arbitrio agitaretur, inuidiæ ſtimulis ſuccenſus & propter ſuam potentiam, tædis ſuperbiæ nimis inflatus, ſe contra prædictum virum arroganter erexit. Quapropter nonnulla eius iudicia, & conſilia flocci pendebat, omnibuſque modis annullare ſudabat. frequenter etiam coram epiſcopo non ſine minis cum eo litigãs, illum verbis probroſis ſæpius ad iracundiam prouocabat. quadam itaque die, cum idem vir *Liulfus* ab Epiſcopo vocatus ad conſilium, legalia quæque & recta decerneret, obſtinatius ei *Leodwinus* obſtitit, & loquelis illum contumelioſis exacerbauit. ſed quia ille reſpondit ei durius ſolito, de placiti loco ſurrexit illico, & euocans ad ſe *Gillebertum* (cui præſul, quia ſuus propinquus erat, Comitatum Northimbrenſium ſub ſe regendum commiſerat) vt ſe vindicaret, obnixe rogauit, & *Liulfum*, quam citius poſſet, morti tradere maturaret. Ille confeſtim iniquis petitionibus adquieſcens ſuis, & Epiſcopi, & eiuſdem *Leothwini* militibus in vnum coadunatis, ad villam vbi tunc *Liulfus* morabatur, nocte quadam perrexit, ac illum cum ſua familia, fere tota, in domo propria iniuſte peremit. Quo cognito, grauiter antiſtes ex corde ſuſpirauit intimo, & capitio de capite extracto, & in terram proiecto, *Leobwino*, qui tunc præſens aderat; triſtis dixit continuo. Tuis, *Leolfwine*, factionibus doloſis, acta ſunt hæc, & inſidiis ſtolidiſſimis. Idcirco volo te ſcire pro certo, quod & me, & te, omnemque familiam meam tuæ linguæ peremiſti gladio. hoc dicto in caſtellum ſe proripuit feſtinato, confeſtimque nuntiis per Northimbriam miſſis, omnibus nuntiari præcepit, ſe necis *Liulfi* conſcium non fuiſſe, quin potius eius occiſorem *Gillebertum*, & omnes ſocios eius de Northimbria exlegaſſe penitus, ac paratum fore ſemetipſum purgare, ſecundum iudicium pontificale; dein miſſis intercurrentibus, ille parenteſque occiſorum, pace ad inuicem data & accepta, locum & diem, quo conuenire, interque ſe pacem firmiorẽ facere poſſent, ſtatuere. Quo adueniente, loco conſtituto, in vnum conuenire. verum cum illis Epiſcopus ſub diuo noluit placitare, ſed in Eccleſiam, quæ ibi erat cum ſuis clericis, ac honorabilioribus militibus intrauit, & conſilio habito, ſemel, & iterum de ſuis, quos voluit, pro pace facienda foras ad eos miſit. At illi nequaquam petitis adquieſcebant, quod *Liulfum* illius iuſſione peremptum fuiſſe, pro certo credebant. Nam *Gillebertum* eiuſque ſocios nocte proxima poſt necem propinqui ſui, non ſolum in domum ſuam *Leolfwinus* familiariter & amicabiliter ſuſcepit, verum etiam Epiſcopus ipſe illum, vt prius in ſuam gratiam, familiamque recepit. vnde omnes, qui ex parte antiſtitis foris inuenti fuerant, primitus occiderunt, paucis fuga reſeruatis. quo viſo, vt hoſtium furori ſatisfaceret, propinquum ſuum præfatum *Gillebertum*, cuius anima quærebatur, præſul de Eccleſia iuſſit exire. quem egredientem milites repugnaturi è veſtigio ſunt ſecuti, ſed mox ab hoſtibus vndique gladiis & lanceis appetiti, in momento ſunt perempti: duobus tamen Anglicis miniſtris propter conſanguinitatem pepercerunt. *Leofwinum* quoque, quia ſæpius Epiſcopo aduerſus illos multa dederat conſilia, & clericos alios mox, vt egreſſi ſunt, occiderunt. Epiſcopus autem vt intellexit furorem illorum nulla ratione mitigatum iri, niſi caput, & auctor totius illius calamitatis *Leofwinus* occideretur, rogauit illum egredi foras, ſed cum penitus, vt egrederetur, ab illo extorquere non poſſet, ad Eccleſiæ ianuas ipſemet epiſcopus acceſſit, ſibique vitam concedi popoſcit, quibus renuentibus caput ſuæ chlamydis limbo cooperiens foras exiuit, & mox inimicorum gladiis percuſſus occubuit; deinde *Leofwinum* egredi iuſſerunt, quo nolente eccleſiæ tecto parietibuſq; ignem impoſuere. ad ille potius vſtulatione, quam occiſione vitam eligens finire, flammas aliquandiu ſuſtulit, ſed cum ſemiuſtus eſſet exiliuit, & fruſtatim conciſus, nequitiæ ſuæ pœnas exoluendo, miſer interiit. Ob quorum deteſtandæ necis vindictam, vex *Willielmus*, eodem anno deuaſtauit Northimbriam, miſſo illuc *Odone* Baiocenſi Epiſcopo, cum multa militari manu. quo anno idem rex *Willielmus*, autumnali tempore *Robertũ* filium ſuum

ſuum

ſuum Scotiam contra *Malcolmum* miſit. ſed cum perueniſſet ad *Egelbereth* infecto negotio reuerſus, caſtellum nouum ſuper flumine Tine, condidit. *Willielmus* ſuſcepit Epiſcopatum Dunelmenſem, quinto Idus Nouembris, ſed quarto Nonas Ianuarii, à *Thoma* Eboracenſi conſecratur apud Gloucestre. *Henricus* imperator, *Hildebrandum* papam, in pentecoſte Magontiæ decreuit deponendum, & *Wibertum* Rauennæ vrbis Epiſcopum, in natali ſancti *Iohannis Baptiſtæ*, pro eo fecit papã. Anno milleſimo octageſimo primo, *Henricus* imperator hoſtiliter Romam aduerſus papam adiit, oppugnans vrbem, non tamen intrauit. Anno milleſimo octageſimo ſecundo, multis homicidiis & prædationibus inter *Henricum* * imperatorem, & *Hildebrandum* papam actis, in nocte palmarum, multi ſunt oc- *al. regem.* ciſi. Rex *Willielmus*, fratrem ſuum *Odonem* Baiocenſem Epiſcopum Normanniæ, in cuſtodiam poſuit. Anno milleſimo octageſimo tertio, *Henricus* imperator vrbem Romæ infregit, & cepit, *Wibertum* in ſede Apoſtolica conſtituit. *Hildebrandus* vero Beneuentum adiit, & ibi vſque ad ſuum obitum deguit. *Henricus* autem in Teutoniam rediit. ſeditio nefanda inter monachos & indigne nominandum abbatem *Turſtinum* Glaſtoniæ facta eſt: quem rex *Willielmus* de monaſterio Cadomi nulla prudentia inſtructum, eidem loco abbatem præfecerat. hic inter cætera ſtultitiæ ſuæ opera, Gregorianum cantum aſpernabatur, & monachos cœpit compellere, vt illo relicto, cuiuſdã *Willielmi* Fiſcanenſis cantum diſcerent, & cantarent, quod dum ægre acciperent, quippe qui iam tam in hoc quam in cæteris Eccleſiaſticis officiis ſecundum Romanæ Eccleſiæ morem inſenuerant, ſubito armata militari manu, illis ignorãtibus quadam die in capitulum irruit, monachos nimio terrore fugientes in Eccleſiam, ad altare vſque perſequitur, iaculiſque & ſagittis cruces, & imagines, ac pheretra ſanctorum manus militaris transfigens, vnum etiam monachum ſacrum amplexantem altare lancea tranſuerberans interemit, alium ad altaris crepidinem ſagittis confoſſum necauit, cæteri vero neceſſitate compulſi, ſcamnis, & candelabris Eccleſiæ, fortiter ſe defendentes, licet grauiter vulnerati, milites, omnes retro chorum abegerunt. ſicque factum eſt, vt duo occiſi, quatuordecim vulnerati ex monachis, nonnulli etiam de militibus ſauciati extiterunt. hinc moto iudicio, dum maxima abbatis culpa eſſe patuit, rex eundem abbatem ſummouit, & in ſuo monaſterio in Normannia poſuit. De monachis vero quamplures per Epiſcopatus, & abbatias, iuſſu regis, cuſtodiendi diſperguntur; poſt cuius mortem idem abbas iterum abbatiam ſuam a filio eius rege *Willielmo*, quingentis libris argenti emit, & per Eccleſiæ poſſeſſiones, aliquot annis peruagatus, longe ab ipſo monaſterio, vt dignus erat homicida, & miſer deceſſit: monachi in Dunelmum conuenerunt, iubente rege *Willielmo* maiore, ſeptimo Calẽdas Iunii feria ſexta: regina *Matildis*, quarto Nonas Nouembris, feria quinta, deceſſit in Normannia, & Cadomi eſt ſepulta.

Thomas *Dei gratia Eboracenſis archiepiſcopus, epiſcopis, abbatibus, per Angliam tam conſtitutis, quam in poſterum ſucceſſuris, & omnibus ſibi in Eboraco archiepiſcopis ſucceſſuris in perpetuum ſalutem. Cum noſtrum ſit officium, omnibus præſtare pietatis obſequium: his tamen maxime ſanctorum Dei debemus obſequium noſtræ deuotionis impendere, à quibus nos cõſtat peculiare muneris beneficium percepiſſe, nos quidem flagello Dei caſtigati, & febrium languoribus, per biennium modo incredibili exuſti, cum omnes medici ſolum mortis exitum nobis prominere promitterent, nilque vnquam fuit, in quo continuæ noxam ægritudinis temperarent; per viſum ergo commonitus ad tumbam ſancti* Cuthberti, *gemens, & fremens pernoctaui, qui morbo ſimul, & mole fatigatus, dum ſomnũ ſurripui, in viſum mihi beatus* Cuthbertus *aſtitit, qui manu ſua ſingula membra mea de infirmitate mea percurrens mox vigilantem ab omni infirmitate ſanum reddidit, & me ſibi in omnibus deuotum fore, & quæcunque in mea diœceſi, ipſe vel ſui poſſeſſuri erant, ab omni fatigatione, ſecura & libera eſſe præcepit; quique beati confeſſoris adiutus beneficiis, eo ei deuotior extiti, quo maiora perſoluere debui.* Willielmo *interim Dunelmenſi Epiſcopo, de ſede apoſtolica literas* Gregorii *papæ ſeptimi, ad* Willielmi *regis concilium apud Weſtmonaſterium deferente, Canonicos de Eccleſia ſua amouere & monachos ſubſtituere, omnium conſenſu impetrauit. quibus plurimum gauiſus, ex præcepto præfati papæ, & ex imperio domini regis* Willielmi *beati* Cuthberti *amore debito, ſubſcriptas literas ſancto* Cuthberto, *& eius Epiſcopo, & omnibus monachis ei ſeruientibus, conſenſu & permiſſione capituli Eboraci, & totius ſynodi confirmatione, dedi, conceſſi, & præſenti charta cõfirmaui, & poſt propria manu, ſuper altare ſancto* Cuthberto *obtuli. ſciant igitur tam præſentes quam futuri, quod ego* Thomas *Eboracenſis archiepiſcopus, ex præcepto papæ* Gregorii *ſeptimi, & confirmatione domini* Willielmi *regis, ſub teſtimonio vniuerſalis Anglorum concilii, & conſenſu Eboracenſis capituli, do, & concedo Deo, & ſancto* Cuthberto, *& omnibus eius Epiſcopis ſucceſſuris, & omnibus monachis ibidem in poſterum futuris, vt omnes Eccleſias quaſcunque in præſenti in diœceſiana parochia mea poſſident, vel in poſterum canonice adquirere poterunt conceſſione regum,*

largitione fidelium, vel ædificauerint in proprio fundo terrarum: habeant liberas, & quietas omnino in perpetuum à me, & omnibus ſucceſſoribus meis, ab omnibus quæ ad me, vel ad ſucceſſores meos pertinent. Quare volo, & præcipio, vt omnes Eccleſias ſuas, in manu ſua teneant, & quiete eas poßideãt, & vicarios ſuos in eis libere ponant, qui mihi, & ſucceſſoribus meis de cura tantum intendant animarum, ipſis vero, de omnibus cæteris eleemoſynis & beneficiis. concedo inſuper, confirmo, & præcipio, vt tam ipſi quam ipſorum vicarii liberi, & quieti in perpetuum ſint ab omni redditu ſynodali, & ab omnibus auxiliis, grauaminibus, vel redditibus, exactionibus, vel hoſpitiis, tam à me, quam à decanis, archidiaconis, vel omnium noſtrorum vicariis, & miniſtris. ſub anathemate etiam prohibeo, ne aliquis vltra, ipſos, vel eorum clericos, aliqua ſub occaſione fatiget, vel ad ſynodos, vel capitula ire, niſi velint ſponte compellant. ſed ſi quis, erga eos vel ſuos aliquam querelam habuerit, ad curiam ſancti Cuthberti, *Dunelmum veniat, vt ibi, qualem debuerit, rectitudinem percipiat. omnes enim libertates, & dignitates, quas ego, vel mei ſequaces in eccleſiis propriis, vel terris noſtris poſſederimus, ipſis, & ſancto* Cuthberto *in omnibus Eccleſiis, & terris ſuis libere in perpetuum concedimus, & abſque tergiuerſatione ſine calumnia, à me, meiſq́; ſucceſſoribus liberas & quietas confirmamus.* Anno 1084. *Hildebrandus* qui & *Gregorius* papa obiit. Rex Anglorum *Willielmus*, de vnaquaque hida, per Angliam ſex ſolidos accepit. Anno 1085. vir eximiæ probitatis Perſcorenſis Abbas *Eadmundus* decimo ſeptimo Calendas Iulii, die dominica obiit. *Canutus* rex Danorum, filius *Swani* eodem anno cum claſſe valida, & auxilio ſoceri ſui *Roberti* Flandrenſis Comitis, (habuit enim filiam eius vxorem) in Angliam venire paratus erat. vnde rex *Willielmus* de tota Gallia ſolidariis, pedonibus, & ſagittariis multis millibus conductis, & nonnullis de Normannia ſumptis, autumnali tempore Angliam rediit, & eis, per totum regnum diuiſis Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Vicecomitibus, ac regiis præpoſitis, victum præbere mandauit. Sed vbi cognouit ſuos inimicos impeditos fuiſſe, partem exercitus remiſit, partem ſecum per totam hyemem retinuit, & in Natiuitate Domini curiam ſuam Glauornæ tenuit. vbi tribus ſuis Capellanis, *Mauricio* ſcilicet Lundonienſem, *Willielmo* Theodfordenſem, *Roberto* Ceſtrenſem dedit præſulatum. Anno 1086. *Willielmus* rex fecit deſcribi omnem Angliam, quantum terræ quiſque Baronum ſuorum poſſidebat, quot feudatos milites, quot carrucas, quot villarios, quot animalia, imo quantum viuæ pecuniç quiſque haberet, in omni regno ſuo a maximo vſq; ad minimum, & quantum redditus quæq; poſſeſſio reddere poterat, & vexata eſt terra multis cladibus inde procedentibus. poſt hæc in hebdomada pentecoſtes filium ſuum *Henricum* apud Weſtmonaſterium, vbi curiam ſuam tenuit, armis militaribus honorauit, nec multo poſt mandauit, vt Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Comites, Barones, vicecomites cum ſuis militibus, Cal. Auguſti ſibi occurrerent Sareſbiriæ. quo cum veniſſent, milites illorum ſibi fidelitatem contra omnes homines iurare coegit. eo tempore *Clito Eadgarus* licentia à rege impetrata, cum 200. militibus mare tranſiit, & Apuliam adiit. Cuius germana virgo *Chriſtiana*, monaſterium, quod Rumſeie nuncupatur, intrauit, & veſtem ſanctimonialis habitus ſuſcepit. eodem anno, animalium peſtis, & magna extitit aeris intemperies. Anno 1087. reliquiæ ſancti *Nicolai* de Mirrea transferuntur in Barrenſem ciuitatem. *Alwinus* prior Dunelmenſis deceſſit. ferox flamma vrbes multas, Eccleſiam quoque ſancti *Pauli* Apoſtoli, cum maiori & meliori parte Lundoniæ conſumpſit. Dani ſuum dominum *Canutum* regem, ſexto Idus Iulii, ſabbato, in quadam Eccleſia martyrizauerunt. Ciceſtrenſis Epiſcopus *Stigandus*, Abbas ſancti *Auguſtini Scollandus*, Abbas Bathonienſis *Alſius*, & Abbas Perſcorrenſis *Turſtinus* deceſſerunt. Eodem anno, ante Aſſumptionem S. *Mariæ*, rex *Willielmus* in Franciam cum exercitu venit, & oppidum quod Mantuntun nuncupatur, & omnes Eccleſias in eo ſitas, duoſq́; recluſos, igne ſuccendit, & in Normanniam rediit, ſed in ipſo reditu dirus viſcerum dolor illum apprehẽdit, & magis ac magis de die in diem grauabat, cum autem ingraueſcente ægritudine, diem ſibi mortis imminere ſenſiſſet, fratrem ſuum *Odonem* Baiocenſem Epiſcopum, Comites *Morcarum*, & *Rogerum Siwardum*, cognomento *Barn*, & *Wlfnothum*, regis *Haroldi* germanum, quem à pueritia in cuſtodia tenuerat, & omnes, quos in Normannia, vel in Anglia cuſtodiæ manciparat, laxauit. Deinde filio ſuo *Willielmo* regnum tradidit Angliæ, & *Roberto* filio primogenito, qui tunc exulabat in Francia, Comitatum conceſſit Normanniæ, & ſic cœleſti munitus viatico, poſtquam viginti annis, menſibus decem, & 28. diebus genti Anglorum præfuit, 5. Iduum Septembris die, cum vita regnum perdidit, & Cadomi, in Eccleſia ſancti *Stephani* protomartyris, quam ipſe à fundamentis conſtruxerat, boniſque ditauerat, ſepultus requieſcit

WIL-

WILLIELMVS IVNIOR.

Villielmus autem filius eius, Angliam feſtinato adiit, ducens ſecum *Morkarum*, & *Wlnothum*, ſed mox vt Wintoniã venit, illos, vt prius fuerant cuſtodiæ mancipauit. poſt hæc, 6. Cal. Octobr. die dominica, in Weſtmonaſterio à *Lanfranco* Doroberniæ Archiepiſcopo, in regem eſt conſecratus. deinde Wintoniam rediens, theſauros patris ſui, vt ipſe iuſſerat, per Angliam dimiſit, ſcilicet quibuſdam principalibus Eccleſiis 10. marcas auri, quibuſdam ſex, quibuſdam minus; Eccleſiis vero in villis ſitis, per ſingulas ſolidos 5. dari, cruces, altaria, ſcrinia, textos, candelabra, ſitulas, fiſtulas, ac ornamenta varia, gemmis, auro, argento, lapidibuſq; pretioſis redimita, per Eccleſias digniores, ac monaſteria, iuſſit diuidi. eius quoque germanus *Robertus* in Normanniam reuerſus, theſauros, quos inuenerat, monaſteriis, Eccleſiis, pauperibus, pro anima patris ſui largiter diuiſit, & *Vlfum Haroldi* quondam regis Anglorum filium,* *Dunecaldumq;* filium *Malcolmi* regis Scotorum, à cuſtodia laxatos, & armis militaribus honoratos abire permiſit. Anno 1088. inter primates Angliæ magna orta eſt diſcordia. pars enim Normãnorum nobilium fauebat regi *Willielmo*, ſed minima; pars vero altera fauebat *Roberto* Comiti Normannorum, & maxima cupiens hunc ſibi aſciſcere in regnum; fratrem vero, aut fratri tradere viuum, aut regno priuare peremptum. huius execrandæ rei principes extiterunt, *Odo* Baiocenſis Epiſcopus, qui erat etiam Comes Cantuarienſis & *Gaufridus* Epiſcopus Conſtantienſis, & *Robertus* Comes Mortunenſis & *Rogerus* Comes Scrobesbirienſis, & excellentiores principes totius regni excepto *Lanfranco* Archiepiſcopo: execrabile hoc factum tractauerunt clam in quadrageſima, ſtatimq; poſt paſcha cœpit quiſque circa ſe vaſtare, rapere, deprædari, omnia caſtella munire foſſa & victu. *Goffridus* Epiſcopus Conſtantienſis & *Robertus* de Mubrai iuerunt Briſtowe, vbi habebant caſtrum fortiſſimum, & omnia deuaſtabãt, vſque ad locum, qui vocatur Bathan: Proceres quoque de Herefordia, & de Scrobesbirie, cum multitudine Vallenſium perrexerunt vſque ad Wirceſtre, omnia ante ſe vaſtantes, & igne conſumentes. cogitauerunt etiam, quod caſtrum, & Eccleſiam vellent accipere, quod videlicet caſtrum tunc temporis commendatum erat *Wlſtano* venerabili Epiſcopo. Quando Epiſcopus iſta audiuit valde contriſtabatur, & cogitans quid conſilii inde haberet, vertit ſe ad Deum ſuum, & rogat, vt reſpiciat Eccleſiam ſuam, & populum ſuum ab hoſtibus oppreſſum. Hæc eo meditante, familia exiliuit de caſtro, & acceperunt, & occiderunt ex eis quingentos viros, & alios in fugam verterunt. *Rogerus Bigot* intrauit caſtra de Norwic, & omnes vicit in malum. *Odo* Epiſcopus, per quem iſta mala cœperunt, perrexit Cantiam, & vaſtauit villas regias, nec non & omnium, qui regi fidem tenuerũt, terras depopulatus eſt, & caſtrum obfirmauit Roſenſe. his auditis rex fecit congregari Anglos, & oſtendit eis traditionem Normannorum, & rogauit, vt ſibi auxilio eſſent eo tenore, vt ſi in hac neceſſitate ſibi fideles exiſterent, meliorem legem, quam vellent eligere, eis cõcederet, & omne iniuſtum ſcottum interdixit: & conceſſit omnibus ſyluas ſuas, & venationem, ſed quicquid promiſit paruo tempore cuſtodiuit. Angli tunc fideliter eum iuuabãt. conuocauit igitur rex exercitum ſuum, vt iret Roueceſtriam, vbi putabat auunculũ ſuum *Odonem* Epiſcopum eſſe. venientes autem ad Tunebrige inuenerũt caſtrum obfirmatum contra regem. Sed Angli viriliter inſilientes in illud, deſtruxerunt totum caſtrum, qui autem intus erant, manus regi dederunt. his ita geſtis rex cum exercitu vertit iter verſus caſtrum de Peuenceſea; iam enim Epiſcopus *Odo* receſſerat a Roueceſtria, & intrabat caſtrũ illud, quem rex ſecutus obſidebat caſtrum per ſex integras ſeptimanas cum magno exercitu. dum hæc fiunt in Anglia *Robertus* comes Normanniæ cõgregat exercitum magnum, & parat eum in Angliam mittere mox ſecuturus, quaſi de Anglia per *Odonem* Epiſcopum, & cæteros, qui ex ſua ibi parte erat, ſecurus. Sed *Willielmus* iunior iam mare munierat ſuis piratis, qui venientes in Angliam tot occiderunt, & in mare merſerunt, vt nullus ſit hominum, qui ſciat numerum pereuntium.

al. Dunecanumq;

Interim dum hæc fiunt in mari, *Odo* Epiſcopus, & qui cum eo erant, fame coacti reddentes caſtrum de Peueneſea promiſerunt cum iureiurando ſe Angliam exituros, nec amplius intraturos niſi rege *Willielmo* præcipiente; caſtrum quoque Roſenſe ante redituros, ſed cum veniſſet Roueceſtriam cum hominibus regis, qui ex parte regis deberent caſtrum recipere, ſtatim cum eiſdem, ab his, qui in caſtello erãt, ponitur in vinculis. Quidam aſſerunt hoc factum eſſe calliditate Epiſcopi. In hoc certe caſtro erãt ſtrenui milites, & pene tota nobilitas Normãniæ. Erat ibi *Euſtachius* iuuenis Bolonienſis Comes, & multi nobiles Flandrenſes. hæc cũ audiſſet rex, venit cũ exercitu Roueceſtriam, & obſedit ciuitatem, & paruo peracto ſpatio hi, qui intus erant, ſe reddiderunt. Et ita Epiſcopus, qui fere

fuit ſecundus rex Angliæ honorem ſuum irrecuperabiliter amiſit. Sed veniens Normanniam ſtatim a Roberto Comite totius prouinciæ curam ſuſcepit. Cuius ordinem cauſæ libellus in hoc deſcriptus oſtendit. Dunelmenſis Epiſcopus etiam *Willielmus*, & multi alii de Anglia exierunt. Anno 1089. *Lanfrancus* Dorobernenſis archiepiſcopus nono Cal. Iunii, feria quinta obiit. Eodem anno, tertio Idus Auguſti ſabbato, circa horam diei tertiam terræ motus permaximus extitit per Angliam. Anno 1090. rex Anglorum *Willielmus* iunior fratri ſuo *Roberto* Normanniam adimere, & ſuæ ditioni cupiens ſubiugare, primo caſtellum *Walteri* de ſancto *Walerico*, & caſtellum, quod vocatur Albemarle: deinde alia caſtella ſibi condixit, & in eis milites, qui Normanniam deuaſtarent, poſuit. qua re viſa, & ſuorum infidelitate cognita, Comes *Robertus* legatis ad regem Francorum *Philippum* dominum ſuum miſſis illum in Normanniam venire fecit; vnumque de caſtellis, in quo fratris ſui milites erant, rex & ipſe obſederunt, quod cum regi *Willielmo* nnnciatum fuiſſet, non modica pecuniæ quantitate regi *Philippo* occulte tranſmiſſa, vt ab obſidione diſcederet, flagitans impetrauit. Anno milleſimo nonageſimo primo, rex *Willielmus* iunior Normanniā petiit menſe Februario, vt eam fratri ſuo *Roberto* abriperet, ſed dum ibi moraretur, pax inter illos ea conuētione facta eſt, vt Comes regi Comitatum de Owe, Feſcamnum, * Abbatiam in monte Sancti *Michaelis* ſitam, & Keresburg, & caſtella, quæ a ſe defecerant, bono animo concederet: Cynomanicam vero prouinciā & caſtella, quæ tūc in Normannia Comiti reluctabantur, illius dominio rex ſubiugaret. Omnibus etiam Normannis terras, quas in Anglia ob fidelitatem Comitis perdiderant, redderet. Et tantum terræ in Anglia, quantum conuentionis inter eos fuerat, Comiti daret; ad hæc etiam inter ſe conſtituerunt, vt ſi Comes abſque filio legali matrimonio genito moreretur, hæres eius fieret rex: ſimilique modo, ſi regi contigiſſet mori, hæres illius fieret Comes: hanc conuentionem 12. Barones ex parte regis, & 12. ex parte Comitis iurauerunt. Interim dum hæc fierent germanus illorum *Henricus* montem Sancti *Michaelis*, quibuſdam monachis loci ipſius illum adiuuantibus, cum omnibus militibus, quos habere potuit, intrauit, regiſque terram vaſtauit & eius homines quoſdam captiuauit, quoſdam exſpoliauit. Quapropter rex & Comes, congregato exercitu per totam Quadrageſimam montem obſederunt, & frequenter cum eo prælium commiſerunt, & homines, & equos nonnullos perdiderunt. At rex cum obſidionis diutinæ pertæſus fuerat, impacatus receſſit, & non multo poſt *Eadgarum Clitonem* honore, quem ei Comes dederat, priuauit, & de Normannia expulit. Interea menſe Maio rex Scottorum *Malcolmus* cum magno exercitu Northimbriam inuaſit; ſi prouentus ſucceſſiſſet, vlterius proceſſurus, & vim Angliæ incolis illaturus. noluit Deus; ideo ab inceptis eſt impeditus. quo rex audito cum fratre ſuo *Roberto* rediit Angliam menſe Auguſto. Nec multo poſt cum claſſe non modica, & equeſtri exercitu Scotiam profectus eſt, vt *Malcolmum* debellaret, venienſque Dunelmum *Willielmum* Epiſcopum reſtituit in ſedem ſuam, poſt tres annos ipſo die, quo eam reliquit, ſcilicet, tertio Idus Septembris, ſed antequam rex intraret Scotiam, paulo ante feſtum Sancti *Michaelis* fere tota eſt demerſa claſſis, multique de equeſtri exercitu eius fame & frigore perierunt, cui rex *Malcolmus* cum exercitu in prouincia Loidis occurrit, quod videns Comes *Robertus Clitonem Eadgarum*, quem rex de Normannia expulerat, & tunc cum rege Scottorum degebat, ad ſe accerſiuit. cuius auxilio fretus pacem inter reges fecit, ea conuentione, vt regi *Willielmo* ſicut patri eius obediuit *Malcolmus* ita ei obediret; & *Malcolmo* duodecim villas, quas in Anglia ſub patre eius habuerat, *Willielmus* redderet, & duodecim marcas auri ſingulis annis daret. ſed pax inter eos facta non multo tempore durauit, ipſum etiam *Eadgarum* cum rege *Willielmo* Comes pacificauit. Idibus Octobris, feria quarta turrim Wincelcumbenſis Eccleſiæ vehemens ictus fulminis concutiens parietem iuxta culmen ample perforauit, vnamque de trabibus diſcidit, caputque imaginis *Chriſti* fortiter percuſſum in terram deiecit, & crus eius dextrum fregit. imago etiam Sanctæ *Mariæ*, quæ iuxta crucem ſtabat, ictu percuſſa ad terram decidit; magnus deinde fumus, cum nimio fœtore ſubſecutus totam Eccleſiam repleuit, & tamdiu durauit, quoad loci illius monachi cum aqua benedicta, & incenſo, & reliquiis ſanctorum officinas monaſterii pſalmos decantando circuirent, nec minus decimo ſexto Kal. Nouembris, feria ſexta turbo veniens ab Affrico perualidus Lundoniæ pluſquam ſexcentas domos, & Eccleſias quamplures concutiendo diuerberauit. in Eccleſiam quoque Sanctæ *Mariæ*, quæ dicitur ad arcum irruens, in ea duos homines occidit, & tectū cum tignis, in altum leuans, & huc, illucq; diu per aera ferens, tandem ſex de tignis, eo ordine, quo prius tecto infixa erant, tam alte in terram defixit, vt de quibuſdam eorum ſeptima, de quibuſdā vero octaua pars appareret. erant enim viginti ſeptē, vel viginti octo pedum

al. Albariam.

pedum longitudinis. Poſthæc Rex de Northimbria per Merciam in Weſtſaxoniam rediit, & ſecum fere vſque ad natiuitatem Domini retinuit Comitem, ſed conuentionem inter eos factam illi perſoluere noluit. Quod Comes grauiter ferens 10. Kalendas Ianuarii cum *Clitone Eadgaro* Normanniam repetiit. Erant duo, vt in Anglia ferebatur, qui dicebantur Romani pontifices à ſe inuicem diſcordantes, & Eccleſiam Dei inter ſe diuiſam trahentes poſt ſe: *Vrbanus* ſcilicet, qui primum dictus fuerat *Odo*, Epiſcopus *Oſtienſis*, & *Clemens*, qui *Wibertus* vocatus fuerat, Archiepiſcopus Rauennenſis; quæ res, vt de aliis mundi partibus ſileamus, per plures annos Eccleſiam Angliæ in tantum occupauit, vt ex quo *Gregorius, qui & Hildebrandus*, defunctus fuit, nulli loco Papæ vſque ad hoc tempus ſubdi, vel obedire voluerit, ſed *Vrbanum* pro vicario beati *Petri* Italia, Galliaque recepit. Anno 1092. Ciuitas Lundonia maxima ex parte incendio conflagrauit. *Oſmundus* Saresbirienſis Epiſcopus Eccleſiam, quam Sarisbiriæ in caſtello conſtruxerat cum adiutorio Epiſcoporum Wacellini Wintonienſis, & *Iohannis* Bathonienſis Nonas Aprilis, feria ſecunda dedicauit. Antiſtes etiam *Remigius*, qui licentia Regis *Willielmi* ſenioris Epiſcopalem ſedem de Dorſeccaſtre mutauerat ad Lindecolniam, conſtructam in ea Eccleſiam pontificali cathedra dignam dedicare volebat, quia diem mortis ſibi imminere ſentiebat. Sed *Thomas* Eboracenſis Archiepiſcopus contradicendo illi reſiſtebat, affirmans eam in ſua parochia eſſe conſtructam. At Rex *Willielmus* iunior, pro pecunia, quam ei *Remigius* dederat fere totius Angliæ Epiſcopis mandauit, vt in vnum conuenientes ſeptenis Idibus Maii Eccleſiam dedicarent, ſed biduo ante diem ſtatutum occulto Dei iudicio ipſe *Remigius* Epiſcopus migrauit è ſeculo, & Eccleſiæ per hoc remanſit dedicatio. His actis rex in Northimbriam profectus ciuitatem, quæ Brittanniæ Cairleil/ Lugubialia Latine vocatur, reſtaurauit, & in ea caſtellum ædificauit. Hæc enim ciuitas, vt illis in partibus aliæ nonnullæ à Danis Paganis ante ducentos annos diruta, & vſq; ad id tempus manſit deſerta.

Anno 1093. Rex *Willielmus* iunior in regia villa, quæ vocatur Aluueſtan vehementi percuſſus infirmitate ciuitatem Glauornam feſtinanter adiit, ibique per totam Quadrageſimam languoſus iacuit, qui cum ſe putaret cito moriturum, vt ei Barones ſui ſuggeſſerunt, vitam ſuam corrigere, Eccleſias non amplius vendere, nec ad cenſum ponere, ſed illas regia tueri poteſtate, irrectas leges deſtruere, ac rectas ſtatuere Deo promiſit. Archiepiſcopatum Cantuariæ, quem ipſe in manu ſua tenuit, *Anſelmo* Beccenſi Abbati, qui tunc in Anglia morabatur, & Cancellario ſuo *Roberto*, cognomine *Bloet*, Lincolnienſem dedit præſulatum. Eccleſia noua Dunelmi eſt incœpta tertio * Kalend. Augusti feria quinta Epiſcopo *Willielmo*, & *Malcolmo* rege Scottorum, & *Turgoto* priore, ipſo die ponentibus primos in fundamento lapides. [al. Idus.] Rex Scottorum *Malcolmus* die feſtiuitatis Sancti *Bartholomæi* Apoſtoli Regi *Willielmo* iuniori, vt prius per legatos inter eos ſtatutum fuerat, in ciuitate Glaworna occurrit, vt ſicut quidam primatum Angliæ voluerunt, pace redintegrata, ſtabilis inter eos amicitia firmaretur, ſed impacati ab inuicem diſceſſerunt. Nam *Malcolmũ* videre, aut cũ eo colloqui pro nimia ſuperbia, & potentia *Willielmus* deſpexit. Inſuper etiam illum vt ſecundum iudicium tantum Baronum ſuorum in curia ſua rectitudinem ei faceret, conſtringere voluit, ſed id agere, niſi in regnorum ſuorum confiniis, vbi Reges Scottorum ſoliti erant rectitudinem facere regibus Angliæ, & ſecundum iudicium vtriuſq; regni primatum *Malcolmus* nullo modo voluit. Poſthæc in ſole ſignum apparuit valde mirabile. Eodem anno Comes Scrobesbirienſis *Rogerus*, & *Wido* Abbas Sancti *Auguſtini*, & * *Paulinus* Abbas Eccleſiæ Sancti *Albani* deceſſerunt. [al. Paulus] Iſte *Paulinus* contra interdictum monachorum Dunelmenſium Eccleſiam de Tinmuth/ quam ipſi poſſederant, per violentiam *Roberti* Comitis ingreſſus, tactus ibidem infirmitate rediens in itinere in Setteringtun moritur.

Rex Scottorum *Malcolmus*, & primogenitus filius eius *Eadwardus* cum ſuis exercitibus in Northimbria die feſtiuitatis ſancti *Bricii* à militibus *Roberti* Comitis Northimbrorum occiſi ſunt, in cuius morte iuſticia Dei iudicantis aperte conſideratur, vt videlicet in illa prouincia cum ſuis interiret, quam ſæpe ipſe vaſtare, auaricia ſtimulante, conſueuit. quinquies namque illam atroci depopulatione attriuit, & miſeros indigenas in ſeruitutem redigendos abduxit captiuos. Primo *Edwardo* regnante *Egelwino* Epiſcopante Dunelmi, quando *Toſtius* Comes Northimbrorum profectus Romam fuerat. ſecundo regnante *Willielmo*, & prædicto *Egelwino* Epiſcopante quando Cliuelandia depopulata eſt. tertio regnante eodem Rege *Willielmo* & *Walchero* Epiſcopante Dunelmi vſque Tynam progreſſus poſt cædes hominum, & concremationes locorum, cum multa præda reuertitur: quarto regnante *Willielmo* iuniore, & *Willielmo* regente Epiſcopatum Dunel-

menſem cum ſuis copiis infinitis vſque Ceſtre peruenit, animo intendens vlterius progredi, ſed adunata contra eum militari manu non multa, metu ipſo citius reuertitur. quinto cum omni, quo potuit, exercitu, in vltimam deducturus deſolationem, Northimbriam inuaſit, ſed iuxta fluuium Alne perimitur à* *Morello* milite ſtrenuiſſimo, cum primogenito ſuo *Edwardo*, quem hæredem regni poſt ſe diſpoſuerat. Exercitus illius, vel gladiis confoditur, vel qui gladios fugerunt, inundatione fluminum, quæ tunc pluuiis hyemalibus plus ſolito excreuerant, abſorbti ſunt. Corpus vero Regis & cruentiſſimi carnificis, cum nullus ſuorum remaneret, qui terra illud cooperiret, duo ex indigenis carro impoſitum in Tinemuth ſepelierunt; ſicq; factum eſt, vt vbi multos vita, & rebus, & libertate priuauerat, ibidem ipſe iudicio Dei vitam ſimul cum rebus amitteret. Cuius morte cognita *Margareta* Scottorum regina tanta affecta eſt triſtitia, vt ſubito magnam incideret infirmitatem. Nec mora presbyteris ad ſe accerſitis Eccleſiam intrauit, eiſq; peccata ſua confeſſa oleo ſe perungi, cœleſtiq; viatico muniri fecit; dominum intentiſſimis & aſſiduis precibus exorans, vt in hac ærumnoſa vita diutius illam viuere non permitteret. Et exaudita eſt oratio eius, nam tertia die poſt Regis occiſionem, ſoluta vinculis carnis, vt creditur ad gaudia tranſiuit æternæ ſalutis. Quippe dum viueret, pietatis, iuſtitiæ, pacis, & charitatis cultrix extitit deuota, frequens in orationibus, corpus vigiliis, & ieiuniis macerauit, Eccleſias, & monaſteria ditauit, ſeruos Dei, & ancillas dilexit, & honorauit, eſurientibus panem frangebat, nudos veſtiebat, & omnibus peregrinis ad ſe venientibus, hoſpitia, veſtimenta, & alimenta præbebat, & Deum toto corde diligebat. Qua mortua Scotti elegerunt ſibi in Regem *Duſenaldum* fratrem *Malcolmi* Regis, & omnes Anglos qui de curia Regis fuerant, de Scotia expulerunt; quibus auditis *Dunekanus Malcolmi* Regis filius *Willielmus* Regem cui tunc militabat, vt ei regnum patris ſui concederet, petiit & impetrauit illiq; fidelitatem iurauit, & ſic ad Scotiam cum multitudine Anglorum, & Normannorum properauit, & patruum ſuum *Duſenaldum* de Regno expulit, & in loco eius regnauit. Deinde nonnulli Scottorum in vnum congregati, homines illius pene omnes peremerunt. Ipſe vero cum paucis euaſit, veruntamen poſthæc illum regnare permiſerunt, ea ratione vt amplius in Scotiam, nec Anglos nec Normannos introduceret, ſibique militare ſineret. Conuenientibus fere totius Angliæ Epiſcopis, in quibus *Thomas* Eboracenſis Archiepiſcopos primatum tenebat, *Anſelmum* Beccenſem Abbatem ſecundo Nonas Decembris conſecrauerunt ad Archipræſulatum Cantuarienſis Eccleſiæ. Eodem anno *Willielmus* Comes de Owe auri ingenti victus cupiditate, & promiſſi honoris captus magnitudine à naturali domino ſuo *Roberto* Normannorum Comite, cui fidelitatem iurauerat, defecit, & in Angliam ad Regem *Willielmum* veniens illius ſe dominio vt ſeductor maximus ſubiugauit.

al. Merkello.

Anno 1094. Comes Normannorum *Robertus* fratri ſuo Regi *Willielmo* iuniori per legatos mandauit, pacem, quam inter ſe firmauerant, ſe diutius non eſſe ſeruaturum; inſuper vocauit illum periurum, & perfidum, niſi conuentionem inter illos in Normannia factam ei perſolueret. ob hanc cauſam Rex circa Kalend. Februarii Heaſtingam adiit, & dum ibi moraretur, Eccleſiam de bello in honorem Sancti *Martini* dedicari fecit. Vbi etiam *Hrebertum* Theodfordenſem epiſcopum paſtorali baculo priuauit. latenter enim *Vrbanũ* Papam adire, & ab eo pro epiſcopatu, quem ſibi, & Abbatia, quam patri ſuo *Roberto* ab ipſo Rege *Willielmo* mille libris emerat, abſolutionem quærere volebat. Deinde media Quadrageſima rex Normanniam petiit, & ad fratris colloquium ſub pace ſtatuta venit, ſed impacatus ab eo receſſit. Denuo in Martii conuenere campo: vbi illi qui ſacramẽtis inter illos pacem confirmauere, Regi culpam omnem impoſuere. At ille nec culpam agnoſcere, nec conuentionem voluit perſoluere. Idcirco nimis irati diſceſſerunt impacati. Comes quidem Rotomagum perrexit; Rex vero ad Owe rediit, & in illo reſedit, ſolidarios vndique conduxit, , aurum, argentum, terras, quibuſdam optimatum Normãniæ dedit, quibuſdam promiſit, vt à germano ſuo *Roberto* deficerent, & cum caſtellis ſuis ſe eius ditioni ſubiicerent: quibus ad velle patratis per caſtella, quæ vel prius habuerat, vel quæ tunc conduxerat, ſuos milites diſtribuit. Interea caſtellum, quod Bures vocatur, expugnauit, Comitis milites in illo captos partim in Angliam cuſtodiendos miſit, partim in Normannia cuſtodiæ mancipauit, & fratrem ſuum multis modis vexans, exhæredare laborabat. At ille neceſſitate compulſus dominum ſuum *Philippum* Regem Francorum cum exercitu Normanniam adduxit; & Rex quidem caſtellum Argentinum obſedit, & ipſo die obſeſſionis 700. milites Regis cum bis totidem ſcutariis, & caſtellanis omnibus, qui intus erant ſine ſanguinis effuſione cepit, captoſq; in cuſtodia tamdiu ſeruare mandauit, donec quiſq; ſe redimeret, & poſthæc in Franciam rediit. Comes

vero *Robertus* Caſtellum, quod Holm nuncupatur, obſedit, donec *Willielmus Peuerel* & 800. homines, qui id defendebant, illi ſe dederent. quod cum Regi innotuiſſet, nunciis in Angliam miſſis 20. millia Pedonum in Normanniam ſibi in auxilium mitti iuſſit, quibus Haſtings congregatis, vt mare tranſirent, pecuniam, quæ data erat eis ad victum, *Rannlfus* præcepto Regis abſtulit, ſcilicet vnicuiq; 10. ſolidos, & eos domum repedare mandauit, pecuniamq; regi tranſmiſit. Interea graui, & aſſiduo tributo, hominumq; mortalitate præſenti anno & ſequenti tota vexabatur Anglia. Adhæc primitus Norwalani, deinde Suthwalani ſeruitutis iugo, quo diu premebantur, excuſſo, & ceruice erecta, libertatem ſibi vendicare laborabant. Vnde collecta multitudine, caſtella, quæ in Weſtwalania firmata erant, fregerunt, & in Ceſtrenſi, & Scrobesbirienſi, & Herefordenſi prouinciis frequenter villas cremabant, prædas agebant, & multos ex Anglis, & Normannis interficiebant, fregerunt & caſtellum in Meuania inſula, eamq; ſuæ ditioni ſubiiciebant. Interim Scotti regem ſuum Dunecanum, & cum eo alios nonnullos per inſidias peremerunt, ſuaſu & hortatu Dufenaldi, & illum ſibi Regem rurſus conſtituerunt. Poſthæc Rex *Willielmus* * 4. Kal. Ianuarii Angliam rediit, & vt Walanos debellaret, mox exercitum in Wa- *al. tertio.* loniam mouit, ibiq; homines & equos perdidit multos.

Anno 1095. vir venerabilis, & valde admirabilis vitæ *Wlſtanus* Epiſcopus S. Wigornenſis Eccleſiæ ab adoleſcentia diuinis mancipatus obſequiis, poſt multos Sancti ſudoris agones, quibus pro gloria regni cœleſtis adipiſcenda magna mentis deuotione, & humilitate ſedulus Deo ſeruiuit intentiſſime, die menſis Ianuarii decimo octauo nocte Sabbati ſeptima hora mediante migrauit è ſeculo. Anno à primo ſeculi die certa ratione diuinæ ſcripturæ 5299. noui magni anni ab initio ſeculi quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto, à paſſione Domini ſecundum Euangeliũ, 1084. iuxta Chronica *Bedæ* 1066. ſecundum *Dionyſium* 1061. ab aduentu Anglorum in Brittanniam, 745. ab aduentu S. *Auguſtini* 498. à tranſitu Sancti *Oſwaldi* Archiepræſulis 103. vndecimi magni Paſchalis cycli 32. decimi vero à capite mundi 510. ſecundi ſolaris cycli quarto, Biſſextilis cycli tertio; ſecundi Decennouennalis cycli 13. ſecundi lunaris cycli 10. Endecadis 5. indictionalis cycli 3. luſtro ſuæ ætatis 18. ſui vero pontificatus ſeptimi luſtri anno tertio, miroque modo in ipſa tranſitus ſui hora, ſuo, quem ſpecialiter dilexerat, amico *Roberto* Herefordenſi Epiſcopo, in oppido, quod Criſtlade vocatur, in viſione apparuit, illique ad ſe tumulandum Wigorniam properare mandauit, annulum etiam, cum quo pontificalem ſuſceperat benedictionem, neminem Deus paſſus eſt digito extrahere, ne poſt mortem vir ſanctus ſuos videretur fallere, quibus prædixerat ſæpiſſime, nec illum vita comite ſe velle perdere, nec etiam die ſepulturæ. Pridie Nonas Aprilis viſæ ſunt in nocte ſtellæ, quaſi de cœlo cadere. *Walterus* Albinenſis Epiſcopus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ legatus ab *Vrbano* Papa miſſus ante Paſcha venit Angliam, pallium, pro quo Rex *Willielmus* anno præcedenti miſerat, illi deferens, quod iuxta condictum die Dominica, quæ erat quarto Idus Iunii, ab eodem Cantuariam delatum ſuper altare ſaluatoris ab *Anſelmo* aſſumptum eſt, atque ab omnibus pro reuerentia Sancti *Petri* ſuppliciter deoſculatum vir magnæ religionis *Robertus* Herefordenſis Epiſcopus ſexto Kalendas Iulii feria tertia obiit. Huic prædictus *Wlſtanus* Wigornienſis Epiſcopus triceſimo die poſtquam de hoc ſeculo migrauit denuo in viſione apparuit, eumq; pro ſui negligentia, & ignauia acriter corripuit, admonuitque vt tam de ſuæ vitæ, quam de ſubiectorum emendatione, quam vigilantiſſime poſſet, ſtuderet, quod ſi faceret, dicebat eum omnium peccaminum a Deo poſſe veniam cito promereri, adiunxitque quod non diu in cathedra, qua tunc ſedebat, ſedem haberet, ſed ſecum ſi vigilantior eſſe vellet, coram Deo conuiuari deberet. Fuerant enim ambo hi patres nimia charitate in Dei dilectione, & ad ſe inuicem coniuncti; ideoque credi fas eſt, ipſum, qui prius de hoc ſeculo migrauit ad Deum, ſollicitudinem egiſſe ſui chariſſimi, quem in hoc ſeculo reliquit, & vt quantotius ſimul ante Deum gauderent, operam dediſſe. Ea tempeſtate *Robertus* de Moulbrai Comes Northimbrenſis, & *Willielmus* de Ou, cum multis aliis Regem *Willielmum* regno, vitaque priuare, & filium amitæ illius *Stephanum* de Albamarnlo conati ſunt Regem conſtituere, ſed fruſtra. Nam ea re cognita, Rex exercitu de tota Anglia congregato, caſtellum prædicti Comitis *Roberti*, ad oſtium Tyni fluminis ſitum, per duos menſes obſedit, & interim quadam munitiuncula expugnata fere omnes meliores milites Comitis cepit, & in cuſtodiam poſuit, deinde obſeſſum caſtellum expugnauit, & fratrem Comitis, & equites, quos intus inuenit, cuſtodiæ tradidit. Poſthæc ante Bebbanbirg / id eſt, vrbem BEBBÆ reginæ, in qua Comes fugerat, caſtellum firmauit, idque Malueſin nominauit, & in illo milites poſuit, & ad Suthimbriam rediit. Poſt cuius diſceſſum vigiles noui

caſtelli promiſere *Roberto* Comiti in id ſe permiſſuros illum intrare, ſi veniret occulte, il-
le autem lætus effectus, quadam nocte cum triginta militibus, vt id peragerer, exiuit, quo
cognito equites, qui caſtellum cuſtodiebant, illum inſequentes, eius exitum cuſtodi-
bus noui caſtelli per nuncios intimauerunt, quod ille neſciens, quadam die Dominica
tentauit peragere cepta, ſed nequiuit; deprehenſus enim erat. Quapropter ad monaſte-
rium Sancti *Oſwini* Regis, & martyris fugit, vbi ſexta die obſeſſionis ſuæ grauiter eſt vul-
neratus in crure, dum ſuis aduerſariis repugnaret, quorum multi ſauciati; multi vero
ſunt perempti; de ſuis quoque nonnulli vulnerati; omnes ſunt capti; ille vero in Ec-
cleſiam fugit, de qua extractus in cuſtodiam eſt poſitus. Interea Walenſes caſtellum
Muntgumerie fregerunt, & homines *Hugonis* Comitis Scrobesbiriæ nonnullos in illo oc-
ciderunt, vnde Rex iratus expeditionem cito mandauit, & poſt feſtum Sancti *Michaelis*
exercitum in Waloniam duxit, ibique homines, & equos quamplures perdidit, qui in-
de reuerſus Comitem *Robertum* ad Bebamburch duci, & eius oculos erui iuſſit, niſi vxor
illius, ac propinquus eius *Moreal* caſtrum redderent; qua neceſſitate compulſi caſtrum
reddiderunt. Comes autem forti cuſtodiæ mancipandus ad Windleshoram eſt ductus,
Moreal vero factæ traditionis cauſam regi detexit. Anno milleſimo nonageſimo ſexto,
Willielmus Dunelmenſis Epiſcopus apud Windleshoram in curia Regis quarto Nonas
Ianuarii, feria ſecunda obiit, ſed Dunelmi eſt ſepultus in capitulo ad Aquilonalem par-
tem, habens ad Auſtrum corpus *Walcheri* Epiſcopi, in medio autem *Turgotus* Scotto-
rum quondam Epiſcopus, & Eccleſiæ ipſius Prior requieſcit. Octauis Epiphaniæ cele-
brato concilio apud Salesbiriam iuſſit Rex *Willielmo* de Ou in duello victo oculos erue-
al. Dealdri. re, & teſticulos abſcindere, & *Willielmum* * *Deandri* dapiferum illius filium * amitæ
illius traditionis conſcium, præcepit ſuſpendi, Comitem vero *Odonem* de Campania, ſci-
al. amica. licet patrem prædicti *Stephani*, & *Philippum* filium *Rogeri* Comitis Scrobesbirienſis, &
quoſdam alios traditionis participes in cuſtodiam poſuit. *Vrbanus* Papa venit in Galliam
& apud Clarum montem Quadrageſimali tempore Synodo celebrata, hortatus eſt Chri-
ſtianos, vt Ieruſalem proficiſcerentur ad debellandos videlicet Turcos, Saracenos, Tur-
copolos, Perſas, alioſq; Paganos, qui tunc temporis Ieroſolymam peruaſerant, totamque
Iudæam Chriſtianis expulſis poſſidebant; cuius hortatu mox in ipſa Synodo *Raimundus*
Comes S. *Egidii*, & cum eo multi alii cruce Chriſti ſignati peregrinationem pro Deo ſe
ſubituros, & quod ſuaſerat peracturos ſpoponderunt: quibus auditis, de Italia, Germa-
nia, Gallia, Anglia, cæteri Chriſtiani ad eandem profectionem certatim ſe parauere.
quorum duces & primates extitere *Adimarus* Podienſis Epiſcop. cum aliis Epiſc. quam-
pluribus, *Petrus* heremita, *Hugo* magnus *Philippi* Regis Francorum germanus, *Godefri-
dus* dux Lotharienſis, *Stephanus* Comes Carnotenſis, *Robertus* Comes Normannorum,
Robertus Comes Flandrenſis, duo germani *Godefridi* ducis ſcz. *Euſtachius* Comes Bononi-
enſis, & *Baldwinus*, *Raimundus* etiam prædictus Comes, *Boamundus* filius *Roberti Wiſcar-
di*, his ergo ſubſecutus eſt populus innumerabilis omnium linguarum. *Sampſon* Wigor-
nienſis Epiſcopus ab *Anſelmo* Archiepiſcopo Doroberniæ in Eccleſia Sancti *Pauli* Lun-
doniæ, 17. Kal. Iulii Dominica die conſecratur. Poſthæc *Robertus* Comes Normannorum
cum Ieroſolymam proficiſci cum aliis proponeret animo, nunciis in Angliam miſſis, ger-
manum ſuum Regem *Willielmum* petiit, vt inter ſe pace redintegrata, illi decem mille
marcas argenti præſtaret, & ab eo Normanniam in vadimonium acciperet, qui mox pe-
titioni eius ſatisfacere geſtiens indixit maioribus Angliæ, vt quiſq; illorum pro poſſe ſibi
pecuniam feſtinanter accommodaret. Idcirco Epiſcopi, abbates, abbatiſſæ aurea & argē-
tea Eccleſiæ ornamenta fregerunt, Comites, Barones, Vicecomites, ſuos milites, & villa-
nos ſpoliauerunt, & Regi non modicam ſummam auri & argenti detulerunt. Rex autem
menſe Septembris mare tranſiit, pacem cum germano ſuo fecit, & 6666. libras illi præſti-
tit, & ab eo Normanniam accepit in vadimonium. anno 1097. rex Anglorum *Willielmus*
Quadrageſimali tempore Angliam rediit, & poſt Paſcha cū equeſtri, & pedeſtri exercitu
ſecundo profectus eſt in Waloniam, vt omnes maſculini ſexus internitioni daret; at ille de
eis vix aliquē capere, aut interimere potuit, ſed de ſuis nonnullos, & equos perdidit mul-
tos. Poſthęc *Clitonē Eadgarum* ad Scotiam cum exercitu miſit, vt in ea *Eadgarū* conſobrinū
ſuum *Malcolmi* regis filium regem conſtitueret Dunefaldo patruo ſuo, qui regnū inuaſerat
expulſo. Chriſtiani Niceam ciuitatem ceperunt 13. Kal. Iulii Sabbato. Cometa 3. Kal. O-
ctobr. & per 15. dies apparuit. Nonnulli ſignum mirabile, & quaſi ardens in modum cru-
cis eo tempore in cœlo ſe vidiſſe affirmabant. Mox inter regem, & Dorobernenſem Ar-
chiepiſc. *Anſelmum* orta diſſenſione (quia ex quo archipræſul factus eſt, ſynodum tenere,
& praua, quæ per Angliam pullulauerant, non licuit corrigere) mare tranſiit, & ad tempus

in Gallia manſit, & poſt ad *Vrbanum* Papam perrexit Romam. Rex autem circa feſtum S. *Andreæ* de Anglia Normanniam profectus eſt. Eximiæ religionis vir *Baldwinus* abbas monaſterii S. *Eadmundi*, genere Gallus 2. Kal. Ianuarii obiit. Anno 1098. *Walcelmus* Wintonienſis Epiſcopus 3. Non. Ianuarii die Dominica obiit. Æſtatis tempore *Willielmus* Rex Anglorum iunior ciuitatem, quæ Cynomannis dicitur, magnamq; partem illius prouinciæ per vim ſuæ ditioni ſubegit. Interea Hugo Comes Scrobesburienſis Meuaniam Inſulam, quæ dicitur conſuete Angleſege/ & cum eo *Hugo* Comes de Ceſtria cũ exercitu adierunt, & multos Walanorum, quos in ea ceperant, occiderunt; quoſdam vero manibus vel pedibus truncatis, teſticuliſq; abſciſis excæcauerunt. Quendam etiam prouectæ ætatis presbyterum nomine *Kenredum*, à quo Walani in his quæ agebant, conſilium accipiebant, de Eccleſia extraxerunt, & eius teſticulis abſciſſis, & vno oculo eruto linguam illius abſciderunt, ſed die tertia miſeratione diuina illi reddita eſt loquela. Eo tempore rex Noreganorum magnus filius Regis *Olani*, filii Regis *Haroldi Haruagri* Orchadas & Meuanias inſulas cum ſuo adiecilſet imperio, paucis nauibus aduectus illuc venit. at cum rates ad terram appellere vellet, *Hugo* Comes Scrobesbirienſis cum multis armatis militibus in ipſa maris ripa illi occurrit, & (vt fertur) mox ab ipſo Rege ſagitta percuſſus die 7. quo crudelitatem in præfatum exercuerat presbyterum, interiit. Antiochia ciuitas a Chriſtianis 3. Non. Iunii, feria 4. capta eſt, in qua paucis diebus tranſactis, lancea, qua mundi ſaluator in cruce pendens vulneratus fuit, *Andrea* Apoſtolo Sanctorum mitiſſimo reuelante in Eccleſia S. *Petri* Apoſtoli inuenta eſt, cuius inuentione animati Chriſtiani 4. Kal. Iulii, feria 2. ſecum illam deferentes de ciuitate exierunt. Et cum Paganis prælio commiſſo, *Corbaran* principem militiæ *Soldani* regis Perſiæ, & Turcos, Arabas, Saracenos, & alias multas gentes in ore gladii fugantes, multiſq; millibus occiſis Dei virtute plenam victoriam habuerunt, ſplendor inſolitus per totam fere noctẽ 5. Kal. Octobr. emicuit. Eodem anno oſſa *Canuti* regis & martyris de tumulo leuata, & in ſcrinio ſunt honorifice collocata. *Rogerus* dux Apuliæ adunato grandi exercitu Capuanam ciuitatem à ſua ditione reſilientem obſedit. *Vrbanus* Papa comitante ſecum *Anſelmo* Dorobernenſi Archiepiſcopo, vt illi mandarat, ad concilium, q̧ apud Barum Kal. Octobr. celebrari conſtituit, proficiſcitur. in quo concilio plurima de fide catholica ab Apoſtolico diſſerta ſunt facunda ratione; vbi etiam mota quæſtione ex parte Græcorum euangelica autoritate probare volentium ſpiritum ſanctũ proceſſionem nõ habere, niſi tantum à patre, præfatus *Anſelmus*, ſic de negotio tractatum, diſſeruit, abſoluit, vt in eo conuentu nemo exiſteret, q̧ non inde ſibi ſatisfactũ* diceret. *al. putaret.*

Anno 1099. Vrbanus *Papa tertia hebdomada Paſchæ magnum concilium tenuit Romæ, in quo excommunicauit omnes Laicos inueſtituras Eccleſiarum dantes, & omnes eaſdem inueſtituras de manibus Laicorum accipientes, nec non omnes in officium ſic dati honoris conſecrantes. Excommunicauit etiam eos, qui pro Eccleſiaſticis honoribus Laicorum homines fiunt. dicens nimis execrabile videri, vt manus, quæ in tantam eminentiam excreuerant, vt quod nulli Angelorum conceſſum eſt, vt Deum cuncta creantem ſuo ſignaculo creent, & eundem ipſum pro ſalute totius mundi Dei Patris obtutibus offerant, in hanc ignauiam, vel ſtultitiam detrudantur, vt ancillæ fiant earum manuum, quæ diebus & noctibus obſcenis contactibus inquinantur, ſiue rapinis, ac iniuſtæ ſanguinis effuſioni addictæ maculantur; & ab omnibus eſt clamatum, fiat, fiat, & in his conſummatum eſt concilium.* Poſthæc Archiepiſcopus Lugdunum perrexit. Rex Anglorum *Willielmus* iunior de Normannia rediit Angliam, & in Pentecoſten Londoniæ curiam ſuam tenuit, ac *Ranulfo*, quem negotiorum totius regni exactorem conſtituerat, Dunelmenſem Epiſcopatum dedit, quem *Thomas* Eboracenſis Archiepiſcopus ibi mox conſecrauit. Idus Iulii feria ſexta Ieroſolyma à Chriſtianis capta eſt, & poſthæc 11. Kal. Auguſti *Godefridus* dux Lotharienſis ab omni exercitu in Regem eſt electus. *Vrbanus* Papa quarto Kalend. Auguſti feria quinta obiit. Chriſtiani cum * *Lauedalio* principe militiæ, & ſecundo in poteſtate totius regni Babyloniæ ante ciuitatem Aſchalonam ſecundo Idus Auguſti eadem feria bellum habentes maximum Chriſto largiente, mirabili victoria potiti ſunt. *Paſchalis* vir venerandus, qui ab *Hildebrando* Papa presbyter fuerat ordinatus, à Romano populo electus die ſequenti in Papam eſt conſecratus. Tertio Nonas Nouembris mare littus egreditur, villas, & homines quamplures, boues, & oues innumeras demerſit. *al. Laedalio.*

Anno ab incarnatione Domini 1100. *Clemens Papa, qui & Wibertus* obiit. Rex Anglorum *Willielmus* iunior dum in noua foreſta, quæ lingua Anglorum Ytene dicitur, venatu eſſet occupatus, à quodam *Waltero* Franco cognomine *Tyrello* ſagitta incaute directa percuſſus vitam finiuit, quarto Nonas Auguſti, feria quinta, indictione octaua, & Wintoniam delatus in veteri Monaſterio in Eccleſia *Sancti Petri* eſt tumulatus, nec immerito, vt populi rumor affirmabat, hanc procul dubio magnam Dei eſſe virtutem, atque vindi-

ctam. Antiquis enim temporibus *Eadwardi* ſcilicet Regis, & aliorum regum Angliæ prædeceſſorum eius eadem regio incolis, & Dei cultoribus, & Eccleſiis vberrime renitebat, ſed iuſſu Regis *Willielmi* ſenioris, hominibus fugatis, domibus ſemirutis, Eccleſiis deſtructis terra ferarum tantum colebatur habitatione & inde, vt creditur, cauſa erat infortunii. nam & antea eiuſdem *Willielmi* iunioris germanus *Richardus* in eadem foreſta multo ante perierat, & paulo ante ſuus fratruelis *Richardus* filius ROBERTI Comitis Normannorum, dum & ipſe in venatu fuiſſet à ſuo milite ſagitta percuſſus, interiit. In loco etiam, quo Rex occubuit, priſcis temporibus Eccleſia fuerat conſtructa, ſed patris ſui (vt prædiximus) tempore diruta erat. Eiuſdem Regis tempore, vt ex parte ſupradictum eſt, in ſole, luna, & ſtellis multa ſigna viſa ſunt, mare quoq; littus per ſæpe egrediebatur, & homines & animalia ſubmerſit, villas, & domos quamplures ſubuertit. In pago, qui Barukeſhyre nominatur, ante occiſionem Regis ſanguis de fonte tribus ſeptimanis emanauit. Multis etiam Normannis Diabolus in horribili ſpecie ſe frequenter in ſiluis oſtendens, plura cũ eis de Rege & *Ranulfo*, & quibuſdam aliis locutus eſt. Nec mirum. nam illorum tempore fere omnis legum ſiluit iuſtitia, cauſiſq; iuſtitiæ ſuppoſitis, ſola in principibus imperabat pecunia. Deniq; eadem tempeſtate nonnullis regiæ voluntati magis, quam iuſtitiæ obedientibus, *Ranulfus* contra ius eccleſiaſticum, & ſui gradus ordinem (presbyter enim erat) ad cenſum primitus Abbatias, dehinc Epiſcopatus, quorum patres à vita diſceſſerant, nouiter accepit à Rege, & in ſingulis annis perſoluit ei non modicam ſummam pecuniæ. cuius potentia tam vehemens extitit, & paruo tẽpore adeo creuit, vt placitatorem, ac totius regni exactorem Rex illum conſtitueret. Qui tanta poteſtate adepta, vbiq; locorum per Angliam ditiores, ac locupletiores quoſdam rerum, terrarumq; ablatione mulctauit. Pauperiores autem graui iniuſtoq; tributo inceſſanter oppreſſit; multiſq; modis, & ante Epiſcopatum, & in Epiſcopatu maiores & minores communiter afflixit. Et hoc vſq; ad Regis eiuſdem obitum. Nam eo die, quo occiſus periit, Cantuarienſem Archipræſulatũ, Wintonienſem, & Saresbirienſem præſulatum in ſua manu tenuit.

HENRICVS PRIMVS.

Regnauit autem idem Rex *Willielmus* 14. annis, diebus 28. minus, cui ſucceſſit frater ſuus iunior *Henricus*. Et mox Nonis Auguſti in Weſtmonaſterio à *Mauritio* Londonienſi Epiſcopo in Regem eſt conſecratus; qui conſecrationis ſuæ die, Sanctam Dei Eccleſiam, quæ fratris ſui tempore vendita, & ad firmam erat poſita, liberam fecit, & omnes malas conſuetudines, & iniquas exactiones, quibus regnum Angliæ iniuſte opprimebatur, abſtulit, pacem firmam in toto regno ſuo poſuit, & teneri præcepit; legem Regis *Eadwardi* omnibus in commune reddidit, cum illis emendationibus, quibus pater ſuus illam emendauit, ſed foreſtas, quas ille conſtituit, & habuit, in manu ſua retinuit, nec multo poſt, id eſt 7. Idus Septembris *Ranulfum* Dunelmenſem Epiſcopum in turri Londoniæ cuſtodiæ mancipauit, & Dorobernenſem Archiepiſcopum *Anſelmum* de Gallia reuocauit. Interea ab Ieroſolymis domũ redierunt Comites *Robertus* Flandrenſis, *Euſtachius* Bononienſis primitus, deinde *Robertus* Comes Normannorum cum vxore, quam ſibi in Sicilia deſponſauerat, repatriauit. Poſthæc igitur Rex Anglorum *Henricus* maiores natu Angliæ congregauit Londoniæ, & Regis Scottorum *Malcolmi & Margaretæ* reginæ filiam, *Matildem* nomine, ſororem etiam regum *Edgari*, *Alexandri*, & *David* in coniugem accepit, quam *Anſelmus* Dorobernenſis Archiepiſcopus Dominica die feſtiuitatis Sancti *Martini* reginam conſecrauit, & coronauit. Venerandæ memoriæ, & vir religionis eximiæ, affabilis, omnibuſque amabilis Eboracenſis Archiepiſcopus *Thomas* 14. Kal. Decembris die Dominica deceſſit Eboraci, cui ſucceſſit *Girardus* Herefordenſis Epiſcopus.

Anno milleno centeno primo *Lodouicus* Rex Francorum interfuit curiæ Regis *Henrici* Londoniæ in natiuitate Domini. Dunelmenſis Epiſcopus *Ranulfus* Kalendar. Februar. de cuſtodia calliditate maxima euaſit, mare tranſiit, *Robertum* Comitem Normannorum addiit, eique ſuaſit, vt Angliam hoſtiliter adiret; nec minus perplures huius terræ principes miſſis ad eum legatis, rogauerunt, vt Angliam feſtinato veniret, coronam, & regnum ei promittentes. Ciuitas Glauorna cum principali monaſterio, & aliis multis 8. Id. Iunii incendio conflagrauit. *Robertus* igitur Comes Normannorum, equitum, ſagittariorum, & peditum congregans multitudinem, in loco, qui Normannica lingua dicitur * Treſport, naues coadunauit; quibus Rex *Henricus* cognitis buzſecarlis præcepit mare cuſtodire, ne quis de partibus Normanniæ fines adiret Angliæ. Ipſe vero innumerabili congregato exercitu de tota Anglia non longe ab * Heſtinga caſtra poſuit in Suthſaxonia.

al. Vltreſport.
al. Haſtinga.

xonia. Autumabat enim pro certo fratrem ſuum illis in partibus naue appulſurum. At ille conſilio *Ranulfi* Epiſcopi, quoſdam de Regis Buzſecarlis adeo rerum diuerſarum promiſſionibus fregit, vt fidelitate, quam Regi debebant, poſtpoſita, ad ſe confugerent, & ſibi ad Angliam duces exiſterent. Paratis igitur omnibus cum exercitu nauem conſcendit, & circa feſtum S. *Petri* ad vincula in loco, qui * Portesmudh dicitur, appulit, ſtatimque verſus Wintoniam exercitum mouens, apto in loco caſtra poſuit. Cuius aduentu cognito, quidam de primoribus Angliæ, mox ad eum (vt ante propoſuerant,) transfugere, quidam vero cum Rege ficta mente remanſere. Sed Epiſcopi, milites gregarii, & Angli animo cõſtanti cum illo perſtitere, vnanimiter ad pugnam cum ipſo deſcendere parati. Verum ſapientiores vtriuſq; partis, habito inter ſe ſalubri conſilio, pacem inter fratres ea ratione compoſuere, vt tres mille marcas argenti ſingulis annis Rex perſoluere Comiti, & omnibus, ſuos priſtinos honores, quos in Anglia pro Comitis fidelitate perdiderant, reſtitueret gratuito: ſimiliter & cunctis, quibus honores in Normannia cauſa Regis ablati fuerant, Comes redderet ſine pretio; quibus pacatis Regis exercitus domum, Comitis vero pars in Normanniam rediit, pars in Anglia ſecum remanſit. filius *Euſtachii* ſenioris Comitis Bononienſium *Godefridus* Rex Ieroſolymorum, qui præpotens extiterat dux Lotharienſium, diem clauſit vltimum, & in Eccleſia Golgathana ſepultus requieſcit. Poſt cuius obitum Chriſtiani conſilio vnanimi eius germanum *Baldewinum* in Regem ſibi elegerunt. Ea tempeſtate *Robertus* de Beleſmo Comes Scrobesbirienſis filius *Rogeri* Comitis, arcem (quam in Occidentali Sabrinæ fluminis plaga, in loco, qui dicitur Brige / *Agelfleda* quondam Merciorum domina conſtruxerat, fratre ſuo *Edwardo* ſeniore regnante) contra regem *Henricum*, (vt rei probauit exitus) muro lato, & alto reſtaurare cœpit; cœpit etiam ędificare in Walonia aliam in loco, qui Carrocoue dicitur. Anno 1102. ſupradictus Comes *Robertus* de Beleſmo, qui Comitatum etiam Pontinenſis pagi rexit eo tempore, ac in Normannia caſtella poſſedit quamplurima: ciuitatem Scrobesbiriam, & caſtellum in ea ſitum, caſtella quoq; Arundel & Tikehil / alimentis, machinis, armis, militibus, & peditibus contra Regem *Henricum* fortiter muniuit. Muros quoq;, ac turres caſtellorum videlicet Brige / & Carrocoue die noctuque operando perficere modis omnibus feſtinauit; Walanos quoque ſuos homines, vt promptiores, ſibiq; fideliores, ac paratiores eſſent ad id faciendum, quod volebat, honoribus, terris, equis, armis, incitauit, variiſque muneribus donauit. ſed conatus illius, & opera nimis cito ſunt impedita. Inſidiis enim & conatibus eius per certa indicia detectis, publicum hoſtem Rex illum pronunciauit. Idcirca mox Walanis, & Normannis, quot tunc habere potuit, in vnum congregatis, ipſe, & ſuus germanus *Arnoldus* partem Stafordenſis pagi vaſtauerunt, ac indeiumenta, & animalia multa, hominesq; nonnullos in Waloniam abduxerunt. At Rex ſine dilatione caſtellum eius Arundel primitus obſedit, & caſtellis ante illud firmatis, receſſit. deinde *Robertum* Lindicolniæ ciuitatis Epiſcopum cum parte exercitus Tykehil obſidere iuſſit. ille autem Brige cum exercitu pene totius Angliæ obſedit, machinas quoque ibi conſtruere, & caſtellum firmare præcepit. interim Walanos, in quibus fiduciam magnam *Robertus* habuerat, vt iuramenta, quæ illi iurauerant, irrita fierent, & ab illo penitus deficerent, & in illum conſurgerent, donis modicis facile corrupit. Infra igitur triginta dies ciuitate & omnibus caſtellis redditis inimicum ſuum *Robertum* ſuperauit, & ignominioſe de Anglia expulit, germanum quoq; illius *Arnoldum* paulo poſt pro ſua perfidia ſimili ſorte damnauit.

Poſthæc in feſtiuitate *S. Michaelis Henricus* Rex fuit Londoniæ apud Weſtmonaſterium, & cum eo principes regni ſui omnes, tam Eccleſiaſtici, quam ſecularis ordinis, vbi duos de clericis ſuis duobus Epiſcopatibus inueſtiuit; *Rogerum* videlicet Cancellarium Epiſcopatu Salesbirienſi, & *Rogerum* Larderarium ſuum Pontificatu Herefordenſi, vbi etiam *Anſelmus* Cantuarienſis Archiepiſcopus magnum tenuit concilium, de his, quæ ad Chriſtianitatem pertinent, conſidentibus ſecum Archiepiſcopo Eboracenſi *Girardo*, Epiſcopis vero, *Mauricio* Londonienſi, *Willielmo* electo Epiſcopo Wintonienſi, *Roberto* Lincolnienſi, *Samſone* Wigornienſi; *Roberto* Ceſtrenſi, *Iohanne* Batonienſi, *Hereberto* Norwicenſi, *Radulfo* Cicestrenſi, *Gundulfo* Rofenſi, & duobus inueſtitis *Rogero*, & alio *Rogero*. * *Osburnus* Epiſcopus Exonienſis infirmitate detentus intereſſe non potuit. In hoc concilio plures Franci, & Angli ſunt depoſiti, & honoribus priuati, quos iniuſte adquiſierunt, aut in eis inhoneſte vixerunt, ſcilicet *Wido* Perſcorenſis, *Aldwinus* Rameſienſis, & ille de Middeltune, *Bodricus* de Burch / *Richardus* de Hely / *Robertus de S. Edmundo.* Præfatus *Rogerus* Herefordenſis Eccleſiæ Epiſcopus electus Londoniæ infirmitate percuſſus, mortuus eſt, & Cancellarius reginæ *Reinelmus* nomine, in loco illius pari inueſtitura ſub-

* *al. Moreſmuth.*

* *al. Osbertus.*

ra ſubrogatus eſt. Rex Anglorum *Henricus Mariam Matildis* reginæ ſororem *Euſtachio* Bononienſium Comiti nuptum tradidit. Anno 1103. magna diſcordia facta eſt, in Regem *Henricum*, & *Anſelmum* Archiepiſcopum, eo quod Archiepiſcopus nollet conſentire vt Rex daret inueſtituras Eccleſiarum, neque communicare iis, quibus Rex iam dederat Eccleſias, quia Apoſtolicus ſibi, & omnibus hoc interdixerat. Vnde Rex præcepit *Girardo* Eboracenſi Archiepiſcopo, vt conſecraret Epiſcopos, quibus ipſe Rex dederat inueſtituras, ſcilicet *Willielmum Giffardum*, & *Rogerum*, qui fuerat capellanus eius, cui iam dederat, Salesbirienſem Eccleſiam. *Girardus* præceptum Regis ſuſcepit, ſed *Willielmus Giffardus* cauſa iuſtitiæ illud, & benedictionem *Girardi* Archiepiſcopi ſpreuit. Vnde Regis iudicio omnibus exſpoliatus eliminatur à regno, cæteri vero inconſecrati remanſerunt. *Reinelmus* autem paulo ante Epiſcopatum Herefordenſem Regi reddidit, quia intellexit ſe Deum offendiſſe, in hoc, quod de manu Laici alicuius inueſtituram Eccleſiæ ſuſcepiſſet. Poſthæc tenuit Rex curiam ſuam in Paſcha Wintoniæ, vbi *Anſelmus* Archiepiſcopus poſt multas iniurias, & diuerſas contumelias, quas paſſus eſt, rogatus à Rege perrexit Romam 5. Kalend. Maii, ſicut ei, & Regi conueniebat, habens in Comitatu *Willielmum* Wintonienſis Eccleſiæ electum Antiſtitem, & Abbates de Abbatiis depoſitos: *Richardum* Elienſem, & *Aldwinum* Abbatem Rameſenſem. *Robertus* Comes Normanniæ venit in Angliam loqui cum Rege fratre ſuo, & antequam rediiſſet de Anglia perdonauit ter mille marcas argenti, quas Rex ſibi omni anno per conuentionem debuit. In prouincia etiam, quæ vocatur Barukſhire, in loco, qui dicitur Hamſtede, viſus eſt à multis ſanguis affluere de terra. Eodem anno tertio Idus Auguſti magna intemperies venti facta eſt, quæ tantum damnum fecit * fructibus terræ per Angliam, quantum nunquam viderunt retro actis temporibus, qui tunc vixerunt. Anno 1104. venerandi abbates *Walterus* Eoueshamnenſis 13. Kal. Februarii, & *Serlo* Gloeceſtrenſis tertio Nonas Martii obierunt. Rex Anglorum *Henricus* tenuit curiam ſuam apud Weſtmonaſterium in Pentecoſten. Eodē anno 7. Idus Iunii, feria tertia quatuor circuli viſi ſunt circa ſolē albi coloris circa horā ſextā, quiſq; circulus ſub alio quaſi eſſent picti. mirati ſunt, q. hoc videbant, omnes, quaſi nunq̃ talia videbant. *Willielmus* Comes de Moretunio exhæredatus eſt de tota terra ſua, quam habuit in Anglia. non facile poteſt narrari miſeria, quam ſuſtinuit illo tempore terra Anglorum propter regias exactiones. *Corpus S.* Cuthberti *Epiſcopi ob quorundam Abbatum incredulitatem, Pontificante* Ranulfo *Epiſc. oſtenſum eſt, & à* Radulfo *Sagienſi Abbate, poſtmodum Roſenſi Epiſcopo, & deinde Cantuarenſi Archiepiſc. & fratribus Dunelmenſis Eccleſiæ, cum capite Sancti* Oſwaldi *Regis & Martyris, Sanctique* Bedæ, *multorumque Sanctorum reliquiis certo iudicio incorruptum inuentum eſt, præſente* Alexandro *Comite* Eadgari *Regis Scottorum fratre. poſtea Rege.* Et hæc tranſlatio eius facta eſt poſt annos depoſitionis eius quadringentos octodecim, & quinq; menſes, & 12. dies, qui eſt annus ſextus *Henrici* Regis, & Epiſcopatus *Ranulfi* ſextus. Ab origine mundi ſecundum *Bedam* & Hebraicam veritatem tranſacti quinque milia trecenti & octo, ſecundum 70. interpretes 6308. Anno milleſimo centeſimo quinto Rex Anglorum *Henricus* tranſiit mare, omnes autem pene maiores Normannorum ad eius aduentum, ſpreto Comite domino ſuo, cui fidelitatem iurauerant, in aurum & argentum Regis, quod ipſe de Anglia illuc portauerat, cucurrerunt, eique caſtra, munitaſq; ciuitates tradiderunt. Ille vero Baiocas cum Eccleſia *S. Mariæ*, quæ intus erat, combuſſit, & Cadomum fratri ſuo abſtulit, & poſt Angliam rediit, quia Normanniam ſibi totam ſubiugare non poterat, & vt copioſiori pecunia fretus, rediens anno ſequenti, quod reſiduum erat, exhæredato fratre ſuo ſibi ſubiiceret. Comes vero *Willielmus* de Moretun vbicunq; potuit, rebus & hominibus Regis nocuit, propter honorem ſuum, quem in Anglia perdiderat. Anno 1106. *Robertus* Comes Normanniæ venit in Angliam, vt loqueretur fratri ſuo Regi *Henrico*, quem inuenit apud Northamtun. Tunc Comes quæſiuit ab eo, vt redderet ſibi ea, quæ acceperat ſuper eum in Normannia, cui Rex omnia contradixit, quamobrem Comes iratus mare tranſiit.

al. frugibus.

In prima vero ſeptimana Quadrageſimæ, feria ſexta 13. Kal. Martii in veſpera oſtenſa eſt quædam inſolita ſtella, & per 25. dies, eodem modo, eadem hora viſa eſt lucere inter Auſtrum, & Occidentē. Parua quidem viſa eſt, & obſcura, ſed ſplendor, qui de ea exiuit, valde erat clarus, & quaſi ingens trabes de Orientali, & Aquilonali parte claritas ſe ingeſſit in eandem ſtellam. Quidam dixerunt ſe plures inſolitas ſtellas vidiſſe illo tempore. In cœna autem Domini viſæ ſunt duæ lunæ, paulo ante diem, vna in Oriente, altera in Occidente, & vtraq; plena, & erat eo die 14. luna, quo anno facta eſt nimis execrabilis contentio inter Imperatorem de Alemannia *Henricum*, & filium eius *Henricum*, ita quod in bello congreſſi ſunt, & pater à filio peremptus eſt, cum regnaſſet annos quinquaginta. cui ſucceſ-

ſucceſſit filius eius prædictus *Henricus*. Rex Anglorum *Henricus* ante Auguſtum menſem tranſiuit mare, vadens in Normanniam, cui omnes fere primi Normannorum ſe dederunt, exceptis *Roberto* de Beleſmo, & *Willielmo* de Moreteon, & paucis aliis, qui ſe tenebant cum Comite *Roberto*. Rex Anglorũ *Henricus* in aſſumptione *S. Mariæ* venit Beccum, vbi ipſe, & *Anſelmus* Archiepiſcopus colloquentes ad inuicem concordati ſunt. non multo poſt idem Archiepiſcopus iuſſu & rogatu Regis Angliam rediit. Poſthac Rex *Henricus* congregato exercitu ad quoddam caſtrum Comitis de Moreteon, quod de * Tenerchebra perrexit, & obſedit illud. Interea dum ibi moraretur, venit *Robertus* Comes frater eius ſuper eũ cum exercitu ſuo, in vigilia *S. Michaelis*, & cum eo *Robertus* de Beleſmo, & *Willielmus* Comes de Moreteon. facto igitur congreſſu rex *Henricus* victoriam adeptus eſt. Ibi captus eſt *Robertus* Comes Normanniæ, & Comes *Willielmus* de Moreteon, & *Robertus* de Stuteuilla, & *Willielmus Criſpinus*, & multi alii cum illo capti ſunt. *Robertus* autem de Beleſmo in fugam verſus eſt. his ita geſtis Rex *Henricus* ſubegit ſibi totam Normanniã, & ſecundum voluntatem ſuam diſpoſuit; & hoc per literas *Anſelmo* Archiepiſcopo indicauit. Anno 1108. *Edgarus* Rex Scottorum 6. Idus Ianuarii obiit, cui *Alexander* frater ſuus ſucceſſit. Normannia ſub regia pace diſpoſita, duceq; Normannorum *Roberto* & *Willielmo* Comite Moreteoni in Angliam ſub captione præmiſſis, rex ipſe ante Paſcha in regnũ ſuum reuerſus eſt. In Kalend. Auguſti conuentus omnium Epiſcoporum, abbatum, & procerum regni Londoniæ factus eſt, & per tres dies abſente *Anſelmo* Archiepiſcopo, inter regem & Epiſcopos ſatis actum eſt de Eccleſiarum inueſtituris; quibuſdam ad hoc nitentibus; vt rex eas faceret more patris, & fratris ſui, non iuxta præceptum, & obedientiam Apoſtolici. Nam *Paſchalis* Papa in ſententia, quæ inde promulgata fuerat, firmus ſtãs conceſſerat omnia, quæ Papa *Vrbanus* æque vt inueſtituras interdixerat; ac per hoc Regem ſibi de inueſtituris conſentaneum fecerat. Dehinc præſente *Anſelmo*, aſtante multitudine, annuit Rex & ſtatuit; vt ab eo tempore in reliquum nunquam, per donationem baculi paſtoralis, vel annuli quiſquam de Epiſcopatu, aut abbatia per Regem vel quamlibet Laicam manum in Anglia inueſtiretur; concedente quoque *Anſelmo*, vt nullus in prælationem electus pro hominio, quod regi faceret, conſecratione ſuſcepti honoris priuaretur. *Girardus* Archiepiſcopus Eboracenſis ſua manu impoſita manui *Anſelmi*, vt ipſe volebat, interpoſita fide ſua, pollicitus eſt, ſe eandem ſubiectionem, & obedientiam ipſi, & ſucceſſoribus eius in Archiepiſcopatu exhibiturum, quam illi promiſerat, cum ad Herefordenſem Eccleſiam ab eo ſacrandus eſſet. *Willielmus Giſardus* Wintonienſis, *Rogerus* Salesbirienſis, *Reinelmus* Herefordenſis Eccleſiæ, *Willielmus* Exceſtrenſis, & *Vrbanus* Glamorgacenſis Eccleſiæ, quæ eſt in Walonia, electi Epiſcopi ſimul Cantuariam venerunt, & tertio Idus Auguſti Dominica pariter ab *Anſelmo* conſecrati ſunt, miniſtrantibus ſibi in hoc officio ſuo ſuffraganeis ſedis ſuæ *Girardo* ſcilicet Eboracenſi Archiepiſcopo, *Roberto* Lincolnienſi, *Iohanne* Bathonienſi, *Herberto* Norwicenſi, *Roberto* Ceſtrenſi, *Radulfo* Ciceſtrenſi, *Ranulfo* Dunelmenſi. Nullus certe fuit tunc temporis, qui meminiſſet retro actis temporibus ſimul tot paſtores electos, & conſecratos in Anglia, niſi *Edwardi* ſenioris tempore, quando *Pleigmundus* Archiepiſcopus ſeptem Epiſcopos ſeptem Eccleſiis in vna die conſecrauit. Eodem anno *Mauricius* Londonienſis Epiſcopus, *Richardus* Abbas Elienſis, *Robertus* Abbas de Sancto *Edmundo*, *Milo Criſpinus*, *Robertus* filius *Haimonis*, *Rogerus Bigot*, *Richardus* de Reduers vita diſceſſerunt. Anno milleſimo centeſimo octauo *Gundulfus* Epiſcopus Roſenſis Eccleſiæ obiit Nonis Martii. *Henricus* Rex Anglorum pacem firmam, legemque ſtatuit, vt ſi quis in furto, vel latrocinio deprehenſus fuiſſet, ſuſpenderetur. Monetam quoq; corruptam & falſam ſub tanta animaduerſione corrigi ſtatuit, vt quicunque falſos denarios facere deprehenſus fuiſſet, oculos, & inferiores corporis partes ſine vlla redemptione amitteret, & quoniam ſæpiſſime dum denarii eligebantur, flectebantur, rumpebantur, reſpuebantur, ſtatuit, vt nullus denarius vel obolus, quos & rotundos eſſe iuſſit, aut etiam quadrans, ſi integer eſſet, reſpueretur. Ex quo facto magnum bonum toti regno prouiſum eſt, quia & ipſe Rex hæc in ſecularibus ad releuandas terræ ærumnas agebat. *Girardus* Eboracenſis Archiepiſcopus obiit, pro quo *Thomas* fratruelis prædeceſſoris ſui *Thomæ* eligitur. *Philippus* Rex Francorum obiit, cui *Lodouicus* filius ſuus ſucceſſit. *Anſelmus* Archiepiſcopus, vt Rex ei rogauerat, RICHARDVM electum Pontificem Londonienſis Eccleſię in capella ſua apud Paggaham conſecrauit, miniſtrantibus ei in hoc officio *Willielmo* Wintonienſi Epiſcopo, *Rogero* Salesbirienſi, *Radulfo* Ciceſtrenſi, & *Willielmo* Exceſtrenſi, accepta prius ab eo conſueta profeſſione de obedientia, & ſubiectione ſua. Poſthæc Cantuariam veniens *Radulfum* Sarenſem Abbatem virum Religioſum pro *Gundulfo* ad Ro-

* *al. Tenerkebrei.*

ſenſem Eccleſiam tertio Idus Auguſti Epiſcopum conſecrauit, miniſtrantibus ei in hoc officio *Willielmo* Wintonienſi Epiſcopo *Radulpho* Cicestrenſi, & *Richardo* Londonienſi. Qui *Richardus* more anteceſſorum ſuorum honorauit ipſo die matrem ſuam Eccleſiam Cantuarienſem honeſto munere.

Hæc ſunt ſtatuta de Archidiaconibus, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & Canonicis in quocunque gradu conſtitutis, quæ anno Dominicæ incarnationis milleſimo centeſimo octauo ſtatuerunt Anſelmus *Cantuarienſis* Archiepiſcopus, *&* Thomas *Eboracenſis Archiepiſcopus electus cum eo, omneſque alii Epiſcopi Angliæ in præſentia glorioſi regis* Henrici *aſſenſu Comitum & Baronum ſuorum. ſtatutum eſt, vt Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, caſte viuant, & fœminas in domibus ſuis non habeant præter proxima conſanguinitate ſibi iunctas, ſecundum hoc, quod Sancta Synodus Nicena definiuit. Illi vero Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, qui poſt interdictum Londonienſis concilii fœminas ſuas tenuerunt, vel alias duxerunt, ſi amplius Miſſas celebrare voluerunt, eas omnino à ſeſe ſic faciant alienas, vt nec illæ in domos eorum, nec ipſi in domos earum ingrediantur, ſed nec in aliqua domo ſcienter conueniant, neque huiuſmodi fœminæ in territorio Eccleſiæ habitent; ſi autem propter aliquam honeſtam cauſam eos, vel eas colloqui oporteat, cum duobus legitimis teſtibus extra domum colloquantur. ſi vero in duobus, aut tribus legitimis teſtibus, vel publica parochianorum fama aliquis eorum accuſatus fuerit, quod hoc ſtatutum violauerit; purgabit ſe adductis ſecum ordinis ſui idoneis teſtibus ſex, ſi Presbyter fuerit, ſi autem Diaconus quatuor, ſi Subdiaconus duobus. Cui autem hæc purgatio defecerit, vt tranſgreſſor ſtatuti ſacri iudicabitur. Illi autem Presbyteri, qui diuini altaris, & ſacrorum ordinem contemptores, prælegerunt cum mulieribus habitare, à diuino officio remoti, omnique Eccleſiaſtico beneficio priuati, extra chorum ponantur infames pronuntiati; qui vero rebellis, & contemptor fœminam non reliquerit, & Miſſam celebrare præſumpſerit, vocatus ad ſatisfactionem ſi neglexerit, excommunicetur. Eadem ſententia Archidiaconos, & Canonicos omnes complectitur, & de mulieribus relinquendis & de vitanda earum cohabitatione, & de diſtrictione cenſura, ſi ſtatuta tranſgreſſa fuerint. Iurabunt etiam Archidiaconi omnes quod pecuniam non accipient pro toleranda tranſgreſſione huius ſtatuti, nec patientur Presbyteros, quos ſciunt fœminas habere, Miſſam cantare, vel vicarios habere; ſimiliter, & Decani iurabunt. Archidiaconus vero vel Diaconus ſiue Decanus, qui hæc iurare noluerit, Archidiaconatum vel Decaniam perdet. Presbyteri vero, qui relictis mulieribus Deo & ſacris altaribus ſeruire elegerint 40. diebus ab officio ceſſantes, pro ſe interim vicarios habebunt, iniuncta eis pœnitentia ſecundum hoc quod Epiſcopis eorum viſum fuerit.*

Anno milleſimo centeſimo nono *Anſelmus* Dorubernenſis archiepiſcopus vndecimo Kal. Maii, feria quarta Cantuariæ obiit, & ſequenti die, quæ fuit cœna Domini honorifice ſepelitur. Rex Anglorum *Henricus* circa Rogationes Angliam rediit, & curiam ſuam apud Weſtmonaſterium in Pentecoſten tenuit. vbi *Thomas* Eboracenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus electus à *Richardo* Londonienſi Epiſcopo quinto Kalend. Iulii Londoniæ conſecratur, & poſt ab *Vlrico* Cardinali pallium, quod ſibi Papa miſerat, in Kalend. Auguſti die Dominica Eboraci ſuſcepit, & ipſo eodem die *Turgodum* Dunelmenſem Priorem ad Epiſcopatum Sancti *Andreæ* de Scotia, qui dicitur * Cenrimunt, conſecrauit. Eodem anno rex *Henricus* Abbatiam Elienſem ad Epiſcopalem mutauit ſedem, & *Herueum* Bancornenſem Epiſcopum eidem Eccleſiæ præfecit. Stella cometa menſe Decembris viſa eſt circa lacteum circulum crinem in Auſtralem cœli dirigens plagam. Anno 1110. rex Anglorum *Henricus* dedit filiam ſuam *Henrico* regi Teutonicorum in coniugem. Eodem anno diuerſa per Angliam ſigna monſtrata ſunt. Terræ motus Scrobesbiriæ factus eſt maximus; fluuius, qui Trenta dicitur, apud Nottingham à mane vſque ad horam diei tertiam ſpatio vnius milliarii exſiccatus eſt, ita vt homines ſicco veſtigio incederent per alueum. Stella cometa ſexto Idus Iulii apparuit, & per tres hebdomadas lucere viſa eſt. Anno milleno centeno decimo primo, rex *Henricus* Teutonicorum Romam venit, *Paſchalem* Papam cepit, & in cuſtodiam poſuit, ſed poſtmodum ad pontem via ſalaria vbi Paſchalem feſtiuitatem in campo celebrauerunt, pacem cum eo fecit. *Baldwinus* Comes Flandrenſium moritur, cui *Baldwinus* filius ſuus ſucceſſit. Rex Anglorum *Henricus* Flandrenſes, qui Northimbriam incolebant, cum tota ſupellectili ſua in Waloniam tranſtulit, & terram, quæ nominatur Ros / incolere præcepit. Nouum autem monaſterium, quod infra murum Wintoniæ conſtructum erat, agente *Willielmo* Wintonienſi Epiſcopo, rex extra murum conſtrui iuſſit, & non multo poſt mare tranſiit. Eodem anno hyems aſperrima, fames valida, mortalitas hominum, peſtis animalium agreſtium ſimul, & domeſticorum, & ſtrages auium permaxima fuit. Anno 1112. *Samſon* Wigornienſis Archiepiſcopus 25. tertio Nonas Maii die dominica obiit.

al. cenen- nunt

Rex

Rex Anglorum *Henricus* Comitem *Robertum* de Beleaſmo in Keresburga menſe Octobris in cuſtodiam poſuit. Anno 1113. ciuitas Wigorna cum principali Eccleſia, & omnibus aliis, nec non & caſtello 13. Calend. Iulii igne concremata eſt. de monachis vnus vtiliſſimus monaſterio cum duobus ſeruientibus & quindecim de ciuibus igne conflagrauerunt. Rex Anglorum *Henricus* menſe Iulio Angliam rediit, & Comitem *Robertum* de Beleaſmo de Normannia ductum apud Warham in cuſtodia arctiſſima poſuit. viri probitatis eximiæ venerabilis domus prior *Thomas & Cholemannus* Sanctæ *Mariæ* Wigornenſis Eccleſiæ nobiles cœnobitæ quarto Nonas Octobris ſabbato modum fecerunt huic vitæ. *Teulfus* Regis capellanus quinto Cal. Ianuarii die dominica Wigornenſem Epiſcopatum apud Windleshoram ſuſcepit. Anno 1114. filia Regis *Henrici* Anglorum *Matildis* octauo Idus Ianuarii *Henrico* Imperatori Romanorum deſponſata eſt Magontiæ, & in imperatricem conſecrata. *Thomas* iunior Eboracenſis Archiepiſcopus ſexto Calend. Martii feria tertia obiit; quo ægrotare incipiente dixerunt ei medici ſui, quod non conualeſceret, niſi per coitum, quibus ille reſpondit. Væ ægritudini cui competit medicina luxuriæ, & ſic virgo electus à Domino vitam finiuit temporalem. *Radulfus* Epiſcopus Roſenſis ſexto Calendas Maii die Dominica ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem apud Windleshoram eligitur. Ciuitas Ciceſtra cum principali monaſterio per culpam incuriæ tertio Nonas Maii feria tertia flammis conſummata eſt. * *Turſtinus* Regis capella- *al. Tornſtanus.*
nus ad Eboracenſem Archiepiſcopatum die aſſumptionis Sanctæ *Mariæ* eligitur Wintoniæ, & *Arnulfus* abbas de Burch ad Herefordenſem Eccleſiam eligitur Epiſcopus. *Henricus* Rex Anglorum poſtquam exercitum in Waloniam duxit, ante feſtum S. *Michaelis* mare tranſiit. fluuius, qui dicitur Medewai, per nonnulla miliaria ſexto Idus Octobris ita à ſe defecit, vt in medio alueo ſui etiam paruiſſimæ naues elabi aliquatenus non poſſent; Tamiſia etiam in eadem die ſimilem defectum ſenſit; nam inter pontem & Regiam turrem, & etiam ſub ponte in tantum fluminis ipſius aqua diminuta eſt, vt innumera hominum, & puerorum multitudo pedibus illud tranſuadarent, aqua vix genua illorum attingente. Durauit hic aquæ defectus à medio noctis præcedentis vſq; in profundas tenebras noctis ſubſequentis. ſimilem quoque aquarum defectum ipſo die apud Girneuuthe, & in aliis locis per Angliam certo relatu contigiſſe didicimus. Anno 1115. hyems extitit aſperrima, ita vt omnes fere per Angliam pontes glacie frangerentur. Imperator *Henricus* poſtquam diu Coloniam obſedit, & multos ſuorum campeſtri prælio perdidit, apud ciuitatem Nuſſam pacem iuramento fecit. *Radulfus* Dorobernenſis Archiepiſcopus ab *Anſelmo* ſanctæ Romanæ Eccleſiæ legato quinto Calendas Iulii die Dominica pallium ſuſcepit Cantuariæ, & ipſo die cum magno honore conſecratus eſt, ibique fuerunt congregati totius Angliæ Epiſcopi. *Teoulfus* Wigornenſis Epiſcopus obiit, & *Wilfridus* Epiſcopus de Sancto Dauid in Walonia eſt vſq; ad illum Epiſcopi extitere Brittonici, cui *Barnardus* cancellarius reginæ ſucceſſit. In octauis Apoſtolorum *Petri & Pauli* magnum concilium à Cono Romanæ Eccleſiæ Cardinali Catalaunis celebratum eſt. In quo excommunicauit Epiſcopos, qui concilio non interfuere; quoſdam etiam degradauit, & plurimos abbates ſuis baculis priuatos de ſedibus depoſuit, Eccleſiaſticum illis interdicens officium. Rex Anglorum *Henricus* menſe Iulio Angliam rediit. *Turgotus* quondam Eccleſiæ Dunelmenſis Prior, tunc autem Epiſcopus Scottorum, rediens Dunelmum, ibidem vita deceſſit. *Reinelmus* Herefordenſis Epiſcopus circa feſtiuitatem omnium Sanctorum obiit, huic *Goſfridus* Regis capellanus ſucceſſit. *Radulfus* Archiepiſcopus Cantuariæ *Arnulfum* abbatem de Burch ad Roſenſem, & *Goſfridum* Regis capellanum ad Herefordenſem Eccleſiam die ſancti *Stephani* martyris Epiſcopos ordinauit Cantuariæ. Anno 1116. *Griffinus* filius *Res* verno tempore Waloniæ prædam egit, & caſtella incendit, eo quod Rex Angliæ *Henricus* particulam de terra patris ſui ei dare noluit.

Comites & Barones totius Angliæ apud * Salesberiam decimo quarto Calendas A- *al. Sereberiam.*
prilis conuenerunt. habita eſt ibi cauſa de querela, quæ inter Archiepiſcopum Cantuarienſem *Radulfum*, & electum pontificem *Turſtinum* Eboracenſem per integrum annum verſata fuerit. hic electus, cum ab ipſo pontifice moueretur vt Eccleſiæ Cantuarienſi faceret. quod debebat, & benedictionem ſuam Eccleſiaſtico more ſuſciperet, reſpondit, benedictionem quidem ſe libenter ſuſcipere velle, ſed profeſſionem quam exigebat nulla ratione ſe facturum. Rex autem *Henricus* vbi aduertit *Turſtinum* in ſua pertinacia ſtare, aperte proteſtatus eſt, illum aut morem anteceſſorum ſuorum tam in profeſſione facienda, quam in aliis dignitati Eccleſiæ Cantuarienſis ex antiquo iure competentibus, executurum, aut Epiſcopatu Eboracenſi cum benedictione funditus cariturum; his auditis, ille ſui cordis conſilio inpræmeditatus * cedens renunciauit pontificatui, ſpondens Regi & *al. credēs.*

Archiepiſcopo ſe dum viueret illum non reclamaturum, nec aliquam calumniam inde moturum, quicunque ſubſtitutus fuiſſet. *Owinus* Rex Walanorum occiditur. Eodem tempore Rex Anglorum *Henricus* mare tranſiit, comitante ſecum *Turſtino* Eboracenſi electo, ſperante ſe reueſtituram ſui pontificatus recuperaturum, & ex regio iuſſu benedictionem ab Arbhiepiſcopo ſine exactione profeſſionis adepturum. *Anſelmus* prædictus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ legatus, qui pallium Archiepiſcopo Cantuariæ à Roma detulerat, circa menſem Auguſtum reuerſus à Roma, venit Normanniam ad Regem *Henricum* literas Apoſtolici deferens, quæ illi vices apoſtolicas in Anglia adminiſtrare concedebant. Quod cum mox per omnem Angliam diuulgaretur conſilio reginæ & quorumlibet Nobilium Cantuarienſis Archiepiſcopus *Radulfus* tranſacta natiuitate Sanctæ *Mariæ*, tranſiit mare, Regem adiit, illumq; Rotomagi conſiſtentem reperit, & cum ipſo de negotiis pro quibus venerat, iuxta rerum ordinem diligenter agens, ad conſilum eius Romani itineris viam ingreditur. Anno 1117. apud Cirenceaſtre ſecundum Henrici Regis præceptum, nouum opus eſt inceptum. Apud Longobardiam magno terræ motu facto & vt teſtati ſunt, qui nouere, quadraginta dierum ſpatio durante plurima domorum ædificia corruerunt: & quod viſu, dictuq; conſtat mirabile, villa quædam pergrandis mota eſt repente de ſtatu proprio, iamq; ab omnibus in loco longe remoto conſiſtere cernitur. Viri Mediolani patriciæ dignitatis dum de repub. tractantes ſub vna reſiderent turri, auribus omnium vox foris inſonuit, vnum ex illis nomine vocans, & feſtinato exire rogans: quo tardante, perſona quædam apparuit quæ vocatum virum, vt egrederetur, prece obtinuit. exeunte illo turris repente cecidit, & omnes, qui ibidem erant, caſu miſerabili oppreſſit. Calend. Decembris extiterunt nimia tonitrua, & fulgura, quæ ſecuta eſt magna pluuiarum inundatio, & grandinis. & tertio Idus eiuſdem menſis Luna primo ſanguinea, & poſtea obtenebrata apparuit. *Robertus* Ceſtrenſis Epiſcopus obiit. Anno 1118. ſacræ memoriæ Paſchalis papa decimo quarto Calend. Februarii defungitur, & loco eius *Ioannes* quidam *Gaitæ* natus, eſt ſubſtitutus, & mutato nomine *Gelaſius* eſt nuncupatus. hic in monaſterio montis *Caſſini* ab infantia monachus eſt nutritus, & adultus in miniſterio venerabilium apoſtolicorum *Deſiderii*, *Vrbani*, & *Paſchalis* aſſiduus fuerat Cancellarii officio functus.

Rex Henricus Teutonicus, qui & Romanus Imperator, audiens papam eſſe defunctum, Romam aduolat, & Bracarenſem epiſcopum iam anno præterito ab eodem Papa Beneuenti excommunicatum, cedente ab vrbe *Gelaſio*, papam inſtituit, & ex *Burdino* *Gregorium* nominauit. *Matildis* regina Anglorum pridie Kal. Maii apud Weſtmonaſterium obiit, & in ipſo monaſterio decenter eſt ſepulta. Eodem tempore plures Normannorum fidelitatem, quam Regi *Henrico* iurauerant, poſtponentes, ad Regem Francorum *Lodowicum*, principeſq; eius, aduerſarios ſcilicet ipſius naturalis domini ſui non veriti iuſtitiam ſe tranſtulerunt. *Robertus* Comes de Mellento moritur. Præfatus papa *Gelaſius* per mare Burgundiam venit, & aduentus eius mox Galliæ innotuit qui decimo ſeptimo Calend. Februarii miſſa per Gallias epiſtola Archiepiſcopis, Epiſcopis, abbatibus, clericis, & principibus conqueſtus eſt ſe ab Imperatore de Roma violenter expulſum eſſe, & Bracharenſem Epiſcopum excommunicatum, in Apoſtolicam ſedem intruſum: ſimul exhortans, vt ad matris Eccleſiæ vltionem communibus auxiliis, ſeſe præpararent. his diſcurrentibus per prouincias literis, excitati potentes quique, cum mediocribus occurrere apoſtolico, & certatim parabant intereſſe concilio, quod ipſe diſpoſuit ſe media Quadrageſima Remis celebraturum. hoc anno Eccleſia quædam in Anglia apud villam, quæ dicitur * Momerfeld à Ganfrido Herefordenſi Epiſcopo dedicata, redeuntibus ad propria, qui ad dedicationem venerant, poſt aeris ſerenitatem, quæ prius extiterat, nimia repente cum tonitruo orta eſt tempeſtas maxima, qua perculſi quidam interiere, dum loco, in quẽ venerant, cedere non valerent. erant quidem numero quinque, tres ſcilicet viri, & duæ fœminæ, quarum vna ictu fulmineo percuſſa occubuit, altera vero ab vmbilico vſque ad pedum veſtigia miſere percuſſa, & ignita decidit: viris duntaxat vix vitæ reſeruatis, quinque etiam caballi eorum fulmine interierunt. Anno 1119. *Gelaſius* papa apud Cluniacum obiit, ibidemque ſepelitur. In cuius locum Cardinales, aliique Romani, qui eum illuc ſecuti fuerant, *Widonem* Vienenſem Archiepiſcopum ſubſtituerunt, eumque *Calixtum* nominauerunt. Dumque in Burgundia hæc geruntur, apoſtolatus Romanæ Eccleſiæ à ſupradicto *Gregorio* adminiſtratur. ſuper his duobus ita in papatum ſublimatis, orbis concuſſus in ſtudia partium diuiditur, atque aliis hunc, aliis illum fauore proſequentibus, graui Eccleſia ſcandalo percellitur. *Ganfridus* Herefordenſis Epiſcopus quarto Nonas Februarii, & *Herbertus* Norewicenſis Epiſcopus decimo Calendar. Septembris obierunt.

al. Mermerfeld.

Terræ

Terræ motus magnus in pluribus locis per Angliam factus eſt 4. Cal. Octobris die Dominica circa horam diei tertiam.

Calixtus papa decimo tertio Kal. Nouembris generale concilium conſtituit Remis. ad hoc concilium multiplex factus eſt Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, & principum diuerſarum prouinciarum concurſus, cum clericorum, ac plebium multitudine numeroſa. Numeratæ ſunt ibi perſonarum paſtoralium virgæ 424. inter quos & *Turſtinus* Eboracenſis electus Archiepiſcopus, vix quandoq; licentia à rege impetrata propter ſuum proficiſcitur negotium. præmiſerat autem rex legatum ſuum ad apoſtolicum, quatenus & hoc ei inter alia diceretur, ne Eboracenſem electum, aut ſacraret, aut ab alio niſi ab archiepiſcopo Cantuariæ, vti moris eſſe ſolebat, ſacrari vel iuberet, vel permitteret. Ad hoc Apoſtolicus: Ne putet (inquit) rex, me de negotio, de quo agit, *quamuis ratione eius careat petitio, ſecus acturum, quàm ipſe velit. nec enim me vnquam ad hoc mea tulit voluntas, vt antiquam Cantuarienſis Eccleſiæ dignitatem humiliem. ſed mane Dominicæ diei præcedentis diem præſtituti concilii (*Turſtino* ad conſecrationem pontificatus præparato) legati Cantuarienſis Archiepiſcopi calumniati ſunt eius conſecrationem à Cantuarienſi Archiepiſcopo debere fieri, ſicut mos antiquus, & vſque in præſens obſeruatus exigeret; ad quod apoſtolicus: nullam, inquit, iniuſtitiam Eccleſiæ Cãtuarienſi facere volumus, ſed ſalua illius dignitate, quod propoſuimus, exequemur. Conſecratus tamen eſt ab Apoſtolico *Turſtinus*, *Ranulfo* Dunelmenſi Epiſcopo (qui ad prohibendam hanc conſecrationem a rege fuerat miſſus) nec dum adueniẽte, poſtea autem venit. poſtera die reſidentibus ordine in conſilio Eccleſiaſticorum graduum perſonis, aſſidente quoque rege Francorum *Lodowico*, multiſq; aliis principalibus viris, ex conſenſu cunctorum patrum renouantur ſtatuta de ſtatuendis, & reſcidenda de reſcidẽdis, quorum hæc ſunt quinque capitula. *Quæ ſanctorum patrum ſanctionibus de prauitate ſymoniaca ſtabilita ſunt, nos quoque ſancti Spiritus iudicio, & auctoritate ſedis Apoſtolicæ confirmamus, ſi quis ergo vendiderit, aut emerit vel per ſe, vel per quamlibet ſubmiſſam perſonam, Epiſcopatum, Abbatiam, decanatum, archidiaconatũ, presbyteratum, præpoſituram, præbendam, altaria, vel qualibet eccleſiaſtica beneficia, promotiones, ordinationes, conſecrationes, dedicationes eccleſiarum, clericalem tonſuram, ſedes in choro, aut qualibet eccleſiaſtica officia, & vendens, & emens dignitatis & officii ſui, ac beneficii periculo ſubiaceat: quod niſi reſipuerit anathematis mucrone perfoſſus ab Eccleſia Dei, quam læſit, modis omnibus abſcindantur: Epiſcopatuum, Abbatiarum, aut quarumlibet Eccleſiaſticarum poſſeſſionum inueſtituram per manum Laicam fieri penitus prohibemus. Quicunque igitur Laicorum deinceps inueſtire præſumpſerit, anathematis vltioni ſubiaceat. Porro qui inueſtitus fuerit, honore, quo inueſtitus eſt, abſque ſpe recuperationis omni modo careat. vniuerſas Eccleſiarum poſſeſſiones inconcuſſas in perpetuum, & inuiolatas eſſe decernimus. Quod ſi quis eas abſtulerit, aut inuaſerit, aut poteſtate tyrannica detinuerit, iuxta illud beati* Symmachi *capitulum anathemate perpetuo feriatur, nullus Epiſcopus, nullus presbyter, nullus omnino de clero Eccleſiaſticas dignitates, vel beneficia cuilibet, & quaſi hæreditario iure derelinquat: illud etiam adiiciẽtes præcipimus, vt pro baptiſmatis, chriſmatis, olei ſacri, ac ſepulturæ acceptione nullum omnino pretium exigatur; presbyteris, diaconibus, ſubdiaconibus concubinarum, & vxorum contubernia penitus interdicimus. ſi qui autem huiuſmodi reperti fuerint eccleſiaſticis & officiis priuentur, & beneficiis. ſane ſi neque ſic immunditiam ſuam correxerint, communione careant Chriſtiana.* Hæc concilii decreta *Henrico* imperatori, cum non longe abeſſet, ex concilio primum per honeſtas perſonas, ad vltimum per ipſum apoſtolicum mandãtur, vt ante ſeparationem concilii notum eſſet, vtrum Eccleſiis per regnum, & ſingulas quaſque ſibi ſubiectas prouincias conſentiat canonicas electiones, videlicet vt Epiſcopi, & Abbates eligantur ab Eccleſia, & liberas conſecrationes, vt vbi & à quibus oporteat electi conſecrentur, vt per inueſtituram paſtoralis virgæ & annuli, per oſtium, id eſt, *Chriſtum* ingrediantur & inueſtituram rerum Eccleſiaſticarum nihil omnino ſibi laicalis exigat perſona; ad hæc ille reſpondit nihil in his ſe prætermiſſurum, quod ſui iuris eſſet, ſuorumq; ſibi contulit antiqua conſuetudo progenitorum. Quandoq; tamen flexus auctoritate generalis concilii tria illa priora conceſſit. vltimum vero ſcilicet inueſtituram rerum Eccleſiaſticarum concedere noluit. Quapropter, reuerſo ad concilium papa excommunicandus decernitur. Quod cum quidam in concilio ægre ferrent, ſententiam protulit Apoſtolicus, vt qui in hoc ſcandalizarentur, exeuntes, à fratrum conſortio ſepararentur; propoſito de illis ſeptuaginta exemplo, qui cum de carne Domini manducanda, & ſanguine bibendo ſcandalizarentur, retro abierunt, & iam cum illo non ambulabant, & quoniam, inquit, *qui non colligit cum Domino, ſpargit, & qui non eſt cum eo, aduerſus illum eſt*, illam inconſutilem tunicam deſuper contextam ſcilicet ſanctam Eccleſiam, qui nobiſcum ſentiendo indiſciſſam ſeruare nolunt, diſſentiendo à

al. quamuis ratione ſecus acturum

nobis diſcindere contendunt. talia ſermocinãte Apoſtolico illico omnes in eundem conſenſum reducti in imperatorem *Henricum* excommunicationis ſententiam iaculantur.

Tandem poſt dies aliquot diſſoluto concilio *Henricus* rex Anglorum offenſus *Turſtino* Archiepiſcopo, quod præter conſenſum ſuum, non vti mos antiquus exigebat, ſe conſecrari feciſſet, interdixit ei reditum in omnem dominationis ſuæ locum. Poſt hæc *Calixtus* papa Giſortium venit, quo ad eius colloquium rex Anglorum occurrit. acta ſunt multa inter illos, quorum gratia par erat tantas conueniſſe perſonas; inter quæ rex à papa impetrauit, vt omnes conſuetudines, quas pater ſuus in Anglia, & in Normannia habuerat, ſibi concederet, & maxime vt neminem aliquando legati officio in Anglia fungi permitteret, ſi non ipſe (aliqua præcipua querela exigente, quæ ab Epiſcopis regni ſui terminari non poſſet) hoc fieri à papa poſtularet, quibus omnibus pro ſtatu temporis definitis, papa rogat regem *Turſtino* amicum fieri, eumq; pontificatui, ad quem ipſum conſecrauerat, pro amore ſuo reſtitui. at rex hoc ſe, dum viueret, nõ facturum in ſua fide ſpopõdiſſe confeſſus eſt, & ille, ego Apoſtolicus ſum, & ſi feceris, quod poſtulo ab hac fidei ſponſione te abſoluam. Tractabo de hoc ait, & quod conſilii mei tenor inuenerit, tibi notificabo. hinc à papa receſſit, cui per internuncios de negotio ita reſpondit: Pro amore veſtro, qui tantopere poſtulatis, ea conditione *Turſtinum* admitto in pontificatum, vt ſubiectionem, quam prædeceſſores eius fecerant Eccleſiæ Cantuarienſi faciat, aliter, me regnante, Eccleſię Eboracenſi non præſidebit. his ita geſtis, abeunte apoſtolico, *Turſtinus* remanſit in Gallia. *Willielmus* filius *Henrici* regis, & *Matildis* reginæ cũ eſſet iuuenis ſeptendecim annorum, accepit vxorem filiam Comitis Andegauenſis: *Baldewinus* Comes Flandrenſium moritur ex vulnere, quo apud Ou vulneratus fuerat.

Anno 1120. rex Anglorum *Henricus*, & rex Francorum *Lodowicus* poſt multa ſuarum partium detrimenta, die præſtituta ineunt colloquia: quo ex conſenſu cõcordiæ peracto, iuſſu regis *Henrici* filius eius *Willielmus*, facto regi Francorum *homagio, Normanniæ ſub illo ſuſcepit principatum. Ita redeuntibus in pacem regibus, tota tumultuantis Normanniæ ſeditio comprimitur: & qui contra dominum ſuum *Henricum* regem arma leuauerat, curuata ſub eius dominio ceruice, redeunt. Et quoniam in concordia regum facienda *Turſtinus* Archiepiſcopus vigilantem ſe, ac diligentem exhibuit, hac ſui efficacia proniorem ad ſeſe recipiendum regis animum inflexit. ad hoc epiſtola Apoſtolici ad regem iam parantẽ redire in Angliam directa *Turſtinum* ſuſcipere Archiepiſcopum, & in *eam præcepit Eccleſiam, omni poſtpoſita occaſione, & excuſatione, reſtituere. ſed ad hoc præceptum, quid potiſſimum reſpondeat, rex diſtulit, donec rediſſet in Angliam; vbi congregato concilio quid facto opus eſſet, maturius perquireret.

al. hominio

al. ſuam

Normanniæ principes, iubente rege, filio ſuo *Willielmo* iam tunc octodecim annorum hominium faciunt, & fidelitatem iurant, & ſecuritatem ſacramentis affirmant. Itaq; rex omnibus, qui contra ſe inſurrexerant vel deuictis, vel repacificatis, cunctiſque ad votum proſpere peractis, quinto profectionis ſuæ anno, necdum completo, lætior ſolito in Angliam multo nauigio reuehitur. delegauerat autem filio ſuo, cunctoq; Comitatui illius nauem, qua nulla in tota claſſe videbatur melior, ſed vt euentus *oſtendit, nulla infœlicior. patre namque præeunte paulo tardius, ſed infœlicius ſequebatur filius. Naue quippe non longe à terra in ipſo velificationis impetu ſuper ſcopulos (qui dicuntur Chateraſe) delata, ac diſſoluta, filius regis cum omnibus, qui ſecum erant, interiit ſexto Calendas Decembris, feria quinta, noctis initio apud Barbeflet. mane facto theſaurus regis, qui in naui fuerat, inuenitur per arenas, corpora vero pereuntium nulla. perierunt cum regis filio frater ſuus Nothus *Richardus* Comes cum filia regis, quæ erat vxor *Rotronis*, & *Richardus* Comes Ceſtrenſis cum vxore ſua nepte regis, ſorore *Tedbaldi* Comitis nepotis regis, periit & *Othoel* magiſter filii regis, & *Gaufridus Ridel*, & *Robertus Maldint*, & *Willielmus Bigot*, multiq; alii principales viri, nobiles quoque feminæ quamplures cum regiis pueris non paucis, militaris numeri centum & quadraginta, & nautarum quinquaginta, cum tribus gubernatoribus. ſolus quidam macellarius tabula naufragii pendens euaſit; rex vero proſpero curſu attingens Angliam, alium portum intraſſe putabat filium; ſed die tertio de interitu illius triſti perturbatur nuntio, & primo quidem ſubito caſu, veluti puſillanimis deficiebat; ſed mox diſſimulato dolore regios animos ex contemptu reſumpſit fortunæ. Illum quippe ſolum ex legitimo coniugio ſuſceptum regni poſt ſe conſtituerat hæredem. Anno 1121. rex Anglorum *Henricus* in purificatione beatæ *Mariæ* apud Windleshoram, totius Angliæ adunato conſilio, filiam *Godefridi* ducis Luuaniæ *Adelinam* matrimonio ſibi iunxit. *Richardus* Capellanus regis ad Herefordenſis, & *Robertus* * *Pecche* alius Capellanus regis ad Couentrenſis Eccleſiæ præſulatum eligitur. *Herbertus* eleemoſynarius ſancti

al. probat

al. Peccator

Petri Weſtmonaſterii in abbatem eiuſdem loci eligitur. *Edmerus* Cantuarienſis Eccleſiæ monachus præcedenti anno electus ad Epiſcopatum ſancti *Andreæ* in Scotia, depoſita intentione regendi Epiſcopatum, reuertitur ad locum ſuum. *Willielmus* de capellis Catalaunenſis Epiſcopus octo diebus ante exitum ſuum, ſuſcepto habitu monachico, vita deceſſit decimo quinto Calend. Februarii.

Epiſtola *Calixti* Papæ ſuper *Turſtino* directa ad regem *Henricum*, & *Radulfum* Cantuarienſem Archiepiſcopum; ipſi ſacerdotale, & Epiſcopale interdicit officium, & tam in matrice Cantuarienſi, quam in principali Eboracenſi Eccleſia cum ſuis parochiis, diuina omnia celebrari officia, cum ſepultura mortuorum prohibet, præter baptiſma infantum, & pœnitentias morientium, niſi infra vnum menſem poſt acceptionem ipſius Epiſtolæ *Turſtinus*, ſine exactione profeſſionis in ſuam reſtituatur Eccleſiam; quamobrem à rege mox reuocatus in Angliam reducitur in archiepiſcopatum ſuum. Eodem anno peracto Paſchali feſto *Calixtus* papa cum multa manu ab vrbe digreſſus tamdiu Sutrinam ciuitatem obſedit, donec & *Burdinum* pſeudopapam, & locum ipſum cepiſſet, ſicut epiſtola ſubdita planius edocet.

Calixtus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis fratribus, & filiis, archiepiſcopis, Epiſcopis, abbatibus, prioribus, & cæteris tam clericis, quam laicis beati *Petri* fidelibus per Gallias conſtitutis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quia derelinquit populus Domini legem, & in iudiciis eius non ambulat, viſitat Dominus in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Paternæ tamen conſeruans viſcera pietatis de ſua confidentes miſericordia non repellit; diu ſiquidem peccatis exigentibus per illud Teutonicorum regis idolum *Burdinum* videlicet fideles Eccleſiæ conturbati ſunt; & alii quidem capti, alii vſque ad mortem carceris maceratione ſunt afflicti. nuper autem feſtis Paſchalibus celebratis, cum peregrinorum, & pauperum clamores nos ferre penitus non poſſemus, cum Eccleſiæ fidelibus ab vrbe digreſſi ſumus, & tamdiu Sutrinam ciuitatem obſedimus, donec diuina potentia ſupradictum *Burdinum* Eccleſiæ inimicum, qui Diabolo nidum ibidem fecerat, & locum ipſum in noſtram omnino tradidit poteſtatem. rogamus itaque charitatem veſtram, vt pro tantis beneficiis vna nobiſcum gratias referatis regi regum, & in Catholicæ Eccleſiæ obedientia, & in Dei ſeruitio conſtantiſſime maneatis, retributionem debitam in præſenti, & in futuro ab omnipotente Domino per eius gratiam recepturi. rogamus etiam, vt has literas noſtras alter alteri præſentari, omni remota negligentia, faciatis. Data Sutrii ſexto Cal. Maii.

Filia *Fulconis* Comitis Andegauenſis, vxor quondam *Willielmi* ſubmerſi filii regis *Henrici*, rogante patre, remittitur in patriā à rege. filii regis Walanorum, audita ſubmerſione *Richardi* Comitis Ceſtrenſis, incenſis duobus caſtellis, multiſque hominibus interfectis, quædam in illo Comitatu loca grauiter depopulati ſunt. vnde rex *Henricus* indignatus, de tota Anglia producto exercitu infinito, ad deuaſtandam Waloniam intendit, ſed cum ad Snawedun perueniſſet, rex Walanorum muneribus & obſidibus oblatis, regi Anglorum placato reconciliatur, moxque exercitus domum * reuertitur. ea tempeſtate rex *Henricus* *al. remittitur* facto, longa terræ inciſione, foſſato à Torkeſei vſq; Lincolniam per deriuationem Trentę fluminis fecit iter nauium. *Ranulfus* quoque Dunelmenſis Epiſcopus caſtellum incepit apud Norham ſuper ripam Thwede/ & in vigilia natalis Domini ventus inſolitus non ſolum domos, ſed etiam turres deiecit lapideas.

Anno 1122. rex *Henricus* fuit ad natale apud Norwic, & ad paſcha apud Northamtune, & ad Pentecoſtē apud Windleshores, inde ad Lundoniam, & Kent/ & poſtea in Northumberland apud Dunelmum. Eodem anno obierunt *Radulfus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, & *Iohannes* Bathonienſis Epiſcopus. Anno 1123. *Henricus* rex fuit ad natale apud Dunſtaple, & inde perrexit ad Berkamſtede, vbi quidam regis Cancellarius *Ranulphus* nomine 20. annis infirmitate decoctus, ſemper tamen in curia glorians in malitia, promptus ad omnia ſcelera, innocentes opprimens, terras multorum ſibi diripiens, cum regem ad hoſpitandum duceret ſecum, in ipſo vertice montis, vnde caſtellum eius proſpiciebatur, elatus mente corruit ex equo, & monachus ſuper eum equitauit, vnde ſic contritus eſt, vt poſt paucos dies vita careret. Inde cum rex comitante ſecum *Roberto* præſule Lincolnienſi, ad Wdeſtoke pergeret, ibidem præſul morbo ſubitaneo grauatus obmutuit, & deportatus ad hoſpitium paulo poſt animam exuit decimo die menſis Ianuarii. Anno 1124. ad feſtum purificationis dedit rex archiepiſcopatum Cantuariæ *Willielmo* de Curbuil/ priori Canonicorum de Chiche. Deinde ad Paſcha dedit rex *Henricus* apud Wintoniam Epiſcopatum Lincolniæ *Alexandro* nepoti *Rogeri* Saresbirienſis Epiſcopi, iuſticiarii totius Angliæ; dedit etiam rex Epiſcopatū de Bathe *Godefrido* Cancellario

reginæ, & circa Pentecoſten mare tranſiit, & receſſit ab eo Comes de Mellent diſcordia propalata: rex autem caſtellum eius, quod *Pontandemer dicitur, obſedit, & cepit. Anno 1125. magna regi arriſit fortuna. *Willielmus* quippe de Tankeruile Camerarius regis aciebus ſtatutis confligens prædictum Comitem de Mellent cepit, & *Hugonem* de Munfort ſororium eius, & *Hugonem* filium *Geruaſii*, & tradidit eos regi, & rex eos in carcerẽ poſuit. Eodem anno obierunt *Theolfus* Wigornenſis, & *Ernulfus* Roſenſis Epiſcopi.

al. Pũtaldmer

Anno 1126. fuit rex *Henricus* toto illo anno in Normãnia, & ibi dedit Epiſcopatum Wigorniæ *Symoni* Clerico reginæ; **Sefrido* quoque Abbati Glaſtingebirienſi dedit Epiſcopatum Ciceſtriæ. Porrò *Willielmus* Cantuarienſis Archiepiſcopus dedit Epiſcopatum Roſenſem *Iohanni* archidiacono ſuo. ad Paſcha vero *Iohannes* Cremenſis Cardinalis Romanus deſcendit in Angliam, perendinanſq; per Epiſcopatus & Abbatias non ſine magnis muneribus ad Natiuitatem ſanctæ *Mariæ* celebrauit ſolemne concilium apud Lundonias; vbi magnum ei accidit infortunium. Cum enim in concilio ſeueriſſime de vxoribus ſacerdotum tractaſſet, dicens ſummum ſcelus eſſe a latere meretricis ad corpus *Chriſti* conficiendum ſurgere, cùm eadem die corpus *Chriſti* confeciſſet, cum meretrice poſt veſperam interceptus eſt. res apertiſſima Lundoniæ geſta negari non potuit. ſummus honor prius vbique habitus in ſummum dedecus verſus eſt. remeauit igitur in ſua Dei iudicio confuſus & inglorioſus. Eodem anno obiit *Henricus* Romanorum imperator gener *Henrici* regis Anglorum. ſed a quibuſdam aſſeritur, quod idem imperator pœnitentia ductus, eo quod ipſe patrem ſuum interfecerat, quadam nocte cum ad lectum imperatricis *Matildis*, ſcilicet filiæ *Henrici* regis Anglorum, more ſolito accederet, extinctis lucernis & miniſtris abeuntibus, ipſe ſolus nudus pedes, & in laneis receſſit, relictis imperialibus & vxore, & imperio, & nuſquam comparuit, nec compertum eſt, vbi eſſet cognitus. Imperatrix vero ſumptis ſecum manu beati *Iacobi* Apoſtoli incorrupta, & corona imperiali, ad regem *Henricum* patrem ſuum rediit. *Lotharius* vero poſt deceſſum, vel diſceſſum *Henrici* imperatoris ſuſcepit imperium. rex vero Anglorum *Henricus* præ gaudio manus beati *Iacobi* Apoſtoli fundauit nobilem Abbatiam de Reddinges, & eam bonis multis ditauit, & in eam manum beati *Iacobi* Apoſtoli poſuit. Coronam autem imperialem in theſauro ſuo recondidit. Monetarii vero fere totius Angliæ, iubente rege, comprehenſi, qui monetam furtiue corruperant, dextris amputatis, ementulantur. hoc anno fames magna, & annonæ tanta fuit caritas, quantam nemo noſtro in tempore vidit; quando vendebatur onus equi frumentarium ſex ſolidis. hoc etiam anno *Willielmus* Cantuarienſis præſul, & *Turſtinus* Eboracenſis, & *Alexander* Lincolnienſis Epiſcopus abierunt Romam.

al. Sigefrido

Anno 1127. *Henricus* rex ad natale, & Paſcha, & Pentecoſten moratus eſt in Normannia, & confirmatis pactis honorabilibus cum rege Franciæ ante feſtum ſancti *Michaelis* rex victorioſiſſimus rediit in Angliam; adduxitq; ſecum filiam ſuam imperatricem tanto viro vt prædictum eſt viduatam. *Robertus* quoque Ceſtrenſis Epiſcopus obiit. Anno 1128. rex *Henricus* curiam ſuam tenuit ad natale apud Windleſhores/pergens inde Lundoniam. In Quadrageſima, & in Paſcha fuit apud Wdeſtoke, vbi nuntiatum eſt ei, quod *Carolus* Comes Flandrenſis amicus eius cariſſimus nefanda proditione occiſus eſſet à proceribus ſuis in templo apud Brige, & quod rex Francorum dediſſet Flandriam *Willielmo* filio *Roberti Curthoſe* nepoti, & hoſti eius, & quod iam valde roboratus multis cruciatibus omnes proditores *Caroli* mulctauerit. ſuper his igitur rex anxiatus cõcilium tenuit ad Rogationes apud Lundonias: & *Willielmus* Archiepiſcopus ſimiliter in eadem villa apud Weſtmonaſterium. Circa Pentecoſten miſit rex filiam ſuam in Normanniam deſponſandam *Gaufrido* filio Comitis Andegauenſis, & poſtea ſecutus eſt eam ipſe rex in Auguſto. *Richardus* Lundonienſis Epiſcopus obiit, cuius Epiſcopatum rex dedit *Gilleberto* Vniuerſali viro doctiſſimo, deceſſit etiam *Richardus* Herefordenſis Epiſcopus. Anno 1129. rex *Henricus* per totum annum moratus in Normannia perrexit hoſtiliter in Franciam, quod rex Francorum tuebatur nepotem & hoſtẽ ſuum perendinanſq; apud Sparnum octo diebus, tam ſecure ac ſi in regno ſuo eſſet; compulit regem *Lodowicum* auxilia Comiti Flandrenſi non ferre; vbi cum originem, & procurſum regni Francorum *Henricus* rex quæreret, quidam vir doctus ſic ei reſpondit.

Regum potentiſſime, ſicut pleræq; gentes Europæ, ita Franci à Troianis duxerunt originem. *Antenor* quippe cum ſuis profugus ab excidio Troiæ in finibus Pannoniæ ciuitatem Sycambriam nomine ædificauit. verum poſt mortem *Antenoris* conſtituerunt ſibi duces ſuper ſe *Turgotum*, & *Francionem*, à quo Franci ſunt appellati, quibus defunctis ſucceſſit *Marcomerus*, qui genuit *Pharamundum* primum regem Francorum; *Pharamundus* genuit

Clodium Crinitum, à quo reges Franciæ Criniti habentur, *Clodio* ſucceſſit *Meroneus* cognatus eius, à quo reges Franciæ Merouingi ſunt appellati, *Meroneus* genuit *Childericum*, & ille genuit *Clodouium*, quem baptizauit ſanctus *Remigius*; *Clodoueus* genuit *Clotarium*, & ipſe genuit *Chilpericum*, & ille *Clotarium* ſecundum. *Clotarius* genuit *Dagobertum* famoſiſſimum regem, & ille genuit *Clodoueum*, *Clodoueus* genuit tres filios de ſancta *Batilda* regina ſua, videlicet, *Clotarium*, *Childericum* atque *Theodericum*. *Theodericus* rex genuit *Childebertum*, & ille *Dagobertum*, & ille genuit *Theodericum*, & ille *Clotarium* huius proſapiæ vltimum, poſt quē regnauit *Hildericꝰ*, qui poſtea tōſus eſt, & in monaſterio retruſus, *Pippino* rege effecto. Ex alterius autem ſerie generationis ex filia *Clotarii* regis *Anſbertus* genuit *Arnoldum*, & ſanctus *Arnoldus Arnulfum*, poſt Metenſem Epiſcopum; ſanctus *Arnulfus* genuit *Anchiſem*, & ille *Pippinum* maiorem domus, *Pippinus Carolum Martellum*, & ille *Pippinum* regem; *Pippinus* rex *Carolum Magnum* imperatorem, qui quaſi ſydus effulſit præcedentium & ſubſequētium; *Carolus* genuit *Lodowicum* imperatorem, & ille *Carolum Caluum* imperatorem, & ille *Lodowicum* regem patrem *Caroli Simplicis*; *Carolus Simplex* genuit *Lodowicum*, & ille *Lotharium*, & ille *Lodowicum* huius proſapiæ regem vltimum; quo defuncto, Franci ſuper ſe ſtatuerūt *Hugonem* ducem, filium *Hugonis* magni ducis. *Hugo* vero rex genuit piiſſimum regem *Robertum*, *Robertus* aūt rex genuit tres filios *Hugonem* dulciſſimum ducē, & *Hēricum* amantiſſimum regem, & *Robertum* Burgundiæ ducem. *Henricus* rex genuit *Philippum* regem, qui ad finem monachizatus eſt, & *Hugonem* magnum, qui cū magno exercitu Chriſtianorum, & multis Europæ ducibus Ieroſolymam obſedit, & eam de manibus Paganorum eripuit. Anno ab incarnatione Domini 1129. *Philippus* rex genuit *Lodowicum*, qui regnat in præſenti, qui ſi probitatis antiquorum veſtigia teneret, tam ſecure in regno eius non quieſceres. His dictis & actis rex *Henricus* in Normanniam reuerſus eſt.

Aduenit autem quidā dux *Theodericus* nomine à partibus Alemanniæ Flandriam calumnians, quoſdam Flandriæ proceres ſecum habens, & hoc ſuaſu regis *Henrici*. *Willielmus* autem Comes Flandrenſis collecto exercitu, & aciebus ordinatis proceſſit contra eum, & pugnatum eſt acriter. *Willielmus* Conſul numerum ſuorum, cum pauci eſſent, ſupplebat probitate inexterminabili. cruentatis igitur omnibus armis ſuis ſanguine hoſtili, findebat enſe fulmineo cuneos hoſtium, nec potuerunt pondus terribile iuuenilis brachii perferre hoſtes perterriti, & fugæ dediti. victorioſiſſimus itaque conſul, dum caſtellum hoſtile obſideret, & in craſtina reddi deberet, iam pene adnihilatis hoſtibus, Deo volēte, paruo vulnere ſauciatus in manu deperiit. Iuuenum autem nobiliſſimus ætate breui, famam meruit æternam, vnde quidam ait:

Mars *obit in terris, deflent par numina numen.*

Hoc etiam anno *Hugo* de Pains magiſter militum templi de Ieruſalem veniens in Angliam ſecum multos duxit Ieruſalem; inter quos *Fulco* frater *Gaufridi* Andegauenſis Conſulis rex futurus perrexit. *Ranulfus Flambard* Dunelmenſis Epiſcopus, & *Willielmus Giffart* Wintonienſis Epiſcopus obierunt. Anno 1130. *Lodowicus* rex Francorum fecit ſublimari filium ſuum *Philippum* in regem. rex vero *Henricus* pacificatis omnibus, quæ in Francia, Flandria, Normannia, Brittannia, Cenomannia, Andegaui erant, cum gaudio in Angliam rediit. tenuit igitur concilium magnum ad Calend. Auguſti apud Lundonias de vxoribus ſacerdotum prohibendis. Intererant huic conſilio *Willielmus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, *Turſtinus* Archiepiſcopus Eboracenſis, *Alexander* Lincolnienſis Epiſcopus, *Gillebertus* Lundonienſis, *Rogerus* Salesbirienſis, *Iohannes* Roſenſis, *Sifridus* Suthſexenſis, *Godefridus* Bathonienſis, *Symon* Wigornienſis, *Euerardus* Norewicenſis, *Bernardus* ſancti *Dauidis*, *Herueius* primus Elienſis Epiſcopus; Wintonienſis autem, & Dunelmenſis, & Ceſtrenſis, & Herefordenſis Epiſcopi obierant. hi columnæ regni erant, & radii ſanctitatis hoc tempore. verum rex decepit eos ſimplicitate *Willielmi* Archiepiſcopi. cōceſſerunt namq; regi iuſtitiam de vxoribus ſacerdotum, & improuidi habiti ſunt, quod poſtea patuit, cum res ſummo dedecore terminata eſt. accepit enim rex pecuniam infinitam de presbyteris, & redemit eos. tunc, ſed fruſtra pœnituit Epiſcopos conceſſionis ſuæ, cum pateret in oculis omnium gentium deceptio prælatorum, & depreſſio ſubiectorum. Eodem anno male illis contigit, quos *Hugo* de Paens, de quo prædictum eſt, ſecum duxerat ad Ieruſalem. Dominum ſiquidem offenderant ſanctæ illius telluris incolæ luxuria, & rapina, atq; variis ſceleribus. vt autem ſcriptum eſt in *Moyſe* & Regum libris, non diu ſcelera locis in illis ſunt impunita. In vigilia nāq; ſancti *Nicolai* à paucis Paganorū multi Chriſtianorum deuicti ſunt, cum antea ſoleret è contrario contingere. In obſidione igitur Damaſcena cum magna pars Chriſtianorum progreſſa eſſet ad victualia perquirenda, mirati ſunt Pagani Chriſtianos plures, & fortiſſimos ſe muliebriter fugientes, & perſequētes eos

innumeros occiderunt.eos autem,qui refugerant in montibus,tempeſtate niuis,& frigoris Deus ipſa nocte perſecutus eſt,ita quod vix aliquis euaſit. contigit etiam vt filius regis Francorum,qui diademate regni fuerat (vt prædictum eſt) decoratus, dum caballum ludens agitaret,obuiam ſuem habuit,cui cum pedes equi currentis offenderent, rex nouus cecidit,& fractis ceruicibus expirauit. ecce res miſera, & admiratione digniſſima! ecce quanta celſitudo,quam leuiter adnihilata eſt!

Anno verbi incarnati 1131. rex *Henricus* anno triceſimo regni ſui fuit ad natale apud Wirceceſtre/ & ad paſcha apud Wdeſtocke/ vbi *Gaufridus* de Clintune fuit accuſatus, & infamatus de proditione regis. ad Rogationes fuit rex apud Cantuariam ad dedicationem nouæ Eccleſiæ. Ad feſtum ſancti *Michaelis* tranſiit rex in Normanniam. Eodem anno deceſſit *Honorius* papa, quo defuncto factum eſt ſchiſma. duo enim eliguntur in Romanum pontificem videlicet *Innocentius*,& *Anacletus*. Anno 1132.rex apud Carnotum recepit papam *Innocentium* & *Anacletum* refutauit. hos enim vtroſq; Romani bipartiti elegerant. Expulſus vero ab vrbe *Innocentius* vi *Anacleti*,qui *Petrus* de Leues prius vocabatur, auxilio regis *Henrici* receptus eſt per totas Gallias. poſt hæc rex *Henricus* rediit in Angliam adducens ſecum filiam ſuam,quam poſtea ex communi conſilio principum totius Angliæ viro ſuo conſuli Andegauenſi,tunc eam requirēti reddidit. *Herueius* Elienſis Epiſcopus obiit. Anno 1133.rex *Henricus* fuit ad natale apud Duneſtaple,& ad paſcha apud Wdeſtocke. Eodem anno obiit *Baldewinus* rex Ieruſalem,cui ſucceſſit *Fulco* frater *Gaufridi* Andegauenſis Conſulis. Iſte *Fulco* rex Ieruſalem genuit ex vxore ſua filia prædicti regis *Baldewini* duos filios ſcilicet *Baldewinum*,& *Amauri*. *Baldewinus* ſucceſſit *Fulconi* patri ſuo in regnum Ieroſolymitanum, qui deceſſit ſine prole. quo defuncto *Amauri* frater eius ſucceſſit ei in regnum,qui regnauit vndecim annis, & genuit *Baldewinum* leproſum, poſtea regē, & duas filias ſcilicet *Sybillam*, & *Miliſent*, de quibus in ſubſequentibus dicetur plenius. Anno 1134. *Henricus* rex Angliæ poſt Pentecoſten dedit Epiſcopatum Elienſem *Nigello* theſaurario, & Epiſcopatum Dunelmenſem *Gaufrido* Cancellario; fecit etiam rex nouum Epiſcopatum apud Carluil,& dedit illum *Adelulfo* Priori de ſancto *Oſwaldo*. Eodem anno facta eſt eclipſis Solis quarto Nonas Auguſti circa horam diei ſextam, ita vt totus orbis Solis, quaſi nigro ſcuto videretur obtectus. Eodem die nonnullis ob periculi metum prohibentibus,& diſſuadentibus regi,ne transfretaret, rex tamen fœliciter mare tranſiit.

Anno 1135. *Gillebertus* Lundonienſis Epiſc. obiit. rex *Henricus* moratus eſt in Normānia pro gaudio nepotum ſuorū,quos de filia eius *Gaufridus* Conſul Andegauenſis genuerat,& fecit Archiepiſc.& Comites,& Barones totius ſuæ dominationis iurare fidelitates *Matildi* imperatrici filiæ eius & *Henrico* filio eius adhuc minimo, & conſtituit eum regem poſt ſe; deinde ſæpius proponebat redire in Angliam rex *Hēricus*,ſed detinebat eum filia eius imperatrix diſcordiis variis,quæ oriebantur pluribus cauſis inter regem, & Conſulem Andegauenſem,artibus ſcilicet filiæ ſuæ. quibus ſtimulationibus rex in iram,& animi rancorem excitatus eſt, quæ à nonnullis cauſa naturalis refrigidationis, & poſtea mortis eius cauſa fuiſſe dictæ ſunt. Cum igitur rex à venatu rediiſſet,apud ſanctum *Dionyſium* in ſylua Leonum comedit carnes murenarum,id eſt, lampredarum, quæ ſemper ei nocebant, & ſemper eas amabat. Cum autem medicus hoc eum comedere prohiberet, non adquieuit rex ſalubri conſilio eius,ſecundum quod dicitur:

Nitimur in vetitum ſemper,cupimuſq; negata.

Hæc igitur comeſtio peſſimi humoris illatrix,& conſimilium vehemens excitatrix,ſenile corpus letaliter refrigidans ſubitam,& ſummam fecit perturbationem, contra quod natura renitens excitauit febrem acutam ad impetum diſſoluēdum materiei grauiſſimæ, ſed præualente morbo, deceſſit rex magnificus, cum regnaſſet triginta quinque annis & tribus menſibus,in prima die Decembris;de quo quidam ſic ait.

Rex Henricus *obit,decus olim,nunc dolor orbis*,
numina flent numen deperiiſſe ſuum.
Mercurius *minor eloquio,vi mentis* Apollo,
Iupiter *imperio*,Marſque *vigore gemunt.*
Ianus *cautela minor*, Alcides *probitate*,
conflictu Pallas, *arte* Minerua *gemunt.*
Anglia,quæ cunis,quæ ſceptro numinis huius
ardua ſplenduerat,iam tenebroſa ruit.
Hæc cum rege ſuo, Normannia cum duce marcet,
nutriit hæc puerum,perdidit illa virum.

His

Hic annus ab aduentu Brittonum in Angliam 2265. ab aduentu Normannorum 69. ab initio mundi 5317. annus gratiæ 1135.

Defuncto igitur *Henrico* rege magno libera, vt in mortuo ſolent, iudicia populi depromebantur. Alii enim tribus vehementer irradiaſſe ſplendorib⁹ aſſerebant, ſapientia ſumma, victoria, atque diuitiis; ſapientia, nam & conſilio profundiſſimus, & prouidentia conſpicuus, & eloquentia clarus habebatur: victoria, quia exceptis aliis, quæ egregie geſſerat, regem Francorum lege belli ſuperauerat: diuitiis, quibus omnes prædeceſſores ſuos longe præceſſerat. alii autem diuerſo ſtudio tribus illum vitiis inficiebant; cupiditate nimia, quia cum eſſet opulentus, vt omnes parentes ſuos pauperes faceret, tributis & exactionibus inhians delatoriis hamis intercipiebat; crudelitate etiam, qua Conſulem de Moretuil cognatum ſuum in captione poſitum exoculauit; nec ſciri tam horridum facinus potuit, vſque mors ſecreta regis aperuit, nec minus & alia proponebant exempla, quæ tacemus: luxuria quoque quia mulierum conditioni, more *Salomonis* continue ſubiacebat. Talia vulgus libere diuerſificabant. Succeſſu vero temporis atrociſſimi, quod poſtea per Normannorum rabioſas proditiones exarſit, quicquid *Henricus* fecerat vel tyrannice, vel regie, comparatione deteriorum viſum eſt peroptimum. venit enim ſine mora *Stephanus Theobaldi* Conſulis Bleſenſis frater iunior eo; vir magnæ ſtrenuitatis, & audaciæ; & quamuis ipſe iuraſſet ſacramentum fidelitatis Anglici regni imperatrici, & *Henrico* filio ſuo; tamen quaſi tempeſtas, inuaſit diadema regni Angliæ. *Willielmus* Cantuarienſis archiepiſcopus, qui primus ſacramentum fecerat, eum, proh dolor, in regem benedixit; vnde iudiciū illud Deus in eū ſtatuit, quod ſacerdoti magno *Ieremiæ* percuſſori ſtatuerat, ſcilicet ne poſt annum viueret: ſimiliter *Rogerus* Saleſbirienſis Epiſcopus (qui ſecundus ſacramentum illud prædictum fecerat, & omnibus aliis prædictauerat) diadema ei, & vires auxilii ſui contribuit, vnde poſtea digno Dei iudicio ab eo, quem creauit in regem, captus, & excruciatus miſerum ſortitus eſt exterminium. ſed quid moror? omnes qui ſacramentum iurauerant, tam præſules, quam Conſules, & principes aſſenſum *Stephano* præbuerunt, & hominium fecerunt. hoc vero ſignum malum fuit, quod tam repente omnis Anglia ſine mora, ſine labore quaſi in ictu oculi ei ſubiecta eſt.

STEPHANVS REX.

ANNO igitur gratiæ 1136. die *S. Stephani* diadematus rex *Stephanus*, curiam ſuā tenuit apud Lundonias, in cui⁹ coronatione (vt dicitur) pax Domini ad Miſsā nec dicta fuit nec data populo, cum hoc ſacramētum factum eſt. Corpus autem regis *Henrici* adhuc inſepultum erat in Normannia. nam ipſe prima die Decembris obierat; cuius corpus allatum eſt Rothomagum, & ibi viſcera eius, & cerebrum, & oculi conſepulta ſunt; reliquum autem corpus cultellis circumquaque diſſecatum, & ſic multo ſale aſperſum, coriis taurinis reconditum eſt & conſutum, cauſa fœtoris euitandi, qui multus & infinitus iam circumſtantes inficiebat. vnde & ipſe, qui magno pretio conductus, ſecuri caput eius diffiderat, vt fœtidiſſimum cerebrum extraheret, quamuis linteaminibus caput ſuum obuoluiſſet, mortuus tamen ea cauſa pretio male gauiſus eſt. hic eſt vltimus è multis quos rex *Henricus* occidit. Inde vero corpus regium Cadomum ſui deportauerunt, vbi dum diu in Eccleſia poſitum, in qua pater eius ſepultus erat, quamuis multo ſale repletum eſſet, & multis coriis reconditum, tamen continue ex corpore niger humor, & horribilis coria pertrāſiens decurrebat, & vaſis ſuppoſitis ſub feretro ſuſceptus, à miniſtris horrore fatiſcentibus abiiciebatur. vide igitur quicunq; legis, quomodo regis potentiſſimi corpus cuius ceruix diademate, auro, & gemmis electiſſimis quaſi diuino ſplendore vernauerat, cuius vtraq; manus ſceptris præradiauerat, cuius reliqua ſuperficies auro textili tota rutilauerat, cuius os tā delicioſiſſimis, & exquiſitis cibis paſci ſolebat, cui omnes aſſurgere, omnes expaueſcere, omnes congaudere, omnes admirari ſolebant: vide (inquam) quo corpus illud deuenerit, quam horribiliter delituerit quam miſerabiliter abiectum fuerit. vide rerum euentum ex quo ſemper pendet iudicium, & diſce contemnere, quicquid ſic diſterminatur, quicquid ſic adnihilatur. Tandē reliquiæ regalis cadaueris allatæ ſunt in Angliam, & ſepultæ ſunt infra duodecim dies natalis apud Abbatiam de Redingeo/ quam idem rex *Henricus* fundauerat, & multis poſſeſſionibus ditauerat. Ibique rex *Stephanus* venit a curia ſua, quam Lundoniis tenuerat in ipſo natali, contra corpus patrui ſui, nec non & *Willielmus* Archiepiſcopus Cantuariæ, & multi præſules, & proceres, & ſepelierunt regem *Henricum* cum debita tanto viro reuerentia. Inde perrexit

rex *Stephanus* Oxonfordiam vbi recordatus eſt, & confirmauit pacta, quæ Deo, & populo, & ſanctæ Eccleſiæ conceſſerat in die coronationis ſuæ. Quæ ſunt hæc. *Primo vouit, quod defunctis Epiſcopis, nunquam retineret Eccleſias in manu, ſed ſtatim electioni conſentiens Epiſcopis eas inueſtiret. ſecundo vouit, quod nullius Clerici vel Laici ſiluas in manu ſua retineret, ſicut rex* Henricus *fecerat, qui ſingulis annis implacitauerat eos, ſi vel venationem caperent in ſiluis propriis, vel ſi eas ad neceſſitates ſuas extirparent, vel diminuerent, quod placiti nefandi genus adeo fuit execrabile, vt ſi viſores alicuius ſiluam, quem eſſe pecunioſum æſtimarent, à longe conſpicerent ſtatim vaſtatam prohiberent ſiue eſſet. ſiue non, vt eum quoquomodo redimere poſſent: tertio vouit, quod Denegeldum, id eſt, duos ſolidos ad hydam, quos anteceſſores ſui accipere ſolebant ſingulis annis, in æternum condonaret.* Hæc principaliter Deo vouit, & alia, ſed nihil horum tenuit. dum autem rex *Stephanus* in fine natalis moram faceret apud Oxenforde audiuit nuntium dicentem ſibi: Rex Scottorum *Dauid* ſimulans ſe pacifice venire ad te gratia

al. Carloil

hoſpitandi veniens in * Carduil / & in Nouum caſtellum, doloſe cepit vtraque, Cui rex *Stephanus* reſpondit. Quæ doloſe cepit, victorioſe recipiam, promouit igitur rex impiger exercitum ſuum tam magnum, fortem, & validum, quantum nullus in Anglia fuiſſe memorari potuit. occurrens autem ei rex *Dauid* circa Dunelmum concordatus eſt ei, reddens Nouum caſtellum. Carduil vero retinuit conceſſione regis *Stephani.* rex tamen *Dauid* homo regis *Stephani* non eſt effectus, qui ſacramentum primus Laicorum iurauerat imperatrici, filiæ regis *Henrici* ſcilicet nepti ſuæ de Anglia ei manu tenenda poſt mortem regis *Henrici.* filius autem regis *Dauid Henricus* nomine homo regis *Stephani* effectus eſt, deditque ei rex *Stephanus* burgum, quod vocatur Huntundona in augmentum. rediens autem inde rex in Quadrageſima tenuit curiam ſuam apud Lundonias in ſolemnitate Paſchali, cum tanta claritatis gloria, quod ea nunquam fuit ſplendidior in Anglia, multitudine, magnitudine, auro, argento, gemmis, veſtibus, omnimodo dapſilitate, ad Rogationes vero laborante de letargia rege, diuulgatum eſt eum mortuum eſſe. Quod audiens *Hugo Bigod* in caſtellum de Nortwich ſubintrauit, nec reddere voluit, niſi ipſi regi aduenienti, valde tamen inuitus. Iam ergo cœpit rabies prædicta Normannorum periurio, & proditione pullulare. cepit igitur rex Bakentun, cuius dominus *Robertus* quidam proditor erat, qui à rege deſcierat. Inde obſedit vrbem Exceſtre, quam tenebat *Baldewinus* de Redwers contra eum, ibique diu morando, & machinas multas conſtruendo multum theſauri ſui abſumpſit, ſero autem redditum eſt ei caſtellum, & vindictam non exercuit in proditores ſuos peſſimo vſus conſilio. ſi enim eam tunc exercuiſſet, poſtea cōtra eum tot caſtella retenta non fuiſſent. Inde igitur rex perrexit in inſulam Wecte / & abſtulit eam *Baldewino* de Redwers, de quo prædiximus, & exulauit eum ab Anglia. elatus igitur rex his proſpere geſtis, venit venatum apud Bramtun, quæ abeſt miliario ab Huntendun / & ibi placitauit de foreſtis procerum ſuorum, id eſt de ſiluis, & venationibus, & fregit votum, & pactum Deo, & populo.

Anno gratiæ 1137. qui eſt annus ſecundus regni *Stephani* regis, ipſe rex *Stephanus* in Quadrageſima transfretauit in Normanniam. Tranſiit autem *Alexander* Lincolnienſis præſul, & multi proceres cum eo, vbi rex bellicis altercationibus aſſolitus, omnia, quæ inceperat, luculenter perfecit, hoſtium circumuentus repulit, hoſtilia caſtella depulit, egregie inter ſummos ſummus ſplenduit. Concordiam cum rege Francorum compoſuit, & *Euſtathius* filius eius homo regis Francorum effectus eſt de Normannia, quæ Francorum ſubiacet imperio. Quod videns conſul Andegauenſis, qui ſupremus hoſtis eius erat, qui nimirum filiam regis *Henrici* duxerat, quæ imperatrix Alemanniæ fuerat, & ſacramēta de regno Angliæ acceperat; vnde & Angliam calumniabantur ſponſus & ſponſa: cepit tamen inducias cum rege *Stephano.* videbat enim ſe ad præſens regias vires non poſſe perfringere, tam pro multitudine probitatis, quam pecuniæ, quæ adhuc ex abundantia theſauri regis defuncti ſupererat. Cūctis igitur his proſpere geſtis in ipſo veſtibulo natalis domini rex in Angliam clarus rediit. Eodem anno *Lodowicus* rex Francorum groſſus obiit, cui ſucceſſit *Lodowicus* filius eius. Hi ergo duo anni *Stephano* regi proſperrimi fuerunt: tertius vero, de quo dicemus, mediocris & interciſus, duo vero vltimi exitiales. & prærupti.

Anno gratiæ 1138, qui erat annus tertius regni regis *Stephani*, rex *Stephanus* in ipſo ingreſſu Angliæ prouolauit ad Bedefordiam, & in vigilia natalis Domini, & in toto natali obſedit eam. Quod etiam multis, diſplicuiſſe Deo viſum eſt, quia ſolemnitates ſolemnitatū parui vel nihili pendebat. Eodem anno *Petrus* de Leues antipapa obiit, reddita autem regi *Stephano* Bedefordia, ipſe ſtatim promouit exercitum ſuum in Scotiam. rex namque *Dauid*, qui ſacramentū fecerat filiæ regis *Henrici*, quaſi ſub velamento ſanctitatis per ſuos exercitus execrabiliter egit. mulieres enim grauidas findebant, & fœtus anticipatos abſtrahebant,

hebant,pueros ſuper acumina lancearum iactabant, presbyteros ſuper altaria detruncabant, crucifixorum capita abſciſa ſuper cæſorum corpora ponebant: mortuorum vero capita mutuantes ſuper crucifixa reponebant. Quæcunque igitur Scotti attingebant, omnia erant plena horroris, plena immanitatis. aderat clamor mulierum, * vlulatus al. eiulat. ſenum, morientium gemitus, iuuenum deſperatio. rex igitur *Stephanus* inſurgens combuſſit,& deſtruxit auſtrales partes *David* regis, ipſo quidem *David* non audente ei congredi. poſt Paſcha vero exarſit rabies nefanda proditorum. Quidam namque Proditorum nomine *Talebot* tenuit contra regem Herefordiam in Wallia, quod tamen rex per obſidionem in ſuam recepit. *Robertus* Conſul filius *Henrici* regis nothus tenuit contra eum fortiſſimum caſtellum, quod dicitur Briſtoue/ & aliud quod vocatur Slede/ *Willielmus Luuel* tenuit caſtellum de Kari/ *Paganellus* tenuit caſtellum de Ludelaue; *Wilhelmus* de Moun tenuit caſtellum de Duneſtor; *Robertus* de Nichole tenuit caſtellum de Waram; *Euſtachius* filius *Iohannis* luſcus & proditor nequam tenuit caſtellum de Maltona; *Willielmus* filius *Alani* tenuit caſtellum de Salopesbury/ quod rex quidem cepit armis,captorumque nonnullos ſuſpendit. Quod *Walkelmus* audiens,qui tenebat caſtellum de Doure reginæ ſe obſidenti reddidit illud. occupato igitur rege *Stephano* circa partes Auſtrales Angliæ, *David* rex Scottorum innumerabilem exercitum promouit in Angliam. Contra quem proceres Borealis Angliæ, cum *Willielmo* inſigni Comite Albemarlie admonitione, & iuſſu *Turſtani* Eboracenſis Archiepiſcopi reſtiterunt fixo Standard/ id eſt,regio inſigni apud Aluertun in Cutune more. cum autem morbi cauſa non poſſet archiepiſc. Eboracenſis intereſſe pugnæ, miſit loco ſui *Radulphum* Epiſcopum Orcadum. qui ſtans in acie media; loco eminenti huiuſmodi oratione vſus eſt.

*Proceres Angliæ clariſſimi Normannigenæ, (meminiſſe enim veſtri vos nominis, & generis præliaturos decet) Perpendite, qui & contra quos, & vbi bellum geratis; vobis enim impune nemo reſiſtet. audax Francia veſtram militiam experta delituit, * ferox Anglia vobis captiua ſuc-* al. ferax. *cubuit, diues Apulia vos ſortita refloruit, Ieruſalem famoſa, & inſignis Antiochia ſe vobis vtraque ſuppoſuit, nunc autem Scotia vobis rite ſubiecta repellere conatur; inermem præferens temeritatem; rixæ quam pugnæ aptior. In quibus quidem nulla vel rei militaris ſcientia, vel præliandi peritia vel moderandi gratia. nullus igitur verendi locus, ſed potius verecundiæ; quod hi, quos ſemper in patria ſua petiuimus, & vicimus, in patriam noſtram ritu tranſuerſo, vt ebrii dementeſque conuolarunt. Quod tamen vobis ego præſul, & Archipræſulis veſtri loco ſitus, diuina prouidentia factum denuntio: vt hi, qui in hac patria templa Dei violauerunt, altaria cruentauerunt, Presbyteros occiderunt, nec pueris, nec prægnantibus pepercerunt, in eadem condignas ſui facinoris luant pœnas. Quod iuſtiſſimum ſuæ diſpoſitionis arbitrium per manus veſtras hodie perficiet Deus. attollite igitur animos (viri elegantes) & aduerſus hoſtem nequiſſimum freti virtute patria, immo Dei præſentia exurgite. neque vos temeritas eorum moueat, cum illos tot veſtra virtutis inſignia non deterreant. illi neſciunt armari ſe in bello; vos in pace bellis exercimini, vt in bello caſus dubios belli non ſentiatis. tegite ergo vobis galea caput, lorica pectus, ocreis crura, totumque corpus clypeo vt vbi feriat hoſtis non inueniat, quem ferro ſic ſeptum circumſpicit. procedentes igitur aduerſus inermes ac timidos quid dubitamus? an forte numerum?* Sed non tam numerus multorum quam virtus paucorũ conficit bellum. *Multitudo enim diſciplinæ inſolens, ipſa ſibi eſt impedimento, in proſperis ad * iniuriam in aduerſis ad fugam. Præterea maiores veſtri multos pauci vicerunt ſæpe; quid* al. victoriam *ergo vobis confert gloria parentelæ, exercitatio ſolemnis, diſciplina militaris, niſi multos pauciores vincatis, ſed iam finem dicendi ſuadet hoſtis inordinate proruẽs, & ꝙ animo meo valde placet diſperſe confluens, nos igitur archipræſulis veſtri loco, qui hodie commiſſa in domini domum, in dom. ſacerdotes, & in domini regem puſillum vindicaturi eſtis, ſi quis veſtrum prælians occubuerit, abſoluimus eum ab omni pœna peccati in nomine patris, cuius creaturas fœde & horribiliter deſtruxerunt, & filij cuius altaria maculauerunt, & Spiritus ſancti, à quo ſublimatos inſane ceciderunt.* Reſponderunt omnes populi Anglorum Amen, Amen, & reſonuerunt montes, & colles. Exclamauitque ſimul exercitus Scottorum inſigne patrium, & aſcendit clamor vſque in cœlum Albani, Albani; & mox conſerta pugna totus clamor abſorptus eſt horrendo fragore, & ictuum immanitate.

Dum acies Lodonenſium, qui gloriam primi ictus à rege Scottorum inuito præripuerant, amentatis miſſilibus & lanceis longiſſimis ſuper acies equitum Anglorum loricatas percutiunt, quaſi muro ferreo offendentes impenetrabiles inuenerunt, viri vero ſagittarii equitibus immixti obnubilantes eos, nimirum inermes penetrabant. tota namque gens Normannorum, & Anglorum in vna acie circũ Standard conglobata perſiſtebant immobiles. percuſſo igitur ſagitta ſummo duce Lodonenſiũ, corruit ipſe, & tota gens, eorum in fugam conuerſa eſt, offenſus namq; Deus excelſus erat eis, & omnis virtus eorum

tanquam aranearum contextio demolita eſt. quod videns acies maxima Scottorum, quę ex alia parte acerrime pugnabat, expauit animo, & fugæ indulſit, regalis autem acies, quā ex pluribus gentibus *Dauid* rex conſtituerat, ſimul vt hoc vidit, cœperunt primum ſingillatim, poſtea cateruatim aufugere, rege iam fere ſolo perſiſtēte. Quod amici regis videntes coegerunt eum ſonipede arrepto terga dare; filius autem regis *Henricus* ſtrenuiſſimus non attendens ad ea, quæ fieri à ſuis videbat, ſed ſoli gloriæ, & virtuti inhians, fugientibus reliquis, fortiſſime aſſiluit aciem hoſtium, & miro impetu percuſſit. Sola namque acies eius equis reſidebat, ex Anglis videlicet & Normānis compoſita, qui in patris familia conuerſabantur: equites autem nulla ratione diu perſiſtere potuerunt contra milites loricatos pede perſiſtentes, & immobiliter coaceruatos, ſed lanceis confractis, & equis vulneratis aufugere compulſi ſunt. Et multa quidem millia Scottorum in eodem campo fama refert occiſa, exceptis illis, qui in ſegetibus, & in ſiluis inuenti ſunt perempti. Angli itaque & Normanni minimo ſanguine effuſo, fœliciter triumpharunt. Huius igitur pugnæ duces fuerunt prædictus *Radulfus* Epiſcopus Orcadum, & inſignis, & regio ſanguine nec non & militari probitate clarus *Willelmus* * Conſul Albemarliæ, & *Walterus Eſpec* procerum egregius, & *Willelmus Piperellus* de Notingham, & *Hilbertus* de Laci, cuius frater ibi ſolus ex omnibus equitibus occiſus eſt, cuius euentus belli cum regi *Stephano* nunciatus eſſet, ipſe & omnes, qui aderant, ſummas gratias Deo exſoluerunt. Hoc bellum menſe *Auguſto* factum eſt, at in aduentu Domini *Albricus* Romanæ Eccleſiæ Legatus, & Hoſtienſis Epiſcopus concilium tenuit Londoniis, & ibidem, annuente rege *Stephano*, *Theobaldus* Abbas Beccenſis Cantuarienſis Archiepiſcopus effectus eſt.

al. Comes

Anno gratiæ milleſimo centeſimo triceſimo nono, qui eſt annus quartus regni regis *Stephani*, idem *Stephanus* poſt natale caſtellum de Slede cepit obſidione. perrexit autem poſt hæc in Scotiam, vbi cum ferro, & igne quæque vaſtaret, rex Scotiæ cum eo concordari coactus eſt. *Henricum* igitur filium regis Scottorum ducens ſecum in Angliam obſedit Ludelawe, vbi idem *Henricus* vnco ferreo equo abſtractus pene captus eſt, ſed ipſe rex eum ab hoſtibus ſplendide retraxit. Inde re imperfecta Oxenfordiam petiit, vbi res infamia notabilis, & ab omni humana conſuetudine remota comparuit. Rex namque *Rogerum* Epiſcopum Salesbirienſem, & *Alexandrum* Lincolnienſem, cum pacifice ſuſcepiſſet, violenter in curia ſua cepit, nihil iuſtitiæ recuſantes, ſed & iuſtitiæ æquitatem poſcentes deuotiſſime. Ponens igitur ibidem *Alexandrum* Epiſcopum in carcerem, Epiſcopum Salesbirienſem ſecum duxit ad caſtellum eiuſdem, quod vocatur Diuiſe, quo non erat aliud ſplendidius intra fines Europæ. Angarians igitur eum ieiunii tormento, & collum filii eius, qui Cancellarius fuerat regius laqueo circumnectens vt ſuſpenderetur: tali modo caſtellum ſibi extorſit male recordans bonorum, quæ in introitu regni ſui præ omnibus aliis ei congeſſerat: talem ei deuotionis ſuæ retributionem exhibuit: ſimiliter Syresburnam cepit, quod parum Diuiſis decore cedebat, accipienſque theſauros Epiſcopi comparauit inde *Conſtantiam* ſororem *Lodowici* regis Francorum ad opus filii ſui *Euſtachii*. Rex inde rediens *Alexandrum* Epiſcopum, quem dimiſerat in captione apud Oxenfordiam, duxit ſecum ad Newercam, ibi quidem conſtruxerat idem Epiſcopus caſtellum ſuper flumen Trente fortiſſimum, & florentiſſimum. Quo cum veniſſet, indixit rex Epiſcopo ieiunium non legitimum, aſtruens fide data, eum omni cibo cariturum, donec redderetur caſtellum. vix igitur Epiſcopus lacrymis, & precibus à ſuis obtinere potuit, vt caſtrum ſuum à iure ſuo in extraneorum cuſtodiam deponerent; ſimiliter redditum eſt aliud caſtellum eius quod vocatur Slaford, neque forma neque ſitu à prædicto ſecundum; nec longe poſt cum *Henricus* Wintonienſis Epiſcopus frater regis iam Legatus Romanæ Eccleſiæ concilium apud Wintoniam teneret, ipſe *Tedbaldus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, & omnes Epiſcopi, qui aderant, ad pedes regios deuoluti ſunt, deuotiſſima * deuotione poſcentes, vt Epiſcopis prædictis poſſeſſiones ſuas redderet, & ipſi omnia, quæ in eis rex commiſerat, benigne condonarent. Sed rex prauorum conſilio tot, & tantorum tam venerandam proſternationem deſpiciens, nihil eos impetrare permiſit. ob quod patefacta eſt domus regis *Stephani* finitimæ condemnationi. Statim namque filia regis *Henrici*, quæ fuerat * Romanorum Imperatrix, cui Anglia iuramento fuerat addicata, venit in Angliam, quam cum rex *Stephanus* obſediſſet apud Arundel vel perfida credens conſilia, vel quia caſtrum videbat inexpugnabile, ire permiſit ad Briſtowe. Eodem anno *Rogerus* Salesbirienſis Epiſcopus tam mœrore, quam ſenio confectus demarcuit, & vitam finiuit. ſtupeant igitur omnes lecturi tantam, tamq; ſubitam rerum permutationem! Viro namq; præfato tot a iuuentutis exordio bona contigerant, & ſine interpolatione in cumulum

al. ſupplicatione

al. Almannia

lum creuerant, vt omnes dicerent fortunam ſuæ volubilitatis oblitam. Nec aliquibus aduerſis in tota vita ſua potuit affici, donec tantæ miſeriæ cumulus ſimul confluens in extremis eum præfocauit. Nullus igitur de fœlicitatis aſſiduitate cõfidat, nullus de fortunæ * instabilitate præſumat, nullus in rota volubili ſedem confixam diu ſupereſſe contendat. *al. ſtabilitate*

Anno gratiæ milleſimo centeſimo quadrageſimo, qui erat quintus annus regni regis *Stephani*, idem rex *Stephanus* poſt natale fugauit *Nigellum* Epiſcopum Elienſem de Epiſcopatu ſuo; quia nepos prædicti Epiſcopi Salesbirienſis erat, à quo odii incendium in progeniem eius traxerat. Vbi autem ad natale, vel ad paſcha fuerit dicere non attinet. Iam quippe ſolemnes curiæ, & ornatus regii ſchematis ab antiqua ſerie deſcendẽs prorſus euacuauerant, ingens theſauri copia iam deperierat, pax in regno nulla, cædibus, incẽdiis, rapinis omnia interminabantur, Clamor, & luctus, & horror vndiq; tonabat, & terrebat vndique violenta prædatio cum tumultu, vnde ſic dictum eſt elegiace.

Quis mihi det fontem, quid enim potius lachrymarum,
Et lachrymem patriæ geſta nefanda meæ?
Aduenit caligo ſtygis dimiſſa profundo,
Quæ regni faciem conglomerata tegit.
Ecce furor, fremitus, incendia, furta, rapinæ,
Cædes, nulla fides conſociata ruunt.
Iam furantur opes, & opum Dominos, & in ipſis
Sopitos caſtris, o noua furta! premunt.
Periurare fidem, mentiri nobile factum,
Prodere vel Dominos acto digna viris.
Concio prædonum cimiteria, templa refringit,
Iamque ſacerdotes (res miſeranda) rapit.
*Detorquent * vnctos Domini, ſimul & mulieres,* *al. victos*
Proh dolor, vt redimant excruciare ſtudent.
Affluit ergo fames, conſumpta carne, gementes
Exhalant animas oſſa cutiſque vagas.
Quis tantos ſepelire queat cœtus morientum?
Ecce ſtygis facies, conſimiliſq; lues.

Eodem anno rex *Stephanus* dedit Northimbriam *Henrico* filio *Dauid* regis Scottorum. Eodem anno obiit *Turſtinus* Archiepiſcopus Eboracenſis, quo defuncto ſtatim fit ſciſma in Eccleſia Eboracenſi de electione Pontificis. Quidam enim Canonicorum elegerunt *Willielmum* Eboracenſis Eccleſiæ Theſaurarium, quem *Henricus* Wintonienſis Epiſcopus Romanæ Eccleſiæ Legatus conſecrauit. Cæteri vero Canonicorũ elegerunt ſibi Archiepiſcopum *Henricum Murdac*, qui præualuit, & Archiepiſcopatum tenuit, quamdiu vixit. Et *Willielmus* Archiepiſcopus remanſit cum *Henrico* Epiſcopo Wintonienſi, qui eum conſecrauerat, vſque ad obitum *Henrici Murdac*.

Anno gratiæ 1141. qui erat annus ſextus regni regis *Stephani*, idem rex obſedit infra natale ciuitatem Lincolniæ. Cuius munitiones *Ranulfus* Comes Ceſtrenſis fraudulenter ceperat, ſeditq; ibi rex vſq; ad purificationem Sanctæ *Mariæ*. Tunc quippe Comes *Ranulfus* adduxit ſecum *Robertum* filium regis *Henrici*, generum ipſius, & proceres alios validiſſimos ad obſidionem regis diſſoluendam; cum autem * Conſul audaciſſimus paludem pene intranſibilem, vix tranſiſſet, in ipſa die aciebus diſpoſitis regem bello aggreſſus eſt. *al. Comes* Ipſe cum ſuis primam aciem conſtruxerat, ſecundam illi, quos *Stephanus* rex exhæredauerat: tertiam *Robertus* dux magnus cum ſuis: à latere vero erat turba Wallenſium, magis audacia, quam armis inſtructa. Tunc Conſul Ceſtrenſis vir bellicoſus, & armis inſignibus coruſcans, *Robertum* Conſulem proceresſque alios ſic alloquitur.

Gratias tibi multas, dux inuictiſſime, vobiſq; proceres, & commilitones mei, cum ſumma deuotione perſoluo, qui vſq; ad vitæ periculum amoris effectum mihi magnanimiter exhibuiſtis. Cum igitur ſim vobis cauſa periculi, dignum eſt, vt periculo me prius ingeram. Et infidiſſimi regis, qui datis inducius pacem fregit, aciem prius illidam. Ego quidem tam regis iniuſtitia, quam de mea confidens virtute iamiam regalem cuneum diffindam. Gladio mihi viam per medios hoſtes parabo. Veſtræ virtutis eſt ſequi præeuntem, & imitari percutientem. Iam videor animo mihi præſago regias acies tranſuolare, proceres pedibus conculcare, regem ipſum gladio tranſuerberare. Dixerat. Dux autem *Robertus* ſic iuueni reſpondit, & in loco ſtans eminenti huiuſmodi oratione vſus eſt. *Non indignum, quod ictus primi dignitatem poſcis tam ex nobilitate, quam virtute, qua præcellis. ſi tamen de nobilitate contendas, ego filius regis nobiliſſimi, & nepos regis ſummi non antecellor. Si de virtute: hic multi ſunt electiſſimi, quibus nemo viuentium probitate poteſt præferri. Sed longe alia me*

mouet ratio. Rex *enim contra ſacramenta, quæ ſorori meæ fecit, regnum crudeliter vſurpauit, & omnia conturbans, multis militibus cauſa necis extitit, & exemplo ſui, nihil iuris habẽtibus terras diſtribuit, iure poſsidentibus diripuit; ab ipſis nequiter dehæredatis, ſummo iudice Deo cooperante, & vindictam ſubminiſtrante, prius aggrediendus eſt.* R*eſpiciet, qui iudicat populos in æquitate, de excelſo cœlorum habitaculo, qui iuſtum iuſte appetentes in hac tanta neceſsitate nequaquam relinquet. Vnum vero eſt, proceres fortiſsimi, militeſque vniuerſi, quod vobis animo firmiter ingerere volo, quod per paludes, quas vix pertranſiſtis, nulla poteſt eſſe fugientibus reuerſio. Hic igitur vel vincendum, vel occumbendum: ſpes fugæ nulla. Hoc ſolum ſupereſt, vt in vrbem gladiis viam paretis. Si quid autem veri coniecturas animus mihi, & hoc quod fugere nuſquam poteſtis: illud eſt, quod hodie, Deo vobis adiuuante, victoriam parabit. Neceſſe eſt enim, vt ad probitatem confugiat, cui non poteſt eſſe aliud diffugium. Ciues autem Lincolnienſes, qui ſtant vrbi ſuæ proximi, in impetus grauedine animis liqueſcentibus ad domos ſuas transfugere victorioſi videbitis. Veruntamen contra quos bellum geratis attendite.* Alanus *Brittonum dux contra nos, imo contra Deum procedit armatus; vir nefandus & omnium ſcelerum genere pollutus; malicia paris neſcius, cui nunquam nocendi defuit affectus, cui ſe non eſſe crudelitate incomparabilem, ſolum & ſupremum videtur opprobrium. Procedit quoq; contra nos Comes Mellenſis, doli callidus, fallendi artifex, cui innata eſt nequitia in corde, in ore fallacia: in opere pigritia, glorioſus in corde, magnanimus ore, puſillanimus opere, ad congrediendum vltimus, ad digrediendum primus, tardus ad pugnam, velox ad fugam. Procedit contra nos* Hugo *Conſul, cui parum viſum eſt ſe contra Imperatricem periurum fuiſſe, niſi & ſecundo patentiſsime periuraret, affirmans regem* Henricum Stephano *regnum conceſsiſſe, & filiam ſuam abdicaſſe, qui nimirum fallaciam virtutem credit, & elegantiæ periurium ducit. Procedit Conſul de Albemarle vir in crimine ſingularis conſtantiæ, ad audiendum volubilis, ad relinquẽdum immobilis: quem ſponſa ſua cauſa ſpurcitiæ intollerabilis fugitiua reliquit. Procedit Conſul ille, qui prædicto conſuli ſponſam abripuit, adulter patentiſsimus, & excellenter impurus,* Baccho *deuotus,* Marti *ignotus, vino redolens, bellis inſolens. Procedit* Simon *Comes Hamtunienſis, cuius actus ſola locutio, cuius datum ſola promiſsio, qui cum dicit fecit, cum promittit, dedit. Procedunt cæteri proceres regi conſimiles, latrociniis aſſueti, rapinis delibuti, homicidiis ſaginati, omnes tandem periurio contaminati. Vos igitur viri fortiſsimi quos magnus rex* Henricus *erexit, iſte deiecit: ille inſtruxit, iſte deſtruxit; erigite animos, & de virtutibus veſtris, imo de Dei iuſtitia confiſi, vindictam vobis à Deo oblatam de facinoroſis præſumite & gloriam immarceſsibilem poſteris veſtris præfigite. At iam ſi vobis idem animus eſt ad hoc Dei iudicium perpetrandum, progreſsionem vouete, fugam abiurate, erectis in cœlum vnanimiter dextris. Vix finierat, cum omnes extenſis in cœlum manibus terribili clamore fugam abiurauerant, & ſe in armis colligentes in hoſtem ſplendide progrediuntur.*

Rex interea *Stephanus* curarum magnis exæſtuans fluctibus Miſſam in tanta ſolemnitate audierat. Cum autẽ de more cereum rege dignum Deo offerens manibus *Alexandri* imponeret Epiſcopi, confractus eſt, Hoc fuit regi ſignum contritionis. Cecidit etiam ſuper altare pixis, cui corpus Domini inerat, abrupto vinculo præſente Epiſcopo. Hoc fuit ſignum regi ruinæ. Deinde rex ſtrenuiſſimus egreditur, acieſque cum ſumma ſecuritate bello diſponit: ipſe pedes omnem circa ſe multitudinẽ loricatorum, equis abductis, ſtrictiſſime collocauit. Conſules cum ſuis in duabus aciebus in equis pugnare inſtituit: ſed equeſtres acies illę admodum paruę comparuerunt. Paucos enim ſecum, fictos tamen conſules adduxerant. Acies autem regalis maxima erat vno tantum, ſcil. ipſius regis inſignita vexillo. tunc quia rex *Stephanus* feſtiua carebat voce, *Baldewino* magnæ nobilitatis viro, & militi fortiſſimo ſermo exhortatorius ad vniuerſum cœtum iniunctus eſt, qui loco ſtans excelſo omnium oculis in eum erectis, vbi attentionem eorum modeſta taciturnitate ſtimulauit, ſic exorſus eſt.

Omnes, qui aciebus diſpoſitis conſicturi ſunt, tria præuidiſſe oportet. Primum iuſtitiam cauſæ; deinde militum copiam: poſtremo aſtantium probitatem. Iuſtitiam cauſæ, ne periculum animæ incurratur; Copiam militum; ne hoſtium numeroſitate opprimatur; Probitatem aſtantium, ne numero confiſa, debilibus tamen innixa ſubruatur. In omnibus hiſce negotiis negotium, quo tenemur, expeditum videmus. Cauſa namque noſtræ iuſtitia eſt; quod regi ea, quæ coram Deo vouimus, ſeruantes, contra ſuos in eum periuros in periculo mortis aſtamus. Numerus vero nobis in equitibus non inferior, in peditibus confertior. Probitatem vero tot conſulum, tot procerum, militum quoq; bellis ſemper aſſuetorum quis vocibus exæquet? Virtus autem ipſius regis infinita vobis loco perſtabit millium. Cum igitur ſit in medio veſtrum Dominus veſter, vnctus Domini, cui fidem deuouiſtis, votum Deo perſoluite; tanto donatiuum maius à Deo accepturi, quanto fidelius & conſtantius pro rege veſtro fideles contra infideles, legitimi contra periuros pugnaueritis. Securi quin etiam & ſumma repleti confidentia, contra quos bellum geratis, perpendite. Roberti *ducis vires notæ ſunt. Ipſe quidem*

*dem de more multũ minatur, parum operatur, ore leoninus, corde leporinus, clarus eloquẽtia, obſcurus inertia. Conſul autem Ceſtrenſis vir audacia irrationabilis, promptus ad conſpirandum, inconſtans ad perficiendum, ad bellum impetuoſus, periculi improuidus, altiora ſe machinans, impoſſibilibus anhelans, aſſiduorum paucos adducens; aduenarum diſperſam multitudinem congregans, nihil habet, quo timeri debeat. Semper enim quicquid viriliter incœpit, effœminate reliquit. In omnibus quippe ſuis geſtis infortunate rem agens, vel in congreſſibus victus aufugit, vel ſi raro victor extitit, maiora victis detrimenta ſuſtinuit. Wallenſes autem, quos ſecum adduxit, ſoli deſpectui nobis ſunt, qui inermẽ bello præferunt temeritatẽ, & arte, & vſu belli carentes, quaſi pecora decurrunt in venabula. Alii vero tam proceres, quam milites transfugæ, & gyrouagi, vtinam numero plures adducerẽtur, qui quanto numero plures, tanto effectu deteriores. Vos igitur conſules, & viri conſulares meminiſſe decet veſtræ virtutis, & nobilitatis. Hodie probitates veſtras numeroſiſſimas in cacumen florentiſſimum extollite, & primum imitatores filiis veſtris ſplendorem ſempiternum relinquite. Aſsiduitas itaque victoriarum incentiuum ſit vobis confligendi: Aſsiduitas infortuniorum incentiuum ſiet illis fugiendi. Iam ſiquidem ni fallor eos adueniſſe pœnitet: iam de fuga meditantur, ſi locorum aſperitas admittat. Cum igitur nec illis confugere, nec confugere ſit poſſibile: quid aliud fecerunt, niſi quod vobis Dei nutu, & ſe, & impedimenta ſua * adduxerunt, equos itaque eorum, & arma, & ipſorum corpora di-* al. obtulerunt
tioni veſtræ ſubiecta conſpicitis. Extendite ergo animos veſtros, & dextras inexpugnabiles, viri bellicoſi, ad diripiendum cum ſummo tripudio, quod ipſe vobis * attulit Deus.* Sed iam antequam ora-* al. obtulit
tionis ſeriem terminaret, clamor adeſt hoſtiũ, & clangor lituorũ, equorũ fremitus, terræ ſonitus. Acies exhæredatorũ, quæ præibat, percuſſit aciem regalem (in qua Conſul *Alanus*, & ille de Mellent, & *Hugo* conſul de Eaſtangle, & *Simon* Comes, & ille de Warrenna inerant) tanto impetu, quod ſtatim quaſi in ictu oculi diſſipata eſt: & diuiſio eorum in tria deuenit: alii namq; eorum occiſi ſunt; alii capti, alii aufugerunt. Acies, cui principabatur conſul de Albemarle, & *Willielmus* Yprenſis percuſſit Wallenſes, qui à latere procedebãt, & in fugam coegit. ſed acies Conſulis Ceſtrenſis perculit cohortem prædicti conſulis, & diſſipata eſt in momento ſicut acies prior. fugerunt omnes equites regis, & *Willielmus* Yprenſis à Flandria oriundus, vir & conſularis, & magnæ probitatis. Rex itaq; *Stephanus*, cum acie ſua pedeſtri relictus eſt in medio hoſtium. Circuerũt igitur aciem regalẽ vndiq;, & totam in circuitu expugnabãt, ſicut caſtellũ ſolet aſſiliri. Tunc vero horrendã belli faciẽ videres, in omni circuitu regalis aciei ignẽ proſilientẽ ex galearũ, & gladiorum colliſione, ſtridorem horrendum, clamorem terrificum, reſonabãt colles, reſonabant vrbis muralia. Impetu igitur equorũ regalem turmam offendentes, quoſdam cædebant, alios ſternebãt, nonnullos abſtractos capiebant. Nulla iis quies, nulla reſpiratio datur, niſi in ea parte, qua rex fortiſſimus ſtabat. horrentibus inimicis incomparabilem ictuum eius immanitatem. Quod vbi Comes Ceſtrenſis comperiit regis inuidens gloriæ cum omni pondere * armo-* al. armatorum.
rum irruit in eum. Tunc apparuit vis regis fulminea bipenni maxima cædens hos, diruens illos. Tunc nouus oritur clamor, omnes in eum, & ipſe in omnes. Tandem regia bipennis ex ictuum frequentia confracta eſt. Ipſe mox gladio abſtracto dextra regis digno, rem mirabiliter agit, donec & gladius confractus eſt. Quod videns *Willielmus* de Kahamnes, miles validiſſimus irruit in regem, & eum galea arripiens voce magna clamauit, huc omnes, huc, regem teneo. Aduolant omnes, capitur rex, capitur & *Baldwinus*, qui orationem fecerat perſuaſoriam, multis confoſſus vulneribus, multis contritus ictibus, vbi egregie reſiſtendo gloriam promeruit ſempiternam. Capitur etiam *Richardus* filius *Vrſi*, qui in ictibus dandis, & recipiendis clarus, & glorioſus comparuit. Adhuc capto rege pugnabat acies regalis; nec enim circumuenti fugere poterant, donec omnes vel capti, vel cæſi ſunt. Ciuitas ergo hoſtili lege direpta eſt, & rex in eam miſerabiliter introductus eſt.

Dei ergo iudicio circa regem peracto, ducitur ad Imperatricem, & in turri de Briſtowe captiuus ponitur. Imperatrix ab omni gente Anglorum in Dominam ſuſcipitur, exceptis Kentenſibus, vbi regina, & *Willielmus* Yprenſis contra eam pro viribus repugnabant. Suſcepta prius eſt à Romano legato Wintonienſi Epiſcopo, & mox à Londonienſibus. Erecta eſt autem in ſuperbiam intollerabilem, quia ſuis incerta belli proſperaſſent, quod omniũ fere corda à ſe alienauit. Igitur ſiue ſubdolorum inſtinctu, ſiue Dei nutu expulſa eſt à Londonia. Irritata igitur muliebri angore regem vnctũ Domini in compedibus poni iuſſit. Poſt dies autem paucos cum auunculo rege, Scottorum, & fratre ſuo *Rodberto* viribus coactis veniens obſedit Wintonienſis Epiſcopi turrim. Epiſcopus autem miſit pro regina, & *Willielmo* Yprenſi, & pro vniuerſis fere proceribus Angliæ, factus eſt igitur exercitus vtrinque magnus. Dimicabant quotidie non congreſſibus acierum, ſed militarium anfractuũ circuitionibus. Non igitur ſic in belli cæcitate confundebantur geſta, ſed

patebat cuiuſq; probitas: & gloria promeritis aderat; vt mora illa probis omnibus voluptuoſa videretur in illuſtrium virorum ſplendoribus excelſis. Venit tandē exercitus Londonienſis, & aucti numeroſe, qui contra Imperatricem certabant, fugere eam compulerunt. Capti ſunt multi in fuga; captus eſt etiam *Robertus* frater Imperatricis, in cuius turri rex captiuus erat, cuius ſola captione rex liberari poterat; abſolutus eſt vterque. Sic igitur rex Dei iuſtitia miſerabiliter captus, Dei miſericordia miſericorditer liberatus eſt, & ab Anglorum proceribus magno ſuſceptus gaudio. Eodem anno *Albericus* de Vere occiſus eſt Londoniis ſeditione ciuium. Eodem anno obiit *Gaufridus* Dunelmenſis Epiſcopus, cui ſucceſſit in Epiſcopatu *Willielmus* de Sancta *Barbara* Eboracenſis Eccleſiæ Decanus, quem *Henricus* Epiſcopus Wintonienſis Romanæ Eccleſiæ legatus conſecrauit. Anno gratiæ 1142. qui erat annus ſeptimus regni regis *Stephani*, idem rex *Stephanus* conſtruxit caſtrum apud Wintoniam. Tunc ſuperueniens multitudo nimia hoſtium ex inſperato, cum regii milites congreſſionibus bellicis incepiſſent, & non potuiſſent reſiſtere: regem in fugam compulerunt. Capti ſunt autem ex ſuis plæriq;, captus eſt etiam *Willielmus Martel* dapifer regis, qui pro redemptione ſua dedit inſigne caſtellum de Sireburne. Eodem anno rex obſedit Imperatricem apud Oxenfordam. poſt feſtum Sancti *Michaelis*, vſque ad aduentum Domini, & parum ante natale fugit Imperatrix per Tamenſem glaciatam, circumamicta veſtibus albis; reuerberatione niuis, & ſimilitudine fallentibus oculos obſidentium, fugit ad caſtellum Wallingford, & ſic Oxenford regi tandem eſt reddita.

Anno gratiæ 1143. qui erat annus octauus regni regis *Stephani*, rex *Stephanus* interfuit concilio Londoniæ in media Quadrageſima. quod quia nullus honor vel clericis vel Eccleſiæ Dei a raptoribus deferebatur, & æque capiebantur, & redimebantur Clerici, vt Laici. tenuit inde Wintonienſis Epiſcopus vrbis Romanæ Legatus concilium apud Londonium Clericis pro tempore neceſſarium. in quo ſancitum eſt, ne aliquis, qui clerico violenter manus iniecerit, ab alio poſſit abſolui, quā ab ipſo Papa, & in præſentia ipſius, vnde clericis aliquantulum ſerenitatis vix tandem illuxit. Eodem anno cepit rex *Gaufridum* de Mandeuilla in curia ſua apud Sanctum *Albanum* magis ſecundum retributionem nequitiæ Conſulis, quam ſecundum ius gentium: magis ex neceſſitate, quam ex honeſtate. Niſi enim hoc egiſſet, perfidia conſulis illius, quem de barone conſulem fecerat, regno priuatus fuiſſet. Igitur vt rex eum liberaret, reddidit ei turrim Londoniæ, & caſtellum de Wallmden/ & illud de Plaſſeis. Poſſeſſionibus igitur carens Conſul prædictus inuaſit Abbatiam S. *Benedicti* de Rameſeia, & monachis expulſis raptores immiſit, & eccleſiam Dei ſpeluncam fecit latronum. Erat autem ſummæ probitatis, ſed ſummæ in Deum obſtinationis, magnæ in mundanis diligentiæ, magnæ in Deum negligentiæ. Ipſo anno ante Natale Wintonienſis epiſcopus, & poſtea Cantuarienſis Archiepiſcopus Romanum petierunt de legatione acturi, mortuo iam *Innocentio* Papa, cui ſucceſſit *Cæleſtinus*.

Anno gratiæ 1144. qui fuit annus 9. regni regis *Stephani*, rex *Stephanus* Lincolniam obſedit, vbi cum munitionem contra caſtellum, quod Ceſtrenſis conſul vi obtinebat, cōſtruxerat, operatores ſui ab hoſtibus præfocati ſunt fere octoginta, itaque re imperfecta rex confuſus abceſſit. Anno autem ipſo conſul *Gaufridus* de Mandefilla regem validiſſime vexauit, & in omnibus valde glorioſus effulſit. Menſe autem Auguſti miraculum iuſticia ſua dignum virtus diuina monſtrauit. Duos namque, qui monachis euulſis eccleſias Dei conuerterant in caſtella, ſimiliter peccantes ſimili pœna mulctauit. *Robertus* namque *Marmiun* vir bellicoſus hoc in eccleſia de Couentre peruerſus exegerat. Porro *Gaufridus*, vt diximus in eccleſia Rameſienſi ſcelus idem patrauerat. Inſurgens igitur *Robertus Marmiun* in hoſtes inter ingentes ſuorum cuneos coram ipſo monaſterio ſolus interfectus eſt, & excommunicatus morte perenni depaſcitur. Similiter *Gaufridus* prædictus conſul nouus, inter acies ſuorum confertas, à quodam pedite viliſſimo ſolus ſagitta percuſſus eſt. Et ipſe vulnus ridens, poſt aliquot dies tamen ex ipſo vulnere excommunicatus occubit. Ecce Dei laudabilis, & omnibus ſeculis prædicandæ eiuſdem ſceleris eadem vindicta: Dum autem eccleſia illa pro caſtello teneretur, ebulliuit ſanguis à parietibus eccleſiæ & clauſtri adiacentis, indignationem diuinam manifeſtans; ſceleratorum exterminationem denūcians. Quod multi quidem viderant, & ego ipſe quidem meis oculis inſpexi. Quia igitur improbi dicebant Deum dormire, excitatus eſt Deus, & in hoc ſigno, & in ſignificato. Eodem quippe anno, & *Arnulphus* filius *Gaufridi* Conſulis, qui poſt mortem patris eccleſiam incaſtellatam retinebat, captus eſt, & per hoc exulatus, & princeps militum ſuorum in hoſpitio ſuo ab equo corruens effuſo cerebro expirauit. Princeps autem peditum ſuorū *Reimerius* nomine, cuius officiū fuerat frangere eccleſias, vel incendere, dum mare cū vxore

ſua tranſ-

ſua tranſiret, vt multi perhibuerunt, nauis immobilis facta eſt. Quod monſtrum nautis ſtupentibus, ſorte data rei cauſam inquirentibus, ſors cecidit ſuper *Reimerum*. quod cum ille nimirum totis contradiceret viribus, ſecundo & tertio ſors iacta, in eum deuenit. Poſitus igitur in ſcapha eſt, & vxor eius, & pecunia ſceleratiſſime acquiſita, & ſtatim nauis curſu velociſſimo, vt prius fecerat, mare ſulcat. Scapha vero cum nequiſſimis ſubita voragine circumducta in æternum abſorpta eſt, eodem anno *Cæleſtino* Papa defuncto *Lucius* ſubſtituitur. Anno gratiæ 1145. qui fuit decimus annus regni regis *Stephani*, rex *Stephanus* prius in agendis circa diſceſſum *Hugonis Bigot* occupatus fuit. Sed in æſtate *Robertus* conſul, & omnis inimicorum regalium cœtus caſtellum conſtruxerant apud * Ferendũner, rex * inſignis viribus collectis aduolat, & Londonienſiũ terribilem, & numeroſum exercitum adduxit. Aſſiliens igitur totis diebus caſtrum (dum *Robertus* conſul, & fautores ſui copias maiores non procul ab exercitu regis expectarent,) laborioſiſſima probitate non ſine magna ſanguinis effuſione cepit. Tunc demum regi fortuna cœpit in melius permutari, & in ſublime protelari. Eodem anno *Lucius* Papa obiit, cui ſucceſſit *Eugenius* Papa. Eodem anno epiſcopus Lincolnienſis *Alexander* iterum Romam petens honorifice ſuſceptus eſt ab *Eugenio* Papa nouo, viro ſumma dignitate condigno. Cuius mens ſemper benigna, cuius diſcretio ſemper æqua, cuius facies ſemper non ſolum hilaris, ſed etiam & iocunda. Rediens autem ſecundo anno eccleſiam Lincolnienſem, quæ ex cõbuſtione deturbata fuerat, miro artificio ſic reformauit, vt pulchrior appareret, quam cum primum noua facta fuerat. Anno gratiæ 1146. qui erat annus 11. regni regis *Stephani*, Rex *Stephanus* magnum congregans exercitum caſtellum conſtruxit inexpugnabile, ſitum contra Wallingford, vbi *Rainnulfus* Comes Ceſtrenſis iam regi concordia coniunctus, cum magnis interfuit copiis. Dehinc verò conſul ipſe ad regis curiam cum pacifice veniſſet, apud Northamtunam nihil tale metuentem rex cepit, & in carcerẽ intruſit, donec redderet ei clariſſimum Lincolniæ caſtellum, quod ab eo doloſe ceperat, & cætera quæcunque fuerant ditionis ſuæ caſtella. Sic igitur conſul eiectus carcere, in liberum reſtitutus eſt arbitrium. Eodem anno nobilis ciuitas Ediſſæ Syriæ, quæ nunc Roaiſe vocatur, in nocte Natiuit. Dom. proditione capitur à Saracenis, dũ epiſc. & conſul de S. *Aegidio Raimũdus*, & innumerabiles exercit⁹ de vniuerſo regno, & populus vacarẽt diuino officio, & ipſi à Pagnis detrũcati ſunt. In hac ciuitate beatus *Thomas* Apoſtol⁹ olim ab India trãſlatus dicitur requieſcere. Anno gratiæ 1147. qui erat annus 12. regni regis *Stephani*, idem rex *Stephanus* ad Natale Dom. in vrbe Lincolniẽſi diademate regali inſignitus eſt, quo regũ nullus introire, (prohibentibus quibuſdã ſuperſtitioſis) auſus fuerat. Poſt diſceſſum vero regis venit conſul Ceſtrẽſis Lincolniã cum militaribus copiis, vt aſſiliret eã. Dux igitur eius vir fortis, & inuictiſſim⁹ in introitu portæ Borealis occiſus eſt, & ipſe conſul pluribus amiſſis fugere compulſus eſt. Ciues igitur Lincolniẽſes victorioſi ſummo gaudio repleti virgini virginum protectrici eorum laudes, & gratias inſigniter exſoluerunt. Ad Pentecoſtẽ rex Frãciæ *Lodouicus*, & conſul Flandrenſis *Theodoricus*, & cõſul de S. *Aegidio*, & innumerabiles exercitus de numeroſo regno Francorũ, & multi de gente Anglorũ crucibus aſſumptis iter Ieroſolymitanũ arripuerũt, vt Paganos, qui ceperant vrbẽ Rohais, expugnarẽt. Imperator vero Alemanniæ *Coradus* maiorẽ ſatis exercitũ duxit, trãſiitq; vterq; exercitus per imperatorẽ Conſtãtinopolis, qui eos poſtea prodidit. Menſe Auguſto profectus eſt *Alexãder* epiſc. Lincolniẽſis Altiſiodorũ ad *Eugeniũ* Papam, qui prius Pariſiis, tunc ibi morabatur. Ipſe quidẽ à Papa honorifice ſuſceptus eſt: ſed ex intẽpeſtiua caloris nimietate ſeminariũ languoris, & mortis attulit in Angliam, & anno ſequẽti defunctus eſt, & ſucceſſorẽ habuit *Robertũ* de Chednei. Anno gratiæ 1148, qui erat 13. annus regni regis *Stephani*, exercitus imperatoris Alemãniæ, & regis Francorũ, qui ſummis ducibus illuſtrati cum ſumma incedebãt ſuperbia, ad nihilũ deuenerunt, quia Deus ſpreuit eos. Aſcendit enim in conſpectu Dei incontinentia eorum, quam exercebant in fornicationibus, & in adulteris manifeſtis; quod Deo multum diſplicuit; poſtremo in rapinis, & in omni genere ſcelerum. Prius itaq; fame conſternati proditione imperatoris Conſtantinopolitani, poſtea ferro hoſtili defecerunt. Rex autem Franciæ, & imperator Alemanniæ cum pauciſſimis prius Antiochiam, poſtea Ieroſolymam ignominioſe confugerunt. Tunc vero rex Franciæ, quaſi aliquid acturus ad detrimentum famæ refocillandum, auxilio militum, templi, quod eſt in Ieruſalem, & viribus vndique congeſtis obſedit Damaſcũ, ſed nihil proficiens rediit in Galliam. Interea quidam exercitus naualis virorũ non potentũ, nec alicui magno duci innixi, niſi Deo omnipotenti, quia humiliter profecti ſunt, gratiam Dei meruerunt, & magnam probitatem oſtenderunt. Ciuitatẽ namq; in Hiſpania famoſam, quæ vocatur Vlixisbona, & aliam, quæ vocatur Almade, & regiones adiacentes à multis pauci, Deo cooperante, bellantes obtinuerant. Verè

al. Ferendune

al. non ſegnis

Deus

Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Exercitus enim Francorum regis, & imperatoris, ſplendidior, & maior fuerat, quam ille prior, qui Ieroſolymam conquiſierat; & à pauciſſimis cōtriti ſunt, & quaſi telæ aranearum diſterminati ſunt, & demoliti. His autem pauperibus (de quibus prædixi) nulla multitudo reſiſtere poterat, ſed quanto eis plures inſurgebant, debiliores efficiebantur. pars autem eorum maxima venerat ex Anglia. Interim *Gaufredus* conſul Andegauenſis maritus ſupradictæ imperatricis, filiæ regis *Henrici* intrauit Normanniam cum magno exercitu, & debellauit eam; & obtinuit in ea multa caſtella, & ciuitates munitas. Proceres enim Normanniæ memores ſacramenti, quod fecerant prædictæ imperatrici, & hæredibus ſuis de Normannia, ex facili ſe conuertebant ad ſeruitia eorum. *Euſtachius* namq; filius regis *Stephani*, qui dux erat Normãniæ, & *Conſtantiã* ſororem *Lodouei* regis Franciæ in vxorem duxerat, iam obierat & rex Franciæ dederat *Cōſtantiam* ſororem ſuam *Raimundo* Comiti de S. *Aegidio* in vxorē, & iam tanta dehinc guerra accreuerat regi *Stephano* in Anglia, quod non potuit intendere ad defenſionem Normanniæ. *Henricus* autem filius *Matildis* imperatricis iam 16. annorum iuuenis nutritus in curia *David* regis Scottorum aui matris ſuæ, factus eſt miles ab eodem rege *David* in ciuitate Carleoli/ prius dato ſacramento, quod ſi ipſe rex Angliæ fieret, redderet ei Nouum caſtellum, & totam Northimbriam; & permitteret illum & hæredes ſuos in pace ſine calumnia in perpetuum poſſidere totam terram, quæ eſt à fluuio Twede ad fluuium Tine. Deinde idem *Henricus* per auxilium, & cōſilium *David* regis Scottorum transfretauit in Normanniam, & receptus a proceribus Normanniæ factus eſt inde dux. An. gratiæ 1149. qui eſt 13. an. regni regis *Steph. Henricus* dux Normannorum venit in Angliam cum magno exercitu, & reddita ſunt ei caſtella multa, & munitiones quam plures, & fecit monetam nouam, quã vocabãt monetã ducis; & non tantũ ipſe ſed omnes potẽtes, tam epiſcopi, quam Comites & Barones, ſuã faciebant monetã. ſed ex quo dux ille venit, plurimorũ monetam caſſauit. Eodẽ anno *Lodoueus* rex Francorũ, & vxor eius *Alienor* à Ieroſolymis redierunt in Galliã. Anno gratiæ 1150. qui eſt annus 15. regni regis *Stephani* facta eſt abbatia de Holcoltram/ & abbatia de Kinros in Mureuia; eodẽ anno ordo Præmonſtracenſis venit ad Driburc ad feſtũ *S. Martini*. Anno gratiæ 1151. qui eſt annus 16. regni regis *Stephani*, Papa *Eugenius* 4. pallia per legatũ ſuum *Ioannẽ Papirũ* in Hyberniã tranſmiſit, quo nunquã anteã pallium delatũ fuerat, & in 4. locis, 4. cōſtituit archiepiſcopos: vnũ apud Armarc; alterũ apud Caſſel; tertiũ apud Diueline; quartũ apud Connath. eodẽ anno *Gaufridus* Comes Andegauenſis obiit, & *Henricus* filius eius ſucceſſit ei in Comitatu. Anno gratiæ 1152. qui eſt 17. annus regni regis *Stephani*, hoc anno & duobus præcedentibus rex *Stephanus*, & *Henricus* dux Normãniæ ſæpe, & multũ cōgreſſi ſunt, & ab inuicẽ non ſunt ſeparati, niſi cũ magno rerũ, & hominum detrimento, ſed dux Normanniæ ſemper victoriam obtinuit. Nam vires eius creſcebant in maius, & in melius de die in diem, regis autẽ potentia magis ac magis decreſcebat. Principes namq; regni memores ſacramẽti, quod fecerant imperatrici, & hæredibus ſuis fere omnes adhæſerunt prædicto imperatrici, & filio ſuo duci Normanniæ. Eodem anno *Henricus* Comes Northanhimbrorũ, filius *David* regis Scottorum, & *Matildis* filia eius obierunt. Anno gratiæ 1153. qui eſt annus 18. regni regis *Stephani*, pax Angliæ reddita eſt, pacificatis ad inuicem rege *Stephano*, & *Henrico* duce Normanniæ, quẽ rex *Stephanus* adoptauit ſibi in filium, & conſtituit hæredem, & ſucceſſorẽ regni, mediantib' venerabilibus viris, *Theobaldo* Cantuarienſi Archiepiſcopo, & *Henrico* Wintonienſi Epiſcopo. Rex vero conſtituit ducem iuſticiariũ Angliæ ſub ipſo, & omnia regni negotia per eum terminabantur; & ab illo tempore rex & dux vnanimes extiterunt in regimine regni, ita quod de cætero inter illos nulla oriebatur diſcordia. Eodẽ anno obiit *David* rex Scottorũ nono Kal. Iunii, & *Malcolmus* nepos eius, filius Comitis *Henrici* puer 12. annorũ ſucceſſit ei in regnum. Eodem anno obiit Papa *Eugenius*, cui ſucceſſit *Anaſtaſius* in Papatu. Eodem anno obiit *Bernardus* abbas de clara valle; eodem anno obiit *Willielmus* Dunelmenſis Epiſcopus, cui ſucceſſit *Hugo* de Puteaco Theſaurarius Eboracenſis eccleſiæ, prædicti regis *Stephani* nepos, & conſecratus eſt ab *Anaſtaſio* Papa Romę Dominica ante natale Domini: Eodem anno obiit *Henricus* Eboracenſis Archiepiſcopus, quo defuncto *Willielmus* Archiepiſcopus, quẽ Papa *Eugenius* ſuſpenderat, Romã profectus eſt, & inuenit gratiã apud *Anaſtaſium* Papam, & redditus eſt ei Archiepiſcopatus Eboracenſis. Anno gratię 1154. qui eſt annus 19. regni regis & vltimus *Stephani*, obiit *Euſtachius* filius regis *Stephani*. Eodem anno *Willielmus* Eboracenſis Archiepiſcopus in ſedam ſuam honorifice eſt ſuſceptus; ſed non multo poſt proditione clericorum ſuorum poſt perceptionem Euchariſtiæ infra ablutiones liquore lethali infectus extinctus eſt, quem *Hugo* Dunelmenſis Epiſcopus ſepelijt honorifice in Eccleſia Sancti *Petri* Eboraci, cui ſucceſſit dono regis *Stephani* in Archie-

chie-

chiepiſcopatu *Rogerus* Cantuarienſis archidiaconus. Eodem anno rex *Stephanus* multa obſedit caſtella, & obtinuit, & multa ex illis proſtrauit, inter quæ fuit fere vltimum caſtellum de Drax, & paulo poſt obiit rex *Stephanus*, & ſepultus eſt in Abbatia de Feuerrcham. Cui *Henricus* dux Normannorum filius *Matildis* imperatricis ſucceſſit in regnum, coronatus, & in regem conſecratus à *Theobaldo* Cantuarienſi Archiepiſcopo Lundoniis, Dominica ante natale Domini. Eodem anno *Theobaldus* Cantuarienſis Archiepiſcopus dedit *Thomæ Becket* clerico ſuo Archidiaconatum Cantuariæ. Eodem anno *Lodouicus* rex Francorum fecit diuortium fieri inter ipſum, & vxorem ſuam *Alienor*, filiam ducis Aquitaniæ iurantibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Comitibus, & Baronibus illam demeruiſſe vxorem ſuam eſſe. *Henricus* autem rex Angliæ duxit prædictam *Alienor* in vxorem, de qua genuit filios & filias. Rex vero Franciæ non habens ex *Alienor* vxore ſua prolem virilis ſexus, niſi tãtummodo duas filias, quarum vnam dedit *Henrico* Comiti de Campania in vxorem & alteram *Theobaldo* Comiti Bleſenſi, fratri prædicti Comitis *Henrici*. Deinde *Lodouicus* rex Francorum duxit ſibi in vxorem filiam regis Hiſpaniæ, de qua duas tantummodo genuit filias.

ROGERI DE HOVEDEN ANNALIVM PARS POSTERIOR.

HENRICVS SECVNDVS.

ANNO gratiæ 1155. qui erat primus annus regni regis *Henrici* filii *Matildis* imperatricis; idem *Henricus* caſtella inimicorum ſuorum in Anglia obſedit, & cepit; & quædam illorum in manu ſua retinuit; quędam autem proſtrauit. Deinde transfretauit in Normanniam, & homagium fecit *Lodouico* regi Francorum de Normannia, & Aquitania, & Andegauia, & Cenomannia, & Turonica, & de omnibus earum pertinentiis. Eodem anno obiit Papa *Anaſtaſius*, cui ſucceſſit *Adrianus*. Anno gratiæ 1156. qui erat annus ſecundus *Henrici* filii *Matildis* imperatricis, idem *Henricus* rediit de Normannia in Angliam: & omnia fere caſtella, quæ facta fuerant in Anglia tempore regis *Stephani*, demoliri fecit, & nouã fecit monetam, quæ ſola recepta erat, & accepta in regno; & ipſe pacem ſtabiliuit in regno, & leges *Henrici* regis aui ſui pręcepit per totum regnum ſuum inuiolabiliter teneri, & in multis acquieuit conſilio *Theobaldi* Cantuarienſis Archiepiſcopi. Eodem anno conuentus Sanctimonialium ſecundo venit ad Eccles. Anno gratiæ 1157. qui erat annus 3. regni regis *Henrici* filii *Matildis* imperatricis, idẽ rex *Henricus* prece & conſilio *Theobaldi* Cantuarienſis Archiepiſcopi dedit Cancellariam ſuam *Thomæ* Cantuarienſi Archidiacono, & multos redditus tam eccleſiaſticos quam ſeculares ei contulit, & eum in tantam dilectionem, & familiaritatem recepit, quod nullus par ei erat in regno, excepto ſolo rege. Eodem anno *Malcolmus* rex Scottorum venit ad regem Angliæ apud Ceſtre / & homo ſuus deuenit, eo modo quo auus ſuus fuerat homo veteris regis *Henrici*, ſaluis omnibus dignitatibus ſuis. Anno gratiæ 1158. qui erat annus 4. regni regis *Henrici* filii *Matildis* imperatricis, idem rex *Henricus* ſecundo fecit ſe coronari apud Lincolniam extra muros ciuitatis in Wikeford. Eodem anno iterum firmatum eſt caſtellum de Were, præcepto regis. Et ipſe rex, & *Malcolmus* rex Scottorum conuenerunt apud Carlel, ſed non bene ad inuicẽ * placiti receſſerunt. ideoque rex Scot- *al. placati*
torum nondum factus eſt miles. Anno gratiæ 1159. qui erat annus 5. regni regis *Henrci* filii *Matildis* imperatricis, idem rex *Henricus* tertio fecit ſe, & *Alienor* vxorem ſuam coronari, in ſolennitate Paſchali apud Wirceceſtre: vbi cum ad oblationẽ venirent, depoſuerunt coronas ſuas, & eas ſuper altare obtulerunt; vouentes Deo, quod nunquam in vita ſua de cætero coronarentur. Eodẽ anno obiit *Waldeuus* abbas de Melros, 4. Nonas Augusti, qui fuit auunculus regis *Malcolmi*. Eodẽ anno *Adrianus* papa obiit, cui ſucceſſit *Alexander* Papa 3. canonice electus, & conſecratus. Sed *Fredericus* Romanorum imperator, nolens eum recipere, erexit ſibi idolum, *Octouianum* ſcz. Antipapã; quem in execrabili concilio, & conuenticulo ſanguinum aduerſus Papam *Alexandrũ* facto, cum gente ſua ſtatuit adorandũ, & ſchiſma factum eſt in eccleſia decem & 8. annis perdurans. Eodẽ anno *Henricus* rex Angliæ, magno congregato exercitu, obſedit Toloſam, & quamuis ibi diu ſediſſet, & theſauros ſuos in variis expenſis exinaniſſet, tamen nihil ibi proficiens imperfecto negotio inde receſſit. In eodẽ vero exercitu obierũt *Willielmus* Comes Boloniæ, filius regis *Stephani*, & *Hamo* filius Comitis Glouceſtriæ, & multi alii. Rediẽs ab hoc exercitu *Malcolmus* rex Scot-

torum factus eſt miles Turonis a rege Anglorum *Henrico*. Anno gratiæ 1160. qui erat annus 6. regni regis *Henrici* filii Matildis imperatricis, *Malcolmus* rex Scottorum rediit in terram ſuam de exercitu Toloſæ. Cumque veniſſet in villam, quæ dicitur Pert, *Feretach* Comes,& 5. alii Comites, irati contra regem, quia ipſe Toloſam perrexerat, obſederunt villam de Pert, & regem capere voluerunt, ſed non poterant. *Malcolmus* rex tribus vicibus cum magno exercitu perrexit in Galweiam,& tandem ſubiugauit eam ſibi. Eodem anno rex *Malcolmus* dedit ſororem ſuam *Margaretam Conano* duci Britanniæ in vxorem. Anno gratiæ 1161. qui erat annus 7. regni regis *Henrici* filii *Matildis* imperatricis, idē rex,& *Lodoueus* rex Francorū diſſenſerunt, propter quaſdam terrarū ſuarum diuiſas, & propter caſtella de Giſortio,& de Neafle, quæ tunc temporis erant in manu *Lodouei* regis Francorum quæ idem rex *Henricus* calumniatus eſt ſuo debere adiacere ducatui Normanniæ. ſed mox pacificati ſunt in hunc modum: quod rex Franciæ traderet duas filias ſuas, quas habebat de vxore ſua filia, regis Hiſpaniæ (quarum vna vocabatur *Margareta*, & altera *Aleſea*) ad opus duorum filiorum regis *Henrici*, ſcilicet *Henrico* & *Richardo*, adhuc puerulis minimis: & traderet prædicta caſtella de Giſortio, & de Neaffle in manu Templariorum cuſtodienda, donec prædictæ filię deſponſarentur præfatis filiis regis *Henrici*;& quandocunq; conſtaret eis, ſcilicet, *Roberto* de Pirou, & *Toſtes* de ſancto Homero, quod *Margareta* filia regis Franciæ deſponſata fuiſſet *Henrico* filio regis Angliæ, traderent *Henrico* regi vtrumq; caſtellum. His itaque ex vtraque parte geſtis, & fidei ſacramento confirmatis, rex Francorum tradidit vtramq; filiam ſuam regi Angliæ, & prædicta caſtella Templariis in cuſtodia. Et paulo poſt *Henricus* rex Angliæ fecit *Henricum* filium ſuum deſponſare *Margaretam* filiam regis Franciæ, cum adhuc eſſent puerüli in cunis vagientes; videntibus & conſentientibus *Roberto* de Pirou,& *Toſtes* de ſancto Homero,& *Richardo* de Haſtings Templariis, qui cuſtodiebant præfata caſtella; & ſtatim tradiderunt illa caſtella regi Angliæ. Vnde rex Franciæ plurimum iratus fugauit illos tres Templarios de regno Francię, quos rex Anglię benigne ſuſcipiens multis ditauit honoribus. Eodem anno obiit *Theobaldus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, Romanæ eccleſiæ legatus. Anno ab incarnatione Domini 1162. qui erat annus 8. regni *Henrici* regis filii *Matildis* imperatricis, idem rex *Henricus* dedit *Thomæ* Cancellario ſuo Archiepiſcopatum Cantuariæ. Eodem anno *Alexander* Papa venit in Galliam expulſus à ſede ſua per *Fredericum* Romanorum imperatorem. Quem *Alexandrum Lodoueus* rex Francorum,& *Henricus* rex Anglorum honorifice ſuſceperunt,& pro Papa Catholico habuerunt. Eodem anno *Malcolmus* rex Scottorum dedit ſororem ſuam *Ada* Comiti de Hotland in vxorem. Anno gratiæ 1163. qui erat annus 9. regni regis *Henrici* filii *Matildis* imperatricis idem rex Angliæ rediit de Normannia in Angliam; & rex *Malcolmus* conualuit apud Doncaſtre de magna infirmitate, & pax firma facta eſt inter illum, & regem Angliæ. Eodem anno generale concilium tenuit Turonis *Alexander* Papa: in quo excommunicauit *Octauianum* antipapam. Eodem anno grauis diſcordia orta eſt inter regem Angliæ,& *Thomam* Cantuarienſem Archiepiſcopum, de Eccleſiaſticis dignitatibus, quas idem rex Anglorum turbare,& minuere conabatur; & Archiepiſcopus ille leges, & dignitates eccleſiaſticas modis omnibus illibatas conſeruare nitebatur. Rex enim volebat presbyteros, diaconos, ſubdiaconus,& alios eccleſiæ rectores, ſi comprehenſi fuiſſent in latrocinio, vel murdra, vel felonia, vel iniqua combuſtione, vel in his ſimilibus, ducere ad ſecularia examina,& punire, ſicut & laicum. Contra quod Archiepiſcopus dicebat, quod ſi clericus in ſacris ordinibus conſtitutus, vel quilibet alius rector eccleſiæ, calumniatus fuerit de aliqua re, per viros eccleſiaſticos,& in curia eccleſiaſtica debet iudicari: & ſi cōuictus fuerit, ordines ſuos amittere,& ſic alienatus ab officio, & beneficio eccleſiaſtico, ſi poſtea foriſfecerit, ſecundum voluntatem regis,& bailiuorum ſuorum iudicetur.

Anno gratiæ 1164. qui erat annus 10. regni regis *Henrici*, filii *Matildis* imperatricis idem *Henricus* dedit *Henrico* duci Saxoniæ *Matildem* filiam ſuam in vxorem. Eodē anno rex magno congregato concilio, & omnibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis Angliæ in vnum coram illo congregatis, petiit ab eis, vt ipſi pro amore & ſeruitio ſuo, & pro ſtabilitate regni, reciperent leges *Henrici* aui ſui,& eas fideliter cuſtodirent. Cui *Thomas* Cantuarienſis Archiepiſcopus, pro ſe & pro aliis, reſpondit: quod ipſi leges illas, quas rex auitas vocabat, reciperent,& bona fide ſeruarent: ſaluo in omnibus ordine ſuo,& honore Dei, & ſanctæ Eccleſiæ: ſed conuentio illa plurimū diſplicuit regi, & nitebatur modis omnibus efficere, vt Epiſcopi promitterent ei, ſe leges illas ſeruaturos ſine aliqua exceptione; ſed Cantuarienſis Archiepiſcopus hoc nullo modo concedere voluit. Deinde poſt multū tempus *Ernulfus* Lexouienſis epiſcopꝰ venit in Angliā,& ſollicite laborauit die ac nocte, vt pax fieret inter regem, & Archiepiſcopum, ſed ad plenum fieri non potuit. Deinde per conſilium

Lexouien-

Lexouienſis Epiſcopi rex ſeparauit *Rogerum* Archiepiſcopum Eboracenſem, & *Robertum* de Melun Epiſcopum Herefordenſem, & *Robertum* Lincolnienſem Epiſcopum, & alios quoſdam Eccleſiæ prælatos à conſortio & conſilio Cantuarienſis Archiepiſcopi, vt per illos præfatum Cantuarienſem Archiepiſcopum in ſuos conatus facilius alliceret. Deinde venit in Angliam quidam vir religioſus dictus *Philippus* de eleemoſyna, miſſus à latere *Alexandri* ſummi pontificis, & Cardinalium omnium ad pacem faciendam inter regem, & Archiepiſcopum Cantuarienſem: per quem ſummus pontifex, & omnes Cardinales mãdauerunt Cantuarienſi Archiepiſcopo, vt ipſe pacem cum domino ſuo rege Angliæ faceret, & leges ſuas ſine aliqua exceptione cuſtodiendas promitteret. His igitur, & aliis magnorum virorum conſiliis acquieſcens *Thomas* Cantuarienſis Archiepiſcopus venit ad regem apud Wodeſtoke, & ibi promiſit regi, & conceſſit ſe bona fide, & ſine malo ingenio leges ſuas ſeruaturum. Et paulo poſt congregato Clero, & populo regni apud Clarendun pœnituit Archiepiſcopum, quod ipſe conceſſionẽ illã fecerat regi. Et volẽs reſilire à pacto dixit ſe in illa conceſſione grauiter pecaſſe, & q; in hoc amplius nõ peccaret. Vnde rex plurimum in ira aduerſus eum commotus, minatus eſt ei, & ſuis * exitium & mortem. *al. exiliũ* Venerunt ergo ad Archiepiſcopum Salesbirienſis, & Norwicenſis Epiſcopi, & *Robertus* Leiceſtriæ, & *Reginaldus* Cornubiæ Comites; & duo Templarii, ſcilicet *Richardus* de Haſtings, & *Toſtes* de ſancto Homero: & lachrymantes prouoluti ad pedes Archiepiſcopi petebant, vt ſaltem propter honorem regis veniret ad eum, & coram populo diceret, ſe leges ſuas recepiſſe. Precibus igitur tantorum virorum Archiepiſc. victus venit ad regem, & coram clero, & populo dixit, ſe leges illas, quas rex auitas vocabat, ſuſcepiſſe. Et conceſſit, vt Epiſcopi leges illas ſuſciperent, & vt illas cuſtodire promitterent. Tunc præcepit rex vniuerſis Comitibus, & Baronibus regni, vt irent foras, & recordarentur legum *Henrici* regis aui ſui, & eas in ſcripto redigerent. Quod cum factum fuiſſet, præcepit rex Archiepiſcopis & Epiſcopis, vt ſigilla ſua apponerent ſcripto illi, & cum cęteri proni eſſent ad id faciendum, Archiepiſcopus Cantuarienſis iurauit, quod nũquam ſcripto illi ſigillum ſuum apponeret, nec leges illas confirmaret. Cumq; vidiſſet rex, quod tali modo nõ poſſet procedere, fecit leges illas in chirographo poni, & medietatem illius tradidit Cantuarienſi Archiepiſcopo, quam ipſe contra prohibitionẽ totius cleri recepit de manu regis, & conuerſus ad clerum dixit. Suſtinete fratres, per hoc ſcriptum ſcire poterimus malitiam regis, & a quibus debeamus cauere nos; & ſic receſſit Archiep. à curia: ſed in nullo gratiam regis aſſequi potuit. Et quia ipſe hoc inconſulte fecerat, ipſe ſeipſum ſuſpendit à celebratione diuini officii ab illa hora, vſque dum ipſe, vel nuncius eius locutus fuiſſet cum domino papa. Deinde venit in Angliam *Rotrodus* Rothomagenſis Archiepiſcopus ex parte domini Papæ, ad pacem faciendam inter regem, & Archiepiſcopum Cantuarienſem. Quod rex nullo modo concedere voluit, niſi dominus Papa bulla ſua leges illas confirmaſſet. Quod cum nulla ratione fieri poſſet, miſit rex *Iohannem* Oxenefordenſem, & *Gaufridum Ridel* clericos ſuos ad *Alexandrum* Papam, petens ab eo legationem totius Angliæ committi *Rogero* Eboracenſi Archiepiſcopo, vt ſic per eum poſſet Cantuarienſem Archiepiſcopum confundere. Sed dominus Papa petitionem regis in hac parte audire noluit. tamen ad petitionem clericorum regis, conceſſit dominus Papa, vt rex ipſe legatus eſſet totius Angliæ: ita tamen, quod ipſe nullum grauamen facere poſſet Cantuarienſi Archiepiſcopo. Quod cum rex vidiſſet, per indignationem remiſit domino Papæ literas legationis ſuæ, quas *Iohannes* Oxenefordenſis, & *Gaufridus Ridel* attulerant. Eodem anno, in vigilia ſanctæ *Agathæ* virginis, & martyris, factus eſt terræmotus magnus in inſula Siciliæ: adeo quod Catenenſium ciuitatem funditus ſubuerteret, & Epiſcopum & clerum, & omnes illius ciuitatis habitatores occidit; viros ſiquidem belligeros numero triginta tria millia, exceptis mulieribus, & paruulis, qui numerari non poterant. Eodem die poſt ſubuerſionem ciuitatis, mare Catenẽſium retraxit ſe per triginta paſſuum ſtadia, relicta in arena diuerſorum piſcium copia, ad quam comprehendẽdam ſuburbani ciuitatis ſubuerſæ concurrerunt, & dum intenderent capturæ piſcium, refluxit mare, & inuoluit eos, & traxit eos in profundum. Eodem anno *Willielmus* frater *Henrici* regis Angliæ obiit. Eodem anno *Octauianus* Antipapa obiit: cui ſucceſſit *Wido* Cremenſis Antipapa. Eodem anno facta eſt Abbatia de Cupre à rege *Malcolmo*. Eodem anno *Sumerledus*, regulus de Arregaidele ſurrexit contra naturalem dominum ſuum regem *Malcolmum*: & cum exercitu magno Hybernienſium applicuit apud Remfrin, & ibidem à paucis comprouincialibus interfectus eſt. Eodem anno obiit *Herebertus* Glaſcuenſis Epiſcopus: cui ſucceſſit *Ingelrannus* regis Cancellarius, & conſecratus eſt ab *Alexandro* Papa apud Senonem ciuitatem; licet nuncii *Rogeri* Eboracenſis Archiepiſcopi plurimum reſiſterent.

Anno gratiæ 1165. qui erat annus vndecimus regni *Henrici* regis, filii *Matildis* imperatricis, idem rex *Henricus* magnum congregauit concilium apud Northantun; vbi rex tædium magnum fecit *Thomæ* Cantuarienſi Archiepiſcopo. Inprimis enim fecit rex equos ſuos hoſpitari in hoſpitiis illius; ſed Archiepiſcopus mandauit regi, quod ipſe ad curiam non veniret, donec hoſpitia ſua vacuarentur ab equis, & hominibus ſuis. In craſtino colloquii venit *Thomas* Archiepiſcopus ad curiam regis in capella eius, & ſtatim petiit ab eo licentiam transfretandi ad *Alexandrum* Papam, qui ea tempeſtate moram faciebat in Francia, & habere non potuit. Dixit enim ei rex, tu prius reſpõdebis mihi de iniuria, quam feciſti *Iohanni* Mareſcallo meo in curia tua. Cõqueſtus enim erat regi idem *Iohannes*, quod cum calumniatus eſſet in curia Archiepiſcopi terram quandam de illo tenendam iure hæreditario, & diu inde placitaſſet, nullam inde potuit aſſequi iuſticiam, & quod ipſe curiam Archiepiſcopi ſacramẽto falſificauerat ſecundum conſuetudinem regni, cui Archiepiſcopus reſpondit: nulla iuſtitia defuit *Iohanni* in curia mea, ſed ipſe (neſcio cuius conſilio, an propriæ voluntatis motu) attulit in curia mea quendam toper & iurauit ſuper illum, quod ipſe pro defectu iuſticiæ a curia mea receſſit; & videbatur iuſticiariis curiæ meæ, quod ipſe iniuriam mihi fecit, quia ſic à curia mea receſſit; cum ſtatutũ ſit in regno veſtro: *Quod qui curiam alterius falſificare voluerit, oportet eum iurare ſuper ſacroſancta euangelia.* Rex quidem non reſpiciens ad verba hæc, iurauit, quod ipſe haberet de eo iuſticiam, & iudicium. Et Barones curiæ regis iudicauerũt eum eſſe in miſericordia regis, & quamuis Archiepiſcopus niteretur iudicium illud falſificare: tamen prece, & conſilio Baronũ poſuit ſe in miſericordia regis de quingentis libris, & inuenit ei inde fideiuſſores. Et ſic à curia recedens ad hoſpitium ſuum iuit, & propter * tædium, & dolorem, quem in animo conceperat decidit in lectum, & in grauem ægritudinem. quod cum regi conſtaret, vt eum magis affligeret, ſtatim miſit ad eum, & ſummonuit eum per bonos ſummonitores, quod in craſtino veniſſet, paratus reddere illi rationem villicationis ſuæ, quam habuit in regno ſuo ante conſecrationẽ ſuam. Archiepiſcopus autem ſciens, quod graue ei immineret exterminiũ, ſi in curia venire properaſſet, modis omnibus dilationem quæſiuit: tum quia tempus ſummonitionis breuiſſimum erat, tum quia ipſe grauiter infirmabatur. Cumq; rex vidiſſet, quod archiepiſcopus non veniret ad diem illum, miſit ad eum *Robertum* Comitem Leiceſtrię, & *Reginaldum* Comitem Cornubiæ ad videndum ęgritudinem illius. Qui cum veniſſent, inuenerunt illum in lecto iacentem infirmum, & ad petitionem illius dederũt ei reſpectum veniendi ad curiam vſque mane. Eodem die dictum erat ei, & nunciatum à familiaribus regis, quod ſi ipſe ad curiã regis veniſſet, vel in carcerem mitteretur, vel interficeretur. Super his igitur Archipræſul habito cum ſuis familiarib. conſilio, per conſilium cuiuſdam ſapientis, in craſtino antequam ipſe ad curiam pergeret, cum ſumma deuotione celebrauit Miſſam de S. *Stephano* protomartyre, cuius officium tale eſt. *Etenim ſederunt principes & aduerſum me loquebantur, &c.* & cauſam ſuam ſummo iudici, qui Deus eſt, commendauit. Tamen pro celebratione Miſſæ illius grauiter accuſatus fuit poſtmodum à *Gileberto* Lundonienſi epiſcopo, qui pro rege loquebatur. Imponebat enim illi Lundonienſis epiſc. quod Miſſam illam celebrauerat per artem magicam, & in contemptu regis. Itaq; poſt celebrationem Miſſæ Archiepiſcopus impoſuit collo ſuo ſtolam, deinde induit cappam nigram canonicalem, & profectus eſt ſtatim ad curiam regis. Et ſtatim factus eſt vndiq; magnus concurſus populi, vt viderent finem. Ipſe autem crucem ſuam portabat in manu ſua dextra, cum ſiniſtra vero tenebat lorum equi, in quo ſedebat, & cum veniſſet ad aulam regis deſcendit & ipſe crucem ſuam baiulans, intrauit domum regis. Deinde intrauit exteriorem cameram ſolus portans crucem ſuam. Nullus enim ſuorum ſequebatur eum, & cum intraſſet, inuenit plebem multam in ea, ſeditq; inter illos. Rex autem erat in ſecretiori thalamo cum ſuis familiaribus. Tunc venit ex parte regis ad Archiepiſcopum *Gilebertus* Lundonienſis epiſcopus, qui multum increpauit eum, quod ſic cruce armatus venit in curia. Et voluit crucem à manibus eius eripere, ſed Archiepiſcopus fortius eam tenuit. *Henricus* igitur Wintonienſis epiſcopus dixit Lundonienſi epiſcopo, frater, dimitte Archiepiſcopum crucem ſuam tenere; ipſe enim debet illam bene portare. Tunc Lundonienſis Epiſcopus multum iratus aduerſus Wintonienſem epiſcopum dixit ei: male locutus es frater & malum tibi inde continget, quia contra regem locutus es. Deinde venit ad eum *Rogerus* Archiepiſcopus Eboracenſis.

al. iram & indignationẽ quam

O quotiens voluit blandis accedere dictis,
Et molles adhibere preces,

Sed antiquum odii incendiũ repugnabat, nec permiſit eum quicquã pacifice loqui, immo plurimũ increpabat eum, quod ſic armatus cruce ad curiam veniret: dicens quod rex

gladium

gladium habebat acutiorem,& ideo ſi cōſilio ſuo acquieſceret,tolleret crucem ſuam. At quidam de circumſtantibus ſic ait;

Crede mihi,ſi credis ei,tu decipieris.
Fiſtula dulce canit volucres dum decipit anceps.
Impia ſub dulci melle venena latent.

Archiepiſcopus autem Cantuarienſis crucem ſuam deponere noluit, ſed dicebat. Si gladius regis carnaliter corpora cædit, gladius meus ſpiritualiter percutit, & animam mittit in gehennam. Et dum ipſe ſederet expectans, dixerunt quidam ſecreto,quod mors eius iurata erat a regalibus.& ex illa hora quæſiuit occaſionem recedēdi a curia,& vt commodius recedere poſſit, appellauit ad præſentiā ſummi pontificis;& cauſam Eccleſię,& ſuam poſuit ſub protectione Dei, & domini Papæ; & præcepit vniuerſis Epiſcopis appellationem ſuam inuiolatam ſeruare. Tunc omnes Epiſcopi laudauerunt ei, vt ipſe ſatisfaciens voluntati regis,redderet ei Archiepiſcopatum ſuum in miſericordia illius, ſed Archiepiſcopus noluit iis inde credere. Tunc mandauit ei rex per milites ſuos, vt ſine dilatione veniret,& redderet ei plenariam computationem de omnibus receptis,quę receperat de redditibus regni,quamdiu Cancellarius eius fuit. Et nominatim de triginta millibus librarum argenti, quibus Archiepiſcopus reſpondit: Dominus meus rex ſcit, quod ego ſæpius ei reddidi computationem de omnibus his,quæ ipſe modo à me petit,antequam electus fuiſſem ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem. Sed in electione mea *Henricus* filius eius,cui regnum adiuratum fuit,& omnes Barones Scaccarii, & *Richardus* de Luci iuſticiarius Angliæ,clamauerunt me quietū Deo, & ſanctæ Eccleſiæ,de omnibus receptis,& cōputationibus,& ab omni exactiōe ſeculari ex parte domini regis;& ſic liber,& abſolutus electus fui ad huius officii adminiſtrationē;&ideo amplius nolo inde placitare. Quod cum regi conſtaret,dixit Baronibus ſuis,cito facite mihi iudicium de illo,qui homo meus ligius eſt,& ſtare iuri in curia mea recuſat. Et exeuntes iudicauerunt eum capi dignum & in carcerem mitti. Tūc miſit rex *Reginaldum* Comitem Cornubiæ, & *Robertum* Comitem Leiceſtriæ ad indicandum illi iudicium de illo factum. Qui dixerunt ei: Audi iudicium tuum. Quibus Archiepiſcopus reſpondit: prohibeo vobis ex parte omnipotentis Dei,& ſub anathemate, ne faciatis hodie de me iudicium, quia appellaui ad præſentiam domini Papæ. Dum autem prædicti Comites redirent ad regem cum reſponſo illo, Archiepiſcopus exiuit a thalamo,& progrediens per medium illorum venit ad palefridum ſuum,& aſcendit,& exiuit ab aula,omnibus clamantibus poſt eum,& dicentibus: quo progrederis proditor;expecta & audi iudicium tuum. Cum autem veniret ad portas exteriores inuenit eas clauſas,& timuit ſibi valdè,ne ab inimicis ſuis caperetur,ſed Deus omnipotēs eum liberauit. Nam *Petrus* de Munctorio,quidam ſuus ſeruiens, vidit claues multas pendere iuxta portam in clauo: quas arripiens ianuam aperuit, & Archiepiſcopus exiliuit eques. Ianitores autem regis ſtabant attoniti,non dicentes verbum. Archiepiſcopus vero feſtinanter venit ad domum canonicorum regularium, vbi ipſe hoſpitatus fuerat,& præcepit menſas apponi, & omnes pauperes, quicunque inuenti fuerunt ante ianuam, introduci ad edendum & bibendum in nomine Domini *Ieſu Chriſti*. Et factum eſt ita. Ipſe vero cum illis & gente ſua decenter cœnauit in refectorio canonicorum,& poſt cœnam in Eccleſia ſtrauit lectum ſuum inter templum,& altare. Interim ſecreto fecit præparari iter ſuum. volebat enim de nocte abire,& in crepuſculo dum rex & cæteri cœnarent per villam ipſe ſumpſit ſecum duos fratres de ordine Ciſtercienſi, quorum vnus dicebatur *Robertus* de Caune,& alter *Scaiman*,& vnum ſolum ſeruientem,qui dicebatur *Rogerus* de *Brot. *al. Brol*

Et exierunt villam ad portam,quæ ſola erat ſine cuſtode,& in diluculo venerunt Lincolniam,& in domum *Iacobi* hoſpitati ſunt. Archiepiſcopus vero habitum ſuum mutauit, & mutato nomine fecit ſe appellari *Dereman*. Et ita à paucis cognitus & per ignotas vias & ſemitas ad mare properauit. Et equitauerunt in noctibus,& in diebus latuerūt inter amicos,& notos,& ſic tandem peruenerunt ad mare, vſque ad Sandicum portum.

Et ille nauem clam intrauit, clamq; receſſit, & mane in Flandriam applicuit, & ſtatim perrexit in Franciam. Sed antequam ipſe ad *Lodowicum* regem Francorum veniret, *Gilebertus Foliot* Lundonienſis Epiſcopus, & *Willielmus* Comes de Arundel peruenerunt ex parte regis Angliæ ad prohibendum regi Franciæ, ne ipſe illum Cantuarienſem Archiepiſcopum in regno ſuo reciperet; & vt ipſe mandaret domino Papæ, ne pro amore illius Cantuarienſem Archiepiſcopum in familiaritatem ſuſciperet. Sed quanto magis præfati nuncii regis Angliæ plus laborarent, vt Cantuarienſis Archiepiſcopus a regno Franciæ expelleretur;tanto magis rex Franciæ illum,& cauſam fouebat ſuam. Præterea rex Franciæ miſit fratrem *Franciſcum* eleemoſynarium ſuum ad *Alexandrum* Papam, qui

tunc morabatur in Francia: mandans ei, vt ſicut honorem Romanæ Eccleſiæ diligebat, & auxilium regni Franciæ, ſic in omnibus manu teneret *Thomam* Cantuarienſem Archiepiſcopum, & cauſam eius contra tyrannum Angliæ. Et ex illo tempore dominus papa recepit Cantuarienſem Archiepiſcopum in magnam familiaritatem. Interim *Henricus* rex Angliæ miſit ad dominum Papam *Rogerum* Eboracenſem Archiepiſcopum, & *Henricum* Wintonienſem, & *Gillebertum* Lundonienſem, & *Hilarium* Ciceſtrēſem, & *Bartholomæum* Exonienſem Epiſcopos; & *Widonem Rufum*, & *Richardum de Iueceſtre*, & *Iohannem* de Oxneford clericos; & *Willielmum* Comitem de Arundel, & *Hugonem* de Gundeuile, & *Bernardum* de ſancto *Walericum*, & *Henricum* filium *Geraldi*.

Et illi inuenerant Papam apud ciuitatem Senonenſem, & multa mala, & falſa dixerunt aduerſus Cantuarienſem Archiepiſcopum: ſed dominus Papa eis non credidit; ſciens quod falſum dixerunt aduerſus eum teſtimonium. Illi autem videntes ſe non poſſe proficere, petierunt à domino Papa duos legatos mitti in Angliam, ad cognoſcendam controuerſiam, quæ erat inter regem, & Archiepiſcopum Cantuarienſem, & ad determinandam eam ad honorem Dei, & ſanctæ Eccleſiæ, & regni. Sed dominus Papa nullum Cardinalem, nec aliquem legatum mittere voluit: ſciens quod rex Angliæ potens erat in opere & ſermone, & quod legati ex facili poſſent corrumpi, vtpote qui plus aurum, & argentum ſitiunt, quam iuſtitiam & æquitatem. Nuncii itaque regis Angliæ nihil proficientes, à curia domini Papæ receſſerunt. Et quarto die ſequenti venit illuc *Thomas* Cantuarienſis Archiepiſcopus, & ad pedes domini Papæ proſtratus, obtulit ei Chirographum ſupradictum, in quo leges Angliæ, quas rex auitas vocabat, erant ſcriptæ.

Quas cum dominus Papa coram omnibus Cardinalibus, & clero, & populo multo lectas audiret, damnauit illas in perpetuum, & anathematizauit omnes, qui eas tenerent, vel aliquo modo fouerent. Eodem anno duæ Cometæ apparuerunt ante Solis ortum, menſe Auguſti; vna ad Auſtrum, altera ad Aquilonem. Cometa eſt ſtella, quæ non omni tempore, ſed maxime in obitu regis, aut in excidio regionis apparet. Et quando cum crinito diademate apparuerit fulgens, regale nunciat lethum: ſi autem ferens comas, rutilanſq; ſparſerit illas, patriæ monſtrat excidium. Eodem anno Papa *Alexander* Romam rediens, à Romanis honorifice ſuſcipitur. Eodem anno obiit *Malcolmus* rex Scottorum, cui ſucceſſit *Willielmus* frater eius. Eodem anno *Henricus* rex Anglorū transfretauit de Anglia in Normanniam, faciens graue edictum & execrabile, contra *Alexandrum* Papam, & *Thomam* Cantuarienſem Archiepiſcopum. Cuius capitula hæc ſunt.

Edictum Henrici regis contra Papā

Si quis inuentus fuerit, ferens literas, vel mandatum domini Papæ, vel Cantuarienſis Archiepiſcopi, continens interdictum Chriſtianitatis in Anglia, capiatur, & de eo, ſicut de regis traditore & regni, ſine dilatione iuſticia fiat. Item nullus clericus, vel monachus, vel conuerſus alicuius religionis, permittatur transfretare, vel redire in Angliam; niſi de transfretatione habeat literas iuſticiarum, & de reditu literas regis. Et ſi aliquis aliter inuentus fuerit capiatur, & retineatur. Item interdictum eſt, ne aliquis ferat mandatum aliquod domini Papæ, vel Cantuarienſis. Et ſi quis talis inuentus fuerit, capiatur, & retineatur. Item generaliter interdictum eſt, ne aliquis appellet ad dominum Papam, vel ad Cantuarienſem Archiepiſcopum, neque de cætero aliquod eorum mandatum in Angliā recipiatur, neq; aliquod placitum ex mandato eorū teneatur. Et ſi quis contra hoc interdictum aliquid fecerit, capiatur, & retineatur. Item ſi Epiſcopi, vel presbyteri, vel Abbates, ſiue monachi, vel clerici, vel laici ſententiam interdicti tenuerint, ſine dilatione de terra eiiciantur, & tota eorum cognatio, ita quod nihil de catallis ſuis ſecum deferant, & catalla & poſſeſſiones eorum capiantur in manu regis. Item omnes clerici, qui habēt reddi tus in Anglia, ſint ſummoniti per omnes Comitatus, quod ſint infra tres menſes poſt ſummonitionem in Anglia ad redditus ſuos, ſicut diligunt habere ipſos redditus, & redire in Angliam. Et ſi non venerint ad terminum prædictum, catalla, & poſſeſſiones eorum capiantur in manu regis. Item Lundonienſis, & Norwicenſis Epiſcopi ſummoneantur, vt ſint coram iuſticiariis regis, ad rectum faciendum, quod contra ſtatuta regni interdixerunt terram Comitis *Hugonis*, & in ipſum ſententiam tulerunt. Item denarii ſancti *Petri* colligantur, & cuſtodiantur.

VERBA BEATI THOMAE CANTVARIENSIS *Archiepiſcopi ad Henricum regem Angliæ in concilio ſuo apud Chinun.*

Deſiderio deſideraui videre faciem veſtrā, & loqui vobiſcum; multū quidem propter me

me, ſed maxime propter vos. Propter me, vt viſa facie veſtra reduceretis ad memoriam ſeruitia, quæ dum eſſem in obſequio veſtro, exhibui vobis deuote iuxta animi mei conſcientiam; ſic me adiuuet Deus in vltimo examine, quando omnes aſtabunt ante tribunal ipſius, recepturi prout geſſerunt in corpore ſuo, ſiue bonum, ſiue malum. Et vt commouerem vos in pietate ſuper me, quem oportet mendicando viuere inter alienos; licet tamen gratia Dei cùm abundantia victualia ad ſufficientiam habeamus. Eſtq; nobis conſolatio quam multa, quod dicit Apoſtolus: *Omnes qui pie volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patientur.* Et Propheta: *Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.* Propter vos, tribus ex cauſis: tum quia dominus meus eſtis, tum quia rex, tum quia filius meus ſpiritualis. Eo quod dominus, debeo & offero vobis conſilium meum, quodcunque debet Epiſcopus ſecundum honorem Dei & ſanctæ Eccleſiæ domino: eo quod rex, teneor vobis ad reuerentiam, & communionem: eo quod filius, officii ratione ad caſtigationem, & coertionem. *Corripit enim pater filium, nunc blandis, nunc aſperis, vt ſic, vel ſic reuocet eum ad benefaciendum.* Noſſe debetis, vos Dei gratia regem eſſe primo, quia vos ipſum regere debetis, vitamque veſtram optimis informare moribus, vt veſtri exemplo cæteri prouocentur ad melius, iuxta illud ſapientis, *Componitur orbis, regis ad exemplum.* Secundario, alios demulcendo, alios puniendo, poteſtatis authoritate, quam accepiſtis ab Eccleſia cum ſacramento vnctionis, tum gladii officio, quem geſtatis ad malefactores Eccleſiæ conterendos. Inunguntur enim reges in tribus locis, in capite, in pectore, & brachiis, quod ſignificat gloriam, ſcientiam, & fortitudinem. Qui antiquis temporibus, iuſtificationes Dei non obſeruabant, ſed præuaricati ſunt mandata eius, his ſublata eſt gloria, ſcientia, & fortitudo, & eorum generationi: exẽpla probationis, *Saul, Nabucodonoſor,* & *Salomon,* & alii quamplures. Qui autem poſt delictum ſuum, cordis contritione humiliauerunt ſe Domino; his gratia Dei acceſſit cum omnibus ſupra dictis abundantius, & effectius, ſicut *Dauid, Ezechia,* & aliis quampluribus. *Chriſtus* fundauit Eccleſiam, eiq; comparauit libertatem ſanguine proprio; ſuſtinendo flagella, ſputa, clauos, mortis anguſtias, nobis relinquens exemplũ, vt ſequamur veſtigia eius; vnde Apoſtolus. *Si cõpatimur, & conregnabimus. Si commorimur, & conreſurgemus.* Eccleſia Dei in duobus conſtat ordinibus, in clero, & populo. In clero ſunt Apoſtoli & Apoſtolici viri, Epiſcopi, & cæteri rectores Eccleſiæ, quibus commiſſa eſt cura, & regimen ipſius Eccleſiæ, qui tractare habent negotia Eccleſiaſtica, vt totum reducant ad ſalutem animarum. Vnde dictum eſt *Petro,* & in *Petro* aliis rectoribus Eccleſiæ. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferni non præualebunt aduerſus eam.* In populo ſunt reges, duces, & Comites, & aliæ poteſtates, quæ ſecularia habent tractare negotia, vt totum reducant ad pacem, & vnitatẽ Eccleſiæ. Et quia certum eſt, reges poteſtatem ſuam ab Eccleſia accipere, & nõ ipſam ab illis, ſed a *Chriſto,* (ſalua pace veſtra loquor) non haberetis Epiſcopis præcipere, abſoluere aliquem, vel excommunicare, trahere clericos ad ſecularia examina, iudicare de decimis, de Eccleſiis, interdicere Epiſcopis ne tractent de tranſgreſſione fidei, vel iuramenti, & multa alia, quæ in hunc modum ſcripta ſunt inter conſuetudines veſtras, quas dicitis auitas. Dominus enim dicit, *Leges meas cuſtodite.* Et iterum per Prophetam, *Væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes ſcribunt iniuſtitias, opprimunt pauperes in iudicio, & vim faciunt cauſæ humilium populi Dei.* Audiat itaque dominus meus (ſi placet) conſilium fidelis ſui, commonitionem Epiſcopi ſui, caſtigationem patris ſui. Neque cum ſchiſmaticis aliquam de cætero habeat familiaritatem, vel communionem. Notum enim eſt fere toti mundo, quam deuote, quàm honorifice dominum Papam receperitis, quantum Romanam Eccleſiam foueritis, & honoraueritis, quantum dominus Papa, & Eccleſia Romana perſonam veſtram dilexerint, honorauerint, & in quibuſcunq; ſecundum Deum potuerint, vos exaudierint. Nolite (Domine mi) ergo, ſi ſalutem animæ veſtræ deſideratis eidem Eccleſiæ quod ſuum eſt, aliqua ratione ſubtrahere, ſeu in aliquo ei citra iuſticiam contraire; immo eandem ei in regno veſtro permittatis habere libertatem, quam in aliis habere dignoſcitur. memores quoque ſitis profeſſionis quam feciſtis, & poſuiſtis ſcriptam ſuper altare apud Weſtmunſtere, de ſeruanda Eccleſiæ Dei libertate ſua, quando conſecrati fuiſtis, & vncti in regem a prædeceſſore noſtro. Eccleſiam etiam Cantuariæ, in qua promotionem & conſecrationem recepiſtis, in eum ſtatum, & dignitatem reſtituatis, in quibus fuit temporibus prędeceſſorum veſtrorum & noſtrorum. Poſſeſſiones autem ad ipſam Eccleſiam pertinentes, villas, caſtella, prædia, quæ pro voluntate veſtra diſtribuiſtis, res etiam omnes ablatas tam noſtras, quam clericorum noſtrorum, & laicorum in integrum nobis reſtituatis; permittatis etiam nos libere, & in pace redire in ſedem noſtram, & nos vobis tanquam chariſſimo domino, & regi fideliter & deuote ſeruire parati ſumus, in quibuſcunq;

poterimus, ſaluo honore Dei, & eccleſiæ Romanæ, & ordine noſtro: alioquin pro certo ſciatis, quod diuinam ſeueritatem, & vltionem ſentietis.

EPISTOLA BEATI THOMAE CANTVARIENSIS Archiepiſcopi, ad Alexandrum ſummum pontificem.

AD audientiam tuam (pater ſanctiſſime) confugio; vt qui Eccleſiæ libertatem tanto tuo diſcrimine redemiſti, eam vel ſolam, vel maximam meæ perſecutionis cauſam attendas, qui exemplo tuo vſus ſum. Dolui enim ſtatum Eccleſiæ labefactari paulùlum, & iura eius in auariciam principum diſſipari, & occurrendum credidi morbo venienti; & quo plus illi domino meo, cui poſt Deum cætera debeo, me ſciebam obligatum, eo tutius iniquis eius inſtigationibus arbitrabar reſiſtendum, donec obtinuerunt illi, & ſerenitatem illius obfuſcauerunt mihi. Exinde, vt moris eſt apud principes, criminationes, & calumnias iniecerunt in occaſionē perſecutionis meæ: & ego eiici malui quam ſuccumbere. Acceſſit enim his malis, quod vocatus fui coram rege tanquam laicus ſatisfacere. Et vnde mihi reſiſtendi ſuffragia ſperaueram, inde deceptus ſum. Animaduerti etenim dominos, & confratres noſtros Epiſcopos iſtos, pro aulicorum arbitrio, in me paratos animaduertere. Ita cunctis incurſantibus fere ſuffocatus, ad tuæ pietatis audientiam, quæ nec in extremis agentes negligit, reſpiraui. ſub qua demonſtraturus aſſiſto, me nec ibi fuiſſe iudicandum, nec ab illis. Nam quid aliud hoc eſſet, patres mei, quam veſtra iura vobis ſubtrahere? quid aliud, quam ſpiritualia temporalibus ſubmittere? ſemel natum hoc exemplum eſſet ad multa, eoque credidi firmius eſſe reſiſtendum, quod procliuior via nocendi naſceretur: ſi prius debilitatem agnoſcerent. At inquient *reddenda erant* Cæſari *quæ* Cæſaris *ſunt:* ſed ſi in pluribus obtemperandum ſit regi, in illis tamen obtemperandum non eſt, quibus efficitur, ne ſit rex. Non eſſent illa *Cæſaris*, ſed tyranni; in quibus & ſi non pro me, pro ſeipſis ei reſiſterent. Nam ſi illi extremum iudicium reſeruatur, qui potens eſt iudicare corpus & animam, nunquid extrema erit inter homines ſumma, qui iudicat ſecundum ſeipſum? ſi iuſtam fouerunt partem, quid me impetebant, quid me arguunt? ſi ad eum appellaui apud quem ius vitari, vel non licet, vel non expedit, aut iniuſte me cauſabantur, aut de iuſticia veſtra diffidebant. Dupliciter namque confundebar, ſi coram ſanctitate veſtra conuincerer. Numquid eorum perſecutionem merui, pro quibus tantis occurſibus me oppoſueram, & obtinuiſſem, ſi voluiſſent, illi? ſed male caput agit, ſi iam membris deſtituitur. Qui etiam ſi oculi contra caput linguam aſſumant, ſi bene præuidiſſent, in ſe perniciem machinabantur, & eorum vſi ſunt principales auxilio in eorum ſeruitutem. Quod hæc tanti odii cauſa fiant, vt pro me extinguendo, ſe ipſos extinguerent, ita pro temporalibus ſpiritualia negligunt, deficiunt in vtriſque. Quid quod etiam me reclamante, & ad audientiam veſtram appellante, patrem ſuum iudicio damnare auſi ſunt? Quinetiam ſi in vniuerſam Eccleſiam cum offenſo nobis principe aſpirationem fecerunt, & te (pater ſanctiſſime) ſuſpicio iſta potuit attingere. At inquient, regi tenebantur ex debito Domini: ſed illi corporaliter, ſpiritualiter mihi. Cui potius teneri potuerunt; quam ſibi ipſis? nonne potius corporalium damnum, quam ſpiritualium? At rurſus inquient: hoc tempore principem non fuiſſe prouocandum. Quam ſubtiliter in ſeruitutem ſuam argumentantur. Immo ipſi prouocant, qui exceſſibus ſuis alas præbent ad ſuffragium. Quieuiſſet enim, niſi adquieuiſſent illi. Et quo tempore magis conſtantia exigitur, quam inter perſecutores? nonne familiares eius perſecutionibus comprobantur? Si ſemper ſuccumbant, qualiter obtinebunt, neceſſe eſt aliquando reſiſtant. Condeſcende ergo, (pater ſanctiſſime) in fugam meam, & perſecutionem, & me aliquando magnum fuiſſe reminiſcere tempore tuo, & propter te iniuriis laceſſitum. Vtere rigore tuo, coerce illos, quorum inſtinctu nomen huius perſecutionis obrepſit, nec domino regi horum aliquid imputetur, qui huius machinationis potius eſt miniſter, quam repertor.

EPISTOLA BEATI THOMAE CANTVARIENSIS Archiepiſcopi ad ſuffraganeos ſuos.

THomas Dei gratia Cantuarienſis Eccleſiæ miniſter humilis, venerabilibus fratribus ſuis Lundonienſi, cæteriſque totius Cantuarienſis prouinciæ Epiſcopis, ſic tranſire per bona temporalia, vt non amittant æterna. Fratres mei dilectiſſimi, quare non conſurgitis mecū aduerſus malignantes? Vt quid non ſtatis mecū aduerſus operātes iniquitatem An ignoratis quoniā diſſipat dominus oſſa eorum, qui hominibus placent? confundentur, quoniam

quoniam dominus ſpreuit eos. Satis nouit diſcretio veſtra, quoniam error cui non reſiſtitur, approbatur, & veritas cum minime defendatur, opprimitur. Videturque teſtante *Gregorio* conſentire erranti, qui ad reſecanda, quæ corrigi debent, non occurrit. Inde eſt quod dominum noſtrum regem Angliæ ſatis, ſuperque ſatis ſuſtinuimus: nec vllum ex eo ſuſtinentiæ noſtræ aſſecuta eſt Eccleſia Dei compendium. Periculoſum & intolerabile de cætero nobis viſum eſt, & tantos illius officialiumq; ſuorum circa Eccleſiam Dei, & Eccleſiaſticas perſonas exceſſus, vt hactenus impunitos relinquere. Præſertim cum ſæpiſſime literis, & nuntiis, modiſq; aliis, prout decuit, ſtuduerimus à peruerſo propoſito ſuo eum reuocare. Et quoniam vix ab eo auditi ſumus, nullatenus tamen exauditi, ſcriptum illud, in quo illæ non conſuetudines, ſed potius prauitates, quibus perturbatur & confunditur ad præſens Anglicana Eccleſia, continentur, ipſiusq; ſcripti auctoritatem, inuocata Spiritus ſancti gratia publice condemnauimus, & ceſſauimus. vniuerſos etiam obſeruatores, exactores, conſiliatores, adiutores, ſeu defenſores earum excõmunicauimus. Omneſq; vos Epiſcopos à promiſſione qua contra inſtitutionem Eccleſiaſticam, & ad earum obſeruationem tenebamini, auctoritate Dei & noſtra abſoluimus. Quis enim dubitat ſacerdotes *Chriſti*, regum & principum, omniumq; fidelium, patres & magiſtros cenſeri? Nonne miſerabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur, ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrum ſibi conetur ſubiugare, & iniquis obligationibus illum poteſtati ſuæ ſubiicere: à quo credit non ſolum ſe in terra, ſed etiam in cœlis ligari poſſe, & ſolui? Proinde ne in huius ſententiæ commiſſum incidamus, auctoritatem ipſius ſcripti, ipſumq; ſcriptum, cum prauitatibus, quæ in eo continentur, in irritum duximus, & caſſauimus. Præſertim his, *Quod non appelletur ad ſedem Apoſtolicam ſuper aliqua cauſa, niſi licentia regis. Quod non liceat Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, exire de regno, & venire ad vocationem domini Papæ, ſine licentia Regis. Quod nõ liceat Epiſcopo excommunicare aliquẽ, qui teneat de Rege in capite, ſine licentia Regis, vel aliquem alium officialium ſuorum, ſub interdicto ponere. Quod non liceat Epiſcopo coercere aliquem de periurio, vel fide læſa, quod clerici trahantur ad ſecularia iudicia, quod laici ſeu Rex ſeu alii tractent cauſas de Eccleſiis, vel decimis, & alia in hunc modum.* Denuntiamus etiam excommunicatum, & excommunicauimus ex nomine *Iohannem de* Oxenford, qui in hæreſim damnatam incidit, parando iuramentum ſciſmaticis, per quem ſciſma iam fere emortuum in Alemannia reuixit; communicando etiam nominatiſſimo illi ſciſmatico *Reginaldo* Colonienſi: & quia contra mandatum domini Papæ, & noſtrum Salesbirienſis Eccleſiæ decanatum ſibi vſurpauit. Quod quidem factum, tam deteſtabile, tam iuri contrarium, tam Eccleſiæ Dei exemplo pernicioſum penitus caſſauimus, & deuocauimus in irritum. præcipientes Epiſcopo Salesbirienſi, & capitulo in virtute obedientiæ, & in periculo ordinis ſui, ne de cætero, viſis literis noſtris ex eo facto eum Decanum haberent. Similiter & *Richardum* de Iuecestre denunciamus excommunicatum, & excommunicauimus, eo quod in eandem hereſin damnatam inciderit, communicando *Reginaldo* Colonienſi ſciſmatico; machinando etiam, & fabricando omnia mala, cum ſciſmaticis, & Theutonicis illis in perniciem Eccleſiæ Dei, & præſertim Eccleſiæ Romanæ, ex pactis contractis inter dominum Regem, & ipſos. Excommunicauimus etiam *Richardum* de Luci, & *Iocelinum* de Bailol, qui prauitatum illarum auctores, & fabricatores extiterunt. *Ranulfum* etiam de Broc, qui bona Eccleſiæ Cantuarienſis, quæ alimenta de iure ſunt pauperum, occupauit, & detinet, hominesq; noſtros tanquam Laicos cepit, & in captione detinet. Excommunicauimus etiam *Hugonem* de S. *Claro*, & *Thomam* filium *Bernardi*, qui eiuſdem Eccleſiæ Cantuarienſis bona, & poſſeſſiones abſq; conniuentia ſiue aſſenſu noſtro occupauerunt. Omneſq; qui de cætero in poſſeſſiones & bona Eccleſiæ Cantuarienſis contra voluntatem noſtram, & conſenſum, manus violentas extendent, eadem excommunicationis ſententia innodauimus. Iuxta illud Papæ *Lucii. Omnes Eccleſiæ raptores, atq; ſuarum facultatum alienatores à liminibus eiuſdem matris Eccleſiæ ſequeſtratos anathematizamus, damnamus, atque ſacrilegos eſſe iudicamus.* Et non ſolum eos, ſed etiam cum iis comprehendit conſentientes. Et alibi dicit Scriptura. *Qui conſentit peccantibus, & alium peccantem defendit, maledictus erit apud Deum, & apud homines; corripieturque increpatione ſeueriſſima.* Et iterum. *Si quis peccantem defendit: acrius, quam qui peccauit, coerceatur.* Sane in domini Regis perſonam ſententiam adhuc ferre diſtulimus, expectantes ſi forte inſpirante diuina gratia reſipiſcat; in proximo tamen eam laturi, niſi citius reſipuerit. Et inde eſt, quod fraternitati veſtræ mandamus atq; in virtute obedientiæ præcipimus, quatenus viros prætaxatos, qui à nobis excommunicati ſunt, vos quoque prout excommunicatos habeatis, & denuntiari faciatis. Iuxta illud decretum *Honorii* Papæ: *Licitum ſit omnibus Epiſcopis excommunicatorum ſuorum nomina tam vicinis Epiſcopis, quã in ſuis parochianis pariter indicare: eaq; in celebri*

loco poſita præforibus Eccleſiæ, cunctis venientibus inculcare, quatenus in vtraq; diligentia excommunicationis, vbiq; Eccleſiaſticus aditus denegetur & excommunicationis cauſa omnibus auferatur. Tibi autem, (frater Epiſcope Londonienſis) mandamus, & in vi obedientiæ iniungimus, quatenus literas præſentes aliis fratribus, & coepiſcopis noſtris omnibus de prouincia noſtra manifeſtes & oſtendas. Valete in *Chriſto*, & pro nobis conſtanter orate.

His ita geſtis, *Henricus* Rex Angliæ rediit de Normannia in Angliam, & cum magno exercitu perrexit in Guallias, vbi multos de nobilibus, baronibus, & hominibus ſuis perdidit. Et iuſtitiam fecit de filiis *Riz*, & de filiis, & filiabus nobilium ſuorum; oculos puerorum eruit ſcilicet, & nares, aureſq; puellarum abſcidit. Anno gratiæ milleſimo centeſimo ſexageſimo ſexto. Qui erat annus duodecimus Regni Regnis *Henrici* filii *Maltildis* Imperatricis. Idem Rex *Henricus* expulit ab Anglia, & ab omnibus terris ſuæ dominationis, omnes homines & fœminas, quoſcunq; inuenire potuit de cognatione beati *Thomæ* Cantuarienſis; Pueros etiam in cunis vagientes, & adhuc ad vbera matrum pendentes, miſit in exilium: vt viſis illis augmentaretur dolor præfati Archiepiſcopi. Quid facis tyranne? Quæ te dementia vicit, vt ſic ſine cauſa expelleres de regno tuo, qui malum nõ fecerunt, nec dolus inuentus eſt in ore eorum? Nil impedit ortos exule ſeruatis legibus vrbe frui. Quos cum beatus ille *Thomas* videret, turbatus eſt valde, & dolori eorum compatiens puſquam martyr fuit.

Nec mirum eſt igitur, ſi mens ſua turbida facta
De niue manantis more liqueſcit aquæ.

Tamen hæc omnia vir Dei cum multa patientia ſufferebat. Et vix per duos annos moram fecerat in Abbatia de Pontenie, cum *Gwarino* Abbate, & Monachis ibidem Deo ſeruientibus, quibus commendatus fuerat in cuſtodia, ab *Alexandro* ſummo Pontifice. Et ecce Rex Angliæ mandauit prædicto Abbati de Pontenie, quod ſi ille vlterius retineret Cantuarienſem Archiepiſcopum in domo ſua, ipſe fugaret ab Anglia omnes Monachos ſui ordinis. Vnde factum eſt vt beatus *Thomas* ſponte ſua alienatus eſt à domo illa, ne cauſa illius tot domus religioſorum perirent. Tranſtulit ergo ſe ad beatum Regem Francorum *Lodowicum*; à quo benigne ſuſceptus miſſus eſt ad abbatiam Sanctæ *Columbæ* iuxta Senonem ciuitatem.

EPISTOLA ALEXANDRI PApæ ad Henricum Regem Angliæ.

ALexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio *Henrico*, illuſtri Anglorum Regi, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Etſi circa nos, & matrem tuam ſacroſanctam Eccleſiam filialis in te deuotio videatur aliquatenus tepuiſſe; paternum tamen affectum circa te, & regnum tuæ gubernationi commiſſum, nullo tempore deſeruimus. Tua ergo ſeueritas, quod *amici verbera potiora, quam oſcula inimici* exiſtant, diligenter aduertens, conſideret ſtudioſius, & attendat, quod ſicut clerici à viris ſecularibus vita, & habitu diſtinguuntur; ita & iudicia clericorum à Laicorum iudiciis diuerſa penitus comprobantur. Quare ſi ea, ordine quo non decet, peruertas, & quæ ſunt *Ieſu Chriſti* tuæ poteſtati vſurpas, nouas leges ad oppreſſionem Eccleſiarum, & *Chriſti* pauperum, pro tuo beneplacito condas; conſuetudines etiam, quas auitas vocas, inducas tuipſe proculdubio in extremo examine, quod effugere non poteris, modo conſimili iudicaberis; *Et eadem menſura, qua menſus fueris, remetietur tibi.* Verum ne commonitiones noſtræ auribus excellentiæ tuæ tædioſæ vel aſperæ aliquatenus videantur, ſcriptum recollige, quod *filium quem corripit pater diligit*, pro certo cognoſcens quod quanto perſonam tuam ardentiori in Domino charitate diligimus, & ſinceriſſimæ tuæ deuotionis inſignia nobis & Eccleſiæ Dei multipliciter & magnifice olim exhibita ad memoriam ſæpius & ſtudioſius reuocamus, tanto hæc tibi, cui ſpiritualem & æternam ſalutem totis cordis affectibus exoptamus, libentius intimamus. Si enim te in aliquo futurum iudicium deterret, aut præmiorum in æterna requie corona delectat, veram, quæ Deus eſt, iuſtitiam colere, ius ſuum vnicuique tribuere, negotia Eccleſiaſtica, & præſertim criminalia, quæ de læſione fidei vel iuramenti emergunt, cauſas quoq; ſuper rebus & poſſeſſionibus eccleſiarũ perſonis Eccleſiaſticis tractandas relinquere, regnũ & ſacerdotium non confundere, non adeo ſerenitatem tuam deceret, nec etiam expediret. Si autem vniuerſa, quæ in vſus tuos per huiuſmodi angarias de bonis Eccleſiaſticis conuertuntur, in refectione pauperum vel aliis operibus pietatis expenderes, obſequium non magis Deo gratum efficeres, quam ſi altari quolibet diſcooperto aliud cooperies: aut ſi *Petrum* crucifigeres vt *Paulum*

à mor-

à mortis periculo liberares. Recolere ſiquidem debes, & præ oculis ad huius rei exemplum habere, qualiter Rex *Saul*, qui deuicto Amalech prædam contra Domini præceptum reſeruare volebat, cum ſe ad excuſationem ſui hæc ad ſacrificandum reſeruaſſe proponeret, à Domino fuerit reprobatus, & alius eo viuo in honorem & dignitatem regiam ſubrogatus. Quem vtique peccata populi Regem effecerant: ſed tamen à gubernatione regni, commiſſa propria deſtituerunt. Quomodo etiam Rex *Ozias* dum thurificare voluit, & ſacerdotis officium ſibi vſurpare, lepra digna vltione percuſſus fuiſſet, tuæ ſaluti congruit ad animum reuocare. Si vero ſucceſſus tuos viribus & poteſtati tuæ, & non Deo aſcribas, ille proculdubio, qui te aliis præfecit, & magnum in orbe principem, ad fidelium ſuorum gubernationem, non ad depreſſionem conſtituit, talenta tibi commiſſa, graui à te cum cenſura requiret; & ſicut de *Roboam* filio *Salamonis* legitur, qui pro delicto patris à regno eiectus eſt, ſic Deus commiſſum paternum in hæredes transfundet. Tu ergo prauis ſuggeſtionibus cuiuslibet non adquieſcas, nec his, qui ſemper mala ſuſurrant, aures inclines, ſed quæ tuam ſalutem expediant, diligenter audias. Et ita ad honorem Dei & Eccleſiæ tranquillitatem & pacem, ad quod ſolummodo regni gubernationem adeptus es, idem regere, & ſecundum quod Dominus tibi adminiſtrauerit, ſtudeas viriliter gubernare, vt regnum temporale conſeruet, & poſt illud det tibi Deus ſine fine manſurum.

EPISTOLA ALEXANDRI PAPAE, AD Gillebertum Londonienſem Epiſcopum, pro beato Thoma.

ALexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri *Gilleberto* Londonienſi Epiſcopo, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quod circa ea, quæ tuæ iniunximus fraternitati, efficax ſtudium & diligentiam impendiſti, & chariſſimum in *Chriſto* filium noſtrum *Henricum*, illuſtrem Regem Angliæ, ſuper incremento, & exaltatione Eccleſiæ, ac noſtra, fideliter ſollicitare ac commonere curaſti, gratum omnimodis & acceptum habemus, & tibi exinde gratias vberrimas exoluentes, ſollicitudinis tuæ prudentiam magnificis ſuper hoc laudibus in Domino commendamus. Quoniam vero eundem Regem tanquam filium chariſſimum, & inclytum principem arctiori charitate diligimus, idcirco per te & per venerabiles fratres noſtros, Rotomagenſem Archiepiſcopum, & Herefordenſem Epiſcopum, nec non per chariſſimam filiam noſtram in *Chriſto*, illuſtrem quondam Romanorum Imperatricem, matrem eius, ſæpe ac ſæpe ipſum ſolicitandum duximus, & ad Eccleſiæ deuotionem multimodis prouocandum. Gaudemus autem & exultamus in Domino ſuper ea deuotione eiuſdem Regis, quã tuis literis nobis ſignificaſti. Cæterum quoniam eum volumus deuotum eſſe Eccleſiæ Dei & nobis, ſicut ab ipſo principio conſueuit exiſtere: rogamus fraternitatem tuam, monemus atq; mandamus, quatenus ipſum ſollicite ac diligenter ſæpe & ſæpius per te & alios commoneas, horteris modis omnibus, & inducas, vt ad eiuſdem Eccleſiæ honorem pariter & exaltationem ſolito modo intendat, & cauſam ipſius ſtrenue foueat, & manuteneat atq; defendat. Eccleſias vero & Eccleſiaſticas perſonas diligat & honoret, & eorum iura conſeruet. Venerabilem quoq; fratrem noſtrum Cantuarienſem Archiepiſcopum, in amorem & gratiam ſuam reducat. Nos enim ſi eam, quam incepit, beato *Petro* & nobis reuerentiam exhibuerit & honorem, eum feruenti affectione diligemus, & ad honorem & exaltationem ipſius, & conſeruationem regni ſibi commiſſi, modis omnibus, prout decuerit, intendemus. Malumus enim ipſum in patientia & manſuetudine vincere, quam eum aliquo modo grauare, quamdiu id poterimus ſuſtinere. Datum in gradu *Mercurii* vndecimo Kal. Septembris.

EPISTOLA GILLEBERTI LONDONIENſis Epiſcopi ad Alexandrum Papam de reſponſo Regis ſuper negotio Cantuarienſis Archiepiſcopi.

PAtri ſuo & domino ſummo Pontifici *Alexandro*, frater *Gillebertus* Londonienſis Eccleſiæ miniſter, debitum ſinceræ charitatis humiliſque obedientiæ famulatum. Mandatum veſtrum, (pater in *Chriſto* chariſſime) debita veneratione ſuſcipientes, illico filium veſtrum dominumq; noſtrum, chariſſimum illuſtremq; Anglorum Regem, in ipſis iam Galliæ finibus agentem exercitum, adiuimus. Et adiuncto nobis venerabili fratre noſtro *Richardo* Herefordenſi Epiſcopo, iuxta veſtri formam mandati diligenter, & intente conuenimus. Cui ſingula, quæ veſtris nobis ſunt expreſſa literis, ante oculos ponen-

tes, ipſum obſecrando, & quantum regiam decebat maieſtatem arguendo, conſtanter, & inſtanter hortati ſumus, vt de propoſitis ſibi ſatisfaceret, & ſi à rationis tramite deuiauerat, ad viam veritatis & iuſtitiæ redire veſtra per nos reuocatus admonitione non tardaret. A patre pie commonitus à prauis actibus omnino deſiſteret, Deum puro corde diligeret, & matrem ſuam ſanctam Romanam Eccleſiam ſolita veneratione reſpiceret: nec al. patrē. eam viſitare volentes inhiberet, appellationes ad eam factas non impediret, & * fratrem noſtrum dominum Cantuarienſem benigne reuocans & reducens, in beati *Petri* & veſtra reuerentia firmus immobiliſque perſiſteret, & pietatis intendens operibus Eccleſias & Eccleſiaſticas perſonas tam regni quam terræ ſuæ non grauaret, nec per ſe nec per alium grauari permitteret: ſed ipſas diligens regia protectione conſeruaret, vt ille per quem Reges regnant temporale regnum ſibi conſeruaret in terris, & æternum largiretur in cœlis. Alioquin niſi monitis ſalutaribus adquieſceret ſanctitas veſtra, quæ hucuſque patienter ſuſtinuit, vlterius in patientia ſuſtinere non poſſet. Adhæc adiecimus timendum ſibi fore, ne ſi errata non corrigeret, iram omnipotentis Dei cito incurreret, vt nec regnũ eius diu ſtaret, nec ſuos proſperari permitteret. Sed qui humilem exaltauerat iam iam exaltatum ab ipſo regni culmine durius allidendo deiiceret. Ipſe vero correptionem veſtram multa gratiarum actione ſuſcipiens, multa animi temperantia multaque modeſtia conſequenter reſpondit ad ſingula. Inprimis aſſerens, mentem ſuam à vobis ſe nullatenus auertiſſe, nec id vnquam propoſiti mente concepiſſe, quin dum paternam ſibi gratiam exhibueritis, vos vt patrem diligat, & ſanctam Romanam Eccleſiam vt matrem veneretur & foueat, & ſacris iuſſionibus veſtris, ſalua ſibi ſua regnique ſui dignitate, humiliter obtemperet & obediat. Quod ſi vos aliqua iamdiu reuerentia non reſpexit, hanc huius rei cauſam aſſerit, quod cum vobis in neceſſitate toto corde, tota mente, totis viribus aſtiterit, ſibi poſtmodum per nuncios in neceſſitate recurrenti ad vos, digne pro meritis ſanctitas veſtra non reſpondit: ſed in omni fere petitione ſua ſe repulſam ſuſtinuiſſe conqueritur, & erubeſcit. De paterna tamen confiſus gratia, quæ filium cum volet exaudiet, vultus ſperans & expectans lætiores in beati *Petri* & veſtra, vt dictum eſt, fidelitate, immobili conſtantia perſeuerat. Inde eſt, quod ſanctitatem veſtram viſitare volentem nullum impediet: ſed nec hactenus vt aſſerit impediuit. In appellationibus ex antiqua ſui regni inſtitutione, id ſibi vendicat honoris & oneris, vt ob ciuilem cauſam nullus clericorum Regni ſui eiuſdem regni fines exeat, niſi, an ipſius auctoritate & mandato ius ſuum obtinere queat, prius experiendo cognoſcat. Quod ſi nec ſic obtinuerit ad excellentiam veſtram ipſo in nullo reclamante, cum volet, quilibet appellabit. In quo ſi iuri veſtro vel honori præiudicatur in aliquo, id ſe totius Eccleſiæ regni ſui conſilio correcturum in proximo, Domino iuuante, pollicetur. Imperatorem illum, & ſi ſchiſmaticum nouerit, à vobis tamen excommunicatum eſſe vſque hodie non reſciuit. Quod ſi denunciatione noſtra reſcierit, ſi fœdus illicitum cum ipſo aut aliquo alio quolibet iniit, & hoc Eccleſiæ regni ſui iudicio, ſimiliter & conſilio ſe correcturum promittit. Patrem noſtrum dominum Cantuarienſem ſuo ſe regno nequaquam expuliſſe aſſerit. Vnde ſicut abſceſſit vltroneus, ſic ad Eccleſiam ſuam, cum ſibi ſederit in animo, plena pace ſua reuertendi ſibi liberum erit. Dum tamen in ſatisfaciendo ſibi ſuper his, vnde conqueritur, regias ſibi & in quas ipſe iuratus eſt, velit dignitates integre conſeruari. Si qua vero Eccleſia vel Eccleſiaſtica perſona ab ipſo vel à ſuis ſe grauatam oſtenderit, ſatisfactione plene totius Eccleſiæ iudicio paratus erit. Hæc à domino noſtro Rege in reſponſis accepimus. qui vtinam ad omnem voluntatem veſtram vberius aliquid accepiſſemus. Eadem vero ſublimitati veſtræ notificanda duximus, vt ex reſponſis ipſius aduertat diſcretio veſtra, quo negotium hoc fine concludat. cauſam namque ſuam dominus Rex plurimum ſibi iuſtificare videtur, cum in omnibus quæ dicta ſunt, Eccleſiæ regni ſui conſilio ſimul & iudicio ſe pariturum, & patris noſtri domini Cantuarienſis reditum, iuxta quod dictum eſt, ſe nullatenus impediturum pollicetur. Vnde veſtræ ſupplicandum æſtimauimus excellentiæ, quatenus illud præ oculis habentes, *Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* Zelum illum, qui ad vlciſcendam omnem, quæ Eccleſiæ Dei irrogatur, iniuriam, laudabiliter igne diuini ſpiritus accenſus eſt, ſi placet, ad tempus intra fines modeſtiæ cohibeatis; ne vel interdicti ſententiam, vel vltimum illud præciſionis elogium proferendo, Eccleſias innumeras ſubuerti miſere toleratis, & tam Regem ipſum, quam innumeros cum eo populos, à veſtra, quod abſit, obedientia irreuocabiliter auertatis. bonum eſt membrum capiti cohærere, vel ſaucium, quam à corpore proiici, iam præciſum. redeunt ad ſanitatem ſaucia, vix corpori coaleſcunt

leſcunt iam præciſa. adducit deſperationem præciſio: cum ſanet vulnus ſæpiſſime caute medicantis operatio. Vnde ſi placet bonum eſt, vt ſanando vulneri, ſi quod eſt, ad præſens operam detis, quam Eccleſiæ Dei partem nobiliſſimam præcidendo, quæ turbata ſunt hoc tempore, longe ſupra quam poſſit exprimi, perturbetis. Quid enim ſi ſermo veſter nondum plene capit aut capitur. Numquid diuina deſperanda eſt gratia? quia tempore accepto & capiat & capiatur? numquid abbreuiata eſt manus Domini vt ſaluare nequeat? aut auris eius aggrauata vt non exaudiat? currens ille ſermo velociter: potenter cum vult immutat omnia, & dat ſanctorum precibus etiam inſperata. Sanguis regius tunc ſcit demum vinci, cum vicerit. Nec erubeſcit cedere cum ſuperauerit. Manſuetudine leniendus eſt, monitis & patientia ſuperandus. Quid enim ſi iacturam quandã temporalium infert, vel exhibita vel in tempus exhibenda adhuc etiam patientia. Numquid non ſeueritati retrahendum eſt cum ſtrages imminet populorum? Numquid non in mare multa iactanda ſunt, cum iam ſpondet interitum confuſio terræ maris & fluctuum? Inſipienter attamen in charitate non ficta loquimur. Si hic rei finis extiterit, vt amiſſis ſuis dominus Cantuarienſis exilium iuge ſuſtineat, & veſtris, quod abſit, mandatis vlterius Anglia non obediat, fuiſſet tutius patienter in tempus ſuſtinuiſſe, quam tanto zelo ſeueritatis partibus inſtitiſſe. Quid enim ſi plures è nobis ab obedientia veſtra perſecutio ſeparare non poſſit? Non deerit tamen, qui genu curuet ad *Baal*, & de manu idoli pallium Cantuariæ, non habito religionis & iuſtitiæ delectu, ſuſcipiat. Nec deerunt, qui ſedes noſtras occupantes, & cathedras inſidentes ipſi tota mentis deuotione obediant. Iam multi præmaſticant ad talia, optantes vt veniant ſcandala, & directa ponantur in praua. Vnde non propria, pater, plangimus aut ploramus incommoda: ſed niſi his malis occurreritis, fœdam Eccleſiæ Dei ſubuerſionem imminere cernentes, pertimeſcimus, ne citius ob vitæ tædium optemus periſſe diem, qua ad ſpectacula huiuſmodi nati ſumus. Conſeruet incolumitatem veſtram in tempora longa omnipotens Deus, in *Chriſto* dilecte pater.

EPISTOLA BEATI THOMÆ ad Regem Henricum.

Reuerendiſſimo domino ſuo, *Henrico* Dei gratia illuſtri Anglorum Regi, duci Normannorum & Aquitanorum, & Comiti Andegauorum, *Thomas* eadem gratia Cantuarienſis Eccleſiæ humilis miniſter, ſalutem, & vtinam per omnia benefacere. Loqui de Deo liberæ & quietæ mentis eſt valde. Inde eſt quod loquor ad Dominum meum, & vtinam ad omnes pacifice. Obſecro (mi domine) vt ſufferatis cum animi patientia modicum quid commonitionis, conferentis per gratiam Dei, quæ nunquam * vacua eſt, ad animæ veſtræ ſalutem, & meæ liberationem. Anguſtiæ mihi ſunt vndique: tribulatio enim & anguſtiæ inuenerunt me, inter duo grauiſſima & timenda conſtitutum: Et inter duo conſtituta grauiſſima, timendum ſilentium loquor, & commonitionem. Si autem ſiluero mors mihi eſt, nec effugiam manus Domini dicentis: *Si non annunciaueris delinquenti peccatum ſuum, & moriatur in peccato ſuo, ſanguinem eius de manu tua requiram.* Si commonuero, timeo, ne non effugiam domini mei, quod abſit, indignationem: Nec accidat mihi, quod ſapiens ille dixit: *Cum is, qui non placet ad intercedendum vel commouendum accedit vel mittit, verendum eſt ne irati animus ad deteriora prouocetur.* Quid ergo faciam? loquar, an ſileam? Vtrobique certe periculum. Veruntamen quoniam tutius eſt incidere in hominis indignationem, quam in manus Dei viuentis, confiſus de miſericordia altiſſimi, in cuius manu ſunt corda regum, & quo voluerit inclinabit ea (& vtinam in partem meliorem) loquar ad dominum meum, quia ſemel cœpi. Multotiens enim bona parantur inuitis, maxime cum eorum potius ſaluti conſulitur, quam voluntati. Interea veſtra captiua tenetur filia Syon, ſponſa Regis magni oppreſſa à multis, afflicta ab his, qui à tempore longo oderunt eam, & à quibus potius honoranda eſſet quam affligenda; maxime à vobis. Habita igitur vobiſcum recordatione beneficiorum ſingulorum, quę vobis contulit Deus in initio regni veſtri, in medio, & fere, vſq; modo; ſoluite eam, & permittite conregnare ſponſo ſuo, vt benefaciat vobis Deus, & incipiat ſtatim conualeſcere regnum veſtrum, & auferatur opprobrium de generatione veſtra, fiatque ſumma pax in diebus veſtris. Credite mihi (dilectiſſime domine ſereniſſime princeps) patiens enim retributor eſt dominus: longanimis expectator: ſed vltor grauiſſimus. Audite me, & benefacite. Sin autem, verendum eſt, quod abſit, ne accingatur gladio ſuo ſuper femur ſuũ potentiſſim', & veniat in manu valida cum malitia multa liberare ſponſam ſuã, non ſine grãdi plaga de oppreſſione & ſeruitute tribulantis. Si vero me audieritis, quoniam neceſſe

al. vacua-ta.

habet dominus in hoc inſtanti obſequium veſtrum experiri, tanquam ſtrenui militis ſui, benefaciet vobis Deus, & addet gloriam gloriæ veſtræ in progeniem filiorum & filiarum veſtrarum, vſq; in tempora longa. Alioquin, vereor (quod tibi Deus auertat) ne non deficiat gladius de domo veſtra, donec veniat, qui vlciſcatur de plano ſuam & ſuorum iniuriam, altiſſimus. ſicut nec de domo *Salomonis* à quo, licet eum Deus elegiſſet, & contuliſſet ei tantam ſapientiam & pacem, vt diceretur ab omnibus, hic eſt filius ſapientiæ & pacis: Et quoniam receſſit à via Dei, & ambulauit in iniquitate ſuper iniquitatem, ſcidit Deus regnum ſuum, & dedit illud ſeruo ſuo; maxime quia non quæſiuit ſubito poſt delictum placare Dominum; ſicut & *Dauid* pater ſuus, qui ſtatim poſt offenſam humiliauit ſe domino, emendauit culpam, petiuit miſericordiam, & obtinuit veniam. Vtinam & vos cum Dei gratia ſimiliter faciatis. Hæc vobis ad præſens ſcribo, cætera in ore latoris præſentium, viri religioſi, & magnæ opinionis, fidelis etiam (vt credimus) veſtri, poſuimus. Quibus quæſo ſi placet fideliter credatis: potius tamen deſidero cum gratia veſtra benigno veſtro vti colloquio. bene valeat ſemel & ſemper dominus meus.

EPISTOLA BEATI THOMAE ad Robertum Herefordenſem Epiſcopum.

THomas Dei gratia Cantuarienſis Eccleſiæ miniſter humilis, venerabili fratri *Roberto* eadem gratia Herefordenſi Epiſcopo ſalutem, & per omnia benefacere. Si literæ noſtræ fraternitatis tuæ excitauere ſollicitudinem, vtinam non affectu deſidem reperiſſem, nec circa officii ſuſcepti debitum effectu minus vigilem. Elegi abiectus eſſe & anathema pro omnibus vobis, opprobrium hominum & abiectio plebis, ne viderem mala ſanctorum, & diſſimularem iniuriam gentis noſtræ: expectans ſi quis forte ex omnibus vobis zelans legem Dei, & Eccleſiæ libertatem affectans, exiret poſt me, & veniret poſt me, vt non daremus cornua peccatoribus. Et ecce tu, quem credebam mihi à domino datum eſſe, vt mecum ædificares, euelleres, & plantares, propinas mihi ſtimulum in ruinam, ſolatium in deſperationem, prædicans humiliationem, immo deiectionem, annuncians bonũ, cum vndeq; ſit turbatio in perniciem Dei, & clericorum: & cum deberes animi vacillantis firmare conſtantiam, ſuſtinere mecum congreſſum ad defendendũ patrimoniũ crucifixi, ad reprimendos & expugnandos hoſtes Eccleſiæ, inſtillare auribus meis, inſpirare animo meo, vt obſecrarem inſtantius, arguerem arctius, increparem durius. Quod ſi me non audirent, exclamare certe debueras contra me. exurge, quare obdormis? Exere gladium S. *Petri*, vindica ſanguinem ſeruorum *Chriſti*, qui effuſus eſt; iniurias Eccleſiæ, quæ in nobis & noſtris fiunt tota die. Exciditne à memoria tua quantis ſim iniuriis afflictus quibus affectus contumeliis, cum in perſona mea contra omnem authoritatem, & contra omnem iuris formam, vtrum iudicaretur *Chriſtus* ante tribunal præſidis. Non reuoco certe ad animum propriæ perſonæ iniuriam etſi Eccleſiæ. Attende diligentius, altius in corde tuo repone, quid ageretur ante exitum meum, quid in exitu, quid poſtea, quid etiam agatur ſingulis diebus in terra illa circa Eccleſiam Dei, & eius miniſtros. Qua animi conſcientia iſta diſſimulare potes tu, de quo ſperabatur, quod eſſes redempturus Iſrael, liberaturus à ſeruitute Eccleſiam? Et nunc quia tanto tempore tacuiſti, doleo ſemper te (fili mi progenite) & timeo ne ſuccedat tibi, qui tollat progenita tua, & auferat benedictionem primogeniti (quod abſit) à te. Veruntamen etſi hactenus * [al. ſiluiſti.] tacuiſti, reſume vires (fili chariſſime) clama, ne ceſſes, exalta vocem tuam contra eos, immitte eis timorem, incute contritionem, excute ſatisfactionem, ne ira Dei deſcendat ſuper eos, & tota gens pereat, vel (quod abſit) maiores in gente. Vltio enim diuina iam in ianuis eſt. Hæc tibi ſcribo, non ad confuſionem tuam, ſed ad cautelam: vt fultus auctoritate Dei & noſtra, de cætero valeas & velis neceſſitates officii tui fortius & validius exercere. Hoc vnum in ſumma te volo ſcire: per miſericordiam Dei non extorquebitur à me Eccleſiæ confuſio. Praeterea gratias tibi ago, quod vel nunc viſitaſti me, & ſolatio tuo cõfortaſti. Quid plura? Vnum eſt, quod ſine multa animi mei amaritudine ſuſtinere non valeo. Fleo equidem ſuper dilectiſſimo domino meo Rege. Timor enim & tremor venerunt ſuper me: & contexerunt me tenebræ, eo quod videam domino meo regi tribulationem & anguſtiam imminere. Nec mirum. Commouit enim Eccleſiam Dei, & conturbauit eam: oſtendens clero ſuo dura, & potans eam vino mœroris. Propterea dicit ei dominus. Vbi ſunt nunc ſapientes conſiliarii tui, qui dederunt tibi conſilium inſipiens, qui dicebant, filius ſapientum tu es, filius regum antiquorum, quorum conſuetudines obſeruandæ in Anglia: quas qui non obſeruauerit, non eſt amicus *Cæſaris*, hoſtis eſt coronæ, reus iudicio. ſed certe ma-

gis

gis eſt amicus crucis *Chriſti*, quoniam væ his, qui condunt leges iniquas,& ſcribentes ſcripſerunt iniuſtitias, vt opprimerent pauperes in iudicio & vim facerent cauſæ humilium populi mei; vt eſſent Eccleſiæ,& viduæ præda eorum,& clericorum aliquorum diriperent bona. Quid facient in die viſitationis,& calamitatis de longe venientis? Ad cuius confugient auxilium,& derelinquẽt glorias ſuas,ne incuruẽtur ſub iudicio, & cadant cum interfectis? Vbi ſunt nunc ſapientes eius? procedant, annuntient ei, & dicant,quid cogitauerit dominus exercituum ſuper Angliam. Stulti facti ſunt ſapientes eius,& emarcuerunt principes eius,deceperunt Angliam Anglorum populorum,dominus immiſcuit in medio eius ſpiritum vertiginis, Errare fecerunt Angliam in opere ſuo,ſicut errat ebrius vomens,tremenſq; & non erit Angliæ opus. Quis faciet caput aut caudam, quia comederunt *Iacob* & locum eius deſolauerunt, & dixerunt,hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei,exprobrando ſacerdotibus,& eorum principibus,dicentes: quo confugietis è manibus noſtris? aut in quo eſt vobis fiducia? Quare receſſiſtis, & obſtitiſtis præceptis meis? ô quam inanes cogitationes iſtæ! quam peſſimæ operationes in conſpectu domini, qui videt quam vanæ ſunt! Ipſe enim irridebit ſic cogitantem, ſic operantem proſpiciens, quod prope veniat dies eius, & iam in ianuis ſit,& dicet: ecce homines, qui non poſuerunt Deum adiutorem ſuum,ſed ſperauerunt in multitudine diuitiarum ſuarum, & præualuerunt in vanitate ſua. Sed fruſtra hæc faciunt: non relinquet dominus Eccleſiam ſuã, nec clerum ſuum ſine defenſore, ſine vltione grauiſſima. Fundata eſt enim ſupra firmam petram, Petra autem ipſe eſt *Chriſtus*, qui eam proprio ſanguine ſuo fundauit. Certe ſi iſta non emendauerint, non ferent ea impune, quoniam conculcauerunt Sancta ſanctorum,domum Dei,ſacerdotes eius iniuriis afficiendo,verbiſq; probroſis. Hi ſunt,quibus dominus ipſe ait, *Dixi dii eſtis & filii excelſi omnes*. Et alibi. *Qui vos odit, me odit: & qui vos ſpernit, me ſpernit: & qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Reuertantur ad cor;abiiciant mala iſta à ſe:agant pœnitentiam cum ſumma humilitate. Alioquin verendum eſt,ne dominus noſter cito, quod abſit, veniat: adducens ſuper eos, & terram eorum, grandem tribulationem, & vltionem retributionis grauiſſimam. Ecce veniet dominus noſter & non tardabit: & ipſe ſaluabit nos, quoniam nunquam derelinquet ſperantes in ſe. Propheta enim dicit, *Spera in domino & fac bonitatem, & paſceris in diuitiis eius*. Et alibi. *Expecta dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine dominum, citoque liberaberis à laqueo venantium, & à verbo aſpero.* Et vt cætera omnia debito fine concludam, quoniam oſtendit nobis dominus quæ & quanta oporteat nos pati pro nomine ſuo, & pro defenſione ſuæ Eccleſiæ, neceſſe habemus, vt ores tu, & tota Eccleſia tibi commiſſa inſtanter pro nobis: vt quod noſtris meritis non valemus, tua & ſanctorum virorum interceſſione,qui in ditione tua ſunt,ſuſtinere valeamus, & ob id gratiam ſempiternam conſequi mereamur. Vale, & confortare; valeat & tota Anglicana Eccleſia, & confortetur in Domino: vt & nos bene valeamus. Eodem anno *Henricus* Rex Angliæ, poſt reditum ſuum de Gallia transfretauit de Anglia in Normanniam; & *Willielmus* Rex Scottorum ſecutus eſt eum. Eodem anno obiit Comes *Coſpatricus* in Albania, & *Waldeuus* filius eius ſucceſſit illi. Anno gratiæ milleſimo centeſimo ſexageſimo ſeptimo, qui erat annus decimus tertius Regni Regis *Henrici* filii *Matildis* imperatricis. obiit *Matildis* quondam Romanorum imperatrix, mater prædicti Regis *Henrici* Angliæ,& ſepulta eſt apud Rothomagum in abbatia,quæ dicitur Sancta *Maria* de Pratis. Eodem anno *Fredericus*, Romanorum imperator venit Romam, & *Widonem* de Crema, Antipapam, ſchiſmaticum, vi & armata manu in ſedem apoſtolicam intruſit. quo recedente, ſtatim peſtis mortifera in populum eius graſſata eſt, & *Reginaldus* Colonienſis electus,totius ſchiſmatis caput,in Alpibus extinctus eſt: & vt oſſa eius à carnibus diſiungerentur,& Coloniam deferrentur,totus in aqua coctus eſt.

EPISTOLA BEATI THOMAE Archiepiſcopi ad Alexandrum Papam.

AMantiſſimo patri, & domino, *Alexandro* Dei gratia ſummo pontifici *Thomas* Cantuarienſis Eccleſiæ humilis miniſter, debitam, & deuotam obedientiam. Satis ſuperque ſatis ſuſtinui,(pater amantiſſime)correctionem Regis Angliæ,expectans,nec vllũ omnino patientiæ meæ fructum obtinui: quin potius detrimentum,& exterminium auctoritatis, & libertatis Eccleſiæ Dei,dum incaute ſuſtineo,cumulaui. Conueni eum multotiens per nuncios religioſos,& idoneos,& ad debitam ſatisfactionem frequenter inuitaui: literis etiam,quarum tranſcripta vobis miſi, diuinam ei ſeueritatem, & vltionem, niſi

reſipiſceret intimaui, ipſe vero magis, ac magis procedit in deterius, conculcans, & deprimens Eccleſiam Dei: ſic & perſonam meam, & eos, qui mecum exulant, adeo perſequens, vt etiam beneficia ſeruorum Dei, qui nobis Dei & veſtri cauſa victualia prouident, minis, & terroribus ſuis auferre conetur. Scripſit enim abbati Ciſtertienſi, quod ſicut abbatias ordinis, quæ in ipſius poteſtate ſunt, diligit: ita nos à beneficio, & familiaritate ordinis faciat alienos. Quid multis? eouſq; ſub patientia noſtra, tam ipſius Regis, quam officialium ſuorum profecit duritia, vt ſi multitudo virorum quantumlibet religioſorum rem vobis, vt eſt, interpoſitis etiam iuramentis, aſſereret, miror ſi vel ſic eorum aſſertioni credulitatem aliquam veſtra ſanctitas adhiberet. Hæc igitur cum anxietate mentis attendens, & periculum, tam Regis, quam veſtrum conſiderans, pernitioſas illas, non tam conſuetudines, quam peruerſitates, vel prauitates, quibus perturbatur, & confunditur Anglicana Eccleſia, ſcriptum, & auctoritatem ſcripti, quo fuerant confirmatæ publice condemnaui, tam obſeruatores quam exactores, & patronos earum; fautores etiam, & conſiliatorios, ſeu adiutores quicunq; fuerint, ſiue clerici, ſiue laici generaliter excommunicans; & Epiſcopos noſtros à iuramento, quo ad earum obſeruantiam violenter aſtricti fuerant, abſoluens. Sunt autem hæc, quæ in ſcripto illo ſpecialiter condemnaui: *Quod non appelletur ad ſedem apoſtolicam qualicunq; de cauſa abſq; aſſenſu regis. Quod non liceat Epiſcopo coercere aliquem de periurio, vel fide læſa. Quod non liceat Epiſcopo excommunicare aliquem, qui tenet aliquid de Rege in capite, vel terram eius, vel officialium ſuorum ſub interdicto ponere abſq; licentia Regis. Quod clerici vel viri religioſi trahantur ad ſecularia iudicia. quod laici ſiue Rex, ſiue alii, tractent cauſas de Eccleſiis vel decimis. Quod non liceat Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, exire de regno, & venire ad vocationem domini papæ ſine licentia Regis; & alia in hunc modum.* Nominatim autem excommunicaui *Iohannem* de Oxenforde, qui communicauit ſchiſmatico & excommunicato illi *Reginaldo* Colonienſi: quiq; contra mandatum domini papæ & noſtrum, vſurpauit ſibi decanatum Salesburienſis Eccleſiæ, & in curia Imperatoris pro ſchiſmate renouando, præſtitit iuramentum. ſimiliter & *Richardum* de Iuecestre denunciauimus & excommunicauimus, eo quod inciderit in eandem hæreſim damnatam, communicando famoſiſſimo illi ſchiſmatico Colonienſis machinando, & fabricando omnia mala cum ſchiſmaticis & Teutonicis illis, in perniciem Eccleſiæ Dei, maxime Eccleſiæ Romanæ, ex pactis contractis inter Regem Angliæ & ipſos, & *Richardum* de Luci, & *Iocilinum* de Balliol, qui regiæ tyrannidis fautores, & hæreticarum prauitatum illarum fabricatores extiterunt. *Ranulfum* etiam de Broc, & *Hugonem* de Sancto *Claro*, & *Thomam* filium *Bernardi*, qui poſſeſſiones & bona Eccleſiæ Cantuariæ, abſq; licentia & conſenſu noſtro, ſibi vſurpauerunt. Excommunicauimus etiam omnes, qui in poſſeſſiones & bona Eccleſiæ Cantuariæ, manus contra voluntatem & aſſenſum noſtrum extendunt. ipſum tamen Regem nondum perſonaliter excommunicauimus, adhuc expectantes correctionem eius: quē tamen excommunicare non differemus, niſi celeriter reſipuerit, & ex his quæ fecerit apprehenderit diſciplinam. Vt ergo (beatiſſime pater) apoſtolicæ ſedis auctoritas, & Eccleſiæ Dei libertas, quæ in partibus noſtris tota fere deperiit, vtcunq; valeat inſtaurari: neceſſe eſt, & modis omnibus expedit, vt quod à nobis geſtum eſt, ratum omnimodis habeatis, & literis veſtris confirmetis. Valeat, & vigeat ſanctitas veſtra.

EPISTOLA ALEXANDRI PAPÆ ad Henricum Regem Angliæ.

ALexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio *Henrico*, illuſtri Anglorum Regi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quam paterne, & quam benigne, regiam ſæpius excellentiam conuenerimus, & per literas, & nuntios frequentius exhortati fuerimus, vt venerabilem fratrem noſtrum, *Thomam* Cantuarienſem Archiepiſcopum, tibi reconciliare deberes, & ſibi, ac ſuis Eccleſias cum cæteris ablatis reſtituere, ſublimitatis tuæ prudentia nequaquam ignorat, cum id toti fere Chriſtianitati publicum & manifeſtum exiſtat. Vnde quoniam in hoc huc vſq; proficere minime potuimus, nec animi tui motum blandis & lenibus emollire, triſtes & dolentes efficimur. Et nos ſpe ac fiducia noſtra fruſtrati ſumus, & dolemus: præſertim cum te, ſicut chariſſimum filium, ſincerius in Domino diligamus: cui in hoc graue periculum imminere videmus. & quoniam ſcriptum eſt, *Clama ne ceſſes: quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum*; & alibi, *niſi annunciaueris impio impietatem ſuam, ſanguinem ipſius de manu tua requiram.* & alias, per *Ieremiam*, *Piger homo ſtercore boum lapidari iubetur.* Duritiam tuam, ſicut hactenus, contra iuſtitiam & ſalutem noſtram, non duximus vlterius ſupportandam; nec præfato Archiepiſcopo os de cætero aliqua ratione claudemus, quin officii ſui debitum

libere

libere proſequatur,& ſuam & Eccleſiæ ſuæ iniuriam Eccleſiaſticæ ſeueritatis gladio vlciſcatur. Quæ autem in literis iſtis,tam de his,quam de aliis minus continentur: dilecti filii noſtri Prior de monte Dei,& frater *Bernardus* de Corilo, viri ſiquidem plus Deum quã homines reuerentes,ſerenitati tuæ latius viua voce proponent. Quorum admonitioni ille cui ſeruire regnare eſt, & in cuius manu corda regum conſiſtunt, animum & voluntatem tuam inclinet,vt potius flecti velis, quam contra Deum & ſalutem tuam in tantæ obſtinationis propoſito diutius permanere. Quod ſi nos in illis nec ſic audire volueris, ea, quæ tibi ex parte noſtra propoſuerint, proculdubio ventura poteris formidare, poteris diuinam vltionem in proximo timere.

EPISTOLA BEATI THOMAE Archiepiſcopi ad Gillebertum Lundonienſem Epiſcopum.

THomas Cantuarienſis Eccleſiæ humilis miniſter,Gilleberto Epiſcopo Lundonienſi, quod ſemel,hoc iterum, ſic tranſire per bona temporalia, vt non amittat æterna. Mirandum & vehementer ſtupendum eſt, virum prudentem, ſacris literis eruditum, præſertim religionem habitu præferentem, adeo manifeſte ne dicam irreuerenter,& timore Dei poſtpoſito, aduerſari veritati, iuſtitiæ reſiſtere, & ad omne fas nefaſq; confundendum,ſtatum ſanctæ Eccleſiæ, quam ipſe fundauit altiſſimus, velle euertere. Veritas enim eſt qui dicit, portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Non ſani igitur capitis eſſe dinoſcitur,qui intendat ei ruinam, & homini ſimilis, montem magnum fune circumligatum tentanti deiicere. Sed nunquid ira vel odio deferbui, vt exacerbatus iaculari compellar huiuſmodi verba in fratrem meum, & collegam, & Coepiſcopum meum. Abſit. Sed de literis tuis, quas per Archidiaconum tuum deſtinatas accepi, talia collegi. neque enim de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus colligere potui. Vt clareat an ita ſit, proponamus eas,& continentiam earum in lucem proferamus. Finis collatus principio, ſimilitudinem ſcorpionis conformat.Illud blandiens,ad nos ingreditur, ille pũgens nos acerbe,ſilentium nobis imponere machinatur. Quid enim aliud eſt primo recognoſcere debitam nobis ſubiectionem,& ſubiectioni cohęrentem obedientiam promittere,demum ne obedire debeas,ad appellationem conuolare. *Numquid apud me ſunt, eſt,& non*, dicit apoſtolus? Sed neq; apud apoſtoli deberent eſſe diſcipulum. Neceſſario acceperunt diſcipuli à Domino poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones. Habitat *Ezechiel*, & hodie cum ſcorpionibus. Et illud vide quo ſenſu dixeris, ad appellationis remedium confugimus. *Chriſti* ſequelam te dicis,in hoc dicto ſecus inueniris. Omnium enim malorum noſtrorum efficax,immo efficaciſſimum remedium, commendauit nobis *Chriſtus* obedientiam,non ſolum verbo,ſed euidentiſſimo exemplo,factus obediens patri ſuo vſq; ad mortem. & tu qua fronte appellas remedium obedientiæ impedimentum? Quod non remedium, ſed detrimentum rectius habet nominari. Sed & hoc qua fiducia præſumis? Speras ne te habiturum defenſorem ad non obediendum illi, qui vindicandi in omnem inobedientiam & officium accepit & præceptum? Male hoc eſt ſperare de eo,& in ipſum grauiter offendere. Poterant te retardare ab huiuſmodi præſumptione, quas iam paſſus es, prima & ſecunda repulſio. Viua quippe vox tua primum, & deinde literæ tuæ ad perſuadendum compoſitæ expertæ ſunt,quam firmiter ſtet,quam veraciter ſit vicarius *Petri*, quem non precibus,nõ donis,nec commonitionibus,vel promiſſis mouere potuiſti. Sed tertio attentandus eſt,vt domini ſui exemplo, tertia attentatione triumphum reportet. Porro vt nihil deeſſet grauaminis, defixiſti terminum tuæ appellationi, anni fere ſpacium. Nec miſertus es noſtri exilii,vel laboris, ſanctæ Eccleſiæ ſponſæ *Chriſti*, quam ipſe ſuo ſanguine adquiſiuit, & vt hæc omittam(non omittenda tamen)prouidere debueras,cui te fauere dicis: domino noſtro Regi,qui quamdiu ſic aget in nos,vel in Eccleſiam *Chriſti*, nec ad bella procedere,nec in pace degere,ſine periculo animæ ſuę poterit. Ad reliqua tranſeamus. Quædã turbata eſſe commemoras in diſceſſu & ex diſceſſu noſtro. Timeant huius perturbationis auctores & cõſiliarii,ne & ipſi perturbẽtur. Magnis me laudibus extollis,quaſi de bono principio meæ peregrinationis,& quidem ſapientis eſt famam non negligere: ſed diſcreti eſt nulli magis de ſe quam ſibi credere. De iniuriis inſimulor quaſi illatis domino noſtro Regi. Sed quia nullam deſignas ex nomine, nec ego ſcio cui reſpondere debeam. Quia ergo ſuperficie tenus accuſor, ſuperficie tenus in hac parte me excuſo. Hoc tamen interim accipe reſponſum: quia nullius mihi conſcius ſum, nec propterea iuſtificatus ſum. De comminatorio miraris: quod nos in eum emiſimus. Quis pater videt filium aberrare & tacet? Quis virga non percutit, ne gladium incurrat? Deſpe-

rat pater de filio, quem comminatione non corripit, vel flagello. Abſit autem, vt tecum ſentiamus: dominum noſtrum impatientem correptionis ad exterminationem apoſtaſiæ lapſurum. Non enim patris cœleſtis plantatio eradicabitur. Nauem concutit ſæuiſſima tempeſtas, Clauum teneo, & ad ſomnum me vocas? Congeris & ſtatuis ante oculos noſtros beneficia nobis à domino noſtro Rege collata, & de exili commemoras ad ſumma prouectum? Vt autem hinc aliquantiſper reſpondeam in inſipientia mea; tamen de qua exili putas? Si tempus, quo miniſterio ſuo me præſtituit, reſpicias, archidiaconatus Cantuarienſis præpoſitura Beuerlaci, plurimæ Eccleſiæ, præbendæ nonnullæ: alia etiam non pauca, quæ nominis mei erant poſſeſſio tunc temporis, adeo tenuem, vt dicis, quantum ad ea quæ mundi ſunt, contradicunt me fuiſſe. Quod ſi ad generis mei radicem, & progenitores meos intenderis, ciues quidem fuerunt Lundoniæ, in medio conciuium ſuorum habitantes ſine querela, nec omnino infimi. Sed vt aliquando mundi tenebris ſemotis iudicemur à lumine veritatis quid glorioſius naſci de mediocribus vel etiam infimis, an de mundi magnatibus & honoratis? cum dicat Apoſtolus, *Inhoneſtiora corporis noſtri membra abundantiori circumdamus honore?* *Stemmata quid faciunt*, ait Gentilis poeta. Quid habet dicere Chriſtianus Epiſcopus literatus & religioſus? ſed fortaſſis de exiguitatis meæ memoria, notam confuſionis mihi obiicere voluiſti: confundere autem patrem quantum cedat in reatum ipſe videris, ex præcepto Domini, quod de honorando patre accepiſti. Pro gratia vero Regis nobis commendanda, commemoratione beneficiorum eius non multum fuit laborandum. Teſtem enim dominum inuoco, nihil ſub ſole me gratiæ ipſius & ſaluti præponere; tantum ſalua ſint quæ Dei ſunt & ſanctæ Eccleſiæ. Non enim aliter fœliciter regnare poterit, vel ſecure. Eſto: quia ita eſt. Multa ſunt plura, & ampliora, quam tua explicet oratio, beneficia eius erga me. Debuine pro his omnibus, vel etiam ſi conduplicarentur, Eccleſiæ Dei libertatem exponere? Quanto minus pro famæ meæ, quę ſæpius à vero deuiat, conſeruatione. Si mitius in alios egi, in hoc nec tibi, nec alii parco, neq; Angelo, ſi deſcenderit de cœlo, ſed ſtatim vt audiuero talia cōmonentem, audiet ex me. *Vade retro Satana: non ſapis quæ Dei ſunt*. Abſit à me iſta dementia. Auertat à me Dominus amentiam iſtam: vt alique perſuadeat aliquibus tergiuerſationibus inire commercium de corpore *Chriſti*. Vnde ego *Iudæ* venditori, & dominus meus Iudæis aſſimiletur emptoribus *Chriſti*. de promotione vero mea, quam ſcribis factam, matre domini noſtri diſſuadente: regno reclamante, Eccleſia Dei quoad licuit ſuſpirante, hæc tibi reſpondeo. Quod regni reclamationem non audiuimus, ſed potius acclamationem: diſſuaſio vero genitricis domini noſtri ſi fuit, vſq; ad publicum non prodiit. Potuit autem fieri, aliquas Eccleſiaſticas perſonas ad eandem promotionem, vt ſolet aſpirantes, ſuſpiraſſe, cum ſe ſentirent ab ea, quam conceperant, ſpe decidere. Qui & hodie fortaſſis in vltionem ſui caſus, præſentis diſſenſionis auctores ſunt, & conſiliarii. *Sed væ illi per quem ſcandalum venit*. Prætaxatis vero obſtaculis, & aliis ſi qua fuerunt, diuina præualuit diſpenſatio, vt eſt hodie cernere. Exigor itaq; ab eo, qui eſt ipſa iuſtitia, nulli omnino eum poſtponere, qui me ſtatuit in gradu iſto ſua miſeratione. Illud etiam quod ad iuſtificandum dominum Regem videris propoſuiſſe, iudicauimus nō prætereundum leuiter, vel abſq; diſcuſſione. Et vtinam à iuſtitia non diſſentiret, & noſtra aduerſus eum minus iuſta appareret querela. Dicis enim ipſum eſſe ad ſatisfaciendum, & ſemper fuiſſe paratum. Hoc te confidenter dicere, hoc te aſſeris prædicare. Suſtine igitur pauliſper, & ad interrogata reſponde. Illud, quod dicis, paratum eſſe ad ſatisfaciendum, quo ſenſu intelligis? Illos quorum ſe Deus dicit patrem, & iudicem, orphanos, viduas, pupillos, innocentes, & omnino huius, quæ nos mouet, controuerſiæ ignaros, vides proſcribi, & taces; clericos exterminari & non reclamas: alios bonis ſuis ſpoliari, & contumeliis affici, & non contradicis; ſeruientes meos in vincula coniici, & teneri, & obmuteſcis: matris tuæ Cantuarienſis eccleſiæ bona diripi, & non reſiſtis: me patrē tuum gladios ceruici meę iam iam imminentes, vix euaſiſſe, & non doles. Sed quod deterius eſt, cum perſecutoribus meis, & in me, Deo & eccleſiæ ipſius, & hoc non in occulto, ſtare non erubeſcis. Eſtne hoc ſatisfacere, perpetrata mala non corrigere, & malis deteriora de die in diem adiicere. Sed fortaſſis illud in contrarium intelligis, vt ſit hoc ſatisfacere, voluntati impiorum deſeruire ſecundū illud, *Inebriabo ſagittas meas ſanguine*. Sed dicis mihi (pater mi) de quibus me calumniaris? Abſoluo me paucis. Tunicæ meæ timeo. verum eſt (mi fili) & nimis verum, quod reſpondes, & ideo gladium non habes. Quod enim ſcribis ipſum paratum ſtare iudicio regni ſui, quaſi condigna ſatisfactio ſit hæc; quis eſt in terra, vel etiam in cœlo, q̄ de diuina diſpenſatione p̄ſumat iudicare. Humana iudicētur: diuina penitus inconcuſſa remaneant, & relinquātur. Quanto melius (frater mi) illi ſalubrius, tibi ſecurius, intimare ei

ſe ei & perſuadere omnibus modis elaborares voluntatem Dei de conſeruanda pace Eccleſiæ ſuæ; de non appetendis his, quæ conceſſa non ſunt eius adminiſtrationi: de honorandis ſacerdotibus Dei, nec qui ſunt attendat, ſed cuius ſerui ſunt. In Salesburienſem Epiſcopum, & *Iohannem* Oxenefordenſem, non decanum vt dicis, ſed decanatus inuaſorem, nec præiudicio abuſum calumniaris. Sed meminiſſe debuiſti quædam manifeſta præcedere ad iudicium. & motum te dicis, quidni? Vcalegon *trepidat paries cum proximus ardet.* Et vtinam bene mouearis ab eo, in quo non bene ſteriſti. Sciat ergo & intelligat, te intimante, dominus meus, quod qui dominatur in regno hominum, ſed & Angelorum: duas ſub ſe poteſtates ordinauit, principes & ſacerdotes; vnam terrenam, alteram ſpiritualem: vnam miniſtrantem, alteram præminentem: vnam cui potentiam conceſſit, alteram cui reuerentiam exhiberi voluit. Qui vero his vel illis de ſuo iure ſubtrahit, Dei ordinationem reſiſtit. Non indignetur itaq; dominus noſter deferre illis, quibus omnium ſummus deferre non dedignatur: deos appellans eos ſæpius in ſacris literis: Sic enim dicit, *Ego dixi dii eſtis, &c.* Et iterum, *Conſtitui te Deum* Pharaonis. *Et diis non detrahes*: id eſt, ſacerdotibus. Et de eo qui iuraturus erat loquens per *Moyſen*, ait, *Applica illum ad deos*; id eſt, ad ſacerdotes. Nec præſumat dominus noſter iudices ſuos velle iudicare. Terrenis enim poteſtatibus non ſunt commiſſæ claues regni cœlorum: ſed ſacerdotibus. Inde ſcriptum eſt, *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini eſt.* Et *Paulus* etiam dicit, *Nonne Angelos iudicabimus: quanto magis homines?* Illud etiam te ſuggerente commemoretur domino noſtro dignum memoria, & imitatione quod in Eccleſiaſtica legimus hiſtoria de *Conſtantino* imperatore. cui cum oblatæ fuiſſent ſcripto accuſationes contra Epiſcopos, accuſationis quidem libellos acceptos, & accuſatos conuocans, in eorum conſpectu eoſdem incendit: dicens, vos dii eſtis, à vero Deo conſtituti. Ite & inter vos cauſas veſtras diſponite, quia indignum eſt, vt nos homines iudicemus deos. O magnum Imperatorem! o diſcrete regnantem in terra! quæ aliena ſunt fraude non vſurpantem, & regnum æternum in cœlo promerentem! Studeat itaq; Dominus noſter tantum, tam diſcretum, tam fœlicem imitari principem: cuius & memoria laudabilis frequentatur in terris, & vita perpetua & glorioſa habetur in cœlis. Alioquin timeat quod in Deuteronomio Dominus minatus eſt: dicens, Homo quicunq; fecerit in ſuperbia, vt non exaudiat ſacerdotem, ante iudicem morietur. Ad hoc enim vocatus eſt, & in hoc ipſum temporalis regni pax & magnificentia, de qua nos commones, miniſtratur ei de cœlo. Alioquin non ſaluatur Rex per multam virtutem ſuam, & ſi ſubdantur ei regna, & inclinentur nationes. Sed hæc hactenus. Quoſcunq; autem prætaxatarum habuiſti conſcriptores literarum, quod tibi reſponſum eſt nouerint ſibi eſſe reſponſum. De cætero fratres commoneo vos: rogo & obſecro, vt nos non ſeparent ſciſmata, nec obnubilent ſimultates: ſed ſit nobis in Domino cor vnum, & anima vna, & audiamus illum qui dixit, pro iuſtitia agonizare pro anima tua, & vſque ad mortem certa pro iuſtitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Non obliuiſcamur illum deſtrictum iudicem, ante cuius tribunal conſtitutos ſola nos veritas iudicabit, amoto timore & fiducia omnis terrenæ poteſtatis. Valeat in Domino fraternitas veſtra.

EPISTOLA SVFFRAGANEORVM CANtuarienſis Eccleſiæ ad beatum Thomam *Cantuarienſem Archiepiſcopum.*

VEnerabili patri & domino *Thomæ*, Dei gratia Cantuarienſi Archiepiſcopo ſuffraganei eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopi & perſonę per eorundem diœceſes locis variis conſtitutæ, debitam ſubiectionem & obedientiam. Quæ veſtro pater diſceſſu in longinqua inopinata rei ipſius nouitate turbata ſunt, veſtra ſperabamus humilitate & prudentia in pacis priſtinæ ſerenitatem, cooperante gratia, reuocari. Erat quidem nobis ſolatio, quod poſt diſceſſum veſtrum, ad omnes fama diuulgante peruenit: vos ſcilicet in tranſmarinis agentem, nil altum ſapere: vos in dominum noſtrum regem aut regnũ eius nulla machinatione inſurgere, ſed ſponte ſuſceptum paupertatis onus cum modeſtia ſuſtinere: lectioni & orationi inſiſtere, præteritorumq; iacturam temporum ieiuniis, vigiliis, lachrymiſq; redimere, & ſpiritualibus occupatum ſtudiis ad perfectum beatitudinis virtutum incrementis aſcendere. Ad pacis bona reformanda nos ſtudiis huiuſmodi gaudebamus inſiſtere: ex quibus ſpes erat, vos in cor domini Regis noſtri hanc poſſe gratiam deſuper euocare, vt vobis iram ſuam regia pietate remitteret, & illatas in diſceſſu & ex diſceſſu veſtro iniurias, ad cor de cætero nõ reuocaret. Erat amicis veſtris & beneuolis ad ipſum aliquis acceſſus, dum hæc de vobis audirentur, & ob conciliandam vobis gratiam ſupplicantes be-

nigne quemq; ſuſtinuit. Iam vero quorundam relatione didicimus, quod ad memoriam anxie reuocamus, vos ſcilicet in eum comminatorium emiſiſſe, quo ſalutationem omittitis, quo non ad obtentum gratiæ conſilium preceſue porrigitis, quo non amicum quid ſentitis aut ſcribitis, ſed intentatis minis interdictum aut præciſionis elogium in eum iam dicendum fore multa ſeueritate proponitis. Quod ſi quam dure dictum eſt tam fuerit ſeuere completum: quæ turbata ſunt non iam ſperamus ad pacem redigi, ſed in perenne quoddam odium, & inexorabile pertimeſcimus inflammari. Rerum vero finem prudentia ſancta conſiderat, dans operam ſollicite, vt quod prudenter inchoat, bono quoq; fine concludat. Aduertat itaque (ſi placet) diſcretio veſtra, quo tendat, an conatibus huiuſmodi finem queat obtinere, quem optat. Nos quidem his auſis à ſpe magna cecidimus, & qui pacis obtinendæ ſpem quandoq; concepimus, ab ipſis iam ſpei liminibus graui quadam deſperatione repellimur. Et dum velut extracto gladio pugna conſeritur, pro vobis ſupplicandi locus vtique non inuenitur. Vnde patri ſcribimus ex charitate cõſilium, ne labores laboribus, iniurias ſuperaddat iniuriis: ſed omiſſis minis, patientiæ, & humilitati inſeruiat. Cauſam ſuam diuinæ clementiæ, domini ſui gratiæ, & miſericordiæ committat, & ſic agendo carbones ignis in multorum capita coaceruat & congregat. Accenderetur hoc modo charitas, & quod minæ non poterant, inſpirante domino, bonorumq; conſilio ſuadente, ſola fortaſſe pietas obtineret. Bonum erat de paupertate voluntaria glorioſe laudari, quam de beneficii ingratitudine ab omnibus in commune notari. Inſedit alte cunctorum mentibus, quam benignus dominus noſter Rex vobis extiterit, in quam vos gloriam ab exili prouexerit, & in familiarem gratiam tam læta vos mente ſuſceperit, vt dominationis ſuæ loca, quæ à boreali oceano Pyreneum vſq; porrecta ſunt, adeo poteſtati veſtræ cuncta ſubiecerit, vt in his ſolum hos beatos reputaret opinio, qui in veſtris oculis poterant complacere. Et ne veſtram gloriam mobilitas poſſet mundana cõcutere, vos in his, quæ Dei ſunt, voluit immobiliter radicare. Et diſſuadente matre ſua, regno reclamante, Eccleſia Dei, quoad licuit, ſuſpirante, & ingemiſcente, vos in eam quam præſtis dignitatem modis omnibus ſtuduit ſublimare, ſperans ſe de cætero regnare fœliciter, & ope veſtra & conſilio ſumma ſecuritate gaudere. Si ergo ſecurim accipit, vnde ſecuritatem ſperabat, quæ de vobis erit in cunctorum ore narratio? Quæ retributionis hactenus inauditæ remuneratio vel rememoratio? parcatis ergo, (ſi placet) famæ veſtræ, parcatis & glorię, & humilitate dominũ noſtrum, filiumq; veſtrũ charitate vincere ſtudeatis. Ad q; ſi noſtra vos monita mouere nequeũt, debet ſaltem ſummi pontificis, ſanctæq; Romanæ Eccleſiæ dilectio, & fidelitas inclinare. Vobis enim ſuaderi debet è facili, ne quid attentare velitis, quod laboranti iamdiu matri veſtræ, labores augeat, quo vel multorũ inobedientiã deploranti in eorum qui obediũt amiſſione dolor accreſcat. Quid. n. ſi veſtra quod abſit exacerbatione, vel opera, dominus noſter, quem largiente domino populi ſequuntur & regna, à domino papa receſſerit? Ipſumq; fortaſſis aduerſum vos ſolatia denegantem, ſequi de cætero declinauerit? Ipſum namq; in hoc, quæ ſupplicationes, quæ dona quot quantaue promiſſa ſollicitant? In petra cũ huc vſq; firmus perſtitit, & totum, quod mundus offerre poteſt, victor alta mente calcauit. Vnum nobis timori eſt, vt quem oblatæ diuitiæ, & totum, quod in hominum gloria pretioſum eſt, flectere nequiuerunt, animi ſui valeat indignatio ſola ſubuertere. Quod ſi per vos acciderit in threnos *Ieremiæ* totus ire poteritis, & lachrymarum fontem oculis veſtris de cætero negare nulla quidem ratione poteritis. Reuocetis itaq;, ſi placet, ſublimitati veſtræ conſilium, domino quidẽ papæ, ſanctęq; Romanæ Eccleſię, vobis etiam (ſi placet) aduertere, modis omnibus, ſi ꝓceſſerit, obfuturũ. Sed q penes vos alta ſapiunt, vos forte hac via progredi non permittunt. Hortãtur experiri in dominũ noſtrum regem, quis ſitis, & in omnia quæ ſua ſunt poteſtatẽ exercere qua peſtis. Quæ nimirum poteſtas peccanti timenda eſt, ſatisfacere nolenti formidanda. Dominum vero regem non quidem peccaſſe nunquam dicimus, ſed ſemper domino paratũ ſatisfacere confidenter dicimus, & prædicamus. Rex à domino conſtitutus paci prouidet ſubiectorum per omnia vt hanc conſeruet Eccleſiis & commiſſis ſibi populis, dignitates regibus ante ſe debitas & exhibitas ſibi vult exhiberi, & exigit. In quo ſi inter ipſum & vos aliqua aborta eſt contentio, à ſummo ſuper hoc pontifice paterna gratia per venerabiles fratres noſtros Lundonienſem & Herefordenſem epiſcopos conuentus & cõmonitus, non in cœlum os ſuum poſuit: ſed de omnibus in eccleſia vel eccleſiaſtica perſona quæcunq; ſe grauatam oſtenderet ſe non alienum quærere, ſed eccleſiæ regni ſui pariturum iudicio humiliter & manſuete reſpondit. Quod quidem & factis implere paratus eſt, & dulce reputat obſequiũ, cum monetur vt corrigat ſi quid offenderit in Deũ. Nec ſolum ſatisfacere, ſed & ſi ius exigat in hoc ſatis dare paratus eſt. Si & ſatis dare ſatiſq; facere volẽ-

tem

tem Eccleſiæ ſe iudicio in his,quæ Eccleſiæ ſunt nec in modico ſubtrahentem,colla *Chriſti* iugo ſubdētem,quo iure,qua lege,quoue canone,aut interdicto grauabitis, aut ſecuri, quod abſit,euangelica præcidetis? Non impetu quidem ferri ſed iudicio prudenter regi laudabile eſt. Vnde noſtrum omnium vna eſt in commune petitio; ne conſilio præcipiti mactare pergatis,& prodere. Sed commiſſis ouibus, vt vitam, vt pacem, vt ſecuritatem habeant,paterna ſtudeatis gratia prouidere. Mouet quidem nos omnes, quod in fratrem noſtrum dominum Salesbirienſem Epiſcopum,& decanum eius,præpoſtere, vt quidam æſtimant,nuper actum audiuimus. In quos ſuſpenſionis, aut damnationis pœnam ante motam de culpa controuerſiam,calorem,vt videtur,iracundiæ, pluſquam iuſtitiæ ſecuti tramitem,intorſiſtis. Ordo iudiciorum nouus hic eſt, hucuſque legibus & canonibus,vt ſperamus,incognitus,damnare primum,& de culpa poſtremo cognoſcere. Quem ne in dominum noſtrum regem, & regnum eius,nec in nos, & commiſſas nobis Eccleſias & parochias in domini papæ damnum, ſanctæq; Eccleſiæ Romanæ dedecus, & detrimentum, veſtræq; confuſionis augmentum non modicum exercere tentetis & extendere: remedium vobis appellationis opponimus,& qui contra metum grauaminum, in facie Eccleſiæ, viua iamdudum voce ad dominū papam appellauimus; iterato iam nunc ad ipſum ſcripto, etiam appellamus, & appellationi terminum diem aſcenſionis Dominicæ deſignamus. Quanta quidem poſſumus deuotione ſupplicantes,vt inito ſalubriori conſilio, veſtris,ac noſtris laboribus,expenſiſq; parcatis, cauſamq; veſtram, in hoc vt remedium habere queat ponere ſtudeatis. Valere vos optamus in Domino pater.

EPISTOLA SVFFRAGANEORVM CANTVARIENSIS ECCLESIÆ ad Alexandrum ſummum Pontificem.

PAtri ſuo,& domino ſummo pontifici *Alexandro*, prouinciæ Cantuarienſis Epiſcopi, & perſonæ per eorundem diœceſes locis pluribus, conſtitutæ domino patriq; debitum charitatis,& obedientiæ famulatum. Veſtram (pater)meminiſſe credimus excellentiam: vos deuotum filium veſtrum; dominumq; noſtrum chariſſimum,illuſtremq; regem Anglorum,per venerabiles fratres noſtros Lundonienſem,& Herefordenſem Epiſcopos directis iamdudum literis conueniſſe,& de corrigendis quibuſdam,quę ſanctitati veſtrę, in ipſius regno corrigenda videbantur,paterna gratia commonuiſſe. Qui mandatum veſtrum debita veneratione ſuſcipiens, vt ſatis notum eſt, ad veſtra quidem mandata non iratus intumuit,non elatus obedire contempſit: verum gratias agēs paternæ correptioni, Eccleſiæ ſe ſtatim ſummiſit examini: aſſerens de ſingulis quæ iuxta veſtri formam mandati ſibi diligenter expreſſa fuerunt; Eccleſiæ regni ſui ſe pariturum iudicio;& quæ corrigenda decerneret,ipſius ſe conſilio laudabili quidem, & in principe digne commēdabili deuotione correcturum. Ab hoc vero non recedit propoſito,nec mentem reuocat à promiſſo. Sed qui ſedeat,qui cognoſcat, & iudicet: ipſe diuini reuerentia timoris,non maieſtatē præferens,ſed vt filius obediens iudicio ſiſtere,legitimeq; parere ſententię,ſeq; legibus alligatum principem,præſto eſt in omnib. exhibere,filius obediens. Vnde nec interdicto,nec minis nec maledictionum aculeis ad ſatisfactionem vrgere neceſſe eſt diuinarū ſe legū exanimi ſubdentem. Eius.n.opera,nequaquam ſe luci ſubtrahūt: nec occultari tenebris aliqua ratione depoſcūt. Rex namq; fide Chriſtianiſſimus in copula caſtimoniæ coniugalis honeſtiſſimus,pacis & iuſtitiæ conſeruator,& dilatator incomparabiliter ſtrenuiſſimus,hoc votis agit totis,in his feruet deſideriis, vt de regno ſuo tollantur ſcandala, cū ſpurcitiis ſuis eliminentur peccata,pax totū obtineat atque iuſtitia,& alta ſecuritate & quiete placita ſub ipſo gaudeant & refloreant vniuerſa. Qui cū pacē regni ſui enormi inſolentiū quorundā clericorū exceſſu, non mediocriter aliquando turbari cognoſceret: clero debitā exhibēs reuerentiā,eorundē exceſſus ad Eccleſiæ iudices retulit Epiſcopos, vt gladius gladio ſubueniret: & pacē,quā regebat & fouebat in populo,ſpiritualis poteſtas fundaret,& ſolidaret in clero. Qua in re partis vtriuſq; zelus innotuit Epiſcoporū in hoc ſtāte iudicio: vt homicidiū,& ſi quid eiuſmodi eſt,exauctoratione ſola puniretur in clero. Rege vero exiſtimante pœnam hanc,non condigne reſpondere flagitio, nec ſtabiliendæ paci bene proſpici,ſi lector aut acolytus perimat,quam præclara nitentem virū religione vel dignitate vt ſola iā dicti ordinis amiſſione tutus exiſtat. Clero itaq; ſtatuto cœlitus ordini deferente,domino vero rege peccatū iuſto ſicut ſperat odio perſequente, & pacē altius radicare intendēte,ſancta quædā oborta eſt cōtentio,quā excuſat (vt credimus)apud dominū ſimplex vtriuſq; partis intentio. Hinc non dominationis ambitu,non opprimendæ Eccleſiaſticæ libertatis intuitu; ſed ſolidandæ pacis affectu, eam progreſſus eſt,vt regni ſui conſuetudines & dignitates regibus ante ſe in regno Angliæ à perſonis Eccleſiaſti-

cis obſeruatas & pacifice reuerenter exhibitas dominus noſter rex deduci vellet in medium. Et ne ſuper his contentionis *funis traheretur in poſterum, notitiæ publicæ delegari, adiuratis itaque per fidem, & per eam, quæ in Deum ſpes eſt maioribus natu Epiſcopis, aliiſq; regni maiorib⁹ retro acti temporis inſinuato ſtatu, dignitates requiſitæ palam prolatæ ſunt, & ſummorum in regno virorum teſtimoniis propalatæ. Hæc eſt domini noſtri regis in Eccleſiam Dei toto orbe declamata crudelitas, hæc ab eo perſecutio, hæc opera eius, inter nos vel vndiq; diuulgata malignitas. In his tamen omnibus ſi quid periculoſum animæ, ſi quid ignominioſum Eccleſiæ continetur, id veſtra monitus atque motus auctoritate, ob reuerentiam *Chriſti*, ob Eccleſiæ ſanctæ, quam ſibi matrem profitetur, honorificentiam, ob animæ ſuæ remedium, Eccleſiæ regni ſui conſilio ſe correcturum deuotione ſanctiſſima iam diu pollicitus eſt, & conſtantiſſime pollicetur. Et quidem pacis optatum finem, *noſter pater, vt ſperamus, obtinuiſſet iam poſtulatio: ſi non itas iam ſopitas, & fere prorſus extinctas, patris noſtri domini Cantuarienſis de nouo ſuſcitaſſet exacerbatio. Verum hic, de cuius patientia pacem, de cuius modeſtia redintegrationem hucuſq; gratiæ ſperabamus; ipſum quem monitis emollire, quem meritis & manſuetudine ſuperare debuerat, per triſtes & terribiles literas, deuotionem patris aut pōtificis patientiam minime redolentes, cum in pacis perturbatores exercitium nuper ageret, dure ſatis & irreuerenter aggreſſus eſt. In ipſum excommunicationis ſententiam in regnum eius interdicti pœnam acerrime comminando: cuius ſi ſic remuneratur humilitas? quid in cōtumacem ſtatuetur? Si ſic æſtimatur obediendi prompta deuotio, in obſtinacē peruerſitatem quonam modo vindicabitur? Minis quoq; grauibus ſuperaddita ſunt grauiora. Quoſdam namque fideles & familiares domini regis, primarios regni proceres, regiis ſpecialiter aſſiſtentes ſecretis, in quorum manu conſilia regis & regni negotia diriguntur, non citatos, non defenſos, non vt aiunt culpæ ſibi conſcios, non conuictos, aut confeſſos, excommunicationis innodauit ſententia, & excommunicatos publice denuntiauit. Adiecit etiam, vt venerabilem fratrem noſtrum Saliſbirienſem Epiſcopum, abſentem & indefenſum, non confeſſum, aut conuictum, ſacerdotali prius & Epiſcopali ſuſpenderet officio, quam ſuſpenſionis eius cauſa comprouincialium aut aliquorum etiam fuiſſet arbitrio comprobata. Si hic itaq; iudiciorum ordo circa regem, circa regnum, tam præpoſtere, ne dicamus, inordinate proceſſerit: quidnam conſequi poſſe putabimus? Dies enim mali ſunt, & occaſionem habentes malignandi quamplurimam, niſi vt tenor pacis, & gratiæ, quo regnum & ſacerdotium vſq; modo cohærent, abrumpatur, & nos cum commiſſo nobis clero in deſperſionem abeamus exilii, aut à veſtra, quod abſit, fidelitate recedentes, ad ſciſmatis malum in abyſſum iniquitatis & inobedientiæ peruoluamur. Compendioſiſſima quippe via hæc eſt ad omne religionis diſpendium, ad cleri pariter populiq; ſubuerſionem, & interitum. Vnde ne Apoſtolatus veſtri tempore tam miſere ſubuertatur Eccleſia: ne dominus noſter rex & ſeruientes ei populi à veſtra, quod abſit, auertantur obedientia: ne totum, q̄ priuatorum conſilio machinatur, poſſit in nos domini Cantuarienſis iracundia aduerſus eum & eius mandatā, domino noſtro regi, aut regno eius, nobis, aut commiſſis nobis Eccleſiis grauamen aliquod importantia; ad ſublimitatem veſtram voce & ſcripto appellauimus: & appellationi terminum diem Aſcenſionis Dominicæ deſignauimus: eligentes apud vos in omne quod ſanctitati veſtræ placuerit humiliari, quam ad ſublimes ipſius animi motus, noſtris non id exigentib. meritis, de die in diem tædioſiſſime prægrauari. Conſeruet incolumitatem veſtram Eccleſiæ ſuæ in longa tempora profuturam omnipotens dominus in *Chriſto* dilecte pater. Eodē anno obiit *Robertus* de Chennei Epiſcopus Lincolnienſis, ſexto Idus Ianuarii. Eodem anno *Almaricus* rex Ieruſalem cepit Babyloniam & fecit eam ſibi tributariam. Anno gratiæ 1168. qui erat annus decimus quartus regni regis *Henrici*, filii *Matildis* imperatricis, *Richardus* Comes de Strigull, magno congregato exercitu, inuaſit Hyberniam, & maximam illius partem ſubiugauit ſibi, auxiliante ei *Milone* de Coggeham, viro bellicoſo, & facta concordia cum rege Diuiliniæ, filiam illius in vxorem duxit cum regno Diuiliniæ. Eodem anno obiit W*ido* Cremenſis ſecūdus Antipapa, cui ſucceſſit *Iohannes* Abbas de Struine, qui appellatus eſt papa *Calixtus*. Eodem anno obiit *Robertus* Comes Leiceſtriæ ſummus Angliæ Iuſticiarius.

al. funus

al. noſtrà

EPISTOLA BEATI THOMAE CANTVAR. EPISCOPI *ad Gillebertum Lundonienſem Epiſcopum de ſententia in eum prolata.*

T*Homas* Dei gratia Cantuarienſis Archiepiſcopus & Apoſtolicæ ſedis legatus, *Gilleberto* Lundonienſi Epiſcopo, vtinam vero fratri, declinare à malo, & facere bonum. Excelluſ

ceſſus veſtros, dum licuit, ſupportauimus: & vtinam manſuetudo patientiæ noſtræ, quæ nobis vltra modum damnoſa extitit, in totius eccleſiæ perniciem non redundet. Sed quia patientia noſtra ſemper abuſi eſtis, & neque dominum papam nec nos in verbo ſalutis veſtræ voluiſtis audire: ſed obduratio veſtra in deteriora ſemper creuit, vos vrgēte neceſſitate officii, & ratione iuris perſuadente, ex iuſtis & manifeſtis cauſis anathematis ſententia percellentes excommunicauimus; & à corpore *Chriſti*, quod eſt eccleſia, donec condigne ſatisfaciatis, amputauimus. Præcipimus igitur in virtute obedientiæ, in periculo ſalutis, dignitatis, & ordinis, quatenus prout forma eccleſiæ præſcribit, ab omnium cōmunione fidelium abſtineatis: ne veſtra participatio Dominicum contaminet gregem ad ruinam, qui veſtra doctrina erudiendus, & exemplis informandus erat ad vitam.

EPISTOLA BEATI THOMAE CANTVARIENSIS archiepiſcopi ad capitulum Lundonienſis eccleſiæ de vitandis excommunicatis.

THomas Dei gratia Cantuarienſis archiepiſcopus, & apoſtolicæ ſedis legatus, decano, & archidiacono, & clero Lundonienſis eccleſiæ, ſalutem, & à communione excommunicatorum fideliter abſtinere. Veſtram non debet latere prudentiam, quod fere totus Latinus orbis agnouit, quam inique ſumpta opportunitate, ex cauſa ſciſmatis generalis, *Gillebertus* Lundonienſis Epiſcopus frater noſter, vtinam verus, in cauſa Eccleſiæ verſatus ſit, & pacem eius ſtuduerit perturbare. Supportauimus enim in multa patientia hactenus, qua ille ſemper abutens, iugis inobedientiæ crimen multiplicatis exceſſibus incorrigibiliter cumulauit. Nos ergo quibus vltra diſſimulare non licuit, cum vrgente neceſſitate officii, & ratione iuris perſuadente publice excommunicauimus; & vobis præcipimus, in virtute obedientiæ, & in periculo ordinis, & ſalutis, vt à communione eius, ſicut *Chriſti* fideles decet, prorſus abſtineatis. Similiter & alios ſub eadem interminatione præcipimus euitare, quorum nomina inferius ſcripta ſunt. Simili quoque ſententia Deo auctore, eos, qui à nobis ſolemniter citati ſunt, niſi interim ſatisfecerint, condemnabimus in die Aſcenſionis; ſcilicet & *Gillebertum* Cantuarienſem archidiaconum, & *Robertum* vicarium eius, *Richardum* de Iuecceſtre *Richardum* de Luci / *Willielmum Giffardum*, *Adam* de Cheringes / & eos qui ex mandato regis, vel propria temeritate, noſtra vel clericorum noſtrorum occupauerunt bona, & eos, qui ope, vel conſilio domini regis animum aduerſus libertatem eccleſiæ, & innocentum proſcriptionem, & depopulationem inſtigaſſe noſcuntur, & qui nuntios domini papæ, & noſtros ne perſequantur eccleſiæ neceſſitates impediunt. Non turbetur cor veſtrum in his, neque formidet, quia contra tergiuerſationes malignantium & appellationum ſubterfugia Deo propitio ſedis Apoſtolicæ munimine tuti ſumus. Hæc ſunt nomina excommunicatorum. *Iocelinus* Sareſbirienſis Epiſcopus; Comes *Hugo*, *Ranulphus* de Broc / *Thomas* filius *Bernardi*, *Robertus* clericus de Broc / *Hugo* de ſancto *Claro*, *Letardus* clericus de Norflicta, *Nigellus* de Saccauilla, *Richardus* frater *Willielmi* de Haſtinges, qui eccleſiam noſtram de nouo Cotona occupauit. Valete.

EPISTOLA BEATI THOMAE ARCHIEPISCOPI ad Robertum Herefordenſem Epiſcopum.

THomas Dei gratia Cantuarienſis eccleſię humilis miniſter, venerabili fratri *Roberto* eadem gratia Herefordenſi epiſcopo ſalutem, & perſeuerantem in iuſtitia & matris eccleſiæ defenſione conſtantiam. Ad ſanctorum gloriam, & reproborum damnationem neceſſe eſt ſcandala prouenire: in tribulationibus probentur electi, qui per patientiam coronam adquirunt ſibi, & aliis proficiunt per exemplum. Sed væ illi, per quem ſcandalum venit. Quia ergo Lundonienſis epiſcopus non parcit à ſcādalis, ſed inter cætera patentis maliciæ opera, poſtquam Sathanæ traditus eſt, etiam contra matrē ſuam & veſtram ſanctam Cantuarienſem eccleſiam, tam impudenti audacia, & parricidali impietate, calcaneum erexit, vt dicere auſus ſit, ſe ei, ex quo translatus eſt, nullam debere ſubiectionem, aut obedientiam exhibere. Et ad cumulum damnationis ſuæ adiecit, quod cathedram archiepiſcopalem ad Eccleſiam Lundonienſem transferri faciet. Fraternitatem ergo veſtram, de qua plene confidimus, quanta poſſumus affectione rogamus, quatenus pro matre veſtra defenſionis clypeum opponatis filio *Belial*, qui præ cæteris allophylis, tanquam alter *Goliath* de Geth, ſolus auctore Domino de caſtris incircumciſorum progredi non erubuit, nec timuit vniuerſitatem filiorum Cautuarienſis Eccleſiæ ad certamen prouocare, dum matris eorū ſanguinē ſitit, & catholicæ pacis deſerit vnitatē. Scripſerat domino papæ

pro fratre noſtro Eboracenſi Archiepiſcopo: ſolicitans eum atteſtatione mendaci, & mẽdoſa, vt eum pateretur crucem deferre per prouinciam noſtram, neſcio quid emolumenti ſibi ſuſpicans euenturum, ſi odio perſonæ noſtræ Eccleſiam, cui ex profeſſione fidem & obedientiam debet, quocunque læſiſſet modo. Sed *Chriſtus*, qui Cantuarienſem Eccleſiam a prima fundatione inter turbines varios & magnas multaſq; procellas rexit & fouit, miſericorditer operatus eſt, vt in pleno conſiſtorio per teſtes omni exceptione maiores reuelaretur falſitas & iniquitas eius. Deo autem in primis gratias agimus, deinde vobis & cæteris fratrib. noſtris, qui vos, vt oportuit, ex quo eum conſtitit anathemate condemnatum, ab illius participatione vos ſuſpendiſtis, & tam illum, quam cæteros excommunicatos veſtros, per Epiſcopatum veſtrum edicto publico iuſſiſtis euitari. Claruit hic fides veſtra, conſtantia virtutis effulſit, quæ publicæ poteſtatis & officialium minas æque vt blanditias mandatis Dei cenſuit poſtponendas. Liberaſtis conſcientias veſtras, famam ſeruaſtis, dum tam verbo veritatis quam fortitudinis exemplo docuiſtis, quod Deo potius oportet quam hominibus obedire. Certum itaq; habeat ſinceritas, quandoquidem tanta charitas Dei per Spiritum ſanctum diffuſa in cordib. veſtris teſtimonio clari operis proceſſit in publicum, ſeruili timore depulſo, & expulſo: quod Deus cito Satanam conteret ſub pedibus veſtris, & de certamine educet prouẽtum glorioſum. Et quidem tanto citius & glorioſius, quanto feruentius & conſtantius in incœpta percepta veritate. Vnde vos oramus & obſecramus in charitate Dei, & obteſtamur per fidem, per obediẽtiam, per ſinceritatis affectionem, quam matri veſtræ Cantuarienſi Eccleſiæ debętis; quatenus ad tuendam dignitatem, & iura Cantuarienſis Eccleſiæ, cui profeſſionem exhibuiſtis, contra præfatum Epiſcopum exurgatis in auxilium nobis, & domino papæ ſcribatis & curiæ teſtimonium veritatis, quale filios pro matre Eccleſia reddere decet. Nam qui illud ſubtraheret in articulo tantæ præſumptionis, proculdubio infidelis habendus eſſet, & infideli deterior, in quem ius exigeret vſq; ad internecionem omnes fideles irruere. Nec tamen res iſta quicquam poteſt haberę periculi, cum veritas perſpicua ſit, & (vt dici ſolet) lippis & tonſoribus patens. Sed quia maledictus eſt, qui gladium reuocat à cruore, & peſtilens flagellandus eſt, vt erudiatur ſapiens ad ſalutẽ: ſe ipſum legis ſubiicit maledicto quicunq; parricidæ cum lapide non occurrit & gladio. Videtur namq; parare conſenſum, qui cum poſſit non arguit aut impedit talia cõmittentem. Et ne à nobis diſtrictius exigatur, ſi eorũ, qui Eccleſiam perſequuntur, & quos vt pœnitentiam agerent in multa patientia iam ferę toto quinquennio ſupportauimus, magnas, & manifeſtas vlterius diſſimulauerimus culpas, fraternitati veſtrę denuntiamus nos publice excommunicaſſe, *Gaufridum* Cãtuarienſem Archidiaconum & *Robertum* vicarium eius, *Richardum* de Iuceſtre, *Willielmum Giffard*, Comitem *Hugonem*, *Richardum* de Luci, *Adam* de Cheringes, & item eos, qui officia vel beneficia Eccleſiaſtica contra ſacrorum canonum inſtitutionem de manu laica acceperunt, vel ea vſurpauerunt propria auctoritate. Similiter & illos qui domini papæ nuntios & noſtros, ne Eccleſiæ neceſſitates proſequantur, impediunt: vobis ergo auctoritate domini papæ & noſtra mãdamus, quatenus tales eos habeatis, & in Epiſcopatu veſtro habere faciatis, quales haberi debere ſolenniter excommunicatos ſacrorum canonum diſciplina præſcripſit. Valeat ſemper in domino veſtra fraternitas; & nos, & cauſam Dei, quę in manibus noſtris eſt, ſanctorum orationibus commendare meminerit.

Eodem anno *Gwido* de Leſzennam interfecit *Patricium* Comitem Salesbirienſem redeuntem in peregrinatione à ſancto *Iacobo*. Vnde *Henricus* rex Angliæ plurimum iratus expulit eum de Pictauia. Qui accepta cruce peregre profectus eſt Ieroſolymam, & ibi remãſit in obſequio *Baldewini* leproſi regis Ieruſalẽ, & ꝓpter probitatẽ illius à rege, & principibus regni plurimum dilectus eſt, & honoratus. Vt autem ſciatur origo regum Latinorum, qui dominabantur in ſancta ciuitate Ieruſalem, vſque ad tempora *Saladini*, pauca repetamus, quæ ſuperius geſta ſunt. Itaq; ſciendum eſt, quod poſt captionem Antiochiæ, deuicto *Curberant* à *Roberto* duce Normãnorum, capta eſt à Chriſtianis ciuitas Ieruſalem, & erepta de manibus Paganorum, anno gratiæ milleſimo nonageſimo nono: & per electionem vniuerſorum exercitus *Godefridus* dux Lotharienſis, filius *Euſtachii* ſenioris Comitis Boloniæ, electus eſt in regem ſanctæ ciuitatis Ieruſalem. Sed coronari noluit: dicens ſe nunquam ibi geſtaturum coronam auream, vbi *Chriſtus* ſpineam portauit coronam. Quo defuncto ſine prole *Baldewinus* frater eius ſucceſſit ei in regnum, & coronatus eſt rex. Iſte fuit primus Latinorum rex coronatus in ſancta ciuitate Ieruſalem. Nam ante illud tẽpus quamdiu fuerat in manu Chriſtianorum, fuerũt ibi reges Græci. Defuncto aũt *Baldewino* rege, *Baldewinus* filius eius ſucceſſit ei in regno, & coronatus eſt. Qui vnicã* habuit filiam ſibi in regno ſucceſſuram. Quo defuncto, principes regni miſerunt pro *Fulcone* fratre

Genealogia regũ, qui dominabantur in Ieruſalẽ vſq; ad tempora Saladini.

al. genuit

fratre *Gaufridi* Comitis Andegauiæ,& dederunt ei prædictam filiam regis *Baldewini* in vxorem cum regno Ieroſolymitano,& coronati ſunt. *Fulco* itaq; rex genuit ex vxore ſua filia regis *Baldewini* duos filios: quorum primogenitus dicebatur *Baldewinus*,& alter *Amauri*. *Baldewinus* ſucceſſit *Fulconi* patri ſuo in regnum,& coronatus eſt. Quo decedente ſine prole, *Amauri* frater eius ſucceſſit ei in regnum,& coronatus eſt. Iſte *Amauri* cepit Babyloniam,& fecit illam ſibi tributariam. Iſte *Amauri* regnauit vndecim annis, & genuit *Balduinum* leproſum,& duas filias: quarum primogenita vocabatur *Sibilla*,& altera *Mileſent*. *Baldewinus* leproſus ſucceſſit *Amauri* patri ſuo in regnum,& coronatus eſt, qui regnauit duodecim annis,& vxorem ducere noluit. In diebus autem illius operatus eſt Deus pro illo in terra Ieroſolymitana multa mirabilia. Nam licet ipſe leproſus eſſet,multitudo tamẽ Paganorum ſæpius ab eo confecta eſt,& demolita. Iſte *Balduinus* leproſus conſilio principum ſuorum miſit pro *Willielmo* de Marchis de Munferrat,& dedit ei in vxorem *Sibillam* ſororem ſuam cum Comitatu Ioppen. Iſte vero *Willielmus* de Marchis genuit ex *Sibilla* vxore ſua filium vnum dictum *Baldewinum*. quem *Baldewinus* leproſus conſtituit ſibi hæredẽ,& depoſuit ſeipſum a regno, & tradidit illud *Baldewino* puero nepoti ſuo: & fecit eum inde coronari. Et paulo poſt obiit *Willielmus* de Marchis, pater *Baldewini* pueri iam regis, & *Sibilla* vxor eius mater regis pueri, nupſit prædicto *Guidoni* de Leſzinnan. & paulo poſt obiit *Baldewinus* rex leproſus,& *Baldewinus* puer nepos eius regnauit pro illo duobus annis,& dimidium anni. *Guido* autem de Leſzinnan Comes Ioppen dedit *Amfrido* de Turonis *Mileſent* ſororem vxoris ſuæ in coniugem.

Anno gratiæ 1169. qui erat annus decimus quintus regni regis *Henrici* filii *Matildis* Imperatricis, obiit *Nigellus* Elienſis Epiſcopus venerabilis heremita, & monachus ſanctus *Godridus* de Finchale migrauit ad Dominum. Eodem anno *Henricus* rex Angliæ timens, quod beatus *Thomas* Cantuarienſis Archiepiſcopus in perſonam ipſius excommunicationis ſententiam,& in regnum eius proferret interdictum, appellauit pro ſe,& regno ſuo ad præſentiam ſummi pontificis; & miſſis ad eum legatis, petiit mitti in Angliam a latere ſuo vnum, vel duos legatos, ad cognoſcẽdam cauſam, quæ vertebatur inter ipſum, & *Thomam* Cantuarienſem Archiepiſcopum ; & ad eam determinandam ad honorem Dei, & ſanctæ Eccleſiæ; & vt prædicti, quos Cantuarienſis Archiepiſcopus excommunicauerat, interim abſoluerentur. Vnde dominus Papa in hac forma ſcripſit.

EPISTOLA ALEXANDRI AD HENRICVM regem Angliæ.

ALexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, illuſtri Anglorum regi *Henrico* ſalutem,& Apoſtolicam benedictionem. Magnificentiæ tuæ nuntios, ſcilicet dilectos filios noſtros *Iohannem Cumin*,& *Radulfum* de Tamewrde nobis,& Eccleſiæ Dei deuotos,& regiæ ſublimitati (ſicut credimus) per omnia fideliſſimos, & literas, quas excellentia tua nobis per eoſdem tranſmiſit, tanto benigniori mente ſuſcepimus, & tãto eos maiori gratia præuenimus,& honore, quanto plenius ſciuimus ipſos à magnifico principe,& rege Chriſtianiſſimo fuiſſe tranſmiſſos: cui vtiq; omnem, quam cũ Deo poſſumus, gloriam cupimus & honorẽ,& ad cuius incrementũ modis omnib. quibus honeſte poterimus, nos & fratres noſtri ac tota Eccleſia quanto deuotiſſimæ ſinceritatis tuæ affectum in maiori ſumus neceſſitate experti, tanto ardentius intendimus aſpirare. Non enim tuæ deuotionis inſignia nobis tẽpore tã opportuno exhibita à noſtra in poſterũ memoria, vlla poterit ratione diuelli, vel in cõſpectu Eccleſiæ aliqua deſuetudine inumbrari. Petitiones quoq; tuas, quas nobis per iã dictos nuntios tuos miſiſti, in quibus cũ Deo & honeſtate noſtra potuimus, ſicut iidẽ magnificentiæ tuæ nuntii viua voce plenius enarrabunt, curauimus executioni mãdare. Perſonas ſiquidẽ de latere noſtro, iuxta q̃ rogaſti, licet nobis grauiſſimũ, ac difficillimũ hoc tempore maxime videatur aliquos à nobis emittere, cum fratrũ noſtrorum & eorũ præſertim quos tu deſideras præſentia & conſilio opus habeamus, illius tamen recolendæ, ac magnificæ deuotionis tuæ, vt diximus, non immemores exiſtentes, ad ſublimitatis tuæ præſentiam duximus deſtinandas cũ plenitudine poteſtatis, Eccleſiaſticas cauſas, quæ inter te & venerabilẽ fratrẽ noſtrũ Archiepiſc. Cantuarienſem hunc inde vertũtur, & illã quę inter eundẽ Archiep. & Epiſc. regni tui ſuper appellatione ad nos facta mouetur, nec non alias cauſas terræ quas nouerint expedire, cognoſcẽdi iudicãdiq;, & prout ſibi dominus adminiſtrauerit, canonice terminandi. Eidẽ quoq; Archiepiſcopo ne te aut tuos ſeu regnũ gubernationi tuæ cõmiſſum, donec cauſæ illæ debitũ ſortiantur effectũ, in aliquo grauare vel turbare aut inquietare attentet, omnimodis inhibemus. Verũ ſi pfatus

Archiepiſcopus in te, aut regnum tuum, vel perſonas regni interim aliquam ſententiam tulerit, nos eam irritam eſſe, & non te tenere cenſemus. ad indictionem autem huius rei, & argumentũ noſtræ voluntatis, literas præſentes, ſi articulus ingruerit neceſſitatis oſtendas. Alioquin ſerenitatem tuam rogamus, & attentius commonemus, vt literas ipſas, aut earum tenorem à nullo ſciri permittas, ſed eas habeas omnino ſecretas. Illos autem familiares, & conſiliarios tuos, quos iam dictus Archiepiſcopus ſentẽtiæ excommunicationis ſubiecit, perſonę de latere noſtro tranſmiſſæ, domino auctore, abſoluent. Si autem aliquis illorum interim metu mortis laborauerit, præſtito ſecundum Eccleſiæ conſuetudinem iuramento, quod noſtro ſi conualuerit debeat parere mãdato, ipſum ab aliquo Epiſcopo, vel religioſo, & diſcreto viro, abſolui concedimus.

Venientibus itaque in Normanniam præfatis domini Papæ legatis, quidam Cantuarienſis Eccleſiæ ſuffraganei in hæc verba, ſcripſerunt. Medicinæ potius eſt quam querelæ. Nam peccatis exigentibus, inter malleum, & incudem poſita ſancta mater Eccleſia, & niſi diuina ſuper eam reſpiciat miſeratio, ictum mallei eſt ſenſura. Crebreſcẽte enim nequitia ſchiſmaticorum, pro fidei ſuæ defenſione, & amore iuſtitiæ, pater patrem exulat à patria, & ne ad propriam ſedem liber pateat ei regreſſus prohibet Pharaonis animus induratus. Accedit ad hoc, quod Cantuarienſis Eccleſia, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus miſerabiliter imminuitur. Quæ tanquam nauis mari proprio rectore deſtituta fluctuat, & ventis exponitur, dum eius paſtor infra nationis ſuæ terminos regia poteſtate remanere prohibetur. Qui ſuo & ſuæ Eccleſiæ, noſtro etiam ſapiens periculo pœnarum & laborum ſecum nos expoſuit acerbitati: non conſiderans quoniam blandiri oportet non detrahere poteſtati. Qui nobis, licet eius laboribus totis affectibus compatiamur, ingratus exiſtit. Et nos cum in eadem ſimus damnatione proſequi non deſiſtit. Inter ipſum ſiquidem & ſereniſſimum regem Anglorum quædam controuerſia verſabatur. de vtriuſque voluntate dies præfigitur, vt in ea iuſtitia mediante illorum controuerſia terminetur. Ad eandem diem ex præcepto regio Archiepiſcopi, Epiſcopi, & cæteri prælati clericorum conuocantur, vt quanto generalior eſſet concilii celebratio, tanto manifeſtior fieret fraudis & malitiæ denudatio. Conſtitutà die Catholici principis aſpectui ſe præſentat regni turbator & Eccleſiæ, qui de ſuorum meritorum qualitate non ſecurus Dominicæ crucis ſe armat ſignaculo, tanquam ad tyranni præſentiam acceſſurus. Nec tamen inde regia maieſtas offenditur. Sed cauſæ ſuæ iudicium Epiſcoporum fidei committit, vt ſic ab omni ſuſpicione liberetur. Reſtabat ergo vt Epiſcopi cauſam iudicio terminarẽt, vt ſic diſſidentes in gratiam fœderarent, & diſſenſionis eorum materiam ſepelirẽt. Occurrit tamen ille, & prohibet ne de ipſo coram rege ſententia proferatur, vt ſic grauius ad iracũdiam regius animus accendatur. Cuius exceſſus facit quantitas, vt ipſe auctor cuiuslibet ſe debeat exponere vltioni, erubeſcens pœnam meritam deprecari, qui principem potentiſſimum in tempore perſecutionis Eccleſiæ, offendere non horruit. Cuius offenſio malleum perſecutionis augmentauit. Melius erat ſibi, vt fœlicitati ſuæ frænos imponeret, ne dum ad rerum cacumen præſumptuoſe peruenire nititur, præſumptionis merito ſuæ ad inferiora detrudatur. Et ſi eum non mouerent Eccleſiæ detrimenta, debebant eum ſaltem reuocare, ne contra regem ageret, à rege ſibi exhibita, tam in diuitiis quàm honoribus incremẽta. At obuiat aduerſarius, & obiicit, quod ipſum ſtare iudicio coram rege eſſet Apoſtolicæ ſedis dignitatis diminutio. Ac ſi neſciat quod ſi in illo iudicio aliquantulum Eccleſiæ dignitati derogaretur, diſſimulandum tamen erat, pro tempore, vt pax Eccleſiæ redderetur. Obiicit iterum, patris ſibi nomen aſcribens, quod arrogantiam videtur redolere, quod filii in patris damnationem minime debuerant conuenire. Sed ſi pater eſſet, inprimis ſuperbiam filiorum humilitas temperaret, ne poſt patrem in filiis patris odium parentaret. Liquet itaq; ex prædictis (patres ſanctiſſimi) quod aduerſarii noſtri irrita debet langueſcere occaſio, qui odii ſola malignitate impetebat, nullius rationis patrocinio fultꝰ, & quoniam nobis omnium Eccleſiarum ſollicitudo nõſcitur imminere.

Cùm igitur *Thomas* Cantuarienſis Archiepiſcopus, & nonnulli de coexulibus ſuis in octauis beati *Martini* inter Giſortium & Trie ad colloquium legatorum accederent; legati multa propoſuerunt ipſi Archiepiſcopo, de charitate domini Papæ, de ſollicitudine Eccleſiæ Romanæ, quam attentius circa eum huc vſque geſſerat, de laboribus ipſorum & itineris ſui periculis, de magnitudine regis Angliæ, & de neceſſitate Eccleſiæ, de malitia temporis, de amore & beneficiis, quib. rex Angliæ præuenerat eum, & de honore, quem rex ei ſemper exhibuit. Adiecerũt etiam querelas & iniurias, quibus rex Angliæ ſe ab ipſo læſum eſſe conqueſtus eſt: Imponens ei etiam inter cætera, quod ei excitauerat guerram regis Francorum. Quærentes conſilium, quomodo tantam indignationẽ placare poſſent,

quia

quia ſine multa humilitate,& moderatione,& honoris exhibitione,nouerant tantis periculis remedium adhiberi non poſſe. Cantuarienſis autem,in omni humilitate & manſuetudine ſpiritus.poſt gratiarum actionem domino Papæ & illis debitam, reſpondit ad ſingula,rationibus veris & probabilibus,querelas regis euacuans, & iniurias Eccleſiæ & damna intolerabilia patenter exponens. Et quia humilitatem & delationem honoris ab eo exigebant,reſpondit ſe libentiſſime omnem humilitatem exhibiturum, & honorem reuerentiæ quantumcunq; poſſet ſaluo honore Dei & libertate Eccleſiæ, & honeſtate ſuæ perſonæ,& poſſeſſionibus Eccleſiarum:& ſi eis videretur aliquid adiiciendũ,aut demendum,aut mutandum,rogauit vt ei conſilium darent: habens adquieſcendi propoſitum, ſalua conditione profeſſionis & ordinis.Illis autem dicentibus, ſe non veniſſe,vt ei,ſed vt eum conſulerent,& reconciliationis temperarẽt viam. Itẽ quæſitũ eſt ab Archiepiſcopo, an in præſentia legatorũ vellet promittere obſeruantiam conſuetudinũ,quibus prędeceſſorũ ſuorũ tempore reges vſi ſunt,& ſic ſopitis omnib. querelis redire in gratiam regis, & redire in ſedem ſuam, & adminiſtrationẽ,& pacẽ ſibi & ſuis. Ad hæc Archiepiſc.reſpõdit, nullũ prædeceſſorũ ſuorũ ſub aliquo regũ ad hanc profeſſionem fuiſſe arctatum. Neq; ſe, Deo auctore,promiſſurũ vnquam,vt obſeruet conſuetudines, quæ legi Dei patenter aduerſantur:ſed & Apoſtolicũ conuellũt priuilegium,Eccleſiæ perimũt libertatem. Quas dominus Papa Senonis in illorũ & multorũ præſentia condemnauit.& ipſe poſtea domini Papæ ſecutus auctoritatem quaſdam earum cum obſeruatoribus ſuis ſubiecit anathemati,ſicut in multis Conciliis Eccleſia catholica feciſſe dignoſcitur. Tũc interrogatus eſt, an ſi non confirmationem,ſaltem diſſimulationẽ, & tolerantiam vellet repromittere, aut non facta altrinſecus aliqua mentione conſuetudinũ recipere ſedem ſuam,& pacem. Reſpondit Archiepiſcopus, quod gentis noſtræ prouerbium eſt, quod taciturus prætendit ſpeciem confitentis. Et cum rex ſibi videatur eſſe in poſſeſſione conſuetudinum,& ad eas obſeruandas iniuſte & violenter cogat Eccleſiam: ſi ſic taciturnitate impetrata ceſſaret concuſſio,auctoritate legatorũ maxime interueniente,ſtatim ſibi, & aliis videretur obtinuiſſe in cauſa iſta. Adiecit ẽt,ſe malle exulare,perpetuo proſcribi,&,ſi Deus ita diſpoſuit, pro iuſticiæ defenſione mori,q̃ in ſalutis ſuæ diſpendium & præiudicium Eccleſiæ libertatis hanc ineat pacẽ. Deus.n.eſt,qui in tali cauſa tacere prohibet ſacerdotes,quibus diſſimulantib.gehennam præparauit:vbi nulla diſſimulatio erit pœnæ. Lectus eſt & libellus illarũ abominationũ,& quæſitum à Cardinalibus, an à Chriſtianis liceat talia obſeruari, nedum à paſtorib. diſſimulari. progreſſi ſunt ad aliam quæſtionem,ſciſcitantes, an eorum vellet ſtare iudicio ſuper his,quæ vertuntur inter ipſum & regẽ. Ille aũt ſe de cauſæ ſinceritate confidere reſpondit. Et cum ipſe & ſui qui à multo tempore deſtituti ſunt plene ad omnia fuerint reſtituti,habita ratione cauſarum & rerũ,& temporis,iuri libenter pariturũ, & ſe non poſſe nec velle declinare quin vbi & quando & quomodo debebit, ſubeat iudicium eius vel illorũ,cuius vel quorũ iudicio dominus Papa debere ſtare decreuerit. Interim ſe & ſuos ad litigandũ vrgeri non poſſe,nec paupertatẽ ſuã ad hoc ſufficere, cui etiam victualia deſunt,niſi Chriſtianiſſimi regis Francorum iuuatur expenſis. Noluit. n. prima facie declinare iudiciũ,& ſi aliquẽ eorũ iure optimo poſſit habere ſuſpectũ,ne cauſam regis iuſtificare videretur,nec ſe liti immergere antequã ſit ad omnia reſtitut⁹, vt poſſit cauſam ſufficienter inſtruere. Ea tempeſtate *Lodowicus* rex Francorum magno exercitu congregato,intrauit Normanniam,& combuſſit Andeli villã *Rotrodi* Rotomagenſis Archiepiſc.non reſiſtente *Henrico* rege Angliæ, in vindictam Calui montis nobilis Caſtelli regis Franciæ,quod prædictus rex Angliæ, anno præcedenti combuſſerat per Wallenſes ſuos. Eodem anno *Henricus* rex Angliæ cœpit per vim fortiſſimum Caſtellum, quod dicebatur Finuel,& demolitus eſt illud. Item eodem anno, ex quo reges in minore Brittannia deſierunt præeſſe,duo Comites in iiſdem locis principari cœperunt. Sed quoniam omnis poteſtas impatiens ſemper conſortis erit, ſeſe variis diſſenſionibus afflixerunt. *Conanus* tandem iure ſucceſſorio nactus Comitatum vtrunq; dum in fata concederet, ex ſorore regis Scottorum filiã reliquit hęredem. Quam rex Anglorum filio ſuo *Gaufrido* vxorem accipiens, & in pace paſſim per Brittanniam ſtatuenda ſtudioſus exiſtens, clerum terræ illius ſibi conciliauit & populum.

Anno gratiæ milleſimo centeſimo ſeptuageſimo,qui erat annus decimus ſextus regni regis *Henrici* filii *Matildis* imperatricis, idem *Henricus* tenuit ſolemne feſtũ apud Namnetim in Brittannia die natalis Domini, quæ quinta feria euenit. Deinde idem rex profectus eſt hoſtiliter in terram *Ludonis* Comitis,& eam fere totam deſtruxit, & ipſum Comitem Ludonem ad deditionẽ coegit. Deinde in prima hebdomada menſis Martii trans fretauit de Normannia in Angliam,inter Barbeflet/& Porteſmue: In qua transfretatione

ſæuiſſima tempeſtate quaſſatus à media noctis hora vſq; ad craſtinæ diei horã nonam, vix applicuit in Anglia apud Porteſmue. Cæteræ autem naues fere omnes, quæ cum eo erant, fractæ ſunt & comminutæ. quæ applicuerunt in diuerſis portubus Angliæ prout vis venti eas tulit. vna tamen illarum, quæ melior, & recentior cęteris omnibus erat, ſed infœlicior, * ſubmiſſa eſt, cum *Henrico* de Agnellis, & cum duobus filiis ſuis, & cum *Gilleberto* de Sullemni, & cum magiſtro *Radulfo* de Bealmunt medico, & familiari regis, & cum aliis numero quadringentis viris & fœminis. Deinde *Henricus* rex fecit *David* fratrem *Willielmi* regis Scottorum militem. Eodem anno fuit rex *Henricus* apud Windeſhores in ſolemnitate Paſchali. Deinde venit rex Londonias, & ibi depoſuit fere omnes vicecomites Anglię, & facta inquiſitione de priſis illorum per ſacramenta hominum regni, redemit eos. Deinde in feſto *S.* * *Bernardæ* apoſtoli idem rex magnum celebrauit concilium Londoniis, cum principibus, & magnatibus terræ ſuæ, de coronatione *Henrici* filii ſui, & Dominica ſequenti, quæ euenit decimo ſeptimo Kalendarum Iulii, clero & populo conſentientibus, & aſſentientibus, fecit ipſe prædictum *Henricum* filium ſuum coronari, & in regem cõſecrari apud Weſtmonaſterium, à *Rogero* Archiepiſcopo Eboracenſi, miniſtrantibus ei in illo officio *Hugone* Dunelmenſi epiſcopo, & *Waltero* Roſenſi epiſcopo, *Gilleberto* Londonienſi epiſcopo, & *Gocelino* Salesbirienſi epiſcopo nulla mentione facta de beato *Thoma* Cantuarienſi archiepiſcopo: ad quem coronatio illa & conſecratio de iure Eccleſiæ ſuæ ſpectabat. Et in craſtino coronationis illius fecit rex pater *Willielmum* regem Scottorũ & *David* fratrem ſuum, & Comites & Barones regni deuenire homines noui regis, & iurare ei fidelitates contra omnes homines ſalua fidelitate ſua. Cum autem conſtaret *Lodowico* regi Francorũ quod *Margareta* filia ſua non erat cum viro ſuo rege Angliæ coronata, magnum congregauit exercitum, & hoſtiliter intrauit Normanniam. Quo audito rex Angliæ pater, dimiſſo rege filio ſuo in Anglia, transfretauit in Normanniam, & pacem fecit cum *Lodowico* rege, in colloquio apud Wendoniam in feſto *S. Mariæ Magdalenæ*, promittens quod in proximo iterum faceret filium ſuum coronari, & vxorem ſuam cum eo. Deinde à colloquio illo venit rex pater in Normanniam & apud Motamgrani incidit in grauem ægritudinem, & diuiſit terras ſuas filiis ſuis in hunc modum. Dedit itaq; *Richardo* filio ſuo ducatum Aquitanię, & omnes terras, quas accepit cum matre illius *Alienor* regina, & *Gaudefrido* filio ſuo dedit Britanniam cum *Alaiæ* filia Comitis *Conani*, quas ad opus illius acquiſierat à *Lodowico* rege Francorũ. Et *Henrico* regi filio ſuo dedit Normanniam, & omnes terras, quæ fuerunt patris ſui *Gaufridi* Comitis Andegauenſis. Et fecit illos tres filios ſuos deuenire homines *Lodowici* regis Franciæ. Et *Iohanni* filio ſuo adhuc minimo dedit Comitatum Moretanii. Deinde poſt multum temporis rex *Henricus* pater de infirmitate ſua conualeſcens, peregre profectus eſt ad *S. Mariam* de Rupe adamatoris. Interim beatus *Thomas* Cantuarienſis archiepiſcopus ſextum annum exilii ſui peragens, conqueſtus eſt *Alexandro* ſummo pontifici de *Rogero* Eboracenſi Archiepiſcopo, & de ſupradictis quatuor epiſcopis, qui ei adſtiterunt in coronatione noui regis in Cantuarienſi diœceſi. Ad cuius inſtantiam ſummus pontifex excommunicauit Londonienſem, & Roſenſem, & Salesbirienſem epiſcopos, & Eboracenſem archiepiſc. & *Hugonem* Dunelmenſem epiſ. ſuſpendit ab omni epiſcopali officio. Vnde in hanc formam ſcripſit illis.

al. ſubmerſa

al. Barnaba

EPISTOLA ALEXANDRI PAPAE AD ROGERVM EBORACENſem archiepiſcopum, & Hugonem Dunelmenſem epiſcopum.

Alexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabilibus fratribus *Rogero* Eboracenſi archiepiſcopo, & *Hugoni* Dunelmenſi epiſ. ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Licet nobis commendabiles, & grati in pluribus exiſtatis, & ſyncere vos complectamur brachiis charitatis: ꝑpter hoc tamen non debemus omittere, quin ea, quę perpetrata ſunt, & incorrecta, generant mortem, & requiramus in vobis, & zelo rectitudinis corrigamus: dicente Domino per Prophetã, *Si loquente me ad impium, morte morieris, niſi annuntiaueris ei, neq; locutus fueris, ipſe quidem in peccato ſuo morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram.* Depreſſio ſiquidem Anglicanæ Eccleſiæ, & diminutio libertatis illius, quæ per regem veſtrũ, ſiue proprio motu, ſiue potius aliis ſuggerentibus facta dignoſcitur, plurimũ iampridem animum noſtrũ afflixit, & non modicũ nobis ſollicitudinis, & doloris ingeſſit. Cum enim oportuerit eum de corrigendis his, quæ ab anteceſſoribus ſuis male cõmiſſa fuerãt, cogitare: ipſe potius præuaricationibus præuaricationes adiiciens, tam iniqua conſtituta ſub regiæ dignitatis obtentu, & poſuit, & firmauit. Sub quibus & libertas perit eccleſiæ, & Apoſtolicorũ virorum ſtatuta, quantũ in eo eſt, ſuo robore vacuantur. Nec credidit debere ſufficere, ſi ſub eo diuinæ leges in regno Angliæ ſilentiũ, & vacationem acciperent, niſi peccatum tranſmitteret ad hæredes, & longo tempore faceret ſuum regnum ſine ephod,

& ſine

& ſine ſuperhumerali ſedere. Inde fuit quod illas iniquas vſurpationes, abſq; vlla exceptione, veſtro, & aliorum fratrum, & coepiſcoporum noſtrorum iuramẽto, fecerit firmare, & plectendo iudicauit, vt hoſtem, quicunq; vellet ab iniquis illis conſtitutionibus diſſentire. Indicat hoc venerabilis fratris noſtri *Thomæ* Cantuarienſis Archiepiſcopi exiliũ: demonſtrat & hoc clericorum & conſanguineorũ eius, illorum ẽt, qui adhuc pendentes ab vberibus matris vagiebant in cunis, miſeranda proſcriptio. Et metus mortis incutitur, ſi ad hoc cuiuſq; animus erigatur, vt contra ſtatuta illa diuinis velit legibus obedire. nos ipſi quorũ iudicio præuaricationes illæ corrigendæ fuerant aut plectendæ, ad confirmationẽ illarũ ſub occaſione temporis impacati multa fuimus inſtantia prouocati. Et laboratũ eſt apud nos exactione non modica, vt vſurpationibus illis, cum nondũ nobis expreſſæ fuiſſent, auctoritatis conferremus Apoſtolicæ confirmationem. Et hoc quidem a principio. Proceſſu vero temporis exulante pro debito paſtoralis officii iam dicto Archiepiſcopo, & conſuetũ Romanæ Eccleſiæ ſubſidium ab officio noſtro ſæpius requirente: miſimus ad iã dictũ regem de melioribus & maioribus fratribus noſtris, miſimus & alias eccleſiaſticas perſonas, & putauimus quod duritia eius in noſtra humilitate & manſuetudine frangerẽtur: & fieret, quod *Salomon* dicit, *Patientia lenietur princeps, & lingua mollis frangit iram.* Ipſe vero ſufferentiam noſtram multiplici legatorum arte deludens, vſq; adeo contra monita noſtra videtur animũ obduraſſe, vt nec contra prænominatum Archiepiſcopũ deferueat, nec de peruerſis ſtatutis illis quicquã minui patiatur: immo & ipſam Cantuarienſem Eccleſiam plurimo detrimento poſſeſſionũ ſuarum afficiat, & in ipſo eam Eccleſiaſtico miniſterio antiqua ſpoliauerat dignitate. Nuper enim cum filium ſuum coronari voluerit, contempto eodẽ Archiepiſcopo, ad cuius hoc officium de antiquo iure dicitur pertinere, per manũ tuam, frater Archiepiſcope ei in aliena prouincia diadema regni fecit imponi. In coronatione aũt illius, nulla ex more de conſeruanda Eccleſiæ libertate cautio eſt præſtita, vel ſicut aiunt exacta: ſed iuramento potius aſſeritur confirmatũ, vt regni cõſuetudines, quas auitas dicunt, ſub quib. dignitas periclitatur Eccleſiæ, illibatas debeat omni tẽpore conſeruare. In quo etſi multũ prænominati regis nos vehementia cõturbat: amplius tamẽ de veſtra & aliorum coepiſcoporum noſtrorum poſſumus infirmitate moueri, qui, quod dolentes dicimus, facti ſicut arietes non habentes cornua, abiiſtis abſq; fortitudine ante faciem ſubſequentis. Etſi enim hoc tibi licere forte (frater Archiepiſcope) in propria prouincia potuiſſet, quomodo tamen hoc in prouincia aliena, & illius præcipue, qui exulare pro iuſtitia, & fere ſolus exire & dare gloriam Deo, tibi licuerit, nec de ratiõe poſſumus, nec de ſanctorum patrum conſtitutionibus inuenire. Quod ſi ad excuſationem tantæ præuaricationis quiſquã obiiciat in aliis quoq; regnis, grauia plurima & enormia perpetrari: in veritate poſſumus reſpondere, quod nullum adhuc regnum in tantum diuinæ legis contemptum inuenimus corruiſſe, vt ſcriptis & iuramentis Epiſcoporum tam manifeſtas enormitates fecerit communiri, niſi quiſquam illud impudenter alleget, quod ſchiſmatici poſtmodum à fidelium communione præciſi inaudita & damnabili ſuperbia commiſerunt. Vnde quia iuxta verbum Prophetæ, in vobis factum eſt peruerſum, quid vltra omnes alias prouincias in vſurpationibus ſuis, & poſt tam iniquas conſuetudines iuramento firmatas, nõ adieciſtis reſumere ſcutum fidei, vt ſtaretis in domo Domini in die prælii: ſed poſuiſtis corpus veſtrum in terram, vt per vos fieret via tranſeunti. Et ne ſi diutius tacuerimus vna vobiſcum in die iudicii damnationis ſententia inuoluamur, auctoritate ſacroſanctę Romanæ, cui auctore domino miniſtramus, Eccleſiæ, ab omni officio Epiſcopalis vos ſuſpendimus dignitatis; ſperãtes quod ſub diſciplina ſaltem & paterno verbere conſtituti redire tandem ad cor, & de tuenda debeatis Eccleſiæ libertate ſatagere. Si vero nec ſic zelum Epiſcopalis officii reſumpſeritis, nos adhuc auctore Domino, quod vobis imminet, faciemus. Vos videte, ne illud vobis dicatur, quod cuidam dictum per prophetam dicitur, *Quia tu ſanctam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.* Nos enim quia locum illius tenere, Deo prout ipſi placuit diſponente, conſpicimur, qui à prædicatione verbi Dei, nec verberibus poterat, nec vinculis coerceri: nõ debemus ſub ambigua expectatione pacis creditã nobis diuini verbi pecuniam in ſudario reponere, & alligatam eam tam diu conſeruare, donec paulatim lucrandi hora occurrat, & creditor veniens de reddenda acerbe nos conueniat ratione.

Interim *Lodouicus* rex Francorum, & Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & magnates de regno Franciæ, pro eodem Cantuarienſi Archiepiſcopo ſollicitauerunt Romanum pontificem in virtute amoris, & ſub impenſi proteſtatione obſequii, ne vlterius dilationes fruſtratorias, quas rex Angliæ protendebat, prorogaret, ſicut regnum Francorum diligebat, & honorem ſedis Apoſtolicæ. Miratus etiam Anglicanæ Eccleſiæ deſolationẽ *Willielmus Se-*

nonenſium antiſtes ſedem Apoſtolicam periit, & à Romana Eccleſia impetrauit, vt rex Anglorum omni appellatione ceſſante, ſubiiceretur anathemati, & regnum interdicto, niſi pax Cantuarienſi Eccleſiæ redderetur. Sic deniq; placuit omnium diſpenſatori Deo, ſui *Thomæ* recompenſare merita, & labores * diutinos conſummare victorioſa martyrii palma. Regis ergo ſententiam mutauit in melius, & mediantibus tam domini Papę paterna exhortatione, regiſq; Francorum, & plurimorum Epiſcoporum conſilio, quam etiam principum ſupplici interuentu, Archiepiſcopum recepit in gratia, & ad ſuam redire conceſſit Eccleſiam.

al. longos

Pax facta inter regē & Archiepiſcopū.

Facta eſt autem pax iſta inter Archiepiſcopum & regem Angliæ, quarto Idus Octobris feria ſecunda, in monte laudato, qui eſt inter Turonim & Ambaſium. Sicq; omnib. completis, vnuſquiſq; reuerſus eſt in locum ſuum. *Thomas* vero Cantuarienſis Archiepiſcopus reuerſus eſt ad Abbatiam ſanctę Colūbę, vbi iā fere per quatuor annos degebat. Quadam vero die, dum idem Archiepiſcopus ibidem in Eccleſia ante quoddam altare in oratione proſtratus iaceret, audiuit vocem de cœlo dicentem ſibi, Surge velociter & abi in ſedem tuam, & glorificabis Eccleſiam meam ſanguine tuo, & tu gloriaberis in me. Inchoante autem anno ſeptimo exilii ſui, cum iam eſſet Deo amabilis, ſpiritualibus exercitiis ſanctificatus, & ſeptiformi Spiritus ſancti gratia perfectior, ad ſedem ſuam quantotius repedare feſtinabat. Noluit enim pius pater Cantuarienſem Eccleſiam diutius deſolatam relinquere: vel quoniam vt creditur in ſpiritu viderat certaminis ſui gloriam protelare, aut alibi moriendo ſedem propriam martyrii ſui honore priuare.

Vita beati Thomæ

Huius autem vita irreprehenſibilis erat coram Deo & hominibus. Non enim erat illi vanum ſurgere ante lucem: ſciens quod Dominus promiſit coronam vigilantibus. Quotidie namq; ante lucem ſurrexit, cæteris omnibus dormientibus, & intrans in oratorium ſuum prolixius orauit, ſic demum rediens ſuſcitauit capellanos & clericos ſuos a ſomno, & cantatis matutinis & horis diurnis, Miſſam deuote celebrauit, & ſingulis diebus & noctibus ternas vel quinquenas accepit de manu ſacerdotis diſciplinas. Poſt vero celebrationem Miſſę quotidie reintrauit oratorium ſuum, & clauſo oſtio poſt ſe vacabat orationi cum lachrymis vberrimis; & nemo niſi ſolus Deus ſciebat afflictionē, quam faciebat carni ſuæ. Et ſic faciebat carni ſuæ quotidie vſq; ad horam prandii, niſi maior ſolemnitas & cauſa euidentior impediret. Exiens vero ab oratorio prādere inter ſuos venit, non vt corpus ſuum pretioſis ſaturiret cibis: ſed vt familiam ſuam exhilararet & vt pauperes Domini ſatiaret bonis: quos quotidie ſecundum facultatem ſuam numero augebat. Et quamuis pretioſi & exquiſiti cibi & potus ei apponerentur tamen erant ei in cibo & potu panis & aqua. Quadam autem die dum idem Archiepiſcopus in menſa *Alexandri* ſummi pontificis ſederet, quidam ſecreti ſui conſcius poſuit coram eo ſcyphum aqua plenum. Quem cum ſummus pontifex apprehendiſſet, & inde guſtaſſet, inuenit vinum meriſſimum & ſuaue ad potandum. Et dixit. Putabam hoc fuiſſe aquam, & repoſuit ſcyphum coram Archiepiſcopo, & mox vinum rediit in priſtinam ſaporem aquæ. O mira mutatio dexteræ excelſi! Singulis aūt diebus cum Archipræſul à prādio ſurrexiſſet, niſi maiora negotia impedirēt, ſemper vacabat lectioni diuinæ vſq; ad horam veſpertinā, & auditis veſperis cum ſol ad occaſum tenderet, paratus erat lectus eius ſuperpoſitis mollibus ſtramentis & pannis ſericis, per totum deſuper auro contextis. Et cum cæteri dormirent ille ſolus iacebat in nuda area ante lectum ſuum, in hymnis, & pſalmis, & nunquam ab oratione ceſſabat, donec labore victus paululum reclinaret caput ſuum ſubpoſito lapide loco puluinaris. Et ſic oculi ſomnum capiebant, ſed cor eius ſemper ad Dominum vigilabat. Veſtis autem eius interior erat cilicina ex pilis caprarum aſpera, qua totum corpus eius tegebatur, à cubitis vſq; ad poplites. Exteriores aūt eius veſtes erant nitidæ, & ſatis pretioſæ, vt ſic decipiens humanos viſus, diuinis placeret aſpectibus. Nullus quidem hominum erat huius ſecretæ vitæ ſuæ conſcius præter duos tantum: quorum vnus erat *Robertus* canonicus de Meretun capellanus eius, & alter dicebatur *Brun*, qui cuſtodiebat cilicia ſua, & lauabat quando fuit neceſſe. & iſti erant illi fide & ſacramentis aſtricti, quod hæc nemini dicerent in tota vita ſua. Venit ergo Archipræſul *Thomas* ad Withland, & cum audiſſet, quod *Rogerus* Eboracenſis Archiepiſcopus, & Lundonienſis, & Salesbirienſis Epiſcopi eſſent apud Doure in occurſum eius, noluit illô ire, ſed applicuit in Anglia apud Sandwic. Tranſito itaq; mari Archiepiſcopus, & futurꝰ martyr in magna gratia, gloria, & honore, præcipue a monachis cum ſolemni proceſſione quaſi Angelus Dei ſuſceptꝰ eſt in Eccleſia ſua, omnib. præ gaudio illachrymātib. & cū gratiarū actione clamātibus, *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Ipſe aūt tāquam bonus paſtor, omnibus in oſculo pacis acceptis, illos paterna exhortatione monuit, & docuit fraternitatem diligere, Deo obedire, in bonis perſeuerare, & certare

pro

pro lege Dei vſq; ad mortem. Ea vero tempeſtate erat *Henricus* rex Angliæ regis *Henrici* filius in Anglia, & natiuitas Domini inſtabat, quam rex ille cum primatibus terræ ſuæ ſolēniter celebraturus erat. Ad quam beatus *Thomas* licet non eſſet inuitatus ire propoſuit. Et cum Lundonias veniret, venit ad eū *Gocelinus* frater reginæ, & prohibuit ei ex parte regis ne vlterius procederet. Et ſic beatus *Thomas* Cātuariam reuerſus eſt. Ergo damnis iterum, & atrocioribus iniuriis ſupra modum & numerū athleta *Chriſti* affectus eſt, & edicto publico præceptus Eccleſiæ ſuæ ſepta nõ exire. Quiſquis ei, vel alicui ſuorum faciem hilarem prætendebat hoſtis publicus cenſebatur. Sed hæc omnia vir Dei cum multa patientia ſufferebat, & familiariter inter ſuos commorans; conuerſatione ſua & exhortationis verbo omnes ædificabat. Reſeditq; in ſua pontifex Eccleſia intrepidus, expectans horam, qua à Deo perciperet martyrii coronā. Præmunitus ſiquidē à multis ſciebat, quod breuis foret vita eius, & mors in ianuis. Ibi quaſi tūc cœpiſſet viuere, exactū vitæ tēpꝰ ſpiritualib. exercitiis redimere ſatagebat. Scienſq; quod vita præſens via eſt, & militia, vt eſſet ſanctus corpore, & ſpiritu vitiis expeditus, ſuccinxit ſe ad curſum virtutibus armatus, accinxit ſe ad pugnæ conflictum. curſum ergo conſummando cucurrit non quaſi in incertum, bene certando pugnauit non quaſi aerem verberans. Prodibat tunc fere omnis eius cogitatio, & ſermo de fine huius vitæ & viæ miſeria. Aliquādo etiam in ſermone ſuo, quem faciebat ad fratres ſuos Cantuarienſis Eccleſiæ monachos, & ad clerum ciuitatiſq; populum dicebat. Veni ad vos mori inter vos. Aliquando autem dicebat, in Eccleſia iſta ſunt martyres, & in proximo augebit Deus numerū illorū. hæc dicebat ſignificans, qua clarificaturus eſſet ille dominum morte. Iterum *Henricus* rex Angliæ pater calumniatus eſt Archiepiſcopatum Bituricenſem debere adiacere ducatui Aquitaniæ, ſed *Lodowicus* rex Franciæ modis omnib. contradicebat. Et ſic orta inter eos graui diſcordia vterq; magnū congregauit exercitum. Venitq; rex Angliæ cum ſuo exercitu in Berria vſq; Munlutum, volēs vlterius procedere. Ex confeſſione enim Bituricenſis Archiepiſcopi in extremis laborantis, & in confeſſione profitentis, quod de iure Archiepiſcopatus Bituricenſis ſpectabat ad ducatum Aquitaniæ, ſperabat ſe ſuſcepturū. Sic *Lodowicus* rex Franciæ præuenit, & ſic rex Angliæ a deſiderio ſuo fraudatus, dedit, & accepit treugas vſq; ad feſtum S. *Hilarii*.

Anno gratiæ milleſimo, centeſimo ſeptuageſimo primo, qui erat annus 17. regni regis *Henrici*, filii *Matildis* imperatricis, idem rex Angliæ fuit in Normannia apud Burum die natalis Domini; qui ſexta feria euenit, & *Alienor* regina, & *Richardus*, & *Gaufridus*, & *Iohannes* filii eius cum eo. Eodem anno *Henricus* rex Angliæ filius erat in Anglia. Beatus vero *Thomas* Cantuarienſis Archiepiſcopus eo die Cantuariæ reſidens poſt ſermonem ad populum factum excommunicauit *Robertum* de Broc, qui die præcedenti amputauerat caudam ſumerii ſui. Vix ergo pater in Eccleſia ſua per menſem moram fecerat, & ecce quinta die natalis Domini venerunt Cantuariam quatuor milites, immo Sathanæ condicti ſatellites; quorum nomina ſunt hæc. *Willielmus* de Traci, *Hugo* de Moreuile, *Richardus* Brito, *Reginaldus* filius *Vrſi*: viri quidem generis præminentia conſpicui; ſed enormis ſceleris auſu militiæ gloriam, & ſtemmatis titulum perpetua ignominia mox damnaturi. Hi ergo introeuntes ad Archiepiſcopum: & quia non directa in manu eorum ſalus, ex concepta malitia ſalutationis eloquium prætermittentes, cum faſtu & ſuperbia alloquuntur. Accipiunt redduntq; minas, minis adiicientes reſponſum. Deniq; probra & contumelias poſt ſe relinquentes exierunt. Continuoq; reuertentes, clauſtrū monachorum irrumpūt cum multa armatorū ſequela, & ipſi armati. Iam præſul cum modeſtia & grauitate præceſſerat eos in oratorium, ſuadentibus, immo & compellentibus monachis, propter diem ſolemnem, ad peragendam veſpertinam ſynaxim. cum eos à tergo reſpiceret in medio clauſtri armatos, arcere eos tēplo debuit propria malignitas; ſed nec facinus diſſuaſit ſolemnitatis reuerentia, nec a ſanguine cohibuit patriarchæ innocentia. Vſq; adeo occupauit & excæcauit eos impudorata patrandi facinoris voluntas: vt nec militiæ iacturam recogitarent, nec vllius diſcriminis haberent æſtimationem. Præcipites ergo & ſtupidi inſequētes Archiepiſcopum, extractis gladiis intrant Eccleſiam furioſe clamantes. Vbi eſt proditor ille? Nemine vero reſpondente, ingeminãt illi. Vbi eſt Archiepiſcopus? Sciens itaq; *Chriſti* confeſſor, & martyr mox futurus, priori nomine ſe falſo impeti, alterū vero ſibi pro officio competere, à gradibus obuiam illis progrediens, ecce inquit aſſum. In tanta autem ſe exhibebat conſtantia, vt nec animus eius pauore, nec corpus horrore concuti videretur. Cui vnus funeſtorum militū in ſpiritu furoris intulit, tu modo morieris, impoſſibile enim eſt, vt vlterius viuas. Reſpondit autem Archiepiſcopus, non minori cōſtantia verbi quam animi. Ego pro Deo meo mori paratus ſum, & pro aſſertione iuſticię & Eccleſiæ libertate: ſed ſi caput meum quæritis, prohibeo ex parte omnipotentis Dei, & ſub anathemate, ne

cuiquā alii ſiue monacho, ſiue clerico, ſiue laico maiori vel minori, in aliquo noceatis. Sed ſint à pœna immunes, ſicut extiterūt à cauſa. Verba eius nomine *Chriſtū* exprimere videtur in paſſione dicentē, ſi me quæritis ſinite hos abire? Cui ſtatim iniicientes manus milites tenuerunt, vt extra eccleſiam ad peragendum propoſitum traherent, ſed non potuerunt. Videns ergo Archiepiſcopus carnifices eductis gladiis, in modū orantis inclinauit caput, hæc nouiſſima proferens verba. *Deo, & ſanctæ* Mariæ, *& ſanctis huius eccleſiæ patronis, & beato* Dionyſio *commendo meipſum & eccleſiæ cauſam.* Tunc in omnibus his cruciatibus inuicti animi, & admirandæ conſtantiæ martyr non verbum vel clamorem emiſit, nec edidit gemitum nec brachium oppoſuit ferienti: ſed caput inclinatum, quod gladiis expoſuerat, donec conſummaretur, tenebat immobile. Prædicti igitur milites, timentes concurrentium vndique vtriuſque ſexus multitudinem, ne forte voto infecto eriperetur, facinus accelerauerunt. Cumque vnus ex eis extendens vibraret gladium in caput Archiepiſcopi, brachium cuiuſdam clerici, qui dicebatur *Eadwardus Grimſere* abſcidit, & ipſum pariter in capite vulnerauit chriſtum Domini. Extenderat enim idem clericus brachium ſuper caput patris, vt ferientis exciperet, vel potius elideret ictum. Stabat adhuc iuſtus pro iuſticia patiens, velut agnus innocens, ſine murmure, ſine querimonia: & ſeipſum holocauſtum offerens Domino, ſanctorum patrocinia implorabat. Et, ne quis funeſtorum ſatellitum intacto præſule inſceleſtus argui poſſet, ſecundus & tertius gladios ſuos vertici conſtantis athletæ atrociter illiſerunt, confregerunt, & Spiritus ſancti victimam ſolo tenus præcipitauerunt, quartus pluſquam ferali, immo furiali crudelitate debacchatus, iam proſtrato, iam expiranti coronam raſilem abſcidit, teſtam capitis diſſipauit, & mucrone vertici intruſo, cerebrum cum ſanguine ſuper pauimentum lapideum effudit. Diſcolor in mixtura vtriuſq; ſubſtantia bifariam diſcreta martyris merita pie intuentem docere videbatur. Candebat namq; in cerebro byſſus innocentiæ, purpura martyrii rubebat in ſanguine: vtroq; martyr *Thomas* quaſi veſte nuptiali decenter adornatus, cœleſtis menſæ conuiua dignus efficitur. Sic, ſic martyr *Thomas* virtute conſtantiæ adamantinus cœleſtis ædificii lapis pretioſus, gladiorum quadratus ictibus angulari lapidi *Chriſto* in cœlis eſt coniunctus. Conſummatus ergo noſter *Abel* in martyrii gloria in breui expleuit tempora multa. Itaq; inchoante ſeptimo anno exilii ſui pręfatus martyr *Thomas* pro lege Dei, & eccleſiæ libertate, quæ tota fere deperierat in Anglicana eccleſia, certauit vſque ad mortem; & à verbis impiorum non timuit. fundatus enim ſupra firmam petram, id eſt, *Chriſtum*, pro nomine *Chriſti*, in eccleſia *Chriſti* gladiis prophanorum, quinta die natalis Domini, id eſt in craſtino innocentum ipſe innocens occubuit. Cuius vitam innocentem, & mortem cauſæ merito in conſpectu Dei pretioſam, innumera prædicant miracula, quæ non ſolum loco requietionis eius, ſed & in diuerſis nationibus, & regnis mirifice exhibentur. Eodem die paſſio beati *Thomæ* reuelata eſt beato *Godrico* Anachoritæ per ſpiritum ſanctum apud Finkhale, Qui locus diſtat à Cantuaria plus quam per centum ſexaginta milliaria. Monachi autem Cantuarienſis eccleſiæ clauſerunt oſtia eccleſiæ, & ita permanſit eccleſia ſuſpenſa celebratione Miſſæ fere per vnum annum, quouſque receperunt reconciliationem eccleſiæ per dominum Papam *Alexandrum*. Monachi vero detulerunt martyrem ſuum, & poſuerunt nocte prima, in choro agētes, circa illum exequias defunctorum. Et veraciter dicitur, quod expletis circa corpus obſequiis humanitatis, cum iam in choro iaceret ſuper feretrum, circa auroram, leuata manu dextera dedit benedictionem deinde ſepelierunt eum in crypta. Milites autem, qui illud prophanum opus perpetrauerunt ſtatim prophani operis ſui conſcii, & de venia deſperantes, ad curiam regis Angliæ, vnde venerant, redire non auſi fuerunt, ſed in Occidentales partes Angliæ ſeceſſerunt, vſq; ad Cnareſburc / villam *Hugonis* de Moreuile, & ibi tamdiu remanſerunt, donec viles habiti fuerant à compatriotis illius prouinciæ. Omnes enim illorum vitabant alloquia, nec aliquis cum eis mandare vel bibere voluit. ſoli ergo manducabant & ſoli bibebant, & fragmenta cibariorum ſuorum proiiciebātur canibus, & cum inde guſtaſſent, nolebant inde quicquam comedere. Ecce manifeſta & digna Dei vindicta! vt illi qui contempſerunt Chriſtum domini, à canibus etiam contemnebantur. Poſt multum vero temporis, prædicti quatuor milites, quos propria actionis conſcientia accuſabat, *Alexandrum* Romanum pontificem adierunt, & accepta ab eo pœnitentia Ieroſolymam profecti ſunt. Et ex præcepto Papæ in monte nigro pœnitentiam agentes obierunt, & ſunt Ieroſolymis ſepulti ante oſtium templi. Quorum ſuperſcriptio hæc eſt, *Hic iacent miſeri, qui martyrizauerunt beatum* Thomam *Archiepiſcopum Cantuarienſem.*

Annus millenus, centenus, ſeptuagenus,
Primus erat, Primas quo ruit enſe Thomas.

EPI-

EPISTOLA LODOWICI REGIS FRANcorum, *ad Alexandrum Papam, de morte beati* Thomæ.

DOmino & patri ſuo ſanctiſſimo, *Alexandro* Dei gratia ſummo pontifici, *Lodowicus* Rex Francorum, ſalutem & debitam reuerentiam. Ab humana pietatis lege recedit filius, qui matrem deturpat, neque creatoris beneficii reminiſcitur: qui de Sanctæ ſedi illata turpitudine non triſtatur. Verum ſpecialius eſt condolendum, & nouitatem doloris excitat inauditæ nouitas credulitatis, quoniam in Sanctum Dei inſurgens malignitas in pupillam *Chriſti* gladium infixit, & lucernam Cantuarienſis Eccleſiæ, non tam crudeliter quam turpiter iugulauit. Excitetur exquiſitæ genus iuſtitiæ. Denudetur gladius *Petri* in vltionem Cantuarienſis martyris: quia ſanguis eius pro vniuerſali clamat Eccleſia, & non tam ſibi quam vniuerſæ conquerens de vindicta Eccleſiæ. Ecce ad tumulum agoniſtæ, vt reuelatum eſt nobis, diuina in miraculis reuelatur gloria, & diuinitus demonſtratur vbi humanitus requieſcit, pro cuius nomine certauit. Valeat pietas & fraternitas veſtra in Domino.

EPISTOLA WILLIELMI SENONENſis *Archiepiſcopi, ad Alexandrum Papam, de eiuſdem morte.*

SAnctiſſimo patri ac domino *Alexandro* Dei gratia ſummo pontifici *Willielmus* Senonenſis Eccleſiæ humilis miniſter, ſalutem & debitam cum omni deuotione obedientiam. Veſtro apoſtolatui (pater ſancte) data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. Gladius anceps in manibus veſtris. Super gentes & regna conſtituti eſtis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Vide ergo (Domine) & conſidera quem vindemiauerunt ita. Vineam namq; Domini Sabaoth exterminauit aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Eccleſia ſiquidem Cantuarienſis, immo vniuerſalis Eccleſia, ſanguineas rorantes lachrymas, & amaritudine aſperſas, à finibus terræ in conſpectu veſtro effundit: quia poſita eſt quaſi ſignum ad ſagittam, facta eſt opprobrium vicinis ſuis. Et qui vident eam mouent capita ſua ſuper eam dicentes, Vbi eſt Deus eorum? Ipſa autem gemens, & conuerſa retrorſum, clamat in auribus Domini exercituū: vindica (Domine) ſanguinem ſerui tui, & martyris, Cantuarienſis Archiepiſcopi, qui occiſus eſt, immo pro libertate Eccleſiæ crucifixus. Pater ſancte, verbum horrendum, facinus flagitioſum, & enorme flagitium factum eſt in diebus veſtris: quod quicunq; audierit tinnient ambæ aures eius non eſt auditum in Theman: non eſt viſum in Canaan. Alter ſiquidem *Herodes* ſemen *Canaan* & non *Iuda*, progenies viperarum, miſſis à latere ſuo lictoribus, ſignum Dominicæ paſſionis, quod deſuper in vertice gerebat, nequaquam exhorruit profundis exarare vulneribus, & notis turpibus cœleſtem deformare imaginem. Propter hęc, ſicut omnis Eccleſia aſſerit, ipſum facit Martyrem cauſa pariter & pœna. Pœna, dolor paſſionis illatæ. Cauſa rigor Eccleſiaſticæ cenſuræ, quia pro lege Dei ſui certauit vſq; ad mortem. Veſtra ergo intereſt, (pater clementiſſime, cuſtos murorum Ieruſalem) remedium adhibere præteritis, & prouidentiam futuris. Quis enim locus poterit eſſe tutus, ſi rabies tyrannica ſancta Sanctorum cruentat? Et vicarios *Chriſti*, alumnos Eccleſiæ, impune dilacerat? Inſurgant ergo Eccleſiaſticæ leges, armentur iura Eccleſiaſtica. Introeat in conſpectu veſtro vltio ſanguinis glorioſi martyris, qui de Anglia clamat. Clamabit ſiquidem, & commouebit, non ſolum terram ſed & cœlum. & ſic noſtro conſulite dolori, vt honeſtati veſtræ pariter conſulatis, & * libertati Eccleſiæ. De cætero, ſanctæ paternitati veſtræ inſinuare dignum duximus, quod cum domino Rotomagenſi & nobis in mandatum dederitis, vt terram Regis Angliæ ciſmarinam, ſi pacem, quam glorioſe memoriæ domino Cantuarienſi promiſerat, non obſeruaret, ſub interdicto poneremus: adiicientes etiam quod ſi vterq; noſtrum rei executioni non poſſet, aut nollet intereſſe, alter nihilominus mandatum veſtrum exequeretur. Prædictus vero Rotomagenſis, poſtquam literas veſtras ei præſentari fecimus, nobis ſignificauit, quod ad Senonenſem ciuitatem veniret, & iuxta formam mandati * veſtri procederet. Cum autem illuc veniſſet, vna cum Lexauienſi, & Ebroicenſi, & Wigornenſi Epiſcopis, & aliis quam pluribus, tam clericis quam laicis de familia prædicti Regis: poſt tergiuerſationes & excuſationes verborū inde diductas, reſpondit, ſe ad præſentiam veſtram iter arripuiſſe, & prædicto Regi exacerbationem ſe nolle infundere acerbiorem. Nos vero ſcientes, ꝙ vitium Paganitatis incurrit, quiſquis mandatis Apoſtolicis obedire contemnit, iuxta ſeriem mandati veſtri, de communi conſilio fratrum noſtrorum omnium Epiſcoporum, & S. *Dionyſii, & S. Germani* de Pratis, & *Ponti* magni Walcellenſis, & Cenmenſis abbatum, & aliorum quāplurium religioſorū virorum, & ſapientū in terram eius ciſmarinā ſententiā tulim', & memo-

al. ſaluti.

al. Apoſtolici.

rato Archiepiſcopo, & epiſcopis, vt eam obſeruari facerẽt ex parte veſtra iniunximus. Scimus enim, ꝙ nec poſſeſſiones ſicut promiſerat reſtituit, nec ſecuritatem, ſicut mors eius indicat, inſtituit. Per Cãtuarienſem quoq;, quem ad eum miſeramus nobis ſignificauit, ꝙ cauſam mortis eius dederat, & quod eum occiderat. Inde eſt quod clementiæ veſtræ ſupplicamus, quatenus prædictam ſententiam ratam habeatis, & ſicut maieſtatem veſtram decet, & incolumitati expedit eccleſiæ, eam taliter faciatis obſeruari, vt honor Dei, & veſter conſeruetur. Et nos, qui veſtram ſanctitatẽ, ea qua ſcitis deuotione amplectimur, minime propter hæc poſſimus illudi. Valete, & ſicut decet maieſtatem & ſanctitatem veſtram facite.

EPISTOLA THEOBALDI COMITIS BLESENSIS, *ad Alexandrum Papam de morte beati Thomæ.*

REuerendiſſimo domino, & patri ſuo *Alexandro* Dei gratia ſummo pontifici, *Theobaldus* Comes Bleſenſis, & regni Francorum procurator, ſalutem, & debitam cum filiali ſubiectione reuerentiam. Veſtræ placuit maieſtati, vt inter dominum Cantuarienſem, & regem Angliæ pax reformaretur, & integra firmaretur concordia. Itaq; iuxta veſtri tenorem mandati, illum rex Angliæ hilari vultu, & fronte læta, & pacem ſpondente, & gratiam ſibi referente, recepit. huic paci, & concordiæ affui, & me præſente dominus Cantuarienſis apud regem de coronatione filii ſui conqueſtus eſt, quem voto feſtinante, & ardenti deſiderio, in culmen regiæ dignitatis fecerat promoueri. huius autem iniuriæ reus, & ſibi male conſcius rex Angliæ, iuris, & ſatisfactionis ipſi Cantuarienſi pignus dedit. Conqueſtus eſt etiam de epiſcopis, qui contra ius, & decus Cantuarienſis eccleſiæ, nouum regem in ſedem regiam præſumpſerũt intrudere: non zelo iuſticiæ, non vt Deo placerent, ſed vt tyrannum placarent. De illis vero liberam, & licentem rex ei conceſſit poteſtatem, vt ad veſtræ, & ſuæ poteſtatis arbitrium in eos ſententiam promulgaret. Hæc ſiquidem vobis, vel iuramento, vel quolibet alio libuerit modo, atteſtari paratus ſum, & ſancire. ſic itaque pace facta, vir Dei nil metuens receſſit, vt gladio iugulum ſubderet: & ceruicem ferienti exponeret. Paſſus eſt ergo martyrium agnus innocens craſtina ſanctorum innocentium die: effuſus eſt ſanguis iuſtus, vbi noſtræ viaticum ſalutis, ſanguis *Chriſti* ſolebat immolari. Canes aulici regis familiares & domeſtici, ſe miniſtros regis præbuerunt, & nocentes ſanguinem innocentem hauſerunt. huius prodigii modum deteſtabilem vobis verbo ſignificarem, ſed vereor ne mihi in odio aſcribatur, & latores præſentium patenter & plenius euoluent: ex eorum relatione diſcetis quantus mœroris cumulus, quanta ſit vniuerſæ eccleſiæ & martyris Cantuariæ calamitas, hanc calamitatem ſaluo pudore non poteſt diſſimulare Romana mater eccleſia. Quicquid enim in filiam præſumitur vnicam, redundat in parentem, nec ſine matris iniuria filia captiuatur. Ad vos itaq; clamat ſanguis iuſti, & flagitat vltionem. Vobis ergo (pater ſancte) adſit & conſulat pater omnipotens: qui filii ſui cruorem mundo impendit, vt mundi noxas detergeret, & deleret maculas peccatorũ; ille vobis vindictæ voluntatem inſinuet & ſuggeret facultatem, vt eccleſia inauditi ſceleris confuſa magnitudine, diſtricta hilareſcat vltione.

EPISTOLA WILLIELMI SENONENſis Archiepiſcopi, ad dominum Papam contra regem Angliæ de morte beati Thomæ.

AMantiſſimo patri ac domino *Alexandro* Dei gratia ſummo pontifici, *Willielmus* Senonenſis eccleſiæ humilis miniſter ſpiritũ conſilii & fortitudinis, cum omni obediẽtiæ famulatu. Inter ſcribendum hæc, immo priuſquam ſcriberem, mox ſteti, & hæſi dubius admodum, quo * dictaminis genere nuper patrati ſceleris atrocitatem, & ſupplicii recenter illati immanitatem, clementiæ veſtræ oculis præſentarem. Et profecto arbitror clamorem mundi iam veſtræ ſanctitatis aures impleuiſſe, vtpote qui in mundi ſpecula reſidetis, qualiter ille non rex Anglorum, ſed Anglorum potius & totius corporis *Chriſti* inimicus, proxime ſit malignatus in ſancto, in filio dextræ tuę, quem cõfirmaſti tibi. Cuius ex hoc mundo exceſſum, & exceſſus modum, & ſi forte ex aliquorum diuerſo ſiue aduerſo relatu acceperitis, quod mihi innotuit ab his qui interfuerant, conſcius fidelis intimo, & patrati ſceleris ordinem paucis explico: cuius tamen immanitas excogitari non poteſt. In natali Domini, proximo poſt feſtum innocentium die, occidente iam ſole, circa horã veſperarum, intromiſſi ſpiculatores, tres duntaxat qui primi fuerant, ad fortem illum athletam *Chriſti* terribiliter admodum & faſtuoſe acceſſerunt: quorum memoria vt in maledictione

al. dictationis.

ctione perpetuo ſit, interſero nomina, *Hugo* de Moreuilla, *Willielmus* de Traci, *Reginaldus* filius *Vrſi*, qui in primo acceſſu à viro Dei ſalutari non reſalutauerunt, vtpote qui iam vias perditionis ingreſſi manifeſte reſpuebant ſalutem. Quin potius contumelioſe, & aſpere minis intonuerunt, niſi Epiſcopos ſuſpenſos, ſiue excommunicatos, ad regis abſoluturus mandatum. Quo manifeſte reſpondente, id ad ſingularis primatus veſtri ſpectare cenſuram, nec aliquid ſibi vendicaret, vbi tanta interueniſſet authoritas. Mox ipſum ex parte Regis diffiduciauerunt, & continuo exierunt ad cohortem. Militibus, qui de familia hominis Dei erant ſuper periculo vitæ, & honorum omnium proſcriptione, in exitu ſuo præcipientes ex parte Regis, vt ipſi pariter exirent, & rei euentum taciti & patientes expectarent. Publice per ciuitatem ſimile regis edictum exiuit. Singularis vero ille *Chriſti* athleta, in noſtris diebus minas principum ſpreuit, & de loco ipſo vbi iam velut mortis acceperat initium, ad militum inſtantiam vix egredi compulſus eſt. Et hæc quidem, ne videretur conſummari inuitus. Deo itaq; diſpenſante metropolitanam Eccleſiam, in ipſius *Chriſti* honore dedicatam, ingreſſus, idem Chriſtus Domini pro nomine *Chriſti* meruit immolari, vbi quotidie immolatur & *Chriſtus*. Et ſacerdos ille altiſſimi ſtans ante altare, & crucem, quam ante ſe geſtare conſuerat, brachiis ſuis amplectens, & orans, voluntarie ſeipſum inter crucis & altaris cornua pacificam Deo hoſtiam obtulit. Nam appropinquante iam hora paſſionis, ipſe flexis genibus, extento collo, & curuata ceruice, calicem ſalutaris accepit, & a tribus prænominatis ſpiculatoribus decaluatus eſt, prius tamen contumeliis & probris multis affectus, vt nec ipſe paſſionis Domini ſui titulo fraudaretur. Cuius vt ipſo adhuc magis forma clareſceret, eadem hora pro occiſoribus ſuis exorauit: adiiciens & deuote ſupplicans, vt à malis præſentibus eius familia ſeruaretur illæſa. Solus itaque pontifex non ſine ſanguine intrauit in Sancta. Et quia poſt viri Sancti tranſitum, operante Domino, memoranda quædam ex multorum crebra relatione accidiſſe audiuimus; omnino præteriri non debent. Dicitur namque, & conſtanter aſſeritur, poſt paſſionem ſuam, in viſu apparuiſſe multis, quibus perhibet ſe non mortuum eſſe ſed viuere: & non vulnera ſed vulnerum tantum cicatrices oſtentat. Inter quos veterano cuidam Monacho, nomine *Neel* manifeſte apparuiſſe dicitur: ſed qualiter, hoc non ediſſero, vt euitetur longitudo ſermonis; ſed horum baiuli fideliter & patenter exponent. De cæco vero quodam, qui mox paſſione conſummata crudo adhuc ſanguine oculos perliniuit, oculos & viſum recepit, omnino auditum eſt. De cereis etiam circa corpus poſitis & extinctis, ſed poſtea per ſe reaccenſis, non infida multorum relatio eſt. Et quod maius eſt adhuc gaudium, & miraculum habet: expletis omnibus circa corpus humanitatis obſequiis, cum iam in choro iaceret ſuper feretrum, circa auroram, leuata manu dextera, benedictionem dedit. Age ergo homo Dei, & quorum tenes ſedem, indue fortitudinem; excutere fili excuſſorum, hinc miſeratio, inde vero indignatio moueat. vnam filio debes, tyranno alteram; & huius in terris auge gloriam, quam de cœlis tam mirabiliter glorificat Deus. Illi vero para ignominiam, qui in terris tam horribiliter perſecutus eſt Deum, & proprii ventris tui percuſſit latera, excuſſit viſcera, & conculcauit in terra. Qui etiam filium tuum, quem ſicut matrem vnicum diligebas, neſcio per quos in circumciſos & immundos tam perfide, tam inhumane mactauit: patris non reueritus offenſam, nec miſeratus ętatem. Quorum ergo ſortitus es miniſterium, ſortiaris & zelum. Et quia cernis *Achab* ſcelus, *Heliæ* te apprehendat æmulatio. Occidit *Achab* & poſſedit; ſed *Achab* quidẽ totius patrati ſceleris facie operoſe perpenſa, *Achab* ab ipſo iuſtificatus eſt. Illud ſiquidem eſt, ꝙ inter omnia quæ leguntur ſeu referuntur ſceleratorum ſcelera longe primum obtinet locũ. Quod omnem *Neronis* nequitiam, *Iuliani* perfidiã, ſacrilegam etiam *Iudæ* proditionem excedit. Vide ſiquidẽ & attende, qualis perſona in quali Eccleſia, quale ẽt tempus patrandi ſceleris elegerit: natale ſcilicet Domini, proximã poſt ſanctorũ innocentiũ diẽ, vt nouus ex veteri noſtris diebus ſuſcitaretur *Herodes*. Pax ẽt publice data proditorem nihilominus reuocauit à ſcelere. Qui tanquam per ſe ſatis non inſaniret, inſtigatores habuit, dantes cornua peccatori, falſos videlicet illos, & ab omni Eccleſiarum orbe perpetuo deteſtandos fratres: *Rogerum* videlicet Archiepiſcopum Eboracenſem diabolum illum, & Lundonienſem Epiſcopum *Gillebertum, & Iocelinum* Salesbirienſem Epiſcopum; non Epiſcopos ſed poſtaticos. Qui filium tuum fratrem ſuum non myſtice vendiderunt ſed in veritate occiderunt, patris iam ſenis nec maledictionem metuentes, nec dolori vel ætati parcentes. Quorum vita præſens, vt in perpetua amaritudine ſit, & memoria in maledictione æterna, veſtra, (pater ſancte) authoritas pariter & auſteritas efficiat. Valeat ſanctitas veſtra pater ſancte.

Interim *Rotrodus* Rothomagenſis Archiepiſcop. & *Egidius* Ebroicenſis Epiſc. & *Rogerus*

Wigornenſis Epiſcop. & *Richardus Barre*, & quidam alii de cleri. is & familiaribus Regis Angliæ, iter arripuerunt ad Romanum pontificem pro ipſo Rege, & pro regno eius. Sed dominus Rothomagenſis ſenio & infirmitate laborans, cum iam fere mediam peregiſſet viam, vlterius procedere non potuit: ſed reuerſus eſt in Normanniam ad ſedem ſuam, & prædicti Epiſcopi cum clericis regis proceſſerunt. Et à ſummo pontifice cum magna difficultate impetrauerunt, vt duo Cardinales, ſcz. *Theodinus, & Albertus* ex parte domini Papæ in Normanniam venirent ad cognoſcendam cauſam, quæ vertebatur inter Regem & Eccleſiam Cantuarienſem, & de morte Cantuarienſis martyris, & de aliis Eccleſiaſticis dignitatibus, & prout Deus eis adminiſtraret iudicandam. Ipſi vero, qui Romam profecti fuerant, in hac forma ſcripſerunt domino Regi.

Chariſſimo Domino ſuo Henrico *illuſtri Angliæ Regi, duci Normanniæ & Aquitaniæ, & Comiti Andegauiæ*, Robertus *Abbas Wallatiæ, Salesbirienſis Archidiaconus, Robertus Lexouienſis Archidiaconus*, Richardus Barre, *& magiſter* Henricus, *ſalutem & fidele in omnibus, & vbique obſequium. Noueris veſtra maieſtas, quod* Richardus Barre, *nos præceſſiſſet, & cum multo periculo, & grauamine nos ad curiam domini Papæ præueniſſet nos quatuor cum duobus Epiſcopis, & decano Ebroicenſi, & magiſtro* Henrico *cum multa difficultate venimus vſq; Senas. Ibi diebus aliquot detenti ſumus.* Comes enim *Macharius ſic ex omni parte vias obſederat, quod nulli patebat egreſſus.* Cum vero nos quatuor, cum Epiſcopis, qui plurimum exire deſiderabant, non potuiſſemus: in maxima animi anguſtia poſiti, ex communi conſilio, media nocte & latenter exiuimus, & ſic per abrupta montium, & per loca fere inuia ſub magno timore & periculo tandem venimus Tuſculanum. Ibi *Richardum* de Barre de veſtro honore, ſicut dicebat, ſollicitum, & ad veſtram vtilitatem prudenter & vtiliter, atque inſtanter laborantem inuenimus: Multum tamen contriſtatum, & confuſum, quia nec dominus Papa eum receperat, nec alii benignos & humanos ſe illi exhibuerant. Nos autem venientes dominus Papa nec videre, nec ad oſculum, nec ad pedem voluit recipere. Vix enim plerique Cardinalium dignati ſunt nos recipere, vel in verbo. Diu ergo in amaritudine ſpirituum noſtrorum anxie conturbati, his qui vos fidelius diligebant omnimode ſupplicauimus, vt eorum interuentu dominus Papa nobis quocunque modo audientiam indulgeret. Ad eorum tandem inſtantiam recepti ſunt Dominus Abbas Wallatiæ, & *Robertus* Lexouienſis Archidiaconus, qui minus habebantur ſuſpecti. Ipſi autem cum nomen veſtrum, tanquam deuotiſſimi filii Romanæ Eccleſiæ in ſalutationem ex parte veſtra proponerent, acclamauit tota curia: ſuſtinete, ſuſtinete, tanq̃ domino Papæ abominabile eſſet audire nomen veſtrum. Sic à curia venientes, ſero redierunt ad dominum Papam, eique de noſtro communi conſilio exponentes, quod nobis à veſtra maieſtate fuerat iniunctum. Referentes etiam ſeriatim ſingula beneficia, quæ contuleratis Cantuarienſi, & ſingulos exceſſus, & inopportunitates, quas contra veſtram commiſerat dignitatem. Totumq; hoc primum ſecreto, poſtea coram domino Papa, & omnibus Cardinalibus, contendentibus etiam contra eos *Alexandro* & *Gunthero* Flandrenſi clericis Cantuarienſibus. Inſtante vero quinta feria ante Paſcha, in qua de conſuetudine Romanæ Eccleſiæ ſolet dominus Papa publice abſoluere vel publice excommunicare: cum certi eſſemus quod de veſtro & regni veſtri grauamine, tanquam ad hoc proni diutiſſime tractaſſent, conſuluimus eos, quos veſtræ maieſtati fideliores cognouimus, ſcilicet dominum Portuenſem, dominum Iacinctum, dominum Papienſem, dominum Tuſculanenſem, dominum Petrum de Mirio, (dominus *Iohannes* Neapolis aberat) cum omni ſtudio, & inſtantia exorantes, vt nobis animum domini Papæ, & quid circa nos ſtatuere proponeret, aperirent. Ipſis vero in nihil niſi ſiniſtrum, & veſtræ celſitudini ignominioſum reportantibus, ex ſingultuoſa eorum, & fratris *Franci* fidelis viri relatione præſenſimus, quod ea die immutabiliter diſpoſuerat dominus Papa, in vos nominatim, & in totam terrã veſtram ciſmarinã, & tranſmarinã de cõmuni fratrum conſilio interdicti ferre ſententiam, & eam, quæ in epiſcopos lata fuerat confirmare. Poſiti ergo in arctiſſimo omni ſtudio attentauimus per Cardinales, & per illos de ſociis noſtris, qui ad illum habebant acceſſum, & per familiares ſuos, vt ceſſaret ab hoc propoſito, vel ſaltem differret vſque ad aduentum Epiſcoporum veſtrorum. Quod cum nullo modo fieri poſſit, nos ſicut decet, & ſicut debitores vobis ſumus, perſonæ veſtræ dedecus, & totius terræ veſtræ grauamen ſuſtinere non valentes, nec debentes, tandem conuocatis ſociis noſtris coram quibuſdam Cardinalibus, & viam inuenimus ſaluti veſtræ, & honori, bonam, & ſecuram, & vniuerſæ terræ veſtræ vtilem, Epiſcopis quoque neceſſariam. Pro qua à vobis, & à terra veſtra, & ab Epiſcopis veſtris dedecus, & periculum, q imminebat, auertimus, & nos ipſos pro hac libertate toti periculo expoſuimus, credentes,

tes,& certam ſpem habentes, quod totum negotium procedet, ſecundũ quod credimus vos velle,& ſecundum quod ſcimus vos velle debere. Dominus Wigornenſis,& dominus Ebroicenſis Epiſcopi,& Robertus Decanus Ebroicenſis,& magiſter *Henricus* in proximo venturi erant,& eos quidem dimiſimus vltra modum anxios, & turbatos, quia pro explendo negotio veſtro,pro velle ſuo, venire non poterant. Fuitq; de conſilio eorum & noſtro,quod nos quocunq; modo præcederemus eos,vt dedecus & malum, q̃ parabant nobis aduerſarii noſtri,impedire poſſemus. Certi enim eramus, quod veſtrum grauamen in curia præparabatur,& timuimus illius diei conſuetudinem. Valeat & diu vigeat ſublimitas veſtra,confortamini in Domino,& exultet cor veſtrum, quoniam præſens nubilũ ad gloriam veſtram ſequetur ſerenum. Die Sabbati ante ramos palmarum ad curiam venimus,& lator præſentium die Paſchæ receſſit à nobis. Interim venerunt in Normannia, duo legati Cardinales, à latere *Alexandri* ſummi pontificis miſſi, *Gratianus, ſcz. & Viuianus*, qui magnis & diuerſis vexationibus regem Angliæ angariauerunt; volentes eum & terram ſuam ſub interdicto ponere. Sed rex Angliæ inde præmunitus, ante illorum ingreſſum ad præſentiam ſummi pontificis appellauit,& ſic ſe & terram à grauamine illorũ cuſtodiuit illæſos. At tũ Apoſtolicam timens ſeueritatem,ad mare properauit, & de Normannia in Angliam transfretauit, præcipiens quod nullus breuis lator cuiuſcunq; fuerit conditionis, vel ordinis permitteretur transfretare, neq; de Normannia in Angliam, neq; de Anglia in Normanniam, niſi prius data ſecuritate, quod nullum malum, vel grauamen quęreret regi nec regno ſuo. Deinde idem rex magna claſſe nauium congregata, fecit eas onerari victu,& armis,& congregari præcepit in portu de Milford/ qui prope eſt de Pembroc. Ipſe autem interim magnum cõgregauit exercitum equeſtrem,& pedeſtrem, & venit vſq; ad Pembroc obuiam nauibus ſuis. Quibus congregatis,& omnibus rite peractis, ipſe cum exercitu ſuo naues aſcendit in portu de Milford Sabbato, 17. Kal. Nouemb. & in craſtino fœliciter,& cum gaudio applicuit in Hybernia in loco, qui dicitur Croch, qui diſtat à ciuitate de Waterford per 8. milliaria hora diei 9. cum 400. magnis nauibus onuſtis viris bellicoſis,& equis,& armis,& victu. cumq; ipſe de naui in terram, quidam lepus albus proſiliuit de vepribus,& ſtatim captus,& ei oblatus, in ſignum victoriæ.

In craſtino aduentus regis Angliæ in Hyberniam, ſcz. 15. Kal. Nouembris, feria 2. feſto *S. Lucæ* euangeliſtæ, ipſe & omnes exercitus eius profecti ſunt vſq; Waterford/ ciuitatem Epiſcopalem. Et inuenit ibi *Willielmum* filium *Aldelini* dapiferum ſuum, & *Robertum* filium *Bernardi*,& alios quoſdam de familia ſua, quos ipſe ab Anglia præmiſerat. Et ibi moram fecit per 15. dies & ibi venerunt ad eum per mandatum ipſius rex Corcenſis & rex de Limerich,& rex de Oxerie,& rex de Mida, & *Reginaldus* de Waterford/ & fere omnes potentes Hyberniæ, præter regem de Conacta, qui dicebat ſe de iure eſſe dominum Hyberniæ totius. Præterea venerunt ibidẽ ad regem Angliæ omnes Archiepiſcopi, Epiſcopi, abbates totius Hyberniæ,& receperunt eũ in regem, & dominũ Hyberniæ, iurantes ei,& hæredibus ſuis fidelitatem,& regnandi ſuper eos poteſtatem in perpetuum,& inde dederunt ei chartas ſuas. Exemplo autem clericorum prædicti Reges, & principes Hyberniæ, receperunt ſimili modo *Henricum* Regem Angliæ in dominum & Regem Hyberniæ,& homines ſui deuenerunt, & ei & hæredibus ſuis fidelitatem iurauerunt contra omnes homines. Eſt ſciendum, quod in Hybernia ſunt 4. Archiepiſcopi, & 28. Epiſcopi, quorum nomina hæc ſunt. *Gelaſius* igitur Armacenſis Archiepiſcopus totius Hyberniæ Primas, habet ſub ſe octo Suffraganeos, quorum nomina hæc ſunt; *Odanus* Epiſcopus, *Mauritius* Charenſis Epiſcopus, *Malethias* Thuenenſis Epiſcopus, *Neemias* Chonderenſis Epiſcopus, *Gillebertus* Ratphpothenſis Epiſcopus, *Thaddeus* Ceneuerſis, *Chriſtianus* Ardahachdenſis, *Eleutherius* Cluencrardenſis, Epiſcopi. *Donatus* Caſſelenſis Archiepiſcopus habet ſub ſe 10. Suffraganeos, quorum nomina hæc ſunt; *Chriſtianus* Liſmorenſis Epiſcopus, Apoſtolicę ſedis legatus: Ingmelleccenſis Epiſcopus, Cluanumenſis Epiſcopus, Arcmorenſis Epiſcopus, Lucapniarenſis Epiſcopus, Kildarenenſis Epiſcopus, Waterfordenſis Epiſcopus, Archferdenſis Epiſcopus, Roſenſis Epiſcopus, Finabrenſis Epiſcopus. *Laurentius* Dublinenſis Archiepiſcopus habet ſub ſe quinq; Suffraganeos, quorum nomina hæc ſunt; Biſtaghnenſis Epiſcopus, Fernenſis Epiſcopus, Leghglenſis Epiſcopus, Kindarenſis Epiſcopus, Erupolenſis Epiſc. Quartus Catholicus Tuaimenſis Archiepiſc. habet ſub ſe 5. Suffraganeos, quorum nomina ſunt hæc; Kinfernenſis Epiſc. Kinlathenſis Epiſc. Maigonenſis epiſc. Aelfinenſis Epiſcopus, Achathkourenſis epiſc. Et hi omnes tam Archiepiſcopi, quã Epiſcopi receperunt ſibi *Henricum* regem Angliæ,& hæredes ſuos, in reges & dominos in perpetuũ; quod & chartis ſuis confirmauerunt. Quo facto, rex Angliæ miſit *Nicolaum* capellanum,& *Radulfum* Archidiaconum de Landaff, clericos ſuos, vna cũ Archiepiſcopis,

& Epiſcopis Hyberniæ vſq; ad Caſſelenſem ciuitatem, ad celebrandum concilium de ſtatutis Eccleſiæ. In concilio autem illo ſtatutum eſt, vt pueri deferrentur ad Eccleſiam, & ibi baptizentur in aqua munda ſub trina merſione. In nomine patris filii & ſpiritus S. Et hoc à ſacerdotibus fiat, niſi metu mortis impediente, ab alio & alias oportuerit fieri, & tūc à quolibet fiat ſine exceptione ſexus & ordinis. Et vt decimæ dentur Eccleſiis de omnib. quæ poſſidentur. Et vt omnes laici, qui vxores habere velint, eas ſecundum ius Eccleſiaſticum habeant. Rex vero Angliæ miſit tranſcriptum chartarum vniuerſorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Hyberniæ, ad *Alexandrum* Papam, & ipſe authoritate Apoſtolica confirmauit illi & hæredibus ſuis regnum Hyberniæ, ſecundum formam chartarum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Hyberniæ. His ita apud Waterford factis, Rex Angliæ perrexit inde vſq; Diueline / & ibi moram fecit à feſto S. *Martini*, vſq; ad caput ieiunii: ibiq; fecit ſibi conſtrui iuxta Eccleſiam *S. Andreæ* apoſtoli extra ciuitatem Diueliniæ, palatium regium miro artificio, de virgis leuigatis ad modum patriæ illius conſtructum. In quo ipſe cum regibus & principibus Hyberniæ feſtum ſolemne tenuit die natalis Domini. Interim *Gillebertus* Lundonienſis & *Iocelinus* Salesbirienſis Epiſcopi Romam miſerunt, & literas abſolutionis in hac forma receperunt.

EPISTOLA ALEXANDRI PAPÆ ad Bituricenſem Archiepiſcopum.

ALexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus Bituricenſi Archiepiſcopo, & Niuernenſi Epiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Fraternitati veſtræ non credimus eſſe incognitum, qualiter ſanctæ recordationis *Thomas*, quondam Cantuarienſis Archiepiſcop. de mandato noſtro in Lundonienſem & Salesbirienſem Epiſcop. excommunicationis ſententiam promulgauit: quam vtiq; nos ratam habentes, & firmam eam authoritate Apoſtolica curauimus confirmare. Quia vero prædicti Epiſcopi, ſenio & debilitate corporis confecti, & alter morbo laborans, ad præſentiam noſtram venire non poſſunt: vobis, de quorum prudentia & honeſtate confidimus, abſolutionem eorum, pro qua nuncii regis Henrici Angliæ, & eorundem Epiſcoporum apud nos vehementius inſtiterunt, duximus committendam. Ideoq; fraternitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus; quatenus infra menſem, poſtquam iidem nuncii ad propria redierint, de aduentu legatorum noſtrorum, quos ad partes illas pro cognoſcenda atrocitate illius facinoris & ſceleris, quod perpetratum eſt, & reconciliatione regis diſpoſuimus tranſmittere, quod tranſalpinauerint vobis non innotuerit: eos, publice recepto iuramento ſecundum morem Eccleſiæ, quod noſtro debeant aſtare mandato, ab excommunicationis vinculo abſoluatis ſententia ſuſpenſionis ob eam cauſam, qua fuerant vltimo in excommunicationem deducti, in ſuo robore permanente. Si autem vobis conſtiterit, quod Salesbirienſis Epiſcopus, morbo laborans ad vos venire non poſſit: illuc in propria perſona quod nobis placeret accedatis. Aut ſi accedere non poteritis perſonas idoneas, de quibus nos & vos confidere valeamus, tranſmittatis. Quæ illum, recepto iuramento publice, in conſpectu Eccleſiæ, quod noſtro debeat parere mandato, abſoluant. Si autem huic rei, (frater Archiepiſcope) intereſſe non poteris, tu (frater Epiſcope) ipſe cum Pontineacenſi abbate quæ dicta ſunt diligentius exequaris. Datæ Tuſculani 8. Kal. Maii.

Eodem anno, *Auigouth*, Armiramimdi, Imperator Affricanorum tranſiuit mare Affricum, & applicuit in Hiſpania in manu forti, & brachio extento. Et defuncto *Lupo* Rege qui Paganus erat occupauit terram illius, ſcz. Murtiam & Walentiam, & alias ciuitates multas, & inde per conſilium Regis *Ferandi de S. Iacobo*, intrauit terram *Aldefonſi* Regis caſtellæ, & cepit per vim Coneam ciuitatem, & Octam ciuitatem, & omnes Chriſtianos, quos cepit, in eis occidit, præter paucos, quos in perpetuam redegit ſeruitutem. Anno gratiæ 1172. qui erat annus decimus octauus regni Regis *Henrici* ſecundi, idem Rex fuit in Hybernia apud Diueline / die natalis Domini quæ Sabbato euenit: & ibi feſtum regale tenuit, & facta ibi mora vſque ad caput ieiunii perrexit inde ad ciuitatem de Weſſeford / & ibi moram fecit vſque ad Paſcha. Dum autem ibi moram faceret, *Theodinus, & Albertus* Cardinales, miſſi à latere ſummi pontificis, venerunt in Normanniam. Quorum aduentu cognito, Rex ad eos ire properauit: ſed antequam ab Hybernia recederet, dedit, & charta ſua confirmauit *Hugoni* de Laſci, totam terram de Mida cum omnibus pertinentiis ſuis; tenendam in feodo, & hæreditate, de ipſo & hæredibus ſuis; per ſeruitium centum militum: & tradidit ei in cuſtodia ciuitatem Diueliniæ, & conſtituit

eum

eum iuſticiarium Hyberniæ. Et tradidit *Roberto* filio *Bernardi* in cuſtodia ciuitatem Waterfordiæ, & ciuitatem Welleſordiæ, cum pertinentiis earum; & præcepit caſtella in eis firmari. Adueniente ſolemnitate Paſchali familia Regis transfretauit de Hybernia in Angliam, ipſo die Paſchæ, & applicuit in portu de Mileford iuxta Penbroc. Rex vero propter diem ſolemnem illo die mare intrare noluit: ſed in craſtino mare intrauit, & applicuit in Wallia prope Sanctum *Dauid*. Deinde venit Rex cum feſtinatione ad Portesmuel & ducens ſecum *Henricum* filium ſuum transfretauit de Anglia in Normanniam, & inuenit apud Cadomum prædictos Cardinales, & conſilio eorum pacem fecit cum *Lodowico* Rege Francorum de coronatione filiæ ſuę, ita quod ex conſenſu & conſilio prædictorum Cardinalium remiſit regem filium ſuum in Angliam, & cum eo *Rotrodum* Rothomagenſem Archiepiſcopum, & *AEgidium* Ebroicenſem Epiſcopum, & *Rogerum* Wigornenſem Epiſcopum ad coronandum illum, & *Margaretam* vxorem ſuam, filiam *Lodowici* Regis Franciæ, & coronauerunt eos Wintoniæ, in Eccleſia S. *Swithuni* ſexto Kal. Septembris, die dominica. Et ſtatim poſt coronationem rex filius & regina vxor eius & Archiepiſcopus Rothomagenſis & Ebroicenſis, & Wigornenſis Epiſcopi, transfretauerunt de Anglia in Normanniam.

PVRGATIO HENRICI REGIS *pro morte beati* Thomæ.

Henricus Rex Angliæ pater, & *Henricus* Rex filius eius, & *Rotrodus* Rothomagenſis Archiepiſcopus, & omnes Epiſcopi & abbates Normanniæ conuenerunt apud Abrincam ciuitatem, in præſentia *Theodini*, & *Alberti* Cardinalium. In quorum audientia Rex Angliæ pater, quinto Calendarum Octobris, feria quarta, feſto ſanctorum *Coſmæ & Damiani* martyrum, in Eccleſia ſancti *Andreæ* Apoſtoli purgauit innocentiam ſuam, coram prædictis Cardinalibus & omni clero & populo, præſtito ſacramento, ſuper ſanctorum reliquias, & ſuper ſacroſancta euangelia, quod ipſe nec præcepit, nec voluit, quod Archiepiſcopus Cantuarienſis occideretur: & quando audiuit vehementer inde doluit. Sed quia malefactores illos, qui ſanctæ memoriæ *Thomam* Cantuarienſem Archiepiſcopum occiderunt, habere non poterat, & quia timebat ipſos illud profanum opus impetraſſe, cauſa animi motus & turbationis, quam in eo viderant, de ſatisfactione tale præſtitit ſacramentum. Iurauit itaq; inprimis quod ab *Alexandro* ſummo pontifice, & catholicis ſucceſſoribus eius non recederet, quamdiu ipſum ſicut regem catholicum habuerint. Iurauit etiam, quod neq; appellationes impediret, neq; impedire permitteret; quin libere fierent in regno ſuo ad Romanum pontificem, in Eccleſiaſticis cauſis, ita tamen, vt ſi ei ſuſpecti fuerint aliqui, ſecuritatem faciant, quod malum ſuum vel regni ſui non quærant. Iurauit etiam quod ab inſtante natiuitatis Domini, vſq; in triennium crucem accipiet, in proxima ſequenti æſtate in propria perſona Ieroſolymam iturus, niſi remanſerit per *Alexandrum* ſummum pontificem, vel per catholicos ſucceſſores eius. Sed ſi interim pro vrgenti neceſſitate in Hiſpaniam ſuper Saracenos profectus fuiſſet, quantum temporis in illo itinere conſummaret, tantundem Ieroſolymitanæ ſpacium profectionis poſſet prolongare. Præterea iurauit, quod interim tantum pecuniæ dabit Templariis, quantum ad arbitrium fratrum Templi poſſit ſufficere ad retinendum ducentos milites, ad defenſionem terræ Ieroſolymitanæ per ſpacium vnius anni. Præterea perdonauit iram & maleuolentiam ſuam omnibus tam clericis quam laicis, qui pro ſancto *Thoma* erant in exilio. Et conceſſit eis libere & in pace ad propria redire. Iurauit etiam quod poſſeſſiones Cantuarienſis Eccleſiæ, ſi quæ ablatæ ſunt, in integrum reſtituet, ſicut habuit vno anno antequam ab Anglia egrederetur beatus *Thomas* Cantuarienſis Archiepiſcopus. Iurauit etiam quod conſuetudines, quæ inductę ſunt contra Eccleſias terrę ſuæ in tempore ſuo, penitus dimittet. Et hæc omnia iurauit ſe fore obſeruaturum bona fide & ſine malo ingenio. Fecit etiam *Henricum* regem filium ſuum hæc omnia capitula iurare tenenda: præter illa, quæ propriam eius perſonam contingebant. Et vt hæc in memoria Romanæ Eccleſiæ haberentur, rex pater fecit apponi ſigillum ſuum ſcripto illi, in quo ſupradicta capitula continebantur, vna cum ſigillis prædictorum Cardinalium.

CHARTA ABSOLVTIONIS DOMINI REGIS.

Henrico Dei gratia illuſtri Regi Anglorum, *Albertus* tituli Sancti *Laurentii* in Lucinia, & *Theodinus* tituli Sancti *Vitalis* presbyteri Cardinales, Apoſtolicæ ſedis legati, ſalutem in eo, qui dat ſalutem regibus. Ne in dubium veniant, quæ geruntur & vſus habet,

& communis conſideratio vtilitatis expoſcit, vt ſcripturæ ſerie debeant annotari. Inde quidem eſt quod nos mandatum illud in ſcriptum duximus redigendum, quod vobis pro eo facimus, quia malefactores illos, qui Sanctæ memoriæ *Thomam* quondam Cantuarienſem Archiepiſcopum occiderunt, occaſione motus & turbationis, quam viderant in vobis, ad illud facinus proceſſiſſe timetis. Super quo tamen facto purgationem in præſentia noſtra de voluntate propria præſtitiſtis, quod videlicet nec præcepiſtis nec voluiſtis vt occideretur. Et quando peruenit ad vos, plurimum condoluiſtis. Ab inſtanti feſto Pentecoſtes vſq; ad annum, tantam dabitis pecuniam, vnde ad arbitrium fratrum templi ducenti milites valeant ad defenſionem terræ Hieroſolymitanæ, per ſpaciũ vnius anni teneri. Vos autem à ſequenti natalis Domini, vſq; ad triennium accipietis crucem, proxima tunc æſtate illuc in propria perſona, ducente domino, profecturi, niſi remanſeritis per Dominum Papam, vel catholicos ſucceſſores eius. Sane ſi contra Sarracenos pro vrgente neceſſitate in Hiſpaniam profecti fueritis: quantum temporis fuerit, ex quo arripueritis iter, tantundem ſupradictum ſpacium Ieroſolymitanæ profectionis poteritis prolongare. Appellationes nec impedietis, nec impediri permittetis, quin libere fiant in Eccleſiaſticis cauſis ad Romanum pontificem bona fide & abſque fraude, & malo ingenio, vt per Romanum Pontificem cauſæ tractentur, & conſequantur effectum ſuum: ſic tamen, vt ſi vobis ſuſpecti fuerint aliqui ſecuritatem faciant, quod malum veſtrum vel regni veſtri non quærunt, conſuetudines, quæ inductæ ſunt contra Eccleſias terræ veſtræ in tempore veſtro penitus dimittetis. Poſſeſſiones Cantuarienſis Eccleſiæ, ſi quæ ablatæ ſunt, in plenum reſtituetis, ſicut habuit vno anno, antequam Archiepiſcopus de Anglia egrederetur. Clericis præterea & laicis vtriuſque ſexus pacem veſtram in gratiam & poſſeſſiones ſuas reſtituetis: qui occaſione prænominati Archiepiſcopi deſtituti fuerunt. Hæc autem vobis, authoritate Domini Papæ, in remiſſionem peccatorum veſtrorum iniungimus & præcipimus obſeruare, abſq; fraude & malo ingenio. Hoc ſane coram multitudine perſonarum iurauiſtis vos pro diuinæ reuerentia maieſtatis. Iurauit & filius veſter, excepto eo, quod perſonam veſtram ſpecialiter contingebat. Et iuraſtis ambo, quod à papa domino *Alexandro* & catholicis ſucceſſoribus eius, quamdiu vos ſicut anteceſſores veſtros, & catholicos Reges habuerint, minime recedetis. Atque, vt in memoria Romanæ Eccleſiæ firmiter habeatur, ſigillum veſtrum præcepiſtis apponi.

EPISTOLA EORVNDEM CARdinalium ad *Archiepiſcopum Rauennenſem*.

Venerabili in *Chriſto*, & dilecto fratri, *Gilleberto* Dei gratia Rauennenſi Archiepiſcopo *Albertus* dignatione diuina tituli S. *Laurentii* in Lucinia, & *Theodinus* tituli S. *Vitalis*, presbyteri, Cardinales, Apoſtolicæ ſedis legati, quod promiſit Deus diligentibus ſe. Quoniam deſiderare vos credimus, vt de ſtatu noſtro & de iniuncti nobis promotione negotii aliquid audiatis, idcirco qualiter nobiſcum, & per miniſterium mediocritatis noſtræ Deus egerit his diebus fraternitati veſtræ præſenti ſcripto duximus indicandum. Noueritis itaq; quod poſtquam illuſtris Rex Angliæ veniſſe nos in regnum ſuum in veritate cognouerit, totius amoto tarditatis obſtaculo, de Hybernia in Angliam, incumbentibus ſibi negotiis prætermiſſis, de Anglia vero ad Normanniæ partes acceſſit, atq; incontinenti, plures ad nos nuntios, & honorabiles deſtinauit, inquirens à nobis in quo loco potius conuenire cum eo, & loqui vellemus. Placuit tandem ad Sauinium monaſterium pro colloquio habendo concurrere vbi religioſorum virorum poſſemus orationibus adiuuari. Cõuenimus illuc, conuenerunt & multæ perſonæ vtriuſq; ordinis de regno ſuo, & tractauimus diligentia, qua potuimus, quod ad ſalutem ipſius, & iniunctam nobis obedientiam pertinebat. Cum autem non poſſemus in omnibus conuenire, receſſit à nobis velut in Angliam profecturus, & nos expectauimus ſequenti die ad Abrincam ciuitatẽ ituri. Poſtera autem die venerunt ad nos Lexouienſis Epiſcopus, & duo Archidiaconi, & conceſſo q̃ petebamus, ad prædictam proceſſimus ciuitatem. Ad quam dominica qua cantatur *vocẽ iocunditatis*, conuenimus cũ perſonis plurimis, & ipſi nobiſcum. Et cum tanta humilitate quod fuerat condictũ expleuit, vt illius extitiſſe opus ſine dubitatione credatur, qui reſpicit terram, & facit eam tremere. Sane q̃ timoratum Deo, q̃ obedientem Eccleſiæ ſe curauerit exhibere, non eſt opus p̃ſenti abbreuiatione referre. Satis enim opera illius manifeſtant, & manifeſtabunt adhuc plenius, ſicut & nobis ſpes data eſt in futurũ. Primum itaq; ſuper morte Sanctæ memoriæ *Thomæ*, quondã Cantuarienſis Archiepiſcopi,

pi,non de noſtra exactione,ſed de propria voluntate,tactis ſacroſanctis Euangeliis, ſuam conſcientiam expurgauit,iurans ſcilicet quod nec præcepit, nec voluit, quod idem Archiepiſcopus occideretur,& quando audiuit,vehementer doluit. Quia vero quod factũ fuerat,ex ſua occaſione factum eſſe timebat, de ſatisfactione paranda, tale præſtitit iuramentum. *Primo quippe iurauit quod à Domino Papa noſtro* Alexandro, *& eius catholicis ſucceſſoribus non recedet,quamdiu ſicut catholicum regem habuerint eum & Chriſtianum. Et hoc ipſum iurare fecit filium ſuum maiorem in charta abſolutionis pro morte beati* Thomæ. *Iurauit etiam & alia clero,& populo valde neceſſaria,quæ omnia diligenter & per ordinem ſicut ea iurauerat in abſolutionis eius charta pernotauimus. Promiſit etiam & alia de libera voluntate gerenda, quæ non oportet ſcripturæ ſerie denotare.* Hęc autem ſcripſimus,vt cognoſcatis ipſum obedientem Deo atq; ad diuinum obſequium multo amplius quam adhuc fuerit animatum. Noueritis ad hoc filiũ ſuum de prædictis conſuetudinibus pariter cum eo iuraſſe. Sane, quod ibi factũ eſt, iterato adhuc, ne dubitationis locus alicui remaneret, apud Cadomum in maiori frequentia perſonarum publice ſtatuit ſe acturum. Relaxauit præterea Epiſcopos de promiſſione quam ei fecerant de conſuetudinibus conſeruandis,& promiſit quod non exiget in futurum. In craſtino autem prædicti Cardinales ibidem celebrauerunt magnum concilium cum Archiepiſcopo,& Epiſcopis,& clero Normanniæ,& ibi hæc decreta ſubſcripta ſtatuerunt,& vniuerſis firmiter, & inuiolabiliter obſeruanda iniunxerunt.

DECRETA PER THEODINVM ET Albertum Cardinales apud Abrincas promulgata.

PVeri ad regimen illarum Eccleſiarum & ad illa adminiſtranda,in quibus cura eſt animarum, minime admittantur. Item filii ſacerdotum non ponantur in Eccleſiis patrum ſuorum. Item Laici partem oblationum in Eccleſia non percipiant. Itẽ eccleſiæ vicariis annuis non comittantur. Item ſacerdotes maiorum Eccleſiarum,quibus ad hoc ſuppetunt facultates,alium ſub ſe Presbyterum cogantur habere. Item ſacerdotes non ordinentur ſine certo titulo. Item Eccleſiæ ad firmam annuam non tradantur. Item de tertia parte decimarum nihil Presbytero, qui ſeruit Eccleſiæ auferatur. Item his, qui decimas hæreditario iure tenent licentia ſit cui voluerint idoneo clerico dare, eo quidem tenore, vt poſt eum ad Eccleſiam, cui de iure competunt reuertantur. Vir ad religionem non tranſeat vxore in ſeculo remanente, vel è conuerſo, niſi ambo vacandi operibus carnis tempus exceſſerint. Item in aduentu Domini, omnibus qui poterunt, maxime autem clericis, & militibus, ieiunium, & abſtinentia carnium indicatur. Item clerici Iudai non ponantur ad iuriſdictiones ſecularium poteſtatum adminiſtrandas: qui autem hoc præſumpſerint, à beneficiis Eccleſiaſticis arceantur. Item de nouis libris excommunicatorum, & rebus morientium quas auferunt ſacerdotes, & benedictionibus ſponſarum, & baptiſmo, & de quadraginta & octo libris, quæ pro abſolutione excommunicatorum exiguntur, nihil perfectum eſt, quia Epiſcopi Normanniæ illud decretum recipere noluerunt. In eodem vero concilio Archiepiſcopus Turonenſis calumniatus eſt Archiepiſcopatum Doli debere adiacere Archiepiſcopatui ſuo: affirmans ſedem Archiepiſcopalem ibi eſſe non debere. ſed clerici de Dolo conſtanter contradicebant.

His ita tranſactis,circa feſtum omnium ſanctorum, nouus Rex Angliæ cum regina ſua transfretauit de Anglia in Normanniam, per mandatum Regis patris ſui,multum tamen inuitus. Cumque perueniſſent ad eum ſtatim miſit eos ad loquendum cum rege Franciæ. Rex enim Franciæ deſiderio magno deſiderabat videre filiam ſuam & cum ea loqui. Qui cum ad eum in Francia veniſſent, cum magno honore & gaudio ab eo ſunt recepti,& per aliquot dies cum eo moram fecerunt. Vnde magnum damnum prouenit regno Angliæ,& etiam regno Franciæ. Nam *Lodowicus* rex Franciæ,qui ſemper regem Angliæ odio habebat,conſuluit nouo Regi Angliæ, vt ſtatim cum veniret in Normannia, exigeret à rege patre ſuo ſibi donari vel totam Angliam,vel totam Normanniam, vbi ipſe cum filia ſuą morari poſſet. Et conſuluit quod ſi pater ſuus neutram illarum terrarum ei concedere vellet,ipſe cum regina ſua rediret in Franciam ad eũ. Interim rex timens fraudem & malitiam regis Franciæ,quas ſæpe expertus fuerat, miſit in Francia pro rege filio ſuo & pro vxore eius. Ipſi vero accepta à Rege Franciæ licentia, ad mandatum Regis in Normanniam redierunt. Appropinquante igitur ſolemnitate natiuitatis Dominicæ rex acceſſit verſus Andegauiam, & ibi curiam ſuam die natalis domini tenuit, & dimiſit Regem filium ſuum cum vxore ſua in Normannia. Eodem anno *Adam* de Port calumniatus fuit de proditione regis. Et quia ipſe ad ſummonitionem regis ſtare iudicio noluit: exlegatus eſt ab Anglia.

Seminariũ diſcordiæ inter regem patrẽ & regẽ filiũ.

Anno gratiæ milleſimo centeſimo ſeptuageſimo tertio, qui eſt annus decimus nonus

regni regis *Henrici* filii *Matildis* Imperatricis, idem Rex fuit die natalis Domini apud Chinonem in Andegauia, & regina *Alienor* fuit ibi cum eo, & Rex filius eius, & vxor illius fuerunt in Normannia. Et poſt natale miſit Rex pater pro rege filio, & profecti ſunt in Aluerniam vſq; ad montem Ferratz; & illuc venit ad eos *Hubertus* Comes de Mauriana, & adduxit ſecum filiam ſuam *Aalays* primogenitam. Quam Rex pater comparauit pro quinq; millibus marcis argenti ad opus *Iohannis* filii ſui cum toto Comitatu de Moriana, ſi prædictus Comes filium ex vxore ſua non habuerit. Si vero legitimum ſuſceperit filium, prædictus Comes conceſſit eis in perpetuum & hæredibus eorum Ruſſillum cum toto mandato ſuo ſiue omnibus pertinentiis ſuis, & totum Comitatum Belicenſem, ſicut eum habet, illis concedit. Et Perecaſtel cum omnibus pertinentiis ſuis & Totam vallem Noualeſiæ: & Cambriacum cum omnibus pertinentiis ſuis, & Aiz, & Aſperum montem, & Rocheram, & montem maiorem, & Cameram cum burgo, & toto mandato. Iſta omnia cum omnibus pertinentiis ſuis eis incontinenti citra montes concedit in perpetuum. Vltra montes quoq; illis & hæredibus eorum donat, & concedit in perpetuum, Taurinum totum cum omnibus pertinentiis ſuis: Canorech collegium cum omnibus pertinentiis ſuis, & omnia feoda quæ tenent de ipſo Comites de Cananeis, & eorum ſeruitia, & fidelitates. In Comite quoque de caſtro annuit ſimiliter feuda, fidelitates, & ſeruitia. In valle Auguſtenſi conceſſit iis Caſtellionium, quod de illo tenet vice comes Auguſtæ, in perpetuum contra omnes homines. Hæc omnia præfatus Comes concedit prædicto filio Regis Angliæ in perpetuum, cum filia ſua prænominata, ita libere, integre, & quiete, in hominibus, & ciuitatibus, caſtris, & aliis munitionibus, in pratis, paſcuis, & molendinis, in boſco, & plano, in aquis, & vallibus, & montanis, & paagiis, & in omnibus aliis rebus, ſicut vnq̃ pater eius, aut ipſe melius ea omnia, quæ ſubſcripta ſunt, aut liberius tenuit. Vult etiam prædictus Comes, quod incontinenti aut quandocunq; placuerit domino Regi Angliæ, vt filio eius fiant & præſtentur hominia & fidelitates ab omnibus hominibus ſuis per totam terram ſuam, ſalua fidelitate ſua, quamdiu terram tenebit. Præterea concedit iis, & hæredibus eorum in perpetuum quicquid iuris habet in toto Comitatu Graciopolitano, & quicquid in eo adquirit, vel acquirere poterit. Si autem filia ſua primogenita ſupradicta in fata conceſſerit, quæcunq; cum primogenita conceſſit, illuſtris Regis Angliæ filio, cum ſecunda filia ſua, eadem ſicut ſcriptum eſt cuncta concedit. Hanc præſcriptam conuentionem tenendam inter dominum Regem Angliæ, & Comitem Maurianæ, iurauerunt ipſe Comes Maurianæ, & Comes Gebennæ, & pene omnes alii potentes terræ ſuæ, quod Comes Maurianenſis hanc conuentionem ſeruabit firmiter, & ſi ab ea, aliquo modo reſiliret, iurauerunt quod aduocationem domini Regis Angliæ, vel nuntii ipſius, & etiam ſine omni vocatione, ſi Comes reſiliret, ex quo hoc ſcient, reddent ſe obſides domino Regi Angliæ in terra ſua vbicunque voluerit, & tamdiu in ſua captione morabuntur, donec Comitem ad Regis beneplacitum reuocauerint, vel cum ipſo rege pro voluntate ipſius compoſuerint. *Petrus* quoque venerabilis Tarentaſienſis Archiepiſcopus, & *Arduno* Gebenenſis, & *Willielmus* Maurianenſis Epiſcopi, & Abbas ſancti *Michaelis*, coram poſitis Sanctis Euangeliis, de mandato Comitis firmiter promiſerunt, quod ad beneplacitum Regis, & quando voluerit, perſonam Comitis excommunicabunt, & terram eius ſub interdicto ponent, ſi Comes hanc pactionem inter eos factam non ſeruauerit. Idem facient de perſonis hominum Comitis, & terris eorum, per quos ſtabit, quod non ſeruetur pactio inter Regem & Comitem facta, & tamdiu Comitem, & eos, qui pacem ſeruare noluerint, & terras eorum ſub interdicto tenebunt, donec domino regi ſatisfactũ fuerit. Dominus rex hanc fecit conuentionem, & conceſſionem præſcriptam cum Comite Maurianenſi, & eam de mandato ipſius tenendam iurauerunt Comes *Willielmus* de Mandeuilla, *Willielmus* Comes de Arundel, *Radulfus* de Faia, *Willielmus* de Curci, *Willielmus* de Hinnez, *Fulco Painel*, *Robertus* de Brinecurt, *Willielmus Maingot*, *Theobaldus Chabot*, *Willielmus* de Munluſzun, *Petrus* de Muntaſſun, *Gaufridus* Foreſtarius. De cætero ſciendum eſt, q; Comes ſuam ſecundam filiam nuptui tradere poterit, cui voluerit ſine nimio Comitatus detrimento, poſtquam primogenita eius filia filio regis fuerit deſponſata, vel per legitimam ætatẽ, vel per Romanæ Eccleſiæ diſpenſationẽ. parentibus autem ſuis vel aliis & pro ſalute animę ſuę poterit de terra ſua dare ſine multa Comitatus diminutione. Incontinenti vero mittit rex Comiti mille marcas argenti. Et quam cito filiam Comitis recipiet, habebit ad minus alias mille marcas argenti; & quicquid fuerit de quinq; millibus marcis reſiduum recipiet Comes, quando matrimonium inter filium regis & filiam Comitis fuerit contractum per legitimam ętatem, vel Romanę Eccleſię diſpenſationem. Si autem Dominus rex, (quod Deus auertat) ante in fata conceſ-

ſerit,

ſerit, vel extra terras ſuas profectus fuerit, neq; ipſe, neq; ipſi, qui de mandato ſuo iurauerunt, vel aliquam Comiti ſecuritatem fecerunt, tenebuntur de præſcripta conuentione, niſi dominus rex filius regis & ſui.

Paucis igitur euolutis diebus in terram regis Angliæ venerunt, ex parte Comitis Maurienſis, Marchio montis Ferrati, & *Gaufridus* de Plozac, & *Merlo* filius eius, & Richardi Comitis Cancellarius, & *Berlo* de Cambot, & *Petrus* de Bouet, Caſtellani: & *Petrus* de Sancto Geneſio, & *Petrus* de Taurino, milites: & *Gaufridus* de Aqua bella, & *Radulfius* de Vatci, burgenſes. Qui iurauerunt tactis ſacroſanctis Euangeliis, quod conuentionem factam inter regem & Comitem, de filio regis & filia Comitis, ſicut legitime facta, ſcripta, & intellecta eſt, facient firmiter Comitem obſeruare. Et niſi eam obſeruauerit, iurauerunt, quod ad vocationem domini regis vel nuntii ipſius venient vel etiam ſine omni vocatione, ſi Comes reſiliret à conuentione, ex quo hoc pro certo ſcirent, ſe reddent obſides regni in terra ſua, & tamdiu in captione ſua morabuntur, donec Comitem ad bene placitum regis reuocent, vel cum domino Rege pro voluntate ſua componant. Iurauerunt etiam prædicti nuntii quod Comes filiam ſuam ſecundam non tradent nuptui, donec eius filia primogenita filio regis in matrimonio ſit copulata, vel per legitimam ætatem, vel per Romanæ Eccleſiæ diſpenſationem; niſi de conſilio & voluntate domini regis eam interim alii donauerit. Iurauerunt etiam quod pecuniam, quam recepit, vel recipiet Comes à Domino Rege, ſi filia Comitis, vel filius regis, (quod abſit) forte in fata conceſſerit, antequam matrimonium fuerit inter eos contractum, totam reddet regi pecuniã, vel bene placitum regis inde faciet, vel cui rex aſſignauerit. Et prædicti iuratores, donec fuerit ſoluta, ſi voluerit rex, & quando voluerit, ſe reddent ei obſides in terra & in poteſtate ſua. Iurauerunt ſimiliter, quod conceſſione *Vmberti* iunioris facient pro poſſe ſuo habere filio Regis Ruſſillum, & Perecaſtel, & quicquid ei à Comite conceſſum eſt in Comitatu Belicenſi. Si forte *Vmbertus* hæc concedere noluerit, iurauerunt, quod Comes dabit ei legitimum excambium ad arbitrium abbatis de Cluſa, & *Reginaldi* Saleſbirienſis Archidiaconi, vel aliorum legitimorum per regem aſſignatorum, ſi illi præſentes eſſe non poſſent.

Deinde venit rex Angliæ pater, & rex filius eius cum eo vſq; ad Limoges, & *Raimundus* Comes de Sancto *Egidio* venit illuc ad eos, & deuenit ibi homo vtriuſq; regis Angliæ, & *Richardi* Comitis Pictauiæ de Toloſa tenenda de eis iure hæreditario, per ſeruitium veniendi ad eos ad ſummonitionem eorum & moram faciendi cum eis in ſeruitio eorum per quadraginta dies ſine aliquo cuſtamento eorum: ſed ſi illi voluerint eum habere diutius in ſeruitio ſuo, illi inuenient ei expenſas ſuas rationabiles. Præterea idem Comes de S. *Egidio* dabit eis de Toloſa & pertinentiis ſuis ſingulis annis centum marcas argenti, vel decem dextrarios vnumquemq; de precio decem marcarum.

Venit etiam ad Limoges Comes Maurianæ, & ſcire voluit quid, & quantum rex Angliæ pater daret *Iohanni* filio ſuo de terra ſua. Et cum rex vellet ei dare caſtellum de Chinum, & caſtellum de Londun, & caſtellum de Mirabel, rex filius nullo modo concedere voluit, nec fieri permiſit. Ipſe enim iam moleſte ferebat, quod pater ſuus aliquam terrarum ſuarum ei aſſignare noluit, vbi ipſe cum vxore ſua morari poſſet. Ipſe quidem petierat à patre ſuo donari ſibi Normanniam, vel Andegauiam, ſiue Angliam: & hanc petitionem fecerat per conſilium regis Franciæ, & Comitum & Baronum Angliæ & Normanniæ, qui patrem ſuum odio habebant. Et ex illo tempore rex filius cauſas quærebat & opportunitatem, vt à patre ſuo recederet. Et iam animum ſuum à voluntate ipſius ita declinauerat, vt nihil cum eo pacifice loqui potuiſſet. Et nacta opportunitate loci & temporis rex filius à patre ſuo diſceſſit, & ad regem Francorum perrexit. Cancellarius autem eius *Richardus Barre*, & *Walterus* capellanus eius, & *Ailwardus* camerarius ſuus, & *Willielmus Blundus* hoſtiarius ſuus relicto eo redierunt ad patrem. Perdidit itaq; Regis filius mentem, perdidit & ſenſum: fugat innocentem, perſequitur genitorem: vſurpat Imperium, inuadit regnum: & ipſe vnus eſt reus, & vniuerſus contra patrem conſpirat exercitus, *Vnius dementia dementes efficit multos.* ipſe enim ſanguinem patris, cruorem appetit genitoris. Interim *Lodowicus* rex Francorum magnum celebrauit concilium Pariſiis. in quo ipſe & omnes principes Franciæ iurauerunt filio regis Angliæ, quod ipſi auxiliarentur ei modis omnibus ad patrem ſuum de regno eiiciendũ, niſi ad voluntatem ipſius compoſuerit. Et ipſe iurauit eis, quod ipſe cum patre ſuo pacem non faceret, niſi de conſenſu & voluntate eorum. Deinde iurauit ſe daturũ *Philippo* Comiti Flandriæ pro homagio ſuo mille libratas reddituũ in Anglia, & totã Cantiam cum Caſtello de Dowere, & caſtello Roſenſe: & *Mathæo* Comiti Boloniæ pro homagio ſuo Socam de Kirketona in Lindeſeia, & Comitatum Moretonii cum honore de Heia: & Comiti *Theobaldo* Bleſenſi pro

al. quingentas. homagio ſuo * ducentas libratas redditúum in Andegauia, & caſtellum de Ambaſio cum toto iure, quod ille calumniatus fuit in Turonica, & clamauit ei quietum totum ius, quod Rex pater eius & ipſe calumniati ſunt in caſtello *Reginaldi*. Et omnes iſtas donationes, & alias multas, quas cæteris fecit, confirmauit ſigillo ſuo nouo, quod Rex Franciæ ei fieri fecit. Præterea alias fecit donationes, quas ipſe eodem ſigillo confirmauit: ſcilicet *Willielmo* Regi Scotię pro auxilio ſuo totam Northumbriam vſq; ad fluuium Tinc. Et dedit fratri eiuſdem Regis pro ſeruitio ſuo Comitatum de Huntendona, & de Cantebrigeſire. & Comiti *Hugoni Bigot* caſtellum de Norwiz pro ſeruitio ſuo. Et ſtatim poſt Paſcha totum regnum Franciæ, & Rex filius Regis Angliæ, & *Richardus* frater eius Comes Pictauiæ, & *Gaufridus* Comes Brittanniæ, & fere omnes Comites & barones Angliæ & Normanniæ, & Aquitaniæ & Andegauiæ & Brittanniæ, inſurrexerunt in Regem Anglię patrem, & terras eius vndiq; deuaſtauerunt igne, & gladio, & rapinis; & caſtella ſua obſederunt, fregerunt, & ceperunt, & non erat, qui adiuuaret. Sed ipſe in quantum potuit reſiſtebat illis. Habuit enim ſecum viginti millia Brabancenorum, qui fideliter ſeruierunt illi, & non ſine magna mercede, quam eis dedit. Tunc impletum fuiſſe videtur illud Merlini *vaticinium, quo dicitur: Euigilabunt rugientes catuli, & poſtpoſitis nemoribus infra mœnia ciuitatum venabuntur. ſtragem non minimam ex obſtantibus facient, & linguas taurorum abſcindent. colla rugientium onerabunt catenis, & auita tempora renouabunt.* Rex ergo pater omnibus Imperatoribus, & regibus, quos ſibi putabat amicos, de infortunio, quod ei acciderat per promotionem, quam ipſe filiis ſuis fecerat, conqueſtus eſt, ne ipſi exaltent filios ſuos ſupra id, quod debent, commonens. Vnde *Willielmus* Rex Siciliæ ei in hac forma ſcripſit.

Henrico *Dei gratia illuſtri Anglorum regi & duci Normanniæ, & Aquitaniæ, & Comiti Andegauiæ*, Willielmus *eadem gratia rex Siciliæ, ducatus Apuliæ, principatus Capuæ, ſalutis fœlicitatem, & de hoſtibus deſideratum victoriæ triumphum. In receptione literarum veſtrarum cognouimus, quod quidem ſine admiratione maxima proferre non valemus, videlicet quod ordine humanitatis oblito, & naturæ lege ſoluta inſurrexit filius in parentem, in genitorem genitus, commota ſunt viſcera ad bellum inteſtinum, irruerunt ad arma præcordia, & quod nouum prodigium eſt, & noſtris temporibus inauditum, caro deſæuit in ſanguinem, & ſeipſum quærit ſanguis effundere. Et quoniam ad tanti furoris impetum compeſcendum, potentiæ noſtræ auxilium loci incommoditas non admittit, eo quo poſſumus charitatis affectu, quem locorum ſpacia non concludunt, perſonam & honorem veſtrum deuotius amplectentes, dolori veſtro compatimur, perſecutionem veſtram moleſte ducimus, & quaſi propriam reputamus. Confidimus autem & ſperamus in Domino, cuius iudicio regum iudicia terminantur: quod diutius non permittet filios veſtros tentari ſupra id quod poſſunt vel debent: Et qui factus eſt obediens patri vſque ad mortem, ipſe in iis filialis lumen obientiæ inſpirabit, per quod memorabuntur quod caro & ſanguis veſter ſunt, & relictis hoſtilitatis erroribus, agnoſcent ſe filios, redibunt ad patrem, naturæ ſolidabunt incommoda, & debitæ dilectionis fœdera priſtinus ordo continebit.*

Itaq; ſtatim poſt Paſcha (vt ſupra dictum eſt) exarſit nefanda proditorum rabies. Ipſi enim furore diabolico debacchati, circumquaq; deuaſtabant igne & gladio terras Regis Angliæ ciſmarinas & tranſmarinas. *Philippus* autem Comes Flandriæ cum magno exercitu intrauit Normanniam, & obſedit Albemarle & cepit eam. Et procedens inde obſedit caſtellum de Drincurt, & redditum eſt ei. vbi & *Mathæus* frater eius Comes Bolonię ex inopinato ictu ſagittæ percuſſus obiit. Quo defuncto, *Petrus* frater eius, electus Cambrienſis Eccleſiæ, ſucceſſit ei in Comitatu Boloniæ: & renuntians electioni ſuæ factus eſt miles, & paulo poſt obiit ſine prole.

Interim *Lodowicus* Rex Francorum & Rex Angliæ filius obſederunt Vernolium: ſed *Hugo* de Laſci, & *Hugo* de bello campo, qui inde conſtabularii erant villam Vernolii viriliter & conſtanti animo defenderunt. Attamen cum Rex Franciæ ibi per menſem morā feciſſet, vix expugnauit partiunculā villæ illius, ex parte illa vbi machinę ſuæ bellicę poſuerant. Erant quidē infra Vernolium tres burgi præter caſtellum: & vnuſquiſq; illorū ſeparatus erat ab altero, & intercluſus forti muro, & foſſa aqua plena. & vnus illorū dicebatur magnus burgus, vbi extra murū fixa erant tentoria regis Franciæ, & machinæ illius bellicæ. In fine autē illius menſis cū burgenſes de burgo magno viderent, ꝙ victus & neceſſaria eis defeciſſent, nec haberent quid manducarēt, cōpulſi fame & inopia inducias triduanas ceperūt à rege Franciæ eundi ad dominum ſuū regem Anglię, propter ſuccurſum ab eo habendum. Et niſi infra ſequens triduum ſuccurſum haberent, redderent ei burgum illum. Et ſtatutus eſt eis dies peremptorius in vigilia Sancti *Laurentii*: & dederunt Regi Franciæ obſides inde, & Rex Franciæ & Rex Angliæ filius, & Comes *Robertus* frater

Re-

Regis Franciæ,& Comes *Henricus* de Trois, & Comes *Theobaldus* de Blais, & *Willielmus* Archiepiſcopus Senonenſis iurauerunt eis, quod ſi ipſi reddidiſſent burgum illum regi Franciæ ad terminum ſtatutum, rex Franciæ redderet eis obſides ſuos liberos & quietos: Et quod eis nullum damnum faceret, nec ab aliis fieri permitteret. His ergo ita conceſſis ſupra dicti burgenſes venerunt ad dominum ſuum regem Angliæ, & indicauerunt ei cõuentionem, quam fecerant cum rege Franciæ,& rege filio ſuo. Quo audito rex Angliæ pater congregauit totum exercitum, quem habere poterat de Normannia, & aliis terris ſuis;& venit vſq; Bertuel caſtellũ *Roberti* Comitis Leiceſtriæ, quod ipſe Comes in aduẽtu regis fugiens ſine cuſtode reliquit. Quod ipſe rex totum redegit in cineres, & in craſtino præliatus cum rege Franciæ proceſſit vſq; in montem altum prope Vernolium cum exercitu ſuo,& diſpoſuit acies ſuas ad bellum. Et dies illa erat dies peremptorius in quo portio illa de Vernolio reddenda erat, niſi haberent ſuccurſum. Et *Lodowicus* rex Francorũ miſit *Willhemum* Senonenſem Archiepiſcopum,& Comitem *Henricum*, & Comitem *Theobaldum* ad regem Angliæ patrem,& cœperunt colloquium inter eos in craſtino. Et credidit illis rex Angliæ malo ſuo: quia deceptus eſt. Rex namq; Frãciæ in craſtino, nec ad colloquium venit, nec nuntium miſit. Rex autem Angliæ miſerat exploratores ſuos ad explorandum ſtatum regis Franciæ,& exercitus eius. Et dum exploratores illi moram facerent, reddita eſt regi Franciæ portio illa de Vernolio, quam obſederat. Sed ipſe non auſus eam retinere, tranſgreſſus eſt ſacramenta, quæ ipſe Burgenſibus fecerat. Ipſe namq; obſides eorum non reddidit, nec pacem, quam promiſerat, ſeruauit: ſed villam intrauit, Burgenſes captiuauit, catalla eorum aſportauit, Burgum incendit, & fugiens duxit ſecum in Franciam prædictos Burgenſes. Quod cum regi Angliæ nuntiatum eſſet, ſecutus eſt eos in ore gladii,& multos ex illis interfecit,& quamplures cepit,& in crepuſculo Vernolium venit. Et ibi vna nocte quieuit,& muros qui ceciderãt reædificari præcepit. Vt autem hæc in memoria habeantur, ſciendum eſt, quod hæc fuga regis Franciæ facta eſt quinto Idus Auguſti, feria quinta, in Vigilia ſancti *Laurentii*, ad laudem & gloriam Domini noſtri *Ieſu Chriſti*, qui puniẽdo ſcelus periurii, iniuriam martyri ſuo illatam tam celeriter vindicauit. In craſtino autem cum rex Angliæ pater à Vernolio recederet, cepit Dammeuile caſtellum *Gileberti* de Tileres,& multos milites & ſeruientes in eo cepit. Et inde venit rex Rothomagum, miſitq; inde Braibancenos ſuos, de quibus plus cæteris confidebat, in Brittãniam contra *Hugonem* Comitem Ceſtriæ & *Radulphum* de Fulgeriis, qui eam iam fere totam occupauerant. Appropinquantibus autem illis, Comes Ceſtriæ & *Radulphus* de Fulgeriis venerũt obuiam illis. Diſponitur itaq; prope bellum: acies dirigitur, pugna paratur. Igitur conſerto bello proſternuntur hoſtes regis Angliæ, Britones cadunt, & vincuntur. Comes autem & *Radulfus* de Fulgeriis cum multis de potentioribus Brittanniæ incluſerunt ſe infra turrim Doli, quam dolo ceperant:& Braibanceni obſederunt eos per circuitum decimo tertio Kalend. Septembris, feria ſecunda. Capti ſunt autem in prælio illo à Braibancenis ſtrenuiſſimi milites numero ſeptendecim, quorũ nomina hæc ſunt. *Haſcuil* de ſancto *Hilario*, *Willielmus Patric*. *Patric* de la Laude. *Hasmeri* de Faltiſia. *Gaufridus Farſi*. *Willielmus* de Rulent. *Radulfus* de Sens. *Iohannes* Pincerna. Vicarius de Dolo. *Willielmus* des Loges. *Willielmus* de la mote. *Robertus* de Treham. *Paganus Cornutus*. *Reginaldus Pincun*. *Reginaldus* de campo *Lamberti*. *Eudo Baſtardus*. Pręterea multi capti ſunt tam equites quam pedites,& pluſquam mille quingẽti de Brittonibus interfecti ſunt. In craſtino autem huius captionis & interfectionis,

Fama malum, quo non aliud velocius vllum,
Mobilitate viget,

Peruenit ad aures regis Angliæ: qui ſtatim iter ſuum verſus Dolum arripiẽs, feria quinta illuc venit, ſtatimq; fecit parari perarias ſuas & alias machinas bellicas. Comes vero Ceſtriæ,& qui infra turrim erant cum eo, non valentes eam defendere, reddiderunt eam regi ſeptimo Kalend. Septembris die Dominica. Similiter & tota Brittannia reddita eſt ei cum munitionibus eius; & principes eius ducti ſunt in captiuitatem. Infra turrim Doli capti ſunt milites & ſeruientes multi, quorum nomina hæc ſunt. *Hugo* Comes Ceſtriæ. *Radulfus* de Fulgeriis. *Willielmus* de Fulgeriis. *Hamo Spine*. *Ceones*. *Robertus Patricius*. *Ingeram Patricius*. *Richardus* de Luuecot. *Gwigain Guiun*. *Oliuerus* de Rupe. *Alanus* de Tintimac. *Iuellus* filius *Radulfi* de Fulgeriis. *Gilo* de caſtello Girun. *Philippus* de Landewi. *Willielmus* de Gorram. *Iuellus* de Meduana. *Gaufridus* de Buiſſerio. *Reginaldus* de Marchia. *Lemarchis*. *Herueus* de Nitri. *Hamelinus* de Eni. *Willielmus* de ſancto *Bricio*. *Willielmus* del Chaſteller. *Willielmus* de Orenge. *Radulfus Waintras*. *Robertus Pincerna*. *Henricus* de Grai. *Grumbaldus* fili⁹ *Haket*. *Gaufridus* Abbas. *Iohannes* Caurein. *Iohannes* de Breerrec. *Hugo Auenel*. *Hamelinus*

de Pratellis. Swalo de la Boſothe. Secardus Burdin. Walterus Bruo. Iohemp Ramart. Hugo de Buſſai. Iordanus de Maſrua. Henricus de ſancto Hilario, Philippus de ſancto Hilario: fratres Haſcuil. Bartholomæus de Buſſeria. Herbertus de Buillo. Bauran de Tanet. Rollandus filius Radulfi. Roellinus filius Radulfi. Gaufridus de Minihac. Guido Butefact. Celdewinus Guium. Iuellus de Ponte. Hamelinus Abbas. Robertus de Baiochis. Elias de Aubenni. Reginaldus Cactus. Iohannes de Curtizt. Philippus de Luuenni. Henricus de Waſtinis. Henricus de Sancto Stephano. Willielmus de Capella. Rogerus des Loges. Bencellardus de Serlando. Willielmus de Boſco Berengerii. Iohannes de Ruella. Oliuer de Munſorel. Hamundus de Rocheford. Robertus de Leſpinei. Iohannes del Loges. Gaufridus Carlocl. Radulfus de Tomal. Radulfus li Poters. Gilbertus de Croe. Radulfus Pucin. Mathæus de Praels. Richardus de Cumbrai. Willielmus li Franceis. Oliuer Rañde. Radulfus Ruffin. Springad. Rogerus de Cheuereulle. Willielmus de Loges. Et alii multi, quorum nomina non ſcribũtur in libro hoc. Poſt has igitur victorias, quas Deus contulit regi Angliæ filio Matildis Imperatricis, rex Franciæ & fautores ſui deciderunt in deſperationem, & modis omnibus nitebantur, vt pax fieret inter regẽ Angliæ & filios ſuos.

Conuenerunt ergo ad vltimum inter Giſortium & Trie, Lodowicus rex Francorũ, cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, Comitibus, & Baronibus regni ſui: adducens ſecum Henricum, & Richardum, & Gaufridum filios regis Henrici Angliæ: & Henricus rex Angliæ pater cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, Comitibus, & Baronibus terræ ſuæ. Et habitum eſt ibi colloquiũ de pace faciẽda inter ipſum & filios ſuos, 7. Kal. Octob. feria tertia. In quo colloquio rex Angliæ pater obtulit regi filio ſuo medietatem redditu ũ dominicorũ ſuorũ Angliæ, & quatuor caſtra idonea in eadem terra. aut ſi filius ſuus mallet morari in Normannia, rex pater obtulit ei medietatem reddituum Normanniæ, & omnes redditus terræ patris ſui Comitis Andegauiæ, & tria caſtra idonea in Normannia, & vnum caſtrum in Andegauia idoneum, & vnũ caſtrũ in Cenomannia idoneum, & vnũ caſtrum in Turonica idoneum. Richardo ẽt filio ſuo obtulit medietatem reddituum Aquitaniæ, & quatuor caſtella in eadem terra idonea. & Gaufrido filio ſuo obtulit terram illam, quæ contingebat iure hæreditario filiam Comitis Conani, ſi ipſe præfatam mulierem aſſenſu domini Papæ poſſet ſibi in matrimonium copulare. Suppoſuit etiã rex pater ſe omnino arbitrio Archiepiſcopi Tharentenſis & legatorum domini Papæ, vt tantum de redditibus ſuperadderet & daret filiis ſuis quantum illi dicerent æquum, retenta ſibi iuſtitia & regia poteſtate. Sed non fuit de conſilio regis Franciæ, vt filii regis hanc pacem cum patre ſuo facerent. In eodem autem colloquio Robertus Comes Leiceſtriæ multa cõuitia & opprobria dixit regi Angliæ patri, & appoſuit manũ gladio, vt percuteret regem. ſed prohibitũ eſt ei a circumſtantibus, & in his finitũ eſt colloquium. In craſtino aũt colloquii, milites regis Franciæ inierunt cõgreſſum cũ militib. regis Angliæ, inter Curteles, & Giſorz: in quo conflictu, Ingeramus Caſtellanus de True captus eſt, à Comite Willielmo de Mandewile, & traditus eſt regi patri.

Interim Robertus Comes Leiceſtriæ magno congregato exercitu transfretauit in Angliã, & Comes Hugo Bigot, ſuſcepit eum in caſtello de Fremingham, & miniſtrauit ei neceſſaria. Deinde idẽ Comes Leiceſtriæ obſedit Hakeneth caſtellũ Ranulfi de Broc, & cepit illud. In tempore aũt illo Richardus de Luci iuſtitiarius Angliæ, & Humfredus de Boun regis conſtabularius, præfecti fuerant cũ exercitu magno in Lonais terrã regis Scotiæ ad deuaſtandã eam. Qui cũ audiſſent aduentum Comitis Leiceſtriæ in Angliam, timuerunt valde. Et omnibus aliis negotiis poſtpoſitis dederunt, & cœperũt inducias à rege Scotiæ, datiſq; hinc & inde obſidibus de pace ſeruãda, vſque ad feſtum ſancti Hillarii, feſtinato curſu peruenerunt ad ſanctum Eadmundum. Veneruntq; illuc ad eos Reginaldus Comes Cornubiæ auunculus regis, & Robertus Comes Glouceſtriæ, & Willielmus Comes de Arundel. Appropinquante igitur feſto omnium ſanctorum, prædictus Comes Leiceſtriæ receſſit de Fremingham ad Leiceſtriam iturus, venitq; cum exercitu ſuo prope ſanctum Eadmundum in loco, qui dicitur Forneham, in quodam mariſco, non longe ab Eccleſia ſanctæ Genouefæ. Cuius aduentu cognito præfati Comites cum exercitu magno, & Humfridus de Boun cum trecentis militibus ſolidariis regis, exierunt armati obuiam Comiti Leiceſtriæ, præferentes ſibi vexillum ſancti Eadmundi regis & martyris pro ſigno. Et ordinatis aciebus ſuis in virtute Dei, & glorioſiſſimi martyris ſui Eadmundi, percuſſerunt aciem in qua Comes Leiceſtriæ erat. & in momento, in ictu oculi victus eſt Comes Leiceſtriæ & captus, & vxor eius, & Hugo de Caſtellis vir nobilis de regno Francorũ, & omnis eorum virtus demolita eſt. Et ceciderunt in prælio illo pluſquam decem millia Flandrenſium: cæteri autem omnes capti & vinculis & carcerib. mãcipati fame & inopia perierũt. Comes vero Leiceſtriæ, & vxor eius, & Hugo de Caſtellis, & cæteri ditiores qui cum eis capti

capti fuerant miſſi ſunt in Normanniam ad regem patrem: & rex incarcerauit eos apud Faleiſiam, & *Hugonem* Comitem Ceſtriæ cum eis. In feſto autem ſancti *Martini* venit rex pater in Andegauiam cum exercitu ſuo. & paulo poſt *Gaufridus* dominus de Haia reddidit ei caſtellum de Haia. Deinde redditũ eſt ei caſtellum de Pruilli, & caſtellum de Campeni, quod *Robertus* de Ble tenuit cõtra eum. In quo caſtello multi milites & ſeruientes, capti ſunt: quorum nomina hęc ſunt. *Haimericus* de Ble. *Baldewinus* de Briſchaia. *Hugo* de Laloc. *Hugo* de Danars. *Hugo* De la mote. *Willielmus* de Riuan. *Simon* de Bernezai. *Iohannes Maumonie. Hubertus Ruſceuals. Willielmus Maingot. Saerus Terreis. Iohan.* de Champemu. *Walterus* de Pouiz. *Bricius* de Ceaus. *Haimericus Ripant. Robertus Anglicus. Groſsinus Champemain. Iſrinbert Wellun. Gaufridus Carre. Paganus Iudex. Willielmus Bugun. Caſteius*, homo Saeri de Terreis. *Gwiardus*, homo *Iohannis Maumonia. Rogerus* homo *Willielmi Riuan. Petrus*, homo *Iohannis* de Champemie. *Philippus*, homo *Hugonis* le Dauis. *Ruſſellus*, homo *Huberti* Ruſceuans. *Vulgerius, Haimeircus*: homines *Petri* de Poſci. *Hoſmundus, Euerardus, Gaufridus*: homines *Haimerici* de Ble. *Gilbertus, Albinus*: homines *Hugonis* de Laloc. *Brito, Gaufridus*: homines *Walteri Pouiz*: *Haimericus, Petrus*: homines *Hugonis* de Mota: *Brito* & *Sunennum*: homines *Simonis* de Bernezai. Eodem anno *Lodowicus* rex Francorum fecit *Richardum Henrici* regis filium militem. Eodem anno *Robertus* præpoſitus Dari, qui electus erat epiſcopus eccleſiæ de Arraz illam refutauit electionem, & factus eſt electus epiſcopus eccleſię de Chambrai. ſed antequam cõſecraretur ab inimicis ſuis interfectus eſt. Eodem anno *Henricus* rex Angliæ pater, contra prohibitionem *Henrici* regis filii ſui, & poſt appellationem factam ad dominum papam dedit *Richardo* priori de Dovere archiepiſcopatum Cantuarienſem: & *Reginaldo* filio *Iocelini* Saleſbirienſis Epiſcopi epiſcopatũ Batonienſem: & *Richardo* de Iuceſtre Pictauenſi archidiacono epiſcopatũ Wintonienſem: & *Roberto Foliot* epiſcopatum Herefordenſem: & *Gaufrido Ridel* Cantuarienſi archidiacono epiſcopatum Elienſem: & *Iohannis* de Greneford epiſcopatum Ciceſtrenſem. Deinde in feſto ſancti *Andreæ* rex Angliæ pater per vim cepit Vendomiam, quam *Bucardus* de Lauardin contra eum tenuit, expulſo inde patre ſuo Comite de Vendomia.

Anno gratiæ 1174, qui eſt annus viceſimus regni regis *Henrici* filii *Matildis* imperatricis: idem *Henricus* fuit in feſto Natiuitatis Dominicæ apud Cadomum in Normannia, & datæ ſunt treugæ inter ipſum & *Lodowicum* regem Francorum à feſto ſancti *Hilarii* vſq; ad clauſum Paſcha. Eodem anno & tempore ſupradicto *Hugo* Dunelmenſis epiſcopus, habito colloquio inter ipſum & *Willielmum* regem Scottorum in confinio regnorũ Angliæ & Scotiæ, videlicet apud Reuedeur / dedit regi Scottorum prædicto trecentas marcas argenti de terris baronum Northumbriæ, pro habendis treugis a feſto ſancti *Hilarii* vſque ad clauſum Paſcha. Interim *Rogerus* de Moubrai firmauit caſtellum apud Kinardeferie in Hasxiholm: & *Hugo* Dunelmenſis epiſcopus firmauit caſtellum apud Aluertun. Poſt Paſcha diruptis treugis *Henricus* filius regis Angliæ, & *Philippus* Comes Flandriæ, magno congregato exercitu in Angliam venire propoſuerunt. Interim *Willielmus* rex Scottorum venit in Northumbriam cum exercitu magno: & ibi per Scottos & Galawenſes ſuos execrabiliter egit. Nam ſui mulieres prægnantes findebant, & fœtus extractos ſuper lancearum acumina iactabant. infantes, pueros, iuuenes, ſenes, vtriuſq; ſexus à maximo vſq; ad minimum ſine vlla redemptione & miſericordia interfecerunt. ſacerdotes autem & clericos in ipſis eccleſiis ſuper altaria detruncabant. Quæcunq; igitur Scotti & Galawenſes attingebãt plena erant horroris & immanitatis. Deinde rex Scottorum miſit *David* fratrẽ ſuum vſq; Leiceſtere ad ſuccurrendum militibus Comitis Leiceſtriæ. ſed antequam illuc veniret, *Reginaldus* Cornubiæ, & *Richardus* de Luci iuſticiarius Angliæ combuſſerunt villam de Leiceſtre totam cum eccleſiis & ædificiis, excepto caſtello. Poſt Pentecoſten vero *Anketillus Mallore*, conſtabularius Leiceſtriæ: commiſſo prælio cum Burgenſibus de Northamptun & eos * deuicit & ex illis pluſquam ducentos cepit, & quamplures interfecit. *Robertus* autem de Ferrers Comes, vna cum militibus Leiceſtriæ, venit diluculo ad Nottingham villam regis, quam *Reginaldus* de Luce cuſtodiuit: & eam cepit, & combuſſit, & prædauit, & Burgenſes captiuos ſecum duxit. Eo tempore *Gaufridus* Lincolnienſis electus *Henrici* regis filius cepit caſtellum de Kinardeferie & ſubuertit. *Robertus* vero de Mubrai eiuſdem caſtelli cõſtabularius, dum iret verſus Leiceſtre pro auxilio, in ipſo itinere captus eſt de hominibus de Clay & retentus. Item Comes *Hugo Bigot* infregit ciuitatem de Norewiz & combuſſit. Item *Gaufridus* Lincolnienſis electus vna cum *Rogero* Eboracenſi archiepiſcopo obſedit Maleſart caſtellum *Rogeri* de Mubrai & cepit & multos milites & ſeruiẽtes in eo. Et tradidit illud Eboracenſi archiepiſcopo cuſtodiendum. Et antequam recederet, firmauit caſtellum apud Topecliue, quod & tradidit *Willielmo* de Stuteuile in cuſtodia.

al. Con- fecit

Interim *Richardus* Cantuarienſis electus & *Reginaldus* Bathonienſis electus Romam profecti ſunt, pro electione ſua & aliorum electorum Angliæ electione confirmanda. Cõtra quos *Henricus* rex filius miſit Romam magiſtrum *Berterum* Aurelianenſem. Cumque præfatæ partes aduerſæ in præſentia *Alexandri* papæ & cardinalium conſiſterent, & dominus papa plurimum increparet abſentiam cæterorum electorum Angliæ, & dominus Cantuarienſis electus eorum abſentiam ſufficienter excuſaret dominus papa interrogabat attentius quare non venit ille electus Elienſis. Cui *Berterus* Aurelianenſis ſic reſpondit. Domine euangelicam habet excuſationem. Cui papa, quam (frater) excuſationem? Et ille, vxorem duxit: & ideo non poteſt venire. Et quamuis multa altercatio & verborum tergiuerſatio hinc inde coram domino papa & cardinalibus diducta fuiſſet, tamen dominus papa Cantuarienſem electum conſecrauit. Vnde *Reginaldus* Bathoniẽſis electus in hac forma ſcripſit domino ſuo regi Angliæ.

Henrico *illuſtri Angliæ regi, & duci Normanniæ & Aquitaniæ, Comiti Andegauiæ chariſſimo domino ſuo,* Reginaldus *Dei gratia Bathonienſis electus ſalutem in eo qui dat ſalutẽ regibus. Nouerit veſtra prudentia maieſtatis, nos in curia domini papæ duros de regno Francorum & de terra veſtra duriores aduerſarios inueniſſe. Ideoq; nos ibi multa pati, & moram oportuit facere tædioſam, tãdemq; ad inſtantiam noſtram diuina cooperante gratia domini papæ duritia adeo eſt emollita, quod domini Cantuarienſis electi electionem ſolemniter in præſentia omnium confirmauit. Eumq; etiam confirmatum, Dominica ſequenti conſecrauit. Conſecrato, pallium die tertia dedit, & modici temporis ſpatio excurrente primatiam addidit. Nos præterea deſiderantes ipſum habere plenariam poteſtatem, vindictam Eccleſiaſticam excercendi in homines regni veſtri, qui contra innocentiam veſtram nequiter & proditione ſua malitiæ calcaneum extulerunt, multa ſolicitudine obtinuimus, quod dominus papa eidem prouinciæ ſuæ legationem indulſit. meum itaq; & aliorum electorum negotium adhuc in pendenti eſt. nec de nobis dominus aliquid ſtatuere vel definire, decreuit, donec vobiſcum filius veſter ad concordiam reformetur. Speramus tamen in domino, quod mea & omnium aliorum electorum promotio, domini Cantuarienſis archiepiſcopi prouidentiæ committetur.*

Eodem anno in feſto Natiuitatis ſancti *Iohannis Baptiſtæ*, *Richardus* de Luci obſedit caſtellum de Huntedun, milites vero caſtelli villam combuſſerunt. Et *Richardus* de Luci nouum caſtellum firmauit ante portas caſtelli de Huntedune ſupradicti, & tradidit illud Comiti *Simoni*. Interea Willielmus rex Scottorum obſedit Carleolum, quod *Robertus* de Vals in cuſtodia habuit. Et dimiſſa parte exercitus ſui in obſidione caſtelli ipſe cum reliqua parte exercitus ſui perambulauit Northumbriam, terram regis, & baronum ſuorum deuaſtans. Et cepit caſtellum de Lidel/ & caſtellum de Burgo, & caſtellũ de Appelbi/ & caſtellum de Werewrde/ & caſtellum Irebothe, quod *Odonellus* de Vmfranuile tenuit, & poſtea rediit ad obſidionem Carleoli. Et tamdiu ibi moram fecit, donec *Robertus* de Vals, victu ſibi & cæteris incluſis deficientẽ, cum eo pacem fecit in hunc modum. Quod ad feſtum ſancti *Michaelis* proximo ſequens, redderet ei caſtellum & villam Carleoli, niſi interim haberet ſuccurſum à domino ſuo rege Angliæ. Rex vero Scottorum procedens inde, obſedit Prudehou caſtellum *Odonelli* de Vmfranuile/ ſed illud capere non potuit. Nam *Robertus* de Stuteuile vicecomes Eboraci, & Willielmus de Veſci, & *Ranulphus* de Glanuile, & *Radulfus* de Tilli conſtabularius familiæ *Rogeri* Eboracenſis Archiepiſcopi, & *Bernardus* de Bailol, & *Odonellus* de Vmfranuile magno congregato exercitu illô ire properabant. Quorum aduentu cognito, rex Scotiæ inde recedẽs obſedit Alnewic caſtellũ Willielmi de Veſci & diuidens exercitum ſuum in tres partes, vnam ſecum retinuit, & reliquis duabus præfecit Comitem Dunecanũ, & Comitem de Anegus, & *Rich.* de Moreuile. Et præcepit vt ipſi circumiacentes deuaſtarent prouincias, homines interficerẽt, & prædas abducerent. Proh dolor! Tunc audires clamorem mulierũ, vlulatus ſenũ, gemitus morientium, deſperationem iuuenum. Interea rex Angliæ filius & *Philippus* Comes Flandriæ venerũt cum magno exercitu vſq; Grauelinges, parati ad transfretandũ in Angliam. Quo audito rex Angliæ pater qui profectus fuerat cũ exercitu ſuo in Pictauiam, & multas munitiones caſtra & Sanctonenſem ciuitatem & duas turres in ea, quarum vna vocabatur turris Maror, & Eccleſiam Epiſcopalẽ Sanctonenſem, quã milites & ſeruientes cõtra eũ victu & armis munierant, ceperat: rediit in Andegauiam & cepit Ancenam villam Guionu de Ancenis iuxta ſanctum Florentium. Et in ea munitionẽ fortiſſimã firmauit, & in manu ſua retinuit, prouinciamq; circumiacentem igne & gladio deuaſtauit. Vineas & arbores fructiferas eradicauit, & poſtea in Normanniam rediit, rege filio ſuo & Comite Flandriæ adhuc morã facientib. apud Grauelinges. ventus. n. erat illis contrarius, & tranſfretare nõ poterãt. Venit ergo rex Angliæ pater ad Barbeflet vbi naues multæ cõgregatæ erãt in aduentu eius. & ſicut domino placuit ita factũ eſt, ſit nomen domini benedictum: qui

qui virtute potenti vim venti mutauit in melius, & proſperum iter nauigandi tam ſubito dedit illi. Ille enim nauibus aſcenſis in craſtino applicuit in Anglia apud Suthamtun, octauo idus Iulii, feria ſecunda, & adduxit ſecum *Alienor* reginam vxorem ſuam, & *Margaretam* reginam filiam *Lodowici* regis Frãcorum, vxorem *Henrici* filii ſui, & *Robertum* Comitem Leiceſtriæ, & *Hugonem* Comitem Ceſtriæ, quos ſtatim cuſtodiæ mancipauit.

In craſtino autem ad beatum Thomam *Cantuarienſem martyrem peregre profectus eſt. Et cum appropinquaſſet, ex quo Eccleſiam videre potuit, in qua corpus beati martyris ſepultum eſt, equum in quo ſedebat, deſeruit, & extractis calceamentis, nudus pedes, & in pãnis laneis per tria milliaria profectus vſq; ad ſepulchrum martyris, in tanta humilitate, & cordis compunctione, vt credatur illius opus ſine dubio extitiſſe, qui reſpicit terram, & facit eam tremere. Veſtigia autem eius in via qua ambulabat intuentibus apparuerunt ſanguinolenta, & erant. ſanguis enim multus à teneris pedibus eius lapidibus duris inciſis, profluebat in terram. Cum autem ad tumbam veniret, pium erat intueri afflictiones quas faciebat cum fletu ſingultuoſo, & diſciplinas, quas de manu Epiſcoporum, ſacerdotumq; plurimorum & monachorum recepit. Ibidem etiam ante ſepulchrum beati martyris in oratione, in ieiunio, & planctu pernoctauit adiutus plurimorum ſanctorum virorum ſuffragiis. Dona autem & redditus, quos Eccleſiæ illi in remiſſionẽ peccatorum ſuorum contulit, à memoria Eccleſiæ nulla poterunt ratione diuelli. In craſtino autem ſummo mane Miſſa audita inde receſſit, tertio Idus Iulij, ſabbato, Lundonias iturus. Et quoniam memor fuit Domini in toto corde ſuo, dedit illi Dominus victoriam de inimicis ſuis, & tradidit eos captiuos in manu ſua.*

Igitur eodẽ die ſabbati, quo ipſe rex à Cantuaria receſſit, captus eſt *Willielmus* rex Scottorum apud Alnewic à præfatis militibus Eboracenſis ſciræ, qui ſecuti fuerant eum poſt receſſum de Prudehou. Sic, ſic raro antecedentem ſceleſtum deſerit pœna pede claudo. captiq; ſunt cũ eo *Richardus Cumin*, & *Willielmus* de Mortimer, *Willielmus* de Inſula, *Henricus Reuel*, *Radulfus* de Ver, *Iordanus* Flandrenſis, *Waldeuus* filius *Baldewini* de Bicre, *Richardus Maluuel*, & alii multi, qui ſponte ſua ſe capi permiſerũt, ne viderentur in captione domini ſui conſentiſſe. Eodem die apud Herterpol applicuit *Hugo* Comes de Bar ſupra Secaniam nepos *Hugonis* Dunelmenſis Epiſcopi cum quadraginta militib. & quingentis Flandrenſibus, pro quibus prædictus Epiſcopus miſerat: ſed Epiſcopus ſtatim propter captionem regis Scotiæ permiſit prædictos Flandrenſes repatriare, datis prius illis liberationib. ſuis & donis quadraginta dierum. Comitem autem *Hugonem*, & milites, qui cum eo venerant, ſecum retinuit, & tradidit illis caſtellum ſuum de Aluertun in cuſtodia. His ita geſtis *Vtredus* filius *Fergus*, & *Gillebertus* frater eius principes Galawenſium, ſtatim poſt captionem domini ſui regis Scottorum, regreſſi ſunt in terram ſuam, & miniſtros regis à finibus ſuis expulerunt; Anglicos & Francigenas, quos in terris ſuis inuenerunt, ſine miſericordia interfecerunt. munitiones & caſtella, quæ rex Scottorum in terris eorum firmauerat, obſederũt, ceperũt, & cõminuerunt. Regi vero Angliæ patri plurimũ ſupplicauerũt, & dona plurima obtulerũt, vt ipſe eos à dominio regis Scotiæ eriperet, & ſuo ſubiugaret imperio.

Interim *Lodowicus* rex Francorum, audita trãsfretatione regis patris in Angliam, & captione regis Scottorum, cui plurimum condoluit, reuocauit regem Angliæ filium, & *Philippum* Comitem Flandriæ, qui adhuc morabãtur apud Grauelinges. qui cum ad eum rediſſent, obſedit Rothomagum ex omni parte, excepta illa, quam fluuius Sequana præterfluit. Rex igitur pater, audita regis Scottorum captione, gauiſus eſt gaudio magno valde, & gratias omnipotenti Deo, & beato *Thomæ* martyri cum gratiarum actione perſoluens, profectus eſt Huntendoniam, & caſtellum obſedit: quod *traditum eſt ei die Dominica *al. redditum* proximo ſequenti, duodecimo Cal. Auguſti. Milites vero & ſeruientes qui erãt in caſtello illo reddiderunt ſe in miſericordia regis, ſaluis vita & membris. Et ſtatim perrexit rex inde cum exercitu ſuo verſus Fremingham caſtellum Comitis *Hugonis Bigot*: vbi ipſe Comes cum magna Flandrenſium multitudine fuit. Et cum rex veniſſet prope Fremingham/ fixit tentoria ſua in loco qui dicitur Seleham/ & ibi nocte illa manſit. In craſtino venit ad eum Comes *Hugo Bigot*, & facta cum eo pace reddidit ei caſtellum de Fremingham/ & caſtellum de Bungaie, & cum magna difficultate impetrauit à rege, vt Flandrenſes qui cum eo erant ſine impedimento poſſent repatriare. Ibidem vero equus *Toſtes* de ſancto *Homero* cuiuſdam militis Templi percuſſit regem in tibia & multum læſit. In craſtino autem, videlicet ſeptimo Calendas Auguſti rex receſſit de Seleham & perrexit Northamptoniam. Quo cum veniſſet, adductus eſt ei *Willielmus* rex Scottorum ſub ventre equi compeditus. Venitq; illuc ad eum *Hugo* Dunelmenſis Epiſcopus, & tradidit ei caſtellum de Dunelmia, & caſtellum de Norham, & caſtellum de Aluertun nouum, quod firmauerat, & vix impetrauit, vt Comes de Bar nepos ſuus, & milites qui cum eo venerant in terram ſuam redire poſſent. Venit etiam ibidem ad regem *Rogerus* de Mubrai, & reddidit ei

caſtellũ de Treſc. Et Comes de Ferreres reddidit ei caſtellũ de Tuteſberie, & de Duffeld. Et *Anketillus Mallore*, & *Willielmus* de Diue, conſtabularii Comitis Leiceſtriæ, reddiderunt ei caſtellum de Leiceſtria, & de Muntſorel, & de Grobi. Sic igitur infra tres hebdomadas tota Anglia pacificata eſt, & omnes munitiones eius traditæ ſunt in manu regis. Quibus pro voluntate ſua diſpoſitis ipſe feſtinanter transfretauit de Anglia in Normanniã, & applicuit apud Barbeflet ſexto Idus Auguſti feria quinta, & reduxit ſecũ Braibancenos ſuos, & mille Wallenſes, & *Willielmum* regem Scottorum, & *Robertum* Comitem Leiceſtriæ, & *Hugonem* Comitem Ceſtriæ, & incarcerauit eos primò apud Cadomũ, deinde apud Faleiſe. Eodem vero die, quo rex apud Barbeflet applicuit, habuit ſibi obuios in ipſo littore maris *Richardum* Cantuarienſem Archiepiſcopum redeuntem ab *Alexandro* ſummo pontifice cum pallio & legatia & primatia totius Angliæ, & *Reginaldum* Bathonienſem Epiſcopum cum eo: quem idem Archiepiſcopus conſecrauerat apud ſanctum *Iohannem* de Mauriana, cum à Roma rediſſent. Et noluit rex eos ſecum tenere, ſed miſit eos in Angliam. Et ſic die Dominica ſequente venit rex pater cum Braibancenis & Walenſibus ſuis Rothomagum, quam rex Franciæ & rex Angliç filius obſederant ex vna parte, ex altera vero parte patebat ſecurus ingreſſus & egreſſus. Et in craſtino mane miſit rex Walenſes ſuos vltra Sequanam: qui per vim tranſeuntes per medium caſtrorũ regis Franciæ illæſi peruenerunt ad nemus magnum, & eodem die pluſquam centum de hominib. regis Franciæ interfecerunt. Rex autem Franciæ vix per menſem ibidẽ moram fecerat, & ecce rex Angliæ pater veniens de Anglia portas ciuitatis, quas burgenſes obſtruxerant, reſerauit, & exiens cum militibus & ſeruientibus, foſſata, quæ facta fuerant inter exercitum regis Franciæ & ciuitatem, fecit impleri lignis, lapidibus, & terra, & in planum redigi. Rex autem Franciæ & ſui erant in tentoriis nolentes exire. Cæteri autem de familia regis Angliæ ſtabant ad propugnacula murorum, ſed nemo eis repugnabat. Pars quidem exercitus regis Franciæ intendebat diſſoluere machinas ſuas bellicas. Et in craſtino præmiſit rex Franciæ debiliores exercitus ſui in terram ſuam mane: & permiſſione regis Angliæ, eodem die ſecutus eſt eos vſq; ad locum, qui dicitur Malaunai, qui eſt inter Rothomagum & villam quæ dicitur Toſtes: data prius ſecuritate per manũ *Willielmi* Senonẽſis Archiepiſcopi, & Comitis *Theobaldi*, quod ipſe in craſtino reuerteretur ad colloquiũ cum rege Angliæ de pace facienda inter illum & filios ſuos. Rex autem Franciæ, fidem & ſacramenta non ſeruans ad colloquium non venit in craſtino, ſed abiit in terram ſuam.

Paucis igitur euolutis diebus iterũ miſit præfatum Archiepiſcopum Senonenſem & Comitem *Theobaldum* ad regẽ Angliæ, ſtatuens diem colloquii apud Giſortium in natiuitate S. *Mariæ*. Quo cum veniſſent, non potuit inter eos conuenire propter *Richardum* Comitẽ Pictauiæ, qui tempore illo erat in Pictauia expugnãs caſtella & homines patris ſui. & ideo aliud ceperunt inter ſe colloquium: hoc eſt ad feſtum S. *Michaelis* inter Turonim & Ambaſium, & ſtatuerunt treugas inter ſe hac conditione; Quod ſc. *Richardus* Comes Pictauiæ excluderetur à treugis illis: & q; rex Franciæ & rex Angliæ filius nullũ ſuccurſum ei facerent. His itaq; hinc & inde conceſſis rex Angliç pater promouit exercitũ ſuũ in Pictauiam. Cuius aduentum *Richardus* Comes Pictauiæ filius eius non auſus expectare fugit de loco in locum. Et cum conſtaret illi, quod rex Franciæ & rex frater ſuus excluſiſſent eum à treugis indignatus eſt inde. Et cũ lachrymis veniens cecidit pronus in terram ante pedes regis patris ſui, & poſtulans veniam in ſinu patris recipitur. Facta autem ſunt hæc in Pictauia 11. Cal. Octobris, feria ſecunda. Et ita rex & *Richardus* filius eius facti amici ciuitatem Pictauis ingreſſi ſunt. Deinde profecti ſunt ambo ſimul ad colloquium inter Turonim, & Ambaſium pridie Cal. Octobris, feria ſecunda, in craſtino S. *Michaelis*. Vbi rex filius, & R*ichardus* & *Gaufridus* fratres eius, conſilio, & volũtate regis, & baronum Franciæ hanc pacem ſubſcriptam fecerunt, cum rege patre ſuo.

Notum ſit tam præſentibus, quam futuris, quod pax inter dominum regem & filios ſuos Henricũ *vz. &* Richardum, *&* Gaufridum, *in hunc modum Deo volente reformata eſt.* Henricus *rex filius regis, & fratres ſui prædicti, ad patrem ſuum, & ad ſeruitium eius ſicut ad dominum ſuum redierunt liberi, & abſoluti ab omni iuramento, & in ipſa, quam inter ſe, vel cum aliis fecerunt contra eũ, vel homines ſuos, & omnes homines & barones, qui à fidelitate patris cauſa eorum receſſerant, clamauerunt quietos ab omni iuramento, quod iis fecerant, & ita quieti & liberi ab omni iuramento, & abſoluti ab omni conuentione, quam iis fecerant, in hominiũ, & ligantiam domini regis redierũt. Et dominus rex debet rehabere ipſe & homines ſui, & barones ſui, omnes terras ſuas & caſtella ſua, quæ habuerunt quindecim diebus antequam filij ſui recederent ab eo. Similiter & barones & homines ſui qui receſſerunt ab eo, & ſecuti ſunt filios ſuos, debent rehabere terras ſuas, quas habuerũt quindecim dieb. antequam ab eo recederent. Et dominus rex remiſit omnem maleuolentiam baronibus & hominibus ſuis,*

ſuis, qui receſſerunt ab eo, ita quod propter hoc nullum malum eis faciet, quandiu fideliter ei ſeruient ſicut ligio domino ſuo. Et rex filius eius ſimiliter perdonauit omnibus tam clericis quam laicis, qui cum patre ſuo fuerant omnem maleuolentiam, & adſecurauit in manu domini regis patri ſui, quod illis qui ſeruierũt ei nec malum nec damnum aliquod hac de cauſa faciet, vel perquiret in tota vita ſua. Et dominus rex per hanc conditionem donat regi filio ſuo duo caſtella idonea in Normannia ad voluntatem patris illius, & ſingulis annis quindecim millia librarum Andegauenſium. & Richardo filio ſuo duo receptacula idonea in Pictauia, vnde regi damnum non poſſit prouenire: & medietatem redditmum Pictauiæ in denariis. Gaufrido vero filio ſuo dat in Brittannia in denariis medietatem maritagij filiæ Comitis Conani, quam ducere debet in vxorem. Et poſtquam conceſſione Romanæ Eccleſiæ eam in vxorem duxerit, habebit omnes redditus illius maritagij, ſicut continetur in charta Comitis Conani. Priſones vero qui cum domino rege finem fecerunt ante factam pacem cum domino rege: videlicet rex Scotiæ, & Comes Leiceſtriæ, & Comes Ceſtriæ, & Radulfus de Fulgeriis, & obſides eorum, & obſides aliorum priſonum quos prius habuerat ſint extra conuentionem iſtam. Alij autem priſones ex vtraq; parte deliberari debent: ita ſcilicet, quod dominus rex obſides accipiet de priſonibus ſuis de quibus habere voluerit, & qui dare poterunt. Et de aliis habebit ſecuritatem per fidem & ſacramẽtum ſuum & amicorum ſuorum. Caſtella vero quæ firmata ſunt vel infortiata poſtquam generra incepit in terra domini regis pro voluntate ſua debent redigi in illum ſtatum in quo fuerunt quindecim diebus ante guerram. Præterea ſciendum eſt, quod rex Henricus filius regis conceſſit domino regi patri ſuo ſe quam firmiter obſeruaturum omnes donationes eleemoſynarum, quas dederat vel daturus erat de terris ſuis, & donationes terrarum quas dederat hominibus ſuis, vel daturus erat pro ſeruitio ſuo. Conceſſit etiam ſe firmiter & inconcuſſe obſeruaturum donationem, quam rex pater ſuus fecit Iohanni fratri ſuo, videlicet mille libratas redditũum in Anglia de dominico ſuo & de excaetis ſuis ad voluntatem ſuam & pertinentiis ſuis: & caſtellum de Notingham cum Comitatu & caſtellum de Merleberga cum pertinentiis ſuis: & in Normannia mille libratas redditũum Andegauenſium, & duo caſtella in Normannia ad voluntatem patris, & in Andegauia & in terra quæ fuit Comitis Andegauiæ mille libratas redditũum Andegauiæ, & vnum caſtellum in Andegauia, & vnum caſtellum in Turonica, & vnum caſtellum in Cenomannis. Conceſſum eſt autem à domino rege pro amore filij ſui, quod omnes illi, qui receſſerunt ab eo poſt filium ſuum & in receſſu ſuo foris fecerunt, in terra domini regis ad pacem eius reuertantur. Ita quod de vatallis, quæ aſportauerũt in receſſu ſuo, non reſpondeant: de morte vel proditione vel perditione alicuius membri reſpondeant ſecundum iudicium & conſuetudinem terræ. Qui autem ante guerram quacunq; de cauſa aufugerunt, & ad ſeruitium filij ſui venerunt pro amore filij ſui ad pacem reuertantur, ſi vagium & plegium dederint ſtandi iudicio de his, quæ ante guerram forisfecerunt. Illi aũt qui in placito erant quando receſſerunt ad filium ſuum ad pacem reuertantur, ita quod in eo ſtatu placita ſua ſint, in quo erant quando receſſerunt. Hanc conuentionem tenendam firmiter ex parte ſua aſſecurauit Henricus rex filius domini regis in manu patris ſui. Præterea aſſecurauerunt Henricus filius regis & fratres ſui quod à domino rege patre ſuo nũquam amplius exigent vltra donationem præſcriptam & determinatam contra voluntatem & beneplacitum domini regis patris ſui: & quod neq; ſe neq; ſeruitia ſua patri ſuo ſubtraherẽt. Richardus vero & Gaufridus frater eius deuenerunt homines patris ſui de his, quæ eis conceſſit & dedit. Cum autem filius eius Henricus hominium ei facere voluiſſet, noluit dominus rex ab eo recipere, quia rex erat, ſed ſecuritatem accepit ab eo.

Eodem anno orta diſſenſione inter *Vctredum* & *Gillebertum* filios Fergus duces Galwalenſium, *Malcolmus* filius *Gilleberti* proditioſe cepit ipſum *Vctredum*, & fecit eum interfici, abſciſſis teſticulis, & oculis euulſis. Eodem anno *Richardus* Cantuarienſis Archiepiſcopus conſecrauit in Anglia apud Cantuariam *Richardum* Epiſcopum Wintoniæ, & *Robertum Foliot* Epiſcopum Herefordiæ, & *Gaufridum Ridel* Epiſcopum Elienſem, & *Iohannem* Epiſcopum Ciceſtrenſem. Eodem anno combuſta eſt fere tota ciuitas Cantuariæ cũ Eccleſia ſanctæ Trinitatis metropolitana. Eodem anno obiit *Willielmus Turbe* Norwicẽſis Epicopus. Eodem anno pax, & finalis concordia facta eſt inter *Rogerum* Eboracenſem Archiepiſcopum & *Hugonem* Dunelmenſem Epiſcopum in hac forma. Capella & cœmiterium de Auertun in manu Prioris Hauguſtaldenſis erit, ita quod Archiepiſcopus non coget aliquem ibi ſepeliri, nec Epiſcopus prohibebit. Eccleſia Auguſtaldenſis chriſma & oleum recipiet à Dunelmenſi Eccleſia ſicut ſolet. Prior quoque Auguſtaldenſis veniet ad ſynodum Dunelmenſem. Clerici & canonici Hauguſtaldẽſes ab Epiſcopo Dunelmenſi ordinem recipient. Parochiani Hauguſtaldenſes, in Pentecoſta, ſi voluerint, viſitabunt Eccleſiam de Dunelmenſi ſine coactione Epiſcopi vel ſuorum, & ſine prohibitione Archiepiſcopi, vel ſuorum. Quod ſi ſui cõtra facere præſumpſerint, ipſi domini corrigẽt. Prior Auguſtaldenſis omnia placita Eccleſiaſtica illius parochiæ placitabit, ſine pœna pecuniaria, ſed & pœnitentias dabit. Decedente vero Priore qui nunc eſt *Richardo*, eandẽ auctoritatẽ

habebit epiſcopus Dunelmenſis in alterius Prioris cōſtitutione, quam idem Prior *Richardus*, & Prior de Giſeburne, & *Petrus* frater Prioris de Bridlingtun, iurauerunt eccleſiam Dunelmenſem habuiſſe in conſtitutione eiuſdem Prioris *Richardi*, ſi quam habuiſſe eam iurauerint. De eccleſiis beati *Cuthberti*, quorum nomina hæc ſunt in archidiaconatu de Cliueland: Eccleſia de Hemmingburc, eccleſia de Schipwich, eccleſia de Haleuertun, eccleſia de Brettebi, eccleſia de Oſmunderleie, eccleſia de Seigeſtun, eccleſia de Lee, eccleſia de Otteringtun, eccleſia de Craik, eccleſia de Holtebi. Et in archidiaconatu Eboraci, eccleſia omnium ſanctorum in Vſegate, & eccleſia ſancti *Petri* quę dicitur parua, & dimidium eccleſiæ ſanctæ Trinitatis in Gudersgate. Et in archidiaconatu Theſaurarii, eccleſia de Houeden, eccleſia de Welletun, eccleſia de Brentingtun, eccleſia de Walkintun. non exiget archiepiſcopus denarios ſynodales. Si vero clerici earundem eccleſiarum, vel laici de dominicis maneriis beati *Cuthberti* in Eboracenſi ſiria aliquid dignum eccleſiaſtica correctione perpetrauerint, per archiepiſcopum emendabitur, tali facta prius ſummonitione, quod epiſcopus intereſſe poterit vel eius miniſter. Hæc ſupradicta firmauerunt archiepiſcopus & epiſcopus, fide inuicem interpoſita, ſe ſeruaturos ſine dolo & fraude quamdiu ipſi duo vixerint, ſine præiudicio vtrius eccleſiæ poſt alterius deceſſum. Præterea promiſit archiepiſcop⁹ epiſcopo ſub eadem fidei interpoſitione, quod ipſum vel eccleſiam ſuam vel aliquem de epiſcopatu ſuo in nullo grauabit, niſi cauſa prius palam cognita iudiciario ordine.

Anno gratiæ 1175. qui eſt annus viceſimus primus regni regis *Henrici* ſecundi filii *Matildis* imperatricis, idem rex fuit in Normannia apud Argentonium in feſto Natiuitatis Domini. Et in Purificatione ſanctæ *Mariæ* ipſe & rex filius eius fuerunt apud Cenomannū, & inde redierūt in Normannia, & habuerunt colloquiū apud Giſortiū cum *Lodowico* rege Francorum. Et cum inde veniſſent in Normannia apud Burum, rex filius, vt omnem ambiguitatem ab animo patris ſui tolleret, deuenit homo ſuus ligius, & iurauit ei fidelitatem contra omnes homines, coram *Rotrodo* Rothomagenſi archiepiſcopo, & *Henrico* Baiocenſi epiſcopo, & *Willielmo* Comite de Mandeuilla, & *Richardo* de Humez conſtabulario, & aliis multis de familia vtriuſq; regis. In ſolemnitate Paſchali fuerunt ambo reges apud *Caſaris* burgum: & poſt Paſcha venerunt Cadomum obuiam *Philippo* Comiti Flandriæ: qui paulo ante crucem Ieroſolymitanæ peregrinationis acceperat. aduerſus quem rex pater effecit, ꝙ ipſe quietum clamauit regem filium ab omni conuentione, q̄ cum eo fecerat tēpore hoſtilitatis. Et Comes Flādriæ tradidit in manu regis patris chartā regis filii, quā habuit de ſupradicta conuentione. Et ipſi confirmauerunt prædicto Comiti redditū, quem ipſe annuatim percipere ſolebat in Anglia ante guerram. Rex vero pater miſit *Richardum* filium ſuum in Pictauiam, & *Gaufridum* filium ſuum in Brittaniam: præcipiens vt caſtella, quæ firmata vel infortiata fuerant tempore guerræ, redigerentur in eum ſtatum, quo fuerunt quindecim diebus ante guerram. Deinde rex pater & rex filius transfretauerunt, & applicuerunt in Anglia apud Porteſmue, ſeptimo Idus Maii feria ſexta. Et venientes Lundonias inuenerunt *Richardum* Cantuarienſem archiepiſcopum apud Weſtmonaſterium celebraturum concilium, die Dominica ante Aſcenſionem Domini. Ad quod cōcilium venerunt fere omnes epiſcopi & abbates Cantuarienſis diœceſis. Et coram prænominatis regibus, & epiſcopis, & abbatibus, *Richardus* Cantuarienſis archiepiſcopus in eminentiori loco conſtitutus, hæc decreta ſubſcripta promulgauit. Ideo in eccleſia Dei ſecundum antiquam patrum conſuetudinem concilia congregantur, vt hi, qui conſtituti ſunt in eminentiori cura paſtorali, vitam ſubditorum de communi conſilio regularibus inſtitutis informent, & enormitates, quæ pullulant inceſſanter, conſultiore cenſura compeſcant. Nos itaque potius inhærentes orthodoxorum patrum regulis, quam aliquid de nouo ſtatuentes, quædam certa capitula dignum duximus in medium promulganda; quæ vniuerſis prouincialibus noſtris firmiter & inuiolabiliter obſeruanda iniungimus. Omnes enim ſacrorum cenſemus canonum transgreſſores, qui ſtatutis huius ſacroſanctæ ſynodi præſumpſerint contraire.

Ex decretali epiſt. Alexand. papa tertii ad Rog. Vvigorn. epiſcopum.

Si quis ſacerdos vel clericus, in ſacris ordinibus conſtitutus, eccleſiam vel eccleſiaſticum beneficium habens publice fornicariam habeat, & ſemel, ſecundo, & tertio commonitus fornicariam ſuam non dimiſerit, & à ſe prorſus non expulerit, ſed potius in immunditia ſua duxerit perſiſtendū: omni officio & beneficio eccleſiaſtico ſpolietur. Si qui vero infra ſubdiaconatū conſtituti matrimonia cōtraxerint: ab vxoribus ſuis niſi de communi cōſenſu ad religionē tranſire voluerint, & ibi in Dei ſeruitio iugiter permanere, nullatenus ſeparētur: ſed cum vxoribus viuētes eccleſiaſtica beneficia nullo modo percipiāt. Qui autem in ſubdiaconatu vel ſupra ad matrimonia conuolauerint, mulieres etiā inuitas & re-

& renitentes relinquant. Decreuimus etiam eiuſdem epiſtolæ auctoritate, ne filii ſacerdotum in paternis Eccleſiis à modo perſonæ inſtituātur, nec eas qualibet occaſione media non intercedente perſona obtineant.

Clerici in ſacris ordinibus conſtituti edendi vel bibendi cauſa tabernas non ingrediātur, nec publicis potationibus interſint, niſi peregrinationis neceſſitate compulſi. Si quis vero tale quid fecerit, aut ceſſet, aut deponatur.
Ex cōcilio Carthaginenſi.

His qui in ſacris ordinibus conſtituti ſunt iudicium ſanguinis agitare non licet. Vnde prohibemus ne aut per ſe membrorum truncationes faciant, aut inferendas indicent. Quod ſi quis tale fecerit, conceſſi ordinis priuetur officio & loco. Inhibemus etiam ſub interminatione anathematis, ne quis ſacerdos habeat viceconitatum, aut præpoſiti ſecularis officium.
Ex cōcilio Toletano.

Clerici, qui comam nutriunt, ab archidiacono etiam inuiti tondeantur. Veſtimentis etiam vel calceamentis, niſi quæ honeſtatem & religionem deceant, eos vti non liceat. Si quis autem contra hoc facere præſumpſerit, & commonitus emendare noluerit, excommunicationi ſubiaceat.
Ex cōcilio Agathēſi.

Quia quidam clerici deſperantes ab Epiſcopis ſuis ordinari, vel propter imperitiam, vel vitæ incontinentiam, vel natiuitatis conditionem, aut tituli defectum, aut ætatem minorem, extra prouinciam ſuam, interdum etiam a tranſmarinis Epiſcopis ordinantur, vel ordinatos ſe mentiuntur, ignota ſigilla Epiſcopis ſuis deferentes: ſtatuimus talium ordinationem irritam eſſe habendam: ſub interminatione anathematis inhibentes, ne a quoquam ad officii ſui executionem ſuſcipiantur. Epiſcopum quoq; noſtræ iuriſdictionis, qui talem ſciens & prudens ordinauerit vel ſuſceperit ab illius ordinis collatione, ad quem eum ordinauit vel ſuſcepit, vſq; ad condignam ſatisfactionem ſe nouerit eſſe ſuſpenſum. Item: Cum Eccleſia Dei, ſecūdum Euangelicam veritatem, domus orationis eſſe debeat, & non ſpelunca latronum, & ſanguinis forum: ſeculares cauſas, in quibus de ſanguinis effuſione vel de pœna corporali agitur in Eccleſiis vel in cœmiteriis agitari, ſub interminatione anathematis. Abſurdum enim eſt & crudele ibi ſanguinis iudicium exerceri, vbi & reis conſtituta eſt tutela refugii.
Ex diuerſis decretis Vrban. Innocētij & concilij Chalced. & Carthaginēſis

Dictum eſt, ſolere in quibuſdam locis pro perceptione chriſmatis nummos dari: ſimiliter pro baptiſmo & communione. hæc Symoniacæ hæreſis eſſe deteſtata eſt ſancta ſynodus, & anathematizauit. Statuimus ergo, vt de cætero nec pro ordinatione, nec pro chriſmate, nec pro baptiſmo, nec pro extrema vnctione, nec pro ſepultura, nec pro cōmunione, nec pro dedicatione quicquam exigatur: ſed gratis dona *Chriſti* gratuita diſpenſatione donentur. Si quis contra hoc facere præſumpſerit anathema ſit.
Ex cōcilio Triburienſi

Nullus prælatus, in recipiendo monacho, vel canonico, vel ſanctimoniali pretium ſumere, vel exigere ab his, qui ad cōuerſationem veniunt, aliqua pacti occaſione præſumat. Si quis autem hoc fecerit anathema ſit.
Ex decreto Vrbani papa.

Nulli liceat Eccleſiam nomine Dotalicii ad aliquem transferre, vel pro præſentatione alicuius perſonæ pecuniam, vel aliquod emolumentum pacto interueniente accipere. Quod ſi quis fecerit, & inde in iure vel confeſſus vel conuictus fuerit, ipſum, tam regia quam noſtra freti auctoritate, patrocinio eiuſdem Eccleſiæ in perpetuum priuari ſtatuimus.
Decretū nouum.

Secundum inſtituta patrum noſtrorum ſub interminatione anathematis prohibemus, ne monachi vel clerici cauſa lucri negotientur: & ne monachi à clericis vel laicis firmas teneant, neq; laici Eccleſiaſtica beneficia ad firmas ſuſcipiant.
Ex decretis patrū

Quicunq; ex clero videntur eſſe, arma non ſumant, nec armati incedant: ſed profeſſionis ſuæ vocabulum religioſis moribus ex religioſo habitu præbeant. Quod ſi contempſerint, tanquam ſacrorū canonū contemptores, & eccleſiaſticę auctoritatis prophanatores, proprii gradus amiſſione multentur: quia non poſſunt ſimul Deo & ſeculo militare.
Ex cōcilio Meldenſi.

Illud etiam de vicariis, qui perſonis fide & ſacramento obligati ſunt, duximus ſtatuendum, quod ſi fide vel ſacramenti religione contempta perſonatum ſibi falſo aſſumentes contra perſonas ſe erexerunt, ſuper hoc in iure vel confeſſi vel conuicti fuerint, de cætero in eodem Epiſcopatu ad officii ſui executionem non admittantur.
Ex decreto Alexādri papæ 3. Epiſc. Norwicenſis.

Omnes decimæ terræ, ſiue de frugibus, ſiue de fructibus, Domini ſunt, & illi ſanctificantur. Sed quia multi modo inueniuntur decimas dare nolentes: ſtatuimus, vt iuxta domini papæ præcepta admoneantur ſemel, ſecundo, & tertio, vt de grano, de vino, de fructibus arborum, de fœtibus animalium, de lana, de agnis, de butyro, & caſeo, de lino, & canabe, & de reliquis, quæ annuatim renouantur, decimas integre perſoluant, quod ſi commoniti non emendauerint anathemati ſe nouerint ſubiacere.
Ex cōcilio Rothomagenſi.

Item. Calumniam & audaciam temere litigantium condemnando in expenſas & alio multiplici remedio imperialis ſanctio compeſcat. Quoniam igitur hoc ſacris inſtitutis conſonare dignoſcitur: præcipimus vt de cætero in cauſis pecuniariis, quæ inter clericos agitabuntur, victus victori cōdemnetur in expenſis. Qui autem ſoluendo non fuerit, eum in arbitrio Epiſcopi ſui puniendum relinquo.

Ex decreto Pelagij papa. Inuenimus tantum decem præfationes in ſacro catalogo recipiendas: vnam in Albis Paſchalibus. *Et te quidē omni tempore.* Secundam in die Aſcenſionis. *Qui poſt reſurrectionem.* Tertiam in Pentecoſte. *Qui aſcendens ſuper omnes cælos.* Quartam de natali. *Quia per incarnati verbi myſterium.* Quintam de apparitione Domini. *Quia cum vnigenitus tuus.* Sextam de Apoſtolis. *Et te Domine ſuppliciter exorare.* Septimā de ſancta Trinitate. *Qui cum vnigenito tuo.* Octauam de cruce. *Qui ſalutem humani generis.* Nonam de ieiunio quadrageſimali tantummodo dicendam. *Qui corporali ieiunio.* Decimam de beata virgine. *Et te in veneratione beatæ* Mariæ. Huius igitur decreti & domini papæ *Alexandri* auctoritate diſtricte præcipimus, ne quis præfatis præfationibus aliquam omnino præſumat adiicere.

Ex decreto Iulij papa Inhibemus ne quis quaſi pro complemento communionis intinctam alicui euchariſtiam tradat. Nam intinctum panem aliis *Chriſtum* præbuiſſe non legimus, excepto illo tantum diſcipulo, quem intincta buccella magiſtri proditorem oſtenderit, non quæ ſacramenti huius inſtitutionem ſignaret.

Ex cōcilio Remenſi. Præcipimus ne conſecraretur euchariſtia, niſi in calice aureo vel argenteo, & ne ſtanneum calicem aliquis Epiſcopus a modo benedicat, interdicimus.

Ex decreto Ormiſda papa. Nullus fidelis cuiuſq; conditionis ſit occulte nuptias faciat, ſed benedictione accepta à ſacerdote publice nubat in Domino. Si quis ergo ſacerdos aliquos occulte cōiunxiſſe inuentus fuerit, triennio ab officio ſuſpendatur.

Ex decreto Nicolai papa. Vbi non eſt conſenſus vtriuſq; non eſt coniugium. ergo qui pueris dāt puellas in cunabulis nihil faciunt, niſi vterq; puerorum poſtquam venerint ad tempus diſcretionis conſentiat. Huius ergo decreti auctoritate inhibemus, ne de cætero aliqui, quorum vterque vel alter, ad ætatem legibus conſtitutam & canonibus determinatam non peruenit, coniungantur: niſi forte aliquādo vrgente neceſſitate interueniente, pro bono pacis coniunctio talis toleretur.

In quo etiam concilio clerici *Rogeri* Eboracenſis Archiepiſcopi calumniati fuerunt ius Eboracenſis Eccleſiæ de cruce portanda in diœceſi Cantuarienſis Eccleſiæ. Præterea calumniati ſunt ibidem ex parte Eboracenſis Archiepiſcopi, Epiſcopatum Lincolnienſem, & Epiſcopatū Ceſtrenſem, & Epiſcopatum Wigornenſem, & Epiſcopatum Herefordenſem de iure pertinere debere ad metropolitanam Eboracenſium Eccleſiam. Et ſuper hoc prædictū Cantuarienſem Archiepiſcopū appellauerunt ad Romani pōtificis præſentiam. Præterea appellauerunt ipſum Cantuarienſem Archiepiſcopum ad Romanū pontificem ſuper iniuria & anathematis ſententia, quam intulit clericis Eboracenſis Archiepiſcopi, qui per eum miniſtrauerunt in Eccleſia ſancti *Oſwaldi* de Glouceſtria, pro eo quod ad illū venire nolebant ad ipſius ſummonitionem ſicut clerici diœceſis ſuæ fecerunt. In ipſo autem concilio clerici Eccleſiæ ſancti *Aſaf* petierunt à Cantuarienſi Archiepiſcopo, vt in vi obedientiæ præciperet *Godefrido* Epiſcopo Eccleſiæ S. *Aſaf* ad ſedem Eccleſię ſuę redire, cui præfuit pontificali dignitate: vel, vt prædictus Archiepiſcopus alium Epiſcopum loco ipſius inſtitueret. Ipſe enim *Godefridus* Epiſcopatum ſuum deſeruit, paupertate & Walenſium infeſtatione compulſus. veniēſq; in Angliam à Chriſtianiſſimo rege *Henrico* benigne & honorifice ſuſceptus eſt: cui & tradidit Abbatiam Abbendoniæ vacantem in cuſtodia, donec ad propriam ſedem liberū haberet regreſſum. Itaq; præfatus Cantuarienſis Archiepiſcopus in ipſo concilio ad inſtantiam prænominatorum clericorum, & admonitione *Alexandri* ſummi pontificis: necnon & conſilio venerabilium coepiſcoporum ſuorum conuenit iam dictū *Godefridum*, vt in vi obedientiæ ad ſedem propriam rediret, vel curam paſtoralem, quæ ſibi fuerat commiſſa in manu ipſius libere & abſolute reſignaret. Ipſe vero *Godefridus*, ſperās quod abbatia de Abbedonia, quæ tradita fuerat ei in cuſtodia, poſſet ſibi remanere, Epiſcopatum ſuum nullo cogente reſignauit in manu Cātuarienſis Archiepiſcopi: libere & abſolute tradens illi annulum & baculum paſtoralem. Et ſic deceptus amiſit vtrumq;. Nam rex dedit Epiſcopatum ſancti *Aſaf*, magiſtro *Ada* Walenſi, & Abbatiam de Abbendona cuidam monacho. *Robertus* Comes Glouceſtriæ eo tempore reddidit regi Angliæ turrim de Briſtoue, quam nūquam antea rex habere potuit. Eodem anno in Octauis Natiuitatis ſancti *Iohannis Baptiſtæ* venerunt ambo reges vſq; ad Wodeſtoke, & occurrerūt eis illuc *Richardus* Cātuarienſis Archiepiſcopus, & *Richardus* Wintonienſis Epiſcopus, & *Reginaldus* Bathonienſis Epiſc. & *Iocelinus* Saleſbiriēſis Epiſcopus, & *Rogerus* Wigor-

Wigornien. Epiſcopus, & *Gaufridus* Elienſis Epiſcopus, & *Iohannes* Ciceſtrenſis, & *Walterus* Roſenſis Epiſcopus, & *Bartholomeus* Epiſcopus Exonienſis, & *Hugo* Dunelmenſis Epiſcopus, qui illuc venerat pro negotio ſuo. Venerunt etiam illuc omnes Abbates Cãtuarienſis diœceſis, & magnum celebrauerunt concilium de paſtore eligendo ad ſedem põtificalem Norwicenſis Eccleſiæ: & de paſtoribus eligendis ad Abbatias, quæ tunc vacabant per Angliã: videlicet Abbatia de Grimeſbi/ Abbatia de Cruilande/ Abbatia de Thornai/ Abbatia de Holmo, Abbatia de Weſtminſter/ Abbatia S. *Auguſtini* Cantuariæ, Abbatia de Bello, Abbatia de Hida Wintoniæ, Abbatia de Abbendune, Abbatia de Aboteſbiri, Abbatia de Michẽnia. *Iohannes* vero de Oxeneforde clericus regis electus eſt ad Epiſcopatum Norewicenſis Eccleſiæ, & conſecratus eſt à *Richardo* Cantuarienſi Archiepiſcopo. Prædictæ autẽ Abbatiæ diſtributæ ſunt viris religioſis, ſicut domino regi & prædicto Archiepiſcopo placuit. Eodem anno dominus papa *Alexander* confirmauit electionem *Gaufridi* Lincolnienſis *Epiſcopi. Eodem anno rex pater implacitauit omnes clericos & laicos regni ſui, qui tempore hoſtilitatis foris fecerant illi de foreſtis ſuis & captione venationis: & omnes redemit, licet *Richardus* de Luci Warrãtizaret hoc totum factum fuiſſe per ipſum & per præceptum regis de vltra mare. Deinde ambo reges perrexerunt Eboracum: vbi occurrerũt eis *Willielmus* rex Scottorum, & *Dauid* frater eius fere cum vniuerſis Epiſcopis & Abbatibus & aliis magnatibus terrarum ſuarũ. Et ibi renouata eſt pax & finalis concordia, quam prædictus rex Scotiæ fecerat cum domino ſuo rege Angliæ patre apud Faleſiam, dum eſſet in captione eius, coram rege filio, & *Rogero* Eboracenſi Archiepiſcopo, & *Hugone* Dunelmenſi Epiſcopo, & Comitibus, & Baronibus Angliæ: & coram Epiſcopis & Abbatibus, Comitibus & Baronibus de regno Scotiæ; in Eccleſia ſancti *Petri* Eboraci lecta eſt & conceſſa in hunc modum. *al. electi

Willielmus *rex Scotia deuenit homo ligius domini regis contra omnes homines de Scotia & de omnibus aliis terris ſuis: & fidelitatem ei fecit vt ligio domino ſuo, ſicut alij homines ſui ipſi facere ſolent. Similiter fecit homagium* Henrico *regi filio ſuo, ſalua fide domini regis patris ſui. Omnes vero Epiſcopi, Abbates, & clerus terræ regis Scotiæ & ſucceſſores ſui facient domino regi ſicut ligio domino fidelitatem, de quibus habere voluerit, ſicut alii Epiſcopi ſui ipſi facere ſolent, &* Henrico *regi filio ſuo & hæredibus eorum. Conceſſit autem rex Scotiæ, &* Dauid *frater eius, & barones, & alij homines ſui domino regi, quod Eccleſia Scotiæ talem ſubiectionem à modo faciet Eccleſiæ Angliæ, qualem illi facere debet, & ſolebat tempore regum Angliæ prædeceſſorum ſuorum. Similiter* Richardus *Epiſcopus ſancti* Andreæ *&* Richardus *Epiſcopus de* Dunkelden, *&* Gaufridus *Abbas de* Dunfirmelin, *&* Herbertus *prior de* Coldingham, *conceſſerunt vt etiam Eccleſia Anglicana illud habeat ius in Eccleſia Scotiæ, quod de iure debet habere, & quod ipſi non erunt contra ius Anglicanæ Eccleſiæ. Et de hac conceſſione, ſicut quando ligiam fidelitatem domino regi &* Henrico *filio ſuo fecerũt, ita eos inde aſſecurauerunt. Hoc idem facient alij Epiſcopi, & clerus Scotiæ per conuentionem inter dominum regem & regem Scotiæ, &* Dauid *fratrem ſuum, & barones ſuos factam. Comites etiam & Barones & alij homines de terra regis Scotiæ, de quibus dominus rex habere voluerit, facient ei homagium contra omnem hominem, & fidelitatem vt ligio domino ſuo, ſicut alii homines ſui facere ei ſolent, &* Henrico *regi filio ſuo, & hæredibus ſuis, ſalua fide domini regis patris ſui. Similiter hæredes regis Scotiæ & baronum & hominum ſuorum homagium & ligantiam facient hæredibus domini regis contra omnem hominem. Præterea rex Scotiæ & homines ſui nullum à modo fugitiuum de terra domini regis pro felonia receptabunt in Scotia vel in alia terra ſua, niſi voluerit venire ad rectum in curia domini regis, & ſtare iudicio curiæ. Sed rex Scotiæ & homines ſui quam citius poterunt eum capient, & domino regi reddent, vel iuſtitiariis aut balliuis ſuis in Anglia. Si autem de terra regis Scotiæ aliquis fugitiuus fuerit pro felonia in Anglia, niſi voluerit venire ad rectum in curia domini regis Scotiæ, & ſtare iudicio curiæ non receptabitur in terra regis, ſed liberabitur hominibus regis Scotiæ per balliuos domini regis, vbi inuentus fuerit. Præterea homines domini regis habebũt terras ſuas, quas habebant & habere debẽt de domino rege, & hominibus ſuis, & de rege Scotiæ & de hominibus ſuis. Et homines regis Scotiæ habebunt terras ſuas, quas habebant & habere debent de domino rege & hominib. ſuis. Pro iſta vero conuentione & fine firmiter obſeruando domino regi, &* Henrico *filio ſuo & hæredibus ſuis, à rege Scotiæ & hæredibus ſuis, liberauit rex Scotiæ domino regi caſtellum de* Rokeſburc/ *& caſtellum de* Berewic/ *& caſtellum de* Geddewurde/ *& caſtellũ Puellarum, & caſtellũ de* Striueline *in miſericordia domini regis. Et ad cuſtodienda caſtella illa aſſignabit rex Scotiæ de redditu ſuo menſurabiliter ad voluntatem domini regis. Præterea pro prædicta conuentione, & fine exequendo, liberauit rex Scotiæ domino regi* Dauid *fratrem ſuum in obſidem, & Comitem Dunecanum, & Comitem* Waldeuum, *& Comitem* Gilbertum, *& Comitem de Anegus, &* Richardum *de* Moreuile *conſtabularium, &* Nes *filium* Willielmi, *&* Richardum Cumin, *&* Walterum Corbet, *&* Walterum Olifard, *&* Iohannem *de Vals, &* Willielmum

de Lindeſei, & Philippum *de* Coleuile, & Philippum *de* Valuines, & Robertũ Frenbert, & Robertum *de* Burneuile, & Hugonem Giffard, & Hugonem Ridel, & Walterum *de* Berkelai, & Willielmum *de la* Haie, & Willielmum *de* Mortimer. *Quando vero caſtella reddita fuerint,* Willielmus *rex Scotiæ,* & Dauid *frater ſuus liberabuntur. Comites quidem & barones prænominati vnuſquiſque poſtquam liberauerit obſidem ſuum, ſcilicet filium legitimum, qui habuerit, & alii nepotes ſuos, vel propinquiores ſibi hæredes & caſtellis (vt dictum eſt) redditis liberabuntur. Præterea rex Scotiæ & barones ſui prænominati aſſecurauerunt, quod ipſi bona fide, & ſine malo ingenio, & ſine occaſione facient, vt epiſcopi & barones & cæteri homines terræ ſuæ, qui non affuerunt quando rex Scotiæ cum domino rege finiuit eandem legantiam, & fidelitatem domino regi &* Henrico *filio ſuo, quam ipſi fecerunt & vt barones & homines, qui affuerunt obſides liberabunt domino regi, de quibus habere voluerit. Præterea Epiſcopi, Comites & barones conuentionauerunt domino regi, &* Henrico *filio ſuo, quod ſi rex Scotiæ aliquo caſu à fidelitate domini regis & filii ſui & à conuentione prædicta receſſerit, ipſi cum domino rege tenebunt, ſicut cum ligio domino ſuo, contra regem Scotiæ, & contra omnes homines regi inimicantes. Et ipſi ſub interdicto ponent terram regis Scotiæ, donec ipſe ad fidelitatem domini regis redeat. Prædictam itaque conuentionem firmiter obſeruandam, bona fide & ſine malo ingenio, domino regi &* Henrico *filio ſuo & hæredibus ſuis, à* Willielmo *rege Scotiæ, &* Dauid *fratre ſuo, & à baronibus ſuis prædictis, & hæredibus eorum aſſecurauit ipſe rex Scotiæ, &* Dauid *frater eius, & omnes barones ſui prænominati ſicut ligii homines domini regis, contra omnem hominem, &* Henrici *filii ſui, ſalua fidelitate patris ſui. His teſtibus,* Richardo *Epiſcopo Abrincenſi, &* Iohanne *Salisbirienſis decano, &* Roberto *abbate Malmesburiæ, &* Radulfo *abbate de* Mundeburg, & Herberto *archidiacono Northamtoniæ, &* Waltero *de Conſtantiis, &* Rogero *capellano regis, &* Osberto *clerico de Camera, &* Richardo *filio domini regis Comite Pictauiæ, &* Gaufrido *filio domini regis Comite Britanniæ & Comite* Willielmo *de* Eſtſexe, & Hugone *Comite Ceſtriæ, &* Richardo *de* Humezt *conſtabulario, & Comite de* Mellent, & Iordano Theſſun, & Hũfrido *de Boun, &* Willielmo *de Curci ſeneſcallo, &* Gilleberto Malet *ſeneſcallo apud Faleſiam. His itaq; recitatis in eccleſia* S. Petri *Eboraci corã prædictis regibus Angliæ, &* Dauid *fratre regis Scotiæ, & vniuerſo populo, epiſcopi, Comites & barones, & milites de terra regis Scotiæ iurauerunt domino regi Angliæ, &* Henrico *filio ſuo, & hæredibus ſuis, fidelitatem contra omnem hominem ſicut ligiis dominis ſuis.*

Interim *Philippus* Comes Flandriæ cepit *Walterum* de Fontanis militem, ſiquidẽ nobili proſapia ortum, & in armis militaribus præ vniuerſis conſortibus ſuis conſpicuũ: imponens ei quod illicite cognouerat Comitiſſam Flandrię. Prædictus autem *Walterus* tendens in inficias obtulit purgare innocentiã ſuam modo quolibet: affirmans quod ipſe Comitiſſam illam nunquam cognouerat, nec vnquam in mente habuit, vt eam cognoſceret. Comes vero purgationem aliquam ab eo recipere noluit: ſed in furore iræ ſuę pręcepit, vt ipſe fuſtibus cæſus interficeretur. Ceperũt ergo eum carnifices, & ligatis pedibus & manibus, cum fuſtibus ceciderunt eum, & ſemiuiuum ſuſpenderũt illum per pedes, inclinato capite deorſum, in quadam vili cloaca, & ſic cloacali fœtore extinctus miſerrime vitã finiuit. Tunc *Aeliſmus* & cæteri filii prædicti *Walteri* de Fontanis, & *Iakes* de Auennis, & cæteri parentes illorum, munitis caſtellis ſuis, inſurrexerunt in Comitem, & terras ſuas igne & gladio deuaſtauerunt. Et ſic demum coegerũt illum, ſatisfacere illis de morte prædicti *Walteri* de Fontanis. Eodem anno *Richardus* Comes Pictauiæ filius *Henrici* regis Angliæ, obſedit caſtellonium ſupra Agiens, quod *Arnoldus* de Boiuile cõtra eum munierat, nec reddere voluit. Et paratis ibi machinis ſuis bellicis, infra duos menſes cepit, & 30. milites in eo, & in manu ſua retinuit. Eodem anno *Henricus* rex pater magnum *congregauit consilium apud Windeshores in octauis feſti *S. Michaelis*: præſentib. rege filio, & *Richardo* Cantuarienſi archiepiſcopo, & epiſcopis Angliæ; & coram *Laurentio* Dublenenſi archiepiſcopo, præſentibus etiam Comitibus & Baronibus Anglię. In quo concilio Catholicus Tuamenſis archiepiſcopus, & *Cantordis* abbas *S. Brandani*, & magiſter *Laurentius* Cancellarius *Roderici* regis Conactenſis, hunc finem & concordiam ſubſcriptã fecerunt cum domino rege patre, ex parte *Roderici* regis Conactæ.

al. celebrauit

Hic eſt finis, & concordia, quæ facta fuit apud Windeshores in octauis *S. Michaelis*, anno gratiæ milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quinto, inter dominũ regem Anglię *Henricum* filium *Matildis* imperatricis & *Rodericum* regem Conactę per Catholicum Tuamenſem archiepiſcopum & abbatem *Cantordem* ſancti *Brandani*, & magiſtrum *Laurentium* cancellarium regis Conactæ. Scilicet quod rex Angliæ cõcedit prædicto *Roderico* ligio homini ſuo, regi Conactę, quamdiu ei fideliter ſeruiet, vt ſit rex ſub eo paratus ad ſeruitium ſuũ, ſicut homo ſuus, & vt teneat terram ſuam ita bene, & in pace ſicut tenuit antequã dominus rex Angliæ intraret Hyberniam, reddendo ei tributum, & totam aliam terram & habita-

habitatores terræ habeat ſub ſe, & iuſtitiet vt tributum regi Angliæ integre perſoluant, & per manum eius ſua iura ſibi conſeruent, & illi qui modo tenent, teneant in pace quamdiu manſerint in fidelitate Regis Angliæ, & ei fideliter & integre perſoluerint tributum & alia iura ſua, quæ ei debent per manum Regis Conactæ, ſaluo in omnibus iure & honore domini Regis Angliæ & ſuo. Et ſi qui ex eis Regi Angliæ & ei rebelles fuerint, & tributum & alia iura Regis Angliæ per manum ſuam ſoluere noluerint, & à fidelitate Regis Angliæ receſſerunt, ipſe eos iuſtitiet & amoueat. Et ſi eos per ſe iuſtitiare non poterit, conſtabularius Regis Angliæ & familia ſua de terra illa, iuuabunt eum ad hoc faciendum cum ab ipſo fuerint requiſiti, & ipſi viderint quod neceſſe fuerit. Et propter hunc finem reddit prædictus rex Conactæ domino Angliæ tributum ſingulis annis ſcilicet, de ſingulis decem animalibus vnum corium placabile mercatoribus, tam de tota terra ſua, quam de aliena. Excepto quod de terris illis, quas Dominus Rex Angliæ retinuit in Dominio ſuo, & in Dominio baronum ſuorum, nihil ſe intromittet, ſcilicet Diuilina cum pertinentiis ſuis, & *Nida* cum omnibus pertinentiis ſuis, ſicut vnquam Marchat *Vamailethlachlin* eam melius & plenius tenuit, aut aliqui, qui eam de eo tenuerunt. Et excepta Waſfordia, cum omnibus pertinentiis ſuis, ſcilicet cum tota Lagenia. Et excepta Waterfordia, cum tota terra illa quæ eſt à Waterforde vſq; ad Duncaruan / ita quod Duncaruan ſit cum omnibus pertinentiis ſuis infra terram illam. Et ſi Hybernenſes, qui aufugerunt redire voluerint ad terram baronum Regis Angliæ, redeant in pace, reddendo tributum prædictum, quod alii reddunt, vel faciendo antiqua ſeruitia, quæ facere ſolebant pro terris ſuis. Et hoc ſit in arbitrio & voluntate dominorum ſuorum. Et ſi aliqui eorum redire noluerint ad dominum eorum Regem Conactæ, ipſe cogat eos redire ad terram ſuam, vt ibi remaneant & pacem habeant, & Rex Conactæ accipiat obſides, ab omnibus, quos ei commiſit dominus Rex Angliæ, ad voluntatem Domini Regis & ſuam. & ipſe dabit obſides ad voluntatem domini Regis Angliæ, illos vel alios, & ipſi ſeruient Domino Regi de canibus & auibus ſuis ſingulis annis, de præſentis ſuis. Et nullum omnino de quacunq; terra Domini Regis ſit, retinebunt contra voluntatem & mandatum domini Regis. His teſtibus: *Richardo* Epiſcopo Wintoniæ; *Gaufrido* Epiſcopo Elienſi: *Laurentio* Diuilinienſi Archiepiſcopo, *Gaufrido*, *& Nicholao*, *& Rogero*, capellanis Regis; *Willielmo* Comite de Eſtſexe, *Richardo* de Luci, *Gaufrido* de Pertico, *Reginaldo* de Cortinea & aliis multis. In eodem vero concilio dedit Rex Angliæ magiſtro *Auguſtino* Hybernenſi Epiſcopatum Waterfordiæ, qui tunc vacabat in Hybernia. Et miſit eum in Hyberniam cum *Laurentio* Diueliniæ Archiepiſcopo, ad conſecrandum à *Donato* Caſſelenſi Archiepiſcopo. Eodem anno extitit in Anglia & in regionibus adiacentibus peſtifera hominum mortalitas, ita vt plærisq; diebus ſeptem vel octo mortuorum cadauera deferebantur ad ſepeliendum. Et ſtatim poſt illam peſtiferam mortalitatem, ſecuta eſt dira fames. Eodem anno, paulo ante feſtum omnium ſanctorum, applicuit in Anglia quidam Cardinalis nomine *Hugezun*, Apoſtolicæ ſedis legatus, pro quo Dominus Rex Romam miſerat. Et inuenit dominum Regem apud Wintoniam, & dominus Rex venit ei obuiam, & *Henricus* filius eius cum eo, & eum cum debito honore ſuſceperunt. Et dominus Rex per aliquot dies moram faciens apud Wintoniam, diutiſſime tractauit de pace facienda inter *Rogerum* Eboracenſem Archiepiſcopum, & *Richardum* Cantuarienſem Archiepiſcopum, & de Capella Sancti *Oſwaldi* Glouceſtriæ, & de cruce Archiepiſcopi Eboracenſis portanda. Et tandem per conſilium Regis inter prædictos Archiepiſcopos in hunc modum conuenit. Quod ſcilicet Archiepiſcopus Cantuarienſis quietam clamauit Archiepiſcopo Eboracenſi, & liberam ab omni iuriſdictione ſua, capellam Sancti *Oſwaldi* Glouceſtriæ, ſicut Dominicam capellam domini Regis. Et abſoluit clericos Eboracenſis Archiepiſcopi, quos excommunicauerat. Et de cruce portanda, & aliis controuerſiis, quæ inter Eccleſias ſuas erant, ſtarent iudicio Rothomagenſis Archiepiſcopi, & aliorum vicinorum Epiſcoporum de regno Franciæ. Et quod ſic pacem inter ſe haberent per quinquennium: ita quod neuter illorum alteri malum vel damnum quæreret donec controuerſia illa determinata eſſet, & ad debitum finem perducta, per prædictum Archiepiſcopum & alios Epiſcopos. Prædictus autem *Hugezun* Cardinalis, & Apoſtolicæ ſedis Legatus, dedit domino Regi licentiam implacitandi clericos Regni ſui, de foreſtis ſuis, & de captione venationis. Eodem anno *Richardus* Cantuarienſis Archiepiſcopus depoſuit *Willielmum* de Walteruile / Abbatem Sancti *Petri* de Burgo, pro eo quod ipſe violenta manu, & armata, clauſtrum ſuum infregerat, & reliquias ſanctorum vna cum brachio Sancti *Oſwaldi* Regis & martyris aſportare volebat. In quorum defenſione Monachi & miniſtri Eccleſiæ quidam vulnerati, & quidam interfecti

ſunt. Huius tamen depoſitionis ſumma, & principalis cauſa fuit, quod dominus Rex eum oderat propter *Walterum* de Walteruile fratrem ſuum, quem ipſe cum cæteris inimicis Regis receptauerat tempore hoſtilitatis. Eodem anno obiit *Reginaldus* Comes Cornubiæ, auunculus Regis, apud Certeſie/ & ſepultus eſt apud Redinges.

Anno gratiæ milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſexto, Qui erat annus viceſimus ſecundus Regni Regis *Henrici* filii *Matildis* Imperatricis, Idem Rex & Rex *Henricus* filius ſuus fuerunt in feſto Natalis domini apud Windeſhores. Eodem die, prædictus *Hugezun* tituli Sancti *Michaelis* de Petra Leonis diaconus Cardinalis & Apoſtolicæ ſedis Legatus, fuit apud Eboracum cum *Rogero* Eboracenſi Archiepiſcopo. Poſt natale domini in feſto conuerſionis ſancti *Pauli* venit dominus Rex pater vſq; Notingam/ & ibi celebrauit magnum concilium, de ſtatutis regni ſui, & coram Rege filio ſuo, & coram Archiepiſcopis, Epiſcopis, Comitibus, & baronibus regni ſui communi omnium concilio diuiſit regnum ſuum in ſex partes; per quarum ſingulas, tres iuſtitiarios itinerantes conſtituit, quorum nomina hæc ſunt.

Regnum in 6. partes diuiſum.

1	*Hugo* de Creſſi *Walterus* filius *Roberti* *Robertus Mantel*	Norfolc. Sutfolc. Cantebrigeſire. Hunteduneſire. Bedefordeſire. Bukinhamſire. Eſſexe. Herteforđeſire.
2	*Hugo* de Gundeuilla *Willielmus* filius *Radulfi* *Willielmus Baſſet*	Lincolneſire. Notingamſire. Derebiſire. Staffordeſire. Warwikeſire. Northamteſire. Leiceſtreſire.
3	*Robertus* filius Bernardi *Richardus Giffard* *Rogerus* filius *Reinfrai*	Kent. Surrie. Suthanteſire. Suthſexa. Berkeſire. Oxeneforđſire.
4	*Willielmus* filius *Stephani* *Bertam* de Verdun *Turſtani* filius *Simonis*	Herefordeſire. Glouceſterſire. Wirceceſterſire. Salopesſire.
5	*Radulfus* filius *Stephani* *Willielmus Ruffus* *Gillebertus Pipard*	Wilteſire. Dorſete. Sumerſete. Deuonia. Cornubia.
6	*Robertus* de Wals *Radulfus* de Glanuile *Robertus Pikenot*	Euerwikeſire. Richemundeſire. Loncaſtre. Coplande. Weſtmerilande. Northumberlande. Cumberlande.

Et poſtea fecit Dominus rex omnes prædictos iuſticiarios iurare ſupra ſacroſancta Euangelia, quod ipſi bona fide, & ſine malo ingenio has ſubſcriptas aſſiſas cuſtodirent, & inuiolabiliter ab hominibus regni facerent cuſtodiri.

ASSISÆ

ASSISAE HENRICI REGIS, FACTAE apud Clarendum, & renouata apud Northamtune.

SI quis retatus fuerit coram iuſtitiis Domini Regis, de murdro, vel latrocinio, vel roberia, vel receptatione hominum tale facientium, vel de falſoneria, vel iniqua combuſtione, per ſacramentū duodecim militum de hundredo, & ſi milites nō adfuerint per ſacramentum duodecim liberorum & legalium hominum, & per ſacramentum quatuor hominum de vnaquaq; villa hundredi, eat ad iudicium aquæ: & ſi perierit alterum pedem amittat. & apud Northamtune additum eſt pro rigore iuſtitiæ, quod dexterum ſimiliter pugnum cū pede amittat, & regnum abiuret & infra quadraginta dies à regno exulet. Et ſi ad aquam mundus fuerit, inueniat plegios, & remaneat in regno, niſi retatus fuerit de murdro, vel aliqua turpi felonia per commune Comitatus & legalium militum patriæ. de quo ſi prædicto modo retatus fuerit, quamuis ad aquam mundus fuerit nihilominus infra quadraginta dies à regno exeat, & catalla ſua ſecum aſportet, ſaluo iure dominorum ſuorum, & regnum abiuret in miſericordia Domini Regis. Hæc autem aſſiſa attenebit à tempore, quo aſſiſa facta fuit apud Clarendun / continue vſq; ad hoc tempus, & à modo quamdiu domino regi placuerit, in murdro, & proditione & iniqua combuſtione, & in omnibus prædictis, niſi in minutis furtis & roberiis, quæ factæ fuerant tempore guerræ, ſicut de equis, & bobus, & minoribus rebus. Nulli liceat neq; in burgo, neq; in villa hoſpitali, aliquem extraneum, vltra vnam noctem in domo ſua, quem ad rectum habere noluerit, niſi hoſpitatus ille eſſonium rationabile habuerit, quod hoſpes domus monſtret vicinis ſuis, & cum receſſerit coram vicinis recedet, & per diem.

Si quis ſaiſitus fuerit de murdro, vel de latrocinio, vel roberia, vel falſoneria, & inde ſit cognoſcens, vel de aliqua alia felonia, quam fecerit coram præpoſito hundredi vel burgi, & coram legalibus hominibus, id poſtea coram iuſtitiis negare non poterit. Et ſi idem ſine ſaiſina coram eis aliquid huiuſmodi recognouerit, hoc ſimul coram iuſtitiis negare non poterit.

Si quis obierit francus tenens, hæredes ipſius remaneant in tali ſaiſina qualem pater ſuus habuit die, qua fuit viuus & mortuus, de feodo ſuo & catalla ſua habeant, vnde faciant & diuiſam defuncti & dominum ſuum poſtea requirant, & ei faciant de releuio & aliis, quæ eis facere debent de feodo ſuo. Et ſi hæres fuerit infra ætatem dominus feodi recipiat homagium ſuum, & habeat in cuſtodia illum, quamdiu debuerit, alii domini ſi plures fuerint homagium eius recipiant, & ipſe faciat eis, quod facere debuerit. Et vxor defuncti habeat dotem ſuam, & partem de catellis eius, quæ eam contingit. Et ſi dominus feodi, negat hæredibus defuncti ſaiſinam eiuſdem feodi, quam exigunt Iuſticiarii domini regis faciant inde fieri recognitionem per duodecim legales homines qualem ſaiſinam defunctus inde habuit die qua fuit viuus & mortuus. Et ſicut recognitum fuerit, ita hæredibus eius reſtituant. Et ſi quis contra hoc fecerit, & inde attaintus fuerit, remaneat in miſericordia regis.

Iuſtitiæ domini regis faciant fieri recognitionem de diſſaiſinis factis ſuper aſſiſam à tēpore, quo dominus Rex venit in Angliam proximo poſt pacem factam inter ipſum & regem filium ſuum.

Iuſtitię capiant fidelitates domini regis infra clauſum Paſcha & ad vltimum infra clauſum Pentecoſtæ ab omnibus videlicet Comitibus, baronibus, militibus, & libere tenentibus, & etiam ruſticis, qui in regno manere voluerint, & qui facere noluerit fidelitatem, tanquam inimicus domini regis capiatur. Habent etiam iuſtitiæ præcipere, quod omnes illi, qui nondum fecerunt homagium & ligantiam domino regi, quod ad terminum quē eis nominabunt, veniant, & faciant Regi homagium & ligantiam ſicut ligio domino.

Iuſtitiæ faciant omnes iuſtitias & rectitudines ſpectantes ad dominum regem, & ad coronam ſuam, per breue domini Regis vel illorum qui in loco eius erunt de feodo dimidii militis & infra: niſi tam grandis ſit querela quod non poſſit deduci ſine Domino Rege, vel talis quam iuſtitiæ ei reponent pro dubitatione ſua, vel ad illos, qui in loco eius erunt. intendant tamen pro poſſe ſuo ad commodum domini regis faciendum. Faciant etiam aſſiſam de latronibus iniquis & malefactoribus terræ, quæ aſſiſa eſt per conſilium Regis, filii ſui, & hominum ſuorum, per quos ituri ſunt Comitatus. Item Iuſtitiæ prouideant, quod caſtella diruta prorſus diruantur & diruenda bene proſternantur. Et niſi hoc fecerint dominus rex iudicium curiæ ſuæ de eis habere voluerit ſicut de contemptoribus præcepti ſui.

Iuſtitiæ inquirant de excaetis, de Eccleſiis, de terris, de fœminis, quæ ſunt de donatione domini regis.

Balliui domini regis reſpondeant ad Scaccarium, tam de aſſiſo reditu, quam de omnibus perquiſitionibus ſuis, quas faciunt in bailliis ſuis: exceptis illis, quæ pertinent ad Vicecomitatum.

Iuſtitiæ inquirant de cuſtodiis caſtellorum, & qui, & quantum, & vbi eas debeant, & poſtea mandent domino Regi.

Latro, ex quo capitur, vicecomiti tradatur ad cuſtodiendum: & ſi vicecomes abſens fuerit, ducatur ad proximum caſtellanum, & ipſe illum cuſtodiat, donec illum liberet vicecomiti.

Iuſtitiæ faciant quærere per conſuetudinem terræ illos, qui à regno receſſerunt; & niſi redire voluerint infra terminum nominatum, & ſtare ad rectum in curia Domini Regis, poſtea vthlagentur, & nomina vthlagorum afferantur ad Paſcha, & ad feſtum ſancti *Michaelis*, ad Scaccarium, & exinde mittantur domino Regi.

Ad prædictum vero concilium apud Northamtune celebratum, venit *Willielmus* Rex Scottorum per mandatum Domini Regis, adducens ſecum *Richardum* Epiſcopum ſancti *Andreæ*, & *Iocelinum* Epiſcopum de Glaſcou/ & *Richardum* Epiſcopum de Dunkeldeu/ & *Chriſtianum* Epiſcopum de Candida caſa, & *Andream* Epiſcopum de Cateneſſe/ & *Simonem* de Toum Epiſcopum de Mureuia, & cæteros Epiſcopos, & abbates & priores regni ſui. Qui cum coram domino Rege Angliæ conueniſſent, præcepit iis dominus Rex, per fidem, quam ei debebant, & fidelitatis ſacramentum, quod ei fecerant, vt eandem ſubiectionem facerent Anglicanæ Eccleſiæ, quam facere debebant, & ſolebant tempore regum Angliæ prædeceſſorum * meorum. Cui reſponderunt, quod ipſi nunquam ſubiectionẽ fecerant Anglicanæ Eccleſiæ, nec facere debent. Ad hoc autem reſpondit *Rogerus* Eboracenſis Archiepiſcopus: affirmans q; Glaſcuenſes Epiſcopi & Epiſcopi Candidæ Caſæ ſubiecti fuerant Eboracenſi Eccleſiæ tempore Archiepiſcoporum prædeceſſorum ſuorum. Et ſuper hæc priuilegia Romanorum pontificum ſufficienter inſtructa demonſtrauit. Ad quod *Iocelinus* Glaſcuenſis Epiſcopus reſpondit. Glaſcuenſis Eccleſia ſpecialis filia eſt Romanæ Eccleſiæ, & ab omni ſubiectione Archiepiſcoporum, ſiue Epiſcoporum, exempta: & ſi Eboracenſis Eccleſia aliquo tempore dominationem habuit in Eccleſia Glaſcuenſi, conſtat illam demeruiſſe aliquam de cætero in ea habere dominationem. Et quia *Richardus* Cantuarienſis Archiepiſcopus nitebatur, vt Eccleſia Scotica Cantuarienſi ſubiiceretur Eccleſiæ, effecit aduerſus Regem Angliæ, quod ipſe permiſit Epiſcopos Scotiæ in terras ſuas redire, nulla ſubiectione facta Anglicanæ Eccleſiæ. Eodem anno, in medio Quadrageſimæ ſupradictus *Hugezun* tituli Sancti *Michaelis* de Petra leonis Cardinalis & Apoſtolicæ ſedis Legatus, Londonias venit celebraturus concilium. Et conuenientibus ibidem in vnum Cantuarienſi, & Eboracenſi Archiepiſcopis, & omnibus Epiſcopis & Abbatibus Angliæ, & clero multo; prædictus Cardinalis ſedit cathedratus apud Weſtmonaſterium in capella Monachorum infirmorum, & Epiſcopi & abbates cum illo, vnuſquiſque in loco ſuo ſecundum ordinem & dignitatem ſuam. Sed inter Cantuarienſem & Eboracenſem Archiepiſcopos orta eſt contentio, quis illorum ſederet à dextris Cardinalis. Et cum Eboracenſis Archiepiſcopus ibi ſedere vellet, ſeruientes Domini Cantuarienſis irruerunt in eum & proiecerunt in terram, & pedibus ſuis conculcauerunt, & cappam ſuam fregerunt. Et ſic diſperſi ſunt, & Cardinalis fugit, & abſcondit ſe à facie illorum, & ita impeditum eſt, quod nullum tenuit concilium: Sed factis appellationibus hinc & inde ad ſummum pontificem, vterque illorum conqueſtus eſt Domino Regi de iniuriis ſibi factis. Eodem anno, in ſolennitate Paſchali fuit Rex pater apud Wintoniam, & Rex filius, & *Richardus* Comes Pictauiæ, & *Gaufridus* Comes Brittanniæ filii Domini Regis fuerunt ibi cum illo. Poſt Paſcha vero *Henricus* Rex filius, & *Richardus* Comes Pictauiæ, & *Gaufredus* Comes Brittanniæ per licentiam Regis patris ſui, transfretauerunt de Anglia in Normanniam. Et ſtatim cum *Richardus* Comes Pictauiæ in Pictauiam veniſſet, magnum congregauit exercitum, & commiſit prælium cum Braibancenis, inter ſanctum *Megrinum*, & Buteuile/ & eos deuicit. Deinde debellauit *Haimericum* Vicecomitem de Limoges, pro eo, quod ipſe pacem ſuam fregerat. Deinde obſedit caſtellum, quod vocatur Aeſſa, & cepit illud, & quadraginta milites in eo. Deinde obſedit ciuitatẽ de Limoges & cepit; deinde venit Pictauium in occurſum regis fratris ſui, qui illuc in adiutoriũ ipſius venit; & ipſi obſederunt nouum caſtellum & ceperunt. Quo capto, Rex frater eius cum eo diutius moram facere noluit; ſed prauo vſus conſilio ab eo receſſit. *Richardus* vero Comes Pictauiæ obſedit Mulinouo, caſtellum Vicecomitis de Engoliſmo, & cepit. *Willielmum Tailefer* quoq; Comitem de Engoliſmo, & *Bugerum* filium eius, & *Haimarum* Vicecomitẽ de Limoges, & Vicecomitem de Vendadur, & Vicecomi-

al. ſuorũ.

comitem de Cambanais cepit in eo. Et Comes de Engoliſmo tradidit Comiti Pictauiæ caſtellum de Butteuile / & caſtellum de Archiac / & caſtellum de Muntimac / & caſtellum de Lachefe / & caſtellum de Melpis. Rex vero filius cum in reditu ſuo Pictauim veniret, cepit *Adam* de Chirchedune / Vicecancellarium ſuum, clericum videlicet *Gaufridi* præpoſiti Beuerlaci, Cancellarii regis filii, & fecit eum fuſtibus cædi, imponens illi, quod ille ſecreta ſua detexerat regi patri ſuo: & flagellatum duci fecit nudum per plateas ciuitatis Pictauis fuſticando, & ſub voce præconia clamando. Sic debet dehoneſtari, qui ſecreta domini ſui detegit. Eodem anno venerunt in Angliam nuntii *Willielmi* regis Siciliæ, videlicet Epiſcopus Traiocenſis, & electus Capuæ, & Comes Florius ad *Henricum* Regem Angliæ patrem, & petierunt ab eo *Iohannam* filiam ſuam donari in vxorem *Willielmo* Regi Siciliæ Domino ſuo. Habito igitur inde conſilio Londoniis, Rex pater conſilio vniuerſorum Epiſcoporum, Comitum, & baronum regni, conceſſit Regi Siciliæ filiam ſuam. Et cum illa conceſſione præmiſit Rex ad Regem Siciliæ Epiſcopum Troiacenſem, & *Iohannem* Nortwicenſem Epiſcopum, & *Pariſium* Roſenſem Archidiaconum, & *Baldewinum Bulot*, & *Richardum de* Camuile. Et Rex pater interim præparauit *Iohannæ* filiæ ſuæ & itineri ſuo neceſſaria. Quibus more debito completis, Rex miſit *Iohannam* filiam ſuam Regi *Willielmo* Siciliæ in vxorem. Quæ cum Panormum veniret in Sicilia, vna cum *Ægidio* Ebroicenſi Epiſcopo, & aliis nuntiis Domini Regis, tota ciuitas eis applauſit, & tot & tanta accenſa ſunt luminaria, vt ciuitas penitus crederetur comburi, & ſtellarum radii pro fulgore tantorum luminum nullatenus poſſent comparere. De nocte enim intrauerant ciuitatem Panormum. Ducta eſt ergo prædicta Regis Angliæ filia, ſuper equum regium, veſtibus regalibus inſignita, in quoddam palatium, vt ibidem deſpõſationis & coronationis ſuæ diem gratius poſſet expectare. Paucis itaq; lapſis diebus prænominata Regis Angliæ filia deſponſata eſt *Willielmo* Regi Siciliæ, & ſolemniter coronata Panormi, in capella regia, coram *Ægidio* Ebroicenſi Epiſcopo, & aliis nuntiis regis Angliæ, qui propter hoc miſſi fuerant. Deſponſata itaq; & coronata fuit, die Dominica ante ingreſſum Septuageſimæ, Idibus Februarii. Et dotata eſt honorifice de Comitatu Sancti Angeli, & de ciuitate Siponti, & de ciuitate Veſtæ, & pluribus aliis tam caſtellis, quam locis. Vnde Rex Siciliæ fecit ei chartam ſuam in hac forma.

CHARTA WILLIELMI REGIS SICILIÆ, quam fecit Iohannæ filiæ Henrici *Regis Angliæ de dote ſua.*

IN nomine patris & filii & ſpiritus Sancti, Amen. Rerum fœdus, & concordiam humanarum, inter cætera pacis bona ligat fortius & aſtringit vinculum coniugale; quod & ſacramenti altitudine venerandum, & ipſa ſuæ inſtitutionis eſt ſingularitate præclarum, & ſolemni ab initio mundi & temporis conſuetudine celebratum. cuius itaque virtus & forma, quia de diuina inſtitutione traxit originem, nec de peccato induit maculam, nec de longæui ſerie temporis deſuetudinis potuit ſentire iacturam. Quinetiam id honoris venerando acceſſit myſterio, vt maris & fœminę conſenſus in matrimonium *Chriſti* & Eccleſiæ teneat ſacramentum. Tanti ergo myſterii ratione ſimul & veneratione inducti, nos *Willielmus* diuina fauente * gratia rex Siciliæ, & ducatus Apuliæ, & principatus Capuæ, *Iohannam* puellam regii excellentiæ ſanguinis illuſtriſſimam filiam *Henrici* magnifici regis Anglorum, diuino nutu & fœlici auſpicio ſacri lege matrimonii, & maritali nobis fœdere copulamus: vt bonum coniugii caſtæ dilectionis fides exhibeat, vnde nobis in poſterum proles regia, Deo donante, ſuccedat, quę diuini gratia muneris virtutũ ſimul & generis titulo ad regni poſſit & debeat faſtigium ſublimari. Quia vero dignum noſtra eſt celſitudine, vt tam nobile ac inſigne coniugiũ decenti dodario debeat honorari, per hoc præſens ſcriptũ damus, & in dodarium concedimus præfatę reginæ chariſſimæ vxori noſtræ Comitatum montis Sancti Angeli, ciuitatem Siponti, & ciuitatem Veſtæ, cum omnibus iuſtis tenementis & pertinentiis earum. In ſeruitio autem concedimus ei de tenementis Comitis *Godefridi*, Aleſine, Peſchizam, Bicum, Caprile, Baranum, & Filizum, & omnia alia, quæ idem Comes de honore eiuſdem Comitatus montis Sancti Angeli tenere dignoſcitur. Concedimus etiam ei ſimiliter in ſeruitio: *Candelarium* Sanctum clericum, caſtellum Paganum, Berſentium, & Cagnanum. Inſuper concedimus, vt ſint de honore ipſius dodarii, Monaſterium Sanctæ *Mariæ* de Pulſano, & monaſterium Sancti *Iohannis* de Lama, cum omnibus tenementis, quæ ipſa monaſteria tenent de honore prædicti Comitatus Sancti Angeli. Ita quidem vt ipſa regina vxor noſtra prædicta omnia ſemper recognoſcat, ab hæredibus noſtris, nobis noſtra ordinatione in regnum ſuccedenti-

al. clementia.


bus, & de omnibus præſcriptis tenementis ſeruitium, prout exigit feodum eorum, integre & illibate iam dictis hæredibus noſtris faciat: & maneat ſemper in eorum fidelitate. Ad huius autem donationis & conceſſionis noſtræ memoriam, & inuiolabile firmamentum: priuilegium præſens per manus *Alexandri* notarii noſtri ſcribi, & bulla aurea noſtro Typario impreſſa, roboratum noſtro ſigillo, iuſſimus decorari. In quo familiares noſtri & aliæ perſonæ præcepto noſtro ſe ſcripſerunt hoc modo.

Ego *Walterus* Panormi Archiepiſcopus.
Ego *Alfanus* Capuanus Archiepiſcopus.
Ego *Richardus* Syracuſanus Epiſcopus.
Ego *Bartholomæus* Agrigentinus Epiſcopus.
Ego *Reginaldus* Barenenſis Archiepiſcopus.
Ego *Nicolaus* primus Meſſanenſis Archiepiſcopus.
Ego *Ruffus* Coſentinus Archiepiſcopus.
Ego *Theobaldus* Epiſcopus Abbas regalis monaſterii Sanctæ *Mariæ* nouæ.
Ego *Robertus* Catanienſis Epiſcopus.
Ego *Wido* Cephelienſis Epiſcopus.
Ego *Ebias* Troianus electus.
Ego *Iuſtus* Mazenſis Epiſcopus.
Ego *Robertus* Tricaricenſis Epiſcopus.
Ego *Petrus* Galethanenſis Epiſcopus.
Ego *Iohannes* Potentinus Epiſcopus.
Ego *Robertus* de Bizino.
Ego *Robertus* Malcuuenantz.
Ego *Alexander* Gupillenſis.
Ego *Matheus* domini regis vice Cancellarius.
Ego *Robertus* Caſertanus Comes.
Ego *Amphuſus* Comes Scrulac.
Ego *Iocelinus* Comes Loret.
Ego *Hugo* Comes Cathazarii.
Ego *Richardus* Fundanus Comes admiratus.
Ego *Walterus* de Moac regii Fortunati ſtolii admiratus.
Ego *Aldewinus* de candida domini regis Seneſcallus.
Ego *Berardus* gentilis regiæ priuatæ Maiſnede conſtabularius.
Ego *Richardus* ſacri regii palatii Logotheta.
Ego *Bamalis* de monte forti magiſter iuſticiarius.
Ego *Perſicus* regiæ curiæ magiſter iuſticiarius.
Ego *Fredericus* regiæ curiæ iuſticiarius.

Data in vrbe Panormi fœlici per manus *Walteri* venerabilis Archiepiſcopi Pannormi & *Matthei* regis vice Cancellarii, & *Richardi* venerabilis Epiſcopi Siracuſani familiarium domini regis. Anno Dominicæ incarnationis milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo menſe Februarii, indictione decima: regni vero domini noſtri *Willielmi* Dei gratia magnifici & glorioſiſſimi regis Siciliæ, Ducatus, Apuliæ, & principatus Capuæ, Anno vndecimo fœliciter. Amen.

SIGNVM

SIGNVM WILLIELMI REGIS MAGNI SICILIÆ.



Eodem anno *Alexander* Papa miſit *Viuianum* presbyterũ Cardinalẽ, apoſtolicæ ſedis legatum, in Scotia & in inſulis circumiacentibus, & in Hybernia, & in Norewea, ad cauſas Eccleſiaſticas audiendas, & determinandas ſecundum quod Deus ei adminiſtraret. Qui cum in Angliam veniret, dominus rex miſit ad eum *Richardum* Wintonienſem, & *Gaufridum* Elienſem epiſcopos, vt interrogarent eum cuius authoritate auſus erat intrare in regnum ſuum ſine licentia ipſius. His igitur interrogationibus prædictus Cardinalis plurimum territus, de ſatisfactione iurauit regi, quod ipſe nihil ageret in legatione ſua cõtra voluntatem ipſius & ſic data eſt ei licentia tranſeundi vſque in Scottiam. Et dominus rex inuenit conductum & expenſas, vſque dum veniret in terram regis Scotiæ. Eodem anno *Gaudefridus* Elienſis epiſc. calumniatus coram rege à *Rogero* Eboracẽſi Archiepiſcopo, quod ipſe violentas manus iniecerat in eum, in ſupradicto conſilio, quod *Haggezun* tenere debuit Lundoniis, purgauit innocentiam ſuam: dicens in verbo veritatis, quod violentas manus in eum non iniecerat. Et hoc idem atteſtatus eſt in verbo Domini ſupradictus Cantuarienſis Archiepiſcopus. Et ſic facti ſunt amici *Rogerus* Eboracenſis Archiepiſcopus, & *Gaufridus* Elienſis epiſcopus. Et ad inſtantiam domini regis, Cantuarienſis & Eboracenſis Archiepiſcopi ſtatuerunt inter ſe inducias per quinquennium, ſuper controuerſia, quæ vertebatur inter illos tam de verberatione Eboracenſis Archiepiſcopi, quam de aliis controuerſiis, quæ inter illos & eccleſias ſuas vertebâtur: ſupponentes ſe omnino arbitrio & examini Rothomagenſis Archiepiſcopi, & epiſcoporum de regno Franciæ, & iurauerunt quod iudicio illorum ſtarent, & quod neuter illorum alteri malũ interim quęreret vel damnũ. Eodem anno *Petrus* frater *Philippi* Comitis Flãdriæ, qui fuerat electus de Cambrey/ duxit in vxorem filiam *Odonis* domini Diſſodum cum Comitatu de Neuers quę erat vxor *Widonis* de Neuers, ſed infra annum obiit ſine prole. Eodẽ anno *Willielmus* Comes Glouceſtriæ filius *Roberti* Comitis fratris imperatricis, dedit *Iohanni* filio regis Anglię filiam ſuam in vxorem cum Comitatu Glouceſtrię, ſi prędictam mulierẽ licentia domini Papæ poſſet ſibi in matrimonio copulare. Et pro hac conceſſione dominus rex Angliæ pater dedit primogenitis filiabus eiuſdem Comitis ducentas libratas reddituũ in Anglia; videlicet vxori *Amauri* Comitis Ebroicarũ centum libratas & vxori *Richardi* Comitis de Clare centum libratas. Eodem anno *Philippus* frater *Lodowici* regis Francorum Archiepiſcopi Remenſis obiit, cui ſucceſſit *Willielmus Senonenſis* Archiepiſc. facta ſedium Archiepiſcopalium commutatione, *Alexandri* ſummi pontificis permiſſione. Eodem anno dominus rex Angliæ pater dedit *Iohanni* filio ſuo Hyberniam. Eodẽ anno magiſter *Iohannes* Saresbirienſis, quondã clericus & familiaris beati *Thomæ* Cantuariẽſis martyris, factus eſt epiſcopus Carnothenſis. Eodẽ anno obiit *Richardus* Comes de Striguil/ quem dominus rex Angliæ iuſticiariũ Hyberniæ cõſtituerat in cuius loco dominus rex conſtituit *Willielmũ* filium *Aldelini*, qui ſaiſiuit in manu regis omnes munitiones, quas prædictus Comes

in Hybernia habuit. Eodem anno obiit *Willielmus* Comes de Arundel: cui ſucceſſit filius eius *Willielmus*. Eodem anno obiit *Willielmus* de Curci iuſticiarius Normanniæ; cui ſucceſſit *Willielmus* filius *Radulfi*. Eodem anno *Fredericus* Romanorum Imperator magnum congregauit exercitum Teutonicorum & Alemannorum: & inter Cumas & Mediolanum prope Securũ cum Longobardis cõmiſit prœliũ. Quod cum à mane vſq; ad veſperas duraſſet; cõtigit quod Imperator, amiſſa maiore parte exercitus ſui verſus eſt in fugam, & inter cæteros, quos perdidit, amiſit Vexilliferum ſuum, & alios multos, qui a Longobardis in carcere detenti ſunt. Eodem anno dominus rex pater fecit demoliri caſtellum, & mœnia Leiceſtriæ, & caſtellum de Grobi, & caſtellum de Treſk, & caſtellum de Maleſart, & caſtellum nouum de Aluertun, & caſtellũ de Fremingham, & caſtellum de Bungey, & fere omnia caſtella Angliæ & Normãniæ, quæ fuerunt contra eum tempore guerrę. Sed caſtellum de paſci retinuit in manu ſua & caſtellum de Muntſorel ſicut ſuum proprium, quod ei adiuratum fuit per recognitionẽ legalium hominum de Vriueto. Eodem anno obiit *Radulfus* de dotis in Berria, cuius filiã hæredẽ dominus rex Angliæ pater dedit *Baldwino* de Riuers in vxorem, cum honore caſtelli *Radulfi*. Eodem anno 16. Cal. Nouẽb. die Dominica, dedicata eſt Eccleſia canonicorum regularium Cirenceſtriæ in honore beatæ Dei genetricis *Mariæ*, à *Bartholomæo* Exonienſi epiſcopo, præſente domino rege patre Angliæ, qui eidem eccleſiæ in dedicatione ſua magnos redditus dedit. Eodem anno *Manuel* Conſtantinopolitanus imperator, habito prælio campeſtri cum *Soltano* Iconii & illo deuicto, in hac forma ſcripſit domino regi Angliæ.

EPISTOLA MANVELIS CONSTANTINOPOLITANI Imperat. ad regem Angliæ patrem.

Manuel in *Chriſto* Deo fidelis imperator Porfirogenitus, diuinitus coronatus, ſublimis, potens, excelſus, ſemper Auguſtus, & moderator Romanorũ, *Comnanus, Henrico* nobiliſſimo regi Angliæ, chariſſimo amico ſuo, Salutem & omne bonum. Cum imperium noſtrum neceſſarium reputet notificare tibi, vt dilecto amico ſuo, de omnibus, quæ ſibi obueniunt; ideo & de his, quæ nunc acciderunt ei, opportunum iudicauit declarare tuæ voluntati. Igitur à principio coronationis noſtræ imperium noſtrum aduerſus Dei inimicos Perſas noſtrum odium in corde nutriuit, dum cerneret illos in Chriſtianos gloriari, eleuariq; in nomine Dei & Chriſtianorum dominari regionibus. Quocirca & alio quidẽ tempore indifferẽter inuaſit eos, & prout Deus ei cõceſſit, ſic & fecit. Et quę ab ipſo frequenter patrata ſunt ad contritionem ipſorum & perditionem, imperium noſtrũ * credit nobilitatem tuam non latere. Quoniam autem & nunc maximum exercitum contra eos ducere propoſuit, & bellum contra omnẽ Perſidem mouere, quia res cogebat. Et non vt voluit multum aliquem apparatum fecit, ſicut ei viſum eſt. Veruntamen prout tempus dabat, & rerum ſtatus potenter eos inuaſit. Collegit ergo circa ſe imperium noſtrum, potentias ſuas: ſed quia carpenta ducebat armorum & machinarum * Paganorum & aliorum inſtrumentorum conferentium ciuitatum expugnationibus pondera portantia: idcirco nequaquam cum feſtinatione iter ſuum agere poterat. Amplius autem dum adhuc propriam regionem peragraret, antequam barbarorum aliquis aduerſus nos militaret in bellis aduerſarius; ægritudo difficillima, fluxus ventris inuaſit nos, qui diffuſus per agmina imperii noſtri pertranſibat, depopulando & interimẽdo multos omni pugnatore grauior. Et hoc malum inualeſcens maxime nos contriuit. Ex quo vero fines Turcorum inuaſimus, bella quidem primum frequentia concrepabant & agmina Turcorum cum exercitibus imperii noſtri vndiq; dimicabant. Sed Dei gratia ex toto à noſtris in fugam vertebantur barbari. Poſt vero, vbi ei qui illic adiacet anguſtiæ loci, quæ à Perſis nominatur Cibrilcimam propinquauimus, tot Perſarũ turmæ peditum, & equitum, quorum pleræq; ab interioribus partibus Perſidis occurrerant in adiutorium contribuliũ ſuorum, exercitui noſtro ſuperuenerũt, quot pene noſtrorum excederent numerum. Exercitu itaq; imperii noſtri propter viæ omnino anguſtiam & difficultatẽ, vſq; ad decem milliaria extenſo; & cum neq; qui præibant poſſent poſtremos defendere, neq; verſa vice rurſus poſtremi poſſent præeuntes iuuare, non mediocriter ab inuicem hos diſtare accidit. Sane primæ cohortes permultum ab acie imperii noſtri diuidebantur, poſtremum oblitæ, illas non præſtolantes. Quoniam igitur Turcorum agmina ex iam factis præliis cognouerant, non conferre ſibi à fronte nobis repugnare, loci anguſtiam bonum ſubuentorum cum inueniſſent, poſteriora ſtatuerunt inuadere agmina, quod & fecerunt. Arctiſſimo igitur vbique loco exiſtente, inſtabant Barbari vndique à dextris, & à ſiniſtris, & aliunde

al. ſperat

al. Manganorum

dimi-

dimicantes, & tela quaſi imbres ſuper eos deſcendentia interimebant viros & equos quamplures. Ad hæc itaque imperium noſtrum vbi malum ſuperabundabat, reputans ſecum opportunum iudicabat retro expectare, atque illos, qui illic erant, adiuuare, expectando vtique contra infinita illa Perſarum agmina bellum ſuſtinuit. Quanta quidem dum ab his circundaretur, patrauerit, non opus eſt ad tempus ſermonibus retexere; ab illis autem, qui interfuerunt, forſitan diſcet de his tua nobilitas. Inter hæc tamen exiſtente imperio noſtro, & omne belli grauamen in tantum ſuſtinente, poſtremæ cohortes vniuerſæ Græcorum & Latinorum, & reliquorum omnium generum conglobatæ, quæ iaciebantur ab inimicis tela non ſuſtinentes, in pactione vtuntur; & ita violenter ferebantur, dum in adiacentem ibi collem quaſi ad propugnaculum feſtinarent: ſed præcedentes impellunt nolentes. Multo autem eleuato puluere, ac perturbante oculos, & neminem permittente videre, quæ circa pedes erant, in præcipitium, quod aderat, profundiſſimæ vallis alius ſuper alium homines & equi ſic incontinenter portari corruerunt, quod alii alios conculcantes ad inuicem interemerunt non ex gregariis tantum, ſed ex clariſſimis & intimis noſtris conſanguineis. Quis enim inhibere poterat tantæ multitudinis importabilem impulſum. At vero imperium noſtrum tot & tantis conſertum barbaris ſauciatis, ſauciatumq;, adeo vt non modicam in eos moneret perturbationem, obſtupentes perſeuerantiam ipſius, & non remittebatur, bene iuuante Deo campum obtinuit. Neque locum illum ſcandere aduerſarios permiſit, in quo dimicauit cum barbaris. Nec quidem equum ſuum illorũ timore incitauit, celerius aliquando ponere veſtigia. Sed congregando omnia agmina ſua, & de morte eripiendo ea collocauit circa ſe; & ſic primos attigit, & ordinatim proficiſcens ad exercitus ſuos acceſſit. Ex tunc igitur videns Soltanus, ꝙ poſt tanta, quæ acciderant exercitibus noſtris, quod imperium noſtrum ſicut opportunum erat, rem huiuſmodi diſpenſauit, vt ipſum rurſum inuaderet: mittens ſupplicauit imperio noſtro, & deprecatoriis vſus eſt ſermonibus, & requiſiuit pacem illius, promittẽs omnem imperii noſtri adimplere voluntatem, & ſeruitium ſuum contra omnem hominem dare, & omnes, qui in regno ſuo tenebantur, captiuos abſoluere, & eſſe ex toto voluntatis noſtræ. Ibidem ergo per duos dies integros, in omni poteſtate morati ſumus, & cognito, ꝙ nihil poterat fieri contra ciuitatem Iconii, perditis teſtudinibus, & machinis bellicis, eo quod boues cecidiſſent à telis in modo pluuiæ iactis, qui eas trahebant. Simul autem eo ꝙ & vniuerſa animalia noſtra irruente in illa difficillima ægritudine laborabant, ſuſcepit Soltani deprecationem & fœdera & iuramenta peracta ſub vexillis noſtris, pacem ſuam ei dedit. Inde ingreſſum imperium noſtrum in regionem ſuam regreditur, tribulationem habens non mediocrem ſupra his, quos perdidit, conſanguineis, maximas tamen Deo gratias agens, qui per ſuam bonitatem, & nunc ipſum honorauit. Gratum autem habuimus, ꝙ quoſdam nobilitatis tuæ principes accidit intereſſe nobiſcũ, qui narrabunt, de omnibus, quæ acciderant, tuæ voluntati ſeriem. Cæterum autem licet contriſtati ſimus propter illos, qui ceciderunt: opportunum tamen duximus de omnibus, quæ acciderant, declarare tibi, vt dilecto amico noſtro, & vt per multum coniuncto imperio noſtro per puerorum noſtrorum intimam conſanguinitatem. Vale. Data menſe Nouembris indictione decima.

Eodem anno *Henricus* rex Angliæ filius *Matildis* imperatricis dedit *Alenor* filiam ſuam *Aldefonſo* regi Caſtellæ in vxorem. Eodẽ anno *Gillebertus* filius *Fergus* princeps Galwanorum, qui *Vchtredum* fratrem ſuum conſanguineum *Henrici* regis Angliæ interimere fecerat, venit in Angliam in conductu *Willielmi* regis Scottorum, & deuenit homo *Henrici* regis patris, & fidelitatem ei iurauit contra omnes homines. Et pro amore eius habendo, dedit ei mille marcas argenti, & *Dunicanum* filium ſuum in obſidem de pace ſeruãda. Eodem anno *Henricus* rex Angliæ pater ſaiſiuit in manu ſua omnia caſtella Anglię, & Normanniæ, tam epiſcoporũ quam Comitum & Baronum, & cuſtodes ſuos in iis poſuit. Eodem anno *Petrus* Prior de Wenelocke factus eſt epiſcopus S. *David* in Wallia. Eodem anno damnata eſt Arriana hæreſis, quæ fere totam prouinciam Toloſanam fœdauerat coram Archiepiſcopis, & Epiſcopis & aliis religioſis viris, & honeſtis ſubſcriptis.

HAERESIS ARRIANA, EIVSQVE DAMNATIO.

ERant itaque in prouincia Toloſana quidam hæretici, qui ſe appellari faciebant bonos homines, quos manu tenebãt milites de Lumbertio, proponẽtes, & docentes populũ contra fidem Chriſtianã: dicentes etiam quod non recipiebant legem *Moiſi*, neq; Prophetas, neq; Pſalmos, neque vetus teſtamentum, neque doctores noui teſtamenti, niſi ſolum

modo euangelia,& epiſtolas *Pauli*,& ſeptem Canonicas epiſtolas,& Actus Apoſtolorum, & Apocalypſim. Et interrogati de fide ſua, & de baptiſmo paruulorum, & ſi ſaluabantur per baptiſmum,& de corpore & ſanguine Domini vbi conſecrabatur,vel per quos,& qui ſumebant,& ſi magis vel melius conſecrabatur per bonum quam per malum:& de matrimonio,ſi poterant ſaluari,ſi carnaliter iungebantur vir & mulier. Reſponderunt,quod de fide ſua,& de baptiſmo paruulorum non dicerent,neque dicere cogebantur. De corpore & ſanguine Domini dicebant,quod qui digne ſumebat ſaluabatur;& qui indigne,adquirebat ſibi damnationem. De matrimonio autem dicebant,quod vir & mulier iungebantur propter luxuriam & fornicationem vitandam,ſicut dicit *Paulus*. Dixerunt etiam multa non interrogati,quod non debebant iurare omnino per aliquod iuramentum,ſicut dicebat *Ioannes* in Euangelio, & *Iacobus* in epiſtola ſua. Dixerunt etiam quod *Paulus* prædicebat,quod eſſent ordinandi in eccleſia epiſcopi & presbyteri, & ſi tales non ordinabantur,quales præcipiebat,non eſſent epiſcopi nec presbyteri,ſed lupi rapaces, hypocritæ,& ſeductores,amantes ſalutationes in foro,primas cathedras,& primos accubitus in cœnis, volentes vocari Rabbi, contra præceptum *Christi*; ferentes albas & candidas veſtes, geſtantes in digitis aureos annulos,& gemmatos,q; non præcipit magiſter eorum. Et idcirco quia tales epiſcopi & presbyteri erant,quales fuerunt presbyteri, qui tradiderūt *Ieſum*, non debebant illis obedire,quia mali erant. Auditis itaque vtrinq; allegationibus coram *Girardo* Albienſi epiſcopo, electis etiam & ſtatutis iudicibus ab vtraq; parte,& cōſentientibus,& aſſidentibus præfato epiſcopo *Girardo* Albienſi,& *Rogero* Caſtrenſi abbate,& *Petro* abbate Ardurellenſi, & abbate de Candilio, & *Arnaldo* Narbone, in præſentia bonorū virorum tam prælatorū & clericorum,quam laicorum, viz. domini *Petri* Narbonenſis Archiepiſcopi,atq; aliorum epiſcoporū & abbatum, Archidiaconorū,necnon & Comitū,& virorum potentum numero viginti illius ꝓuinciæ,& fere totius populi Albiæ,& Lumberci. Contra quæ prædicti hæretici proponebant, & inductæ ſunt noui teſtamenti multæ autoritates à domino *Petro* Narbonenſi Archiepiſcopo, & à Neumacenſi epiſcopo, & à *Petro* Ceudracenſi abbate,& abbate de fonte frigido. Præfati enim hæretici nolebant recipere iudicium niſi per nouum teſtamētum. Talem ergo definitiuam ſententiam ex nouo teſtamento protulit Lugdonenſis epiſcopus coram omnibus prædictis,facto à cunctis ſilentio. Ego *Gilebertus* Lugdonenſis epiſcopus, ex mandato Albienſis epiſcopi, & aſſeſſorum eius, iudico iſtos eſſe hæreticos, & damno ſententiam *Oliueru*, & ſociorum eius vbicunque ſunt. Et hoc iudicamus per nouum teſtamentum. In primo capitulo damnamus & iudicamus hæreticos eſſe. Lex enim recipienda eſt per Euangelium, & qui legem non recipit Dominum *Ieſum Chriſtum* non credit, ipſe enim in euangelio dicit, *Si crederetis Moyſi,&c.* Et iterum, *Non veni legem ſoluere, ſed adimplere.* Et iterum, *Oportet impleri, quæ ſcripta ſunt in lege,& prophetis,& pſalmis de me,&c. Et incipiens à* Moyſe *interpretabatur illis ſcripturas,&c.* Quare autem interpretabatur ſcripturas, & quare dabat doctrinam de lege & prophetis,niſi quia volebat vt legem & prophetas reciperent:& vt confirmarētur in fide per legem & prophetas. Multa etiam Dominus *Ieſus* inducebat de lege & Prophetis & Pſalmis,quod quidem bonus magiſter non feciſſet,niſi lex & Prophetæ,& Pſalmi recipiendi eſſent. Oſtendit etiam factis legem eſſe bonam,quia circumciſus eſt,& in templo præſentatus,& hoſtia pro eo oblata ſecundum legem *Moyſi*. Et ipſe vt ſcriptum eſt aſcendit ad diem feſtum. In transfiguratione qua *Moyſes*, & *Elias* prophetæ apparuerunt, perhibentes ei teſtimonium. Conuincimus etiam eos per epiſtolas, ait enim *Paulus*. *Quæcunq; ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*,&c. Et iterum, *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata*,&c. Et iterum, *Nihil extra dico quam ea quæ locuti ſunt prophetæ futura eſſe*. Et *Petrus*, *Habemus firmiorem propheticum ſermonem*,&c. Quod etiam doctores recipiendi ſunt, teſtatur *Paulus*. *Quoſdam quidem poſuit Deus in eccleſia doctores*,&c. *Paulus* etiam inducit legis exemplum: dicens, *Maledictus omnis, qui non permanet in omni verbo legis*. Et tam ipſe quam cæteri Apoſtoli multa inducunt teſtimonia de lege & prophetis, & pſalmis. Quod quidem non feciſſent,ſi eorum dicta recipienda non eſſent. Confeſſi ſunt etiam iſti hæretici ſe recipere *Moyſen* & prophetas & pſalmos,in his tantum teſtimoniis,quæ inducuntur à *Ieſu* & Apoſtolis,& non aliis. Non enim dicimus,quod ſi inſtrumentum,vel ſcriptum teſtimonium,in aliqua parte ſui creditur, debet totum credi,vel in nulla parte ſui recipi.

In ſecundo capitulo conuincimus iſtos & iudicamus hæreticos eſſe, authoritatibus noui teſtamenti. Dicimus enim quod fidem catholicam non habet,qui eam non confitetur,quando interrogatur,vel fides periclitatur. Vnde dominus in actibus Apoſtolorū ad *Ananiam* de *Paulo* dicit, *Vas electionis eſt mihi, vt portet nomen meum*,&c. Item dominus de Centurione, *Non inueni tantam fidem in Iſrael.* Cum fuiſſet etiam Apoſtolis denunciatū,ne loque-

loquerētur in nomine *Ieſu Chriſti*, confidenter dicit *Petrus*, Oportet nos obedire Deo magis quam hominibus, &c. Interrogatus quis de fide *Ieſu Chriſti* reſpondere debet, ſicut fecit *Petrus*. Interrogatus enim à Domino, quem dicunt homines eſſe filium hominis? Reſpondit, *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Interrogatus quoq; cœcus illuminatus à Domino, ſi credat in filium Dei, reſpondit, *Credo Domine*, Interrogata autem à Domino *Martha*, credis hoc, ait illi; *Vtiq; Domine; ego credidi, quia tu es* Chriſtus *filius Dei viui, qui in hūc mundum veniſti.* Item Apoſtolus, *Corde creditur ad iuſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Item *Petrus* in fine epiſtolæ ſuæ ait, melius enim traduntur memoriæ, quæ in fine ſermonum dicuntur. Dominum *Ieſum Chriſtum* ſanctificare in cordibus veſtris, &c. Iſti etiam hæretici iactabant ſe non mentiri, nos autem dicimus, quia plane mentiuntur. Eſt enim fraus in tacendo & in dicendo. Vnde *Paulus* confidenter in faciem reſtitit *Petro*, quia circumcidebat. Viſum enim fuerat *Paulo* quod veritatem euangelii non annunciaret: quia aliud præcipiebat quam credebat. Veritas enim conſtat in tribus, in corde, & ore, & opere. Veraciter enim dicit qui voluntatem ſuam ſono vocis enunciat, & qui corde tenet, ore fatetur, & operibus exequitur.

In tertio autem capitulo conuincimus iſtos & iudicamus hæreticos eſſe, noui Teſtamenti authoritatibus. Dicimus enim quod Deus vult omnem hominem ſaluum fieri, &c. Nec *Chriſtus* pro omnibus eſſet crucifixus, ſi tantum ſaluarētur maiores, qui originali peccato actualia peccata addiderunt, & ſi infantes non ſaluarentur, quos Deus creauerat & formauerat ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, qui nullum forte peccatum fecerant, ſed tamen originale contraxerunt. Baptiſma enim omnibus generaliter eſt traditum, tam maioribus quam minoribus, ſicut ait Dominus diſcipulis. *Ite, docete, omnes gētes, baptizantes eos, In nomine patris, & filii, & ſpiritus ſancti.* Et iterum, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, &c.* Et iterum Dominus: *Sinite paruulos venire ad me.* Quod quidem duplici dicit ex cauſa. Scilicet, vt qui ſaluari volunt malitia & dolo paruuli ſint, & iidem ſimplices, ſicut ipſe ait: niſi efficiamini ſicut paruulus iſte, &c. Et idem dicit, ne Apoſtoli eorumq; ſequaces ſuper peruulis baptizandis vnquam dubitarent. Baptiſma enim ſucceſſit in locum circumciſionis, q̄ quidē p̄cepta erat in maioribus, & in infantibus. Et baptiſma eſt generalius & plenius, quia maſculini & fœminæ baptizantur, & gratiæ ibi præſtantur. Si autem cum fide ſaluantur infantes, cum ipſi fidem non habeant, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, dicimus quia fide eccleſiæ, vel fide patrinorum, ſicut paralyticus eſt curatus fide offerentium & per tegulas ſubmittētium eum. Et filius reguli, & filia Cananeæ, ſaluati ſunt eadem hora, qua regulus & Cananea crediderunt. Dicimus enim quod baptiſma debet celebrari in eccleſia & per miniſtros eccleſię niſi aliter neceſſitas vrgeat. Vnde dicit *Paulus*. Qui idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti.

In quarto capitulo conuincimus & iudicamus iſtos hæreticos eſſe, noui teſtamenti authoritatibus. Quia dominicum corpus non conſecratur niſi per ſacerdotem, ſiue bonus ſit ſiue malus. Per verba enim ſacra, quæ dixit ſaluator in cœna, ſcilicet, *Hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus*, conſecratur & conficitur Dominicum corpus. Sicut enim imperatoris, vel regis Franciæ, vel alicuius potentis nuncius, non corrumpit nec vilificat ſui abiectione vel pannoſitate quod dicit: ſic verba domini non variantur nec maculantur. Et ſicut ſolis radius tranſiens per Cloacas maculam non contrahit, nec fœtorem: Vel ſicut aqua pura & nitida tranſit ad arriolas per canales luteos aut ſordidos vel limoſos: ſic verba Dominica non ſordidantur, nec melius nec nitidius per bonum quam per malum proferuntur. Quoniam apud Deum non eſt tranſmutatio nec viciſſitudinis obūbratio. Quod autem Dominicum corpus * celebrari non debeat niſi in Eccleſia, *Paulus* ait: Aut Eccleſiam Dei contemnitis. Numquid domos non habetis ad manducandum. Item *Paulus* ad *Titum*. Oportet te conuerſari in domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis. Omnes etiam fideles debent doctrinam ſuam in Eccleſia accipere. Vnde *Paulus*, mulieribus loqui in Eccleſia non permitto, &c. Hic eſt enim panis Angelorum, quem manducat homo, qui de cœlo deſcendit; & ſicut manna quod pluerat de cœlo, & virga *Aaron* quæ fronduerat ſeruabantur in arca, & tabulæ teſtamenti quæ erant ſcripta digito Dei: ſic corpus dominicum non conſecratur nec cuſtoditur niſi in Eccleſia ſicut chariſſimum ſanctuarium Domini. Et ſicut arca deferebatur in humeris, à ſolis Leuitis & cuſtodiebatur, & ſoli Leuitæ miniſtrabant in tabernaculo Domini: ſic ſolis ſacerdotibus & illorum miniſtris commiſſa eſt Eccleſię cura & tradita. De hac arca dicitur in Apocalypſi, *Apertum eſt cœlum, & viſa eſt arca teſtamenti in templo eius.* Solis etiam ſacerdotibus tradita eſt poteſtas ligandi atque abſoluendi. Vnde Dominus ait *Petro*, *Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, &c.* Et *Paulus* ad *Timotheum*, *Huius rei gratia reliqui*

*al. conſecrari

te Creta, vt corrigas mala, & ea quæ Dei ſunt cuſtodias, & vt presbyteros conſtituas per ſingulas ciuitates. Item de ordinibus, *Presbyteri, qui bene præſunt duplici honore digni habeantur.* Item, *aduerſus presbyterum accuſationem noli accipere, niſi ſub duobus vel tribus teſtibus, &c.* Item, *Oportet diaconos pudicos eſſe*, Et item, *Omnibus qui ſunt Philippis Epiſcopis, & diaconis gratia ſit vobis & pax.* Ecce quibus committit verba Dei prædicationis & correptionis. Item *Paulus, Argue, obſecra, increpa, &c.* Et item Dominus ad diſcipulos, *Docete eos ſeruare omnia quæcunque mãdaui vobis.* Iſtis ergo presbyteris, Epiſcopis, diaconis, clerici & Laici obedire debent, propter Deum, ſiue boni ſiue mali ſunt. Vnde Dominus, *Supra cathedram* Moyſi *ſedebunt ſcribæ & Phariſæi: quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite, dicunt enim & non faciunt.* Et Paulus de poteſtatibus, *Subditi eſtote Dominis veſtris, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis, &c.* Item, *Sit paſtor potens in doctrina ſua, &c.* Et item, *Obedite præpoſitis veſtris & ſubiacete eis. Ipſi enim propter vos vigilant quaſi pro animabus veſtris, rationem reddituri, vt cum gaudio hæc faciant, & non gementes.* Et item, *Memẽtote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuerſationis imitamini fidem. Quia qui altari deſeruit de altare participet. Et ſi vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum ſi veſtra carnalia metamus, &c.* Item ad *Timotheum. Tu autem permane in his, quæ didiciſti & credita ſunt tibi: quia ab infantia ſacras literas didiciſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem.*

In quinto capitulo conuincimus & iudicamus hæreticos eſſe iſtos, Noui teſtamenti auctoritatibus, Nolunt enim confiteri, quod vir & mulier poſſint ſaluari, ſi carnaliter miſceantur. Qui quidem palam prædicare ſoliti ſunt, quod vir & mulier ſaluari non poterant, ſi carnaliter conuenirent. Laudant enim & approbant pecudum fœcunditatem, & improbant hominum fœcunditatẽ. Amant ſterilitatem mulierum, ſicut dicit Scriptura, *Beatæ ſteriles quæ non genuerũt, &c.* Et hæc prędicant, vt innumerabilis ſubſtãtiæ rarus inueniatur Dominus, & quæ facta eſt creatura ad vſum & ſeruitium hominum, careat poſſeſſore, habitatore, rectore; volentes omnes eſſe ſicut ipſi ſunt, iuxta quod ait *Paulus*, *Volo omnes eſſe ſicut ego ſum.* Et ſic virginitatem videntur prædicare, vt ſint omnes virgines ſicut fuit *Chriſtus* & *Maria* virgo, quamuis ipſe dixerit, *Creſcite & multiplicamini & replete terram.* Videntur enim nuptiis detrahere, & eas damnare, quas quidem Dominus *Ieſus Chriſtus* & *Maria* matris ſuæ, & diſcipulorum præſentia dedicauit, & ſua, & aquæ in vinum verſæ

al. & miraculo illuſtrauit. Dicitur enim in Euangelio, *quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*, * *nec niſi cauſa fornicationis liceat viro vxorem dimittere.* Item *Paulus*, *Qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit.* Et item, *Si nubat virgo non peccat.* Item, *Mulier alligata eſt legi quanto tempore viuit vir eius, nec poteſtatem habet corporis ſui, ſed vir.* Similiter & de viro, Item, *Nolitote fraudare inuicem niſi ex conſenſu vt vacetis orationi, poſtea autem reuertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas.* Item, *volo iuuenes nubere, filios procreare, patresfamilias eſſe.* Et item, *Non ego dico, ſed Dominus; ſaluabitur mulier per filiorum generationem.* Si eſſet peccatum filios procreare quare diceret Dominus? quare diceret Apoſtolus bonum eſſe? & cur diceret reuertimini, & volo? nunquid vult Deus, nunquid vult Apoſtolus, vt fiat peccatum? credimus itaq; quod vir & mulier ſaluantur, licet carnaliter miſceantur.

In ſexto capitulo conuincimus & iudicamus iſtos hæreticos eſſe: & ab vnitate eccleſiæ præciſos, noui Teſtamenti authoritatibus. Dicimus enim quia miniſterium & poteſtatem ligandi atque ſoluendi Dominus tradidit *Petro* dicens: *Quodcunque ligaueris ſuper terram, &c.* Et *Iacobus*, *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ, &c.* Item, *Ecce ego mitto ad vos & ſapientes & ſcribas.* Sed ſicut ait Dominus, *Non omnes capiunt verbum iſtud.* Prætereà dicimus, quod ſtantes deberent de Euangelio reſpondere, & diſputare, cum omnes Chriſtiani ſtent quando Euangelium recitatur, & ſi tunc ſtatur cum legitur, multo fortius cum legitur ſimul & exponitur. nec debuiſſent tenere locum ſedẽdi poſtquam elegerant locum ſtandi. Multas etiam habemus authoritates; quibus colligitur manifeſte, quod ſtare debeat quis cum Euangelium annuntiatur. Vt eſt illud; *Stetit Ieſus in loco Campeſtri, &c.* Et item, *Stetit Ieſus & clamabat dicens, &c.* Et iterum, *Medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.* Et iterum, poſt reſurrectionem Apoſtolos confirmans, & prędicans ſtetit vt dicitur, *Stetit Ieſus in medio Diſcipulorum ſuorum & dixit eis, pax vobis.* Ipſi autem non obtinent locum iudicantis: ſed reſpondentis. Dominus enim ſedere debuit; cui à patre omne iudicium datum eſt. Iſti autem non iudicant ſed iudicantur. Nec eis eſt in eccleſiis myſterium prædicandi conceſſum. Iſti autem hæretici tales ſunt, quales futuros eſſe prænunciat *Paulus* dicens, *Mali homines & ſeductores proficient in peius, errantes & in errorem mittentes, erit enim tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed à veritate auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Item, *quidam aberrantes conuerſi ſunt in vaniloquium, volentes eſſe legis doctores, nec intelligentes quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Iſtorum autem inobedientiam

dientiam punire deberent eccleſiæ prælati, atq; corrigere coram omnibus. Vnde Apoſtolus, *Peccantes coram omnibus arguantur vt cæteri corrigantur.* Item *Paulus* ad prælatos, *Habentes in promptu vlciſci omnẽ inobedientiam, & eos, qui contradicunt, potentes arguere.* Item, *Argue, obſecra, increpa, in omni imperio.* Item, *tradidi huiuſmodi Sathanæ, vt in die iudicii, &c.* Item, *Abſens iudicaui eum, qui huiuſmodi eſt.* Item, *Qui aliud vobis annunciauerit anathema ſit.*

Septimo loco interrogauit eos prædictus Epiſcopus de pœnitentia ſi in fine fieret, ad ſalutem, vel ſi milites, qui vulnerabantur letaliter ſaluarentur, ſi pœniterent in fine; vel ſi deberet vnuſquiſque confiteri peccata ſua ſacerdotibus & miniſtris eccleſiæ vel cuilibet laico, vel illis de quibus dixit *Iacobus*, *Confitemini ad alterutrum peccata veſtra.* Qui reſpondentes dixerunt. Infirmis ſufficere ſi confitentur, cui vellent. De militibus vero dicere noluerunt, quia non dicit *Iacobus* niſi de infirmantibus. Quæſiuit etiam ab eis ſi ſufficiebat ſola cordis contritio & oris confeſſio; vel ſi erat neceſſe, vt facerent ſatisfactionẽ poſt datam pœnitentiam, ieiuniis, eleemoſynis, afflictionibus, peccata ſua lugentes, ſi ſuppeteret eis facultas. Reſponderunt, dicentes, quia *Iacobus* dicebat. Confitemini alterutrum peccata veſtra vt ſaluemini, & per hoc ſciebant quod Apoſtolus aliud non præcipiebat niſi vt confiterentur, & ſic ſaluarentur, nec volebant meliores eſſe Apoſtolo, vt aliquid de ſuo adiungerent, ſicut epiſcopi faciunt. Subiunxerunt etiam hæretici illi, quod epiſcopus qui ſententiam dederat hæreticus erat, & non ipſi, & quod inimicus eorum erat, & quod lupus rapax erat, & hypocrita, & inimicus Dei, & quod non bene iudicauerat: nec de fide ſua reſpondere voluerunt, quia cauebant ſe ab eo ſicut eis præceperat dominus in euangelio, *Attendite à falſis prophetis qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces:* & quod ipſe erat perſecutor eorum fraudulentus, & parati erant oſtendere per euangelia & epiſtolas, quod non erat bonus paſtor, nec ipſe, nec cæteri epiſcopi vel presbyteri, ſed potius mercenarii. Reſpondit epiſcopus dicens: quod ſententia in eos de iure erat dictata, & hoc paratus erat probare in curia domini *Alexandri* Papæ catholici, vel in curia *Lodowici* regis Franciæ, vel in curia *Raimundi* Comitis Toloſani, vel vxoris eius quæ erat præſens, vel in curia præſentis *Trenkewelli* quod recte fecerat iudicatum, & quod ipſi manifeſte eſſent hæretici, & quod hæreſi notati. Et promiſit ſe eos accuſare, & publicare de hæreſi, in omni curia catholica, & ſe ſubiturum iudicium diſcriminis. Videntes autem hæretici, ſe eſſe conuictos atque confuſos, conuerterunt ſe ad omnem plebem dicentes: Audite (o boni viri) fidem noſtram, quam confitemur, nunc confitemur autem propter amorem & gratiam veſtram. Reſpondit epiſcopus prædictus. Vos dicitis, quod non propter Deum dicatis, ſed propter gratiam populi. Et illi inquiunt; *Nos credimus vnum Deum trinum & vnum, patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum, & filium Dei carnem noſtram ſuſcepiſſe, baptiZatum eſſe in Iordane, ieiunaſſe in deſerto, prædicaſſe ſalutem noſtram, paſſum, mortuum, atque ſepultum, ad inferos deſcendiſſe, reſurrexiſſe tertia die, ad cœlos aſcendiſſe, ſpiritum paracletum in die Pentecoſtes miſiſſe, venturum in die iudicii ad iudicandum viuos & mortuos, & omnes reſurrecturos.* Cognoſcimus etiam quia quod corde credimus ore debemus confiteri, credimus quia non ſaluatur qui non manducat corpus *Chriſti*, & quod corpus *Chriſti* non conſecratur, niſi in eccleſia, & non niſi à ſacerdote, ſiue bono ſiue malo, nec melius fieri per bonum quam per malum. Credimus etiam quod nõ ſaluatur quis, niſi qui baptizatur, & paruulos ſaluari per baptiſma. Credimus etiam quod vir & mulier ſaluantur licet carnaliter miſceantur, & pœnitentiam debeat vnuſquiſq; accipere ore, & corde, & à ſacerdote, & in eccleſiis baptizari, & ſi quid amplius poſſet eis oſtendi per euangelia vel epiſtolas illi crederent & confiterentur. Interrogauit etiam eos prædictus epiſcopus ſi iurarent, ſe tenere fidẽ iſtam & credere, & ſi quid amplius deberent cõfiteri, quia male ſenſerant & prædicauerant ante. Reſpondentes dixerunt, quod nullo modo iurarent, quia cõtra euangelium & epiſtolas facerent. Contra eos igitur à prædictis catholicis perſonis introductæ ſunt noui Teſtamenti authoritates. Auditis itaq; vtrinq; authoritatibus, ſurgens prædictus epiſcopus iudicauit ſic. Ego *Gocelinus* Lodouenſis epiſc. iuſſu & mandato *Alberici* epiſc. & aſſeſſorum eius, iudico, & in præſentia dico, quod male ſentiunt hæretici iſti de iureiurando, & debent iurare ſi reſipiſcere volunt, præſtandumq; eſt iuſiurandum vbi fides periclitatur. Et quia infames ſunt & de hæreſi notati, debent purgare ſuam innocentiam, & redeuntes ad vnitatem eccleſiæ, fidem ſuam debent iureiurando aſtruere, ſicut tenet & credit eccleſia Catholica; ne infirmi, qui in eccleſia ſunt, corrumpantur, & ne oues morbidæ vniuerſum gregem contaminent. Nec contra euangelium eſt vel epiſtolas *Pauli.* Quod enim dicitur in euangelio, *ſit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non, neq; iurabis per cœlũ, neq; per terram, &c.* tamen non prohibetur iurare per Deum ſed per creaturas. Gentes enim colebant creaturas, & ſi licitũ fuiſſet per creaturas iurare, reuerentia & honor, qui Deo ſoli

debetur, creaturis exhiberetur: & ſic idola & creaturæ, ſicut Deus, adorarentur. Legitur enim Apocalypſi quod *Angelus leuauit manum ſuam in cœlum, & iurauit per viuentem in ſecula ſeculorum.* Et *Paulus* ad Hebręos, inquit, *Quoniam Deus neminem habuit, per quem iuraret maiorem, iurauit itaq; per ſemetipſum. Homines enim per maiorem ſui iurant, & omnis controuerſia eorum finis, ad confirmationem eſt iuramentum.* In quibus abundantius volens oſtendere Deus pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilii ſui interpoſuit iuſiurandum. Iurauit enim Deus dicens, *Iuraui per memetipſum.* Et item, *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum.* Apoſtolus etiam frequenter iurauit per Deum ſic, *Teſtis eſt mihi Deus.* Item, *Teſtor Deum.* Si itaq; iurauit Dominus, iurauit Angelus, iurauit Apoſtolus, cur non recte iuratur, vbi maxime fides periclitatur? Vel illud quod dicitur in Euangelio & epiſtola *Iacobi*, conſilium eſt & non pręceptū. Quia ſi non iuraretur non deieraretur, & quod amplius eſt à malo eſt, id eſt, à peccato vel Diabolo qui ſuadet iurare per creaturas. Vidētes itaq; quod ſuper hoc erant conuicti, dixerunt, quod epiſcopus *Albericus* fecerat eis pactum, quod non cogeret eos iurare. Quod & Albienſis epiſcopus negauit. Surgens itaq; Albienſis epiſcopus, dixit. Sententiam, quam protulit *Gocelinus* Lodowenſis epiſcopus, ego confirmo, & iuſſu meo data eſt. Et commoneo milites de Lumbercio, vt non manu teneant eos, per finitionem quam fecerunt in manu mea. Ego Candelienſis abbas, electus iudex, hanc ſententiam laudo, & aſſenſu meo ſic data eſt. Ego Ardulcenſis Abbas electus iudex, hanc ſententiam laudo, & aſſenſu meo ſic data eſt. Ego *Arnaldus* de Be electus iudex hanc ſententiam laudo, & meo aſſenſu ſic data eſt. Ego *Petrus* Narbonenſis epiſcopus, & ego A. Nemancenſis epiſcopus, & ego *Gocelinus* Toloſanus epiſcopus, & ego *V.* Agathenſis epiſcopus, & ego R. Abbas ſancti *Pontii*, & ego R. Abbas ſancti *Willielmi*, & ego *N.* Abbas Galliacienſis, & ego Abbas fontis frigidi, & ego *M.* Toloſanus præpoſitus, & ego *G.* Albiēſis præpoſitus, & ego *N.* Narbonenſis præpoſitus, & ego R. Agathenſis Archidiaconus, & ego *G.* Prior de ſancta *Maria*, & ego *P.* Sendracenſis Abbas, & ego magiſter Blancus, & ego Bego de Veireiras, & ego *Trenkewellus* Vicecomes, & ego *Conſtantia* ſoror regis Francię vxor *Raimundi* Comitis Toloſani, & ego *Sicardus* vicecomes Lantrocenſis, hanc ſententiam ratam habemus, & iſtos hæreticos eſſe ſcimus, & eorum ſententiam improbamus.

Anno gratiæ 1177. qui erat annus viceſimus tertius regni regis *Henrici* filii *Matildis* imperatricis, idem *Henricus* & *Gaufridus* Comes Britanniæ, & *Iohannes* filii eius fuerunt ſimul in Anglia apud Northamtun in feſto natalis Domini. Eodem die *Henricus* rex filius eius, & vxor illius fuerunt in Normannia apud Argentomium. Eodem die *Richardus* filius eius Comes Pictauiæ fuit in Aquitania apud ciuitatem Burdegalenſem: qui ſtatim poſt natale Domini obſedit Akenſem ciuitatem, quam *Petrus* vicecomes Akenſis, & Comes Bigorniæ contra eum munierant, & infra decem dies cepit. Deinde obſedit Baioniam ciuitatem, quam *Ernaldus Bertramus* vicecomes Baioniæ contra eum munierat, & infra decem dies cepit. Et inde promouens exercitum ſuum vſq; ad portas Sizaræ, quæ nunc portæ Hiſpanię dicuntur, obſedit caſtellum ſancti *Petri*, & cepit & demolitus eſt illud; & compulit per vim Baſclos & Nauarrenſes iurare, quod pacem ab illa hora peregrinis & inter ſe ſeruarent in perpetuū, & deſtruxit omnes malas cōſuetudines, quæ inductæ erant apud Sorges & apud Eſpurim. Interim rex Angliæ pater, celebrato concilio generali apud Northamtun poſt feſtum ſancti *Hilarii*, reddidit *Roberto* Comiti Leiceſtriæ omnes terras ſuas citra mare & vltra, ſicut eas habuerit quindecim diebus ante guerram: exceptis caſtellis de Munſorell & de Paſci. Similiter *Hugoni* Comiti Ceſtriæ reddidit omnes terras ſuas quas habuit quindecim diebus ante guerram, & *Willielmo* de Albeneio filio *Willielmi* Comitis ge Arundel dedit Comitatum de Suthſexe. Et in eodem concilio *Guido* decanus reſignauit in manu *Richardi* Cantuarienſis Archiepiſc. decanatum ſuum de Waltcham, & totum ius, quod ipſe in eccleſia de Waltcham habuit quietum, clamauit ſimpliciter & abſolute. Similiter fecerunt canonici ſeculares de Waltcham de præbendis ſuis, reſignantes eas in manu Archiepiſcopi, ſed dominus rex dedit eis inde plenariam recompenſationem ad domini Cantuarienſis Archiepiſcopi æſtimationem. Deinde dominus rex authoritate Papæ domini inſtituit in eadem eccleſia de Waltcham canonicos regulares de diuerſis domibus Angliæ ſumptos, & conſtituit *Walterum* de Gaunt canonicum ſumptum de eccleſia de Oſeneie abbatem primum ſuper congregationem illam, & magnis redditibus & domibus pulcherrimis ditauit illos. Eodem anno idem rex expulſis Sanctimonialibus de abbatia de Ambreſbirie propter incontinentiam ſuam, & per alias domus religioſas in arctiori cuſtodia diſtributis, ipſam abbatiam de Ambreſbirie dedit abbatiſſæ & domui de Frunt Eueroit in perpetuum poſſidendam: & miſſo à Frunt Eueroit vno conuentu Sanctimonialium, *Richardus* Cantuarienſis Archiepiſc. introduxit eas in abbatiam de

Ambreſbirie 11. Kal. Iunii, die Dominica, præſentibus domino rege patre, & *Bartholomæo* Exonienſi, & *Iohanne* Norwicenſi epiſcopis, & aliis multis clero & populo. Eodem die ibidem præfatus Cantuarienſis Archiepiſc. conſecrauit *Guidonem* Pangorienſem epiſc. Eodem anno *Philippus* Comes Flandriæ miſit aduocatum Bituniæ *Robertum*, & *Rogerum* Caſtellanum de Curcerai, ad dominum *Henricum* regem Angliæ patrem, ſignificans ei quod *Lodowicus* rex Francorum ab eo petierat primogenitam filiarum *Mathæi* fratris ſui Comitis Boloniæ ad opus *Philippi* filii ſui, & alteram filiam Comitis Boloniæ ad opus *Lodowici* filii Comitis *Theobaldi*, ſed ſine eius conſilio illas nemini dare voluit. Præterea idem Comes petiit à rege Angliæ pecuniam, quam promiſerat ſe daturum pro anima *Mathæi* Comitis Boloniæ fratris ſui ad milites retinendos in defenſione Ieroſolymitanæ terræ. Quibus dominus rex reſpondit, Rem quidem bene proceſſuram niſi in Comite remanſerit: & adiecit, quod ſi Comes Flandriæ vellet neptes ſuas filias Comitis Boloniæ ad voluntatem & conſilium ipſius maritare, & exinde facere eum ſecurum, ipſe omnia promiſſa plenius & perfectius quã promiſerat, impleret. Et ad audiendũ inde reſponſum Comitis miſit *Walterum* de Conſtantiis vicecancellarium ſuum, & *Ranulfum* de Glanuilla, in quorum præſentia idem Comes Flandriæ iurauit, quod prædictas neptes ſuas nemini maritaret, niſi de conſilio & voluntate regis Angliæ patris. Sed ſacramento non obſeruato prædictus Comes maritauit eas ſine licentia & voluntate regis. Eodem anno prædictus *Vinianus* tituli S. *Stephani* de Cœlio monte presbyter Cardinalis & Apoſtolicæ ſedis legatus, fuit die natalis Domini in inſula Man, cum *Gutbredo* rege: & poſt Epiphaniã transfretrauit in Hyberniã, & applicuit apud Dun in Vlueſtre, & cum ambularet verſus Diueline ſecus mare, obuiauit exercitui *Iohannis* de Curci, qui iniicientes in eum manum tenuerunt: ſed *Iohannes* de Curci liberauit eum, & abire permiſit. Prædictus autem *Iohannes* de Curci, ante Purificationem S. *Mariæ*, obſedit & cepit ciuitatem de Dun, quæ eſt caput Vlueſtre, vbi etiam requieſcunt corpora ſanctorum *Patricii*, & *Columbæ* confeſſorum, & S. *Brigidæ* virginis. Quo audito R*odericus* rex Vlueſtre magnum congregauit exercitum Hybernenſium, & cum prædicto *Iohanne* commiſit prælium, & *Iohannes* de Curci amiſſa exercitus ſui parte magna victoria potitus eſt, & deuicto rege R*oderico*, & in fugam conuerſo campum obtinuit, & ſpolia interfectorum ſuis diſtribuit. In prælio autem illo captus eſt epiſcopus de Dun quem *Iohannes* de Curci præcepit liberari prece Cardinalis. Eodem anno obiit Comes *Hugo Bigot*, cuius theſauros dominus rex pater ſibi retinuit. Eodem anno *Aldefonſus* rex Caſtellæ, & *Sanctius* rex Nauarræ auunculus eius, poſt multas & magnas debellationes inter eos habitas, compromiſerunt ſe in regem Angliæ patrem, de controuerſiis & calumniis, quæ inter illos erant. Venerunt itaq; in Angliam ex parte regis Caſtellæ, & ex parte regis Nauarræ, quatuor viri electi, quos fideles notabant, miſſi in Angliam ad audiendum iudicium curiæ regis Angliæ, & ad illud reportãdum prædictis regibus Hiſpaniæ: ſcil. *Iohannes* epiſc. de Tarenzum, & *Petrus* de Areiſo, & *Girtherus* frater templi, & *Petrus* de Rinoſo. Pręterea venerunt ex parte *Aldefonſi* regis Caſtellæ, *Mathæus* epiſcopus Palentinæ, Comes Gunes, Lobdiet, Gomelgarſiæ, & Garſias Garſiæ, *Petrus* Petri, Gotteri Fernant; & ex parte *Sanctii* regis Nauarræ, epiſc. de Pampeluno, *Garſias* Bermer, *Sanctius Rimeri*, *Eſpanniol* de Taiſſonal, *Petrus Raimeri*, *Attenarde Chalet*. Hi omnes miſſi erant ad allegandum, & reſpondendum pro dominis ſuis. Venerunt etiam duo milites miræ probitatis, & audaciæ cum equis & armis bellicis, vnus ex parte regis Caſtellæ, & alter ex parte regis Nauarræ, ad ſuſcipiendum duellum in curia regis Anglię, ſi iudicatum eſſet. Prima igitur dominica Quadrageſimæ dominus *Henricus* rex Anglię filius *Matildis* imperatricis venit Londonias conciliũ generale celebraturus. Cui interfuerunt R*ichardus* Cantuariẽſis Archiepiſc. *Gilbertus* Lundonienſis epiſcopus, *Hugo* Dunelmenſis epiſcopus, *Gaufridus* Elienſis epiſcopus, *Walterus* Rofenſis epiſcopus, R*eginaldus* Bathonienſis epiſc. R*obertus* Herefordenſis epiſc. *Iohannes* Norwicẽſis epiſc. *Bartholomæus* Exonienſis epiſc. R*ogerus* Wigornienſis epiſcopus, *Iohannes* Cicestrẽſis epiſcopus, *Chriſtianus* epiſcopus Candidæ caſæ, epiſcop⁹ de ſancto *Dauid*, epiſcopus de ſancto *Aſaf*, epiſcopus de Pangor: & abbates, Priores, Comites & Barones Anglię. Quibus in vnum conueniẽtibus apud Weſtmonaſterium, pręcepit rex præfatis nunciis regni Hiſpaniæ, vt in ſcripto redigerent calumnias & allegationes ſuas, & poſtea ei offerrent: vt ſic per interpretationem ipſe & barones ſui poſſent intelligere calumnias & allegationes illorũ: quia neq; rex, neq; barones curiæ intellexerũt loquelã illorũ. Et ad faciendũ ſcriptũ illud datæ ſunt illis triduanæ induciæ. Quarta aũt die ꝓtulerũt ſcriptũ, in quo hæc continebãtur. Rex *Sanctius* groſſus genuit hos tres filios: viz. *Ferdinandum* regẽ Caſtellæ, & R*aimirũ* regẽ Aragoniæ, & *Garſiam* regẽ Nauarræ & Nazarę. Rex *Ferdinãdus* genuit regem *Aldefonſum*, qui cepit Toletũ; & ipſe genuit reginã *Vracham*, & ipſa genuit

Aldefonſum imperatorem, & ipſe genuit regem Sanctium, & ipſe genuit regem Aldefonſum, qui Alienor filiam Henrici regis Angliæ duxit in vxorem. Rex Raimirus Aragoniæ genuit regem Sanctium, & ipſe genuit regem Petrum & regẽ Aldefonſum. Rex Petrus deceſſit ſine prole cui ſucceſſit frater ſuus rex Aldefonſus, qui cepit Cæſarauguſtã. Rex Garſias Nauarræ & Nazaræ genuit regem Sanctium, qui poſtea occiſus erat in Pẽnalen; & ipſe genuit Sanctium puerum, qui deceſſit ſine prole, & ei ſucceſſit rex Aldefonſus conſanguineus patris ſui in Nauarra & Nazara vſq; ad pontem reginæ, & vſq; Sangoſa, qui cepit Toletum, & eidem puero ſucceſſit rex Sanctius Aragoniæ conſanguineus patris ſui in reliquã parte Nauarræ & Pampilona.

PACTVM ET CONVENTIO FACTA INTER ALDEfonſum regem Caſtellæ & Sanctium regem Nauarræ.

HOc eſt pactum & conuentio, quæ facta fuit inter Aldefonſum regem Caſtellæ, & Sanctium regem Nauarræ auunculum ſuum, de querelis videlicet, quas inter ſe habebant, vt iudicio regis Angliæ ſibi ſatisfacerent. Adhac vterque regum tria caſtella in fidelitate ponit, vt iudicium Henrici regis Angliæ, filii Matildis imperatricis, ſoceri regis Aldefonſi, accipiat & compleat, & per quem ſteterit quo minus fiat, ſubſcripta caſtella amittat. Rex vero Aldefonſus ponit in fidelitate Nagaram caſtellum Iudæorum, & Arnedo caſtellum Chriſtianorum, & caſtellum Iudæorum, & Celorigo. Similiter Sanctius rex Nauarræ in hac fidelitate ponit Stellam caſtellum, quod Petrus Roderici tenet: & caſtellum Iudæorum, & Funes, & Maranon. Et ad hoc nuncii vtriuſq; regis ſint ante præſentiam regis Angliæ in prima die præſentis Quadrageſimæ, quæ eſt caput ieiunii ad hoc iudicium recipiendum. Et ſi forſitan nuncii cuiuslibet partis morte, vel infirmitate, vel captiuitate in via detenti fuerint, præcedentes nuncii expectent eos vſque triginta dies vltra diem præfixam in curia prænominati regis Angliæ. Et qui ſani remanſerint veniant ad curiam, & accipiant iudicium. Et ſi omnes infirmi vel capti vel mortui fuerint, nihil rex cuius fuerint, proinde amittat. Et ſi omnes vel aliqui nunciorum aliqua harum trium occaſionum non fuerint detenti, & ad diem ſtatutum ante regem Angliæ non venerint, rex cuius nuncii fuerint hæc prædicta caſtella amittat, & hoc fiat per bonam fidem, & ſine malo ingenio. Et ſi forte, quod abſit, rex Angliæ interim mortuus fuerit, hoc eodem prædicto modo nuncii iſti ad regem Francorum ad hoc iudicium recipiendum pergant, & per eum ſicut per regem Angliæ hoc iudicium recipiant & compleant. Sanctius igitur rex Nauarræ hæc tria caſtella per militem, & per portarium ſuum recipiat, & donet Naiaram & Celorigo Petro Roderici, filio Comitis Roderici: & donet Arnedum alicui de comitibus ſuæ dominationis & ipſi faciant ſibi hominium de eis. Similiter Aldefonſus rex Caſtellæ hæc tria caſtella per militem, & per portarium ſuum recipiat, & donet Stellam Petro Roderici de Aragonia. & Funes S. Raimiri, & Maranon R. Martini: & ipſi faciant ſibi hominium de eis. Et ſi aliquis regum iſtorum hæc prædicta caſtella militibus ea tenentibus auferre voluerit, & alteri dare: donet illa Sanctius rex Nauarræ Petro Roderici, vel G. vermundi, vel S. Raimiri, vel. I. Felez, vel R. Martini, vel E. Almoran, vel S. Almoran, vel E. de Oriz, vel P. Raimiri, vel G. Oriz, vel P. de Oriz. Similiter rex Aldefonſus rex Caſtellæ donet illa Comiti N. vel Comiti P. vel Comiti G. vel Comiti Gomerz, vel R. Gurtezt, vel P. de Arazuri, vel D. Senes, vel G. Garſiæ, vel Ordomo Garſiæ, vel G. Roderici de Aragra, vel P. Guntez, vel L. Roderici de Agafra: ſed ipſi qui tenentes fuerint non donent hæc prædicta caſtella, donec illi qui recipere debuerint faciant hominium de illis alteri regi, ſicut ſupradictum eſt. Et in toto quantum rex Aldefonſus tenet de rege Nauarræ melioret cum ſuo proprio auere, quantum voluerit & potuerit. Similiter rex Sanctius Nauarræ melioret cum ſuo proprio auere, quantum voluerit & potuerit, in toto quantum tenet de rege Aldefonſo. Et ad hoc iudicium audiendum iſti reges quatuor fideles elegerunt, videlicet Iohannem epiſc. Tiraſonenſem, & Petrum de Areis, & Ar de Torrela, & Gunterum filium Petri de Rinoſo, vel de iſtis, duo, vel tres, vel omnes, cum nuntiis ad curiã regis Angliæ pergãt, & querimonias vtriuſq; regis ante eum exponant, & auditis querelis, quos rex Angliæ cauſam ſuam primitus dicere mandauerit, dicant. Et per verbum horum fidelium, qui hoc iudicium à rege Angliæ audierint, vterque regum ſupradictam conuenientiam, prout in hac charta continetur attendant & compleant, & milites, qui de prædictis caſtellis hominium fecerunt, ſecundum dictum horum fidelium hoc pactum præfatum regibus attendant & compleant per bonam fidem & ſine malo ingenio. Inſuper vero ambo reges prædicti, vnuſquiſque per fidem ſuam, firmauerunt & ſtatuerunt treugas bonas & ſaluas, de hominibus, & caſtellis, & terris, & de omnibus aliis rebus, vſq; ad ſeptem annos, & vt firmiter teneantur Sanctius rex Nauarræ ponit Ergum in fidelitate, & rex Aldefonſus ponit Calagdernam. & ſi exercitus cuiuslibet horum regum, cum eo, vel ſine eo, regnum alterius intrauerit, ille, qui hoc fecerit, prædictum caſtrum perdat. Et ſi forte aliquis vaſallus horum regum, iſtas treugas in regno alterius fregerit, vel forte vn caſtellum

caſtellum acceperit; rex, cuius ille vaſallus fuerit, infra quadraginta dies ſuum caſtellum alteri regi reddat. quod ſi non fecerit, miles ille, qui caſtrum, quod in fidelitatem poſitum eſt, tenuerit, regi conquerenti prædictum caſtrum donet, & teneat illud in pignore, donec ſuum caſtellum recuperet. Et ſi aliquis horum regnorum, qui non ſit vaſallus iſtorum regum, aliquo caſu in regno alterius caſtellum acceperit, ambo reges cum gente ſua ſuper eum veniant, & obſideant. & donec ſit captum de eo non recedant. Statuerunt etiam vt omnes vaſalli vtriuſque regis, qui ex quo iſta guerra incepit hæreditates amiſerunt, eas ex integro recuperent, ſicut erant tenentes die, qua eas perdiderunt; & pro male facto vel iudicio, quod hactenus feciſſent, eas non perdant, nec infra iſtos ſeptem annos pro aliqua querimonia, nulli reſpondeant. Et ſi deinceps de nouo querimonia aliqua, vel iudicium inter eos ortum fuerit, ad Medianetum veniant, & ſecundum quod ibi iudicatum fuerit ſibi ſatisfaciant. Et omnes homines vtriuſque regni, ſecuri de regno ad regnum eant & redeant, exceptis notis homicidis. Et ſi aliquis iſtorum regum hæreditates, ſicut ſupradictum eſt, reddere noluerit, prædictum caſtrum alteri regi reddat, & teneat illud in pignore, donec hæreditates & totum quantum de illis exegerit, recuperet. Et omnes vaſalli vtriuſque regis ſint infra iſtas treugas cum hominibus, caſtellis, hæreditatibus, & etiam cum omnibus aliis rebus, quas habuerint, in qualicunque terra fuerint, & hæc omnia ſupradicta teneantur & ſeruentur per bonam fidem, & ſine malo ingenio. Et rex Aldefonſus *Aragoniæ ſit in iſtis treugis, ſi ei placuerit, & ſi forte ſibi non placuerit in illis eſſe, tamen treugæ vt ſupradictũ eſt, firmiter inter hos reges præfatos teneantur. Facta charta inter Nauarras & Lucronium. Gra. 1214. 8. Kal. Septembris.*

ALIA CHARTA PACIS, ET CONCORDIAE inter regem Caſtellæ, & regem Nauarræ.

HAEc *eſt charta pacis & cõcordiæ quæ fuit facta inter regem* Aldefonſum *de Caſtella, & regem* Sanctium *de Nauarra, in abbatia quæ vocatur Siterium. Placuit vtriq; regum, vt fieret pax & concordia inter eos per decem annos: quæ facta eſt, & placuit vt hoc iuramento firmarent, & iurarent ipſi & Barones vtriuſq; ſuper altare, & ſuper quatuor Euangelia, vt tenerent prædictam cõcordiam & treugas per fidem & ſine malo ingenio & ſine fraude per decem annos, & iſta treuga facta fuere de corporibus, pecoribus, de facultatibus & caſtellis per fidem & ſine fraude & malo ingenio. & ſi aliquis regum vel baronum iſtas treugas fregerit, & infra quadraginta dies clamorem factum nõ emendauerit, ſit periurus & aleuoſor. Facta charta Gra. 1205. menſe Octobris.* Vt autẽ hæ ſupradictæ chartæ pacis & concordiæ inter prædictos reges Caſtellæ & Nauarræ lectæ eſſent coram rege Angliæ & Baronibus ſuis, homines qui pro rege Caſtellę loquebantur, huiuſmodi ſermone vſi ſunt.

CALVMNIA REGIS CASTELLAE.

IN nomine patris & filii & ſpiritus S. Amen. In nomine Domini rex *Aldefonſus* Caſtellæ & Toleti conqueritur & petit a rege *Sanctio* Nauarræ auunculo ſuo, ſibi fieri reſtitutionem de Logronio, de Athleua, de Vanaret, quod eſt circa Ribaronſa, & de Agoſcio, de Abtol, de Arreſa, de Alaua, cum ſuis mercatis, ſcilicet de Eſt Walez & de Diuina & omni iure ſuo de terra, quæ dicitur Durãgo; quæ omnia rex *Aldefonſus* bonæ memoriæ, qui Toletum de poteſtate Saracenorum liberauit, iure hæreditario poſſedit: & poſt mortem eius filia eius regina *Vracha* ſimili iure poſſedit, qua mortua, filius eius imperator *Aldefonſus* bonæ memoriæ ſimiliter iure hæreditario poſſedit. & poſt mortẽ Imperatoris, rex *Sanctius* filius ei⁹ ſine placito iure hęreditario poſſedit. & poſt mortẽ regis *Sanctii* filius eius domin⁹ noſter rex *Aldefonſus* ſimiliter prædicta omnia iure hæreditario poſſedit, quouſque hæc omnia iam dictus rex Nauarræ prædicto regi Caſtellæ nepoti ſuo orphano pupillo & innocenti, filio amici & domini ſui, & non de his requiſito abſtulit, & violenter detinet. Conqueritur etiã & petit reſtitutionem ſibi fieri, à prænominato rege Nauarræ, de Roba, quã iniuſte detinet. Imperator enim adquiſiuit eã, a rege Saracenorũ, qui dicebatur Zafadola, & dimiſit eam filio ſuo regi *Sanctio*, qui eam poſt mortem Imperatoris toto tempore vitæ ſuæ in pace poſſedit. Quo mortuo dominus meus rex *Aldefonſus* filius eius, iure hæreditario in pace poſſedit, quouſq; *Sanctius Ramires* de Perola eam amiſit: qui tenebat eam ſecũdum conſuotudinem Hiſpaniæ de manu *Petri Ortiz*: qui *Petrus Ortiz* tenebat eam ſecundũ eandem conſuetudinem a domino noſtro rege *Aldefonſo*. Petit etiam fructus, quos percepit ſæpedictus rex Nauarræ de Logronio, & de omnibus aliis prænominatis à tempore inuaſionis, & damna, quæ intulit terrę eius eã deprædando & comburendo, quorum omniũ ſummam ęſtimam⁹ ferè centũ millia marcar. auri. Pręterea petit Põtem reginę, & Sãgoſſa, &

totam terram, quæ eſt ab his duabus villis vſque ad flumen Iberi: quam terram bonæ memoriæ rex *Aldefonſus*, auus Imperatoris habuit, & in pace poſſedit. & per eum ſecundum conſuetudinem Hiſpaniæ conſanguineus eius rex *Sanctius* Aragonenſis: & eo mortuo filius eius rex *Petrus*, & poſt mortem regis *Petri* frater eius rex *Aldefonſus* Arragonenſis, ſimiliter ſicut conſanguinei & amici tenuerunt. Petit etiam medietatem Tudelæ, ex cauſa maternæ ſucceſſionis, quam Comes Dalpreg donauit reginæ *Margaretæ* ſobrinæ ſuæ, quæ vxor fuit regis Garſiæ, & auiæ eiuſdē regis *Aldefonſi*, cum iam dicta Tudela nullo modo pertinet ad Nauarram. Et cum epiſcopus Palentinæ, & Comes Gumes, & alii nuntii regis Caſtellæ hæc & his ſimilia ſcripto & verbo protuliſſent, finem dicendi fecerunt. Tunc ſurrexerunt epiſcopus Pampelunæ, & alii nuntii regis Nauarræ, & nihil eorum quæ ab aduerſariis ſuis proponebantur contradicentes, ſcriptum quoddam, in quo petitiones & calumniæ, & allegationes ſuæ ſcribebantur, protulerunt in hac forma.

CALVMNIA REGIS NAVARRAE.

Petit *Sanctius* rex Nauarræ Cudeio monaſterium, montem de Oca, vallem ſancti *Vincentii*, vallem de Oliocaſto, Cingouilas, montem nigrum, Sera alba, vſque Agredam. Hæc omnia petit, & quicquid eſt infra hæc verſus Nauarram, & iſtius terræ petit vniuerſos fructus à tempore quo obiit rex *Sanctius* de Penalen. hæc omnia ad regnum ſuum ſpectantia poſſedit & habuit in pace & quiete abauus huius regis *Sanctii*, *Garſias* ſcilicet rex Nauarræ & Nageræ. & proauus eius per violentiam fuit expulſus ab hoc regno propter imbecillitatem ſuam per *Aldefonſum* regem Caſtellæ conſanguineum ſuum. procedente autem tempore rex *Garſias* nepos eius, & pater huius, inclytæ memoriæ, diuina voluntate & fide naturalium hominum ſuorum adhibita, recuperauit regnum ſuum licet non integrum, & quod reſtat adhuc petit filius eius *Sanctius* nunc rex Nauarræ. Præterea petit hæc, quæ Imperator abſtulit regi *Garſiæ* patri ſuo per vim: ſcilicet Nagam caſtellum Chriſtianorum & Iudæorum, Gramon, Pancoruo, Belforazt, Cereſo monaſterium, Celorigo, Bilibio Medria, Vegueta, Clauuer, Verbea, Lantaron. Hæc autem repetit, & ſibi reſtitui poſtulat, quia pater ſuus rex *Garſias* iure hæreditario ea poſſidebat; & imperator ſibi abſtulit. Conqueritur etiam de Belforazt, quod Imperator reddiderat regi *Garſiæ* patri ſuo, & eo mortuo. Idem Imperator abſtulit illud *Sanctio* nunc regi Nauarræ tunc habenti, & in pace poſſidenti, tanquam ſuam propriam hæreditatem. Præterea petit ſibi reſtitui ab *Aldefonſo* rege Caſtellæ, poſſeſſionem caſtellorum nouiſſime ſibi ablatorum, cum fructibus inde perceptis, & quicquid habiturus eſſet, ſi non eſſet inde eiectus. ſunt autem nomina caſtellorum hæc: Kel, Ocon, Parnugos, Gramon, Cereſo, Valorcanas, Trepcana, Milier, Amihugo, Haiaga, Miranda, Sancta *Agathea*, Salmas, Portela, Maluerzin, Legiun & caſtrum quod tenet *Godin*. Hæc autem petit hac ratione quia habuit & poſſedit pro ſuo, & ſine ordine iudiciario eiectus eſt, & idcirco querela ſua debet procedere, quia vltima eſt violentia, & ideo prius debet purgari. & etiam altera pars à iure ſuo cecidit, ſi quod habuit. & hoc parati ſumus docere per ſupradictam chartam, in qua continentur treugæ decem annorum qua de re *Sanctius* queritur quia verum eſt, quod *Aldefonſus* rex Caſtellæ præſcriptæ cōuentionis promiſſum læſit. Eſt autem læſus infra decem annos illos in ablatione iſtorum caſtellorum, Kel, Legiun, Maluezin, Portela. Præterea petit rex Nauarræ ſibi reſtitui à rege Caſtellæ, vſq; ad ſummam centum marcarum argenti, rege *Sanctio* hodie in Nauarra regnante, ſatisfactionem regi *Aldefonſo* offerente, de omnibus querelis ſuis, ſecundum arbitrium baronum vtriuſque, vel ſereniſſimi regis Angliæ: & confidenter dicimus, quod iſta, & his ſimilia infra talem conuentionem, & tales treugas perpetrata, debent prius reſtitui antequam ad alium cauſæ perueniatur articulum. quoniam hoc habet lex, hoc habet conſuetudo, hoc habet canon, hoc habent omnia iura. Hæc quæ dicta ſunt manifeſta ſunt litera, ſed plenius & copioſius manifeſtabuntur lingua. Cumque præfati nuntii regis Nauarræ hæc & his ſimilia proferrent, & nuntii regis Caſtellæ nihil eorum, quæ ab aliis propoſita fuerant contradicerent: *Henricus* rex Angliæ filius *Matildis* Imperatricis, prolatis coram omni populo ſanctis Euangeliis, fecit prænominatos nuntios regis Caſtellæ & regis Nauarræ iurare ante ſententiam prolatam, quod domini eorum, videlicet rex Caſtellæ & rex Nauarræ iudicium ſuum tam de reſtitutionib. quam de treugis reciperent, & firmiter obſeruarent, & niſi fecerint quod ipſi corpora ſua redderent in manum & poteſtatem ſuam. His itaque peractis, Comites & barones regalis curiæ Angliæ adiudicauerunt plenariam, vtrique parti ſupradictorum, quæ in iure petita fuerant, fieri reſtitutionem. Vnde rex Angliæ in hac forma ſcripſit ſupradictis regibus Hiſpaniæ.

CHAR-

CHARTA HENRICI REGIS ANGLIAE de iudicio in curia ſua facto inter Regem Caſtellæ, & Regem Nauarræ.

HEnricus Dei gratia Rex Angliæ & dux Normanniæ & Aquitaniæ, & Comes Andegauiæ, chariſſimis amicis ſuis Aldefonſo Regi Caſtellæ & Sanctio regi Nauarræ Salutem. Sicut ex literarum veſtrarum tenore & fidelium veſtrorum Iohannis Epiſcopi Tiraſonenſis, Petri de Areis, Gunteri, Petri de Rinoſo relatione, & nuntiorum veſtrorum, Epiſcopi Palentinæ, Comitis Gumes, Lobdiez, Gomes Garſia, Garſi Garſi, Petri Petri, Gotteri Fernanz Epiſcopi Pampelunæ, Garſiæ Bermer, Sanctii Rimiri, Eſpaignol de Taiſſonal, Petri Raimiri, Alcenar de Chalez aſſertione cognouimus, placuit vtrique veſtrum querimonias inter vos habitas, ſuper quibuſdam caſtellis & terris cum earum terminis & pertinentiis, iudicio noſtro terminari. Nos vero fidelibus & nuntiis veſtris ea qua decuit veneratione ſuſceptis pacem inter vos honori Dei, & toti Chriſtianitati plurimum profuturam attendentes, diuinæ pietatis & communis vtilitatis intuitu negotium hoc in nos ſuſcepimus. fidelibus itaq; à vobis communiter electis & procuratoribus & aduocatis cauſarum veſtrarum in præſentia noſtra, & Epiſcoporum & comitum & baronum noſtrorum conſtitutis, petitiones & allegationes vtrinſque partis diligenter audiuimus & intelleximus. Proponebant ſiquidem hi, quibus cauſa Aldefonſi regis Caſtellæ commiſſa fuerat, Sanctium regem Nauarræ memorato regi Caſtellæ, dum adhuc pupillus eſſet, & orphanus, caſtella, & terras, ſcilicet Logronium, Nauarret, Andeua, Aptol, Agoſcio, cum omnibus terminis & pertinentiis ſuis, quæ pater ſuus die qua deceſſit, & ipſe poſt aliquot annis quiete poſſederat, iniuſte & violenter abſtuliſſe. Vnde & eorum ſibi fieri reſtitutionem poſtulabant. Illi vero, quibus cauſa Sanctii regis Nauarræ commiſſa fuerat, nihil eorum quæ ab aliis propoſita fuerant contradicentes, aſſerebant Aldefonſum præfatum regem Caſtellæ Sanctio prænominato regi Nauarræ, caſtella; ſcilicet Legiun, Portol, & caſtellum quod tenet Godin, per guerram & iniuſte abſtuliſſe: & parte altera in nullo contradicente ſibi, eorum ſibi fieri reſtitutionem pari petebant inſtantia. Præterea in ſcripto veſtro continebatur communi, vos treugas inter vos vſque in ſeptennium fide interpoſita firmaſſe, & hoc ipſum nuntii veſtri in iure palam ſunt proteſtati. Habito igitur cum Epiſcopis, Comitibus, & baronibus noſtris cum deliberatione conſilio, pacem inter vos ad fidem Chriſtianorum propagandam, & ad inimicorum Chriſti confuſionem neceſſariam fore conſiderantes; plenam etiam tam ex ſcriptis veſtris quam nuntiorum aſſertionibus fiduciam concipientes, quod in pace firmanda & conſeruanda conſilio noſtro & præcepto parebitis, ante iudicii pronuntiationem ſuper præſcriptis querelis & treugis, mandamus vobis per nuntios veſtros & conſulimus & præcipimus, & adhuc etiam præſenti ſcripto mandamus, vt pacem inter vos firmetis & in perpetuum fideliter obſeruetis. Super querelis vero prætaxatis de caſtellis & terris cum omnibus terminis & pertinentiis ſuis hinc inde violenter & iniuſte ablatis. cũ nihil contra violentiam vtrinq; obiectã à parte alterutra alteri reſponderetur, nec quicquam quo minus reſtitutiones, quas petebant, faciendæ eſſent allegaretur, plenariam vtrique parti ſupradictorum quæ in iure petita erant fieri reſtitutionem adiudicauimus. adiunximus etiam ex iudicio treugas præfatas inter vos (vt prædictum eſt) fide firmatas ſicut ex ſcripto veſtro, & nuntiorum veſtrorum publica confeſſione in iure facta nobis conſtitit, vſque ad conſtitutum inter vos terminum inuiolabiliter obſeruandas. Volumus etiam & præcipimus pro bono pacis, vt rex Aldefonſus dilectus filius noſter donet Sanctio regi Nauarræ auunculo ſuo ſingulis annis vſque ad decennium tria millia marabotinorum ad tres terminos in anno Burgis recipienda, ſcilicet ad quatuor primorum menſium poſt prædictam reſtitutionem vtrinque factam mille marabotinorum, & ad finem quatuor menſium proximo ſequentium mille marabotinorum, & ad finem quatuor menſium tertio ſequentium mille marabotinorum. Ita vt ſingulis de decem annis ſequentibus prædictam reſtitutionem ſoluantur tria millia marabotinorum, ad eoſdem terminos & in loco prænominato, Sanctio regi Nauarræ. Præterea nuntii vtrinſque firmiter iurauerunt ante ſententiæ pronuntiationem, vos prædictum iudicium noſtrum tam de reſtitutionibus quam de treugis firmiter obſeruaturos. Et niſi feceritis, quod corpora ſua reddent in manum noſtram & poteſtatem. Teſtibus his, Richardo Archiepiſcopo Cantuarienſi, Hugone Dunelmenſi Epiſcopo Gaufrido Elienſi Epiſcopo, Rogero Wigornenſi Epiſcopo, Bartholomæo Exonienſi Epiſcopo, Gileberto Londonienſi Epiſcopo, Waltero Roſenſi Epiſcopo, Reginaldo Bathonienſi Epiſcopo, Iohanne Norewicenſi Epiſcopo, Iohanne Ciceſtrenſi Epiſcopo, Roberto Herefordenſi Epiſcopo, Epiſcopo de ſancto Dauid, magiſtro Ada Epiſcopo de ſancto Aſaph Epiſcopo de Pangor, Chriſtiano Epiſcopo Candidæ caſæ, & Gaufrido filio regis Comite Britanniæ, Willielmo Comite Albemarliæ, Roberto Comite Leiceſtriæ, Willielmo de Mandeuile Comite de Exete, Willielmo Comite Glouceſtriæ, Willielmo de Arundel Comite de Suthſexe, Hugone Comite Ceſtriæ: & de baronibus Angliæ Richardo de Luci, Willielmo de Veſci, Henrico de Laci, Odonel de Vmframuile, Roberto de Vals, Rogero de Mubrai, Roberto de Stuteuile, Philippo de Kimbe, Rogero Bigot, & aliis multis tam clericis quam Laicis.

In eodem concilio frater Comitis de Ferrers nocte interfectus fuit Londoniis, & extra

hoſpitium ſuum proiectus in luto platearum, pro quo facto Dominus Rex multos de ciuibus Londoniæ cepit: inter quos quidam nobilis, & diues captus fuit nomine *Iohannes* ſenex; qui cum per iudicium aquæ ſe mundare non poſſet, obtulit domino Regi quingentas libras argenti pro vita habenda. ſed quia ipſe iudicio aquę perierat, noluit rex denarios illos recipere, ſed præcepit eum ſuſpendi in patibulo. Eodem anno *Philippus* Comes Flandriæ, contra ſacramentum, quod fecerat regi Angliæ, maritauit primogenitam filiam fratris ſui Comitis Boloniæ duci de Saringes: quæ relicto duce de Saringes nupſit Comiti de S. *Paulo*: & poſtea relicto Comite de Sancto *Paulo* nupſit Comiti *Reginaldo* de Dammartin, & ipſe cepit cum illa Comitatum Boloniæ. Et alteram filiam Comitis Boloniæ dedit in vxorem *Henrico* duci de Luuein. Eodem anno venit in Angliam prædictus Comes Flandriæ, ad loquendum cum rege Anglię, & accepta ab eo licentia peregrinandi, ipſe & *Willielmus* de Mandeuile Comes de Eſſexe/ & multi barones & milites de diuerſis regionibus, ſigno crucis ſignati Ieroſolymam profecti ſunt. & aſſociatis ſibi fratribus Templi & Hoſpitalis, & *Raimundo* principe Antiochiæ: & fere omnibus militibus terræ Ieroſolymitanę, obſederunt Harang caſtellum Paganorum. vbi cum per menſem in obſidione morati eſſent, & pene illud ſuffodiſſent, per conſilium Templariorum acceperunt pecuniam magnam à Paganis, & dimiſerunt eos imperfecto negotio. & abeuntibus illis in craſtino magna pars caſtelli, quod obſederant, cecidit. & cum ipſi domum redirent non inuenerunt de pecunia, quam de Paganis receperant, præter cuprum & aurichalcum. Interim *Saladinus* rex Babyloniæ, aſſociatis ſibi regibus, & principibus Paganorum, cum pluſquā quingentis millibus militum, & peditum intrauit terram Chriſtianorum, & non longe à ſancta ciuitate Ieruſalem ſua fixerunt tentoria. Quo audito Templarii, & Hoſpitalares, & milites regis Ieruſalem, qui ad ciuitatem cuſtodiendam remanſerant, exierunt obuiam Paganis cum plebe vrbis armata, Epiſcopo de Bethleem lignum Dominicæ crucis præferēte, & audacter fecerunt impetū in Paganos, & longius ire coegerunt. ô ſumma virtus Altiſſimi! Chriſtiani, cum nō eſſent pluſq̄ decem millia virorum pugnantium victoriam habuerunt de 500. millibus Paganorū per virtutem Altiſſimi. viſum enim erat Paganis, quod militia cœleſtis exercitus quaſi per ſcalam deſcenderet in ſimilitudinem militum armatorū, & congreſſum cum illis faceret in adiutorium Chriſtianorum. Cuius impetum Pagani ſuſtinere non valentes verſi ſunt in fugā & Chriſtiani ſecuti ſunt eos in ore gladii, & interfecerunt ex illis pluſq̄ 100. millia, & multos ceperunt. Sed *Saladinus* per curſarios ſuos euaſit: multos tamen de nepotibus & cōſanguineis ſuis & principibus exercitus ſui in prę-lio illo amiſit. Præterea ad confuſionē Paganorū, & Chriſtianę fidei confirmationem, viſum erat Paganis, ꝙ ſummitas ligni Dominicæ crucis, quod Epiſcopus Bethleemiticus geſtabat, cœlum attingebat, & ꝙ brachia illius totū amplexabantur orbem. Et inde exterriti fugerunt. Chriſtiani autē glorioſa potiti victoria cū gaudio reuerſi ſunt in Ieruſalem, & repleuerunt terram ſpoliis interfectorū. Factum eſt autem præliū hoc ad laudē & gloriam Domini noſtri *Ieſu Chriſti* anno gratiæ 1177. in planitie de Rames 7. Kal. Dec. feſto S. *Katherinæ* virginis & martyris. Eodem anno Chriſtiani firmauerunt caſtellum fortiſſimū in terra *Saladini*, ad vadum *Iacobi*, vltra fluuium Iordanis: ſed *Saladinus* illud per vim cepit, in cuius captione ſummus magiſter Hoſpitalis Ieruſalem captus fuit, & in terram *Saladini* ductus fame periit. Eodem anno dominus Rex Angliæ pater tradidit *Willielmo* de Stuteuile caſtellum de Knaresburc in cuſtodia: & *Rogero* de Stuteuile caſtellum puellarū in cuſtodia: & *Willielmo* de Neuile caſtellum de Norham in cuſtodia: & *Rogero* Eboracenſi archiepiſc. caſtellū de Scartheburc. & *Gaufrido* de Neuile caſtellum de Berewic in cuſtodia: & *Rogero* de Comers turrim de Dunelmia in cuſtodia: quam rex ab *Hugone* Dunelmenſi Epiſcopo abſtulit, quoniam ficte ſeruierat ei in guerra ſua; & ideo dedit ei Epiſcopus duo millia marcarum argenti pro amore ſuo habendo, & vt caſtella ſua ſtarent, & vt rex daret *Henrico* de Puteaco filio ſuo manerium regium de Wichtun cum pertinentiis ſuis. Deinde venit rex Oxeneford/ & in generali concilio ibidem celebrato conſtituit *Iohannem* filium ſuum regem in Hybernia, conceſſione & confirmatione *Alexandri* ſummi pontificis. Et in eodem concilio venerunt ad Regem *Reſus* filius *Griphini* regulus de Suthwales/ & *David* filius *Owain* regulus de Northwales/ qui ſororem eiuſdem regis Angliæ in vxorem duxerat, & *Cadewalanus* regulus de Delnain, & *Owanus* de Keuilian & *Griffinus* de Brumfeld/ & *Madacus* filius *Gernetrog*: & alii multi de nobilioribus Gualliæ, & omnes deuenerunt homines regis Angliæ patris, & fidelitatem ei contra omnes homines, & pacem ſibi & regno ſuo ſeruandam iurauerunt. In eodem autem concilio dedit dominus rex Anglię prædicto *Reſo* filio *Griffini* terram de Meronith: & *David* filio *Owain* terram de Elleſmare. Deditq; dominus rex *Hugoni* de Laſci (vt ſupradictū eſt) in Hybernia totam Midam cū pti-

aca-

nentiis ſuis pro ſeruitio 100. militum, tenendam de ipſo & *Iohanne* filio ſuo, & chartam ſuam ei inde fecit. Deditq; ibidem *Roberto* filio *Stephani & Miloni* de Cogham regnum de Corch, pro ſeruitio 60. militum, tenendum de ipſo & *Iohanne* filio ſuo, excepta ciuitate de Corch cum vno cantredo, quæ dominus rex ſibi & hæredibus ſuis retinuit. Deditq; ibidem *Hereberto* filio *Hereberti, &* *Willielmo* fratri Comitis *Reginaldi, & Iollano* de la Primerai nepoti eorum regnum de Limeric, pro ſeruitio 60. militum tenendum de ipſo & *Iohanne* filio ſuo: excepta ciuitate de Limeric cum vno cantredo, quæ dominus ſibi & hæredibus ſuis retinuit. Tradidit autem dominus rex *Willielmo* filio *Aldelini* dapifero ſuo ciuitatem Weſefordiæ in cuſtodia cum omnibus pertinentiis ſuis: & ſtatuit hæc ſubſcripta in poſterum pertinenda ad ſeruitium Weſefordiæ, Harkelou cum pertinentiis ſuis, Glaſcarric cum pertinentiis ſuis; & terram *Gilberti* de Boiſrohard, Ferneg Winal cum pertinentiis ſuis, Fernes cum pertinentiis ſuis: & totam terram *Heruei* inter Weſeforde & aquam de Waterforde. Seruitium *Raimundi* de Druna. Seruitium de Frodreuelan. Seruitium *Vtmorthi* de Leighlerin. Tenementum etiam Machtaloe cum pertinentiis ſuis. Et Leis terram *Gaufridi* de Coſtentin cum pertinentiis ſuis: & totam terram *Otueldi*. Tradidit etiam ibidem dominus Rex *Roberto* le Poer mareſcallo ſuo in cuſtodia ciuitatem Waterfordiæ cũ omnibus pertinentiis ſuis: & ſtatuit hæc ſubſcripta in poſterum pertinenda ad ſeruitium Waterfordiæ: totam terram quæ eſt inter Waterforde & aquam quæ eſt vltra Liſmors, & totam terram de Oiſeric cum pertinentiis ſuis. Tradidit etiam ibidem dominus rex *Hugoni* de Laci ciuitatem Diueliniæ cum omnibus pertinentiis ſuis in cuſtodia: & ſtatuit hęc ſubſcripta in poſterum pertinenda ad Seruitium Diueliniæ, totam terram de Offelana cũ pertinentiis ſuis, & Kildaran cum pertinentiis ſuis, & totam terram de Offalaia cum pertinentiis ſuis, & Wikechelon cum pertinentiis ſuis, & ſeruitium de Mida, & ſeruitium quatuor militum, quod *Robertus* Poer debet de caſtello ſuo de Dunauet. Poſtquam autem dominus rex apud Oxeneford in prædicto modo terras Hyberniæ, & earum ſeruitia diuiſiſſet, fecit omnes quibus earundem cuſtodias commiſerat homines ſuos & *Iohannis* filii ſui deuenire: & iurare eis ligantias & fidelitates de terris Hyberniæ. Et in eodem concilio dedit dominus Rex *Richardo* Priori de Kirkebi abbatiam de Witebi. Et *Benedicto* Priori Eccleſiæ ſanctæ Trinitatis Cantuariæ abbatiam de Burgo, & *Richardus* Cantuarienſis Archiepiſcopus benedixit eum in abbatem. Eodem anno prædictus *Viuianus* presbyter Cardinalis & Apoſtolicæ ſedis legatus, peracta legatione ſua in Hybernia, rediit in Angliam, & per conductũ domini regis rediit in Scotiã, & celebrato cõcilio apud caſtellum puellarum, ſuſpendit à pontificali officio *Chriſtianum* Epiſcopum Candidæ caſæ, quia ad concilium ſuum venire noluit. ſed Epiſcopus Candidæ caſæ ſuſpenſionem illam non tenuit, ſeptus munimine *Rogeri* Eboracenſis Archiepiſc. cuius ſuffraganeus ipſe erat. Deinde venit dominus Rex vſq; Merleberge: vbi rex dedit *Philippo* de Brenſa totum regnum de Limeric pro ſeruitio ſexaginta militum, tenendum de ipſo & de *Iohanne* filio ſuo. Nam *Herbertus & Willielmus* fratres *Reginaldi* Comitis Cornubiæ, & *Ioſlanus* de la Pumerai nepos eorum, regnum illud habere noluerunt, eo quod nondum perquiſitum erat. nam occiſo à regalibus rege *Monodero*, qui rex erat de Limeric, & homo Regis Angliæ inde fuerat, quidam de progenie illius, vir potens & fortis, regnum de Limeric inuaſit, cepit, & potenter rexit, nullam ſubiectionem faciens Regi Angliæ, nec ſuis obedire voluit propter infidelitatem eorum, & mala quæ faciebant populo Hyberniæ ſine merito. Rex vero Corcenſis & alii multi diuites Hyberniæ inſurrexerunt in Regem Angliæ, & ſuos: & erant nouiſſima eorum peiora prioribus, & ſe mutuo interfecerunt. Eodem anno reliquiæ ſancti *Amphiboli* ſociorumq; eius diuina reuelatione inuentæ ſunt, & vſq; ad *S. Albanum* tranſlatæ ſunt ſeptimo Kal. Iulii, Sabbato. Eodem anno *Margareta* vxor regis filii prægnans ad patrem ſuum regem Franciæ abiit, & Pariſius veniens peperit filium abortiuum. dicebant tamen Franci quod filius ille regis natus fuit viuus, & baptizatus, & *Willielmus* vocatus. Eodem anno decimo tertio Kal. Iulii pluit in Inſula Vectę ſanguineus imber fere per duas horas integras, ita quod linei panni qui per ſepes ſuſpenſi fuerant, ſic rore illo ſanguineo aſperſi fuerunt ac ſi eſſent in ſanguine merſi. Eodem anno *Martinus* canonicus regularis Eccleſiæ de Bomine furtiue aſportauit corpus ſancti *Petroci*, & fugiens ſecum detulit in Britanniam ad abbatiam S. *Meuenni*. Quo comperto *Rogerus* Prior Eccleſiæ de Bomine, cum ſaniore parte capituli ſui, adiit regem Angliæ patrem, & aduerſus eum effecit, q; præcipiendo mandauit abbati & conuentui ſancti *Meuenni*, vt ſine dilatione redderent corpus beati *Petroci Rogero* Priori de Bomine: & niſi fecerint præcepit rex *Rollando* de Dinant iuſtitiario Britanniæ, vt corpus illud ſanctum vi tolleret & prędicto Priori de Bomine traderet. Quo audito abbas & conuentus *S. Meuenni*, Eccleſiæ ſuæ præcauentes indemnitati,

& non audentes Regiæ reſiſtere voluntati, corpus illud reddiderunt ſine aliqua diminutione *Rogero* Priori de Bomine, iurantes ſuper ſancta Euangelia, & ſuper ſanctorum reliquias, quod ipſum idem corpus, & non alternatum cum omni integritate reddiderunt. Eodem anno dominus Rex Angliæ pater reddidit *Bartholomeo* Exonienſi Epiſcopo capellariam de Boſeham/ & eum inde capellanum ſuum conſtituit, annuente & conſentiente *Arnulfo* Lexouienſi Epiſcopo, cui Rex capellariam illam iniuſte dederat. prædictus enim Lexouienſis Epiſcopus pœnitentia ductus dedit præfato Exonienſi Epiſcopo & Eccleſiæ ſuæ literas reſignationis patentes ſuper præfata capellaria de Boſeham / quieta ab ipſo & ſucceſſoribus ſuis in perpetuum. Et dominus rex pater fecit chartam redditionis & confirmationis ſuæ, Exonienſi Eccleſiæ ſuper capellaria de Boſeham / coram *Richardo* Cantuarienſi Archiepiſcopo, & *Gaufrido* Elienſi Epiſcopo, & *Iohanne* Ciceſtrenſi Epiſcopo, & aliis multis teſtibus. Eodem anno dominus Rex pater dedit licentiam Iudæis terræ ſuæ habendi cœmiterium in vnaquaq; ciuitate Angliç extra muros ciuitatum, vbi poſſent rationabiliter & in competenti loco emere ad ſepeliendum mortuos ſuos. prius enim omnes Iudæi mortui Londonias ferebantur ſepeliendi.

Eodem anno diuina miſeratione *Alexander* Papa, & *Fredericus* Romanorum Imperator, facti ſunt amici Venetiæ in Riuo alto, deleto ſchiſmate, quod iam fere octodecim annis durauerat in Eccleſia Romana. Huic vero paci & concordiæ interfuerunt ex parte domini Papæ, *Himbaldus* Epiſcopus Oſtienſis Cardinalis, *Willielmus* de Pauia Epiſcopus Portuenſis Cardinalis, *Walterus* Epiſcopus Albanenſis Cardinalis, *Conradus* Epiſcopus Sauinæ Cardinalis, *Manfridus* Epiſcopus Paleſtinus Cardinalis, *Iohannes* Neapolis presbyter Cardinalis, *Theodinus* presbyter Cardinalis, *Albertus* presbyter Cardinalis, *Petrus* de Bona presbyter Cardinalis, Boſus presbyter Cardinalis, *Viuianus* presbyter Cardinalis, *Herenbrandus* presbyter Cardinalis, *Iacinctus* diaconus Cardinalis, Herdizim diaconus Cardinalis, *Chinche Chapel* diaconus Cardinalis, *Laborandus* diaconus Cardinalis, *Hugeſʒim* diaconus Cardinalis, *Reinerus* diaconus Cardinalis, Archiepiſcopus de Viane, Archiepiſcopus Biturienſis, Archiepiſcopus de Melan, Archiepiſcopus de Rauenne, Archiepiſcopus de Salerne, & Comes *Rogerus* de Andre ex parte *Willielmi* Regis Siciliæ. Ex parte *Frederici* Romanorum Imperatoris interfuerunt præſcriptæ paci viri ſubſcripti. Archiepiſcopus de Madeburc, *Philippus* Colonienſis Archiepiſcopus, *Chriſtianus* Maguntinus Archiepiſcopus, Archiepiſcopus de Beſencun, Archiepiſcopus de Treues, Electus de Wermeiſe, Protonotarius Imperatoris, Comes *Henricus* de Dice, Marchio *Albertus*, & multi alii. Congregatis itaq; illis in ciuitate Venetiæ, nono Kalendar. Auguſti, in vigilia beati *Iacobi* Apoſtoli, præfatus Imperator, ſicut prius tractatum fuerat & diſpoſitum, venit ad Eccleſiam beati *Nicholai*, quæ per vnum milliare a Venetiis diſtat. & ibi tam ipſe quã Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii principes Teutonici regni abrenuntiantes ſchiſmata, per Epiſcopos, & Cardinales, quos dominus Papa ad eos abſoluendos miſerat, abſolutionis beneficium accipere meruerunt. Deinde venerunt Venetias, & ibi ante Eccleſiam B. *Marci*, prædictus Imperator domino Papæ ſicut ſummo pontifici omnem obedientiam & reuerentiam humiliter exhibuit, & recepto ab eo pacis oſculo eum deuote dextrauit, & cum deuotione magna vſq; ad altare in Eccleſiam introduxit. Sequenti vero die in feſto Sancti *Iacobi*, feria ſecunda, præfatus Imperator venit obuiam domino Papæ extra Eccleſiam Sancti *Marci*, & dextero latere eius deuote ſuſcepto eum in Eccleſiam introdxit. & peractis Miſſarum ſolemniis eum vſque ad ipſius Eccleſiæ portam dextrauit, & cum dominus Papa palefridum ſuum aſcenderet prædictus Imperator tenuit ei ſtapham, & omnem honorem & reuerentiam exhibuit, quam prædeceſſores eius prædeceſſoribus ſuis exhibere conſueuerunt. In hoc vero concilio *Iohannes* abbas de Struma, qui vocatus fuerat Papa *Calixtus*: qui etiam tertius & vltimus ſchiſmatis huius antipapa extiterat, degradatus eſt; & ab ipſo Imperatore, & ab omnibus principibus Eccleſiaſticis & ſecularibus deiectus eſt & reprobatus. Similiter omnes Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & Abbates Teutonici regni, qui ab eo vel ab aliis antipapis prædeceſſoribus ſuis, videlicet ab *Octauiano* qui Papa *Victor* vocabatur, vel à *Guidone* de Creme, qui Papa *Paſchalis* vocabatur, ordinati fuerant, degradati ſunt. Et altaria, quæ ab ipſis ſiue ab ordinatis ſuis dedicata erant demolita ſunt. In hoc autem concilio *Conredus* frater conſobrinus prædicti Imperatoris recepit à manu *Alexandri* Papæ Archiepiſcopatum Sanceburge, & Legatiam totius Teutonici regni in vita ſua habendam. Iſte vero *Conredus* cum electus eſſet tẽpore ſchiſmatis ad archiepiſcopatum Maguntinum, noluit ab *Octauiano* antipapa cõſecrari: ſed malens inter Catholicos pro nomine *Chriſti* pauper viuere, quam inter ſchiſmaticos diuitiis & tranſitoriis abundare venit vſq; Senonem ciuitatẽ ad *Alexandrũ* Papã: à quo

benig-

benigne ſuſceptus factus eſt Epiſcop. Cardinalis de Epiſcopatu Sauinę. Et *Chriſtianus* Imperatoris cancellarius ſucceſſit ei in Archiepiſcopatu Maguntino, & pallium ſuſcepit à *Guidone* de Crema: quod quia ab eo receperat, propriis manibus ſuis combuſſit Venetię in Riuo alto in palatio Patriarchæ coram *Alexandro* Papa & Cardinalibus vniuerſis, & à Domino Papa abſolutus eſt: & remanſit Archiepiſcopus Maguntinus, & pallium ab *Alexandro* recepit.

EPISTOLA ALEXANDRI PAPAE AD *Richardum Cantuarienſem Archiepiſcopum & ad Suffraganeos ſuos de pace Eccleſiæ reddita.*

ALexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus *Richardo* Cantuarienſi Archiepiſcopo & ſuffraganeis eius, & dilectis filiis abbatibus ſpecialiter ad Romanam Eccleſiam pertinentibus in Archiepiſcopatu Cantuarienſi conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Immenſas laudes & gratias agimus omnipotenti Deo: qui licet nauem *Petri* diu permiſiſſet procelloſa maris tempeſtate quaſſari, nunc tandem imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna, ita vt pacatis maris ſæuientis fluctibus, prædicta nauis ad portum quietis reducta ſit & ſalutis. Sane chariſſimus in *Chriſto* filius noſter *Fredericus* illuſtris Romanorum Imperator, proximo præterito die, Dominica ante feſtum beati *Iacobi* cum principibus Eccleſiaſticis & ſecularibus Teutonici regni, cum multa deuotione venit Venetiam ad præſentiam noſtram: & ibi coram innumera multitudine virorum ac mulierum altis vocibus reſonantium laudes altiſſimo, nobis ſicut ſummo pontifici omnem reuerentiam & honorem exhibuit, & in feſto beati *Iacobi* nobis ad preces eius beati *Marci* Eccleſiam adeuntibus pro celebrandis Miſſarum ſolemniis, obuiam venit: & finita Miſſa, quam à nobis licet indignis reuerenter audiuit; nobis omnem honorem exhibuit, quem prædeceſſores eius noſtris conſueuerunt anteceſſoribus exhibere. In Calendis vero inſtantis menſis Auguſti præfatus imperator vbi erat numeroſa hominum multitudo, in anima ſua iurare fecit, & principes ſui, quos præſentes habebat, tam Eccleſiaſtici quam ſeculares præſtito iuramēto firmauerunt, quod pacem Eccleſiæ perpetuo, & pacem chariſſimi in *Chriſto* filii noſtri *Willielmi* illuſtris Siciliæ regis, vſque ad quindecim annos & treugam Longobardorum à prædictis Calendis Auguſti vſque ad ſex annos, ſicut pax & treuga ipſa diſpoſita eſt, & tractata, & in ſcriptis redacta, illæſam debeat & illibatam ſeruare. Sicut autem idem Imperator nos in catholicū papam & ſpiritualem patrē recepit: ita nos eum in catholicum imperatorem, & vxorem eius in catholicam imperatricem, & filium ipſorum in catholicum Regem recepimus. Agite itaq; gratias Creatori noſtro, qui ſponſam ſuam ſacroſanctam Eccleſiam ſua miſeratione reſpexit, & ei poſt multas perſecutiones, quibus grauiter preſſa eſt, & attrita, per ſuam gratiam plenā pacem reddidit & quietem. Data Venetiæ in Riuo alto. octauo Idus Auguſti.

EPISTOLA ALEXANDRI PAPAE AD *Rogerum Eboracenſem Archiepiſcopum*, & Hugonem *Dunelmenſem Epiſcopum, de pace facta inter ipſum & imperatorem.*

ALexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus *Rogero* Eboracenſi Archiepiſcopo Apoſtolicæ ſedis legato, & *Hugoni* Dunelmenſi Epiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Exigunt gratiſſimæ deuotionis obſequia, quæ nobis & Eccleſiæ tam deuote quam laudabiliter exhibuiſſe noſcimini, vt fœlices ſucceſſus Eccleſiæ vobis ſicut ſpecialibus & deuotis Eccleſiæ filiis ſpiritualibus deſcribamus, cum dignum ſit & conueniens & honeſtum, vt quos ita habuimus in noſtra deuotione firmos & ſtabiles, de proſperitate noſtra & ipſius Eccleſiæ reddamus hilares & gaudentes. Agite itaq; vna nobiſcum gratias omnipotenti Deo qui habitat in altiſſimis, & humilia reſpicit deſupernis, de cuius munere venit, vt ſponſa ſua ſacroſancta Eccleſia diu & grauiter procelloſis fluctibus & validiſſima tempeſtate quaſſata nunc tandem portum ſalutis attigerit: & pacatis ſæuientibus procellis debita & deſiderata tranquillitate lætetur. Sane duodecimo Calendas inſtantis menſis Auguſti, de mandato chariſſimi in *Chriſto* filii noſtri *Frederici* illuſtris Romanorum imperatoris, filius *Marchionis Alberti* vir nobilis magnus & potens & camerarius ipſius imperatoris, præſentibus principibus Eccleſiaſticis & etiam ſecularibus Teutonici regni, publice in anima eius in præſentia noſtra coram innumeroſa hominum multitudine præſtiterunt, tactis ſacroſanctis euangeliis, iuramentum; quod poſtquam idem imperator veniret Venetias, omni quæſtione & contradictione ſopita,

de Dolis, quam rex dedit Baldewino *de Reuers cum honore caſtelli* Radulfi. *Deinde dominus rex Angliæ pater perrexit ad Grandem montem, &* Albertus *Comes Marchiæ venit illuc obuiam ei, & coram Archiepiſcopo Burdegalenſi,* Iohanne *Pictauenſi Epiſcopo, & pluribus aliis tam clericis quam laicis vendidit præfato regi Angliæ totum Comitatum Marchiæ pro quindecim millibus librarum Andegauenſium, & pro 20. mulis, & pro 20. palefridis, & charta ſua confirmauit.*

CHARTA AVDEBERTI COMITIS MARCHIAE, *quæ eſt facta de venditione Comitatus ſui, quam fecit Henrico regi Angliæ patri.*

NOtum ſit tam præſentibus quam futuris, quod ego *Audebertus* Comes Marchiæ, mortuo filio meo, quem ſolum habebam hæredem, deuotus propriæ voluntatis arbitrio, quia Deo voueram in perpetuum deſeruire, vendidi totam terram meam, & quicquid me iure hæreditario contingebat, domino meo *Henrico* illuſtri Anglorum regi nullo penitus reclamante, imo nullo penitus exiſtente, qui de iure poſſet reclamare, pro quindecim millibus librarum Andegauenſis monetæ, mihi in integrum apud Grandem montem perſolutis, & pro viginti mulis, & pro viginti palefridis. Firmaui autem fide mea corporaliter præſtita in manu *Willielmi* Burdegalẽſis Archiepiſcopi, me domino regi & hæredi ſuo Pictauiæ, vel cuicunq; donauerit eam prædictam terram gwarantizaturum bona fide & ſine malo ingenio contra omnes homines: & in tota vita mea me nihil facturum, neq; maritagio, neq; alio quocunq; modo, quo minus prædicta venditio inconcuſſa permaneret. Ne autem hæc mea vẽditio ſolemniter celebrata aliqua poſſet in poſterum malignitate diuelli eam ſigillo meo muniui. Actum publice anno ab incarnatione Domini 1177. menſe Decembri apud Grandem montem, præſentibus Archiepiſcopo Burdegalẽſi, & *Iohanne* Pictauienſi Epiſcopo, & pluribus aliis. His itaq; geſtis apud Grãdẽ montẽ, dominus rex Angliæ pater recepit homagia & fidelitates & ligãtias de baronibus & militibus Comitatus Marchiæ, & *Audebertus* dictus Comes Marchiæ receſſit inde cum ſupradicta pecunia ſibi à rege Angliæ tradita. Eodem anno factum eſt diluuium magnum in Hollãd, ruptis foſſatis marinis, & diluit fere omnem ſubſtantiam illius prouinciæ, & homines multos ſubmerſit, 7. Idus Ianuarii. Interim electus Abbas Eccleſiæ ſancti *Auguſtini* Cãtuariæ, ſæpe & multum ſollicitauit, per ſeipſum & alios honeſtos viros interceſſores *Richardum* Cantuarienſem Archiepiſcopum, vt ipſe veniret ad Eccleſiam S. *Auguſtini* ad benedicendum eum in Abbatem. Cui Archiepiſcopus reſpondit, ſe non debere illuc venire ad benedicendum illum, ſed quod ille potius deberet venire ad metropolitanam Cantuariæ Eccleſiam pro benedictione ſua recipienda. & propter hanc controuerſiam prædictus electus appellauit ad præſentiam domini papæ, & in propria perſona Romam profectus eſt, & ab *Alexandro* ſummo pontifice huiuſmodi literas impetrauit.

EPISTOLA ALEXANDRI PAPAE PRO ELECTO *Eccleſiæ ſancti Auguſtini Cantuariæ.*

A*Lexander* Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri *Rogero* Wigornienſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum venerabili fratri noſtro *Richardo* Cantuarienſi Archiepiſcopo, apoſtolicæ ſedis legato olim dederimus in mandatis, vt dilecto filio noſtro electo ſancti *Auguſtini* in monaſterio ſuo, quod ad iuriſdictionem Romanæ Eccleſiæ nullo mediante pertinet, munus benedictionis non differret aliquatenus impertiri, ex eo quod Archiepiſcopus hoc exequi recuſauit, de iure potuiſſemus eidem electo benedictionem ipſam per nos, vel etiam per alium, qui nobis non ita de facili contradiceret, exhibere. volentes autem in eo adhuc obedientiæ virtutem plenius experiri, poſt longam diſceptationem, quam idem Archiepiſcopus in præſentia noſtra per nuntios ſuos contra ipſum electum ſuper controuerſia benedictionis habuit, quæ de communi fratrum noſtrorum conſilio per definitiuam ſententiam ita deciſa eſt: quod Cantuarienſis Archiepiſcopus ipſum & ſucceſſores ſuos in monaſterio S. *Auguſtini* abſque exactione obedientiæ contradictione poſtpoſita benedicat, ex conſueta & abundanti ſedis Apoſtolicæ benignitate, eundem electum pro munere benedictionis ad memoratum Archiepiſcopum duximus remittendum. Attendentes igitur labores & expẽſas, quas idem monaſterium ſuper hoc iam lõgo tempore ſuſtinuit, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mãdamus, & in virtute obedientiæ iniungimus, quatenus, ſi memoratus Archiepiſcopus infra terminum noſtris literis conſtitutum eundem electum ſicut à nobis definitum

nitum eſt benedicere diſtulerit, tu noſtra fretus auctoritate omni excuſatione, contradictione, & appellatione ceſſante, quam citius ſuper hoc fueris requiſitus id efficere nō moreris nullo decreto noſtro vel alterius, quo præceptum ſit appellationi deferēdum impediente, nullis ēt literis obſtantib. à nobis impetratis vel impetrādis, nulla exceptione, quo minus vel tardius mandatum noſtrum adimpleas, reſiſtente. Data Laterani 15. Cal. Maii.

Quod cū prædictus Cantuarienſis Archiepiſcopus audiſſet, ſtatuit ſe ad monaſterium ſancti *Auguſtini* venturum ad prædictum electum benedicendum ſecundum formam Apoſtolici mandati. Quadam vero die dum prædictus electus pro negotiis domus ſuæ in alia prouincia iter ageret, venit ipſe Archiepiſcopus cum clericis & laicis quam pluribus ad monaſterium ſancti *Auguſtini*, aſſerens ſe illuc aduenisse ad prædictum electum benedicendum, & illo non inuento appellauit ad dominum papam pro ſe & Eccleſiæ ſuæ dignitate. Vnde factum eſt, quod electus ille Romam profectus ab *Alexandro* papa munus benedictionis recepit.

Anno gratiæ 1178. qui erat annus 24. regni regis *Henrici* filii *Matildis*, imperatricis, idem *Henricus* fuit die natalis Domini apud Andegauim ciuitatem. Eodem anno deſiderio magno deſiderauit rex Angliæ pater redire in Angliam, & miſſis nūtiis ſuis ad *Lodowicum* regem Francorum impetrauit ab eo literas protectionis in hunc modum. *Lodowicus* rex Francorum omnibus, ad quos præſentes literæ peruenerint, ſalutem. Nouerit vniuerſitas veſtra, quod nos recepimus in cuſtodiam noſtram totam terram *Hērici* regis Angliæ chariſſimi fratris noſtri in ciſmarinis partibus ſitam, ſi contigerit eum in Angliam transfretare, vel peregre proficiſci, ita quod quando bailliui ſui de terra tranſmarina nos requiſierint, nos bona fide & ſine malo ingenio eis cōſilium & auxilium præſtabimus ad eiuſdem terræ defenſionem & protectionem. Actum apud Vicenas.

Interim Arriana hæreſis, quæ vt ſupra dictū eſt, damnata erat in prouincia Toloſana iam reuixerat. q. cum ad aures regis Franciæ & regis Angliæ perueniret, zelo Chriſtianæ fidei accenſi ſtatuerunt, quod illuc irent in propriis perſonis, vt prædictos hæreticos prorſus à finibus illis eliminarēt. elapſo deinde aliquantulo temporis ſpatio videbatur eis plus poſſe proficere, ſi viros ſapientes illuc miſiſſent, qui hæreticos illos prædicatione & doctrina ad fidem Chriſtianā conuerterēt, quam ſi ipſi in propriis perſonis illuc ire properaſſent. Dictum enim erat eis, Vindictam mandaſſe ſat eſt: plus nominis horror, quā tuus enſis aget, minuit præſentia famam. Miſerunt ergo illuc *Petrum* tituli S. *Chryſogoni* presbyterum Cardinalem Apoſtolicæ ſedis legatum, & Bituricenſem & Narbonenſem Archiepiſcopos, & *Reginaldum* Batonienſem, & *Iohannem* Pictauenſem Epiſcopos, & *Henricum* Abbatē Clareuallenſem, & alios multos viros Eccleſiaſticos, vt prædicatione ſua hæreticos illos ad fidem Chriſtianā conuerterent, vel rationibus probabilibus illos eſſe hæreticos manifeſtarent, & a liminibus ſanctæ matris Eccleſiæ, & fidelium conſortio ſequeſtrarent. Qui cum veniſſent orauerunt pro ipſis, vt acciperent Spiritum S. nondum enim in quenquam illorū venerat. Præterea prædicti reges elegerunt *Raimundum* Comitem Toloſanum, & vicecomitem de Turena, & *Raimundum* de caſtro nouo, & alios viros potētes, & præceperūt, quod ipſi prædicto Cardinali & ſociis ſuis in fide *Chriſti* aſſiſterent, & hæreticos illos à finibus illis virtute potenti expellerent. Cū igitur pręedictus Cardinalis, & cæteri viri catholici Toloſam eſſent ingreſſi, inuenerunt ibi quendam diuitem duo caſtella habentem, vnum infra ciuitatem, & aliud extra muros ciuitatis: qui ante illorum aduentū ſe hæreticæ prauitatis ſectatorem confitebatur. Sed iam præ timore exterritus ſectam illam execrabilem velare cupiens, Chriſtianiſſimū ſe eſſe ſimulabat. Quod cū cardinali innotuit, præcepit prædictū diuitem ſibi præſentari. Qui cū veniſſet vt fidem ſuam confiteretur in omnibus articulis inuētus eſt fidei Chriſtianæ cōtrarius. Et ideo à prædicto Cardinali & Epiſc. qui cū eo erant manifeſtus hæreticus iudicatus eſt, & condēnatus. & ab illis præceptū eſt, vt res illius confiſcarentur & turres eius quas proceras & pulcherrimas habuit demolirētur. Videns ergo ſe damnatū, & res ſuas confiſcari, venit ad Cardinalē & ad ſocios ſuos Epiſcopos, & ad eorū pedes proſtratus veniā poſtulauit, & iniuncta ſibi pœnitentia nudus ducitur, & flagellatur per plateas & vicos ciuitatis. Deinde iurauit ſe Ieroſolymam iturū, & ibidē in Dei ſeruitio per triennium morā facturū, & ſi poſt triennium domum rediret, poſſeſſiones ſuæ redderentur ei: ita tamen quod turres ſuæ caderent in teſtimonium hæreticæ prauitatis, & ipſe daret domino ſuo Comiti Toloſano quingentas libras argēti. His ita geſtis multi hæretici, timentes vt ſimili modo tractarentur, venerūt ad Cardinalem & ad ſocios ſuos, & ſecreto cōfeſſi errorem ſuum, & veniam poſtulantes, miſericordiā conſecuti ſunt. Inter hæc peruenit ad aures illorum quod quidā falſi fratres, *Raimundus* videlicet, & *Bernardus Raimundi*, & quidam alii hæreſiarchæ, transfigurātes ſe in angelos lucis,

cum ſint Sathanæ, & Chriſtianæ fidei contraria prædicantes, multorum animas falſa prædicatione ſua decipiebant, & ſecum traxerant ad inferos. Qui cum inuitati fuiſſent, vt ad præſentiam Cardinalis, ſociorumq; eius venirent, vt fidem ſuam cõfiterentur, reſponderunt ſe ad illorum præſentiam venturos, ſi eundi & redeundi haberent ſecuritatem. Data itaq; eis ſecuritate eundi & redeundi, venerunt coram prædicto Cardinali, & Epiſcopis, & Comitibus, & Baronibus, & clero, & populo qui aderant; & in medium protulerunt quandam chartam in qua fidei ſuæ articulos conſcripſerant. quam cum prolixius perlegiſſent, quædam verba videbantur in ea ſuſpecta exiſtere, & niſi plenius exponerẽtur hæreſim quam prædicauerant poſſent velare. Cumq; vnus illorum articulos illos conſcriptos exponere & Latine loqui vellet, vix duo verba cõiungere potuit, vtpote qui linguam Latinam penitus ignorauit. Tunc neceſſe fuit cardinalem illum, & Epiſcopos illis condeſcẽdere, & propter illorum imperitiam vulgarem habere ſermonẽ. Itaq; de articulis fidei Chriſtianæ examinati, reſponderunt ſuper omnibus articulis fidei ita ſane & circũſpecte, ac ſi Chriſtianiſſimi eſſent. Quod cum Comes Toloſæ, & cæteri qui prius audierant ipſos Chriſtianæ fidei contraria prædicaſſe audiſſent, vehementi admiratione commoti Chriſtianæ fidei zelo ſuccenſi ſurrexerunt & eos plane in caput ſuum mẽtitos fuiſſe manifeſtiꝰ conuicerunt; dicentes, ſe audiſſe à quibuſdã illorũ, quod duo dii exiſterent, alter bonus & alter malus: bonus, qui inuiſibilia tantum & ea quæ mutari aut corrũpi non poſſunt feciſſet, malus qui cœlũ, terram, hominem & alia viſibilia condidiſſet. Alii aũt affirmauerunt, ſe in illorũ prædicatione audiſſe, corpus *Chriſti* non cõfici per miniſterium ſacerdotis indigni, aut aliquib. criminib. irretiti. Alii aũt dicebant, ſe audiſſe ab eis in prædicatione ſua virum cũ vxore non poſſe ſaluari, ſi alter alteri debitũ reddat. Alii aũt dicebãt, ſe ab eis audiſſe baptiſmũ paruulis non prodeſſe: & alias quam plures cõtra Deũ & ſanctã Eccleſiam atq; catholicã fidẽ blaſphemias protuliſſe. quas pro abominabili earũ enormitate tacere vtilius eſt quàm referre. Hæretici aũt illi hæc contradicebant & dicebant illos falſum dixiſſe aduerſus eos teſtimonium. Dicebant enim publice coram prædicto Cardinali & Epiſcopis, & vniuerſis aſtantibus & confitebantur, & firmiter aſſeruerunt, quod vnus Deus altiſſimus omnia viſibilia & inuiſibilia condidiſſet: & penitus denegabant duo eſſe principia. Confeſſi ſunt ẽt, quod ſacerdos ſiue bonus, ſiue malus, iuſtus vel iniuſtus, & talis etiam quem adulterum aut alias criminoſum indubitanter eſſe ſcirẽt, corpus & ſanguinem *Chriſti* poſſet conficere, & per miniſterium huiuſmodi ſacerdotis, & virtutẽ diuinorum verborũ, quæ a Domino prolata ſunt, panis & vinum in corpus & ſanguinem *Chriſti* vere tranſubſtantiabãtur. aſſeruerũt, quod paruuli vel adulti noſtro baptiſmate baptizati ſaluãtur: & nullus ſine eodem baptiſmo poteſt ſaluari: omnino inficiantes ſe aliud baptiſma aut manus impoſitionẽ, ſicut eis imponebatur, habere. Affirmauerũt nihilominꝰ, quod vir & mulier matrimonio copulati, ſi aliud peccatũ non impediat, licet carnaliter alter alteri debitũ reddat, propter bonũ matrimonii excuſati ſaluantur, & propter hoc nunquã dãnantur. Archiepiſcop. præterea & Epiſcopos, presbyteros, monachos, canonicos, heremitas, tẽplarios, & hoſpitalarios affirmauerunt eſſe ſaluandos. Dignũ quoq; & iuſtũ eſſe dicebãt, vt Eccleſias, in honorẽ Dei & ſanctorũ fundatas, cũ ſumma deuotione viſitantes adirent, & ſacerdotib. & aliis earũ miniſtris honorem & reuerentiam exhibentes primitias & decimas eis deberent ſoluere, & de omnib. parochialibus deuote & fideliter reſpondere. Eleemoſynam etiam tam Eccleſiis quam pauperibus, nec non & omni petenti eſſe tribuendas inter cætera laudabiliter aſſerebant. Hæc omnia licet prius dicerentur negaſſe, iuxta ſanum intellectum ſe intelligere aſſerentes, prædictus Cardinalis & Epiſcopi præceperũt, quod ipſi iuraſſent, ſe ita corde credere, ſicut ore confitebantur. Ipſi vero, ſicut homines tortæ mentis & intentionis obliquæ, tandem hæreſim noluerunt relinquere, vbi craſſum & ſopitum intellectum eorum alicuius auctoritatis ſuperficies videbatur iuuare, occaſione verbi illius, ꝙ Dominus in Euangelio dixiſſe legitur: *Nolite omnino iurare, & ſit ſermo veſter eſt eſt, non non*, dicentes ſe non debere iurare, cũ ipſe dominus ſæpe iuraſſe legatur, ſicut ſcriptũ eſt, *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum.* & alibi *per memetipſum iuraui dicit Dominus.* & Apoſtolus *omnis controuerſiæ finis eſt iuramentum.* Cæterum ipſi tanquam viri idiotæ, non intelligentes ſcripturas, in laqueum, quem abſconderant, ceciderũt. quia cum prius iuramentũ tanquam rem execrabilẽ & à Domino prohibitã abhorrerent, in ipſa confeſſionis ſuæ charta iuraſſe conuicti ſunt, cum dixerint, *in veritate qua Deus eſt ita credimus, & dicimus quod hæc eſt fides noſtra.* Neſcientes ꝙ veritatem & verbũ Dei in teſtimonium veræ aſſertionis adducere proculdubio ſit iurare. ſicut de apoſtolo legimus cũ dixerit; *Hæc.n. vobis dicimus in verbo Dei.* & alibi, *Teſtis eſt mihi Deus*: & alia ſimilia cõprobant, quæ ab illis, qui diuinas ſcripturas intelligũt, & legerunt, poſſunt facilius inueniri. Cum igitur à multis & ſufficientibus

cientibus

cientibus teſtibus fuiſſent conuicti: & adhuc multi ſe ad ferendũ contra eos teſtimonium præpararent; quia Eccleſia conſueuit redeuntibus miſericordiæ gremium nõ negare, eos diligentius monuerunt, vt omni hæretica prauitate depoſita ad fidei veritatem redirent. & quia à domino papa & à prædicto Cardinali, & Bituricenſi & Narbonenſi Archiepiſcopis, & à Toloſano Epiſcopo propter peruerſam prædicationem & ſectam excommunicati fuerant ad fidem catholicam iuxta formam Eccleſiæ reconciliandi venirent, monuerunt. Quod cum illi in arcum prauum conuerſi, & mente perdita indurati, facere recuſarent, prædictus Cardinalis, & prænominati Epiſcopi, in conſpectu totius populi, eos iterum accenſis candelis, vna cum præfato Pictauenſi Epiſcopo, & aliis religioſis viris, qui cum illis in omnibus aſtiterunt, excommunicatos denunciauerunt, & ipſos cum ſuo auctore diabolo cõdemnauerunt, & vniuerſis *Chriſti* fidelibus præceperunt, quatenus prædictos *Raimundum* & *Bernardum* & eorum complices, tanquam excommunicatos & Sathanæ traditos, cautius euitarent, & ſi quando aliud quam in audientia illorum ſunt confeſſi, eis de cætero prædicauerint, prædicationem illorum tanquam falſam, & catholicæ atq; apoſtolicæ fidei contrariam reſpuerent, & ipſos tanquã hæreticos & antichriſti præambulos à finibus eorum longius expellerent. Comes autem Toloſanus, & cæteri illius prouinciæ potentiores, corã omni populo præſtito ſacramento firmauerunt, quod à modo nec prece nec precio fauebunt hæreticis. Vnde prædictus Cardinalis vniuerſis ſanctæ matris Eccleſiæ filiis in hac forma ſcripſit.

EPISTOLA PETRI TITVLI SANCTI CHRYSOGONI presbyteri Cardinalis Apoſtolicæ ſedis legati.

PEtrus Dei gratia tituli ſancti *Chryſogoni*, presbyter Cardinalis, Apoſtolicę ſedis legatus, vniuerſis ſanctæ matris Eccleſiæ filiis, catholicam atq; Apoſtolicam fidem ſeruantibus, in Domino ſalutem. Teſtante Apoſtolo, ſicut vnus Deus, ita & vna fides eſſe dignoſcitur, à cuius integritate nullus poteſt ſine periculo deuiare. Cuius fundamentum, præter quod nullus aliud poteſt ponere, Apoſtoli & Apoſtolici viri ſucceſſores eorum, inſpirante & docente ſpiritu ſancto, ſanis doctrinis tanquam viuis ex lapidibus ita firmiter & circumſpecte fecerunt; quod nec ſonantis impetus Aquilonis, nec impiorum machinæ licet crebris aſſultibus impugnetur, illud poterunt à ſua firmitate mouere. Vnde quamuis diebus iſtis quidam falſi fratres, *Raimundus* videlicet de Baimiaco, *Bernardus Raimundi*, & quidam alii hæreſiarchæ transfigurãtes ſe in angelos lucis, cum ſint Sathanæ, prius Chriſtianæ & Apoſtolicæ fidei contraria prædicantes, multorum animas, venenoſa prædicatione deceperunt, & ſecum traxerũt ad ruinam: nouiſſime tamen, ille, qui reuelat myſteria, & ad cõfutandos ſeniores Iſrael dedit ſpiritum *Danieli*, ad animas diabolica fraude deceptas reſpiciens, noluit vlterius perfidiam illorum velari, nec Chriſtianæ fidei ſinceritatem illorum prædicatione corrumpi: ſed ſua admirabili poteſtate audientibus & videntibus multis, quod prius latuerat, venenum perfidiæ detexit, in augmentum & gloriam fidei Chriſtianæ. Cum itaq; prædicti *Raimundus* & *Bernardus*, atq; alii, venerabili fratri noſtro *Reginoldo* Bathonienſi Epiſcopo, & nobilibus viris, vicecomiti de Turena & *Raimundo* de caſtro nouo, qui de conſilio noſtro in terram *Rogeri* de Bediers pro liberatione venerabilis fratris noſtri Albanenſis Epiſcopi venerant, occurriſſent; & ſe conſiterentur, à nobili viro Comite Toloſano & aliis baronibus, qui eos in perpetuum abiurauerant, iniuſte tractari: cum pro defenſione fidei ſuæ ad præſentiam noſtram ſe venturos proponerent, ſi veniendi & redeundi ſecuritatem haberent; memorati Epiſcopus & vicecomes ne corda ſimplicium, qui illorum fæce erant imbuti ſcandalum paterentur, & diffidentiæ noſtræ aſcriberent, ſi eis audientia negaretur, ex parte noſtra & prædicti Comitis indulſerunt, vt cum omni ſecuritate ſe conſpectui noſtro pręſentarent, quatenus ſub noſtro & venerabilis fratris noſtri Pictauenſis Epiſcopi, Apoſtolicæ ſedis legati, & aliorum diſcretorum virorum, & totius populi examine audirentur, & ſi recte & ſane crederent, probarentur: & poſtquam à nobis examinati fuiſſent, nihilominus ad propria remearent ſecuri, ne metu vel violentia qualibet viderentur inducti ad confeſſionem veræ fidei, ita tamẽ quod poſt elapſos octo dies iuxta edictum, quod exierat, niſi ad fidem noſtram redirent, de terris principum, qui eos abiurauerant deberent expelli. Nos itaq; indulgentiam eis ab Epiſcopo & vicecomite factam, quamuis à præfato Comite Toloſano & aliis nobilibus viris (ſicut diximus) iam exierat edictum, vt de terris eorum deberent expelli, ratam habentes: eodem Pictauẽſi Epiſcopo, & prædicto Comite Toloſano, & aliis clericis & laicis quaſi trecentis, in Eccleſia beati *Stephani* nobiſcũ pariter congregatis, illis iniunximus vt fidẽ ſuam nobis exponerẽt, & ad Catholicæ fidei veritatẽ redeuntes, infamiam, quam & tota terra,

& ipſi per damnabilem prædicationem incurrerant, per ſalutiferam confeſſionem veræ fidei remouerent. Ipſi vero inter alia verba, quæ hinc inde proceſſerunt, chartam quandam, in qua fidei ſuæ articulos conſcripſerant, in medium protulerunt. & eam ſicut prolixius ſcripta fuerat perlegerunt. in qua cum verba quædam deprehendiſſemus, quæ & ſuſpecta videbantur exiſtere, & niſi plenius exponerentur hæreſim, quam prædicauerant, poſſent velare, quæſiuimus vt Latinis verbis reſpondentes ſuam fidem defenderent. tum quia lingua eorum non erat nobis ſatis nota, tum quia Euangelia & Epiſtolæ, quibus tantummodo fidem ſuam confirmare volebant Latino eloquio noſcuntur eſſe ſcripta. Cumque id facere non auderent, vtpote, qui linguam Latinam penitus ignorabant, ſicut in verbis vnius illorum apparuit: qui cum Latine vellet loqui vix duo verba iungere potuit, & omnino defecit: neceſſe fuit nos illis condeſcendere, & de Eccleſiaſticis ſacramentis, propter imperitiam illorum, quamuis ſatis eſſet abſurdum, vulgarem habere ſermonem. Illi ergo duo eſſe principia denegantes, publice coram nobis & prædictis viris confeſſi ſunt, & firmiter aſſeruerunt: quod vnus Deus altiſſimus omnia viſibilia & inuiſibilia condidiſſet: quod etiam ſcripturis, ſicut verum eſt, Euangelicis atque Apoſtolicis comprobabant. Confeſſi ſunt etiam, quod ſacerdos noſter, bonus ſiue malus, iuſtus vel iniuſtus, & talis etiam quem adulterum, vel alias criminoſum, indubitáter eſſe ſcirent, corpus & ſanguinem *Chriſti* poſſet conficere: & per miniſterium huiuſmodi ſacerdotis, & virtutem diuinorum verborum, quæ a Domino prolata ſunt, panis & vinum in corpus & ſanguinem *Chriſti* vere tranſubſtantiantur. Aſſeruerunt quoq; quod paruuli vel adulti noſtro baptiſmate baptizati ſaluantur, & nullus ſine eodem baptiſmo poteſt ſaluari: omnino inficiantes ſe aliud baptiſma, aut manus impoſitionem, ſicut eis imponebatur, habere. Affirmauerunt nihilominus, quod vir & mulier matrimonio copulati, ſi aliud peccatum non impediat, licet carnaliter alter alteri debitum reddat, propter bonum matrimonii excuſati ſaluantur: & propter hoc nunquã damnãtur. Archiepiſcopos præterea & Epiſcopos, preſbyteros, monachos, canonicos, heremitas, templarios, & hoſpitalarios affirmauerunt eſſe ſaluandos. Dignum quoque & iuſtum eſſe dicebant, vt Eccleſias in honore Dei atque ſanctorum fundatas cum ſumma deuotione viſitantes adirent: & ſacerdotibus & aliis earum miniſtris honorem & reuerentiam exhibẽtes primitias & decimas eis deberent ſoluere: & de omnibus parochialibus deuote & fideliter reſpondere. Eleemoſynas etiam tam Eccleſiis quam pauperibus, nec non & omnipotenti eſſe tribuendas, inter cętera laudabiliter aſſerebant. Hæc omnia licet prius dicerentur negaſſe, iuxta noſtrum ſanum intellectum ſe intelligere aſſerebant. Poſtquam autem ita à nobis examinati fuerunt, & ea quæ diximus ſpontanea voluntate confeſſi Eccleſiam beati *Iacobi* intrauimus. vbi nobiſcum innumera populi multitudo, quæ ſe quaſi ad ſpectandum præparabat conuenit, & confeſſionem fidei eorum, quæ in prædictà chartula conſcripta fuerat, vulgari ſermone audiuit. Porro cum à nobis & omni populo, qui ibidem conuenerat in omni patientia, & ſine tumultu aliquo fuiſſent auditi, & ipſi ſponte finem dicendi feciſſent: quia expoſitio ſuæ fidei ſatis laudabilis & catholica videbatur, iterum ab eis audiente vniuerſo populo quæſiuimus, ſi corde crederent quod ore fuerant confeſſi, & ſi aliquando in contrarium, ſicut eis ſæpius impoſitum fuerat, prædicaſſent. Illis vero reſpondentibus, ſe ita credere, & nihilominus negantibus ſe vnquam aliter prædicaſſe, nobilis vir Comes Toloſanus, & multi alii clerici & laici, qui eos audierant aliter prædicantes, vehementi admiratione commoti, & Chriſtianæ fidei zelo ſuccenſi ſurrexerunt, & eos plane in caput ſuum mentitos fuiſſe manifeſtius conuicerunt. Quidam enim conſtanter propoſuerunt ſe à quibuſdam illorum audiſſe, quod duo dii exiſterent, alter bonus & alter malus: bonus inuiſibilia tantum, & ea quæ mutari aut corrumpi non poſſunt feciſſet; malus, qui cœlum, terram, hominem, & alia viſibilia condidiſſet. Alii affirmauerunt ſe in illorum prædicatione audiſſe, corpus *Chriſti* non confici per miniſterium ſacerdotis indigni, aut aliquibus criminibus irretiti. Multi ſimiliter teſtati ſunt, eos prorſus negantes audiſſe, virum cum vxore ſaluari, ſi alter alteri debitum reddat. Alii in faciem illis firmiter opponebant, quod ab ipſis audiſſent baptiſmum paruulis non prodeſſe: & alias quam plures contra Deum & ſanctam Eccleſiam & catholicam fidem blaſphemias protuliſſe, quas pro abominabili earum enormitate tacere maluimus, quam referre. Quicquid autem illi in ſua ſuperiori cõfeſſione, quæ ſatis videbatur ſufficere ad ſalutem, ſi ita corde crederent ad iuſtitiam & in corde & corde dixerint, ſicut homines tortæ mentis & intentionis obliquæ, tandem hæreſim noluerunt relinquere, vbi craſſum & ſopitum intellectum eorum alicuius auctoritatis ſuperficies videbatur iuuare, occaſione verbi illius, quod Dominus in Euangelio dixiſſe legitur: *Nolite omnino iurare, & ſit ſermo veſter, eſt eſt, non non;* dicentes ſe non debere iurare,

iurare, cū ipſe dominus ſæpe iuraſſe legatur, ſicut ſcriptum eſt, *Iurauit Dominus & cætera.* Et alibi, *Per memetipſum iuraui dicit Dominus.* & Apoſtolus, *Omnis controuerſia finis eſt iuramentum.* Et multa in hunc modum in diuinis ſcripturis legentibus ſeſe offerunt & occurrunt: quibus propter illorum infirmitatem quibus aliquid ſuademus iurare permittimur. Cæterum ipſi tanquam viri idiotæ non intelligentes ſcripturas, in laqueum, quem abſconderant, ceciderunt. quia cum prius iuramentum tanquam rem execrabilem & a Domino prohibitam abhorrerent, in ipſa confeſſionis ſuæ charta iuraſſe conuicti ſunt, cum dixerint, *in veritate qua Deus eſt ita credimus, & dicimus, quod hæc eſt fides noſtra.* Neſcientes quod veritatem & verbū Dei in teſtimonium veræ aſſertionis adducere proculdubio ſit iurare. ſicut de apoſtolo legimus cum dixit; *Hoc enim vobis dicimus in verbo Dei.* & alibi, *Teſtis eſt mihi Deus*: & alia ſimilia comprobant, quæ ab illis qui diuinas ſcripturas intelligunt, & legerunt, poſſunt facilius inueniri. Cum autem à multis & ſufficientibus teſtibus fuiſſent conuicti: & adhuc multi ſe ad ferendum contra eos teſtimonium præpararent; quia Eccleſia conſueuit redeuntibus miſericordiæ gremium non negare, eos diligentius monuimus, vt omni hæretica prauitate depoſita ad fidei vnitatem redirent. & quia a domino papa, & venerabilibus fratribus noſtris, Bituricenſi & Narbonenſi Archiepiſcopis, & à Toloſano Epiſcopo, & a nobis ipſis propter peruerſam prædicationem & ſectam excommunicati fuerant ad nos iuxta formam Eccleſiæ reconciliandi venirent. Quod cum illi in arcum prauum conuerſi, & mente perdita indurati, facere recuſarent, nos in conſpectu totius populi, qui iugiter acclamabat, & in eos multa immanitate fremebat, eos iterum accenſis candelis, vna cum prædicto Pictauenſi Epiſcopo, & aliis religioſis viris, qui nobis in omnibus aſtiterunt, excommunicatos denuntiauimus, & ipſos cum ſuo auctore diabolo condemnauimus. Ea propter vniuerſitatem veſtram monemus, & exhortamur in Domino, atque in remiſſionem peccatorum iniungimus, quatenus prædictos *Raimundum* & *Bernardum* & complices eorum, tanquam excommunicatos & Sathanæ traditos, cautius euitetis; & ſi quando aliud quam in audientia noſtra, ſicut præſcripſimus ſunt confeſſi vobis de cætero præſumpſerint prædicare, prædicationem eorum tanquam falſam & catholicæ atq; apoſtolicæ fidei contrariam reſpuatis, & ipſos tanquam hæreticos & antichriſti præambulos, à ſinceritatis veſtrę conſortio, & veſtris finibus longius expellatis.

EPISTOLA HENRICI ABBATIS CLAREuallenſis de eodem.

AVdite cœli, quod plangimus: ſciat terra gemitum cordis noſtri. Doleant vices *Chriſti* catholici Chriſtiani, & ad detrimenta fidei fidelis populus ingemiſcat. Quiq; terrigenæ & filii hominum humanæ ſalutis damna deplorent, & generalis vitæ noſtræ ſubuerſio ab omnibus viuentibus generaliter lugeatur. Stat contra phalangas Iſrael nouus noſtri temporis Philiſtæus, hæreticorum ordo, exercitus peruerſorum, qui agminib. Dei viuentis irreuerenter exprobrat, & Deum maieſtatis in prima præſumptione blaſphemat. Quid dubitas, ô *Dauid*? quid trepidas vir fidelis? ſume tibi fundam & lapidem: percutiatur protinus in fronte blaſphemus, & caput nequam, quod impudenter erigitur, ſuo tuis manibus mucrone tollatur. Si enim in hoc certamine pars *Chriſti* vincitur, ſi vel ad modicum & in puncto mater Eccleſia conculcatur, ſcimus pro certo cauſæ non deeſſe meritum, ſed patronum: ſcimus quod non negabitur agoniſtæ noſtro triumphus, ſi amore fidei militat pugnaturus. Verum quia iuxta veritatis verbum meſſis multa eſt, & operarii pauci, ſi introierint audacter, tuorum bone *Ieſu* depopulatores agrorū parati ſicut operarii ſubdoli, acerba magis eradicare quam matura demetere, quaſi tuæ meſſionis diem ſuis direptionibus putant præuenire: vbi ſunt ergo agricolæ tui conſtituti ſuper agrum fertilem & iucundū, tuo cruore floridum, & aſperſione pii ſanguinis irrigatum. Surgant & opitulentur nobis, & in neceſſitate nos protegant, ſeq; ad cruentas beſtias murum nobis defenſionis opponant. Surgite inquam, ſurgite viri patres duces, gentium, principes populorum, abigite feras peſſimas, quas vidimus, quas monſtramus, vel ſaltem vulpes paruulas effugate ſed capere quidem eſt melius, ſed ad hoc quis idoneus? Non habent certos aditus: ſemitas ambulant circulares, & in quodam fraudium ſuarum labyrintho monſtra ſæuiſſima reconduntur. Tanquam damula de manu diffugiunt, & inſtar colubri tortuoſi; quo eos plus aſtrinxeris facilius elabūtur. Deo autem gratias quod etſi capi nequeunt, fugari poſſunt, vt cū perdiderint quod demoliebantur in nobis, confundantur & pereant in ſemetipſis. Hoc aūt quod ſit facile per ea quę vidimus & tractauimus, approbamus: vt iā à modo

ſi factum non fuerit, nõ tam illorum nequitiam quam defectus noſtros, noſtrorumq́; negligentiam deploremus. Contigit enim nuper ad imperium domini papæ, & hortatu piiſſimorum principum *Lodowici* Francorum & *Henrici* Anglorum regum dominum *Petrum* Apoſtolicæ ſedis legatum, viroſque venerabiles Pictauenſem & Bathonienſem epiſcopos noſq; in Comitatu eorum vrbem adire Toloſam quæ ſicut erat ciuitas maximæ multitudinis ita etiam dicebatur eſſe mater hæreſis & caput erroris. Perreximus ergo ad illam, vt ſciremus ſi iuxta clamorem, qui aſcendit, eſſet dolor eius. Et ecce inuenta eſt plaga eius magna nimis: ita vt à planta pedis vſq; ad verticem capitis, vix eſſet in ea ſanitas. vere enim tertia pars nobis nuntiata non fuerat de omnibus abominationibus ſuis malis, quas ciuitas illa nobilis in incredulitatis ſuæ gremio cõfouebat. locum in ea ſibi abominatio deſolationis inuenerat, & propheticorũ ſimilitudo reptilium in latibulis eius domiciliũ obtinebat. Ibi hæretici principabantur in populo, dominabantur in clero, eo vt populus ſic ſacerdos, & in interitum gregis ipſa configurabatur vita paſtoris. loquebantur hęretici & omnes admirabantur: loquebatur Catholicus & dicebant, quis eſt hic? in ſtuporem & miraculum deducentes, ſi eſſet aliquis inter eos, qui de verbo fidei auderet aliquid vel mutire. In tantum præualuerat peſtis in terra, quod illi ſibi non ſolum ſacerdotes & pontifices fecerant: ſed etiã Euangeliſtas habebant, qui corrupta & cancellata Euangelica veritate noua illis Euangelia cuderent, & de corde ſuo nequam recẽtia dogmata ſeducto populo prædicarent. Mentior ſi non erat inter eos homo quidã ætate grandæuus, rebus locuples, ornatus fratribus & amicis, & magnus omnino inter maximos ciuitatis, quẽ ita peccatis exigentibus diabolus excæcauerat, vt ſeipſum *Iohannem* Euangeliſtam diceret; & verbũ, quod erat in principio apud Deum, ab alio quodam rerum principio tanquã à Deo altero ſegregaret. Hic erat in vrbe illa pereuntium caput, & princeps hæreticorum. Qui licet tanquam laicus & idiota nil ſaperet, inter eos tamen velut quidã diabolicæ ſapientiæ fons perditionis & mortis felleos latices emanabat. Conueniebãt ad eum noctibus nocturnæ tenebroſæ: & ille indumento quodam ad inſtar tunicæ Dalmaticæ veſtitus, cùm ſederet inter eos tanquam rex circumſtante exercitu erat, & inerat deſipientium prædicator. Totã penitus vrbem diſcipulis ſuis & diſciplina repleuerat: quippe cui aliquis de vrbe præ fortitudine ſua reſiſtere non audebat. In ipſo quoque introitu noſtro tanta erat hæreticis vbique licentia, vt nos quoque per vicos & plateas recto itinere procedentes ſubſannarent verbo, digito demonſtrarent: nos apoſtatas, nos hypocritas, nos hæreticos conclamantes. Verum procedente tempore & data nobis requie diebus paucis, iniunctum eſt vni de nobis verbum exhortationis aſſumere, & de regula veræ fidei coram infideli multitudine diſputare. habito autem ſermone orthodoxæ prædicationis ad plebem, conterriti ſunt in Sion peccatores, poſſedit tremor hypocritas: ita vt qui prius obſtruebãt ora loquentium, iam apparere coram loquentibus non auderent. Audiens illico vel videns vulpes transfiguratas in talpas, vt quæ prius impune in publico diſcurrebant; iam terrarum latebris, iam ſeſe cellulis immergerent cauernoſis, & plantaria ſacra, quæ iam non audebant in aperto commandere, intra terræ viſcera corroderent & necarent. Ne autem pardus ille diſcolor pellis ſuæ varietate ſe proderet, ſermonem ſibi nequam callidis adinuentionibus firmauerunt, vt ad noſtræ confirmationis ſimilitudinem ſimulandã tracti ad * diſcuſſionis examen, quicquid nos credimus ſe credere mentirentur. Ex illa ergo die dominus legatus & nos alii qui cum feris beſtiis in aperto congredi putabamus, ad perſcrutandos eos, quos timor & confuſio tanquam ignobiles in ima terræ detruſerat, ſtudium totum conuertimus, & laborem, vt vel coacti prodirent in publicum, & abiicerent in luce opera tenebrarum. factum eſt exinde, præcipiente legato, vt iuraret epiſcopus, & quidam de clero, & conſules ciuitatis, aliiq; ciuitatis viri fideles, quos nondum in aliquo perfidiæ fama reſperſerat, quod quoſcunq; vel hactenus nouerant, vel noſſe eos contingeret in futuro qui eſſent huius hæreſis vel complices vel auctores, eorum nobis nomina ſcripto depromerent; Nulli penitus vel amore vel pretio vel cuiuſpiam neceſſitudinis ratione parcentes. Cumq́; per ſingulos dies innumera multitudo in catalogum illius conſcriptionis incideret, nominatus eſt inter alios magnus ille *Petrus Moranus*, quem *Iohannem* Euangeliſtam, vt ſupra diximus, nominabant. Super quo nos omnes communicato conſilio decreuimus, ab illo inchoare iudicium, vt turba in reliquis perfida contremiſceret, cum falſi Euangeliſtæ verſutiam veri Euangelii ſimplicitas condemnaſſet. Miſſis ergo apparitoribus, præcepit eum Comes ſancti *Egidii*, qui fideliter nobis aderat accerſiri. Sed ille in multitudine diuitiarum ſuarum, & parentum numeroſitate confidens, primæ citationis edictum faſtuoſæ dilationis colludio declinauit. Altera ergo die prædictus Comes, blanditiis magis quam terroribus enitens, eundem *Petrum* per amicos & notos leuiter aduocauit,

**al. diſcuſſionis gramen.*

uocauit, & eum nobis tandem poſt difficultates plurimas ueniendi, mixtis cum terrore blanditiis, præſentauit. Tunc vnus, qui loquebatur è nobis, taliter eum exorſus eſt commonere. Eia nunc (Petre) tui te conciues accuſant, quod ſanæ fidei regulis confutatis in Arrianæ hæreſis deueneris prauitatem: imo per multiplicium errorum deuia, & ducis ipſe alios, & ab aliis deducaris. Ad hæc ille de profundo ſuſpirans, & tactus dolore cordis intrinſecus, ſe non eſſe huiuſmodi eſt prima frōte mentitus. Et requiſitus an hoc iuramēto probaret, ſimplici aſſertioni ſuæ tanquam fidelis viri & illuſtris credi oportere contendit. Cæterum cum in exigendo iuramento vniuerſi pariter inſtaremus, promiſit ſe continuo iuraturum, ne in hoc ipſo deprehenderetur hæreticus, ſi iuxta quod cōſuetudo illius erroris obtinuit, vitandi iuramenti exiſteret obſtinatus. Mox igitur ſanctorū reliquiæ honorabiliter efferuntur, cum tam ſolemni reuerētia & deuotione ſuſceptæ, vt & fidelis populus compungeretur ad lachrymas, & hæreticos, qui conuenerant, latebræ potius quam talia ſpectacula delectarent. Ipſum vero *Petrum*, in cantu, quem ad inuocandam Spiritus S. præſentiam profuſis lachrymis cantabamus, tremor euidens & pallor operuit: ita vt ab eo & color vultus aufugeret, & vigor animi deperiret. Quomodo enim adueniente Spiritu S. in aduerſario eius ſpiritus remaneret? Cernere erat hominem quaſi morbo paralytico diſſolutum, nec loquelam retinuiſſe, nec ſenſum, quamuis tantæ facundiæ fuiſſe diceretur ab omnibus, quod omnes in dicendo ſit ſolitus ſuperare. Quid plura? Iurat infœlix aſtantibus vniuerſis, quod de omnibus articulis fidei, quos requireremus ab eo, ſuæ credulitatis exprimeret veritatem. Res mira, & in tali ſpectaculo pia iocunditate gratiſſima. Apertus eſt liber, in quo iurauerat: & vno de circumſtantibus religioſo quodam ioco occurrentis literæ prænoſticum perquirente illius ſcripturæ textus occurrit. *Quid tibi & nobis Ieſu fili Dei? veniſti ante tempus torquere nos?* Vere Domine *Ieſu* nihil tibi & illis, quos pater tuus cœleſtis a te vite vera tāquam infructuoſos palmites amputarat, & foras miſerat, vt areſcant. At nobis in tuo nomine congregatis, lætitiæ multiplicatur augmentum, & in gratiarum actione, & voce laudis, virtutis tuæ gloria reſonabat. Demum *Petrus* in virtute ſacramenti ſimpliciter requiſitus, vt de ſacramento altaris ſuam nobis fidem ſine fraude aliqua fateretur, ſed quod corde non credidit ad iuſtitiam, nec ore confeſſus eſt ad ſalutē: ſed contra id, quod de omnib. mentiri decreuerat falſitatis ſuæ prodidit veritatem; & panem ſanctum vitæ æternæ ſacerdotis miniſterio in verbo Domini conſecratum, non eſſe corpus Domini nouo dogmate contendebat aſſerere. Tunc ſurrexerūt omnes eum quodammodo lachrymis obruentes, quas & ſacramentorum *Chriſti* contemptus elicuit, & habita erga miſerum compaſſio, Chriſtiana produxit. Nec plura. dant Comiti reſponſo, reus & hæreticus iudicatus eſt: ſtatimq́; ſub diligenti pollicitatione parentum cuſtodiæ publicę mancipatur. Volat facti rumor per vicos & plateas ampliſſimę ciuitatis. Aperiuntur ora fidelium, & Catholicæ plebis labia in tua (Chriſte) præconia reſoluuntur; velut tūc primum in eadem vrbe fidei ſplendor erumperet, & in ſpem ſalutis æternæ deſperata dudum ciuitas reſpiraret. Ex tunc ergo & deinceps verbum Dei creſcebat, & multiplicabatur indies: ita vt vniuerſa vrbis facies lætior videretur, per quæ in candorem lucidæ veritatis de tenebris euadebat erroris. Interea *Petrus* ad ſe reuerſus & Domino reſpiciente cōpunctus, cum ſe dignum penitus tam præſenti morte cerneret quam futura: miſſis mediatoribus multis ſatisfactionis quærit aditum, & conuerſionis pollicetur effectum, vt poſſet in frugem melioris vitę ab imminentis mortis interitu liberari. Venit, recipitur, & in conſpectu ſiſtitur populi contriſtantis nudo quidem corpore veteris perfidiæ exuens prauitatem. Ibi ſe coram omnibus hæreticum recognouit: ibi dedit manus fidei, ibi renuntiauit errori, præſtito, coram omnibus manu dextra iuramento, & datis fideiuſſoribus tam Comiti ipſi quam militibus & præcipuis conciuibus ſuis, quod ad omne mandatum domini legati ſe ſubderet, & iuſſionem eius in omnibus adimpleret. Tunc indictum eſt populo, vt omnes pariter ad Eccleſiam S. *Saturnini* die altera conuenirent, audituri & viſuri ſolemniter quam pœnitentiæ formam *Petrus* ille ſuſciperet obſeruandam. Omnes igitur ſequenti die, vt fuerant prænominati, conuenerunt, tanta vtriq; multitudo, tam frequens; vt vix remaneret ſecus ipſa altaris cornua locus vacuus, qui domino legato Miſſæ ſolemnia celebranti ſine compreſſione nimia præberetur. Et ecce coram illa multitudine multa nimis *Petrus* ille iam noſter per ipſas Eccleſiæ valuas nudus & diſcalceatus adducitur, cædentibus hinc inde eum Epiſcopo Toloſano & Abbate S. *Saturnini*, donec ad pedes Legati in ipſis altaris gradibus poneretur. Ibi in facie Eccleſiæ Eccleſiaſticis reconciliatus eſt ſacramentis, abiurata omni hæreſi, & hæreticis anathematizatis ab eo. Mox autem poſſeſſionib. eius publicatis vniuerſaliter & proſcriptis, pœnitentia illi talis iniungitur: vt infra quadraginta dies à patria ſua exulatur' abſcederet in ſeruitio pauperū Ieroſolymis trien-

nio moraturus. Interim vero ſingulis diebus Dominicis Eccleſias Toloſanæ vrbis nudus & diſcalceatus cum diſciplinalibus virgis iuſſus eſt circuire, Eccleſiarum bona, quæ abſtulerat reddere, vſuras omnes, quas acceperat, reſtituere, damna pauperum, quos afflixerat, reſarcire, & caſtrũ quoddam ſuum, quod hæreticorum conuenticulis profanarat ab ipſis fundamentis euertere. Deus bone, quot ibi lachrymas lætitia ſancta profudit, quas gratiarum actiones & laudes populus iubilans & deuotus cœleſtibus choris ingeſſit, cum de cauernis perfidiæ talpa talis educitur, & in Iſraeliticam ouem lupus rapaciſſimus reformatur. Poſt hæc illo dimiſſo dominus Legatus ad alios manus miſit, excommunicaturus vtiq; illos, quos in magno numero vel ſuſpicio publica, vel accuſatio priuata notauerat. Nos aũt vix tandem cum lachrymis exorta lætitia reuertendi pro eo q; inſtantia capituli noſtros iam redditus exigebat, petita licentia, ſub ea nobis eſt exceptione conceſſa, vt Albienſem diœceſim intraremus, commonituri principem terræ *Rogerum* videlicet de Beders, vt & Albienſem Epiſcopum, quẽ ſub cuſtodia hæreticorũ in vinculis tenebat, abſolueret, & vniuerſam terrã ſuam iuxta præceptũ domini legati eliminatis hæreticis emẽdaret. Ingredientibus ergo nobis, vna cũ ſupradicto Barhonienſi Epiſcopo illã perditiſſimam regionem, quæ velut totius ſentina malitiæ totam in ſe colluuionem hæreſis illuc diffluẽtis excepit. Prædictus *Rogerus* in vltimos & inacceſſibiles terræ ſuæ fines abſceſſit, tam malè conſcientia profugus, quam cauſæ ſuæ merito deſperatus. oderat enim lucem veritatis, autor malitiæ, nec ſuſtinere poterat noſtræ collocutionis acceſſum, qui totus receſſerat in opera tenebrarum. Peruenimus tamẽ ad quoddam munitiſſimum caſtrum eius, quod propriè ac ſingulariter caſtri nomine incolæ nuncupabant. Ibi habitabat vxor illius cum militia magna, & familia multa nimis. Omnes fere habitatores eiuſdẽ caſtri, vel hæretici vel hæreticorum complices erant, licet ſola Domini virtute repreſſi nihil contra fidem, quã prædicabimus, præſumerent vel mutire. Quamuis enim eſſemus in manus eorũ poſiti, & velut in eorũ quaſdã potentiæ ſuæ cõpedes hæretica vndiq; multitudine circũuenti, verbũ tamen Domini non erat alligatum, quin eos continuis inuectionibus & increpationibus feriremus. Cumq; videremus quod nihil omnino præſumerent reſpondere, iudicauimus prædictum *Rogerum* proditorem, hæreticum, & de violata Epiſcopi ſecuritate periurum, eum tanquam publica excommunicatione damnatum ex parte domini Papæ ac prædictorum regum in præſentia coniugis militumq; ſuorum in nomine *Chriſti* confidenter diffidantes. Ecce à modo ſatis apparet quam grande & euidens oſtium patet principibus Chriſtianis, vt *Chriſti* vlciſcantur iniurias, ponantq; deſertum quaſi hortum Domini & ſolitudinem eius in delitias Paradiſi. Ne autem vel parum vel nihil fieri contra illos poſſe cauſentur, ſciant omnes generalem fuiſſe in vrbe Toloſana ſententiam, quod ſi iſta viſitatio fuiſſet adhuc triennio retardata, vix inueniretur in ea qui nomen *Chriſti* amplius inuocaret. Super hæc autem omnia prædictus Comes S. *Egidij* coram populo ciuitatis præſtito iuramento firmauit, quod a modo nec prece nec pretio fauebit hæreticis.

Eodem anno rex Angliæ pater transfretauit de Normannia in Angliam, & apud Wodeſtoke fecit *Gaufridum* filium ſuum, Comitem Brittanniæ, militem: qui ſtatim poſt ſuſceptionem militaris officii, transfretauit de Anglia in Normanniã, & in confinibus Franciæ & Normanniæ militaribus exercitiis operam præſtans gaudebat ſe bonis militibus æquiparari. & eo magis ac magis probitatis ſuæ gloriam quæſiuit, quo fratres ſuos, *Henricum* videlicet regem, & *Richardum* Comitem Pictauiæ in armis militaribus plus florere cognouit. Et erat eis mens vna, videlicet, plus cæteris poſſe in armis: ſcientes, quod ars bellandi, ſi non præluditur, cum fuerit neceſſaria non habetur. Nec poteſt athleta magnos ſpiritus ad certamen afferre, qui nunquam ſuggillatus eſt. Ille qui ſanguinẽ ſuum vidit; cuius dentes crepuerunt ſub pugno: ille qui ſupplantatus aduerſarium toto tulit corpore, nec proiecit animum proiectus; qui quotiens cecidit, contumacior ſurrexit, cum magna ſpe deſcẽdit ad pugnam. *Multum enim adiicit ſibi virtus laceſſita*: fugitiua gloria eſt mens ſubiecta terrori. *Sine culpa vincitur oneris immenſitate, qui ad portandam ſarcinam impar, tamen deuotus occurrit. Bene ſoluuntur ſudoris præmia, vbi ſunt templa victoriæ.* Eodem anno *Willielmus* Remẽſis Archiepiſcopus venit in Angliam ad beatum *Thomam* Cantuarienſem martyrem cauſa peregrinationis, cui rex Angliæ pater occurrens cum gaudio recepit, & dignis honorauit muneribus. Eodem anno *Alexander* Papa miſit legatos ſuos per vniuerſum orbem Romanæ Eccleſiæ ſubditum, ad inuitandum Eccleſiæ prælatos, vt Romam venirent in capite ieiunii anni proximo ſequentis, ad ſolenne concilium & generale celebrandum. Quotiens enim morborum violentia celeri greſſu ad animæ ſecreta feſtinat, obuias manus afferre non poteſt ſalutare concilium, niſi ex collatione multorum. Venerunt igitur in Angliam duo legati, videlicet, *Albertus* de Suma, cui commiſſa erat

Angliæ & Normanniæ pontificum & abbatum citatio: & *Petrus* de S. *Agatha*, cui commiſſa erat Scotiæ & Hyberniæ & inſularum adiacentium Epiſcoporum & Abbatum citatio. Idem autem *Petrus* de S. *Agatha* pro licentia tranſeundi per terram regis Angliç iurauit, tactis ſacroſanctis Euangeliis, quod in legatione ſua neque regi, neq; regno ſuo malũ quæreret, & quod per eum rediret. & ita factum eſt. Eodem anno *Alexander* Papa in hac forma ſcripſit *Iohanni* Indorum regi.

EPISTOLA ALEXANDRI PAPAE AD IOANNEM regem Indorum miſſa.

ALexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, chariſſimo in *Chriſto* filio, illuſtri & magnifico Indorum regi, ſacerdotum ſanctiſſimo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem, Apoſtolica ſedes, cui licet immeriti præſidemus, omnium in *Chriſto* credentium caput eſt & magiſtra: Domino atteſtante, qui ait beato *Petro*, cui licet indigni ſucceſſimus, *Tu es* Petrus, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Hanc ſiquidem petram *Chriſtus* eſſe voluit in Eccleſiæ fundamentum, quam præconat nullis vêtorum turbinibus nulliſq; tempeſtatibus quatiendam. Et ideo nõ immerito beatus *Petrus*, ſuper quem fundauit Eccleſiam ligãdi atq; ſoluendi ſpecialiter & præcipue inter Apoſtolos alios meruit accipere poteſtatem. Cui dictum eſt à Domino, *tibi dabo claues regni cœlorum, & portæ inferni non præualebunt aduerſus eum. & quodcunq; ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis.* Audiueramus vtiq; iampridem, referentib. multis, & in fama communi, quomodo cum ſis Chriſtianum nomen profeſſus, piis velis operibus indeſinenter intendere, & circa ea tuum animũ geras, quæ Deo grata ſunt, & accepta. Sed & dilectus filius magiſter *Philippus* medicus & familiaris noſter, qui de intẽtione pia, & propoſito tuo, cũ magnis, & honorabilibus viris regni tui ſe in partibus illis verbum habuiſſe proponit, ſicut vir prouidus & diſcretus, circũſpectus & prudens, conſtanter nobis & ſollicite retulit, ſe manifeſtius ab his audiſſe, quod tuæ voluntatis ſit, & propoſiti erudiri catholica & Apoſtolica diſciplina, & ad hoc feruenter intendas, vt tu & terra tuæ ſublimitati cõmiſſa, nihil vnquam videamini in fide veſtra tenere, quod à doctrina ſedis Apoſtolicæ diſſentiat modo quolibet, vel diſcordet. Super quo ſane tibi ſicut chariſſimo filio plurimum congaudemus, & ei à quo omne donum procedit immenſas gratiarũ exſoluimus actiones: vota votis & preces precib. adiungẽtes, vt q̃ dedit tibi nomen Chriſtianitatis ſuſcipere, menti tuæ per ſuã ineffabilẽ pietatẽ inſpiret, ꝙ omnino velis ſapere quæ ſuper omnib. articulis fidei tenere debet religio Chriſtiana. Non.n. vere põt de Chriſtiana profeſſione ſperare ſalutẽ, qui eidem profeſſioni verbo, & opere non concordat: quia non ſufficit cuilibet nomine Chriſtiano cenſeri, qui de ſe ſentit aliud, q̃ Catholica & Apoſtolica habeat diſciplina. iuxta illud ꝙ Dominus in Euangelio dicit, *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt.* Illud aũt nihilominus ad cõmendationem tuæ virtutis accedit, ꝙ ſicut prudens magiſter *Philippus* ſe à tuis aſſerit audiſſe, fluenti deſiderio cuperes in vrbe habere Eccleſiam, & Ierolomytanũ altare aliquod, vbi viri prudẽtes de regno tuo manere poſſent, & Apoſtolica plenius inſtrui diſciplina, per quos poſtmodũ tu, & homines regni tui doctrinã ipſam reciperent & tenerent. Nos aũt, qui licet inſufficientibus meritis in beati *Petri* cathedra poſiti, iuxta Apoſtolum, *Sapientibus & inſipientibus, diuitibus & pauperibus, nos recognoſcimus debitores*; de ſalute tua & tuorũ omnimodam ſollicitudinem gerimus, & vos ab his articulis, in quib. erratis à Chriſtiana & catholica fide, prompto animo prout tenemur ex ſuſcepti miniſterio regiminis volumus reuocare: cum ipſe Dominus beato *Petro*, quem omnium Apoſtolorum principem fecit, dixit, *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Licet aũt graue nimis videatur & laborioſum exiſtere ad preſentiam tuam inter tot labores & varia itineris locorũ diſcrimina, & inter longas & ignotas oras quemlibet à noſtro latere deſtinare: conſiderato tamen officii noſtri debito, & tuo propoſito & intentione penſata, præfatũ *Philippum* medicum & familiarem noſtrum, virum vtiq; diſcretum, circumſpectum, & prouidum, ad tuam magnitudinem mittimus, de *Ieſu Chriſti* miſericordia confidentes, quod ſi volueris in eo propoſito & intentione perſiſtere, quam te, inſpirante Domino, intelligimus concepiſſe; de articulis Chriſtianæ fidei, in quibus tu & tui à nobis diſcordare videmini, in proximo per Dei miſericordiam eruditus, nihil prorſus timere poteris, quod de errore tuam vel tuorum ſalutem præpediat, vel in vobis nomẽ Chriſtianitatis offuſcet. Rogamus itaque excellentiam regiam, monemus, & hortamur in Domino, quatenus eundem *Philippum*, pro reuerẽtia beatri *Petri* & noſtra, ſicut virum honeſtum, diſcretum,

& prouidum, & à noſtro latere deſtinatum, debita benignitate recipias, & reuerenter & deuote pertractes. & ſi tuæ voluntatis eſt & propoſiti, ſicut omnino decet eſſe, vt erudiaris Apoſtolica diſciplina, ſuper his, quę idem *Philippus* ex noſtra tibi parte proponet: ipſum diligenter audias, & exaudias, & perſonas honeſtas & literas tuo ſigillo ſigillatas, quibus propoſitum & voluntatem tuam poſſimus plene cognoſcere, ad nos cum ipſo tranſmittas: quia quanto ſublimior & maior haberis, & minus de diuitiis & potentia tua videris inflatus, tanto libentius, tam de conceſſione Eccleſiæ in vrbe, quam etiam de conferendis altaribus in Eccleſia beati *Petri* & *Pauli*, & Ieroſolymis in Eccleſia ſepulchri Domini, & in aliis, quæ iuſte quæſieris tuas curabimus petitiones admittere, & efficacius exaudire, vtpote qui deſiderium tuum ſuper hoc, quod multa commendatione dignum extitit, modis omnibus, quibus ſecundum Deum poſſumus, volumus promouere, & tuam & tuorum animas deſideramus Domino lucrifacere. Data Venetiæ in Riuo alto. quinto Kal. Octobris.

Eodem anno *Richardus* Comes Pictauis venit cum exercitu magno ad Aſſienſem ciuitatē, & inuenit ibi Comitem Bigorniæ in carcere ciuium incarceratum, quem ciues tradiderunt ei. & ipſe Comes Bigorniæ tradidit Comiti Pictauis pro liberatione ſuâ Clarum montem & caſtellum de Mumbrun. Deinde cepit Genzai & Martillan, & Grumuile, & Agenuile, & Tailebeburc, & Ponz, & omnia iſta caſtella in terrā deiecit. & Bugrius Comes de Engoliſmo reddidit ei ciuitatem Engoliſmi, & caſtellum de Muntiniac; & ipſe eorum mœnia ſubuertit.

Anno gratiæ 1179. qui erat annus viceſimus quintus regni regis *Henrici* filii *Matildis* Imperatricis, idem *Henricus* fuit in Anglia die natalis Domini apud Wintoniam. Infra illud natale Domini in Anglia apud Orenchale in territorio de Derlingtum eleuauit ſe terra in altum, ad ſimilitudinem proceræ turris: & ita remanſit ab hora diei nona immobilis vſque ad veſperam, & tunc cecidit cum tam horribili ſtrepitu, quod vicinos terruit omnes, & abſorbuit eam tellus, & fecit ibidem puteum profundiſſimum, qui eſt ibi in teſtimonium rei vſque in hodiernum diem. Poſt natale Domini venerunt de Hibernia in Angliam, *Laurentius* Dublinenſis, & *Catholicus* Tuamenſis, Archiepiſcopi, & quinq; , vel ſex Epiſcopi Romam ad concilium ituri. ſimiliter de regno Scotiæ, tranſierunt per Angliam Epiſcopi & abbates quam plures. & illi omnes tam de Hybernia quam de Scotia & aliis inſulis per Angliam tranſeuntes, pro licentia tranſeundi iurauerunt, quod neque regi neque regno eius damnum quærerent. De Anglia autem quatuor Epiſcopi tantum Romam profecti ſunt: videlicet, *Hugo* Dunelmenſis Epiſcopus, & *Iohannes* Norewicenſis Epiſcopus & R*obertus* Herefordenſis Epiſcopus, & *Reginaldus* Bathonienſis Epiſcopus, & Abbates quam plures. Epiſcopi autem Angliæ conſtanter aſſeruerunt, quod ad generale concilium domini Papæ quatuor Epiſcopi de Anglia tantū Romam mittendi ſunt. Congregatis itaque vniuerſis Romæ in præſentia domini Papæ *Alexandri*, ipſe Papa in Lateranenſi Eccleſia, in eminentiori loco cum Cardinalibus ſuis, & præfectis & ſenatoribus, & conſulibus vrbis, conſtitutus, feria ſecunda tertiæ hebdomadæ Quadrageſimæ, quæ tertio nonas Martii euenit, primum concilii ſui diem celebrauit. ſimiliter ſecundum concilii ſui diem celebrauit quarta feria ſequentis hebdomadæ, quæ ſecundo Idus Martii euenit. In quo concilio W*illielmus* Remenſis Archiepiſcopus factus eſt presbyter Cardinalis ad titulum ſanctæ *Sabinæ*, & *Henricus* abbas Clareualenſis factus eſt Epiſcopus Cardinalis Albanenſis. Et dominus Papa tertium diem concilii ſui celebrauit, ſecunda feria, ante dominicam in Ramis palmarum, quæ quarto decimo Kalendarum Aprilis euenit. In quibus hæc decreta ſubſcripta generaliter obſeruanda conſtituit.

DECRETA ALEXANDRI PAPAE, DE Romano Pontifice eligendo.

LIcet de vitanda diſcordia Romani Pontificis in electione manifeſte ſatis à prædeceſſoribus noſtris conſtituta manauerint: quia tamen ſæpe poſt illa, per improbæ ambitionis audaciam, grauem paſſa eſt ſciſſuram Eccleſia, nos etiam ad malum hoc euitandum de conſilio fratrum noſtrorum, & ſacri approbatione concilii aliquid decernimus adiungendū. Statuimus igitur, vt ſi ab inimico forte homine ſuperſeminante Zicania inter Cardinales de ſubſtituēdo Pontifice non potuerit eſſe plena cōcordia: duabus partibus concordantibus, cum tertia pars concordare noluerit, aut ſibi alium præſumpſerit nominare vel ordinare, ille abſq; vlla exceptione ab vniuerſa Eccleſia Romanus Pontifex habeatur, qui à duabus partibus electus fuerit, & receptus. Si quis autem de tertiæ partis vocatione vel no-

vel nominatione confiſus, quia ratione non poteſt, nomen ſibi vſurpauerit, tam ipſe, quã qui eum receperint, excõmunicationi ſubiaceant, & totius ſacri ordinis priuatione mulctentur: ita vt viatici eis niſi tantum in extremis communio denegetur, & niſi reſipuerint, cum *Dathan & Abiram*, quos terra viuos deglutiuit, accipiant portionem. Præterea ſi à paucioribus aliquis quam à duabus partibus electus fuerit ad Apoſtolatus officium, niſi maior concordia interceſſerit, nullatenus aſſumatur, & prædictæ pœnæ ſubiaceat, niſi humiliter voluerit abſtinere. Ex hoc tamen nullum canonicis conſtitutionibus præiudicium generetur, in quibus maioris, & ſanioris partis debet præualere ſententia: quia quod eis in dubium venerit ſuperioris poterit iudicio definiri. In Romana vero Eccleſia ſpirituale aliquid conſtituitur, quia non poteſt ad ſuperiorem recurſus haberi.

QVALITER PRAELATI DEBEANT proferre ſententiam in ſubiectos.

REprehenſibilis valde conſuetudo in quibuſdam partibus inoleuit, vt cum fratres & Coepiſcopi noſtri, ſeu etiam Archidiaconi, appellantes quoſdam in cauſis ſuis exiſtimant, nulla penitus admonitione præmiſſa, ſuſpenſionis & excommunicationis in eos ſententiam ferunt. Alii etiam dum ſuperioris ſententiam & diſciplinam canonicam reformidant, ſine vllo grauamine appellationem obiiciunt, & defenſionem iniquitatis vſurpant, quod ad præſidium innocentium dignoſcitur inſtitutum. Quocirca vel prælati ſententia valeat grauare ſubiectos, vel ſubditi pro ſola voluntate ſub appellationis obtentu correptionem valeant eludere prælatorum; præſenti decreto ſtatuimus, vt nec prælati, niſi canonica admonitione præmiſſa ſuſpenſionis vel excommunicationis ſententiam proferant in ſubiectos, niſi forte talis ſit culpa, quæ ipſo ſuo genere ſuſpenſionis vel excõmunicationis pœnam inducat, nec ſubiecti contra diſciplinam Eccleſiaſticam ante cauſę ingreſſum in vocem appellationis erumpant. Si vero quiſquam pro ſua neceſſitate crediderit appellãdum, competens ei ad proſequendam appellationem terminus præfigatur. Infra quem ſi forte proſequi neglexerit, libere tunc Epiſcopus auctoritate ſua vtatur. Si autem in quocunque negotio aliquis appellauerit, & eo qui appellatus fuerit veniente qui appellauerit venire neglexerit: ſi proprium quid habuerit, competentem illi recompenſationem faciat expenſarum, vt hic ſaltem deterritus in grauamen alterius non facile quis appellet. Præcipue vero, & in locis religioſis, volumus obſeruari, ne Monachi ſiue quicunque religioſi, cum pro aliquo exceſſu fuerint corrigendi, contra regularem prælati ſui & capituli diſciplinam appellare pręſumant: ſed humiliter ac deuote ſuſcipiant quod pro ſalute ſua ſciant iis iniunctum.

QVALITER PRAELATI DEBEbeant cum ſubiectis hoſpitare.

CVm Apoſtolus ſe & ſuos propriis manibus decreuerit exhibendos, vt locum prædicandi auferret pſeudo apoſtolis, & illis, quibus prædicabat non oneroſus exiſteret: graue nimis & emendatione dignum eſſe dignoſcitur, quod quidam fratrũ & Coepiſcoporum noſtrorum ita graues in procurationibus ſubditis ſuis exiſtunt, vt pro huiuſmodi cauſa ipſa etiam Eccleſiaſtica ornamenta ſubditi exponere compellantur, & longi temporis victum breuis hora conſumat. Quocirca conſtituimus, quod Archiepiſcopi parochias viſitantes, pro diuerſitate prouinciarum & facultatibus Eccleſiarum quadrageſimũ vel quinquageſimum euectionis numerum, Epiſcopi vero viceſimum, aut triceſimum, Cardinales viginti aut viginti quinque nequaquam excedant; Archidiaconi quinque aut ſeptem, decani, conſtitutis ſub ipſis duobus equis, contenti exiſtant. nec cum canibus venatoriis proficiſcantur, & auibus, nec ſumptuoſas epulas requirant: ſed cũ gratiarum actione recipiant, quod honeſte & cõpetenter illis fuerit miniſtratum. Prohibemus ẽt, ne ſubditos ſuos talleiis & exactionibus Epiſcopi grauare præſumant, & ita procedant, vt nõ quæ ſua ſunt, ſed quæ *Ieſu Chriſti* quærere videantur. Cum enim dicat Apoſtolus, *Non debent filii theſaurizare parentibus, ſed parentes filiis*, multum longe à paterna pietate videtur, ſi præpoſiti ſubiectis ſuis graues exiſtant, quos in cunctis neceſſitatibus paſtoris debẽt more fouere. Archidiaconi vero, ſiue decani, nullas exactiones vel taillias in presbyteros ſiue clericos exercere præſumant. Sane quod de prædicto numero vectionum ſecundum tolerantiam dictum eſt, in illis locis poterit obſeruari, in quibus ampliores fuerint redditus & Eccleſiaſticæ facultates. In pauperibus autem locis tantam volumus teneri menſuram, vt ex acceſſu maiorum minores nõ doleant ſe grauari, ne ſub tali indulgentia

illi, qui paucioribus equis vti ſolebant, plurium ſibi credant poteſtatem indultam. Suſtinemus autem pro multis neceſſitatibus, quæ aliquotiens ſuperuenerint, vt ſi manifeſta & rationabilis cauſa extiterit, cum charitate moderatum auxilium valeant poſtulare.

NE NOVI CENSVS IMPO-*nantur Eccleſiis.*

CVm in Eccleſiæ corpore omnia debeant ex charitate tractari, & quod gratis receptum eſt, gratis debeat impendi: horribile nimis eſt quod in quibuſdam Eccleſiis locum venalitatis perhibetur habere, ita vt pro Epiſcopis vel abbatibus, ſeu quibuſcunq; perſonis Eccleſiaſticis ponendis in ſede, ſeu introducendis presbyteris in Eccleſia, nec nō pro ſepulturis & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, ſeu aliis Eccleſiaſticis ſacramentis requiratur; & non poſſit ille q̄ indiget iſta percipere, niſi manum implere curauerit largitoris. Putant etiam ſibi ex hoc plures licere, quia legem mortis de longa inualuiſſe conſuetudine arbitrantur, non ſatis, quia cupiditate excæcati ſunt, attendentes, quod tanto grauiora ſunt crimina, quanto diutius animum tenuerint alligatum. Ne igitur hoc de cætero fiat, vel pro perſonis Eccleſiaſticis deducendis ad ſedem, vt ſacerdotibus inſtituendis, aut ſepeliendis mortuis, ſeu in benedicendis nubentibus, ſiue aliis ſacramentis exigatur, diſtrictius inhibemus. Si quis autem contra hoc venire præſumpſerit, portionem cum *Giezi* ſe nouerit habiturum, cuius factum turpis muneris exactione imitatur. Prohibemus inſuper, ne ab Epiſcopis vel abbatibus, aliiſue prælatis, noui cenſus imponantur Eccleſiis, nec veteres augeantur, nec partem redditutum ſuis vſibus appropriare præſumant: ſed libertatem, quam maiores ſibi conſeruari deſiderant, minoribus quoq; ſuis bona voluntate conſeruent. Si quis autem aliter egerit, irritum quod egerit habeatur.

PROHIBENTVR CHRISTIANI *ne ſeruiant Saracenis.*

ITa quorundam animos occupauit ſæua cupiditas, vt cum glorientur nomine Chriſtiano, Saracenis arma deferant, & pares aut etiam ſuperiores in malitia fiant eis, cum ad expugnandos Chriſtianos eis arma & neceſſaria ſubminiſtrant. Sunt etiam, qui pro ſua cupiditate in galeis, & piraticis Saracenorum nauibus, regimen & curam gubernationis exercent. Tales igitur ab Eccleſiæ communione præciſos, & pro ſua iniquitate excommunicationi ſubditos, & rerum ſuarum per principes catholicos & conſules ciuitatum priuatione mulctari, & capientium ſeruos ſi capti fuerint, fore cenſemus. Præcipimus etiam vt per eccleſias maritimarum vrbium crebra & ſolennis excommunicatio in eos proferatur. Excommunicationis pœnæ ſubdantur, qui Romanos, aut alios Chriſtianos pro negotiatione aut aliis honeſtis cauſis nauigio vectos, aut capere aut rebus ſuis ſpoliare præſumunt. Illi etiam qui Chriſtianos naufragium patientes, quibus ſecundum regulam fidei auxilio eſſe tenentur, damnoſa cupiditate rebus ſuis ſpoliare præſumunt, niſi ablata reddiderint, excommunicationi ſe nouerint ſubiacere.

NE TORNEAMENTA FIANT.

FÆlicis memoriæ Papæ *Innocentii & Eugenii* prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, deteſtabiles nundinas vel ferias, quas vulgo torneamenta vocant, in quibus milites ex dicto conuenire ſolent, & ad oſtentationem virium ſuarum, & audaciæ, temere congrediuntur, vnde mortes hominum & pericula animarum ſæpe proueniunt, fieri prohibemus. Quod ſi quis eorum ibi mortuus fuerit, quamuis ei pœnitentia non denegetur, Eccleſiaſtica tamen careat ſepultura.

DE TREVGIS SERVANDIS.

TReugas à quarta feria poſt occaſum ſolis vſq; ad ſecundam feriam poſt ortum ſolis, & ab Aduentu Domini vſq; ad Octauas Epiphaniæ, & à Septuageſima vſque ad Octauas Paſchæ, ab omnibus inuiolabiliter obſeruari præcipimus. Si quis autem treugam infringere tentauerit, poſt tertiam commonitionem ſi non ſatisfecerit, Epiſcopus ſuus excommunicationis ſententiam dictet, & ſcriptam vicinis Epiſcopis annunciet. Epiſcoporum autem nullus excommunicatum in communione ſuſcipiat, immo ſcripto ſuſceptam ſententiam quiſq; confirmet. ſi quis autem hoc violare præſumpſerit, ordinis ſui periculo ſubiaceat. & quoniam funiculus triplex difficile rumpitur, præcipimus vt Epiſcopi ad ſolum Deum & ſalutem populi habentes reſpectum, omni cupiditate ſopita, ad pacem firmiter tenendam mutuum in conſilium & auxilium impendant, nec alicuius

amore

amore vel odio prætermittant. Quod ſi quis in hoc opere Dei tepidus inuentus fuerit, damnum propriæ dignitatis amittat.

DE ABOLENDIS ORDINATIOnibus ab Antipapis introductis.

QVod à prædeceſſore noſtro fœlicis memoriæ Papa *Innocentio* factum eſt innouantes, ordinationes ab *Octauiano, Guidone*, hereſiarchis nec non & *Iohanne* Strumenſi qui eos ſequutus eſt, factas, & ab ordinatis ab iis irritas eſſe cenſemus. adiicientes etiam vt qui dignitates Eccleſiaſticas ſeu beneficia per prædictos ſchiſmaticos acceperunt, careant impetratis. Alienationes etiam ſiue inuaſiones quæ per eoſdem ſchiſmaticos, ſeu per Laicos factæ ſunt, de rebus Eccleſiaſticis omni careant firmitate, & ad Eccleſiam ſine omni onere reuertantur. Si quis autem contraire præſumpſerit, excommunicationi ſe nouerit ſubiacere. Illos autem qui ſponte ſacramenta de tenendo ſchiſmate præſtiterunt, à ſacris ordinibus & dignitatibus decernimus manere ſuſpenſos.

QVALES DEBENT ESSE, QVI eligendi ſunt ad regimen Eccleſiæ.

CVm in cunctis ſacris ordinibus & Eccleſiaſticis miniſteriis, & ætatis maturitas & grauitas morum, & literarum ſcientia ſit quærenda: multo fortius in Epiſcopo hoc inquiri oportet, qui ad curam aliorum poſitus, in ſe ipſo debet oſtendere, qualiter alios oporteat in domo Domini conſeruare ea propter, ne quod à quibuſdam ex neceſſitate tẽporis factum eſt in exemplum trahatur à poſteris; præſenti decreto ſtatuimus vt nullus in epiſcopum eligatur, niſi qui iam triceſimum annum ætatis egerit, & de legitimo ſit matrimonio natus: qui etiam vita & ſcientia commendabilis demonſtretur. Cum autem, qui electus fuerit, & confirmationem electionis acceperit, & Eccleſiaſticorum bonorum adminiſtrationem habuerit, decurſo tempore de conſecrandis Epiſcopis à canonibus definito, ad quem ſpectant beneficia quæ habuerat * diſtribuendi, de his liberam obtineat facultatem. Inferiora etiam miniſteria vtputa Decanatus, Archidiaconatus, & alia, quæ animarum curam habent annexam, nullus omnino accipiat, ſed nec parochialium Eccleſiarum regimen, niſi qui iam viceſimum quintum annum ætatis habuerit, & qui ſcientia & moribus commendabilis exiſtat. Cũ autem aſſumptus fuerit, ſi Archidiaconus in Diaconum: Decanus & reliqui admoniti non fuerint, præfixo à canonibus tempore in presbyteros ordinati, & ab illo remoueantur officio, & alii conferatur, qui & velit & poſſit illud conuenienter implere, nec proſit eis appellationis diffugium, ſi forte in tranſgreſſione conſtitutionis iſtius per appellationem ſe voluerit tueri. Hoc ſane non ſolum de promouendis, ſed de his etiam, qui iam promoti ſunt, ſi canones non obſiſtant, præcipimus obſeruandum. Clerici ſane ſi contra formam iſtam quenquam elegerint, & eligendi poteſtate tunc priuatos, & ab Eccleſiaſticis beneficiis triennio nouerint ſe ſuſpenſos. Dignum eſt enim, vt quos Dei timor à malo non reuocat, Eccleſiaſticæ ſaltem coerceat ſeueritas diſciplinæ. Epiſcopus autem, ſi aut contra hoc fecerit, aut conſenſerit fieri, in conferendis prædictis officiis poteſtatem ſuam amittat, & per capitulum, aut per Metropolitanum, ſi etiam capitulum concordare nequiuerit ordinetur.

al. diſponendi.

DE HAERETICIS.

SIcut ait beatus *Leo, Licet Eccleſiaſtica diſciplina ſacerdotali contenta iudicio cruentas effugiat vltiones*, catholicorum tamen principum conſtitutionibus adiuuatur, vt ſæpe quærant homines ſalutare remedium, dum corporale ſuper ſe metuerint euenire ſupplicium. Ea propter quia in Waſconia, Albegeſio, & aliis locis ita hæreticorum, quos alii Catarros, alii Publicanos, alii Paterinos, alii aliis nominibus vocant, inualuit damnata peruerſitas, vt iam non in occulto ſicut alibi nequitiam ſuam exerceant: ſed errorem ſuum publice manifeſtant, & ad conſenſum ſuum ſimplices attrahant & infirmos: eos & defenſores eorum & receptores anathemati decernimus ſubiacere, & ſub anathemate prohibemus, ne quis ipſos in domo vel in terra ſua tenere vel fouere, vel negotiationem cum eis exercere præſumat. Si autem in hoc peccato deceſſerint, nec ſub priuilegiorum noſtrorum quibuſque obtentu indultorum, ne ſub aliqua quacunq; occaſione oblatio pro eis fiat, aut inter Chriſtianos accipiant ſepulturam. De Brabanconibus, & Arragonenſibus, Nauarriis, & Baſclis, & Coterellis qui tantam in Chriſtianos immanitatẽ exercent, vt nec eccleſiis, nec monaſteriis deferant, nec viduis aut pupillis, nec pueris, aut ſenibus, nec cuilibet parcant ætati, aut ſexui; ſed more Paganorum omnia perdant, & vaſtent ſimiliter conſtituimus,

Conſtituimus etiam, vt ipſi, qui eos conduxerint, vel tenuerint, vel fouerint, vel religiones, in quibus talia debacchantur in Dominicis & aliis diebus ſolennibus per Eccleſias excommunicati publice nuntientur, & eadem omnino ſententia & pœna cum prædictis hæreticis habeantur aſtricti, nec ad communionem recipiantur Eccleſiæ, niſi ſocietate illa peſtifera & hæreſi abiuratis. Relaxatos autem ſe nouerint à debito fidelitatis ſeu hominii aut totius obſequii, dum in tanta iniquitate permanſerint, quicunq; pacto illis teneantur annexi. Illis autem cunctiſq; fidelibus in remiſſionem iniungimus omnium peccatorum, vt tantis cladibus ſe viriliter opponant, & contra eos armis tueantur populum Chriſtianum. Confiſcentur quoq; bona eorum, & liberum ſit principibus huiuſmodi peſtilentes homines ſubiicere ſeruituti. Qui autem in vera pœnitentia ita diſceſſerint, & peccatorum indulgentiam, & fructum mercedis æternæ ſe non dubitent habituros. Nos autem de miſericordia Dei, & beatorum *Petri & Pauli* Apoſtolorum authoritate confiſi, fidelibus Chriſtianis, qui contra eos ſuſceperint, & ad eorum ſiue aliorum prælatorum conſilium, ad eos decertauerint expugnandos, biennium de iniuncta pœnitentia relaxamus: aut ſi longiorem ibi moram habuerint, Epiſcoporũ diſcretioni, quibus huius rei cura fuerit iniuncta, committimus, vt ad eorum arbitrium ſecundum modum laboris maior eis indulgentia tribuatur. Illos autem, qui admonitionem Epiſcoporum in huiuſmodi parere contempſerint, à perceptione corporis & ſanguinis Domini iubemus eſſe immunes. Interim vero eos, qui ardore fidei ad expugnandum eos laborem iſtum aſſumpſerint, ſicut eos, qui ſepulchrum Domini viſitant, ſub Eccleſiæ defenſione recipimus, & ab vniuerſis inquietationibus, tã in rebus quam in perſonis, ſtatuimus manere ſecuros. Si vero quiſquam interim eos moleſtare præſumpſerit, per Epiſcopum loci excommunicationis ſententia feriatur, & talis ſententia ab omnibus obſeruetur, donec & ablata reddantur, & de illatis damnis congrue ſatisfaciat. Epiſcopi vero ſiue presbyteri, qui talibus forte non reſtiterint, officii ſuſpenſione multentur, donec miſericordiam ſedis Apoſtolicæ obtineant.

LEPROSI SEMETIPSIS PRIVAtam habeant Eccleſiam, & cœmiterium.

CVm dicit Apoſtolus *Paulus abundantiorem honorem membris inferioribus deferendum*; è contra quidam quæ ſua ſunt non quæ *Ieſu Chriſti* quærentes leproſis qui cum ſanis habitare non poſſunt, vel ad Eccleſiam cum aliis conuenire, Eccleſias & cœmiteria non permittunt habere, nec proprii vicarii miniſterium ſacerdotis. Quod quia procul à pietate Chriſtiana eſſe dignoſcitur, de benignitate Apoſtolica conſtituimus, vt vbicunque tot ſub communi vita fuerint congregati, quod Eccleſiam cum cœmiterio ſibi conſtituere & proprio valeant gaudere presbytero ſine contradictione aliqua permittantur habere. Caueant tamen vt iniurioſi veteribus Eccleſiis nequaquã exiſtant, de iure parochiali. Quod enim pietate conceditur, ad aliorum iniuriam nolumus redundare. Statuimus etiam, vt de ortis & nutrimentis animalium ſuorum decimas tribuere non cogantur.

NE CHRISTIANI HABITENT cum Iudæis vel Sarracenis.

IVdæi ſiue Sarraceni nec ſub Alexandrorum puerorum obtentu, nec pro ſeruitio vel aliqua qualibet cauſa Chriſtiana mancipia in domibus ſuis permittantur habere. Excõmunicentur autem, qui cum iis præſumpſerint habitare, teſtimonium quoque Chriſtianorum aduerſus Iudæos in omnibus cauſis, cum illi aduerſus Chriſtianos teſtibus ſuis vtantur, recipiendum eſſe cenſemus: & anathemate decernimus eſſe feriendos, quicunq; Iudæos Chriſtianis voluerint in hac parte præferre, cum eos Chriſtianis oporteat ſubiacere, & ab iis pro ſola humanitate foueri. Si qui vero præterea Deo inſpirante ad fidem ſe cõuerterint Chriſtianam à poſſeſſionibus nullatenus excludantur, cũ melioris cõditionis cõuerſos ad fidem eſſe oporteat, quam anteq̃ fidem ſuſciperent habebantur. Si autem ſecus factum fuerit, principibus ſeu poteſtatibus eorundem locorum ſub pœna excommunicationis iniungimus, vt portionem hæreditatis & bonorum ſuorum ex integro eis faciant exhiberi.

NE MONACHVS VEL ALIVS religioſus recipiatur ſub pretio.

MOnachi non ſub pretio recipiantur in monaſterio, non peculium permittantur habere; non ſinguli per villas & oppida ſiue quaſcunq; parochiales ponantur eccleſias: ſed in maiori conuentu, aut cum aliquibus fratribus maneant, nec ſoli inter ſeculares homi-

mines ſpiritualium hominum conflictum expectent: *Salomone* dicente, *Va ſoli, nam cadit & non eſt qui eum ſubleuet.* Si quis autem exactus à ſua receptione aliquid dederit, ad ſacros ordines non accedat, is autem, qui eum receperit officii ſui priuatione multetur. Si vero peculium habuerit, niſi ab Abbate fuerit pro iniuncta adminiſtratione permiſſum, à communione altaris remoueatur, & qui in extremis cum peculio inuentus fuerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres recipiat ſepulturam. Quod etiam de diuerſis religioſis præcipimus obſeruari. Abbas autem qui diligenter iſta non curauerit officii ſui iacturam ſe nouerit incurſum, prioratus vero ſiue obedientiæ pretii datione nulli tradantur. Alioquin dantes & accipientes à miniſterio Eccleſiaſtico fiant alieni. Priores vero cum in cõuentualibus eccleſiis fuerint conſtituti, niſi pro manifeſta & rationabili cauſa non mutentur; videlicet ſi dilapidatores fuerint, ſi incontinenter vixerint, aut tale aliquid egerint, pro quo amouendi merito videantur, aut ſi etiam pro neceſſitate maioris officii de conſenſu fratrum fuerit transferendus.

NE ALIQVIS MVLTAS habeas Eccleſias.

QVoniam nonnulli modum auaritiæ non ponentes, & diuerſas dignitates Eccleſiaſticas, & plures Eccleſias parochiales præter Sanctorum canonum inſtituta nituntur adquirere, ita vt cum vnum officium vix implere ſufficiant, ſtipendia ſibi vendicent plurimorum, ne id de cætero fiat diſtrictius prohibemus. Cum igitur vel Eccleſiaſticum miniſterium committi debuerit, talis ad hoc perſona quæratur, quæ reſidere in loco, & cauſam eius per ſeipſum valeat exercere. Quod ſi aliter actum fuerit, & qui receperit, quod contra ſacros canones receperit, amittat, & qui dederit, largiendi poteſtate priuetur, & qa in tantum iam quorundam proceſſit ambitio, vt non duas vel tres, ſed ſex aut plures perhibeantur habere, cum nec duabus poſſint debitam prouiſionem impendere, per fratres & Coepiſcopos noſtros hoc emendari præcipimus, & de multitudine canonibus inimicã, quæ diſſolutionis materiã & euagationis inducit, & certũ continet periculum animarum eorũ, qui eccleſiis deſeruire valeant indigentiam ſubleuari. Præterea quia in tantum laicorum quorundã proceſſit audacia, vt Epiſcoporum authoritate neglecta clericos inſtituant in eccleſiis, & remoueant ẽt eum voluerint; poſſeſſiones quoq; atq; alia eccleſiaſtica bona pro ſua plærumq; voluntate diſtribuant, & tam eccleſias ipſas quam homines earum taillis & exactionibus grauare præſumunt. Eos ſiquidem q à modo iſta commiſerint, anathemate decernimus eſſe feriendos. Presbyter autem ſiue clericus, qui eccleſiam ſine proprii epiſcopi authoritate per laicos receperit, communione priuetur; & ſi perſtiterit, à miniſterio eccleſiaſtico & ordine deponatur. Sane quia laici quidam eccleſiaſticas perſonas & ipſos ẽt epiſcopos iudicio ſuo ſtare compellunt: eos qui de cætero id præſumpſerint à communione fidelium decernimus ſegregandos. Prohibemus etiam ne laici decimas cum animarum ſuarum periculo detinentes, in alios laicos poſſint aliquo modo transferre. Si quis vero receperit, & eccleſiæ nõ reddiderit, Chriſtiana ſepultura priuetur.

NE MANIFESTVS VSVRARIVS recipiatur ad communionem altaris.

QVia in omnibus fere locis crimen vſurarum inualuit; vt multi negotiis prætermiſſis quaſi licite vſuras exerceant; & qualiter vtriuſq; teſtamenti pagina condemnetur, non attendunt: ideo conſtituimus, vt vſurarii manifeſti nec ad communionem recipiantur altaris, nec Chriſtianam, ſi in hoc peccato deceſſerint, accipiant ſepulturam, ſed nec oblationem eorum quiſquam accipiat. Qui autem acceperit, aut Chriſtianæ tradiderit ſepulturæ, & ea quæ acceperit reddere compellatur, & donec ad arbitrium ſui epiſcopi ſatisfaciat ab officii ſui executione maneat ſuſpenſus.

DE TESTAMENTIS CLERICORVM.

CVm in officiis charitatis primo videamur illis obnoxii, à quibus beneficium nos cognouimus recepiſſe, è contra quidam clerici cum ab Eccleſiis ſuis multa bona perceperunt, bona per Eccleſias acquiſita in alios transferre præſumunt. Hoc igitur quamuis in antiquis canonibus conſtat eſſe inhibitum, nos etiam nihilominus inhibemus. Indemnitati itaq; eccleſiæ prouidere volentes, ſiue inteſtati deceſſerint, ſiue aliis conferre voluerint, penes eccleſias eadem bona præcipimus remanere. Præterea quoniam quidam in quibuſdam partibus ſub pretio ſtatuũtur, qui decani vocantur, & pro certa quantitate pecuniæ epiſcopalẽ iuriſdictionem exercent, p̃ſenti decreto ſtatuimus, vt qui de cætero id præ-

ſumpſerit, officio ſuo priuetur, & Epiſcopus conferendi hoc officium poteſtatem amittat.

DE ORDINATIONE ECCLESIARVM.

CVm in cunctis Eccleſiis quod pluribus & ſenioribus fratribus viſum fuerit incunctanter debet obſeruari, graue nimis & digniſſimum reprehenſione, quod per quaſdam Eccleſias pauci, quoniam non tam de ratione quam de propria voluntate ordinationem multorum impediunt, & ordinationem Eccleſiaſticam procedere non permittunt. Quocirca præſenti decreto ſtatuimus, vt niſi à paucioribus & minoribus rationabile aliquid fuerit oſtenſum, appellatione remota præualeat ſemper, & ſuum conſequatur effectum, quod à maioris & ſenioris conſilii parte fuerit conſtitutum. Nec conſtitutionem noſtram impediat, ſi aliquis ad conſeruandam Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem ſe iuramento dicat eſſe conſtrictum. Non enim dicenda ſunt iuramenta ſed periuria potius, quæ contra vtilitatem Eccleſiaſticam, & Sanctorum patrum veniunt inſtituta. Si quis autem huiuſmodi conſuetudines, quæ nec ratione iuuantur, nec ſacris congruunt inſtitutis, iurare præſumpſit, donec condignam egerit pœnitentiam, à Dominici corporis perceptione exiſtat alienus.

DE PRAESENTATIONE CLERICORVM.

QVum in quibuſdam locis fundatores Eccleſiarum aut hæredes eorum poteſtate, in quam Eccleſia eos hucuſque ſuſtinuit, abutuntur: & quum in Dei Eccleſia vnus debeat eſſe qui præſit, ipſi plures ſine reſpectu ſubiectionis eligere moliuntur; & quum vna Eccleſia vnius debeat eſſe rectoris, pro ſua defenſione plurimos repræſentant. Quocirca præſenti decreto ſtatuimus, vt ſi plures partes fundatorum ſe in contraria vota diuiſerint, ille præficiatur Eccleſiæ, qui moribus iuuatur & meritis, & plurimorum eligitur & probatur aſſenſu. Si autem hoc ſine ſcandalo eſſe nequiuerit, ordinet antiſtes Eccleſiam ſicut melius ſecundum Deum nouerit ordinandam, & idipſum faciat etiamſi de iure patronatus quæſtio emerſerit inter aliquos, & ſi cui competat infra tres menſes fuerit definitum.

DE PACE SERVANDA.

INnouamus etiam, vt presbyteri, clerici, monachi, conuerſi, peregrini, mercatores, ruſtici, euntes & redeuntes, & in agricultura exiſtentes, & animalia, quibus arant, & quæ cætera portant in agrum congrua ſecuritate lætentur: nec quiſquam alicubi nouas rectorum exactiones, ſine authoritate & conſenſu regum & principum, ſtatuere, aut ſtatutas de nouo tenere, aut veteres attentare aliquo modo præſumant. Si quis autem contra hoc fecerit, & commonitus non deſtiterit donec ſatisfaciat, communione careat Chriſtiana.

NE ECCLESIASTICA BENEFICIA *alicui permittantur, antequam vacent.*

NVlla Eccleſiaſtica beneficia, ſeu etiam miniſteria, vel Eccleſiæ alicui tribuantur, ſeu promittantur, antequam vacent, ne deſiderare quis mortẽ proximi videatur, in cuius locum, & beneficium ſe crediderit ſucceſſurum. Cum enim id etiam in ipſis gentiliũ legibus inueniatur inhibitum, turpe nimis eſt & diuini plenum animaduerſione iudicii, ſi locum in Eccleſia Dei futuræ ſucceſſionis expectatio habeat, quam etiam ipſi gentiles homines condemnare curauerunt. Cum vero præbendas Eccleſias, ſeu quælibet officia in aliqua Eccleſia vacare contigerit, vel ſi etiam modo vacant, non diu maneant in ſuſpenſo, ſed infra ſex menſes perſonis, quæ digne adminiſtrare valeant, conferantur. Si autem Epiſcopus, vbi ad eum ſpectauerit conferre diſtulit, per capitulum ordinetur. Quod ſi ad capitulum electio pertinuerit, & infra præſcriptum terminum hoc non fecerit, Epiſcopus ſecundum Deum hoc cum religioſorum virorum conſilio exequatur. Aut ſi omnes forte neglexerint, metropolitanus de Epiſcopis ſecundum Deum abſque illorum contradictione diſponat.

NE ALIQVIS ORDINETVR *ſine certo titulo.*

EPiſcopus ſi aliquem ſine certo titulo, de quo neceſſaria vitæ percipiat in diaconum vel presbyterum ordinauerit; tamdiu ei neceſſaria ſubminiſtret, donec in aliqua ei Eccleſia conuenientia ſtipendia militiæ clericalis aſſignet, niſi talis forte ordinatus extiterit, qui de ſua vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ poſſit habere.

NE

NE CLERICI IN SACRIS ORDInibus conſtituti focarias habeant.

CLerici in ſacris ordinibus conſtituti, qui mulierculas in domibus ſuis ſub incontinentię nota tenuerint, aut abiiciant eas & continenter viuant, aut beneficio & officio fiant Eccleſiaſtico alieni. Quicunq; in incontinentia illa, quæ contra naturam eſt, propter quam ira Dei venit in filios diffidentiæ, & quinq; ciuitates igne conſumpſit, deprehenſi fuerint laborare: ſi clerici fuerint, eiiciantur à clero, vel ad agendam pœnitentiam in monaſterio retrudantur: ſi laici, excommunicationi ſubdantur, & à cœtu fidelium fiant penitus alieni. Monaſteria præterea Sanctimonialium ſi quiſquam clericus ſine manifeſta & neceſſaria cauſa frequentare præſumpſerit, per Epiſcopum arceatur, & ſi non deſtiterit à beneficio Eccleſiaſtico reddatur immunis.

NE LAICI IMPONANT ECCLESIIS ONERA.

NOn minus pro illorum peccato qui faciunt, quam pro illorum detrimento qui ſuſtinent, graue nimis eſſe dignoſcitur, quod in diuerſis partibus mundi rectores & cõſules ciuitatum, nec non & alii, qui poteſtatem videntur habere, tot Eccleſiis onera frequenter imponunt, & ita grauibus eas & crebris exactionibus premunt, vt deterioris cõditionis ſub eis ſacerdotium factum videatur, quam ſub *Pharaone* fuerit, qui Dominicæ legis notitiam nõ habebat. Ille quidem omnibus aliis ſeruituti ſubditis ſacerdotes ſuos & poſſeſſiones eorum in pristina libertate dimiſit, & de publico eis alimoniam miniſtrauit, iſti vero vniuerſa fere onera ſua imponunt Eccleſiis, & tot angariis ipſam affligunt, vt illud ei, quod *Ieremias* deplorat, competere videatur, *Princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo.* Siuequidem foſſata ſeu expeditiones, ſeu alia quælibet ſibi arbitrentur agenda, de bonis Eccleſiarum, clericorum, & pauperum, *Chriſti* vſibus deputatis, cuncta volunt fere complere. Iuriſdictionẽ etiam, & authoritatem Epiſcoporum & aliorum prælatorum ita euacuant, vt nil poteſtatis ei videatur in ſuis hominibus remanſiſſe. Super quo pro Eccleſiis dolendum eſt, nihilominus & pro ipſis, qui timorem Dei Eccleſiaſtici ordinis reuerentiam videntur penitus abieciſſe. Quocirca ſub anathematis diſtrictione ſeuerius prohibemus, ne talia de cætero attentare præſumant, niſi Epiſcopus vel clericus tantam neceſſitatem & vtilitatem inſpexerit, vt abſque coactione ad reuelandas communes neceſſitates, vbi laicorum non ſuppetant facultates, ſubſidia per eccleſias exiſtiment conferenda. Si autem conſules aut alii de cętero iſta commiſerint, & commoniti forte deſiſtere noluerint, tam ipſi quam fautores eorum excommunicationi ſe nouerint ſubiacere, nec communioni fidelium reddantur, niſi ſatisfactionem fecerint competentem.

VT PRAELATI PROVIDEANT magiſtris ſcholarum neceſſaria.

QVoniam Eccleſia Dei & in his quæ ſpectant ad ſubſidium corporis, & in his, quæ ad profectum perueniunt animarum, indigentibus ſicut pia mater prouidere tenetur, ne pauperibus, qui parentum opibus iuuari non poſſunt legendi, & proficiendi opportunitas ſubtrahatur, per vnamquamq; cathedralem Eccleſiam magiſtro, qui clericos eiuſdem Eccleſiæ, & ſcholares pauperes gratis doceat, competens beneficium aliquod præbeatur, quo docentis neceſſitas ſubleuetur, & diſcentibus via pateat ad doctrinam: & in aliis quoq; Eccleſiis reſtituatur, ſeu monaſteriis, ſi retroactis temporibus aliquid in iis fuerat deputatum. Pro licentia vero docendi nullus omnino pretium exigat, vel ſub obtentu alicuius conſuetudinis ab his, qui docent aliquid quærat, nec docere quenquam expedita licentia, qui ſit idoneus interdicat. Qui vero contra hoc venire præſumpſerit ab Eccleſiaſtico fiat beneficio alienus. Dignum quippe eſſe videtur, vt in Eccleſia Dei fructus laboris ſui non habeat, qui cupiditate animi, dum vendit docendi licentiam, eccleſiaſticum profectum nititur impedire.

DECRETVM ALEXANDRI PAPAE, NE Clerici præſumant ſeculares procurationes ſuſcipere.

CLerici in ſubdiaconatu, & ſupra, & in minoribus quoq; ordinibus ſi ſtipendiis Eccleſiaſticis ſuſtentantur coram ſeculari iudice aduocati, in negotiis forenſibus eſſe non præſumant, niſi propriam, vel eccleſiæ ſuæ cauſam fuerint proſecuti, aut pro miſerabilibus forte perſonis, qui proprias cauſas adminiſtrare non poſſunt, ſed nec procuratores villarum, aut iuriſdictiones etiam ſeculares ſub aliquibus principibus, & ſecularibus viris

vt iuſtitiarii eorum fiant, clericorum quiſquam exercere præſumat. Si quis autem aduerſus hoc venire tentauerit, quia contra doctrinam Apoſtoli dicentis, nemo militans Deo implicat ſe ſecularibus negotiis, ſeculariter agit, ab Eccleſiaſtico fiat miniſterio alienus, pro eo quod officio clericali neglecto fluctibus ſeculi vt placeat potentibus ſe immergit. Diſtrictius autem decernimus puniendum, ſi religioſorum quiſquam aliquid prædictorum auſus fuerit attentare.

DECRETVM ALEXANDRI PAPAE de Eccleſia interdicta, & interdictorum ſepultura.

CVm & plantare ſacram religionem & plantatam fouere modis omnibus debeamus, nunquam hoc melius exequamur, quam ſi nutrire quæ recta ſunt, & corrigere quæ profectum veritatis impediunt, commiſſa nobis à Deo authoritate cenſemus. fratrum autem, & Coepiſcoporum noſtrorum vehementi conqueſtione comperimus, quod fratres templi, & Hoſpitalis, alii quoque religioſæ profeſſionis, indulta ſibi ab Apoſtolica ſede priuilegia excedentes, contra Epiſcopalem authoritatem, multa præſumunt, quæ & ſcandalum faciunt in populo Dei, & graue pariunt periculum animarum. propoſuerunt enim quod Eccleſias recipiunt de manibus laicorum: excommunicatos & interdictos ad Eccleſiaſtica ſacramenta, & ſepulturam admittunt in Eccleſiis ſuis, præter eorum cõſcientiam, & quod inſtituant, & amoueant ſacerdotes, & fratribus eorum ad eleemoſynas quærendas euntibus cum indultum ſit, iis vt in eorum aduentu ſemel in anno aperiantur Eccleſiæ, atque in eis diuina celebrentur officia, & vt audiuimus plures ex eis de vna ſiue de pluribus domibus ad interdictum locum ſæpius accedentes, & indulgentiam priuilegiorum in celebrandis officiis abutuntur, & tunc mortuos apud prædictas eccleſias ſepelire præſumunt; occaſione quoq; fraternitatum, quas in pluribus locis faciunt robur Epiſcopalis authoritatis eneruant, dum contra eorum ſententiam ſub aliquorum priuilegiorum obtentu munire cunctos intendunt, qui ad eorum fraternitatem voluerunt ſe conferre. In his autem quia non tam de maiorum conſcientia, vel conſilio, quam de minorum indiſcretione quorundam exceditur, & remouenda ea in quibus excedunt & quæ dubitationem faciunt decernimus declaranda. Eccleſias ſane & decimas de manu laicorum ſine conſenſu epiſcoporum tam illos quam quoſcunq; alios religioſos recipere prohibemus. dimiſſis etiam quas contra tenorem iſtum moderno tempore receperint. Excommunicatos & nominatim interdictos tam ab illis quã ab omnibus aliis iuxta Epiſcoporũ ſententiam ſtatuimus euitandos. In eccleſiis ſuis quæ ad eos pleno iure nõ pertinent inſtituendos presbyteros epiſcopis repræſentent, vt eis quidem de plebis cura reſpondeant, ipſis vero pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem. Inſtitutos autem inconſultis epiſcopis non audeant remouere. Si vero Templarii ſiue Hoſpitalarii ad eccleſiam interdictam venerint, non niſi ſemel in anno ad eccleſiaſticum officium admittantur, nec tunc ibi ſepeliant corpora interdictorum. De fraternitatibus autem hoc cõſtituimus, vt ſi non ſe prædictis fratribus omnino reddiderint, ſed in proprietatibus ſuis duxerint remanendum, propter hoc ab epiſcoporũ ſententia nullatenus eximantur, ſed poteſtatem ſuam ſicut in alios parochianos ſuos exerceant, cum pro ſuis exceſſibus fuerint corrigendi. Quod autem de prædictis fratribus dictum eſt ab aliis quoq; religioſis, qui pſumptione ſua viam præripiunt, & contra canonicas eorum ſententias & tenorem priuilegiorum noſtrorum venire præſumunt, præcipimus obſeruari. Si autem contra inſtitutum hoc venerint; & Eccleſiæ in quibus iſta præſumpſerint, ſubiaceant interdicto, & q. egerint irritum & vacuum habeatur. His itaq; decretis promulgatis, & ab vniuerſo clero & populo circumſtante receptis, epiſcopi & cæteri viri eccleſiaſtici, qui conuenerant, cum munere benedictionis licentiam repatriandi accipere meruerunt.

Eodem anno rex Angliæ filius rediit de Normannia in Angliam in medio Quadrageſimæ, & ad Paſcha ſequens ipſe & rex pater ſuus fuerunt Wintoniæ. Et poſt Paſcha *Richardus* de Luci Iuſtitiarius Angliæ, relicta iuſtitiaria poteſtate, factus eſt canonicus regularis in Abbatia ſua de Leues, quam ipſe in fundo ſuo fecerat, & bonis multis ditauerat; & paulo poſt ibidem obiit. Quo defuncto dominus rex pater magno celebrato concilio apud Windeshores, communi conſilio Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Comitum & Baronum, coram rege filio ſuo, diuiſit Angliam in quatuor partes: & vnicuiq; partium præfecit viros ſapientes ad faciendam iuſticiam in terrra, in hunc modum.

Richardus Epiſcopus Wintoniæ.
Richardus Theſaurarius Regis,
Nicholaus filius *Toroldi*.

Tho-

Thomas Baſſet.
Robertus de Witefeld.
Suthamteſire.
Wilteſire.
Glouceſtreſire.
Dorſete.
Somerſete.
Deuonia.
Cornubia.
Berkeſire.
Oxenefordſire.
Gaufridus Elienſis Epiſcopus.
Nicholaus capellanus Regis.
Gilebertus Pipardus.
Reginaldus de Wiſebec *clericus Regis.*
Gaufridus Hoſee.
Cantebrigeſire.
Hunteduneſire.
Northamteſire.
Leiceſtreſire.
Warewichſire.
Wireceſtreſire.
Herefordſire in Wallia.
Stafordeſire.
Salopeſire.
Iohannes Epiſcopus Norwicenſis.
Hugo Murdac clericus Regis.
Michael Belet.
Richardus del Pec.
Radulfus Brito.
Norfolchie.
Suthfolchie.
Eſſexe.
Hertefordſire.
Midleſex.
Kent.
Surreia.
Sudſexe.
Bukinghamſire.
Bedefordſire.
Godefridus de Luci.
Iohannes Cumin.
Hugo de Gaerſt.
Ranulfus de Glanuilla.
Willielmus de Bendings.
Alanus de Furnellis. Iſti ſex ſunt iuſtitiæ in curia regis conſtituti ad audiendum clamores populi: & eis aſſignatæ erant ſubſcriptæ prouinciæ.
Nortinghamſire.
Derebiſire.
Euerwicſire.
Northumberland.
Weſtmerland.
Cumberland inter Rible & Mereſe.
Loncaſtre.

Eodem Anno *Gaufridus* Comes Brittanniæ, præcepto Regis patris ſui, transfretauit de Anglia in Brittanniam; & congregato exercitu deuaſtauit terram Guiomarii de Leuns, & eum ad deditionem coegit. Eodem anno *Henricus* Rex Angliæ filius rediit de Anglia in Normanniam. Eodem anno *Lodowicus* rex Francorum Conſtantinopolim miſit *Agnetem*

filiam ſuam quam *Ala* vxor ſua regina Francorum, ſoror *Willielmi* Remenſis Archiepiſcopi, ſoror etiam *Henrici & Theobaldi, & Stephani* Comitum, ei pepererat, maritandam *Alexi* filio *Manuelis* Imperatoris Conſtantinopolitani. Eodem anno *Philippus* filius *Lodowici* regis Francorum, & prædictæ *Alæ* reginæ ægrotauit vſq; ad mortem. vnde pater ſuus plurimum condoluit, & diuina reuelatione in ſomnis admonitus, vt deuota peregrinatione adiret beatum *Thomam* Cantuarienſem martyrem, ſi vellet filium ſuum priſtinæ ſanitati reſtitui. Vnde factum eſt quod *Lodowicus* rex Francorum, miſſis legatis ad *Henricum* Regem Angliæ patrem, quæſiuit licentiam & ſecuritatem veniendi in Angliam; & ſine impedimento redire quęſiuit, & obtinuit. Rex igitur Francorum fiduciam habens in Domino, contra multorum conſilium, iter arripuit verſus Angliam. Et aſſumens ſecum *Philippum* Comitem Flandriæ, & *Baldwinum* Comitem de Ginnes, & *Henricum* ducem de Luuain, & Comitem *Willielmum* de Mandeuile, & aduocatum Betuiniæ, & alios Barones de regno Francię, peruenit vſq; Witſand, & inde transfretauit in Angliam & applicuit apud Douere, 11. Kal. Septembris, feria quarta. Cui rex Angliæ pater in littore maris occurrens ſuſcepit cum magno gaudio & honore, ſicut chariſſimum dominum & amicum ſuum, & omnia neceſſaria ſibi & hominibus ſuis honorifice miniſtrauit. Et in craſtino, videlicet vigilia beati *Bartholomæi* apoſtoli duxit eum Cantuariam vſq; ad tumbam S. *Thomæ* martyris. Quo cum veniſſent, *Lodowicus* Rex Francorum obtulit ſuper tumbam beati *Thomæ* martyris vnam cuppam de auro valde magnam & pretioſam, & ad vſus monachorum ibidem Deo ſeruientium centum modios vini in perpetuum, ſingulis annis recipiendos apud Peiſſi in Francia ad omnimodam impenſam Regis Franciæ. Præterea conceſſit eis, quod quæcunq; de cætero emerentur in regno Franciæ ad proprios vſus illorum, quieta ſint de teonnio & omnibus aliis conſuetudinibus & exigentiis. Et hæc omnia fecit eis confirmari charta ſua, quam ipſi receperunt de manu *Hugonis* de Puteaco cancellarii Regis Franciæ, filii *Hugonis* Dunelmenſis Epiſcopi. Tertio autem die ſequenti, Rex Franciæ & ſui, qui cum eo venerant, rege Anglorum eos reducente, reuerſi ſunt ad Douere. & in craſtino, videlicet ſeptimo Kalendas Septembris, die Dominica, rex Franciæ cum ſuis transfretauit de Anglia in Flandriam, & applicuit apud Witſand. Interim *Philippus* filius eius, meritis & precibus beati *Thomæ* martyris priſtinam adeptus eſt ſanitatem. Quo audito rex Franciæ, in magno fluctuans gaudio publico, præcepit edicto, vt omnes principes regni ſui eccleſiaſtici, & ſeculares conuenirent Remis in capite Kalendarum Nouembrium ad coronationem *Philippi* filii ſui. Quibus congregatis *Willielmus* Remenſis Archiepiſcopus præfatũ *Philippum* filium *Alæ* ſororis ſuæ iam quintum decimum annũ ætatis ſuæ agentem coronauit, & in regem vnxit Remis in Eccleſia ſedis Pontificalis die ſolemnitatis omnium Sanctorum, miniſtrantibus ei in illo officio *Willielmo* Turonenſi, & Bituricenſi, & Senonenſi Archiepiſcopis, & fere omnibus epiſcopis regni. *Henricus* autem rex Angliæ filius, in progreſſione à thalamo vſq; in Eccleſiam ipſo die coronationis, ibat ante illum geſtans coronam auream de iure ducatus Normanniæ, qua prædictus *Philippus* coronandus erat. & *Philippus* Comes Flandriæ præibat, ferens ante illum gladium regni. Alii vero duces, Comites, & barones præibant, & ſequebantur diuerſi diuerſis deputati obſequiis, prout rex exigebat. Sed *Lodowicus* Rex pater eius, ſenio & morbo laborans paralytico, coronationi illius intereſſe non potuit. Nam cum ab Anglia rediret, & ad beatum *Dionyſium* iter arriperet, ſubito percuſſus frigore, incidit in paralyſim, & vſum dexteræ partis corporis ſui amiſit. Eodem anno obiit *Rogerus* Wigornenſis Epiſcopus apud Turonim & ibi ſepultus eſt. Eodem anno obiit *Willielmus* Comes Albemarlię, & ſepultus eſt in Abbatia ſua de Tornctun. Eodem anno Tuſcani & Piſani, & homines de Luca, & ciues de Piſtura, & ciues de Florentia, & homines de Valle Arne, & *Hugelinus* de Valle Spolitæ concilium fecerunt, vt dolo caperent *Chriſtianum* Maguntinum Archiepiſcopum, *Frederici* Romanorum Imperatoris Cancellarium; qui poſt pacem factam inter dominum Papam & prædictum Imperatorem apud Venetiam in Riuo alto, remanſerat in Tuſcana, & eos grauibus vexationibus ad inopiam redegerat. Facta itaque conuentionẽ, conuenerunt *Conradum* filium *Willielmi* Marchias de monte Ferrato, vt eum dolo caperet: ipſe enim præfatum Cancellarium odio habebat, ſed iam cum eo pacem fecerat. Ad inſtigationem itaque cæterorum, & *Manuelis* Imperatoris mandato, qui ei multas promiſit diuitiarum facultates, ſi præfatum cancellarium cepiſſet: *Conradus* venit in manu forti ad ciuitatem de Camerin, vbi cancellarius ille cum paucis ſuorum conuenerat, & *Conradus* iniectis in eum manibus tenuit, & in compedibus miſſum ſecum duxit, & incarcerauit eum primo in caſtello, quod vocatur Sanctus *Flauianus*, ſecundo incarcerauit eum in roca Venais, tertio incarcerauit eum apud Eghepen-

dant,

dant, & tradidit eum *Bonifacio* fratri ſuo in cuſtodia, & ipſe *Conradus* profectus eſt ad *Manuelem* imperatorem Conſtantinopolitanum, cuius admonitione ipſe ceperat prædictum Cancellarium. Et non auſus domum redire propter iniuriam quam fecerat *Frederico* Romanorum Imperatori de captione Cancellarii ſui, remanſit cum *Manuele* Conſtantinopolitano Imperatore, & vnam de neptibus illius Imperatoris in vxorem duxit. Quo audito *Bonifacius* frater eius, qui prædictum *Christianum* Maguntinum Archiepiſcopum *Friderici* Romanorum Imperatoris Cancellarium in carcere tenuit, cepit de eo duodecim millia perperorum & permiſit eum abire.

Anno gratiæ milleſimo centeſimo octogeſimo, qui erat annus 26. regni Regis *Henrici* filii *Matildis* imperatricis, idem Rex fuit in Anglia die natalis Domini apud Notingham: cui feſto interfuit *Willielmus* Rex Scottorum. Eodem anno *Philippus* Rex Francorum, videns quod pater ſuus morbo laboraret paralytico, adhæſit in omnibus conſilio *Philippi* Comitis Flandriæ. Cuius conſilio tyrannidem cepit exercere in populo, & omnes, quos nouerat patri ſuo fuiſſe familiares, ſpreuit & odio habuit: & matrem ſuam adeo perſequebatur, quod à dominatione ſua expulit: & *Willielmum* Remenſem Archiepiſcopum, & Comitem *Theobaldũ*, & Comitem *Stephanum* auunculos ſuos grauiter perſequebatur. Quorum prece *Henricus* Rex Angliæ filius transfretauit in Angliam, & indicauit patri ſuo exceſſus & importunitates, quas *Philippus* Rex Franciæ faciebat matri ſuæ & auunculis ſuis per conſilium Comitis Flandriæ. Quo audito, Rex Angliæ pater, & Rex Angliæ filius transfretauerunt in Normanniam ante Paſcha. Venerunt ergo ad eos in Normanniam præfata regina Francorum, & cum ea Comes *Theobaldus*, & Comes *Stephanus* frater eius, & alii quamplures viri nobiles de regno Franciæ. Et datis Regi Angliæ patri obſidibus & præſtitis ſacramentis, quod à conſilio ſuo non recederent, adhæſerunt ei. Quo facto Rex Angliæ pater magnum congregauit exercitum de terris ſuis ciſmarinis & tranſmarinis habens in propoſito, quod poſt Paſcha intraret hoſtiliter terram regis Franciæ, in vindictam iniuriarum quas ille nouus Rex Franciæ fecerat matri ſuæ & auunculis ſuis. Poſt Paſcha vero *Philippus* Rex Franciæ duxit in vxorem filiam Comitis de Hanou neptem *Philippi* Comitis Flandriæ, filiam ſororis ſuæ; cui idem Comes Flandriæ dedit in maritagio cum nepte ſua totam terram de Vermundeis vſq; ad aquam de Lis. Deinde ſtatuit *Philippus* Rex Franciæ, quod ipſe & vxor eius coronarentur die Pentecoſtes apud Senonem ciuitatem: ſed per conſilium Comitis Flandriæ anticipauit terminum illum, & fecit ſe & vxorem ſuam coronari die Aſcenſionis apud Sanctum *Dionyſium* ab Archiepiſcopo Senonenſe. Quod cum *Willielmo* Remenſi Archiepiſcopo conſtaret, indignatus eſt vehementer: & *Alexandro* ſummo pontifici conqueſtus eſt, de transgreſſione Senonenſis Archiepiſcopi, qui contra ius, & dignitatem Remenſis Eccleſiæ Regem Franciæ præſumpſerat coronare. Deinde *Philippus* Rex Franciæ, & *Henricus* Rex Angliæ pater cõuenerunt ad colloquium inter Giſortium & Trie. In quo colloquio Rex Angliæ, nunc blandis nunc aſperis effecit verſus Regem Franciæ, quod ipſe contra conſilium Comitis Flandriæ, & *Roberti Clemens* omnem malitiam & indignationem, quas in animo aduerſus matrem & auunculos ſuos conceperat, remiſit eis, & eos in debitam familiaritatem recepit: ſtatuens quod ſingulis diebus ſolueret matri ſuæ ſeptem libras Pariſiorum ad quotidianum victum, & poſt diſceſſum patris ſui redderet ei dotalium ſuum plenarium & integrum, retentis ſibi caſtellis & munitionibus. In eodem colloquio Rex Angliæ pater ad abundantem cautelam recepit homagium *Philippi* Comitis Flandriæ, coram *Philippo* rege Franciæ; & pro homagio illo conceſſit ei mille marcas argenti ſingulis annis recipiendas Lundoniis ad Scaccarium; ita tamen quod in recompenſatione illarum mille marcarum Comes Flandriæ inueniet ſingulis annis quingentos milites in obſequium regis Anglię per ſpacium quadraginta dierum, quando ſummonitus inde fuerit. Eodem anno *Lodowicus* Rex Francorum obiit Pariſiis, menſe Septembris, 14. Kalend. Octobris feria quinta, & ſepultus eſt in abbatia de Barbiaus. Deinde *Philippus* rex Franciæ, & *Henricus* rex Anglię pater conuenerunt ad colloquium inter Giſortium & Trie, vbi pacem & concordiam, fide & ſacramentis hinc inde confirmatam inter eos fecerunt in hunc modum.

Ego Philippus *Dei gratia rex Francorum, & ego* Henricus *eadem gratia Rex Anglorum, volumus ad omnium tam præſentium quam futurorum peruenire notitiam, quod fœdus & amicitiam fide & ſacramento mediantibus innouauimus, quam Dominus meus* Lodowicus *rex Francorum & ego* Henricus *firmaueramus inter nos coram Iueri, in præſentia* Petri *tituli S.* Chryſogoni *presbyteri, cardinalis, Apoſtolicæ ſedis legati, &* Richardi *Wintonienſis Epiſcopi, & aliorum plurimorũ epiſcoporum, Comitum & baronũ, qui aderant. viz. quod ſic ſumus & à modo volumus eſſe amici, quod vterq; noſtrũ alteri obſeruabit vitam & membra, & terrenum honorem ſuum contra*

omnes homines pro poſſe ſuo. Et ſi quacunq; perſona alteri noſtrum malum facere præſumpſerit, ego Henricus iuuabo Philippum regem Franciæ dominum meum contra omnes homines pro poſſe meo. Et ego Philippus iuuabo Henricum Regem Angliæ contra omnes homines pro poſſe meo, ſicut hominem & fidelem meum, ſalua fide, quàm debemus hominibus noſtris, quamdiu ipſi nobis fidem ſeruabunt. Et neuter noſtrum à modo retinebit inimicum alterius in terra ſua, ex quo inde requiſitus fuerit. Et vt inter nos tollatur à modo omnis materia diſcordiæ, conceſſimus ad inuicem, quod de terris, & poſſeſſionibus, & omnibus aliis rebus, quas modo habemus, alter aduerſus alterum nihil à modo petet, excepto eo de Aluernia, vnde contentio inter nos eſt, & excepto feodo de caſtro Radulfi, & exceptis minutis feodis & diuiſis terrarum noſtrarum de Berri, ſi homines noſtri aliquid interceperint inter ſe vel aduerſus alterum noſtrum. Si autem ſuper his quæ ſuperius excepta ſunt per noſmetipſos conuenire non poterimus, ego Philippus Rex Francorum elegi tres Epiſcopos, Claremontenſem, Niuernenſem, Trecenſem; & tres barones, Comitem Theobaldum, & Comitem Robertum, & Petrum de Turtena patruos meos: & ego Henricus Rex Angliæ elegi tres Epiſcopos, Willielmum Cenomannenſem, Petrum Patrogoritenſem, Robertum Nannetenſem: & tres barones, Mauritium de Croun, Willielmum Maingot, Petrum de monte Rabel ex parte mea, qui inquiſita veritate hinc inde tam per ſeipſos, quam per iuramenta hominum terrarum illarum, prædicti Epiſcopi in verbo veritatis aſſerent, & laici iurabunt, quod quicquid cognouerint de iure alterius noſtrum eſſe, hoc inter nos dicent, & nos eorum dicto bona fide firmiter ſtabimus. Si vero omnes illi Epiſcopi, quos ego Philippus elegi intereſſe non poterunt, nihilominus ſtabimus dicto illorum duorum, qui intererunt. & ſi omnes barones ex parte mea nominati non intererunt, pro eo non remanebit, quin ſtemus dicto illorum duorum qui intererunt. Et ſimiliter de illis, quos ego Henricus elegi, tam de Epiſcopis quam de baronibus. Iurauimus etiam quod nullum malum faciemus eis propter hoc, quod veritatem dixerint. Et ſi forte, quod Deus auertat, inter nos de terris noſtris aliqua querela oriatur, per eoſdem bona fide, & ſine malo ingenio ſine dilatione terminetur. Si autem aliqua prædictarum perſonarum interim mortua fuerit, altera loco ipſius ſubſtituatur. Si vero alter noſtrum iter peregrinationis arripere voluerit, alter qui remanebit, terram illius, qui in peregrinatione erit, & homines ſicut ſua propria & dominica fideliter cuſtodiet, & manutenebit, & defendet contra omnes homines, ſicut ego Philippus defenderem ciuitatem meam Pariſius, ſi eſſet obſeſſa, & ſicut ego Henricus defenderem ciuitatem meam Rothomagi, ſi eſſet obſeſſa. Ego etiam Philippus volo, quod mercatores, & omnes tam clerici quam laici de terra Henrici Regis Angliæ, cum omnibus rebus ſuis ſecuri ſint, & habeant pacem per omnes terras meas. Et ego Henricus ſimiliter volo, quod mercatores, & omnes homines tam clerici quam laici de terra domini mei Regis Franciæ, ſecuri ſint, & pacem habeant per omnes terras meas. Hæc autem omnia ſupradicta nos obſeruaturos & fide & ſacramento promiſimus. Iurauerunt etiam de præcepto noſtro homines noſtri poſt nos, quod bona fide conſulent nos ad conſeruandum quod iurauimus, nec conſilium præſtabunt quo minus obſeruetur.

Eodem anno *Fredericus* Romanorum imperator expulit à regno ſuo *Henricum* ducem Saxoniæ: cuius expulſionis cauſa hæc eſt. In primis itaq; notandum eſt, quod decem principes conſtituti ſunt cuſtodes portarum ciuitatis Coloniæ, quorum nomina hæc ſunt:

Dux de Lemburc.
Dux Saxoniæ.
Dux de Saringes.
Dux de Saxland.
Dux de Luuain.
Comes de Wilch.
Comes de Loo.
Comes de Gerle.
Comes Palatinus de Rheno.
Comes de Larmual.

Et hi decem ſunt homines Archiepiſcopi Coloniæ, & habent ſingulis annis de menſa Sancti *Petri* Coloniæ duo millia marcarum argenti in retributione cuſtodiarum ſuarum. Præterea Archiepiſcopus Coloniæ multos habet redditus, maximos autem in Ducatu Saxoniæ, quos *Henricus* dux Saxoniæ gener *Henrici* Regis Anglię iniuſte occupauit, & occupatos detinuit. Vnde *Reginaldus* Colonienſis Archiepiſcopus conqueſtus eſt domino ſuo *Frederico* Romanorum Imperatori. Præterea ipſe Imperator calumniatus eſt præfatū ducem de periurio, de fide læſa, de læſione maieſtatis imperialis: & eum citari fecit, vt veniret in curiam ſuam, ſatisfacturus tam ſibi quam Archiepiſcopo Colonienſi. Venit igitur

data

data ei ſecuritate veniendi & redeundi. Et cum multa obiicerentur ei de fide læſa, de periurio, de læſione maieſtatis imperii, & de iniuriis Archiepiſcopo Colonieſi illatis; & cum ipſe ad obiecta cum conſilio ſuorum reſpondere deberet: aſcendit equos ſuos, & abiit, nullo dato reſponſo, & Imperator petiit de illo ſibi fieri iudicium, & iudicatum eſt illum demeruiſſe ducatum ſuum, & data eſt licentia Archiepiſcopo Colonienſi intrandi cum exercitu terram ducis Saxoniæ, in vindictam iniuriarum, quas dux ei fecerat. Et ipſe Imperator cum magno exercitu intrauit terrã ducis Saxoniæ, & eam deuaſtauit ferro, flamma, fame, & ad tantam ducem illum coegit inopiam, quod ipſe poſuit ſe in miſericordiam imperatoris, & abiurauit terram ſuam per ſeptem annos in miſericordiam Imperatoris, & exulans venit ad *Henricum* regem Angliæ patrem vxoris ſuæ. Tamen ipſe Imperator poſtmodum prece *Alexandri* ſummi pontificis, & *Philippi* regis Franciæ, & *Henrici* regis Angliæ, & *Philippi* Comitis Flandriæ, relaxauit præfato duci Saxoniæ quatuor annos de iniuncto ſibi exilio. Eodem anno obiit *Manuel* Conſtantinopolitanus Imperator, & *Alexis* filius eius, qui filiam *Lodowici* regis Frãciæ in vxorem duxerat, ſucceſſit ei in Imperio; qui duobus annis pacifice regnauit. Sed interim *Maria* mater eius, filia *Raimundi* principis Antiochiæ, quendam habebat amaſium, qui vocabatur Græce *Prothoſouaſtos*, Latine vero Comes Palatinus, quem prædicta imperatrix tam execrabili, & vehementi amore dilexerat, quod *Alexim* filium eius Imperatorem morti tradere volebat, vt ſic amaſium ſuum ad ſummum proueheret imperii gradum. Et cum dies opportunus accidiſſet, dedit Imperatori filio ſuo venenum bibere. Quo hauſto, ſtatim venenum per tenera membra diffuſum, pene eum incontinenti ſuffocauit. At tandem per doctorum phyſicorum medicamenta vix euaſit cum vita. Et volens ſibi præcauere in poſterum, miſit pro *Androneo* filio fratris *Manuelis* patris ſui, & aſſociauit eum ſibi in regnum. Cuius conſilio matrem ſuam cepit, & incarcerauit: & poſt longam carceris macerationem, ligatam in ſacco ſubmergi fecit in mare, quod dicitur mare maius, anchora alligata collo eius. Et *Prothoſouaſtos* amaſium matris ſuæ excæcauit, & teſticulos illis abſcindi fecit. Poſt exiguum vero temporis, videns *Androneus*, quod plurimum placeret populo quadam die ſolenni ad argumentum veræ fidei & ſummæ dilectionis, portauit in humeris ſuis *Alexim* Imperatorem a palatio ſuo vſque ad Eccleſiam Sanctæ *Sophiæ*, & eum ibi coronari fecit à Baſilio eiuſdem ciuitatis Patriarcha, & iurauit ei ſicut domino ſuo ligio fidelitatem contra omnes homines coram omni populo. Quibus perfectis *Alexis* Imperator tradidit prænominato *Androneo* poteſtatem exercendi omnes volũtates ſuas & iuſtitias in populum. Poſt multum vero temporis venit *Androneus* ad *Alexim* Imperatorem dicens quod populus noluit mandatis eius obedire, & petiit vt ipſe aliquem præficeret populo, cuius mandatis obediret. Cui *Alexis* ait, Ego elegi te & conſtitui ſuper populum meum, & alium neſcio, in quo magis confido. & reſpõdens *Androneus* dixit, Si vis vt regam populum tuum, fac me coronari coram populo, vt ſciat omnis populus, quod ego regnaturus ſum ſub te ſuper omnes gentes, quæ ſub dominatione tua ſunt. Et Imperator non intelligens, quod omnis poteſtas impatiens conſortis erit, conceſſit quod petebat. Et conuocatis clero & populo imperii, *Alexis* Imperator fecit ſe & *Androneum* ſimul coronari à prædicto Patriarcha in Eccleſia ſanctæ *Sophiæ*. Paruo igitur ſpacio temporis elapſo, alter alteri inuidit, & quod vni illorum placuit, alteri diſplicuit. *Nulla enim fides erit regni ſociis, omniſq́ poteſtas impatiens conſors erit.* *Androneus* tamen ſimulatam dilectionem prætendens, ſub velamento dilectionis inſidiabatur domino ſuo Imperatori; & ipſe nihil horum cogitans minus ſibi præcauebat. *Nullus namq́ pernicioſior hoſtis eſt, quam familiaris inimicus.* Nacta igitur opportunitate temporis & loci, *Androneus* per conſilium *Baſilij* patriarchæ *Alexim* Imperatorem dominum ſuum morti tradidit, & *Agnetem* filiam regis Franciæ vxorem ſuam ſibi in vxorem accepit, & tyrannidem exercebat in populum, & non tantum in populum ſed etiam omnes nobiles Imperii, aut morti tradebat, aut oculis & teſticulis priuatos ab Imperio fugabat. Erat autem in partibus illis quidam iuuenis nomine *Iſaac* filius ſororis *Manuelis* Imperatoris defuncti, qui cum vidiſſet tyrannidem, quam *Androneus* exercebat in principes Imperii, timuit eum valde: & fugiens à facie eius magnum congregauit exercitum, & cõmiſit prælium cũ Soltano Iconii, & captus eſt in prælio à *Rupino* de Lamintangne, qui venit auxiliari Soltano Iconii, quem cum cepiſſet, & tradere voluiſſet Soltano Iconii, Soltanus noluit eum recipere, ſed donauit eum *Rupino*. Qui cum domum rediiſſet, miſit eum domino ſuo *Raimundo* Principi Antiochiæ: quem lætus ſuſcipiens petiit ab eo ſexaginta millia Biſantiorum de redẽptione. & ſpopondit, & miſſis nuntiis ſuis ad diuites Inſulæ de Cipre: poſtulauit ab eis auxiliũ ad redimendũ ſe. Qui inito cõſilio miſerunt ei 30. millia Biſantiorũ, quę ipſe tradidit principi Antiochiæ, & pro reſiduo debiti tradidit ipſe filiũ & filiã ſuam obſides, & ſic

liberatus à carcere principis Antiochiæ venit in Inſulam de Cipre,& principes Inſulæ receperunt eum,& conſtituerunt dominum ſuum. vnde ipſe in ſuperbiam elatus coronam fecit ſibi Imperialem,& fecit ſe coronari & ſanctum Imperatorem vocari. ad terminum autem inter illos conſtitutum miſit ad eum princeps Antiochiæ pro reſiduo debiti, ſcilicet pro triginta millibus biſantiorum: ſed Imperator de Cipre noluit illa tradere nuntiis principis, ſed tradidit illa fratribus Templi ad deferendum principi Antiochiæ. Quibus proficiſcentibus occurrerunt piratæ, & abſtulerunt eis memoratam pecuniam. Quod cum conſtaret Imperatori de Cipre dixit, hoc factum fuiſſe per inſidias principis Antiochiæ,& iurauit ſe de cætero nunquam pecuniam illam redditurũ. Vnde factum eſt,quod filius & filia illius remanſerunt per biennium obſides in manu principis Antiochiæ. Qui tandem cum vidiſſet,quod Imperator de Cypre nollet obſides ſuos redimere,pietate cõmotus permiſit eos abire liberos. Interim *Androneus* Imperator Conſtantinopolitanus, conſilio & auxilio Baſilii patriarchæ totius Imperii monarchiam obtinuit, & diadema Imperii capiti ſuo & vxoris ſuæ impoſuit: & in tyrannide perſeuerans,quoslibet nobiles Imperii aut oculis priuatos, aut aliis cæſis membris in exilium mittebat. Inter quos erat quidam nobilis vir dictus *Androneus Angelus*, qui fuerat cancellarius *Manuelis* Imperatoris,quem Græci vocabant *Laucete*. Hunc ergo cum duobus filiis ſuis fecit *Andronews* Imperator excæcari & ementulari,& fugauit à patria.

Præterea prædictus *Andronews Angelus* tertium habebat filium clericum ſapientem, quem Græci nominabant *Sacwice*,Latini autem vocabant eum *Turſakium Angelum*. Hic autem ea tempeſtate perſecutionis in Francia profectus, Pariſius morabatur, & ſcholas frequentabat, vt in doctrinis Latinorum linguam & mores illorum diſceret. Qui cum patris ſui & fratrum flebiles audiſſet euentus,conſolaturus eos citius aduenit: & trãſitum faciens per quandam Græciæ Inſulam, inuenit ibi quendam virum religioſum ſolitariæ vitæ deditum,& habentem ſpiritum propheticum, qui quondam extiterat Archiepiſcopus in ciuitatem Tyri,& malens militare Deo quam ſeculo, Archiepiſcopatum ſuum reliquerat,& in Inſula illa ſolus habitabat: cuius delitię erant radices herbarum ſylueſtrium, & hauſtus aquæ potus. Et accedens ad ſanctum virum illum indicauit ei & nomen ſuum & genus & itineris ſui cauſam. Cumq; vir ſanctus omnia auſcultaſſet in fletum prorupit, ſciens pium eſſe flere cum flentibus & dolere cum dolentibus. Poſt fletum,modis omnibus quibus potuit dolorem iuuenis lenire conatus eſt. & ait illi, Reuertere in ciuitatem Conſtantinopolitanam,& eſto robuſtus,quia dabit eam Dominus in manu tua,& dominaberis in ea,& eris Imperator, & ex te egredientur Imperatores, qui regnabunt poſt te: & ecce Baſilius patriarcha, & principes Imperii quærunt te vt tui ſint, & habeant te pro domino & Imperatore ſuo.& noli diffugere quod præparauit tibi Deus & prædeſtinauit. Credidit ergo illi *Turſakius*,& abiit in ciuitatẽ Conſtantinopolitanam pauper & mẽdicus; & non auſus manifeſtare ſe palam populo,quia nondum venerat hora eius,manſit in ſuburbio ſolus cum vno ſolo pedite vnum ſolum runcinum debilem & claudum habens, & expectans expectauit promiſſum ſupradicti ſancti viri. & veniebant ad eum frequenter principes terræ & patriarcha: non palam tamen ſed in occulto propter metum Imperatoris. Imperator autem iam erat odioſus omnibus,& ipſe omnes odio habebat. ipſum etiam patriarcham,qui eum promouerat, adeo perſequebatur, quod contra voluntatem illius conſtruxit Eccleſiam quandam nobilem in ciuitate, & in ea cõſtituit canonicos Latinos, quæ vſque in hodiernum diem dicitur Latina. Poſt multum vero temporis prędictus *Andronews* Imperator male ſibi conſcius, per magos ſuos ſcire voluit ſi adhuc eſſet aliquis quem oporteret eum vereri. Qui reſponderunt ei, Date nobis puerum innocentem ad mactandum,& inducias triduanas,& nos indicabimus tibi quod petis. Et ſtatim datus eſt eis puer innocens,quem immolauerunt dæmoniis,& in ſanguine illius, & inteſtinis per magicas artes diu inquirentes,cognouerunt per indicia,quod exterminium Imperii illius feſtinabat,& mors eius in ianuis,& qui eum morte traderet prope erat, & vocabatur *Turſakius Angelus*. Poſtera autem die venerunt ſupradicti magi ad *Andronewm* Imperatorem, & dixerunt ei. Nunc venerunt ſuper te peccata tua, quæ operabaris,cum ſederes pro tribunali innocentes opprimens,& ſanguinem iuſtum ſine cauſa damnares. dies enim perditionis tuæ feſtinant,& ecce iam prope eſt, qui te perdet, & Imperium tuum obtinebit, & ipſe vocatur *Turſakius Angelus*. Ipſe quidem te poſt inauditos pœnarum cruciatus ſæuiſſima morte damnabit,& actus eius in ore populi celebrabitur,& ipſe erit cibus narrantibus,& regnabit ſuper nos,& poſteri eius ſequentur ſceptrum. Malo tuo patrem & fratres eius oculis & aliis bonis priuaſti. Ille iam in ſuburbio ciuitatis huius eſt. illum ergo diffuge, ſi diffugere vales. Quum autem cognouiſſet *Andronews* quod ille adueniſſet, qui

cum

cum morti traderet, miſit cancellarium ſuum cum militibus & ſeruientibus armatis ad comprehendendum illum. Qui cum veniſſent ad hoſpitium illius, inuenerũt ianuas clauſas. & qui præibant alta voce clamabant, Aperite nobis portas, aperite: ecce cancellarius Imperatoris venit: & dixerunt, *Turſaki*, exi foras. Videns tunc *Turſakius*, quod illi ianuas frangerent, niſi ipſe celerius exiſſet, ſellam equo ſuo velociter impoſuit: & aſcendens in eo, accinxit ſibi gladium, & aperiens portas celerius exiuit, & vibrans gladium in obſtantes fecit ſibi viam, & irruens in cancellarium amputauit caput eius. Cæteri autem ſtabant attoniti, & nemo miſit in eum manum. Ipſe vero per medium illorum tranſiens ciuitatem intrauit: & per medium illius progrediens venit ad Eccleſiam ſanctæ *Sophiæ*. & inuento ibi Baſilio patriarcha, cecidit ad pedes eius, & narrauit ei omnia, quæ illi acciderant. Et Patriarcha eleuans eum a terra dixit vniuerſæ plebi: Accedite huc & videte hominem, quem elegit ſibi Dominus regnaturum ſuper nos: Dicite ergo quid vobis inde videtur. & reſponderunt omnes, Placet nobis quod ille Dominus noſter ſit, & quod ille regnet ſuper nos, & vt abiiciamus perfidum illum *Androneum*, qui nos & gentem noſtram deſtruit. Conſenſit ergo Patriarcha voluntati plebis, nam hoc ipſe voluit: & illico conſecrauit illum in Imperatorem. Et Miſſa celebrata, & omnibus rite perfectis, Patriarcha introduxit illum in domum ſuam, & fecit conuiuium magnum cum principibus & tribunis ciuitatis (erat enim dies feſtus) & conuenit illuc multitudo plebis & ſeniorum. Interim *Androneus* Imperator egreſſus fuerat à palatio ſuo vt videret finem *Iſakii Angeli*, ad quem comprehendendum miſerat cancellarium ſuum. Qui cum audiſſet quod prædictus cancellarius eſſet interfectus, & q; *Iſakius Angelus* factus eſſet Imperator, regreſſus eſt in palatium ſuum, & clauſa eſt ianua. Venit ergo nouus Imperator cum multa plebe armata, & obſedit palatiũ *Andronei*. Et ex improuiſo ſuperuenit coruus quidam ingens niger & horribilis, & ſedens ſuper murum palatii contra faciem *Andronei* Imperatoris, coruinam vocem in eum terribilem edidit. Quod ipſe coniiciens prognoſticum eſſe deiectionis & confuſionis ſuæ arcum ſuum arripuit & tetendit: & cum trahere in eum ſagittam conaretur, fractus eſt arcus eius, quem ipſe ad pedes eius proiecit iratus; dicens, Nunc ſcio vere quod dies perditionis meæ feſtinant, & ira Dei cecidit ſuper me. Et adhuc illo loquente, homines noui Imperatoris vndiq; per muros aſcenderunt in palatium, & *Androneum* Imperatorem ceperunt, & ligatum tradiderunt nouo Imperatori. Cui ipſe dixit, Nunc iuſto Dei iudicio venerunt ſuper te peccata tua, quibus iram demeruiſti, opprimens innocentes: & dominum tuum *Alexim* Imperatorem peremiſti, & patrem meum, & fratres meos, & alios nobiles regni excæcaſti: & ideo morte peſſima morieris. Et tradidit eum tortoribus dicens, Accipite eum & flagellatum ducite per vicos & plateas ciuitatis, & habete poteſtatem eruendi ei oculum vnum & auriculam vnam, & pugnum vnum, & pedem vnum: vitam autem eius & cætera illius membra ſeruate ad maiora tormenta. Quibus expletis nouus Imperator tradidit illum iterum aliis tortoribus, qui ſpargentes ſuper illum paleam, ignem appoſuerunt lateribus eius, & combuſſerunt donec tota cutis illius contraheretur in rugam. Deinde ligauerunt eum ad caudas equorum, & ſic trahentes eum per medium ciuitatis proiecerunt extra ciuitatem mortuũ. Venerunt ergo ad *Turſakium* Imperatorem viri religioſi habitantes in ciuitate illa in Eccleſia quæ dicitur Latina, & petierunt corpus eius: & ipſe donauit eis corpus eius. Et ipſi ſepelierunt illud in Eccleſia ſua, quam ipſe conſtruxerat: ſed manus eius abſciſſa, ferreis catenis ſuſpenſa eſt in patibulo. Deinde ex præcepto *Turſakii* Imperatoris & totius cleri & populi conſulte definitum eſt, vt quicquid *Androneꝰ* fieri voluit caſſaretur. Hinc factum eſt, vt omnes, qui voluntate *Andronei* exules fuerant ad propria remearent. Præterea *Turſakius* Imperator duos filios *Andronei* interfecit: & præcauens ſibi in poſterum, ſupradictum Baſilium patriarcham depoſuit, & in monaſteriũ intruſit, Et miſit pro illo qui ſibi ventura prædixerat, & conſtituit eum patriarcham contra voluntatem canonicorum Eccleſiæ ſanctæ *Sophiæ*. Et ortum eſt inter illos ſchiſma, adeo q; nullus voluit obedire. & quia ille homo pacis erat, & noluit illis contendere, ipſe ſeipſum depoſuit: & Imperator conſtituit eum ſummum iudicem in Eccleſiaſticis cauſis ſuper omnes Eccleſias Imperii ſui. Deinde Imperator *Iſakius* conſilio ſuorum duxit in vxorem filiam *Belæ* regis Hungariæ, de qua ipſe genuit filios, & filias, quarum vnam *Rogerus* rex Siciliæ, filius *Tancredi* regis Siciliæ in vxorẽ duxit. Eodem anno *Henricus* rex Angliæ pater nouam fecit monetam in Anglia, & monetarios redemit propter corruptionem veteris monetæ. Eodem anno *Richardus* Epiſcopus ſancti *Andreæ* in Scotia obiit: quo defuncto, ſtatim fit ſchiſma de electione pontificis. Canonici enim de Eccleſia ſancti *Andreæ*, elegerunt ſibi in Epiſcopũ magiſtrum *Iohannem* cognomento Scottum: & *Willielmus* rex Scottorum elegit *Hugonem* capellanum ſuum, & conſecrari fecit ab Epiſcopis regni ſui contra

appellationem à prædicto *Iohanne* electo ad dominum Papam factam. Vnde factum eſt, quod *Alexander* ſummus Pontifex miſit *Alexim* Romanæ Eccleſię ſubdiaconum in Scotiam ad cognoſcendam controuerſiam, quæ erat inter *Iohannem* electum & *Hugonem* cõſecratum, & ad illam determinandam. Qui cum in Scotiam veniſſet, & coram clero & populo regni diu tractaſſet de electione *Iohannis* & *Hugonis*, & de conſecratione ipſius *Hugonis*; & cognouiſſet, quod præfatus *Iohannes* canonice fuiſſet electus; & quod *Hugo* poſt appellationem ad Romanum Pontificem factam in Epiſcopatum ſancti *Andreæ* per regem violenter eſſet intruſus: eum ſine dilatione de Epiſcopatu ſancti *Andreæ* depoſuit, & perpetuum ei ſilentium auctoritate, qua fungebatur, impoſuit; & electionem quæ de *Iohanne* facta fuit confirmauit, & eum ab Epiſcopis Scotiæ, rege nec prohibente nec contradicente, immo per conſilium Epiſcoporum regni permittente, in Epiſcopum ſancti *Andreæ* conſecrari fecit. Sed rex ſtatim poſt conſecrationem ſuam prohibuit ei ne ipſe in regno ſuo moram faceret. *Hugo* vero nõ minus gerebat ſe Epiſcopum quam antea, & aſportatis ſecum capella Epiſcopali & baculo & annulo, cũ cæteris quæ illicite detinebat, Romam iturus abiit. Et quia ipſe aſportata reddere noluit, *Alexis* excommunicauit eum, & ſummus pontifex ſententiam illam confirmauit. Vnde ipſe in hac forma ſcripſit Epiſcopis & aliis viris Eccleſiaſticis de regno Scotiæ.

EPISTOLA ALEXANDRI PAPAE SVPER Iohanne & Hugone Epiſcopis ſancti Andreæ.

A*Lexander* Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus vniuerſis Epiſcopis & dilectis filiis, Abbatibus, & aliis Eccleſiarum prælatis per Scotiam conſtitutis, Priori, canonicis, clero & populo ſancti *Andreæ*, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Comperto nobis, quod iampridem venerabilis frater noſter *Iohannes* nunc Epiſcopus ſancti *Andreæ* canonice fuiſſet electus, & poſt electionem ſuam *Hugo* (appellatione interpoſita) in Eccleſia illa per potentiam laicalem intruſus conſecrari auſu temerario præſumpſiſſet: electionem ipſius Apoſtolica auctoritate caſſantes dilectum filium noſtrum *Alexium* ſubdiaconum noſtrum ſedis Apoſtolicæ legatum, de electione præfati *Iohannis* cogniturum, ad partes veſtras direximus. Qui cum mature ſatis, ſicut per multorum teſtimonia nobis innotuit, & canonice proceſſiſſet, electionem ipſius canonicam comperiẽs: poſt multiplices inducias, in quibus regiæ magnitudini detulit, auctoritate Apoſtolica confirmauit, præcipiens omnibus, qui ad Eccleſiam ſancti *Andreæ* pertinerent ex parte noſtra, vt ipſi *Iohanni* ſicut electo, obedientiam & reuerentiam exhiberent. Vnde cum nullus propter metum regium in manifeſto obedire auderet: idem legatus non regnum, ſicut de iure poterat, ſed Epiſcopatum interdicto ſubiecit. Cum igitur tam Eccleſiaſtici quam ſeculares principes à chariſſimo in *Christo* filio noſtro *Willielmo* illuſtri Scottorum rege diſtrictius adiurati fuiſſent, de recto conſilio dando, firmiter promittente ipſe rege, quod eorum conſilio ſtaret, reſponderunt omnes tanquam vnus, vt præfati *Iohannis* conſecrationem coram legato noſtro, & quatuor Epiſcopis (quinto ægrotante ſed ſcripto cõſentiente) celebratam vlterius non turbaret, ſed permitteret eum in pace ſua ſede conſecrari. Inde eſt quod vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, atque ſub officii & beneficii pœna præcipimus, quatenus ſpiritum fortitudinis induentes ipſum Epiſcopum infra octo dies poſt harum ſuſceptionem literarũ honorifice, appellatione poſtpoſita ad ſedem ſuam reducatis, & pro ſeruanda Eccleſiaſtica iuſtitia prudenter & viriliter laboretis, & ad placandum motum regium adhibeatis operam diligentem: atque præfato Epiſcopo omnem exhibeatis reuerentiam & honorem, quem ipſius prædeceſſoribus impendiſtis. Quod ſi rex aliud voluerit aut etiam conſilio prauorum inclinatus fuerit, Deo & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ magis oportet obedire quam hominibus: alioquin ſententiam, quam venerabilis frater noſter *Hugo* Dunelmenſis Epiſcopus in contumaces & rebelles tulerit, nos auctore Deo ratam habebimus, & præcipimus firmiter obſeruari.

EPISTOLA ALEXANDRI PAPAE SVPER eodem negotio.

A*Lexander* Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus, & dilectis filiis Eccleſiarum prælatis per Scotiam conſtitutis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Relatum eſt nobis, quod cum *Hugo*, qui Eccleſiam ſancti *Andreæ* de Scotia inuaſerat, capellam Epiſcopalem, baculum, & annulum, & cætera quæ irrationabiliter aſportauerat, illi-

ſat, illicite detineret, eum frequentius admonitum reſipiſcere contemnentem dilectus filius noſter *Alexius* ſubdiaconus noſter Apoſtolicæ ſedis legatus, coram vobis & clero multo & populo, niſi infra quindecim dies ablata vel aſportata redderet, vel congrue ſatisfaceret, vinculo excommunicationis, Apoſtolica auctoritate fretus, aſtrinxit. Ipſe tamē in arrogantiæ malo perdurans, in nullo præfati legati monitis acquieuit. Nos itaque ſententiam de auctoritate noſtra prolatam ratam habentes, vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus: quatenus præfatum *Hugonem*, Dei gratia freti & omni timore poſtpoſito, publice, nullius appellatione obſtante, vinculo denuntietis excommunicationis aſtrictum, & ſicut excommunicatum attentius euitetis, donec quæ de ſupradictis rebus abſtulit, vel æſtimationem fratri noſtro *Iohanni* Epiſcopo S. *Andreæ*, & Eccleſiæ ſuæ reſtituat, & de aliis quæ deſtruxit ſatisfactionem exhibeat congruentem.

Præterea dominus Papa conceſſit *Rogero* Eboracenſi Archiepiſcopo legatiam in Scotia; & præcepit ei, quod ipſe ſententiam excommunicationis, vna cum *Hugone* Dunelmēſi Epiſcopo, proferret in regem Scottorum, & regnum illius interdiceret, niſi ipſe permiſiſſet præfatum *Iohannem* tenere Epiſcopatum ſuum in pace, & niſi dediſſet ei ſecuritatem pacis ſeruandæ illi. Et idem Papa diſtricte & in vi obedientiæ inhibuit *Iohanni* Epiſcopo S. *Andreæ*, ne alicuius amore aut timore vel ſuggeſtione aliqua ſeu voluntate, Eccleſiam S. *Andreæ*, ad quam conſecratus eſt, & auctoritate Apoſtolica confirmatus, auſu temerario præſumeret derelinquere, vel aliam recipere: adiungens, quod ſi attentauerit ſine exceptione aliqua auferret ei vtrumq;. Vnde ſummus Pontifex in hac forma ſcripſit.

EPISTOLA ALEXANDRI PAPAE AD WILlielmum regem Scottorum pro eodem negotio.

De rege Norweiæ

ALexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei *Willielmo* illuſtri Scottorum regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Pro pace tua & libertate ſollicite nos meminimus laboraſſe, ſperantes quod ex hoc in deuotione ſedis Apoſtolicæ melius firmareris & creſceretis, & libentius ſeruares Eccleſiaſticam libertatem. cæterum attendentes circa factum venerabilis fratris noſtri *Iohannis* Epiſcopi S. *Andreæ* de Scotia volueris vſque modo inclinari, contrarium ſpei, quam de feruore deuotionis regiæ habeamus, cogimur æſtimare. Volentes tamen experiri adhuc ſi patientia noſtra ad pœnitentiam regium motum adducat: magnitudinem tuam per Apoſtolica ſcripta monemus attentius & mandamus, quatenus memorato Epiſcopo infra viginti dies poſt harum ſuſceptionem literarum pacem & ſecuritatem largiaris, ita quod non oporteat eum de indignatione regia dubitare. Alioquin noueris nos venerabili fratri noſtro *Rogero* Eboracenſi Archiepiſcopo Apoſtolicæ ſedis legato in Scotia mandaſſe, vt regnum tuum nullius appellatione obſtante ſubiiciat interdicto, excommunicationis ſententiam in perſonam tuam, ſi deſiſtere nolueris prolaturus. Pro certo quoque teneas, quod ſi in tua duxeris violentia perdurandum, ſicut laborauimus, vt regnum tuum libertatem haberet, ſic dabimus ſtudium, vt in priſtinam ſubiectionem reuertatur. Sed rex Scotiæ in nullo volens obedire mandatis Apoſtolicis, expulit præfatum *Iohannem* Epiſcopum S. *Andreæ*, & *Mathæum* Epiſcopum de Aberden auunculum eius à regno ſuo. Vnde *Rogerus* Eboracenſis Archiepiſcopus, & *Hugo* Dunelmenſis Epiſcopus, & *Alexis* Apoſtolicæ ſedis legatus, mandatum ſummi Pontificis proſequentes ſententiam excommunicationis dederunt in perſonam regis Scotiæ, & ſententiam interdicti in regnum eius.

Eodem anno quidam presbyter nomine *Swerre Birkebain* bellum iniit cum *Magno* rege Norweiæ. Fuit autem hæc cauſa calumniæ prędicti *Swerra*, quam ipſe habuit aduerſus præfatum *Magnum* de regno Norweiæ. *Siwardus* & *Magnus* fratres erant. *Siwardus* erat rex Norweiæ, & *Magnus* frater eius transfretauit in Hyberniam, & magnam illius partem bello adeptus eſt, qui genuit *Haroldum*, & paulo poſt interfectus eſt ab Hybernenſibus. Et præfatus *Haroldus* poſt mortem patris ſui transfretauit in Norweiam ad patruum ſuum regem *Siwardum*, & petiit ab eo partem regni, & ipſe tradidit ei partem regni, quæ patrem ſuum de iure contingebat. *Siwardus* autem rex genuit filium, quem vocauit *Magnum*, & filiam quam vocauit *Chriſtianam*, quam ipſe dedit Comiti *Herlingo* in vxorem, de qua ipſe *Herlingus* genuit filium, quem vocauit *Magnum*. Defuncto autem Comite *Herlingo Magnus* filius eius ſucceſſit ei in Comitatu: & paulo poſt orto inter illum & *Haroldum* graui diſſidio, præfatus *Haroldus* cepit eum in bello, & excæcauit & ementulauit, & *Reginaldum* Bergenſem ſuſpendit, & *Magnus* excæcatus factus eſt Monachus, & *Haroldus* totam monarchiā regni Norweiæ adeptus 4. genuit filios, vz. *Ingonem*, qui erat legitimus, & *Siwardum*,

& *Auguſtinum*,& *Magnum*,qui erant ſpurii,& de diuerſis matribus. Quidam vero clericus nomine *Swardus*, præfatum *Haroldum* regem interfecit nocturnis inſidiis. quo interfecto extraxit præfatum *Magnum* cognatum ſuum ab Abbatia volens reſtituere eum in regnũ. & inito bello cõtra filios *Haroldi* interfectus eſt, ſimiliter & *Magnus* interfectus eſt, qui fuerat monachus. Quibus interfectis *Hingo* & *Swardus* & *Auguſtinus* regnum obtinuerunt. *Swardus* autem genuit *Haconem*,& *Swardum*, & *Suerum*, qui omnes ſpurii erant de diuerſis matribus geniti. *Auguſtinus* genuit *Auguſtinum* legitime natum: *Hingo* genuit *Swardum* & *Auguſtinum*. Quibus interfectis prædictus *Haco* interfecit *Hingonem*, & obtinuit regnum. vnde indignati ſunt proceres regni,& leuauerunt in regem *Magnum* filium *Herlingi* & præfatæ *Chriſtianæ*; qui non valentes ſuſtinere bellum contra *Haconem* ſeceſſerunt in Daciam: vbi in breui tempore reparatis ſibi viribus redierũt in Norweiam, & habito prælio apud Tuneberghe inter ipſos & *Haconem*, retentis nauibus, & armis ipſum fugauerunt, quem in ſequenti æſtate *Magnus* filius *Herlingi* & *Chriſtianæ* ſequutus eſt. & cõmiſſo inter illos nauali prælio in loco qui dicitur Vee interfectus eſt *Haco*: & *Magnus Herlingi* & *Chriſtianæ* filius regnum adeptus eſt. Inſurrexit ergo in eum *Swardus* frater *Haconis*: & habito inter illos prælio, *Swardus* frater *Haconis* interfectus eſt, & *Magnus* factus eſt rex, coronatus, 2. anno regni ſui quintodecimo anno ætatis ſuæ, quarto videlicet anno Papatus *Alexandri* Papæ tertii, magiſtro *Stephano* de vrbe veteri miſſo illuc legato. Cum autem præfatus *Magnus* rex feſtum natiuitatis Dominicæ celebraret apud Tuneberghe ſuperuenit *Auguſtinus* prædicti *Auguſtini* filius cum multitudine armatorum, volens regem interficere inter conuiuas: ſed rex inde præmunitus exiuit contra eum, & conſerto prælio interfecit eum cum quadringẽtis ſuorum. Illi vero, qui de illo euaſerunt prælio, videlicet mille & centum viri bellicoſi, adhæſerunt ſupradicto *Swerra* presbytero ſupradicto filio *Swardi*. Qui *Swerre* magno congregato exercitu in ſequenti nocte poſt feſtum ſancti *Botulfi* intrauit latenter ciuitatem de Nidros, vbi rex *Magnus* cum patre ſuo Comite *Herlingo* & cęteris amicis ſuis moram fecerat, & inuaſit eos & multos interfecit. Interfecti ſunt itaque ibidem *Herlingus* Comes pater regis, & *Iohannes* de Randeberghe, qui duxerat ſororem regis in vxorem, & *Swardus* filius *Nicolai*, & alii multi. Rex vero relicta ciuitate, cum paucis ſuorum fugit. ſed in ſequenti anno rex *Magnus*, magno congregato exercitu, prædictum *Swerre* iuxta ciuitatem de Nidros inuaſit, & multos de hoſtibus ſuis in primo conflictu interfecit. ſed tandem occulto Dei iudicio, multis de melioribus de familia ſua interfectis cum paucis ſuorum euaſit. quem ipſe *Swerre* presbyter inſecutus eſt vſq; Verges. & rex inde fugiens eandem ciuitatem ei reliquit; Et *Auguſtinus* Nidroſienſis Archiepiſcopus nolẽs aliquam facere ſubiectionem *Swerræ* presbytero Archiepiſcopatum ſuum reliquit, & venit in Angliam, & excommunicauit *Swerre* presbyterum. Eſt autem ſciendum quod iſte *Magnus* rex, primus fuit rex coronatus de regno Norweiæ.

DE LEGIBVS ANGLIAE ET STATVTIS Willielmi ſenioris poſt conquiſitionem.

EODEM *anno* Henricus *rex Angliæ pater conſtituit* Ranulfum *de Glanuilla ſummum iuſticiarium totius* Angliæ; *cuius ſapientia condita ſunt leges ſubſcriptæ quas Anglicanas vocamus.*

Hic intimatur quid Willielmus *rex Anglorum cum principibus ſuis conſtituit, poſt conquiſitionem Angliæ. In primis quidem ſuper omnia vnum Deum vellet ſuper totum regnum ſuum venerari: vnam fidem* Chriſti *ſemper inuiolatam cuſtodiri: Pacem & ſecuritatem inter Anglos & Normannos ſeruari. Statuimus etiam, vt omnis liber homo, fide & ſacramento affirmet, qui intra & extra Angliam,* Willielmo *domino regi ſuo fideles eſſe volunt: terras & honorem illius omni fidelitate ſua ſeruare: cum eo & contra inimicos defendere. Volo autem quod omnes homines, quos mecum adduxi, aut poſt me venerunt, ſint in pace mea. Et ſi quis ex illis occiſus fuerit, dominus eius habeat homicidam eius in quindecim dies ſi poterit: ſin autem, perſoluat mihi quadraginta ſex marcas argenti, quamdiu ſubſtantia domini ſui durauerit. Vbi vero ſubſtantia domini defecerit, totus Hundredus, in quo occiſio facta eſt, communiter ſoluat, quod remanet. Et omnis Francigena, qui tempore* Edwardi *propinqui mei fuerit in Anglia particeps, conſuetudinem Anglorum, quod ipſi dicunt* Anlote &

Anſcote

Anſcote) perſoluat ſecundum conſuetudinem Anglorum. Hoc decretum & ſancitum eſt in ciuitate Claudia. Interdicimus autem vt nulla viua pecunia vendatur, aut ematur, niſi infra ciuitates, & hoc ante tres fideles teſtes, nec aliquam rem vetuſtam ſine fideiuſſore & warranto. Quod ſi aliter fecerit, ſoluat & perſoluat & poſtea forisfacturam. Decretum eſt etiam ibi, vt ſi francigena appellauerit Anglicum de periurio, aut murdro, furto, homicidio: Ran quod dicunt apertam rapinam, quod negari non poteſt, Anglicus ſe defendet per quod melius voluerit, aut iudicio ferri, aut duello. Si autem Anglicus fuerit infirmus, inueniat aliquem, qui pro ſe faciat. Si quis eorum victus fuerit: emendet regi quadraginta ſolidas. Si autem Anglicus appellauerit Francigenam, & eum approbare voluerit iudicio aut duello: volo tamen Francigenam purgare ſacramento, non ferro. hoc quoque præcipio omnes conſeruare legem Edwardi *regis in omnibus rebus, his adiectis quæ conſtitui ad vtilitatem Anglorum. Omnis homo, qui ſe tenuerit pro libero, ſit in plegio, vt plegius eum habeat ad iuſtitiam, ſi quid offenderit, & ſi quiſquam euaſerit talium, videant plegij vt ſoluant quod calumniatum eſt, & purgent ſe, quod in euaſo nullam fraudem nouerunt. Requiratur Hundredus & Comitatus ſicut anteceſſores conſtituerunt. Et qui iuſte venire debent, & noluerint, ſummoneantur ſemel. Et ſi ſecundo non venerint, accipiatur vnus bos, & reddatur de rebus illius hominis, qui calumniatus eſt quod dicitur Scapweld, & inſuper regi forisfacturam. Et prohibeo ne quis vendat hominem extra patriam. Interdico etiam, ne quis occidatur, vel ſuſpendatur pro aliqua culpa. Sed eruantur oculi & abſcindantur teſticuli. & hoc præceptum non ſit violatum ſuper forisfacturam meam plenam.*

Willielmus rex quarto anno regni ſui, conſilio baronum ſuorum, fecit ſummoneri per vniuerſos Conſulatus Angliæ Anglos nobiles & ſapientes, & ſua lege eruditos, vt eorum & iura & conſuetudines ab ipſis audiret. Electi igitur de ſingulis totius patriæ Comitatibus viri duodecim iureiurando confirmauerunt primo, vt quoad poſſent recto tramite, neque ad dextram neque ad ſiniſtram partem diuertentes, legum ſuarum conſuetudinem & ſancita patefacerent, nil prætermittentes, nil addentes, nil præuaricando mutantes. A legibus itaque ſanctæ matris Eccleſiæ ſumentes exordium, quoniam per eam rex & regnum ſolidum ſubſiſtendi habent fundamentum, leges libertatis & pacis ipſius concionati ſunt dicentes.

DE CLERICIS ET POSSESSIONIBVS EORVM.

OMnis clericus, & etiam omnes ſcholares, & omnes res, & poſſeſſiones eorum, vbicunq; fuerint pacem Dei & ſanctæ Eccleſiæ habeant.

DE TEMPORIBVS ET DIEBVS PACIS domini regis.

AB aduentu domini vſque ad octauam Epiphaniæ pax Dei & Eccleſiæ per omne regnum. Similiter à Septuageſima, vſque ad octauam Paſchæ. Item ab Aſcenſione Domini, vſque ad octauas Pentecoſtes. Item omnibus diebus quatuor Temporum. Item omnibus ſabbatis, ab hora nona vſque ad diem Lunæ. Item vigiliis ſanctæ *Mariæ, Michaelis, Iohannis Baptiſtæ*, omnium ſanctorum, Apoſtolorum, & ſanctorum quorum ſolemnitates à ſacerdotibus dominicis annunciantur diebus, & omnium ſanctorum in Kalendis Nouembris, ſemper ab hora nona vigiliarum in ſubſequentem ſolennitatem. Item in parochiis Eccleſiarum, vbi proprii feſtiuitas ſancti celebratur. Similiter in parochiis in quibus dedicationis dies obſeruatur, & ſi quiſpiam deuote ad celebrationem veniat ſancti, pacem habeat eundo, ſubſiſtēdo, redeundo. Item omnibus Chriſtianis ad Eccleſiam cauſa orationis euntibus, pax in eundo & redeundo ſit eis. Similiter ad dedicationes, ad ſynodos, ad capitula venientibus, ſiue ſubmoniti ſunt, ſiue per ſe quid agendum habuerint: ſit pax ſumma etiam ſi excommunicatus aliquis abſoluendi cauſa ad Epiſcopum cōfugerit: abſolutus eundo & redeundo pacem Dei & ſanctæ Eccleſiæ habeat. Quod ſi aliquis ei forisfecerit, Epiſcopus inde iuſtitiam faciat. Veruntamen ſi quis arrogans pro Epiſcopi iuſtitia emendare voluerit, Epiſcopus regi notum faciat. Rex autem conſtringet malefactorem, vt emendat cui forisfacturam fecit, ſcilicet primum Epiſcopo, deinde regi, & ſic erunt ibi duo gladii, & gladius gladium iuuabit.

DE IVSTITIA SANCTÆ ECCLESIÆ.

VBicunque regis iuſtitia, vel cuiuſcunq; ſit, placita tenuerit, ſi vllus Epiſcopus veniat illuc, & aperuerit cauſam ſanctæ Eccleſiæ, ipſa prius terminetur; *iuſtitia enim eſt, vt Deus vbiq; præcæteris honoretur.*

De vniverſis tenentibvs de Eccleſia.

QVicunq; de eccleſia aliquid tenuerit, vel in fundo eccleſiæ manſionem habuerit, extra curiam eccleſiaſticam coactus non placitabit, quamuis forisfecerit: niſi (quod abſit) in curia eccleſiaſtica rectum defecerit.

De reis ad eccleſiam fvgientibvs.

VBicunq; reus vel noxius ad eccleſiam cauſa præſidii confugerit, ex quo aditum eccleſiæ tenuerit ab aliquo inſequente nullatenus depræhendatur, niſi per pontificem, vel per miniſtros eius. Quod ſi fugiendo domum ſacerdotis, vel curiam eius intrauerit, eandem pacem & ſecuritatem habeat, quam & apud eccleſiam: dum tamen ſacerdotis domus, & curia eius in eccleſiæ fundo conſiſtant. Hic ſi latro vel raptor eſt, quod male cepit, ſi ad manum habet, reddat: & ſi penitus illud extirpauerit, & ſi ſuum proprium vnde reddat habuerit, integrum cui damnum intulit reſtituat. & ſi more ſolito latro taliter egerit, & ſi forte fortuito ad eccleſias, vel ad ſacerdotis domus frequenter euaſuerit, ablatione reſtituta prouinciam foris iuret: & niſi reddat nullus præſumat eum hoſpitari, niſi a rege data licentia.

De fractione pacis eccleſiæ.

SI quis vero pacem ſanctæ eccleſiæ fregerit violenter, epiſcoporum eſt iuſtitia, quod ſi nocens ſententiam eorum diffugiendo vel arroganter contemnendo deſpexerit: clamor de eo deferatur ad regẽ per quadraginta dies, & regis iuſtitia ponet eum per vadium & plegium ſi habere poterit, vſq; Deo primitus, & poſtea regi ſatisfaciat. Qui ſi infra triginta & vnum diem ſiue per amicos aut notos, ſeu per iuſtitiam regis inuenire non poterit, vtlagabit eum rex verbo oris ſui. Si vero poſtea repertus fuerit, & poterit teneri viuus, regi reddetur, vel caput eius ſi ſe defenderit. Lupinum enim gerit caput a die vthlagationis ſuæ, quod Anglice Wulureſheued dicitur. Et hæc eſt lex de omnibus vthlagis.

De decimis eccleſiæ.

DE omni annona decima garba Deo eſt reddita, & ideo reddenda. Si quis gregem equarum habuerit, pullum reddat decimum. qui vnam tantum vel duas habuerit, de ſingulis pullis ſingulos denarios præbeat. Similiter qui plures vaccas habuerit, decimum vitulum: qui vnam vel duas de ſingulis vitulis ſingulos denarios. & qui caſeum fecerit det decimum Deo, & ſi non fecerit, lac decima die. Similiter agnum decimum, vellus decimum, butyrum decimum, porcellum decimum.

De apibvs et de omnibvs aliis minvtis decimis.

DE apibus vero ſimiliter decimum commodi. quinetiam de boſco, de prato, & aquis, & molendinis, & viuariis, piſcariis, virgultis, & hortis, & negotiationibus, & omnibus rebus, quas dederit Dominus, decima pars ei reddenda eſt, qui nouem partes ſimul cum decima largitur. Et qui eam detinuerit, per iuſtitiam epiſcopi, & regis ſi neceſſe fuerit, ad ſolutionem arguatur. Hæc enim ſanctus *Auguſtinus* prædicauit & docuit, & hæc conceſſa ſunt a rege, & a baronibus, & populo. Sed poſtea inſtinctu Diaboli multi eam detinuerũt, & ſacerdotes negligentes locupletes non curabant inire laborem ad perquirendas eas, eo quod ſufficienter habebant ſuæ neceſſaria vitę. Multis enim locis ſunt tres vel quatuor eccleſiæ, vbi tunc temporis vna tantum erat, & ſic cœperunt minui.

De illis, qvi ad ivdicivm ferri, vel aqvæ *iudicati ſunt per iuſtitiam regis.*

DE illo, de quo iudiciũ fieri debet, veniat illuc epiſcop' cum clericis ſuis, & ſimiliter iuſtitia regis cum legalibus hominibus prouinciæ illius, qui videant & audiãt, vt omnia æq; faciant. & quos Domin' per miſericordiã ſuam, non per merita eorũ, ſaluare voluerit, quieti ſint & liberi recedãt, & quos iniquitas culpæ, non Dominus damnauerit, iuſtitia regis de ipſis iuſticiam faciat. Barones vero, qui ſuã curiam de ſuis hominib' videãt vt ſic de eis fa-

eis faciant, quatenus erga Deum reatum non incurrant, nec regem offendant. Et ſi placitum de hominibus aliorum baronum oritur in curiis ſuis, adſit ad placitum iuſtitia regis, quoniam abſque ea placitum finiri non licet. Si qui barones iudicia nō habent in hundredo niſi palatium fuerit habitum ad propinquiorem Eccleſiam, vbi iudicium regis erit determinandum, ſaluo iure illorum baronum.

DE DENARIO SANCTI PETRI, QVI *Anglice dicitur* Romeſcot.

OMnis qui habuerit triginta denariatas viuæ pecuniç in domo ſua de proprio ſuo Anglorum lege dabit denarium ſancti *Petri*: & lege Danorum dimidiam marcam. Iſte vero denarius debet ſummoneri in ſolemnitate ſancti *Petri* & *Pauli*, & colligi ante feſtiuitatem quæ dicitur ad vincula ſancti *Petri*, ita vt vltra alium diem non detineatur. Si quiſquam detinuerit ad cuſtodiam regis clamor deferatur, quoniam denarius hic eleemoſyna regis eſt, iuſtitia faciat denarium reddi, & forisfactionem Epiſcopi & regis. Et ſi quis plures domos habuerit; de illa vbi reſidens fuerit in feſto Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* denarium reddat.

QVID SIT DANEGELDI *ET QVA neceſsitate ſit conſtitutum.*

DAnegaldi redditio propter piratas primitus ſtatuta eſt. Patriam enim infeſtantes, vaſtationi eius pro poſſe ſuo inſiſtebant. Ad eorum quidem inſolentiam reprimendam, ſtatutum eſt Danegaldum annuatim reddi; ſcilicet duodecim denarios de vnaquaque hida totius patriæ ad conducendos eos qui piratarum eruptioni reſiſtendo obuiarent. De hoc quoque Danegaldo omnis Eccleſia libera eſt & quieta, & omnis terra, quæ in proprio dominico Eccleſiæ erat, vbicunq; iacebat, nihil prorſus in tali redemptione perſoluens, quia magis in Eccleſiæ confidebant orationibus, quam in armorum defenſionibus, vſque tempora *Willielmi* iunioris qui *Ruffus* vocabatur, donec eodem à baronibus Angliæ auxilium requirente, ad Normanniam requirendam, & retinendam, de *Roberto* ſuo fratre cognomine *Cortehoſe* Ieruſalem proficiſcente, conceſſum eſt ei, non lege ſancitum, neque firmatum; ſed hac neceſſitatis cauſa ex vnaquaque hida ſibi dari quatuor ſolidos Eccleſia non excepta. Dum vero collectio cenſus fieret, proclamabat Eccleſia, ſuam repoſcens libertatem, ſed nil profecit.

DE MVLTIMODA PACE QVATVOR CHIMInorum viarum regalium, & fluuiorum, quorum nauigio victualia deferuntur.

PAx regis multiplex eſt. Alia enim data manu ſua, quam Anglici vocant Kingeſhand/ Sealdergrith alia de qua primum coronatus eſt: quæ dies tenet octo in natali Domini; dies octo Paſchæ; dies octo in Pentecoſte. Alia pax eſt per breue ſuum data, alia quam habent quatuor chimini: ſcilicet Wathlingeſtrete/ Foſſe/ Hunildeſtrete/ Ermigeſtrete: Quorum vero alii in longitudinem regni, alii in latitudinem protenduntur. Alia eſt, quam habent aquç nominatorum fluuiorum: quorum nauigio de diuerſis locis victualia deferuntur ciuitatibus vel Burgis. Illa autem pax ſuæ manus, & dierum coronationis, & breuis ſub iu dicio vnius forisfacturæ eſt. Similiter Chiminorum quatuor, & maiorum aquarum de aſſaltu. De opere vero ſi opus fiat deſtruatur, & medietas emendationis dabitur. Quicunque ſcienter fregerit eam, octodecim hundreda in Denelaga, & corpus eius in miſericordia regis Anglorum Werre ſuum, id eſt, precium redemptionis ſuæ & Manbote de occiſis erga dominum, quorum homines interfecti ſunt, Manbote in Denelaga, & de Villano & de Scotman duodecim horas. De liberis autem hominibus tres marcas. Manbote vero Anglorum lege regi & Archiepiſcopo tres marcas, & conſuli Comitatus, de hominibus eorum propriis. Sed Epiſcopo eiuſdem Comitatus, & dapifero regis viginti ſolidos. Baronibus autem aliis decem ſolidos. Parentibus occiſi fiat emendatio, vel guerra eorum portetur, vnde Anglice prouerbium habetur, Bige ſpere oſide other bere. Hoc eſt, eme lanceam à latere aut fer. Pax autem chiminorum quatuor, & prædictarum aquarum, ſub maiori iudicio contrarie quam diximus de aſſaltu. Si vero molendina vel piſcaria, vel alia quælibet opera eis impedimentum facientia præparantur, opera ipſa

penitus deſtruantur,& chimini & aquæ vbi fuerint prius reparentur,& forisfactura regis non obliuiſcatur. Chimini vero de ciuitate minores ad ciuitates quoſq; ducentes, de Burgis ad Burgos, per quos mercata vehuntur & certa negotia fiunt, ſub lege Comitatus, ſi quiſpiam opus ad eorum perturbationem erigit, ſolo tenus deponatur, & chimini mox reparentur, & ſecundum legem Comitatus eiuſdem, erga Comitem & vicecomitem emendetur. Similiter fiat de aquis minoribus. Naues tamen, portantes ea, quæ neceſſaria ſunt burgis & ciuitatibus, ſaltem ligna & huiuſmodi, cum lege minorum chiminorum fit & emendatio eorum.

DE DIVISIONIBVS SCHIRARVM.

Diuiſiones vero hundredorum, wapentachiorum, Comitibus, vicecomitibus erunt iudicio Comitatus. Theſauri regis ſunt de terra, niſi in Eccleſia vel in cœmiterio inueniantur. Et licet ibi inueniantur, aurum regis eſt, & medietas argenti; & altera medietas Eccleſiæ, vbi inuentus fuerit, quæcunque eſt ipſa vel diues, vel pauper.

DE LEGIBVS MVRDRATORVM.

Si quis murdratus fuerit, & aliquis reprobatur, quæratur apud villam, & vbi inueniatur interfector illius. qui ſi inueniri poterit tradetur iuſtitiæ regis infra ipſos octo dies interfectionis. Si vero inueniri non poterit, menſis & vnius diei reſpectus habeatur ad quærendum eum. Qui ſi infra terminum inueniri non poterit, colligantur in villa quadraginta ſex marcæ. Sed ſi ad tantam ſolutionem non ſufficiat, per hundredum colligatur quod in villa non poterat. Veruntamen quoniam, ſi villa omnino deſtruetur, præuiderunt barones, quod per hundredum colligerentur, & ſigillo alicuius baronis Comitatus ſigillarentur, & ad theſaurum regis deportarentur: quas ſigillatas ipſe ſeruaret per annum & vnum diem. Quod ſi murdrator infra hunc terminum poſſit inueniri, traderetur iuſtitiæ regis, & ipſi quadraginta ſex marchas in theſauro non poſitas rehaberent. Si infra hunc terminum non poſſit inueniri, parentes murdrati ſex marcas haberent & rex quadraginta. Si parentes deeſſent, dominus eius reciperet. ſi dominum non haberet, ſocius eius: ſcilicet, cum eo fide ligatus reciperet, ſi aliquem habuerit. Si vero nullum iſtorum haberet, rex tunc regni, ſub cuius protectione & pace ſunt & degunt omnes reciperet ſex marcas cum ſuis quadraginta marcis.

Murdra quidem inuenta fuit in tempore *Chnuti* regis Dani, qui poſt adquiſitam Angliam, & pacificatam, conſenſu baronum Anglorum miſit in Daniam exercitum ſuum. Ipſi vero Barones contra regem extiterunt fideiuſſores, quatenus in terra, quotquot ſecum retinere vellet, firmam pacem per omnia haberent. Veruntamen ſi quis Anglorum aliquem illorum interficeret, & ſi ſe ſuper hoc defendere non poſſet, iudicio Dei, ſcilicet aqua, vel ferro, fieret de eo iuſtitia. Si autem fugeret, ſoluentur ſicut ſupra dictum eſt.

REGIS OFFICIVM.

Rex autem atque vicarius eius ad hoc eſt conſtitutus, vt regnum terrenum, populum Dei, & ſuper omnia ſanctam Eccleſiam, reuereatur & ab iniuriatoribus defendat, & maleficos ab ea euellat & deſtruat, & penitus diſperdat. Quod niſi fecerit, nec regis nomen verum conſtabit, propheta *Iohanne* teſtante, nomen regis perdit, qui quod regis eſt non faciat. Audientes autem *Pipinus* & *Carolus* filius eius, nec dum reges, ſed principes ſub rege Francorum, hanc definitiuam ſententiam, tam veraciter quam prudenter, de regis nomine à *Willielmo* notho rege Angliæ prolatam, ei ſtulte ſcripſerunt ab eo quærentes ſi ita permanere deberent Francorum reges ſolo nomine regis contenti. A quo reſponſum eſt illos decet vocari reges, qui vigilant, defendunt, & regunt Eccleſiam Dei, & populum eius: imitantes regem pſalmographum dicentem, *non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam &c.*

DE REIS LEGE DAMNATIS AD REGIS *miſericordiam recurrentibus.*

Tamen ſi quis forisfactus, regis miſericordiam pro forisfacto ſuo popoſcerit, & ſi ſit reus mortis, vel membrorum ſuorum perdendorum, poteſt rex ei lege ſuæ dignitatis condonare ſi vult, etiam mortem promeritam. Ipſe tamen malefactorum rectum faciat in quantumcunque poterit, quibus forisfactum fuerit, & fideiuſſores tradat de pace & legalitate tenenda. Si fideiuſſores vero defecerint, debet exulari de patria.

QVID DEBEANT FACERE, QVOS REX uoluerit à morte liberare.

HAbet etiam rex aliam poteſtatem miſericordiæ ſuper captos. Vbicunq; enim venerit in ciuitatem vel burgum, vel villam, vel viam, ſi captus fuerit poteſt eum ſolo verbo ſoluere a captione. Solutus tamen ſatisfaciat, cui forisfecerit. Murdrator vero, traditor, vel huiuſmodi criminoſus, quamuis rex ei condonauerit vitam & membra, tamen ſecundum legem remanebit in priſonia. ſed ſtatim iurabit ſe iturum ad mare, infra terminum ei à iuſtitia dictum, & mox transfretaturum. Quod ſi periurus poſtea in terra remanſerit, quicunque eum inuenire poterit, de eo ſine iudicio iuſtitiam faciat; & ſi quis gratis eum detinuerit pro vna nocte ſola, maiore lege Anglorum vel Danorum pro ſecũda dupliciter, pro tertia ſocius & compar malefactorum iudicabitur.

DE VXORIBVS MALEFACTORVM, & filiis eorum.

SIquidem tales habuerint vxores ſuas in patria ſubſiſtentes, & dixerit aliquis parentum murdrati eas nequitiæ fuiſſe participes, expurgent ſe iudicio Dei. Quas ſi clementia Dei & earum innocentia ſaluauerit, remaneant legales cum dotibus ſuis & maritagiis. Pueri vero qui ante malefactum nati erant vel generati, non exleges ſint; ſuper malefacto poſt generationem illorum peracto, vt perdant hæreditatem.

QVID SIT FRITHBORG, QVOD EBORACENSES vocant tenementale, id eſt, ſermo decem hominum.

PRæterea eſt quædam ſumma & maxima, per quam omnes firmiſſimo ſtatu ſuſtinẽtur videlicet, vt vnuſquiſque ſtabiliat ſe ſub fideiuſſionis ſecuritate, quam Anglici vocant Frithborgas. Soli tamen Eboracenſes dicunt eandem tenementale / quod ſoluat Latine decem hominum vnum. Hæc ſecuritas hoc modo fiebat, ſecundum quod de omnibus villis totius regni ſub decennali fideiuſſione debeant eſſe vniuerſi, ita quod ſi vnus ex decem forisfaceret, ad rectitudinem nouem haberẽt decimum, qui ſi aufugerit, daretur eis terminus triceſimi primi diei. Quæſitus & inuentus ad iuſtitiam regis ducetur, de ſuo illico reſtauraretur damnum quod fecerat, & ſi ad hoc forisfecit de corpore ſuo fieret iuſtitia. Sed ſi infra prædictum terminum inueniri non poſſet, quia in omni Frithborgo vnus erat capitalis, quem vocabant Frithborges Heued, ipſe capitalis ſumeret duos de melioribus ſuorum Frithborgorum, & de tribus Frithborgis ſibi propinquioribus acciperet de vnoquoque capitalem & duos de melioribus vnius cuiuſque Frithborgi ſi poſſet habere, & inde ſe duodecimo expurgaret, & Frithborgum ſuum ſi facere poſſet de forisfacto, & fuga ſupradicti malefactoris. Quid ſi facere non poſſet, ipſe cum Frithborgo ſuo damnum reſtauraret de proprio malefactoris quantum duraret. Quo deficiente, de ſuo & Frithborgi ſui perficeret, & erga iuſtitiam emendaret, ſecundum quod legaliter iudicatum fuiſſet. Tandem vero ſacramentum, quod non potuerunt adimplere per tres Frithborgos ſibi viciniores, per ſeipſos nouẽ iurarent, ſeſe nullatenus fore culpabiles, & ſi quãdo eum recuperare poſſent, adducerẽt illum ad iuſtitiarium, aut diceret iuſtitiæ vbi eſſet.

QVOD OMNES PRO MINISTRIS, ET CLIENtibus ſuis Frithborgas dare debent.

ARchiepiſcopi, Epiſcopi, Comites, Barones, ſuos milites, & ſibi ſeruientes, dapiferos, pincernas, camerarios, coquos, piſtores, ſub ſuo Frithborgo habeant. Qui ſi cui forisfecerint, & clamor vicinorum de eis aſſurgeret, ipſi tenerent eos rectitudini in curia ſua. illi dico qui habebant ſaccam & ſoccam, & thol, & theam, & infangentheof.

Sacca eſt, quod ſi quislibet nominatim aliquem de aliquo calumniatus fuerit, & ille negauerit, forisfactura probationis, vel negationis ſi euenerit, ſua erit. *De Sacca.*

Socca eſt, quod ſi quis quærat in terra ſua, etiam ſua eſt iuſtitia, ſi inuentum fuerit, an non. *Socca.*

Tol, quod nos dicimus teloneum, eſt qui habet poteſtatem vendendi, & emendi in terra ſua. *Tol.*

Theam eſt, quod ſi quiſpiam intertiEtur aliquid ſuper aliquem, & intertiatus ſuum warantum habere non poterit, erit forisfactura ſua, & iuſtitia ſimiliter de calumniatore ſi defecerit. *Theam.*

Infangentheof. Omnis qui habet ſaccam, & ſoccam, & tol, & theam, & infangentheof, prædictas videlicet conſuetudines, iuſtitia cognoſcentis latronis ſua eſt de homine ſuo, ſi captus fuerit ſuper terram ſuam. Illi vero, qui non habent conſuetudines, coram iuſtitia domini regis rectum faciant in hundredis, & in Wapentacco, vel in ſchiris.

DE HOSPITIBVS RECIPIENDIS.

SI quis hoſpitatur priuatum vel extraneum, (quod Anglice dicitur cuth other uncuth) poterit eum habere per duas noctes, tanquam hoſpitem; & ſi forisfecerit non incurret domus damnum pro hoſpite. Veruntamen ſi cui damnum illatum fuerit, & ad iuſticiam de eo clamorem fecerit, quod ipſius conſilio malum factum non fuerit, cum duobus legalibus vicinis purgabit ſe ſacramento de conſilio & facto. Quod niſi fecerit damnum emendet & forisfacturam. Quod ſi tertia nocte hoſpitatus fuerit, & alicui forisfecerit, habeat ad rectum tanquam de propria familia, quod Anglice dicitur, Twain nithes geſt/thrid nith ha wan man. Quem niſi ad rectum poterit habere, habebit terminum vnius menſis & vnius diei. Et ſi poterit inueniri malefactor, reſtauret damnũ quod fecerat, & emendationem ſi poterit, etiam de corpore, ſi adiudicatum fuerit ei. Si vero malefactor damnum reſtaurare non poterit quod fecerat, hoſpes reſtaurabit & forisfacturam. Et ſi iuſtitia habeat eum ſuſpectum, purgabit ſe iudicio hundredi vel ſchiræ.

DE INVENTIS QVID FACIENDVM SIT.

SI quis adduxerit animal in villam, vel apportauerit pecuniam, & dixerit ſe inueniſſe, priuſquam intus ducat in domum ſuam vel etiam alterius, eat ad eccleſiam, & coram ſacerdote eccleſiæ, & præpoſito villæ, & melioribus villæ totum oſtendat inuentum quicquid ſit. Præfectus villæ mittat ad tres, vel ad quatuor villas propinquiores, pro ſacerdotibus & præpoſitis villarum, qui adducant ſecum quatuor de melioribus de vnaquaq; villa. Eis congregatis oſtendatur totum inuentum. Poſtea vero teſtimonio iſtorum præpoſitus, de cuius dominio inuentor eſt, cuſtodiat vſque in craſtinum diem. Die autem craſtino, cum aliquantis vicinorum ſuorum, qui viderunt inuentum, ad hundredi eat præfectum, in quo ſua villa eſt, & ipſi totum oſtendat. Et ſi dominus, in cuius terra inuẽtum fuerit, non habet conſuetudines ſuas, Saca, & Soca, omnia tradat hundredi præfecto, ſi habere voluerit, cum bonis teſtibus. Sed ſi dominus conſuetudines habuerit in curia domini rectum teneatur.

DE IVDAEIS IN REGNO CONSTITVTIS.

SCiendum eſt quoq;, quod omnes Iudæi, vbicunq; in regno ſint, ſub tutela & defenſione domini regis debent eſſe, nec quilibet illorum alicui diuiti ſe poteſt ſubdere ſine regis licentia. Iudæi & omnia ſua regis ſunt. Quod ſi quiſpiam detinuerit eis, pecuniam eorum perquirat rex tanquam ſuum proprium.

DE IIS, QVI PACEM PER BREVE *regis habent.*

HI, qui pacem regis habent, vel manu vel breui, ei fideles exiſtant. Ideoque ſumma neceſſitas eſt eis, vt eam inuiolabiliter cuſtodiant erga omnes, nec obſcuritatẽ pacis adeptam detineant rectitudines vel ſeruitia dominorum ſuorum; ſed nec vicinorum. quia non eſt dignus habere pacem, qui non vult obſeruare eam. Qui ſi nimis confidit in pace, quam habet, & alicui forisfecerit, damnum reſtauret, & iterum emendet, quod Angli vocant Murdre, forisfacturam aſtridelihot.

QVID REGI, QVID DECANO DABANT, *qui pacem regis infringebant.*

PAx data manu regis, & octo dierum, quibus primum coronatus eſt, & pax prædictorũ feſtorum, & pax per breue regis, vnum habent emendationis modum etiam hoc iudicio, ꝙ maius habetur in ſchira vbi pax fracta fuerit, verbi gratia: in denelaga octo. hundreda igitur numerus complet ſepties viginti libras & quatuor libras. Quoniã forisfactorum hundredi Dani & Norwẽſes octo libras habeant. Multiplicatis igitur octo per octodecim faciunt

faciunt centum & quadraginta quatuor. Et hoc non ſine cauſa. De iſtis autem octo libris rex habebat centum ſolidos, & Conſul Comitatus, qui tertium habet denarium forisfacturæ, quinquaginta ſolidos. Decanus autem Epiſcopi, ſi intus decanatum pax fracta fuerit, reliquos decem, præter pacem regis, ſi de pace manu regis, ſi de primo coronatu, & de ſupradictis feſtis.

CONSILIVM DE ILLIS, QVI has leges deſpexerunt.

CVm contigerit, quod aliqui ſtulti, & improbi, gratis & nimis conſuete erga vicinos ſuos forisfaciebant: ſapientes cœperunt ſuper hos habere conſilium, & conſtituerunt iuſticiarios ſuper quoſq; Frithborgos, quos decanos poſſumus appellare. Iſti Anglice tenheued dicti ſunt: hoc eſt, caput de decem. Item villas vicinas tales tractabant, & ſuper forisfacturas emendationes capiebant, & concordationes faciebant ſcilicet de paſcuis, pratis, meſſibus, negotiationibus, & huiuſmodi decertationibus innumerabilibus: quæ humanam fragilitatem infeſtant, & eam inceſſanter impugnant. Cum autem cauſæ maiores erumpebant, referebantur ad ſuperiores eorum iuſtitiarios: quos prædicti ſapientes ſupra eos conſtituerunt, ſcilicet ſupra decem decanos, quos poſſumus dicere centuriones, vel centenarios, eo quod ſupra centum Frithborgos iudicabant.

DE WAPENTAGIO, ET QVALITER ſe agebant, qui Wapentagium accipiebant.

WArtwichſire / Lincolneſchire / Notinghamſire / Leirceſtreſchire / vſq; ad Wathlingeſtrete / & octo milliaria vltra Wathlingſtrete / ſub lege Anglorum & Angli vocant Wapentagium, & non ſine cauſa, cum accipiebat præpoſituram Wapentagii die ſtatuto, in loco vbi ſolent congregare omnes maiores natu, contra eum conueniebant, & deſcendente eodem de equo ſuo omnes aſſurgebant ei. Ipſe vero erecta lancea ab omnibus ſecundum morem accipiebatur. Omnes vero, quotquot veniſſent, cum lanceis ſuis ipſius haſtam tangebant, & ita ſe confirmabant per tactum armorum pace palam conceſſa. Anglice autem arma vocantur Wapne / & taccare, confirmare, quaſi armorum confirmatio. vel magis vt expreſſe ſecundum Anglicam linguam dicamus, Wapentac / armorum tactus. Quãobrem poteſt coniici, quod de cauſa totus ille conuentus dicitur Wapentac / quod per tactus armorum ſuorum confœderati ſunt ad inuicem.

QVID SIT INTER WAPENtagium & Trihingam & Hundredum.

ERant etiam aliæ poteſtates ſuper Wapentagium, quas Trihingas dicebant, quod erat tertia pars prouinciæ. Qui vero ſuper dominabantur, ad hos deferebantur cauſæ Trihinguiæ, quæ non poterant definiri in Wapentagiis, quod Angli vocabant Hundredum, Iſti Wapentag; & quod Anglice vocabatur tria vel quatuor vel plura hundreda, iſti vocabant Trihinga. In quibuſdam vero prouinciis Anglice vocatur lede quod iſti thinge dicunt. Quod quoq; in thinges definiri non poterat, ferebatur in ſchiram. Greue quidem nomen eſt poteſtatis Latinorum lingua, vel expreſſe idem, quod præfectura. Quoniam hoc vocabulum tam multipliciter diſtenditur, quod de ſchira, de Wapentagiis, & quod etiam Lede / Hundredum, de burgis, de villis etiam Greue vocetur, in qua idem ſonare, & ſignificare videtur quod dominus.

QVID SIT PRAEPOSITVS ET PRAEFECtura, & quid Alderman quod Latine ſenior populi ſonat, & quam multipliciter nomen præpoſiti diſtenditur.

VIdetur etiam quibuſdam, quod Grieue vocabulum nomen eſt compoſitum ex Anglico Grith / & væ Latino. Grith enim pax eſt, væ vero miſeria: ipſo teſtante qui dixit, Væ tibi Corazin. Greue igitur ideo dicitur, quod iure debeat Grith / id eſt, pacem ex illis facere: qui patriæ inferunt Væ, id eſt, miſeriam vel malum. Teutonici & etiam Friſones & Flandrenſes conſules ſuos: meregraue, quaſi maiores dominos, vel bonos pacificos vocare conſueſcunt, & ſicut modo vocantur, greue qui ſuper alios præfecturas habent: ita apud Anglos qui antiquitus vocabantur Alderman quaſi ſeniores non propter ſenectutem, cum quidam adoleſcentes eſſent: ſed propter ſapientiam.

EX QVA CAVSA REX WILLIELmus leges Anglorum dimiſit & Danorum tenuit.

Erat etiam lex Danorum in Northfolc / & Suthfolc / & Cantebrigeſire Quod ha-

beat in emendationem forisfacturę vbi ſupradicti Comitatus habebant octodecim hundreda, iſti decem & dimidium. & hoc ex affinitate Saxonum temporis maior emendatio forisfacturæ quater viginti libræ & quatuor. In omnibus aliis cauſis & forisfacturis eandem legem habebant cum ſupradictis Norwenſibus. quam cum rex *Willielmus* audiſſet cum aliis ſui regni legibus maxime appretiatus eſt eam, & præcepit vt obſeruaretur per vniuerſum regnum. Proferebat enim, quod anteceſſores eius, & fere omnium baronum Normanniæ Norwenſes extitiſſent: & quod de Norweia olim veniſſent, & hac auctoritate leges eorum cum prædictis Danorum & regni ſui legibus aſſerebat debere ſequi, & obſeruare, quippe cum aliarum legibus nationum Brittonũ ſcilicet Anglorum & Pictorũ vbiq; præpõderaſſent. Quo audito mox vniuerſi cõpatriotę, qui leges edixerant, triſtes effecti vnanimiter deprecati ſunt, quatenus permitteret leges ſibi proprias, & conſuetudines antiquas habere: in quibus vixerant patres, & ipſi in eis nati & nutriti ſunt, quia durum valde ſibi foret ſuſcipere leges ignotas, & iudicare de eis quas neſciebant. Rege vero ad flectendum ingrato exiſtente, tandem eum proſecuti ſunt deprecantes quatenus pro anima Regis *Eadwardi*, qui ei poſt diem ſuum conceſſerat coronam & regnum, & cuius erant leges, nec aliorum extraneorum cogeret, quam ſub legibus perſeuerare patriis. Vnde conſilio habito precatui baronum tandem adquieuit. Ex illa ergo die viſa auctoritate, veneratæ per vniuerſam Angliam, corroboratæ & obſeruatæ ſunt præ cæteris patriæ legibus, leges *Eadwardi* Regis; quæ prius inuentæ, & conſtitutæ erant, in tempore *Adgari* aui ſui, verum poſt mortem ipſius, circiter annos ſexaginta octo. *Eadwardus* enim filius eius herilis, ſcilicet de vxore legitima natus, regnauit annis quatuor, hebdomadibus ſexdecim minus. quo occiſo innocente, ſuæ dolo nouercæ, propter innocentem vitam eius, caſtam, & eleemoſynis plenam: interfectionem eius immeritam pro martyrio reputauerunt ei, & ſanctum habuerunt. Poſt ipſum *Aldredus* frater eius regnum ſuſcepit, & regnauit in multis aduerſitatibus, & periculis triginta octo annis. Poſt *Aldredum* vero *Eadmundus* filius eius regnauit, fere nouem menſibus. in quibus viriliter contra Danorum Regem *Chnutum* quinquies dimicauit. Vltimo vero bello peracto concordes inuicem effecti ſunt. Regnumque per dimidium diuiſerunt: & vna medietas Angliæ *Cnuto* & altera medietas ceſſit *Eadmundo*, eo tenore quod ſi quis eorum alterum ſuperuiueret, regnum ſuperſtes totum poſſideret: nec interim alteruter coronaretur. Firmatis igitur taliter, vniuerſis Angliæ primatibus aſſenſum præbentibus inter ſe conuentionem factam: poſt menſem *Eadmundus* ex hac luce, proh dolor, ſubtrahitur. *Chnutus* vero inde totum regnum ſuſcepit Angliæ, regnauitq; fere octodecim annis. Quo defuncto *Haraldus* filius illius ab omnibus putatus, regnum ſuſcepit; & quinque annis regnauit. poſt quem *Hardechnutus* filius *Chnuti & Elnuæ, & Emmæ* ſororis *Roberti* Normannorum ducis, & matris Regis vltimi *Eadwardi* regnauit duobus annis, hebdomadibus duodecim plus minus. Sicque completi ſunt quadraginta octo anni, in quibus leges prædictæ prætermiſſæ erant. Sed poſtquam Rex *Eadwardus* venit ad regnum, conſilio baronum Angliæ, legem quadraginta octo annis ſopitam excitauit, excitatam reparauit, reparatam decorauit, decoratam confirmauit. Confirmata vero vocata eſt lex *Eadwardi* Regis; non quia ipſe inueniſſet eam primus: ſed cum prætermiſſa fuiſſet, & obliuioni penitus data, à diebus aui ſui *Eadgari*, qui prius inuentor eius fuiſſe dicitur, vſq; ad ſua tempora, ſcilicet, vt ſupra dictum eſt, octodecim annis poſt dies ipſius *Edgari*. At *Eadwardus*, quia iuſta & honeſta erat, à profunda abyſſo extraxit, & eam reuocauit, & vt ſuam obſeruandam tradidit.

Iſte præfatus *Eadmundus* habuit quendam filium *Eadwardum* nomine, qui mox patre mortuo timore Regis *Cnuti* aufugit ad regnum Dogorum, quod nos melius vocamus Ruſſiam. quem rex terræ *Maleſcoldus* nomine, vt cognouit quis eſſet, honeſte retinuit. Qui de nobili progenie ibidem duxit vxorem, de qua natus eſt ei *Adgarus Adeling*, & *Margareta* quæ fuit poſtea regina Scotiæ, & *Chriſtiana* ſoror eius. Cui *Chriſtianæ* Rex *Eadwardus* dedit terram quam habuit. Poſtea *Radulfus* de Limeſi propter quem miſit Rex *Eadwardus* auunculus eius, & fecit eum veniſſe ad ſe. qui poſtquam venit, non multum poſtea vixit, & vxor illius in breui temporis curriculo defuncta eſt. Rex vero *Eadwardus Eadgarum* filium eorum ſecum retinuit, & pro filio nutriuit. Et quia cogitabat eum hæredem facere, nominauit eum *Adeling*, quod nos dicimus domicellum. ſed nos indiſcrete de pluribus dominis, quia barones vocamus domicellos: Angli vero nullum niſi natos regum. quod ſi expreſſius volumus dicere in Saxonica lingua imago dicitur. Adela Anglice nobilis Latine. quod ſimul coniunctum ſonat nobilis imago *Adeling*. Vnde etiam occidentales Saxones Ceſtrenſes habent in ꝓuerbio ſummi deſpectus *Edeling*, id eſt, ab omni ho-

honeſtate deiectus vel retrocedens imago. Rex vero *Eadwardus*, vt cognouit nequitiam gentis ſuæ, & præcipue ſuperbiam filiorum, *Godwini*, *Haroldi*, qui poſtea regnum inuaſit, *Eſtigurti*, *Lefwini*, & aliorum fratrum ſuorum: non poſſe fore ſtabile ratus, quod propoſuerat de *Eadgaro*, adoptauit Willielmum ducem Normannorum in regnum. Willielmum dico nothum, id eſt, baſtardum filium *Roberti* auunculi ſui, virum ſtrenuum & bellicoſum & fortem. Qui poſtea Deo annuente, debellando ſupradictum *Haroldum Godwini* filium, regnum Anglorum victorioſe adeptus eſt.

DE LATRONIBVS PRO *latrocinio interfectis.*

SI poſt iuſtitiam factam fecerit quis clamorem ad iuſtitiarium, quod quis iniuſte interfectus fuerit, & quod iniuſte iacet inter latrones, & dixerit quod hoc velit dirationari, det vadium & inueniat plegium. Tunc detur ei terminus vnius menſis, & tunc habeat parentes interfecti ex vtraq; parte generis ſui, ſcilicet ex patre & matre eius. ex parte patris duodecim, & ex parte matris ſeptem. Quod ſi iſti nouendecim velint dirationari cum illo qui primitus clamorem fecerit, & qui vadium dederit, det vnuſquiſq; eorum vadium ſuum cum gladio, & poſtea inueniat plegios tales, qui poſſint reddere foriſfacturam, id eſt, Werre ſuum. Niſi poſſunt dirationari quod dicunt, tunc deinde interfector det ſuum vadium & inueniat plegium, quod iuſte interfectus ſit, & merito iacet inter latrones, ſecundum legem ſicut latro. Et tunc primum oſtendat quo latrocinio, & qua ratione interfectus ſit. Quod ſi recognouerit, quod viuus captus ſit, nominet iuſtitiam, & iudices, & de vicinis legales teſtes. Qui ſi warantizauerint, quod ſit recte iuſtitia facta de illo ſecũdum ſuum latrocinium, quietus erit interfector illius. Ipſi vero, qui vadimonia dederunt, emendent ſua vadimonia. Quod ſi interfectori defecerint iudices, & teſtes; & dirationatum fuerit, quod iuſte ſit interfectus, interfector dabit vadium iuſtitiæ epiſcopi & fideiuſſores rectum proſequendi. Deinde iuſtitia Epiſcopi faciat venire proceſſionem, cum ſacerdote induto alba, & manipulo, & ſtola, & clericis in ſuperpelliciis cum aqua benedicta, & cruce, præcedentibus candelabris, & thuribulo, cum igne, & incenſo. Et amici extrahentes mortuum ponant in feretrum, portantes eum ad Eccleſiam: vbi Miſſa pro defuncto celebrata, & alio officio peracto, interrent eum vt decet Chriſtianum. Ab ipſo vero die in quindecim dies reddat interfector illius Epiſcopo tres foriſfacturas. Vnã, quia legalem pro latrone interfecit: aliam, quia fratrem ſuum interrauit: quod Angli dicunt his euenchriſten. tertiam, eo quod vadium dedit ad dirationandum ſe & non potuit.

DECRETVM REGIS DE VSVRARIIS.

VSurarios quoque defendit Rex *Eadwardus* ne remanerent in regno: & ſi quis inde conuictus fuerit, quod fœnus exigeret, omni ſubſtantia propria careret, & pro exlege haberetur. Hoc autem aſſerebat ipſe Rex, in curia regis Francorum ſe audiſſe, dum ibidem moraretur, quod vſura ſumma radix eſt omnium vitiorum. Prohibitum eſt etiam in eadem lege, ne quis emeret viuum animal, vel pannum vſatum ſine plegiis, & bonis teſtibus. Et ſi fieret opus aureum, vel argentum, vnde emptor dubitare poſſet. non emeret ſine aurifabris, vel monetariis. Qui ſi vidiſſent, quod eſſet de eccleſia, vel de theſauro, non emiſſet ſine plegiis, ſi venditor careret plegiis, retineretur cum cenſu, donec veniſſet dominus eius vel alius, qui poſſet eum bene warantizare. Si quis hominum aliter emiſſet, perderet & foriſfacturam. Poſtea inquiſiſſet per lagamannos, & per meliores homines de Burgo, vel villa, vel Hundredo, vbi manſiſſet emptor, & qualis vitæ fuiſſet. & ſi vnquam audiſſent eum calumniari de exlegalitate, quod ſi teſtaretur eum de bona fama & legalitate, purgaret ſe iudicio Comitatus, quod venditorem neſciret reum de hac venditione, nec de aliqua exlegalitate: & ſi ſciret venditorem ſuum quis eſſet, vel vbi fuiſſet, diceret: iuſticiarius eius vero quæreret eum ad faciendam iuſtitiam de eo. Qui ſi inueniri non poſſet, vthlagaretur. Cum autem dictum eſt, quod nullus hominum abſq; plegiis viuum animal emeret, clamauerunt macherarii de ciuitatibus, quod vnaquaq; die oportet eos viua animalia emere, vendere, & occidere. Nam in occiſione animalium erat vita eorum. Vociferabantur etiam ciues, & burgenſes, & populus pro ſuis conſuetudinibus, eo quod circiter feſtum ſancti *Martini* conſueuerant animalia in foro mercari ſine plegiis ad occiſiones contra natale domini faciendas. Murmur etiam multus ſuper hoc edicto erat in turba. Quare æſtimo ſi quæreretur ibi vtrum placeret nec ne illud decretum, vt fit in quibuſdam congregationibus, communi conſilio à multis redderetur, non placet. Ibi etiã, ſi adeſſes, audires, ſtridere ſecreta diuiſos aure ſuſurros, & clamores, & murmurationes

tumultuantium populorum; & laudatum eſt Regi, quatenus conſuetudines iuſtas, & ſapientes deductas non auferret, iis tantum in foro regio, empto mercato ſuo, cum teſtibus & cognitione vendentium.

GENEALOGIA DVCVM NORMANNIAE.

PRimus Normanniæ dux *Rollo*, qui & *Robertus* in baptiſmo dictus, regnauit annis triginta. *Willielmus* filius eius annis viginti quinq;. *Richardus* ſenior quinquaginta quatuor. *Richardus* ſecundus triginta. *Richardus* tertius, & *Robertus* frater eius octo annis. *Willielmus Baſtardus* Comes triginta: qui poſtea fuit rex Anglorum viginti duobus annis. *Richardus* igitur ſenior habuit filiam nomine *Emmam*, quæ nupſit *Adelredo* Regi Anglorum. ex qua idem Rex genuit *Eadwardum & Adelredum*. Tempore autem *Richardi* ſecundi *Adelredus* Rex fecit occidere omnes Danos in Anglia. Ob quam rem *Suenus* rex Danorum Angliam inuaſit & obtinuit. *Adelredus* vero cum vxore ſua & filiis profectus eſt in Normanniam, ad *Richardum* ſecundum, vxoris ſuæ fratrem, & Normanniæ ducem. *Suenus* non multo poſt moritur, & in Daciam fertur tumulandus. Interea *Adelredus* cum vxore ſua reuertitur ad terram ſuam, filiis ſuis cum auunculo dimiſſis. *Sueno* igitur intumulato, *Chnutus* filius eius cum magna claſſe, accito ſecum *Lacman* Rege Sueuorum, & *Olauo* rege Nortorum, qui poſtea apud Rothomagum baptizatus eſt, Tamiſiam intrauit, & *Adelredum* regem infra Lundonias obſedit. Qui obſeſſus infirmitate præuentus moritur. *Chnutus* vero potitus regno prædictam *Emmam* reginam accepit in vxorem: ex qua genuit *Hardechnutum*, poſtea regem Danorum, & filiam nomine *Gunnildam*, quæ nupſit *Henrico* Imperatori Romanorum. Interea defuncto ſecundo *Richardo*, *Richardus* filius eius ſucceſſit ei primo anno. Quo mortuo *Robertus* filius eius ſucceſſit: qui cupiens *Eadwardum* in regno ſubſtituere Anglorum, eum claſſe imponit, regreſſus flante vento aduerſo apud inſulam Gerneſwich diu detentus Normanniam reuertitur. Deinde Ieruſalem profectus, *Willielmum* paruulum ſuum reliquit hæredem: expletoq; voto ſuo in repatriando apud vrbem Niceam obiit. *Willielmo* itaq; Normanniam regente, *Cnutus* Rex Anglorum moritur: cui ſucceſſit filius eius *Haraldus* ex concubina *Cluia* natus. Quod indigne ferens *Eadwardus* cum quadraginta nauibus apud Hampton applicuit, reſiſtentibus ſibi Anglis capta præda in Normanniam reuertitur. Interea *Aluredus* frater eius cum multis militibus per partem aliam ingreſſus à *Godwino* Comite hoſpitio ſuſceptus, dolo nocte captus cum ſuis vinctus, ad *Haraldum* regem ductus cum ſociis ſuis oculis priuatur, ſociis interemptis. *Haraldus* quoq; non multum poſt moritur, & ſucceſſit *Hardechnutus* à Dacia regreſſus, ex *Emma Eadwardi* matre progenitus: qui fratrem ſuum ante genitum *Eadwardum* à Normannia euocans ſecum habitare fecit, qui in breui tempore, ſcilicet duobus annis elapſis defunctus, *Eadwardum* reliquit hæredem. Hic *Eadwardus* carens ſobole, *Willielmo* cognato ſuo Normannorum duci miſit *Robertum* Cantuarienſem Archiepiſcopum, & de regno eum conſtituit hæredem. Sed & Comitem *Haraldum* poſt eum miſit, & regnum inuaſit. Quod Willielmus audiens forti cum claſſe apud Peueneſellum applicuit: ibiq; ſecundo Idus Octobris bellum intulit. in quo ipſe *Haraldus* in primo occubuit. Bello tamen vſq; ad noctem protracto, *Willielmus* victor effectus in ſubſequenti natali Domini, incarnationis Dominicæ anno milleſimo ſexageſimo ſexto Lundoniis rex Anglorum coronatur. regnauit autem annis viginti duobus. Quo mortuo regnauit Willielmus filius eius pro eo annis tredecim. Cuius anno nono peregrinatio multa facta eſt gentium in Ieruſalem contra Sarracenos. Quarto vero anno peregrinationis capta eſt Ieruſalem à Francis, & regnauit in ea dux Lotharingorum *Godefridus*, anno tamen vno. Cui ſucceſſit *Baldewinus* frater eius anno quinto. *Willielmus* autem Rex decimo tertio anno regni ſui occiditur venando ſagitta. Cui ſucceſſit *Henricus* frater eius, & regnauit triginta ſex annis. Hic erat paſtor ferarum & cuſtos nemorum, quem *Merlinus Ambroſius* leonem iuſtitiæ in hiſtoria regum nominauit. Fecit enim iuſtitiam & iudicium in terra. Huic ſucceſſit *Stephanus* nepos eius, & regnauit annis nouendecim. Quo mortuo *Henricus* filius *Gaufridi* Comitis Andegauiæ, & *Matildis* quondam Romanorum Imperatricis, filiæ ſcilicet præfati Regis *Henrici* primi, regni Anglorum ſuſcepit gubernacula, & regnauit triginta quinque annis. Quo mortuo, & in abbatia Sanctimonialium fontis * *Ebrardi* ſepulto, *Richardus* filius eius ſucceſſit ei in regimen regni: & regnauit annis nouem & menſibus ſeptem & diebus viginti. Qui in obſidione caſtelli de Chaluz ſagitta percuſſus octauo Idus Aprilis obiit: cuius viſcera ſepulta ſunt apud Charron, & cor eius apud Rothomagum, & corpus eius apud fontem *Ebrandi*. Quo defuncto *Iohannes* frater eius ſucceſſit ei in regno Angliæ, & regnauit.

*al. Ebrandi.

An-

Anno gratiæ 1181. qui erat annus viceſimus ſeptimus regni Regis *Henrici* filii *Matildis* Imperatricis, idem Rex fuit die Natalis Domini apud Cenomannos: & poſt Natale Domini ſtatuit per omnes terras ſuas tranſmarinas; vt vnuſquiſque homo habens centum libras Andegauenſis monetæ in catallo, haberet equum, & arma militaria plenarie; omnis autem homo habens in catallo quadraginta, vel triginta, vel viginti quinque libras Andegauenſis monetæ ad minus, haberet albergellum, & capellum ferreum, & lanceam, & gladium; cæteri autem omnes haberent Wanbaſiam, capellum ferreum, lanceam & gladium, vel arcum & ſagittas: & prohibuit, ne aliquis arma ſua venderet, vel inuadiaret: ſed cum moreretur, daret illa propinquiori hæredi ſuo. Quod cum *Philippus* rex Franciæ, & *Philippus* Comes Flandriæ audiſſent, præceperunt, quod homines ſui ſimili modo armarentur. Eodem anno poſt Purificationem beatæ *Mariæ*, *Laurentius* Dublinenſis Archiepiſcopus venit in Normanniam adducens ſecum filium *Roderici* Regis * Conactenſis, & tradidit eum regi Angliæ in obſidē ſuper pactis inter ipſum, & regem Conactæ, cōtractis de tributo Hyberniæ ſoluendo, & paulo poſt idem Dublinenſis Archiepiſcopus obiit in Normannia apud Aucum, & ibidem ſepultus eſt. Quo defuncto, rex Angliæ miſit in Hyberniam *Gaufridum* de Haya clericum ſuum, & clericum *Alexi* legati in Hyberniam ad ſaiſiendum Archiepiſcopatum de Diueline in manu ſua, & cum eis miſit in Hyberniam *Iohannem* conſtabularium Ceſtriæ, & *Richardum* de Pecco ad cuſtodiendum ciuitatem Diuelniæ, quam *Hugo* de Lacy cuſtodierat. Noluit enim dominus Rex quod ipſe diutius eam cuſtodiret; eo quod ipſe ſine eius licentia ceperat ſibi in coniugem, filiam regis Conactæ ſecundum morem patriæ illius. Eodem anno dominus papa diſtrictius in mandatis dederat *Richardo* Cantuarienſi Archiepiſcopo, vt omni occaſione, & excuſatione poſtpoſita, *Gaufridum* Lincolnienſis Eccleſiæ electum domini regis Angliæ filium, Eccleſiaſtica cenſura compelleret electioni ſuæ renunciare, vel ſine dilatione ordinem ſacerdotis, & pontificalis officii dignitatem recipere. *Gaufridus* igitur in arcto poſitus, & imperfectum ſuum ſentiens, conſiderans q; ſe tantæ adminiſtrationi minime poſſe ſufficere, maluit ab Epiſcopalibus abſtinere, quam onus importabile ſibi imponere. Vnde in hac forma ſcripſit *Richardo* Cantuarienſi Archiepiſcopo.

al. Conacenſis.

EPISTOLA GAVFRIDI LINCOLnienſis electi de eiuſdem Epiſcopatus reſignatione.

V*Enerabili patri & Domino* Richardo *Dei gratia Cantuarienſi Archiepiſcopo Apoſtolicæ ſedis legato*, Gaufridus *domini Regis Angliæ filius, & Cancellarius ſalutem, & reuerentiam debitam ac deuotam. Placuit maieſtati Apoſtolicæ veſtræ iniungere ſanctitati, vt me certo tempore vocaretis ad ſuſcipiendum ordinem ſacerdotis, & pontificalis officii dignitatem. ego vero conſiderans quam plures Epiſcopos maturiores, ac prouectiores prudentia, & ætate vix tantæ adminiſtrationi ſufficere, nec ſine periculo animarum ſui officium pontificatus ad perfectum explere; veritus ſum onus importabile ſenioribus, mihi imponere iuniori, faciens hoc non ex aliqua leuitate animi, ſed ob reuerentiam ſacramenti. Habito itaq; tractatu ſuper hoc cum domino rege patre meo, dominiſque, & fratribus meis rege, & Pictauiæ, & Brittanniorum Comitibus; Epiſcopis etiam* Henrico *Baiocenſi*, Brogerio *Sagienſi*, Reginaldo *Bathonienſi*, Segfrido *Ciceſtrenſi, qui præſentes aderant, aliter de vita, & ſtatu meo diſpoſui, volens patris mei obſequiis militare ad tempus, & ab Epiſcopalibus abſtinere. Omne itaq; ius electionis meæ, & Lincolnienſem Epiſcopatum ſpontanee, libere, & integre in manu veſtra, (pater ſancte) reſigno, tam electionis, quam Epiſcopatus abſolutionem poſtulans à vobis tanquam à Metropolitano meo, & ad hoc ab Apoſtolica ſede ſpecialiter delegato.* Bene vale.

Similiter ſub eadem forma idem electus Lincolnienſis ſcripſit canonicis Eccleſiæ Lincolnienſis, poſtulans ab eis tam electionis, quam Epiſcopatus abſolutionem. Dominus autem rex cuius conſilio *Gaufridus* filius eius electionem ſuam manu Cantuarienſis Archiepiſcopi reſignauerat, dedit ei cancellariam ſuam, & quingentarum marcarum redditus in Anglia, & totidem in Normannia. Eodem anno *Saladinus* Rex Babyloniæ videns, quod *Baldewinus* rex Ieruſalem lepra percuſſus, non haberet vires reſiſtendi ei; magno congregato exercitu venit in terram Ieruſalem, & eam deuaſtauit, & non erat, qui reſiſteret ei. Eodem anno rex Angliæ fuit apud Chinonem in ſolemnitate Paſchali; & poſt Paſcha rediit in Normanniam, & habuit colloquium cum *Philippo* rege Franciæ ad vadum *S. Remigii* quinto Kal. Maii, feria ſecunda, in quo colloquio Templares, & Hoſpitalares Ieruſalem obtulerunt prædictis regibus literas *Alexandri* ſummi Pontificis in hac forma.

EPISTOLA ALEXANDRI PAPAE de ſubuentione facienda terræ Ieroſolymitanæ.

ALexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis, nobilibus viris, ducibus, & principibus, Comitibus, Baronibus, & vniuerſis Dei fidelibus, ad quos literæ iſtæ peruenerint, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cor noſtrum, & omnium fratrum noſtrorum ſiniſtri rumores, qui de Ieroſolymitanis partibus ad nos, communi tranſeuntium relatione, peruenerunt, nimio dolore conturbant; cum vix vnquam aliquis, qui Chriſtiano nomine cenſeatur, ſine lachrymis, & ſuſpiriis audire valeat, quæ de ſtatu illius terræ miſerabili recitantur. Eſt ſiquidem infidelium (quod dolentes dicimus) incurſione contrita, & vſq; adeo fortium virorum potentia, & proborum virorum conſilio viduata, quod niſi à Chriſtianis regibus & principibus orbis celerem, & potentem ſuccurſum habuerint deſolationem eius (quod abſit) in ignominiam Dei, & in contemptum fidei Chriſtianæ de proximo formidamus. Non eſt enim rex, qui terram illam regere poſſit, cum ille videlicet Baldwinus, qui regni gubernacula poſſidet, ita ſit grauiter (ſicut noſſe vos credimus) iuſto Dei iudicio flagellatus, vt vix ad tolerandos ſufficiat continuos ſui corporis cruciatus. Quam grauem ſiquidem iacturam & quam miſerabilem caſum in perſonis, & rebus illa terra (pro qua patres, & genitores noſtri ſanguinem proprium effuderunt in conflictu, quem olim cum gentibus habuit) peccatis exigentibus ſit perpeſſa, nec nos ſine multa cordis commotione recolimus, nec aliqui Zelantes legem Domini, poſſunt tantam ſtragem fidelium patienti animo tolerare; præſertim cum illa gens peſſima Paganorum, ex incommodis, & periculis, quæ genti Chriſtianorum intulerunt, tantā audaciam ſumpſiſſe dicantur, vt ſe iactent impudēter terram illam (quod auertat Dominus) inuaſuros. Moneat itaq; vos zelus domini, nec religio Chriſtiana ſuper tanta, quæ illi terræ imminet, contritione dormitet: ſed vniuerſa loca illa, quæ Saluator, & Redemptor noſter corporali præſentia dedicauit, viriliter tueamini; & cōtemnite gentes, quæ abiiciunt Dominum, & Chriſtianum nomen de terris abolere nituntur. Nō eſt vtiq; Chriſtianus, qui præſcriptæ terræ calamitatibus non mouetur, nec accingitur ad ipſam ab infidelium incurſibus defendendam, quam occupare laborant, & ſuis (quod abſit) ſpurcitiis prophanare. Hi autem, qui ex vobis fortes ſunt, & bellis exercendis idonei, non minus ſcuto fidei, & lorica iuſtitiæ, quam materialibus armis induti, tam pium, quam neceſſarium opus, ac laborem huius peregrinationis aſſumant; & loca illa, in quibus redemptor humani generis pro nobis naſci voluit, & mortem ſubiit temporalem, potenti virtute defendant, ne temporibus noſtris ſuſtineat in illis partibus Chriſtianitas detrimētum. Cum enim Chriſtus pro ſalute noſtra opprobria multa, & demum crucis patibulum ſuſtinuerit, vt nos offerret Deo mortificatos quidem carne, * iuſtificatos autem ſpiritu; expedit admodum ſaluti fidelium, vt pro ipſo corpora noſtra periculis, & laboribus exponamus; ne precium ſanguinis, quem pro nobis effudit, videamur obliti. Animaduertite igitur dilecti in Chriſto filii, & videte, quam probroſum, & quam mœrore dignum exiſteret Chriſtianis, ſi aduerſus habitatores terræ illius, inimici crucis Chriſti denuo præualerent, ſicut eos præualituros non modicum formidamus, niſi de diuerſis partibus Chriſtianorum, auxilium habitatoribus ipſis cum feſtinatione ſuccurrat. Ne igitur Chriſtianitas gentilitati ſuccumbat, totis niſibus prouidete, quia melius eſt ſuperuenturo malo ante tempus occurrere, quam remedium poſt cauſam quærere vulneratam. Illis autem, qui pro Chriſto huius viæ laborem aſſumpſerint, illam indulgentiam peccatorum, quam patres, & prædeceſſores noſtri Vrbanus & Eugenius Romani Pontifices ſtatuerunt, Apoſtolica auctoritate concedimus, & confirmamus. Vxores quoq;, & filios eorum, & bona, & poſſeſſiones ſuas ſub beati Petri, & noſtra, nec non & archiepiſcoporum, & epiſcoporum, & aliorum prælatorum eccleſiæ decernimus protectione manere; prohibentes attentius, ne aduerſus eos de his, quæ pacifice poſſident, aliqua poſt ſuſceptam crucem quæſtio moueatur, donec redeant, vel de ipſorum obitu certiſſime cognoſcatur. liceat autem eis terras ſeu poſſeſſiones alias; poſtquam propinqui, aut etiam domini ſui (ad quorum feodum pertinent) pecuniam ipſis mutuare, aut noluerint, aut non potuerint; eccleſiis, vel eccleſiaſticis viris, aut aliis fidelibus libere, & ſine vlla reclamatione pro expenſis huius itineris titulo pignoris obligare. Præterea, quicunque de viris bellicoſis, & ad illius terræ defenſionem idoneis, illa ſancta loca feruore deuotionis adierint, & ibi duobus annis contra Saracenos pro Chriſtiani nominis defenſione pugnauerint; de Ieſu Chriſti pietate, & de beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum auctoritate confiſi, eis omnium ſuorum, de quibus corde contrito, & humiliato confeſſionem ſuſceperint, abſolutionem facimus delictorum, niſi forte aliena bona rapuerint, vel vſuras extorſerint, aut commiſerint furta, quæ omnia debent in integrum emendari. ſi vero non eſt in facultatibus delinquentium, vnde valeant emendari, nihilominus conſequenter veniam, prout diximus de commiſſis. Hi autem, qui illic per annum, ſicut diximus, moram habuerint; de medietate ſibi iniunctæ pœnitentiæ indulgentiam, & remiſſionem ſuorum obtineant peccatorum. Omnibus autem ſepulchrum Domini pro inſtanti neceſſitate viſitare volentibus, ſiue in itinere moriantur, ſiue ad iſtum locum perueniant, laborem itineris ad pœnitentiam, & obedientiam, & remiſſionem omnium peccatorum iniungimus, vt de vita præſen-

al. viuificatos.

tis

tis ergaſtulo ad illam beatitudinem, Domino largiente, perueniant, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quam repromiſit Dominus diligentibus ſe. Datum Tuſculani. 17. Kal. Februarii. Scripſit etiam idem Papa Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum prælatis ſuper eodem negotio in hac forma.

EPISTOLA ALEXANDRI PAPÆ de eodem negotio.

ALexander *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabilibus fratribus, Archiepiſcopis, & Epiſc. & dilectis filiis, abbatibus, & aliis Eccleſiarum prælatis, ad quos literæ iſtæ peruenerint; Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum Orientalis terra per impreſſiones infidelium, & incurſus fortium virorum, potentia ſit & proborum virorum conſilio deſtituta, multo timore percutitur; & ad implorandam ſubuentionẽ fidelium dilectos filios noſtros, milites templi, latores præſentium, viros vtiq; religioſos, & Deum timentes, archiepiſcopi, epiſcopi, & alii principes terræ, ad partes veſtras mittere decreuerunt; Nos autem, quos illius terræ calamitas graui dolore conturbat, exemplo patrum & prædeceſſorum noſtrorum de ipſius conſeruatione ſolliciti, Chriſtianos, reges, & principes orbis ad defenſionem locorum illorum, in quibus ſteterunt pedes Domini, ſalubribus monitis exhortamur; & ſicut patres, & prædeceſſores noſtri* Vrbanus, & Eugenius *Pontifices Romani ſtatuerunt; ita & nos remiſſionem, & indulgentiam peccatorum ſtatuimus vniuerſis, qui pro* Chriſto *laborem Ieroſolymitanum aſſumpſerint, & contra Saracenos fideli curauerint deuotione certare. Monemus itaq; vniuerſitatem veſtram attentius, & mandamus, quatenus fratres, qui ad hoc miſſi ſunt, benigno recipiatis affectu, & per eos Orientalis terræ ſtatu, & neceſſitate comperta, principes, Comites, & alios fideles* Chriſti *parochianos veſtros crebris, & ſollicitis exhortationibus laboretis inducere, vt terram illam pro cuius liberatione patres, & genitores eorum ſanguinem proprium effuderunt, adeant feſtinanter, & contra inimicos crucis* Chriſti *potentia, & virtute decertent. Literas autem, quas propter hoc generaliter mittimus, vniuerſis facietis Eccleſiis publice legi, & exponatis earum tenorem; & remiſſionem peccatorum, quam facimus illis, qui tam pium, & neceſſarium opus aſſumpſerint, nuncietis; & ita omnes ad exequendum, quod ſuggerimus, moneatis, quod per ſollicitudinem, & exhortationem veſtram terra illa feſtinanter fidelium ſentiat auxilium, & iuuamen; & vos propter hoc ab Omnipotenti Deo mercedem poſſitis conſequi ſempiternam. Datum Tuſculani. 16. Ianuarii.*

Quibus auditis *Philippus* Rex Franciæ, & *Henricus* Rex Angliæ plurimum condolentes de aduerſitate, & deſolatione terræ Ieroſolymitanæ promiſerunt ſe, Domino auxiliãte, celerem ſuccurſum facturos terræ illi, & in his finitum eſt colloquium. Interim *Willielmus* Rex Scotiæ per mandatum Domini regis Angliæ venit in Normanniam, cuius admonitione, & conſilio idem Rex Scotiæ conceſſit *Mathæo* de Aberden Epiſcopo, & *Iohanni* Epiſcopo *S. Andreæ*, quos ipſe a Scotia fugauerat, licentiam repatriandi. Conuenit etiam inter eos, coram rege Angliæ, in hunc modum. Quod *Mathæus* Epiſcopus de Aberden libere, & ſine aliqua contradictione per conductum Regis Scotię ad ſedem propriã remearet, & ſi qua ei ablata fuiſſent, reſtituerentur. & *Iohannes*, qui conſecratus fuerat ad epiſcopatum *S. Andreæ* propter amorem domini ſui regis Scotię habendum conceſſit ei ſe dimiſſurũ epiſcopatum illum, ſi liceret ei eligere quem vellet epiſcopatum de regno Scotię, & ſi rex Scotię inſuper dediſſet ei cancellariam ſuam, & omnes redditus ſuos, quos habuit ante conſecrationem ſuam, & 40. marcas reddituum in Eccleſia *S. Andreæ*. Miſit igitur rex Scotiæ ad *Alexandrum* Papam nuncios ſuos poſtulans, vt ipſe pro bono pacis cõceſſiſſet hanc fieri ſediũ epiſcopalium commutationem. Sed dominus Papa hoc concedere noluit. Deinde rex Anglię dedit *Iohanni* filio *Lucæ*, clerico ſuo epiſcopatum Eboracẽſem: & *Radulpho* de Warneuille concellario ſuo, Eboracenſis eccleſiæ theſaurario dedit Epiſcopatum Lexonienſem, quem *Arnulfus* Lexonienſis epiſc. reliquerat propter odium, q rex aduerſus eũ habuit; cuius amorem cum ne pretio obtinere potuiſſet, maluit ab epiſcopalibus abſtinere, quam odiũ regis diutius ſuſtinere. & collectis vndiq; auro, & argento, quorum copiam habere dicebatur, & accepto à rege Angliæ pecunia magna pro dimiſſione epiſcop. ſui, Pariſius iuit, & ibi in Eccleſia *S. Victoris* vſq; ad obitum ſuum permanſit. Deinde dum rex Angliæ moram faceret apud Barbeflet transfretaturus in Angliam, ortũ eſt diſſidium inter *Philippum* regem Franciæ, & *Philippum* Comitem Flandriæ propter Comitem de Claro monte, quem Comes Flandriæ odio habuit. Venit ergo rex Angliæ per mandatũ regis Franciæ ad colloquium inter illos apud Giſors, & pacem fecit inter regem Franciæ, & Comitẽ Flandriæ. Deinde venit rex Angliæ ad Cheresburc, & transfretauit inde in Angliam, & applicuit apud Porteſmue 7. Kal. Auguſt. die Dominica, & *Willielmus* rex Scottorum cũ eo. Deinde *Henricus* rex Angliæ fecit hanc aſſiſam de armis habendis in Anglia.

QVicunque habet feodum vnius militis habeat loricam, & caſsidem, & clypeum, & lanceam; & omnis miles habeat tot loricas, & caſsides, & clypeos, & lanceas, quot habuerit feoda militum in dominio ſuo. Quicunq; liber laicus habuerit in catallo, vel in redditu ad valentiam 16. marcarum, habeat loricam, & caſsidem, & clypeum, & lanceam: quicunq; liber laicus habuerit in catallo ad valentiam 10. marcarum, habeat halbergellum, & capelet ferri, & lanceam: & omnes Burgenſes, & tota communia liberorum hominũ habeant wanbais, & capelet ferri, & lanceam: & vnuſquiſq; iuret, quod infra feſtum S. Hilarii hæc arma habebit, & domino regi ſcilicet Henrico filio Matildis Imperatricis fidem portabit, & hæc arma in ſuo ſeruitio tenebit ſecundum præceptum ſuum, & ad fidem domini regis & regni ſui. Et nullus, ex quo hæc arma habuerit, ea vendat, nec inuadiet, nec præſtet, nec aliquo alio modo ea à ſe alienet. nec dom. ſuus ea aliquo modo ab homine ſuo alienet, nec per forisfactum nec per donum, nec per vadium, nec aliquo alio modo. Et ſi quis hæc habens arma, obierit, arma ſua remaneant hæredi ſuo, & ſi hæres de tali ætate nõ ſit, quod armis vti poſsit, ſi opus fuerit; ille eũ, qui habebit in cuſtodia, habeat ſimiliter cuſtodiã armorum, & inueniat hominem, qui armis vti poſsit in ſeruitio domini regis, ſi opus fuerit, donec hæres de tali ætate ſit, quod arma portare poſsit, & tunc ea habeat. Quicunq; vero Burgenſis plura arma habuerit, quam eũ habere oportuerit ſecundũ hanc aſsiſam, ea vendat, vel det, vel ſic à ſe alienet alicui homini, qui ea in ſeruitio domini regis in Angliã retineat. Et nullus eorũ plura arma retineat, quam eũ ſecundũ hãc aſsiſam habere oportuerit. Itẽ nullus Iudæus loricam, vel habergellum penes ſe retineat; ſed ea vẽdat, vel det, vel alio modo à ſe remoueat, ita q; remaneant in ſeruitio domini regis Angliæ. Itẽ nullus portet arma extra Angliam, niſi per præceptum domini regis, nec aliquis vendat arma alicui, qui ea portet ab Anglia, ne mercator, nec alius ea ab Anglia portet. Itẽ iuſtitiæ faciant iurare per legales milites, vel per alios liberos, & legales homines de hũdredis, & de viſnetis, & de burgis, quod viderint expedire; quod qui habeant ad valentiam catalli, ſecundũ quod eum habere oportuerit, loricam & galeam, & lanceã, & clypeum, ſecundum quod dictũ eſt: ſcz. quod ſeparatim nominabunt eos omnes de hundredis ſuis, & viſnetis, & burgis, qui habuerint 16. marcatas, vel in catallo vel in redditu; & iuſtitiæ poſtea omnes illos ſcilicet, iuratores, & alios faciant imbreuiari, qui quantũ catalli, vel redditus habuerint, & qui ſecundũ valentiã catalli, vel redditus, quæ arma habere debuerint; & poſteà coram eis in cõmuni audientia illorum faciant legere hanc aſsiſam de armis habendis, & eos iurare, quod ea arma habebunt ſecundũ valentiam prædictam catallorũ, vel redditũum, & ea tenebunt in ſeruitio domini regis ſecundum hanc prædictam aſsiſam in præcepto, & fide domini regis Henrici filii Matildis Imperatricis, & regni ſui. Et ſi contigerit, quod aliquis illorum, qui habere debuerint hæc arma, non ſint in Comitatu ad terminum, quando iuſtitia in Comitatu illo erunt, iuſtitia ponant ei terminum in alio Comitatu coram eis. Et ſi in nullo Comitatu, per quos itura ſint, ad eas venerint, & non fuerint in terra iſta, ponant ei terminum apud Weſtminſter ad octauas S. Michaelis; quod tunc ſit ibi ad faciendum ſacramentum ſuum, ſicut ſe, & omnia ſua diligit; & ei præcipiatur, quod infra prædictum feſtum S. Hilarii habeat arma ſecundum quod ad eum pertinet habendum. Item iuſtitiæ faciant dici per omnes Comitatus, per quos ituræ ſunt, quod qui hæc arma non habuerint, ſecundum quod prædictum eſt, dominus rex capiet ſe ad eorum membra, & nullo modo capiet ab eis terram vel catalla. Item nullus iuret ſuper legales, & liberos homines, qui non habeat ſedecim marcatas, vel 10. marcatas in catallo. Item iuſtitiæ præcipiant per omnes Comitatus, per quos ituræ ſunt, quod nullus, ſicut ſeipſum, & omnia ſua diligit, emat vel vendat aliquam nauem ad ducendum ab Anglia: nec aliquis deferat, vel deferri faciat maireman extra Angliam. Et præcepit rex, quod nullus reciperetur ad ſacramentum armorum niſi liber homo.

Eodem anno Henricus rex Angliæ filius Matildis Imperatricis dedit Iohanni Cumin clerico ſuo Archiepiſcopatum Diuelinіæ in Hybernia 8. Idus Septembris apud Eueſham. Eodem anno Willielmus Remenſis Archiepiſcopus venit in Angliam in peregrinatione ad S. Thomam Cantuarienſem martyrem. Eodem anno Dunenaldus filius Willielmi filii Duncan, qui ſæpius calumniatus eſt regnum Scotiæ, venit cum exercitu magno in Scotiam, & deprædauit eam circa maritima. Eodem anno Iohannes Epiſcopus S. Andreæ ſententiam excommunicationis tulit in Richardum de Morcuile conſtabularium, & Richardum de Prębenda, & alios familiares regis Scotiæ, qui pacem inter regem, & ipſum diſturbauerant. Et Rogerus Eboracenſis Archiepiſcopus legatus in Scotia, & Hugo Dunelmenſis Epiſcopus ex auctoritate domini Papæ mandauerunt Priori S. Andreæ, & perſonis Eccleſiaſticis per Epiſcopatum S. Andreæ conſtitutis, vt venirent ad Iohannem Epiſcopum ſuũ, & illi debitæ ſubiectionis reuerentiam facerent; ſin minus; in contumaces, & rebelles ſententiam ſuſpenſionis inferrent. Cum autem quidam virorum eccleſiaſticorum de epiſcopatu S. Andreæ metu ſuſpenſionis venirent ad præfatum Iohannem epiſcopum; Willielmus rex Scotiæ illos à regno ſuo eiecit, cum filiis, & cognatis, & etiam illis, qui adhuc pendentes ab vberibus matrũ vagiebant in cunis. Quorum miſerandam proſcriptionem, & exilium Rogerus Eboracenſis Archiepiſcopus, & Hugo Dunelmenſis epiſcopus videntes, pceſ-

ſerunt in mandatum Domini Papæ; *Rogerus* Eboracenſis Archiepiſcopus excommunicauit *Willielmum* regem Scotiæ,& ipſe,& *Hugo* Dunelmenſis Epiſcopus tulerunt ſententiam interdicti in totam terram regis Scotiæ, mandantes Epiſcopis,abbatibus, prioribus, & cæteris viris Eccleſiaſticis ſententiam illam interdicti firmiter, & inconcuſſe obſeruare: & ipſum regem ſicut excommunicatum cautius euitare.Eodem anno obiit *Alexander* Papa tertius 21.anno Papatus ſui 12.Kal.Octob.cui ſucceſſit in Papatu *Imbaldus* Oſtienſis Epiſcopus Cardinalis, & vocatus eſt *Lucius* papa tertius. Eodem anno *Rogerus* Eboracenſis Archiepiſc.graui infirmitate laborans, cum extremum vitæ ſuæ diem ſibi imminere ſenſiſſet,conuocatis coram ſe abbatibus,& Prioribus,& cæteris viris Eccleſiaſticis diœceſis ſuæ,res ſuas ſatis prouide in vſus pauperum diſtribuit, & inter cætera potentiæ ſuæ miranda ad perpetuitatem laudis ſuæ, *Willielmum* Remenſi Archiepiſcopo, & cæteris Epiſcopis regni Franciæ miſit pluſquam quingentas libras argenti pauperibus diſtribuendas. Similiter Rothomagenſi Archiepiſcopo, & cæteris Epiſcopis Normanniæ. Similiter Cantuarienſi Archiepiſcopo,& cæteris Epiſcopis Angliæ. diſtributis itaq; vniuerſis rebus ſuis,tranſtulit ſe de Cowda, vbi infirmabatur, vſq; Eboracum ad Metropolitanam Archipræſulatus ſui ſedem, vbi decimo Kalendar. Decembris die Sabbati in ipſo noctis crepuſculo plenus dierum, poſtquam in regimine Pontificatus ſui viginti ſeptem annis, & ſex hebdomadis fœliciter vixerat,migrauit à ſeculo.Cuius corpus *Hugo* Dunelmenſis Epiſcopus ſepeliuit in choro Canonicorum ſecularium Metropolitanæ Eccleſiæ Eboraci: *Willielmo* rege Scotiæ remanente in ea excommunicationis ſententia, quam præfatus Eboracenſis Archiepiſcopus in eum tulerat. Audito itaq; quod *Rogerus* Eboracenſis Archiepiſcopus eſſet defunctus, *Willielmus* rex Scotiæ gauiſus eſt gaudio magno: & habito cum Epiſcopis & Comitibus,& maioribus terræ ſuæ conſilio, *Iocelinum* Glaſcuenſem Epiſcopum,& *Arnulfum* abbatem de Melros,& cæteros viros eccleſiaſticos ſapientes,& diſcretos de regno ſuo Romam miſit ad Lucium ſummum Pontificem,vt ipſe à prçfata excommunicationis ſententia, & terra ſua ab interdicto abſoluerentur; & vt ſi vllo modo fieri poſſet *Iohannes* Epiſcopus ſancti *Andreæ deponeretur*. Cumq; domino regi Angliæ nuntiatum eſſet, quod præfatus Archiepiſcopus viam vniuerſæ carnis eſſet ingreſſus,miſit miniſtros ſuos per Archiepiſcopatum Eboracenſem præcipiens, quod vniuerſa,quæ prædictus Archiepiſcopus in infirmitate ſua diſtribuerat,confiſcarentur; ſicq; factum eſt.Nam tota diuiſa,quam ipſe in infirmitate ſua fecerat,per præceptum regis, ad nihilum redacta eſt.Dicebat enim dominus Rex, quod præfatus Eboracēſis Archiepiſc. iudicium fecerat in vita ſua,quod de iure non liceret alicui viro Eccleſiaſtico diuiſam facere,niſi priuſquam ægrotare inciperet.Eodem anno Comes *Stephanus* auunculus *Philippi* regis Franciæ occupauit terram cuiuſdam vicini ſui,& eam vi detinuit, & deuenit inde homo *Philippi* Comitis Flandriæ.Quod cum feciſſet rex Francię ſaiſiuit eam in manu ſua, & Comes Flandriæ petiit ſibi, & Comiti *Theobaldo* fieri inde reſtitutionem; & quia Rex Franciæ id facere noluit, Comes Flandriæ ingreſſus eſt terram Regis Franciæ in manu hoſtili, & eam deuaſtauit. Eodem anno obiit *Hugo* Comes Ceſtriæ, cui ſucceſſit in Comitatu *Ranulfus* filius eius. Defuncto itaque *Rogero* Eboracenſi Archiepiſcopo, dominus Rex præcepit iuſtitiis ſuis Angliæ, quod diligentem inquiſitionem facerent de pecunia prædicti Archiepiſcopi: & vbicunque eam inuenirent, ad opus illius exigeretur. Vnde factum eſt, quod prædictæ iuſtitiæ exegerunt ab *Hugone* Dunelmenſi Epiſcopo trecentas marcas argenti, quas idem Epiſcopus pauperibus diſtribuendas receperat de pecunia Archiepiſcopi: Quibus ipſe reſpondit; ego has trecentas marcas argenti, quas à me exigitis, viuente Archiepiſcopo, qui eas mihi tradidit, diſtribui leproſis, cæcis, claudis, mutis, & cæteris pauperibus: & in Eccleſiarum, & pontium refectionibus pro ſalute animæ ipſius, ſicut ipſe præceperat; & qui eas habere voluerit, colligat, quia per me nunquam colligentur. Talis itaque reſponſio ſupra modum domini Regis animum exaſperauit, adeo quod ipſe præcepit, quod caſtellum de Dunelmo in manu ſua ſaiſiaretur, vt ipſe Epiſcopus omnimodis afflictionibus affligeretur.

Anno gratiæ milleſimo centeſimo octogeſimo ſecundo, qui erat annus viceſimus octauus regni Regis *Henrici* filii *Matildis* Imperatricis,idem Rex fuit in Anglia apud Wintoniam die Natalis Domini, qui ſexta feria euenit. Eodem anno obierunt Comes * de *Geres* qui filiam *Mathæi* Comitis Boloniæ primogenitam duxerat in vxorem: & Comitiſſa Flandriæ, filia *Radulfi* de Peruna, vxor *Philippi* Comitis Flandriæ. Eodem anno *Henricus* Rex Angliæ pater transfretauit de Anglia in Normanniam propter importunitates, & exceſſus, quos *Henricus* Rex filius ſuus ei faciebat. Ipſe enim ad *Philippum* Re-

al. de Gelres.

gem Franciæ cum vxore ſua profectus, mala omnia, quæ potuit, machinabatur in perniciem regis patris ſui, contra fidem, & ſacramenta, quæ illi ſæpius fecerat de fidelitate ſeruanda: petens ab eo per conſilium *Philippi* regis Franciæ, fratris vxoris ſuæ totam Normanniam, vel aliquam aliam terrarum ſuarum, in qua ipſe, & vxor ſua morarentur; & vnde ipſe militibus, & ſeruientibus ſuis ſeruitia ſua ſoluere poſſet. Attamen diuina inſpirante gratia ad patrem ſuum rediit, & iurauit, quod de cętero à voluntate, & conſilio ſuo nõ recederet, nec ab eo amplius exigeret, quam centum libras Andegauenſis monetę in die ad ſuas expenſas, & decem libras eiuſdem monetæ in die ad expenſas vxoris ſuæ. Præterea rex pater conceſſit regi filio ſuo quod infra annum illum, centum de militibus ſuis ſeruitia ſua redderet. Deinde rex pater cœpit colloquium inter regem Francię, & Comitem Flandriæ: in quo conuenit inter eos in hunc modum; quod terra vnde Comes Flandriæ ſibi reſtitutionem fieri petebat, redderetur militi, qui eam amiſerat; & Comes Flandriæ reſtauraret regi Franciæ damnum, quod ipſe, & ſui fecerant in Francia: ſcilicet de combuſtione, & præda capta. Præterea idem Comes quietum clamauit Regi Franciæ ſeruitium Comitis de Claro monte, & tradidit Regi Franciæ ciuitatem de Amiens, cum pertinentiis ſuis, & totam terram inde vſq; ad aquam de Lys poſt deceſſum ſuum cũ nepte ſua filia Comitis de Hanou: & idem Comes in iure cõfeſſus eſt, quod Peruna cum pertinentiis ſuis vadium ſuum erat, & conceſſit, quod Rex Franciæ eam adquietaret pro ſexaginta millibus librarum argenti. In eodem concilio idem Comes Flandriæ tradidit Regi Angliæ patri chartam Regis filii ſui: & ipſum & fratres ſuos quietos clamauit ab omni conuentione inter eos facta tempore guerræ. Eodem anno *Lucius* Papa tertius ordinauit *Iohannẽ Cumin* in ſacerdotem tertio Idus Martii apud Velletræ: deinde conſecrauit eum in Archiepiſcopum Diueliniæ duodecimo Calend. Aprilis Dominica in ramis Palmarum apud Velletræ. Eodem anno ad inſtantiam nunciorum Regis Scotię, videlicet, *Iocelini* Glaſcuenſis Epiſcopi, & *Arnaldi* Abbatis de Melros, & *Osberti* abbatis de Kelron, & *Walteri* Prioris Sanctę *Columba* de Inſula, *Lucius* Papa tertius abſoluit *Willielmum* Regem Scotię à ſententia excommunicationis, & regnum ſuum ab interdicto, Romę in Lateranenſi palatio, coram Cardinalibus ſuis, ſcilicet, *Petro* de Pauia Epiſcopo Tuſculanenſi, & Epiſcopo Pręneſtę, & *Alberto* cancellario, & *Iacincto, & Hugeſrun, & Petro* de Boua, & Magiſtro *Viuiano, & Reinero* magno, & *Chinchecapel, & Reinero* Paruo, & *Hardeſrun, & Hardewin, & Mathao* Andegauenſi. Et poſtea tradidit literas abſolutionis ſuę præfatis nuntiis regis Scotię, in hac forma.

EPISTOLA LVCII DE ABSOlutione Willielmi *Regis Scotiæ.*

LVcius *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei veneralibus fratribus Epiſcopis, Abbatibus, Clero & populo per Scotiam conſtituto, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum regibus tanquam præcellentibus Apoſtolus ſtatuerit deferendum, dignum eſt, & conſonum rationi, vt eos tanquam filios chariſſimos propenſius honoremus, & in deuotione beati* Petri *& ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ annuendo iuſtis illorum deſideriis attendamus. Accepimus autem quod cum chariſſimus in* Chriſto *filius noſter* Willielmus *illuſtris Rex Scottorum electioni, & conſecrationi venerabilis fratris noſtri* Iohannis *Epiſcopi inexorabiliter obuiaret, obtentu literarum Sanctæ recordationis* Alexandri *Papæ prædeceſſoris noſtri, bonæ memoriæ* Rogerus *Eboracenſis Archiepiſcopus, & iam Epiſcopus dictus in eum, & regnum, & quoſdam de regno ſententiam excommunicationis promulgarunt. Cæterum venerabilis frater noſter* Iocelinus *Glaſcuenſis Epiſcopus, & dilecti filii* Arnaldus *de Melros, &* Osbertus *Kalkoenſis Abbates, &* Walterus *Prior Sanctæ* Columbę *de Inſula propter hoc ad ſedem Apoſtolicam accedentes, ſua nobis aſſertione monſtrarunt, quod Archiepiſcopus excommunicationis in regem, & interdicti in regnum, & Epiſcopus iam dictus in quoſdam de regno excommunicationis ſententiam protulerunt, quam ex multiplici ratione retractandam fore rationabiliter coram nobis, & fratribus oſtenderunt. Inde vtiq; fuit, quod præfato Regi, tanquam chariſſimo in* Chriſto *filio deferentes omnẽ ſententiam iam dicti Epiſcopi pro præfata cauſa in eum, vel ſuos vel regnum prolatam, de communi conſilio fratrum auctoritate Apoſtolica relaxauimus, & ſtatuimus illum, & ſuos excommunicatione, & regnum interdicto ex præſcripta ſententia noſtra non teneri. Quo circa vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus ei tanquam regi catholico, & habenti communionem Apoſtolicæ ſedis participare minime dubitetis: ſed in omnibus illi honorem congruum impendatis. Quanto enim certiores ſumus de ſynceritate deuotionis illius Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis regni ſui, tanto amplius eum volumus in omnibus, in quibus ſecundum Deũ poſſumus honorari. Datum Velletræ 16. Kal. Aprilis.*

Eodem anno Rex Angliæ pater miſit nuntios ſuos videlicet *Willielmum* de Mandeuilla Comitem Albemarliæ, & quoſdam alios familiares ſuos ad *Fredericum* Romanorum Imperatorem, vt ſi aliquo modo fieri poſſet, auerterent iram, & maleuolentiam ſuam ab *Henrico* duce Saxoniæ. quod cum ad plenum fieri non poſſet, conceſſit Imperator, quod omnes, qui cum eo ire vellent, licentiam haberent repatriandi. Præterea idem Imperator conceſſit *Matildi* Duciſſæ Saxoniæ, pro amore Regis Angliæ patris ſui, vt ipſa libere, & in pace remaneret, & totam dotem ſuam liberam, & quietam haberet, & ſi mallet cum Domino ſuo in exilium ire, conceſſit ei Imperator, vt cuſtodes ſuos poneret ad dotem ſuam cuſtodiendam. Appropinquante igitur termino, quo præfatus dux à terra & cognatione ſua recederet, ipſe & vxor eius, cum filiis, & filiabus ſuis, & cum Comitibus, & Baronibus, & ditioribus terræ ſuæ egreſſi ſunt de terra & cognatione ſua, & venerunt in Normanniam ad *Henricum* Regem Angliæ patrem prædictæ Duciſſæ, quos ipſe cum gaudio ſuſcepit. & paulo poſt præfatus dux dedit Comitibus, & baronibus, & ditioribus terræ ſuæ licentiam repatriandi; quibus Rex Angliæ pater duciſſæ munera multa dedit, & dimiſit eos, & dux ipſe peregre profectus eſt ad beatum *Iacobum*, & duciſſa vxor eius remanſit cum rege patre ſuo in Normannia prægnans apud Argentonium, & peperit filium. Eodem anno Walenſes interfecerunt *Ranulfum Poer* vicecomitem regis de Glouceſtreſire. Eodem anno *Rollandus* electus Dolenſis Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconus venit in Angliam ex parte Papæ *Lucii* ad pacem faciendam inter regem Scotiæ, & *Iohannem* Epiſcopum S. *Andreæ*, & perrexit ad regem Scottorum vna cum *Seluan* abbate Rieuallenſi collega ſuo: & diutiſſime tractauerunt cum illo de pace facienda inter illum, & *Iohannem* Epiſcopum S. *Andreæ*, ad quorum inſtantiam conuenit in hunc modum inter regem, & prædictum Epiſcopum: quod *Hugo* abiuraret Epiſcopatum S. *Andreæ*, & *Iohannes* Epiſcopus eundem Epiſcopatum quietum clamaret à calumnia ipſius, & loco illius haberet Epiſcopatum de Dunkelden, & omnes redditus, quos ipſe ante electionem ſuam habebat, & Cancellariam regis, & quadraginta marcatas redditus de Epiſcopatu Sancti *Andreæ* in vita ſua. *Hugo* tamen cum requiſitus eſſet à domino ſuo rege Scotiæ, quod abiuraſſet Epiſcopatum S. *Andreæ*, reſpondit ſe malle ſuſcipere iudicium in Romana curia, quam ſic abiurare Epiſcopatum, ad quem ipſe fuerat conſecratus. Et ſtatim literas, quas *Iohannes* Epiſcopus contra eum à Romano pontifice impetrauerat, arguit falſitatis, & appellauit ad Romanum pontificem. Vnde prædictus *Rollandus* & *Seluanus* abbas non valentes procedere prout deberent, in hac forma ſcripſerunt ſummo pontifici.

EPISTOLA ROLLANDI DOLENSIS electi, & Seluani Rieuallenſis Abbatis ad Lucium *Papam.*

Reuerendo patri & domino Lucio *Dei gratia ſummo, & vniuerſali pontifici,* Rollandus *eadem gratia Dolenſis electus, ſuæ ſanctitatis ſeruus, & alumnus Apoſtolicæ ſedis ſubdiaconorum minimus, &* Seluanus *dictus abbas Rieuallenſis, debitæ ſubiectionis reuerentiam. Cum literas, quas* Hugo *Epiſcopus redarguerat falſitatis eidem Epiſcopo dediſſemus, & eas in quibus proceſſus rei continetur, acceptaq́ à domino Rege Scottorum licentia, recedere cum feſtinatione vellemus: dominus Rex me Dolenſem electum diligenter, & affectuoſe rogauit, vt per dominum* Iohannem *Epiſcopum tranſitum facerem, & ei ex parte ſua Dunkeldenſem Epiſcopatum, cum redditibus quos antea in Epiſcopatu S.* Andreæ *habuerat, cum augmento quadraginta marcarum annuatim percipiendarum: Cancellariam quoq́, regiam in ſignum dilectionis offerrem, adiecitque ſe ei, & ſuis omnia ablata redditurum, præter hoc ſolum, quod ad manus eius deueniſſe ſciebat: eoſque in plenitudinem ſuæ gratiæ recepturum ſicut antea fuerat ei oblatum. Volebat tamen, quod idem* Iohannes *Epiſcopus omnia inſtrumenta ſua combureret, quæ ſuper facto ſancti* Andreæ *fuerant à piæ recordationis* Alexandro *prædeceſſore veſtro obtenta. Permittebat quoque, quod* Hugo *Epiſcopus ad Glaſcuenſem Epiſcopatum transferretur, ſi aliter Epiſcopus* Iohannes *conſentire non vellet, & ſi fieri non poſſet, tamen concederet, quod obtulerat. ſed epiſcopum* Iohannem *non ita diligeret, nec ei plenam gratiam redderet. Quæ omnia cum in præſentia domini* Hugonis *Dunelmenſis Epiſcopi obtuliſſet domino* Iohanni, *benigne conceſſit dicens; quod nunquam* Hugonem *Epiſcopum in Eccleſia Sancti* Andreæ *permitteret remanere. Volebatq́, quod inſtrumenta prædicta in aliquo loco reponerentur, ita quod nunquam ſibi contra voluntatem regiam eis vti liceret. Sic igitur ad Regis præſentiam redeuntibus nobis, Epiſcopo* Iohanne *prope Rokelburg expectante, Dominus Rex propoſuit nobis, quod multum ei placeret, ſi* Hugo *Epiſcopus poſſet in Eccleſia Sancti* Andreæ *remanere, & rogabat me vt Epiſcopum ad hoc inducere laborarem, & cum ego dicerem ei, quod nunquam eum de cætero ſuper hoc rogarem, quia non poteram in hac parte proficere, Dixit; bene credo, quod ex quo*

dominus Iohannes *ad pacem & dilectionem meam redit, hoc conſideratione mea dilectionis, & ad precum mearum inſtantiam ſuſtinebit, & de eo libenter cum eo loquerer, & rogauit me Rex, vt ei conſulerem, quid veniret loqui cum eo miſſis igitur clericis regis ad Epiſcopum* Iohannem, *reſpondit, quod non veniret, quia à quibuſdam conſiliariis Domini Regis ſe audiſſe, quod Dominus rex ſemper ad hoc omnibus modis nitebatur, vt* Hugo *in Epiſcopatu* S. Andreæ *remaneret, & ſi venire vellet, illi non poterant ei ſecurum præſtare conductum. Cumq; illi in hæc verba rediiſſent, Dominus rex quendam Epiſcopum, abbates, Comites & Barones ad eundem Epiſcopum tranſmiſit; rogans, vt locuturus cum eo veniret ad eum, præcepitq; eis, vt eidem Epiſcopo omnem ſecuritatem præſtarent. Qui redeuntes dixerunt, quod dominus* Iohannes, *quia præſentiens, quod Dominus rex vellet Epiſcopum* Hugonem *in Eccleſia S.* Andreæ *remanere, reſpondit ſe nunquam ad regem venturum niſi primo iurarent, quod dominus rex omnia quæ ei per me obtulerat, obſeruaret, ſed iurare nolebant, & ſic dominus* Iohannes *ad propria remeauit. Nos vero prædictis Epiſcopis* Iohanni, & Hugoni *ſtatuimus terminum in Kalend. Octobris veniendi ad vos, & veſtro parere iudicio.* Valete.

Eodem anno obiit *Walterus* Roſenſis Epiſcopus, cui ſucceſſit in Epiſcopatu *Walleranus* Baiocenſis Archidiaconus. Eodem anno cum *Walterus* ſeruiens domini *Euſtacii* abbatis de Flaii dormiret nocte quadam, audiuit vocem de cœlo ſemel, ſecundo, & tertio dicentem ſibi Vade, & dic Henrico Regi Angliæ. In nomine Chriſti perdele, endele, & dic ei; quod ita faciat, & niſi fecerit, filii eius, & ipſe morte morientur. Reſpondens autem prædictus *Walterus*, dixit. Quis ſum ego, vt mandata veſtra perferam Regi? & accepit reſponſum. Vade ad *Rotrodum* Rothomagenſem Archiepiſcopum, & ad capellanum ſuum, & ad *Euſtachium* abbatem de Flaii, & ipſi tollent ſpinas, & tribulos de via tua, & niſi feſtinaueris, morte morieris. Poſt trinam itaq; monitionem venit prædictus *Walterus* ad præfatum Rothomagenſem Archiepiſcopum, & ad capellanum ſuum, & ad *Euſtachium* abbatem, & cum Archiepiſcopus ille, & capellanus ſuus morbo & ſenio grauati intereſſe nõ poſſent, commiſerunt vices ſuas abbati de Flaii; & ipſe cum ſeruiente ſuo perrexit ad regem, & ſeruiens narrauit viſionem ſuam regi & minas annexas, ſed rex nihil illorum intelligens, cum non eſſet, qui interpretaretur ei viſionem, nullã inde curam egit; & paulo poſt obiit *Henricus* rex filius ſuus, & deinde Galfrid' filius ſuus Comes Britanniæ. Tẽpus vero, in quo hęc viſio contigerat, erat tunc quando publicani cõburebantur in plurib' locis per regnũ Franciæ, quod rex nullo modo fieri permiſit in terra ſua, licet ibi eſſent perplurimi.

Anno gratiæ 1183. qui erat annus 29. regni regis *Henrici* filii *Matildis* imperatricis, idem Rex Angliæ fuit in Normannia apud Cadomum die natalis Domini, & rex, & *Richardus, & Gaufridus* filii eius & *Henricus* dux Saxoniæ, & vxor eius cum filiis, & filiabus, & familia multa, & *Richardus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, & *Iohannes* * *Cunum* Dublinenſis archiepiſcopus, & epiſcopi, & Comites & barones multi fuerunt ibidem cum illo. Poſt natale Domini præcepit rex regi filio ſuo accipere homagium a *Richardo* Comite Pictauiæ fratre ſuo, & à *Gaufrido* Comite Brittanniæ fratre ſuo. Ipſe vero obediens patri recepit homagium *Gaufridi* fratris ſui, & cum à *Richardo* fratre ſuo recipere vellet, noluit ei *Richardus* homagium facere, & poſtmodum cum *Richardus* offerret ei homagium facere, noluit rex filius recipere. Vnde *Richardus* plurimum indignatus receſſit à curia regis patris ſui, & veniens in Pictauiam terram ſuam caſtella noua firmauit, & vetera effortiauit. Rex autem frater eius ſecutus eſt eum per mandatum Comitum, & baronum Pictauiæ, qui adhærentes ei damna multa fecerunt Comiti *Richardo. Gaufridus* vero Comes Brittanniæ in Pictauiam venit cum exercitu magno ad auxiliandum regi fratri ſuo. Cum ergo *Richardus* vidiſſet ſe non poſſe reſiſtere fratribus ſuis, miſit ad regem patrem ſuum pro auxilio, qui magno congregato exercitu feſtinanter aduenit, & obſedit caſtellum de Limoges, quod paulo ante traditum erat regi filio ſuo.

al. Comin

CAVSA DISCORDIAE INter Regem & filios ſuos.

VT autem huius nefandæ controuerſiæ, quæ inter patrem, & filios ſuos orta eſt, cauſa ſciatur: ſciendum eſt quod ſacroſancto Dominicæ circumciſionis die *Henricus* Rex filius Domini Regis Angliæ ſponte ſua, nullo cogente, tactis ſacroſanctis Euangeliis, adhibita quoque clericorum, & laicorum copioſa multitudine, iurauit ſe ab illa die deinceps omnibus diebus vitæ ſuæ *Henrico* Regi Angliæ, ſicut patri ſuo, & domino fidelitatem integram ſeruaturum, & honorem & ſeruitium debitum exhibiturum; & quia vt aſſerebat nullam malitiam, nullumque rancorem in animo ſuo Rex filius retinere volebat, vnde rex pater ſuus poſtmodum poſſet offendi, manifeſtauit ei ſe baronibus Aquitaniæ contra fratrem ſuum *Richardum* obligatum eſſe: ea ſcilicet intentione motus, quod prædictus fra-

frater ſuus caſtellum de Clereſuals in patrimonio ſibi poſt patrē ſuum debito, contra ſuam firmauit volūtatem. Vnde patri ſuo plurimum ſupplicauit; vt præfatum caſtellum *Richardo* ſubtraheret, & in cuſtodia ſua retineret. Super quo *Richardus* à domino rege admonitus, quamuis prius facere recuſaret, poſtmodum tamen libere tradidit ad patris ſui beneplacitum diſponendum. Tres itaque filii domini regis, rex ſcilicet & *Richardus* & *Gaufridus* venerunt Andegauiam cum domino rege patre ſuo inter ſe fœdus pacis perpetuo firmaturi. Vnde horum trium ſinguli fidelitatem perpetuam domino regi patri ſuo contra omnes homines iurauerunt ſeruandam, & honorem ei, & ſeruitium perpetuum ſe præſtituros. Iurauerunt quoque, quod iuxta diſpoſitionem patris ſui pacem inter ſe perpetuam obſeruarent. Statuta igitur die pacis inter eos diſpoſitione patris ſui confirmandæ apud Mirabel, quia barones Aquitaniæ, quibus rex filius iurauerat, non aderant, miſit rex pater *Gaufridum* filium ſuum ad eos, vt ad hanc pacem, & concordiam venirent, & interim ab hoſtilitate ceſſarent. Præfatus vero *Gaufridus* Dei, & paternæ reuerentiæ, & iuſſionis prorſus immemor, non pacem miſit ſed gladium, & contempto ſacramento, & homagio, & fidelitate, quæ totiens patri præſtiterat, cum inimicis patris ſui fœdus iniit perſecutionis, gentemq́; ſacrilegam, & ab Eccleſia Romana deteſtatam ad deſtruendam terram patris ſui induxit. Hoc autem audiēs rex filius, ſupplicauit patri ſuo, vt pacem inter *Richardum* fratrem ſuum, & barones Aquitaniæ ſtabiliret. Dominus vero rex ad preces filii ſui pacem ſe ſeruaturum promiſit; quo, & ſicut in præterita æſtate fuerat ordinata, ita & exceſſus ab vtraq; partium facti emendarentur: aut ſi baronibus hoc non placeret, eos ſecūdum curiæ ſuæ iudicium iudicaret. Quod regi filio plurimum placuit: ita tamen quod caſtellū de Clereſuals in manu regis patris ſui ſaluum eſſet. Rex itaq; filius impetrato a patre ſuo, quod petierat, cum licentia patris ſui profectus eſt Lemouicum, vt tam *Gaufridum* fratrem ſuum, quam barones Aquitaniæ ad concordiam reuocaret, & vxorem ſuam miſit in Franciam ad regem Franciæ fratrem illius interim cuſtodiendam; & rex pater de voluntate, & cōſilio regis filii cum paucis alia via Lemouicum venit tutus de filiis, tutus de ſuis; & cum in propria veniſſet, ſui eum peſſime receperunt; quia in eum miſerunt ſagittas, ita vt etiam ſuper tunicale ſuum crudeliter perforarent, & quendam militem ſuum coram oculis eius vulnerarent, ipſumq́; regem ab ingreſſu tam ciuitatis, quam caſtelli violenter arcerent vnde oportuit eum, & *Richardum* filium ſuum migrare inde. Poſtmodum dominus rex ciuitatem Lemouicum ingreſſus eſt, ipſo quoque ab eadem egreſſo, vt cum filiis ſuis paternaliter loqueretur, præſentibus filiis ſuis præfati caſtelli ſatellites ſagittas direxerunt lethiferas: adeo vt equum, quo rex pater ferebatur, in capite vulnerarēt, & niſi equus ad aduentum ſagittæ altius caput eleuaſſet, ſagitta in regio pectore profundius deſcendiſſet: quod filii eius *Henricus* & *Gaufridus* contemnentes, nec vindicauerunt, nec eo minus ad lethiferos hoſtes domini & patris ſui redierunt. Paulo poſt rex filius ad patrem veniens obtulit ei, quod niſi barones Aquitaniæ ad pedes ſuos pacem impetraturi venirent, ipſe, eis prorſus relictis, ad eum rediret omnimodis ſeruiturus. Rex pater precibus filii interim motus, pacem, quam prius baronibus promiſerat, repromiſit. Quare rex filius, vt dicebat, ad fratrem ſuum *Gaufridum* & barones Aquitaniæ proficiſcens, & ab eis reuertens ad patrem eos prorſus inobedientes aſſeruit, & rebelles, quare ad ſeruitium & voluntatem patris ſui reuertebatur. Hoc autem, vt ex poſt facto apparuit, fraudulenter actum eſt, vt interim gens perfida Brabancenorum, & filius perditionis *Gaufridus* in terram regis patris licentius graſſarentur, eamq́; nefarie deuaſtarent, ornamenta Eccleſiaſtica auferendo, oppida & villas incendiis inflammando: ouilia & agros rapinis euacuando; adeo vt mortificarent omnia: nec ætati, nec ſexui, nec ordini, nec religioni parcentes, immo ſola, vt videbatur, homicidia, ſacrilegia, & rapinas affectantes. Poſtmodum quoque rex filius audiens hæc à *Gaufrido* fratre ſuo fieri, dixit patri ſuo, quod quicquid fecerat in hac parte, conſilio *Gaufridi* fratris ſui fecerat, & patri ſuo arma ſua & equū tradidit conſeruanda, & ſic cū patre ſuo aliquot dieb. moratus eſt. Verū cū in eadē menſa cū patre ſuo comediſſet, & in eodē catino manū intinxiſſet, receſſit à patre, & iterū cū inimicis patris ſui ſe ſacramēto præſtito obligauit, & ad patrē rediens dixit ſe nullo modo poſſe videre, quod ille hominib. caſtelli mala faceret, quæ meruerant; ſicq́; recedens à patre profectus eſt Doratū. Pater vero putans eum pacificū reuocauit, qui rediens & ingrediens caſtellum, & ſcelus, quod conceperat ad optatū perducere effectum non valens, ſupra corpus beati *Martialis* iurauit ſe crucem accepturū. Pater vero credens eum hoc magis ex indignatione, quam ex religione feciſſe, ab incauto voto paternaliter ſtuduit reuocare, quærens ab eo flexis genib. coram eo lachrymans, vtrum votum illud occaſione rancoris, vel indignationis, vel paupertatis, vel religionis proueniſſet. Cui filius cum omni iuramento reſpondit ſe votum hoc

vouiſſe ob ſolam remiſſionem peccatorum, quæ ipſe in patrem ſuum fecerat; adiecit quoque, cum patrem ſuum lachrymari, & contradicere videret, quod ſe propria manu interficeret, niſi pater deſiſteret à reuocando eũ a propoſito crucis capiendæ, quia corpus Dominicum, quod ſacrari die illo coram oculis ſuis viderat, teſtabat quod crucem à multo tempore retro accepiſſet, ſed hoc nondum manifeſtauerat: ſperans & confidens ſe patris ſui gratiam plenius habiturum, quia peregrinari ſine eius gratia nolebat. Pater vero intelligens propoſitum eius ſanctum, & firmum, ait: fiat voluntas Dei, & tua. & ego ero tibi prouiſor, & adiutor in acquirendo Comitatu, & ſumptibus copioſis adeo Deo volente, vt nemo, quem audierim in partibus Ieroſolymitanis ſeruitium Dei potuiſſet aliquando copioſius feciſſe. Tunc rex filius gratias agens patri multiplices, ſupplicauit ei vt cum hominibus caſtelli, & baronibus Aquitaniæ miſericorditer ageret. Pater vero lachrymatus promiſit ad beneplacitum ſuum de his omnib. ſe facturum. Filius autem rex iterum gratias agens patri, burgenſes caſtelli adduxit ei, & inuito patre cum ipſis burgenſibus ad genua patris prouolutus pacem pro eis petiit, & accepit obſides tamen ſeruandæ concordię præſtaturis. Rex vero pater ad accipiendos obſides quoſdam miſit de ſuis, qui fere ab eis, qui tradere debebant, interfecti ſunt. Quod rex filius nullatenus vindicauit, ſed abiecta crucis religione, factus eſt cum eis hoſtis, & patris proprii perſecutor. Poſtea rex filius ſe pacem velle ſimulans petiit à patre, vt ei *Mauricium* de Croun cum treuga mitteret, & alios barones quoſdam, & dum cum eo loquerentur quidam, qui ſecuti ſunt eos, ab inimicis domini regis, præſente rege filio interfecti ſunt. Aliquot diebus poſt elapſis *Ganfridus* filius iniquitatis malitioſe ſupplicauit, vt ei *Oliuerum* filium *Ernisii*, & *Gerom* de Muſtetol in treuga mitteret. quorum alter, ſcilicet *Gerom* percuſſus eſt cum gladio per cappam & tunicam, & camiſiam non ſine ſanguinis effuſione: alter ſcilicet *Oliuerus* de ponte in aquam proiectus eſt, ipſo *Ganfrido* præſente, nec illam iniuriam vindicante. Poſtea iterum idem filius cum patre ſuo loqui volens, ſecure venit ad patrem, & de pace facienda doloſe tractans petiit a patre licentiam intrandi caſtellum, vt fratrem ſuum regem, & alios domini regis inimicos ad voluntatem domini regis inclinaret. Data eſt ei licentia, intrauit & beati *Martialis* feretrum decorticauit: & alia monaſterii illius vaſa aurea, & argentea aſportauit; & cum præda illa per patrem ſuum rediens treugas vſque in craſtinum petiit prorogari. Data eſt ei treuga, & ipſe pontem tranſiens eadem die renunciauit patri treugam diſſolutam; & de ſacrilegio, & furto, quod beato *Martiali* fecerat, Brabancenis ſuis ſua ſtipendia perſoluit. Summa vero præfati furti ſecundum æſtimationem bonorum virorum fuit 52. marcæ auri, & 27. marcę argenti.

Interim *Richardus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, & *Henricus* Baiocenſis, & *Iohannes* Ebroicenſis, & *Radulfus* Lexonienſis, & *Frogerius* Sagienſis, & *Waleranuus* Roſenſis Epiſcopi, vna cum Abbatibus Normanniæ, & clero, & populo multo venerunt Cadomum; & ibidem in monaſterio beati *Stephani* ſolenniter in communi plebis audientia ſententiam excommunicationis tulerunt in omnes, qui pacem & concordiam inter dominum regẽ, & filios ſuos faciẽdã impedirẽt, excepta ſolius regis filii perſona. Rex filius deficiẽte ſibi pecunia, perrexit ad S. *Mariã* de Rupe *Adamatoris*, & decorticauit feretrũ S. *Adamatoris*, & theſauros Eccleſiæ aſportauit. Paucis poſt elapſis dieb. rex filius cum vidiſſet ſe non poſſe multũ nocere patri ſuo, ex indignatione & animi rãcore in grauem incidit infirmitatẽ in villa, quæ dicitur Martel, non longe à ciuitate Lemouicenſi. Primo .n. arripuit eum febris, deinde fluxus ventris, & contriuit eum vſque ad mortẽ, qui cum ſenſiſſet mortem ſibi imminere, miſit pro domino rege patre ſuo; qui ad eum venire noluit, timuit enim inſidias illius. Rex igitur filius, conuocatis coram ſe Epiſcopis, & viris religioſis, qui aderant, primum ſecreto, deinde coram omnibus ſua confeſſus peccata, pœnitentiam, & ſuorum recepit abſolutionem peccatorum, & tradidit *Willielmo* Mareſcallo familiari ſuo crucem ſuam Ieroſolymam deferendam. Deinde depoſitis mollioribus indumentis, cilicium induit, & ligato fune in collo ſuo, dixit Epiſcopis, & cæteris viris religioſis circumſtantibus: trado me peccatorem indignum, culpabilem, & obnoxium per funem iſtum vobis miniſtris Dei, poſtulans, vt dominus noſter *Ieſus Chriſtus*, qui latroni confitenti in cruce peccata dimiſit, per preces veſtras, & per ſuam ineffabilem miſericordiam miſereatur infœliciſſimæ animæ meæ. Et reſponderunt omnes, Amen. Et ipſe ait illis. trahite me a lecto iſto per hunc funem, & imponite lecto illi cinereo: quem ſibi præparauerat, & fecerũt ſicut ipſe præcepit illis, & appoſuerunt capiti & pedibus ſuis duos lapides magnos quadratos, & omnibus rite peractis, ipſe præcepit corpus ſuum deferri in Normanniam vſq; Rothomagum, & ibidem ſepeliri. Et his dictis, ipſe ſacroſancti corporis, & ſanguinis Domini viatico munitus in timore Domini emiſit ſpiritum. Quod cum domino regi patri

Rex filius moritur.

ſuo

ſuo nunciatum eſſet, lachrymatus corruit in terram, & vehementer planxit filium. *O quam nefandum eſt filios patrem perſequi: iniuriam namq; patris, non pugnantis gladius, non hoſtilis manus defendit; ſed vindicat febris, vlciſcitur fluxus ventris cum excoriatione inteſtinorum.* Redeunt cuncti ad patrem proſtrato filio. Gaudent omnes, cuncti lætantur, ſolus pater plangit filium. Quid plangis glorioſe pater? ille tuus non erat filius, qui ſic violauit paternos affectus. Defenſio tua ſecuritatem patribus attulit, & parricidarum audaciam reuocauit. Graui enim ſupplicio debuit interire, qui ſeculo parricidium voluit intuliſſe: quia mentium arbiter, ſicut tribulationes iuſtorum vlciſcitur, ita nonnunquam prauorum perſecutiones perſequitur. Seruientes autem regis defuncti corpus regiũ multo ſale aſperſum, extractis cerebro & viſceribus & apud Martel ſepultis, plumbo & coriis taurinis inuoluerunt, vt ſic Rothomagum deferrent ad ſepeliendum ibi, & profecti ſunt vna cum illo cadauere regio: & cum veniſſent in ciuitate Cenomannis, & in eccleſia *B. Iuliani* confeſſoris, atq; pontificis circa illud cum hymnis, & pſalmis pernoctaſſent, & mane voluiſſent inde cum cadauere illo recedere, epiſcopus ciuitatis, & clerus vna cum plebe non permiſerunt illos aſportare illud: ſed ſepelierunt illud honorifice in eccleſia *B. Iuliani*. Quod cum Rothomagenſibus nunciatum eſſet, indignati ſunt inde, & conſtanter petierunt corpus eius, iurantes, quod per vim tollerẽt illud, niſi celerius redderetur eis, Rex ergo pater præcepit, vt corpus illud traderetur Rothomagenſib. ſicut rex filius, dum adhuc viueret, præcepit, & factum eſt ita. Et effoderunt corpus regis à loco, vbi ſepultum fuerat, & portauerunt Rothomagum, & ſepelierunt illud in eccleſia *B. Mariæ*. Rex autem pater, defuncto rege filio ſuo, acrius faciebat inſultus de die in diem in caſtellum Limouicenſe, quod obſederat, & reddita ſunt ei caſtellum illud, & ciuitas Lemouicenſis, & omnia inimicorum ſuorum caſtella in illis partibus: quorum quædam in manu ſua retinuit, & quædã proſtrauit, non relinquens lapidem ſupra lapidem. Defuncto autem rege filio *Philippus* rex Francorum petiit a domino rege Angliæ dodarium, quod rex filius eius dederat ſorori ſuæ, & totam terram de Voughesin cum caſtellis & munitionibus, quam *Lodowicus* rex Franciæ pater ſuus dederat eis in matrimonium, vnde accepto inter illos colloquio inter Giſortiũ &* Trie, conuenit in hunc modum. Quod *Margareta* ſoror regis Franciç, quç fuerat vxor *al. Tine.*
regis filii, pro quieta clamantia omnium ſupradictorum, quæ petebantur mille, & ſeptingentas, & quinquaginta libras Andegauẽſis monetæ ſingulis annis reciperet Pariſius a domino rege Angliæ, & ab hæredib. ſuis quamdiu illa viueret. Eodẽ anno dominus rex dedit epiſcopatum Lincolniæ *Waltero* de Conſtantiis clerico ſuo, quem *Richardus* Cantuarienſis archiepiſcopus conſecrauit apud Andegauim, & miſit in Angliã ad ſedem ſuã, quç iam per 18. annos vacauerat, ſcilicet à tempore *Roberti* de Chennai Lincolnienſis epiſcopi vſq; nunc. *Gaufridus* vero Comes Britanniç regis filius rediit ad patrem ſuum, & pacem fecit cum illo, & cum *Richardo* fratre ſuo Comite Pictauiæ. Eodem anno *Iohannes*, & *Hugo* epiſcopi, de quibus mentionem feceramus, Velletrem venerunt ad audientiam Papæ *Lucii*, & vterque illorum propoſuit coram domino Papa, & vniuerſis Cardinalibus ſuis ius, quod petebat in epiſcopatu *S. Andreæ*. Quo audito dominus Papa de communi fratrum conſilio abiudicauit epiſcopatum illum vtrique, & ipſi in manu ſummi pontificis reſignauerunt præfatum epiſcopatum *S. Andreæ* libere, & abſolute, & ſic à curia receſſerunt expectantes ſummi pontificis miſericordiam: & poſt paucos dies, & per conſilium vniuerſorum Cardinalium ſummus pontifex reddidit *Hugoni* epiſcopo epiſcopatum *S. Andreæ*, & confirmauit: & conceſſit *Iohanni* epiſcopo epiſcopatum de Dunkelden, cum vniuerſis ſupradictis, quæ ei ex parte regis Scotiæ oblata fuerant, & confirmauit. *Hugo* autem domũ rediit, & recepit epiſcopatum *S. Andreæ*. *Iohannes* vero epiſcopus recepit epiſcopatum de Dunkelden: ſed quia rex Scotiæ noluit ei ablata reſtituere, ipſe iterum mouit quæſtionem contra *Hugonem* epiſc. de epiſcopatu *S. Andreæ*, ſicut inferius notatum eſt. Eodem anno dominus rex præcepit *Richardo* filio, & hæredi ſuo recipere homagium *Ioannis* fratris ſui de Pictauia, ſed recipere noluit. Eodẽ anno ortũ eſt graue diſſidiũ inter Romanos, & Papam *Lucium* ſuper conſuetudinibus quibuſdam, quas prædeceſſores ſui facere ſolebant, quas prædictus Papa iurauit ſe nunquã facturũ. Vnde Romani indignati ſunt, & frequenter rapinas, & iniquas cõbuſtiones fecerũt in terra domini Papæ. Dominus vero Papa de loco in locũ fugiẽs, caſtella ſua & ciuitates munitas adiit. Ad cuius defenſionẽ *Chriſtianus* Moguntinus archiepiſcopus domini *Frederici* Romanorũ imperatoris Cancellarius magno cõgregato exercitu aduenit: cui Romani reſiſtere nõ valentes Romã redierunt; quos prædictus Cancellarius perſequẽs, omnia ad Romanos pertinẽtia deuaſtauit, & eos vſque ad portas ciuitatis Romæ ſecut9 eſt, omnia ſuburbana incẽdio tradẽs. Romani vero vidẽtes ſe perditioni traditos, machinabãtur qualiter prædictũ Cancellariũ dolo interficerẽt;

& cum alter aditus eis defeciſſet, ſtatuerunt eum veneno interficere, & ita fecerunt. Nam cũ Cancellarius ille, & exercitus eius fere per 10. milliaria ab vrbe remoti eſſent, Romani direxerunt in paupere cultu legatos, qui ſtatum curię addiſcerent, qui cum totum eſſe didiciſſent, inter cætera comperierunt vnum, quod perditioni illius prælegerunt. Erat nãque prope locum illum fons nitidiſſimæ aquæ, quam ſolitus erat Cancellarius, & exercitus eius vino mixtam potare. Fontem itaq; aggreſſi ſunt nefandi proditores illi, & ipſum vndiq; affecerunt veneno, ita vt manans aqua corrumperetur. Vt igitur potauit ex ea Cãcellarius, feſtinæ morti ſuccubuit. Occubuerunt & poſt illum, plus quam mille homines, qui ex prædicto fonte potauerunt. Cum aũt obitus Cãcellarii diuulgaretur, exercitus eius diſſipatus eſt, & in fugam conuerſus, & Romani acrius inſurrexerunt in dominũ papam. Eodem anno *Philippus* Comes Flandriæ duxit in vxorẽ ſororẽ *Sanctij* regis Portugalenſis. Eodẽ anno dominus rex Angliæ dedit Archiepiſcopatum Rothomagi *Waltero* de Conſtantiis Lincolnienſi Epiſcopo: & dominus Papa *Lucius* miſit ei pallium. Idẽ vero Papa nõ valens reſiſtere Romanis miſit legatos ſuos ad reges, & principes terrarum tam ſeculares, quam Eccleſiaſticos, pro auxilio habẽdo ad defenſionẽ beati *Petri* contra Romanos. Venerunt ergo nuncii ſui ad *Henricum* regem Angliæ; poſtulãtes ab eo & à clericatu Angliæ auxilium. Conſuluit itaq; rex Epiſcopos ſuos, & clerum Angliæ de petitione ſummi Pontificis, cui Epiſcopi, & clerus conſuluerunt, vt ipſe ſecundum voluntatem ſuam & honorem, faceret auxilium domino Papæ, tam pro ſeipſo, quam pro illis: quia tolerabilius eſſet; & plus placeret eis, quod dominus rex ſi vellet, accepiſſet ab eis recompẽſationem auxilii illius, q̃ ſi permiſiſſet nuncios domini Papæ in Angliã venire ad capiendũ de iis auxilium: quia ſi aliter fieret, poſſet verti in conſuetudinẽ ad detrimentũ regni. Adquieuit rex cõſilio eorũ, & fecit auxilium magnũ domino Papæ in auro & argẽto. Dominus aũt Papa per pecuniã illã, & per pecuniam aliorũ principũ ſibi vndiq; allatã pacẽ fecit cũ Romanis, ſibi & Eccleſiæ Romanæ neceſſariam. Eodẽ anno obiit *Rotrodus* Rothomagenſis Archiepiſc. cui ſucceſſit *Walterus* Lincolniẽſis Epiſc. Eodẽ anno obiit *Richardus Pecche* Epiſc. Ceſtriæ, cui ſucceſſit *Girardus* Lapucele. Eodẽ anno *Gilbertus* dictus *Aſſaili*, ſummus magiſter domus hoſpitalis Ieruſalem venit in Normanniam ad *Henricum* regem, à quo honorificẽ ſuſceptus eſt, & accepta à domino rege licentia trãsfretandi in Angliam, venit vſq; ad Deipe, & ante feſtum S. *Michaelis*, nauem quandam, quæ iam fere per annum in arena maris fracta, & deſiccata conſederat, & iam aliquantulũ dealbata, & refecta, & in altũ deducta fuerat, cum multis tam clericis quam laicis, qui iam longa expectatione fatigati fuerant, intrauit: ſed mox nauis illa extra portum in altum ducta velut lapis in profundum deſcendit compagibus diſſolutis: & ipſe *Gilbertus* & cæteri vniuerſi, qui in ea erant, præter octo tantum, qui beneficio nauiculę euaſerunt, ſubmerſi ſunt 13. Kal. Octobris. Eodem anno *Henricus* rex Angliæ, habito colloquio inter ipſum, & *Philippum* regẽ Francię inter Giſortium, & Trie die S. *Nicholai*, deuenit homo *Philippi* regis Franciæ de omnibus terris ſuis tranſmarinis, cui nunquam ante tempus illud homagium facere voluit.

Anno gratiæ 1184. qui erat annus triceſimus *Henrici* regis Angliæ filii *Matildis* imperatricis, idem rex fuit apud Cenomannum die natalis Domini, qui die Dominica euenit. Eodem anno *Richardus* Cantuarienſis Archiepiſc. obiit 14. Kal. Martii, cui antequam inciperet ægrotare apparuit dominus in viſione dicens: *Tu diſſipaſti bona Eccleſiæ meæ, & ego extirpabo te à terra.* Qua viſione plurimum perterritus ſtatim incepit ægrotare & octaua die ſequenti obiit. Eodem anno rex Angliæ, facta pace inter *Philippum* regem Franciæ & *Philippum* Comitem Flandriæ de controuerſiis, quæ inter illos erant, ſuper terrã de Vermundais, tranſitum fecit per medium Flandriæ, & transfretauit in Angliam inter Witſand, & Doueram, & applicuit apud Doueram 4. Idus Iunii: & duciſſa Saxoniæ filia eius transfretauit cum eo. Eodem anno in eadem hebdomada, qua rex in Angliam applicuit, quidam fons fluentis aquæ, iuxta eccleſiam S. *Winini* in Occidentalibus partibus terræ regis Scotiæ infra Tunigham non longe à caſtello de Jrewin, manauit ſanguine per octo dies, & totidem noctes ſine intermiſſione. Eodem anno duciſſa Saxoniæ filia regis peperit filium apud Wintoniam. Eodem anno Comes *Theoboldus* de Blais auunculus *Philippi* regis Franciæ venit in Angliam in peregrinatione ad S. *Thomã* Cantuarienſem. Eodẽ anno *Henricus* dux Saxoniæ gener regis venit in Angliam. Eodem anno obiit Comes *Simõ* de Huntedun, quo defuncto rex reddidit Comitatũ illum *Willielmo* regi Scottorũ, & ipſe ſtatim coram rege dedit Comitatum illum *David* fratri ſuo. Eodem anno, cũ *Gilbertus* de Plumtun miles nobili proſapia ortus ductus eſſet in vinculis vſq; Wigorniam, & accuſatus eſſet de raptu corã domino rege à *Ranulfo* de Glanuilla iuſticiario Angliæ, qui eum cõdemnare volebat, iniuſto iudicio iudicatus eſt ſuſpendi in patibulo; & cum duceretur ad patibulũ, oc-

currit multitudo virorum ac mulierũ clamantium,& dicentium virum iuſtũ,& innocentem non debere hæc pati. *Baldwinus* igitur Wigornenſis Epiſcop. vir religioſus, & timens Deum, audiens clamorem populi, & iniuriam, quæ fiebat miſero illi, cucurrit poſt eum: ſed miniſtri ſceleris facinus accelerantes, ligato fune collo eius traxerunt illum in ſublime & ecce Epiſcopus ille Wigornenſis velociter aduenit, & dixit carnificibus: prohibeo vobis ex parte omnipotentis Dei, & ſub anathemate, ne iſtũ hodie morti tradatis, quia dies Dominica eſt, & feſtum S. *Mariæ Magdalenæ*. Ad hanc vocem carnifices ſtabant ſtupefacti hæſitantes quid agerent, timebant enim Iuſtitiam regis, & verebãtur ſententiam anathematis. Præualuit ergo diuina potentia, & propter reuerentiam diei ſolennis laxauerũt funẽ, & dimiſerunt eum in terrã, cuſtodiendũ vſq; mane ad idem ſupplicium. Eadem nocte dominus rex pietate commotus, conſilioq; ſuorum præcepit ſic eum manere, donec ipſe aliud de illo fieri præcepiſſet, ſciebat enim quod per inuidiam fecerat hæc illi *Ranulfus* de Glanuilla, qui eum morti tradere volebat propter vxorẽ ſuã filiam *Rogeri Gulewaſt*; quam idẽ *Ranulfus* dare volebat in vxorem cũ hæreditate ſua *Reinero* vicecomiti ſuo Eboraci. Sic itaq; miles ille a morte liberatus vſq; ad obitũ regis fuit incarcerat⁹ per *Ranulfum* de Glanuilla. Deinde venit dominus rex vſq; Reddinges, & celebrato ibi concilio de paſtore Cãtuarienſis Eccleſiæ eligendo, orta eſt lis & contentio inter monachos Cantuariæ, & Epiſcopos Angliæ. Volebant enim monachi illi eligendi primam habere vocem, & protulerunt chartam domini regis, per quam ipſe illis conceſſerat, & confirmauerat liberam electionem: Epiſcopi vero nitebantur probare chartam illam non debere teneri, tum quia contra ius, & in detrimentum Anglicanæ Eccleſiæ facta fuit, tũ quia ad eos ſpectabat Metropolitani ſui electio. Et propter hanc controuerſiam nõ potuit inter eos illa vice conuenire. Iterum per mãdatum domini regis, Epiſcopi Angliæ, & monachi Cantuarienſes cõuenerũt apud Lundonias in præſentia domini regis ad eligẽdum Cantuarienſis Eccleſiæ præſulem: quibus contendentibus *Gilbertus* Londonienſis Epiſcopus, qui primam vocem eligẽdi ex antiquo Eccleſię ſuæ iure habebat, elegit *Baldwinũ* Wigornenſem Epiſcopum ad Archiepiſcopatũ Cantuariæ 4. Nonas Decembris, & omnes Epiſcopi aſſenſum præbuerunt electioni illi: ſed ſoli monachi Cantuarienſis Eccleſiæ contradixerunt, & facta appellatione, ad dominũ Papam abierunt, & Epiſcopi Angliæ obtulerunt domino regi electũ ſuũ. Ad quorũ electionẽ, & pręſentationẽ dominus rex recepit eum in oſculo pacis, & dilectionis. Similiter fecerunt *Richardus* & *Gaufridus*, & *Iohannes* filii regis. Deinde venit dominus rex Cantuariam ad malitiam monachorũ extinguendam. & habito colloquio cum illis obtinuit aduerſus eos, quod illi eligerẽt ſibi in Archiepiſcopũ præfatum *Baldwinum*, & fecerunt ita: nã *Alanus* prior Eccleſiæ S. Trinitatis Cantuariæ venit Lũdonias cum ſaniore parte capituli ſui, & cum literis ratihabitionis. Qui conuenientes in vnum in capitulo monachorum Weſtmonaſterii elegerunt ſibi, & Cantuarienſi Eccleſiæ in Archiepiſcopum prædictum *Baldwinum* Wigornenſem Epiſcopum; & ne viderentur aſſenſum præbuiſſe electioni Epiſcoporum, ſuum cantauerunt *Te Deum laudamus*, & perduxerunt eum ad altare, & recepto eo in pacis oſculo præſentauerunt eum regi, qui iterũ recepit cũ in oſculo pacis, & dilectionis, ſimiliter fecit *Richardus* Comes Pictauiæ regis filius. Deinde dominus rex firmauit pacẽ, & finalẽ concordiam ſcripto, & ſacramentis confirmatã inter *Richardum*, & *Gaufridum*, & *Iohannem* filios ſuos coram *Alienor* regina matre eorum, & *Henrico* duce Saxoniæ & aliis multis. Eodem anno Archiepiſcopus Coloniæ venit in Angliam in peregrinatione ad S. *Thomam* Cantuariæ, cui rex Angliæ occurrens cũ gaudio ſuſcepit, & aduerſus eum effecit, quod ipſe perdonauit *Henrico* duci Saxoniæ iram, & maleuolentiam ſuam, & eum in priſtinã dilectionis familiaritatem recepit. Prædictus aũt Archiepiſcopus Colonienſis ad petitionem regis Angliæ conceſſit *Richardo* Comiti Pictauiæ regis filio, filiam *Friderici* Romanorum Imperatoris dari in vxorẽ. Sciebat enim ipſum Imperatorem hoc velle, & plurimum deſideraſſe. Deinde prædictus Archiepiſcopus, & *Philippus* Comes Flandriæ, qui cũ eo in Angliam venerat, reuerſi ſunt in Flandriam, & magno congregato exercitu inuaſerunt terram Comitis de Henou, & deuaſtauerũt eam propter iniurias, quas ipſe fecerat Comiti Flandriæ. Eodem anno obiit imperatrix Romanorũ, vxor *Friderici* Imperatoris. Eodem anno obiit *Gilbertus* de Ver Abbas de Selebie. Eodem anno obiit *Gerardus* cognominatus *Pucella*, Epiſcopus Ceſtriæ. Eodem anno obiit *Walrannus* Roſenſis Epiſcopus Eodem anno obiit *Clemens* Abbas Sanctæ *Mariæ* Eboraci. Eodem anno obiit Comes *Simon* de Huntedon. Eodem anno obiit *Iocelinus* Sariſburienſis Epiſcopus. Eodem anno obiit *Bartholomæus* Exonienſis Epiſcopus. Eodem anno obiit Comes de Warewic. Eodem anno obiit filia *Friderici* Romanorum Imperatoris, quæ maritanda erat *Richardo* Comiti Pictauiæ, vt ſupra dictum eſt. Eodem anno combuſta eſt Eccleſia

ſancti *Iuliani* Cenomannenſis. Eodem anno combuſta eſt Abbatia de Glaſtingbirie. Eodem anno dominus rex Angliæ ſollicitus de pace facienda inter ducem Saxoniæ, & Imperatorem *Fredericum*, conſilio Archiepiſcopi Colonienſis miſit nuncios ſuos, videlicet *Hugonem* de Nunāt Lexonienſem Archidiaconum, & quoſdam alios de clericis, & familiaribus ſuis ad *Lucium* ſummum pontificem, vt auxilio illius præfatus Imperator recepiſſet ducem Saxoniæ in amorem. Venientes itaq; nuncii regis ad curiam domini Papæ inuenerunt eum in Italia apud Veronem: & dum ibi moram cū eo facerent, venit illuc *Fredericus* Romanorum Imperator ad loquendum cum domino Papa, ad cuius inſtantiam prædictus Imperator dedit duci Saxoniæ licentiam redeundi in patriam ſuam, & relaxauit ei omne ſacramentum, quod ei fecerat de exilio exequendo; & dominus Papa abſoluit eum de ſacramento illo, quod ipſe Imperatori fecerat. Eodem anno obiit *Thomas* filius *Bernardi*, qui poſt deceſſum *Alani* de Neouilla conſtitutus erat ſummus iuſticiarius omnium foreſtarū Angliæ a domino rege: quo defuncto dominus rex diuiſit foreſtas ſuas Angliæ in diuerſas partes, & vnicuique partium præfecit quatuor iuſticiarios: videlicet duos clericos, & duos milites, & duos ſeruientes de domo & familia ipſius cuſtodes venationis, & viridis ſuper omnes alios foreſtarios, tam regis quam militum, & baronum, & miſit eos placitare placita foreſtæ ſecundum ſupraſcriptam aſſiſam foreſtæ. Eodem anno dominus rex venit Wigorniam proceſſurus inde cū exercitu magno in Gualliam ad debellandum Walenſes, qui terram ſuam deuaſtauerant, & homines ſuos interfecerant: cuius impugnationem *Reſus* filius *Grifini* pertimeſcens, rege præſtante ſibi conductum, venit Wigorniam, & ibi iurauit regi Angliæ fidelitatem, & quod filium ſuum daret regi & nepotes ſuos in obſides: quos cum adducere vellet, noluerunt cum eo ire. Eodem anno dominus rex dedit *Willielmo* Priori Eccleſiæ S. *Auguſtini* de Briſtow Epiſcopatū de Pangor. Eodem anno *Swerus* presbyter, qui dicitur *Birkebam*, interfecit magnū regem Norweiæ. Eodem anno Aſtrologi, tam Hiſpanenſes, quam Siculi, & fere vniuerſi orbis coniectores tam Græci, quam Latini, vnam, eandemq; proferentes ſententiam de coniunctione planetarum ſcripſerunt. Vnde quidam Aſtrologus qui *Corumphira* dicebatur in hac forma ſcripſit.

AVGVRIA DE PLANETARVM CONIVNCTIONE.

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. Nouit Deus omnipotens, & oſtendit ratio numeri, quoniam Planetæ tam ſuperiores quam inferiores conuenient in libra, ſcilicet Septembri, anno ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti æterni, & veri Dei, milleſimo centeſimo octogeſimo ſexto, Arabum vero anno quingenteſimo octogeſimo ſecundo. Præcedit autem in anno cōiunctionem illam Eclipſis ſolis particularis, igneiq; coloris in prima ſcilicet hora 21. diei menſis Aprilis, quam præcedet Eclipſis Lunæ totalis eiuſdem menſis Aprilis, ſcilicet die quinto, prima ſcilicet hora noctis, quæ præcedet diem Mercurij, ſi Deus voluerit, immo quia vult, volet, voluit, & non deſinet hoc voluiſſe. Anno igitur prædicto Planetis, iuſſu Dei, in Libra, in ſigno ſcilicet aereo, & ventoſo, cum cauſa Draconis ibidem exiſtente, terræmotus accedet mirabilis in regionibus præcipue in quibus fieri conſueuit, deſtrueque loca terræmotibus cōſueta, ærumniſq; perditionis obnoxia. Nam partibus Occidentis orietur ventus vehemens, & validiſſimus denigrans aera, & fœtore corrumpens veneno ſo. Inde mortalitas, & infirmitas plures occupabunt, & audientur fragores, & voces in aere terrificantes corda audientium, & eleuabit ventus arenam, & puluerem à ſuperficie terræ operietq; ciuitates in planitie ſitas, & maxime in arenoſis regionibus, in quinto ſcilicet climate deſtruetur penitus Meca, Barſara, Baldac, Babylonis; nec aliqua relinquetur quin operiatur terra, & deſtruetur arena & puluere, vt fere fiant inhabitabiles regiones Aegypti & Aethiopiæ. & ab occidente pertinget hæc calamitas vſq; in partes orientis. In partibus quoq; Occidentalibus orietur diſcordia, fientq; ſeditiones in populo, & erit vnus ex iis qui infinitos congregabit exercitus, facietq; bellum ſecus littus aquarum, in quo tanta ſtrages efficietur, quod impetus ſanguinis effuſi adæquabitur vndis excreſcentibus. Pro certo habeatur à ſingulis, quod futura coniunctio mutationes regnorum, excellentiam Francorum, Saracenicæ gentis deſtructiones, & Chriſti legis pietatem maiorem & exaltationem maximam, & eorum qui poſtmodum naſcentur prolixiorem vitam, quicquid dicant alij, mihi ſignificat, ſi Deus voluerit.

Similiter *Willielmus* Aſtrologus clericus *Iohannis* Conſtabularii Ceſtriæ ſcripſit de ſupradictis planetarum coniunctionibus in hac forma.

Anno ab incarnatione Domini, milleſimo centeſimo octogeſimo ſexto, menſe Auguſto, die eius triceſimo completo, nocte ſequente, hora nona, gradu Virginis viceſimo nono, qui gradus terminorum, & terminus malorum dicitur, accendente Leone, plura portendit iſta coniunctio, minor appellatur. Malum præeſt huic figuræ. Hanc ſequitur *Marsii & Saturni* coniunctio in quarto gradu Libræ, ſeptima die Septembris, hora octaua, feria

prima

prima. Sol horæ dominus. Sagittarius Horoſcopus. Hæc coniunctio media dicitur. In hac coniunctione fortunæ præſunt. Malitia hoc climate mitigatur. Sequitur *Iouis & Saturni* coniunctio, quæ maior dicitur, gradu Libræ octauo, die decima Octobris, feria ſexta, hora nona. *Mercurius* horæ dominus, Capricornus Horoſcopus, Marte in quarto decimo gradu iuncto caudæ draconis. Hæc coniunctio portendit mira: tonitrus & fulgura cum ſcintillis igneis in aere diſcurrentia. Sed eorum coniunctione omiſſa, de coniunctione omnium planetarum in Libra temporibus noſtris per effectus prius incognita, & poſteris non cognoſcenda: quod alii ſub ænigmate protulerunt, nos figuraliter detegamus. Hæc autem coniunctio 16. die Septembris erit, feria tertia, hora prima, dominus horæ *Mars*, Sole Oriente, & Planetis in locis ſuis, vt ſubſequitur. Horoſcopus *Libra*. gradus primus Sol gradus 30. virginis. *Iupiter* gradus ſecundus, minuta 3. *Venus* gradus 3. minuta 49. *Saturnus* gradus 8. minuta 6. *Mercurius* gradus 4. minuta 10. *Mars* gradus 9. minuta 18. Cauda gradus 18. minuta 23. pars guerræ gradus 15. Luna gradus 17. minuta 8. pars fortunæ gradus 19. Secundus Libra, gradus 25. Tertius, Scorpius gradus 24. Quartus, Capricornus, gradus primus. Quintus, Aquarius gradus 5. Sextus, Piſces gradus 7. Septimus, Aries gradus primus. Cum igitur *Saturnus* omnibus ſit circulo altior, de eo primitus dicamus. Ipſe eſt Paganorum ſignificator, & omnium legi Chriſtianorum aduerſantium. Cum igitur in figura ſphæræ ſit in exaltatione ſua, triplicitate *Tr. F. G. S. M.* de victoria ſua ipſi iudicant: cum Sol ſit in caſu ſuo petens coniunctionem planetarum ſuperiorem. Longe tamen aliter, & de figuræ iudicio ſentimus. Sol enim ſignificat magnates Chriſtianorum, qui in hac figura petit coniunctionem *Iouis*. *Iupiter* eam impotens *Veneri* committit, & ipſa *Saturno*. *Mercurius* per retrogradationem eam reſcindens retrogradando legis eorum elationem, & noſtræ depreſſionem natura indicaret. *Mercurio* eandem diſpoſitionem *Ioui* tranſportante, *Ioue* autem nulli cōmittente, legis noſtrę perſeuerantiā deſignat. Cū autem Sol in figura ſit præpotens, vir inter nos magnæ famæ conſurgit *Chriſtianus*, cuius nomen vſq; ad finem arin prædicabitur. Sed quia coniunctio fit in ſigno mobili, eiuſdem viri terminus antequam *Saturnus* ſignum ſuum peragrauerit, finietur. & quia *Iupiter* prophetias ſignificat, hic tandē inter prophetas cōnumerabitur In hac figura *Mars* ſeparatus a *Saturno*, naturā cōmittit *Saturni* caudæ. quæ non retinens hanc diſpoſitionē, quaſi per retrogradationē, quod ſibi cōmiſſum fuerat, iterum defert vſq; ad *Martem*. Sed quia *Mars* in orbe Solis comburitur, impeditus & inter duos malos *Saturnum* & caudam obſeſſus & corū naturā in ſe retinens ſignificat ex ſui proprietate, triſtitias, contentiones; timores, horrendas; interfectiones, ſubſtantiarum ablationes. cauda quoq; ſeparationes, detrimenta, pericula; rerum diminutiones: & quia *Mars* cum cauda ſuam in aſcendente committit malitiam, ideo ſuperſedeo huius figuræ iudicio iuxta *Albumaſar* in centiloquio. Auerte oculos à figura in qua *Mars* fuerit in angulo maxime cum fuerit Scorpius aſcendens, aut ipſe cum cauda. Et quoniam omni Aſtrologo patet huic climati præeſſe *Saturnum*, Luna eo participante ipſum immunem prædictæ malitiæ eſſe perpendi non poſſe. Vnde ſolum supereſt remedium, vt primates ſibi conſulant, Deo ſeruiant, dæmonē fugiant, vt dominus eorum pœnas auertat imminentes, Amen. Item de ſupradicta planetarum coniunctione.

Vniuerſis literatis, & præcipue ſcholaribus, ad quorū præſentiam præſens pagina peruenerit: *Anſelmus* Wigornenſis monaſterii frater humilis in domino, ſalutem. Mirabilis Deus in ſanctis ſuis & operibus, qui miracula pro ſuis nunquam ceſſat operari. Et quia nemo ponit lucem ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat vniuerſis, miraculum ſupra modum eſt mirabile, quod in domo noſtra contigit pridie Kal. Nouemb. vt ad abſentium ſaltem ſcripto poſſet deuenire notitiā, in ſcripto cōmendaui. Noſcat itaq; veſtra diſcretio, quod quidā fratrum noſtrorum ex toto laicus, cum in mētis exceſſu laboraſſet 9. diebus, & 9. noctibus velut exanimis ante quoddam altare proſtratus in modum crucis iacuit: & quia vir religioſus erat, & ſanctæ conuerſationis frater, nullus noſtrum auſus erat eum inde remouere. In decima die hora 3. voce demiſſa modoq; lamentabili mira tamen lamentatione verſus iſtos decies, aut ſæpius eodem ordine, quo hic ſcribuntur cecinit.

Humani generis caſum, ſubitamq; ruinam
Infert huic orbi pernicioſa lues.
Aetatis teneræ pueros premit vnica clades,
Cum ſenibus pariter eſt peritura nece.
Corporis aerij vitio liquor inficietur:
Totaq; letifero rore madebit humus.
Hinc miſeranda lues orietur, & vnica clades.
Vnica cauſa necis, vnica cauſa mali.

Nam ſimul Herculei ſol tanget terga leonis,
Exuret geminus viſcera ſicca calor.
Si tunc mille forent Lacheſes, & cuiq; manus tot,
Atropos hæc carpet omnia fila ſimul.
Mortis enim gladio populi peccata piabit
Vltio digna Dei. Me miſerum quid agam?
Ecce micat gladius, qui totum conteret orbem.
Ecce manus Domini; quo miſer hinc fugiam?
Ecce furor Domini! fugiamne, vel hic latitabo?
Quoue Deum fugiam, cum ſit vbiq; Deus?
Si nequeat flecti precibus diuina voluntas,
Granum cum palea conteret ira Dei.
Eſſe neceſſe probat ſententia Philoſophorum,
Rurſus in antiquum cuncta redire chaos.
Sic tamen eſſe nequit, quia conſtat quæq; fuiſſe
Pluraq;, quæ veluti ſunt modo, ſemper erunt.
Iam ſuper aſtra feror, videoq; relatus ad aſtra
Luminibus clauſis ſolis vtramq; domum.
Nox ſine ſyderibus, lunaq;, dies ſine ſole
Eſt. ſed cum ſit ita, neſcio, cur ſit ita.
Sidus Mercurii, Veneriſque, Iouiſq; latent nunc.
Non ſunt, vel ſi ſunt, deſeruere polum.
Toto Zodiaco paſſim ſpatiantur, & errant
Mars, & falciferi ſtella nociua ſenis.
Mars ferit enſe, ferit Saturnus falce nociua,
Rebus in humanis nititur eſſe nocens.
Hinc feror ad Stygij iam lubrica regna tyranni,
In quibus æternæ ſunt, & erunt tenebræ.
In tantis tenebris nec ſol, nec luna, nec ignis,
Sufficit huic mæſto lumina ferre loco.
Hic labor atq; dolor, & inextricabilis ardor;
Hic grauis eſt miſeris pœna parata reis.
Hic ſonat aſſidue carmen lachrymabile væ væ.
Quantæ ſunt tenebræ! væ mihi, væ mihi, væ.
Cerberus ante fores furit, & tria guttura pandit,
Tres ſimul horrendos mittit ab ore ſonos.
Atria tres furiæ ſeruant, Alecto, Megæra,
Tiſyphone: quarum vultibus horror ineſt.
Horridus aſpectus, & fœdus anhelitus oris,
Voxq; velut tonitrus, gutture rauca ſonat.
Omnibus eſt ſceleris innata malitia mentis:
Omnibus eſt animus pronus ad omne ſcelus.
Ore tenus media ſitiens ſtat Tantalus vnda:
Quæ, ne potet eam, ſemper ab ore fugit.
Siſyphus hic ingens ſaxum reuolubile voluit:
Semper, vt ipſius ſit ſine fine labor.
Ille vorax vultur Tityi vorat vſq; iecur quod
Vt ſemper pereat, non niſi pene perit.
Quoſdam dira fames, quoſdam ſitis aſpera, quoſdam
Opprimit, atq; domat abſq; quiete labor.
Hos frigus ſtringit, alios calor ignis adurit,
Quemlibet, vt meruit, hic ſua pœna grauat.
Omnibus introitus, nulli patet exitus; omnes
Deuorat, & furiis deputat iſte locus.
Tiſyphone diris coniuncta ſororibus illis
Diſtribuit pœnas, quas meruere pati.
Nunc Styga, nunc Lethen, nunc linquo reis Acherontem:
Ad ſuperos iterum, vixq; reuerto gradum.

Cum autem extremum hunc verſum recitaſſet, vltimo ad ſe reuerſus, & velut à ſomno foret excitatus, caput erexit, & quendam fratrem, qui admirandi cauſa illuc cum reliquis venerat acutiſſimo intuitu reſpiciens, ait,

Ne mea mireris ora, quia tu morieris.
Te grauis, & ſubitus ſubruet interitus.

Poſt hæc autem ad conuentum oculorum conuertens aciem, non minus eleganter, quam ſi ab infantia *Tulliana* ditatus eſſet eloquentiã quædam tunc futura Latino prædixit eloquio. Vnde quia poſtea contigerunt, vt prædixerat, ſtupore repleti plurimo, vt nobiſcũ mirentur alii verſus, quos ille laicus compoſuit, qui nunquam vllas cognouit literas, de ſcholis ad ſcholas propter fabulas, quas innectit, mittere decreuimus: vt earum examine noſtra ventiletur cõtrouerſia. Quidam autem propter fabulas innexas cætera deſpiciunt; alii vero ſub quodam integumento (quoniam in pluribus ita accidit vt prædixerat) fabulas veritatis typum habere conantur oſtendere; & quia in nullo aliter accidit, quam prædixerat, frater, cuius obitum prædixit, eadem die dentes conterendo vitam cum ſummo dolore terminauit. Quo facto, frater ille, qui verſus illos prædixerat in fletum prorumpẽs in ſingulorum præſentia, quid in hac vita deliquerat corde cõtrito confiteri non erubuit; & vt virum decuit religioſum, cum ſumma deuotione cõmunionem ſuſcepit: qua ſuſcepta ſtatim emiſit ſpiritum dicens. In manus tuas Domine, commendo ſpiritum meum. Cum igitur hæc, & his ſimilia audiſſet populus, turbatus eſt valde, & quanto magis tempus illud peſtiferam, quod prædixerant præfati Aſtrologi, appropinquaret; tanto magis omnes pariter clericos, & laicos, diuites, & pauperes maximus timor inuaſit, & quam plures illorum in deſperationem traxit. Erat tamen eis ſolatium ſcriptum quoddam, quod *Faramella* filius *Abdelabi* Cordubenſis miſit *Iohanni* Toletano Epiſcopo in hac forma.

Pharamella *filius* Abdelabi *Cordubenſis, ex genere Arabum nutritus, & eruditus in palatio magni regis* Eueniacob *qui cognominatur* *Helimiramunoli, Iohanni *Toletano eorũ, qui Chriſtiani dicuntur Epiſcopo, ſalutem, ſuper omnes qui inuocant Deum. Qui timent Deum creatorem omnium exaltabuntur; & qui adorant eum puris manibus, & toto corde abluto. Vidimus quoſdam homines ſectæ veſtræ habitu nobis, & lingua diſsimiles, qui & negotiatores erant, & pannos laneos diuerſorum colorum ſatis bonos venales habebant. Dicebant autem ſe veniſſe de terra longinqua, quæ dicitur terra maiorum, id eſt, regnum Francorum. Inter cætera didicimus ab eis per interpretem* Ferrandum *nomine conciuem veſtrum hodie captiuum noſtrum. quod quidam falſi Aſtrologi de Occidente neſcientes virtutem cæleſtium corporum, & effectum quinq; vagantium, duorumq; luminum in epicyclis, & eccentricis circulis ſuis per domos, & dignitates ſuas ſeſe mouentium, terruerunt corda credentium in* Chriſtum *veſtrum non tantum eorum, qui ſimplices ſunt, ſed etiam eorum, qui apud vos ſapientes eſſe creduntur. Dicunt enim quia anno, qui eſt annus Alligeræ quingenteſimus ſeptuageſimus ſecundus, qui eſt etiam annus milleſimus centeſimus octogeſimus ſextus ab incarnatione Domini veſtri* Chriſti. *menſe. quem dicitis Septembrem futurus eſt ventus maximus, quantus eſſe non ſolet, ædificia ſubuertens, ciuitates & oppida diruens, quicquid ſuper terram occurrit euertens. Veniet autem ventus (vt dicunt) ab Occidente, & pertinget vſq; in Orientem, & poſt ventum fœtor peſſimus homines interficiens. Cuius rei nullam aliam cauſam reddunt, niſi quod planetæ conuenient in libra, quod eſt ſignum aerium & ideo ventoſum. Quibus ſtatim à pueris noſtris reſponderi poteſt: quod non ſolum libra ſignum aerium eſt, ſed & Gemini, & Aquarius ſigna ſunt aeria, in quorum vtroq; plures planetarum nonnunquam conuenerunt, nec tamen aut ventorum, aut fœtoris, aut mortalitatis periculum ſecutum eſt. Sed cum* Saturnus, *&* Mars *duæ ſunt infortunatæ,* Iupiter *autem &* Venus *fortunatæ ſunt ſtellæ, & propitiæ; ſi in eodẽ ſigno fuerint cum eis ſine reſpectu, aut applicatione, aut proportionaliter ſe habuerint, benignitas eorum malitia ſuperiorum temperabit. Menſis autem die, qua id futurum dicunt,* Mars *non in Libra, ſed in 13. Virginis,* Venus *autem in Scorpione, qui eſt domus* Martis *totam ipſius* Martis *malitiam extinguet, tum propter eius domum, in qua regnabit, tum propter virginalem reſpectum, quo ipſum* Martem *ad beneuolentiam ipſius attrahit.* Iupiter *autem grauitatem* Saturni *faciet placabilem,* Mercurio *propinquiori* Ioui, *quam* Saturno. *Meminiſſe debent tales, quod cum* Saturnus *ſingulis triginta annis circulum ſuum perficiat, in ſingulis ſignis duobus annis, & dimidio moratur.* Mars *autem anno, & dimidio parum minus per ſingula ſigna curſum explet ſuum. Cum ergo neceſſe ſit intra tricennium* Saturnum *continuo biennio, & dimidio fere anno in ſigno Libræ moram facere. eadem neceſsitate cõtingit antequã* Saturnus *Libram exeat,* Martem *cum* Saturno *in eadem Libra eſſe. Quod ſi* Mars *&* Saturnus *per ſingula tricẽnia ſane ſemel, & ſimul in Libra hucuſq; fuerint, & deinceps futuri ſunt, aut pernicioſi venti euenerunt, aut euenient ex malitia eorum in ventoſo ſigno exiſtentium, aut non. Sed quod aliquando euenerint nec in ſcriptis magiſtrorũ legimus, nec in diebus noſtris vidim⁹. Ergo quod nõ euenient certi debemus eſſe, quia ex iiſdem argumentis nunquam ſimile contingit accidiſſe. Legant igitur aſtrologi veſtri*

*al. Helimi ramauli

tabulas interiorum Perſarum, atq; Arabum, Hermen, Aſtalium, & Abidemonum: & moderni temporis Albumalar, & computent proportionaliter habitudines ſtellarum, reſpectus, applicationes, ſeparationes, partilitates, & alia, quæ otioſis annumerare moleſtum eſt: & cum inuenerunt ex ſimili ſtellarum coniunctione, id quod ſomniant falſum eſſe, aut relinquant opinionem ſuam fabuloſam, aut conuertantur ad Iſmaeliticam religionem noſtram. Veruntamen ſecundum iudicia Meſſchellæ, & Alkandi, ſi Deus aliter non prouiderit, erit vindemia rara, meſſes mediocriter ſufficientes, ſtrages gladij multa, naufragia plura.

Anno gratiæ 1185. qui erat annus triceſimus primus regni regis Henrici filii Matildis Imperatricis, idem rex fuit in Anglia apud Windeſhoueres die natalis Domini. Eodem anno die circumciſionis Domini obiit Gilbertus filius Fergus, qui Vhtredum fratrem ſuum, patrem nobilis viri Rollandi, fraudulenter cepit, & à filio ſuo Duncan, oculis, lingua, & teſticulis priuari fecit; qui etiam præfatum Duncan filium ſuum regi Angliæ obſidem tradiderat de pace ſeruanda. Quo defuncto, Rollandus filius Vhtredi totam terram prædicti Gilberti inuaſit, & obtinuit. Eodem anno, Baldewinus leproſus rex Ieruſalem, & Templares & Hoſpitalares miſerunt ad regem Angliæ, filium Matildis Imperatricis, Heraclium ſanctæ ciuitatis Ieruſalem Patriarcham, & ſummos Hoſpitalis, & Templi magiſtros vna cũ vexillo regio, & clauibus ſepulchri Domini, & turris Dauid, & ciuitatis Ieruſalem; poſtulantes ab eo celerem ſuccurſum, ſicut ab hærede, & Domino terræ Ieruſalem. Eſt enim ſciendũ, quod Fulco frater Gaufridi Comitis Andegauiæ, patris quoque iſtius Henrici, fuit rex Ieruſalem, vt ſuperius dictum eſt. Cum autem prędictus Patriarcha, & magiſter Hoſpitalis venirent in Angliam, rex Angliæ occurrit eis in villa de Redinges, & eos cum gaudio ſuſcepit. qui ſtatim ad pedes regis prouoluti cum fletu magno, & ſingultu verba ſalutationis ex parte regis, & principum, & vniuerſæ plebis terræ Ieroſolymitanæ proferebant, & exponentes cauſam aduentus eorum, tradiderunt ei vexillum regium, & claues ſepulchri Domini, & claues turris Dauid, & ciuitatis Ieruſalem ex parte regis, & principum terræ Ieroſolymitanæ, & literas ex parte Lucii Papæ in hac forma.

EPISTOLA LVCII PAPÆ PRO SVBVENTIONE facienda terræ Ieroſolymitanæ.

LVcius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Henrico illuſtri Anglorum regi Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum cũcti prædeceſſores tui præ cæteris terræ principibus armorum gloria, & animi nobilitate longe retro claruerunt, eoſq; fidelium populus habere in ſua didicerit aduerſitate patronos, merito ad te non tãtum regni, ſed paternarum virtutum hæredem, quadam ſecuritate præſumpta, recurritur, vbi populo Chriſtiano imminere periculum, immo exterminium formidatur, vt per brachium regiæ magnitudinis, membris eius impendatur præſidium, qui te, vt ad tantæ gloriæ, & prælationis apicem peruenires, ſua pietate conceſſit, & te contra ſui nominis impugnatores nefarios murum inexpugnabilem ordinauit. Primum nouerit ſerenitas tua iam crebris, & moleſtis ſuper hac pulſata querelis, qualiter terra Ieroſolymitana, ſpecialis hæreditas Crucifixi; in qua noſtræ ſaluti ſunt prænunciata myſteria, & ipſius rei exhibitione completa, quam ille, qui cuncta cõdidit in ſuam ſortem peculiari priuilegio deputauit; perfidæ & ſpurciſſimæ gentis attrita, & conuallata preſſuris, niſi ei celeri remedio ſuccurratur, prona ſit ad ruinam; & inde, quod abſit, ſuſtineat irreparabilem religio Chriſtiana iacturam. Ille enim Saladinus ſancti & tremendi nominis immaniſſimus perſecutor, ita ſpiritu furoris incanduit, & totius nequitiæ ſuæ vires ad internecionem populi fidelis exercet, vt niſi immanitatis eius vehemens impetus, quaſi obiectis obicibus reprimatur, certam ſpem, fiduciamq; ſuſcipiat, quod Iordanis influat in os eius, & terra aſperſione viuifici ſanguinis conſecrata ſpurciſſimæ ſuperſtitionis ipſius contagio polluatur, & quam glorioſi, & nobiles prædeceſſores tui à dominio gentis incredulæ multis laboribus, & periculis exemerunt, rurſus nefando tyranni nequiſſimi dominio ſubiugetur. Ob hanc itaque neceſſitatis, & imminentis doloris inſtantiam magnificentiam tuam Apoſtolicis literis duximus exorandam, imo dilatatis præcordiis ſumma acclamatione pulſandam, quatenus ad honorem ipſius reſpiciens, qui te conſtituit in ſublimi, & iuxta nomen magnorum, qui ſunt in terris, nomen tibi contulit glorioſum, ad deſolationem præfatæ terræ pietatis ſtudio te conuertas, & vt eius confuſio in hac parte tollatur, qui pro te in ipſa terra voluit haberi ludibrio, operam adhibeas efficacem; quatenus prædeceſſorum tuorum veſtigia ſubſecutus, quam ipſi de principis tenebrarum faucibus eripuerunt, in cultu magni Dei per tuam diligentiam, auxiliante Domino, conſeruetur. Eo autem curioſius celſitudinem tuam in tanta oppreſſionis anguſtia conuenit laborare, quod terram ipſam regis intelligis præſidio deſtitutam, & totam ſpem defenſionis ſuæ ipſius proceres in tuæ magnitudinis duxerunt patrocinio collocandam. Quod inde clarius tua ſerenitas poteſt agnoſcere, quod ſummos terræ illius, & magnificos defenſores venerabilem fratrem noſtrum,

Eraclium

Eraclium *Patriarcham, & dilectum filium noſtrum magiſtrum Hoſpitalis ad tuam excellentiam deſtinarunt, vt ex ipſorum præſentia conſiderata dignitate perpenderes, quanta fuerit neceſſitatis anguſtia, pro qua eorum ſuſtinent tam diu carere præſidio, vt per ipſos facilius ad vota ſua tuam deuotionem inclinent. Viros igitur præfatos, tanquam ab ipſo Domino tibi deſtinatos benigne ſuſcipias, & debita charitate pertractes, eorumq́; poſtulationibus tanto facilius acquieſcas, quanto grauitatis, & honeſtatis intuitu fauor eſt eis & gratia exhibenda. Sane recolat prudentia tua, & ſollicita ſecum meditatione reuoluas promiſſionem illam, qua de impendendo ſæpe dictæ terræ præſidio tuam celſitudinem obligaſti; & ita in hac parte te cautum, & ſtudioſum exhibeas, vt te in tremendo iudicio tua conſcientia non accuſet, & eius, qui non fallitur, diſtricti iudicis interrogatio non condemnet.*

His auditis Dominus rex reſpondit rem bene proceſſuram Deo volente, & ſtatuit eis terminum ſuæ reſponſionis primam Dominicam Quadrageſimæ apud Londonias. Ad quam Dominicam dominus rex, & Patriarcha, & Epiſcopi, & Abbates, & Comites, & Barones regi Angliæ; & *Willielmus* rex Scotiæ, & *Dauid* frater eius cum Comitibus, & baronibus terræ ſuæ conuenerunt Londoniis, & habito inde cum deliberatione conſilio, placuit vniuerſis quod dominus rex conſuleret inde dominum ſuum *Philippum* regẽ Frãciæ, & ſic ſoluto concilio dominus rex dedit vniuerſis hominibus ſuis tam clericis, quam Laicis licentiam capiendi crucem. Vnde factum eſt, quod *Baldewinus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, & *Ranulfus* Iuſtitiarius Angliæ, & *Walterus* Rothomagenſis Archiepiſcopus, & *Hugo* Dunelmenſis Epiſcopus, & alii quam plures Epiſcopi tranſmarini, & ciſmarini: & fere omnes Comites, & Barones, & milites Angliæ, Normãniæ, & Aquitanniæ, & Brittanniæ, & Andegauiæ, & Cenomanniæ, & Turoniæ, crucem ceperunt. In cuius captione quiddam mirabile dictu cõtigit. Quadam enim die, dum mulier quædam grauida puerum geſtaret in aluo, & tempus pariendi inſtaret, fugit à domo patris ſui nolens a parentibus ſuis in delicto illo comprehẽdi; & ecce tempeſtas valida pluuię, & ventus apprehendit eam fugientem in campo ſoliuagam, & petentem à Domino auxilium, & domum refugii; & quia oratio eius ſtatim non erat exaudita à Domino decidit in deſperationem dicens: ſi tu Deus deſpicis orationem meam diabolus ſuccurrat mihi, & ſtatim apparuit ei diabolus in ſpecie iuuenis, nudus pedes, ſuccinctus ad viam, & ait mulieri, ſequere me; & tranſeuntes viam inuenerunt ouile quoddam in campo, & præcucurrit diabolus, & in ouili illo præparauit ignem, & ſedile de ſtramine nouo, & mulier illa ſecuta eſt eum, & in domum veniens calefaciebat ſe ad ignem: & ait, ſitio, & fame torqueor. cui reſpondit diabolus, ſuſtine parumper, & ego afferam tibi panem, & potum. & dum iret, duo viri tranſeuntes per viam illam, & videntes ignem in ouili illo, mirati ſunt quid hoc eſſet; & accedentes intrauerunt ouile; & inuenientes eam grauidam iuxta ignem iacentem, interrogauerunt, quis eſſet, qui fecerat ei ignem illum: & illa reſpondit, diabolus; & illis interrogantibus vbi eſt ille? reſpondit, Eſuriui, & ſitiui, & ille abiit ad quærendum mihi cibum, & potum; & aiunt illi: Fiduciam habe in Domino *Ieſu Chriſto*, & in glorioſa virgine *Maria* matre eius, & ipſi liberabunt te de manu inimici, & inquire ab eo futura: & his dictis abierunt ad villam, quæ prope erat, & narrauerunt clero, & populo, quæ viderant & audierant in via. Interim rediit diabolus, & afferens ſecum panem, & aquam confortauit mulierem, & illa incuruata peperit filium, quem diabolus ille recipiens loco obſtetricis calefaciebat ad ignem: & ecce ſacerdos præfatæ villæ fide Catholica, & cruce, & aqua benedicta armatus venit cum clero, & populo multo ad ouile illud; & inuenit eam enixam puerum, quem diabolus in vlnis ſuis tenebat. & aſperſit aquam benedictam in nomine ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, quam diabolus nequaquam ſuſtinere valens fugit, & puerum ſecum aſportans vltra illis non comparuit. Mulier autem ad ſe reuerſa ait. Nunc ſcio vere quia eripuit me Dominus de manu inimici. & narrauit eis ſe à diabolo illo audiſſe, quod ex quo *Ieſus Chriſtus* ſpoliauit infernum, non erat tantus luctus, neque dolor in inferno, quantus erat propter captionem crucis; ſed dolor eius vertetur in gaudium, quia tanta erit cruciatorum iniquitas, & peccatum, quod Dominus delebit eos de libro vitæ; & multi eorum relicta crucis religione fient crucis, & nominis *Chriſti* perſecutores. quod de poſt facto apparuit. Deinde dominus rex venit vſque Windeſhoueres, & ibi in Dominica, qua cantatur *Lætare Ieruſalem*, quæ illo anno pridie Kalendas Aprilis euenit, fecit *Iohannem* filium ſuum militem, & ſtatim miſit eum in Hyberniam, & inde eum regem conſtituit. Interim terræmotus magnus auditus eſt fere per totam Angliam, qualis ab initio mundi in terra illa non erat auditus. petræ enim ſciſſæ ſunt; domus lapideæ ceciderunt; Eccleſia Lincolnienſis Metropolitana ſciſſa eſt à ſummo deorſum. Contigit autem terræmotus iſte in craſtino diei Dominicæ in ramis palmarum: videlicet decimo ſeptimo Kalendas Maii. & in craſtino illius terræmotus dominus rex Angliæ, & *Eraclius* Pa-

triarcha, & *Hugo* Dunelmenſis Epiſcopus, & multi de principibus Angliæ transfretauerunt inter Doueré, & Witſand. Dominus autem rex Angliæ cum in Normanniam veniſſet, magnum congregauit exercitum; mandans *Richardo* filio ſuo Comiti Pictauiæ; qui Pictauiam contra eum munierat, & *Gaufridum* Comitem Brittãniæ fratrem ſuum expugnauerat; quod niſi reddiderit *Alienor* matri ſuę totam Pictauiam liberam, & quietam, ipſe viſitaret eum in virga ferrea, & potenti virtute debellaret. Ad cuius mandatum prædictus *Richardus*, relicta hoſtilitate, reddidit matri ſuæ Pictauiam, & ad patrẽ ſuum rediens manſit cum eo ſicut filius manſuetus. Interim Kalend. Maii ipſo die Apoſtolorum *Philippi*, & *Iacobi* circa Meridiem viſa eſt eclipſis Solis totalis: quam ſecuta ſunt tonitrua cum fulgure, & tempeſtate magna. ex quorũ ictu homines, & animalia interierunt, & domus multæ incenſæ combuſtæ ſunt. Deinde *Philippus* rex Franciæ, & *Henricus* rex Angliæ habito colloquio de ſubuentione facienda terræ Ieroſolymitanæ promiſerunt ſe bonum auxilium illi facturos tam in hominibus, quam in pecunia. Sed hæc omnia præfatus Patriarcha paruipendebat. ſperabat enim quod eſſet reducturus ſecum ad defenſionem Ieroſolymitanæ terræ præfatum regem Angliæ, vel aliquem de filiis ſuis, vel aliquem alium virum magnæ auctoritatis; ſed quia hoc eſſe non potuit repatriaturus dolens, & confuſus à curia receſſit. Eodem anno *Walterus* Rothomagenſis electus pallium recepit à Papa *Lucio*; ſimiliter *Baldewinus* Cantuarienſis archiepiſcopus pallium recepit à Papa *Lucio*; & ſtatim conſecrauit *Gilbertum* de Glanuilla in Roſenſem Epiſcopum dono regis Angliæ. Eodem anno *Iohannes* filius regis in Hyberniam veniens, à *Iohanne* Dublinenſi Archiepiſcopo, & cæteris patris ſui hominibus, qui præceſſerant, honorifice eſt ſuſceptus, & quia ipſe omnia proprio ſuo incluſit marſupio nolens ſolidariis ſuis ſtipẽdia ſua ſoluere, maximã exercitus ſui partem in conflictibus pluribus contra Hibernenſes factis amiſit; & tandẽ ad inopiam redactus, conſtitutis tamen iuſtitiis, & militibus ſuis per loca ad terram illam cuſtodiendam, rediit in Angliam. Eodem anno menſe Decembris obiit Papa *Lucius*; cui ſucceſſit in Papatu *Vrbanus* Papa tertius. Qui ſtatim vt eius notitia diuulgaretur in hac forma ſcripſit ſanctæ Eccleſiæ prælatis.

EPISTOLA VRBANI TERTII.

VRbanus *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabilibus fratribus archiepiſcopis, & Epiſcopis, & dilectis filiis, abbatibus, Prioribus, & cæteris Eccleſiarum prælatis, ad quos literæ peruenerint Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cæleſtis altitudo conſilii firmam retinens in ſua diſpoſitione cenſuram ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, ad cuius regimen ſumus licet inſufficientes aſſumpti, ſupra petram fidei ſoliditate fundauit: illud ei tribuens in Apoſtolicæ confeſſionis fortitudine firmamẽtum, cui nec procella turbinis, nec præualere poſſit ſpiritus tempeſtatis. Vnde ipſa vniuerſalis mater Eccleſia vſque ad conſummationem ſeculi manentem ſecum retinens ſaluatorem, ita iuxta Canticum* Salomonis, Quem dilexit amplectitur, *vt pro nulla rerum varietate, vel temporum ab vnitate ſuæ fidei, vel pietatis propoſito ſeparetur. licet enim vel crebra decedentium mutatione paſtorum in varia diſcrimina frequenter incidit, vel per mundanæ malignitatis incurſum perſecutiones innumeras pertulerit, & labores; nunquam tamen eam gratia Diuina deſeruit, quo minus robur eius in qualibet tentatione perficeret, & inde obtineret ſpei ſuæ gaudium, vnde ſuſceperat fidei firmamentum. Sic igitur ante paucos hos dies faciente cum ea Domino, ſignum in bonum, quamuis ipſam de tranſitu pii patris* Lucii *non modicus dolor, triſtitiaque turbauit, ſtatum tamẽ eius in vnitate ſpiritus, & vinculo pacis Diuina prouidentia conſeruauit, vt poſt veſpertinos fletus lætitia matutina ſuccederet; & ipſa velut columba pulcherrima ſuis lætificata gemitibus ſine ruga prorſus, & macula candoris ſui pulchritudinem retineret. Defuncto ſiquidem piæ recordationis patre, ac prædeceſſore noſtro Domino Papa* Lucio: *& reuerendiſſimo eius corpore honorifice tumulato, habitus eſt à fratribus de ſucceſſoris electione tractatus, in quo tanta fuit vnitas omnium, tantaque ad inuicem concordia ſingulorum, vt ille intelligatur operatus in eis, in cuius manu corda ſunt omnium, & per quem adunatur diuerſitas animorum. Cæterum cum plures eſſent in Eccleſia Dei viri venerabiles, & prudentes, in quos eorum vota concurrere conſultius, vt credimus, & dignius potuiſſent, ad inſufficientiam noſtram oculos intenderunt: & factum eſt ſicut Domino placuit, vt nos, quibus ad dignitatis tantæ faſtigium, nec vires, nec merita ſuffragantur, in patrem ſibi elegerunt, & paſtorem. Nos autem licet nobis conſcii propriæ infirmitatis eſſemus, ita vt crederemus eorum propoſito non immerito reſiſtendum; ne tamen ex dilatione negotii, vel pertinacia reluctandi aliquod in Eccleſia periculum proueniret, conſenſimus licet inuiti iniuncti oneris ſubire laborem, ab eo ſperantes dirigi greſſus noſtros, qui beato* Petro *in fluctibus nauiganti, & fiduciam præſtitit, vt in mare deſcenderet, & potenter occurrit, vt dubitans non periret. Nunc igitur in eo loco, & officio conſtituti, in quo valde indigemus omniũ fidelium ſuffragiis adiuuari: ad vos*

ad vos tanquam ad ſpeciales Eccleſiæ Romanæ filios cum fiducia, & ſecuritate recurrimus, vosq́; benedictionis Apoſtolicæ præuenientes alloquio, literis familiaribus admonemus, rogamus attentius, & exhortamur in Domino, quatenus tranſitum ſupradicti patris, & domini noſtri Lucii *deuotis orationum ſuffragiis proſequentes fidem, & deuotionem, quæ nobis pro reuerentia beatorum* Petri, & Pauli *Apoſtolorum, & Apoſtolicæ ſedis communiter debetur, ab omnibus vos ſpecialiter impendatis, ita quod ex hoc, & a Deo præmium conſequi, & maiorem ſemper gratiam valeatis in oculis noſtris, & totius Eccleſiæ promereri. Datum Veronæ ſecundo Idus Ianuarii.*

Eodem anno *Henricus* rex Angliæ miſit nuntios ſuos ad Vrbanum Papam, & multa ab eo impetrauit, quibus Papa *Lucius* fortiter reſiſtebat: quorum vnum hoc fuit, quod ab eo impetrauit, Quod vnus, quem vellet de filiis ſuis coronaretur de regno Hyberniæ; & hoc confirmauit ei dominus Papa bulla ſua, & in argumentum voluntatis, & confirmationis ſuæ miſit ei coronam de penna pauonis auro contextam. Eodem anno paulo ante feſtum Sancti *Petri ad Vincula*, cum prædictus Patriarcha Ieroſolymam rediſſet, & nihil auxilii ad defenſionem terræ ſecum reportaſſet, timor magnus cecidit ſuper inhabitatores terræ Ieroſolymitanæ. Vnde factum eſt, quod quidam frater templi natione Anglicus, nomine *Robertus de S. Albano*, relicta lege Chriſtiana, abiit ad *Saladinum* Regem Babyloniæ, & promiſit ei ſe traditurum illi ciuitatem Ieruſalem, & facta inde ſecuritate, *Saladinus* dedit ei neptem ſuam in vxorem, & tradidit ei exercitum magnum, & conſtituit eum principem exercitus ſui, & ducem, qui ſtatim profectus eſt cum exercitu ſuo vſq; ad Planities ſancti Georgii, & ibi diuiſit exercitum ſuum in tres turmas; quarum duas miſit in regiones circumiacentes ad deuaſtandũ eas: & deuaſtauerunt omnem terram à monte regali vſq; Neapolim; & Iericho, & ciuitas Sebaſta, & aliæ ciuitates nonnullæ deſtructæ ſunt. Prædictus autem *Robertus* cum tertia parte exercitus ſui proceſſit vſq; ad ciuitatem Ieruſalem: & paucitas illa hominum, quæ in ciuitate erat in Domino confidens, & per poſternas egrediens, & lignum crucis Dominicæ pro vexillo ſibi præferens in virtute Domini percuſſit aciem, in qua præfatus *Robertus* erat, & ipſe in fugam conuerſus terga dedit percutientibus, & Ieroſolymitani ſecuti ſunt eum, & exercitum eius in ore gladii & multos ex illis interfecerunt; *Robertus* tamen vix euaſit. Deinde cum *Saladinus* terram Ieroſolymitanam bello aggredi propoſuiſſet Templares, & Hoſpitalarii, & cæteri terræ Ieroſolymitanæ principes dederunt ei ſexaginta millia Bizantiorum pro treugis habendis, vſque ad octauas Paſchæ proximo venturæ. Interim defuncto *Willielmo* le Marchis Comite Ioppen, *Baldewinus* leproſus rex Ieruſalem depoſuit ſe à regimine regni, & conſtituit *Baldewinum* puerum, filium prædicti *Willielmi & Sibillæ*, ſororis ſuæ ſibi hæredem, & eum coronari fecit in regem in ſancta ciuitate Ieruſalem; & paulo poſt obiit, & *Baldewinus* puer regnauit loco illius ferè per duos annos, & *Sibilla* mater eius nupſit *Guidoni* de le Zinant, de qua ipſe genuit duas filias.

Anno gratiæ milleſimo centeſimo, octogeſimo ſexto, Qui erat annus triceſimus ſecundus regni Regis *Henrici* filii *Matildis* Imperatricis; idem *Henricus* fuit in Normannia die natalis domini apud Danfrunt. Et poſt natale habito colloquio inter ipſum, & *Philippum* regem Franciæ apud Giſor iurauit, quod ipſe liberaret *Richardo* filio ſuo Comiti Pictauiæ *Aleſiam* ſororem regis Franciæ in vxorem. & rex Franciæ conceſſit præfato *Richardo* cum prædicta ſorore ſua: Giſortium & omnia, quæ *Lodowicus* pater ſuus conceſſerat cum *Margareta* filia ſua *Henrico* regi Angliæ filio. Et iurauit quod ipſe nunquam deinceps queſtionem aduerſus eos inde moueret. Poſt colloquium autem illud rex Angliæ transfretauit in Angliam; Et dedit *Hugoni* Priori domus de Wicham quæ eſt de ordine Cartuꝛienſi in Epiſcopatu de Ba, epiſcopatum Lincolnienſem, quam *Baldewinus* Cantuarienſis archiepiſcopus mox conſecrauit. Deinde venit rex cum magno exercitu, vſq; Carleolum volens vlterius procedere ad debellandum *Rolandũ*, filium *Vthredi* filii *Fergus* propter iniurias, & diſſaiſinas, quas ipſe fecerat *Dunecano* filio *Gilberti* filii *Fergus*, ſed prędictus *Rolandus* venit illuc ad regem, & fecit pacem cũ eo. Rex vero ibidẽ fecit *Paulinũ* de Ledes eligi ad epiſcopatum Carleoli: quem idem *Paulinus* refutauit. Et vt *Paulinus* epiſcopatũ illũ recipere vellet: obtulit ei rex quod epiſcopatum illum ditaret de trecentis marcarum redditibus, videlicet de Eccleſia de Banburg / & Eccleſia de Scartheburg / & capellaria de Tikehil / & duobus maneriis regis prope Carleolum. Eodem anno *Philippus* Rex Francorum dedit *Bele* regi Hungariæ *Margaretam* ſororem ſuam in vxorem, quæ extiterat Regis *Henrici* Angliæ filii vxor. Eodem anno *Gaufridus* Comes Brittanniæ filius *Henrici* regis Angliæ in conflictu militari pedibus equinis contritus Pariſiis obiit. Et in Eccleſia cathedrali eiuſdem ciuitatis ſepultus eſt. Eodem anno quidam Hybernenſis amputauit caput *Hugonis* de Laſci in Hybernia. Eodẽ anno dominus rex Anglię pater dedit *Ermengard*, cõſangui-

neam ſuam, filiam *Richardi* vicecomitis de Bello monte, *Willielmo* Regi Scotiæ in vxorem. Et fecit eos deſponſari in capella ſua de Wodeſtocke à *Baldewino* Cantuarienſi Archiepiſc. & ibidem fecit eis nuptias magnas in domibus ſuis per quatuor dies continuos. Et dominus rex Angliæ reddidit ibi Regi Scotię caſtellum puellarum quod idem rex Scotię ſtatim dedit prędictę *Ermengard* vxori ſuę in dodarium, & in augmentum dodarii ſui dedit ei centum libratas reddituum, & quadraginta milites feodatos. Eodem Anno dum idem rex Anglię moram fecerat apud Carleolū; *Robertus Butenlein* decanus Eboracenſis Eccleſię obiit: cui ſucceſſit in decanatu *Hubertus Walteri* clericus *Ranulfi* de Glamuilla domino regis. Eodem anno dominus rex Anglię dedit *Willielmo de* Northale / Epiſcopatū Wigornienſem, & *Iohanni* ſubdecano Salesburienſis Eccleſię, Epiſcopatum Exonienſem, quos *Baldewinus* Archiepiſcopus Cantuarię conſecrauit. Eodem anno cum *Vrbanus* Papa, conquerente *Iohanni* Dunkeldenſi epiſcopo, audiſſet controuerſias quę vertebantur inter ipſum *Iohannem, & Hugonem* Epiſcopum *S. Andreæ*, in hac forma ſcripſit regi Scotiæ.

EPISTOLA VRBANI PAPAE
ad Willielmum Regem Scotiæ.

VRbanus *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei* Willielmo *illuſtri Scottorum Regi, Salutem, & Apoſtolicam benedictictionem. Cum ex iniuncto nobis à Deo adminiſtrationis officio ad vniuerſas Eccleſias proximas nobis, & longe poſitas aciem noſtræ teneamur conſiderationis extendere; & ſi qua in eis, vel miniſtris earum irrationabiliter attentata nouerimus ad factum congruum reuocare, non debent ex eo ſeculi principes commoueri, ſi quando ad correctionem eorum, quæ per perperam facta fuerint, manus noſtras duxerimus extendendas; cum & ipſi ſecundum ſibi traditam poteſtatem auxilio nobis in his eſſe debeant, & cum neceſſe fuerit, aliquorum pertinacia exigente, contumacium nequitiæ fortius obuiare. Regia ſiquidem excellentia non ignorat, quam grauis inter venerabiles fratres noſtros* Iohannem *Dunkeldenſem, &* Hugonem *S.* Andreæ *Epiſcopos fuerit exorta diſſenſio. Et licet magnos vtraq; pars labores ſubierit, & expenſas, & tempore fœlicis memoriæ* Lucii *Papæ prædeceſſoris noſtri apud ſedem Apoſtolicam diutius litigauerint, negotium tamen non potuit finem habere. Vnde cum iidem Epiſcopi nuper ad noſtram præſentiam acceſſiſſent, & contendiſſent ſuper hoc aliquandiu in auditorio noſtro; de conſilio fratrum noſtrorum prædicto Dunkeldenſi Epiſcopo agendi licentiam ſuper Epiſcopatum S.* Andreæ *tribuimus contra illum, & eidem S.* Andreæ *Epiſcopo ad propria reuertendi ad noſtram præſentiam ſufficienter inſtructo in conſtituto ſibi termino redituro, ita quod ſi tunc non venerint venerabilis frater noſter* Iocelinus *Glaſcuenſis Epiſcopus, & dilecti filii de Melros, & de Neubotle, & de* Dunfermelin *Abbates, eum ex tunc ab officio Epiſcopali ſuſpendant, & ſi poſtmodum contumax fuerit, vinculo excommunicationis aſtringant, nec relaxent ſententiam, donec noſtro ſe conſpectui repræſentet. Nolumus enim vt negotio ipſo diutius in ſuſpenſo manente, præſcripta ſancti* Andreæ *Eccleſia graue rerum ſuarum detrimentum incurrat, ſed potius cognita veritate: per nos finem congruum auxiliante domino ſortiatur. Præcipimus etiam præfatis Glaſcuenſi, & collegis ſuis, quod dilectos filios noſtros* Aiulfum *decanum de Lodoneio, &* Odonem *Seneſcallū, &* Rogerum *de Fedic, & alios clericos, & amicos præfati Dunkeldenſis Epiſcopi à qualibet moleſtia, noſtra freti auctoritate, defendant; & poſſeſſiones vel alia bona eorum, ſeu redditus ipſius Epiſcopi non permittant à quoquam inuadi. Si qui vero contra ipſorum prohibitionem ſuper his venire præſumpſerint: cenſura eos canonica, nulla appellatione obſtante, compeſcant. Vt igitur, quæ mandamus valeant ſine difficultate qualibet adimpleri, monemus regiam excellentiam, & hortamur in domino, atq; in remiſſionem peccatorum iniungimus, quatenus pro amore iuſtitiæ, & reuerentia beati* Petri, *& noſtra, in negotio illo iuxta mandati noſtri tenorem procedi permittas; & prædictos Decanum, Seneſcallum, &* Robertum *de Fedic, atq; alios conſanguineos, & amicos prædicti Dunkeldenſis Epiſcopi, & Epiſcopatum, & alios redditus eius regia protectione defendas; & nec tu ipſe illos in aliquo aggraues, nec ſinas ab aliis aggrauari. Ita quod cauſa ipſa valeat ſine impedimento terminari, & regia magnificentia de iuſtitiæ opere apud Deum præmium indeficiens, & nomen bonum apud homines conſequatur. Noueritis autem memoratis Epiſcopis in virtute obedientiæ nos iniunxiſſe, vt nec ab Eccleſiis, nec à clericis ſibi ſubditis, accipiant aliquid expenſarum intuitu, quas in proſecutione memorati negotii ſunt facturi, ſed de propriis ſolummodo reddditibus ſibi procurent neceſſaria prouidere. Nolumus enim vt facto ipſorum Eccleſiæ, vel perſonæ aliæ regni tui debeant incurrere detrimentum. Regiam inſuper excellentiam volumus non latere, quod ſupradictus Dunkeldenſis ita honeſte ſuum eſt negotium proſecutus, & honori regio detulit, quod nihil omnino propoſuit, quod in derogationem regii nominis valeat redundare, vel quo tua ſerenitas aduerſus eum debeat commoueri. Vnde ſi quid ab æmulis eius in contrarium fuerit celſitudini tuæ ſuggeſtum, talium verbis aurem regiam non apponas. Datum Veronæ, ſecundo Kalendarum Auguſti.*

EPI-

EPISTOLA EIVSDEM PAPAE AD Iocelinum Glaſcuenſem Epiſcopum, & Abbates: ſuper eodem negotio.

VRbanus *Epiſc. ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri* Iocelino *Glaſcuenſi Epiſc. & dilectis filiis de Melros, & de Neubotle, & de* Dunfermelini *Abbatibus, ſalutem & Apoſtol. benedictionem. Cum ex iniuncto nobis à Deo adminiſtrationis officio ad vniuerſas Eccleſias proximas nobis, & longe poſitas aciem noſtræ conſiderationis teneamur extendere, & ſi qua in eis vel miniſtris earum irrationabiliter attentata nouerimus, ad ſtatum congruum reuocare: non debent ex eo ſeculi principes commoueri. Veſtra ſiquidem diſcretio non ignorat, quam grauis inter venerabiles fratres noſtros* Iohannem *Dunkeldenſem, &* Hugonem *Sancti* Andreæ *Epiſcopos fuerit exorta diſſenſio: & licet magnos vtraque pars labores ſubierit & expenſas, & tempore fœlicis memoriæ* Lucii *Papæ prædeceſſoris noſtri apud ſedem Apoſtolicam diutius litigauerint; negotium tamen non potuit finem habere. Vnde cum iidem Epiſcopi nuper ad præſentiam noſtram acceſſiſſent, & contendiſſent ſuper hoc aliquandiu in auditorio noſtro: tandem de conſilio fratrum noſtrorum prædicto Dunkeldenſi Epiſcopo agendi licentiam ſuper Epiſcopatu ſancti* Andreæ *tribuimus contra illum, & eidem Sancti* Andreæ *Epiſcopo ad propria redeundi ad noſtram præſentiam ſufficienter inſtructo, in conſtituto ſibi termino redituro. Et ne chariſſimus in* Chriſto *filius noſter illuſtris Scottorum Rex proſecutionem ipſius negotii ſua poteſtate impediat, noſtris eum literis commonemus, vt in negotio illo iuxta mandati noſtri tenorem procedi permittat, & dilectos filios noſtros* Aiultum *decanum de Lodonero, &* Odonem *Seneſcallum, &* Robertum *de Fedic, & alios præſcripti Dunkeldenſis conſanguineos, & amicos regia protectione defendat, nec eos ipſe in aliquo aggrauet, nec ſinat ab aliis aggrauari. Ne igitur præſcriptum negotium diutius maneat in ſuſpenſo, & Eccleſia Sancti* Andreæ *per hoc rerum ſuarum detrimentum incurrat: diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, & in obedientiæ virtute præcipimus, quatenus ea, quæ vel per vos ipſos, vel per alios de ipſius negotii tenore ſcire poteritis, redigentes in ſcriptum nobis ſub ſigillorum veſtrorum munimine deſignare curetis. vt nos ex veſtra inſinuatione inſtructi, conſilio fratrum noſtrorum adhibito, ſicut procedendum fuerit, in negotio procedamus. Si qui vero in prædictum decanum,* Odonem *Seneſcallum,* Robertum *de Fedic vel alios Dunkeldenſis amicos Epiſcopi, & poſſeſſiones, ſeu alia bona ipſorum, aut Epiſcopatus vel aliorum redditum ipſius Epiſcopi auſu temerario manus iniecerint, per cenſuram eos canonicam authoritate noſtra ſuffulti, ſine appellationis obſtaculo, compeſcatis. Prædictis autem Epiſcopis ex parte noſtra vetetis, quod & nos fecimus viua voce, ne ab Eccleſiis ſeu clericis ſibi ſubditis accipiant aliquid expenſarum intuitu, quas in proſecutione memorati negotii ſunt facturi; ſed de propriis ſolummodo redditibus ſibi neceſſaria ſubminiſtrent. Nolumus enim, vt facto ipſorum Eccleſiæ, vel alia, ipſius regni perſonæ debeant incurrere detrimentum. Præfato autem Epiſcopo Sancti* Andreæ *authoritate noſtra diſtrictius iniungatis, vt in termino, quem vtrique parti ſtatuimus, ſufficienter inſtructus ad præſentiam noſtram accedat. Quod ſi non venerit, ex tunc eum ab Epiſcopali officio, appellatione poſtpoſita, ſuſpendatis. Quod ſi nec ſic acquieuerit, excommunicationis vinculo eum innodetis, nec ſententiam relaxetis: donec noſtro ſe duxerit conſpectui præſentandum. Regiæ inſuper excellentiæ intimetis, quod ſupra dictus Dunkeldenſis Epiſcopus, ita honeſte ſuum eſt negotium proſecutus, & honori regio detulit, quod nil omnino propoſuit, quod in derogatione regii nominis valeat redundare, vel quo aduerſus eum debeat commoueri. Vnde ipſum inſtanti exhortatione curetis inducere: vt ſi ab æmulis eius in contrarium fuerit ſuggeſtum: eorum verbis aurem regiam non apponat. Datum Veronæ ſecundo Calendarum Auguſti.* Harum igitur authoritate literarum *Iocelinus* Glaſcuenſis Epiſcopus, & collegæ ſui, cum tempus, quod à ſummo pontifice ſtatutum erat prædictis Dunkeldenſi, & Sancti *Andreæ* Epiſcopis veniendi Romam appropinquaſſet, ſemel, ſecundo, tertio ſummonuerunt prædictos Epiſcopos iter ſuum arripere. Dunkeldenſis autem profectus eſt, ſed Epiſcopus Sancti *Andreæ* terminum ſibi ſtatutum tranſgreſſus ire diſtulit. & præfati iudices delegati ſuſpenderunt eum ab Epiſcopali officio, & deinde propter ſuam contumaciam excommunicauerunt ſecundum formam apoſtolici mandati. Eodē anno *Philippus* Rex Franciæ poſtulauit ab *Henrico* Rege Angliæ cuſtodiam filiæ *Gaufridi* Comitis Brittanniæ, quam ipſe moriens reliquit ſibi hæredem, quod rex Angliæ nullo modo facere voluit, ſed miſit ad eum *Walterum* Rothomagenſem Archiepiſcopum, & *Willielmum* de Mandeuilla Comitem Albemarlie, & *Ranulfum* de Glamuilla iuſticiarium Angliæ, ad quorum inſtantiam Rex Franciæ treugas dedit & pacem tenere promiſit vſque ad feſtum Sancti *Hylarii* proximo venturi. Eodem anno *Richardus* de Vals miles Regis Franciæ firmauit caſtellum in villa ſua de Vals inter Gyſortiū & Trie, quod *Henricus* de Ver conſtabularius Gyſortii ſub prædicto *Willielmo* Comite de Albemarle videns graue tulit; & volens opus illud impedire, ſi poſſet, venit illuc cum gen-

te ſua, & homines prædicti *Richardi* de Vals exierunt obuiam illi, & facto congreſſu, *Radev* filius *Richardi* de Vals interfectus eſt, & multi de hominibus prædicti *Richardi* ibidem vulnerati fugerunt. Præfatus vero *Henricus* de Ver non auſus ad Giſortium redire, abiit ad *Richardum* Comitem Pictauiæ. Quod cum regi Franciæ conſtaret, præcepit, quod omnes qui erant de terra regis Angliæ tam clerici, quam laici, qui eſſent in terra ſua inuenti, caperentur, & catalla eorum. Bailliui autem Regis Angliæ de terris tranſmarinis ſimiliter fecerunt de hominibus regis Franciæ, & de catallis eorum, quæ inuenta fuerunt in Bailliis eorum, ſed paulo poſt rex Franciæ conſilio ſuorum præcepit, quod homines Regis Angliæ liberarentur, & catalla ſua eis reddi: ſimiliter fecerunt Bailliui regis Angliæ de hominibus Regis Franciæ, & catallis eorum. Eodem anno *Conſtantia* comitiſſa Brittanniæ filia Comitis *Conani*, quam *Gaufridus* Comes Britanniæ maritus eius moriens reliquit grauidam, peperit filium ſuum primogenitum in ipſa ſancta nocte Paſchæ, & vocatum eſt nomen eius *Arturus*. Eodem anno *Baldewinus* puer rex Ieroſolymitanus filius *Willelmi* le Marchis obiit: cui ſucceſſit in regnum *Sibilla* mater eius iure hæreditario, ſed antequam coronaretur, factum eſt diuortium inter ipſam, & *Gwidonem* de Lirinant maritum ſuum per *Heraclium* patriarcham, & per Templares, & Hoſpitalares, qui volebant vt ipſa nupſiſſet *Walranno* Comiti Tripolis, vel alicui alii viro nobili de principibus terræ Ieroſolymitanæ, ſed ipſa mira calliditate decepit eos dicens, ſi diuortium factum fuerit inter me & maritum meum, volo quod faciatis me ſecuram fide & ſacramentis, quod quemcunq; ego elegero, vos recipietis in regem, & dominum: quod cum factum fuiſſet, introduxerunt eam in templum, & prædictus patriarcha coronauit eam, & paulo poſt cum omnes orationibus inſiſterent, vt Deus, & Dominus omnipotens prouideret terræ illi regem idoneum, præfata regina accepit coronam regiam in manibus ſuis, & poſuit eam ſuper caput *Guidonis* de Lerinant mariti ſui dicens, ego eligo te in Regem, & Dominum meum, & terræ Ieroſolymitanæ, quia quos Deus coniunxit, homo ſeparare non debet. Ad hanc vocem omnes ſtabant attoniti, ſed propter iuſiurandum, quod fecerant, nemo auſus erat ei contradicere, & accedens patriarcha, vnxit eum in Regem, & diuino officio celebrato, Templares introduxerunt Regem & reginam in domum ſuam, & fecerunt eis conuiuium magnum. Comes autem Tripolis anxius, & dolens, quod regina refutauerat eum, abiit ad *Saladinum* Regem Babyloniæ, & inito cum eo fœdere, machinabatur mala multa in perniciem Regis, & regni. *Saladinus* vero petiit ſupradictas treugas, quas ipſe vſq; ad Paſcha dederat, prorogari per tres annos ſubſequentes, cuius petitioni præfatus rex *Guido* conſilio Templariorum, adquieuit, licet conſtaret ei, quod in proximo ventura eſſet copioſa peregrinorum multitudo tam de Anglia, quam de aliis regnis per prædicationem patriarchæ. Venit itaque poſt Paſcha Ieroſolymam copioſa militum, cæterorumq; peregrinorum multitudo, ſed quia treugę elongatæ fuerant, perpauci remanere volebant, tamen *Rogerus* de Mulbrai, & *Hugo* de Bello campo remanſerunt ibi in ſeruitio Dei.

Anno gratiæ milleſimo centeſimo octogeſimo ſeptimo, qui eſt annus triceſimus tertius regni regis *Henrici* filii *Matildis* Imperatricis, idem rex fuit in Anglia die natalis Domini apud Geldeford. Eodem anno poſt natale Domini *Vrbanus* papa miſit in Angliam *Octauianum* Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconum cardinalem, & cum eo *Hugonem* de Nunant, quibus ipſe commiſit legatiam in Hyberniam ad coronandum ibi *Iohannem* filium Regis: ſed Dominus rex coronationem illam diſtulit, & prædictos legatos duxit ſecum in Normanniam ad colloquium inter ipſum, & *Philippum* regem Franciæ. Transfretauit itaq; rex Angliæ, & applicuit apud Witſand in Flandria, & prædicti legati cum eo. & paulo poſt, habito colloquio inter ipſum, & Regem Franciæ ad vadum Sancti *Remigii*, inter eos conueniri non potuit propter intolerabiles exigentias, quas rex Franciæ ſibi fieri poſtulauit, & ſic ſine ſpe pacis, & concordiæ receſſerunt. Eodem anno poſt Pentecoſten *Philippus* rex Franciæ, magno congregato exercitu, obſedit *Richardum*, & *Iohannem*, filios regis Angliæ in caſtro *Radulfi*, quod rex Angliæ audiens venit illuc cum magno exercitu ad ſuccurrendum filiis ſuis obſeſſis. cui rex Francię cum exercitu ſuo occurrens, diſpoſuit acies ſuas ad bellum campeſtre; ſed per Dei miſericordiam, & mandatum ſummi pontificis *Vrbani*, nec non per conſilium Archiepiſcoporum, & epiſcoporum, & aliorũ principũ vtriuſq; regni ſtatuerunt inter ſe treugas per biennium; ita quod rex Francię haberet *Iſſeudum*, & *Vrſum* de freteual, vſq; ad terminum treugarum. & ſub hac conditione deponentes arma, ad propria remearunt; & poſt pacem illam *Richardus* Comes Pictauiæ remanſit cum rege Franciæ contra voluntatem patris ſui; quem rex Franciæ in tantum honorabat, quod ſingulis diebus in vna menſe ad vnum catinum manducabant, & in noctibus non ſe-

ſeparabat eos lectus, & propter illum vehementem amorem, qui inter illos eſſe videbatur, rex Angliæ nimio ſtupore arreptus, mirabatur quid hoc eſſet, & præcauens ſibi in futurum, frequenter miſit nuntios ſuos in Franciam ad reuocandum *Richardum* filium ſuũ, qui ſimulans ſe pacificum, & ad patrem ſuum venire volentem, tranſitum fecit per Chinonem, & maximam partem theſaurorum patris ſui, inuito cuſtode, ſecum aſportauit, & caſtella ſua Pictauiæ inde muniuit, nec tamen ad patrem ſuum venire voluit, & hoc Dei prouidentia factum eſſe creditur, ne rex pater ſimulata dilectione filii deciperetur, nec feſtinaret promouere illum ad regni gubernacula, ſicut & alium promouerat, qui eum, vt ſupradictum eſt, iniuſtis vexationibus ſupra modum inquietauit, ſed tandem hoc fit Dei miſericordia, quod *Richardus* Comes Pictauię, ſpreto prauorum conſilio, ad patrem ſuum rediit, & iterum homo ſuus deuenit coram multis tam clericis, quam laicis, & ſuper ſacroſancta euangelia iurauit ei fidelitatem contra omnes homines, & quod à conſilio ſuo non recederet. Quo facto rex Angliæ profectus eſt in Brittanniam, & obſidione cepit caſtellum de Muntrelais, quod *Herucius* de Liuns, & *Guimar* frater eius occupauerunt poſt mortem *Gaufridi* Comitis Brittanniæ. Eodem anno *Dunenaldus* filius *Willielmi*, filii *Dunecan* inimicus *Willielmi* Regis Scotiæ, quem Scotti nominabant *Macwillam*, interfectus eſt in Mureuia. Eodem anno *Iſabel* regina Franciæ, filia Comitis de Henou peperit filium ſuum primogenitum tertio Nonas Septembris, feria quinta, & vocatum eſt nomen eius *Lodowicus*. Eodem anno *Saladinus* Rex Babyloniæ cum immenſa Turcorum ſuorum multitudine, ex occaſione diſſenſionis, quæ fuit inter Regem, & Comitem Tripolis, venit in terram Ieroſolymitanam. contra quem venerunt fratres Templi, & Hoſpitalis cum copioſa plebis multitudine. & facta inter illos congreſſione, præualuit Paganorum exercitus aduerſus Chriſtianos: Chriſtiani autem in fugam ſunt conuerſi; ex quibus multi ſunt interfecti, & multi capti. & eodem die, videlicet Calendis Maii ſexaginta fratres Templi, & ſummus magiſter domus Hoſpitalis cum pluribus domus ſuæ fratribus interfecti ſunt. *Saladinus* igitur ſumma potitus victoria, caſtella, ciuitates, & munitiones Chriſtianorum quam plures inuaſit, & cepit, & deinde regreſſus in regionem ſuam magnum congregauit exercitum; &, vt dicitur, per conſilium Comitis Tripolis, qui erat inimicus regis, intrauit terram Ieroſolymitanum die veneris proxima poſt feſtum Apoſtolorum *Petri & Pauli* cum octingentis millibus militum, & eo amplius: & cepit Thabariam excepta caſtri munitione, in qua ſe domina loci cum paucis militibus receperat. Quæ cum nuntiata eſſent regi, de conſilio Comitis Tripolis, qui nuper ſecũ fœdera pacis fraudulenter inierat: Rex proceſſit verſus Thabariam per vnam dietam. Deinceps Comes Tripolis dux, & præuius itineris totum exercitum in eminentem locum, & ſaxoſum conſtituit. Ibi vero imminentibus hoſtibus, vndiq; neceſſitate compulſus Rex de Baronum conſilio, bellum committere dignum duxit, & ad eorum inſtantiam magiſtro, & militibus templi primos ictus conceſſit. Ergo militia templi ſicut leo fortis in hoſtes concurrens partem ſtrauit, partemque fugauit. Cæteri vero regio ſpreto mandato, non proceſſerunt ad pugnam, nec vllum eis præſtauere ſuccurſum, vnde templi milites retenti, & trucidati ſunt. Poſtmodum *Saladini* exercitus Chriſtianorum exercitum laborioſo itinere confectum, & nimio caloris æſtu prægrauatum, aqua omnino deficiente partim igne circumdedit. Tunc ſex ex militibus regis, ſcilicet *Baldewinus* de fortuna, & *Raimundus Buccus*, & *Laodicius* de Thabaria cum aliis tribus ſociis diabolico ſpiritu arrepti ad *Saladinum* confugerunt, & ſponte Saraceni facti: de omni eſſe, & propoſito & continentiis Chriſtianorum eum inſtruxerunt. *Saladinus* vero, qui de diſcrimine belli antea anxius dubitabat, reſumpſit vires, & cum tubis, & infinita multitudine bellatorum in Chriſtianos, qui propter loca ſaxoſa, & inuia pugnare non poterant, aſſultum fecit; & eos omni genere pugnandi impugnauit, & expugnauit. Tandem *Thekedinus* nepos *Saladini Guidonem* Regem Ieruſalem fugam arripientem, & crucem Dominici ligni cepit, interfecto *Ruffino* Epiſcopo de Accon, qui eam portauit, & hoc digno Dei iudicio. ipſe enim contra conſuetudinem prædeceſſoru[illegible]uorum maiorem fiduciam habens in armis terrenis, quam in cœleſtibus, proceſſit ad pugnam loricatus, qui mox ictu ſagittæ perforatus interiit. Cæteri omnes fere confracti, capti, trucidati, & vinculis mancipati ſunt, ab ipſis Parthis, proh dolor, campo omnino ſuperato. ſed ſolus Comes Tripolis proditionis huius conſcius, cum ſuis euaſit illæſus. Statim vero *Saladinus* militiæ templi, & hoſpitalis milites ſegregari fecit ab aliis, & coram ſe decapitari, & ipſe principem *Raimundũ* de Caſtellione propria ſua manu interfecit. Deinde ciuitatẽ Accon cepit, & adiacentia loca, & munitiones fere omnes de partib. illis. Interim *Conradus* le Marchis, frater ſupradicti *Willielmi* Comitis, Ioppen, facto homicidio in ciuitate Cõſtantinopolitana, fugã iniit relicta vxore ſua, nepte *Iſakii* im-

peratoris Conſtantinopolitani; & eodem die, quo *Saladinus* victoriam habuit de Chriſtianis, venit ipſe *Conradus* Tyrum, & inuenit eam vacantem. nam omnes fere ciues illius interfecti erant in ſupradicto prælio. Cum igitur *Saladinus* illuc veniſſet, & liberum ſperaſſet habere ingreſſum, reſtitit illi *Conradus*, & ingreſſum negauit; videnſque *Saladinus* ſe ibi nil poſſe per moram proficere, abiit, & cepit Baruth ciuitatem, & vtramque ciuitatem quæ dicitur Gibelet, & Sydonem, & Cæſaream ciuitatem, & Ioppen, & Nazareth, & ſanctum *Georgium*, & Sanctum *Abraham*, & Bethleem, & *Caiphas* caſtellum nouum, & Saphet & Iaunai, & montem Tabor, & Fabam, & Caſſarmundel, & cauam Templi, & Calenzun, & Marle Templi, & caſtellum de planis, & Rames, & * Leturun a cheualiers. & caſtellum *Arnaldi*, & caſtellum Burguinnum, & Tarente, & la Blancheuarde, & Galaciam, & Gaſzeres, & Darun, & la Ruge Siſterne, & caſtellum Sancti *Petri*, & Sanctum *Lazarum* de Bethania, & Sanctam *Mariam* de monte Sion, & ciuitatem Ieruſalem. Regina vero vxor *Guidonis* regis recepit ſe cum familia, & duabus filiabus ſuis in ciuitate Aſcalona, & eam muniuit victualibus, & bellatoribus. quam ipſa poſtmodum in ſecundo anno ſequēti tradidit *Saladino* pro redemptione *Guidonis* mariti ſui: & ſic liberauit eum à carcere *Saladini*. Omnes vero qui de Accon confugerant & multitudo profugorum Chriſtianorum receperunt ſe in Tyro, & fecerunt *Conradum* dominum, & aduocatum ſuum; Antiochia vero, & Margatum cum tota fere terra principis ſe bene munierunt contra *Saladinū*. Cumque Comes Tripolitanus gentē ſuam a cultu diuino ſubuertere voluiſſet, & terram ſuā tradere ꝓpoſuiſſet *Saladino* inuentus eſt mortuus in lecto ſuo ſimilis dormiēti, & vxor illius cum tota gente ſua tradidit ſe & ciuitatem Tripolim *Raimundo* principi Antiochię & ipſe ſtatuit inde *Iocelinum* filium ſuum dominum. Cum igitur Papa *Vrbanus* audiſſet, quod temporibus ſuis captus eſſet rex Ieroſolymitanus, & crux Dominica, & ciuitas Sancta Ieruſalem, doluit vehementer & incidit in ægritudinem, & mortuus eſt decimo tertio Kalendarum Nouembris, apud Ferrariam; cui ſucceſſit in papatu *Albertus* cācellarius ſuus, & vocatus eſt Papa *Gregorius* octauus. Cardinales vero de aſſenſu domini papæ, inter ſe firmiter promiſerunt, quod abiectis omnibus diuitiis, & deliciis, prædicarent crucem *Christi*, non ſolum verbo, ſed opere & exemplo, & euntes mendicando acciperent crucem primi, & præcederent alios in terram Ieruſalem. Statuerunt etiam de aſſenſu domini papæ firmiſſimam treugam inter omnes principes Chriſtianitatis vſque ad ſeptennium; ita quod quicunq; guerram contra Chriſtianum medio tempore mouerit, maledictioni Dei, & domini papæ, atq; excommunicationi omnium prælatorum vniuerſalis Eccleſiæ ſubiacebunt: firmiter etiam inter ſe promiſerunt, quod de cætero nulla munera recipient ab aliquo, qui cauſam habeat in curia, ſed ea tantum recipere poterunt, quæ fuerint pro eorum neceſſitate, & ſuſtentatione donata, vel miſſa: & non aſcendent in equum, quamdiu terra, in qua pedes Domini ſteterunt, fuerit ſub pedibus inimici. Eſt ēt notandum, & diuinæ prouidentiæ aſcribendū, quod tempore illo, quo ciuitas Ieroſolyma, & Antiochia ereptæ fuerant de poteſtate Paganorum (per expugnationem * *Adimari* Podienſis epiſcopi, & aliorum quam plurium Epiſcoporum, & virorum religioſorum, & *Hugonis Philippi* Francorum regis Germani, & *Godefridi* ducis Lotharienſis; & *Stephani* Comitis Carnotenſis; & *Roberti* ducis Normannorum fratris *Willielmi* regis Angliæ ſecundi tunc regnantis, qui *Robertus* in duello vicit *Curberand* principem militiæ paganorum; & *Roberti* Comitis Flandriæ; & duorum Germanorum *Godefridi* ducis videlicet *Euſtachii* Comitis Bononienſis; & *Baldewini*; & *Raimundi* Comitis de Sancto *Egidio*; & *Boimundi* filii *Roberti Wiskard*; & aliorum multorum nobilium virorum) papa, qui tunc erat dicebatur *Vrbanus*, & patriarcha Ieroſolymitanus dicebatur *Eraclius*, & Imperator Romanus dicebatur *Fredericus*; ſimiliter & nunc, quando terra Ieroſolymitana erepta fuit de poteſtate Chriſtianorum per expugnationem *Saladini*, papa dicebatur *Vrbanus*, & patriarcha Ieruſalem *Eraclius*, & Imperator Romanus *Fredericus*. Et eſt ſciendum, quod à tempore illo, quo Ieroſolyma erepta fuit de manibus Paganorum per prædictos expugnatores, vſq; ad tempus illud, quo rex *Guido* eam perdidit: interlapſi fuerunt quater viginti & ſeptem anni.

al. Betherum.

al. Adimari.

EPISTOLA TERRICI PRAECEPTORIS Templi de captione terræ Ieroſolymitanæ.

FRater *Terricus* pauperrimæ domus Templi dictus magnus præceptor, omniſque fratrum pauperrimus, & fere omnino adnihilatus, conuentus vniuerſis præceptoribus, & fratribus Templi, ad quos literæ iſtæ peruenerint, ſalutem, & in illum ſuſpirare, in quo

quo ſol & luna mirantur. Quot quantiſq; calamitatibus ira Dei, noſtris peccatis exigentibus, nos in præſenti flagellare permiſerit, nec literis, nec flebili voce, proh dolor, explicare valemus. Turci enim immenſam ſuarum gentium multitudinem congregantes Chriſtianorum noſtrorum fines acriter inuadere cœperunt; contra quos nos noſtrarum gentium phalanges coadunantes, infra octauas beatorum apoſtolorum *Petri & Pauli* in eos congredi, & verſus Tyberiadem (quam violenter, caſtro ſolo relicto, ceperant) iter arripere præſumpſimus. Cum nos in ſcopulis peſſimis impuliſſent, nos ita acriter impugnauerunt (quod Sancta cruce & rege noſtro captis, & omni multitudine noſtra interfecta, & fratrum noſtrorum (vt in veritate credimus) eodem die ducentis, & tricenis decollatis (exceptis illis ſexagenis, qui prima die Maii interempti ſunt) vix Dominus Comes Tripolis, & dominus *Reginaldus* Sidonis, dominuſq; Ballouius, & nos, de illo miſerabili campo vix euadere potuimus. Deinde Pagani Chriſtianorum noſtrorum ſanguine debacchati, verſus ciuitatem Accon, cum omni ſua multitudine venire non diſtulerunt; quam violenter capientes, totam terram fere inuaſerunt; Ieruſalem, & Aſcalon, & Tiro, & Beriton: nobis, & Chriſtianitati ſolis adhuc relictis. Iſtas etiam ciuitates omnibus earum fere ciuibus interfectis, niſi diuinum, & veſtrum præſto ſit auxilium, nullo modo retinere poterimus. Ciuitatem etiam Tyrum in præſentiarum acriter obſidentes, violenter die, noctuq; expugnare non ceſſant, & tanta eſt eorum copia, quod totam terræ faciem à Tyro, vſq; ad Ieruſalem, & vſq; ad Gazam velut formicæ cooperuerunt. Nobis ergo, & Chriſtianitati orientis, ad præſens omnino deperditæ quantocius ſuccurrere dignemini, vt per Deum, & veſtræ fraternitatis eminentiam, reſiduas ciuitates veſtro fulti adminiculo ſaluare poſſimus. Valete. In eodem prælio quo captus fuit Rex *Guido* Ieruſalem, captus fuit *Rogerus* de Mulbrai, quem in anno ſequenti fratres Hoſpitalis & Templi redemerunt de manu Paganorum, qui paulo poſt obiit, & in eodem prælio *Hugo* de bello * campo interfectus eſt. Eodem anno Rex Angliæ dedit *Conſtantiam* comitiſſam Brittanniæ matrem *Arturi Rannulfo* Comiti Ceſtriæ in vxorem. Eodem anno *Baldewinus* Cantuarienſis Archiepiſcopus noua ædificia, & baſilicam conſtruxit prope muros ciuitatis Cantuariæ, & præbendas in ea aſſignauit de Eccleſiis Monachorum Cantuariæ: ſed iiſdem Monachis inde conquerentibus, *Vrbanus* papa prohibuit, ne fierent, & ſic in vanum laborauerunt, qui ædificabant ea. ſed idem Archiepiſcopus tranſtulit ea vſque Lamhe ex oppoſito de Weſtminſter vltra Tamiſiam. Eodem anno *Richardus* Comes Pictauiæ cepit crucem Ieroſolymitanæ peregrinationis.

* al. monte.

EPISTOLA PAPAE GREGORII octaui ad vniuerſos Chriſti fideles.

GRegorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, vniuerſis *Chriſti* fidelibus, ad quos literæ iſtæ peruenerint, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Audita tremendi ſeueritate iudicii, quod ſupra terram Ieruſalem diuina manus exercuit, tanto ſumus nos, & fratres noſtri horrore confuſi, tantiſq; afflicti doloribus, vt non facile nobis occurreret, quid agere, aut quid facere deberemus, niſi quod pſalmiſta deplorat, & dicit. *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam: coinquinauerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam, carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ, & eſcas volatilibus cæli &c.* Ex occaſione quippe diſſenſionis, quæ malitia hominum ex ſuggeſtione Diaboli facta eſt nuper in terra, acceſſit *Saladinus* cum multitudine armatorum ad partes illas, & occurrentibus eis rege & Epiſcopis, & Templariis, & Hoſpitalariis, baronibus, ac militibus cum populo terræ, & cruce dominica (per quam ex memoria, & fide paſſionis *Chriſti*, qui pependit, & genus humanum redemit, certum ſolebat eſſe tutamen, & contra Paganorum incurſus deſiderata defenſio) facta congreſſione inter eos, & ſuperata parte noſtrorum, capta eſt crux Dominica, trucidati Epiſcopi, captus eſt rex, & vniuerſi fere, aut occiſi gladio, aut hoſtilibus manibus deprehenſi, ita vt pauciſſimi per fugam dicantur elapſi. Ipſi quoque Templarii, & Hoſpitalarii in eius oculis decollati. Superato autem exercitu qualiter ſubſequenter inuaſerint, & rapuerint vniuerſa, ita vt non niſi pauca loca remanſiſſe dicantur, quæ non in eorum deuenerint poteſtatem, non credimus noſtris literis explicandum. Nos autem licet cum propheta dicere habeamus. *Quis det capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? & plorabo nocte, ac die interfectos populi mei:* non tamen adeo deiicere nos debemus, vt in diffidentiam decidamus, & credamus, Deum ita populo ſuo iratum, vt quod communium faciente multitudine peccatorum fieri permiſit iratus: non cito per miſericordiam pœnitentia placatus alleuiet, & poſt lachrymationem, & fletũ ex-

ultationem inducat. Quiſquis ſane in tanta lugendi materia, ſi non corpore, ſaltem corde non luget, non tantum fidei Chriſtianæ (quæ cum o...nibus dolentibus docet eſſe dolendum) ſed ipſius, & humanitatis noſtræ oblitus, cum ex ipſa periculi magnitudine, ac feritate Barbarica Chriſtianorum ſanguinem ſitiente, ac totam ſuam in hac apponente virtutem, vt prophanare ſancta, & titulum Dei valeant auferre de terra, quod nos tacemus diſcretus quiſq; valeat æſtimare. Sane cum prophetæ toto prius ſtudio laborauerunt, poſtmodum apoſtoli, & ſequaces eorum, vt diuinus cultus eſſet in terra illa, & ad omnia climata mundi ex ea defflueret, immo quod maximum, & ineffabile eſt, Deus (qui voluit incarnari, per quem facta ſunt vniuerſa per ineffabilem ſapientiam, & incomprehenſibilem miſericordiam ſuam, per infirmitatem carnis, eſuriem, ſitim, crucem, & mortem, & reſurrectionem ſalutem noſtram ibi voluit operari, iuxta quod dicitur: *Qui operatus eſt ſalutem in medio terræ per ſeipſum*) ad hoc dignatus eſt laborare, nec lingua dicere nec ſenſus cogitare poteſt, quantum nobis & vniuerſo dolendum ſit populo Chriſtiano, quod id nunc perpeſſa eſt terra illa, quod ſub veteri populo legitur pertuliſſe. Nos autem credere non debemus, quod ex iniuſtitia iudicis ferientis, ſed ex iniquitate potius populi delinquentis iſta peruenerunt, cum legamus quod quando populus conuertebatur ad Dominum: perſequebatur vnus mille, & duo fugabant decem millia. immo ipſo populo quieſcente exercitum *Sennacherib* angelica manu conſumptũ, ſed & terra illa deuorauit habitatores ſuos, & nec diu habere quietum ſtatum, nec transgreſſores legis diuinæ potuit retinere; doctrinam & exemplum tribuens illis, qui ad cœleſtem Ieruſalem intenderent: quod non poſſunt ad eam niſi per exercitum boni operis, & per tentationes plurimas peruenire. Potuerunt autem iſta timeri iam pridem quando Arroaſia, & alia terra in poteſtatem tranſiit Paganorum; & fuiſſet bene prouiſum, ſi populus, qui remanſit, ad pœnitentiam rediſſet, & Deum quem præuaricatione offenderat, conuerſione placaſſet. Nec enim ſubito venit ira eius; ſed vltionem differt, & tempus tribuit pœnitenti. Tandem vero, qui in miſericordia iudicium non amittit, vindictam ſuam ad pœnam transgredientium, & cautelam ſaluandorum exercet. Porro nos, qui in tanta terræ illius contritione, non ſolum peccatum habitatorum illius, ſed & noſtrum, & totius populi Chriſtiani, debemus attendere, ac vereri, ne quod reliquum eſt illius terræ depereat, & in alias etiam poteſtas eorum deſæuiat regiones: cum ex omnibus partibus inter reges, & principes, ciuitates, & ciuitates diſſenſiones audiamus, & ſcandala, & lugere cum propheta, & dicere valeamus: *non eſt veritas, non eſt ſcientia Dei in terra; mendacium, homicidium, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit*. Vnde hoc vniuerſis, & cogitandum imminet, & agendum, vt peccata noſtra caſtigatione voluntaria emendantes per pœnitentiam, & opera pietatis conuertamur ad Dominum Deum noſtrum, & in nobis primo quod male geſſimus, emendemus, deinde feritatem, & malitiam hoſtium attendamus, & quod ibi contra Deum tentare non timent; nos pro Deo agere nullatenus hæſitemus. Cogitate itaq; fili, qualiter in hunc mundum veniſtis, & qualiter exituri eſtis, & qualiter tranſeant vniuerſa, & pariter tranſeatis & vos; & pœnitendi, ac bene agendi tempus, quantum ſpectat ad vos, cum gratiarum actione recipite, & date veſtra, date poſt vos ipſos, quia nõ eſtis ex vobis, nec quicquam à vobis habetis, qui nec culicem vnum poteſtis facere ſuper terram. Nec dicimus dimittite, ſed præmittite in cœleſte horreum, quæ habetis, & deponite apud eum apud quem erugo ea non demolitur, aut tinea, nec fures effodiunt, & furantur, laborantes ad recuperationem terræ illius, in qua pro ſalute noſtra veritas de terra orta eſt, & ſuſtinere pro nobis crucis patibulum non deſpexit, & nolite ad lucrum, vel gloriam temporalẽ attendere, ſed voluntatem Dei, qui pro fratribus animas in ſeipſo docuit eſſe ponendas, & ei veſtras cõmendate diuitias quas ſiue volentes, ſiue nolentes neſcitis tandem quibus hæredibus ſitis relicturi. Non eſt equidem nouũ, q; terra illa iudicio diuino percutitur: ſed nec inſolitum, vt flagellata, & caſtigata miſericordiam cõſequatur. Poterit Dominus quidem ſola eam voluntate ſeruare: ſed nõ habemus ei dicere, cur ita fecerit? voluit enim forſitan experiri, & in notitiam ducere aliorum, ſi quis ſit intelligens, aut requirens Deum, qui oblatum ſibi pœnitentiæ tempus hilariter amplectatur, & animam ponendo pro fratribus conſummetur in breui, & cõpleat tempora multa. attendite qualiter *Machabei* zelo diuinæ legis accenſi pro fratribus liberandis extrema quæq; pericula ſunt experti, & non ſolum ſubſtantias, ſed & perſonas pro fratrum docuerint ſalute ponẽdas, & hortantes ſeipſos, atq; dicentes, accingimini, & eſtote filii potentes, quoniam melius eſt nobis mori in bello, quam videre mala gentis noſtræ, & ſanctorũ. Et quidem illi ſub vna conſtituti lege fuerunt, vos p incarnationẽ Domini noſtri *Ieſu Chriſti* ad lucẽ veritatis adducti, & multis exẽplis inſtructi ſanctorũ, ſine trepidatione aliqua faciatis, & nõ timeatis dare terrena, &

pauca

pauca,& breuiter duratura,quibus illa bona promiſſa ſunt & repoſita, quæ nec oculus vidit,nec auris audiuit,nec in cor hominis aſcenderunt,& de quibus dicit Apoſtolus, *quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Eis autem, qui corde contrito, & humiliato ſpiritu itineris huius laborem aſſumpſerint, & in pœnitentia peccatorum,& fide recta deceſſerint, plenam ſuorum criminum indulgentiam,& vitam pollicemur æternam. Siue autem ſuperuixerint, ſiue mortui fuerint,de omnibus peccatis ſuis, de quibus rectam confeſſionem fecerint,impoſitæ ſatisfactionis relaxationem de omnipotentis Dei miſericordia,& Apoſtolorum *Petri & Pauli* auctoritate, & noſtra,ſe nouerint habituros. Bona quoq; ipſorum, ex quo crucem acceperint, cũ ſuis familiis,ſub Sanctæ Romanæ Eccleſiæ,nec non & Archiepiſcoporum & Epiſcoporum & aliorum prælatorum Eccleſiæ Dei protectione conſiſtant,& nullam de his, quæ in ſuſceptione crucis quiete poſſederunt, donec de ipſorum reditu, vel obitu certiſſime cognoſcatur,ſuſtineant quæſtionem,ſed bona eorum integra interim maneant, & quieta; ad dandas quoq; vſuras,ſi tenentur alicui,non cogantur,nec eant in veſtibus precioſis, & cũ canibus,ſiue auibus,aut aliis,quę oſtentationi potius,& laſciuię quam neceſſariis videantur vſibus deſeruire; ſed in modeſto apparatu,& habitu,in quo pœnitentiam potius agere,quam inanem affectare gloriam videantur. Datum Ferrariæ 4. Calend. Neuembris indictione ſexta.

EPISTOLA GREGORII PAPAE *ad vniuerſos Chriſti fideles pro eodem negotio.*

GRegorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, vniuerſis *Chriſti* fidelibus, ad quos literæ iſtæ peruenerint: ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Nunquam melius superni iudicis ira pacatur, quam cum ex mandato ipſius,carnalia in nobis deſideria extinguũtur. Proinde quia Ieroſolymitanæ terræ diſcrimen, quod irruentibus Saracenis nuper euenit,ex peccato maxime habitatorum terræ, & totius populi Chriſtiani accidiſſe non dubitamus;nos de fratrum noſtrorum communi conſilio, multis Epiſcopis approbantibus, ſtatuimus, vt omnes vſq; ad quinquennium, ſaltem per omnes ſextas ferias in cibo quadrageſimali ieiunent;& Miſſa vbi cantanda fuerit:ad nonam cantetur,quod *ab aduentu Domini* vſque ad natale Domini ſtatuimus obſeruandum: feria vero quarta & Sabbato omnes indifferenter,qui bene valent à carnibus abſtineant. Nos autem & fratres noſtri in ſecunda quoq; feria nobis,& familiis noſtris eſum carnis interdicimus,niſi forte aut infirmitas aut magna ſolemnitas,vel alia euidens cauſa viſa fuerit impedire:ſperantes,q; ſic nobis ignoſcet Domin⁹,& relinquet poſt ſe benedictionẽ. Hoc igitur adeo ſtatuimus obſeruandum:vt quicunq; tranſgreſſor extiterit, quaſi præuaricator quadrageſimalis ieiunii habeatur. Datum Ferrariæ 4. Cal. Nouemb. Audientes igitur principes terræ mandata,& admonitiones ſummi pontificis, viribus totis anhelabant ad liberationem terræ Ieroſolymitanæ;vnde factum eſt,quod *Fredericus* Romanorum Imperator,& Archiepiſcopi,& Epiſcopi,& duces,& Comites,& barones imperii ſignum crucis ſuſceperunt. ſimiliter exẽplo illorum,quam plures principes de vniuerſis Chriſtianorum nationibus præparauerunt ſe ad ſubuentionem terræ Ieroſolymitanæ. Erat quidam clericus dictus magiſter *Berterus* Aurelianenſis: qui ad crucem accipiendam multorum animos excitauit dicens,

Iuxta threnos Ieremiæ.
Vere Syon lugent viæ,
Quod ſolemni non ſit die
Qui ſepulchrum viſitet,
Vel caſum reſuſcitet
Huius prophetiæ.
Contra quod propheta ſcribit,
Quod de Syon lex exibit:
Nunquam ibi lex peribit,
Nec habebit vindicem:
Vbi Chriſtus *calicem*
Paſſionis bibit.
Lignum crucis,
Signum ducis,
Sequitur exercitus.
Quod non ceſsit,
Sed præceſsit,
In vi Sancti ſpiritus.
Ad portandum onus Tyri
Nunc deberent fortes viri,
Suas vires experiri,
Qui certant quotidie,
Laudibus militiæ,
Gratis inſigniri.
Sed ad pugnam congreſſuris
Eſt Athletis opus duris,
Non mollitis Epicuris.
Non enim, qui pluribus
Cutem curant ſumptibus,
Emunt Deum precibus.
Lignum Crucis. &c. vt ſupra.
Noui rurſum Philiſtei,

Capta cruce crucis rei,
Receperunt archam Dei;
Archam noui fœderis,
Rem figuræ veteris,
Poſt figuram rei.
Sed cum conſtat, quod ſint iſti
Præcurſores Antichriſti,
Quibus Chriſtus *vult reſiſti.*
Quid, qui non reſtiterit:
Reſpondere poterit in aduentu Chriſti?
Lignum crucis. &c.
Crucis ſpretor crucem premit,
Ex qua fides preſſa gemit.
In vindictam, quis non fremit.
Quanti fidem æſtimat,
Tanti crucem redimat,
Si quem crux redemit.
Quibus minus eſt argenti,
Si fideles ſint inuenti,
Pura fide ſint contenti.
Satis eſt dominicum
Corpus ad viaticum,
Crucem defendenti.
Lignum crucis. &c.
Chriſtus *tradens ſe tortori*
Mutuauit peccatori,
Si peccator non vis mori
Propter pro te mortuum:
Male ſoluis mutuum,
Tuo creatori.
Sane poteſt indignari,
Cui declinas inclinari,
Dum in crucis torculari
Pro te factus hoſtia,
Tibi tendit brachia,
Nec vis amplexari.
Lignum crucis ſignū ducis &c.
Cum attendas, ad quid tendo,
Crucem tollas, & vouendo
Dicas illi me commendo,
Qui corpus, & animam
Expendit in victimam,
Pro me moriendo.
Lignum crucis, &c.

EPISTOLA EIVSDEM PAPAE
ad Eccleſiarum prælatos.

GRegorius *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, omnibus prælatis Eccleſiarum, ad quos literæ iſtæ peruenerint, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quoniam ad Epiſcoporum maxime ſpectat officium afflictis, & laborantibus ſubuenire, vnumq; illorum, licet deficientibus meritis noſtris, Deus eſſe nos voluit: proſpicere tenemur, & volumus, ne quis ex fortuitis caſibus per Romanæ viſitationem Eccleſiæ, laboris ſui, quem ad eam veniendo ſuſtinuit, debito fruſtraretur effectu. Inde ſi quidem fuit, quod nos multorum proſpicere volentes expenſis, & alleuare labores, de conſueta ſedis apoſtolicæ miſericordia duximus ſtatuendum, vt literæ prædeceſſoris noſtri domini* Vrbani *à tribus menſibus ante ipſius obitum deſtinatæ pro facienda iuſtitia, & litigiis dirimendis, quæ tamen manifeſtum alicuius præiudicium non contineant, aut calumniam æquitatis; eundem habeant tempore noſtræ adminiſtrationis effectum, quem habere, ſi adhuc viueret, debuiſſent. Ceſſante igitur exceptione de mandatoris morte, perficite, quod mandauit agendum, & nemo ad nos pro excuſatione huiuſmodi, accepta per illum iuſtitiam obtinendi fiducia, cogatur vacuus laborare. Datum Ferrariæ, ſexto Calendarum Nouembris.* Eodem anno obiit papa *Gregorius* octauus menſe Decembris, qui vix per duos menſes papatum tenuit, & ſepultus eſt apud Piſe; cui ſucceſſit *Paulinus* Præneſtinus Epiſcopus, & vocatus eſt *Clemens* papa tertius. Eodem anno combuſta eſt fere tota ciuitas Ciceſtriæ cum Eccleſia ſedis pontificalis, & domibus Epiſcopi, & canonicorum. Eodem anno *Saladinus* obſedit Ieroſolymã, & obtulit Ieroſolymitanis treugas vſq; ad medium menſis Maii, ſi permiſerint eum ponere vexillum ſuum infra turrim *Dauid*, & eſſe ibi per octo dies. quo facto multi Chriſtianorum, qui prius acriter reſiſtebant Sarracenis, caſtella & caſella ſua tradiderunt *Saladino*. Eodem anno obiit *Gilbertus* Lundonienſis Epiſcopus. Eodem anno *Iacinctus* Cardinalis, tunc temporis totius Hiſpaniæ legatus multos degradauit abbates, meritis ſuis vel propria temeritate. Cumq; vellet degradare Epiſcopũ Colimbriæ *Aldefonſus* rex Portugalenſis non permiſit epiſcopũ illum degradari. Sed incontinenti mandauit ſupradicto Cardinali, vt à terra ſua decederet, vel pedem ſuum amputaret. Quo audito, legatus ille ſtatim receſſit Romam iturus, & Epiſcopus Colimbriæ remanſit in ſede ſua cum pace. Eſt autem ſciendum, quod prædictus rex *Aldefonſus* Portugalenſis occupauit ſuper Paganos vi & virtute potenti, ſex ciuitates, videlicet Vlixis bonam, Colimbriã, Ferenſem ciuitatem, & caſtellum optimũ, quod dicitur ſancta Herenã; & alia multa caſtella. Cumq; obſediſſet ciuitatẽ Siluiæ, & eam vſq; ad turres ciuitatis obtinuiſſet; Pagani, qui in turribus erant, compoſuerunt cum illo, ita quod ſi ipſi infra ſex dies ſequentes ſuccurſum nõ haberent, traderent illi omnes turres illas: interim tertia die, data licentia exercitui ſuo vagandi ꝑ prouinciam, cũ ipſe dormiret in tentorio ſuo tanquam ſecurus, ſuperuenit rex Ferrandus de *S. Iacobo* cum exercitu magno ex vna parte (qui etiam

filiam

filiam eiuſdem Regis Portugalenſis ſibi in vxorem duxerat) & Saraceni ex alia parte, in quorum aduentu prædictus Rex Portugalenſis à ſomno expergefactus aufugit in equo veloci, & cum exiret per portam ciuitatis, fractum eſt crus eius in vecte portæ, & cum inde per inimicos ſuos tranſiret inſequentes eum per 25. milliaria nec tamen eum capientes, ipſe & equus ſuus ceciderunt in puteum altum: quod videntes paſtores extraxerunt eum & tradiderunt eum Regi Ferrando de ſancto *Iacobo*, qui dedit ei de redemptione 25. oppida, quæ ipſe ſuper eum adquiſierat. & 15. ſummarios oneratos auro. & 20. dextrarios, & aliis Regi aſſiſtentibus, vt citius liberatur, dedit multa.

Anno gratiæ milleſimo centeſimo octogeſimo octauo, qui erat annus triceſimus quartus, regni Regis *Henrici*, filii *Matildis* Imperatricis, idem Rex fuit in Normannia apud Cadomum die natalis Domini, & inde recedens venit ad Barbefluctum, inde tranſfretaturus in Angliam. Quo audito *Philippus* Rex Franciæ magnum congregauit exercitum, iactans impudenter ſe vaſtaturum Normanniam, & cæteras terras Regis Angliæ tranſmarinas: niſi ipſe reddiderit ei Giſortium, cum pertinentiis ſuis: vel ſi non fecerit *Richardum* Comitem Pictauiæ filium ſuum accipere ſibi in coniugem *Aleſiam* ſororem ſuam. Quod cum Regi Anglię conſtaret, reuerſus eſt in Normanniam, & accepto colloquio inter ipſum, & Regem Franciæ, inter Giſortium, & Trie duodecimo Calend. Februarii die S. *Agnetis* virginis, & martyris conuenerunt illuc cū Archiepiſcopis, & Epiſcopis & Comitibus, & baronibus regnorum ſuorū. Cui colloquio interfuit Archiepiſcopus Tyri, qui repletus ſpiritu ſapientiæ, & intellectus miro modo prædicauit verbum Domini coram regibus, & principibus, & conuertit corda eorum ad crucem capiendam, & qui prius hoſtes erant, illo prædicante, & Deo cooperante, facti ſunt amici in illa die, & de manu eius crucem receperunt, & in eadem hora apparuit ſupra eos ſignum crucis in cœlo. Quo viſo miraculo plures cateruatim ruebant ad ſuſceptionem crucis. Prædicti vero Reges in ſuſceptione crucis ad cognoſcendam gentem ſuam ſignum euidens ſibi, & ſuis prouiderunt. Rex namq; Franciæ, & gens ſua ſuſceperunt cruces rubeas. & Rex Angliæ cum gente ſua ſuſcepit cruces albas: & *Philippus* Comes Flandriæ cum gente ſua ſuſcepit cruces virides: & ſic vnuſquiſq; ad prouidendum ſibi, & itineri ſuo neceſſaria, reuerſus eſt in regionem ſuam. *Henricus* igitur rex Anglię poſt crucis ſuſceptionem, venit Cenomanum, vbi conſilio ſuorum ordinauit, quod vnuſquiſq; decimam reddituum, & mobilium ſuorū in eleemoſynam dabit ad ſubuentionem terræ Ieroſolymitanæ hoc anno; exceptis armis, & equis, & veſtibus militū, & exceptis, equis, & libris, & veſtibus, & veſtimentis, & omnimoda capella clericorum, & lapidibus precioſis tam clericorum quam laicorum: facta prius excommunicatione ab Archiepiſcopis, epiſcopis, Archipresbyteris ſingulis in ſingulis parochiis ſuper vnūquemq;, qui decimam p̄taxatam legitime nō dederit ſub pręſentia, & conſcientia illorum, qui debent intereſſe. Colligatur autem pecunia iſta in ſingulis parochiis præſente presbytero parochiæ & Archipresbytero, & vno Templario, & vno Hoſpitalario, & ſeruiente Domini Regis & clerico Regis & ſeruiente baronis, & clerico eius, & clerico Epiſcopi; & ſi aliquis iuxta conſcientiam illorum minus dederit, quam debuerit, eligentur de parochia quatuor, vel ſex viri legitimi, qui iurati dicant quātitatem illam, quam ille debuiſſet dixiſſe, & tunc oportebit illam ſuperaddere quod minus dedit. clerici autem, & milites, qui crucem acceperint, nihil de decima iſta dabunt, ſed de proprio ſuo dominico. & quicquid homines eorum debuerint ad opus illorum, colligetur per ſupradictos, & eis totum reddetur. Epiſcopi autem per literas ſuas in ſingulis parochiis Epiſcopatuum ſuorum, facient nunciari in die natalis, & Sancti *Stephani*, & Sancti *Iohannis*, vt vnuſquiſq; decimam prætaxatam infra Purificationem beatæ virginis *Mariæ*, penes ſe colligat, & ſequenti die deinceps illis pręſentibus qui dicti ſunt ad locum, quo vocatus fuerit, vnuſquiſq;, legitime perſoluat. Præterea ſtatutum eſt à domino papa, quod quicunq; clericus vel laicus crucem ſuſceperit, ab omnibus peccatis, de quibus pœnituerit, & confeſſus fuerit auctoritate Dei, & beatorum Apoſtolorum *Petri & Pauli* liberatus eſt, & abſolutus. Diſpoſitum eſt autem à regibus, & Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & aliis principibus terræ, quod omnes illi tam clerici, quam laici, qui hoc iter non arripient, decimas reddituum, & mobilium ſuorum huius anni, & omnium catallorum ſuorum, tā in auro, quam in argento, & omnibus aliis dabunt, exceptis veſtibus, & libris, & veſtimentis clericorum, capellanorum, & lapidibus pretioſis tam clericorum, quam laicorum; & exceptis equis, & armis, & veſtibus militum ad vſum proprii corporis pertinentibus. Diſpoſitū eſt etiam, quod omnes clerici, milites, & ſeruientes, qui hoc iter arripient, decimas terrarum ſuarum & hominum ſuorum habebunt, & nihil pro ſe dabunt. Burgenſes vero & ruſtici, qui ſine licentia dominorum ſuorum crucem acceperint, nihilominus decimas

dabunt. Diſpoſitum eſt etiam, quod nullus enormiter iuret, & quod nullus ludat ad aleas, vel ad decios, & quod nullus poſt proximum paſcha vtatur Vario, vel Griſio, vel ſabellina, vel eſcarleta, & quod omnes contenti ſint duobus ferculis exemptis; & quod nullus aliquam mulierem ſecum ducat in peregrinatione, niſi forte aliquam lotricem peditem, de qua nulla habeatur ſuſpicio; & quod nullus habeat pannos deciſos, vel laceratos. Diſpoſitum eſt etiam, quod quicunq; clericus, vel laicus redditus ſuos ante ſuſceptionem crucis inuadiauerit, exitus huius anni integre habeat, & tranſito anno creditor redditus rehabeat, ita quod fructus, quos inde receperit, in ſolutione debiti computentur, & debitum poſt ſuſceptionem crucis, quamdiu debitor erit in peregrinatione, non vſuret. Statutum eſt etiam quod omnes clerici & laici, qui in hac peregrinatione proficiſcentur, poſſunt licite inuadiare redditus ſuos, ſiue Eccleſiaſticos, ſiue laicos, ſiue alios, à Paſcha cum iter arripuerint, vſq; ad tres annos, ita quod creditores, quicquid de creditoribus contingat, fructus omnes redditũum, quos in vadio habebunt, a prædicto Paſcha vſq; ad tres annos integre percipiant. Diſpoſitum eſt etiam, quod quicunq; in peregrinatione deceſſerit pecuniam ſuam, quam ſecum in peregrinatione attulerit ad ſuſtentationem ſeruientium ſuorum, & ad auxilium terræ Ieroſolymitanæ, & ad ſuſtentationem pauperum diuidet iuxta conſilium diſcretorũ virorum, qui ad hoc conſtituentur. Hæc omnia ſupradicta ſtatuta ſunt & diſpoſita ab *Henrico* rege Angliæ in præſentia *Richardi* filii eius Comitis Pictauiæ, & *Willielmi* Turonenſis Archiepiſcopi, & *Baldewini* Cantuariæ Archiepiſcopi, & *Walteri* Rothomagenſis Archiepiſcopi, & in præſentia *Iohannis* Ebroicenſis Epiſcopi, & *Radulfi*, Andegauenſis epiſcopi, & *R.* Cenomanenſis epiſcopi, & *M.* Nannetenſis Epiſcopi, & in præſentia *Hugonis* de Nunant Ceſtrenſis electi, & *Liſardi* Sagienſis electi, & in præſentia baronum Andegauiæ & Cenomaniæ, & Turonorum apud Cenomannum. His igitur præordinatis Rex Angliæ conſtituit ſeruientes ſuos clericos, & laicos ad prædictas decimas colligendas per omnes terras ſuas tranſmarinas: & poſtea transfretauit, & applicuit in Anglia apud Winchiselſe ſabbato, tertio Calendarum Februarii. Interim *Baldewinus* Cantuarienſis Archiepiſcopus in Angliam veniens ante regem conſecrauit *Hugonem* de Nunant in Epiſcopum Couentrenſem. Dominus vero rex ſtatim poſtquam in Angliã applicuit magnum congregauit concilium epiſcoporum, abbatum, Comitum, & baronũ, & aliorum multorum tam clericorum, quam laicorũ, apud Gaitington: vbi in publica audientia recitari fecit omnia ſupradicta capitula, quæ conſtituerat de cruce capienda. Quibus recitatis *Baldewinus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, & *Gilbertus* Roſenſis Epiſcopus vicarius eius, mirifice prædicauerunt illo die coram rege, & principibus ſuis, verbum Domini, & ſalutiferæ crucis myſterium. ad quorum prædicationem multi tam clerici, quam laici crucem receperunt. Et tunc Dominus rex miſit ſeruientes ſuos clericos, & laicos per ſingulos Comitatus Angliæ ad decimas colligendas ſecundum prædictam præordinationem in terris ſuis tranſmarinis conſtitutam, ſed de ſingulis vrbibus totius Angliæ fecit eligi omnes ditiores, videlicet de Londonia. 200. & de Eboraco. 100. & de aliis vrbibus ſecundum quantitatem, & numerum eorum, & fecit omnes ſibi præſentari diebus & locis ſtatutis. de quibus cepit decimam mobilium ſuorum ſecundum æſtimationem virorum fidelium, qui nouerant redditus, & mobilia eorum: ſi quos autem inueniſſet rebelles, ſtatim fecit eos incarcerari, & in vinculis teneri, donec vltimum quadrantem perſoluerent. ſimiliter fecit de Iudęis terrę ſuę. vnde ineſtimabilem ſibi adquiſiuit pecuniam. Deinde miſit *Hugonem* Dunelmenſem epiſcopum, & alios clericos, & laicos ad *Willielmum* regem Scottorum pro decimis colligendis in terra ſua: quo audito, rex Scotiæ occurrit eis inter Were & Brigeham in Loenas; & non permittens eos terram ſuam pro decimis colligendis intrare, obtulit ſe daturum domino ſuo regi Angliæ quinq; millia marcarum argenti pro ſupradictis decimis & pro caſtellis ſuis rehabendis, ſed rex Angliæ facere noluit. *Philippus* autem rex Francorum ſimili modo colligi fecit decimas redditũum, & mobilium hominum ſuorum per omnes terras ſuas. Eodem anno *Richardus* Comes Pictauiæ, & *Raimundus* Comes de Sancto *Egidio*, & *Aimarus* Comes de Engolierino, & *Gaufridus* de Rancune, & *Gaufridus* de Leziuant, & fere omnes ditiores Pictauiæ gwerram fecerunt, omnes contra prædictum *Richardum*, & ipſe contra omnes: ſed ipſe omnes expugnauit. & inter alios, quos de terra Comitis de Sancto *Egidio* ceperat, cepit *Petrum Seillun*, per cuius conſilium præfatus Comes de Sancto *Egidio* mercatores quoſdam de terra Comitis Pictauiæ ceperat, & mala multa ſibi, & terræ ſuę fecerat. Hunc igitur *Petrum* Comes *Richardus* in arctiori loco, & duriori cuſtodia poſuit, quem cum Comes de Sancto *Egidio* nullatenus redimere poſſet, poſuit exploratores per ciuitates, & caſtella ſua, ad comprehendendum, ſi quos inuenirent de familia regis Angliæ, vel de familia *Richardi* Comitis filii

filii ſui;& factum eſt poſt paucos dies,quod *Robertus Poer*,& *Radulfus* frater,duo milites de domo,& familia regis Angliæ tranſitum facerent per terram Comitis ſancti *Egidij*,redeũtes de ſancto *Iacobo*, quem cauſa peregrinationis viſitauerant, in quos homines Comitis de ſancto *Egidio* manus iniecerunt, & vinctos tradiderunt Comiti: quibus Comes dixit, niſi *Richardus* Comes Pictauiæ tradiderit mihi *Petrum* ſeruientem meum liberum,non euadetis manus meas.Quo audito,Comes *Richardus* reſpõdit, quod propter liberationem illorum nec preces nec precium daret,quia ſola peregrinationis reuerentia ſufficiebat ad liberandum eos. Præcepit ergo rex Franciæ illos dimitti non propter amorem,vel reuerentiam regis Angliæ,vel *Richardi* filii ſui:ſed propter beati *Iacobi* Apoſtoli reuerentiam,& dilectionem. Comes igitur de ſancto *Egidio* dimiſit eos non propter præceptum regis Franciæ, ſed propter redemptionem magnam, quam de eis cepit. Comes autem *Richardus* cum magno exercitu intrauit terram Comitis de ſancto *Egidio*,& deuaſtauit eam igne & gladio,& caſtella illius prope Toloſam obſedit,& cepit. Audiens igitur rex Francorum gemitus populi Toloſani,miſit nuntios ſuos in Angliam ad regem Angliæ,inquirens ſi damna, quæ *Richardus* filius eius ei,& terræ ſuæ faciebat, per eum faceret, & petiit ab eo ſibi fieri inde reſtitutionem:Quibus rex Angliæ reſpondit,quod *Richardus* filius eius nihil inde fecerat per conſilium,& voluntatem ipſius; & quod idem *Richardus* mandauit ei per *Iohannem* Dublinenſem Archiepiſcopum,quod ipſe in hac parte nihil fecerat,niſi per cõſilium regis Franciæ.Eodem anno Patriarcha ciuitatis Antiochenæ in hac forma ſcripſit *Henrico* regi Angliæ.

EPISTOLA PATRIARCHAE ANTIOCHIAE, ad Henricum regem Angliæ.

A. Dei gratia ſanctæ, & Apoſtolicæ ſedis Antiochiæ patriarcha *Henrico* per eandem gratiam Anglorum illuſtriſſimo regi, dilecto domino, & amico, in illo regnare per quem reges regnant. Condignum, & inæſtimabilem dolorem noſtrum pro inſperato,& terribili,quod nobis immo totæ Chriſtianitati nuper accidit,infortunio,cum lachrymis, & ſingultibus excellentiæ veſtræ per hæc præſentia denuntiamus. Audiat vobiſcum omne ſeculum dolorem noſtrum,vt ſciat vnde veniat, aut quo tendat noſter luctus, & noſtra lamentatio. Quarto die menſis Iulii,anno incarnati verbi milleſimo centeſimo octogeſimo ſeptimo, *Saladinus* collecta hoſtium peregrina multitudine prælium cõmiſit cum his,qui erant in terra Ieruſalem Chriſtianis,& fuſis eorum copiis,de ipſis pro velle ſuo triũphauit viuifica cruce ludibrio Turcorum expoſita: capto rege,& magiſtro templi, *Raimundo* quoque principe propriis manibus nefandi *Saladini* interfecto: & Epiſcopis cum templariis,& hoſpitalariis,& cum omni fere multitudine 1200, & peditum triginta millia in tuitione ſanctæ crucis gladiis iugulatis; excepta multitudine copioſa, quæ poſtea in vrbib⁹, quas cepit,eſt interempta,vel captiuata. Satiatus deniq; ſanguine Chriſtianorum, Tyberiadem cepit,& muniuit: deinde ciuitatem nobilem Accaron,Cayphas,Cæſaream, Ioppen, Nazareth, Sebaſten, Neapolim, Lydden, Ramatham, Arſur, Ebron, Bethleem, & tunc demum ſanctam ciuitatem Ieruſalem,& ſepulchrum domini obſedit: iurans quod ipſum fruſtatim comminuet, & eius minutias in profundum maris proiiciet. pro reſiduis formidoloſa nos detinet hæſitatio ignorantes diem & horam, in qua ſubiiciantur ditioni eius,& habitatores earum vel captiuentur, vel occidantur, maxime cum victualibus, & equitaturis,& armis bellicis,& defenſoribus conſtet eſſe ſpoliatos. pro hac tanta ira & indignatione Dei in nos effuſa deſuper, panem noſtrum cum lachrymis manducamus, & turbamur terrore horribili,ne ſepulchrũ dominicũ exteris tradatur nationibus,ne pauci, qui remanſimus in terra Chriſtiana, ſi tardauerit ſuccurſus, vrgentibus inimicis, noſtras ceruices gladiis ferientium ſupponamus. Et quidem prudentia,& opinione,& diuitiis cęteris regibus occidentalibus præeminetis: cuius auxiliũ ſemper expectauimus: precamur vt terræ ſanctæ potenti feſtinanter ſuccurratis auxilio. Et ſi tardaueritis, ſepulchrum Dominicum cum Antiochia nobili ciuitate,& terra ſibi adiacente in opprobrium ſempiternum exteris ſubiacebit nationibus. Mementote laudis,& nominis veſtri, vt Deus, qui vos ſubleuauit in regnum, per vos exaltetur, & ſi huic tam digno operi volueritis manum apponere, vt veniatis, vel optatum nobis mittatis ſuccurſum, totius terræ ſanctæ liberatio vobis poſt Deum imputabitur, & nos ipſi in quantum poſſumus lugentes, & rea pectora noſtra percutientes ad Deum clamamus, vt ipſe donet vobis,& velle,& poſſe id ipſum ſic perficiẽdi ad laudẽ,& gloriã ſui nominis; quatenus in hoc mortis articulo terræ ſanctæ, & nobis clementer ſuccurratis. Alioquin nobis, q̃ variis ſubiacẽtes periculis diutino lãguori

[margin: al. ſublimauit]

ſuccumbimus, iam neceſſe erit expirare, & fuſo ſanguine Chriſtianorum Dominicum ſepulchrum, & Antiochiam nobilem ciuitatem cum terra ſibi adiacenti in opprobrium ſempiternum exteris nationibus ſubiacere. Rogamus præterea, vt dilectos fratres noſtros Gabilonenſem, & Valenienſem Epiſcopos, quos pro hoc ipſo ad vos mandauimus, commendatos habeatis. Valete.

EPISTOLA HENRICI REGIS ANGLIAE AD PAtriarchas *Antiochiæ eiuſdemque principem* Raimundum.

VEnerabilibus in *Chriſto* patribus, & amicis *A.* & *E.* Antiochiæ, & Ieruſalem Patriarchis. & *R.* principi Antiochiæ, & vniuerſo populo Chriſtiano Orientalis Eccleſiæ *Henricus*, eadem gratia rex Angliæ, & dux Normanniæ, & Aquitaniæ, & Comes Andegauiæ, ſalutem & conſolationem in *Chriſto*. Quoniam peccatis noſtris exigentibus, viſitauit Dominus temporibus noſtris in virga furoris ſui iniquitates noſtras, & terram proprio redemptam ſanguine, diuino permiſit iudicio manibus pollui perfidorum: ideo dignum eſt vt nos, & cuncti, qui Chriſtianæ religionis ſunt, & eiuſdem nominis profeſſores ad deſolationem prætatæ terræ ſtudio pietatis conuertamur, & auxilium, ac conſilium ſtudeamus totis viribus impertiri. Cum igitur veniſſet ad nos A. Dei gratia venerabilis Valenienſis Epiſcopus, & dolores & calamitates, quibus Orientalis Eccleſia premitur, profuſis lachrymis, & profundis ſuſpiriis indicaſſet: quanto grauiora videmus inſtare pericula, tanto fortius, ac celerius ad maturũ ſubſidium compaſſio nos accingit. Habentes itaque, in eo ſpem & fiduciam, qui in ſe ſperantes nullatenus derelinquit, viriliter agite, & confortetur in Domino cor veſtrum, quoniam illud credimus *Iſaiæ* vaticinium iam completum. *Ieruſalem leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati venerunt tibi. Tunc videbis & afflues: & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.* Nunc autem Dominus, qui reſpicit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum ſic Chriſtianorum hactenus ſopitos ad ſeruitium ſuum excitauit affectus, vt vnuſquiſque qui domini eſt, gladium iam poſuerit ſuper femur ſuum; & beatum ſe quiſque reputat, & fidelem, qui patrem & matrem, & omnia relinquit, vt poſſit *Chriſto*, & terræ ſanctæ illatas iniurias vindicare. Conſtantes igitur eſtote, & in promptu videbitis auxilium Domini vobis præparatum. citius enim, quam credatis tanta vobis per terram, & mare in auxilium fidelis populi ſuperueniet multitudo, quantam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit; quam quidem Dominus ad terrę veſtræ ſubſidium præparauit. Inter cæteros aũt principes ego, & filius me⁹, reiecta huius mundi gloria, & ſpretis voluptatibus vniuerſis, omnibuſque quæ mundi ſunt poſtpoſitis, in propriis perſonis totis viribus vos cito, auctore Domino, viſitabimus. Valete. Eodem anno *Philippus* rex Franciæ magno congregato exercitu intrauit Berriam, & cepit caſtellum *Raduiſi*, quod Burgenſes reddiderunt ei, & inde procedenti reddita eſt ei fere tota Berria, exceptis Luches, & cæteris dominicis caſtellis regis Angliæ. *Buchardus* vero de Vendemio reddidit ſe, & terram, & caſtella ſua regi Franciæ, & adhæſit ei. Inquirenti igitur regi Angliæ cur hæc ſibi fierent, nuntiatum eſt ei, quod rex Francorum hæc faciebat in vindictam iniuriarum, quas *Richardus* Comes Pictauienſis ſibi, & Comiti de ſancto *Egidio* fecerat. Habito igitur fidelium ſuorum conſilio, rex Angliæ miſit *Baldewinum* Cantuarienſem Archiepiſcopum, & *Hugonem* Lincolnienſem Epiſcopum ad regem Franciæ: vt ſaltem iram & indignationem, quas in animo aduerſus eum conceperat, verbis, & exhortationibus mitigarent. Quod cum fieri non poſſet, rex Angliæ transfretauit de Anglia in Normanniam, & applicuit apud Barbeflet, quinto Idus Iulii: & inde veniens ad Alenzun congregauit exercitum magnum de Normannia, & cæteris terris ſuis. Multi autem Walenſes conducti ſecuti ſunt eum in Normanniam. Interim *Richardus* Comes Pictauenſis, magno congregato exercitu, profectus eſt in Berriã: cuius aduentu audito, *Philippus* rex Francorum tradidit *Willielmo* de Barres caſtrum *Radulfi* cuſtodiendum; & ipſe reuerſus eſt in Franciam. Comes vero *Richardus* terras Comitum, & Baronum, qui adhæſerant regi Franciæ, deſtruxit, & multos illorum cepit. Rex autem Franciæ propter aduentum regis Angliæ à Francia recedere non erat auſus, ſed permiſit exercitus ſuos deuaſtare terras regis Angliæ. *Philippus* vero Beluacenſis Epiſcopus intrauit Normanniam cum exercitu ſuo, & combuſſit villam Blangi Comitis de Auco, & Albemarliam caſtellum Comitis *Willielmi* de Mandeuille, & prouinciam circumiacentem deprædauit. Et ipſe rex Franciæ combuſſit villam de Trou, & caſtellum totum, nec ta-

nec tamen illud capere potuit;ſed quadraginta de militibus regis Angliæ cepit. Et contra *Richardus* Comes Pictauenſis cepit munitiſſimum locum, qui vocatur les Roches vltra Trou verſus Vindocinum,& cepit in illo loco viginti quinque milites, & ſexaginta ſeruientes. *Henricus* autem rex Angliæ miſit *Walterum* Rothomagenſem Archiepiſcopum, & *Iohannem* Ebroicenſem Epiſcopum, & *Willielmum* Mareſcallum ad regem Franciæ petens ab eo ſibi fieri reſtitutionem damni,quod ipſe, & ſui ei fecerãt & niſi ablata reſtituerit,defidauit eum. Quibus rex Franciæ reſpondit, quod ipſe à cœptis non deſiſteret,donec tota Berria,& totum vogeſin Normannicum ſibi,& regno ſuo ſubiicerentur. Nacta igitur occaſione ex iniuriis ſibi à rege Franciæ illatis *Henricus* rex Angliæ, magno congregato exercitu, ingreſſus eſt terram regis Franciæ, die Martis poſt decollationem ſancti *Iohannis Baptiſtæ*,& villas combuſſit multas & equitauit die illo prope *Mant, vbi rex Frãciæ dicebatur eſſe. & ibi congreſſi ſunt *Willielmus* des Barres,& Orogo de Merlou cum paucis militibus Franciæ,cum *Richardo* Comite Pictauenſi,& Comite *Willielmo* de Mandeuile,& quibuſdam aliis de familia regis Angliæ: ita quod *Willielmus* des Barres à Comite *Richardo* captus, & per fidem poſitus fuit, ſed dum milites regis Angliæ cæteris intenderent, prædictus *Willielmus* des Barres ſuper vnum runcinum pueri ſui euaſit. Die *Mercurij* ſequenti rex Angliæ moram fecit apud Eueri. & Comes *Richardus* profectus eſt in Berriam, promittens regi patri ſuo, quod bene, & fideliter ei ſeruiret. Die autem *Iouis* in feſto ſancti *Egidij* Walenſes regis Angliæ ingreſſi ſunt terram regis Franciæ,& combuſſerunt Daneuile caſtellum *Symonis Daneth*,& multas villas,& prædas adduxerunt, & homines interfecerunt. Eodem die Comes *Willielmus* de Mandeuile combuſſit villam de ſancto *Claro*, quæ eſt de dominio regis Franciæ, & vaſtauit virgultum pulcherrimum, quem ipſe rex plantauerat. Eodem die cum rex Angliæ cum paucis militibus intraſſet terram regis Franciæ, vt infirmiora partium illarum exploraret, venerunt ad eum nuntii regis Franciæ,qui pacem rogarent,& offerebant ei terram,quam occupauerat ſuper eum in Berri. Deinde habito inter illos colloquio apud Giſortium, cum inter illos de pace facienda non potuiſſet conuenire:rex Franciæ in iram,& indignationem commotus ſuccidit ylmum quandam pulcherrimam inter Giſortium & Trie, vbi colloquia haberi ſolebant inter reges Franciæ,& duces Normanniæ: iurans,quod de cætero nunquam ibi colloquia haberentur. Comes vero Flandriæ,& Comes *Theobaldus*,& cæteri Comites,& Barones de regno Franciæ,depoſuerunt arma ſua: dicentes quod nunquam arma geſtarent contra Chriſtianos, donec redierint de peregrinatione ſua Ieroſolymitana. Tunc rex Franciæ auxilio ſuorum deſtitutus,petiit à rege Angliæ colloquium. quo conceſſo apud Caſtellum in craſtino ſanctæ *Fidis*, cum modus pacis inter eos ordinaretur, hoc modo: quod rex Franciæ reſignaret regi Angliæ quicquid in terris ſuis poſt captam treugam occupauerat; & Comes *Richardus* reſignaret Comiti de ſancto *Egidio* quicquid ſuper eum per Guerram occupauerat. Rex Franciæ propter eius improbitatem petiit à rege Angliæ caſtellum de Paſci in obſidem,& quia rex Angliæ id facere noluit, ab inuicem diſcordes receſſerunt,& rex Franciæ inde recedens, cepit caſtrum de Palud: & tranſitum faciens per caſtrum *Radulfi*, duxit inde Rictam Braibancennorum Teutonicam vſq; ad Byturum: promittens eis bene ſtipendia ſua: ſed apud Byturum iniectis in eos manibus, abſtulit eis equos ſuos,& arma & pecuniam vniuerſam: & eos inermes & nudos eiecit. Comes autem *Richardus* obtulit regi Franciæ venire in curiam ſuam, & ſtare iuri ſuper his, quæ fiebant inter illum,& Comitem de ſancto *Egidio*: vt ſic ſaltem pax fieret inter regem Franciæ,& regem Angliæ patrem ſuum: quod multum diſplicuit regi patri ſuo. Poſt illud autem colloquium: *Neuolun* filius *Vrſonis* de Freteuall iurauit regi Angliæ fidelitatem,& fidele ſeruitium contra omnes homines,& rex Angliæ fecit ei chartam ſuam de honore de Lauardin,& Faye: & ipſe dedit regi Angliæ filium ſuum obſidem, & alios multos *filios propinquorum ſuorum.

al. Mante

al. fideles

EPISTOLA TERRICI PRÆCEPTORIS TEMPLI *ad Henricum regem Angliæ.*

CHariſſimo Domino *Henrico* Dei gratia illuſtri Anglorum regi, duci Normanniæ,& Aquitaniæ,& Comiti Andegauiæ, frater *Terricus*, quondam magnus præceptor domus Templi Ieruſalem: Salutem in eo qui dat ſalutẽ regibus. Sciatis quod Ieruſalem cum arce *Dauid* reddita eſt *Saladino*. Syrii autem habent cuſtodiam ſepulchri vſq; ad quartum diem poſt feſtum ſancti *Michaelis*: & ipſe *Saladinus* in domo Hoſpitalis permiſit remanere decem de fratribus Hoſpitalis ad cuſtodiendum infirmos vſq; in vnum annum. Fratres

vero Hoſpitalis de Belliuerio optime reſiſtunt Sarracenis adhuc, & duas iam caruanas Sarracenorum expugnauerunt, in quorum alterius captione, omnia arma & vtenſilia, & victuaria quæ erant in caſtro Fabæ, quod Sarraceni deſtruxerant, viriliter lucrati ſunt; adhuc etiam reſiſtunt *Saladino* * Gragcus montis regalis, & mons regalis, & Saphet templi, & Gragchus Hoſpitalis, & Margatum, & caſtellum Blancum, & terra Tripolis, & terra Antiochiæ. Capta autem Ieroſolyma, *Saladinus* crucem de Templo Domini deponi fecit, & eam per duos dies per ciuitatem in oſtentum fuſtigando portari fecit: Deinde fecit Templum Domini aqua roſata intus & exterius ſurſum, & deorſum lauari, & legem ſuam deſuper illud per quatuor partes miro tumultu acclamari. à feſto vero ſancti *Martini* vſque ad circumciſionem Domini obſedit Tyrum tredecim petrariis die noctuque lapides in eam inceſſanter iactantibus In vigilia S. *Silueſtri* dominus *Conradus* Marchio milites, & pedites per murum ciuitatis diſpoſuit, & armatis ſeptendecim galeis, & decem aliis nauiculis, cum auxilio domus Hoſpitalis, & fratrum Templi, aduerſus galeas *Saladini* dimicauit, eaſque expugnans vndecim ex eis retinuit, & magnum Alexandriæ admiraldum cum octo aliis admiraldis cepit, Sarracenorum multitudine interfecta. Reliquæ vero galeæ *Saladini* Chriſtianorum manus euadentes ad *Saladini* exercitum confugerunt; quibus præcepto illius ad terram extractis, ipſe *Saladinus* igne appoſito in cinerem, & fauillam fecit redigi: nimioque dolore commotus, equi ſui auriculas, & caudam amputans, equum illum per totum exercitum videntibus omnibus, equitauit. Valete.

* al. Grage

Eodem anno *Iohannes* Dunkeldenſis epiſcopus, poſt purificationem beatæ virginis *Mariæ* rediit à curia domini Papæ. *Hugone* epiſcopo S. *Andreæ* depoſito, & attulit ſecum literas domini Papæ in hac forma.

EPISTOLA PAPAE CLEMENTIS GLASCVENSI, & *Aberdenſi Epiſcopis.*

Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus *Iocelino* Glaſcuenſi & *Mathæo* Aberdenſi Epiſcopis, & dilectis filiis *Ernaldo* Abbati de Melros, & *Bertramo* Priori de Goldingham. Salutem, & apoſtolicam benedictionem. Ne in dubitationis recidant ſcrupulum, quæ geruntur; dignum eſt literarum memoriæ commendari, & ad illorum notitiã, quorũ intereſſe videtur, celebri ac veridica inſinuatione perferri. Meminimus autem, quod bonæ memoriæ *Vrbanus* Papa prædeceſſor noſter *Hugoni*, quondam dicto epiſcopo ſancti *Andreæ*, pro controuerſia, quæ inter eum & venerabilem fratrem noſtrum *Iohannem* Epiſcopum vertebatur, ſub excommunicationis interpoſitione mandauit, vt ad certum diem reſponſurus in iure aſpectui ſe Apoſtolico præſentaret. Verum quia conſcius actuum ſuorum, & euentum iudicii reformidans venire contumaciter recuſauit; nos & pro hoc, & pro aliis multis, quæ crebreſcente fama, Eccleſiæ Dei ſcandalum pepererunt, ipſum ab Epiſcopatu ſancti *Andreæ*, de conſilio, & aſſenſu fratrum, perpetuo iudicauimus Apoſtolicæ ſedis auctoritate remotum, & ab vſu Epiſcopalis officii, eo vſque ſuſpenſum, donec Apoſtolica ſedes duxerit de ipſo aliter ſtatuendum. abſoluentes à fidelitate ſubiectos, qua ei tenebantur aſtricti. Sane, quia vacantes Eccleſias diutius regimine paſtorali carere, ſanctorum canonum inhibent ſanctiones, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus dilectos filios noſtros, capitulum ſancti *Andreæ*, ex parte noſtra diligentius moneatis, vt ſibi talem eligant Epiſcopum, & paſtorem, qui digne poſſit Epiſcopalis officii dignitate potiri. Specialiter autem eos, quantum vobis poſſibile fuerit, inducere laboretis, vt memoratum Epiſcopum *Iohannem*, virum bonæ opinionis, & pro ſui honeſtate nobis & fratribus noſtris acceptum, ad regimen & prælationem illius Eccleſiæ ſine cuiuſquam ſcrupulo difficultatis aſſumant. Quod ſi omnes his exequendis nequiueritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Datum Piſæ decimo ſeptimo, Kalend. Februar. indictione ſexta.

EPISTOLA EIVSDEM PAPAE AD WILLIELmum *regem Scottorum.*

Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei *Willielmo* illuſtri Scottorum regi: ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Oculos diuinæ maieſtatis offendere non modicum æſtimamus, ſi prælatorum exceſſus, quibus indulgere, ſalua conſcientia, non poſſumus, per incuriam, ſine coertione debita relinquimus. Vnde, cum bonæ memoriæ *Vrbanus* Papa, prædeceſſor noſter, *Hugoni* quondam dicto Epiſcopo ſancti *Andreæ*, pro controuerſia, quæ

inter

inter eum & venerabilem fratrem noſtrum *Iohannem* Epiſcopum vertebatur, ſub excommunicationis interpoſitione mandauerit, vt ad certum diem reſponſurus in iure conſpectui ſe Apoſtolico præſentaret: & ipſe conſcius actuum ſuorum, & euentum iudicii non immerito reformidans, ex contumacia venire contempſit, nos pro hoc & pro aliis multis, quæ crebreſcente fama Eccleſiæ Dei ſcandalum pepererũt: ipſum ab Epiſcopatu ſancti *Andreæ*, de conſilio & aſſenſu fratrum, perpetuo iudicauimus Apoſtolicæ ſedis auctoritate remotum, & ab vſu Epiſcopalis officii, eo vſque ſuſpenſum, donec Apoſtolica ſedes duxerit de ipſo aliter ſtatuendum; abſoluentes à fidelitate ſubiectos, qua ei tenebantur aſtricti. licet enim ad honorem, & profectus tuos, quantum cum Deo poſſumus, firmum habemus propoſitum intendendi, & in facto prædicti *Hugonis* curia Romana, non abſque detractione multorum, hactenus regiæ ſerenitati detulerit: quia tamen clamor ipſius ad nos, indubitata fide, peruenit, nequiuimus errata ſua vlterius ſub diſſimulatione clauſis oculis prætérire; propter quod nihil in hac parte credimus actum, de quo debeat animus regius quacũq; ratione moueri. Rogamus autem deuotionem tuam prece, & affectione, qua poſſumus, & monemus in Domino; quatenus memoratum *Iohannem* Epiſcopum (quem nos & fratres noſtri pro ſui honeſtate ſincero corde diligimus) pro reuerentia Apoſtolicæ ſedis, & noſtra, in viſceribus charitatis commendatum habeas, & acceptum remiſſa, ſi qua fuerit, conceptæ indignationis offenſa, ipſum in omnibus regia clementia, & benignitate pertractes. Credimus equidem, quod de induſtria, & probitate ipſius tibi, & regno tuo, auctore Domino, multum accedere poterit incrementi, & nobis vſque quam gratum exiſtet, ſi optatum apud regias aures preces noſtræ ſortiantur effectum. Datum Piſæ 17. Kal. Februarii indictione ſexta.

EPISTOLA EIVSDEM PAPAE AD Henricum regem Angliæ.

CLemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei *Henrico* illuſtri Anglorum regi, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem: Cum ab Apoſtolica ſede preces ſuſcepit regalis excellentia, auctoritas, & poteſtas; quas Eccleſiis in ſuo ſtatu ſeruandis, & multorum ſaluti expedit effectui mancipare; diligenter eas debet regia ſublimitas exaudire, & tanto fortius, & feruentius intendere, vt effectum conſequantur optatum: quanto certius fuerit, quod earum deuota ſuſceptio, & diligens executio regalem gloriam reſpicit pariter, & ſalutem. Hinc eſt, quod ſerenitati regiæ pro venerabili fratre noſtro *Iohanne* Epiſcopo S. *Andreæ* literas Apoſtolicas, & preces duximus cum fiducia deſtinandas, altitudinem regalis eminentiæ, quanta poſſumus affectione, rogantes, monẽtes, atq; in remiſſionem peccatorum omnium iniungentes; quatenus pro reuerentia beati *Petri*, & noſtra, & perſecutionis eius obtentu, quam certum eſt ipſum iam longo tempore pertuliſſe, chariſſimum in *Chriſto Willielmum* filium noſtrum illuſtrem regem Scottorum moneas attentius, & inducas, & ſi neceſſe fuerit diſtrictione regali, qua ei præmines, & conceſſa tuæ regiæ celſitudini poteſtate compellas, vt totius indignationis ſuæ rancorem, (quam erga Epiſcopum concepit quorundam malitia ſuſurronum) regiam dignitatem, & ſalubria opera pietatis attendens, ei qualibet occaſione remota condonet, & diœceſin S. *Andreæ*, quam de communi fratrum conſilio & aſſenſu ſummus Pontifex ſibi perpetuo confirmauit, de cætero ipſum quiete permittat & abſq; calumnia poſſidere. Cum & ipſe paratus exiſtat regiæ maieſtati, prout fuerit conſentaneum rationi, exiſtere in omnibus obediens, & fidelis. Datum Piſæ 17. Kal. Februarii indictione ſexta.

EPISTOLA CLEMENTIS PRO IOHANNE Epiſcopo ſancti Andreæ.

CLemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, vniuerſo clero Epiſcopatus ſancti *Andreæ*, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Licet in rebus dubiis valeant aliqui ſuam aſtutiam, ſeu malitiam oſtentare; cum tamẽ ſcrupulus fuerit, & articulus dubietatis amotus, & manifeſtis indiciis apparuerunt veſtigia veritatis; penitus ſunt deuia relinquenda, & rectitudinis tramites inquirendi pariter, & ſeruandi: ne, quod abſit, aliter agentibus, & in ſua pertinacia conſiſtentibus poſt flagella præſentia, pœnaſq; condignas, perpetuæ mortis interius ſupplicio deleantur æterno. Volentes ergo paterna ſolicitudine veſtræ ſaluti proſpicere, & vtilitatibus, & quieti veſtræ prouidere; vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mãdamus, atque præcipimus, & inobedientiæ virtute iniungimus, quatenus, infra quindecim dies poſt harum ſuſceptionẽ, venerabilem fratrem noſtrum *Iohannem*,

Epiſcopum veſtrum, in Pontificali officio canonice ſubrogatum, ſicut patrem proprium, & paſtorem, ſuſcipiatis humiliter, & deuote, ac eius de cętero ſalubribus monitis, & mandatis, omni ſimultate remota, debitam reuerentiam, & obedientiam impendere minime poſtponatis: Scientes, quod poſtquam *Hugo*, qui vir olim Epiſcopus dicebatur, per Romanam Eccleſiam à veſtri Epiſcopatus dignitate fuit amotus, vel poſt eius deceſſum; iam dicto *Iohanne* Epiſcopo veſtro ſuperſtite; aliquem fortaſſe Epiſcopum elegiſtis, electionem illam auctoritate Apoſtolica vacuamus; Si vero (quod Deus auertat) in eundem Epiſcopum *Iohannem*, inimico humani generis ſuadente, aliquam conſpirationem facere præſumpſiſtis: tam vos, quam totum Epiſcopatum tam diu volumus interdicti ſententiæ ſubiacere, donec agnoſcentes exceſſum ad mandatum ipſius *Iohannis* Epiſcopi redeatis. Datum Piſæ decimo ſeptimo Kalendarum Februarii indictione ſexta.

EPISTOLA EIVSDEM PAPÆ PRO EODEM NEGOTIO.

Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabilibus fratribus *Iocelino* Glaſcuenſi, & *Matthæo* Aberdēſi, & *Richardo* Moreſenſi, Epiſcopis: & dilectis filiis *Ernulfo* de Melros, & *Hugoni* de Neubotle, & de ſancta Cruce, & de Striuellina, & de Scona Abbatibus: ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad ea, quæ reſpiciūt honeſtatem, & ſalutem pariunt animarum, quamuis abſq; monitis intendere debeatis & diligentem operam, iuxta veſtri officii debitum, tribuere vos credamus; veſtram tamen diligentiam ad maiorem in his ſolicitudinem exhibendam literis Apoſtolicis duximus exhortandum, vt eiſdem operibus laude dignis tanto feruentius inſiſtatis, quanto vobis ſalubrius erit in ipſis ad exhortationem Apoſtolicam exactiorem diligentiam adhibere. Conſtat vtique quoſdam Eccleſiarum prælatos, cum his, qui ſcandalizati fuerint, debere pati iuxta normam Apoſtolicam vſtionem, & cum infirmantibus infirmari. Quantas vero perſecutiones his temporibus ſuſtinuerit Eccleſia ſancti *Andreæ*, quantas calamitates incurrerit, & preſſuras, quam etiam grauiter hactenus fuerit perturbata ſub vmbra indignationis regiæ celſitudinis, & quaſſata; inſuper venerabilis frater noſter *Iohannes* Epiſcopus ſancti *Andreæ* quot, & quanta pericula ſuſtinuerit, & labores pro ſeruanda libertate Eccleſiæ ſibi commiſſæ, & ei à nobis, & duobus noſtris prædeceſſoribus cōfirmatæ; cum ea omnia vobis ſint manifeſta, illa veſtris auribus inculcare, ſuperuacuum videtur. Nunc igitur quam plurimum expedire dignoſcitur, vt de ſalute regia, & ſtatu præſcriptæ Eccleſiæ reformando, atque pace ipſi Epiſcopo conferenda, nos conuenit ſollicitudinem gerere congruentem, & circumſpectionem veſtram ad corroborandam nobis idoneum reputamus; diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, atque præcipimus; quatenus poſt ſuſceptionem literarum noſtrarum conuenientes in vnum, ſicuti decet viros prouidos, & diſcretos, chariſſimi in *Christo* filii noſtri *Willielmi* illuſtris regis Scotiæ præſentiam adeatis, & eum moneatis diligentius, & inſtantius inducatis, vt Epiſcopo memorato rancorem indignationis ſuæ remittat, & in hoc Romanam Eccleſiam, quæ ſerenitati regiæ iam longo tempore detulit, non contemnat: ſed eius & veſtris monitis prout regiæ gloriæ conuenit & ſaluti, ſine dilatione ſalubriter pareat, & humiliter adquieſcat, ac ipſum Epiſcopum præſcriptum diœceſim ſancti *Andreæ* in pace permittat habere; cum ex debito regiæ dignitatis Eccleſias teneatur cum paſtoribus ſuis non diſpergere, ſed fouere; non contemnere, ſed amare; non proſequi, ſed tueri. Quod ſi monitis Apoſtolicis in propriæ ſalutis periculum, (quod abſit) duxerit reſiſtendum; in regnum ſuæ celſitudinis, & perſonam ſuam, & omnes fautores regios nuntietis interdicti ſententiam infra viginti dies ſine appellationis obſtaculo, auctoritate Apoſtolica à vobis promulgandam. Illos inſuper, qui *Hugoni* obedientes extiterunt, & ei fomentum in ſua obſtinatione dederunt (poſtquam eum ſedes Apoſtolica à diœceſi ſancti *Andreæ* remouit perpetuo, & excommunicationis ſententiam in ipſum promulgauit) ſimili ſententia percellatis, & publice nunciantes excommunicationi ſubeſſe tam diu faciatis, & ab aliis arctius euitari, donec ad mandatum Eccleſiæ reuertantur abſolutionis beneficium ab eodem Epiſcopo petituri: adhæc altaribus, & calycibus, in quibus iam dictus *Hugo* dum in excommunicatione poſitus celebrauit, purificationem & ſanctificationem iuxta conſuetudinem Eccleſiæ conferatis. Ad Eccleſiam quoque ſancti *Andreæ* pariter accedatis, & fratribus conuocatis in vnum intretis capitulum, & de ordine & ſtatu Eccleſiæ diligentius inquiratis; & ſi quid in eadem Eccleſia per ſupradictum *Hugonem* immutatum inueneritis, vel ſtatutum auctoritate noſtra in ſtatum debitum inducatis: & ſi quid in ipſa fuerit corrigendum efficaciter ſtudeatis id in melius reformare. Si vero (quod abſit) aliquos ex canonicis ad recipiendum humiliter, & de-

& deuote paſtorem ſuum prædictum duros inueneritis, & rebelles; eos inſtantius moneatis, vt illi reuerentiam & obedientiam patri debitam exhibeant, & à maligno, atq; damnabili propoſito ſuo deſiſtant. Quod ſi contumaces extiterint, eos ab officio pariter & beneficio ſuſpendatis, & excommunicationis vinculo innodetis, quo ipſos faciatis manere ligatos, donec monitis, & mandatis Eccleſiaſticis adquieſcant. Quod ſi omnes his exequendis intereſſe nequiueritis: reliqui ea nihilominus exequantur. Datum Piſæ decimo ſeptimo Kalendarum Februarii indictione ſexta.

His auditis præfatus rex Scottorum tandem ſuorum conſilio, & prece victus: ſupradictum *Iohannem* Epiſcopum in gratiam ſuam recepit; & conceſſit ipſum pacifice poſſidere Epiſcopatum Dunkeldenſem & omnes redditus, quos ipſe ante conſecrationem ſuam habuit: ea conditione, quod ipſe *Iohannes* quietum clamaret à calumnia ſua Epiſcopatum ſancti *Andreæ*. Qui licet ſupradictis literis domini Papæ, eſſet præmunitus; tamen in omnibus obediuit voluntati regis, & quietum clamauit Epiſcopatum S. *Andreæ* à calumnia ſua in Dei, & regis miſericordia: ſciens quod melior eſt buccella panis cum gaudio, quam domus plena victimis cum iurgio. *Hugo* vero quondam dictus Epiſcopus ſancti *Andreæ* degradatus, & anathematizatus Romam venit, qui data cautione ſtandi iudicio Eccleſiæ a domino Papa clementer abſolutus eſt, ſed paucis ſuprauixit diebus. nam menſe *Auguſti* tanta extitit aeris corruptio Romæ, & in finibus eius, quod multi Cardinales, & ditiores vrbis, cum innumera plebis multitudine interierint, & ipſe *Hugo* cum tota fere familia ſua, & *Henricus* Dolenſis electus cum familia ſua, ibidem obierint. Rex autem Scotiæ dedit Epiſcopatum S. *Andreæ*, *Rogero* filio *Roberti* Comitis Leiceſtriæ Cancellario ſuo, præſente *Iohanne* Dunkeldenſe Epiſcopo, & non contradicente. Cancellariam ſuam dedit rex Scotiæ *Hugoni* de Rokesburg clerico ſuo. Eodem anno 12. Kal. Octobris, feria tertia, in Vigilia S. *Matthæi* Apoſtoli, & Euangeliſtæ tota fere villa de Beuerlaco, cum nobili eccleſia beati *Iohannis* Archiepiſcopi, combuſta eſt. Eodem anno magiſter *Iohannes Gilbertus* de Semplingham, primus inuentor, & paſtor illius ordinis qui dicitur de Semplingham obiit; in eccleſia ſua de Semplingham inter velatas ſepultus eſt. Eodem anno *Gilbertus* de Ogerſtan frater templi, a domino rege Angliæ electus & conſtitutus, cum aliis tam clericis, quam laicis ad decimas colligendas, deprehenſus eſt in latrocinio, quem cum dominus rex ratione iudicii damnare poſſet: tamen tradidit eum magiſtro Templi Lundoniarum; vt ſecundum ordinis ſui ſtatuta tractaretur; quem magiſter templi ſuſcipiens vinculis mancipauit, & diuerſis pœnis afflixit, de diuerſitate autem pœnarum illarũ quærite, quos agitat ordinis illius labor. Eodem anno quoddam mirabile dictu, ſed glorioſum viſu, contigit in Anglia, in vigilia beati *Laurentii* martyris, feria ſecunda, apud Dunſtaple: viz. quod circa horam diei nonam aperti ſunt cœli, & multis vidẽtibus tam clericis, quam laicis apparuit crux quædam longa valde, & miræ magnitudinis, & vt videbatur *Ieſus Chriſtus* in ea clauis confixus, & ſpinis coronatus; manus autem eius extentæ erant in patibulo, & vulnera manuũ, & pedum, & lateris eius ſanguinolenta erant, & ſanguis eius defluebat, ſed non cecidit in terrã. Erat autem hæc apparitio continua ab hora diei nona, vſq; in crepuſculum. Eodem anno rex Angliæ, & rex Franciæ habuerunt colloquiũ inter Bonimoltus, & Suleinni 14. Kal. Septembris, feria ſexta, in quo colloquio rex Franciæ obtulit regi Angliæ, quicquid ceperat de eo per Guerrã, tali cõditione: quod tradidiſſet *Alais* ſororem ſuam Comiti *Richardo* filio ſuo in vxorem, & permiſiſſet ipſi *Richardo* hæredi ſuo fieri homagia, & fidelitates ab hominibus terrarũ ſuarum, ſed rex Angliæ non immemor iniuriarum, quas rex filius ſuus ei fecerat pro conſimili exaltatione, reſpondit ſe hoc nullatenus facturũ. Vnde Comes *Richardus* plurimum indignatus, ſine conſilio, & voluntate patris ſui deuenit homo regis Franciæ de omnibus tenemẽtis patris ſui tranſmarinis, & fidelitatem iurauit ei contra omnes homines, & adhæſit ei, & rex Franciæ reddidit ei pro homagio, & fidelitate ſua caſtrũ *Radulfi*, & Iſondun cũ toto honore. Præfati autẽ reges ſtatuerunt inter ſe treugas vſq; ad feſtum S. *Hilarii*. *Henricus* vero Albanenſis epiſcopus Cardinalis, quem dominus Papa miſerat ad litem dirimẽdam inter præfatos reges, anathematizauit Comitem *Richardum*, eo quod ipſe pacem illam diſturbauerat, & reuerſus eſt in Flandriam, & obiit apud Araz. Eodem anno nuncii regis Franciæ, quos ipſe miſerat ad *Iſacum* imperatorem Conſtantinopolitanum, domũ reuerſi narrauerunt, quod Soltanus de Iconio maritauit filiam ſuam filio *Saladini*, & *Saladinus* filiam ſuam filio Soltani, & quod *Daniel* propheta Conſtantinopolitanus prophetauerat, quod anno illo, quo annunciatio Dominica in die Paſchæ euenerit, Franci reſtaurabunt terram promiſſionis, & ſtabulabunt equos ſuos in palmaria de Baldach, & figent tentoria ſua vltra arborẽ ſiccã, & loliũ ſeparabitur à tritico: & dicebãt, quod apud imperatorẽ Conſtantinopolitanũ plus honoris exhibebatur nũciis

Saladini in palatio, quam omnib. aliis in ſumma dignitate locaris: & quod *Saladinus* aſſenſu Imperatoris Conſtantinopolitani miſit Conſtantinopolim idolum ſuum, vt ibi publice adoraretur; ſed per gratiam Dei, antequam illuc perueniſſet, Venetienſes ceperunt illud in mari, & cum ipſa naui ductum eſt Tyrum, & dixerunt quod quidam Græcus ſenex de Aſtralix dixit iis, quod implebitur prophetia, quæ ſcripta eſt in porta aurea, quæ non fuit aperta ducentis annis retro, ſcilicet, *Quando veniet rex Flauus Occidentalis, tunc ego per me ipſam aperiar, & tunc Latini imperabunt, & dominabuntur in ciuitate Conſtantinopolitana.* Dixerunt etiam quod Imperator promiſit *Saladino* cētum galeas, & *Saladinus* promiſit ei totam terram promiſſionis, ſi ipſe impedierit viam Francorum, Vnde Imperator ille Conſtantinopolitanus prohibuit, ne aliquis in tota terra ſua crucem caperet: & ſi caſu aliquo aliquis de terra ſua crucem ſuſcepiſſet, ſtatim capiebatur, & in carcerem mittebatur. Erat tamen hæc prophētia, & Aſtronomia Græcorum, & Turcorum, quod infra hoc triennium vna pars Turcorum gladio periret, & altera fugeret vltra arborem ſiccam, & tertia baptizaretur.

Eodem anno quidam monachus ordinis Ciſtercienſis, vir quidam religioſus, & timēs Deum, vidit viſionem huiuſcemodi ſuper *Henricum* regem Angliæ: apparuit ſiquidē dormienti illi vir quidam miræ magnitudinis, decorus facie, veſtibus albis indutus, & ait illi. Vide, lege hæc de rege; *Leuaui ſignum meum ſuper eum, vēter vxoris ſuæ intumeſcet contra eum, & in tormento tormentum patietur, & inter velatas velabitur.*

Eodem anno *Fredericus* Romanorum Imperator accepta cruce de manu *Henrici* Albanenſis Epiſcopi Cardinalis, ſicut prudentem, & circumſpectum decebat, ſatis prouide ſibi, & itineri ſuo neceſſaria prouidebat. In primis enim reconciliauit ſe Deo & ſanctæ Eccleſiæ & *Clementi* Romano pontifici & poſtea in hac forma ſcripſit *Saladino*.

EPISTOLA FREDERICI ROMANORVM IMPERATORIS ad Saladinum Sarracenorum Præſidem.

F*Redericus* Romanorum Imperator ſemper *Auguſtus*, & hoſtium Imperii magnificus triumphator *Saladino* præſidi Sarracenorum, quondam illuſtri: exemplo *Pharaonis* fugere Iſraelem Deuotionis tuæ literas multis retro temporibus ad nos deſtinatas ſuper arduis negotiis tibi quidem, ſi fides verbis ſuffuiſſet, profuturis, prout maieſtatis noſtræ decuit magnificentiam, ſuſcepimus, & epiſtolarum noſtrarum alloquiis magnificentiæ tuæ conſulere dignū duxim⁹. Nūc vero quia terrā ſanctā prophanaſti, cui ęterni regis imperamus imperio, in tanti ſceleris præſumptuoſam & plectibilem auſibilem audaciam debita animaduerſione decernere imperialis officii ſollicitudo nos admonet. Quamobrem niſi occupatam terram Iudęæ, Samariæ & Paleſtinorum ante omnia reſtituas, adiuncta ſatiſfactione ſacris conſtitutionibus pro tam nefariis exceſſibus taxata, ne minime legitimum videamur quęrere bellum à capite Kalendarum Nouembrium, Anno incarnationis Dominicæ, milleſimo centeſimo octogeſimo octauo, reuoluto anni ſpacio terminum tibi præfigimus ad experiendam belli fortunam in campo Taneos in virtute viuificæ crucis, & in nomine veri *Ioſeph.* Vix enim credere poſſumus hoc te latere, quod ex ſcriptis veterum, & hiſtoriis antiquis noſtri temporis factum redolet. Nūquid ſcire diſſimulas ambas Æthiopias, Mauretanniam, Perſiam, Syriam, Parthiam, vbi *Marci Craſſi* noſtri dictatoris fata ſunt præmaturata, Iudæam, Samariam maritimam, Arabiam, Caldeam, ipſam quoq; Ægyptum vbi, proh dolor, ciuis Romanus *Antonius* vir inſignis virtute præditus citra nitorem temperantiæ, & ſecus quam decebat militem à tanto culmine rerum emiſſum minus ſobriis *Cleopatra* inſeruiebat amoribus. Nunquid etiam ſcire diſſimulas Armeniam, & innumerabiles alias terras noſtræ ditioni ſubiectas.

Norūt hæc reges, quorum cruore gladii Romani ſunt crebrius inebriati, & tu quidem in ipſa rerum experientia, Deo authore, intelliges quid noſtræ victrices aquilæ, quid cohortes diuerſarum nationum, quid furor Teutonicus etiam in pace arma capeſſans, quid caput indomitum regni, quid iuuentus, quæ nunquam fugam nouit, quid procerus Bamuarius, quid Swanus aſtutus, quid Francia circumſpecta, quid Anglia prouida, & ingenioſa, quid Albania, quid Cambria, quid in gladio ludens Saxonia, quid Turingia, quid Weſtfallia, quid agilis Braibantia, quid neſcia pacis Lotharingia, quid inquieta Burgundia, quid Alpini *ſalices, quid Friſonia in amento præuolās, quid Reemia vltro mori gaudens, quid Boemia ſuis feris ferior, quid Auſtria, quid Friſia, quid Rutonia, quid partes Illyricæ, quid Leobardia, quid Tuſcia, quid Amonitāna Narcia, q d Venet⁹ pirotaus, q d *Piſanus Naucler⁹*; deniq; quid dextera noſtra, quā ſenio arguis effectā, gladio vibrare didicit

al. ſalaces

dies

dies illa plena reuerentiæ, iocunditatis triumpho Chriſti præfixa te docebit. Eodem anno feſto S. *Thomæ* Apoſtoli ante natale Domini, obiit *Richardus* Wintonienſis Epiſcopus. Eodem anno *Fredericus* Romanorum Imperator, tradito filio ſuo *Henrico* Alemannorum regno, iter peregrinationis Ieroſolymitanæ arripuit diſcedēs à ciuitate ſua, quæ dicitur Rainesburg, & nolens cōmittere ſe ventis & mari per terram ire diſpoſuit; cumq; Conſtantinopolim veniret, *Iſakius* Imperator benigne ſuſcepit eum, & neceſſaria miniſtrauit ei, & ſuis. Deinde tranſiuit in manu forti, & brachio extento per terram Soltani de Iconio, cumq; perueniret in Armenia terra *Rupini* de Lamunranna ad fluuium, qui dicitur Salef, & maior pars exercitus ſui per vadum tranſiret fluuium illum, ipſe alios ſequens cecidit de equo ſuo in flumine, & ipſe ſolus ſummerſus eſt: & tractum in terram ſui euiſcerauerunt eum, & viſcera, & cerebrum, & carnem ſuam aqua coctam, & ab oſſibus ſeparatam ſepelierunt in ciuitate Antiochiæ; oſſa autem illius linteaminibus mundis inuoluta, *Conradus* dux Suauæ filius eius tulit ſecum vſq; ad ciuitatem Tyri, & ibi ſepeliuit ea. Eodem anno à domino Papa, & Cardinalibus ſtatutum eſt, quod ab vniuerſali Eccleſia fieret ſine intermiſſione oratio ad dominum pro pace, & liberatione terrę Ieruſalem, & Chriſtianorum captiuorum, qui in vinculis Sarracenorum detinebantur. Fiebat autem ſingulis diebus in Eccleſia beati *Pauli* in hunc modum ad Miſſam; dicto à ſacerdote, *Pax Domini, ſit ſemper vobiſcum*: & à choro, *& cum ſpiritu tuo*: antequam agnus Dei inciperetur, ſacerdos vel præcentor incepit Antiphonam hanc. *Tua eſt potentia tuum regnum. Domine tu es ſuper omnes gentes; Da pacem Domine in diebus noſtris.* In die Dominica cum iſto Pſalmo: *Quare fremuerunt gentes*: & in die Lunæ cum iſto Pſalmo: *Deus in nomine tuo ſaluum me fac.* & in die Martis, cum iſto Pſalmo: *Deus repuliſti nos & deſtruxiſti nos*: & in die Mercurii cū iſto Pſalmo: *Vt quid Deus repuliſti in finem*? & in die Iouis cum iſto Pſalmo: *Deus venerūt gentes in hæreditatem tuam.* & in die Veneris cum iſto Pſalmo: *Deus quis ſimilis erit tibi*? & in die Sabbati cum iſto Pſalmo; *Deus vltionum Dominus.* Dictis itaque Pſalmo, & Antiphona prædicta, ſequitur Kyrieleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrieleyſon. Pater noſter. Et ne nos. *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos. Domine non ſecundum peccata noſtra facias nobis. Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter. Saluum fac populum tuum Domine. Eſto eis Domine turris fortitudinis. Nihil proficiat inimicus in eis. Fiat pax in virtute tua. Domine Deus virtutum conuerte nos. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum.* Oremus. *Omnipotēs ſempiterne Deus, in cuius manu ſunt omnium poteſtates, & omnia iura regnorum, reſpice ad Chriſtianum benignus exercitum, vt gentes, quæ in ſua feritate confidunt, potentia dextera comprimantur tua.* Eodem anno *Baldwinus* Cantuarienſis Archiepiſcopus ſaiſiauit in manu ſua per regis potentiam prioratum ſanctæ Trinitatis Cantuariæ: & expulſis monachis officialibus ab officiis eorum, ſeruientes ſuos loco illorum inſtituit, & monachis victualia denegauit. Eodem anno *Honorius* Prior Cantuarienſis Eccleſiæ Romam profectus pro liberatione domus ſuæ, obiit Romæ, & omnes monachi ſui, quos ſecum duxerat. Eodē anno *Hugo* Dunelmenſis Epiſcopus poſt ſuſceptionem crucis reddidit Priori, & conuentui Dunelmi cuſtodiam, & curam prioratus ducentis marcis, & eo amplius obligatam, quam ipſe iam fere per biennium in manu ſua tenuerat cauſa lucri. Eodem anno dominus Papa audito obitu *Henrici* Albanenſis Epiſcopi Cardinalis, quem ipſe miſerat ad dirimendam litem inter regem Franciæ, & regem Angliæ, miſit *Iohannem Anagninum* Cardinalem pro eodem negotio. Eodem anno *Willielmus* rex Scottorum miſit nuncios ſuos ad *Clementem* ſummum pontificem, & ab eo literas protectionis ſuæ obtinuit in hac forma.

EPISTOLA CLEMENTIS AD WILLIELMVM REGEM *Scottorum de exemptione Eccleſiarum terræ ſuæ.*

Clemens *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei chariſſimo in* Chriſto *filio* Willielmo *illuſtri Scottorum regi: ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum vniuerſi* Chriſti *iugo ſubiecti ad ſedem Apoſtolicam patrocinium inuenire debeant & fauorem, illos tamen ſpecialius conuenit munimine protectionis confoueri, quorum fidem ac deuotionem in pluribus eſt experta, vt ad ipſius electionis fauorem tanto amplius prouocetur, & eius reuerentiæ deuotiori affectione ſubdantur, quanto beneuolētiæ ipſius & gratiæ pignus ſe nouerint certius aſſecutos. Ea propter (chariſſime in Chriſto fili) reuerentiam, ac deuotionem, quam ad Romanam te habuiſſe à longis retro temporibus Eccleſiam nouimus, attendentes, præſentis ſcripti pagina duximus ſtatuendum, vt Scotticana Eccleſia Apoſtolicæ ſedi, cuius filia ſpecialis exiſtit, nullo mediante debeat ſubiacere. In qua hæ ſedes Epiſcopales eſſe noſcūtur. Eccleſia videlicet S.* Andreæ, *Glaſcuenſis, Dunkeldenſis, Dumblinenſis, Brechinenſis, Aberde-*

nenſis, Moranienſis, Roſenſenſis, Katinenſis, & nemini liceat niſi Romano pontifici, vel legato ab ipſius latere deſtinato, in regnum Scotiæ interdicti, vel excommunicationis ſententiam promulgare, & ſi promulgata fuerit, decernimus non valere: adiicimus, vt nulli de cætero, qui de regno Scotiæ non fuerit, niſi quem Apoſtolica ſedes propter hoc de corpore ſuo ſpecialiter deſtinauerit, licitum ſit in eo ligationis officium exercere. Prohibemus autem vt controuerſiæ, quæ fuerint in regno illo de poſſeſſionibus eius exortæ, ad examen extra regnum poſitorum iudicum non trahantur, niſi ad Romanam Eccleſiam fuerit appellatum. Si qua vero ſcripta contra huius libertatis ſtatuta apparuerint impetrata, vel in poſterum, iſtius conceſſionis mentione non habita, contigerit impetrari: nullum tibi, vel ipſi regno circa huius prærogatiuæ cõceſſionẽ præiudicium generetur, præterea libertates, & immunitates tibi, vel eidẽ regno, vel Eccleſiis in eo conſtitutis, à prædeceſſorib. noſtris Romanis pontificibus indultas, & hactenus obſeruatas, ratas habemus, & illibatas futuris temporibus ſtatuimus permanere. Nulli ergo hominum liceat paginam noſtræ conſtitutionis & prohibitionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri *&* Pauli *Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Laterani 3. Idus Martij, pontificatus noſtri anno primo.*

Anno gratiæ milleſimo centeſimo octogeſimo nono, qui erat annus triceſimus quintus, & vltimus regni regis *Henrici* filii *Matildis* imperatricis; idem *Henricus* fuit die natalis Domini, qui die Dominica euenit, in Andegauia apud Saumur, & ſolenne feſtum ibi tenuit: licet quam plures de Comitibus, & Baronibus ſuis, eo relicto, adhæſiſſent regi Franciæ, & Comiti *Richardo* contra eum. Poſt feſtum vero ſancti *Hilarij* diruptis treugis, qui inter prædictos reges erant, rex Franciæ, & Comes *Richardus*, & Britones, (quibus prædicti rex Franciæ, & *Richardus* chartas ſuas dederant, & ſecuritates, quod ſi ipſi pacem cum rege Angliæ feciſſent, non dimitterent eos extra pacem) hoſtiliter intrauerunt terram regis Angliæ, & circumquaque deuaſtauerunt eam. Venit ergo *Iohannes* Anagninus Cardinalis ad prædictos reges ex parte domini Papæ; & illos nunc blandis, nunc aſperis ad pacem faciendam exhortatus eſt. Ad cuius inſtantiam præfati reges, diuina inſpirante gratia, cautionem dederunt ſtandi iudicio illius, & Remenſis, & Bituricenſis, & Rothomagenſis, & Cantuarienſis Archiepiſcoporum, & ſtatuerunt ſibi diem colloquii iuxta feritatem *Bernardi* in Octauis Pentecoſtes: & prædictus Cardinalis, & prædicti quatuor Archiepiſcopi ſtatim protulerunt ſententiam excommunicationis in omnes tam clericos, quam laicos, per quos ſtaret, quo minus pax fieret inter prædictos reges, exceptis perſonis eorundem regum tantummodo. Adueniente igitur die colloquii, rex Franciæ, & rex Angliæ, & Comes *Richardus*, & *Iohannes* Anagninus Cardinalis, & præfati quatuor Archiepiſcopi electi, & Comites, & Barones vtriuſq; regni conuenerunt iuxta feritatem *Bernardi* ad colloquium. In quo colloquio rex Franciæ petiit à rege Angliæ *Aleſiam* ſororem ſuam donari in vxorem *Richardo* Comiti Pictauiæ, & vt fidelitates terrarum ſuarum eidem *Richardo* fierent, & vt *Iohannes* frater ſuus accepta cruce Ieroſolymã iret. Cui rex Angliæ reſpõdit: Hæc ſe nũquam eſſe facturũ, & obtulit regi Franciæ, quod ſi ipſe conſentire vellet, dare *Iohanni* filio ſuo præfatam *Aleſiam* cum omnibus ſupradictis plenius, & perfectius quam petebat: ſed rex Franciæ hoc concedere noluit, & ſic finito colloquio diſcordes ab inuicem receſſerunt. *Iohannes* vero Anagninus Cardinalis aſſerebat, quod niſi rex Franciæ ad plenum componeret cum rege Angliæ totam terram ſuam ſub interdicto poneret. Cui rex Franciæ reſpondit; Quod ſententiam ſuam non timeret, nec teneret, cum nulla æquitate niteretur. Dicebat enim quod non pertinet ad Eccleſiam Romanam in regnum Franciæ per ſententiam, vel alio modo animaduertere, ſi rex Franciæ in homines ſuos demeritos, & regno rebelles, cauſa iniurias ſuas, & coronæ dedecus vlciſcendi inſurgit: adiecit etiam quod prænominatus Cardinalis iam ſterlingos regis Angliæ olfecerat; & ſic finito colloquio, rex Franciæ inde recedẽs cepit feritatem *Bernardi*; deinde Montem fortem; deinde malum ſtabulum; deinde Bellum montem; deinde Balim; deinde Cenomannum veniens die Dominicã fingẽs ſe Turonem iturum, proxima die Lunæ, cum rex Angliæ, & ſui ſecuri eſſe viderentur de vlteriori proceſſu regis Franciæ, diſpoſuit acies ſuas inſultum facturus in ciuitatem: quod videns *Stephanus* de Turonis Seneſcallus Andegauiæ ignem ſuburbio impoſuit; ignis vero ſtatim accenſus in immenſum muros tranſuolans ciuitatem accendit, quod videntes Franci ad pontem quendam lapideum venerunt,

al. Barilũ vbi *Gaufridus* de *Buxillun, & multi cum eo ex parte regis Angliæ eis occurrerunt volentes pontem diruere: vbi multus factus eſt conflictus, & magna pars exercitus hinc, & inde interempta eſt, & in illo cõflictu prædictus *Gaufridus* captus eſt, & in crure vulneratus, & multi alii de exercitu regis Angliæ capti ſunt, & cæteri incontinenter in fugam ſunt conuerſi, volentes ſe in ciuitate recipere, ſed Franci vna cum illis ciuitatem ingreſſi ſunt:

quod

quod videns rex Angliæ de ſe deſperans, & contra promiſſum ſuum veniens cum ſeptingentis militibus aufugit. promiſerat enim ciuibus illius ciuitatis, quod non recederet ab eis, cum ea ratione, quia pater ſuus ibi quieſcebat, tum ea ratione, quod ibi natus fuerat, & ciuitatem illam plus cæteris diligebat. Rex vero Franciæ per tria milliaria inſecutus eſt eum: & niſi vadum, per quod Franci tranſitum fecerũt, altum eſſet in immenſum, alios ſub tanta celeritate ſecuti eſſent fugientes, quod omnes capti eſſent. In illa autem fuga multi Walenſes interfecti ſunt. Rex autem Angliæ cum paucis ſuorum venit vſq; Chinun, & ibi ſe in munitionem recepit. Reſidui vero qui remanſerunt de familia regis Angliæ in turrim Cenomannenſem ſe receperunt: ſtatimq; rex Franciæ turrim obſedit, & tum per effoſſores ſuos, tum per machinarum ſuarum inſultus, tandem infra tertiũ diem dedita eſt ei turris cum triginta militibus, & ſexaginta ſeruientibus. Inde recedens cepit montem duplicem per deditionẽ tam caſtelli, quam domini. Cum enim Vicecomes caſtelli, huius ſubuerſionis occaſio, immo cauſa præcipua, in inſidiis *Gaufrido* Vindonicẽſi Comiti armatus inermi occurreret, adeo grauiter eũ vulnerauit, quod inprimis de vita eius deſperatũ eſt; ſed per Dei gratiam plenius conualeſcit. Rex autem Franciæ eo ipſo grauius factum iſtud ferebat, quia prædictus Vicecomes regi Franciæ aſtrictus tenebatur, quod nullũ ſuorum vel in eundo, vel in redeundo læderet, vel grauaret dum eſſet in obſidione Cenomannẽſi. Inde recedenti redditum eſt ei caſtrum Troe cum rupibus epiſcopi, & Montoriũ, & Carceris caſtrum, & caſtrũ Ligdi, & caſtrum Calui montis, & caſtrum Ambaſiæ, & caſtrũ de rupibus Carbonis, tandem in ſeptimana ſequente poſt feſtũ natiuitatis beati *Iohannis* feria ſexta, in craſtino Apoſtolorũ *Petri* & *Pauli*, rex Franciæ Turonis venit. Die vero Dominica proxima ſequente *Philippus* Comes Flandriæ & *Willielmus* Archiepiſcopus Remenſis, & *Hugo* dux Burgundiæ acceſſerunt ad regẽ Angliæ, qui tunc temporis erat apud Saumur, ad componendum inter ipſum & regem Franciæ. Rex vero Franciæ prædixerat antequã iter arriperent, quod nihilominus a caſtro S. *Martini*, in quo per vadum Ligeris ſe receperat, in ciuitatem facturus eſſet aſſultum. Proxima autem die Lunæ circiter tertiam, ex parte Ligeris præ modicitate aquæ in immenſum arctati, & cõtracti, ſcalis muro appoſitis per vim capta eſt ciuitas, & in eo octoginta milites, & centum ſeruientes capti ſunt. proh dolor ex vna parte Pictaui prætendebant regi Angliæ domino ſuo inſidias, & ex alia parte Britones qui regi Franciæ dediti fuerant, & ab eo literas parentes habebant impetratas, quod ipſe nullatenus cum rege Angliæ componeret, niſi in pace dimiſſi fuerint Britones. Rex vero Angliæ in arcto poſitus, pacem fecit cum *Philippo* rege Franciæ in hunc modum.

CONDITIONES PACIS INTER HENRICVM REgem Angliæ, & Philippum Franciæ.

Conuenerunt igitur prædicti rex Franciæ & rex Angliæ, & Richardus *Comes Pictauiæ cum Archiepiſcopis & Epiſcopis Comitibus & Baronibus ſuis circa feſtum Apoſtolorum* Petri & Pauli *ad colloquium inter Turonim & Araſie, vbi rex Angliæ ex toto poſuit ſe in conſilio, & voluntate regis Franciæ. Tunc vero rex Angliæ iterum fecit homagium regi Franciæ, quia ipſe in principio iſtius guerræ quietum clamauerat regi Franciæ dominum ſuum; & rex Franciæ quietum clamauerat ei homagium ſuum. Tunc prouiſum eſt à rege Franciæ, quod* Aleſia *ſoror eius, quam rex Angliæ in cuſtodia habuit, reddita eſſet, & tradita in cuſtodiam vnius de quinque, quos Comes* Richardus *elegerit. Deinde prouidit rex Franciæ, quod per ſacramentum hominum terræ aſſecuratum eſſet, quod prædicta ſoror ſua tradita ſit Comiti* Richardo *in reuerſione ſua de Ieruſalem; & quod Comes* Richardus *haberet fidelitates hominum de terris patris ſui circa mare & vltra, & nullus baronum vel miles, qui in hac guerra à rege Angliæ receſſerit, & ad Comitem* Richardũ *venerit, de cætero redibit ad regem Angliæ, niſi in vltimo menſe ante motionem ſuam verſus Ieruſalem. Et terminus motionis erat in media Quadrageſima: ita quod prædicti reges, &* Richardus *Comes Pictauiæ erunt ad illum terminum apud* W*irzeliacum, & omnes burgenſes de dominicis villis regis Angliæ erunt quieti in tota terra regis Franciæ per rectas conſuetudines ſuas, & nõ implacitabũtur de vlla re, niſi forisfecerint in felonia. Et rex Angliæ dabit regi Franciæ viginti millia marcarũ argẽti, & omnes barones regis Angliæ iurabunt, quod ſi rex Angliæ noluerit has conuẽtiones tenere, quod ipſi tenebunt cũ rege Franciæ & Comite* Richardo, *& eos adiuuabunt pro poſſe ſuo contra regẽ Angliæ. Et rex Franciæ & Comes* Richardus *tenebunt in manu ſua ciuitatẽ Cenomannis, & ciuitatem Turonis, & caſtellũ Ligdi, & caſtellum de Trou: vel ſi rex* Angliæ *maluerit, rex Franciæ & Comes* Richardus *tenebunt caſtellũ de Giſortio, & caſtellum de Paſci, & caſtellum de Nouacurt tamdiu, donec omnia fiant, quæ diuiſa ſunt ſuperius per regem Franciæ, & dum prædicti reges ore ad os loquerentur, intonuit ſuper eos Dominus, & ictus fulmineus cecidit inter illos duos, ſed nullam intulit illis læſionem; at plurimum perterriti*

ab innicem ſeparati ſunt, & omnes, qui aderant, multum mirati ſunt, quod tam ſubito auditus eſt tonitrus, cum nulla nubium præceſsiſſet obſcuritas. Iterum paruo facto interuallo, conuenerunt reges ſimul locuturi, & iterum auditus eſt tonitrus maior, & terribilior priore, die permanente in priſtina ſerenitate, vnde rex Angliæ plurimum conturbatus in terram corruiſſet ab equo, in quo ſedebat, niſi manib. circumſtantium ſuſtentatus fuiſſet. Et ex tunc ex toto poſuit ſe in voluntate regis Franciæ, & pacem ſupraſcriptã conceſsit poſtulans, vt nomina eorũ omnium, qui illo relicto, adhæſerunt regi Franciæ, & Comiti Richardo, *ſcripto cõmendarentur, & ſibi traderentur. Quod cũ factum fuiſſet, inuenit* Iohannem *filium ſuum ſcriptum in principio ſcripti illius. & admirans ſupra modum venit ad Chinonem, & tactus dolore intrinſecus maledixit diei, in qua natus fuit, & maledictionem Dei, & ſuam dedit filiis ſuis, quam nunquam relaxare voluit, licet Epiſcopi, & cæteri viri religioſi eum ad relaxationem maledictionis ſuæ ſæpius commouiſſent. Qui cum ægrotaſſet vſq. ad mortem, fecit ſe deferri in Eccleſiam ante altare, & ibi communionem corporis & ſanguinis Domini deuote ſuſcepit, cõfitens peccata ſua, & ab Epiſcopis, & clero abſolutus obiit, anno 35. regni ſui, in Octauis Apoſtolorum* Petri & Pauli, *feria* 5. Regnauerat enim 34. annos, & menſes 7. & dies 4. Quo defuncto, omnes reliquerunt eum, diripientes opes illius; vere mel muſcę, lupi cadauera, frumẽtum formicæ; non hominem, ſed prædam ſequebatur hæc turba. Tandem redierunt miniſtri eius, & ſepelierunt eum more regio. In craſtino autem obitus illius, cum portaretur ad ſepeliendum in Eccleſia Sanctimonialium Fontis *Ebrandi*, Comes *Richardus* filius ſuus & hæres venit ei obuiam, & miſertus illius fleuit amare. Sanguis autem continuo fluebat de naribus regis ſuperueniente filio. Filius vero proceſſit cum corpore patris ſui, vſq; ad abbatiam Fontis *Ebrandi*, & ibi eum ſepeliuit in choro Sanctimonialium; & ſic ipſe inter velatas velabatur.

DE RICHARDO PRIMO.

ITAQVE ſepulto rege, Comes *Richardus* filius eius ſtatim iniecit manus in *Stephanum* de Turonis Seneſcallum Andegauiæ, & mittẽs eum in carcerem grauibus compedibus & ferreis manicis catenatum, exigebat ab eo caſtella, & theſauros regis patris ſui, quos ipſe in cuſtodia habuit: quibus traditis, Comes *Richardus* redemit eum vſque ad nouiſſimum quadrantem. Eodem vero tempore, quo prædictus rex Angliæ obiit, *Matildis* ducisſa Saxoniæ, filia eius ſimiliter obiit. Deinde venit idem Comes *Richardus* Rothomagum, & a *Walthero* Rothomagenſi Epiſcop. coram Epiſcopis, & Comitibus, & Baronibus Normanniæ accinctus eſt gladio ducatus Normanniæ, in ipſa die ſanctæ *Margaretæ* feria quinta, decimo tertio Kalend. Auguſti. Deinde acceptis fidelitatibus à clero, & populo ducatus Normanniæ, dedit *Gaufrido* filio *Rotrodi* Comitis de Pertico *Matildem* filiam ducis Saxoniæ neptem ſuam in vxorem. Tertia autem die ſequente, ſcilicet feſto ſanctæ *Mariæ Magdalenæ*, *Philippus* rex Franciæ, & *Richardus* dux Normanniæ conuenerunt inter Caluum montẽ & Trie ad colloquium. Vbi rex Franciæ conſtanter petebat, vt dux Normanniæ redderet ei Giſortium, & alia multa, quæ longum eſt per ſingula dinumerare. ſed ipſe *Richardus* videns quod ſi ipſe hoc feciſſet, in damnum & opprobrium ſempiternum ſibi redundaret, adiecit illis ſupradictis viginti millibus marcarum argenti, quas rex pater ſuus conuentionauerat, ſe daturum regi Franciæ quatuor millia marcarum argenti, & ſic gratiam & amorem ſuum obtinuit, & rex Franciæ reddidit ei omnia, quæ per guerram ſuper regem patrem ſuum ceperat, tam caſtella, quam ciuitates, & alias munitiones & villas & prædia. Interim *Alienor* regina mater prædicti ducis reginalem curiam circumducẽs de ciuitate in ciuitatem, & de caſtello in caſtellũ, ſicut ei placuit, profecta eſt; & miſſis legatis per vniuerſos Comitatus Angliæ præcepit captiuos omnes à carcerib. & captionib. liberos reddi pro anima *Henrici* domini ſui: vt à propria perſona ſua argumentũ eliceret, captiones moleſtas eſſe hominibus, & iucundiſſimam animæ refocillationem ab ipſis emergere. Præterea præcepit ex mandato ducis filii ſui, quod omnes, qui capti fuerant, pro foreſta liberarentur quieti, & vt omnes Vthlegati pro foreſta ad pacẽ redirent de præcedentib. foriſfactis foreſtæ quieti, & vt oẽs alii, qui capti fuerant, & retenti per voluntatem regis, vel iuſticiæ eius, qui non erant retẽti per cõmune rectum Comitatus, vel hundredi, vel per appellationem, eſſent quieti, & illi qui per commune rectum ſunt retenti, ſi plegios inuenire poſſunt ſtãdi ad rectum, ſi quis aduer-

aduerſus eos loqui voluerit, liberentur; ſin autem iuramentum præſtant ſtandi ad rectum ſi quis aduerſus eos loqui voluerit, per tantum liberentur: & illi, qui per appellationem ſunt retenti pro quacunq; turpi cauſa, ſi plegios ſtandi ad rectum inuenire poſſunt, vt plenum inde fiat, liberentur: & illi, qui vthlegati ſunt, per commune rectum ſine appellatione, per iuſtitias redeant ad pacem, ita quod plegios inueniant ſtandi ad rectum, ſi quis verſus eos loqui voluerit, ſi autem per appellationem * rectati ſunt, ſi fecerint pacem cum aduerſariis ſuis, redeant ad pacem: & omnes illi, qui retenti ſunt per appellationem eorum, qui ſe malefactores eſſe cognoſcunt, liberentur quieti, & illi malefactores, quibus pro ſuis probationibus conceſſa ſunt membra, & vita, abiurent terram domini *Richardi* & abſcedant; & illi malefactores, qui ſine conceſſione vitę & membrorum alios appellant propria voluntate, in priſone cuſtodiantur, donec aliud inde habeatur conſilium. Et præcepit, quod vnuſquiſq; liberorum hominum totius regni iuraret, quod fidem portabit domino *Richardo* regi Angliæ, filio domini regis *Henrici*, & Dominæ *Alienor* reginæ de vita & membris ſuis, & honore terreno, ſicut ligio domino ſuo, contra omnes homines & fœminas, qui viuere poſſunt, & mori, & quod ei iuſticiabiles erunt, & auxilium ei præſtabunt ad pacem & iuſtitiam ſuam per omnia ſeruandam. Præterea idem dux Normanniæ reddidit *Roberto* Comiti Leiceſtriæ omnes terras ſuas, quas pater illius ei abſtulerat, & omnes, quos pater ſuus exhæredauit, in priſtina iura reſtituit. Illos autem omnes tam clericos, quam laicos, qui relicto patre ſuo, illi adhæſerunt, odio habuit, & à familiaritate ſua alienos fecit: illos vero, qui patri ſuo fideliter ſeruierunt, ſecum retinuit, & multis bonis ditauit. Deinde idem dux transfretauit in Angliam apud Barbeflet Idibus Auguſti die Dominica proxima ante aſſumptionem beatæ Dei genetricis *Mariæ*: & ante eum venerunt in Angliam *Walterus* Rothomagenſis Archiepiſcopus, & *Henricus* Baiocenſis, & *Iohannes* Eboracenſis epiſcopi, expectantes in anglia illius aduentum. Veneruntq; ſimiliter de Normannia *Baldwinus* Cantuarienſis archiepiſcopus, & *Gilbertus* Roſenſis, & *Hugo* Lincolnienſis, & *Hugo* Ceſtrenſis epiſcopi. Dux itaq;, & *Iohannes* frater ſuus cum eo venerunt in Angliam. De quorum aduentu gauiſa ſunt regna, quia ſe per illos in meliorem ſtatum reformari ſperabant. Et quamuis quidam, perpauci tamen, moleſti eſſent de nece domini regis, ſolatium tamen illis fuit, quod quidam ait: *Mira canam, ſol occubuit, nox nulla ſecuta eſt.* Vere nulla nox ſecuta eſt poſt occaſum ſolis. Nam radius ſolis ſolium ſolis tenens, ſole ſuo iubar lucidius, ac latius ſpargit. Cum enim ſol à ſuo ſolio in ſolum deciderit, ſtans tamen eius radius occaſum, vel eclipſim neſciens de corpore ſolari repente diuiſus, & in ſe ſolide reuerberatus ſol ſole, cuius fuit radius, nulla nubium interpolatione, vel iniuria impediente, multo maior, & lucidior eſt effectus. Et ne ſcrupuloſum quid animum legentis lædat, præſenti plenius perpendere poterit pentametro:

Sol pater, & radius filius eius erat.

al. retenti

Filius itaq; in immenſum creſcens patris ſui bona opera ampliauit, mala vero reſecauit. Nam quos pater exhæredauit, filius in priſtina iura reſtituit: quos pater fugauit, filius reuocauit, quos pater in vinculis tenuit, filius illæſos abire permiſit, quos pater cauſa iuſtitiæ diuerſis pœnis afflixit, filius cauſa pietatis refocillauit. Præfatus igitur dux Normanniæ *Richardus* filius *Henrici* regis Angliæ proximo defuncti, venit in Angliam, & dedit *Ioh.* fratri ſuo Comitatum Moretonii, & comitatum Cornubiæ, & Dorſetæ, & Sumerſetæ, & Comitatum de Notingham, & Comitatum de Derbiſire, & Comitatum de Loncaſtre, & caſtellũ de Werleberge, & de Lutegareſhale, cum foreſtis, & omnibus pertinentiis eorum; & honorẽ de Walinford, & honorem de Tiſchil, & honorem de Haia; & Comitatum de Glouceſtria cum filia Comitis, & eam fecit illi deſponſari ſtatim; *Baldewino* Cantuarienſe Epiſcopo prohibente, quia erant conſanguinei in quarto gradu, præterea dedit ei le Pecl & Bolſoueres. Sed quædam caſtella prædictorum Comitatuum, & honorũ retinuit dux in manu ſua. Præterea idem dux dedit *Andreæ* de Chaueneni filiam *Radulfi* de Dols cum honore caſtri *Radulfi* in Berria, quæ fuerat vxor Comitis *Baldwini* de Riuers, & ſtatim fecit eos deſponſari apud Sareſbiriam in præſentia *Alienor* reginæ, & *Willielmo* Mareſcallo, filiam Comitis *Richardi* de Striguil, cum Comitatu de Striguil: & *Gilberto* filio *Rogeri* filii *Rainfrai* filiam *Willielmi de Loncaſtre*, & *Gaufrido* fratri ſuo notho, qui quondam fuerat Lincolnienſis Eccleſię electus, Archiepiſcopatum Eboraci: quem Canonici Eboracenſis Eccleſiæ ſibi per aſſenſum regis in Archiepiſcopum elegerunt. Et quamuis magiſter *Bartholomæus* Officialis *Huberti Walteri* eiuſdem eccleſiæ Decani, & ante electionem & poſt, appellaſſet ad pręſentiam ſummi pontificis, eo quod *Hugo Dunelmenſis* eccleſiæ epiſcopus, & eiuſdem eccleſię filius ſpecialis, & *Hubertus Walter* eiuſdem Eccleſię Decanus aberant,

ad quos prima vox electionis ſpectabat, tamen prædicti Canonici ab inceptis deſiſtere noluerunt, ſed ſupradictum elegerunt, & ſigillis ſuis confirmauerunt. At Epiſcopo Dunelmenſi, & *Huberto Walteri* conquerentibus de transgreſſione Canonicorum illorum, præcepit dux, quod omnia Eboracenſis Eccleſiæ eſſent in eo ſtatu, quo fuerunt die, qua rex pater ſuus fuit viuus & mortuus; vnde factum eſt, quod iura Eccleſiaſtica Archiepiſcopatus Eboracenſis redierunt in manum *Huberti Walteri*, & officialium ſuorum, ſicut antea fuerant, & ſecularia beneficia eiuſdem Archiepiſcopatus redierunt in cuſtodiam ſeruientium ducis. Eodem anno obiit *Gaufridus* Elienſis epiſcopus apud Wintoniam duodecimo Kal. Septembris, & delatus ad Ely, ibidem ſepultus eſt, & *Richardus* dux cepit omnes theſauros ſuos. Præterea idem dux miſit Epiſcopos, & Comites, & barones ſuos per omnes theſauros regis patris ſui, & totum theſaurum, qui inuentus fuerat in auro & argento, fecit computari, & ponderari, cuius numerum & menſuram longum eſt enarrare, quia theſaurus ille erat magnus valde excedens numerum & valentiam centum millia marcarum. Deinde miſit ſeruientes, & balliuos ſuos per vniuerſos portus maris Angliæ, & Normanniæ, & Pictauiæ, & aliarum terrarum ſuarum, & de vniuerſis nauibus fecit ſibi eligi, & maiores, & meliores, quæ aptę erant ad magnum pondus portandum, & quaſdam illarum diſtribuit familiaribus ſuis, qui crucem Ieroſolymitanæ profectionis ſuſceperant & quaſdam illarum ad opus ſuum retinuit; & fecit illas onerari armis, & victualibus. Deinde idem dux venit Lundonias congregatis ibi Archiepiſcopis, epiſcopis, comitibus, & baronibus, & copioſa militum multitudine in occurſum eius, quorum conſilio, & aſſenſu ipſe dux 3. Nonas Septembris die Dominica feſto ordinationis beati *Gregorii* Papæ, die quoq; Ægyptiaca conſecratus, & coronatus eſt in regē Anglię Londoniis apud Weſtmonaſterium a *Baldwino* Cantuarienſi Archiepiſcopo, miniſtrantibus ei in illa coronatione *Waltero* Rothomagenſi, *Iohanne* Dublicenſi, *Fermali* Treuerenſi Archiepiſc. & *Hugone* Dunelmenſi, & *Hugone* Lincolnienſi, & *Hugone* Ceſtrenſi, & *Willielmo* Herefordenſi, & *Willielmo* Wigornenſi, & *Iohanne* Exonienſi, & *Reginaldo* Bathonienſi, & *Iohanne* Norwicenſi, & *Sefrido* Ciceſtrenſi, & *Gilberto* Roſenſi, & *Petro* de S. *Dauid*, & de S. *Aſaph*, & de Pangor, & *Albino* Fernenſi, & *Concorde* Hegdunenſi Epiſcopis, & omnibus fere abbatibus, & Prioribus, & Comitibus, & Baronibus Angliæ aſtantibus.

ORDO CORONATIONIS Richardi Regis Angliæ.

IN primis venerunt Epiſcopi, & abbates, & clerici multi induti cappis ſericis, præcedentibus eos cruce, ceroferariis thuribulis cum aqua benedicta vſq; ad oſtium thalami regis interioris, & ibi receperunt prædictum *Richardum* ducem, qui coronandus erat, & duxerunt eum in eccleſiam Weſtmonaſterii, vſq; ad altare maius cum ordinata proceſſione, & cantu glorioſo, & omnis via, qua gradiebantur ab oſtio thalami regis, vſque ad altare cooperta erat pannis laneis. Ordo autem proceſſionis talis erat. In prima fronte præcedebant clerici induti portantes aquam benedictam & crucem, & cereos, & thuribulos. Deinde veniebant Priores, deinde abbates, deinde Epiſcopi, & in medio illorum ibant quatuor Barones portantes quatuor candelabra aurea; deinde venerunt *Godefridus* de Luci portans pileum regium, & *Iohannes* Mareſcallus iuxta eum portans duo calcaria aurea magna, & ponderoſa; deinde venerunt *Willielmus* Mareſcallus Comes de Striguil portans ſceptrum regale aureum, in cuius ſummitate eſt crux aurea, & *Willielmus* patricii Comes de Saleſbirię iuxta eum geſtans virgam auream habentem in ſummitate columbam auream. Deinde venerunt *Dauid* frater regis Scotiæ Comes de Huntedun, & *Iohannes* Comes Moretonii frater ducis, & *Robertus* comes Leiceſtriæ portantes tres gladios aureos regios ſumptos de theſauro regis, quorum vaginæ deſuper per totum auro contextæ erant, medius autem illorum ibat Comes Moretonii. Deinde veniebant ſex Comites, & ſex Barones portantes in humeris ſuis vnum * ſaccarium magnum valde, ſuper quod

al. ſcaccarium.

poſita erant regalia inſignia, & veſtes. Deinde veniebat *Willielmus* de Mandiuillę Comes Albæ Marliæ geſtans coronam auream magnam, & ponderoſam lapidibus pretioſis vndiq; decoratam. Deinde venit *Richardus* dux Normannię, & *Hugo* Dunelmenſis epiſcopus ibat à dextris illius, & *Reginaldus* Bathonienſis epiſc. à ſiniſtris illius ibat, & 4. barones portauerunt ſupra eos vmbraculum ſericum ſuper 4. lanceas proceras, & omnis turba comitū & baronum, & militum, & aliorum tam clericorū, quam laicorum ſequebatur vſq; in atriū eccleſiæ & induti introierunt cū duce vſq; in chorum. Cum autem dux ad altare veniret coram archiepiſcopis, epiſcopis, & clero, & populo flexis genibus ante altare coram

poſitis ſacroſanctis euangeliis, & plurimorum ſanctorum reliquiis vt moris eſt, iurauit quod ipſe omnibus diebus vitæ ſuæ pacem, & honorẽ, atq; reuerentiam Deo, & Sanctæ Eccleſiæ, & eius ordinatis portaret. Deinde iurauit, quod rectam iuſtitiam, & æquitatem exerceret in populo ſibi commiſſo. Deinde iurauit, quod malas leges, & conſuetudines peruerſas, ſi quæ in regno ſuo inductæ ſunt, deleret, & bonas leges conderet, & ſine fraude, & malo ingenio eas cuſtodiret. Deinde denudauerunt eum totum exceptis camiſia, & braccis. (Camiſia autem diſſuta erat in ſcapulis,) deinde calciauerunt eum ſandaliis auro contextis; deinde *Baldwinus* Cantuarienſis Archiepiſcopus infundens oleum ſanctum ſuper caput eius vnxit eum in regem in tribus locis, viz. in capite, in pectore, in brachiis, quod ſignificat gloriam, fortitudinem, & ſcientiam, cum orationibus ad hoc conſtitutis. Deinde poſuit idem Archiepiſcopus ſuper caput eius cõſecratum pannum lineum, & pileum deſuper, quod *Godefridus* de Luci portauerat. Deinde induerunt eum veſtimẽtis regalibus. Primo viz. tunica, deinde Dalmatica; deinde tradidit ei idem Archiepiſcopus gladium regni ad malefactores eccleſiæ comprimendos, deinde duo Comites calciauerunt ei calcaria, quæ *Iohãnes* Mareſcallus portauerat, deinde indutus eſt mantea, deinde ductus eſt ad altare, & ibi prædictus Archiepiſcopus prohibuit ei ex parte omnipotentis Dei, ne hunc honorem ſibi aſſumeret niſi in mente haberet ſupradicta ſacramenta, & vota, quæ fecerat inuiolabiliter ſeruare, & ipſe reſpondit ſe per auxiliũ Dei omnia ſupradicta ſeruaturũ ſine fraude. Deinde ipſe cepit coronam de altari, & tradidit eam Archiepiſcopo & archiepiſcopus tradidit ei, & poſuit eam ſuper caput illius, quam duo Comites ſuſtinebant propter ponderoſitatem ipſius. Deinde tradidit ei Archiepiſ. ſceptrũ regale in manu dextra, & virgam regalem in ſiniſtra, & rex ſic coronatus ductus eſt ad ſedem ſuã a prædictis Dunelmenſi, & Bathonienſi epiſc. præcedentibus eos ceroferariis, & prædictis tribus gladiis. Deinde inchoata eſt miſſa Dominicalis, & cum perueniretur ad Offertoriũ, prædicti epiſcopi duxerunt eum ad altare, & ipſe obtulit vnã marcam auri puriſſimi: talis enim oblatio decet regem in ſingulis coronationibus ſuis. & præfati epiſcopi reduxerunt eum ad ſedem ſuam. Celebrata autem Miſſa, & omnibus rite peractis, prædicti duo epiſcopi, vnus à dextris, & alter à ſiniſtris reduxerunt eum coronatum, & portantem ſceptrũ in dextra, & virgam regalem in ſiniſtra ab eccleſia vſq; in thalamum ſuũ, præcedente ordinata proceſſione, vt ſuperius. Deinde reuerſa eſt proceſſio in chorũ, & dominus Rex depoſuit coronam regalem, & veſtes regales; & leuiores, coronam & veſtes cepit, & ſic coronatus venit prandere, & Archiepiſcopi, & epiſcopi ſederunt cum eo in menſa vnuſquiſq; ſecundum ordinem, & dignitatem ſuam. Comites autem & barones ſeruiebant in domo Regis prout dignitates eorũ exigebant. Ciues vero Lundonenſes ſeruierunt de pincernaria, & ciues Wintonienſes de coquina. Dum autem rex in menſa ſederet, venerunt principes Iudæorum deferentes regi munera, ſed q̃a prohibitum erat eis die heſterna, quę præteriit, ne ad curiam regis die coronationis ſuæ accederent, plebs ſuperbo oculo, & inſatiabili corde irruit in Iudæos, & ſpoliauit eos, & plagis impoſitis eiecerunt eos ab atrio regis inter quos erat benedictus Iudæus Eboraci, qui cum à Chriſtianis ita perſecutus eſſet, & vulneratus, vt de vita deſperaret, baptizatus eſt à *Willielmo* Priore eccleſiæ S. *Mariæ* Eboraci in eccleſia innocentium, & vocatus eſt *Willielmus*, & ſic euaſit mortis periculũ, & manus p̃ſequentium. Quod cũ ciues Lundonenſes audiſſent, inuaſerunt Iudæos ciuitatis, & domos eorum combuſſerunt, & illos interfecerunt, pauci tamen euaſerunt beneficio amicorum ſuorum Chriſtianorũ. In craſtino autẽ coronationis regis miſit rex ſeruientes ſuos, & comprehendi fecit malefactores illos, qui ciuitatem incenderunt, non propter Iudæos, ſed propter domos, & facultates Chriſtianorũ, quas incenderunt, & rapuerunt, & de illis quoſdã fecit ſuſpendi, & eodẽ die fecit rex p̃fatũ *Willielmum*, q̃ de Iudæo factus erat Chriſtianus, ſibi pręſentari; & ait illi, tu quis es? & reſpondens dixit. Ego ſum benedictus Iudęus tuus de Eboraco, & conuerſus rex ad archiepiſc. Cantuarienſem, & cæteros, qui dixerãt ei prædictum *Benedictum* factum fuiſſe Chriſtianum, ait illis. Nonne dixiſtis mihi, quod ipſe Chriſtianus eſt, & reſponderunt illi, etiam domine: Et ait illis: quid ergo faciemus de eo? cui Archiepiſc. Cantuarienſis minus circumſpecte quam eſſet neceſſe, reſpondit in ſpiritu furoris ſui, ſi ille Chriſtianus eſſe nõ vult, homo Diaboli ſit, debuerat enim reſpondiſſe; petimus de eo iudiciũ Chriſtianorum de ſe ſicut ipſe Chriſtianus ſit factus, & modo contradicit. Sed quia non erat, qui reſiſteret, præfatus *Willielmus* reuerſus eſt ad Iudaicam prauitatem, qui poſtmodo paruo interlapſo tempore obiit apud Northamtoniam, & factus eſt alienus à communi ſepultura Iudæorum, ſimiliter & Chriſtianorum, tum q̃a fact⁹ fuerat Chriſtianus, tum quia ipſe ſicut canis reuerſus ad vomitũ, rediit ad Iudaicam prauitatem. Secunda a. die poſt coronationem ſuam *Richardus* rex Angliæ recepit homagia ſua

& fidelitates ab Epiſcopis & abbatibus, & Comitibus, & baronibus Angliæ: quibus expletis, rex expoſuit venditioni omnia, quæ habuit, ſcz. caſtella, villas, & prædia. Vnde factum eſt, quod *Hugo* Dunelmenſis Epiſcopus emit a rege bonum mannerium ſuum de Sadberga cum Wapentac / & feodis militum pro ſexcentis marcis argenti in puram & perpetuam eleemoſynam, & hac charta confirmauit.

CHARTA REGIS RICHARDI DE MANnerio de Sadberga vendito Hugoni *Dunelmenſi Epiſcopo.*

R*ichardus* Dei gratia rex Angliæ, dux Normanniæ & Aquitaniæ, Comes Andegauiæ Archiepiſcopis, Epiſcopis, baronibus, vicecomitibus, & omnibus balliuis, & miniſtris totius Angliæ, ſalutem. Sciatis nos dediſſe, & conceſſiſſe, & præſenti charta confirmaſſe Deo, & beato *Cuthberto*, & Eccleſiæ Dunelmenſi, & *Hugoni* Dunelmenſi, epiſcopo charo, conſanguineo noſtro, & ſucceſſoribus eius in puram, & perpetuam eleemoſynam pro anima patris noſtri, & anteceſſorum & ſucceſſorum noſtrorum, & pro ſalute noſtra, & hæredum noſtrorum, & pro ſtabilitate, & incremento regni noſtri mannerium noſtrū de Sadberge cum Wapentac ad idem mannerium pertinente, & cum omnibus aliis rebus ad illud pertinentibus, tam in hominibus, quam in terris cultis, & incultis, in viis, & ſemitis, in pratis, & paſturis, in ſtagnis, & molendinis, in aquis, & piſcariis, & ſeruitium *Petri Carou*, & hæredum ſuorum de feodo vnius militis de Setune / & de Quitune / & ſeruitium *Thomæ de* Amundeuile / & hæredum ſuorum de feodo vnius militis de Cottona, & de Ereiford / & ſeruitium filii *Godefridi Baarde*, & hæredum ſuorum, de feodo duarum partium vnius militis de Midelum / & de Herteburne / quas terras de nobis tenebant inter Tinam & Teiſam, cum omnibus aliis rebus ad prædicta feoda pertinentibus in * Eſcambrum pro ſeruitio feodi trium militum, quod *Philippus* de Kimba de ipſo Epiſcopo in Lincolnſire tenebat, & pro feodo duorum militum, quod *Gerardus* de Camuile de eodem tenebat ibidem. Et pro feodo vnius militis, quod *Baldwinus* W*ac*, & filius *Rogeri* de Oſeuile ibidem de eodem tenebant. Quare volumus & præcipimus, quod prædictus *Hugo* Dunelmenſis Epiſcopus, & ſucceſſores ſui prædicta duo feoda militum, & duas partes feodi vnius militis cum prædicto mannerio de Sadberge / & Wapentacco ſicut prædictū eſt, teneant, habeant, & poſſideant libere, & quiete, & honorifice cum omnibus rebus ad ea pertinentibus in boſco & in plano, cum ſocco, & ſacca, & tol, & them, & infangenthef, & cum omnibus aliis libertatibus, & liberis conſuetudinibus, & cum placitis ad coronam pertinentibus, ſicut nos ipſi in propria manu noſtra habebamus: & ſicut ipſe epiſcopus habet, & tenet alias terras ſuas, & feoda militum in epiſcopatu ſuo, & vt tam ipſe epiſcopus, quam ſucceſſores ſui diſponant de hominibus, & terris ad idem mannerium pertinentibus, ad libitum ſuum, & voluntatem ſicut de aliis hominibus, & terris ſuis in eodem epiſcopatu ſuo faciunt. His teſtibus *Baldwino* Cantuarienſi Archiepi. W*altero* Rothomagēſi, *Iohanne* Dublinenſi archiepiſc. *Reginaldo* Bathonienſi, *Hugone* Lincolnienſi, *Iohanne* Norewicenſi, *Hugone* Couentrenſi, *Sefrido* Ciceſtrenſi, *Gilleberto* Roſenſi, *Iohanne* Exonienſi Epiſc. Domino *Iohanne* fratre domini regis, W*illielmo* de Mandeuilla Comite de Eſſeſ / *Roberto* Comite de Leiceſtre / *Hamelino* Comite de Waren / W*aleranno* Comite de Warewic / W*illielmo* Comite de Arundel / Richardo Comite de Clare / W*illielmo* Comite de Sareſbiri / *Rogero Bigoto*, W*illielmo* Mareſcallo domino de Striuil. Datum anno primo regni noſtri, 18. die Septembris apud Gatingert per manum W*illielmi* de longo campo Cancellarii noſtri. Præterea idem epiſcopus dedit prænominato regi * marcas argenti pro Comitatu Northumbriæ habendo in vita ſua cum caſtellis & aliis pertinentiis ſuis. Deinde venit rex ad abbatiam, quæ dicitur Pipewell / & congregatis ibi *Baldwino* Cantuar. Archiepi. & W*altero* Rothomagenſi Archiepiſc. & *Iohanne* Dublinenſi Archiepiſ. & *Formale* Triuerenſi Archiepiſc. & *Hugone* Dunelmenſi epiſc. & *Hugone* Lincolnienſi epiſc. & *Hugone* Ceſtrenſi epiſc. & *Iohanne* Northwicenſi epiſc. & *Iohanne* Eboracenſi epiſco. & *Iohanne* Exonienſi epiſc. & W*illielmo* Herefordenſi epiſc. & W*illielmo* Wigornienſi epiſc. & *Reginaldo* Bathonienſi epiſc. & *Gilleberto* Roſenſi epiſc. & *Sefrido* Ciceſtrenſi epiſc. & *Henrico* Baiocenſi epiſc. & *Petro* epiſcopo de *S. Dauid* in Wallia, & *Albino* Fernenſi epiſc. & *Concordie* Hegilonenſi epiſc. & Abbatibus, & Prioribus fere totius Angliæ; idem rex dedit *Godefrido* de Luci epiſcopatum Wintonienſem, & *Richardo* theſaurario Elienſi Archidiacono, epiſcopatum Lincolnienſem, & W*illielmo* de longo campo Cancellario ſuo, epiſ. Ellienſem, & *Huberto* W*alteri* decano Eboraci, epiſcopatum Saleſbirienſem, & abbatiam de Selebi / *Rogero* eiuſdem Abbatiæ Priori, & abbatiam de Glaſtingbiri / *Henrico* de Soilli Priori de Ber-

al. Eſcābium.

Bermundeſaia, & *Gaufrido* fratri ſuo quondam Lincolnienſi electo Archiepiſcopatum Eboracenſem, & *Henrico* fratri *Willielmi* Mareſcalli, decanatum Eboracenſis Eccleſiæ, & *Bucardo* de Puteaco nepoti *Hugonis* Dunelmenſis epiſcopi, theſaurariam Eboracenſis Eccleſiæ. Et *Willielmo* de Chuneli, Archidiaconatum de Richmund/ & *Willielmo de S. Maria* eccleſia præbendam, quæ fuit *Walteri Huberti* in Eccleſia Eboraci, & decanatum S. *Martini* Lundoniæ. Cum igitur *Baldwinus* Cantuar. Archiepiſcopus vidiſſet Archiepiſcopatum Eboracenſem datum fuiſſe præfato *Gaufrido*, calumniatus eſt conſecrationem illius, & prohibuit ei ne ipſe ab alio, quam ab eo conſecrationem, ſeu ſacerdotalem ordinem ſuſciperet, & ſuper hoc appellauit ad dominum Papam, & coram Rege, & vniuerſis epiſcopis, & clero, & populo chartam *Willielmi Regis Baſtardi*, in qua continebatur controuerſia, quæ olim vertebatur inter Cantuarienſem, & Eboracenſem eccleſiā ſuper Primatia Angliæ, & quibuſdam aliis dignitatibus protulit. In charta autem illa continebatur, quod *Thomas* tunc temporis Archiepiſcopus Eboracenſis ordinem ſacerdotalem, & Epiſcopalem conſecrationem ſuſcepit de manu *Lanfranci* tunc temporis Cantuarienſis Archiepiſcopi, & totius Angliæ primatis, & ei canonicam obedientiam fecit, & ad concilia ſua cum Lindiſfarnenſis eccleſiæ epiſcopo, & cęteris ſuffraganeis ſuis venit, & ei reuerentiam omnem ſicut primati ſuo exhibuit. Charta autem illa teſtabatur hæc omnia ſupradicta facta fuiſſe coram rege *Willielmo* in generali concilio apud Lundonias per definitiuā ſententiam ab *Alexandro* Papa ſecundo prolatam. In ſequenti vero die *Iohannes* electus Candidæ caſæ conſecratus eſt in epiſcopum à *Iohanne* Dublinenſi Archiepiſcopo apud Pipewell/ decimo quinto Kalendarum Octobris die Dominica. In eodem vero concilio dominus rex conſtituit *Hugonem* Dunelmenſem epiſcopum, & *Willielmum* Comitem Albemarliæ ſummos iuſticiarios Angliæ, & aſſociauit eis in regimine regem *Willielmum* Mareſcallum, & *Gaufridum* filium *Petri*, & *Willielmum Bruneræ*, & *Robertum de* Wihtefeld/ & *Rogerum* filium *Remfridi*. *Gaufridus* vero Eboracenſis electus ſtatim murmurauit contra *Henricum* fratrem *Willielmi* Mareſcalli, & *Bucardum* nepotem *Hugonis* Dunelmenſis Epiſcopi & *Willielmum de S. Maria* eccleſia, & *Rogerum* electum Abbatiæ ſancti *Germani de* Selebi: quibus rex ſupradictos honores dederat, & iurauit, quod donatio illa Regis non ſtaret niſi de conſenſu, & voluntate illius. Vnde rex iratus diſſaiſiauit eum de Archiepiſcopatu Eboraci, & facta eſt inter regem, & illum diſcordia grauis, adeo quod etiam rex diſſaiſiauit eum de omnibus tenementis ſuis citra mare, & vltra. Sed paulo poſt prædictus Eboracenſis electus recepit ordinem ſacerdotalem à *Iohanne* Epiſcopo Candidæ caſæ ſuffraganeo ſuo menſe Septembris Sabbato * quarto Kalendarum apud Suuelle. Interim *Richardus* rex Angliæ miſſis nunciis ſuis ad *Clementem* Papam, obtinuit ab eo literas patentes, vt quoſcunq; ipſe vellet dimittere ad terras ſuas cuſtodiendas, eſſent quieti à captione crucis, & ab itinere Ieroſolymitano, vnde ipſe ſibi inæſtimabilem acquiſiuit pecuniam. *Henricus* autem frater *Willielmi* Mareſcalli, cui rex dederat decanatum Eboracenſis eccleſiæ venit vſq; Burhtun in Lindeſia, & ibi ſuſcepit ordinē ſubdiaconi & diaconi in vna die à *Concorde* Hegdunenſi. Cumq; *Henricus* idē Eboracum veniret, cum literis Regis ad recipiendum decanatum, non inuenit, qui eum in ſtallum decani mitteret. Dicebant enim clerici Eboracenſis Eccleſiæ, quod nullus præter Archiepiſcopum debuit mittere eum in ſtallum decani. Sed *Hamo* Eboracenſis Eccleſiæ præcentor miſit eum in ſtallum præbendæ, quam Rex ei dederat. Cum autem *Bucardus* de Puteaco Archidiaconus Dunelmenſis, cui Rex theſaurariam Eboracenſis Eccleſiæ dederat, veniſſet cum literis Regis *Hamoni* præcentori directis, vt prædictum *Bucardum* in ſtallum mitteret: noluit mandatis Regis obedire. Dicebat enim quod *Rogerus* Eboracenſis Archiepiſcopus ipſi prædictam theſaurariam dederat, & quod Rex *Henricus* illi ipſam confirmauerat, & ſuper hoc ad ſedem Apoſtolicam appellauit, & ſic vterque fraudatus à ſuo deſiderio receſſit. Eodem anno *Formator* Treuerenſis Archiepiſcopus obiit in Anglia apud Northampton. Eodem anno menſe Septembris homines Londonienſes, & cæteri multi, qui de diuerſis regnis per naues iter Ieroſolymitanum arripuerant, obſederunt in Hiſpania ciuitatem quandam Sarracenorum, quæ dicitur Siluia, & ceperunt eam: & deiectis Sarracenorum ſpurcitiis legem Chriſtianam ibi in perpetuum tenendam ſtatuerunt, & Eccleſiam in honorem Dei, & beatæ Dei genetricis *Mariæ* fabricauerunt, & à vicinis Epiſcopis dedicari fecerunt, & clericum quendam Flandrenſem, qui cum eis venerat fecerunt conſecrari in Epiſcopum eiuſdem ciuitatis, & tradiderunt eam *Sanctio* Regi Portugalenſi.

al. quatuor temporum.

Eodem anno *Godefridus* de Luci Wintonienſis Epiſcopus emit à *Richardo* Rege Angliæ duo maneria optima videlicet Weregraua, & Menes olim pertinentia ad Epi-

ſcopatum Wintonienſem, vt dicebatur; & *Samſon* abbas de Sancto *Edmundo* emit ab eo manerium, quod dicitur 𝔐𝔦𝔩𝔡𝔢 Hala pro mille marcis, quod de antiquo iure dicebatur pertinere abbatiæ ſancti *Edmundi*. Cæteri autem omnes quicunq; volebant, emerunt à Rege ſua, & aliena iura, vnde rex maximam ſibi acquiſiuit pecuniam. *Galfridus* verò Eboracenſis electus venit Eboracum, & cum ſolenni proceſſione receptus eſt à clero & populo. Venerunt etiam Eboracum *Henricus* frater *Willielmi* Mareſcalli, cui rex decanatum Eboracenſis Eccleſiæ dederat, & *Bucardus* nepos *Hugonis* Dunelmenſis Epiſcopi, cui rex theſaurariam Eboracenſis Eccleſiæ dederat; ſed Eboracenſis Archiepiſcopus noluit eos recipere, neq; in ſtallos mittere; dicens quod non mitteret eos in ſtallos, donec electio ſua confirmata eſſet à ſummo Pontifice. Eodem anno menſe Octobris *Henricus* dux Saxoniæ gener *Henrici* Regis Angliæ rediit in Saxoniam terram ſuam, & magno congregato exercitu, inuaſit eos, quibus Imperator terram ſuam dederat, & expugnauit eos, & pluſquam triginta caſtella obtinuit. Eodem anno menſe Nouembris *Willielmus* de Mandeuilla Comes Albemarliæ obiit in Normannia apud Rothomagum, & *Hugo* de Puteaco nepos *Hugonis* Dunelmenſis epiſcopi Comes de Bahr ſupra Secanam obiit apud * Ader, & ſepultus eſt in loco, qui dicitur Galilæa apud Dunelmum. Eodem * menſe *Rotrodus* Comes de Pertico, & alii nuncii *Philippi* Regis Franciæ venerunt in Angliam ad *Richardum* regem Angliæ dicentes, quod rex Franciæ in generali concilio Pariſiis iurauerat tactis ſacroſanctis Euangeliis, & omnes principes regni ſui, qui crucem Domini ſuſceperant, quod Deo volente, immutabiliter erunt apud Vizeliacum ad clauſum Paſchæ: inde Ieroſolymam ituri; & in teſtimonium illius ſacramenti Rex Franciæ miſit regi Angliæ chartam ſuam, petens ab eo, vt ipſe & Comites, & barones ſui facerent illi ſimili modo ſecurum, quod ad eundem terminum eſſent apud Vizeliacum. Hinc factum eſt, quod *Richardus* Rex Angliæ, & Comites, & barones ſui, qui crucem ſuſceperant in generali concilio conſtituti apud Londonias, iurauerunt tactis ſacroſanctis Euangeliis, quod per auxilium Dei immutabiliter venirent Vizeliacum in clauſum Paſchæ, parati inde iter Ieroſolymitanum arripere; & prædictus Comes de Pertico, & cæteri nuncii regis Franciæ hoc idem iurauerunt in animam Regis Franciæ coram Rege Angliæ in concilio illo, & *Willielmus* Mareſcallus, & quidam alii hoc idem iurauerunt in animam regis Angliæ coram nuntiis Regis Franciæ in eodem concilio, & miſit inde chartam ſuam Regi Franciæ. Eodem anno *Sibilla* regina Ieroſolymæ reddidit *Saladino* Scaloniam pro liberatione *Guidonis* de Lizinant mariti ſui, & *Saladinus* permiſit eum liberum, & abſolutum abire, & inuenit ei ſaluum conductum vſque ad ciuitatem Tyri. Quo cum veniſſet, *Conradus* Marchio non permiſit illum intrare. Rex itaque ille non habens in ciuitate vbi caput ſuum reclinaret, extra vrbem Tyri in tentoriis remanſit. Confluebant ergo ad eum Templarii, & Hoſpitalares, & omnes Chriſtiani, qui propter metum Paganorum diſperſi erant in regione illa, & adhæſerunt illi ſicut domino, & regi ſuo. Deinde *Guido* Rex per conſilium *Heraclii* Patriarchę Ieroſolymæ, & illorum qui cum eo erant profectus eſt vſque ad ciuitatem Acon, & obſedit eam in loco, qui dicitur le Turun, menſe Auguſti in octauis aſſumptionis Sanctæ *Mariæ*, videlicet vndecimo Kalendarum Septembris, & quia Rex modicum habebat exercitum, Pagani qui in ciuitate Acon erant, non clauſerunt portas ciuitatis, neque die neque nocte, ſed ibant, & reuertebantur cum camelis ſuis attrahentes victualia, & alia, quæ erant illis neceſſaria. Tertia autem die ſequenti applicuerunt apud Acon *Robertus* Comes de * *Arues*, & *Philippus* Beluacenſis Epiſcopus frater eius, & Comes *Airardus* de Breines, & *Iakis* de Auenneis, & *Landegraua* de Alemannia, & alii Chriſtiani peregrini multi, de quorum aduentu Rex, & omnes, qui cum eo erant, gauiſi ſunt gaudio magno valde. *Saladinus* igitur magno congregato exercitu, venit prope exercitum Chriſtianorum, & commiſit eum eis prælium feria quarta poſt feſtum Sancti *Michaelis* in planitie inter Acon, & Caſale Epiſcopi, in quo prælio *Saladinus* confectus fuit, & fugatus, ita quod ipſe omnia tentoria ſua reliquit Chriſtianis, & amiſit de melioribus militiæ ſuæ partem vnam, & Chriſtiani magnam partem ſuorum perdiderunt. Poſtmodum *Saladinus* recuperauit ſuper gentem Chriſtianam propter peccata eorum, ita quod Chriſtiani vſque ad caſtra ſua repulſi ſunt, & *Girardus* de 𝔅𝔢𝔡𝔢𝔣𝔬𝔯𝔡𝔢 ſummus magiſter Templi, & Mareſcallus Templi cum fratribus duodeviginti, qui optime ſe continuerant, * ibi interfecti fuerunt; & aliam etiam amiſerunt Chriſtiani militiam vſque ad milites quadraginta, & centum turcoplos. *Saladinus* autem primogenitum ſuum * *Mirſalim*, & nepotem ſuum *Tekehedin*, & *Migemal* ſeneſcallum ſuum perdidit & centum de melioribus militiæ ſuæ, & multos alios, quorum non erat numerus. Et feria quarta venit iterum *Saladinus* cum exercitu ſuo, & cum Chriſtiani vellent

Margin notes: al. Acle. — al. anno. — al. Drues. — al. vbi. — al. Miraſalim.

vellent cum eo congredi, velocius retulit pedem; & tertia die ſequenti caſtra ſua mouit, & vſq; ad locum, qui dicitur Safran, diuertit, & exercitus eius occupauerat omnem locum a Caſali Epiſcopi vſque ad Docum, quoniam ex quo *Saladinus* natus fuit; nunquam antea tantum exercitum congregauit. Nam de tota terra ſua nullus remanſit aptus ad bellum, qui non fuerit in illo exercitu adunatus. Nec credo, quod aliquis vnquam tantam, tamque bonam aliquando alicubi militiam viderit Chriſtianorum, quantam ibi videre poſſet. Et poſt peractum bellum venerunt quingenti milites Chriſtiani optimi, & decem millia hominum pugnatorum, & armis omnibus inſtructorum. Et eodem anno applicuerunt ibi naues, & burciæ pluſquam quingentæ, exceptis galeis, & curſoriis, quæ multæ fuerunt, & ſtatim reuertebantur in Apuliam, vt plus afferrent, videlicet homines, & victualia. Naues autem Teutonicorum, & Dacorum remanſerunt apud Accon ad comburendum. Non habebant enim ibi Chriſtiani vnde cibos ſuos coquerent, niſi de nauibus, & ex his, quæ naues attulerant. Et eſt notandum, quod ciuitas Accon obſeſſa erat in hunc modum. *Guido* Rex Hieroſolymæ cum regina vxore ſua, & duabus filiabus ſuis hoſpitatus eſt in Turono ſubtus verſus mare, verſus caput montis, & *Heraclius* Patriarcha, & *Galfridus* frater Regis erant cum eo; tota vero maritima, qua itur ad Cayphas, Piſani caſtra metati ſunt, ita quod nullus ex illa parte à ciuitate exire poterat: & ex alia parte * Turoni [*al. Toroni*] vbi ſedet Maconiatum, id eſt, Lamahumberiæ Sarracenorum; ibi dominus *Landigrauus*, & dominus *Iacobus* de Auennis, omneſq; Teutonici, & Ianuenſes caſtra poſuerunt. Poſtea Templum cum gente ſua hoſpitatum eſt, vbi fuerant horti, & ciſternæ Latinorum. Hoſpitale cum fratribus, & familia ſua ibi caſtra poſuit, vbi erat hortus, & terra eiuſdem Hoſpitalis. Ex alia parte vſque in mare hoſpitati ſunt *Conradus* Marchio, & multi de vltramontanis, vſque ad montem Muſardum. Et Comes *Robertus* de Druis, & Epiſcopus Beluacenſis, & Comes *Airardus* de Brene, & Franci, & Campani cum gentibus Regis morabantur ibi, iuxta Turonum prope villam; & Archiepiſcopus Piſanus, & Archiepiſcopus de Nazareth, & Archiepiſcopus de Beſenzun, & Archiepiſcopus de Arleblanc, & Archiepiſcopus de monte regali erant ibi cum eis. Deinde Chriſtiani fecerunt vnum foſſatum magnum à mari vſque in mare, vbi erat foſſatum Templi inter ſe, & exercitum Paganorum; & aliud foſſatum fecerunt inter ſe, & Accon; ita quod nullum ab eis, qui erant in Accon, timebant inſultum: & nullus Paganorum egredi potuit de Accon, niſi per manus illorum; & Ingennia Chriſtianorum, & perariæ eorum retro foſſata erant, ita quod nullus poterat eis nocere ex parte aduerſa; & Chriſtiani ibi erant expoſiti ventis, & imbribus, nullas habentes domos, vel tuguria, quibus operirentur. Nec inde ſi iuraſſent moueri poterant, ſed ibi oportebat eos viuere aut mori. Et vt dictum eſt, ita obſederunt Accon ex omni parte, vt nullus omnino poſſet ab ea exire. Et de die in diem faciebant inſultum in eam. Hæc contra ex vna parte Chriſtianorum erat Accon plena Paganis bellicoſis, & ex alia parte eorum erat *Saladinus* cum exercitu ſuo magno. Et in veritate dico, quod nulli vnquam Chriſtiani in tali, vel tanta fuerunt expectatione & nulla poterant ei deferri victualia niſi per mare. Oratio autem ſine intermiſſione fiebat pro eis ab Eccleſia ad Dominum. Eodem anno menſe Octobris *Baldewinus* Cantuarienſis Archiepiſcopus conſecrauit *Godefridum* Wintonienſem, & *Willielmum* Elienſem, & *Hubertum* Salesbirienſem, & *Richardum* Londonienſem epiſcopos. Eodẽ * [*al. anno.*] menſe *Reſus*, filius *Griffini* regulus de Suthwales venit in Angliã, vſque Oxenforde per conductum *Iohannis* Comitis Moretonii fratris Regis, & quia Rex Angliæ noluit occurrere illi, ſicut rex pater ſuus ſolebat, indignatus eſt valde, & reuerſus eſt in terram ſuam ſine allocutione regis. Eodem anno menſe Nouembris *Iohannes* Anagninus Cardinalis miſſus à latere Domini Papæ ad dirimendam litem, quæ erat inter *Baldewinum* Cantuarienſem Archiepiſcopum & Monachos Sanctæ Trinitatis Cantuariæ, applicuit in Anglia apud Doure, & prohibitum eſt ei ne ipſe vlterius procederet, niſi per mandatum Regis, & ille ibidem remanſit, donec Dominus rex miſit pro illo. Interim dominus Rex venit Cantuariam, & fecit pacem & finalem concordiam inter *Baldewinum* Cantuarienſem Archiepiſcopum, & Monachos ſuos in hunc modum: videlicet, quod *Rogerus* le Norreis, quem prædictus Archiepiſcopus contra voluntatem Monachorum Priorem fecerat in eccleſia Cantuarienſi, deponeretur; & capella, quam idem Archiepiſcopus in ſuburbio contra voluntatem Monachorum conſtruxerat, proſterneretur; & prædicti Monachi facerent eidem Archiepiſcopo obedientiam, & profeſſionem, ſicut prædeceſſoribus ſuis facere conſueuerunt. Et factum eſt ita, & Dominus rex ad petitionem Cantuarienſis Archiepiſcopi, dedit prænominato Priori depoſito Abbatiam de Eueſam / & factus eſt inde Abbas. Archiepiſcopus autem conſtituit Priorem in

Cantuarienſi Eccleſia conſilio regis, & conſenſu capituli. Sed monachi Cantuarienſes depoſuerunt eum poſt mortem eiuſdem Archiepiſcopi; Archiepiſcopus vero interim conſtruxit Eccleſiam apud Lamhee ex oppoſito Weſtmonaſterii, & præbendas, quas aſſignauerat in capella, quam fecerat in ſuburbio ciuitatis Cantuariæ, aſſignauit in Eccleſ. illa noua, quam conſtruxit apud Lamhee. Huic autem paci, & finali concordiæ inter Archiepiſcopum, & monachos ſuos factæ interfuerunt *Richardus* rex Angliæ, & *Alienor* regina mater eius, & *Walterus* Rothomagenſis, & *Ioannes* Dublinenſis Archiepiſcopus, & *Hugo* Dunelmenſis, & * *Iohannes* Northwicenſis, & *Iohannes* Saleſbirienſis, & *Godefridus* Wintonienſis, & *Gillebertus* Roſenſis, & *Reginaldus* Bathonienſis, & *Hugo* Couentrenſis, & *Hugo* Lincolnienſis, & *Willelmus* Wigornienſis Epiſcopi, & abbas ſancti *Auguſtini* Cantuarienſis, & *Benedictus* abbas de Burgo, & *Sampſon* abbas de ſancto *Edmundo*, & abbas de Bello, & abbas de Weſtmonaſterio, & *Guarinus* abbas de ſancto *Albano*, & alii abbates, & Priores multi, qui omnes ſigilla ſua appoſuerunt ſcripto illi, in quo ſupradicta continebatur concordia. Deinde miſit rex pro *Iohanne* Anagnino Cardinali qui Cantuariam veniens, & cum ſolemni proceſſione receptus moleſte tulit, quod in abſentia illius pax facta fuit inter Archiepiſcopum Cantuarienſem, & monachos ſuos. Eodem anno menſe Nouembris *Gaufridus* Eboracenſis electus, vna cum baronibus Eboracenſis ſcyræ, & Vicecomite Eboraci per mandatum domini regis perrexit, vſque ad aquam de Twede. & ibi recepit *Willielmum* regem Scottorum, & exhibuit ei honorem debitum, & ſecurum conductum vſque ad regem Angliæ. Venit igitur Cantuariam *Willielmus* rex Scottorum menſe Decembris ad regem Angliæ, & fecit ei homagium pro dignitatibus ſuis habendis in Anglia, ſicut *Malcolmus* frater ſuus habuit. Et *Richardus* rex Angliæ reddidit ei caſtellum de Rokeſburh, & caſtellum de Berwic libera, & quieta, & eum, & omnes hæredes ſuos clamauit liberos, & quietos ab ipſo, & regibus Angliæ in perpetuum de omni ligantia, & ſubiectione de regno Scotiæ, & pro hac redditione caſtellorum ſuorum, & pro quieta clamantia fidelitatis, & ligãtiæ de regno Scotiæ, & pro charta *Richardi* regis Angliæ inde habenda, *Willielmus* rex Scottorum dedit *Richardo* regi Angliæ decem millia marcarum eſterlingorum. Vnde *Richardus* rex Angliæ fecit ei chartam ſuam in hac forma.

al. Hubertus.

CHARTA RICHARDI REGIS ANGLIAE DE LIbertatibus Willielmo *Scottorum regi conceſſis.*

RIchardus *Dei gratia rex Angliæ, dux Normanniæ, & Aquitaniæ, & Comes Andegauiæ archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, Comitibus, & baronibus, iuſticiariis, & vicecomitibus, & omnibus miniſtris & fidelibus ſuis totius Angliæ, Salutem. Sciatis nos cariſſimo conſanguineo noſtro* Willielmo *eadem gratia regi Scottorum reddidiſſe caſtella ſua* Rokeſburh *&* Berewic *tanquam eius propria iure hæreditario ab eo, & hæredib. ſuis in perpetuũ poſſidenda. Præterea quietauimus, ei omnes conuentiones, & pactiones, quas bonæ memoriæ pater noſter* Henricus *rex Angliæ per nouas chartas, & per captionem ſuam extorſit, ita videlicet vt nobis faciat integre, & plenarie, quod rex Scottorũ* Malcolmus *frater eius anteceſſoribus noſtris de iure fecit, & de iure facere debuit. Et nos faciamus ei quicquid anteceſſores noſtri prædicto* Malcolmo *de iure fecerunt, & facere debuerunt, ſcilicet in conductu veniendo ad curiam, & redeundo à curia, & in morando in curia, & in procurationibus, & in omnibus libertatibus, & dignitatibus, & honoribus eidem iure debitis, ſecundum quod recognoſcetur à quatuor proceribus noſtris ab ipſo* Willielmo *rege electis, & à quatuor proceribus illius à nobis electis; Si autem fines, ſiue marcias regni Scotiæ aliquis noſtrorum hominum, poſtquam prædictus* Willielmus *rex à patre noſtro captus fuerit, vſurpauerit, abſque iudicio; volumus vt integre reſtituantur, & ad eum ſtatum reducantur, quo erant ante eius captionem. Præterea de terris ſuis, quas haberet in Anglia, ſeu dominicis, ſeu feodis, ſcilicet in Comitatu* Hundendoniæ, *& in omnibus aliis: in ea libertate, & plenitudine poſſideat, & hæredes eius in perpetuum, qua* Malcolmus *poſſedit vel poſſidere debuit, niſi prædictus* Malcolmus, *vel hæredes ſui aliquid poſtea infeodauerint: Ita tamen quod ſi qua poſtea infeodata ſunt, ipſorum feodorum ſeruitia ad eum, vel hæredes eius pertineant. Et ſi quid pater noſter prædicto* Willielmo *regi Scotiæ donauerit, ratum & firmũ habere volumus: Reddidimus etiam ei ligantias hominum ſuorum, & omnes chartas, quas dominus pater noſter de eo habuit per captionem ſuam. Et ſi aliqua alia forte per obliuionem retenta, aut inuenta fuerint, eas penitus viribus carere præcipimus. Ipſe autem ligius homo noſter deuenit de omnibus terris, de quibus anteceſſores ſui ligii homines anteceſſorum noſtrorum fuerunt. & fidelitatem iurauit nobis, & hæredibus noſtris teſtibus his:* Baldewino *Cantuar. Archiepiſcopo, &* Waltero *Rothomagenſi Archiepiſcopo, &* Hugone *Dunelmẽſi, &* Ioan. *Northwicenſi, &* Hubert. *Saresbi-*

reſbirienſi, & Hugone Lincolnienſi, & Godefrido Wintonienſi, & Gilleberto Roſenſi, & Reginaldo Bathonienſi, & Hugone Couentrenſi, & Willielmo Wigornienſi Epiſcopis, & Alienor matre Regis, & Iohanne Comite Moretonii fratre regis, & multis aliis. Eodem die ibidem videlicet apud Cantuariam, Hugo Dunelmenſis, & Hubertus Saresbirienſis Epiſcopi appellauerunt contra Galfridum Eboracenſem electum ad præſentiam domini Papæ coram prædicto Cardinali, & ſupradictis Archiepiſcopis, & Epiſcopis volentes probare, quod illius electio ſtare non debuit, quia ipſi ad quos prima vox eligendi ſpectabat, non interfuerunt electioni illius. Et Bucardus Eboracenſis eccleſiæ theſaurarius, & Henricus eiuſdem Eccleſiæ decanus appellauerunt contra eundem Eboracenſem electum ad præſentiam domini Papæ, dicentes ipſum non fuiſſe canonice lectum, tum quia homicida erat tũ q̃a erat in adulterio genitus, & de Scorto natus. Sed quamuis hæc omnia obiicerentur illi; tamen p̃dictus Iohannes Anagninus cardinalis Apoſtolicæ ſedis legatus electionem ſuam confirmauit. Deinde Richardus rex Angliæ dedit Iohanni Comiti Moretonii fratri ſuo in augmentũ Comitatũ Cornubiæ, & Comitatum Deuoniæ, & Comitatum de Dorſete, & Comitatum de Summerſete. Præterea idem rex Angliæ dedit matri ſuæ Alienor totum dodarium, quod Matildis regina vxor Henrici Regis ſenioris habuit, & totum dodarium quod Alicia regina vxor regis Stephani habuit, & totum dodarium, quod Henricus rex Angliæ, filius Matildis Imperatricis maritus eius ei dedit. Et ipſe rex Richardus 5. die Decembris feria tertia receſſit à ciuitate Cantuariæ, & perrexit inde vſq; Douere ad transfretandum, vbi multæ naues conuenerant per mandatum illius de diuerſis portibus Angliæ. In craſtino autem aduentus ſui ad Doroberniam, Rogerus electus abbatiæ S. Germani de Selebi recepit apud Doroberniam die S. Nicholai benedictionem ſuam ab Hugone Dunelmenſi epiſcopo per præceptum regis, contra prohibitionem Galfridi Eboracenſis electi. Videns igitur Galfridus Eboracenſis electus, quod niſi mediante pecunia, ipſe amorem regis fratris ſui nullatenus habere poſſit, promiſit ei tria millia librarum eſterlingorum pro amore eius habendo; & rex reddidit ei Archiepiſcopatum Eboracenſem, & charta ſua confirmauit, & reddidit ei omnes Laicos feodos, quos Henricus rex pater ſuus illi dederat citra mare, & vltra; ſcilicet in Anglia villam de Vicumba cum pertinentiis ſuis, & in Normannia Comitatum de Giffardi, & in Andigauia honorẽ de Blaugicum pertinentiis ſuis. Et idem rex clamauit Deo, & ſancto Petro Eboraci, & eidem Galfrido Eboracenſi electo, & omnibus illi ſucceſſuris in Archiepiſcopatu Eboracenſi: omnes terras ſuas, & canonicorum ſuorum in Eboracenſi, & in Notinghamſira quietas in perpetuum de reguardo foreſtæ, & ab omnibus aliis exigentiis, & grauaminibus foreſtæ, & foreſtariorum, & liberam poteſtatem eis dedit, & charta ſua confirmauit licentiam capiendi venationes per omnes præbendas ſuas in Eboracenſi, & Notinghamſiriis. Præterea Hugo Dunelmenſis Epiſcopus, Hubertus Salesbirienſis Epiſcopus & Henricus Eboracenſis Eccleſiæ decanus, & Bucardus eiuſdem Eccleſiæ theſaurarius per præceptum regis remiſerunt appellationes, quas fecerant contra Eboracenſem electum, & ipſe Eboracenſis electus ad petitionem Regis confirmauit prædicto Henrico decanatum Eboraci, & Bucardo theſaurariam, & Hugoni Dunelmenſi Epiſcopo confirmauit omnia priuilegia ſua, & conuentiones, quæ fuerunt inter Epiſcopum, & Rogerum Eboracenſem Archiepiſcopum, promittens quod hæc omnia confirmaret ſigillo conſecrationis ſuæ. Deinde Richardus rex Angliæ, vndecimo die Decembris feria ſecunda transfretauit à Dorobernia vſq; ad Caleis in Flandriam, & venit illuc obuiam illi Philippus Comes Flandriæ, & cum gaudio ſuſcipiens perduxit illum in ſaluo conducto vſq; Normanniam. Transfretauerunt etiam cum rege Iohannes Anagninus Cardinalis, & Walterus Rothomagenſis Archiepiſcopus, & Henricus Baiocenſis, & Iohannes Eboracenſis Epiſcopi: & Hugo Dunelmenſis, & Willielmus Elienſis, Epiſcopi, remanſerunt in Anglia ſummi iuſtitiarii. Quibus rex aſſociauerat ante receſſum ſuum Hugonem Bardolf, & Willielmum Mareſcallum, & Galfridum filium Petri, & Willielmum Bruuere; & rex tradidit Willielmo Elienſi Epiſcopo cancellario ſuo vnum de ſigillis ſuis, per quod fieri præcepit mandata ſua in regno, & tradidit illi in cuſtodia turrim Londoniarum: Et tradidit Hugoni Dunelmenſi Epiſcopo caſtellum de Windeſouers cum foreſtis, & Comitatu in cuſtodia. Transfretato itaq; rege, ſtatim fit contentio inter prædictos Dunelmenſem, & Elienſem epiſcopos, quis eorum maior haberetur. nam quod vni placuit, alteri diſplicuit. Nam omnis poteſtas impatiens conſortis erit. Et ne longe petatur exemplum,

Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Eodem anno obiit ſine prole Willielmus rex Siciliæ, ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, in Sicilia apud Panormum menſe Nouembris. Iſte Willielmus rex Siciliæ longe ante obitum ſuum dederat Conſtantiam, filiam Rogeri quondam regis Siciliæ, amitam ſuam Henrico regi Alemannorum, poſtea Romanorum Imperatori in vxorem, & conſtituit eam ſibi hæredem in regno Siciliæ ſucceſſuram, ſi ipſe ſine prole decederet; & hoc fecit ſacramentis principum regni confirmari. Defuncto itaq; rege Willielmo, Tancredus Comes de la Liche conſanguineus eius vſurpauit ſibi regnum Siciliæ, contra Sacramentũ fidelitatis, q̃ fecerat prædictæ Conſtantię. Vnde Henricus Romanorum

Imperator miſit in Apuliam exercitum magnum, ſub principibus Maguntino Archiepiſcopo, & Henrico *Teſte. Qui poſt multarum ciuitatum combuſtiones, & oppidorum ſubuerſiones imperfecto negotio domum redierunt. Et poſt eorum receſſum,* Richardus *Comes de Cirne frater reginæ Siciliæ, vxoris* Tancredi *regis, congreſſus eſt in bello cum Comite* Rogero *de Andria, ea ratione; quod ipſe auxilium præſtiterat regi Alemannorum contra regem* Tancredum : *& cepit eum, & tradidit regi* Tancredo. Iohanna *vero ſoror* Richardi *regis Angliæ, quæ fuerat vxor* Willielmi *regis Siciliæ vltimo defuncti, remanſit in cuſtodia regis* Tancredi.

Anno gratiæ 1190. *Richardus* rex Angliæ fuit in Normannia apud Burum die Natalis Domini, quæ feria ſecunda euenit: & tenuit ibi ſolenne feſtum cum primatibus terræ illius. erat enim Natiuitas illa Dominica proxima poſt primam coronationem eiuſdem *Richardi.* Et poſt natale domini prædictus *Richardus* rex Angliæ, & *Philippus* rex Franciæ collocuti ſunt ad vadum Sancti *Remigii* : vbi pacem firmam ſtatuerunt inter ſe, & regna ſua; & ipſi eam ſcriptis commendatã, ſacramento, & ſigillis ſuis oonfirmauerunt, in feſto *S. Hilarii* : & Archiepiſcopi, & Epiſcopi vtriuſq; regni in verbo veritatis dixerunt: & Comites & barones regnorum præſtito ſacramento iurauerunt, quod ipſi pacem illam fideliter tenerent, & ſeruarent illibatam. *Erat itaq; talis forma pacis, quod vterq; illorum honorem alterius ſeruabit, & fidem ei portabit de vita, & membris, & terreno honore ſuo. & quod neuter illorum alteri deficiet in negotiis ſuis: ſed rex Franciæ iuuabit regem Angliæ ad terram ſuam defendendam, ac ſi ipſe vellet ciuitatem ſuam Pariſius defendere, ſi eſſet obſeſſa; &* Richardus *Rex Angliæ iuuabit regem Franciæ ad terram ſuam defendendam, ac ſi ipſe vellet ciuitatem ſuam Rothomagi defendere, ſi obſeſſa eſſet. Comites autem, & barones vtriuſq; regni iurauerunt; quod à fidelitate regum non diſcedent, nec guerram mouebunt vllam in terris illorum, quamdiu ipſi fuerint in peregrinatione ſua. Et Archiepiſcopi, & Epiſcopi firmiter promiſerunt in verbo veritatis, quod in transgreſſores huius pacis & conuentionis, ſententiam anathematis dabunt.* Præterea prædicti reges ſtatuerunt, quod ſi alter illorum deceſſiſſet in peregrinatione Ieroſolymitanã, alter qui vixerit, pecunias defuncti, & gentes habebit ad ſeruitium Dei faciendum. Et quia ad præfixum terminum Paſchæ parati eſſe non poterant, iter Ieroſolymitanum diſtulerunt vſq; ad feſtum natiuitatis ſancti *Iohannis Baptiſtæ*, ſtatuentes, quod immutabiliter eſſent apud Vizeliacum. Eodem anno in vigilia Epiphaniæ Domini orta eſt grauis diſſenſio inter *Gaufridum* Eboracenſem Electum, & *Henricum* eiuſdem Eccleſiæ decanum & *Bucardum* theſaurarium. Cum enim prædictus electus in tanta ſolennitate voluiſſet audire veſperas in Metropolitana Eccleſia, prædictus *Henricus, & Bucardus* noluerunt expectare eum; ſed veſperas inchoauerunt: Cumq; electus ille veniſſet in choro, vna cum *Hamone* præcentore, & aliis quibuſdam eiuſdem Eccleſiæ canonicis, vehementer indignatus eſt, & præcepit, vt tacerent: ſimiliter præcepit præcentor. Decanus autem, & theſaurarius præceperunt, vt cantarent: tamen ad præceptum Electi, & Præcentoris ſiluerunt omnes: & Electus iterum inchoauit veſperas, & Theſaurarius præcepit omnes cereos extingui: quibus extinctis, & veſperis finitis; Electus conqueſtus eſt Deo, & clero, & populo de iniuria, quam Decanus & Theſaurarius ei fecerant, & illos, & ipſam Eccleſiam à celebratione diuini officii ſuſpendit, donec ei inde ſatisfaceret. In craſtino autem cum omnis populus ciuitatis conueniret more ſolito ad Metropolitanam Eccleſiam, vt in ea propter diẽ ſolennem commodius audirent diuinum officium, & electus ille, & prædicti decanus, & Theſaurarius eſſent in choro vna cum Canonicis eiuſdem Eccleſię ad pacem, & concordiam inter eos faciendam; decanus, & Theſaurarius noluerunt Electo ſuo aliquam facere ſatisfactionem de tali, & tanta transgreſſione: ſed ſuperbe locuti ſunt contra eum. Vnde populus aduerſus eos iratus, cum in illos irruere vellet, Electus non permiſit eos. Illi autem valde perterriti fugerunt à facie hominum; quorum alter fugit ad tumbam Sancti *Willielmi*; & alter recepit ſe in domo Decani, & Electus excommunicauit eos. vnde factum eſt, quod Metropolitana Eccleſia, illo die à diuino ceſſauit officio. Eodem anno poſt Purificationem Sanctæ *Mariæ Alienor* regina mater *Richardi* regis, & *Alays* ſoror *Philippi* regis Franciæ, & *Baldewinus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, & *Iohannes* Norwicenſis, & *Hugo* Dunelmenſis, & *Godefridus* Wintonienſis, & *Reginaldus* Bathonienſis, & *Willielmus* Elienſis, & *Hubertus* Salesbirienſis, & *Hugo* Ceſtrenſis, Epiſcopi; & *Gaufridus* Eboracenſis electus, & *Iohannes* Comes Moretonii frater regis, transfretauerunt de Anglia in Normanniam per mandatum Domini regis: & habito cum illis conſilio dominus rex ſtatuit *Willielmum* Elienſem Epiſcopum Cancellarium ſuum ſummum iuſtitiarium Angliæ: & conceſſit *Hugoni* Dunelmenſi Epiſcopo iuſtitiariam à fluuio Humbri, vſque ad terram regis Scotiæ. & fecit *Galfridum* Eboracenſem Electum, & Iohannem Comitem Moretonii, fratres ſuos, iurare tactis ſacroſanctis Euangeliis, quod Angliam non intraret

infra

infra tres annos proximo ſubſequentes, niſi per licentiam illius: tamen deinde relaxauit *Iohanni* fratri ſuo ſacramentum, quod fecerat, & dedit ei licentiam redeundi in Angliam, præſtito ſacramento, quod fideliter ei ſeruiret. Et rex miſit in Angliam *Willielmum* Elienſem Epiſcopum Cancellarium ſuum ad præparandum ſibi, & itineri ſuo neceſſaria: & volens exaltare eum ſuper omnes tam clericos, quam Laicos regni ſui, miſit nuncios ſuos ad *Clementem* Papam, & effecit aduerſus eum, quod ille commiſit præfato Cancellario legatiam totius Angliæ, & Scotiæ. Cumq; Cancellarius ille in Angliam veniret, fecit Turrim Londoniarum circundari foſſato profundiſſimo, ſperans, quod Tameſis fluuius perinde tranſiret. Deinde Cancellarius cepit ad opus domini regis de vnaquaque ciuitate Angliæ duos palefridos, & duos ſummarios de auxilio: & de vnaquaque Abbatia Angliæ vnum palefridum, & vnum ſummarium: & de vnoquoque manerio Regis vnum palefridum, & vnum ſummarium. Eodem anno Menſe *Martii* * 17. Cal. *al. 18.* Aprilis, feria ſexta ante Dominicam in Ramis palmarum, Iudæi ciuitatis Eboraci numero quingenti viri, exceptis mulieribus, & paruulis incluſerunt ſe in turrim Eboraci, conſenſu & voluntate cuſtodis turris, & vicecomitis, propter metum Chriſtianorum: quam cum prædicti vicecomes, & Conſtabularius repeterent, Iudæi noluerunt illam eis tradere. Vnde factum eſt, quod populus ciuitatis, & extranei, qui ad Comitatum venerant, per exhortationem vicecomitis & conſtabularii, fecerunt impetum vnanimiter in Iudæos. Qui cum inſultum facerent in turrim die & nocte, Iudæi obtulerunt populo pecuniam magnam pro licentia abeundi cum vita: ſed noluit populus accipere. Tunc ſurrexit quidam legiſperitus, & ait: Viri Iſraelitæ audite conſilium meum. Melius eſt, vt noſmetipſi nos mutuo interficiamus, quam incidamus in manus inimicorum legis noſtræ. Omnes igitur Iudæi, tam viri, quam mulieres aſſenſum præbuerunt conſilio illius & accedens vnuſquiſque paterfamilias incipiens à maioribus domus ſuæ, primo incidit cum nouacula acuta guttura vxoris, & filiorum, & filiarum ſuarum; deinde totius familiæ ſuæ, & poſtremo ſui ipſius. Quidam autem illorum proiecerunt interfectos ſuos extra murum ſuper populum: quidam vero incluſerunt interfectos ſuos in domo regia, & impoſito igne combuſſerunt eos, & domos Regis: & illi qui cæteros interfecerant a populo interfecti ſunt. Interim quidam Chriſtianorum incendebant domos Iudæorum & rapinis intendebant, & ſic conſumpti ſunt omnes Iudæi, qui erant in ciuitate Eboraca, & chartæ vniuerſorum debitorum combuſtæ. Eodem anno obiit *Iſabel* regina Franciæ, filia Comitis de Henou, antequam *Philippus* Rex Franciæ maritus eius iter Ieroſolymitanum arriperet. Eodem anno Annuntiatio Dominica euenit in ipſo die Paſchæ, quod à multis retro temporibus non euenit. Interim nuntii regis, quos ipſe Romam miſit pro Legatia Angliæ, & Scotiæ habenda ad opus *Willielmi* Cancellarii ſui, redierunt cum literis Domini Papæ ſuper eodem negotio. Auctoritate igitur legationis ſuæ prædictus Elienſis Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis legatus, & Domini Regis Cancellarius, & totius Angliæ iuſtitiarius, clerum & populum opprimebat; confundens faſque nefaſque: nec erat in toto regno, qui auderet ſuæ reſiſtere voluntati, nec in verbo. Poſt Paſcha prædictus Regis Cancellarius cum magno exercitu venit Eboracum, ad comprehendendum malefactores illos, qui Iudæos ciuitatis deſtruxerunt: & cognito quod per præceptum vicecomitis, & cuſtodis turris hoc factum fuiſſet, vtrumque depoſuit: & à ciuibus ciuitatis *al. omnes.* cepit * centum obſides de fide, & pace ſeruanda Regi, & regno, & quod iuri ſtarent in curia Domini Regis de morte Iudæorum. Deinde idem Cancellarius tradidit *Osberto* de Longo campo fratri ſuo Comitatum Eboracenſem in cuſtodia, & præcepit firmari caſtellum in veteri caſtellaria, quod Rex *Willielmus Ruffus* ibi conſtruxerat. Milites autem prouinciæ, qui ad rectum noluerunt venire, præcepit comprehendi. Deinde præfatus Cancellarius auctoritate legationis ſuæ ſuſpendit Canonicos, & vicarios, & clericos Eccleſiæ Sancti *Petri* Eboraci, quia noluerunt recipere eum cum proceſſione: & ipſam Eccleſiam tam diu ſub interdicto tenuit, donec Canonici, & vicarii, & clerici Eccleſiæ S. *Petri* venirent ad pedem eius, & campanas eiuſdem eccleſiæ in terram deponere fecit. Interim *Richardus* Rex Angliæ dedit *Hugoni* Dunelmenſi epiſcopo licentiam repatriandi, qui cum obuiaret Cancellario in villa de Blie/ & offerret ei literas Regis, in quibus conceſſerat ei rex iuſtitiariam à flumine Humbri vſq; ad terram Regis Scotiæ in longitudine, & latitudine à mari vſq; ad mare; reſpondit ei Cancellarius ſe libenter facturum mandatum Regis: & duxit eum ſecum vſq; Suwelle/ & ibi cepit eum, & tenuit, donec reddiderat ei caſtellum de Windeshouere/ & cætera quæ Rex illi tradiderat in cuſtodia. Et inſuper Epiſcopus Dunelmenſis tradidit Cancellario *Henricum* de Puteaco filium ſuum, & *Gilbertum* de la Lalea obſides de fide ſeruanda Regi, & Regno: & ſic Epiſcopus Dunelmenſis à captio-

ne Cancellarii liberatus, venit ad villam ſuam, quæ dicitur Houedene. Vbi cum ipſe Epiſcopus per aliquot dies moram feciſſet, venerunt Houedene *Osbertus de* Lungchamp, frater Cancellarii, & *Willielmus* de Stuteuilla, cum multa plebe armata, volentes Epiſcopum per mandatum Cancellarii capere: ſed idem Epiſcopus ſecuritatem illis dedit, quod inde non recederet, niſi per licentiam regis, vel Cancellarii. Vnde Epiſcopus Dunelmenſis miſit nuncios ſuos ad regem Angliæ ſignificans illi omnia, quæ ei acciderant per Cancellarium. Interim rex Angliæ profectus fuit in Gaſconiam, & obſedit caſtellum *Willielmi* de Chiſi, & cepit: & ipſum *Willelmum* dominum caſtelli ſuſpendit, quia ipſe peregrinos Sancti *Iacobi*, & alios per terram ſuam tranſeuntes ſpoliauerat. Deinde perrexit rex Angliæ in Andegauiam ad Chinonem: & ibi conſtituit *Girardum* Anxienſem Archiepiſcopum, & *Bernardum* Epiſcopum, de Baonia, & *Robertum* de Sabul, & *Richardum* de Canuil, & *Willielmum* de Forz de Vlerum ductores & conſtabularios totius nauigii ſui, quod in terram nauigii Suliæ iturus erat; & tradidit eis chartam ſuam in hac forma.

CHARTA RICHARDI REGIS ANGLIAE *de ſtatutis illorum, qui per mare ituri erant.*

Richardus *Dei gratia rex Angliæ, & dux Normanniæ, & Aquitaniæ, & Comes Andegauiæ, omnibus hominibus ſuis Ieroſolymam per mare ituris, ſalutem. Sciatis nos, de communi proborum virorum conſilio, feciſſe has iuſtitias ſubſcriptas. Qui hominem in naui interfecerit, cum mortuo ligatus proiiciatur in mare. Si autem eum ad terram interfecerit, cum mortuo ligatus in terra infodiatur. Si quis autem per legitimos teſtes conuinctus fuerit, quod cultellum ad alium percutiendum extraxerit: aut quod alium ad ſanguinem percuſſerit: pugnum perdat. Si autem de palma percuſſerit ſine effuſione ſanguinis: tribus vicibus mergatur in mari. Si quis autem ſocio opprobrium, aut conuitia, aut odium Dei iniecerit: quot vicibus ei conuiciatus fuerit, tot vncias argenti ei det. Latro autem de furto conuictus, tondeatur ad modum campionis, & pix bulliens ſuper caput eius effundatur, & pluma puluinaris ſuper caput eius excutiatur ad cognoſcendum eum, & in prima terra, qua naues applicuerint, proiiciatur. Teſte meipſo apud Chinonem.* Præterea idem rex præcepit in alio breui ſuo, vt omnes homines ſui, qui per mare eſſent ituri, obedirent dictis, & præceptis prædictorum iuſtitiariorum nauigii ſui. Deinde perrexit rex Turonim: & ibi recepit peram, & baculum peregrinationis ſuæ, de manu *Willielmi* Turonenſis Archiepiſcopi. Cumq; rex ſe baculo fulciret, fractus eſt baculus. Deinde idem rex & *Philippus* rex Franciæ conuenerunt apud Vizeliacum, vbi requieſcit corpus beatæ *Mariæ Magdalenæ*: & facta eſt ibi mora duarum dierum; in octauis natiuitatis ſancti *Iohannis Baptiſtæ* receſſerunt inde. Et cum venirent ad ciuitatem Leonum ſupra Rhodanum; & ipſi cum maiori parte familiarum ſuarum pontem Rhodani præterirent: pons idem onuſtus viris, ac mulieribus corruit, non ſine multorum læſione. Ibidem vero præfati reges ad inuicem ſeparati ſunt propter multitudinem hominum ſequentium illos; vnus enim locus illos capere non potuit. Rex autem Franciæ cum ſuis perrexit vſq; Geneues: & rex Angliæ cum ſuis perrexit vſq; Marſiliam.

PLANCTVS SVPER ITINERE VERSVS IERVSALEM.

Graues nobis admodum dies effluxere,
Qui lapillis candidis digni non fuere.
Nam luctus materiam mala præbuere,
Quæ ſanctam Ieruſalem conſtat ſuſtinere.
Quis enim non doleat tot ſanctorum cædes,
Tot ſacras Domino profanatas ædes,
Captiuatos principes, & ſubuerſas ſedes,
Deuolutos nobiles ad ſeruorum pedes?
Sed hæc non effugient oculos videntis,
Videns vidit Dominus noſtræ mala gentis,
Et audiuit gemitum plebis innocentis,
Et caput conterere deſcendit ſerpentis.
Suſcitauit igitur Deus Hebræorum
Chriſtianos principes, & robur eorum
Vindicare ſcilicet ſanguinem ſanctorum,
Subuenire filiis mortificatorum.
Procedunt cum millibus multis armatorum
Illuſtris rex Angliæ, atq; rex Francorum.

Eſt videre gloria agmen ſenatorum.
*Armis iuſtitia, & * cultoribus Deorum.* al. cultib'
Eſt audire gratius fidei amicum
Romani Imperij caput Fredericum
Debellantem iugiter crucis inimicum,
Vt reformet patriam ſtatum in antiquum,
Tendunt cruce praua verſus orientem,
Atque ſecum contrahunt totum occidentem:
Lingua, ritu, moribus, cultu differentem
Producunt exercitum, ſed fide feruentem.
Vt victores redeant, imploremus Deum,
Vt tollant de medio terræ Cananæum
Ingreſsi Ieruſalem pellant Iebuſæum
Chriſtianæ gloriæ portantes trophæum.

Dum autem *Richardus* rex Angliæ moram faceret apud Marſiliam, venerunt ad eum nuntii *Hugonis* Dunelmenſis Epiſcopi: & audita ab eis iniuria, quam prædictus Cancellarius ei fecerat, præcepit rex Comitatum Northumbriæ, & manerium de Sadberga reddi Epiſcopo Dunelmenſi; Vnde rex iterum fecit illi chartam ſuam in hac forma.

ALIA CHARTA RICHARDI REGIS DE SADBERGE *reddenda domino Hugoni Dunelmenſi Epiſcopo.*

RIchardus *Dei gratia rex Angliæ & dux Normanniæ, & Aquitaniæ, & Comes Andegauiæ, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, vicecomitibus, & omnibus miniſtris, & fidelibus ſuis totius Angliæ, Salutem. Sciatis, nos reddidiſſe Deo, & beato* Cuthberto, *& Eccleſiæ Dunelmenſi, &* Hugoni *Epiſcopo, & ſucceſſoribus eius in perpetuum manerium de Sadberga, cum wapētacco, & feodis militum, quæ prius ei in puram & perpetuam eleemoſynam dederamus, & charta noſtra confirmauimus pro ſexcentis marcis, quas idem nobis donauit. Quare volumus, & præcipimus, quod ipſe prædictum manerium, cum wapentacco, & feodis militum, & cum aliis omnibus pertinentiis ſuis in puram, & perpetuam eleemoſynam libere, & quiete, & honorifice teneat, & habeat, ſicut in chartis noſtris, quas idem habet, continetur. Et bene volumus & concedimus, quantum ad nos pertinet, quod, ſi quis inde vim ei, vel moleſtiam contra chartas & confirmationes noſtras fecerit, iram & maledictionem Dei, & noſtram incurrat. Teſte meipſo apud Marſiliam.* Cumque rex Angliæ apud Marſiliam per octo dies moram feciſſet, expectans, & ſperēs de die in diem aduentum nauigii ſui, fraudatus à deſiderio ſuo conduxit decem burcias magnas, & viginti galeas bene armatas, & intrauit cum familiis ſuis dolens, & confuſus propter moram nauigii ſui. Septima igitur die Auguſti receſſit rex Angliæ à Marſilia in galea Pumbone, & tranſiuit per Inſulam ſancti *Stephani*, & per aquilam, & per montem nigrum, & per inſulam ſancti *Honorati*, & per ciuitatem de Nices, & per Wentemile ciuitatem. Et eſt ſciendum, quod inter Nices & Ventemile eſt diuiſio terrarum regis Arragoniæ, & Italiæ. Deinde tranſiuit rex per ſanctam *Mariam* de Funz, & per Nole. Tertia decima die Auguſti tranſiuit rex per caſtellum, quod dicitur Swene: & eodem die venit rex ad Geneues, vbi locutus eſt cum rege Franciæ, qui ibi infirmabatur in ædibus iuxta Eccleſiam ſancti *Laurentij*. Quartadecima die Auguſti venit rex Angliæ ad portum Delphini in vigilia Aſſumptionis ſanctæ *Mariæ*, & ibi moram fecit per quinque dies: & illuc miſit ad eum rex Frāciæ rogans, vt commodaret ei quinq; galeas, & rex Angliæ obtulit ei tres; quas rex Frāciæ refutauit. Nono decimo die Auguſti receſſit rex Angliæ de portu Delphini, & venit ad portum *Veneris*: & in craſtino venit ad portum de Piſa: & illuc venit ad eum *Walterus* Rothomagenſis Archiepiſcopus. *Iohannes* Eboracenſis Epiſcopus infirmabatur in ciuitate Piſana. Viceſima prima die menſis Auguſti trāſiuit rex per inſulam quæ dicitur Gurgune. Viceſima ſecunda die menſis Auguſti venit rex ad portum de Barate. Viceſima tertia die Auguſti, in vigilia ſancti *Bartholomæi* Apoſtoli perrexit rex duas leucas per terram, & pauci milites cum eo ſuper equos conductos, & venerunt ad portū iuxta caſtellum, quod dicitur Plumbum, obuiam galeis ſuis: & ibi intrauit rex galeam *Fulconis Ruſtac*, quam prius non intrauit: & vento gaudens optato præteriit inſulam, quæ dicitur Feraire, & inſulam, quæ dicitur Argentaire; & inſulam, quæ dicitur Genit; & venit ad portum, qui dicitur Talemūde. Viceſima quarta die Auguſti venit rex ad portū, qui dicitur Portekere, qui eſt in medio viæ inter Marſiliam, & Meſſanā. Eodē die rūpebatur velū galeæ in qua rex erat: & iterū intrauit rex galeā Pūbone, & præteriit Cornet ciuitatem; & Senes la veile ciuitatem;

&c locum qui dicitur Le far de Rume, & poſtea intrauit Tyberim. Ad cuius introitum eſt turris pulchra, ſed ſolitaria: & ſunt ibi ruinæ maximæ antiquorum murorum; & illuc venit ad eum *Octauianus* Hoſtienſis Epiſcopus Cardinalis: cui rex turpia multa dixit; improbando Romanis ſimoniam: quod ſeptingentas marcas debuerant habere pro conſecratione Epiſcopi Cenomannenſis; & mille & quingẽtas marcas pro legatione Elienſis Epiſcopi, & pecuniam magnam ne deponeretur Burdegalenſis, qui à clericis ſuis accuſabatur in crimine. Viceſima ſexta die Auguſti tranſiuit rex per quoddam nemus, quod dicitur Seluedene; in quo eſt via marmorea ad modum pauimenti facta, & durat via illa marmorea per medium nemus 24. milliaria; & nemus illud abundat ceruis & capreolis, & damis. Et eodem die tranſiuit rex per caſtellum quod dicitur Lettum. Hic eſt portus, qui quõdam tegebatur cupro; & erat ibi introitus cryptæ, per quam pecunia vndiq; allata ferebatur Romam; & poſtea tranſiuit rex per caſtellum quod dicitur Eſture. Viceſima ſeptima die Auguſti rex præteriit rupem extenſam in mari, quæ dicitur Le cap de cercel, & inſulam, quæ dicitur Parmerole, & inſulam, quæ dicitur Punce, & inſulã, quæ dicitur Palmere. In ſummitate montis de Cap de Cercel eſt caſtellũ, in quo latrones, & piratæ ſe ſæpius abſcondunt. Deinde venit rex ad ciuitatẽ, quæ dicitur Tharracene; vbi quõdam erat portus cupro tectus. Deinde venit ipſe ad Garillam: & inde ad caſtellum, quod dicitur le cap del Eſpurun. Hic eſt diuiſio terræ Romanorum, & terrę regis Siciliæ, in illa parte, quæ dicitur principatus Capuæ. Deinde præteriit rex inſulã, quæ dicitur Le pantee, quę diſtat à Gaeta ciuitate per quadraginta milliaria. Pantee terra fuit *Pilati*: & ibi erat portus cupro tectus. Deinde præteriit rex inſulã, quæ dicitur Iſtellemanie; quæ ſemper fumat. Hæc inſula dicitur accenſa fuiſſe ab inſula, quæ dicitur *Vulcanus*; igne volante, & comburente, vt dicunt, mare & piſces. ab hac non multum diſtat inſula, quæ dicitur Iſle de Girun: vbi eſt caſtellum bonum & portus. Deinde præteriit rex inſulã, quæ dicitur Baterun, & portum de Baie, vbi ſunt balnea *Virgilij*: & diſtat per decem milliaria à Neapoli. Deinde præteriit rex Capue, & cap de Mauerbe: quæ eſt media via inter Neapolim, & Salernum. Viceſima octaua die Auguſti venit rex Neapolim, & perrexit ad Abbatiam S. *Ianuarij* ad videndum filios *Raimundi*, qui ſtant ibi in crypta in pellibus, & oſſibus: & ibidem moram fecit, vſque ad natiuitatem ſanctæ *Mariæ* virginis matris Domini: & eodẽ die perrexit rex Salernum in equis conductis: & ibidem moram fecit magnam. Interim *Baldwinus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, & *Hubertus* Saleſburienſis Epiſcopus, & *Ranulfus* de Glanuilla, qui venerant cum rege Angliæ ad Marſiliam ibidem naues intrauerũt. & fecit illis Dominus proſperum iter: ita quod in breui perduxit eos ſine impedimento per magnum pelagus vſque ad obſidionem Accon. *Iohannes* vero Norwicenſis Epiſcopus papam adiit; & accepta ab eo licentia redeundi, dimiſit crucem & domum rediit abſolutus. quod cum regi domino ſuo cõſtaret, cepit de illo per manum Templariorum, & Hoſpitalarium mille marcas pro redemptione. Nauigium autem regis Angliæ, cui Archiepiſcop⁹ Auxienſis, & Epiſcopus Baiocenſis, & *Robertus* de Sabloil, & *Richardus* de Camuilla, & *Willielmus* de Forz præfuerunt, iter arripuit Ieroſolymitanum ſtatim poſt Paſcha de diuerſis portubus Angliæ, & Normanniæ, & Brittanniæ, & Pictauiæ. Cuius nauigii pars quædam conuenit in portu de Dertemue, & poſt moram aliquot dierum ibidem factam, cum prædictæ naues numero decem velificarent verſus * Vlyſbonam, & præteriiſſent quandam terram protenſam in mari, quæ dicitur Godeſtert; & præteriiſſent Brittanniam habentes ſanctum *Matthæum* de finib. terræ, vel de fine Poſternæ in ſiniſtra nauigii parte; & mare magnum, quo itur in Hyberniam, in dextris nauigii dimiſerunt totam Pictauiam, & Gaſconiam, & Biſac in ſiniſtra parte nauigij. Et cum præterirent iam mare Brittannicum, & mare Pictauicum, & venirent in mare Hiſpanicum, in ſancta die Aſcenſionis Domini hora tertia arripuit illas tempeſtas valida, & horribilis; & ab inuicem in momento in ictu oculi ſunt ſeparatæ: & dum tempeſtas ſæuiret, & omnes clamarent ad Dominum cum tribularentur; beatus *Thomas* Cantuarienſis Archiepiſcopus & martyr, per tres vices viſibiliter apparuit tribus perſonis, qui erant in naue Lundonienſi, in qua erant *Willielmus* filius *Osberti*, & *Gaufridus* aurifaber, ciues Londonienſes, dicens illis: Nolite terreri; Ego *Thomas* Cantuarienſis Archiepiſcopus, & beatus *Edmundus* martyr, & beatus *Nicholaus* confeſſor, conſtituti ſumus à Domino cuſtodes huius nauigii regis Angliæ: & ſi homines huius nauigii ſe à prauis operibus cuſtodierint, & de pręteritis pœnitentiam egerint, Dominus dabit eis proſperum iter, & in ſemitis eius greſſus eorum diriget. His itaq; ſub tertia repetitione dictis, beatus *Thomas* ab oculis eorum elapſus eſt, & ſtatim ceſſauit tempeſtas, & facta eſt in mari tranquillitas magna: & iam nauis illa Lundonienſis, in qua beatus *Thomas* martyr apparuit, prætererat portum Vlyxiſbonæ, & caput S. *Vincentij*, & peruenerat prope ciuitatẽ Syluiæ, quæ

al. Vlyxiſbonam

quæ in finibus illis tunc temporis vltima fuit omnium villarum Chriſtianitatis; & erat adhuc ibi Chriſtiana fides nouella, vtpote, quæ in anno proximo præterito erepta erat de manibus Paganorum, & facta Chriſticola, vt ſupra dictum eſt. Ignorantes igitur illi, qui in naue illa erant, vbi eſſent; emiſſa nauicula ſua nauigauerunt ad terram, & cognouerunt per indicia, quod terra illa terra erat Chriſtianorum, & quod non erat eis vlterius via tuta ſine bono, & magno comitatu. Acceſſerunt ergo ad ciuitatem: & cognita aduentus eorum cauſa, Epiſcopus ciuitatis Syluiæ, & clerus, & populus, receperunt eos gratanter: gratias Deo agentes pro illorum aduentu. erant enim in naui illa centum iuuenes probi, & bene armati.

Interim *Boiac* *Almiramiſi* Imperator Africæ, & Hiſpaniæ Saracenicæ, magno congregato exercitu, venit in terram *Sanctij* regis Portugalenſis in vindictam Imperatoris Africæ patris ſui, anno ſexto proximo præterito, defuncti in obſidione apud ſanctam *Erenam* caſtellum *Aldefonſi* regis, patris prædicti *Sanctij* regis Portugalenſis. Ciues autem Syluiæ timentes aduentum prædicti Imperatoris, non permiſerunt iuuenes illos Lundonienſes ab illis recedere: ſed & nauem illorum fregerunt, & de aſſeribus illius fecerunt ciuitatis propugnacula; promittentes & omnimodam ſecuritatem facientes, quod rex Portugalē-ſis bene ſolueret eis moram, quam faciebant, & damnum, quod habebant de amiſſione nauis ſuæ; & factum eſt ita. Rex namq; Portugalenſis dedit eis nauem pro naue, & expenſas pro expenſis ſoluit. Præterea nouem aliæ naues de nauigio regis Angliæ, quæ in eadem tempeſtate erant, applicuerunt in diuerſis partibus Hiſpaniæ: tum Domino duce tandem peruenerunt ad ciuitatem Vlyxiſbonæ, aſcendentes per fluuium Tagi. In eadem vero ciuitate Vlyxiſbonæ requieſcit corpus ſancti *Vincentij* martyris: & antequam illuc peruenirent, prædictus Imperator Africæ die natiuitatis ſancti *Iohannis Baptiſtæ* tranſiuit fluuium Tagi per vadum, & omnis exercitus eius cum eo: & obſedit caſtellum *Sanctij* regis Portugalenſis, quod dicitur Turreſnoues. Rex vero Portugalenſis miſit legatos ſuos ad peregrinos, qui in nauibus venerant ad ciuitatem Vlyxiſbonæ, & petiit ab eis ſuccurſum contra Saracenos. Quingenti igitur viri bene armati, & ex omnibus, qui nauibus venerant, prælecti, fortiores, & animoſiores elegerunt magis mori in bello pro nomine *Ieſu Chriſti*, quam videre mala gentis ſuæ, & exterminium; & relictis nauibus & ſociis ſuis, perrexerunt aſcendentes per fluuium Tagi vſque ad ſanctam **Erenam*, quæ diſtat a ciuitate Vlyxiſbonæ per duas dietas: & inuenerunt ibi *Sanctium* regem Portugalenſem auxilio, & cōſilio deſtitutum. paucos enim habebat viros bellicoſos, & fere omnes inermes, & iam prædictus Imperator ceperat caſtellum regis, quod obſederat, & aliud caſtellum, quod dicitur Tumar, caſtellum Templariorum obſedit; qui cum audiſſet aduentum peregrinorum timuit valde; & miſſis legatis ad regem Portugalenſem petiit ab eo Syluiam, & ipſe recederet cum exercitu ſuo, & redderet ei caſtellum quod ceperat, & pacem haberet cum illo per ſeptem annos. quod cum rex Portugalenſis facere nollet, prædictus Imperator mandauit ei, quod in craſtino veniret obſeſſurus ſanctam *Herenam*. Tunc rex Portugalenſis, inito conſilio cum peregrinis, qui de nauibus venerant, conſtituit homines ſuos in turribus, & in fortioribus murorum propugnaculis. peregrini autem, qui de nauibus venerant, debiliores partes ciuitatis ſibi elegerunt, audaciam habentes pro muro. In craſtino autem, cum omnes eſſent ſuccincti ad bellum, & clangor eſſet in foribus iamiam, veniet, & non tardabit; repente venit nuntius dicens: Imperator mortuus eſt iam triduanus, & exercitus eius fugit: & adhuc eo loquente, venerunt duo: deinde tres: deinde plures eundem ſermonem dicentes. Crediderunt ergo illis rex, & vniuerſus populus, & ciuitas replebatur gaudio, & exultatione. In craſtino autem dedit rex viris, qui de nauibus venerant licentiam redeundi ad naues ſuas: promittens, quod bene recompenſaret eis labores ſuos: ſed antequam illi ad naues ſuas veniſſent, *Robertus* de Sabloil, & *Richardus* de Camuilla venerunt Vlyxiſbonam cum ſexaginta tribus nauibus magnis de ſtorio regis Angliæ: ſtorium idem eſt, quod nauigium. Quidam vero hominum, qui in Comitatu *Roberti* de Sabloil, & *Richardi* de Camuilla venerant, malefactores erant & peruerſi: qui exeuntes de nauibus in ciuitatem Vlyxiſbonæ aſcenderunt, & per vias, & vicos incedentes ſuperbe locuti ſunt cum populo ciuitatis; & cum mulieribus, & filiabus ciuium per vim coinquinati ſunt: & Paganos & Iudæos ſeruos regis, qui in ciuitate habitabant, fugauerūt, diripientes res & poſſeſſiones eorum, & domus eorum combuſſerunt: & vineas eorum vindemiauerunt, non relinquentes in eis vuam, neq; racemum. Quod cum regi Portugalenſi domino ciuitatis Vlyxiſbonæ conſtaret, velocius aduenit cum manu potenti, & inuentis ibi *Roberto* de Sabloil, & *Richardo* de Camuilla cum nauigio regis Angliç, faciē hilarem, & pacē ſpondentē eis exhibuit, patienter ſuſtinens iniurias ſibi & plebi ſuæ illatas.

al. Almiramomoli

al. Heremam

In craſtino autem aduentus regis, prædicti duces nauigii receperunt ab vniuerſis hominibus nauigii ſacramentum, quod fideliter tenerent, & inuiolabiliter obſeruarent prædictas aſſiſas in charta regis Angliæ ſignatas. Poſt triduũ vero orta eſt diſſenſio inter ciues Vlyxisbonæ, & quoſdam illorum, qui in nauibus venerant, ita quod ex vtraque parte multi ceciderunt in bello interfecti: & clamor populi peruenit ad aures regias; & ſtatim clauſæ ſunt portæ ciuitatis, & omnes qui de nauibus in ciuitatem aſcenderant ad edendum, & bibendum, capti ſunt, & incarcerati, numero viri ſeptingenti: & antequam illa captione regis exirent fecit rex Portugalenſis cum *Roberto* de Sabloil, & *Richardo* de Camuilla pacem qualem voluit videlicet in hac forma; quod mala præterita ex vtraque parte remitterentur, & quod ipſi pacem firmam tenerēt regi, & regno vbicunque fuerint in terra ſua: & ipſe rex ſimiliter & ſui pacem ſeruarent peregrinis in tota terra ſua, & quod arma & cætera omnia, quæ in Prælio illo amiſſa fuerant ex vtraque parte redderentur. Quod cum factum fuiſſet, *Robertus* de Sabloil, & *Richardus* de Camuilla receſſerunt à ciuitate Vlyxisbonæ cum claſſe regis Angliæ, in vigilia ſancti *Iacobi* apoſtoli feria quarta, & eadem die venerunt ad introitum maris, vbi Tagus cadit in mare. & eodem die venit illuc *Willielmus* de Foris deulerun cum triginta tribus magnis nauibus de nauigio regis Angliæ: & erant pariter in eodem loco de ſtorio regis Angliæ centum, & ſex magnæ naues onuſtæ viris bellicoſis, & victualibus & armis. In craſtino autem feſti ſancti *Iacobi* Apoſtoli, feria ſexta, *Robertus* de Sebloil, & *Richardus* de Camuilla, & *Willielmus* pe Foris deulerun receſſerunt a portu Vlyxisbonæ cum nauigio regis Angliæ, tranſeuntes per montem magnum protenſum in mari, qui dicitur Spichel, & per portum Dalchathi, & per Palmel, & per Sinnes, terram quondam arenoſam protenſam in mari, & per portum Deordunira, & per montem magnum, & excelſum, protenſum in mari qui dicitur caput ſancti *Vincentii*; in quo corpus ſancti *Vincentii* requieuit intumulatum per multa tempora, vſquedum translatum fuit ad ciuitatem Vlyxisbonæ. Deinde tranſierunt ante portum Siluiæ, quæ tunc temporis vltima fuerat Chriſtianorum ciuitas in partib. illis Hiſpaniæ. Deinde trãſierunt per ciuitatem Paganorum quæ dicitur ſancta *Maria* de Hayrun; & eſt notandum quare ciuitas illa ſic nominatur ſancta *Maria* de Hayrun. Hayrun dicitur locus, in quo ciuitas illa ſita eſt, & Chriſtiani, qui ædificauerunt eam, ſic nominauerunt eam; & in memoriam beatæ Dei genetricis *Mariæ* Iconiam quandam lapideam ſuper murum ſtatuerunt. Deinde cum Pagani præualuiſſent aduerſus Chriſtianos obtinuerunt eam; & cum Iconiam illam ſupra murum ſtantem inueniſſent, amputauerunt caput, & pedes, & brachia illius in contemptum fidei Chriſtianæ, & beatæ *Mariæ*, & proiecerunt illa longius in mare. Quo facto mare, & tellus facta ſunt ſterilia, & fames præualuit ſupra terram illam, adeo quod omnia fere, homines, & animalia fame interirent: tunc ſeniores populi & iuuenes omnes à maximo vſque ad minimum, die ac nocte plorantes, & in ſacco, & cinere pœnitentiam agentes, recordati ſunt Iconiæ, cuius caput, & manus, & pedes abſciderant; dicentes peccauimus, iniuſte egimus, iniquitatem fecimus; quoniam caput & manus, & pedes amputauimus. quid enim mali fecerunt? Quæramus ergo illa, & apponamus ea in locis ſuis, vt ſic ſaltem auertat Deus iram ſuam à nobis, & à ciuitate iſta. & miſerunt Sagenas ſuas in mare, vbi proiecerant caput, & manus, & pedes Iconiæ, & trahentes ea in terram cum ſagenis, appoſuerunt caput colla, & manus brachiis, & pedes tibiis, & ſolidauerunt ea cum auro, & argento primo & puriſſimo; & deinde ſtatuerunt Iconiam illam in loco honorabili, & habetur in magna veneratione vſque in hodiernum diem: & ſtatim ceſſauit fames, & terra dedit fructum ſuum. Deinde tranſierunt ante caſtellum, quod dicitur Merell; Deinde ante portum de Hodiene: Deinde ante portum de Calice. Deinde ante montem, qui dicitur Muntalue. Deinde ante quãdam terram arenoſam protenſam in mari, quæ dicitur caput Almilan. Deinde ante caſtellum, & portum, qui dicitur Saltis; Deinde ante portum Sibyllæ, qui dicitur Windelkebir, & inter Sybillam, & introitus portu, in medio viæ eſt caſtellũ, quod dicitur Captall. Deinde venerunt ad diſtrictas Affricæ, & tranſierunt per medium diſtrictarum Affricæ prima die Auguſti feſto ſãcti *Petri* ad vincula feria quinta, & tibi incipit Mediterraneum mare: & dicitur Mediterraneum mare, ideo quod vndique circumcluditur terra, excepto vno introitu, & vno exitu; quorum alter dicitur diſtrictæ Affricæ; & alter brachium S. *Georgii*, quod eſt apud ciuitatem Conſtantinopolim. Et eſt notandum, quod ab introitu diſtrictarum Affricæ, vſque prope Scaloniam, eſt terra Paganorũ in dextra parte nauigii, & ex oppoſito ab introitu diſtrictarũ Affricæ vſque ad mõtē magnum, qui dicitur Muncian, eſt Hiſpania Sarracenica, quæ dimittenda eſt in ſiniſtra parte nauigii: Et eſt notandum, quod ad æſtimationem nautarum introitus diſtrictarum Affricæ ab vna ripa in

alteram

alteram non habet pluſquam ſex milliaria in latitudine,& ex vtraque parte habetur mons magnus ſcilicet vnus in Hiſpania,qui dicitur Calpes;& alter in Affrica in oppoſito,qui dicitur Atlas;& ad introitum diſtrictarum Affricæ ſunt in Affrica ſecus mare ciuitates, quarũ nomina hæc ſunt: Bethe, Dudenardi, Eſparte,Thange,Cacummin,Muec,Boloos,& Scep,quæ eſt nobiliſſima omnium ciuitatũ Affricæ: & in Hiſpania quaſi ex oppoſito ſunt ciuitates,& caſtella,quorum nomina hæc ſunt:Beche,Dudemarbait, Leziratarif, Gezehakazera,& Iubaltaric inſula,Mertell, Swail caſtellum Maurorum:ad pedem montis Iubaltariæ ſunt duæ nobiles ciuitates ſitæ; quarum vna dicitur Alentia; & altera Iubalar. Deinde eſt Magga ciuitas;cumq; nauigium regis Angliæ prope ſupradictas ciuitates Hiſpaniæ præteriſſet,trãſiuit ante Salamame ciuitatem: Deinde ante Vilages ciuitatem magnam muro clauſam;in cuius circuitu ſunt centum ſexaginta turres lapideæ.Deinde trãſiuit per montem magnum & excelſum,qui dicitur caput de Melich. Deinde per Munacas caſtellum. Deinde per nobilem ciuitatem, quæ dicitur Almaria, vbi fit nobile ſericum,& delicatum,quod dicitur ſericum de Almaria. Deinde per montem magnum, & excelſum protenſum in mare, qui dicitur caput de Almaria. Deinde ante Carthaginem ciuitatem bonam in littore maris ſitam. Deinde ante Peniſecle caſtellum bonum, & pulchrum.Deinde tranſiuit per quandam arenam propenſam in mari,quæ dicitur Alaſcerat. Deinde per quandam terram propenſam in mari, quæ dicitur caput *Martini*. Deinde ante ciuitatem magnam,quæ dicitur Denie.Deinde ante portum Valentiæ. Et eſt ſciendum, quod Valentia ciuitas bona eſt, & diſtat ab introitu portus ſui per ſeptem milliaria. Deinde tranſiuit ante Baiane caſtellum.Deinde ante Peniſcule caſtellum in littore maris ſitum,& illud eſt vltimum caſtellum Paganorum in Hiſpania ſupra mare. Deinde tranſierunt per montem magnum & excelſum protenſum in mari, qui dicitur Muſcian; & mons ille diuidit terram Paganorum à terra Chriſtianorum, & ibi incipit terra regis Aragoniæ;& prope montem illum inter montes longe à mari ſita eſt bona ciuitas,quę dicitur Ceruere:& ad pedem montis illius ſuper littus maris ſtat caſtellum,quod dicitur Amposſt,in terra regis Arragonię,quod Hoſpitales tenent;& ibi eſt magnus fluuius aquæ dulcis,qui dicitur Ebre; & nobilis ciuitas,quæ dicitur Turtuſa; ſtat ſuper fluuium illum,quæ diſtat ab introitu portus per triginta milliaria.Deinde tranſierunt per ciuitatem magnam Archiepiſcopalem ſitam in littore maris, quæ dicitur Taragutie, & prope illam eſt mons magnus protenſus in mari, qui dicitur caput de ſalut: & ſub monte illo eſt bonus portus. Deinde ante ciuitatem magnam Epiſcopalem ſitam in littore maris, quæ dicitur Barzelune. Deinde tranſierũt ante caſtellum ſitum in littore maris,quod dicitur ſanctæ *Feliciæ*, & ibi eſt bonus portus.Deinde tranſierunt terram Comitis Poncii, tranſeuntes ante ciuitatem bonam,quæ dicitur Empiris,& ibi eſt bonus portus. Deinde tranſierunt per montem magnum protenſum in mare, qui dicitur caput de Caſtilun, & ibi eſt bonus portus, qui dicitur portus de Caſtilun,& in aſcendendo per fluuium illum eſt caſtellum bonum, quod dicitur Caſtilun. Deinde tranſierunt ante bonum portum & magnum, qui dicitur Cadakis. Deinde tranſierunt per montem magnum protenſum in mare qui dicitur caput de Crous:& ibi eſt bonus portus. Deinde tranſierunt per caſtellum bonum,ſitum in littore maris,quod dicitur Cockeliure; & ibi eſt portus bonus, qui dicitur portus *Veneris*. Deinde tranſierunt per quandam arenam protenſam in mare, quæ dicitur caput Leucare, faciens ſignum magnum, in quo prope littus maris eſt bona ciuitas Epiſcopalis, quæ dicitur Narbona, & monaſterium, quod dicitur ſancta *Maria* de mari. Deinde tranſierunt per quandam terram protenſam in mare,quæ dicitur Briſcou. Deinde intrauerunt terram Comitis de Agda, tranſeuntes ante ciuitatem bonam ſitam in littore maris, quæ dicitur Agda. Deinde tranſierunt prope Vilenoue Epiſcopatum de Magalona. & prope inde eſt portus de monte Peſſolano, qui dicitur Lates. Deinde tranſierunt ante inſulam quæ dicitur Odur, quæ eſt ad introitum Rodani, & in aſcendendo per Rodanum itur ad ciuitatem bonam Archiepiſcopalem, quæ dicitur Arle le Blanc; & in aſcendendo ſuperius per eundem fluuium, itur prope ſanctum *Egidium*. & in aſcendendo ſuperius per eundem fluuium itur ad bonam ciuitatem, quæ dicitur Lyon ſur le Rodne. Deinde peruenerunt vſque ad Marſiliam, quæ diſtat per viginti milliaria ab introitu Rodani.Marſilia eſt ciuitas Epiſcopalis ſub poteſtate regis Arragoniæ. Ibi fuerunt reliquiæ ſancti *Lazari* fratris ſanctæ *Mariæ Magdalenæ*,& *Marthæ*; qui ibidem ſeptem annis Epiſcopatum tenuit,poſtquã *Ieſus* ſuſcitauit eum à mortuis. In ciuitate autem illa eſt bonus portus multis & magnis nauibus, fere circumcluſus montibus altis, & ex vna parte portus illius eſt ciuitas illa Epiſcopalis; & ex altera parte portus ex oppoſito eſt Abbatia ſancti *Victoris*,in qua centum nigrĩ monachi Deo ſeruiunt; & ibi, vt dicunt,ſunt corpora

ſepties viginti innocentum pro *Chriſto* interfectorum, & reliquiæ S. *Victoris*, ſociorumq́; eius; & virgæ quibus flagellatus erat Dominus; & maxilla S. *Lazari*, & vna coſtarum ſancti *Laurentij* martyris; & inter Marſiliam, & Abbatiam illam non longe à via recta eſt monaſterium, in quo habetur brachium ſanctæ *Margaretæ* virginis: & iuxta Abbatiam S. *Victoris*, ſunt duo alti montes; quorum vnus dicitur mons *Rollandi*, & alter mons *Hoſpinelli*. Et eſt ſciendum, quod à Marſilia vſque Accon non ſunt niſi quindecim dierum, & noctium ſcinglaturæ ad bonum ventum. ſed tunc itur per magnū pelagus, ita quod poſtquam mōtes de Marſilia deſierint videri; non videbitur terra neq; à dextris, neq; a ſiniſtris, ſi rectus curſus teneatur, donec videatur terra Suliæ; & ſi forte aliqua terra videatur in dextra parte nauigii, terra Paganorum eſt; & ſi terra videatur in ſiniſtra parte nauigii, terra Chriſtianorum eſt. Præterea ſciendum eſt, quod multæ inſulæ Sarracenicæ ſunt inter diſtrictas Affricæ, & Marſiliam; quarum vna dicitur Maiorc; & altera dicitur Eniuce; & vtraq; illarum tributaria eſt ſub rege Arragoniæ; & inſula de Maiorc reddit ei trecentos pannos ſericos de Almaria per annum de tributo; & inſula de Eniuce reddit ei per annum de tributo ducentos pannos de ſerico de Almaria.

DIVISIO REGNORVM SECVS MARE.

Sciendum eſt, quod tota terra, quæ eſt ab Anglia, vſque in Hiſpaniam ſecus mare: videlicet Normannia, Brittannia, Pictauia, eſt de domino regis Angliæ; & protenditur vſq; ad portum, qui dicitur *Huarz, qui diuidit terram Comitis de Baonia à terra regis Nauarræ. Et terra regis Nauarræ incipit a portu de Huuiarz, & protenditur vſq; ad aquam, quæ dicitur Caſtre: quæ diuidit terram regis Nauarræ a terra regis Caſtellæ. Et terra regis Caſtellæ incipit ab aqua de Caſtre, & protenditur vſq; ad montes de Sore, qui diuidunt terram regis Caſtellæ a terra regis de ſancto *Iacobo*: & terra regis de S. *Iacobo* incipit à montibus de Sore, & protenditur vſq; ad aquam de Mine, quæ diuidit terram regis de ſancto *Iacobo* à terra regis Portugalenſis; & terra regis Portugalenſis incipit ab aqua, quæ dicitur Mine, & protenditur vltra ciuitatem de Selues. Et poſt ciuitatem de Selues, incipit terra Paganorum, qui ſunt in Hiſpania ſecus mare ſub dominio Imperatoris Affricæ, quæ protenditur vſq; ad montem magnum, qui dicitur Muntcian. Et in Hiſpania illa Saracenica ſunt quatuor reges principales: quorum vnus dicitur rex de Cordres, id eſt Corduba. Vnde Lucanus:

al. Huuiarz.

Corduba me genuit, rapuit Nero, prælia dixi,
Quæ geſſere pares, hinc ſocer, inde gener.

Alter rex dicitur Gant; Tertius dicitur rex de Murcia; Quartus dicitur rex de Valencia. Et terra illius protenditur vſque ad montem, qui dicitur Muntcian; & mons ille diuidit terram Paganorum à terra Chriſtianorum, ſc. a terra regis Arragoniȩ; & terra regis Arragoniæ incipit à monte illo, qui dicitur Muntcian, & protenditur vltra ciuitatem de Nice. Et à ciuitate de Nice incipit terra Imperatoris Romanorum; & eſt ibi bona ciuitas, quȩ dicitur Vintemile. & terra Imperatoris protenditur inde ſecus Mare vſq; ad Gaetam, quæ eſt in Apulia terra regis Siciliæ; & terra illa dicitur principatus Capuæ. Et eſt ſciendum, quod in medio viæ inter Marſiliam, & Siciliam ſunt duæ inſulæ magnæ; quarum maior dicitur Sardena, & altera dicitur Corzege, & multæ inſulæ ſunt in circuitu Siciliæ; quarum quædam ſunt ardentes, & in mari illo circa Sardenam; & Corzhegæ ſunt piſces ſimiles Siccis, qui volant in aera exeuntes à mari. & cum volauerint quaſi per vnum ſtadium, iterum deſcendunt in mare, & ſunt ibi falcones multi volantes poſt piſces illos, & inſequentes, vt rapiant ex illis eſcam ſibi. Et qui hoc vidit teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius: quia cum ipſe in menſa ſediſſet videlicet in alta naui, quidam ex piſcibus illis volantibus cecidit ante illum ſuper menſam. Et eſt notandum, quod vna inſularum illarum, quæ ſunt in circuitu Siciliæ maior cæteris dicitur Muntgibel, quæ ita vehementer ardere ſolebat, quod magnam partem maris in circuitu eius deſiccabat, & piſces comburebat, ſed iam diu ardere ceſſauit meritis, & precibus beatæ *Agathæ* virginis, & martyris. Quadam enim die, cum ignis vehementius ſolito exiret à fornace montis Gibel, & appropinquaſſet ciuitati Cathanenſium, vbi ſanctum corpus beatæ *Agathæ* requieſcit: paganorum multitudo fugiens ad ſepulchrum eius, tulerunt velum eius contra incendium; & ignis reuerſus eſt in mare, & comburens deſiccauit mare fere per vnum milliare, & piſces combuſſit, de quibus multi euaſerūt ſemiuſti, & ex genere illorum ſunt ibi, vſq; in hodiernum diem piſces ſemiuſti, qui dicuntur piſces ſanctæ *Agathæ*. Et ſi contigerit, quod aliquis illorum piſcium captus fuerit ab aliquo piſcatore, ſtatim dimittitur abire propter

propter reuerentiam beatæ *Agathæ*, ad laudem & gloriam Domini noſtri *Ieſu Chriſti*, qui ſemper eſt mirabilis, & glorioſus in ſanctis ſuis. *Robertus* itaque de Sablaill, & *Richardus* de Camuilla, & *Willielmus* de forz de Vlerum, tranſeūtes cum nauigio *Richardi* regis Angliæ inter Affricam, & Hiſpaniam poſt tempeſtates plurimas, quas in itinere illo perpeſſi ſunt, peruenerunt Marſiliam, in octauis aſſumptionis ſanctæ *Mariæ* feria quarta, cum toto nauigio illis commiſſo: & non inuento ibi rege domino ſuo, per octo dies fecerunt ibi moram, propter quoſdam neceſſarios nauium apparatus. Deinde ſecuti ſunt regem; & in feſto exaltationis ſanctæ crucis venerunt Meſſanam in Sicilia feria ſexta; & die dominica ſequenti venit illuc *Philippus* rex Franciæ, 16. Cal Octobris, & *Margaretus* àdmiralis, & *Iordanus* del Pin, & cæteri ciuitatis cuſtodes honorifice ſuſceperunt eum, & tradiderūt ei palatiū *Tancredi* regis Siciliæ ad hoſpitandū ibi. Cum ergo *Richardus* rex audiſſet, quod nauigium ſuum Meſſanam venerat, decimo tertio die Septembris à Salerno receſſit, & tranſiens ante ciuitatem Archiepiſcopalem, quæ Melfe dicitur, & ante ciuitatem archiepiſcopalem quæ Conze dicitur, decimo octauo die Septembris, venit ad ciuitatem, & caſtellū, quæ dicuntur Eſcale. Iuxta hoc caſtellum eſt inſula parua, vbi dicuntur fuiſſe ſcholæ *Lucani*. & adhuc eſt ibi camera pulchra ſub terra, in qua *Lucanus* ſtudere conſueuerat. Nocte ſequenti iacuit rex in villa, quæ dicitur Lacerart in Prioratu montis Calliæ. Nono decimo die Septembris tranſiens rex per Prioratum, qui dicitur ſanctus *Michael* de Ioſaphat venit ad alium Prioratum eiuſdem ordinis, qui dicitur ſancta *Maria* de Foſſes, & ibi eſt caſtellum, quod dicitur ſanctæ *Luchea*. Viceſima die Septembris tranſiens rex per caſtellum quod dicitur Lamante, venit ad villam, quæ dicitur ſancta *Euſemia*. Viceſima prima die Septembris venit rex ad Melide, & ibi honorifice ſuſceptus fuit, & procuratus in Abbatia ſanctæ Trinitatis. Ibi eſt turris lignea iuxta Abbatiam, per quam *Robertus* Wiſcardus expugnauit: & obtinuit caſtellum & villam de Melide. Viceſima ſecunda die Septembr. rex Angliæ recedens de Melide cum vno ſolo milite tranſiuit per villam quandā paruam, & cum tranſiſſet, vertit ſe ad domum quandam, in qua audiuit accipitrem, & intrans domum cepit illum, quem cum dimittere noluiſſet, ruſtici multi vndique adcurrētes impetum fecerunt in eum cum lapidibus & fuſtibus; Et cum vnus illorum cultellū ſuum in regem extraxiſſet; rex eum cum lato gladii ſui verberans: gladium ſuum fregit, & alios lapidibus obruit, & ſic vix euadens ex manibus eorum venit ad Prioratum, qui dicitur Labainarie, & nullam ibi moram faciens tranſiuit fluuium magnum, qui dicitur Le far de Meſcines. Et iuxtá turrim lapideam, quę eſt ad introitū del Far in Sicilia, iacuit nocte illa in tentorio. fluuius autem ille del far diuidit Calabriam, & Siciliam. Et ad introitum del Far prope Labaniarie eſt periculum illud marinum, quod dicitur Scylla, & in exitu eiuſdem fluuii eſt aliud periculum maris, quod dicitur Charybdis. Viceſima tertia die Septēbris *Richardus* rex Angliæ venit Meſſanam in Sicilia, cum burciis multis, & aliis magnis nauibus, & galeis in tanta gloria, & ſonitu tubarum, & buccinum, quod tremor apprehendit eos, qui in ciuitate erant. Rex vero Franciæ & ſui, & omnes principes ciuitatis Meſſanæ, & clerus, & populus ſtabant in littore admirantes ſuper his, quæ viderant, & audierant de rege Angliæ, & de poteſtate eius: qui cum applicuiſſet, ſtatim locutus eſt cum *Philippo* rege Franciæ, & poſt colloquium iſtud rex Franciæ ſtatim eodem die intrauit naues ſuas, volens procedere verſus terram Ieroſolymitanam; ſed cum à portu exiſſet, ſtatim illo die vēto ſibi in contrarium mutato, dolens, & inuitus Meſſanam reuerſus eſt. Rex vero Angliæ intrauit domum *Reginaldi* de Muhec, vbi hoſpitium ſuum præparabatur in ſuburbio extra ciuitatem infra vineas. Viceſimaquarta, & viceſimaquinta die Septemb. venit rex Angliæ ad hoſpitium regis Franciæ loqui cum eo, & è diuerſo. Interim *Richardus* rex Angliæ miſit nuncios ſuos ad *Tancredum* regem Siciliæ, & liberauit de cuſtodia eius *Iohannam* ſororem ſuam quondam reginam Siciliæ. Viceſima octaua die Septembris exiuit rex Angliæ obuiam *Iohannæ* ſorori ſuæ, quæ eodē die venit Meſſanam de Panormo per galeas miſſas à rege *Tancredo*. Viceſima nona die Septembris, ſcilicet die ſancti *Michaelis*, venit rex Franciæ ab hoſpitium ſororis regis Angliæ, & vidit eam, & gauiſus eſt. Triceſima die Septembris rex Angliæ tranſiuit fluuium del Far, & cepit munitiſſimum locum, qui dicitur le Baniare, & prima die Octobris introduxit *Iohannam* ſororem ſuam in locum illum munitiſſimum, & dimittens eam ibi cum militibus, & multis aliis ſeruientibus Meſſanam rediit. Secunda vero die Octobris cepit rex Angliæ monaſterium Griffonum, videlicet locum munitiſſimum, quod eſt in medio fluminis del Far inter Meſſanam, & Calabriam, & poſuit in eo victualia ſua, quæ de Anglia, & aliis terris ſuis venerant, & expulſis inde monachis, & ſeruiētibus eorū muniuit illud militib⁹, & aliis cuſtodibus. Cum autē ciues Meſſanæ vidiſſet, quod rex Angliæ in caſtello de la Baare cum ſorore ſua milites, & ſeruiētes poſuiſſet, &

quod ipſe monaſterium Griffonum occupaſſet, habuerunt eum ſuſpectum coniicientes, quod totam occuparet inſulam ſi poſſet; & inde de facili poterant contra eum commoueri. Vnde contigit, quod tertia die Octobris diſcordia emerſit inter exercitum regis Angliæ, & ciues Meſſanæ; & in tantum excreuit ex vtraq; parte indignatio, quod ciues clauſerunt portas ciuitatis, & armati aſcenderunt muros: cumq; exercitus regis hoc vidiſſet, venerunt cum impetu magno ad portas ciuitatis, & dominus rex in equo velociſſimo per exercitum curſitabat, baculo verberans, quoſcunq; ex ſuis attingebat, volens illos ab inſultu cohibere, ſed nequiuit; tãdem rediuit ad hoſpitium ſuum, & cum ſe armaſſet, iterum exiuit ad extinguendam malitiam, ſi poſſet. Poſtea intrauit cymbam vnam, & iuit ad palatium regis *Tancredi* ad conſulendum regem Franciæ ſuper his, quæ acciderant. Interim per conſilium ſeniorum ciuitatis, diſcordia illa quieuit: & depoſitis ex vtraque parte armis, reuerſus eſt vnuſquiſq; in domum ſuam. Quarto die Octobris venerunt ad regem Angliæ, *Richardus* Archiepiſcopus Meſſanæ, & *Willielmus* Archiepiſcopus de monte regali & *Willielmus* Archiepiſcopus de Riſa, & *Margaritus* Admiralis, & *Iordanus* de Pino, & alii multi familiares regis Siciliæ, & adduxerunt ſecum *Philippum* regem Franciæ, & *Reginaldum* Carnotenſem, & *Manaſſer* de Lengris Epiſcopos, & *Hugonem* ducem Burgũdiæ, & *Petrum* de Neuerz, & *Gaufridũ* de Pertico Comites, & de familia regis Angliæ *Walterum* Rothomagenſem, & *Girardum* Anxienſem Archiepiſcopos, & alios multos, in quibus habebant fiduciam ad pacem faciendam inter ipſos, & regem Angliæ. Et cum illi de pace facienda diu tractaſſent, & eam pene reformaſſent, ciues Meſſanæ proceſſerunt in magna multitudine congregati ſuper montes, & expectauerunt quidam prompti, & parati proditioſe in regem Angliæ irruere; & quidam fecerunt inſultum in hoſpitium *Hugonis* le Brun, & clamor illorum non modicus venit ad aures regis Angliæ; qui ſtatim relicto colloquio regis Frãciæ, & prædictorũ omnium, præcepit omnes ſuos armari: & ipſe cum paucis aſcendit montẽ arduum, quod nemo putaret vllo modo poſſe contingere; & cum ad ſummitatem montis cum magno labore perueniſſet, quotquot in monte fuerant, cum fuga celerrima ciuitatem intrauerunt: & rex ſecutus eſt eos in ore gladii. Milites autem, & ſeruientes regis Angliæ ad portas, & muros ciuitatis cum ciuibus fortiter congreſſi ſunt, & multos, & duros lapidum ictus ſuſtinentes, aliquando portas intrauerunt, aliquando vi expulſi ſunt, & occiſi fuerunt ibi ex hominibus regis Angliæ quinq; milites, & viginti ſeruientes, vidente rege Franciæ, & nullum auxilium eis faciente, quamuis ipſi eſſent cõfratres in illa peregrinatione. Rex vero Franciæ, & ſui ciuitatem ſunt ingreſſi, & per medium illorum ibant tutiſſime. Homines autem regis Angliæ tandem poſt maximos labores in tantas vires excreuerunt, quod per vim portas ciuitatis fregerunt, & murum vndiq; aſcẽderunt, & ita ingredientes ciuitatem obtinuerunt, & ſtatim ſigna regis Angliæ in munitionibus per circuitum murorum poſuerũt. Vnde rex Franciæ plurimum indignatus eſt, & poſtulauit, vt ſigna regis Angliæ deponerentur, & vt ſigna ſua imponerentur; ſed rex Angliæ hoc permittere noluit: ſed tamen, vt voluntas regis Franciæ impleretur, rex Angliæ ſigna ſua depoſuit, & tradidit ciuitatẽ in cuſtodia Hoſpitalarium, & Templariorum, donec perficerentur ei omnia, quæ ipſe exigebat a *Tancredo* rege Siciliæ.

DE CONCORDIA FACTA INTER REGEM PHILIPPVM Franciæ, & Richardum regem Angliæ apud Meſſanam.

OCtaua die Octobris rex Franciæ, & rex Angliæ coram Comitibus, & baronibus ſuis & clero, & populo iurauerunt ſuper reliquias ſanctorum, quod alter alterum, & exercitum eius in peregrinatione illa in eundo, & redeundo bona fide cuſtodiret, & Comites, & barones hoc idem iurauerunt ſe firmiter, & inconcuſſe ſeruaturos. Deinde prædicti reges per voluntatem, & conſilium totius exercitus peregrinorum ſtatuerunt, quod omnes peregrini, qui in via huius peregrinationis morerentur, de omnibus armaturis & equitaturis ſuis, & veſtibus, quibus vſuri erant, pro voluntate ſua diſponant, & de medietate poſſeſſionum ſuarum, quas ſecum habent in via, ſimiliter pro arbitrio ſuo faciant, dũmodo nihil in patriam ſuam remittant; & clerici de Capellis, & omnibus vtenſilibus ad capellã pertinentibus, & de omnibus libris ſuis pro voto ſuo ordinabunt. Altera medietas in manus *Walteri* Rothomagenſis Archiepiſcopi, & *Manaſſer* Lingonum Epiſcopi, & magiſtri domus militiæ Templi & magiſtri Hoſpitalis, & *Hugonis* ducis Burgundiæ, & *Radulfi* de Chouci, & *Drogonis* de Merlau, & *Roberti* de Sabluil, & *Andreæ* de Chauenni, & *Gilberti* de Waſcuil tradetur; qui ad ſubuẽtionẽ terræ Ieroſolymitanæ, vbi viderint magis neceſſarium, prædictam pecuniam impendent. Hoc autem reges in propriis perſonis

affida-

affidauerunt firmiter, & fideliter ſeruandum in omni via, tam citra mare, quam vltra, de omnibus peregrinis vtriuſq; regni, tam de illis, qui venturi ſunt, quam de illis qui iam venerunt. Archiepiſcopi, & Epiſcopi id idem in verbo veritatis ſeruandum promiſerunt. Magiſtri Templi, & Hoſpitalis ſuper ordinem ſuum id idem ſeruandum conceſſerunt: Comites & barones in propriis perſonis id idem ſeruandum iurauerunt. Præterea nemo in toto exercitu ludat ad aliquod genus ludi pro lucro, exceptis militibus, & clericis, qui in tota nocte & die non niſi viginti ſolidos amittent. Si autem milites, aut clerici pluſquam ad viginti ſolidos in die naturali luſerint: quotieſcunq; viginti ſolidos exceſſerint, centum ſolidos prædictis Archiepiſcopo, & Epiſcopo, & Comitibus, & baronibus, qui prædictam ſeruabunt pecuniam, dabunt prædictæ pecuniæ admiſcendos. Reges autem pro beneplacito ſuo ludent. Et in hoſpitio duorum regum poſſunt ſeruientes præcepto regum vſque ad viginti ſolidos ludere. Et coram Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & Comitibus, & Baronibus, præcepto eorum poſſunt ſeruientes ludere vſq; ad viginti ſolidos. Si autem ſeruientes, aut marinarii, aut alii miniſtri per ſe inuenti fuerint ludentes; ſeruientes tribus diebus nudi per exercitum vapulabunt, niſi ſe voluerint redimere arbitrio prædictorum; & alii miniſtri ſimiliter. Marinarii vero ſi luſerint tribus diebus a ſummo mane in mare demergentur more marinariorum, quotidie ſemel, niſi ſe voluerint arbitrio prædictorum redimere. Si autem peregrinus aliquis poſtquā iter arripuerit ab aliquo homine in via aliquid mutuo acceperit, mutuum ſoluet. De eo autem, quod ante iter accepit, nō tenetur reſpōdere in via. Si autem marinarius aliquis conductitius, vel ſeruiens aliquis, vel quicunque fuerit, exceptis clericis, & militibus, a domino ſuo in via huius peregrinationis receſſerit, nemo alius eum recipiet, niſi de voluntate domini ſui fuerit. Et ſi aliquis eum inuito priore domino ſuo receperit, pro arbitrio prædictorum virorum punietur. Et ſi quis contra ſtatuta iſta ita ſolemniter facta aliquid temere attentauerit, ſciat ſe excommunicationi Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum totius exercitus ſubiacere; & omnes tranſgreſſores pœnis ſupradictis ſecundum ſingulorum conditiones pro arbitrio prędictorum virorum punientur. Præterea ſtatutum eſt à prædictis regibus, quod mercator de quacunq; mercatione ſit mercator, non poteſt emere in exercitu panē ad reuendendum, nec farinā, niſi aliquis alienigena illā adduxerit: & de illa panem fecerit: nec bladum, niſi de eo ſimiliter panem fecerit, vel ad ſecum tranſfretandum detinuerit. paſta vero omnino vetatur, ne ematur; & omnia vetentur emenda infra villam, & leucatam villæ. Si aliquis autem bladum emerit, & de eo panem fecerit, tenetur lucrari in ſalina vnum teruntium, & bren. Alii vero mercatores, de quacunq; mercatione fuerint, in decem denarios tenentur lucrari vnum denarium. Et ne aliquis ſonet monetam domini regis, in qua moneta apparebit, niſi fracta fuerit infra circulum. Et ne aliquis carnem mortuam emat ad reuendendum nec beſtiam viuam, niſi eam occiderit in exercitu: Et ne aliquis vinum ſuum poſt primam conclamationem carius vendat: Et ne aliquis faciat panem ad vendendum, niſi ad vnum denarium; & omnes mercatores ſciant quod totum far eſt infra leucatam villæ: Et de moneta Angliæ vnus denarius detur in omnibus mercaturis pro quatuor denariis Andegauenſis monetæ. Et eſt ſciendum, quod omnia ſupradicta conſtituta ſunt conſilio, & voluntate regis Franciæ, & regis Angliæ, & regis Siciliæ. Tertia vero die poſt captionem ciuitatis Meſſanæ principes ciuitatis Meſſanæ, & totius prouinciæ dederunt regi Angliæ obſides de pace ſibi, & ſuis ſeruanda, & quod in manu eius ciuitatem Meſſanæ liberam traderent; niſi *Tancredus* rex Siciliæ dominus eorum celerius pacem fecerit cum illo de omnibus exigentiis, quas ab eo exigebat. Ipſe enim à rege *Tancredo* exigebat montem ſancti *Angeli* cum toto Comitatu, & aliis pertinentiis ſuis ad opus *Iohannæ* ſororis ſuæ, quem *Willielmus* quōdam rex Siciliæ maritus eius dedit ei in dodarium; & Cathedram auream ad opus eiuſdem *Iohannæ* de conſuetudine reginatū illius regni; & ad opus ſui ipſius menſam auream de longitudine duodecim pedum, & de latitudine vnius pedis & ſemis; & quoddam tentorium de ſerico magnum, adeo quod ducenti milites in eo poſſint ſimul manducare: & duos tripodes aureos ad prædictam menſam auream ſuſtinendam, & viginti quatuor cuppas argenteas, & totidem diſcos argenteos, & ſexaginta millia ſalines de frumento, & totidem de hordeo, & totidem de vino, & centum galeas armatas cum toto apparatu, & cum victu Galiotarum ad duos annos. Hæc omnia petebat rex Angliæ ad opus ſui ipſius ſicut hæres regis *Henrici*, cui ſupradictus *Willielmus* rex Siciliæ omnia ſupradicta præparauerat & diuiſerat quando in extremis laborauit. Cui *Tancredus* rex Siciliæ in hæc verba reſpōdit: Ego dedi *Iohannæ* ſorori veſtræ decies centena millia de * terris pro quieta clamantia dodarii ſui, antequam à me recederet, & de reliquis exigentiis veſtris, faciam, quicquid facere debuero ſecundū conſuetudinem regni huius. Vnde factum eſt, *al. terrenus*

quod per conſilium ſapientum virorum rex Siciliæ dedit regi Angliæ viginti millia vnciarum auri pro quieta clamantia dodarii ſororis ſuæ; & alia viginti millia vnciarum auri pro omnium ſupradictorum quieta clamantia; quæ in iure petebat de diuiſa Willielmi regis Siciliæ defuncti, & pro matrimonio contrahendo inter Arthurum ducem Brittannię nepotem ſuum, & filiam regis Tancredi. Quibus ex vtraq; parte conceſſis, Richardus rex Angliæ in hac forma ſcripſit Tancredo regi Siciliæ.

CHARTA PACIS FACTAE INTER RICHARDVM REGEM Angliæ, & Tancredum regem Siciliæ.

TAncredo Dei gratia illuſtri Siciliæ regi, & ducatus Apuliæ, & principatus Capuæ, Richardus eadem gratia rex Angliæ, & dux Normanniæ, & Aquitaniæ, & Comes Andegauiæ, ſalutem in eo, qui dat ſalutem regibus. Cum pro ſubuentione terræ Ieroſolymitanæ, quam peccatis exigentibus, ex maiore parte Paganorum incurſus obtinuit, & inimicorum crucis Chriſti gladius deuaſtauit, ſuſceptum, inſpirante Domino, peregrinationis iter ageremus per terram veſtram tranſitum facientes apud Meſſanam ciuitatem veſtram, moram facere compulſi ſumus, ventorum, & maris, & temporis inclementia nauigationis noſtræ propoſitum detinente; vbi inter populum noſtrum, & ciues præfatæ vrbis ſeditione caſu exorta, damnũ hinc & inde cõtigit rerũ, & virorũ. Vnde viſum eſt pluribus, vt ea occaſione fraterna inter nos charitas & dilectio turbaretur. Curauimus itaque, vt decebat peregrinationis noſtræ propoſitum; tum per nos, & dilectos, ac fideles familiares noſtros; tum per venerabiles Archiepiſcopos veſtros: ſcilicet Richardum Archiepiſcopum de Meſſana, & Willielmum Archiepiſcopum de monte regali, & Willielmum Archiepiſcopum de Riſa, & Richardum filium venerabilis viri Walteri Cancellarij veſtri, & alios viros egregios miſſos à latere veſtro, ſtatuimus vt illibatæ pacis inter nos arctius fœdera firmentur: Cuius formam in annum duraturam ſcripturæ memoria contineret. Promiſimus ergo vobis, & regno veſtro, & toti terræ dominationis veſtræ, per nos, & noſtros, terra & mari pacem perpetuam nos fideliter ſeruaturos, ſopitis omnibus quæſtionibus, quas tum de dodario ſororis veſtræ reginæ; tum de rebus aliis per noſtros vobis nuncios feceramus: hoc nihilominus addito, vt quamdiu in regno veſtro moram fecerimus, ad defenſionem terræ veſtræ vbicunque præſentes fuerimus, vobis auxilium præbeamus, quicunque vellet eam inuadere, aut vobis bellum inferre. Huius autem pacis tenorem, & formam, quam in voto habemus, & in propoſito gerimus, vobis & veſtris, illæſa fide, ſeruare per Walterum Rothomagenſem, & Girardum Exonienſem Archiepiſcopos, & per Iohannem Eboracenſem, & Bernardum Baionienſem Epiſcopos, & per Iordanum de Humez conſtabularium noſtrum, & per Willielmum de Curci, & per Richardum de Camuilla, & per Girardum Talebot, & per Robertum de Sabluil, & per Guidonem de Croum, & per Guarinum filium Geroldi, & per Bertramnum de Verdun, & per Willielmũ Chamberlangum de Tancceruile, & per Robertum de nouo Burgo, & per Hugonem Bardolf, & per Wigain de Chereburg, & per Gillebertum de Waſcuill, & per Hugonem le Bruin, & per Iohannem de Piller, & per Amauri de Muntfort, & per Andream de Chauenns, & per Willielmum de Forz Dulerum, & per Gaufridum de Rancune, & per Amauri Torel, & per multos alios de familia noſtra fecimus iuramentis præſtitis coram prædictis Archiepiſcopis ad hoc ipſum efficiendum à vobis deſtinatis, & viris illuſtribus veſtris in animam meam firmari, ſicut capitularis forma continet. Vt autem pax iſta, & fraterna dilectio tam multiplici, quam arctiori vinculo connectatur, prædictis curiæ veſtræ magnatibus id ex parte veſtra tractantibus, Domino diſponente, condiximus inter Arthurum egregium ducem Brittaniæ nepotem noſtrum, & heredem, ſi forte ſine prole nos obire contigerit, & filiam veſtram matrimonium in Chriſti nomine contrahendum: vt cum illa, Deo propitio, ad nubiles annos peruenerit, & vos eam mittatis ad locum, vbi pars vtraque conſenſerit, prædictus nepos noſter eam infra dies quindecim poſtquam ad eum venerit, debeat in vxorem legitimam deſponſare; aut ſi celſitudini veſtræ placuerit, eam infra annos nubiles deſponſari, prædictus nepos noſter iuxta beneplacitum veſtrum id faciet, ſi ſummus Pontifex diſpenſabit. Volentes autem tanquam illuſtri dominæ, & magnifici regis filiæ dodarium, quod conueniat, deſignari, de ducatu nepotis noſtri tale dodarium ei pro parte ipſius nepotis noſtri paciſcimur, & quod ad præſens per præfatos fideles noſtros iurari fecimus, & ab ipſo nepote noſtro concedi, & à magnificentia veſtra pro matrimonio iſto, ſcilicet viginti millia vnciarum auri nos recepiſſe ad opus nepotis noſtri fatemur: Hoc in pacto veniente, vt ſi, (quod abſit) morte alterius interueniente, aut culpa noſtri nepotis, aut noſtra, vel partis ipſius, matrimonium ipſum non fieret: nos aut heredes noſtri vobis, aut veſtris heredibus, ſupradictam pecuniam integram, ſine difficultate reſtituemus. Super his autem, videlicet, & de pace, quam vobiſcum firmauimus, & de matrimonio contrahendo, & de pecunia reſtituenda, ſi forte prædictis cauſis accidentibus,

matri-

matrimonium non extaret: dominum Papam, & Romanam Eccleſiam, in fideiuſſione ponimus; vt ſi forte, quod Deus auertat, ex parte noſtra pacis integritas frangeretur, poteſtatem habeat Romana Eccleſia nos, & terram noſtram diſtrictius coercere. Similiter & ad matrimonium contrahendum poteſtatem habeat nos. & partem nepotis noſtri conſtringere: vel ſi propter cauſas prædictas non fieret matrimonium; ad reſtituendam pecuniam, nos aut hæredes noſtros, aut terram noſtram cogere habeat poteſtatem. id quoque de fideiuſſione Romanæ Eccleſiæ nos ita facturos, prædictorum virorum nos obligauimus iuramentis, ſicut capitularis forma continet, quam vobis miſimus ſigilli noſtri appoſitione ſignatam. Si autem, nobis ſine hæredibus decedentibus, ipſe ad regnum noſtrum hæreditario iure peruenerit, de regno noſtro tale illi dodarium deſignamus: videlicet antiquum & conſuetum dodarium Reginarum Angliæ.

CAPITVLARIS FORMA, QVAE FACTA EST INTER Richardum regem Angliæ, & Tancredum regem Siciliæ.

EGo N. iuro ſuper hæc ſancta Dei Euangelia, quod dominus meus Richardus rex Angliæ, ab hac hora in antea ſeruabit domino Tancredo regi Siciliæ, ducatus Apuliæ, principatus Capuæ, & regno eius, & toti terræ dominationis ſuæ, pacem perpetuam per ſe, & per ſuos, terra & mari: & quamdiu ipſe Dominus meus erit in regno regis Tancredi, dabit ei auxilium ad defendendum terram ſuam, vbicunque ipſe fuerit in terra domini Tancredi regis Siciliæ, quicunque velit eam inuadere, aut ei facere Guerrã: & quod dominus meus pacem iſtam manu ſua iurabit; ſi dominus rex Tancredus ſimiliter pacem manu ſua iurauerit. Et ſi aliquando (quod abſit) Dominus meus vellet pacem iſtam infringere; ego ponam me in captione ipſius domini regis Tancredi, vbi ipſe voluerit, & hæc omnia dominus meus Richardus rex Angliæ, & ego bona fide, & ſine fraude, & ſine malo ingenio tenebimus: ſic Deus nos adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia, & ſanctorum reliquiæ. Amen. Et eſt ſciendum, quod in eadem forma iurauerunt Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & cæteri homines regis Tancredi in animam ipſius ſe, & ſuos pacem ſeruaturos Richardo regi Angliæ, & ſuis in mari & terra, quamdiu ipſi fuerint in terra ſua. & ſi ipſe Tancredus rex Siciliæ, & ſui pacẽ nõ ſeruauerint, prædicti archiepiſcopi, & cæteri qui ſacramẽtum illud ex parte regis Tancredi iurauerunt, ponent ſe in captione Richardi regis Angliæ, vbi ipſe voluerit. Et eſt ſciendum, quod rex Tancredus dedit Richardo regi Angliæ alia viginti millia vnciarum auri pro quieta clamantia omnium quæſtionum, quas fecerat tam de dodario ſororis ſuæ reginæ, quam de omnibus aliis exigentiis ſuis. & vt Tancredus rex Siciliæ ſecurior eſſet de omnibus ſupradictis conuentionibus Richardus rex Angliæ in hac forma ſcripſit ſummo Pontifici.

EPISTOLA RICHARDI REGIS ANGLIAE AD CLEMENTEM Papam de pace facta inter ipſum & Tancredum regem.

REuerendiſſimo domino, ac beatiſſimo patri Clementi Dei gratia ſanctæ ſedis Apoſtolicæ ſummo Pontifici, Richardus eadẽ gratia rex Angliæ & dux Normanniæ & Aquitaniæ, & Comes Andegauiæ, Salutem, & ſinceræ in Domino deuotionis affectum. Iuſtiorem exitum facta principum ſortiuntur, cum à ſede Apoſtolica robur, & fauorem accipiunt, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ colloquio diriguntur. proinde dignum duximus ad notitiam beatitudinis veſtræ tranſmittere, quæ inter nos, & dominum Tancredum illuſtrem Siciliæ regem publico nuper, & admodum neceſſario ſunt celebrata contractu. Sane dilectionem fraternam, & pacem perpetuam cum eo firmauimus, quam magnatum noſtrorum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & plurimorum virorum illuſtrium iuramentis, ei & ſuis, & regno ſuo, & toti terræ dominationis ſuæ, nos illibata fide promiſimus ſeruaturos. Cum etiam iam pacis, & amicitiæ fœdus arctiori adhuc vinculo aſtringentes, inter Arthurum egregium ducem Brittanniæ chariſſimum nepotem noſtrũ, & hæredem (ſi nos decedere ſine prole contigerit) & illuſtrem filium eius matrimonium, volente Domino, conduximus contrahendum: quod Domino largiente debitam conſummationem accipiet, cum illuſtris puella nubiles annos attigerit; aut prædicto domino Tancredo regi placuerit, vt infra nubiles annos illa in vxorem nepoti noſtro deſponſanda tradatur, nos ipſum nepotem noſtrum hoc facturum conceſſimus, ſi ſancta Romana Eccleſia decreuerit ſimiliter diſpenſare. pecuniam vero, quam pro matrimonio ipſo, ad opus nepotis noſtri ab eodem domino rege Tancredo recepimus; ſcilicet viginti millia vnciarum auri, ſi forte, quod abſit, morte interueniente alterius, aut culpa noſtra aut noſtri nepotis, aut partis ipſius, matrimoniũ non ſtaret; nos aut hæredes noſtri

ipſi domino regi *Tancredo*, aut hæredibus eius ex integro reſtituere, præſtitis ſuper hoc ſacramentis, ex parte noſtra tenemur. Vt igitur tenor pacis initæ, & initiati matrimonij fides cum integritate debita ex parte noſtra, & nepotis noſtri ſeruetur, ſicut ipſi domino *Tancredo*, interpoſita iuriſiurandi religione, firmauimus, ſanctitatem veſtram, & ſanctam Romanam Eccleſiam obnixe rogamus, quatenus, & firmatæ pacis ſeruandæ perpetuo, & matrimonii conſummandi, vel ſi ex prædictis cauſis matrimonium ipſum non fieret, reſtituendæ pecuniæ ſancta ſedes Apoſtolica fideiuſſionem pro nobis ſuſcipiat erga dominum noſtrum regem *Tancredum*, & hæredes ipſius: Cuius fideiuſſionis onus, vt confidenter vobiſcum Romana Eccleſia ſuſcipiat, præſentium literarum teſtimonio vobis & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ liberam concedimus poteſtatem, nos & hæredes noſtros, & terram noſtram diſtrictius coercere; ſi vel contra pacem præfatam venerimus, vel prædictis cauſis matrimonio non ſecuto, nos aut hæredes noſtri ſolutionem pecuniæ negatemus: ad honorem vtriuſque noſtri veſtra nouit beatitudo ſpectare; ſi mediante Romana Eccleſia pacis pariter, & matrimonii bonum ad congruum finem deueniat, vnde multiplex in futurum vtilitas conſequatur. Teſtibus nobis ipſis 11. die Nouembris, apud Meſſanam. Sed antequam pax iſta eſſet conceſſa, & cõfirmata, inter regem Angliæ, & regem Siciliæ, *Margaritus* admiralis, & *Iordanus* de Pin familiares regis *Tancredi*, quibus ipſe ciuitatem Meſſanam tradiderat cuſtodiendam, de nocte abierunt adducentes ſecum familias ſuas, & ſubſtantias ſuas, quas habebant in auro & argento, domos vero & galeas, & alias poſſeſſiones illorum ſaiſiuit rex Angliæ in manu ſua, illis abeuntibus. Deinde rex Angliæ fecit fieri foſſatũ vnum & latum & profundum per medium Inſulæ, quæ eſt in flumine del Far, in qua eſt monaſterium Griffonum, vbi Theſauri & victualia eius cuſtodiebantur: cuius foſſati longitudo totius Inſulæ continet latitudinem, ab vna ripa in alteram; & finis eius terminatur in Charybdim. Et eſt ſciendum, quod in fluuio illo del Far de Meſchines, ſunt illa duo pericula maris maxima, ſcilicet, Scylla, & Charybdis; quorum vnum, ſcilicet Scylla, eſt ad introitum del Far prope Prioratum de la Bainare, & alterum, ſcilicet Charybdis, eſt prope exitum del Far: ad cuius cognitionem facta eſt turris lapidea in prædicta Inſula iuxta foſſatum regis Angliæ. Et eſt ſciendum, quod Scylla ſemper euomit, & in altum iactat vndas, & ideo neceſſe eſt, vt tranſeuntes elongent ſe ab ea, ne inſanis obruantur aquis. Charybdis vero indeſinenter attrahit, & abſorbet aquas; & ideo caueant ſibi tranſeuntes, ne abſorbeantur ab ea. Quidam tamen incauti vitare Scyllam volentes, cadunt in Charybdim. Deinde rex Angliæ dum pax inter illum, & regem *Tancredum* facienda moraretur, firmauit ſibi caſtellum forte in ſupercilio montis ardui extra muros ciuitatis Meſſanæ: quod Mategriffun vocauerunt. Griffones vero ante aduentum regis Angliæ erant potentiores omnibus regionem illam inhabitantibus, & odio habebant omnes homines vltramontanos; adeo quod pro minimo habebant illos interficere, nec erat qui adiuuaret. ſed ex quo rex Angliæ illuc venit, malitia illorum quieuit, & poteſtas eorum minuta eſt, & facti ſunt viliores omnibus inhabitantibus terram illam; & ſperantes ſe poſſe contra regem Angliæ, ſicut potuerunt contra cæteros in diebus antiquis, inciderunt in foueam, quam fecerunt, & facti ſunt profugi in terra. Gens autem Anglicana in maxima habebatur reuerentia in regno Siciliæ. Tunc impletum eſt propheticum illud, quod antiquitus ſcriptum inueniebatur in tabulis lapideis prope villam regis Angliæ, quæ dicitur Here; quam *Henricus* rex Angliæ dederat W*illielmo* filio *Stephani*. in qua idem W*illielmus* domum nouam conſtruxit, in cuius pinaculo effigiem cerui ſtatuit, quod factum fuiſſe creditur, vt adimpleretur vaticinium illud, quo dicitur,

Whan thu ſeches in Here hert yrerct:
Than ſulen Engles in three be ydeled.
That han ſal into Yrland altolate waie/
That other into Puille mid prude bi ſeue/
The Thridde into Airhahen herd alle Wreke y drechegen.

Deinde rex Angliæ pro amore Dei, & ſalute animę ſuæ & parentum ſuorum, quietum clamauit in perpetuum Wrec per totam terram ſuam citra mare & vltra: ſtatuens quod omnis naufragus, qui ad terrã viuus peruenerit, omnes res ſuas liberas, & quietas habeat: Si autem in naui mortuus fuerit, filii, vel filiæ, fratres vel ſorores eius habeant res ſuas ſecundum quod oſtendere poterunt ſe eſſe propinquiores illius hæredes. Vel ſi defunctus nec filios, nec filias, nec fratres, nec ſorores habuerit, rex catalla ſua habeat. Hãc aũt quietã clamantiam de Wrec fecit *Richardus* rex Angliæ, & charta ſua confirmauit anno ſecundo regni ſui, menſe Octobris, apud Meſſanam, coram W*altero* Rothomagenſi & *Girardo* Anxienſi

Auxienſi Archiepiſcopis, & Iohanne Ebroicenſi, & *Bernardo* Baonienſi Epiſcopis, & multis aliis tam clericis quam laicis de familia regis Angliæ, & charta illa tradita fuit per manum magiſtri *Rogeri* mali catuli Vicecancellarii regis. Eodem anno plus, quam centum millia Paganorum, qui erant in regno Siciliæ, ſerui regis *Willielmi*, poſt mortem eius indignati ſunt ſeruire regi *Tancredo*; tum quia Henricus rex Alemannorum calumniatus erat regnum Siciliæ: tum quia *Richardus* rex Angliæ regnum Siciliæ ingreſſus, magnam illius partem occupauerat. & abierunt in montana cum mulieribus, filiis, filiabus, & pecoribus ſuis, & habitauerunt ibi opprimentes Chriſtianos, & multa mala eis facientes. ſed audito quod pax, & finalis concordia eſſet inter regem Angliæ, & Regem *Tancredum*, redierunt in ſeruitutem Regis *Tancredi*: & datis ei obſidibus de pace ſeruanda, reuerſi ſunt in domos ſuas: colentes terram ſicut coluerunt eam tempore Regis *Willielmi*, & ſerui facti ſunt ſub Rege *Tancredo*. Eodem anno *Conradus* dux Suauiæ poſt ſubmerſionem patris ſui *Frederici* Romanorum Imperatoris, factus eſt princeps Teutonicorum, & Alemannorum, & cæterorum, qui patrem ſuum ſequebantur: & venit ad obſidionem Accon cum exercitu magno, & ſtatim facta eſt fames magna in obſidione Accon, & in tantum excreuit: quod panis, qui ante aduentum eorum pro vno ſolo vendebatur denario, pro * ſexaginta ſolidis vendebatur poſtmodum. Tunc fame perierunt plurimi in exercitu, quia ſumma vnius equi de frumento vendebatur pro ſexaginta quinque marcis Anglicanæ monetæ. Tunc principes, qui in obſidione erant, paſcebantur carne equina, edentes eam pro delitiis. Cumque fames ſuperexcreuiſſet, venit clamor populi ad *Hubertum Walteri* Rothomagenſem Epiſcopum, & ad cæteros Epiſcopos exercitus, & fecerunt collectam denariorum per exercitum ad opus pauperum, & tantum incrementum dedit Dominus collectæ illi, quod ſufficiebat omnium ſuſtentationi indigentium; donec largitor omnium bonorum Deus ex alto proſpiciens miſit eis abundantiam frumenti vini, & olei. tertia enim die poſt collectam pauperibus diſtributam, venerunt ad Accon naues onuſtæ frumento, vino, & oleo, & fecerunt forum bonum, ita quòd menſura frumenti, quæ prius vendebatur pro ducentis Bizantiis, data fuit poſtmodum pro ſex bizantiis. Eodem anno, die Sancti *Iacobi* Apoſtoli decem millia proborum iuuenum & bene armatorum exierunt de obſidione Accon contra prohibitionem Regis, & Patriarchæ, & principum exercitus, volentes congredi cum *Saladino*, & exercitu eius. *Saladinus* autem videns eos venientes retraxit ſe cum exercitu ſuo, dimiſſis tentoriis ſuis, & victualibus. Ingreſſi ſunt iuuenes illi tentoria Paganorum edentes & bibentes, quæ apud illos erant. Deinde ſumpſerunt ſecum precioſa quæque, & onerauerunt ſe: & cum redirent verſus obſidionem Accon, *Saladinus*, & exercitus eius ſecuti ſunt eos in ore gladii, & fere omnes perempti ſunt à Paganis. Pauci enim illorum euaſerunt auxilio *Radulfi* de Hautereue Archidiaconi Coleceſtriæ, relictis * oneribus ſuis. Eodem anno *Sibylla* regina Ieruſalem vxor *Guidonis* de Lezinant, & duæ filiæ eius obierunt in obſidione Accon. quibus defunctis, *Conradus* Marchio de Munferrant Dominus Tyri videns, quod non eſſet propinquior hæres in regno Ieroſolymitano, quam *Miliſant* vxor *Amfridi* del Turun ſoror prædictæ *Sibyllæ*, conuenit prædictum Patriarcham *Heraclium*, & matrem prædictæ mulieris, & omnes principes exercitus Chriſtianorum, & petiit ſibi donari in vxorem illam reginæ defunctæ ſororem: promittens quod ipſe de cætero fideliter, & efficaciter promoueret negotia exercitus Chriſtianorum; & quod nullam deinceps haberet cum *Saladino* familiaritatem. Mater igitur mulieris, & Patriarcha, & principes exercitus quam plures, præbuerunt aſſenſum petitioni illius; & fecerunt diuortium inter prædictam mulierem, & *Amfridum* del Turun maritum ſuum, & tradiderunt eam *Conrado* in vxorem. qui ſtatim calumniatus eſt regnum Ieroſolymitanum de iure vxoris ſuæ aduerſus *Guidonem*. *Guido* vero obtulit ſe iuri ſtare in curia regum Franciæ, & Angliæ, qui in proximo venturi erant: ſed *Conradus* tamdiu expectare nolens, omnia iura regni ſibi vſurpauit, & *Guidonem* regem expulit. Eodem anno *Philippo* rege Francorum, & *Richardo* rege anglorum moram facientibus apud Meſſanam in Sicilia: menſe Decembris, decimo quarto Kalendarum Ianuarii feria quarta audita ſunt tonitrua magna apud Meſſanam, & viſa ſunt fulgura multa, & terribilia diſcurrere, & vnus ictus fulminis cecidit in vna galearum regis Angliæ, & demerſit eam in profundum, percuſſitq; murũ ciuitatis Meſſanæ, & magnam illius partem contriuit. Milites autem & ſeruientes regis Angliæ, qui cuſtodiebant Monaſterium Griffonum, in quo erant theſauri regis Angliæ, dixerunt pro certo, ſe vidiſſe globum igneum, ſuper pinaculum monaſterii illius, qui nõ erat comburens, ſed illuminans, & ibidem moram fecit, quandiu tempeſtas ſæuiit, & ceſſante tempeſtate receſſit globus ille igneus. Admirantibus illis, & diligenter requirentibꝰ,

al. quadraginta.

al. hominibus.

quid hoc eſſet, Griffones ibidem Deo iugiter ſeruientes reſponderunt, quod ſic ſemper euenit, * quandocunq; tempeſtas ſit. rex vero Angliæ interim dum moram fecit apud Meſſanam, fecit omnes nauigii ſui naues duci in terram, & eas refici: nam multæ earum per corroſionem vermium deterioratæ erant. ſunt enim in fluuio del Far vermes graciles qui in lingua illa vocantur Beom, quorum cibus eſt omne genus ligni: qui cum alicui ligno adhæſerint, nunquam niſi per vim inde recedent, donec perforauerint illud; foramina autem faciunt ſtricta cum intrant, & ex corroſione ligni adeo creſcunt, & pingueſcunt, quod exeuntes faciunt foramina lata. Interim *Richardus* Rex Angliæ fecit parari Perarias, & alias machinas ſuas bellicas, quas ſecum in terram Ieroſolymitanam laturus erat.

*al. qualiſcunq; tẽpeſtas ſit.

Eodem anno *Willielmus* Elienſis Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis legatus, domini Regis cancellarius, & totius Angliæ Iuſtitiarius, plebem Angliæ ſibi commiſſam grauibus exactionibus premebat. In primis namq; omnes ſocios, quos rex ſibi in regimine regni aſſociauerat, ſpernebat, & eorum conſilia. Socium autem parem ſibi neminem putabat in regno, nec etiam *Iohannem* fratrem regis, Comitem Moretonii. Ipſe quidem caſtella, prædia, Abbatias, Eccleſias, & omnia iura Regis ſibi vendicabat. Auctoritate quidem legationis ſuæ ad Epiſcopatus, & abbatias, & Prioratus, & ad alias religioſorum domos hoſpitaturus veniebat, in tanta ſuperfluitate hominum, & equorum, & canum, & auium: quod domus in qua ipſe per vnam noctem hoſpitabatur, vix infra tres annos ſubſequentes in priſtinum ſtatum redire poſſet. Clericis vero & laicis, Eccleſias, prædia, terras, & poſſeſſiones ſuas abſtulit: quæ aut nepotibus ſuis, & clericis, & ſeruientibus erogabat, aut damnabiliter ſibi retinebat, aut in vſus extraordinarios dilapidabat. Nonne conſiderabat infœlix ille, quod moriturus eſſet? Nonne cogitabat quod Dominus ab vnoquoq; ſuæ villicationis rationem, aut ſui principatus honorem requireret? Sed bene de talibus dicitur.

Aſperius humili nihil eſt cum ſurgit in altum.
Cuncta ferit, dum cuncta timet, deſæuit in omnes,
Vt ſe poſſe putent, nec bellua tetrior vlla,
Quam ſerui rabies in libera terga furentis.

Eodem anno tertia die poſt feſtum Sancti *Michaelis* exierunt Saraceni à ciuitate Accon circiter quatuor millia armati, & combuſſerunt quatuor Hurdicios per ignem Græcum: ſed viriliter retruſi ſunt per milites exercitus armatos, & amiſerunt viginti Turcos occiſos, præter multos vulneratos. Deinde ad feſtum Sancti *Martini* iterum exierunt Saraceni à ciuitate Accon, & impetum fecerunt in Chriſtianos, qui viriliter reſtiterunt eis; & *Baldewinus* de Carun, & *Walterus* de Oyri, & *Baldewinus* de Dargus bene ſuſtinuerunt eorum impetum, donec Comes *Henricus*, & *Gaufridus* de Lezinant cum Templariis ſuperuenirent; qui cum tanto impetu coegerunt Paganos retroire, quod Pagani amiſerunt in illa fuga quadraginta Turcos occiſos, & multos vulneratos. Deinde inter feſtum Sancti *Andreæ*, & natale Domini, fuit totus exercitus Chriſtianorum armatus, vt inſultum faceret in ciuitatem Accon: & Alemanni, & Angli traxerunt ſcalas ſuas ad foſſata, vt muro apponerent eas, & exierunt per poſternas ciuitatis Pagani, & abſtulerunt Alemannis ſcalas ſuas, & Anglos fugauerunt à foſſato, & funes ligauerunt ſuper ſcalam Anglorum volentes eam infra muros ciuitatis trahere; ſed *Radulfus* de Tilli, & *Humfridus* de Veili, & *Robertus* de Lanlande, & *Rogerus* de Glamuilla, aſcenderunt ſuper ſcalam Anglorum, & quater extinxerunt ignem Græcum ſuperiniectum, & *Radulfus* de Thilli cæteris propius accedens abſcidit cum gladio ſuo funes, & ſic liberauit ſcalam illam à manibus Paganorum. Deinde inter feſtum ſancti *Andreæ*, & natale Domini incepit ſupradicta fames in exercitu Chriſtianorum; & durauit vſq; ad purificationem ſanctæ *Mariæ*. Eodem anno *Henricus* Rex Alemannorum audita morte *Frederici* Romanorum Imperatoris patris ſui, reddidit *Henrico* duci Saxoniæ vniuerſa, quæ pater ſuus ei abſtulerat, & in incrementum dedit ei decem caſtella optima. Similiter fecit cæteris omnibus à quibuſcunq; pater ſuus aliquid abſtulerat: reddens vnicuiq; quod ſuum erat. Reconciliatis itaq; ſibi omnibus hominibus ſuis, miſit nuncios ſuos ad *Clementem* Papam, & ad Cardinales, & ſenatores vrbis: petens Romanum Imperium, & promittens ſe in omnibus leges & dignitates Romanas ſeruaturum illæſas. *Clemens* vero Papa habito cum Cardinalibus & Senatoribus & populo Romano ſuper petitionibus Regis Alemannorum, cum deliberatione conſilio, conceſſit regi Alemannorum, quod petebat, ſaluis dignitatibus, & conſuetudinibus Romanorum, & ſtatuerunt ei terminum veniendi Romam proximum Paſcha ſequens; ſed antequã illuc veniſſet, *Clemens* Papa obiit. Eodem anno *Dauid* frater *Willielmi* regis Scotiæ duxit

duxit in vxorem *Matildam* ſororem *Ranulfi* Comitis Ceſtriæ. Eodem anno iterum orta eſt diſſenſio inter *Galfridum* Eboracenſem electum, & *Bucardum* eiuſdem Eccleſiæ Theſaurarium; ita quod electus ille excommunicauit prædictum *Bucardum*, *qui Clementem* Papam adiit, & ab eo abſolui meruit; & adeo impediuit aduerſus ſummum Pontificem negotium Eboracenſis electi, quod ſummus pontifex, nec electionem illius confirmare voluit, nec eũ cõſecrari permiſit. Præterea idem ſummus pontifex priuilegiauit *Hugonem* Dunelmenſem Epiſcopum, ne ipſe profeſſionem, aut ſubiectionem aliquam faceret in tota vita ſua *Gaufrido* Eboracenſi electo, nec etiam ſi ipſe fuerit in Archiepiſcopum conſecratus, ea ratione, quod idem Dunelmenſis epiſcopus ſemel fecerat profeſſionem ſuam Eboracenſi Eccleſiæ, & beato *Willielmo* tunc temporis Eboracenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, & eius catholicis ſucceſſoribus. Eodem anno *Richardus* Rex Angliæ, diuina inſpirante gratia, recordatus fœditatis vitæ ſuæ, poſt contritionem cordis, conuocatis in vnum in capella *Reginaldi* de Moyac vniuerſis Archiepiſcopis & epiſc. ſuis, qui cũ eo erant apud Meſſanã, nudus procidens ad pedes eorum vitæ ſuæ fœditatem coram illis Deo confiteri non erubuit. Vepres enim libidinum exceſſerant caput illius & non erat eradicantis manus, ſed pater miſericordiarũ Deus, qui non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat, reſpexit eum oculis miſericordiæ ſuæ, & dedit ei cor pœnitens, & ad pœnitentiam vocauit, ipſe enim à prędictis epiſcopis pœnitentiam recepit; & ab illa hora deinceps factus eſt vir timens Deum, & recedens à malo, & faciens bonum. O fœlicem illum, qui ſic cadit, vt fortior reſurgat! O fœlicem illum, qui poſt pœnitentiam non eſt relapſus in ruinam & culpam! *Eodem anno* Richardus *rex Angliæ audiens per communem famam, & multorum relationem, quod quidam vir religioſus erat in Calabria, dictus* Iohachim, *Abbas de Curatio de ordine Ciſtrenſi habens ſpiritum propheticum, & ventura populo prædicebat, miſit pro eo, & libenter audiebat verba prophetiæ illius, & ſapientiam, & doctrinam. eruditus enim vir erat in diuinis ſcripturis, & interpretabatur viſiones beati* Iohannis *euangeliſtæ, quas ipſe* Iohannes *narrat in Apocalypſi, quam ipſe manu ſua ſcripſit. In quibus audiendis, rex Angliæ, & ſui plurimum delectabantur. Erat autem hæc viſio beati* Iohannis *euangeliſtæ. Reges ſeptem ſunt, quinq; ceciderunt, & vnus eſt, & ſeptimus nondum venit. Et alibi in Apocalypſi, viſio eiuſdem. Mulier amicta Sole & Luna ſub pedibus eius ſignificat ſanctam eccleſiam, ſolem iuſtitiæ. Item mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim, & pariens cruciabatur, vt pareret, & ecce Draco magnus ruffus, habens capita ſeptem, & cornua decem, & in capitibus eius ſeptem diademata, & cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cæli, & miſit eas in terram: qui ſtetit ante mulierem, quæ paritura erat, vt cum peperiſſet, filium ſuum deuoraret. Mulier autem peperit filium maſculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea, & raptus eſt filius eius ad Dominum, & ad thronũ eius. Mulier autem fugit in ſolitudinem Aegypti, vbi habuit locum paratum à Deo, vt ibi paſcant eam diebus mille, ducentis, & ſexaginta. Huius igitur viſionis interpretatio talis eſt ſecundum* Iohachim *abbatem de Curatio. Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius ſignificat ſanctam Eccleſiam ſolẽ iuſtitiæ, qui eſt Chriſtus Deus noſter, obumbratam, & amictam ſub cuius pedibus mundus iſte cum vitiis, & concupiſcentiis ſuis eſt ſemper conculcandus, & in capite eius corona ſtellarum duodecim, caput Eccleſiæ Chriſtus eſt; corona eius fides catholica, quam duodecim prædicauerunt Apoſtoli, & pariens cruciabatur, vt pareret. eccleſia itaq; ſancta, quæ ſemper nouo gaudet fœtu, cruciatur de die in diem, vt animas lucrifaciat Deo; quas diabolus conatur eripere, & ſecum trahere in Gehenna. Et ecce Draco magnus Rufus, habens capita ſeptem, & cornua decem, Draco iſte diabolum ſignificat, qui bene dicitur habere capita ſeptem. Caput enim diaboli omnis iniquus eſt; 7. ponit, quaſi finitũ pro infinito. Infinita enim ſunt capita diaboli, id eſt, perſecutores Eccleſiæ, & iniqui. De quibus licet infiniti ſunt: tamen idem* Ioachim *in expoſitione ſua ponit ſeptem principes Eccleſiæ perſecutores, quorum nomina hæc ſunt:* Herodes, Nero, Conſtantius, Maumet, Melſemutus, Saladinus, Antichriſtus. *Dicit quoq; beatus* Iohannes *in Apocalypſi. Reges ſeptẽ ſunt: quinq; ceciderunt, & vnus eſt & vnus nondũ venit, quæ idem* Iohachim *ita exponit. Reges ſeptẽ ſunt, Scilicet,* Heredes, Nero, Cõſtantius, Maumet, Melſemutus, Saladinus, Antichriſtus. *Ex his quinq; ceciderunt: ſcilicet,* Herodes, Nero, Conſtantinus, Maumet, Melſemutus; *& vnus eſt, ſcilicet* Saladinus, *qui in præſenti opprimit Eccleſiam Dei, & eam cum ſepulchro Domini, & ſancta ciuitate Ieruſalem, & cum terra, in qua ſteterunt pedes Domini, occupatam detinet; ſed ipſe in proximo perdet illam. tunc interrogauit rex Angliæ, quando erit hoc? Cui* Ioachim *reſpondit quando ſeptem anni elapſi erunt à die captionis Ieruſalẽ. Tunc ait rex Angliæ, ergo quare venimus huc tã cito? Cui* Ioachim *reſpondit. Aduentus tuus valde neceſſarius eſt, quia domin' dabit tibi victoriã de inimicis ſuis, & exaltabit nomen tuũ ſuper omnes principes terræ.* Sequitur, vnus illorum nondũ venit, *ſcil. Antichriſtus. De iſto Antichriſto dicit idem* Ioachim: *quod iam natus eſt in ciuitate Romana, & in ſede Apoſtolica ſublimabitur, & de iſto Antichriſto dicit Apoſtol';* extollitur & aduerſatur ſup omne, quod dicitur De'. *Et tunc reuelabitur*

Antichriſti aduentus, & deſcriptio.

ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui. & conuerſus ad eum rex, ait: putabam, quod Antichriſtus naſceretur in Antiochia, ſiue in Babylonia, de progenie Dan, *& regnaret in templo Domini, quod eſt in Ieruſalem, & in terra illa ambularet, in qua Chriſtus ambulauit, & regnaret in ea per tres annos, & dimidium anni, & diſputaret contra* Eliam, & Enoch, *& eos interficeret, & poſtea moreretur, & poſt mortem illius daret Deus ſexaginta dies pœnitendi, in quibus pœnitentiam poſſint agere illi, qui à via veritatis errauerint, & ſeducti fuerint per prædicationem Antichriſti, & pſeudoprophetarum eius. Sequitur, & cornua decem;* decem cornua diaboli ſunt hæreſes, *& ſchiſmata: quæ heretici, & ſchiſmatici opponunt contra decem præcepta legis, & mandata Dei.* Et in capitibus eius ſeptem diademata, *per diademata ſignificantur reges, & principes huius ſeculi: qui in Antichriſto credituri ſunt.* Et cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, *propter nimiam multitudinem hominum credentium in eo* & miſit eas in terram. *Stellas vocat minores homines, qui in Antichriſto credituri ſunt, & ideo dicit tertiam partem ſtellarum cœli propter nimiam multitudinem hominum credentium in eo. Et miſit eas in terram, id eſt, in Gehennam mittit omnes, qui perſeuerantes crediderint in illo.* Qui ſtetit ante mulierem, quæ paritura erat, vt cum peperiſſet, filium deuoraret. *Diabolus ſemper inſidiatur Eccleſiæ, vt partum eius rapiat, & raptum deuoret: qui bene dicitur ſtare: quia nunquam declinat à malo, ſed ſemper ſtat rigidus in malitia, & inflexibilis in verſutia ſuæ fraudis. Vel aliter Cauda eius ſignificat finem ſeculi huius, in qua ſurgent quædam gentes iniquæ, quæ dicuntur Gog Magog, & deſtruent Eccleſiam Dei, & ſubuertent gentem Chriſtianam, & ex tunc erit dies iudicii. Sed in tempore huius Antichriſti multi Chriſtianorum in cauernis terræ, & in ſolitudinibus petrarum morantes fidem Chriſtianam in timore Domini ſeruabunt, vſque ad conſummationem Antichriſti, & hoc eſt quod dicit:* Mulier fugit in ſolitudinem Ægypti, vbi habet locum paratum à Deo, vt ibi paſcant eam diebus mille, & ducentis, & ſexaginta: filius autem eius maſculus, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea: *Eſt præcipue Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui poſt paſſionem & reſurrectionem ſuam aſcendit in cœlum, ſedetque ad dextram Dei patris omnipotentis, & venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſeculum per ignem. Cuius ſequaces, ſi fuerimus, & in mandatis eius perſeuerauerimus, rapiemur in aera obuiam illi, & cum illo ſemper erimus. Et licet prædictus Abbas de Curacio hanc ſententiam de aduentu Antichriſti proferret, tamen* Walterus *Rothomagenſis Archiepiſcopus & Archiepiſcopus de Appamia, & Girardus Anxienſis Archiepiſcopus, &* Iohannes Woracenſis, *&* Bernardus *Baionienſis Epiſcopi, & alii viri Eccleſiaſtici, in diuinis ſcripturis bene eruditi, nitebantur probare in contrarium, & quamuis multa argumenta veriſimilia hinc, & inde proferrent;* tamen adhuc ſub iudice lis eſt. *Nam antiqui in Scripturis ſuis, mentionem facientes de Antichriſto, in hunc modum ſcripſerunt.*

Ergo de Antichriſto ſcire volentes, primo notabitis quare ſic vocatus ſit. Ideo ſcilicet, quia Chriſto in cunctis contrarius erit, & Chriſto contraria faciet. Chriſtus venit humiliter: ille venturus eſt ſuperbus; Chriſtus venit humiles erigere, peccatores iuſtificare; Antichriſtus è contra humiles deiiciet, peccatores magnificabit, impios exaltabit, ſemperq; vitia, quæ ſunt contraria virtutibus docebit, legem Euangelicam diſſipabit, dæmonum culturam in mundo reuocabit, gloriam propriam quæret, & omnipotentem Deũ ſe nominabit. Hic itaq; Antichriſtus multos habebit ſuæ malignitatis miniſtros, ex quibus in mundo iam multi præceſſerunt. Qualis fuit *Antiochus, Nero, Domitianus*, nunc quoque noſtro tempore Antichriſtos nouimus eſſe multos. Quicunq; ſiue laicus, ſiue Monachus, ſiue Canonicus, contra iuſtitiam viuit, & ordinis ſui regulam impugnat, & quod bonum eſt, blaſphemat, Antichriſtus & miniſter Sathanæ eſt. Sed iam de exordio Antichriſti. Non autem quod dico ex proprio ſenſu fingo, vel excogito: in libris enim diligenter relegendo hæc ſcripta inuenio.

Sicut ergo authores noſtri dicunt, Antichriſtus exemplo Iudæorum naſcetur, de tribu ſcilicet *Dan*, ſecundum prophetiam dicentem: *Fiat* Dan *coluber in via, ceraſtes in ſemita.* Sicut enim ſerpens in via ſedebit, & in ſemita erit, vt eos qui per ſemitam iuſtitiæ ambulãt, feriat, & veneno ſuæ malitiæ occidat. Naſcetur autem ex patris & matris copulatione, ſicut & alii homines, non vt quidam dicunt, de ſola virgine. Sed tamen in peccatis totus concipietur, in peccato generabitur, & in peccato naſcetur. In ipſo ſuæ conceptionis initio Diabolus ſimul introibit in vterum matris, & ex virtute Diaboli confouebitur, & cõtuebitur in ventre matris, & virtus diaboli erit ſemper cum illa. Et ſicut in matrem Domini noſtri ſpiritus ſanctus ſuperuenit, & eam ſua virtute obumbrauit, & diuinitate repleuit, vt de ſpiritu ſancto conciperet, & quod naſceretur diuinum eſſet, & ſanctum: ita quoq; diabolus in matrem Antichriſti deſcendet, totamq; eam replebit, totam circumdabit, totam tenebit, totam interius, & exterius poſſidebit, vt diabolo per hominem cooperante, concipiat,

cipiat,& quod natum fuerit,totum ſit nociuum,totum malum,totum perditum. Vnde,& ille homo filius perditionis appellatur: quia in quantum poterit, genus humanum perdet,& ipſe in nouiſſimo perdetur. Ecce audiſtis qualiter naſcetur,audite etiam locum vbi naſcetur. Nam ſicut dominus,& redemptor noſter Bethleem ſibi prævidit, vt ibi pro nobis humanitatem aſſumere,& naſci dignaretur: ſic diabolus illi homini perdito, qui Antichriſtus dicitur,locũ nouit aptum,vnde radix omnium malorum oriri debeat, ſcilicet ciuitatem Babyloniæ. In hac enim ciuitate,quæ quondam fuit inclyta,& glorioſa vrbs gentiliũ,& caput regni Perſarũ, Antichriſtus naſcetur,& in ciuitatibus Bethſaida,& Corazaim nutriri,& conuerſari dicitur. Quibus ciuitatibus dominus in Euangelio * improperat dicens: *Væ tibi Bethſaida, væ tibi Corazaim*. habebit autem Antichriſtus magos, maleficos,diuinos & cantores: qui eũ diabolo inſpirante,nutrient,& docebunt eũ in omni iniquitate, & falſitate,& nefaria arte,& maligni ſpiritus erunt duces eius, & ſocii,& Comites indiuidui. Deinde Ieroſolymam veniens,& omnes Chriſtianos,quos ad ſe conuertere non poterit,per varia tormenta iugulabit:& ſuam ſedem in S. templo parabit. Templum ẽt deſtructum,q *Salomon* Deo dicauit,in ſtatum ſuum reſtaurabit, & circumcidet ſe,& filium Dei omnipotentis ſe eſſe mentietur. Reges autem,& principes primum ad ſe cõuertet,deinde per illos cæteros populos;loca vero per quæ Chriſtus dominus ambulauit,peragrabit,& prius deſtruet,quod dominus illuſtrauit. Deinde per vniuerſum mundum mittet nuncios,& prædicatores ſuos. Prædicatio n. eius,& poteſtas tenebit à mari vſque ad mare,ab oriente vſq; ad occidentẽ,ab aquilone vſq; ad ſeptentrionem. Faciet ergo ſigna multa,miracula magna & inaudita:faciet de cœlo ignem terribiliter venire, arbores ſubito florere,& areſcere,mare turbari,& ſubito tranquillari,naturas in diuerſas figuras mutari;aquarũ curſus,& ordines conuerti;aera ventis,& commotionibus agitari: & cætera innumerabilia,& ſtupenda:mortuos etiam in conſpectu hominum ſuſcitari:ita vt in errorem inducantur,ſi fieri poteſt,etiam electi. nam quando tanta,& talia ſigna viderint,ẽt illi,qui perfecti,& electi Dei ſunt,dubitabunt, vtrum ipſe ſit *Chriſtus*, qui in fine mundi ſecundũ ſcripturas venturus eſt,an non. Excitabit n. perſecutionẽ ſub omni cœlo ſupra Chriſtianos,& omnes electos. eriget itaq; ſe contra fideles tribus modis: id eſt, terrore,& muneribus,& miraculis. Dabit in ſe credentibus auri,& argẽti copias. Quos enim muneribus corrumpere non poterit,terrore ſuperabit: Quos autem terrore non poterit, ſignis,& miraculis ſeducere tentabit: Quos nec ſignis,nec miraculis,in conſpectu omniũ mirabili morte cruciatos crudeliter necabit. Tunc erit talis tribulatio,qualis non fuit ſuper terram ex tempore,quo gentes eſſe cœperunt,vſq; ad tempus illud. tunc qui in agro erunt,fugient ad montes: & qui ſupra,non deſcendet in domum ſuam, vt tollat aliquid de ea. Tunc omnis fidelis Chriſtianus,qui inuentus fuerit,aut Deum negabit,aut per ferrum,ſiue per ignẽ fornacis,ſeu per ſerpentes,ſiue per beſtias,ſiue per aliud quodlibet tormenti genus interibit,ſi in fide permanſerit. hæc autem tam terribilis, & timenda tribulatio,tribus annis, & dimidio in toto mundo manebit. Tunc breuiabuntur dies propter electos,quia niſi dominus abbreuiaſſet dies:non fuiſſet ſalua omnis caro. Tempus ſiquidem quando idem Antichriſtus veniet,vel quando dies iudicii apparere incipiet, *Paulus* Apoſtolus in epiſtola ad Theſſalonicenſes deſignat,dicens: *Rogamus vos per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti*, manifeſtat etiam eo loco, vbi ait, *Quoniam niſi veniat diſſenſio primũ, & reuelatus fuerit homo peccati, & filius perditionis*. Scimus enim,quod poſt regnum Græcorum,ſiue etiam poſt regnum Perſarum,ex quibus vnumquodq; ſuo tempore magna gloria ingruit,& magna potentia floruit:ad vltimum quoq; poſt cætera regna regnum Romanorum cœpit,& quod fortiſſimum omnium regnorum ſuperiorum fuit,& omnia regna terrarum ſub dominatione ſua habuit,omneſq; populorum nationes Romanis ſubiacebant ſub tributo. Inde ergo dicit *Paulus* Apoſtolus, *Antichriſtũ non antea in mundum eſſe venturũ,niſi venerit diſſenſio primũ*, id eſt, niſi prius diſſenſerint omnia regna mũdi à Romano imperio, cui pridẽ ſubdita erant. Hoc autem tempus nondũ venit, quia licet videamus Romanum imperium ex magna parte deſtructum, tamen quamdiu Reges Francorum dominauerint, qui Romanum imperium tenere debent, Romę dignitas ex toto non peribit,quia in regibus ſuis ſtabit. Quidam vero doctores noſtri dicunt,quod vnus ex regibus Francorum Romanum imperium ex toto,& integro tenebit: qui in nouiſſimo tempore erit,& ipſe erit maximus,& omnium vltimus regum,qui poſtquam regnum ſuum fœliciter gubernauerit,ad vltimum Ieroſolymam veniet,& in monte Oliueti ſceptrum,& coronam deponet. Hic erit finis Romanorum, Chriſtianorumque imperii. Statimque ſecundum prædictam *Pauli* Apoſtoli ſententiã Antichriſtum dicunt eſſe affuturum,& tunc reuelabitur quidem homo peccati Antichriſtus, videlicet, qui licet homo ſit, fons tamen

* al. impro-peras.

erit omnium peccaminum, & filius perditionis, id eſt, filius diaboli, non per naturam, ſed per imitationem, quia per omnia adimplebit diaboli voluntatem; quia plenitudo diabolicæ poteſtatis, & totius mali ingenii corporaliter habitabit in illo, in quo erunt omnes theſauri malitiæ, & iniquitatis abſconditi: *qui aduerſatur*, id eſt, contrarius eſt *Chriſto*, & omnibus eius membris: *& extollitur*, id eſt, in ſuperbiam erigitur: *ſupra omne quod dicitur Deus*, id eſt, ſuper omnes Deos gentium; *Herculem* videlicet, & *Apollinem*, *& Iouem*, *& Mercurium*, quos pagani deos eſſe exiſtimant, ſuper omnes deos iſtos extolletur Antichriſtus: quia maiorem & fortiorem ſe his omnibus faciet, & non ſolum ſupra hos, ſed & ſupra omne, quod colitur: i. ſupra S. Trinitatem: quæ ſolummodo colenda, & adoranda eſt ab omni creatura, ita ſe extollet, vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus. Nā ſicut ſupra diximus in ciuitate Babyloniæ natus, Ieroſolymam veniens, circumcidet ſe, dicens Iudæis: ego ſum *Chriſtus* vobis repromiſſus, qui ad veſtram ſalutem veni, vt vos, qui diſperſi eſtis, congregem, & defendam. Tunc confluent ad eū omnes Iudæi: exiſtimantes ſe Deum ſuſcipere: ſed ſuſcipient diabolum. Sed etiam *in templo Dei ſedebit Antichriſtus*: i. in ſancta Eccleſia; omnes Chriſtianos faciens martyres, & eleuabitur, & magnificabitur, quia in ipſo erit omnium malorū caput diabolus, qui eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Sed ne ſubito, & improuiſe Antichriſtus veniat, & totum ſimul humanū genus ſuo errore decipiat, & perdat, ante eius ortū duo magni prophetæ mittentur in mundū, *Enoc* & *Elias*, qui contra impetum Antichriſti fideles Dei diuinis armis præmunient, & inſtruēt eos, & confortabunt, & præparabunt electos ad bellum: docentes & prædicantes tribus annis, & dimidio. filios autem Iſrael, quicunq; eo tempore fuerint inuenti, hi duo magni prophetæ, & doctores ad fidei gratiam conuertent, & a preſſura tanti turbinis in parte electorum inſuperabiles reddent. Tunc implebitur, quod ſcriptura ait: *Si numerus filiorum Iſrael, ſicut arena maris fuerit, reliquiæ ſaluæ fient*. Poſtquam ergo per tres annos, & dimidium prędicationem ſuam impleuerint, mox incipiet exardeſcere Antichriſti perſecutio, & contra eos primum arma ſua Antichriſtus arripiet, eoſq; interficiet, ſicut in Apocalypſi legitur; *Et cum finietur* (inquit) *teſtimonium ſuum; beſtia quæ aſcendes de abyſſo faciet aduerſus eos bellum, & vincet eos, & occidet eos*. Poſtquam ergo iſti duo interfecti fuerint: inde cæteros fideles perſequetur, vt eos aut martyres glorioſos faciat, aut apoſtatas reddat, & tum qui in eum crediderint, ſignum characteris eius in fronte accipient. Sed quia de principio eius diximus, quem finem habeat, inde dicamus. Hic itaque Antichriſtus diaboli filius, & totius malitiæ artifex peſſimus per tres annos & dimidium, ſicut prædictum eſt, magna perſecutione totum mundum vexabit, & omnem populum Dei variis pœnis cruciabit: & poſtquam *Heliam & Enoch* interfecerit, & cæteros in fide permanentes coronauerit martyrio, ad vltimum veniet iudicium Dei ſuper eum ſicut beatus, *Paulus* ſcribit dicens: *Quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui*. Siue Dominus * illic interfecerit illum potentia iuſſionis, ſiue Archangelus *Michael* interfecerit illum per virtutem * Domini nomine. occidetur * enim per virtutem cuiuslibet Angeli, aut Archangeli. Tradunt autem, quod in monte Antichriſtus occidetur in Babylone in ſolio ſuo, in illo loco, contra quem aſcendit Dominus ad cœlos. Debetis autem ſcire, quia poſtquam Antichriſtus fuerit occiſus, non ſtatim veniet dies iudicii, non ſtatim veniet Dominus ad iudicandum, ſed ſicut ex libro *Danielis* intelligimus, dominus concedet diem electis, vt agant pœnitentiam, propterea quia ab Antichriſto ſeducti ſunt. poſtquam vero hanc pœnitentiam expleuerint; quantum temporis ſpacium fiet, quouſq; Dominus ad iudicandum veniat, nullus eſt qui ſciat; ſed in diſpoſitione Dei manet, qua hora Dominus ſeculum iudicabit, quia ante ſecula iudicandum eſſe præfixit.

al. Ieſus.
al. noſtri.
al. non.

Iohannes Apoſtolus, & Euangeliſta virgo electus à Domino, & inter cæteros magis dilectus, interrogabat Dominum de fine ſeculi, & reſpondit Dominus; Sol conuertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem, & de arboribus ſtillabit ſanguis, lapides dabunt voces, populi mouebuntur, Antichriſtus, id eſt, diabolus, regnabit, & faciet prodigia, & ſigna magna in populo. Nemo poterit ſe ab illo. De muliere meretrice naſcetur ex tribu *Dan* in Iſraeli. Omnes qui credunt in eum, ſignabit vno charactere in fronte, & nemo poterit delere illius artificium. Nutrietur in Corozain, poſt morabitur in Bethſaida ciuitate; ſed paucis diebus, & omnes quos ille occidet, vel qui mortui fuerint ſub eius poteſtate fame & ſiti, ipſi electi Dei erunt: ſuſcitabit falſos mortuos, conuertet flumina retrorſum, eradicabit arbores, & conuertet ramos in terram, & radices earum ſurſum, & florere faciet per ſuas diabolicas artes. Seducet multos. In die cū naſcetur, omnes qui habitant in quatuor partibus mundi, cognoſcent ipſum eſſe natum: teſtante ſcriptura, quæ ait: *In quacunq; domo cadauer vnius domus hominis mortui erit ſignum*. Tunc in tempore illius occidet pater filium,

& fi-

& filius patrem, & frater fratrem, & fideles deficient in omni re. Mulieres menſtruationes ſuas accipient, & non abſcondent ſe ab hominibus; Eccleſiæ deſtruentur, ſacerdotes plorabunt. Nulla memoria habebitur de locis, vbi corpora ſanctorum quieuerunt: adorabunt prophana idola, ſicut Pagani, & Iudæi, & Saraceni. Surget gens contra gentem, & regnum aduerſus alterum, & terræ motus magni erunt per loca, & peſtilentiæ, & fames, & ſtellæ cadent in terra; fluuia conuertentur in ſanguinem, & omnes aquæ, quæ ſub cœlo ſunt. Regnante illo, erigent bellum contra illum duo prophetę, ſcz. *Enoc*, *& Helias*, qui modo triſtantur in Paradiſo pro reſpectatione mortis, & interficiet eos Antichriſtus, & in platea ciuitatis iacebunt mortui tribus diebus, & tribus noctibus, & in quarta die reſurgent in vitam æternam. In vltimo Deus omnipotens, qui omnes vult ſaluos fieri, tranſmittet *Michaelem* Archangelum romphæam acutam in manu tenentem (id eſt, gladium ſpiritus ſancti) & interficiet eum, & ſecabit eum in duas partes à ſummo vſq; deorſum, vt non deſtruatur mundus, ſed renouetur in melius: tribus annis & ſex menſibus erit ita in conſummatione ſeculi. Eodem anno *Richardus* rex Angliæ dedit *Othoni* nepoti ſuo, filio *Matildis* ſororis ſuæ, quondam duciſſæ Saxoniæ, Comitatum Eboraci, & quamuis multi recepiſſent eum, & feciſſent ei homagia & fidelitates, multi tamen ei reſiſtebant dicentes quod à fidelitate Regis non recederent, priuſquam cum eo ore ad os loquerentur. Vnde factum eſt, quod dominus rex dedit eidem *Othoni* Comitatum Pictauis in commutationem Comitatus Eboraci.

NOMINA MAGNATVM, QVI EOdem anno in obſidione Accon obierunt.

Sibylla regina vxor *Guidonis* Regis Ieruſalem, & duæ filiæ eius, *Heraclius* patriarcha Ieruſalem, *Baldwinus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, Archiepiſcopus de Nazaret, Archiepiſcopus de Bezenzum, Archiepiſcopus Arleleblanc, Archiepiſcopus de monte regali, Epiſcopus de Sidoni, id eſt, de Saeta, nouus Epiſcopus de Accon, Epiſcopus de Baruch, Epiſcopus de Sancto *Georgio*, Epiſcopus de ſancto *Abraham*, epiſcopus de Tabaria, Abbas de templo Domini, Abbas de monte Sion, Abbas de monte Olineti; Abbas de Forde, Prior S. Sepulchri, *Radolphus* de alta ripa; Archidiaconus Coloceſtriæ, *Rogerus* le Abbe: *Fredericus* Romanorum imperator obiit in eundo verſus terram Ieruſalem ſubmerſus in fluuio, qui dicitur Salef, & *Conradus* filius eius dux Suauiæ obiit in obſidione Accon. Et *Robertus* Comes Leiceſtrię obiit in Romania in eundo verſus terram Ieruſalem & Landegrauius, de Alemannia obiit in Rumania in redeundo verſus domum; & *Iohannes* Conſtabularius Ceſtriæ obiit in terra Ieruſalem apud Tyrum, *Rotrodus* Comes de Pertico obiit in obſidione Accon, & Comes de Puntif, & *Theobaldus* Comes de Blais, & *Stephanus* Comes de Sancerre frater eius; & *Willielmus* Comes de Ferreres, & dux *Bertoldus* de Alemannia, & *Rogerus* Comes de Apulia, & *Iocellinus* Comes de Apulia, & Comes de Brenes, & *Andreas* frater eius occiſus, & *Ingeram* de Fenes occiſus, & *Lodowicus* de Arſeles occiſus, & *Hugo* de Hoiry occiſus, & *Walterus* de Moy occiſus, & *Gwido* de Danzci occiſus, & *Ode* de Guneſſe occiſus, & Pincerna de Sanſtlir captus à Paganis, & Mareſcallus Comitis *Henrici* captus à Paganis, & *Reginaldus* de Magni occiſus. Præterea in eodē anno obierunt in obſidione Accon vicecomes de Turomania, & dominus de Wanci, & *Gilbertus* de Tileres, & *Florentius* de Angeſt, & *Iocellinus* de Mummotenci, vicecomes de caſtello *Heraldi*, *&* *Anſelmus* de mōte regali, & tota familia eius, & vicecomes de Caſtellū, & mater eius, & *Iohannes* Comes de Vendome, & *A Eſtellanus* de Ypre, & *Gaufridus* de la Briuere *&* *Robertus* de Boiues, *&* *Adam* Cābelangus regis Franciæ, *&* *Adam* de Leū, *&* *Boues* de Iuuenni, *&* *Willielmus* de Pinkim, *&* *Rogerus* de Polebaro, *&* *Robertus* Cōſtabularius, Seneſcallus Comitis *Willielmi* de Mandeuilla. *Ranulfus* de Glamuilla Iuſticiarius Angliæ, obiit in obſidione Accon, *&* *Bernardus* de S. Valerico iunior, & *Richardus* Clare, & *Gwido* de caſtellun, *&* *Walterus* de Kime, filius *Philippi* de Kime, *&* *Iohannes* de Lamburne, & *Walterus* de Ros, frater *Petri* de Ros. Eodem anno *Sanctius* rex Portugalenſis dedit Tarſiam filiam ſuam *Aldefonſo* regi de S. *Iacobo* nepoti ſuo in vxorem: de qua ipſe genuit tres filios, & licet *Cœleſtinus* papa multū laboraſſet, vt ſepararentur, tamen tenuit eā contra Deum, & ꝓhibitionē domini papæ ꝑ 5. annos, & dominus papa *Cœleſtinus* præfatū regem de S. *Iacobo*, & totā terram ſuam ſub interdicto poſuit, & ita permanſit per 5. annos. Interim ſurrexit in ꝑdictum regem de S. *Iacobo*, *Aldefonſius* rex Caſtellæ, & coegit eum relinquere vxorem ſuā filiam regis Portugalenſis, & dedit ei propriam filiam ſuam in vxorem permiſſione domini papæ *Cœleſtini* pro bono pacis. Proceſſu vero tēporis filia *Boyac Amiramimoli* Imperato-

ris Africanorum, audita per communem famam probitate, *Sanctii* Regis Nauarræ, fratris * *Berengaræ* reginæ Angliæ, dilexit eum in tantum, quod vehementer adoptauit eum ſibi in maritum. Et cum ipſa propoſitum ſuum diutius celare non poſſet, indicauit patri ſuo Imperatori, quod ipſa ſeipſum laqueo ſuſpenderet, niſi *Sanctius* rex Nauarræ eam ſibi in vxorem duceret: cui pater reſpondit, Quo modo poteſt hoc fieri, cum tu ſis pagana, & ille Chriſtianus? cui filia reſpondit, Parata ſiquidem ſum fidem Chriſtianorum ſuſcipere, & ſecundum legem illorum viuere, dummodo prædictum regem Nauarræ in maritum habeam, quod per te, pater mi, de facili poteſt fieri. Nam omnia te metuunt, & ad te ſua brachia tendunt; blanditiis tamen opus eſt, terror furorq; abſint: preces, & munera, mitte viro, vt ſic eum mihi compares.

*al. Berengera.

Crede mihi res eſt ingenioſa dare.

Mitte etiam matri, & ſorori, & aliis familiaribus ſuis munera larga manu, vt ipſe eum in tuos conatus alliciant. *Fit cito per multas præda petita manus*: cui pater reſpondit.

Donec eras ſimplex, animum cum corpore amaui,
Nunc mentis vitio læſa figura tua eſt.

Neſcio quid faciam, anguſtiæ enim circumſtant vndiq;, quia niſi rex ille Nauarræ in amorem tuum conuerſus fuerit, tu te laqueo ſuſpendes; Illumq; ergo precibus, variiſq; muneribus aggrediar tentans, ſi eum modo quolibet tibi in maritum adquirere poſſim. Mallem tamen, vt tibi virum de gente noſtra ſumeres. Cui puella reſpondit.

Deuorer ante precor ſubito telluris hiatu,
Aut rutilo miſſi fulminis igne cremer,

Quam aliquem habeam virum præter illum regem Nauarræ. Imperator igitur Africanorum miſit nuncios ſuos ad *Sanctium* regem Nauarræ, per quos mandauit illi, vt ipſe veniret ad eum filiam ſuam in vxorem ducturus, & ille daret ei tantam pecuniam, quantam vellet, & inſuper totam terram, quæ dicitur Hiſpania Saracenia, viz. totam terram, quæ eſt à finibus terræ regis Portugalenſis, vſq; ad montem de Mummeian, qui diuidit terras Paganorum, qui ſunt in Hiſpania à terra regis Arragoniæ. Dum autem rex Nauarræ iret ad eum, mortuus eſt ille *Boiac Almiramumoli* Africanorum imperator. Cumq; præfatus rex Nauarræ veniſſet in Africam, inuenit imperatorem mortuum, & filius imperatoris defuncti adhuc minimus erat, & nondũ aptus ad regni gubernationem, & erant ei in imperio multi aduerſantes. Cum autem Rex Nauarræ ad eum veniſſet ſperans ſe accepturum ſibi in coniugem præfatam filiam puellam, dixit ei puer, qui regnaturus erat, quod ſi vellet iuuare eum, & ſeruire ei ad terram ſuam obtinendam, ipſe daret ei ſororẽ ſuam cum promiſſis patris ſui; ſin minus autem, poneret eum in captionem, de qua nunquam exiret. Ipſe autem videns ſe in arcto poſitum, elegit magis ſeruire ei quam poni in captione. Iuxta illud Auguſtini: Qui murorum ambitu, ne fugiat, clauditur, ibi ſe p̄cipitet, vbi murus breuior ingeritur. Domino igitur concedente, & *Sanctio* rege Nauarræ laborante, filius *Almiramimoli* ſubiugauit ſibi infra triennium omnes aduerſarios ſuos; & factus eſt imperator. Interim *Aldefonſus* rex Caſtellæ, & rex Aragoniæ inuaſerunt terrã dicti regis Nauarræ, vnus illorum vna parte, & alter illorũ altera parte, ita quod *Aldefonſus* rex Caſtellæ cepit ſuper eum 24. oppida, & prædictus rex Aragoniæ cepit ſuper eum 18. oppida.

Anno gratiæ 1191. qui erat annus 2. regni regis *Richardi*, idem rex *Richardus* & *Philippus* rex Francorum fuerant ſimul in Sicilia apud Meſſanam die natalis Domini, quæ feria 3. euenit. Eodem die poſt prandium Piſani, & Iauenſes ſeditioſe fecerunt impetum in Galiotas regis *Richardi* Angliæ, & mutuo ſe interfecerunt. Venit ergo clamor intus ad aures regis Angliæ, qui adhuc ſedebat ad menſam in Mategriffun caſtello ſuo, & epulabantur cum illo die illa *Reginaldus* Carnotenſis Epiſcopus, & *Hugo* dux Burgundiæ, & *Willielmus* Comes de Neuerz, & *Willielmus* Comes de Iuuenni, & Gaufridus Comes de Pertico & alii multi de familia regis Franciæ. Et velociter remota menſa, ſurrexerunt omnes viri iſti, & proceſſerunt omnes cum rege armati ad pugnam illam dirimendam: non poterant tamen: ſed nocte ſuperueniente, ſeparati ſunt ab inuicem vſq; mane. In craſtino, cum populus conueniſſet in eccleſia S. *Iohannis* Hoſpitalis ad audiendum in ea diuinum officium quidam Piſanus, extracto cultello ſuo, quendam Galiotarũ regis interfecit in eccleſia, & ſic iterũ congreſſi ſunt Piſani, & Galeotæ, & multi ceciderunt ex vtraq; parte interfecti. Venerunt ergo rex Francię, & rex Anglię cum multa plebe armata, & pacem fecerunt inter illos. Deinde mẽſe Februar. die Purificationis beatæ *Mariæ* ſemp virginis Sabbato poſt prandiũ, *Richar.* rex anglię, & multi de familia eius, & quidã populares de familia regis Frã-

ciæ

ciæ conuenerunt more ſolito extra ciuitatem Meſſanam *popularibus iocis inte͠ti, & cum domum rediſſent, tranſeuntes per medium ciuitatis, obuiauerunt cuidam ruſtico venienti de villa cum aſino onuſto arundinibus, quas cannas vocant: de quibus rex Anglus, & cæteri qui cum eo erant ceperunt, & vnuſquiſq; illorum cum altero congreſſus eſt: & contigit quod rex Angliæ, & *Willielmus* de Barres, quidã miles optimus de familia regis Franciæ congreſſi ſunt alter aduerſus alterum, & confregerũt arundines ſuas, & fracta eſt cappa regis Anglorum ex percuſſione *Willielmi* de Barres, vnde rex iratus impetum fecit in illum, ita quod illum, & equum ſuum titubare fecit, & dum rex inte͠deret deiicere eum in terram, ſubuerſa eſt ſella regis, & rex celerius deſcendit, & adductus eſt ei alius equus fortior priore, & aſcendens in eo iterum fecit impetum in *Willielmum* de Barres tentans deiicere eum, & non potuit. ipſe enim adhæſit collo equi ſui, & comminatus eſt ei rex. Et cum *Robertus* de Bretuil, filius *Roberti* Comitis Leiceſtriæ, quem rex die præcedenti accinxerat gladio Comitatus patris ſui, inieciſſet manum in *Willielmum* de Barres, vt dominum ſuum iuuaret, dixit ei rex; Suſtine & dimitte me & illum ſolũ, & cum diu *Willielmus*, & rex contendiſſet, & dictis & factis; Dixit illi rex, fuge hinc, & caue tibi ne amplius coram me compareas, quia animo, & vſq; in ſempiternum ego ero tibi, & tuis inimicus. Diceſſit itaque *Willielmus* de Barres a facie regis dolens & confuſus propter indignationem regis, & abiit ad regem Franciæ dominum ſuum, conſilium & auxiliũ ab eo poſtulans ſuper his, quæ acciderant in via. In craſtino venit rex Franciæ ad rege͠ Angliæ ex parte *Willielmi* de Barres cum humili deprecatione pacem & miſericordiam poſtulans, & noluit rex audire eum. In ſequenti die venerunt ad regem Angliæ, archiepiſcopus Cantuar. & dux Burgundiæ, & Comes de Neuers, & multi de proceribus regni Francorum cum humillimis ſupplicationibus ad genua eius prouoluti, pacem & miſericordiã poſtulãtes pro *Willielmo* de Barres, & noluit rex audire eos. Tertia autem die ſequenti *Willielmus* de Barres receſſit a ciuitate Meſſana. Dominus enim ſuus rex Franciæ noluit retinere eum diutius contra voluntatem, & prohibitionem regis Angliæ. Poſt multum vero temporis cum tempus transfretandi appropinquaſſet, venerunt iterum ad regem Angliæ rex Franciæ, & omnes archiepiſcopi & epiſcopi, & Comites & Barones, & principes totius exercitus, & prouoluti ad pedes, eius pacem & miſericordiam poſtulauerunt pro *Willielmo* des Barres, oſtendentes damna & inopportunitates, quæ accidere poſſent de abſentia talis, tantiq; militis: & cum magna difficultate obtinuerunt aduerſus regem Anglię, quod prædictus *Willielmus* in pace rediret, & quod rex Angliæ nec illi nec ſuis malum, vel damnum faceret, vel inquireret quandiu ipſi fuerint in ſeruitio domini. Deinde rex Angliæ dedit multas naues regi Franciæ, & ſuis. Deinde rex Angliæ ita profuſe diſtribuit theſauros ſuos vniuerſis militibus, & ſeruientibus totius exercitus, quod à multis dicebatur, quod nunquam aliquis prædeceſſorũ ſuorum tantum dedit in vno anno, quantum ipſe dederat in illo menſe. Et pro certo credendum eſt, quod in diſtributione illa promeruerit ipſe fauore͠ tonãtis, cum ſcriptum ſit, *Hilarem datorem diligit Deus*. Eodem menſe Februarii rex Angliæ miſit galeas ſuas Neapolim contra reginam *Alienor* matrem ſuam, & cõtra *Berengeram* filiam *Sanctii* regis Nauarræ, quam ipſe in vxorem ducturus erat, & contra *Philippum* Comitem Flandriæ, qui cum illis veniebat. Prædicta autem mater regis, & filia regis Nauarræ perrexerunt Brunduſium; vbi *Margaritus* admiralis, & alii homines regis *Tancredi* honorifice ſuſceperũt eas, & omne͠ exhibuerunt illis honorem & reuerentiam. Comes vero Flandriæ venit Neapolim, & inuentis ibi galeis regis Angliæ, intrauit & venit Meſſanam, & in multis adhæſit conſilio, & voluntati regis Angliæ. Vnde rex Franciæ iratus aduerſus Comitem, effecit, quod ipſe relicto rege Angliæ ad illum rediit. Interim grauis diſſenſio orta eſt in Anglia inter Cancellarium regis, & *Ioannem* Comitem Moretonii fratrem regis, & alios principes regni: & ita in immenſum excreuit, quod illi vniuerſaliter ſcripſerunt regi de ſtatu regni ſui, & de grauaminibus, quæ idem Cancellarius populo faciebat regni. Cum igitur rex audiſſet exceſſus, & importunitates, quas Cancellarius ſuus populo faciebat, miſit à Meſſana in Angliam *Walterum* Rothomagenſem Archiepiſcopum, & *Willielmum* Mareſcallum Comitem de Striguil, mandans Cancellario vt in omnibus age͠dis regni, haberet ipſe prædictum Rothomagenſem Archiepiſc. & *Willielmum* Mareſcallum, & Gaufridum filiũ *Petri* & *Willielmum* Ilruere, & *Hugonem Bardolf*. ſocios & teſtes. Qui cum in Angliam veniſſent, literas regis tradere Cancellario auſi non fuerant timentes, quod magis incurrerent odium illius, quam honorem inde reciperent. Cancellarius namq; omnia mandata regis ſpernebat, & nullum habere voluit parem ſibi, aut ſocium in regno. Prima autem die menſis Martii *Richardus* rex Angliæ receſſit à Meſſana, & perrexit inde vſq; ad ciuitatem Cathinenſium (vbi requieſcit ſanctiſſimum corpus beatæ *Agathæ* virginis, & martyris) ad

al. plurib.

loquendum cum *Tancredo* rege Siciliæ,qui illuc obuiam ei venerat. Cum ergo Rex *Tancredus* audiſſet aduentũ regis Angliæ,exiuit obuiam illi,& cum ſumma reuerentia, & honore regiæ excellentiæ debito ſuſcepit eum,& introduxit in ciuitatem.Et ſimul euntibus illis ad tumbam beatæ *Agathæ* martyris,ante ingreſſum templi occurrerunt clerus,& populus laudantes & benedicentes Dominũ,qui eos in tantæ dilectionis fœdere aſſociauit. Facta igitur oratione ad ſepulchrum beatę *Agathæ*,rex Anglię ingreſſus eſt palatium regis *Tancredi* cũ illo,& habitarunt ibi ſimul tribus diebus,& tribus noctib. Quarta autem die rex Siciliæ dona multa,& magna in auro & argento,& equis,& pannis ſericis miſit Regi Angliæ;ſed ipſe nihil inde recepit præter annulum quendam paruulum,quem in ſignum mutuæ dilectionis accepit.E contra rex Angliæ dedit regi *Tancredo* gladiũ illum optimum quem Britones Caliburne vocant,qui fuerat gladius *Arthuri* quondam nobilis Regis Angliæ.Præterea Rex *Tancredus* dedit regi Angliæ 4.magnas naues, quas vocant Vſſers, & 15.galeas;& cum rex Angliæ receſſiſſet ab eo,ipſe in propria perſona ſua reduxit eum vſq; ad Tauernim per duas dietas magnas à ciuitate Cathinenſium.Et in craſtino cũ Rex Angliæ recedere vellet,rex *Tancredus* tradidit ei quoddã breue,ꝙ rex Franciæ miſerat illi per ducem Burgundiæ,& mandauerat per breue illud,ꝙ rex Angliæ proditor erat,& pacem, ꝗ cum illo fecerat,non ſeruarat;& ſi ipſe Rex *Tancredus* vellet cum rege Angliæ in bello congredi,vel de nocte inuadere,ille & gens ſua auxiliarentur ei ad regem Anglię,& exercitũ ſuum deſtruendum.Et reſpondit illi rex Angliæ:Proditor non ſum,nec fui, nec ero; & pacem,quam vobiſcum feci,in nullo ſum trangreſſus,nec transgrediar quamdiu vixero:& de facili credere non poſſum,ꝙ rex Franciæ hæc de me vobis mandauerit,cum ipſe Dominus me' ſit,& ſocius adiuratus in illa peregrinatione.Cui rex *Tancredus* reſpondens ait.Ego trado vobis literas,quas ipſe mihi miſit per ducẽ Burgundiæ,& ſi dux Burgundiæ negauerit,ꝙ ipſe has literas mihi ex parte domini ſui regis Franciæ attuliſſet, ego id dirationare aduerſus eum paratus ſum per vnũ de ducibus meis:& ſic cum literis illis de manu regis *Tancredi* receptis,rex Anglię Meſſanam reuerſus eſt.Eodẽ die rex Franciæ venit Tauernim,& locutus eſt cũ rege *Tancredo*,& cum illo moram fecit ibi per vnam noctẽ, & in craſtino rediit Meſſanam.Rex vero Angliæ in irã commotus aduerſus regẽ Franciæ, nec faciem hilarẽ nec pacem ſpondentem ei p̄tendebat, ſed opportunitatẽ quærebat, vt ab eo cum ſuis recederet.Inquirente igitur rege Franciæ cur hoc eſſet,mandauit illi rex Angliæ p Philippum Comitem Flandriæ omnia verba, ꝗ rex Siciliæ dixerat ei de illo, & in teſtimoniũ facti oſtendit ei prædictas literas.Quod cũ regi Franciæ conſtaret, male ſibi conſcius obmutuit,ignorans quid contra hæc diceret.Tandem tamen ad ſe reuerſus ait.Nũc ſcio vere,ꝙ rex Angliæ quærit cauſas malignandi aduerſus me,quia hæc verba ficta ſunt & mendacia:ſed credo,ꝙ ipſe cogitauit hęc mala aduerſum me,vt *Aleſiam* ſororem meam dimittat,ꝗ ipſe ſibi deſponſandam iurauit:ſed ꝓ certo ſciat,quod ſi ille dimiſerit eam,& aliã duxerit in vxorem,ero illi,& ſuis inimicus quamdiu vixero.His auditis rex Angliæ reſpondit,ꝙ ſororem illius ſibi in vxorem ducere nulla ratione poſſit,quia rex Angliæ pater ſuus eam cognouerat,& filium ex ea genuerat,& ad hoc probandum multos produxit teſtes,q. parati erant modis omnibus hoc probare.Quod cũ regi Franciæ per multorũ aſſertiones innotuit,cõſilio Comitis Flandriæ,& aliorũ fidelium ſuorũ adquieuit;& vt omnia mala tam de his,ꝗ de aliis inter ipſum,& regem Angliæ remitterentur; ipſe quietum clamauit regem à fide, & ſacramentis,& omni conuentione, quam cum illo fecerat ſuper matrimonio contrahendo inter illum,& *Aleſiam* ſororem ſuam;& pro hac conuentione rex Angliæ ſpopondit ſe daturum regi Franciæ per quinquennium ſingulis annis duo millia marcarum Strilingorum,de quibus ipſe in principio huius conuentionis tradidit regi Franciæ duo millia marcarum.Et cum ipſi in terras ſuas redirent,rex Angliæ tradidit regi Franciæ *Aleſiam* ſororem ſuam liberam,& Giſortium,& cætera omnia,quæ rex Franciæ cum ſorore ſua ei in matrimonium conceſſerat:& ſub hac conuentione rex Franciæ dedit regi Anglię licentiam ducendi in vxorem quamcunq; vellet:& inſuper conceſſit ei, & charta ſua confirmauit,quod ducatus Brittanniæ in perpetuum pertineat ad dominatum ducis Normanniæ,& vt dux Brittanniæ ſemper ſit homo ducis Normanniæ,& ei reſpondeat ſicut Ligio domino ſuo,& dux Normannię reſpondeat regi Franciæ tam de ducatu Brittanniæ,quam de ducatu Normanniæ.Et ſic in illa die facti ſunt amici rex Franciæ,& rex Anglię,& omnes conuentiones illas fide,& ſacramentis ſub ſigillorum ſuorum teſtimonio confirmauerunt.Et eodem menſe Martii, tertio Kalendas Aprilis Sabbato, *Philippus* Rex Franciæ receſſit à portu Meſſanæ cum toto nauigio ſuo,& viceſimo ſecundo die ſequenti, ſcilicet, die Sabbati in hebdomada Paſchæ, venit ipſe cum exercitu ſuo ad obſidionem Accon.Rex vero Angliæ,& exercitus eius remanſerunt apud Meſſanam

poſt

poſt receſſum Regis Franciæ. Et eodem die, quo Rex Franciæ receſſit à Meſſana, venit illuc regina *Alienor* mater *Richardi* regis Angliæ, & adduxit ſecum *Berengeram* filiam *Sanctii* regis Nauarræ, quam idem rex Angliæ in vxorem erat ducturus. Et quarta die ſequenti prædicta regina *Alienor* iterum receſſit verſus Angliam, per Romam tranſitura propter negotium *Gaufridi* Eboracenſis electi: per illam enim mandauit Rex Angliæ ſummo pōtifici, & humiliter poſtulauit, vt ipſe electionem prædicti *Gaufridi* confirmaret, & eum in archiepiſcopum Eboracenſem conſecraret, vel ab alio conſecrari permitteret. Abeunte igitur regina *Alienor*, filia regis Nauarræ remanſit in cuſtodia regis Angliæ, cum ſorore eiuſdem regis *Iohanna* regina Siciliæ.

Menſe Aprilis, quarto idus eiuſdem menſis, feria quarta obiit *Clemens* Papa tertius, cui ſucceſſit *Iacinctus* diaconus Cardinalis Sanctæ *Mariæ* in Coſmedim, & in ipſa Vigilia Paſchæ ordinatus eſt in ſacerdotem; & in die Paſchæ, qui in 18. Kalend. Maii euenit, in Romanum pontificem conſecratus eſt, ab Octauiano Hoſtienſi epiſcopo, & vocatus eſt *Cœleſtinus* Papa tertius. In craſtino autem conſecrationis ſuæ Dominus Papa tranſtulit ſe à Laterano vſq; ad Eccleſiam beati *Petri*, & venit ibi obuiam ei *Henricus* Alemannorum rex cum *Conſtantia* vxore ſua, & cum copioſa plebe armata. Romani vero clauſerunt portas vrbis, & cuſtodierunt eas in manu forti & armata, non permittentes eos intrare. Dominus vero Papa ante oſtium Eccleſiæ beati *Petri* ſupra gradus recepit ſacramentum à prædicto Alemannorum rege, quod ipſe Eccleſiam Dei, & iura Eccleſiaſtica fideliter ſeruaret illibata, & quod rectam iuſtitiam teneret, & quod patrimonium beati *Petri*, ſi quid inde ablatum eſſet, in integrum reſtitueret, & quod Tuſculanum ei redderet. Deinde introduxit eos Dominus papa in Eccleſiam, & vnxit eum in imperatorem, & vxorem ſuam in imperatricem. Sedebat autem dominus Papa in cathredra pontificali, tenens coronam auream imperialem inter pedes ſuos, & imperator inclinato capite recepit coronā, & imperatrix ſimiliter de pedibus domini Papæ. Dominus autem papa ſtatim percuſſit cum pede ſuo coronā imperatoris, & deiecit eum in terra, ſignificans quod ipſe poteſtatem eiiciendi eum ab imperio habet, ſi ille demeruerit: ſed cardinales ſtatim arripiētes coronam impoſuerunt eam capiti Imperatoris. Vt autem ſciatur cauſa, quare Dominus papa *Cœleſtinus* reddiderit Romanis Tuſculanū ciuitatem ſuam, pauca repetamus, q̄ prius geſta ſunt. Electo, & conſecrato in ſummum pontificem *Clemente* domino Prçneſtino epiſc. viz. vt moris eſt Piſis, vbi bonæ memoriæ *Gregorius* 8. migrauit ad dominū ex hac luce, miſit idem Dominus *Clemens* ſine vlla mora legatos ſuos ad ciues Romanos, vt inter ſe & illos pax deberet firmiſſima reformari. Diſcordia ſiquidē concepta eſt occaſione Tuſculani, ciuitatis ſcz. propriæ domini papæ, per 10. milliaria diſtantis ab vrbe, quam Romani guerra inſatiabili, vt eam ſibi ſubiicerent, impugnabant: & etiam occaſione conflictus, qui fuerat inter Romam, & Tuſculanū, per quem pluſq̄ 5000. Romanorū eodem die gladio perierunt, à tempore *Alexandri* papæ vſq; tempora p̄dicti *Clementis* inter eccleſiā durauerat, & Romanos: Legati autem cū veniſſent ad vrbem, induxerunt Romanos vt tanquam filii benigni ad patrem ſuum ſpiritualem corda ſua conuerterent, ipſumq; vt pium patrem redeuntem ad eos deuotiſſime curarent recipere, ac fierent de cætero vnū ſicut condecebat. quibus reſponderunt in hæc verba Romani; Hoc q̄a ſanctum & dignum eſt, ardenti deſiderio, etiā pluſq̄ dominus & pater noſter, ſicut veri & humiles filii (omni mora ſublata) fieri peroptamus; ita tamen ſi damna nobis emēdare, & iniuriam ſimul, & verecundiā, quam occaſione guerrç Tuſculani ſuſtinuimus olim cū patribus noſtris, & adhuc ſuſtinemus, nobiſcum pariter voluerit vindicare; & ad impugnandū Tuſculanum, ſi neceſſe fuerit, milites ſuos in expenſis propriis mittere, ſi pax ad honorē vrbis per ſubiectionem, & tributū annuum in ſcriptis redactum à Tuſculano ſoluendum vrbi, non poterit inter nos reformari. Si ēt Tuſculanū ad voluntatem noſtram faciendam tradere nobis p̄miſerit, ſi poſt refutationem ineundæ pacis ſecundum antedictum tenorem inter nos, & Tuſculanum, aliquo dierum poterit Tuſculanum habere. His itaq;, & quibuſdam aliis libertatibus tandem à ſupradicto *Clemente* papa Romanis conceſſis, idem *Clemens* acceſſit ad vrbem, de qua extiterat oriundus, vnde cū iuxta petitionem ſupraſcriptam à Romanis factam, non poſſet idem dominus *Clemens* Tuſculanum Romanis ſubiicere, ex tunc eos Romanis exponens durius impugnabat. Et licet per quatuor fere annos vixerit in papatu, guerram tamen ipſam cū Romanis nullatenus ad finem perduxit. Quamuis maiorem fere partē Tuſculanenſium, quos extra munitionem ſuam capiebant, Romani poſiti in inſidiis diuerſis pœnis, & cruciatibus interfeciſſent. Quoſdam enim ex illis, quos capiebant, morti tradebant omnino, quoſdam mutilatos pedibus, quoſdam orbatos oculis, quoſdā truncatis manib. collo ſuſpenſis, ad propria remittebant. Quæ omnia ſe malle pati conſtā-

tiſſimè affirmabant, quam ſeueritati ſubiici Romanorum. Mortuo vero *Clemente*, & Domino *Iacincto* tum diacono Cardinali ſanctæ *Mariæ* in Coſmedin, in ſummum pontificem *Cœleſtino* poſtmodum ſubſtituto, & *Henrico* tunc rege ad coronam imperii recipiendam, qui ad hoc à domino *Clemente* vocatus fuerat, feſtinante; Romani antequam idem Rex acceſſiſſet ad vrbem, ſupplicarunt domino *Cœleſtino*, vt antequam prædictum Regem in Imperatorem vngeret, obtineret ab ipſo, vt ciuitatem Tuſculanenſium ſibi redderet, quæ in ipſius poſita erat poteſtate. Ad ipſum enim ſe conuerterant, & ipſius patrocinium inuocarant: ex quo ſupra nominatus *Clemens* expoſuit, vt dictum eſt, illos Romanis: eidem domino *Cœleſtino* inſtantiſſime proponentes, quod hæc erat via, qua Tuſculanum ad eorum manus rediret, & ꝙ ad faciendum hoc tenebatur ex conuentione prædicta. Quod ita conceſſum eſt illis. Euntes autem nuncii domini papę ad regem firmiter propoſuerunt eidem, quod de Tuſculano antedicta facta erat conuentio inter ſummum pontificem, & Romanos, & ideo vt domino papę Tuſculanum redderetur, neceſſitas exigebat. Quod cum intellexiſſet rex, & aduertiſſet, quod aliter coronationi ſuæ de facili poſſet impedimentum præſtari, petitioni domini papæ, de Tuſculano reddendo, liberaliter adquieuit; factumq; eſt ita, quod coronato rege in imperatorem, altera die traditum eſt Tuſculanum ab eodem imperatore domino papæ, & à domino papa ſequente die tertia Romanis, atq; à Romanis deſtructum ita, quod lapis ſupra lapidem non remanſit. Interim *Richardus* rex Angliæ menſe Aprilis fregit, & comminuit caſtellum ſuum, quod dicebatur Mategriffun ante regreſſum ſuum à Meſſana, ſicut promiſerat regi *Tancredo*. Et feria quarta ante cœnã domini ipſe cum toto exercitu ſuo, & nauigio ſuo receſſit à portu Meſſaniæ, cum 150 magnis nauibus, & cum quinquaginta tribus galeis bene armatis, & in die paraſceues domini circa horam diei nonam venit ventus horribilis ab auſtro, & nauigium eius diſſipauit. Rex vero cum parte nauigii applicuit in inſula de Crete, deinde in inſula de Rodes. Buſcia autem magna, in qua erant regina Siciliæ, & filia regis Nauarræ, cum multis de familiaribus regis, & duæ aliæ Buſciæ, cum illa tempeſtate adhuc ſæuiente, peruenerunt ad inſulam de Cypre; rege neſciente, quo Buſciæ illæ deueniſſent. Poſt tempeſtatem miſit Rex galeas quærere Buſciam illam, in qua regina ſoror eius, & filia regis Nauarræ erant, & inuenerunt eas extra portum de Limeſzun, aliæ duæ Buſciæ, quæ cum illis venerant ante portum de Limeſzun, perierunt, in quibus multi milites, & ſeruientes de familia Regis ſubmerſi ſunt: inter quos, proh dolor, magiſter *Rogerus* malus catulus Vicecancellarius regis ſubmerſus eſt, & ſigillum Regis, quod geſtabat in collo eius ſuſpenſum, inueniebatur. Catalla autem ſubmerſorum theſaurizauit ſibi *Iſakius* imperator de Cypre, & omnes, qui naufragium illud euaſerunt, cepit, & incarcerauit, & pecunias eorum iis abſtulit. Qui etiam pluſquam furiali crudelitate debacchatus, Buſciam illam in qua regina Siciliæ, & filia regis Nauarræ erant, non permiſit portum intrare. Quod cum regi Angliæ nunciatum eſſet, feſtinanter ad earũ præſidium venit cum galeis multis, & cum magno ſtorio nauium & inuenit eas extra portum de Limeſzun ventis, & mari expoſitas. Et iratus inde valde, miſit nuncios ſuos ad imperatorem de Cypre, ſemel, ſecundo, tertio petens & cum humili deprecatione poſtulans, quatenus intuitu diuini amoris, & propter reuerentiam viuificæ crucis peregrinos ſuos, quos in vinculis tenebat captiuos, permitteret abire illæſos, & vt catalla eorum eis reſtitueret, & vt redderet illi catalla hominum ſuorũ ſubmerſorũ ad faciendũ inde ſeruitium Dei pro animabus illorum; quibus imperator ille ſuperbe loquutus eſt, dicens, ꝙ ipſe neq; peregrinos redderet, neq; catalla ſubmerſorum. Audiens itaq; rex, quod nefandus ille imperator nihil pro illo faceret, niſi per vim, pręcepit vniuerſo exercitui ſuo, vt arma ſua caperent & armati ſequerentur eum. Et ait illis; Sequimini me, vt vindicemus iniurias, quas perfidus ille imperator Deo, & nobis fecit: qui peregrinos noſtros contra Dei iuſtitiam, & æquitatem in vinculis tenet, & nolite timere eos, quia inermes ſunt, fugæ potius, quam bello parati. Nos vero bene ſumus armati, & arma tenenti omnia dat, qui iuſta negat. Et oportet, vt viriliter pugnemus ad liberandum populum Dei à perditione; ſcientes, quod aut oportet nos vincere, aut mori. Sed certam habeo in Domino fiduciam, quod ipſe dabit nobis hodie victoriam de iſto perfido Imperatore, & de gente ſua. Interim Imperator ille occupauerat littora maris vndique, cum gente ſua; & pauci eorum erant armati, & fere omnes indocti ad prælium; tamen ſtabant in littore, cum gladiis, & lanceis, & fuſtibus: habentes aſſeres, & ligna, & ſedilia, & arcas, ante illos pro muro. Cum autem Rex Angliæ & ſui erant armati, exierunt è magnis nauibus in nauiculas, & galeas, & remigando venerunt ad terram cum magno impetu, & ſagittarii præibant facientes cæteris viam. Et cum applicuiſſent, rege præuio, impetum fecerunt vnanimiter in imperatorẽ, & Griffones ſuos; & quaſi imber ſup gramina,

ita

ita cecidere ſagittæ ſuper pugnātes; & cum diu pugnaſſent, Imperator cum ſuis verſus eſt in fugam: quos rex Angliæ ſequutus eſt in ore gladii, & ſtragem magnam faciens ex obſtantibus viuos cepit multos, & niſi nox celerius ſuperueniret, forſitan rex illo die cepiſſet Imperatorem. Sed quia rex, & gens ſua pedites erant, & vias montium, per quos Imperator, & ſui fugiebant, ignorabāt, cum præda magna redierunt ad villā de Limeſzun, quam Griffones reliquerant: & inuenerunt in ea abundantiam frumenti, & vini, & olei, & carnium. Eodem die poſt victoriam regis Angliæ, ſoror eius regina Siciliæ, & filia regis Nauarræ intrauerunt portum de Limeſzun cum cætero nauigio regis. Imperator vero, religatis hominibus ſuis, qui diſperſi erant per dumos in conuallibus, eadem nocte caſtra ſua metatus eſt, quaſi per 5. milliaria ab exercitu regis Angliæ, ſub iuramento affirmans, quod in craſtino dimicaret cum rege Angliæ. Quod cū rex audiſſet per exploratores ſuos, lōge ante lucem ſe, & exercitū ſuū armari fecit, & ſine tumultu procedēs venit ad exercitum Imperatoris, & inuenit eos dormientes. Et cum magna, & horribili exclamatione intrauit tentoria eorum, & excitati a ſomno facti ſunt velut mortui neſcientes, quid facerent, aut quo fugerent, quia inuadebat eos exercitus regis Angliæ velut rupi rapaces, & fecerūt ex illis ſtragem magnam. Imperator vero cum paucis ſuorum nudus euaſit, relinquens poſt ſe theſauros, & equos, & arma, & tentoria ſua pulcherrima, & vexillum ſuum Imperiale per totum auro deſuper contextum, quod rex Angliæ ſtatim deſtinauerat beato *Edmūdo* regi, & martyri glorioſo. Et ſic rex Angliæ ſumma potitus victoria rediit ad Limeſzun hoſtium ſuorum magnificus triumphator. Tertia die ſequenti venerunt ad regem Angliæ in Inſula de Cypre *Guido* rex Ieruſalem, & *Gaufridus* de *Lermāt frater eius, & *Amfridus* Delturum, & *Raimundus* princeps Antiochiæ, & *Boimundus* filius eius, Comes Tripolis, & *Leo* frater Rupini de la Muntaine, & obtulerunt regi ſeruitia ſua, & homines ſui deuenerunt, & fidelitates ei iurauerunt contra omnes homines. Eodem die Imperator de Cypre vidēs ſe omnino deſtitui virtute, & auxilio ſuorum ſupplices legationes miſit ad regē Angliæ, & obtulit ei pacem in hac forma, ſcilicet, quod ipſe daret ei viginti millia marcarum auri in recompenſatione pecuniarum ſubmerſarum; & illos, qui capti fuerant poſt naufragium cum catallis ſuis, liberos redderet, & ipſe in propria perſona ſua cum illo in terrā Ieroſolymitanā iret, & moram cum illo faceret in ſeruitio Dei, & ſuo cum centum militibus, & quadringentis *Tripolis equitibus, & cum quingentis peditibus bene armatis, & inſuper daret ei filiam ſuam in obſidem, quam vnicam haberet ſibi hæredem, & traderet ei caſtella ſua in pignore, & fidelitatem ſibi, & ſuis in perpetuum ſeruandam iuraret, & Imperium ſuum de illo teneret. His igitur ex vtraq; parte conceſſis, venit Imperator ad regē Angliæ: & coram rege Ieroſolymitano, & principe Antiochiæ, & cæteris Baronibus ſuis homo regis Angliæ venit, & fidelitatem ei iurauit. Iurauit etiam, quod ab eo non recederet, donec omnia implerentur, quæ *conuentionauerant. Rex vero tradidit Imperatori tētoria ſibi, & ſuis, & aſſignauit ei milites, & ſeruientes, qui cuſtodirent eos. Eodem autem die poſt prandium pœnituit Imperatorem feciſſe talem finem cum rege Angliæ, & dum milites, qui eum cuſtodire deberent, ſomnum meridianū caperent, furtiue ab eis receſſit, & mandauit regi, quod nullam de cætero cum illo pacem, vel concordiam cuſtodiret. Quod (vt videbatur) ſatis placuit regi. Ipſe enim ſicut vir prudens, & circumſpectus ſtatim tradidit magnam exercitus ſui partem *Gwidoni*, & principi Antiochiæ, & cæteris qui ad eum venerant, & præcepit eis, vt ſequerentur Imperatorem, & caperent, ſi poſſent; & ipſe rex diuiſis galeis ſuis in duas partes medietatem illarū tradidit *Roberto* de Turnam, & præcepit, vt ille circūdaret inſulam ex vna parte, & ſi quas inueniſſet naues, vel galeas, cepiſſet eas; & factum eſt ita. Rex vero cum reliqua parte galearum ſuarum circuiuit alteram partem inſulæ, & ipſe & *Robertus* ceperunt naues & galeas, quotquot inuenerunt in circuitu inſulæ. Cuſtodes autem ciuitatum, & caſtellorum, & portuum reliquerūt ea vacua in omni loco, vbi rex & prædictus *Robertus* venerunt, & fugientes abierunt in montana. Quibus expletis rex, & *Robertus* redierunt ad Limeſzun. *Gwido* autem rex, & qui cum eo miſſi fuerant, nihil *perficientes ad regem redierunt. Interim homines Imperatoris confluebant ad regem Angliæ, & homines ſui deuenerūt, & terras ſuas de illo tenuerunt. Quadam vero die, cum ſupradictus Imperator ad prādium ſuum ſediſſet, & Comites ſui cum eo, quidam illorum ait illi: Domine cōſulimus vobis, vt pacem faciatis cum rege Angliæ, ne tota gens veſtra pereat. Iratus vero Imperator propter hūc ſermonem percuſſit eum cum cultello, quem tenebat, & amputauit naſum eius, qui conſilium illud dederat: poſt prandium ille, qui percuſſus fuerat, abiit ad regem Angliæ, & adhæſit ei.

al. Lenzant

al. Turcoplis

al. concionauerat

al. proficientes

Menſe vero Maii, 4. idus eiuſdem menſis die Dominica, feſto *S. Nerei*, & *Achillei*, atque *Pancratij* martyrum, *Beringera* filia regis Nauarræ deſponſata eſt *Richardo* regi Angliæ

in Inſula de Cypre apud Limeſzun, *Nicholao* regis capellano officium ſacramenti illius perficiente: & eodem die fecit rex illam coronari, & conſecrari in reginam Angliæ a *Iohanne* Ebroicenſe Epiſcopo, adminiſtrātibus illi in officio illo Archiepiſcopis de Apamia, & de Anxia, & Epiſcopo de Baionia. Deinde poſt celebrationem nuptiarum ſuarum rex Angliæ promouit exercitum ſuum, & reddita eſt ei nobilis ciuitas, quæ vocatur Nichoſis, & cum veniſſet rex cū exercitu ſuo ad fortiſſimū caſtellum, quod dicitur Cherin, in quo erat filia Imperatoris, exiuit illa obuiam regi, & cecidit prona in terram ante pedes regis, & tradidit ei caſtellum illud miſericordiam poſtulans. Et rex miſertus illius miſit eam ad

al. Baſtries

reginā, & cū proceſſiſſet rex, reddita ſunt ei caſtellū, quod dicitur *Baffes, & caſtellū quod dicitur Buffeuent, & caſtellū quod dicitur Deudeamur, & caſtellū quod dicitur Cādare. Deinde redditæ ſunt ei omnes ciuitates, & munitiones Imperii. Infœlix autem Imperator ille latitabat in quadā abbatia fortiſſima, quæ dicitur caput S. *Andreæ*. Quo cum rex veniſſet, vt illum apprehēderet, Imperator exiuit obuiam ei: & ad pedes eius prouolutus poſuit ſe in miſericordia illius de vita & mēbris, nulla mētione facta de regno. Sciebat enim quod omnia iam erant in manu, & poteſtate regis, ſed ſolum hoc petiit vt ipſe mitteretur in compedibus, & manicis ferreis. Et audiuit rex petitionē illius, & tradidit illum *Radulfo* filio *Godefridi* Camerario ſuo in cuſtodia, & præcepit ſibi fieri cōpedes & manicas de argēto, & auro, & vt ipſe in illis mitteretur. Perfecta autem ſunt omnia hæc in Inſula de Cypre menſe Iulii prima die eiuſdem menſis Sabbato in vigilia Pentecoſtes. Perfectis igitur omnibus his miſit rex Angliæ Imperatorem cum cuſtodibus ſuis vſq; ad ciuitat. Tripolis, & tradidit Inſulā de Cypre *Richardo* de Camuilla, & *Roberto* de Turnham in cuſtodia. Eodem die, ſcilicet in vigilia Pentecoſtes obiit *Philippus* Comes Flandriæ in obſidione Accon; & rex Franciæ dominus ſuus ſaiſiuit omnes theſauros, & poſſeſſiones illius in manu ſua: & ab illa hora quærebat opportunitatem recedendi ab obſidione Accon, & reuertendi in regionem ſuam, vt Comitatum Flandriæ ſibi ſubiugaſſet. Et eodem die (ſc. in vigilia Pentecoſtes) regina Angliæ, & regina Siciliæ ſoror regis Angliæ, & filia Imperatoris de Cypre applicuerunt apud Accō cum maiori parte ſtolii regis Angliæ. Interim rex Angliæ accepit ab vniuerſis hominibus Inſulæ, medietatem omnium mobilium ſuorum, & confirmauit illis leges, & inſtitutiones, quas habebant tempore *Manuelis* Imperatoris Conſtantinopolitani. Deinde feria quarta in hebdomada Pentecoſtes, receſſit rex Angliæ ab Inſula de Cypre cū galeis ſuis, & in craſtino applicuit in terra Suliæ apud Tyrum. Sed cuſtodes Tyri non permiſerunt eum intrare Tyrum, dicentes, quod rex Franciæ, & *Conradus* Marchio prohibuerunt, ne ipſe Tyrum intraret. Et ideo oportebat eum nocte illa iacere in tentoriis extra murum Tyri. Et craſtino (ſcilicet feria ſexta) in hebdomada Pentecoſtes, cum ipſe iter ageret verſus Accon, vidit in mari ante ſe buſciam quādam magnam onuſtam viris bellicoſis, & ornatam vexillis regis Franciæ, & ſociorum ſuorum. Et mittēs ad eos duas galeas interrogauit, cuius eſſet nauis, & vnde veniſſet: & reſponderunt ſe eſſe homines regis Franciæ, & veniſſe de Antiochia, volentes ad obſidionem Accon ire. Et qui miſſi fuerunt, cum tali reſponſo redierunt ad regem Angliæ. Quibus ipſe dixit, ſi homines regis Franciæ ſunt, ite, & dicite illis, vt expectent, & loquantur mecum. & dum irēt homines buſciæ male ſibi conſcii, quia omnes Pagani erant, armauerunt ſe, & peſſime receperunt nuncios regis, mittentes in eos ſagittas, & ignem Græcum. Quod cum rex vidiſ-

al. venerans

ſet, acceſſit propius, & dixit vniuerſis, qui cum eo *erant, perſequimini eos, & apprehendite; Si enim abierint, amorem meum perdetis in perpetuum: & ſi eos apprehenderitis omnia catalla eorum veſtra ſint. Tunc omnes vnanimiter impetum fecerunt in buſciam illam, & cum roſtris galearum perforauerunt eam vndique, & aqua intrans per foramina traxit illam in profundum. Et cū Pagani cœpiſſent mergi proiecerunt arma ſua in mare, & fractis vaſis ſuis fuderunt ignem Græcum, & relicta naue, nudi proſilierūt in mare. Sed Galeotæ regis interfecerunt eos, & viuos retinuerunt multos: Erant autem in buſcia illa Pagani numero mille, & quingenti, quos *Saladinus* legauerat ex omnibus Paganis, vt mitteret eos in ciuitatem Accon. Quibus deuictis, & interfectis rex diſtribuit omnia catalla illorum galeotis ſuis. In craſtino (ſcilicet die Sabbati) in hebdomada Pentecoſtes venit ad obſidionem Accon, & de Paganis, quos in naue cepit, diſtribuit regi Franciæ, & Comitibus exercitus. Cum autem Pagani, qui in ciuitate Accon erant, audiſſent, quod Pagani, qui in buſcia erant, in quibus habebant fiduciam, ſubmerſi eſſent, & quod rex Angliæ magnificus triumphator ad obſidionem veniſſet, timuerunt eum valde, & de die in diem quærebant opportunitatem, vt ciuitatem ei traderent pro licentia abeundi cum vita, & membris. Rex vero Franciæ, qui Sabbato in hebdomada Paſchæ ad obſidionem venerat, iam ante aduentum regis Angliæ domum lapideam turritam fecit ſibi, & Perarias

ſuas

ſuas,& hurdicios ſuos,& alias machinas ſuas bellicas parauerat, & in locis congruis locauerat. Sed nihil in eis operatus eſt; expectabat enim aduentum regis Angliæ. Qui cum veniſſet, ſtatim erexit machinas ſuas bellicas. Piſani vero, & Ianuenſes venerunt ad eum, & obtulerunt ei ſeruitia ſua, & ipſe Piſanos recepit, & Ianuenſes refutauit, quia ipſi fidelitatem iurauerant regi Franciæ, & *Conrado* Marchioni: Piſani vero fecerunt regi Angliæ homagium, & fidelitates: & rex Angliæ confirmauit illis charta ſua libertates, & conſuetudines, quas habere ſolebant in terra Ieroſolymitana. Tertia autem die poſt aduentum regis Angliæ rex Franciæ dimiſit omnes ſeruientes, quos prius habebat ad machinas ſuas bellicas cuſtodiendas; & rex Angliæ retinuit ad ſeruitium ſuum, quos rex Franciæ dimiſerat. Vnde factum eſt, quod Pagani, qui erant in ciuitate inuenientes machinas regis Franciæ ſine cuſtode, combuſſerunt eas. Deinde vterque rex incidit in ægritudinem, quam Arnaldiam vocant; in qua ipſi fere vſque ad mortem laborantes capillos ſuos depoſuerunt. Sed hoc Dei fit miſericordia, quod ambo conualuerunt de infirmitate illa, & facti ſunt robuſtiores, & animoſiores in ſeruitio Dei. Et quia *Gwido* rex conqueſtus fuerat illis, quod *Conradus* Marchio vi, & iniuſte ei abſtulerat redditus, & iura regni, tradiderunt redditus fori rerum vænalium & redditus portus Accon in manu Templariorum, & Hoſpitalarium colligendos, & cuſtodiendos, donec prouiſum eſſet quis illorum de iure illos habere deberet. Et *Gaufridus* de * *Lermant*, frater *Gwidonis* regis appellauit *Conradum* Marchionem de fide læſa, & de periurio, & de proditione facta aduerſus regem fratrem ſuum, & aduerſus exercitum Chriſtianorum; & de proſequenda appellatione ſua pignus dedit. *Conradus* vero male ſibi conſcius iuri ſtare noluit, ſed declinauit a turba, & exiuit foras, omnibus poſt illum clamantibus, & dicentibus, proditor eſt, qui iuri ſtare recuſat. Nemo tamen miſit in eum manum, ne forte tumultus fieret in populo. Ipſe autem Tyrum abiit, & ſtatim orta eſt diſſenſio inter reges propter illos, quia rex Franciæ in quantum potuit fouebat, partem *Conradi*, & rex Angliæ partem *Gwidonis* regis. Vnde inter reges ſæpius oriebantur rixæ, & contentiones. Poſt multum vero tempus miſit rex Franciæ pro *Conrado*, & conſtituit eum principem domus ſuæ, & ſuum familiarem conſiliarium, per cuius cōſilium & admonitionem rex Franciæ multa operatus eſt contra Deum, & ſalutem animæ ſuæ. ipſe enim munera *Saladini* accepit, & factus eſt ei amicus. Deinde petiit rex Franciæ medietatem Inſulæ de Cypre, & omnium, quæ rex Angliæ, per viam acquiſierat. Hæc cōtra, rex Angliæ petiit a rege Franciæ medietatem Flandriæ, & medietatem omnium mobilium Comitis Flandrię, & aliorum hominum ſuorum, qui obierant in obſidione Accōs & medietatē Tyri, q̄ *Cōradus* illi donauerat. Sed vtriuſq; petitio vana fuit & inuidioſa; quia cōuentio facta fuit inter illos tantummodo vt dimidiarent inter ſe oēs quęſtus, quos facerent in terra Ieroſolymitana. Et iterum hoc idem renouauerunt coram ducibus, & principibus exercitus, & chartis, & ſacramentis confirmauerunt. & ſtatuerunt Templarios, & Hoſpitalares, & alios viros ſapientes in quibus confidebant, ad recipiendum, & dimidiandum inter eos acquiſitiones ſuas; & ſic facti ſunt amici. Interim *Saladinus* princeps exercitus Paganorum miſit frequenter regi Franciæ, & regi Angliæ pyra Damaſcena, & aliorum fructuum ſuorum copiam, & alia munuſcula, vt ſic ſaltem conuerteret animos eorum ad pacem cum illo faciendam. Ipſe enim ſępius eis obtulit pacem, & concordiam, tum propter metum filiorum *Noradini*, qui calumniati ſunt ſuper eum totā terram patris eorum, quam *Saladinus* occupatam tenebat. (Illi etiam iam cum magno exercitu per auxilium domini *Muſcet* auunculi eorum intrauerunt terram *Saladini*, & occupauerunt eam totam vſq; ad magnum fluuium Eufratem) tum vt gentē ſuam, quæ in ciuitate fuerat obſeſſa, liberaret. Sed ad plenum noluit componere cum regibus. voluit namq; retinere in manu ſua ciuitatem Ieruſalem, & Craggum de monte regali, & noluerūt reges cū illo ſub hac cōponere forma. Vnde factum eſt, quod Perrariæ regum, & aliorū virorum non ceſſabant iactare lapides in murum ciuitatis, & eius munitiones; neque foſſores regum ceſſabant die ac nocte ſuffodere murum ciuitatis. Menſe Iunii, die Dom. in vigilia natiuitatis S. *Iohannis Baptiſtæ*, nono Kal. Iulii, luna 27. hora diei nona ſol paſſus eſt Eclipſim, & durauit per tres horas; ita quod obſcuratus eſt ſol, & tenebræ factæ ſunt ſuper terram, & apparuerunt ſtellæ in cœlo, & cum Eclipſis receſſiſſet, ſol rediit in priſtinum decorem ſuum. In ciuitate autem Accon erat quidam homo Deo deuotus, occultus tamen propter metum Paganorum, qui frequenter literas ſuas foras miſit vſq; in exercitum Chriſtianorum Hebraice, Græce, & Latine ſcriptas, & per illas totum ſtatum, & propoſitum Paganorum ſignificauit Chriſtianis. Vnde Chriſtiani ſæpius præmuniti inſidias Paganorum vitabant. Sed valde erat moleſtum Chriſtianis, quod non nouerant virum illum, neq; nomen eius. ipſe enim nunquam voluit nominare nomen ſuum, ſed in omnib. literis, quas foras miſit

* al. Limizant

el. fore. confeſſus eſt, ſe* eſſe Chriſtianum: & in ſcriptis ſuis ſemper prępon ebat, In nomine Patris, & filii, & ſpiritus ſancti, Amen. Sed hoc mirandum eſt, quod ipſe neq; ante captionẽ ciuitatis, neq; poſt illius captionẽ voluit ſe manifeſtare Chriſtianis. Eodem vero menſe Iunii, Chriſtiani impleuerunt magnam partem foſſati, vt ſcalas ſuas muro apponerent. Quod cum vidiſſent Pagani, qui fuerant obſeſſi, obtulerunt regibus ciuitatem cum armis & victualibus eorum pro vita, & membris, & licentia abeundi. Sed noluerunt reges hoc modo recipere eam, ſed petierunt ab eis crucem ſanctam, & totam terram Ieroſolymitanam, & omnes captiuos, qui in captione Accon, *Saladini*, & ſuorum erant: & vt *Saladinus* reſtauraſſet terram Ieroſolymitanam in eum ſtatum, quo fuit ante captionem *Guidonis* regis. At *Saladinus* hoc nullo modo concedere voluit. Eodẽ menſe Iunii *Richardus* de Camuilla, quem rex Angliæ conſtituerat vnũ de iuſtitiariis ſuis in Inſula de Cypre, infirmabatur, & ſine licentia regis venit ad obſidionem Accon, & ibi mortuus eſt. Quo defuncto Griffones, & Erminii, qui ad pacem regis nondum venerant, conſtituerunt ſibi nouũ Imperatorẽ: ſcilicet quendam monachum de progenie *Iſakii* Imperatoris. Sed *Robertus* de Turneham, qui ſolus remanſit poſt mortem *Richardi* de Camuilla, iuſtitiarius regis in Inſula de Cypre magnum congregauit exercitum, & commiſit prælium cum illo nouo Imperatore, & illum, & gentem ſuam vicit, & cepit, & ſuſpendit in patibulo. Eodem menſe Iunii obiit *Radulfus* filius *Godefridi*, quem rex ſtatuerat cuſtodẽ Imperatoris de Cypre, & ſepultus eſt apud Tripolim. Quo defuncto rex tradidit Imperatorem in cuſtodiam Hoſpitalorũ, qui duxerunt eum vſq; ad Margant caſtellum, & ibi poſuerunt eum in cuſtodia. Eodem menſe Iunii foſſores regis Angliæ foderunt fundamentũ murorum ciuitatis Accon, neſcientib. Paganis, qui intus erant; & ſuppoſitis lignis appoſuerunt ignem: & cecidit magna pars murorũ. Interim perariæ regis Franciæ, & Templariorum, & Piſanorum fecerant magnum foramen in muro iuxta turrim, quæ dicitur Maledicta, & ad foramen illud cucurrerũt homines regis Franciæ ſperantes per vim intrare in ciuitatem. Sed occurrerunt illis Pagani in manu forti, & reſtiterunt illis: & quia via illa ardua fuit, & ſtricta, multi de hominib. regis Francię ibidẽ interfecti ſunt. Rex vero Angliæ, & homines ſui interim cuſtodiebant foſſata exteriora, quæ erant inter exercitum Chriſtianorũ, & exercitum *Saladini*. Conuentio enim facta fuit inter reges, quod quandocũq; vnus illorum inſultum faceret in ciuitatem, alter illorum cuſtodiret interim foſſata exteriora, ne exercitus *Saladini* poſſet inſultantib. à tergo nocere. Hæc aũt conuentio inter reges ideo facta fuit, quia in omni negotio, in quo prædicti reges, & gentes eorum conuenerunt, minus profecerunt, quam feciſſent, ſi eſſent diuiſi. Rex enim Francię, & gens ſua paruipendebant regem Angliæ & gentem ſuam: & è conuerſo. Menſe Iulii tertia die eiuſdem menſis, feria quarta cecidit magna pars murorum ciuitatis Accon iuxta ſupradictam turrim. Cucurrit ergo *Albericus Clement* Mareſcallus regis Franciæ cum copioſa armatorum multitudine ad murum cum vexillo regis Franciæ, & *Conradus* Marchio cucurrit cum cæteris ad prædictum murum, & appoſuerũt ſcalas, vt aſcenderent. Et cum prædictus *Albericus* aſcendiſſet ſcalam, Pagani iniecto in illum vnco ferreo traxerunt infra muros, & occiderunt, & alios quadraginta obruerunt lapidibus. *Conradus* vero retraxit ſe cum gente ſua Ipſe enim & ſui noluerunt, neque lapides, neq; ſagittas in paganos mittere; neque pagani in eum, vel in ſuos. Præterea pagani, qui ad defenſionem murorum venerant, vexillum ipſius *Conradi*, quod ipſe eis in ſignum pacis dederat, in ſublime cunctis videntibus, & admirantibus, tenebant immobile. In craſtino principes paganorum, qui in ciuitate erant videlicet *Meſtoke*, & *Karakois* venerunt ad regem Franciæ, & ad regem Angliæ, & obtulerunt eis ciuitatem, & arma, & aurum, & argentum eorum & cæterorum omnium, qui intus erant pro licentia abeundi cum vita, & membris. Sed noluerunt reges hoc recipere. At exigebant pro redemptione eorum totam terram, quam *Saladinus*, & cæteri pagani occupauerant ſuper Chriſtianos ab illo tempore, quo *Lodouicus* rex Francorum fuit Ieroſolymis; & inſuper Crucem ſanctam, & omnes Chriſtianos quos captiuos tenebant. Quibus *Meſtoke*, & *Karakois* reſponderunt; * Has petitiones nimias facere non poſſumus, niſi de conſenſu, & voluntate domini noſtri *Saladini* & aliorum principum noſtrorũ. Sed date nobis inducias triduanas, & permittite nos ire ad principes noſtros, vt cum illis loquamur ſuper his, quæ petitis; Qui, datis obſidibus de redeundo perrexerunt ad *Saladinum*, & oſtenſis illi petitionibus Chriſtianorum, non potuerunt efficere verſus illum, quod ille aliquam daret pro eis redemptionem, & ita confuſi redierunt, & ciuitatem ingreſſi ſunt. Nocte ſequenti circa horam noctis mediam exercitus *Saladini* inſultum fecerunt in cuſtodes foſſatorum exteriorum, ea ſcilicet intentione, vt dum Chriſtiani intenderent defenſioni foſſatorum, pagani, qui in ciuitate erant, facilius poſſent per fugam euadere. Sed reges inde præmoniti per mandatum prædicti viri Dei,

al. nos petitiones veſtras.

qui

qui in ciuitate erat, cuſtodes per circuitum murorum poſuerunt, ita quod nulli paganorum ſecurus patebat egreſſus. Factus eſt ergo clamor magnus per exercitum Chriſtianorum, qui a ſomno excitati, & arma ſua velociter ſumentes acceſſerunt ad foſſata, & impetum fecerunt in paganos, & multos ex illis interfecerunt; cæteros aũt fugauerunt. Quinta die menſis Iulii feria ſexta iterum appoſitus eſt ignis inciſioni murorum, quam homines regis Angliæ fecerant; & nocte ſequenti ceciderunt turres, & magna pars murorum, & fecerunt introitum magnum. Et in craſtino rex Angliæ, & exercitus eius acceſſerunt armati, vt inſultum facerent in ciuitatem; & pagani ſtatim dederunt ſignum, quod pacem cum illis facerent; & ſic depoſitis armis Chriſtiani redierunt in caſtris, & *Meſtoke*, & *Karkois*, & *Heſſedin*, & *Ordich* exierunt loqui cum regibus, & obtulerunt eis ciuitatem cum omnibus ſupradictis. Et cum reges & ipſi diu inde tractaſſent, data eſt eis licentia eundi ad *Saladinum*, & redeundi. Et abierunt, & effecerunt, quod *Saladinus* obtulit regibus ciuitatem Ieroſolymam, & Crucem ſanctã, & omnes ciuitates, & caſtella, quæ ipſe poſt captionem *Guidonis* regis ceperat, & reædificare ea in eum ſtatum, in quo tunc fuerunt; tali conditione vt prædicti reges venirent cum illo, vel mitterẽt cũ illo *ſex millia militum, & viginti millia peditum ad terram ſuam defendendam contra dominum *Muſſe* & filios *Noradini*, qui *Thekedinum* auunculum ſuum vicerãt in prælio, & totam terram illius occupauerant; etſi ipſi permiſiſſent illos abire illæſos. Sed reges id facere noluerunt. & prædicti pagani triſtes & confuſi ciuitatem intrauerunt; amici vero illorum, relicto *Saladino*, infeſtauerunt eum. Septima die menſis Iulii die Dominica rex Franciæ, & exercitus eius fecerunt inſultum in ciuitatem iuxta turrim Maledictam in eo loco, quo prius fecerant: ſed nihil perficientes, quadraginta homines perdiderunt. Octaua die menſis Iulii *Saladinus* combuſſit Gayphas; & vineas in circuitu eius deſtruxit. *In nocte ſequenti dum milites, & ſeruientes multi de exercitu Chriſtianorum vigilaſſent ante turrim Maledictam, circumfulſit eos lux de cælo, in qua apparuit eis beata virgo* Maria *mater* Chriſti. *præ timore autem exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui. At beata virgo blande conſolabatur eos dicens. Nolite terreri. propter ſalutem enim veſtram miſit me huc Dominus. Et cum craſtina illuxerit dies, ite, & dicite regibus veſtris ex parte* Ieſu Chriſti *filij, & Domini mei, & ex parte mea, vt ceſſent à proſternatione murorum ciuitatis huius, quia quarto die poſt iſtum dabit eam Dominus in manus illorum. Eadem vero hora, qua mater Chriſti loquebatur cum cuſtodibus, terræ motus magnus factus eſt in ciuitate, & Paganos ita terruit, quod maluerunt mori, quam viuere. Sic dominus cum ad iudicium venerit blandus iuſtis, & terribilis apparebit iniuſtis. Beata vero virgo* Maria *poſtquam ſic loquuta eſt, auulſa eſt ab oculis eorum, & ſimul cum illa receſſit lumen, quod circumfulſerat illos.* Mane autem facto prædicti cuſtodes narrauerunt regibus & principibus exercitus viſionem, quam viderant, & verba, quæ dixerat illis mater Domini; & ſtatim diuulgata ſunt omnia verba hæc per exercitum, & facta eſt lætitia magna in populo Dei. Nono vero, & decimo die menſis Iulii, *Saladinus* fecit extirpari omnes vineas, & arbores fructiferas, quæ erant in circuitu Accon, & ciuitates & caſtella, in quibus reſiſtendi Chriſtianis fiduciam non habebat, ſubuertit. Vndecima die menſis Iulii Piſani, & exercitus regis Angliæ inſultum fecerunt in ciuitatem Accon; & cum aſcendiſſent murum, vnus Piſanus, nomine *Leonardus*, interfectus eſt; & ſtatim Pagani dederunt ſignum, quod ciuitatem redderent, & pacem cum regibus ad voluntatem eorum facerent. Et ſic ſupradicti Paganorum principes venerunt loqui cum regibus de pace facienda, & ſtatim poſt colloquium redierunt in ciuitatem.

*al. decem

Duodecima die menſis Iulii feria ſexta *Philippus* rex Franciæ, & *Richardus* rex Angliæ, & omnes principes Chriſtianorum mane conuenerunt ad tentorium Templariorum; & principes Paganorum, qui in ciuitate erant obſeſſi, conuenerunt illuc: & per conſilium exercitus Chriſtianorum prædicti reges pacem fecerunt cum Paganis in hac forma. *Pagani tradiderunt ſupradictis regibus ciuitatem Accon cum omnibus, quæ in ea erant, & quingentos Chriſtianos captiuos, qui in ea erant, reddiderunt quietos: & conuentionauerunt regibus, quod traderent eis crucem ſanctam, & mille Chriſtianos captiuos, & ducentos milites Chriſtianos captiuos, quoſcunque prædicti reges elegerunt de omnibus captiuis, qui fuerunt inuenti in poteſtate* Saladini; *& ad opus regum darent ducenta millia bizantiorum, & quod ipſi remanerent obſides in cuſtodia regum, ita quod ſi ipſi infra quadraginta dies proximo ſubſequentes ſupradicta non perfeciſſent, eſſent in miſericordia regum de vita, & membris.* His itaque conuenientibus, & conuentionibus hinc, & inde conceſſis, & ſacramento confirmatis, reges miſerunt milites, & ſeruientes ſuos in ciuitatem, & elegerunt centum de ditioribus, & nobilioribus Paganis, & poſuerunt eos in turrim ſub bona cuſtodia; cæteros aũt fecerunt cuſtodiri per domos & plateas ciuitatis, & adminiſtrauerunt eis neceſſaria ſtatuentes, quod omnes,

Accon ciuitas Chriſtianis reddita.

qui baptiſmum & legem Chriſtianam recipere vellẽt, eſſent liberi. Vnde factum eſt quod multi Paganorum propter metum mortis receperunt baptiſmum; ſed quam citius potuerunt, abierũt ad *Saladinum* relicta lege Chriſtiana. Et ex tunc præceperũt reges, ne aliquis paganorum amplius reciperetur ad baptiſmum. Cumq; *Saladinus* audiſſet pacem, quam ſui cum Chriſtianis fecerant, diſſimulauit hoc factum fuiſſe per illum. Tertiadecima die menſis Iulij rex Franciæ, & rex Angliæ partiti ſunt inter eos ciuitatem Accon, & omnia, quæ in ea erant, tam paganos, quam aurum & argentum, & cætera omnia. *Drogo* vero de Merlou, & centum milites cum illo conſtituti ſunt ex parte regis Franciæ ad partem eius recipiendam. Et *Hugo* de Gurnay, & centum milites cum eo conſtituti ſunt ex parte regis Angliæ ad partem ſuam recipiendam. Quartadecima die menſis Iulii *Saladinus* retraxit ſe, & exercitum ſuum, & fixit tentoria ſua in loco, qui dicitur Saphora, & nuntii eius ibant, & reuertebantur ad reges cum fruct bus, & aliis muneribus. & *Saladinus* obtulit regibus totam terram Suliæ, excepto Cragch de monte regali, quod eſt vltra fluuium Iordanis, tali conditione, quod illi commodaſſent ei duo millia militum, & quinquè millia ſeruientium in ſeruitio ſuo per vnum annum ad defenſionem terræ ſuæ contra Dominum *Muſſe*, & filios *Noradini*. Sed reges noluerunt audire illum in ſermone illo. Quintadecima die menſis Iulii fecerunt reges Perarias, & alias machinas ſuas bellicas deponere. Sextadecima die menſis Iulii venerunt ad reges nuntii ex parte domini *Muſſe*, & filiorum *Noradini* qui multa, & magna obtulerunt illis pro auxilio hominum contra *Saladinum*. Eodem die *Alardus* Vernonenſis Epiſcopus Cardinalis, & Apoſtolicæ ſedis legatus, & Tyronenſis, & Piſanus, & Arienſis Archiepiſcopi, & *Hubertus* Saresbirienſis, & *Iohannes* Ebroicenſis, & *Bernardus* Baionienſis, & Tripolitanus, & *Philippus* Carnotenſis, & Beluacenſis Epiſcopi, & cæteri Eccleſiarum principes Eccleſias ciuitatis Accon dedicauerũt, quas Pagani polluerant; & ædificauerunt altaria Domino, & in eis celebrauerunt Miſſas. Interim reges, & populus intendebant reparationi murorum. Septimadecima, & octauadecima die menſis Iulii Piſani, & Numularii, & cæteri mercatores receperunt infra ciuitatem manſiones, per diſtributionem ſeruientium regum, in foro rerum venalium, reddituri inde ſingulis annis ſolitos, & debitos redditus. Nonodecimo die menſis Iulii cum Comites, & barones, qui iam fere per biennium moram fecerant in obſidione Accon, vidiſſent quod reges omnia, quæ ceperant in captione ciuitatis, propriis incluſiſſent marſupiis, & quod nullam partem illis facere voluiſſent, conuenerunt extra foſſata exteriora, & habito ibi colloquio mandauerunt regibus, quod ipſi diutius cum illis moram non facerent, niſi fuerint participes lucri, ſicut extiterunt laboris: quibus reges reſponderunt ſe ſatisfacturos voluntati eorum: ſed quia reges id facere diſtulerunt, multi paupertate coacti ab eis receſſerunt. Viceſima die menſis Iulii feſto ſanctæ *Margaretæ* virginis *Richardus* rex Angliæ petiit à rege Franciæ, vt ipſi duo iurarent, ſe moram facturos cum exercitibus ſuis in terra Ieroſolymitana per tres annos ad ſubiectionem terræ illius: cui rex Franciæ reſpondit, quod ipſe nullum faceret ſacramentum inde. Viceſima prima die menſis Iulii rex Angliæ primo intrauit in ciuitatem Accon; & in palatio regis ipſe, & vxor eius, & ſoror eius hoſpitati ſunt, & rex Franciæ hoſpitatus eſt in domibus Templariorum. Viceſima ſecunda die menſis Iulii, feſto ſanctæ *Mariæ Magdalenæ*, rex Franciæ miſit ad regem Angliæ *Robertum* Beluaicenſem Epiſcopum, & *Hugonem* ducem Burgundiæ, & *Drogonem* de Amiens, & *Willielmum* de Merlou; & per illos petiit ab eo licentiam redeundi in regionem ſuam. Quibus rex Angliæ reſpondit: Dedecus erit & opprobrium domino meo, ſi ipſe imperfecto negotio propter quod huc venit, receſſerit. Attamen ſi ipſe ſenſerit ſe infirmum, aut debilem & timuerit hic mori, fiat voluntas ſua. Viceſima tertia die menſis Iulii cum diuulgatum eſſet per exercitum, quod rex Franciæ recederet, venerunt ad eum principes exercitus ſui, & cum lachrymis petierunt, ne ipſe à ſeruitio Dei ita impudenter recederet. Viceſima ſexta die menſis Iulii per conſilium regis Franciæ venit *Conradus* ad regem Angliæ, & procidens ad pedes eius veniam poſtulauit: & rex Angliæ perdonauit ei iram ſuam, & maleuolentiam. Et in craſtino conuenerunt rex Franciæ, & omnes principes exercitus ad audiendas controuerſias, quæ vertebantur inter *Gwidonem* regem, & *Conradum* Marchionem. Quibus conſidentibus, *Conradus* Marchio ſurrexit, & ſtans in medio illorum petiit ſibi regnum Ieroſolymitanum de iure vxoris ſuæ, & *Gwido* de *Lerinnam, qui rex inde extiterat, ante captionem, & poſtquam à captione illa euaſit, obſidionem Accon inceperat, petiit ſibi fieri reſtitutionem, inde oſtendens, quod ipſe in nullo deliquit, quare debuiſſet amittere regnum ſuum. & poſt multas tergiuerſationes verborum hinc & inde diductas, vterque illorum poſuit ſe in iudicio curiæ regum. Quorum conſilio, & iudicio pax, & finalis concordia facta eſt inter illos in hunc modum.

al. Limizant

modum. Imprimis iurauerunt illi duo, ſcilicet *Gwido* rex, & *Conradus* Marchio, quod ipſi iudicium regum ſuſciperent, & fideliter ſeruarent. Deinde prædicti reges, & totus exercitus adiudicauerunt *Gwidoni* regi prædicto regnum Ieroſolymitanum in vita ſua; Ita quod ſi ipſe vxorem duxerit, & filios, vel filias genuerit, nihil tamen poterunt hæreditarium petere in regno illo per ſucceſſionem. Sed ſi *Conradus* Marchio, & vxor eius ſoror *Sibyllæ* reginæ ſuperuixerit eum, ſuccedent ei in regnum, & hæredes eorum ſequentur ſceptrum, & iure hæreditario poſſidebunt illud. Et interim omnis redditus regni dimidiabuntur inter illos, excepta regia dignitate, quæ pertinebat ad ſolum *Gwidonem* quamdiu ipſe vixerit: Et *Conradus* habebit Tyrum, & Sydonem, & Barruth, & iure hæreditario poſſidebit ea; & ipſe, & hæredes ſui facient idem ſeruitium ſemper regi Ieroſolymitano ſolitũ & debitum. Et *Gaufridus* de Lizimãt frater regis habebit Comitatũ de Ioppen, & Cæſariã, & poſſidebit ea iure hæreditario: & ipſe & hæredes ſui facient inde ſeruitium ſemper regi Ieroſolymitano ſolitum & debitum. Viceſima nona die menſis Iulii *Philippus* rex Franciæ dedit *Conrado* Marchioni medietatem ciuitatis Accon, quæ illum contingebat. Eodem die rex Franciæ petiit iterum a rege Angliæ licentiam repatriandi, ſed ipſe nullo modo licentiam habere potuit recedendi, niſi prius iuraſſet ſuper ſacroſancta Euangelia, quod ipſe fideliter, & bene cuſtodiret terras, & homines regis Angliæ vſque ad reditum illius, & quod nullum damnum, vel grauamẽ eis faceret, nec ab aliis fieri permitteret. Deinde rex Franciæ conſtituit ducem Burgundiæ principem exercitus ſui tradita illa magna parte theſauri ſui. Et ante receſſum ſuum tradidit ipſe *Raimundo* principi Antiochiæ centum milites, & quingentos ſeruientes ad defenſionem terræ ſuæ contra Paganos, & dedit vnicuique militi quadraginta marcas argenti de præmio a feſto ſancti *Michaelis* vſque ad Paſcha, & conſtituit *Robertum* de Quinci cuſtodem illorum, & ducem. Præterea rex Angliæ dedit eodem die principi Antiochiæ quinq; naues magnas onuſtas equis, & armis, & victualibus. Triceſima die menſis Iulii rex Franciæ & rex Angliæ, partiti ſunt inter eos omnes Paganos, qui capti erant in Accon. Triceſima prima die menſis Iulii, ſcilicet vltima die eiuſdem menſis, feſto ſancti *Germani*, rex Franciæ receſſit ab Accon, & aſſumpſit ſecum *Reginaldum* Carnotenſem Epiſcopum, & *Petrum* Comitem de Neuers, & abiit Tyrum, & duxit ſecum *Karakoys*, & omnes alios Paganos, qui eum cõtingebant, & ibidem moram fecit per duos dies. Tertia vero die menſis Auguſti rex Franciæ à Tyro receſſit, tradens *Conradi* Marchioni omnes Paganos ſuos in cuſtodia. Eodem die rex Angliæ onerari fecit naues ſuas dicens, quod ipſe iret ad Scalonam ad obſidendum eam; & præcepit, vt omnes ſequerentur eum. Quinta die menſis Auguſti rex Angliæ miſit Tyrum *Hubertum Walteri* Epiſcopum Sareſbirienſem propter Paganos, quos rex Franciæ adduxerat, vt ipſe eos reduceret; ſed *Conradus* noluit dimittere eos. Qui cum rediiſſet, & regi narraſſet reſponſum *Conradi*, iratus eſt rex, & iurauit quod ipſe Tyrum iret in propria perſona ad eos per vim reducendos, niſi *Conradus* dimiſerit illos celerius. Ad hoc reſpondit regi dux Burgundiæ, dicens: Domine dimitte me illuc ire, & ego reducam illos. & abiit & reduxit illos. Dies namque peremptorius inſtabat, in quo Pagani illi conuentionem ſuam perficerent, & liberi abirent. Sed ad diem illam Pagani neque protulerunt crucem ſanctam, neque Chriſtianos captiuos, neque pecuniam, quã promiſerant pro vita & membris ſuis. & pro huiuſmodi defectu adiudicati ſunt omnes Pagani illi capitalem ſubire ſententiam. quod cum *Saladino* nunciatum eſſet, mandauit regi Angliæ, & vniuerſo exercitui Chriſtianorum, quod ſi ipſi amputaſſent capita Paganorum ſuorum, ipſe amputaret capita Chriſtianorum omnium, quos in captione ſua habebat. Quartadecima die mẽſis Auguſti feria quarta in vigilia aſſumptionis beatæ Dei genetricis, ſemperque virginis *Mariæ*, rex Angliæ exiuit foſſata exteriora, & fixit tentoria ſua prope exercitum Paganorum, & ibi manſit per aliquot dies, præcipiens, vt omnis exercitus ſequeretur eum. ſed pauci ſequuti ſunt propter defectum equorum, & armorum. Eodem die *Saladinus* miſit regi Angliæ munera pretioſa, & petiit, vt ipſe prolongaſſet diem, quem ſtatuerat amputare capita Paganorum, & noluit rex diem illum diutius differre, nec munera *Saladini* recipere. Quod cum *Saladinus* vidiſſet, & audiſſet, fecit amputari capita omnium Chriſtianorum, quos in captione ſua habuit, ſcilicet 18. die menſis Auguſti die Dominica. Eodem die rex Angliæ mouit exercitum ſuum, & appropiauit exercitui *Saladini*, & cõgreſſum fecit cum exercitu illius, & multi ceciderunt ex vtraq; parte vulnerati, & mortui. Inter quos *Petrus Mignot* quidã familiaris regis Angliç interfectus eſt; & rex Angliæ quamuis audiſſet necem Chriſtianorum interfectum, tamen noluit anticipare terminum, quem ſtatuerat amputare capita Paganorũ. Viceſima igitur die menſis Auguſti feria tertia decimo tertio Cal. Septembris rex Angliæ fecit ducere omnes Paganos, qui eum con-

tingebant in captione Accon ante exercitum *Saladini*, & in conſpectu omnium fecit amputari capita illorum. Dux vero Burgundiæ fecit amputari capita Paganorum, qui regem Franciæ contingebant, intra ciuitatem & extra & prope muros ciuitatis. Sed rex Angliæ, & dux Burgundię ſeruauerunt quoſdam de Paganis ad redemptionem, quorum nomina hæc ſunt: *Meſtock*, *Karakoys*, & *Heſſedin* filius *Caulini*, & *Heſſedin* Iordic, & Paſſelari, Kamardoli, & Kaedin. Numerus autem interfectorum erat quinque millia Paganorum, quos omnes Chriſtiani euiſcerauerunt, & aurum, & argentum multum inuenerunt in viſceribus eorum, & fel eorum vſui medicinali ſeruauerunt. Viceſima prima die menſis Auguſti poſt interfectionem Paganorum rex Angliæ tradidit *Bertramno* de Verdun ciuitatem Accon, & reginam Angliæ, & reginam Siciliæ, & filiam Imperatoris de Cypre in cuſtodia. Viceſima ſecunda die menſis Auguſti feria quinta rex Angliæ tranſiuit fluuium Accon cum exercitu ſuo: & inter fluuium illum, & mare fixit tentoria ſua, ſuper littus maris inter Accon, & Cayphas: & ibi moram fecit per quatuor dies. Deinde perrexit ſecus littus maris verſus Ioppen: & naues ſuæ iuxta eum in mari velificabant cum victualibus, & machinis ſuis bellicis: ita quod ſi neceſſe eſſet illi, poſſet ad naues ſuas recuperare. *Saladinus* vero & exercitus eius ibant per montana non longe ab exercitu regis, vt vias eius impediret. Tertia autem die poſt exaltationem ſanctæ crucis intra menſem Septembris, cum rex Angliæ & exercitus eius tranſiſſent diſtrictas de Merle, & dux Burgundiæ cum Templariis, & Francis cuſtodiret extremam cohortem, & rex Angliæ fixiſſet ſignum ſuum in medio, & tradidiſſet draconem ſuum *Petro* de Partellis ad portandum contra calumniam *Roberti Truſſebut*, qui illum portare calumniatus eſt de iure prædeceſſorum ſuorum: *Saladinus* fecit impetum magnum in ducem Burgundiæ & in illos, qui cum eo erant. Sed nullus Chriſtianorum ibi interfectus fuit præter ſolum *Iakes* de Auennis, qui cum paucis reſiſtebat *Saladino* & exercitui ſuo; dux enim Burgundiæ fugit. Sed rex Angliæ cum audiſſet à tergo clamorem illum, regreſſus eſt, & congreſſus viriliter cum exercitu *Saladini*: & victoriam obtinuit: & interfecit de Paganis tria millia, & ibi manſit per tres dies. Deinde idem rex in hac forma ſcripſit bailiuis & amicis ſuis.

EPISTOLA RICHARDI REGIS ANGLIAE DE receſſu regis Franciæ de Accon.

RIchardus *Dei gratia rex Angliæ & dux Normanniæ, & Aquitaniæ, & Comes Andegauiæ.* N. *dilecto & fideli ſuo ſalutem. Scias, quod poſt captionem* Accon, *& poſt receſſum domini regis Franciæ à nobis apud* Accon, *qui ita turpiter peregrinationis ſuæ propoſitum, & votum contra voluntatem Dei dereliquit in opprobrium æternum ſui, & regni ipſius, iter arripuimus vſque Ioppen. Et dum prope Arſurum accederemus,* Saladinus *cum vehementi Saracenorum incurſu obuiam nobis occurrens, inſultum fecit contra nos. Sed Deo miſerante, nullum amiſimus die illo, niſi virū optimum, & ſuis meritis vniuerſo exercitui chariſſimum,* Iacobum *de Auennis, qui in exercitu Chriſtiano per plures annos ad ſeruiendum Deo, quaſi columna exercitus in omni ſanctitate, & ſinceritate fidei promptus extitit & deuotus. Deinde Ioppen Deo volente peruenimus. Eandem villam foſſatis, & muro firmauimus, in propoſito habentes vbiq; Chriſtianitatis negotium pro poſſe noſtro promouere. Ipſo autem die ſecunda vigiliæ natiuitatis beatæ* Mariæ, *ipſe* Saladinus *infinitos de magnatibus viris ſuis amiſit, & in fugam conuerſus, quaſi conſiliorum & auxiliorum beneficio deſtitutus totam terram Suliæ deſtruxit. Tertia autem die ante ipſius* Saladini *confuſionem in ſiniſtro latere cum quodam pilo vulnerati fuimus: ſed gratia Dei iam ad ſanitatem peruenimus. Scias etiam, quod per Dei gratiam intra viginti dies poſt natale Domini ſperamus recuperare ſanctam ciuitatem Ieruſalem, & ſepulchrum Domini, & deinde ad partes noſtras reuertemur. Teſte nobiſmetipſis apud Ioppen prima die Octobris.*

EPISTOLA REGIS ANGLIAE AD ABBATEM de Clara valle de eodem.

RIchardus *Dei gratia rex* Angliæ *dux Normanniæ, & Aquitaniæ, & Comes Andegauiæ viro venerabili, & amico in Chriſto chariſſimo* Abbati *de Clara valle ſalutem, & continuæ fœlicitatis ſucceſſum. Poſt lachrymabilem, & in commune plorandam ciuitatis ſanctæ Ieruſalem deſtructionem, ciuitatem Dei viuentis, ſuper quam inuocatū eſt nomen eius, commota eſt, & contremuit terra, quia rex cœli perdidit terram ſuam, terram vbi ſteterunt pedes eius. Sed à ſede Apoſtolica diffuſa Dei benedictione per vniuerſam terram, amici crucis* Chriſti *ad ſuſcipiendum ſignum ſalutis in frontibus, & in humeris eorum, & ad vlciſcendas ſanctæ crucis iniurias, ſicut veſtram non latet ſanctitatem,*

certa-

certatim euolabant. Inter quos & nos ad ſeruiendum Deo viuenti, ſigno crucis accepto, ad defendēda loca mortis eius, pretioſo ſuo ſanguini dedicata, quæ inimici crucis Chriſti hactenus ignominioſe prophanabant, tanti & tam ſancti laboris onus in nos ſuſcepimus, & intra breue temporis ſpatium poſt aduentum domini regis Francorum ad Accon, ibidem Domino duce proſpere applicuimus, vbi non multo temporis tractu elapſo, reddita eſt domino regi Francorum, & nobis ciuitas Accon, ſalua vita Sarracenorum, qui ad eam defendendam, & cuſtodiendam intus miſſi fuerant: Pactione etiam ex parte Saladini plenius firmata, quod nobis crucem ſanctam, & mille & quingentos captiuos viuos reſignaret, diemq́; ad hæc omnia perſoluenda nobis conſtituit. Sed eodem termino expirato, & pactione, quam pepigerat, penitus infirmata, de Sarracenis, quos habuimus in cuſtodia circa duo millia & ſexcentos, ſicut decuit, fecimus exſpirare; paucis tamen de nobilioribus retentis, pro quibus ſanctam crucem, & quoſdam captiuos Chriſtianos ſperabamus recuperaturos. Domino autem rege Francorum ad propria remeato, & ruinis, & ſciſſuris murorum ciuitatis Accon reparatis, ipſaq́; ciuitate foſſatis, & muro plenius firmata, ad promouendum Chriſtianitatis negotium, & proſequendum noſtri voti propoſitum, apud Ioppen propoſuimus, & nobiſcum dux Burgundiæ cum * Franciſcenis ſibi ſubditis, Comes Henricus cum ſuis, & multi alij Comites & barones, & populus innumerabilis gentre. Cumque inter Accon, & Ioppen plurimum eſſet ſpacium, & tractus viarum prolixior, apud Cæſaream tandem cum multo ſudore, grauiq́; iactura noſtrorum deſcendimus. Et ipſe Saladinus in eodem itinere de ſuis quam plurimos amiſit: cumq́; populus Dei ibidem aliquantulum reſpiraret, ad Ioppen propoſitum iter ſumus proſequuti. Et noſtra anteriori cuſtodia procedente, & caſtra apud Aſſur metante, Saladinus cum vehementi Sarracenorum incurſu ſuper vltimam cuſtodiam noſtram impetum faciens diuinæ miſerationis fauente gratia à quatuor ſolummodo turmis, quæ ei in fronte oppoſitæ fuerant, compulſus eſt in fugam: ipſumq́; fugientem per vnam leucam turmæ Chriſtianorum plenæ ſunt proſequutæ. tantamque ſtragem de nobilioribus Sarracenis, quos Saladinus habebat, die illa ſabbato videlicet vigilia natiuitatis ſanctæ Mariæ virginis prope Aſſur fecerunt, quantam Saladinus quadraginta annis tranſactis antea, vna die nō ſuſtinuit. Nos vero de noſtris gratia Dei nullum amiſimus die illa, niſi virum optimum, & ſuis meritis vniuerſo exercitui charum Iacobum de Auennis, qui in exercitu Chriſtiano per plures annos ad ſeruiendum Deo viuenti, quaſi columna exercitus in omni ſanctitate, & ſinceritate fidei promptus extitit, & deuotus. Deinde Ioppen, Domino ducente, peruenimus, villamque illam foſſatis & muro firmauimus, in propoſito habentes vbique Chriſtianitatis negotium pro poſſe noſtro efficaciter promouere. Poſt diem prædictum confuſionis Saladini non eſt auſus Saladinus cum Chriſtianis congredi, ſed ad trucidandos amicos crucis, ſicut oues occiſionis inſidiatur eminus in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua. Audito itaque quod nos apud Aſcalon maturo congreſſu tenderemus, Aſcalon euertit, & ad terram proſtrauit, totamque terram Suriæ, quaſi totus conſiliorum, & auxiliorum beneficio deſtitutus iam deſeris, & contemnit. Vnde bonæ ſpei ſumimus argumentum, quod in breui, Domino dante, plenius recuperabitur hæreditas Domini. Et cum hæreditas Domini iam in parte recuperata eſt, & ad eam recuperandam omne diei pondus ſuſtinuimus, & æſtus, totamq́; pecuniam noſtram; & non ſolum pecuniam, ſed & vires & corpus iam exhauſimus; Fraternitati veſtræ notificamus quod vltra ſolemnitatem Paſchalem in partibus Syriæ nequaquam potuimus commorari. Dux Burgundiæ cum Francigenis, ſibi ſubditis, & Comes Henricus cum ſuis, & cæteri Comites & barones & milites, qui in ſeruitio Dei ſua iam expenderunt pro Deo, ad propria remeabunt, niſi per veſtræ prædicationis ſolertiam eis in populo, vnde terra poſſet populari & muniri, & in pecunia quam in ſeruitio Dei vberius expendant, circumſpecte prouideatur. Vnde veſtræ ſanctitatis genibus prouoluti, & profuſis lachrymis preces affectuoſas porrigimus, rogantes attentius, quatenus, ſicut officio veſtro congruit & honori, principes & viros nobiles per vniuerſum Chriſtianiſmum conſtitutos, aliumq́; populum Dei ad ſeruiendum Deo viuenti inducere, & ad hoc prouocare ſatagatis. at poſt prædictam ſolennitatem Paſchalem hæreditatem Domini, quam nos, Deo propitio, ad idem Paſcha plenius obtinebimus, tueantur, & defendant. Tantumque faciat in hac parte veſtræ ſedulitatis diligentia, ne ex veſtro neglectu depereat, quod vtilitas totius Chriſtianitatis expectat. Ideo ſanctitati veſtræ ſuper negotio Chriſtianitatis literas noſtras tam mature dirigimus, ne forte torporis arguamur, & negligentiæ, ſi tantum & tam ſanctum virum ſuper inſtantibus Chriſtianitatis negotiis aliquo modo prætermiſerimus præmunire. Vos igitur ſicut nos, & alium populum Dei ad ſeruiendum Deo, ad reſtituendam hæreditatem ſuam ſibi, ante itineris acceptionem animaſtis; ita & nunc plurimus inſtat articulus, vt populum Dei ad hoc idem faciendum fortius excitetis. Teſte nobiſmetipſis apud Ioppen primo die Octobris. Et eſt notandum quod ſtatim poſt confuſionem Saladini, Pagani, qui erant in Scalona & in Ioppe, reliquerunt eas, non audentes expectare aduentum regis Angliæ; & ita rex Angliæ inuenit vtramque vacuam, & vtramque firmauit muris & foſſatis. Deinde quadam die dū rex Angliæ quaſi per vnum milliare perrexiſſet longe à Ioppe per hortos ad ſpatiandum, & ibi dormiſſet; ſuperuenit multitudo Paganorum & excitauerunt

* al. Frãcigenis

regem à ſomno, qui ſtatim aſcendit equum ſuum, & viriliter reſtitit Saracenis. Sed *Guilielmus* de pratellis quidam familiaris ſuus ibidem captus fuit, & *Reginaldus* ſocius eius interfectus eſt, & vnus dextrariorum regis ibidem captus fuit, & ductor illius interfectus, & rex per vim euaſit: & cum rex aſcenderet in equum ſuum, cecidit ab eo zona eius pretioſa auro & gemmis, quam *Willielmus* de Corneburc inuenit, & illa poſtmodum reddita fuit regi. Et *Saffadin* frater *Saladini* remiſit regi equum ſuum & rex Angliæ rediit *in Ioppen. (*al. inde*) Deinde firmauit rex caſtellum de Planis, & caſtellum Maen: & moram fecit apud Ioppen fere vſq; ad natale Domini. Interim orta eſt grauis diſcordia in Anglia inter Cancellarium regis, & *Iohannem* Comitem Moretonii fratrem regis propter caſtellum Lincolniæ, quod Cancellarius obſederat, expulſo *Girardo* de Camuilla à baillia vicecomitatus Lincolniæ, quam Cancellarius tradidit *Willielmo* de Stuteuilla, & conſtituit eum inde vicecomitem. Dum autem prædictus Cancellarius obſideret caſtellum Lincolniæ, caſtellum de Notingham, & caſtellum de Tiſchil regis, reddita ſunt Comiti *Iohanni*, qui ſtatim mandauit Cancellario, quod niſi celerius receſſiſſet ab obſidione caſtelli Lincolniæ, viſitaret eum in virga ferrea. Exterritus itaq; Cancellarius mãdatis *Iohannis* Comitis Moretonii receſſit ab obſidione illa; & mediantibus Epiſcopis multis, & aliis fidelibus domini regis, diem colloquii ſtatuerunt, in quo inter illos conuenit in hunc modum.

Notum ſit omnibus, ad quos præſens ſcriptum peruenerit, controuerſiam illam inter Comitem Moretonij, & dominum cancellarium exortam, ſic domino Rothomagenſi Archiepiſcopo, & Dunelmẽſi Londonienſi, Wintonienſi, Bathonienſi, Roffenſi, Couentrenſi, Epiſcopis, & aliis fidelibus domini regis mediantibus, eſſe ſopitam: ſcilicet quod Comes Moretonij caſtella de Tikehil & de Notingham, quæ ceperat, reddidit domino regi per manum domini Rothomagenſis, tradenda cuſtodiæ Willielmi Mareſcalli, & Willielmi de *Wendewal: (*al. Wemkenal*) ſcilicet Willielmo Mareſcallo caſtellum de Notingham, & Willielmo de Windeual caſtellum de Tikehil: qui prædicta caſtella ad honorem & fidelitatem domini regis, vſque ad reditum eius præſtito iuramento cuſtodient: & cum redierit, ad ſuam inde voluntatem operabuntur. Et ſi forte dominus rex (quod abſit) in hac peregrinatione ſua deceſſerit, prædicta caſtella prædicto Comiti ſine vlla detentione, & dilatione reddent. Et ſi forte dominus Cancellarius interim erga prædictum Comitem exceſſerit, & exceſſum ad conſilium & conſiderationem prædicti domini Rothomagenſis, & aliorum familiarium domini regis & curiæ ſuæ requiſitus emendare ſine dilatione noluerit, prædicta caſtella prædicto Comiti reddent, & reſtituent. Sed & alia caſtra de honoribus à domino rege ſibi datis, quæ fidelibus domini regis, tradita ſunt cuſtodienda, ſcilicet domino Rothomagenſi caſtrum de Wallingforde; domino Londonienſi caſtrum de Briſtow; domino Couentrenſi caſtrum del Pec; Richardo del Pec caſtrum de Bollcſofres; & ſi Richardus recipere noluerit, dominus Couentrenſis recipiet; Waltero filio Roberti caſtellum de Eya; Comiti Rogero Bigoth caſtellum de Hereford; Richardo Reuel caſtellum de Exonia, & de Lanſtauetũ; qui ſimiliter fidelitatem domini regis de ipſis ad opus ipſius fideliter cuſtodiendis, & ſi forte deceſſerit (quod Deus auertat) domino Iohanni reddendis, iurauerunt. Sed & tria caſtella ad coronam domini regis pertinentia, ſcilicet caſtellum de Windeſoure Comiti de Arundil; caſtellum de Wintonia Gilberto de Laſci; caſtellum de Northampton Simoni de Pateshille tradita ſunt cuſtodienda: qui fidelitatem domini regis de ipſis ad opus ipſius fideliter cuſtodiendis iurauerunt. Sed & cõceſſum eſt quod Epiſcopi, & Abbates, Comites, & barones, vauaſſores & libere tenentes nõ ad voluntatẽ iuſticiarum, vel miniſtrorũ domini regis de terris, & caballis ſuis diſſaiſientur, ſed iudicio curiæ domini regis ſecũdum legitimas conſuetudines, & aſſiſas regni tractabuntur vel per mandatum domini regis. Et ſimiliter dominus Iohannes in ſua terra faciet obſeruari. Et ſi quis aliter facere præſumpſerit ad petitionem prædicti Comitis, per dominum Rothomagenſem, ſi in Anglia fuerit, & per iuſticias domini regis, & per eos, qui pacem iurauerunt, emendabitur: & ſimiliter dominus Iohannes ad petitionem eorundem emendabit. Noua caſtella, poſt transfretationem domini regis ad peregrinationẽ ſuam, facienda, vel inchoata vel perfecta delebuntur, nec alia vſq; ad reditũ domini regis noua firmabũtur, niſi in dominicis maneriis domini regis, ſi opus fuerit; vel ad opus alicuius nominatæ perſonæ per præceptum domini regis, factum per literas, vel per certũ nũcium. Reſaiſina vicecomitatus Lincolniæ fiet Girardo de Camuilla: & eadem die dies ei conueniens præfigetur ſtandi in curia domini regis ad iudicium. quod ſi contra eum mõſtrari poterit quod iudicio curiæ domini regis vicecomitatũ *caſtelli Lincolniæ perdere debuerit, perdat; ſin minus, retineat: niſi interim alio modo pax inde fieri poſſit. (*al. vel caſtellum*) Nec dominus Iohannes ipſum contra iudicium curiæ domini regis manu tenebit: nec vthlagos, vel inimicos domini regis, qui ei fuerint nominati, receptabit, nec in terris ſuis receptari permittet. Sed ſi quis retatus fuerit de aliquo foriſfacto domino regi facto, bene licebit Comiti ipſum in terris ſuis receptare, quam diu ipſe obtulerit ſe ſtaturum ad rectum in curia domini regis. Hãc ergo pacem bona fide ſine malo ingenio tenendam, & ſeruandam propriis manibus affidauerunt in manu domini Rothomagenſis prædicti,

Comes,

Comes, & Cancellarius, & quatuordecim barones ex vtraque parte iurauerunt: ſcilicet ex parte Cancellarii Comes de Arundel, *Comes de* Salesbiri, *Comes* Rogerus Bigot, *Comes de Clare*, Walterus *filius* Roberti, Willielmus *de Braoſa*, Rogerus *filius Rainfrai, & ex parte Comitis* Stephanus Ridel *Cancellarius*, Willielmus *de Wennenat*, Robertus *de Mara*, Philippus *de* Lureſ-ceſtre*, Willielmus *de Kahannes*. Gilbertus *Baſſet*, Willielmus *de monte acuto. Et ſi quid infra Trengas captum fuerit, aut interceptum ab vtraque parte, legitime reddetur, & emendabitur. Et hæc facta ſunt ſalua in omnibus autoritate, & mandato domini regis; ita tamen, quod ſi dominus rex ante* aduentum ſuum hanc concordiam teneri noluerit, prædicta caſtella de* Notingham *&* Tikehil *domino* Iohanni *reddentur, quicquid dominus rex inde præcepit.* Eodem anno paulo poſt ſupradictam pacem inter cancellarium & comitem factam, *Gaufridus* Eboracenſis electus, conſecratus eſt a *Willielmo* Turonenſi Archiepiſcopo per mandatū *Celeſtini* ſummi pontificis, qui ſtatim poſt conſecrationem ſuam immemor ſacramenti, quod fecerat domino regi fratri ſuo, ſcilicet quod non rediret in Angliam, antequam tres anni fuiſſent elapſi, poſtquam rex ab Anglia receſſerat, in Angliam venire feſtinauit; Cumque ipſe veniſſet ad Wiſſand in Flandria ad transfretandum in Angliam, prohibitum eſt ei ex parte Cancellarii, ne in Angliam contra ſacramentum, quod ipſe regi fecerat, venire præſumeret; ſed Eboracenſis Archiepiſcopus à propoſito ſuo propter mādatum illius deſiſtere noluit. Vnde idem Cancellarius præcepit illum comprehendi, ſi in Angliam veniſſet. Archiepiſcopus itaq; Eboracenſis venit in Angliā, & applicuit apud Doroberniā menſe Septembris, & ſeruientes Cancellarii ſtabant in littore, vt eum comprehenderent. Sed inde ille præmunitus antequam de naue exiret, mutauit veſtes ſuas, & equo aſcenſo in cuius velocitate confidebat, ad monachorum cœnobium eiuſdem villæ confugit. Et erat hora diei quaſi ſexta, & monachi Miſſam inchoauerant; & cum legeretur Epiſtola, & peruentum eſſet ad locum vbi per beatum Apoſtolum dicitur, *qui conturbat vos, portabit iudicium, quicunq; eſt ille.* & alibi in eadē Epiſtola, *vtinam abſcindantur, qui vos conturbant*, intrauit Archiepiſcopus Eboracenſis Eccleſiam confidens in Domino, & pro munere gratū habuit prænoſticon, referens illud ad perpetuam beatitudinis ſuæ quietem, & ad Cancellarii venturam confuſionem. Miniſtri autem Cancellarii, quos ipſe miſit comprehendere eum, obſederunt Eccleſiam per circuitum, ita quod ille exire non potuit, niſi per manus illorum. Quodam vero die poſt celebrationem Miſſæ, dum adhuc idem Archiepiſcopus indutus veſtimentis ſacerdotalibus ſtaret ad altare, funeſti ſatellites illi intrauerunt Eccleſiam, & manus violentas iniecerunt in illum, & traxerunt extra Eccleſiam, & ſic extractum, imo diſtractum viliter, & ignominioſe duxerunt per lutum platearum, & per vicos; populus autem ſtabat clamans poſt illos. O ignaui, quare ita ducitis illum, quid mali fecit? Archiepiſcopus eſt, & regis filius, regisq; frater. Sed illi non exaudientes vocem populi duxerunt eum in caſtellū Doroberniæ, & tradiderunt eum *Matthæo* de Clere conſtabulario cuſtodiendum. Quod cum Comiti *Iohanni* fratri eiuſdem Archiepiſcopi nunciatū eſſet, quæſiuit a Cancellario, ſi per eum hæc facta fuiſſent: & confeſſus eſt, & non negauit: & præcepit Comes vt Archiepiſcopus liberaretur, & liberatus eſt. Qui cum Londonias veniſſet, conqueſtus eſt Comiti *Iohanni*, & Epiſcopis, & aliis magnatib. regni de iniuria ſibi à Cancellario, & ſuis illata. & præcepit Comes, vt Cancellarius iuri ſtaret in curia regis ſuper iniuria illa, quā Archiepiſcopo Eboracenſi fratri ſuo fecerat, & *Hugoni* Dunelmenſi Epiſcopo. Quod cum ipſe Cancellarius facere de die in diem diſtulit, Comes *Iohannes* & Archiepiſcopus Rothomagenſis, & Epiſcopi, & principes regni ſtatuerunt illi diē peremptorium apud Ridingee. Ad diem autem illum venerunt illuc Comes Moretonii, & fere omnes Epiſcopi, & Comites, & barones regni. Et poſt diem peremptorium moram fecerūt ibi expectantes aduentum Cancellarii; ſed ipſe venire noluit, nec nuntiū mittere. Deinde Comes *Iohannes*, & Epiſcopi, qui cum eo erant parauerunt ſe Londonias ire, vt ibi in maiore audientia Londonienſium fruerentur conſilio, quid eis faciendum eſſet de Cancellario illo, qui ſic conturbauerat regnum, & iuri ſtare noluit. Quod cum Cancellarius audiſſet, receſſit à Windeshouere, & Londonias ire properauit; & dū iter faceret, contigit, quod familia, & milites illius, & milites Comitis *Iohannis* obuiauerūt ſibi, & acriter cōgreſſi ſunt. Et in illo congreſſu vnus de militibus *Iohannis* Comitis, nomine *Rogerus* de Planis interfectus eſt; tamen Comes præualuit, & Cancellarius cū ſuis in fugam conuerſus Londonias ingreſſus eſt, & recepit ſe, & ſuos infra turrim Londoniarū. Et Comes *Iohannes*, & fere omnes Epiſcopi, & Comites Angliæ eadem die (ſcilicet tertia die poſt octauas S. *Michaelis*) intrauerunt Londonias. & in craſtino prædictus *Iohannes* frater regis, & Archiepiſcopus Rothomagenſis, & omnes Epiſcopi, & Comites, & barones, & ciues Londonienſes cum illis conuenerunt in atrio Eccleſiæ S. *Pauli*. Et accuſabant prædictū Cancellariū in multis,

al. Wireſceſtre.

al. reditū.

& præcipue in iniuriis, quas fecit domino Eboracenſi Archiepiſcopo, & domino Dunelmenſi Epiſcopo. Socii autem prædicti Cancellarii, quos rex aſſociauerat illi in regimine regni, accuſabant eum in multis: dicentes, quod ipſe ſpretis illorum conſiliis omnia negotia regni cum impetu, & voluntaria diſpoſitione faciebat. Archiepiſcopus vero Rothomagenſis, & *Willelmus* Mareſcallus Comes de Strogoil, tunc primo oſtenderunt coram populo literas domini regis ſigillatas: per quas dominus rex mandauit a Meſſana, quod ipſi aſſociarentur Cancellario in regimine regni, & vt Cancellarius ſine illorum conſilio, & aliorum aſſignatorum nihil de negotio regis, ac regni tractaret, & vt prædictus Cancellarius, ſi ipſe quodcunque in detrimentum regni, vel ſine conſilio prædictorum feciſſet, deponeretur, & loco illius inſtitueretur Rothomagenſis Archiepiſcopus. Placuit ergo *Iohanni* fratri regis, & omnibus Epiſcopis, & Comitibus, & baronibus regni, & ciuibus Londoniarum, quod Cancellarius ille deponeretur, & depoſuerunt eum, & in loco illius inſtituerunt Rothomagenſem Archiepiſcopum, qui nihil operari voluit in regimine regni, niſi per voluntatem, & conſenſum ſociorum ſuorum aſſignatorum, & per conſilium baronum Scaccarii. Et eodem die Comes Moretonii, & Archiepiſcopus Rothomagẽſis, & alii regis iuſticiarii conceſſerunt ciuibus Londoniarum habere communam ſuam. Et eodẽ anno Comes Moretonii & Archiepiſcopus Rothomagenſis, & fere omnes Epiſcopi, & Comites, & barones regni iurauerunt communam illam firmiter, & inconcuſſe ſe ſeruaturos, quamdiu domino regi placuerit; & ciues Londoniæ iurauerunt fidele ſeruitium domino regi *Richardo*, & hęredi ſuo; & ſi ipſe ſine prole deceſſiſſet, reciperent Comitem *Iohannem* fratrem *Richardi* regis in regem & dominum; & iurauerunt ei fidelitatem contra omnes homines, ſalua fidelitate regis *Richardi* fratri ſui. Cancellarius itaq; depoſitus iurauit, quod redderet caſtella Angliæ, & ſtatim reddidit illi turrim Londoniæ, & ipſe tradidit *Torchi* Epiſcopo Rothomagenſi eam, & Windeſhoueres, & alia quædam, ſed non omnia. Vnde *Hugo* de Nunant Couentrenſis Epiſcopus in hac forma ſcripſit.

EPISTOLA HVGONIS COVENTRENSIS Epiſcopi de deiectione Willielmi Elienſis Epiſcopi regis Cancellarij.

al. proſperitati | *al. extantibus*

QVæ literarum apicibus adnotantur, *poſteritati profecto ſignantur, vt pagina paucorum teſtatione roborata, multorum conſulat ſaluti, vel proficiat indemnitati. Quod hic proponitur, fit quaſi in exemplum. Multa enim ſcribuntur ad cautelam, vt fiant; & multa, ne fieri debeant, vt Eccleſia *Chriſti* in vtroq; proficiat, & cum appetenda inquirit; & cum fugienda declinat. Caſum itaque Elienſis Epiſcopi ad notitiam omnium literis *teſtantibus volumus impetratum conſignari: vt in hoc exemplari ſemper inueniat & humilitas, quod proſperet, & ſuperbia, quod formidet. Erat enim ille vir magnus inter omnes occidentales, vtpote qui regni poteſtatem, & ſedis Apoſtolicæ authoritatem quaſi ambidexter habebat, & regis ſigillum ſuper omnem terram geſtabat, vt pro ſua voluntate poſſet imperare, & de poteſtate valeret omnia effectui mancipare, vt pariter rex, & ſacerdos haberetur & eſſet: nec inueniri poſſet, qui ſuæ auderet reſiſtere voluntati. Cum ipſe dixit & facta ſunt; mandauit & inuenta ſunt vniuerſa. huius erant regiæ gazæ, theſaurus totus & fiſcus generaliter omnis, vt iam non regis, ſed ſua diceretur res quælibet, quæ ſub climate noſtro nataret. Quia nec venatio in terris, nec piſcatio in aquis, nec volatus erat in aere, qui ſuæ non cogeretur menſæ ſeruire: vt partitus videretur fuiſſe elementa cum Domino, cœlum tantum cœli Domino relinquens; cætera tria ſuis vſibus, imo abuſibus, & luſibus profutura reſeruans. Huic omnes filii nobilium ſeruiebant vultu dimiſſo, nec in cœlum aſpicere audebant, niſi forte vocati ab eo; & ſi aliter attentaſſent, aculeo pungebãtur, quem dominus præ manibus habebat memor piæ recordationis aui ſui, qui ſeruilis conditionis in paga Beluacenſi, & aratrum ducere, & boues caſtigare conſueuerat. Qui tandem ad remedium libertatis ad fines Normannorum tranſuolauit. Huius nepotes, & cõſanguineas, ſiue quaſcunq; propinquas de paupere tugurio procreatas Comites, & barones regniq; magnates ſibi ſumma auiditate in matrimonium copulare ardebãt; glorioſum reputantes quocunq; titulo familiaritatis eius gratiam acquiſiſſent; nec erat ruſticus qui agrum, nec ciuis, qui fundum, nec miles, qui prædium, nec clericus, qui Eccleſiam, nec monachus, qui abbatiam affectaret, quem in ius & poteſtatem eius tranſire nõ oporteret. Licet igitur flexo genu tota Anglia ei deſeruiret, ad Francorum tamen libertatem ſemper aſpirãs apud Oxonium milites & ſeruientes omnemq; ſuam familiam abſtrahebat, & ſpreta in omnibus gente Anglorum ſtipatus agmine Francorum, & Flandrenſium, pompa-

pompatice incedebat. ſubſannationem in naribus, cachinnum in ore, deriſum in oculis, ſupercilium in fronte geſtans pro lamina ſacerdotis. hic ad augmentum, & famam ſui nominis emēdicata carmina, & rhythmos adulatorios comparabat, & de regno Francorum cantores, & ioculatores muneribus allexerat, vt de illo canerent in plateis: & iam dicebatur vbiq;, quod non erat talis in orbe. Et reuera ſi tempus *Cæſaris* fuiſſet, ſe Deum viuum cum Liberio appellari feciſſet. Cum autem Rex ei Comites addidiſſet, vt communi conſilio ſaltem maiora ordinaret regni, conſortem nequaquam habere ſuſtinuit, quod gloriæ ſuæ plurimum crederet dedecorari, ſi cuiuſquam mortalis indigeret conſilio. Solus ergo regnabat, & ſolus imperabat, & à mari vſq; ad mare timebatur vt Deus, & ſi plus dicerem, non mentirer; quia Deus longanimis eſt, & miſericors; ipſe autem in impetu male cuncta miniſtrans, nec in faciendo iuſtitiam habere, nec in ſuſtinendo moram potuit expectare. Hinc etiam domini ſui literas omnes, & mandata ſpernebat, ne dominum habere videretur, nec cuiquam ſubeſſe crederetur, qui omnes quaſi ſeruos ſuæ effecerat voluntatis. Cum igitur Anglia ſub tam graui onere, & iugo importabili diutius laboraſſet, ingemiſcens tandem propter opera clamauit in fortitudine, & aſcendit clamor eius ad Dominum, & reſpexit eam oriens ex alto, qui ſuperborum & ſublimium colla propria virtute calcat, & humiles exaltat in magnitudine brachii ſui. Sol nempe iuſtitiæ licet bonis, & malis luceat; tamen alta ſapientum oculos excæcat, & mentes humilium ſui luminis illuſtratione fœcundat. Licet igitur Cancellarius ille fortiter legiſſet *ſummis ſtare diu negatum. &, qui ſtat videat ne cadat. &, qui ſe exaltat, humiliabitur, &, quod ante ruinam cor exaltabitur*; tamen humanæ conditionis, quæ nunquam in eodem ſtatu permanet, & oblitus volubilitatis rotæ, quæ infimum erigit, & eleuatum deprimere conſueuit, nunquam tamen voluit intelligere, vt bene ageret, ſed iniquitatem meditans in cubili ſuo, vbi cum miniſtris nequitiæ, & pueris ſuis dormiebat in conclaui; appoſuit iniquitatē ſuper iniquitatem, vt propter ſuperbiam, & abuſiones ſuas digno Dei iudicio ſeipſum præcipitaret in potentias Domini, vt iam non eſſet locus miſericordiæ, ſed ſoli poteſtati; nec eſſet tempus miſerandi eius, nec parcendi. Ipſe enim dictauit ſententiam aduerſum ſe, exaſperauit vindictam, qui tantum facinus affectauit, in quo non hominis tantum, ſed Dei magis iracundiam prouocauit. Licet enim Dominus omnia poſſit, innocentem tamen condemnare non poteſt, nec nocentem ſaluare, niſi parcat, ſi forte nocens fuerit obſtinatus. Menti enim obſtinatæ, & fronti meretricis duricies opponitur veri adamantis: vt conterat. Quia nihil tam forte eſt, quod fortiori non cedat. Cum igitur homo tantus ſuperari ab homine non poſſet, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis venit in adiutorium populo Dei ſupplicanti, & in affectū eius manum miſericordiæ ſupponens, deiecit illum à poteſtate, & accuſatorem, imo deſtructorem in eum ſpiritum vertiginis induxit, à quo reuerti non poſſet, vel reſurgere; ſed ita indurauit cor, excæcauit mētem, infatuauit conſiliū illius, quod archiepiſcopum Eboracenſem in eccleſia prius obſedit, poſtmodum cepit, captum violenter extraxit, extractum fortiter vinxit, vinctū turpiter traxit, tractum incarcerauit. Et licet concurſus fieret populorum dicentium, iuſtus homo & amicus Dei quid fecit, ducatur vt ad carcerem. innocens ſanguis eius ſine cauſa damnatur; tamen non potuit audiri pietas, vbi ſuperbia regnabat; nec auditus eſt Deus, vbi imperabat tyrannus. Veniebat enim à partibus Normanniæ Archiepiſcopus ille præfatus cum baculo paſtorali, cum mitra, & annulo, & ſuperhumerali, quod nouis temporibus, pallium nuncupatur. Et cum eſſet filius Regis *Henrici* bonæ recordationis, & frater *Richardi* Regis modo regnantis, frater quoque Comitis *Iohannis* Moretonii; Nihil tamen potuit ei prodeſſe regius ſanguis; cumque eſſet nouiter conſecratus, nihil eum potuit iuuare nouitas ſacramenti. Ergo per totam inſulam à laicis publice proclamatur: Pereat, qui perdere cuncta feſtinat; opprimatur ne omnes opprimat: *Quod ſi in viridi hoc fecit, in arido quid faceret?* Et ecce ſpiritu ſancto ducente, ab aquilone, & mari, & ex omni parte totius inſulæ concurrunt, & confluunt vniuerſi, vt Archiepiſcopus ille poſſet liberari. Verum funiculis peccatorum ſuorum, ipſum conſtringentibus Cancellarium, & conſcientia ſua eum vehementius accuſante, fugit loricatus à facie hominum, & ſe abſcondit, & incluſit cum ſuis hominibus in turre Lundoniarum. Nobis autem introeuntibus ciuitatem in ſero, plures de familia eius armati, cum gladiis exertis nos inuaſerunt, & nobilem virum de noſtris militem interfecerunt, & plures vulnerauerunt. Mane ergo habito conſilio, cum omnibus fere magnatibus regni, præſente domino *Iohanne* fratre Regis, & Rothomagenſi & Eboracenſi archiepiſcopis epiſcopis ēt præſentibus Dunelmenſi, Lundonēſi, Wintonienſi, Bathonienſi, Roſenſi, Norwicenſi, Lincolniēſi, Herefordenſi, Meneuenſi, Couentrenſi; factoque concilio coram omni populo totius ciuitatis, præſen-

tibuſque Iuſtitiariis domini Regis, & approbantibus, de conſilio vniuerſorum ſtatuimus, ne talis de cætero in regno Angliæ dominetur, per quem Eccleſia Dei ad ignominiam, & populus ad inopiam erat redactus: vt enim cætera omittam, ipſe & ganeones ſui totum regnum exhauſerant, nec viro baltheus, nec fœminæ monile remanſit, nec annulus nobili, nec quodlibet precioſum etiam alicui Iudæo. Theſaurum quoq; Regis exinaniuerat prorſus, vt in omnibus ſcriniis, vel ſacellis nihil præter claues, de toto iſto biennio poſſet inueniri. Tertia autem die promiſit firmiter, & per quendam de ſuis fidem dedit corporaliter, cunctis videntibus, quod inſulam non exiret, donec caſtella quædam, quæ in manu ſua habebat, & aduenis, & ignotis perſonis, & obſcuris tradiderat, quæ ibi nominata fuerunt, libera penitus reſignaſſet, & perſonis nominatis tradi feciſſet: ſuper quo, & fratres ſuos, & camerarium ſuum obſides dedit: Et Cantuariam properauit, vt ibi ſicut decebat, crucem acciperet peregrinationis, & deponeret crucem legationis, quam per annum, & dimidium anni, poſt mortem papæ *Clementis*, in præiudicium Romanæ Eccleſiæ, & detrimentum Anglicanæ portauerat. Omnes enim Eccleſias Angliæ crux illa redemit (id eſt) ad redemptionem coegit, nec fuit aliquis immunis, qui crucis illius ſtigmata non ſentiret. Et ſi forte alicuius Epiſcopi domum intrauit, ab eo ſcire poteritis, quod centum, vel ducentarum marcarum precio ſua conſtiterit procuratio. Cum autem in caſtello Doroberniæ aliquot diebus commoratus fuiſſet, immemor ſuæ profeſſionis, & fidei obligationis, quam fecerat: oblitus etiam fratrum ſuorum, quos obſides datos morti turpiter exponebat, nauigare propoſuit: & cum hoc aperte non auderet, nouum genus fraudis inuenit, & ſeſe fœminam ſimulauit, cuius ſexum ſemper odit: veſtem quoq; ſacerdotis in habitum conuertit meretricis. Proh dolor, vir factus eſt fœmina; Cancellarius Cancellaria; ſacerdos meretrix; Epiſcopus ſcurra. Ergo de caſtello ſuperiori licet clauſus eſſet, pedibus prælegit properare ad littus, tunica fœminea viridi & enormiter longa, pro tunica ſacerdotis hycynthina indutus, cappam habens eiuſdem coloris deformiter manicatam, & pro planeta peplum; in capite pro mitra; pannum lineum in manu ſiniſtra, quaſi ad vendendum, pro manipulo; virgam venditoris in dextra, pro baculo paſtorali. Talibus ornatus antiſtes deſcendit ad mare, & qui loricam militis ſæpius geſtare ſolebat, mira res, quod tam effœminati animi factus, fœmineum animum prælegit. Cum enim ſederet in littore ſupra petram, piſcator quidam, qui ſtatim deputans ſcortum, propius acceſſit, & qui quaſi nudus de mari deſcenderat, calefieri forte cupiens, cucurrit ad monſtrum, & manu ſiniſtra collum complectens, dextera partes inferiores rimatur. Cumq; tunicam ſubito ſubleuaſſet, & nimis inuerecunde ad partes verecundas manum extendiſſet audacter, femoralia ſenſit, & virum in fœmina certis indiciis agnouit, & vehementer admirans & retro proſiliens, totus attonitus, voce magna proclamat: Venite & videte omnes mirabilia: quod virum in fœmina inueni. Protinus ſeruientes eius, & noti, qui ſtabant à longe, acceſſerunt, & modeſta quadam violentia eum repulerunt, & increpauerunt, vt taceret. Tacuit ergo piſcator, & clamor ille quieuit, & ſedebat Hermaphroditus expectans. Interim mulier quædam exiens de villa, videns pannum lineum, quem ille, vel illa geſtabat expoſitum venditioni, & procedens cœpit quærere quanti eſſet pretii, & pro quanto vlnam daret. Ille vero non reſpondebat, quia linguam Anglicanam prorſus ignorabat, & illa magis inſtabat: & continuo ſuperuenit alia mulier, illud idem inſtanter inquirens, & plurimum inſtans vt pretium venditionis ei aperiret. Cumq; ille nihil reſponderet, ſed magis ſubrideret, cœperunt inter ſe fabulari, & quærere quidnam eſſet. Et dolũ arbitrantes, proiecerunt manus ad peplum, quo facies tegebatur, & ſubmittẽtes à naſo vſq; deorſum, viderunt faciem hominis nigram, & nouiter raſam, & ſtupeſcere vltra modum cœperunt. Et corruentes ad terram, voces ad ſydera tollunt, dicentes; Venite, lapidemus hoc monſtrum, quod deformauit vtrumq; ſexum. Et facta eſt ſtatim multitudo virorum, ac mulierum extrahentium de capite peplum, & trahentium eũ proſtratum in terram per manicas, & per capucium, per arenam ignominioſe, & per ſaxa non ſine læſione. Seruientes autem bis aut ter impetum fecerunt in turbam, vt eum liberarent, ſed non potuerunt, quia populus totus eum inſatiabili corde perſequens, & verbis, & alapis, & ſputis, pluribuſq; modis turpiter tractauit per totam villam, & ſic tractatum immo diſtractum, in quodam cellario tenebroſo eum quaſi ſub carcerali cuſtodia incluſit. Tractus igitur eſt, qui traxerat, captus qui ceperat, ligatus, qui ligauerat, incarceratus, qui incarcerauerat, vt ſecundum quantitatem culpæ, cõmenſurabilis videretur quantitas pœnæ. Factus eſt enim opprobrium vicinis ſuis valde, & timor notis ſuis, & datus eſt in deriſum omni populo. Vtinam ſe ſolum ſacerdotem, & nõ ipſum ſacerdotiũ inquinaſſet. Prouideat igitur Romana eccleſia, vt tantus exceſſus taliter puniatur, ne delictum vnius conta-

tami-

taminet omnes, & ſacerdotalis authoritas ne vileſcat. Et rex Angliæ nihilominus proſpiciat, vt talem regno ſuo perſonam præficiat, per quem regalis dignitas honoris ſeruetur, & iuris ſui detrimenta non ſentiat, ſed de eius regimine clerus, & populus merito debeant gloriari.

EPISTOLA MAGISTRI PETRI Bleſenſis pro Willielmo Elyenſi Epiſcopo.

QVondam domino, & amico *Hugoni* Couentrenſi, & Ceſtrenſi dicto Epiſcopo, *Petrus* Bleſenſis Bathonienſis Archidiaconus, Dei memoriam cum timore. Liuor quo tendat; inuidia quo feratur, proditoriæ factionis hodie patefecit immanitas. Dilectus Deo, & hominibus Epiſcopus Elienſis, vir ſapiens, amabilis, generoſus, benignus, & mitis, & in omnes liberalitates effuſus, iuxta diuinæ gratiæ diſpoſitionem, & ſuorum exigentiam morum & meritorum, reipublicæ adminiſtrationem, & ſummam rerum fuerat aſſecutus. Vidiſti, & inuidiſti ex tunc ira tua. Ibi inuidia concepit dolorem, & peperit iniquitatem; ipſe autem ambulans ſimpliciter te in ſuæ familiaritatis ſacrarium, atq; vnanimitatem, amicitiæ vinculum & fœderis accerſiuit. Totus requieſcebat ſuper te ſpiritus eius, & erant aduerſus eum omnes cogitationes tuæ in malum. *Væ* (dicit Eccleſiaſticus) *duplici cordi, atque labiis ſceleſtis, & peccatori ingredienti duas vias.* Interioris conſcientiæ malum quodam prætextu amicitiæ facies hypocrita palliabat, & tu excercebas occulte in hominem innocentem linguæ ſeditionariæ & procacis iniurias. *Maledictus* (inquit *Salomon*) *ſuſurro, & bilinguis in populis.* turbat enim pacificos. Omnem conſcientiam ſuam effundebat in ſinu tuo. te enim quaſi ſe alterũ reputabat; tu vero eum in occaſionem præcipitii proditoris adulationib. impingebas. O deteſtanda ꝑditio! *Iudas* oſculo tradidit, & tu verbo; exhibebas exterius diligentis officium, & lingua tua concinnabat dolos. *Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum. Væ homini illi per quem ſcandalum venit.* Hoc equidem facinus interminabilem tibi maculã ſiniſtræ opinionis inuſſit, & ſi quid commendabile de beneficio naturæ perceperas, culpa hæc perenniter aboleuit. Nimirũ *Ioab* multa fortiter fecerat, ſed proditio in *Amaſan, & Abner* omnes in eo virtutum titulos denigrauit. O labia detractoria! O lingua maledica, & doloſa! Quid apponetur, Domine, ad hanc linguam doloſam? Vtinam apponantur ſagittæ, quæ eam transfodiant, & carbones deſolatorii hanc incendant; Vtinam tu (Seraphin) qui cœleſti carbone prophetæ labia emundaſti, gehennali flamma totum os, & linguam eius emundando deſtrueres, vt poſſemus cantare, & dicere: Deſtruxiſti eum ab emundatione, labia euangelio conſecrata nunquam deſinunt effutire ventum in verba mendacii. Totum vanitati datur, quod erat debitum veritati. porro vir linguoſus non dirigetur in terra, Ergo *qui ſtat, videat, ne cadat; ante ruinam exaltatur cor.* Exultas infœlix, & iactitas, quod ſupplantaueris innocentem? ſed certe poſitus eſt in ruinam reſurrectionemq; multorum; in ſuam ſcz. & ſuorum reſtitutionem; in tuam vero tuorumq; ruinam complicium. Faba hæc recudetur in caput tuũ. *Omnis enim fraus in ſe reuerſa colliditur*; de dolo non colliges, niſi fructum doloris; & orditus es telam, vt diploide veſtiaris. Verbum *Eſaiæ* eſt, *Qui ordimini telam, & in vmbra Egypti confiditis, diem amaritudinis expectate.* Publice gloriaris, & iactitas, quod hanc turbam moueris, quod incautum deceperis, & induxeris plebem, vt armis inermem, & inſidiis appeterent innocentem. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Quid prædicas malitiam tuam, quæ in pluribus prouinciis, tua diſcurrente infamia, iam plebeſcit? Sed de te, conſimilibuſq; tuis dici poteſt; Lætantur, cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis. Porro verbum Sapientis eſt, *Qui lætatur in ruina alterius, punietur.* Salomon. *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, ne videat Deus, & in te iracundiam ſuam vertat.* Sane ſemper familiare, & proprium tuæ proſapiæ fuit diſſenſionum materiam ſeminare; ramuſque peſtilens malitiam ſuam de malæ arboris radice contraxit. O generatio praua! O domus exaſperans: O genimen viperarum! Quis te docuit fugere à ventura ira; putas, quod non videat, & requirat hęc Dominus? Præter hoc irritauit impius Dominũ. *Dixit enim in corde ſuo, non requiret.* Sed certe requiret Dominus, requiret etiam ille de cuius nunc anguſtia gloriaris; Quandoq; dante Domino reſpirabit. Sapientia enim iuſtum venditum non derelinquet, & in tempore erit reſpectus illius. Decebat tui ordinis grauitatem pacem conciliare in populis, ſedare ſeditiones maxime in Anglia, quæ te ſatis pauperem ſuſcipiens magnificis honoribus ampliauit. Item loquens ad eos, qui in tranſmigratione Babylonica erant. *Quærite* (inquit) *pacem ciuitatis, ad quã migrare fecit vos Dominus, q̃a in pace illius erit pax veſtra.* Vice alia tibi ſcripſi, & vt ceſſares à talib⁹, monitis ſalutaribus ſupplicaui. Ve-

tuntamen cithara *Dauid* nunquam *Saulis* veſaniam ſedauit ad plenum; & ad hæc manus tua extenta eſt. Memento igitur homo, tantũ homo ſi, memento (inq̃) tuæ cõditionis, memẽto huius vitę breuis; memor eſto diſtricti, & horrẽdi iudicis; memor eſto pœnę terribilis, horribilis, interminabilis, & intolerabilis, quæ tibi in æternum parata eſt, ſi à tali maleficio non deſiſtis. Deinde poſt octo dies *Iohannes* frater regis, Comes Moretonii, præcepit, vt Cancellarius liberaretur à carcere, & abiret. Et abiens transfretauit, & applicuit in Flandria apud Wiſſand. Et cum iter ageret, quidam viri nobiles de terra illa, quibus ipſe forisfecerat in Anglia, iniecerunt manum in eum, & tenuerunt eum, donec ipſe ſatisfecit illis. Et procedens inde venit Pariſios, & dedit *Mauricio* Epiſcopo 60. marcas argenti tali conditione, vt ipſe receptus eſſet ibi cum proceſſione, & factum eſt ita. Deinde rediit in Normanniam; ſed per mandatum Rothomagenſis Archiepiſcopi habebatur ibi pro excommunicato, & omnis locus, in quo ipſe venit, in toto Archiepiſcopatu Rothomagenſi, ceſſabat à diuino officio, quamdiu ipſe ibi moram fecit. At ille nuncios ſuos miſit ad *Celeſtinum* papam, & ad dominum ſuum regem Angliæ, ſignificans iis qualiter *Iohannes* Comes Moretonii, & complices illius, eiecerant eum à regno, & conquerens de vindicta, reſtitutionem ablatorum petebat, offerens ſe iuri pariturum: & quod ſi domino Regi factum eius & expenſæ non placuiſſent, ipſe in omnibus ſatisfaceret eius voluntati, vnde ſummus pontifex ad iracundiam prouocatus, vniuerſis Archiepiſcopis, Epiſcopis Angliæ in hanc formam ſcripſit.

EPISTOLA CELESTINI PAPAE AD *prælatos Angliæ pro* Willielmo *Elienſi Epiſcopo.*

C*Eleſtinus* Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus, Archiepiſcopis, Epiſcopis in regno Anglię conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum dilectus in *Chriſto* filius noſter *Richardus* illuſtris rex Anglorum, quando ſe ſuſcepto ſigno crucis ad vlciſcendam iniuriam redemptoris accinxit, tutelæ regni ſui curas, quod ſicut vir intelligens, & requirens dominum, duxit obſequio poſtponendum, ſub apoſtolica protectione dimiſerit: ſtatum regni ſui ac iura, & honorem ipſius, tanto maiori ſtudio cõſeruare volumus, & debemus: quanto de noſtra protectione confiſus, maioribus periculis perſonam ſuam, & res, pro exaltatione ſanctæ religionis expoſuit; & in obſequio creatoris laudabilius, faciente Domino cum eo ſignum in bonum, atq; feruentius, ſicut ex ſuis operibus eluceſcit, cognoſcitur ſe habere. Cum igitur quędam tam contra regnum ipſum quam contra venerabilem patrem veſtrum *Willielmum* Elienſem Epiſcopum, apoſtolicę ſedis legatum, cui regnum tradidit gubernandum, per *Iohannem* Comitem Moretonii, & per quoſdam alios accepimus attentata, quæ nonnulla in ſe ſuſpicionis continent argumenta, & ſi vera ſunt, non in modicam noſcuntur ſedis apoſtolicæ contumeliam redundare, eidem præſumptioni tanto maturius duximus occurrendum, quanto ex mora ipſa, iam dicto regi, & terræ Hieroſolymitanæ grauius detrimentum, ac nobis & Eccleſiæ Romanæ maior inde poſſet ignominia peruenire. Proinde vniuerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, & in virtute obedientiæ pręcipimus, quatenus ſi (prout nobis inſonuit) memoratus Comes, vel alius in iam dictum epiſcopũ manus violentas iniicere, vel eũ capere, vel iuramentũ quodlibet ab eo per violentiam extorquere, ſeu eum in captione tenere, ſeu ſtatum regni à ſeueritate regia in receſſu ſuo diſpoſitũ aliquatenus immutare p̃ſumpſerit, omni occaſione, vel ſimultate poſtpoſita, conuenientes in vnũ, prędictum Comitem, & omnes antedictæ præſumptionis conſiliarios, autores, complices, & fautores, accenſis candelis, & pulſatis campanis, omni appellatione & excuſatione, nec non & perſonarum acceptione poſtpoſitis, publice nuncietis vinculo excõmunicationis aſtrictos. Et tam diu faciatis ſic excommunicatos ab omnibus arctius euitari, nec non, & in terris illorum, & in aliis, quas inuaſerint, præter pœnitentias, & paruulorũ baptiſmata, diuina penitus ſine appellationis obſtaculo prohibeatis celebrari officia: donec iam dicto legato tam à captione, quam à iuramento primitus abſoluto, & regno ipſo in ſtatum à prænominato rege in receſſu ſuo diſpoſitum reformato, cum teſtimonio literarum ipſius legati, & veſtrarum pariter ad ſedem veniant Apoſtolicam abſoluendi; ſcituri pro certo, quod ſi huius noſtri executione præcepti negligentes fueritis, aut remiſſi, non minorem in vos præſtante Deo duximus vltionem, quam ſi prędicta iniuria perſonæ noſtræ, vel in vni de fratribus noſtris eſſet irrogata. Dat. Lateran. quarto Nonas Decembris pontificatus noſtri anno primo.

Autori-

Authoritate igitur literarum iſtarum ſummi pontificis, prædictus Elienſis Epiſcopus in hanc formam ſcripſit *Hugoni* Lincolnienſi Epiſcopo.

Willielmus Dei gratia Elienſis Epiſcopus, apoſtolicæ ſedis legatus, & Domini Regis Cancellarius, venerabili fratri, & amico chariſſimo, & eadem gratia Lincolnienſi Epiſcopo ſalutem, & ſinceræ dilectionis affectum. Quanto de dilectione veſtra pleniorem fiduciam obtinemus, maiorem conſtantiam in vobis inuenimus; tanto confidentius diſcretioni veſtræ, & Eccleſiæ Dei, negotia Domini regis, & noſtra committimus exequenda: confidentes in Domino de vobis, quod præceptis apoſtolicis, & noſtris veſtra charitas pontificaliter reſpondebit. Mandamus igitur vobis in virtute obedientiæ, & ea, qua fungimur, autoritate præcipimus: quatenus ad exequendum mandatum apoſtolicum vniuerſis archiepiſcopis, & epiſcopis Angliæ deſtinatum, cum cæteris fratribus veſtris omnibus vel quibuſdam, cito conueniatis, ne diutius in Eccleſiam Dei, & ſacerdotes eius, laicalis iniquitas malignetur; ne tergiuerſatione vel diſſimulatione aliqua illorum malicia vobis debeat imputari. Ea vero quæ dominus papa mandauit de perſona *Iohannis* Comitis Moretonii temperauimus, differentes vſq; ad Dominicam, qua cantatur, *Eſto mihi*, vt ſi forte interim vellet reſipiſcere, nos inde Deo gratias redderemus, & pro eo in conſpectu Domini Papæ, & domini noſtri regis Angliæ, athletæ crucifixi, preces funderemus affectuoſas, vt delicti ſui veniam mereretur, & modis omnib. honori, & commodo eius, ſalua fidelitate domini regis, & honeſtate ſacerdotii noſtri operam adhiberemus, & diligentiã efficacem. In terris vero excommunicatorum nulla diuina celebrari permittatis, præter baptiſmata paruulorum, & pœnitentias. Nomina autem eorum, qui à Domino papa excommunicati ſunt, & à nobis denunciata, quorum factũ ita euidentia facti notorium ſit, quod nulla poſſunt tergiuerſatione inficiari, hæc ſunt: *Gwalterus* Rothomagenſis Archiepiſcopus, *Godefridus* Wintonienſis Epiſcopus, *Hugo* Couentrenſis epiſcopus, *Willielmus* Mareſcallus, *Gaufridus* filius *Petri*, *Willielmus Bruwere*, *Hugo Bardolf*, *Richardus Malebiſſe*, & *Hugo* frater eius, *Iacobus* & *Simon* filii *Simonis*, *Simon* de Auerenchis, *Rogerus* filius * *Rainfrai*, & *Gilbertus*, & *Rainfret* filij eius, *Girardus* Camuilla Comes Saresburiæ, *Iohannes* Mareſcallus Comes de Mellent, *Gilbertus Baſſet*, *Thomas Baſſet*, *Henricus de Vers*, *Gocelinus* filius *Rainfrai*, *Stephanus Ridel* Cancellarius Comitis Moretonii, quem vt Epiſcopus, & eius legatus, vobis denunciamus excommunicatum; & magiſtrum *Benedictum*, qui ſigillum domini regis, contra ſtatuta regis, & regni, & contra prohibitionem noſtram ferre præſumpſit; & *Iohannem* Oxenfordenſem archidiaconũ. Ad hæc vero vobis ſpecialiter & diſtincte præcipimus, q. *Hugonem* Couentrenſem epiſcopũ, quem ſolenniter excommunicauimus, non ſolum quia verbo, & opere epiſcopum diffitetur, & quia in manu piæ recordationis *Baldewini* Cantuarienſis Archiepiſcopi, fidẽ corporaliter præſtitit de Comitatibus nõ tenendis: verum quia totius ſubuerſionis regni Angliæ conſulator extitit manifeſtus, & auctor, & turbator pacis, & contra regiam dignitatem, & vtilitatẽ publicus aduocatus; publice denuncietis excommunicatum, & faciatis ab omnibus arctius euitari, ne de cætero ouis tam morbida, gregem Domini valeat inficere, & maculare. *Hugonem* vero *Bardolf*, qui ad præſens nõ fuit in eiectione, & captione noſtra, à prædicta denunciatione excipimus, ſi ſtatim admonitus *Willielmo* de Stuteuilla reſignauerit caſtella de Scardeburch & de tota Eboracorum ſiria, & de Weſtmerland, quæ detinet occupata. Prohibeatis ẽt vniuerſis, in diœceſi veſtra conſtitutis ſub interminatione anathematis, ne pro illis, qui ſe in Anglia iuſtitiarios gerunt, aliquid faciant, nec in aliquo violentæ, & vſurpatę obediant poteſtati. Vale.

* al. *Rainfret*.

Item prædictus Elienſis epiſcopus in hac forma ſcripſit *Hugoni* Lincolnienſi Epiſcopo.

Willielmus Dei gratia Elienſis epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis legatus, & Domini Regis Cancellarius, hac eadem gratia Lincolnienſi Epiſcopo, venerabili fratri, & amico, ſalutem. Ea, qua fungimur authoritate, vobis mandamus, & in virtute obedientiæ vobis præcipimus, quod Archidiaconatum, & omnes redditus *Iohannis* Oxenfordenſis Archidiaconi in manu veſtra ſaiſiatis, recipiatis, & conſeruetis, donec Apoſtolicum, aut noſtrum mandatum acceperitis, quoniam cum auunculo ſuo Rothomagenſi *Pilato*, pacem & tranquillitatem regni Angliæ perturbat, & malum quodcunq; poteſt domino regi, & regno tanquam hoſtis regni, & nobis perquirit. Verum authoritate domini Papæ illum excommunicationis vinculo innodauimus. Vale. Similiter Elienſis Epiſcopus prænominatus ſcripſit quibuſdam aliis Epiſcopis Angliæ, ſed nullus eorum exequutus eſt mandatum Apoſtolicum, neque ſuum. Non enim habebant eum pro legato, neque pro regis Cancellario. Prædictus vero Rothomagenſis Archiepiſcopus, & cęteri iuſtitiarii Angliæ, diſſaiſiauerunt illum ab epiſcopatu ſuo, & redditus eius collegerunt ad opus regis, propter

theſauros Regis quos adnihilauerat. Deinde prædicti iuſtitiarii, & omnes Epiſcopi, & Comites, & barones Angliæ in communi ſcripto mandauerũt regi, qualiter Cancellarius ſuus regnum Angliæ, & theſauros ſuos deſtruxerat, & qualiter ipſe per commune concilium regni deiectus eſt. Ipſe vero Cancellarius hoc contra ſcripſit regi, ſignificans, quod *Iohannes* frater eius regnum occupauerat, & quod regni diadema capiti ſuo imponeret, niſi ipſe celerius venire feſtinaſſet. Tamen rex confidens in Domino, ſeruitium Dei noluit deſerere donec pecunia, & homines * defecerunt ei.

al. deficerent.

DE RECESSV PHILIPPI REGIS Franciæ de Accon, & de itinere ſuo.

NVnc autem reuertamur ad regem Franciæ; qui interim imperfecta peregrinatione ſua, à terra Hieroſolymitana recedens cum 14. galeis tranſitum fecit ante ciuitatem de Baruch, quæ tunc erat in manu paganorum, & non inuaſit eos. Deinde tranſiuit ante ciuitatem Sibelet, & ante Bitterum caſtellum, & ante Heſſum caſtellum. Deinde venit ad ciuitatem Tripolis, & ibi moram fecit per aliquot dies. Et cum inde receſſiſſet, tranſiuit ante caſtellum de Archis, & ante caſtellum Album, & ante le Culiat caſtellum hoſpitale. Deinde venit ad Turcuſæ ciuitatem Epiſcopalem. Et eſt notandum, quod ante * Turcuſam, eſt Inſula quædam in mari, quæ dicitur Aredoſe: vnde Turcuſa dicitur ciuitas Ataradenſis. Deinde venit ad Mauredai portum bonum, & recedens inde tranſiuit ante Margat caſtellũ hoſpitale: vbi *Iſakius* Imperator de Cypre tenebatur in vinculis. Deinde venit ad Valeniam ciuitatem. Deinde venit ad Sibel ciuitatem, deinde ad Melide ciuitatẽ deinde ad portũ *S. Simeonis*. Deinde venit ad ciuitatem Antiochenam, & recedens inde venit ad portũ de Bunel: deinde ad portũ Alexandret. Deinde intrauit terram Erminiorũ quæ dicitur Erminia, & eſt terra Rupini de la Muntaigne ſub principe Antiochię. Deinde venit ad fluuium magnum, qui dicitur Thil, & ibi eſt ciuitas bona, quæ ſimiliter dicitur Thil. Deinde venit ad alium fluuiũ magnum, qui dicitur Curk, & ibi eſt ciuitas magna deſerta quæ ſimiliter dicitur Curk. Deinde venit ad tertiũ fluuium magnum, qui dicitur Salef, & ibi ſuper fluuium illum eſt ciuitas magna, q̃ ſimiliter dicitur Salef: in fluuio a. iſto Salef ſubmerſus eſt *Fredericus* Romanorũ Imperator, cũ exiret de terra Soltani de Yconio.

al. Turtuſam.

Sciendum vero eſt, quod à finibus illis egreſſi ſunt illi tres Reges, qui obtulerunt Domino noſtro *Ieſu Chriſto* tria munera pretioſa, ſcilicet aurum, thus, & myrrham. Quorum nomina hæc ſunt: *Ieſphar*, * *Pabtrar*, *Melchior*; quorum vnus erat rex de Salef, quæ dicitur Inſula: & alter erat rex de Malnuſtre: & tertius erat rex de Terzol (id eſt) Tarſis: vnde dicitur in Pſalmo: *Reges Tarſis, & Inſulæ munera offerent.* Et eſt ſciendum, quod hi tres fluuii: ſcilicet, Salef, & Curk, & Thil oriuntur in Turkia, quę dicitur terra Turcorum, qui ſunt homines Soltani de Yconio, & diuidunt terram Turcorum à terra *Rupini* de la Muntaigne; & deſcendunt in mare prope gulfum Sataliæ. Et fluuius, qui dicitur Salef, eſt oppoſitus Inſulæ de Cypre, & non diſtat ab ea pluſquam per 50. milliaria ad æſtimationem nautarum; facile enim videtur de vna ripa in alteram. Et cum rex Franciæ à fluuio illo de Salef receſſiſſet, tranſiuit iuxta montes excelſos, qui dicuntur Cathimerdes. Deinde tranſiuit ante caſtellum, quod dicitur Neſſekim. Deinde venit ad villam bonam, quæ dicitur Stamere, in qua nobilis abbatia Griffonum eſt. Deinde tranſiuit ante caſtellum deſertum, quod dicitur caſtellum de Rote. Deinde venit ad fluuium, qui dicitur Scalendros: fluuius iſte Scalendros diuidit terram Erminiorum, à terra Imperatoris Cõſtantinopolitani; & ibi ex vna parte fluuii illius, in terra Imperatoris Conſtantinopolitani, eſt caſtellum, quod dicitur * Antiochet: & ex altera parte eiuſdem fluminis in Erminia eſt caſtellum, quod dicitur Iſanci. Cumq; Rex Franciæ veniſſet ad caſtellum Antiochet, *Conſtantinus* dominus caſtelli recepit eum cum gaudio & adminiſtrauit ei, & ſuis neceſſaria. Et rex Franciæ ibidem moram fecit per octo dies, & prædicti *Conſtantini* filium primogenitum fecit militem. Et eſt ſciendum, quod tota terra, quæ eſt à fluuio illo Scalendros verſus ſeptentrionem ſecus mare, eſt terra imperatoris Conſtantinopolis; quę dicitur Romania (id eſt) Græcia. Et cum ipſe inde receſſiſſet, ſtatim intrauit gulfum Sataliæ. Gulfus dicitur, vbi aqua protenditur inter duas terras, & ſinum facit. Satalia eſt caſtellum optimum, vnde gulfus ille nomen accepit. Et ſuper gulfum illum ſunt duo caſtella, & villę & vtrunq; dicitur Satalia: ſed vnum illorum deſertum eſt, & dicitur vetus Satalia, & alterum dicitur Satalia noua, quod *Manuel* Imperator Conſtantinopolis firmauit. Et tranſito gulfo Sataliæ tranſiuit rex Franciæ ſub monte, qui dicitur Siredune, in fine gulfi Sataliæ. Deinde tranſiuit per mõtem excelſum valde, qui dicitur Reſwt. Deinde venit ad fluuium,

al. Pabtizar, vel Paptizar.

al. Annechet.

uium, qui dicitur Winke, ſuper quem eſt caſtellum deſertum, quod ſimiliter dicitur Refwt. Et fluuius ille Winke ſimiliter dicitur portus Piſanorum, eo quod piratæ Piſani portum illum ſæpius frequentant. Quo cum rex Franciæ veniſſet, inuenit ibi quatuor galeas piratarum, & cepit eas: piratæ autem relictis galeis fugerunt in montana, & ſic euaſerunt manus eius. Deinde venit rex ad Mirream ciuitatem, vbi beatus Nicolaus Epiſcopatum tenuit, quam Græci vocant Stamire. Deinde venit ille ad bonum portum & ſecurum in omni tempeſtate & vento, qui dicitur *Karkois*: & ex vtraq; parte portus illius fuerunt ciuitates antiquitus pulchræ, & magnæ, quæ dicebantur Cake; & ruinæ magnæ murorũ ſunt ibi vſq; in hodiernum diem & nemo in iis habitat propter metum piratarũ. Deinde tranſiuit per Inſulas de *Tſe*, in quarum vna eſt caſtellum, quod dicitur caſtellum Ruge. Ibi fuit quondam quædam puella, quæ *Tſe* vocabatur, à cuius nomine Inſulæ illæ dictæ ſunt. *Indigenæ quidem narrant, quod quidam miles dilexit puellam illam, & illa noluit conſentire illi; quamdiu vixit: defuncta autem illa, miles acceſſit, & concubuit cum illa, dicens; Quod cum viua facere non potui, cum mortua feci: & ſtatim intrauit Satan in eam, & ait, Ecce genuiſti in me filium, & cũ natus fuerit, afferam eum ad te. Et poſt nouem menſes, cum tempus pariẽdi inſtaret, peperit filium abortiuum, & portans eum ad militem, ait, Ecce filius tuus quem genuiſti, abſcinde caput eius, & reſerua tibi. Quandocunq; enim volueris inimicum tuum vincere, vel terram illius deſtruere, capitis abſciſſi vultus diſcooperiatur, & reſpiciat inimicum tuum, vel terram eius, & ſtatim peribunt; & cum ceſſare volueris, recooperiatur vultus, & ceſſabit tribulatio. Et factum eſt ita. Poſt multum vero temporis miles ille vxorem duxit, quæ ſæpius interrogauit eum, qua arte, vel quo ingenio ipſe ita deſtruebat inimicos ſuos ſine armis, & ſine exercitu: ille autem ei dicere noluit, ſed increpauit eam, vt taceret. Contigit ergo quodam die dum miles abeſſet, quod illa acceſſit ad arcam, in qua ſperabat ſecretum illud eſſe domini ſui, per quod ille ita operabatur inique, & inuenit in arca caput illud deteſtabile, & ſtatim abiens proiecit illud in gulfo Satalia. Et dicunt nautæ, quod quandocunq; caput illud fuerit reſupinum, commotus eſt gulfus ille adeo, quod nulla nauis poteſt tranſire illum; & quando caput ſupinum eſt, tunc poteſt nauis tranſire illum. Credat hoc Iudæus* Apella, *non ego. Et eſt aliud mirabile, quod vnoquoq; menſe anni ſemel contingit. Videtur quod draco niger, & ingens veniat in nubibus cœli, qui mittit caput ſuum in gulfo Satalię, & haurit aquas, & attrahit ita vehementer, quod ſi nauis aliqua fuerit ibi, quamuis fuerit onuſta, tamen hauritur, & defertur in ſublime. Volentes autem hoc vitare periculum, oportet, quod cum viderint monſtrum illud ſtatim faciant tumultum magnum & clamationes altas, percutientes in tabulis, vt auditis clamoribus; draco ille elongetur ab iis. Nos autem dicimus hoc non eſſe draconem, ſed æſtum ſolis, qui attrahit ad ſe aquas maris.* Sequitur. Cum Rex Franciæ receſſiſſet ab inſulis de *Tſe*, tranſiuit iuxta montem magnum, in cuius ſummitate ſita eſt ciuitas Patara, in qua natus, & diu conuerſatus fuit beatus *Nicolaus*. Deinde tranſiuit iuxta montem excelſum valde, qui dicitur Turkie, qui diuidit terram Imperatoris Conſtantinopolitani, à terra Soltani de Yconio. Et exinde incipit Romania, quę etiam Græcia dicitur. Tota Romania eſt terra ſolida, de dominio Imperatoris: & multæ Inſulæ ſunt in mari, quæ dicuntur Inſulæ de Romania. Caput Romaniæ eſt ciuitas Conſtantinopolis. Romania vero coniuncta eſt Sclauoniæ, & Hungarię, & Iſtriæ, & Aquileię. Nomina quarundam principalium Inſularum, quæ ſunt in mari Græco, ſunt hæc: Inſula Siciliæ, quæ eſt regis Sicilię. Inſula de Crete, quę magna eſt, & fertilis, & in medio eius eſt mons magnus, qui dicitur mons Cameli: Inſula de Rhodes: Inſula de Cypre: Inſula de Biſcopie: Inſula de Isky; in hac Inſula creſcit copia ſpeciei, quę dicitur Maſtic: Inſula de Yſanię: Inſula de Ynexea: Inſula de Stuple: Inſula de Mil: Inſula de quales: Inſula de Cuuerfu: Inſula de Serfent: Inſula de Safent: Inſula, quę dicitur Falede-Campan: Inſula de Andre: Inſula, quæ dicitur Tine. Sed multę iſtarum ſunt deſertę propter metum piratarũ. Et in multis illarum habitant piratę. Sunt & alię Inſulę, de quibus mentionem fecimus ſuperius, & multæ aliæ, quæ non ſcribuntur in libro hoc.

Cum rex Franciæ præteriiſſet caput Turkiæ, venit ad Inſulam de Rhodes: & manſit ibi per aliquot dies, in ciuitate, quæ dicitur Rodes, quam *Herodes* ædificauit, qui fecit amputari caput Sancti *Iohannis Baptiſtæ*, & dari in diſco ſaltatrici. Et inter inſulam de Rhodes & Romaniam eſt mare latum, per 20. milliaria, vt dicunt nautæ. Et eſt ſciendum, quod cum peruentum fuerit ad Inſulam de Rhodes, præteritur tertia pars viæ maris inter Accon, & Brunduſium. Et inter Accon & Brunduſium computantur 1800. milliaria. Et inter Marſiliam, & Siciliam computantur mille, & 600. milliaria. Et inter Siciliam & Accon computantur 1600. milliaria. Et in medio viæ inter Marſiliam, & Siciliam, eſt Inſula de Sardena. Et id medio viæ inter Siciliam, & Accon eſt Inſula de Creta. Et eſt ſciendum, quod ſi ventus proſper fuerit illis, qui à Marſilia ad Accon ire voluerint, dimittent Inſulam de Sardena, & Inſulam de Sicilia, & Inſulam de Creta, longe in ſiniſtra parte nauigii: &

ſi rectum curſum tenuerint, non videbunt terram, donec videant terram Suliæ; & via illa breuior eſt, & ſecurior: ſed cauendum eſt illis, ne nimium declinent in dextris nauigii, propter Barbariæ & alias Inſulas multas, in quibus habitant Pagani ſub Imperatore Africæ. Sed galeæ non poſſunt, neq; audent illam viam ire, quia ſi tempeſtas ſuperueniſſet, ex facili ſubmergerentur: & ideo oportet eas ſemper ire prope terram. Et qui voluerit tranſire per coſtam Romaniæ, à capite Turkiæ, tranſibit iuxta montem excelſum, qui dicitur Serſent, & ad montem illum incipit brachium Sancti *Georgii*, per quod itur ad ciuitatem Conſtantinopolitanam. Deinde in coſta Romaniæ eſt Maluaiſe mons magnus. Deinde caput Meliæ mons magnus. Deinde eſt gulfus de Witun, & ſupra gulfum illum eſt caſtellum bonum, & forte, quod dicitur Maine: & ſupra gulfum illum eſt ciuitas Epiſcopalis bona, & magna, quæ dicitur Curun: & ibi creſcit copia oliuarum, adeo quod dicitur, quod in toto mundo non eſt locus, in quo ſit tanta copia olei oliuæ: & in exitu eiuſdem gulfi de Witun, eſt * Muſcun, ciuitas deſerta, quam *Rogerus* rex Siciliæ deſtruxit: & ante introitum illius ciuitatis, ſunt duæ Inſulæ; quarum vna dicitur Sapientia; & altera dicitur Inſula Vulturum. Deinde non longius à terra, quam per 20. milliaria, eſt quædam valde periculoſa rupis rotunda, & fere ſubmerſa aquis, quæ dicitur Tiffar: & inter rupem illam, & Muſrun computantur 50. milliaria: & valde neceſſarium eſt prætereuntibus quod naues non elongent ſe nimium à terra, donec præterierint periculum illud. Deinde quaſi per centum milliaria à periculo illo, eſt in mari Inſula, quæ dicitur Serſent, & illa, & aliæ duæ Inſulæ, quarum vna dicitur Cheſellenie, & altera Iagert; ſunt Inſulæ *Margariti*. Deinde eſt portus *Wiſcardi*. Eſt itaq; ſciendũ, quod *Robertus Wiſcardus* natus fuit in Normannia, & miles factus, diu de familia fuit *Henrici* regis Angliæ, filii *Willielmi Baſtardi*. Qui licet fuiſſet miles probus in armis, tamen nullam gratiam potuit inuenire ditandi apud regem illum. Vnde factum eſt, quod cum vxore ſua, & filiis, & fratre ſuo reliquit Normanniam & Romam adiit: & accepta à ſummo Pontifice licentia, & conſilio ſubiicere ſibi barbaras nationes, confluebat ad eum multitudo magna virorum ei adhærentium. Et recedens inde, intrauit Apuliam, & videns eam terram bonam & fertilem, & habitatores illius indoctos armis, ſæpe inuaſit eos in manu forti & armata, & vicit eos, & obtinuit terram. Et totam Apuliam, & Calabriam, & principatum Capuæ ſubiugauit ſibi, & eripuit eas de * manu Imperatoris Romanorum, & dedit eas *Tancredo* filio ſuo. Deinde magnum congregauit nauigium, iactans quod ipſe Imperium Conſtantinopolitanum inuaderet, & totum ſibi ſubiugaret. Sed interim dum nauigium eius præpararetur, contigit q; ipſe, & *Tancredus*, & *Boimundus* filii eius, in vna die commiſerunt prælium contra dominũ Papam, & contra Imperatorem Romanorum, & contra Imperatorem Conſtantinopolitanum, ita quod ipſe *Robertus Wiſcard* commiſit prælium contra Imperatorem Conſtantinopolitanum, & vnus filiorum ſuorum contra Papam, & alter contra Imperatorem Romanorum: & ille & vterq; filiorum ſuorum, in vna eademq; die obtinuerunt victoriam. Deinde *Robertus Wiſcardus* intrauit nauigium ſuum, & vxor eius cum eo, & ſubiugauit ſibi Inſulam de * Cuuerſu, & Inſulã de Crete, & Inſulam de Rhodes, & alias Inſulas multas, eripiens eas de manu Imperatoris Cõſtantinopolis. Deinde venit ad portum, qui nũc nomine ſuo nuncupatur portus *Wiſcardi*. Et cum inde progredi voluiſſet, & intrare Romaniam, Imperator Conſtantinopolitanus timens valde aduentum illius mandauit vxori ſuæ, quod, ſi ipſa prædictum *Robertum Wiſcard* morti tradidiſſet, & ſic terram ſuam de eo liberaſſet, ille duceret eam in vxorem, & faceret eam Imperatricem Conſtantinopolitanam: Conceſſit autem mulier ſe facturam, quod Imperator petebat: & nacta opportunitate temporis, & loci, porrexit *Roberto Wiſcard* marito ſuo venenum bibere; & mortuus eſt, & ibidem in Inſula, quæ vſq; in hodiernum diem dicitur portus *Wiſcardi*, ſepultus eſt: & totus exercitus eius diſſipatus eſt. Mulier autem fugit ad Imperatorem Cõſtantinopolitanum, qui ſtatim adimpleuit omnes conuentiones ſuas, & duxit eam in vxorem, & coronauit in imperatricem: & cum omnis ſolennitas debita facta fuiſſet ei, & in deſponſatione, & in coronatione, & in nuptiis, ita ſolenniter quod illa diceret Imperatori: *Domine, veſtri gratia iam perfeciſtis mihi omnẽ conuentionem noſtrã*: Imperator facto ſilentio, corã omnibus oſtendit conuentionem, quam fecerat cum illa, & qualiter illa morti tradiderat maritũ ſuum: & petiit ab iis iudicium de illa: & iudicauerunt eam ream eſſe mortis. Et ſic tranſlata de nuptiis ad ſupplicium, accenſo rogo iniecta eſt, & in cineres redacta. *Rogerus* vero frater prædicti *Roberti Wiſcardi*, debellauit Siculos, & totam ſibi ſubiugauit Siciliã, & factus eſt Comes Siciliæ. Sicilia Inſula eſt magna, & antequam præfatus *Rogerus* debellaſſet eã, inhabitata fuit à Paganis, & erat de dominio Imperatoris de Africa. Sed prenominatus *Rogerus*, expulſis inde Paganis, legẽ *Chriſti* inſtituit, & fecit in ea duos Archiepiſcopatus, & ſex

al. Muſzun.

al. dominio.

al. Conuerſhu.

ſex Epiſcopatus. Deinde vxorem duxit, de qua vnum ſolum genuit filium, quem vocauit nomine ſuo *Rogerum*: & fecit illum ducem Apuliæ, & dedit illi Calabriam, & principatum Capuæ, defuncto *Tancredo*, filio *Roberti Wiſcardi*, ſine prole. Deinde obiit prædictus *Rogerus* Comes Siciliæ, & *Rogerus* filius eius dux Apuliæ ſucceſſit ei in Comitatu Siciliæ. Et paulo poſt, per conſilium Comitum, & Baronum ſuorum, fecit ſe coronari in regem Siciliæ. Et iſte *Rogerus* ita factus eſt primus rex coronatus in Sicilia: qui vxorem duxit, ex qua genuit duos filios, & vnam filiam: quorum primus vocatus eſt *Rogerus*, & alter * *Willielmus* [al. Walterus.], & filia eius vocata eſt *Conſtantia*. Et ipſe dedit filio ſuo primogenito ducatum Apuliæ, & principatum Capuæ. Qui vxorem duxit in conſulto patre ſuo, & genuit ex ea filium vnum, quem vocauit *Tancredum*. Deinde obiit, patre ſuo adhuc viuente. Deinde obiit pater ſuus rex Siciliæ, cui ſucceſſit in regno *Willielmus* filius eius, qui vxorem duxit, de qua genuit vnum ſolum filium, quem vocauit nomine ſuo *Willielmum*. Iſte *Willielmus* vltimus ſucceſſit patri ſuo in regnū: & dedit *Tancredo* fratri aui ſui Comitatum de Laliche. Et *Conſtantiam* ſororem aui ſui, dedit *Henrico* regi Alemannorum, filio *Frederici* Romanorum Imperatoris in vxorem. Et fecit iurari ei regnum Siciliæ poſt illum, ſi ille deceſſiſſet ſine prole. Et deinde ipſe *Willielmus* rex Siciliæ, duxit ſibi in vxorem *Iohannam* filiam *Henrici* Regis Angliæ, filii *Matildis* Imperatricis: ſed ille *Willielmus* rex Siciliæ obiit ſine prole. Quo defuncto, *Tancredus* prędictus Comes de Laliche, immemor ſacramenti, quod cum cæteris fecerat *Henrico* regi Alemannorum, vſurpauit ſibi regnum Siciliæ, & factus eſt inde rex coronatus. Quod cum *Henricus* Romanorum imperator audiſſet, magno cōgregato exercitu, intrauit terram regis *Tancredi*, & adducens ſecum vxorem ſuam *Conſtantiam*, hæredē regni Siciliæ, obſedit Salernū, & infra 15. dies reddita eſt ei, & vxori ſuæ, & ipſe dimiſit eam ibi; & ipſe procedens inde obſedit Neapolim, vbi cū ipſe moram feciſſet per 6. ſeptimanas, amiſit fere totum exercitum ſuum, ex corruptione aeris; & ipſe ægrotauit vſque ad mortem. Et cum vidiſſet ſe nihil poſſe proficere aduerſus eam, receſſit, & abiit ad ciuitatem ſuam Melan. Quod cū audiſſent Salernitani, iniecerunt manus in dominam ſuam *Conſtantiam* Imperatricem, & tenentes tradiderunt eam *Tancredo* regi Siciliæ. Et Imperator Alemannorum dolens, & confuſus de amiſſione vxoris ſuę, ſcripſit *Celeſtino* Papę, vt per auxilium illius recuperaſſet eā: quæ poſtmodo reddita eſt ei p auxiliū domini Papę.

Cum *Philippus* rex Franciæ receſſiſſet ab Inſula de Rhodes, & veniſſet ad coſteram de Romania: tranſiuit per montem magnum, qui dicitur caput Meliæ. Deinde venit in gulfo de Witun, & tranſiuit per caſtellum de Maine. Deinde venit ad ciuitatem, quæ dicitur Curun. Deinde venit ad Munzum ciuitatem deſertam, quæ eſt in fine eiuſdem Gulfi. Deinde prætériit Inſulam de Triffar. Deinde venit ad Inſulas, quarum vna dicitur Cephalenie, & altera Fale de Compar: & illæ duæ Inſulæ dicuntur portus *Wiſcardi*. Et ex oppoſito in Romania eſt quædam villa, quæ dicitur *S. Saluator*: & ibi fere omni tempore piratæ inſidiantur prætereuntibus. Et cum rex Franciæ receſſiſſet inde, venit ad Inſulam, quæ dicitur Cuuerfu. Ad introitum Inſulæ de Cuuerfu, verſus terram Sulię, eſt quædam arena periculoſa, ꝓtenſa per medium ab Inſula de Cuuerfu vſq; ad ripā Romanię; & mare nō habet ibi ſupra arenam plus profunditatis, quam quatuor vlnas, & dimidiā. Inſula quidem de Cuuerfu magna eſt, & fertilis, & reddit ſingulis annis Imperatori Conſtantinopolitano 15. quintallos auri. Quintallus eſt pondus 100. librarum. Et Inſula de Cuuerfu diſtat à Romania per 6. milliaria: & in quibuſdam locis eſt mare ita ſtrictum inter Cuuerfu, & Romaniam, quod ab vna ripa in alteram poteſt homo audiri ab homine. Longitudo de Cuuerfu continet quinquaginta milliaria; & inter Cuuerſu, & Apuliam cōputantur 100. milliaria: & facile videtur Cuuerfu ab illis, qui ſunt in Apulia, ſed non è conuerſo; quia Apulia terra baſſa eſt, & Cuuerfu terra alta. Et ad exitum Inſulæ de Cuuerfu, in Romania eſt caſtellum deſertum, quod dicitur Butentroſt, ſuper littus maris in quo *Iudas* proditor natus erat. Deinde cum fere peruentum fuerit in fauce maris, eſt quædam ciuitas deſerta in exitu Inſulæ de Cuuerfu, quæ dicitur * Gaſzope [al. Caſzope.]: in qua eſt tanta copia ſerpentum, quod nemo auſus eſt ex illa parte prope illam applicare. Et quaſi ex oppoſito in Romania eſt ciuitas deſerta, quæ dicitur ſancta Carenta; & ibi eſt bonus portus latus, & profundus. Et ad exitum illius portus, in fauce maris eſt quædam rupis, ſimilis turri ſemiruptæ, quæ protenditur fere per medium portus, & latet ſub vndis: & ideo neceſſarium eſt, vt tranſeuntes tranſeant prope Inſulam de Cuuerfu. Et in exitu Inſulæ de Cuuerfu ſunt quatuor Inſulæ, quarum vna dicitur Fanum. Deinde quaſi per quadraginta milliaria ab Inſula de Cuuerfu, eſt mons Magnus in capite Romaniæ, qui dicitur Paxo: & à monte illo vſque ad Octrente ciuitatem Archiepiſcopalem, quæ eſt in Apulia, ſunt quinquaginta milliaria: & à monte illo vſque ad Brunduſium centum milliaria: & à monte illo qui dici-

tur Paxo, incipit gulfus de Venia, qui habet in longitudine centum & quinquaginta milliaria, & in latitudine centum milliaria. Euntes autem per gulfum illum verſus Venetiam, dimittent Romaniam, & Sclauoniam & Iſtriam. In Apulia ſupra littus maris ſunt portus: quorum nomina hæc ſunt. Primus portus Apuliæ dicitur Leuke: deinde portus, qui dicitur Caſtre: deinde portus, qui dicitur Octrente: deinde portus, qui dicitur Leliche: deinde portus, qui dicitur Brandiz (id eſt) Brunduſium: deinde portus de Monople: deinde portus de Bar, vbi beatus *Nicolaus* requieſcit: deinde portus de Trane: deinde portus de Barlet: deinde portus de Sypunt: deinde portus de Beſtiæ: deinde portus de Tremule. Portus iſte de Tremule eſt vltimus portus de Apulia. Deinde eſt Ortona primus portus de terra Venetiæ: deinde portus de Atre: deinde portus de Peſcate: deinde portus de Ancune: deinde portus de Rauenne: Deinde eſt Venetia, ciuitas nobilis, & bonus portus. Cum igitur rex Franciæ veniſſet in Inſulam de Cuuerfu, miſit nuncios ſuos ad regem *Tancredum*, & petiit ab eo licentiam tranſeundi per terram ſuam, & data eſt ei licẽtia. Deinde venit in Apuliam, & applicuit apud Octrente 6. Idus Octobris feria quinta. Et procedens inde, præmiſit præambulos ſuos ad *Henricum* Romanorum Imperatorẽ, & petiit licentiam tranſeundi per terram ſuam, & data eſt ei licentia. Qui cũ veniſſet Romam, mala multa locutus eſt de rege Angliæ, in conſpectu domini Papæ, & omnium Cardinalium: dicens, quod rex Angliæ coegit eum à terra Hieroſolymitana recedere; & appellauit eum de proditione ſua. Sed nec dominus Papa, nec Cardinales fidem habuerunt verbis eius, ſcientes hoc magis ex inuidia proceſſiſſe, quam ex delicto regis Angliæ. Dominus vero Papa cum omni honore, & diligentia recepit eum, & per 8. dies miniſtrauit ei neceſſaria. Et pro amore Domini, & ſuo, nouum fecit remedium peregrinis: ſcilicet, quod eum, & omnes, qui cum eo venerant, vel poſt eum venerunt, abſoluit à voto ſuo & ab itinere profectionis Hieroſolymitanæ: & licet votum non ſoluiſſent, tamen palmas iis diſtribuit, & cruces collis eorum ſuſpendit, ſtatuens, quod eſſent peregrini. Deinde rex Franciæ effecit aduerſus Romanorum Imperatorem, quod ipſe regem Angliæ caperet, ſi per terram ſuam tranſiret. Deinde Rex Franciæ veniens in terram ſuam, defamauit Regẽ Angliæ aduerſus proximos ſuos, imponens ei crimina multa. Et proferens chartam Regis Angliæ, quæ facta fuit apud Meſſanam, petiit à *Willielmo* filio *Radulfi* ſeneſcallo Normanniæ *Aleſiam* ſororem ſuam, quam Rex Angliæ, in vxorem ducere debuerat, & ſeneſcallus Normanniæ noluit tradere eam illi. Eodem anno *Hugo* Lincolnienſis Epiſcopus, faciens viſitationes ſuas, per domos religioſorum in ſua diœceſi, venit ad abbatiam ſanctimonialium de Godeſtoue, quæ eſt inter Oxoniam, & Wodeſtoc. Et cum intraſſet Eccleſiam vt oraret, vidit tumbam in medio Chori ante altare ſericis pannis velatam, & lampadibus, & cereis circundatam: & quæſiuit cuius eſſet tumba, & dictum eſt ei, illam eſſe tumbam *Roſamundæ*, quæ quondam extiterat amica *Henrici* regis Angliæ, filii *Matildis* Imperatricis; & quod ipſe pro amore illius multa bona eccleſiæ illi fecerat. Et reſpondit Epiſcopus: tollite eam hinc, quia ſcortum fuit, & ſepelite eam extra eccleſiam cum cęteris ne Chriſtiana religio vileſcat, & vt exemplo illius cæteræ mulieres exterritæ, caueant ſibi ab illicitis, & adulterinis concubitibus. Et factum eſt ita. Eodem anno, *Hugo* Couentrenſis Epiſcopus, expulit monachos Conentrenſes ab eccleſia cathedrali, & in ea inſtituit canonicos ſeculares. Eodem anno monachi Cantuarienſes elegerunt ſibi in Archiepiſcopum *Reginaldum* Bathonienſem Epiſcopum, qui ſtatim incidit in ægritudinem, & infra 15. dies poſt electionem ſuam obiit, & apud Ba ſepultus eſt. Eodem anno *Hugo* Dunelmenſis Epiſcopus, propter animi indignationem, quam habebat aduerſus *Gaufridum* Eboracenſem Archiepiſcopum, nitebatur modis omnibus à ſubiectione eius ſolui. Verum prædictus *Gaufridus* ſcripſit ei in hanc formam.

EPISTOLA GAVFRIDI EBORACENſis Archiepiſcopi ad Hugonem *Dunelmenſem Epiſcopum.*

G*Aufridus* Dei gratia Eboracenſis Archiepiſcopus, & Angliæ primas, *Hugoni* eadem gratia Dunelmenſi Epiſcopo, Salutem. Dum ad culmen ſingularitatis ardenter erũpere properas; aliis præeſſe elegiſti, & nemini vis eſſe ſubiectus. Verum in te completum eſſe nouimus illud, quod dicitur: *In cælum conſcendam, & ſupra aſtra cæli exaltabo ſolium meũ, & ero ſimilis altiſſimo.* Minus igitur memoriter tenes: *Quia Deus ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam: &, Qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.* Nos enim & Eccleſiam noſtram Eboracenſem, ardenter, immo more hoſtili perſequeris, contra profeſſionem tuam, & debitam nobis & eccleſię Eboracenſi obedientiã, te à iuriſdictione noſtra (quod Deus auertat) ſubtrahere & eximere deſiderans. Nos vero iuri eccleſię noſtrę & di-

gnita-

gnitati (prout decet) prouidere volentes, tibi, tanquam ſuffraganeo noſtro, authoritate Apoſtolica & noſtra, firmiter iniungimus, quatenus proxima die lunæ inſtantis poſt feſtum *S. Michaelis*, apud Eboracum, in matrice Eccleſia Synodo noſtræ intereſſe nulla occaſione differas, debitam nobis exhibiturus reuerentiam, & canonicam iuxta formam mandati Apoſtolici ſæpius literis noſtris, & ex parte noſtra tibi exhibiti, obedientiam p̄ſtiturus: reſponſurus præterea, quod iam per biennium, Eccleſiam noſtram Eboracenſem debitis ei proceſſionibus ab antiquo, & oblationibus in diebus Pentecoſtes (ſcilicet, Houedencſhire / & Auertonshire) contra iuris ordinem ſpoliare præſumpſiſti: & falcem in alienam meſſem mittere non formidans, clericis & Parochianis noſtris ſpiritualia miniſtrare vſurpaſti. Quibus auditis, *Hugo* Dunelmenſis Epiſcopus ad eū nec venire, nec obedientiam ſeu profeſſionem illi facere voluit. Dicebat namq; ſe ſemel feciſſe obedientiam & profeſſionem Eccleſiæ Eboracenſi, & Archiepiſcopo eiuſdem eccleſię *Rogero*: & quod de iure non tenebatur reiterare eam. Et ne prædictus Archiepiſcopus ſuper hoc poſſet grauare eum, appellauit ad pręſentiam ſummi pontificis ſemel, ſecundo, tertio ſupponens ſeipſum, & eccleſiæ ſuæ cauſam examini D. Papæ, & Romanæ eccleſiæ. Archiepiſcop. autem Eboracenſis appellationi Dunelmenſis Epiſcopi non deferens, in ſpiritu furoris ſui ſententiam anathematis tulit in Dunelmenſem Epiſcopum, innixus mandato ſummi Pōtificis, in quo continebatur: Quod, ſi Dunelmenſis Epiſcopus aut nollet, aut iniuſte differret facere illi debitam obedientiam, ille omni appellatione remota, compelleret per Eccleſiaſticam cenſuram. Videns itaq; Dunelmenſis Epiſcopus ſententiam excommunicationis in eo illatam, poſt appellationem ad præſentiam ſummi pontificis factam, noluit eā tenere: ſed ita audacter, ſicut antea fecerat, celebrauit, & celebrari fecit diuina. At Archiepiſcopus altaria, vbi Dunelmenſis epiſcopus celebrauerat ſubuertit, & calices, in quibus celebrauerat aliquis eo præſente in ſua diœceſi, fregit: & *Iohannem* fratrem ſuum Comitem Moretonii habuit pro excommunicato, pro eo, quod ipſe comederat cum Dunelmenſi epiſcopo poſt ſententiam illam, & noluit communicare cū illo, donec ipſe ad ſatisfactionem veniſſet abſoluendus. Cumq; Dunelmenſis Epiſcopus vidiſſet, quod q̄ plures homines vitaſſent loqui & manducare, aut bibere cum illo, miſit nuncios ſuos ad *Celeſtinū* Papam, exponens ei primo ſecreto, deinde coram Cardinalibus vniuerſis, quam indiſcrete Eboracenſis Archiepiſcopus ſententiam excōmunicationis in eum tulerat, in nullo deferens appellationi ſuæ. Quo agnito, dominus papa & omnes Cardinales iudicauerunt ſententiam illam nullam eſſe, nec debere teneri. Vnde dominus papa in hac forma ſcripſit.

EPISTOLA CELESTINI PAPAE, DE *irritatione ſententiæ, in Dunelmenſem Epiſcopum prolatæ.*

CElestinus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus Lincolnienſi & Roſenſi Epiſcopis, & dilecto filio Abbati de Burgo, Salutem & apoſtolicam benedictionem. Sicut ea, quæ a venerabilibus fratribus, Coepiſcopis noſtris, circumſpectione prouida, & ratione præuia ſtatuuntur, debemus illibata ſeruare: ita quæ minus quoq; cōſiderate aguntur, prouidētia pleniori corrigere, & in ſtatum debitū nobis imminet reformare. Cum itaq; venerabilis frater noſter *Gaufridus* Eboracenſis archiepiſcopus in venerabilem fratrem noſtrum *Hugonem* Dunelmenſem epiſcopum, & quoſdam alios, excommunicationis ſententiam promulgaſſet, & eorum nunciis ad noſtram præſentiam venientibus, in conſiſtorio noſtro fuiſſet hinc inde ſuper ea ſententia, & quibuſdam aliis articulis plenarie diſceptatum: nos cognoſcentes tam in ipſum, quam in alios iaculatam ſententiam inconſulte prolatam fuiſſe, nullius cauſæ rationabilis munimine roboratā, eam de conſilio fratrum noſtrorū denunciauimus publice nō tenere, irritantes eā, ne quid authoritatis habeat inhibentes. Vt itaq;, quod nos decreuimus, per partes veſtras publice nūcietur, per Apoſtolica ſcripta vobis mandamus, vt eandem ſententiam per Eccleſias veſtras prædicetis authoritate ſedis Apoſtolicæ irritatam: vt fidelium populus tam ipſi epiſcopo, quam aliis vna cum epiſcopo iniuſte ligatis, fraternę communionis participium ſecure impendat, & ab illorum nullatenus, propter hoc, communione recedat. Datū Lateranis. Præterea, dominus Papa mandauit in aliis literis ſuis, prædictis Lincolnienſi & Roſſenſi epiſcopis, & abbati de Burgo; quod ſi conſtiterit illis, quod Eboracenſis Archiepiſcopus, poſt appellationem ad Romanum pontificem factam, altaria, & calices fregerit, in quibus Dunelmenſis epiſcopus, vel per ſe, vel per alium Miſſam celebrauit; ideo Dunelmenſis epiſcopus nō teneretur aliquam facere ſubiectionem p̄fato Eboracenſi archiepiſcopo, q̄diu ipſi duo vixerint. Cumq; prædicti archiepiſcopus & epiſcopus cōueniſſent in

præſentia prædictorum iudicum apud Northamptoniam, & diu hinc inde ſuper prædictis articulis inter eos diſceptatum fuiſſet, tandem per conſilium & admonitionem domini Lincolnienſis epiſcopi, controuerſia illa dilationē cepit vſq; ad octauas natiuitatis beati *Iohannis Baptiſtæ*; vt honore inuicem præuenientes, ad plenioris pacis conſummationem, per Dei gratiam facilius inducantur, rebus omnibus inter eos, eodem ſtatu, quo fuerunt, interim permanentibus. Et, ſi pax interim formata non fuerit, literæ ad iudices à domino Papa directæ, eundem vigorem ſunt habituræ, quem habuerant ſi præfata dilatio non interceſſiſſet, & per tantum temporis, ſaluis vtriq; parti omnibus exceptionib. ſuis; citatione etiam, ſi qua fieri debebit, facienda ſub eodem ſpacio temporis & eadem forma, ad eundem diem, quo facta fuit prima, ſcilicet ad diem S. *Calixti*. Eodem anno, *Rogerus* Conſtabularius Ceſtriæ, cui Cancellarius tradiderat caſtella de Notingham & de Tikell in cuſtodiam, cepit duos (ſcz. *Alanum* de Lec, & *Petrum* de Bouencurt) ex illis, quibus commiſerat prædicta caſtella in cuſtodia, & quia conſenſerant proditioni *Roberti* de Crockeſtun, & *Eudonis* de Diuilla, qui caſtella illa tradiderunt *Iohanni* Comiti Moretonii, ſuſpendit vtrumq;. Vnde Comes Moretonii iratus, totam terram illius, quæ in ſua poteſtate erat, deuaſtauit. Eodem anno, *Willielmus* rex Scotorum, miſit nuncios ſuos ad *Cæleſtinum* ſummum pontificem pro libertatibus eccleſiarum regni ſui confirmandis: & inuenit gratiam in oculis domini Papæ, ita quod dominus Papa, in hac forma ſcripſit illi. *Cæleſtinus*, epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, chariſſimo in *Chriſto* filio *Willielmo* illuſtri Scotorum regi, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum vniuerſi *Chriſti* iugo ſubiecti, apud ſedem Apoſtolicam patrociniū inuenire debeant & fauorem, illos tamen ſpecialius conuenit promotionis munimine confoueri, quorum fidem, & deuotionem in pluribus eſt experta: vt ad ipſius dilectionis fauorem tanto amplius prouocentur, & eius reuerentiæ deuotiori affectione ſubdantur, quanto beneuolentiæ ipſius & gratiæ pignus ſe nouerint certius aſſequutos. Ea propter (chariſſime in Chriſto fili) reuerentiam ac deuotionem, quam ad Romanam te habuiſſe, à longis retro temporibus, Eccleſiam nouimus, attendentes, præſentis ſcripti pagina duximus ſtatuendum, vt Scoticana Eccleſiæ Apoſtolicæ ſedi, cuius filia ſpecialius exiſtit, nullo mediante, debeat ſubiacere. In qua hæ ſedes epiſcopales eſſe noſcuntur: Eccleſiæ, videlicet, Sancti *Andreæ*, Glaſguenſis, Dunkeldenſis, Dublinenſis, Brehinnenſis, Aberdonenſis, Morauienſis, Roſęnenſis, Cathinenſis. Et nemini liceat niſi Romano pontifici, vel legato ab ipſius latere deſtinato, in regnum Scotiæ interdicti vel excommunicationis ſententiam promulgare, & ſi promulgata fuerit, decernimus non valere. Adiicimus, vt nulli de cætero, qui de regno Scotiæ non fuerit, niſi quem Apoſtolica ſedes propter hoc de corpore ſuo ſpecialiter deſtinauerit, licitum ſit in eo legationis officium exercere. Prohibemus autem, vt controuerſiæ, quæ fuerint in regno illo de poſſeſſionibus eius exortæ, ad examen extra regnum poſitorum iudicum non trahantur, niſi ad Romanam eccleſiam fuerit appellatum. Si qua vero ſcripta contra hoc libertatis ſtatutū apparuerint impetrata, vel in poſterum, iſtius conceſſionis mentione non habita, contigerit impetrari: nullum tibi, vel ipſi regno circa huius prærogatiuæ conceſſionem præiudicium generetur. Præterea libertates, & immunitates tibi, vel ei regno, vel eccleſiis in eo conſtitutis, à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus indultas, & hactenus obſeruatas, ratas habemus, & illibatas futuris temporibus ſtatuimus permanere. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ cōſtitutionis, & prohibitionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Apoſtolorū *Petri & Pauli*, ſe nouerit incurſurū. Datum Lateranis tertio Idus Martij, pontificatus noſtri anno primo. Eodem anno rex Angliæ, poſt reædificationem Cæſareæ, & Ioppen, dedit vtramq; *Gaufrido* de Lezinant fratri *Gwidonis* Regis. Deinde rex Anglię firmauit caſtellū des Plains & deinde firmauit caſtellum Maen. Deinde ſecunda die ante natale Domini, perrexit rex Angliæ vſq; ad Turonum deſchanalets, & ibi fuit in natali Domini; & voluit inde procedere poſt natale Domini ad obſidendam ciuitatem Hieroſolymam; ſed dux Burgundiæ, & Franci noluerunt eum ſequi, dicentes, quod rex Franciæ dominus eorum prohibuit iis in receſſu ſuo, ne ipſi vlterius moram facerent in terra illa. Vnde oportebat regem Anglię à propoſito ſuo deficere, quia homines, & pecunia defecerunt ei. Eodem anno *Boyach Almiramumoli* Imperator Africanorū (q anno præcedenti intrauerat terram regis Portugalenſis cū exercitu ſuo magno, & ceperat caſtellum, q dicitur Turresnoues, & obſederat caſtellum, quod dicitur Tumar, & vtrunque reliquerat Chriſtianis, ꝓpter metum peregrinorū, qui in nauigio regis Angliæ venerant, & fugiens finxerat ſe mortuū, vt ſupra dictū eſt) iſto anno, poſtq̄ totum nauigiū regis Angliæ ꝑierat, magnū congregauit exercitum, & iterum intrauit terrā regis Portugalēſis, &

ſis,& cepit per vim ciuitatem Syluiæ,& Alcaz,& Almade, & Palmale, & deuaſtauit terram Chriſtianorum. Rex autem Portugalenſis non potuit illius reſiſtere viribus: & ipſe *Boyacb Armiramunoli* dedit prædictas ciuitates, quas acquiſierat, fratri ſuo regi de Cordres, id eſt Corduba. Et eſt notandum, quod in terra regis Nauarræ, eſt vna ſola ciuitas Epiſcopalis, quæ dicitur Pampelune; ſed multa caſtella ſunt in terra ſua, quorũ vnum dicitur Tudele ſuper fluuium de Ebera, & alterum dicitur Leſtaile, & alia multa. In terra aũt regis Caſtellæ, eſt vna ſola ciuitas Archiepiſcopalis, quæ dicitur Tulette, quæ ſedet ſuper fluuium Tagi, & ipſa habet primatiam Hiſpaniæ: & in eadem ciuitate eſt alia Epiſcopalis, qui dicitur Epiſcopus de Muſcerauſe, id eſt Suriens. Et in eadem ciuitate eſt mons quidã, de quo quotidie ſumuntur pluſquam mille camelorum onera, & tamẽ nunquam decreſcit: quia quamuis ſpelunca fiat profundiſſima, tamen cras implebitur, ſi pluuia ceciderit ſuper eum. Et terra inde ſumpta defertur per circumiacentes prouincias, & venditur ad lauandum capita, & pannos hominum, tam Chriſtianorum, quam Paganorum. Præterea Archiepiſcopus Tuletti habet ſub ſe 11. Epiſcopos ſuffraganeos: ſcilicet Epiſcopũ de Muſceraues, Epiſcopũ de Alarchas, qui eſt prope Cordres (i. Corduba) Epiſcopum de Plazẽce, Epiſcopum de Trugel, Epiſcopũ de Auile, Epiſcopũ de Segoue, Epiſcopũ de Alarhges Epiſcopũ de Segunce, Epiſcopum de Soyre, Epiſcopum de Oſine, Epiſcopum de Palẽce, Epiſcopũ de Burſe. Præterea in eodem regno regis Caſtellæ ſunt pluſquã 200. caſtella bona, quorum vnum eſt Le-gruin. In terra regis de S. *Iacobo* eſt vnus Archiepiſcopatus, ſcilicet, apud *S. Iacobum*: & ipſe habet ſub ſe 11. ſuffraganeos; ſcilicet, Epiſcopum de Leone, Epiſcopum de Sturghe, Epiſcopum de Auzemore, Epiſcopũ de Salemanke, Epiſcopum de Citaſrodrike, Epiſcopum de Cooire, Epiſcopum de *S. Maria* de Lughe, Epiſcopum de *S. Saluatore* de W ede, Epiſc. de Villemauir, Epiſc. de Aurens, Epiſcopum de Tiue. Præterea in eodem regno regis de *S. Iacobo* ſunt caſtella multa. In terra regis Portugalenſis eſt vnus Archiepiſcopatus apud ciuitatem, quæ dicitur Braga: & ipſe habet ſub ſe 7. ſuffraganeos; ſcilicet, Epiſcopum de Portigal, Epiſcopum de Cuuillana, Epiſc. de Lameg. Epiſc. de * Wiſcou, *al. Viſeon* Epiſcopum de Cununbre, Epiſcop. de Euere in Marchia Saracenorum, Epiſcopum Vlyxisbonæ ſuper fluuium Tagi. Deinde protenditur Hiſpania, quæ dicitur Saracenica, ſub Imperatore Africanorum: & ibi incipit terra, quam rex de Cordres (id eſt Corduba) frater prædicti *Almiramunoli* tenet, ſcilicet, Corduba ciuitas (de qua *Lucanus* ait:

> *Corduba me genuit, rapuit* Nero, *prælia dixi,*
> *Quæ geſſere pares, hinc ſocer, inde gener.*)

Et Palmel, & Almada, & Alchaz, & Sylues ciuitas, & *S. Maria* de Hairun, & Badeluz ciuitas ſuper fluuium de Godiana, & Meride, quæ quondam fuit ciuitas Archiepiſcopalis, & Sibylla, quæ quondam fuit ciuitas Archiepiſcopalis (ciuitas iſta, & Corduba ſedent ſuper fluuium, qui dicitur Gedelkeuir,) & Granata ciuitas, & Iubelarie ciuitas. Deinde incipit regnum regis de Gahang in eadem Hiſpania ſub Imperatore Africanorum: & rex ille eſt frater *Almiramunoli*, & ipſe habet in dominatione ſua Gehen caſtellum, & Baence ciuitatem, & Aubdene ciuitatem, & Segure ciuitatem, & Melega ciuitatẽ, vbi fit copia de Corduan Vermail, & Melte ciuitatem in fauce maris: & vtraq; illarũ ſedet ſuper fluuium, qui dicitur Segure. Deinde in eadem Hiſpania Saracenica incipit terra regis de Murcia, qui eſt frater prædicti *Almiramunoli*: In cuius dominatione ſunt Murcia ciuitas, & Oriole caſtellum, & Vrgelet caſtellum, & Almaria ciuitas, & Cartagine ciuitas, & Chinchele caſtellum, & Lapanne de Scumpere caſtellum. Deinde in eadem Hiſpania Saracenica, incipit terra regis de Valencia, qui eſt frater prædicti *Almiramunoli*: In cuius dominatione ſunt * *Oedeeb* caſtellum, & Stuue caſtellum, & Valencia ciuitas, & Burrianz ciuitas, & Peniſcle, *al. Obedeeb* & alia caſtella multa. Deinde incipit Hiſpania terra regis Arragoniæ. In cuius regni principio eſt Ampoſt caſtellum, deinde Turtuſa ciuitas Epiſcopalis. Deinde Saraguce ciuitas Epiſcopalis, deinde Caletau caſtellum, deinde Doroke caſtellum, deinde Torol caſtellum, deinde *S. Maria* Abinrazin ciuitas in Marchia Chriſtianorum, & Paganorum deinde Tarragune ciuitas Archiepiſcopalis, deinde Tarrazune ciuitas Epiſcopalis, deinde Oske ciuitas, deinde Iake ciuitas, deinde le Ride ciuitas ſupra fluuium de Segre, deinde Wike ciuitas, deinde Barzelune ciuitas, deinde Sain de Vrget, deinde Gyrunde ciuitas, deinde Turezele caſtellum, quod quondam vocabatur Purpallar ſupra mare, deinde alti montes, qui vocãtur portus de Laduſe, deinde Caſtellum, deinde caſtellum de Empires. Deinde eſt terra, quæ vocatur Ruſſilun, in qua eſt ciuitas bona, quæ dicitur Alne: deinde eſt Nerbona ciuitas; deinde eſt Bedets ciuitas; deinde eſt Agda ciuitas; deinde eſt Villenoue Epiſcopatus de Magdalona, & prope inde eſt portus de mõte Peſſolano, qui dicitur Lates. Sũt & alia multa caſtella, & ciuitates, in regno regis Arragoniæ, vt ſupra dictum eſt.

Anno gratiæ 1192. qui erat tertius annus regni *Richardi* regis Anglorum, *Philippus* rex Franciæ fuit in Francia ſanus, & incolumis, apud Fontaine Blaud, die natalis Domini, quę feria quarta euenit, impudenter iactans ſe in proximo vaſtaturum terras regis Anglię. Eodem die natalis Domini, *Iohannes* Comes Moretonii, frater *Richardi* regis Angliæ, fuit apud Houedene, cum *Hugone* Dunelmenſi Epiſcopo. Eodem die natalis Domini, *Alienor* regina mater *Richardi* regis Angliæ, fuit in Normania apud Boneuile ſuper Toke. Eodem die natalis Domini, *Richardus* rex Angliæ, fuit in terra Suliæ apud Turun Aſchanaleis, volens poſt natale Domini obſidere ciuitatem Hieroſolymam: & in die S. *Hilarij* habuit ibi colloquium cum Templariis, & Hoſpitalariis, & cum toto exercitu, de ciuitate Hieroſolyma obſidenda: ſed non fuit de conſilio eorum, vt ipſe procederet, ſed vt rediret ad firmandam Scalonam, & ſic perrexit ille ad Scalonam, & firmauit eam, & in firmando eam, fecit moram magnam. Et quindecim diebus ante Paſcha, receſſerunt ab eo dux Burgundiæ, & Franci, dicentes, quod cum eo diutius non remanerent, niſi ipſe inueniſſet iis neceſſaria, & noluit rex inuenire iis quicquam. Infra vero Quadrageſimam, rex Angliæ firmauit Blanchward, & Galatiam, & Gazere. Et in die Paſchæ, tenuit ibi commune feſtum extra villam in tentoriis. Et poſt Paſcha fecit ipſe equitationem per terram paganorum, & inuenit ſegetes eorũ maturas, & fecit omnes colligi a Chriſtianis pro medietate ſegetum. Et in planitie de Scalona moram fecit vſq; ad Pentecoſtẽ: & die clauſi Pentecoſtes equitauit apud le-* Darun, caſtellũ forte, iuxta magnum fluuium Euphraten: & cepit in equitatione illa 24. paganos, & vnũ *Reneez*, qui quondã Chriſtianus fuerat, & dominũ noſtrum *Ieſum Chriſtum* negauerat; & rex poſuit eum ad ſagittãdum, & ſagittatus eſt. Et rex die Lunæ poſt clauſum Pentecoſtes obſędit le Darun, & die *Veneris* ſequente cepit eam per vim, & cepit in ea 1900. paganos viuos; & dedit illos ſtatim Comiti *Henrico* de Campania. Interim poſt Paſcha orta eſt grauis diſſenſio inter Piſanos, & Iennuenſes, qui erant in Accon, & mutuo ſe interfecerunt; & dux Burgũdiæ, per exhortationem Iennuenſium, miſit Tyrum pro *Conrado* Marchione, volens leuare eum in regem; & Piſani miſerũt pro rege Angliæ, qui tunc tẽporis morabatur in Scalona, ſignificantes ei propoſitũ ducis Burgundiæ. Et rex venit Accon, & exegit a duce Burgundiæ 1500. libras argenti, quas ipſe ei cõmodauerat: & dux ille non habens vnde redderet, tradidit regi *Carkoiſe* Saracenum pro quietã clamantia debiti. Deinde rediit rex ad Scalonã, vbi dũ ipſe morã feciſſet, duo de ſeruientibus regis Accinorũ (i. de Aſſaſis) qui multo tẽpore ſeruierant in curia *Conradi* marchionis, & familiares illius diu extiterant, interfecerunt prædictũ *Conradũ* in Tyro ciuitate ſua, & ſtatim capti ſunt à circũſtantib. 5. Kal. Maii, & interrogati, dixerunt ſe hoc feciſſe per præceptũ regis Accinorũ domini ſui: & vnus illorũ ſtatim capitalẽ ſubiit ſententiam, & alter excoriatus eſt. Franci vero dixerunt hoc totũ factũ fuiſſe per conſiliũ regis Angliæ. Poſt interfectionem vero prædicti *Conradi*, vxor illius nupſit *Hẽrico* Comiti de Cãpania nepoti regis Angliæ, & regis Franciæ: & ſtatim per cõem totius exercitus electionem, prædictus *Henricus* eſt electus in regem terræ Hieroſolymitanæ. Et rex Angliæ dedit in excãbium regi * *Gwidoni* inſulã de Cypre, in vita ſua tenendã. Poſt captionẽ del Darun, eodem ſcz. die *Veneris*, quo rex Angliæ, ceperat eã, Franci redierunt ad regẽ Angliæ in miſericordia eius vſq; ad Scalonã, & rex venit illuc ad eos, & inde per conſilium totius exercitus proceſſit ad obſidendum Hieroſolymã. Et cum veniſſent vſque Betenoble, rex cum quibuſdam illorum fecit equitationem; ante Hieroſolymam, & perrexit inde ad capellam *S. Elyæ*, quæ diſtat ab Hieroſolymis per tres leucas; & inuenit ibi crucem quandam de ligno Domini ſigillatam infra murum capellæ, quæ vocabatur crux Syriorum, & aſportauit eam, & rediit ad exercitum ſuum. Interim redierunt ad regem Angliæ exploratores ſui, & indicauerunt ei, quod Caruana *Saladini* veniebat de Babylonia in Hieroſolymam, ad muniendum eam, & victu & armis: & credidit illis rex, & aſſumens ſecum 5000. hominum electorum, occurit prædictæ Caruanæ, quam 11000. paganorum conduxerunt: & occurrit iis rex, in vigilia natiuitatis *ſancti Iohannis Baptiſtæ*, circa horam diei primam, & commiſit cum iis prælium, & habuit de illis victoriam, & fere omnes interfecit, & ſpolia eorum poſſedit, & cepit 3000. camelorum, & 4000. equorum, & mulorum, & mularum, exceptis interfectis. Et ſic cum victoria rediit rex ad Betenoble, vnde receſſerat, & ex ſpoliis interfectorum dedit militibus exercitus. Et habito colloquio cum duce Burgundiæ, & Francis, obtulit ſe iuraturum, quod ipſe Hieroſolymam iret, & obſideret eam, & inde non recederet, quamdiu haberet vnum runcinum ad manducandum, donec capta fuiſſet ciuitas: & petiit, vt Franci & omnis exercitus, illud idem ſacramentum feciſſent. Dux autem Burgundiæ & Franci reſponderunt ei, quod ſacramentum non facerent, neque in terra illa diutius remanerent: ſed recederent à terra illa, quam citius poſſent, ſicut præceperat illis rex Franciæ

al. Clerun

al. Widoni

Franciæ dominus illorum. Et ſic per diſcordiam receſſerunt à rege,& redierunt vſq; Accon,& rex ſequutus eſt eos. Et *Saladinus* ſtatim deſcendit de montibus,& obſedit Ioppen, quam rex Angliæ tradiderat *Alberico* de * *Rains* in cuſtodia, & cum ipſe eandem defendere nequiuiſſet,tradidit *Saladino* pro licentia abeundi cum vita, & mēbris, qui cū à *Saladino* accepiſſet ſagittam electam in ſignum pacis ſuæ, & cum audiuiſſet aduentum regis Angliæ,regreſſus eſt ad *Saladinū*,& reddidit ei ſagittā ſuam,& renunciauit paci ſuæ; & *Saladinus* ſtatim cepit eū,& captiuauit, & villā cepit totā,excepta munitione caſtri in quam pauci receperunt ſe & mandauerunt regi Angliæ euentū rei, qui ſtatim tradidit exercitū ſuum equeſtrē Comiti *Henrico* de Cāpania,ad conducendū per terrā: & ipſe rex cū 7.galeis tantū,perrexit per mare: & in die tertia venit ad Ioppen ſabbato, mane, poſt feſtum S. *Petri ad vincula*,& intrauit caſtellū,& loquutus eſt cū ſuis,docens eos,quomodo ſequerētur eū. Deinde exiuit ille,& pauci cū illo,& ex improuiſo fecit impetū in exercitū *Saladini*, & exclamans ſignū ſuum, fortiter percuſſit eos, & eiecit eos à ciuitate, & multos eorū interfecit in ore gladii,& ciuitatē illā liberauit de manib. illorū. Poſt triduū *Saladinus* mādauit regi,q; præliaretur cū illo in prælio cāpeſtri: & mandatū illud plurimū placuit regi. Et cū omnia hinc inde præordinata eſſent ad præliū campeſtre,venerūt ad regem de Accon quinq; galeæ cum viris armatis ad ſuccurrendum illi, & tunc noluit *Saladinus* bellum inire contra regem. Interim *Hugo* dux Burgundiæ,& *Radulfus* de Cuſci,& vicedominus de Pinkenni obierunt apud Accon,8. die,quo venerāt illuc. Deinde *Saladinus* mandauit regi Angliæ,quod ipſe redderet ei omnes expēſas,quas fecerat in firmatione Scaloniæ, & daret ei,& cæteris Chriſtianis,qui in terra Hieroſolymitana remanerent,treugas à Paſchate proximo venturo per triennium,& pacem iis ſeruaret vſque ad præfinitum tempus,ſi ille redegiſſet Scalonam in eum ſtatum,quo ipſe eam dimiſerat. Vidēs ergo rex Angliæ,quod homines & pecunia & ſanitas corporis defecerunt ei, per conſilium Templariorum, & totius exercitus,recepit ſupradicta,quæ *Saladinus* obtulerat ei; & ipſi ſacramētis pacē illā vſq; præfixū tēpus ſeruandā firmauerunt. Et ex tunc rex Angliæ traditis omnibus in manu *Henrici* Comitis de Campania redire in regnum ſuum properauit propter ſiniſtros rumores,quos audierat,tam de rege Franciæ,& de Cācellario ſuo expulſo;quam de Comite Moretonii fratre ſuo,qui caſtella regni occupauerat, & totum occuparet, ſi poſſet. Venit itaque rex Angliæ ad Cayphas,& ægrotauit ibi, & perrexit inde Accon, & ibi intrauit buſciam magnam,poſt feſtum *S. Michaelis*,octauo idus Octobris,feria 5. & infra menſem poſt diem illum applicuit in Inſula de Cuuerfu, & intrauit nauiculam, & nauigauit vſque ad tres galeas,quas vidit ex oppoſito in Romania,& conduxit eas vſq; ad Raguſe pro 200. marcis argenti,& poſtea rediit ad buſciam ſuam,& prædictæ galeę cum eo,& ipſe pacauit eos,& aſſumpſit ſecū *Baldewinum* aduocatū * Bithyniæ, & alios viginti ſocios, & intrauit vnā de prædictis Galeis, & cum applicuiſſet prope Gazere apud Raguſe, noluit indicare, quod eſſet rex Angliæ,ſed peregrini eſſent: & quamuis ipſe barbam haberet prolixam, & capillos prolixos,& veſtes,& omnia cætera ad ſimilitudinem gentis illius terræ: tamē celari non potuit propter nimias expenſas, quas faciebat contra conſuetudinem illius patriæ: & ſtatim homines illius prouinciæ coniicientes illum eſſe regem Angliæ, propoſuerunt illum capere,& Romanorum Imperatori tradere,qui illum odio habuit,propter auxilium regi *Tancredo* factum,& propter necem *Conradi* marchionis cōſanguinei ſui. Quod cum regi Angliæ per quendam ſuorum cōſtaret, tradidit familiam ſuam aduocato Bithyniæ,præcipiens,vt in loco illo,per 4. dies morā feciſſet, expendentes profuſius, quam ipſe fecerat. Et ipſe cum vno ſolo comite, velocib. equis aſcenſis,ſero viam carpſit,& properās die,ac nocte venit prope * Weennā,& non longe ab ea,in quadam parua villa, ipſe, & comes ſuus hoſpitium ceperunt. Et dum comes regis pergeret ad emendum cibū: rex ex labore itineris fatigatus ſtatim incubuit ſupra lectum,& dormiuit. Interim comes ſu⁹, dum intenderet concambire denarios, à quodam ſeruiente Ducis Auſtriæ cognitus eſt,& captus,& ductus ante Ducem;& cū diutius celare non potuit,indicauit ei hoſpitiū regis: & venientes,inuenerunt eum dormientē,& ceperunt. Aduocatus vero Bituniæ,& qui cum eo erant,cū exire vellent à villa,in qua rex dimiſerat eos,capti ſunt, & abire non permiſſi. Interim rex Franciæ,habito colloquio cū Seneſcallo,& proceribus Normannię,petiit ab iis *Aleſiam* ſororē ſuam,quam habebant cuſtoditam in turre Rothomagenſi: & caſtellum de Giſortio,& Comitatū de Auca,& Comitatum de * *Albemarlia*: & oſtendit ei chirographum,factū inter ipſum & regē Angliæ apud Meſſanam. Cui proceres Normāniæ reſpōderunt,quod ipſi nullū mandatū receperant inde à domino ſuo,& ideo facere noluerunt, quod petebat. Deinde rex Franciæ,magno congregato exercitu, voluit Normāniam hoſtiliter inuadere: ſed primates regni ſui noluerunt ei conſentire, dicentes, Quod dominus

al. Renis

al. Bilaria

al. Wenā

Richard⁹ rex capt⁹.

al. Albemana

Papa excommunicauerat omnes, qui guerram facerent in terra regis Angliæ, ante reditum ſuum: & quod ipſi iurauerant tenere ei & terræ ſuæ pace, donec rediiſſet. Eodem anno in Quadrageſima, Archiepiſcopus Eboracenſis venit Londonias, per mādatum iuſtitiariorum regis: & cum veniſſet ad Weſtmonaſterium cum cruce ſua, prohibitum eſt ei à Lundonenſi Epiſcopo, & cæteris Epiſcopis Angliæ, ne ipſe à modo præſumeret crucem ſuam portare in Cantuarienſi diœceſi. Et contumaciter reſpondit iis, quod propter illos non dimitteret: tamen ſuorum fretus conſilio abſcondit eam à facie populi, ne tumultus fieret in clero. Lundonienſis vero Epiſcopus, illum pro excommunicato habens propter transgreſſionem illam, ſuſpendit nouum templum à diuini celebratione officii, & à ſonitu campanarum, vbi prædictus Eboracenſis Archiepiſcopus fuerat hoſpitatus. vnde oportebat illum à ciuitate exire; ſed antequā exiret, *Alienor* regina, & Rothomagenſis Archiepiſcopus, & ipſe, & omnes magnates regni conuenerunt in vnum: & iurauerunt fidelitatem, & fidele ſeruitium *Richardo* regi Angliæ, & hæredi ſuo contra omnes homines. In eadem Quadrageſima Elienſis Epiſcopus Cancellarius rediit in Angliam, per mandatum Comitis Moretonii, & manſit per aliquot dies in caſtello Dorobterniæ, non auſus vlterius procedere. Comes autem Moretonii, pro quingentis libris argenti, quas Cācellarius promiſerat ei pro reſtitutione officii ſui, modis omnibus tentauit inducere principes regni, vt recepiſſent Cancellarium in priſtinum ſtatum: & noluerunt, ſed mandauerunt Cancellario, quod niſi ipſe celerius à regno recederet, caperent illum. Quo audito, Cancellarius, non auſus moram facere in Anglia contra voluntatem principum, transfretauit in cœna Domini. Eodem anno, *Gaufridus* Eboracenſis Archiepiſ. dedit, & charta ſua confirmauit Abbatiæ de Godeſtaue, Prioratum *S. Clementis* in Eboraco. ſed moniales *S. Clementis*, quæ ſemper ab ipſis Eccleſiæ ſuæ fundamentis liberæ extiterāt, noluerunt obedire abbatiæ de Godeſtaue, facta appellatione ad dominū Papam pro libertatib. Eccleſiæ. Interim clerici Rothomagenſis Archiepiſcopi, quos ipſe Romā miſerat contra Cancellarium, in hac forma ſcripſerunt illi.

EPISTOLA CLERICORVM WALTERI Rothomagenſis Archiepiſc. ad ipſum.

V*altero* Dei gratia Rothomagenſi Archiepiſc. chariſſimo domino, & patri, Clerici ſui ſalutem. Omittimus pericula, & labores, quos in via ſæpius nos oportuit ſuſtinere, & quod frequenter inſidiis declinatis, tandem incidimus in latrones, bonisque omnibus ſpoliati præter quoſdam equos, & literas, ſine omni viatico venimus in vrbem ſumptuoſam tertio Idus Februarii, apud Beati *Petri* Eccleſiam curia commorante. Ibique inuenimus Cancellarii clericos plurima iactātes, & multa (vt videbatur) proſperitate gaudentes. Nam plenæ legationis officio impetrato, iam ſæpe dominus Papa, & Cardinaliū quidam, Elienſi Epiſcopo, cū ſubſcriptione legati, ſuas epiſtolas dirigebant, & principalibus legationis bullatis literis inde nondum traditis, ſeſe receſſui imminenti prædicti nuntii præcingebant. Etenim dominum Papam ex toto pronum inuenimus, vt partes Cancellarii tueretur; & qui domino Papæ familiarius aſſident, & adhærent, ipſius negotia tanquam propria promouebant. Verum per Dei gratiam, ad aduentus noſtri inſtantiam, literæ ſunt retentæ, quibuſdam, qui deuotius negotia noſtra reſpiciunt, ſæpe & multum dicentibus nō fuiſſe hactenus adeo neceſſariam veſtrorum præſentiam nuntiorum. * Verū quando po- *al. Porro.*
tuimus, audiēdi copia impetratā, coram domino Papa & cardinalib. vniuerſis literas propoſuimus, à vobis & Epiſcopis, & prælatis, & iuſticiariis Angliæ deſtinatas, cū diligentia digna cætera adnectentes, quæ intentioni veſtræ credidimus expedire. Et cū nuntii Elienſes attētaſſent obiicere tam reſponſionibus, quam obiectis: dominus Papa in veſtri depreſſione negotii, plurima indignanter, & cum amaritudine proponebat, multiplicatis inculcans ſermonibus, & affirmans: Scimus, quod illuſtris rex Anglorū, domino Elienſi regni ſui totius adminiſtrationē reliquit, nec aliquem ei parē vel maiorem adhibuit. literas domini regis ſuper eo vidimus; reuocatorias aut contrarias nō vidimus, nec videmus, nec earum tranſcriptum ſigillis ſuppoſitis & auctentis conſignatū. Sed multæ venerabiles perſonæ ſcribunt contra dominum Cancellariū: & nos pro domino Cancellario multarum recepimus venerabilium literas perſonarum. Sed & literæ, quas vos portatis, eorum ſunt qui dominum Cancellarium expulerunt; nec miramur admodum, ſi pro ſe ſcribere videantur. Scimus, quia dominus rex nulli vnquam mortalium, tantam dilectionem exhibuit, vel honorem impendit, quantum domino Elienſi. Ipſum fecit non modo Epiſcopū venerandæ ſedis & ditiſſimæ Elienſis, ſed & Cancellarium ſuum; ſed & regnum Angliæ vniuerſum eius ſolius cuſtodiæ commendauit. ſed nec omnibus iſtis cōtentus eſſe potuit domi-

dominus rex; ſed & pro legationis officio domino Cancellario committendo, & bonæ recordationis domino *Clementi*, & nobis etiam ſupplicauit. Vide quam tenere amabat eum; quem vnquam hominum tãtum diligit, vel dilexit? Ad preces domini regis, & inſtantiam multam, præſentem legationem indulſimus domino Elienſi. Ab homine, quem dilexerat, regem tam ſubito tãtam gratiam reuocaſſe vix poſſumus credere, niſi literas eius, & ſigillum regium videremus. Et quod domino regi dedimus (puta legationem domini Elienſis) ſine falſitatis nota nec ſuſpendere poſſumus, nec auferre. Sed & omnes Anglicani Epiſcopi, pro legationis officio confirmando, nobis proprias literas tranſmiſerunt: & nobis vnanimiter ſupplicãtes, pro ipſo Cancellario commendationem plurimam porrexerunt. Et modo quod contrarium poſtulatur ab iis, ſuæ potius leuitati imputandum videtur. Sed & dominus veſter Rothomagenſis Archiepiſcopus, nobis pro domino Elienſi, plenas deuotionis literas deſtinauit, cum pro ipſo ſcripſiſſet, dum proſperis vteretur: contra ipſum exilii calamitate oppreſſum eos graue eſt exaudiri, cum contra eos ſcriptum ſit:

Dum fueris fœlix, multos numerabis amicos:
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Porro cum priſtina fœlicitate gauderet, & legationis vice apud vos fungeretur, quæ vnquam Eccleſia, quod monaſterium, quæ perſona, quis vulgaris, aut nobilis, ſuper erogationibus domini Elienſis, vel Eccleſiarum grauamine, verbum miſerat ad nos aut querelam? Omnes applaudebant fœlici, omnes murmurãt in oppreſſum. Amici fortunæ fuerant, cum fortunæ gratia recedentes. Hæc quidem & multa alia, à domino papa oppoſita, non eſſe non poterant magni ponderis & momenti, vt ab eo propoſita, qui ſuperiorem non habet, & à pontifice ſummo & iudice, & cuius voluntati nemo eſt, qui reſiſtat. Sed & multum contra nos quibuſdam facere videbatur, quod dominus rex Angliæ, in reuerſione veſtra, ſupplicauit pro vobis, vt in Normanniæ partibus, & cæteris tranſmarinis, vobis legatio transferretur. Verum prima facie nemini videbatur, quod regiæ eſſet voluntatis, vos in Angliæ partibus adminiſtrationem habere, & legationis officium in Normanniæ exercere: cum & Angliæ tutelam gerere, & legationis officium in Normannia exercere, vni & eidem homini, nec facile, nec promptum eſſe videbatur. Sed & forma regiæ voluntatis, quæ pro vobis fuerat à rege Cancellario deſtinata, ſeneſcallo Normanniȩ à rege dicebatur tranſmiſſa, vt & ipſe in Normanniæ partibus veſtro conſilio fungeretur. Ad quæ & ſimilia cum reſponſiones idoneas haberemus, tamen domini papæ fauor, & adiutorium in partem contrariam nitebantur. Veruntamen tandem dubitare coactus, tum ad inſtantiam noſtram, tum Cardinalium aliquorum, quos in noſtræ partis gratiam traxeramus, Cardinalibus omnibus congregatis in vnum, ſingulorum conſilia requiſiuit: noſtroq; negotio diu ſuſpenſis deliberationibus agitato, ſuam dominus papa ſedens pro tribunali dedit ſententiam ſub hac forma: Puta (vt breuiter & ſummatim procedamus) & Cancellarium à veſtra, & domini Rothomagenſis decani denunciatione abſoluit; & vice mutata, ſententiam Elienſis Epiſcopi, quam occaſione quarundam literarum probabilium in vos tulerat, & decanum, & alios quoſdam Cancellario odioſos, nullam fuiſſe publice iudicauit. Porro dominus papa, in ſua procedens ſententia, ſuper iniuria Archiepiſcopo Eboracenſi illata, ſine forma præſcripta, Cancellario purgationem indixit; legationem autem nec eius executionem ademit, cum iam ipſam ad precum regiarum inſtãtiam contuliſſet, & vobis etiam ſupplicantibus, cum pontificibus Angliæ vniuerſis: eam tamen legationem protulit exequẽdam ſub hac exceptione adiecta, quod ipſe interdum vel ſuſpenſionis, vel excommunicationis ſententiam proferendi, in vos vel in decanum Rothomagenſem, vel Epiſcopos Angliæ, vel iuſticiarios, vel magnates nullam habeat poteſtatem; Cuius interpretationem ſententiæ nos habituros confidimus vtiliorem, verborum faciem vobis in proximo, in ipſius papæ literis tranſmiſſuros. Sententiæ vero prænominatæ adiecit, quod concilio Cardinalium conuocato, noſtroq; adhibito, & nunciorum domini Elienſis, perſonas venerabiles in veſtris partibus prouidebit, quibus mediantibus inter vos & dominum Cancellarium, poſſet pax, & concordia reformari, ſaltem quantum ad mutuum rancorem animi remittendum. In huius autem deliberationis tractatu, & prædictæ forma ſententiæ, eas pro certo credimus ex toto literas reuocandas; quæ cum eſſent Epiſcopis totius Angliæ deſtinatæ, tamen occaſione ipſarum, idem Cancellarius vos cum multis aliis excommunicationis vinculo denunciauit aſtrictos. Super quam tãmen denunciationem, cum nos domino papę ad mandatum domini Rothomagenſis decani propoſuimus querelã palam in conſiſtorio coram Cardinalib. vniuerſis & populo, lectis eiſdem literis & inſpectis; quantum proteſtatus eſt voce coram omnibus

exaltata quod nunquam prædictæ literæ à conſcientia eius originem habuerunt, cœtu Cardinalium de ſe idem cum admiratione plurima proclamante: Et cum nuncii Elienſis Epiſcopi papæ inſtantiſſime reclamarent, nemini aurem propitiam vel fautricem impendit. Vale. In nocte ſequenti venerunt nuncii Elienſis Epiſcopi ad dominum papam & increpantes eum, quod ita in conſpectu vniuerſorũ Cardinalium proteſtabatur, quod confirmatio ſententiæ quam cancellarius dederat in Archiepiſcopum Rothomagenſem, & complices ſuos, qui in deiectione illius vnanimes extiterunt, non manaſſet à conſcientia ſua; & quæſierunt, vt pro amore Dei, & honore Romanæ Eccleſiæ, reduceret ad memoriam ſeruitia, quæ Cancellarius ei, & Romanæ Eccleſiæ deuote exhibuit: & vt ipſe per teſtimonium veritatis, opprobrium Cancellarii, & ſuorum tolleret, ne inimici illorum de iniuſta condemnatione ſua gratularentur. His & aliis huiuſmodi exhortationibus dominus papa exhortatus, in craſtino ſedens pro tribunali, coram Cardinalibus, & omni populo confeſſus eſt, quod literæ illæ, quas die præcedenti deuouerat, præcepto illius factæ fuerant, & in Angliã miſſæ ad confirmandam ſententiam excõmunicationis, quam Cancellarius dederat in Archiepiſcopum Rothomagenſem, & complices ſuos, qui eum à regno deiecerant. Præterea iidem clerici Rothomagenſis Archiepiſcopi mandauerunt ei, quod Romæ locuti fuerunt per quatuor dies cum *Hugone* de Gurnai, & cum *Willielmo* de Peſſi, & *Dragone* de Trubleuile, & cum multis aliis, quos rex Angliæ in terram ſuam deſtinauit: & quod quindecim diebus poſt, venit *Andreas* de Chauencio narrans, quod multum placuit domino regi, quod Cancellarius fuit amotus, ſed etiam multum diſplicuit ei, quod communia Londoniæ, & totum regnum eſſet iuratum Comiti *Iohanni*. Et quæſiuit rex vt dominus papa ceſſaret omnes donationes redditaum Eccleſiaſticorum, quas Cancellarius poſt receſſum regis fecerat: ſed dominus papa noluit ita abſolute illas donationes caſſare, ſed communiter caſſauit omnes donationes redditaum Eccleſiaſticorum ad regem pertinentium, à quocunque factæ fuerunt, & ſuper hoc conſtituit dominus papa Lincolnienſem, & Londonienſem Epiſcopos iudices. Conceſſis autem literis clericis domini Rothomagenſis Archiepiſcopi, acceſſerunt ad dominum papam, & dixerunt ei de Cancellario: *Ecce quomodo amabat eum.* Eodem anno dominus papa miſit à latere ſuo duos cardinales, ſcilicet, *Octauianum* Hoſtienſem Epiſcopum, & *Iordanum* de Foſſa noua ad dirimendam litem, quæ erat inter Cancellarium, & Rothomagenſem Archiepiſcopũ. Qui cum veniſſent in Normanniam vſq; ad Gyſorcium, clauſa eſt iis ianua, & intrare non potuerunt. Et cum cognouiſſent hoc factum fuiſſe per *Willielmum* filium *Radulfi* Seneſcallum Normanniæ, illum excommunicauerunt, & omnes complices ſuos, & fautores, & conſiliarios, & authores prædictæ præſumptionis: & totam Normanniam ſub interdicto poſuerunt. Quod cum nunciatum eſſet in Anglia, regina *Alienor* & Rothomagenſis Archiepiſcopus miſerunt ad eos *Hugonem* Dunelmenſem Epiſcopum, vt relaxarent ſententiam, quam dederant in Seneſcallum Normanniæ, & in ipſam Normanniam. Primo vero inuenit eos Dunelmenſis Epiſcopus apud Pariſios, deinde ſecutus eſt eos vſque Vizeliacum; ſed nullo modo relaxare ſententiam ſuam voluerunt, niſi recepti fuiſſent in Normannia. Sed dominus papa interdictum Normanniæ relaxauit, & relaxari fecit à legatis, nec tamen intrauerunt Normanniam. Eodem anno dum Seneſcallus Gaſconiæ ægrotaret, Comes Petragoriẽſis, & vicecomes de Marchia, & fere omnes barones Gaſconiæ, terras regis Angliæ vaſtare cœperunt: Seneſcallus vero nec pacem, nec treugas interim habere potuit, licet id pluries, & perpluries requiſiſſet. Conualeſcens tandem, inuaſit caſtra & munitiones prædicti Comitis, & ea omnia debellauit & cepit, quædam ad opus regis muniendo, quædam funditus ſubuertendo. Similiter omnia caſtra prædicti vicecomitis cepit, & totum Comitatum illius in perpetuum dominationi regis mãcipauit. Poſtmodum filius regis Nauarræ affuit illi in auxilium cum octingentis militibus; & terram Comitis Toloſæ pariter ingreſſi ſunt, multaq; caſtra circa Toloſam ceperunt, & capta ad opus domini regis munierunt, & multas alias munitiones funditus ſubuerterunt, & vſq; ad portas Toloſæ progreſſi ſunt, & fere ſub ipſis muris pernoctauerũt. Eodem anno multi peregrini, qui receſſerunt cum rege de terra Suliæ, redierunt ante natale Domini in Angliam, ſperantes ſe inueniſſe regem in Anglia, & interrogati de rege, vbi eſſet, reſponderunt: Neſcimus, ſed nauem eius, quam intrauerat, vidimus applicatam apud Brunduſium in Apulia. Interim *Limpoldus* dux Auſtriæ, qui regem Angliæ ceperat, tradidit eum *Henrico* Romanorum Imperatori. Vnde idem Imperator in hac forma ſcripſit *Philippo* regi Francorum.

EPISTOLA HENRICI IMPERATORIS *ad Philippum regem Franciæ de captione Richardi regis Angliæ.*

HEnricus Dei gratia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus, dilecto & ſpeciali amico ſuo *Philippo* illuſtri Francorum regi, ſalutem, & ſinceræ dilectionis affectum. Quoniam imperatoria celſitudo non dubitat regalem magnificentiam tuam lætiorem effici de vniuerſis, quibus omnipotentia creatoris nos ipſos, & Romanum imperium honorauerit & exaltauerit; nobilitati tuæ præſentium tenore declarare duximus, quod inimicus imperii noſtri, & turbator regni tui, *Richardus* rex Angliæ, cum eſſet in tranſeundo mare, ad partes ſuas reuerſurus, accidit, vt ventus, rupta naui ſua in qua ipſe erat, duceret eam verſus partes Hiſtriæ, ad locum, qui eſt inter Aquileiam & Venetias, vbi ipſe rex Dei permiſſione paſſus naufragium, cum paucis euaſit. Quidam itaque fidelis noſter Comes *Mainardus* de Gortze, & populus regionis illius, audito, quod in terra erat, & conſiderato diligentius, qualem nominatus rex, in terram promiſſionis proditionẽ, & traditionem, & perditionis ſuæ cumulũ exercuerat, inſecuti ſunt, intendentes eum captiuare. Ipſo autem rege in fugam conuerſo ceperunt de ſuis octo milites. Poſtmodum proceſſit rex ad Burgum in Archiepiſcopatu Saltzeburgenſi, qui vocatur Friſorum, vbi *Fredericus* de Boteſowe, rege cum tribus tantum verſus Auſtriam properante noctu, ſex milites de ſuis cepit. Dilectus autem conſanguineus noſter *Limpoldus* Dux Auſtriæ, obſeruata ſtrata, impoſitis vbique cuſtodibus, ſæpe dictum regem iuxta Wenam in villa viciniori in domo deſpecta captiuauit. Cum itaq; in noſtra nunc habeatur poteſtate, & ipſe ſemper tuæ moleſtiæ, & turbationibus operam præſtiterit; ea, quæ præmiſimus, nobilitati tuæ inſinuare curauimus, ſcientes ea dilectioni tuæ beneplacita exiſtere, & animo tuo vberrimam importare lætitiam. Datum apud Rithiencie 5. Cal. Ianuarii. His itaq; per Angliam publicatis de captione regis Angliæ rumoribus; *Walterus* Rothomagenſis Archiepiſcopus in hac forma ſcripſit *Hugoni* Dunelmenſi Epiſcopo.

EPISTOLA ROTHOMAGENSIS ARCHIEpiſcopi ad Dunelmenſem Epiſcopum de captione Richardi regis.

VEnerabili in *Chriſto* fratri, & amico chariſſimo, *Hugoni* Dei gratia Dunelmenſi Epiſcopo, *Walterus* eadem gratia Rothomagenſis Archiepiſcopus, ſalutem in vero ſalutari. Super aduentu regio rumoribus variis ventilatis, tandem, quia veritas latere non potuit, nobis omnia ſunt aperta. Verum in aduerſis & proſperis eſſe æquanimes nos oportet: Dei enim non poſſumus auertere voluntatem; & cum eius iudicia ſint occulta, euentus rerum fortuitos eius miſericordiæ, & prouidentiæ commendamus. In mœrore animi noſtri cogimur profiteri, de domino noſtro rege aliter accidiſſe, quam eius regno, & vniuerſis ſuis fidelibus expediret: & ſi eius merita plenius intuemur, is caſus eius operib. nullatenus deberetur. Qui enim ad Dei gratiam patrimonium vniuerſum exhauſit, & bellorum fortunæ, ſuorum & ſuum ſanguinem indifferẽter commiſit, in omnibus viis ſuis protectionem Dei merebatur. Verum *aduerſitas, quæ bonis votis obiicitur, probatio virtutis eſt, non indicium reprobationis.* Et quid plura loqui compellimur, quod nollemus? Imperatoris Alemannorum literarum tranſcriptum vobis ducimus tranſmittendum, quas de domini noſtri regis Angliæ captione ad regem Francorum deſtinauit, præſenti pagina noſtra inuolutum. Vobis autem non eſt opus lachrymis, ſed virtute: quoniam fortunæ aggreſſibus non eſt planctibus occurrendum, ſed diſſimulato dolore, probitatis experientiæ intendendum. forſitan ad veſperum demorabitur fletus, & nos ad matutinum lætitia viſitabit. Et quoniam ſpei noſtræ maxima pars poſt Dei miſericordiam in ſinu veſtro reponitur; lachrymantibus intimis, & toto corde depoſcimus ſupplices, & deuoti, & quaſi chariſſimi poſtulantes: quatenus in negotio, quod domino noſtro regi ſupra opiniõẽ arduum incumbit; veſtræ diligentiæ partes & induſtriæ, totis conatibus impendatis; & conſilium veſtrũ, quod totis viſceribus exoptamus, nullius recordatione anguſtiæ, nullius aduerſitatis proſpectu, nulla occaſione, nulla temporaliũ aut fœlicitatis cautela nobis, & domino noſtro, imo vobis potius denegetis. Et quoniã præſenti animus, q̃ abſenti plenius intimatur; & in perſonarum præſentia conſiliũ præſentis articuli copioſius eluceſcet, & ſalubriorem dominus inde ſortietur effectum; idcirco nos a vobis, affectione prætacta lachrymabiliter poſtulamus, vt omnis difficultatis exceptione poſtpoſita, die dominica, ante *Lætare Ieruſalem* apud Oxenford nobis & aliis domini regis fidelibus occurratis. Præſens enim negotiũ inſtantiam eã deſiderat; vt omnis excuſatio deliteſcat, & omnem dilectionẽ domi-

no regi debitam, in caſu, quem loquimur, probationem credimus habituram. Dominum autem Bathonienſem noueritis de domino noſtro rege quantoties liberando cum domino Imperatore iam habuiſſe tractatũ. Omnem enim impendit laborem & operam, vt ei præſtet obſequium, & regiæ debitum reuerentiæ, & honori gratum, & vtile ad præſens, ſicut & alias plenum exhibeat famulatum; ſicut ab eis recepimus, qui interfuerunt colloquio, quod de noſtro domino liberando cum domino principe dominus Bathonienſis habebat. Et quoniam vniuerſis euentibus diuinum eſt a Deo auxilium implorandum: rogamus, quatenus in vniuerſa veſtra diœceſi pro ipſo preces apud altiſſimum faciatis effundi. *Plurimum enim valet deprecatio iuſti aſſidua*; & importuna mulier in Euãgelio meruit exaudiri. & ſicut ibi dicitur, *Chriſtus* filium ſuſcitauit, quia multæ pro eo lachrymæ fundebantur. Valete. Audita itaq; regis captione *Walterus* Rothomagenſis Archiepiſcopus, & cæteri domini regis iuſtitiarii miſerunt Abbatem de Boxeleia, & Abbatem de Ponte *Roberti* in Alemanniam, ad quærendum regem Angliæ. Qui cum totam Alemanniam peragraſſent, & regem non inueniſſent, Baueriam ingreſſi ſunt, & obuiauerunt regi in villa, quę dicitur Oxefer, vbi ducebatur ad Imperatorem, habiturus cum eo colloquium in die Palmarum. Et comperto, quod prædicti Abbates veniſſent de Anglia, rex præbuit ſe illis hilarem, & affabilem: quærens de ſtatu regni ſui, & de fidelitate hominum ſuorum, & de ſalute, & proſperitate regis Scotiæ, in cuius fide fiducialius innitebatur. Ipſi vero, quæ audierant & viderant, teſtificati ſunt. Conferentibus itaq; illis ad inuicem, conqueſtus eſt rex ſuper proditione *Iohannis* fratris ſui Comitis Moretonii, cui tot beneficia, & honores contulerat immenſos; qui ſe regi Franciæ contra eum dederat, & rupto fraternitatis fœdere, fœdus cum morte inierat, & pactum cum inferno. Super hoc itaq; rex valde contriſtatus ſubito in vocem conſolationis erupit, dicens. Iohannes *frater meus non eſt homo, qui ſibi vi terram ſubiciat, ſi fuerit, qui vim eius vi ſaltem tenui repellat.* In itinere autem per tres dies, vſque dum ad Imperatorem perueniſſet, quomodo ſe habuerit ſtrenue, eleganter, prudenter, admirati ſunt vniuerſi, iudicantes illum dignum Imperatoria celſitudine, qui ita nouit animo imperare, & fortunæ biformes euentus vniformi conſtantia ſuperare. Die vero conſtituto, habito colloquio per internuntios cum Imperatore, non potuerunt illo die confœderari, eo quod Imperator multa petierat: quibus nec etiam pro mortis periculo rex conſentiendum iudicauit. In craſtino autem, omnibus deſperantibus, cum ſuceſſu læto ſucceſſit læta conſolatio. Nam Imperatore regem Impetente in multis, & obiiciente quam plurima, tum de proditione terræ Suliæ, tum de morte Marchionis, tum de quibuſdam conuentionibus ad inuicem habitis, & non obſeruatis; rex libere, & conſtanter, & ita intrepide reſpondit, quod non ſolum eum Imperator gratia, vel venia dignum, ſed etiam laude iudicauit. Nam inclinantem ſe regem erexit, & ſuſcepit in oſculo pacis, & confœderauit eum ſibi; & ampliando honoribus & auxiliis (circumſtante populo, & in lachrymas ruente præ gaudio) promiſit, aſſerens, quod confœderaret regem Angliæ regi Franciæ. Et tunc quaſi pro mercede rex Angliæ centum millia marcarum, mediante Duce Auſtriæ, pro ſua liberatione promiſit Imperatori. Promiſitq; Imperator, quod, ſi per operam eius rex Angliæ, & rex Franciæ non poſſent confœderari, ipſe regem Angliæ ad propria remitteret ſine pecunia. Eodem anno *Celeſtinus* papa conſiderans, quod rex Franciæ & Comes Moretonii frater regis Angliæ guerram faciebant contra regem Angliæ, in hac forma ſcripſit Epiſcopis Angliæ.

EPISTOLA COELESTINI PAPAE AD ARCHIEpiſcopos & Epiſcopos per Angliam conſtitutos.

C*oeleſtinus* Epiſcopus ſeruus ſeruorũ Dei; venerabilibus fratribus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Angliam conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum ad propulſandam iniuriam populi Chriſtiani, & communis notam fidei abolendam, quam ei Paganorũ ſpurcitia in captione ſanctæ terræ, quæ Domini eſt hæreditas nũcupata, pernicioſe, ac violenter impreſſit; & ad emendandam etiam ciuitatẽ ſanctam, & ſepulchrum Dominicum ab Saracenorũ, & aliorũ inſuper occupantium immunditiis, ac auferendam illam per auxilium ſupernæ clementiæ à poteſtate illorũ, ſedes apoſtolica ſuum debitum recognoſcens, per diuerſas mundi partes nũtios ſæpe a ſuo latere, ac commonitorias literas deſtinauerit: & in diuina confiſa clementia magnas illuc tendentibus impenderit indulgentias: licet, vt fraternitas veſtra poteſt perpẽdere, ad hæc agenda per exhortationes illius viriliter ac deuote plurimi ſe accinxerint, & tot in tranſmarinis partibus *Chriſti* fideles propter hæc ſæpe fuerint congregati, vt multitudo eorum, oppugnantium numerum non

non modicum videretur excedere, & *auxiliis ac viribus etiam præualere: non multum *al. animis* tamen proficere potuit, vel his qui ex aduerſo contendebant obeſſe, pro eo (ſicut ex effectu datur intelligi) quod niſus & actiones eorum, qui fuerant ad partes illas profecti, Domino pro parte magna diſplicebant. Vnde merito aliorum peccaminum, quia non in Deo, ſed viribus propriis confidebant, & non erat ante ipſorum oculos timor Dei; ex pręconcepta ſuperbia cor eorum permiſſum eſt obſcurari, vt alia inſuper agerent, quæ minime conuenirent, diuinum contra ſe ſuis peruerſitatibus iudicium prouocantes. Verum, quia multæ ſunt miſericordiæ Domini, qui etſi ad malorum peruicaciam retundendam, & ſubdenda ceruicoſorum hominum colla, diſciplinæ manus quandoq; ſuas medicinaliter aggrauat; & vt eleuet, opprimit; & percutit, aut flagellat vt ſanet: ſi ad eum cum debita fuerimus humilitate reuerſi, & de peccatis caſtigati, ac de obſeruãdis Creatoris de cætero, ſtudio feruentiore mandatis firmum propoſitũ aſſumpſerimus; abſq; vlla poterimus hæſitatione ſperare, quod affluentius gratiuſque nobis aſſiſtet, & de inimicis nominis *Christi* plenam indulgebit de cœlo victoriam; ita quod vniuerſa, quæ incurrimus hucuſque, grauamina, obliuioni tradantur, omnibus conuerſis retrorſum & merita confuſione ruentibus, qui oderunt Sion, & gentilibus præſumpſerunt contaminationibus maculare. Attendentibus autem, ac ſtudio diligenti ſcrutantibus, quales minas populo Iſraeli, cum ex promiſſione memoratam ſupra terram intraret, diuina poteſtas tulerit, non erit dubitationis ſcrupulus, qui huiuſmodi inquiſitioni opponat, quare noſtrũ pro Deo inceptum conamen ſperatos non ſit conſecutum effectus. Dictum eſt enim illis, vt ab habitatorum illius terræ contagiis, & ſpurcitiis abſtinerent; & illorum vitia imitatione digna non ducerent, quæ ipſis poſſint accidere in ruinam; ſed legem Domini firmo propoſito, & omni animi, & intentionis niſu ſeruarent: quibus itaq; monitis, ſi deuote ac humiliter obedirent, vnus eorum mille vinceret, ac decem ex illis decem millia. Quæ certiori poſtmodum experimento nouerunt; cum pauci de ipſis magnam ex illis & infinitam quaſi multitudinem trucidarent; & dum deuote diuinis intenderent mandatis, non fuit ciuitas, vel munitio, quæ ipſorum poſſet euitare congreſſus; vel ipſorum ſubtrahi conamine aliquo, vel conſilio poteſtati. Quia tamen cum eorum filii, qui Dominum, vt ibi dicitur, non nouerunt, ab illorum, quæ fuerant ſibi legali promulgatione iniuncta, temere cœpiſſent obſeruatione deficere, inimici eorum aduerſus eos cuneos obſtruentes ſuæ illos potentiæ ſæpius ſubiugauerunt; quos denuo per diuinum ſibi auxilium ſubiegerunt, cum de commiſſis exceſſibus pœnitentes, ac reatum ſuum recognoſcentes, humiliter pia ſunt ad Deum deuotione conuerſi. Satis autem indubitanter poteſtis agnoſcere, quod cum ex ſubortis diſcordiis prouentus ſperatæ victoriæ Chriſtianæ militiæ auferretur, cauſa erat ſimultatum, & odiorum *frequentia in exercitu pullulantium, quia carnem poſuerant brachium *al. frequentium* ſuum, & à Domino receſſerant corda eorum. Si ergo volumus ſine magno labore in aduerſariorum perniciem glorioſum per omnia obtinere triumphum, propter hucuſque perpeſſa grauamina non deficiamus animo: ſed requirẽtes cum humilitate, ac cordis cõtritione miſericordiam Creatoris in confuſionem eorum perpetuam, inſuperabilem poterimus victoriam ex conſueta ſupernæ dignationis merito benignitate ſperare. Hac itaque conſideratione inducti vniuerſis orbis principibus in remiſſionem iniunximus peccatorum; vt diuini amoris & propriæ ſalutis intuitu, ſiquis aduerſus aliquem concepit qualibet occaſione rancorem, & ſi deſpexerit homini, Creatori dimittat; ne vlterius diſſentiendi ad inuicem occaſio præbeatur, quæ hactenus & victoriæ nobis (vt noſtis) prouentus abſtulit, & maximæ multitudinis parti abſque vllo commodo periculum mortis induxit: & toto animi ſtudio id inter ſe conſilii reperire procurent, quo & interim valeat illud tantillum terræ Domini portionis, quæ adhuc ſub Chriſtianorum poteſtate tenetur, ne a peruerſorum manibus occupetur, inconcuſſe ſeruari, & contra impiorum impetus ſine aliquo pauore defendi; & accingatur denuo multitudo fidelium, quæ illuc ſub debita & deuota humilitate itura totam poſſit terram, & ſepulchrum Dominicum, deuicto & conculcato penitus occupantium furore, liberare. Adhæc etiam, quia ex hoc nobis, & vniuerſo populo Chriſtiano nimium exuperat cauſa fletus, & triſtari debemus omnibus modis, non lætari; dum videlicet terra, vbi ſteterunt pedes domini, & ſalutis noſtræ ſunt ſacramenta patrata, gentilium occupationibus detinetur; torneamenta, quæ cauſa lætitiæ inuenta fuerunt, & tyronum exercendæ virtutis, penitus inhibemus; vt qui ſe voluerit exercere, ad terram illam accedat, vbi & corporis, & animæ virtus viriliter poterit, ac ſalubriter demonſtrari. taliter etiam vnitati, & pacis concordiæ ad inuicem procurent intendere, vt nullus ſit, qui aduerſus alium guerram intendat, vel armis iniuriam audeat propulſare; ſed communiter potius ſtudeant, quæ diſſidentium animos ſtudio,

ac labore diligenti reforment. Si quis vero (quod non credimus) Dei timore poſtpoſito, & reuerentia noſtra, & fidei Chriſtianæ contempta, contra hoc agere aliqua temeritate præſumpſerit: nouerit nos vobis, & aliis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, diſtrictius iniunxiſſe, vt eorum terras, qui contumaciter incepto huiuſmodi duxerint inſiſtendum, interdicto eccleſiaſtico ſupponatis, & perſonas etiam, ſi opus fuerit, excommunicationis vinculo aſtringatis, & faciatis vtramq; ſententiam inuiolabiliter obſeruari. Vobis ergo per Apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus: quatenus ad ea, quæ prædiximus, celeriter adimplenda, omni tarditate & contradictione poſtpoſitis, vos accingatis, & ſtudeatis per veſtras diœceſes, dilatione & appellatione ceſſante, id executioni mandare. Datum Romæ apud S. *Petrum* 3. Idus Ianuarii, pontificatus noſtri anno ſecundo. *Richardus* rex Angliæ in captione *Henrici* Romanorum Imperatoris detentus, vt captionem illam euaderet, conſilio *Alienor* matris ſuæ depoſuit ſe de regno Angliæ, & tradidit illud Imperatori ſicut vniuerſorũ domino; & inueſtiuit eum inde per pileum ſuũ. ſed Imperator, ſicut prælocutum fuit, ſtatim reddidit ei in conſpectu magnatũ Alemanniæ & Angliæ, regnũ Angliæ prædictum, tenendum de ipſo pro quinq; millibus librarum ſterlingorum ſingulis annis de tributo ſoluendis; & inueſtiuit eum inde Imperator per duplicem crucem de auro. Sed idem Imperator in morte ſua de omnibus his, & aliis conuentionibus quietum clamauit ipſum *Richardum* regem Angliæ, & hæredes ſuos.

Anno gratiæ milleſimo centeſimo nonageſimo tertio, qui erat quartus annus regni *Richardi* regis Angliæ, *Philippus* rex Franciæ erat in Frãcia die natalis Domini, qui feria ſexta euenit, multum contriſtatus, & confuſus propter hoc, quod Seneſcallus Normanniæ noluit tradere ei *Aleſiam* ſororem ſuam; & frequenter miſit nuncios ſuos in Angliam ad *Iohannem* fratrem regis Comitem Moretonii mandans ei, qualiter rex captiuus detinebatur, & quod ipſe nunquam exiret de captione Imperatoris Alemanniæ; adnectens, quod ſi ille voluntati illius, & conſilio acquieſceret, daret ei *Aleſiam* ſororem ſuam in vxorem, & redderet ei Normanniam, & Aquitaniam, & Andegauiam, & omnes alias terras tranſmarinas, quas rex Angliæ *Henricus* pater ſuus vnquam tenuit; & quod ipſe acquireret ei regnum Angliæ. *Richardus* vero rex Angliæ tenebatur in captione Imperatoris Alemanniæ. *Iohannes* autem frater regis Comes Moretonii ſtatim poſt natale Domini transfretauit in Normanniam. In cuius aduentu Seneſcallus Normannię, & cæteri fideles regis Angliæ, occurrerunt ei, & petierunt, vt ipſe veniſſet cum illis ad colloquium apud Alenceun, ad tractandum de negotiis regis, & liberatione eius. Quibus ille reſpondit: Si receperitis me in dominum, & iuraueritis mihi fidelitatem, vobiſcum veniam, & ero defenſor veſter apud regem Franciæ; ſin minus, ad vos non veniam. His auditis proceres Normanniæ noluerunt ei obedire, neque fidelitatem iurare; ſperantes dominum ſuum regem Angliæ per auxilium Dei, ſanum & incolumem reuerſurum. Deinde *Iohannes* frater regis profectus eſt ad regem Franciæ, & homo ſuus deuenit de Normannia, & cæteris terris fratris ſui tranſmarinis, & de Anglia, vt dicebatur; & iurauit quod ipſe *Aleſiam* ſororem illius in vxorem duceret; & ipſe quietum clamauit regi Franciæ in perpetuum Giſortium, & totum Velgeſin le Normand. & rex Franciæ conceſſit ei cum prædicta ſorore ſua illam partem Flandriæ, quæ eum contingebat; & iurauit ei, quod pro poſſe ſuo iuuaret eum ad Angliam, & cæteras terras regis fratris ſui ad opus illius perquirendas. Deinde prędictus Comes Moretonii rediit in Angliam, multos alienigenas ſecum adducens; & ſtatim reddita ſunt ei caſtellum de Walingford & de Windeſouers. Deinde ipſe Comes venit Lundonias, & à Rothomagenſi Archiepiſcopo, & cæteris iuſtitiariis Angliæ petiit ſibi regnum, & fidelitates hominum regni; affirmans, quod rex Angliæ frater ſuus mortuus erat: ſed non crediderunt verbis eius. Ipſe autem à iuſtitiariis, & aliis magnatibus regni repudiatus receſſit: & furia inuectus caſtella, & munitiones ſuas muniuit, & terras regis fratris ſui hoſtiliter inuaſit. Confluebant ergo multi ad eum, fallentes ſemetipſos, qui digno Dei iudicio flagellati amiſerunt omnia, quæ habuerunt. Nam iuſtitiarii Angliæ, & fideles domini regis viriliter reſtiterunt prædicto Comiti Moretonii, & fecerunt ei damna plurima; & munierunt cuſtodibus portus maris, & omnia maritima ita caute, quod Franci, & Flandrenſes, & cæteri multi, qui præfato Comiti auxiliũ promiſerunt, in Angliam applicare auſi non fuerunt. quidam tamen de cœtu eorum in Angliam applicantes capti fuerunt, & vinculis mancipati. rex vero Franciæ immemor ſacramenti, quod in receſſu ſuo de terra Suliæ fecerat regi Angliæ de pace ſeruanda, hoſtiliter intrauit Normanniam, & terram regis combuſſit, & prædas abduxit. Tamen *Robertus* Comes Leiceſtriæ, qui paulo ante redierat de terra Suliæ, & cæteri magnates Normanniæ reſtiterunt ei viriliter. Interim prædicti Abbates de Boxleia, & de Ponte *Roberti*, quos iuſti-

tiarii

tiarii Angliæ ad quærendum regem miſerant redierunt in Angliam poſt Paſcha: narrantes pacem factam fuiſſe inter Imperatorem, & regem Angliæ in cœna Domini, in hunc modum. *Quod rex Angliæ dabit Imperatori Romanorum centum millia marcarum argenti de redemptione, & inueniet ei quinquaginta galeas cum omni apparatu & 20. milites per vnum annum in ſeruitio ſuo: & quod ipſi interfuerunt paci illi.* Et iam facta concordia venerunt nuntii regis Franciæ, & diffidauerunt dominum regem ex parte ipſius. Quibus Imperator continuo reſpondebat, quod quicunque regem Angliæ inquietaret, & ipſum Imperatorem lęderet: tantus amor & firma concordia perpetuatur inter eos. Et quia rex Angliæ obtulerat ſe iuri pariturum in curia domini ſui regis Franciæ de omnibus, quæ rex Franciæ vel aliquis alius de ſuis partibus ei imponeret; Imperator cœpit colloquium inter ipſum & regem Franciæ, ſed non fuit proſecutus. Rex autem Angliæ miſit in Angliam pro nauibus, & pro *Alano Trenchemer* gubernatore ſuæ nauis, & pro obſidibus dandis Imperatori ſuper pactis inter illos contractis. Mandauit, & facta ſunt vniuerſa. Deinde venit Londonias *Robertus* de Turnhã familiaris regis, miſſus ab eo cum hernaſio ſuo in Angliam. Tunc conuenerũt omnes principes regni, & obſederunt Windeſouers caſtellum Comitis Moretonii; *Gaufridus* vero Eboracenſis Archiepiſcopus, & *Hugo Bardolfus* iuſtitiarius regis vicecomes Eboraci, & *Willielmus* de Stuteuille, congregatis exercitibus venerunt vſque Doucaſtre, & firmauerunt eam. Et cũ Archiepiſcopus Eboracenſis vellet inde procedere, & obſidere Thikehil caſtellum Comitis Moretonii, *Hugo Bardolf*, & *Willielmus* de Stuteuille conſentire noluerunt, quia erant homines Comitis *Iohannis*. Tunc receſſit ab eis Archiepiſcopus Eboracenſis cum gente ſua, vocans eos proditores regis, & regni. Interim rex Franciæ in manu forti intrauit Normanniam, & obſedit Giſortium. *Gilbertus* vero de Waſcoil habuit in cuſtodia caſtellum de Giſortio, & caſtellum de Neſle; & tradidit vtrumq; regi Franciæ, & adhæſit ei. ſed vilis habitus eſt inter illos propter proditionem, quam fecerat domino ſuo regi Angliæ; qui miſerat eum à Meſſana cum plenitudine gratiæ ſuæ in Normanniam, ad prædicta caſtella cuſtodienda. Deinde venit rex Franciæ Rothomagum, & dixit habitantibus in ea: *Iohannes* Comes Moretonii deuenit homo meus de Anglia, & Normanniam totam, & omnes alias terras ciſmarinas mihi clamauit quietas: & veni huc, vt ciuitatem iſtam, quæ caput eſt totius Normanniæ, accipiam: & permittite me pacifice intrare, & ero vobis dominus manſuetus, & iuſtus. Cui illi reſponderunt: Ecce apertæ ſunt ianuæ: Intrate ſi vultis: Nemo reſiſtit vobis. Et ait rex: Ego loquar inde cum gente mea. Habito itaque conſilio cum gente ſua intrare noluit. Rex autem Franciæ ita fraudatus à deſiderio ſuo, receſſit à Rothomago cum exercitu ſuo, & perrarias ſuas numero viginti quatuor, quas in circuitu ciuitatis locauerat, combuſſit: & fractis vaſis vinariis totum vinum ſuum fudit, & abiit; mandans ciuibus, quod viſitaret eos in virga ferrea. rege autem Angliæ moram faciente in * captione imperatoris Romanorum, mirati ſunt vniuerſi de mora illius; & quidam per prædicationem Comitis Moretonii, qui ſemper prædicabat illum nunquam rediturum, dubitauerunt de illo, & de reditu illius. Vnde factum eſt, quod *Walterus* Rothomagenſis Archiepiſcopus, & cæteri iuſticiarii Angliæ licet Comitem Moretonii ad deditionem coegiſſent, & caſtellum ſuum de Windeſouers, quod obſerant, fere cepiſſent, ceperunt à Comite Moretonii inducias vſque ad feſtum omnium ſanctorum, caſtellis de Notingham, & de Thikehil remanentibus in cuſtodia Comitis, ſicut antea fuerant. Caſtella vero de Windeſouers, & de Walingeford, & de Pecho tradita ſunt in manu reginæ *Alienor* matris eiuſdem Comitis Moretonii, & aliorum cuſtodum, qui tradent ea in manu illius, ſi rex frater ſuus interim non redierit. Quod cum *Hugo* Dunelmenſis Epiſcopus, qui caſtellum de Thikehill interim obſederat, audiſſet, doluit vehementer, quia iam ſecurus erat de illo capiendo; & per mandatum prædictorum iuſticiariorum inde receſſit imperfecto negotio. Et paulo poſt venerunt in Angliam nuntii regis cum literis illius, miſſi ab eo ad omnes Archiepiſcopos, & Epiſcopos, & abbates, & Comites, & barones, & clericos, & Francos tenentes; per quos rex humiliter poſtulauit, vt vniuerſi tam clerici, quam laici tale auxilium facerent ei ad redimendum eum, vnde ipſe ſciret eis grates; & vt ipſi hoc ſecurius facerent, Imperator Romanorum ſcripſit generaliter vniuerſis hominibus regis Angliæ; mandans eis, quod dominus illorum rex Angliæ cum illo compoſuerat de redemptione ſua pecuniaria; ſed ſummam pecuniæ nõ manifeſtauit. Dominus vero Papa *Cæleſtinus* ſimiliter pro ipſo rege ſcripſit vniuerſis viris Eccleſiaſticis regni Angliæ, vt imperator, & totum ipſius regnum ſubiicerentur anathemati, niſi rex Angliæ celerius liberaretur à captione illius. Similiter præcepit, vt rex Franciæ, & regnum eius anathemati ſubiacerent, niſi ipſe deſiſteret à perſecutione regis Angliæ, quamdiu fuiſſet in captione Imperatoris. His & aliis admonitionibus do-

al. cuſtodia.

mini papæ, & vniuerſorum Cardinalium, & conſilio virorum ſapientium Imperator Romanorum, & rex Angliæ facti ſunt amici. vnde rex Angliæ in hac forma ſcripſit fidelibus ſuis per Angliam conſtitutis.

EPISTOLA RICHARDI REGIS ANGLIAE AD *Alienor reginam matrem ſuam, & ad iuſtitiarios ſuos Angliæ.*

RI*chardus* Dei gratia rex Angliæ, dux Normanniæ, & Aquitaniæ, & Comes Andegauiæ, *Alienor* eadem gratia reginæ Angliæ chariſſimæ matri ſuæ, & iuſtitiis ſuis, & omnibus fidelibus ſuis per Angliam conſtitutis, ſalutem. Notũ ſit vniuerſitati veſtræ, quod poſtquam receſſerunt à nobis dilecti noſtri, *Hubertus* venerabilis Epiſcopus Saresbirienſis, & *Willielmus* de ſanctæ *Mariæ* Eccleſia protonotarius noſter, venit ad nos chariſſimus Cancellarius noſter *Willielmus* Elienſis Epiſcopus: & eo inter dominum Imperatorem, & nos fideliter interloquente, eo vſq; res peruenit, quod de caſtello de Triuellis, in quo detinebamur, obuiam venimus Imperatori apud Hagenou, vbi honorifice ab ipſo Imperatore, & tota curia recepti fuimus. Ibiq; dominus Imperator, & domina Imperatrix nos magnis, & variis muneribus honorauerũt; &, quod præcipuum eſt, mutuum fœdus amoris & indiſſolubile inter dominum Imperatorem contractum eſt, & nos. Ita quod vterq; noſtrum alterum contra omnes viuentes in iure ſuo obtinendo, & retinendo iuuare debet. Honeſte autem circa ipſum Imperatorem moram facimus; donec ipſius & noſtra negotia perficiantur; & donec ei ſeptuaginta millia marcarũ argenti ſoluerimus. Quare vos rogamus, & in fide, qua nobis tenemini, adiuramus, quatenus in hac pecunia perquirẽda ſolliciti ſitis, & vos iuſtitiarii noſtri, qui aliis in regno noſtro præeſtis, exemplum aliis præbeatis: vt ita honorifice, & magnifice de proprio nobis ſubueniatis, & etiam de his, quæ de aliis mutuo accipere poteritis, vt aliis fidelibus noſtris exemplum detis ſimilia faciendi. Vniuerſum autem aurum, & argentum Eccleſiarum diligenti obſeruatione, & ſcripti teſtimonio ab ipſarum Eccleſiarum prælatis accipiatis: eiſq; per ſacramentum veſtrum, & aliorum baronum noſtrorũ; quos volueritis, affirmetis, quod eis plenarie reſtituentur. vniuerſorum etiam baronum noſtrorum obſides recipiatis, vt cum fideliſſimus Cancellarius noſter, quam cito peractis in Alemannia negotiis noſtris in Angliam venerit, eoſdẽ obſides penes chariſſimam matrem noſtram reginam reperiat, vt eos, de quib. inter nos, & dominum Imperatorem conuenit, expedite poſſit ad nos tranſmittere: ne liberatio noſtra per abſentiam obſidum, & negligẽtiam veſtram moram patiatur. pecunia autem collecta ſimiliter matri meæ, & illis, quibus ipſa voluerit, tradatur. Quem autem in neceſſitate noſtra promptum inueniemus, in ſuis neceſſitatibus amicum nos reperiet, & remuneratorem; gratiuſq; nobis erit, ſi quis in abſentia noſtra in aliquo nobis ſubueniat, quam ſi in præſentia noſtra in duplo quis nobis ſubueniret. Volumus autem vt ſingulorum magnatum nomina, & ſubuentiones, quæ præſentialiter fient, per ſigillum matris noſtræ nobis ſignificentur, vt ſciamus, quantum vnicuiq; in gratiarũ actionib. teneamur. Sciatis pro certo quod ſi in Anglia in libera poteſtate noſtra eſſemus conſtituti, tantam vel maiorem pecuniam domino Imperatori daremus, quam modo damus pro pactionibus cõſequendis, quas per Dei gratiam conſecuti ſumus: & ſi etiam pecuniam non præ manibus haberemus, proprium corpus noſtrum Imperatori traderemus, donec pecunia ſolueretur; antequam quod factum eſt, relinqueretur imperfectum. In bulla autem domini Imperatoris aurea fert vobis Cancellarius noſter prædictam teſtificationem. Teſtibus nobis ipſis apud Hagenou. 13. Cal. Maii. Autoritate igitur literarum iſtarum mater regis, & iuſtitiarii Angliæ ſtatuerunt, quod vniuerſi tam clerici, quam laici quartam partem redditus ſui de hoc anno darent ad redemptionem domini regis, & tantum ſuperadderent de mobilibus ſuis, vnde rex deberet eis gratias ſcire: & de vnoquoq; feodo militis viginti ſolidos, & de Abbatiis ordinis Ciſtrenſis, & de domibus ordinis de Semplingham totam lanã ſuam de hoc anno; & vniuerſum aurum, & argentum Eccleſiarũ ſicut rex in mandato ſuo præceperat. Deinde venit in Angliam ex parte domini regis prædictus Cancellarius ſuus afferens literas domini Imperatoris aurea bulla imbullatas in hac forma.

EPISTOLA HENRICI IMPERATORIS AD MA- *gnates Angliæ pro Richardo rege.*

HE*nricus* Dei gratia Romanorũ Imperator, & ſemper Auguſtus, dilectis ſibi Archiepiſcopis, Epiſcopis, Comitibus, Baronibus, nobilib. & omnib. ad quos præſens pagina peruenerit, in Anglia conſtitutis, ſalutem & bonam voluntatem. Dignum iudicauimus, & no-

& noſtræ celſitudini glorioſum, ſi vniuerſitatem veſtram ſollicitius inducamus ad ea modis omnibus quibus poteſtis, agenda, quæ ad honorem chariſſimi noſtri illuſtris Regis *Richardi* domini veſtri debeantur; ne deuotionis veſtra conſtantia, & meritum fidei circa ipſius commoda appareat mortuum, ſed in ſuis, & in regni ſui obſequiis viuere videatur. Sane omnibus, quorum deuotio prędicto regi abſenti ſincera extiterit, & pura, vberes referemus gratiarum actiones. ad vniuerſitatis veſtrę notitiam deuenire volentes; quod Imperatoria ſublimitas cum regia ipſius nobilitate in concordia, & bona pace conſiſtit. Vnde quęcunq; ipſi irrogata fuerint contraria, pariter cum eo nobis parient moleſtiam, & grauamen. Quare ad deuotorum ſuorum, & fidelium honorem, & profectum, & turbatorum ſuorum damnationem, & exterminium operam pręſtabimus ſemper efficacem, & quia corde, & animo vniti ſumus, facta regis veſtri, ſpecialiter noſtri, & imperii noſtri penitus reputabimus: & grauamina eius nobis, & coronę imperiali illata cenſemus, nec ea (Deo concedente) ſine vltione, & eorum, qui ea intulerint, graui damno, & deſtructione tranſibimus. Datum apud Hagenou 13. Cal. Maii. Deinde poſt pacem iſtam inter Imperatorem, & regem Anglię ordinatam, ipſe Imperator cœpit colloquium inter ipſum, & Regem Franciæ, de pace facienda inter illum, & regem Angliæ, mediante *Willielmo* Remēſi Archiepiſcopo regis Franciæ auunculo, & Regis Angliæ conſanguineo; & ſtatuerunt diem colloquii inter Valculur & Tulim in craſtino natiuitatis ſancti *Iohannis Baptiſtæ* feria ſexta. Cancellarius vero regis cum in Angliam intrauit, cum humilitate magna ad ſanctum *Albanum* acceſſit; vbi occurrerunt ei domina regina mater regis, & dominus Rothomagenſis Archiepiſcopus, & alii iuſtitiarii domini regis. Ibi etiam bullam domini Imperatoris auream fœdus indiſſolubile inter dominum Imperatorem, & dominum regem continentem prædictus Cancellarius iuſtitiariis porrexit: aſſerens, quod nec vt iuſtitia, nec vt legatus, nec vt Cancellarius, ſed vt ſimplex Epiſcopus in Angliam venit: nec vt incola, ſed vt hoſpes, immo tantum vt nuntius domini Regis. Iniunxit etiam quibuſdam baronibus, quod cum eo ad dominum regem venirent: vcz. *Gilberto* Epiſcopo Roſenſi, & *Sefrido* Epiſcopo Ciceſtrenſi, & *Benedicto* abbati de Burgo, & *Richardo* Comiti de Clare, & Comiti *Rogero Bigot*, & *Gaufrido* de Say & aliis quam pluribus. Ibi etiam diſpoſitum eſt, penes quos pecunia collata debeat reſidere: ſcilicet ſub cuſtodia *Huberti Walteri* Cantuarienſis electi, & Domini *Richardi* Lundonienſis Epiſcopi, & *Willelmi* Comitis de Arundell & *Hamelini* Comitis de Warennia, & Maioris Lundoniarum ſub ſigillo dominæ reginæ matris regis, & ſigillo domini Rothomagenſis Archiepiſcopi. At eſt notandum, quod poſt aduentum *Huberti Walteri* Saresbirienſis Epiſcopi in Angliam conueuerunt in vnum Monachi Metropolitanæ Eccleſiæ Cantuarienſis, & elegerunt ſibi in Archiepiſcopum prædictum *Hubertum* Saresbirienſem Epiſcopum. Contra cuius electionem *Hubertus* Cantuarienſis Archidiaconus appellauit ad ſummum pontificem; tum quia rex in captione erat, tum quia Epiſcopi Angliæ, quorum eſt intereſſe electioni Cantuarienſis Archiepiſcopi, non interfuerunt electioni illi. Eodem anno dum rex Angliæ erat in captione Imperatoris, *Saladinus* obiit in prima hebdomada Quadrageſimæ. Vnde dux Venetiæ in hac forma ſcripſit prædicto regi Angliæ.

EPISTOLA DANDOLI DVCIS VENETIÆ, & Dalmatiæ, & Cherum, ad Richardum *regem Angliæ de morte* Saladini.

S*Erenißimo Domino ſuo* Richardo *Dei gratia Regi Angliæ, duci Normanniæ, & Aquitanniæ, Comiti Andegauiæ* Henricus Dandolus *eadem gratia Venetiæ, Dalmatiæ, atq; Cherum dux, ſalutem & ſinceræ dilectionis obſequium. Certa nobis relatione noueritis intimatum quod inimicus ille Chriſtianæ religionis* Saladinus *interiit. Cuius quidam filiorum, quem totius dominiis ſui dicitur conſtituiſſe hæredem, in Damaſco verſatur. Alter vero Babyloniæ, & Alexandriæ dominatur. Frater autem eius eſt in circuitu Babylonis cum exercitu copioſo; & eſt diſſenſio maxima inter eos. Valete.* Interim appropinquante termino colloquii inter Imperatorem, & regem Franciæ, Rex Angliæ per cætera indicia cognouit, quod ſi colloquium illud haberetur, Imperator, & Rex Franciæ confœderarentur contra Archiepiſcopos Colonienſem, & Magūtinum, & contra duces de Luuain, & de Lemburc, & Saxoniæ, & multos alios magnates, & nobiles, qui conſpirauerant contra Imperatorem propter necem Epiſcopi de Leges, fratris ducis de Luuain, quam Imperator machinatus erat. Timebat etiam rex Angliæ, quod ſi colloquium illud haberetur, ipſe ſine dubio traderetur in manus Regis Franciæ. Vnde Rex Angliæ plurimum ſe intromiſit, vt colloquium illud deficeret, & pax inter Im-

peratorem,& prædictos magnates fieret. Ad illius igitur inſtantiam Imperator, & magnates prædicti inter ſe pacis fœdus, & concordiæ inierunt in hunc modum: *Quod Imperator iurare fecit Epiſcopos quam plures, & Comites, & barones in animam ſuam, quod ille nec præcepit, nec voluit: vt prædictus Epiſcopus de Leges occideretur, & quando hoc ſciuit, vehementer inde doluit. & de ſatisfactione reddidit vnicuiq; prædictorum virorum, qui contra eum conſpirauerant, omnia caſtella, quæ pater ſuus, vel ipſe eis abſtulerat, & ſic facti ſunt amici: excepto duce Saxoniæ.* Et colloquium illud, quod inter illum, & Regem Franciæ eſſe debuit apud Valculur adnihilatum eſt. His itaq; peractis, Imperator die *Veneris* proxima poſt feſtum natiuitatis Sancti *Iohannis Baptiſtæ* venit Wermaſiam, vbi dominus Rex Angliæ erat. & ibi colloquium celebratum eſt inter eos per quatuor dies: cui interfuerunt Epiſcopi de partibus illis, & duces de Luuain, & de Lemburc, & Comites, & barones multi; & ex parte Regis Angliæ interfuerunt Epiſcopi Bathonienſis, & Elienſis. & quarta die, (ſcilicet vigilia Apoſtolorum *Petri & Pauli*) venerunt ad Regem Angliæ *Willielmus Briwere, & Baldewinus* de Betun: & adhuc omnes penitus deſperauerunt de liberatione Regis Angliæ. Sed per Dei miſericordiam ipſo die Apoſtolorum *Petri & Pauli* omnino conuenit inter Imperatorem, & Regem hoc modo: Dominus Rex Imperatori dabit centum millia marcarum puri argenti ad pondus Coloniæ, & alia quinquaginta millia marcarum argenti prò auxilio, quod deberet conferre Imperatori ad Apuliam acquirendam. Præterea Rex dabit ſororem *Arthuri* ducis Brittanniæ nepotis ſui vxorem filio ducis Auſtriæ. Et liberabit Imperatorem Cypri ſine reſtitutione imperii: ſimiliter, & filiam eiuſdem Imperatoris: quam faciet tradi duci Oſtricii, vt auunculo ſuo. Prædicta vero centum millia marcarum debet dominus Rex conducere ſuo periculo vſq; ad terminos Imperii: & quam cito intrabunt in aliquam partem Imperii, Dominus Rex libere, & quiete redibit cum ſaluo conductu in Angliam; & hoc iurauerunt in animam Imperatoris Epiſcopi, duces, Comites, & nobiles omnes, qui interfuerunt; Vnde chirographum factum eſt inter Imperatorem, & Regem Angliæ in hac forma.

FORMA COMPOSITIONIS INTER HENricum Imperatorem & Richardum *Regem Angliæ.*

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Hæc eſt forma compoſitionis inter Dominum Imperatorem ſemper Auguſtum, & dominum *Richardum* illuſtrem regem Angliæ. Dominus Imperator mittet nuncios ſuos, cum nunciis domini Regis, qui Lundonias ibunt, & ibi recipient centum millia marcarum puri argenti ad pondus Coloniæ. Quæ pecunia à nuntiis Imperatoris accepta, & ponderata ſigillabitur in præſentia nuntiorum ipſius, & in conductu Regis per regni ſui terminos ducetur: ita vt ſi eam in regno ſuo perdi contigerit, periculo Regis perdatur. Poſtquam vero ad terminos Imperii venerit dicta pecunia, per nuntios regis nuntiis Domini Imperatoris præſentabitur, qui eam illico ibi recipient, & ſi forte in partibus Imperii eam perdi contigerit, periculo Imperatoris perdetur, & Rex in ea non tenebitur, nec obſides ſui. Alia quoque quinquaginta millia marcarum argenti dabit rex Imperatori, & duci Auſtriæ, & pro illis ponet obſides: ſcilicet, domino Imperatori pro triginta millibus marcarum ſexaginta obſides: Duci vero Auſtriæ ſeptem obſides pro viginti marcarum millibus. Solutis ergo centum millibus marcarum, & datis obſidibus, rex libere recedet. Si autem Dominus Rex ſoluerit promiſſionem, quam domino Imperatori de *Henrico* quondam duce Saxoniæ fecerat, Imperator de quinquaginta millibus marcarum Regem liberum dimittens & abſolutũ, pro ipſo rege ſoluet duci Auſtriæ viginti millia marcarum, & rex non tenebitur dare duci Auſtriæ ſeptem obſides, nec Imperatori ſexaginta. Cum igitur rex prædictam promiſſionem de *Henrico* quondam duce Saxonię impleuerit, & centum millia marcarum ſoluerit, libere recedet. Præterea Rex fecit iurare in animam ſuam, quod neptem ſuam filiam Comitis Brittanniæ tradet nuptui filio ducis Auſtriæ infra ſeptem menſes poſtquam liberatus fuerit, & in terram ſuam redierit, & eam tranſmittet vſq; ad introitum Imperii, ſi eam recipere voluerint: & ſi noluerint, erit abſolutus. Item ſi promiſſio de *Henrico* quondam duce Saxoniæ completa non fuerit, quinquaginta millia marcarum, quæ reſidua ſunt, ſoluentur infra ſeptem menſes, poſtquam dominus Rex in terram ſuam redierit. Cũ autem Rex liberatus fuerit, & redire voluerit, Imperator dabit ei conductum per terram ſuam vſq; ad fines Imperii ſui, & in portu illo, vbi mare intrabit, quam diu ibi ſtabit, donec proſpero vento recedat. Præterea ea omnia, quæ tam in his, quam in aliis familiaribus literis ſigillatis ſigillis Imperatoris & regis, ſuper contractibus, qui inter eos ordinati ſunt,

ſunt, vterque pro parte ſua rata, & firma habebit, & bona fide obſeruabit. Quod cum Rex Franciæ audiſſet, ſtatim mandauit Comiti *Iohanni*, vt ipſe ſibi caueret, quia Diabolus iam ſolutus erat. Comes autem *Iohannes* ſciens hoc de Rege fratre ſuo dictum fuiſſe, ſtatim transfretauit de Anglia in Normanniam; & adhæſit regi Franciæ, non auſus expectare aduentum regis fratris ſui in Angliam. Deinde rex Angliæ miſit *Willielmum* Elienſem Epiſcopum Cancellarium ſuum, & *Willielmum Briwere*, & alios viros ſapientes ad regem Franciæ ad pacem cum illo faciendam qualemcunq;. Qui pacem fecerunt cum illo in hac forma.

FORMA PACIS INTER REges Franciæ & Angliæ.

NOuerint vniuerſi ad quos literæ præſentes peruenerint: Quod *Willielmus* Regis Angliæ *Richardi* Cancellarius, Elienſis Epiſcopus, ſedis Apoſtolicæ legatus, & cum eo *Willielmus* de Rupibus & *Iohannes* de Pratellis, & *Willielmus Briwere* ex parte regis Angliæ cum literis eiuſdem regis patentibus ad regem Franciæ acceſſerunt: in quibus continebatur, quod ea, quæ ipſi cum ipſo agerent, & ordinarent, ipſe rex Angliæ rata prorſus & firma haberet. Ipſi autem hoc modo egerunt, & iſtas conuentiones cum rege Franciæ ex parte Domini ſui Regis Angliæ fecerunt. Rex Angliæ *Richardus* mittit ſe ſuper dominum regem Franciæ de tota terra, quam rex Franciæ acquiſiuit ſuper ſe & homines ſuos; de qua ipſe, & homines ſui ſunt tenentes, quod ipſe tantum inde retinebit, quantum ipſe voluerit, ſibi & ſuis. De Comite autem *Iohanne* ſic erit. Quod ſi homines regis Angliæ poterunt ſufficienter monſtrare in curia Domini Regis Franciæ, quod idem *Iohannes* iurauerit ad perquirendam pecuniam ad liberationem regis Angliæ, & de hoc dederit literas ſuas, ipſe *Iohannes* tenebitur ad ſoluendum, & totam terram, quam ipſe tenebat, quãdo rex Angliæ frater eius iter arripuit vltra mare, tenebit citra mare & vltra ita libere ſicut prius tenebat; excepto eo quod liber erit à ſacramento, quod fecerat de non intranda terra Angliæ; & de hoc dictus rex Angliæ faciet Dominum *Iohannem* ſecurum per ſe, & per barones, & per Archiepiſcopos, & Epiſcopos terræ ſuæ, & inſuper per regem Franciæ. Si autem Comes *Iohannes* vellet negare, quod literæ illæ non eſſent ſuæ, aut quod illud non iuraſſet, homines regis Angliæ ſufficienter in curia regis Franciæ monſtrabunt per idoneos teſtes, quod iurauerit ad quærendam pecuniam ad liberationem regis Angliæ. Si autem monſtratum fuerit, ſicut dictum eſt, quod Comes iurauerit ad quærendam pecuniam ad liberationem regis, vel ſi defecerit de recipienda monſtratione, rex Franciæ non intromittet ſe de Comite *Iohanne*, ſi pacem de terra ſua prædicta recipere voluerit. De Comite *Lodowico* ſic erit. Rex Angliæ aſſignabit ei in terra ſua ad laudem, & conſilium regis Franciæ, & Archiepiſcopi Remenſis quingentas libratas Andegauenſium de redditibus annuatim, aut plus ſi plus fuerit, & faciet affidari ei, quod ipſe faciet Comiti *Lodowico* iuſtitiam, & ſeruitium, quod pater ſuus fecit Comiti *Theobaldo*, & ipſe rex Angliæ Comiti *Lodowico* reddet tantum pecuniæ, quantum retinuit poſt mortem Comitis *Theobaldi*, de eo, quod debebat ei reddere. De *Hugone* de Gurnay ſic erit. *Hugo* totam terram, quam alicubi tenebat, tenebit de rege Franciæ, niſi ſit, quod *Hugo* bona voluntate abſq; coactione aliqua, & ſine defectu regis Franciæ voluerit redire ad regem Angliæ; & Rex Franciæ *Hugonem* ſuper hoc libenter rogabit abſq; vim faciendo, & aliquid de ſuo mittendo. Si autem *Hugo* noluerit redire ad regem Angliæ cum terra, quam de rege Franciæ tenet, & aliam terram ſuam de Anglia, & de Normannia vellet tenere de rege Angliæ, neque excãbium pro terra illa accipere, nec aliquam pacem exinde per regem Franciæ, & per regem Angliæ recipere, oportebit regem Angliæ facere grantum *Hugonis* rationabiliter. Comes Engoliſmus & ſui liberabuntur, & ſaluo redibunt in terram ſuam, & ipſe, & ſui erunt in eo ſtatu, quo fuerunt ante guerram: neque propter aliquid, quod de guerra fecerit, malum ei, aut ſuis fiet. Comes Perticii redditus ſuos in Anglia integre habebit, & Rex Angliæ, & ſui pacem ei tenebunt. Comes Mellenti terram ſuam rehabebit, quæ eſt in terra Regis Angliæ. Quando Rex Angliæ reuenerit in pacem Regis Franciæ, ipſe faciet Regi Franciæ ſeruitia, & iuſtitias in curia Regis Franciæ de ſingulis feodis, quos ab eo tenet, ſicut ſingulus feodus apportat. Præterea Rex Angliæ dat Regi Franciæ viginti millia marcarum boni argenti, & puri ad pondus Trecenſis, perſoluendas per duos annos ibidem, his terminis: ad primum dimidium annum à die liberationis ſuæ de captione Imperatoris quinque millia marcarum; & ab eo termino ad proximo ſequentem dimidium annum quinque millia marcarum: & exinde ad proximo ſequentem dimidium

annum quinque millia marcarum: & exinde ad proximo ſequentem dimidium annum quinq; millia marcarum argenti. Et pro his conuentionibus omnibus obſeruandis Rex Angliæ tradet regi Franciæ Locas, & Caſtelionem ſupra Edriain: & Archiepiſcopo Remenſi Driencurt, & Arches. Hæc autem quatuor caſtella cuſtodientur ad expenſas Regis Angliæ: ita tamen, quod pro locis, & pro Caſtelione cuſtodiendis, *Willielmus* de Rupibus, aut ille, qui loco eius erit, tradet regi Franciæ duo millia librarum Andegauiæ ſingulis menſibus, quantum ad menſem continget, & ſemper de victualibus apponet in illis duobus caſtellis ad duos menſes; in Luches ad vndecim milites, & centum, & quadraginta ſeruientes, in Caſtelione ad quatuor milites & quadraginta ſeruientes. De Driencurt, & de Archis Seneſcallus Normanniæ faciet pro victualibus, & cuſtodia ad grantum, & voluntatem Archiepiſcopi Remenſis. Similiter victualia apponentur à Seneſcallo Normanniæ in iſtis duobus caſtellis ſemper ſufficientia ad duos menſes, ſecundum quod Archiepiſcopus Remenſis dicet. Si omnes prædictæ conuentiones integræ obſeruatæ fuerint Regi Franciæ; & quando ex parte Regis Angliæ ſoluta fuerint Regi Franciæ quinq; millia marcarum argenti, Rex Franciæ reddet ei vnum de prædictis quatuor caſtellis, quod Rex Franciæ voluerit. Et iterum quando quinque millia marcarum ſoluta fuerint Regi Franciæ ex parte Regis Angliæ, Rex Franciæ reddet ei vnum de illis quatuor caſtellis, quod Rex Franciæ voluerit. Si vero decem millia marcarum reddita fuerint ſimul regi Franciæ ex parte regis Angliæ, rex Franciæ reddet illi domino de illis quatuor caſtellis, quæ Rex Franciæ voluerit. Si vero quindecim millia marcarum ſimul reddita fuerint Regi Franciæ, rex Franciæ reddet illi tria de illis quatuor caſtellis, quæ Rex Franciæ voluerit. Sed ſi ſimul viginti millia marcarum reddita fuerint Regi Franciæ, prædicta quatuor caſtella reddentur Regi Angliæ. Rex autem Franciæ nullum de illis quatuor caſtellis reddet, niſi conuentiones prædictæ, ei & ſuis fuerint obſeruatæ de præfata ſibi pecunia reddenda, de Comite *Iohanne*, de Comite *Lodowico*, de Comite Engoliſmi, & ſuis, de Comite Partitii, de Comite Mellenti. Quando vero Rex Franciæ habuerit Locas, & Caſtellionem, & Archiepiſcopus Rhemenſis Driencurt, & Arches, Rex Franciæ recipiet Regem Angliæ in gratiam ſuam pro exequendo conuentiones prædictas, ſicut charta præſens dicit, & rogabit Imperatorem de liberatione Regis Angliæ. Prædictus autem Cancellarius, & *Willielmus* de Rupibus, *&* *Iohannes* de Pratellis, *&* *Willielmus Briwere* in animam Regis Angliæ iurauerunt, quod Rex Angliæ conuentiones, quæ in charta præſenti continentur, obſeruabit, & quando Rex Angliæ redierit, ipſe in propria perſona iurabit infra rationabilem terminum, poſtquam à Rege Franciæ ſummonitus fuerit, ſe prædictas conuentiones ſeruaturum, & literas ſuas patentes ei inde daturum. Præfati autem quatuor, & cum iis Conſtabularius Normanniæ, & *Robertus* de Harencurt, & *Stephanus* de Longo campo iurauerunt, quod ſi rex Angliæ dictas conuentiones non obſeruaret, ſe mitterent Pariſiis in captione Regis Franciæ. Archiepiſcopi, Epiſcopi, Barones terræ regis Angliæ, quos rex Franciæ voluerit, quando requiſiti fuerint, iurabunt quod ipſi ſe Pariſiis in captione regis Franciæ ponent, ſi rex Angliæ prædictas conuentiones nõ ſeruauerit, ſicut præſens charta dicit: & ſi rex Angliæ moreretur antequam Rex Franciç reddidiſſet præfata quatuor caſtella, Rex Franciæ illa quatuor caſtella redderet recto hçredi pro exequendo prçdictas conuentiones, ſicut prçſens charta continet, & ſaluo iure Regis Franciç. Quæ omnia prædicta, vt rata permaneant, & inconcuſſa, ego *Willielmus* Elienſis Epiſcopus, Regis Angliæ Cancellarius, & ego *Willielmus* de Rupibus, & ego *Iohannes* de Pratellis, & ego *Willielmus Briwere* per præceptum regis Angliæ domini noſtri ſigillorum noſtrorum atteſtatione roborauimus. Actum Meduneæ, anno ab incarnatione Domini, milleſimo centeſimo nonageſimo tertio, octauo Idus Iulii. Eodem anno *Richardus* rex Angliæ, dum adhuc eſſet in captione Romanorum Imperatoris, dedit *Huberto Walteri* Saresbirienſi epiſcopo, Archiepiſcopatum Cantuarienſem, & *Sauarico* Archidiacono Northamptoniæ epiſcopatum Bathonienſem, *&* *Henrico* Mareſcallo Eboracenſis eccleſiæ Decano, epiſcopatum Exonienſem: & magiſtro *Philippo* Pictauenſi clerico ſuo dedit rex Archidiaconatum Cantuariæ, *&* *Henrico* abbati Glaſtinbirienſi dedit epiſcopatum Wigornenſem, & prædicto *Sauarico* Bathonienſi epiſcopo dedit abbatiam de Glaſtinbirie. Electo itaq; *Henrico* Mareſcallo Eboracenſis Eccleſiæ Decano ad Epiſcopatum Exonienſem, *Gaufridus* Eboracenſis archiepiſcopus tunc temporis moram faciens apud Ripunt, dedit *Petro* fratri ſuo decanatum Eboraci, præſentibus *Hamone* præcentore, *&* *Simone* Apulo, & aliis clericis ſuis quam pluribus. ſed quia prædictus *Petrus*, tunc temporis Pariſius erat, *&* *Richardus* rex Angliæ inſtanter petebat, vt Archiepiſcopus daret decanatum illum *Iohanni* Præpoſito de Duai fratri aduocati de Betun, idem Archiepiſco-

ſcopus conſilio ſuorum fretus dedit decanatum illum *Simoni* Apulo clerico ſuo, & ſic liberauit ſe à petitione regis. Sed poſtmodum cum Archiepiſcopus vellet contra factum ſuum venire, dicens pręfato *Simoni*, quod non dederat ei decanatum illum, niſi in cuſtodia ad opus *Petri* fratris ſui, Canonici Eboracenſis Eccleſię communiter elegerunt ſibi pręfatum *Simonem* in decanum contra voluntatem Archiepiſcopi. Vnde factum eſt, quod idem Archiepiſcopus, vt placeret regi, dedit prędicto magiſtro *Philippo* clerico, & familiari regis pręfatum decanatum; & ſic orta eſt diſcordia inter ipſum Archiepiſc. Eboracenſem, & Canonicos ſuos; cuius hęc fuit origo, & initium. Eodem tempore, cum *Richardus* rex Anglię in reditu ſuo à terra Ieroſolymitana captus eſſet, & in Alemannia detentus, & iam inter Imperatorem, & ipſum de ſe per pecuniam redimendo conuenerat, ipſi Archiepiſcopo Eboracenſi terræ ſuæ cuſtodiam præcipue, & corporis ſui liberationem literis ſuis commiſit. Quo mandato ſuſcepto fraternæ captionis miſeria commotus, Canonicos, quos magis familiares habebat, quos etiam ditauerat, & exaltauerat, vocauit, monuit, & rogauit, vt quartam partem redditumn ſuorum ad præfati regis liberationem conferrent, ſicut in aliis partibus regni factum eſt. Qui renuentes, & Canonicos ſuos in partes ſuas trahentes, aſſerebant eum in hoc caſu, & in conſimilibus libertates Eccleſiæ ſuæ velle ſubuertere; & ſic ab eius familiaritate, colloquio, & conſortio diſceſſerunt. Tunc temporis, vt ſupra dictum eſt, vacabat Eboracenſis Eccleſiæ decanatus; cuius donationem ad ſe pertinere Archiepiſcopus, electionem vero ſuam eſſe capitulum aſſerebat. Ideoque ad ſedem Apoſtolicam ex parte Archiepiſcopi eſt appellatum. Capitulum nihilominus ad electionem magiſtri Simonis Apuli in Decanum proceſſerunt. Hoc facto dictus Simon ad Regem, qui, vt dictum eſt, erat in Alemannia, transfretauit. Miſſi ſunt etiam ad ſedem Apoſtolicam ab Archiepiſcopo nuncii ad proſequendam appellationem, ita tamen vt per Alemanniam vſque ad Regem tranſitum facerent. Illis ad Regem venientibus, eoque ſalutato, & itineris ſui cauſis expoſitis, interdixit Rex ſtatim, ne alterutra partium ob has cauſas ad curiam accederet Romanam; inhibens ne regnum ſuum ingrederetur, qui ſine eius aſſenſu hoc aggredi præſumeret, proponens ſe pacem inter illos ſine dilatione reformaturum. Rediit itaq; vnus ex nunciis Archiepiſcopi ad ipſum, cum literis Regis continentibus, vt ad eum cum omni feſtinatione veniret: ſicut etiam propoſuerat, ſed caſu emergente præpeditus eſt. Medio ſiquidem tempore Canonici Eboraci eccleſiam maiorem à conſueta diuina celebrandi ſolennitate, campanas etiam à ſolido pulſandi officio ſuſpenderunt: & ob id tota ciuitas commota fuit: altaria etiam denudauerant: ſtallum Archiepiſcopi in choro ſera præcluſerant: oſtium per quod ei à palatio ſuo, & capella deſcendenti in Eccleſiam patebat ingreſſus, ſera obſtruxerant: & alia plura in eius contumeliam fecerant. Vnde & ipſe à mari, vbi transfretare paratus erat, ad eccleſiam ſuam rediens, clericos quoſdam præmiſit, monens, & præcipiens eccleſiæ ipſius miniſtris, vt, antiqua forma ſeruata, in ea miniſtrarent: q. eius admonitionem & præceptum contemnentes, eccleſiã vacuã reliquerunt, & ab officio diuino deſtitutã. Eodem anno *Clemens* Papa miſit *Huberto Walteri* Cantuarienſi electo pallium. Eodem anno *Philippus* rex Franciæ deſponſauit ſibi *Botildam* filiam *Waldemeri*, quondam regis Dacorũ, ſororem &t *Cnuti* regis Dacorum modo regnantis, menſe Septembris apud Amiens, Sabbato: & in craſtino fecit eam coronari, & conſecrari in reginam Franciæ, coram nunciis regis Dacorum, qui eam ad eum duxerant: ſcz. ea intentione, quod prædictus rex Dacorũ veniret in Angliam cũ nauali exercitu. Sed in craſtino primæ noctis, qua prædictus Rex Franciæ illam vxorem ſuam cognouerat, voluit eam dimittere ſecreti ſui conſcius. Et cũ ipſe vellet eam tradere in manus nunciorum fratris ſui ad reducendum in patriam ſuam, noluerunt eam recipere, ſed abeuntes cum feſtinatione, reuerſi ſunt in regiones ſuas, & illa remanſit in cuſtodia regis Franciæ mariti ſui. Et paulo poſt factũ eſt inter illos diuortiũ per *Willielmum* Remenſem Archiepiſcopum, & per ſacramentum *Reginaldi* Carnotenſis, & *Philippi* Beluacenſis epiſcoporũ; & per ſacramentum *Roberti* Comitis de Drues, & Comitis de Neuers, & *Walteri* Camerarii regis Franciæ, & aliorũ multorum: q. iurauerunt, q. prædicta filia regis Dacorum erat conſanguinea Comitis de Hainou, cuius filiam idem rex Franciæ vxorẽ habuerat; ſed idem rex Franciæ hoc fecit fieri, vt acciperet ſibi in coniugem filiam Comitis Palatini de Rheno in Alemannia, auunculi ſupradicti *Henrici* Romanorũ Imperatoris. Quę cum regi Francię à patre, & aliis parentib. ſuis eſſet conceſſa refutauit eum: & conſilio matris ſuæ nupſit *Henrico* Duci Saxonię, nepoti *Richardi* regis Angliæ. Interim *Walterus* Rothomagenſis Archiepiſcopus, & cæteri iuſtitiarii Angliæ ceperunt ad redemptionem regis de vnoquoque feodo militis viginti ſolidos, & quartam partem vniuerſorum laicorũ redditUum, & omnes eccleſiarum calices, & cæteros eccleſiarũ

theſauros. Epiſcopi vero quidam ceperunt de clericis quartam partem redditũm ſuorum, & quidam decimam partem, ad redemptionem prædicti regis. Similiter factum eſt per omnes terras regis tranſmarinas; & ſic infinitam acquiſiuerunt pecuniam. Deinde venerunt Lundonias nuncii Imperatoris, & receperunt ibi maximam partem redẽptionis regis in pondere, & menſura, & tradiderunt eam ſub ſigillorum ſuorum teſtimonio illis, qui illam deferrent vſq; ad fines imperii periculo regis Angliæ. Præterea prædictus Imperator dedit regi Angliæ, & charta ſua confirmauit, has terras ſubſcriptas: ſcilicet, Prouenciam, & Vianam, & Vianais, & Marſiliam, & Nerbonam, & Arleblanc, & Leun ſuper Rhodanum vſq; ad Alpes, & quicquid Imperator habet in Burgundia, & homagium regis Arragoniæ, & homagium Comitis de Diſders, & homagiũ Comitis de *S. Aegidio.* Et eſt ſciendum, quod in his terris ſunt quinq; Archiepiſcopatus, & triginta tres Epiſcopatus. Et eſt ſciendum, quod ſupradictus Imperator nunquam prædictis terris & hominibus dominari potuit; neque ipſi aliquem dominum ad præſentationem Imperatoris recipere voluerunt. Rex autem Angliæ ſtatim miſit in Angliam pro *Alienora* regina matre ſua, & pro *Waltero* Rothomagenſi Archiepiſcopo, & pro aliis multis, vt venirent ad eum in Alemanniam: & conſtituit *Hubertum* Cantuarienſem Archiepiſcopum ſummum Iuſtitiarium in Anglia. Interim *Henricus* Romanorum Imperator per conſilium principum imperii ſui ſtatuit *Richardo* Regi Angliæ diem liberationis ſuæ, à ſecunda feria poſt diem natalis Domini in tres ſeptimanas. Vnde idem Rex Angliæ in hac forma ſcripſit *Huberto* Cantuarienſi Archiepiſcopo.

EPISTOLA RICHARDI REGIS ANgliæ ad Hubertum Cantuarienſem Archiepiſcopum de liberatione ſua.

RIchardus *Dei gratia Rex Angliæ & dux Normanniæ, & Aquitanniæ, & Comes Andegauiæ venerabili patri in* Chriſto, *& amico chariſſimo* Huberto *eadem gratia Cantuarienſi Archiepiſcopo, ſalutem, & ſinceræ dilectionis plenitudinem. Quoniam certi ſumus, quod liberationem noſtram plurimum deſideratis, & quod liberatio noſtra admodum vos lætificat; idcirco volumus, quod lætitiæ noſtræ participes ſitis. Inde eſt, quod dilectioni veſtræ dignum duximus ſignificare, dominum Imperatorem certum diem liberationis noſtræ nobis præfixiſſe in diem Lunæ proximam poſt viceſimam diem Natalis Domini: & die Dominica proximo ſequenti coronabimur de regno Prouenciæ quod nobis dedit. Vnde mittimus in Angliam literas domini Imperatoris ſuper his patentes vobis, & cæteris amicis noſtris, & beneuolis; vos autem interim pro omni poſſe veſtro, quos ſcitis nos diligere, conſolari velitis, & quos ſcitis promotionem noſtram deſiderare. Teſte meipſo apud Spiram, 22. die Septembris.*

EPISTOLA HENRICI IMPERAtoris ad magnates Angliæ de liberatione Richardi *Regis Angliæ.*

HEnricus *Dei gratia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus, dilectis ſuis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Comitibus, Baronibus militibus, & vniuerſis aliis fidelibus* Richardi *illuſtris regis Angliæ gratiam ſuam, & omne bonum. Vniuerſitati veſtræ duximus intimandum, quod dilecto amico noſtro* Richardo *illuſtri Regi Anglorum domino veſtro certum diem liberationis ſuæ ſtatuimus à ſecunda feria poſt diem natiuitatis Domini in tres ſeptimanas apud ſpiram, ſiue apud* W*ermaciam; & inde in ſeptem dies poſuimus ei diem coronationis ſuæ de regno Prouenciæ, quod ei promiſimus; & hoc certum habeatis, & indubitatum. Noſtri ſiquidem propoſiti eſt, & voluntatis, præfatum dominum veſtrum, ſicut amicum noſtrum ſpecialem promouere, & magnificentius honorare. Datum apud Theallaſam vigilia beati* Thomæ *Apoſtoli.* Sed antequam pax iſta confirmata eſſet inter Imperatorem, & regem rex miſit *Willielmum* Elienſem Epiſcopum Cancellarium ſuum, & alios nuncios ſuos in Franciam ad Comitem *Iohannem* fratrem ſuum, & effecit aduerſus eum, quod ipſe rediit in Normanniam, & iurauit regi fratri ſuo fidelitatem, & pacem contra omnes homiues: & Rex præcepit, quod omnia caſtella honorum, quos ipſe illi dederat, traderentur illi citra mare & vltra: ſed cuſtodes illorum noluerunt tradere illi aliquod caſtellum per breue. Vnde Comes iratus regreſſus eſt ad regem Franciæ, & adhæſit ei, & rex Franciæ tradidit illi caſtellum de Driencurt, & caſtellum de Archis, quæ tradenda erant *Willielmo* Remenſi Archiepiſcopo. Eodem anno *Berengera* regina Angliæ, & *Iohanna* quondam regina Siciliæ, & filia Imperatoris Cypri, venerunt Romam ſub cuſtodia *Stephani* de Turneham: & à Domino Papa *Cæleſtino*, & nobilibus Romanis honorifice ſunt ſuſceptæ; & moram fecerunt ibi fere per dimidium anni ſpatium;

tium, propter metum Imperatoris: & cum inde receſſiſſent, tradidit eas Dominus Papa in conductu Magiſtri *Mellur* Cardinalis, & perrexerunt vſque Piſam. Deinde vſque * Genoam. Deinde vſque Marſiliam. Apud Marſiliam ſuſcepit eas Rex Arragoniæ, & exhibuit eis omnem honorem, & reuerentiam; & conduxit eas vſque ad fines regni ſui: & Comes de Sancto *Ægidio* conduxit eas per terram ſuam. Et ſic peruenerunt Pictaniam.

* al. Genues.

Anno gratiæ, milleſimo centeſimo nonageſimo quarto, qui erat ſecundus annus captionis *Richardi* Regis Angliæ, idem *Richardus* fuit adhuc in captione *Henrici* Romanorum Imperatoris in Alemannia apud Spiram die natalis Domini, qui Sabbato euenit: & ibi manſit vſque ad tempus liberationis ſuæ, quod ſtatuerat ei Imperator, videlicet, à ſecunda feria poſt diem natiuitatis Domini in tres ſeptimanas. Cumque Imperator veniſſet illuc, vna cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Ducibus, & magnatibus Imperii ſui, & diu tractaſſet de liberatione Regis Angliæ, venerunt ad Imperatorem nuncii Regis Franciæ, & nuncii Comitis *Iohannis* fratris Regis Angliæ: & obtulerunt Imperatori ex parte Regis Franciæ quinquaginta millia marcarum argenti, & ex parte Comitis *Iohannis* triginta millia marcarum argenti tali conditione, vt ipſe Regem Angliæ teneret in captione ſua vſque ad feſtum Sancti *Michaelis* Archangeli proxime ſequens; aut ſi Imperator mallet, darent ei in fine vniuſcuiuſque Menſis, quamdiu ipſe Regem Angliæ in captione ſua teneret, mille libras argenti; aut ſi Imperator mallet, Rex Franciæ daret ei centum millia marcarum argenti, & Comes *Iohannes* daret ei quinquaginta millia marcarum argenti tali conditione, vt ipſe traderet eis Regem Angliæ, vel ſaltem in captione ſua teneret ab illo tempore per ſpacium vnius anni. Ecce quomodo amabant eum! Quibus auditis, Imperator diſtulit diem liberationis Regis Angliæ, & alium diem liberationis ſuæ ſtatuit ei in Purificatione S. *Mariæ* apud Maguntum. Interim *Gaufridus* Eboracenſis archiepiſcop. octauo die Natalis Domini Eboracum venit, & conſilio virorum prudentium miniſtros conſtituit in Metropolitana Eccleſia Eboraci, quam vacuam inuenit: qui in ipſa Eccleſia, ſicut decebat, ſolenniter deſeruirent. Et hoc ita obſeruatum eſt, donec Canonici, & eorum capellani per laicam poteſtatem, & violentiam eſſent reſtituti. Poſt hęc quatuor ex maioribus Eccleſiæ ob prædictam Eccleſiæ ſuſpenſionem excommunicati, ad regem tunc temporis liberatum transfretauerunt, & licentia ab eo accepta, qui commotus fuerat quia Archiepiſcopus, ſicut in mandatis acceperat, ad eum non venerat, Romam profecti ſunt. Contra quos nuncii ab Archiepiſcopo ſunt illuc deſtinati. Vtraq; autem parte in præſentia *Cœleſtini* Papæ conſtituta, de electione Decani diutius eſt agitatum, & deliberatum quoniam poſt appellationem rite interpoſitam, factam eſſe dignoſcebatur; & ideo irritanda, vel potius irritata erat denuntianda. Dominus vero Papa cognitioni cauſæ, vtrum ſi ad Archiepiſcopum Decanatus donatio, an ad capitulum Decani electio ſpectaret, tunc temporis volens ſuperſedere: (fretus ſua poteſtate, de cuius amplitudine diſputare fas non eſt) præfato *Simoni* Apulo, (ſaluo in poſterum tam ipſius Archiepiſcopi, quam capituli iure,) Decanatum contulit, confirmauit, & per annulum ſuum aureum inueſtiuit. Quo articulo ita expoſito, ſtatim proceſſerunt ad diffamationē ipſius Archiepiſcopi, & accuſationem; proponentes eum eſſe ſuum, & aliorum clericorum ſpoliatorem violentum, exactorem improbum, & Eccleſiarum fores manu armata frangere eccleſiaſtica beneficia Simoniace diuidere, & retinere, appellationibus non deferre, priuilegia Romani pontificis cōtemnere; & (vt breuiter dicatur) aſſerebant eū omne epiſcopale officium vilipendentem, aucupio, venationi, & aliis curis militaribus deditum eſſe. Et his & aliis de cauſis intendebant eū deponere; illi maxime, quos ipſe maximis honorib. & inæſtimabilibus diuitiis, & redditibus in Eboracenſi eccleſia ditauerat, & vltra q̃ debuerat per Deum exaltauerat. De talibus dicit Dominus, *Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me*. Caueant ergo ſibi, ne ſpernat eos iuſtus iudex: & ne cum *Iuda* proditore condemnentur in gehenna. His propoſitis, ſcripſit dominus papa *Hugoni* Lincolnienſi epiſcopo, & coniudicibus ſuis, vt ſi eſſent, qui Archiepiſcopum ſuper obiectis accuſarēt audirent diligenter hinc inde propoſita, & veritatem inquiſitam ſigillis ſuis ſignatam ad ſedem deſtinarent Apoſtolicam. Si vero accuſator non appareret, & Archiepiſcopus fama publica laboraret, ei purgationē cum tribus epiſcopis & totidem abbatibus indicerēt. Sed qa archiepiſcopus ante citationem iudicum appellauerat, & iter ad proſequendum appellationem arripuerat, dicti iudices ei ſpacium trium menſium, ſecundum quod in reſcripto domini papa continebatur, ad eius proſecutionē aſſignauerunt, diem pra figentes Kal. Iunii. Sed archiepiſcopus ad terminum illum non venit, tum propter regis prohibitionem, tum propter aeris intemperiem, quæ tunc tēporis eſt Romæ. Clerici vero eius co-

dem tempore in Curia Romana conſiſtentes, & has cauſas abſentiæ ſuæ prætendentes, impetrauerunt, vt quicquid contra Archiepiſcopum poſt appellationem medio tempore factum fuerat, in irritum reuocaretur: quia per eum non ſtetit, quo minus ad curiam veniſſet Romanam; & terminus, quo ſe Apoſtolico præſentaret conſpectui, infra octauas beati *Martini* proxime ſequentis eſt ei à Domino papa præfixus: & quoniam nec tunc in Curia Romana per ſe vel per ſufficientem reſponſalem comparuit, ad natale Domini proxime ſequens, ab omni adminiſtratione epiſcopali ſuſpenſus fuit.

LIBERATIO RICHARDI Regis Angliæ.

INterim *Henricus* Romanorum Imperator cum magnatibus Imperii ſui, & *Richardus* rex Angliæ cum *Alienor* regina matre ſua, & *Waltero* Rothomagenſi Archiepiſcopo, & *Willielmo* Elienſi Epiſcopo Cancellario ſuo, & *Sauarico* Batonienſi Epiſcopo, conuenerunt apud Maguntum in Purificatione beatæ *Mariæ*: & celebrato ibi concilio de liberatione Regis Angliæ, Imperator voluit à pacto reſilire, propter cupiditatem pecuniæ, quã Rex Franciæ, & Comes *Iohannes* ei obtulerant. Et adducens ſecum nuncios Regis Franciæ, & nuncios Comitis *Iohannis*, de quorum numero erat *Robertus* de Nunant frater *Hugonis* Couentrenſis Epiſcopi, tradidit Regi Angliæ literas Regis Franciæ, & Comitis *Iohannis* legendas, quas ipſi miſerant contra liberationem illius. Quibus viſis & lectis, rex plurimum turbatus eſt, & confuſus, deſperans de liberatione ſua. Conuenit ergo per conſiliarium ſuum ſuper hoc Maguntinum, & Colonienſem, & Saxeburcenſem Archiepiſcopos, & Wermaicenſem, & de Spire, & de Legis Epiſcopos; & de Suaue fratrem Imperatoris, & de Oſtricio, & de Luuain duces; & Comitem Palatinum de Rheno, & cæteros magnates Imperii, qui conſtituti fuerant ex parte Imperatoris fideiuſſores inter illum & Regem Angliæ ſuper pactis inter illos contractis. Qui audacter introierunt ad Imperatorem, & plurimum increpauerunt eum de cupiditate ſua, qui ita impudenter à pacto ſuo reſilire volebat, & effecerunt aduerſus eum, quod ipſe liberum, & quietum dimiſit Regem Angliæ à captione ſua; ita tamen, quod Rex Angliæ tradidit Imperatori *Walterum* Rothomagenſem Archiepiſcopum, & *Sauericum* Bathonienſem Epiſcopum, & *Baldewinum* Wac, & alios multos filios Comitum, & Baronum ſuorum, obſides de reſiduo pecuniæ redemptionis ſuæ, & de pace ſeruanda Imperatori, & imperio ſuo, & omni terræ ſuæ dominationis. Et Maguntinus, & Colonienſis Archiepiſcopi tradiderunt eum in manu *Alienor* matris ſuæ liberum, & quietum ex parte Imperatoris, pridie Nonas Februarii, feria ſexta, die Ægyptiaca, quam moderni diem malam vocant. & ſic in die mala liberauit eum Dominus. Cum autem idem Rex rogaret *Robertum* de Nunant, fratrem *Hugonis* Couentrenſis Epiſcopi, vt pro illo obſes eſſet, reſpondit *Robertus*. Quod ipſe erat homo Comitis *Iohannis*, & ideo noluit pro ipſo obſes eſſe. Vnde rex iratus præcepit illum capi, & in carcerem mitti. & factum eſt ita. Eodem vero die, quo rex liberatus fuit de captione Imperatoris, miſit *Salt* de Bruil nuntium quendam in terram Suliæ ad *Henricum* Comitem Campaniæ nepotem ſuum, & ad alios Chriſtianorum principes, mandans eis diem liberationis ſuæ: & quod ipſe, ſi Deus fecerit ei vindictam de inimicis ſuis, & pacem dederit, veniet ad terminum ſtatutum ad ſuccurrendum illis contra Paganos. Promiſit etiam prædicto *Salt* de Bruil, quod quadraginta libratas terræ daret ei in reuerſione ſua de terra Suliæ. Eodem die rex ſummonuit per literas ſuas *Hugonem* Couentrenſem Epiſcopum, quod ipſe veniret in curia ſua, & ſtaret iudicio Epiſcoporum, in eo, quod ipſe Epiſcopus erat; & iudicio Laicorum, in eo quod ipſe de eo Laicalem tenuerat bailliam; ſuper his, quæ aduerſus eum loqueretur. Eodem die Romanorum Imperator, & Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & duces, & Comites Imperii facto communi ſcripto, & ſigillis ſuis appoſitis, mandauerunt Regi Franciæ, & Comiti *Iohanni*, quod ſtatim viſis literis illis redderent Regi Angliæ caſtella, ciuitates, munitiones, villas, & prædia, & alia vniuerſa, quæ ipſi ſuper eum ceperant, quamdiu ipſe in captione Imperatoris fuerat: & niſi fecerint, ſcirent pro certo, quod ipſi iuuarent regem Angliæ pro poſſe ſuo ad recuperandũ omne, quod amiſerat. Deinde Rex Angliæ promiſit, & chartis ſuis confirmauit quibuſdam Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & Ducibus, & Comitibus, & baronibus multis de Imperio redditus annuos pro homagiis, & fidelitatibus, & auxiliis eorum contra Regem Franciæ. Recepit itaque homagium de Archiepiſcopo Maguntino, & de Archiepiſcopo Colonienſi, & de Epiſcopo de Legis, & de Duce Oſtricii, & de Duce de Luuain, & de Marchiſo de Mumferrant, & de Duce de Nemburc, & de Duce Suauiæ fratre Imperatoris, & de Comite Palatino de Rheno, & de filio Comitis de Henou, & de Comi-

te de Holande, & de aliis multis, ſalua fidelitate Imperatoris. Et eſt ſciendum, quod rex Angliæ fuit in captione Imperatoris per ſpacium vnius anni, & ſex hebdomadarum, & trium dierum. Liberato autem rege, omnes qui aderant, præ gaudio lachrymati ſunt. Deinde Imperator tradidit Regi ſaluum conductum, vſque ad portum de Amuers. Cumq; rex Coloniam veniſſet, Archiepiſcopus Coloniæ recepit eum cum gaudio; & pro exultatione liberationis illius celebrauit Miſſam in hunc modum. *Nunc ſcio vere, quia miſit Dominus angelum ſuum, & eripuit me de manu* Herodis, *& de expectatione plebis Iudaeorum, &c.* Et cum rex inde recederet, prædictus archiepiſcopus conduxit eum vſque ad portum de Amuers, vbi Rhenus fluuius cadit in mare. Et illuc conuenit multitudo nauium, quæ de Anglia venerant contra regem. Et portus ille de Amuers eſt in terra Ducis de Luuain. Quo cum rex veniſſet, intrauit galeam *Alani Trenchemer*, vt cum ea facilius tranſiret inter Inſulas: ſingulis autem noctibus exiens de galea illa intrauit nauem magnam & pulcherrimam, quæ venerat de Rie/ & in ea iacuit in nocte; & in die rediit ad galeam, donec perueniret ad portum de Swiene, qui eſt in Flandria, in terra Comitis de Hennou, & fecit quatuor dietas à portu de Amuers, vſq; ad portum de Swine, & in portu de Swine fecit moram quinq; dierum; & ſexta die circa horam tertiam receſſit à portu de Swine, & in craſtino poſt horam diei nonam applicuit in Angliam apud Sandicum portum, die Dominica tertio Idus Martii. Interim non longe ante aduentum regis, venit in Angliam *Adam* de ſancto *Edmundo* clericus, & familiaris Comitis *Iohannis*, miſſus ab eo in Angliam cum literis ad caſtella ſua munienda contra regem fratrem ſuum. Qui cum Lõdonias veniſſet, & ſine impedimento tranſire potuiſſet, acceſſit ad hoſpitium *Huberti* Cantuarienſis Archiepiſcopi, & comedit cum illo, multa iactans de proſperitate domini ſui, & de familiaritate Regis Franciæ, quam habebat aduerſus dominum ſuum, dicens quod Rex Franciæ, tradiderat domino ſuo caſtellum de Driencurt, & caſtellum de Archis, quæ tradenda erant archiepiſcopo Remenſi, ſicut in ſupradicto ſcripto continetur: & plura tradidiſſet domino ſuo, ſi dominus ſuus haberet homines, in quibus confideret. His itaque & aliis iactantiis prædictus *Adam* plurimum exaſperauit dominum Cantuarienſem Archiepiſcopum, & omnes, qui audierunt verbum illud: ſed nemo miſit in eum manum propter reuerentiam menſæ. Attamen poſt prandium cum prædictus *Adam* ad hoſpitium ſuum rediret, Maior Londoniarum iniecit manus in eum, & tenuit: & cepit omnia breuia ſua, in quibus mandata Comitis *Iohannis* continebantur, & tradidit ea Cantuarienſi archiepiſcopo. Qui in craſtino conuocatis coram eo epiſcopis, Comitibus, & Baronibus regni, oſtendit eis literas Comitis *Iohãnis*, & earum tenorem. & ſtatim per commune conſilium regni definitum eſt quod Comes *Iohannes* diſſaiſiretur de omnibus tenementis ſuis in Anglia, & vt caſtella ſua obſiderentur: & factum eſt ita. Eodem die *Hubertus* Cantuarienſis archiepiſcopus, & *Hugo* Lincolnienſis, & *Richardus* Londonienſis, & *Gilbertus*, Roffenſis, *&* *Godefridus* Wintonienſis, & Wigornienſis, & Herefordenſis Epiſcopi, *& Henricus* Exonienſis electus: & abbates, & clerici multi Cantuarienſis diœceſeos, conuenerunt in capella monachorum infirmorum apud Weſtmonaſterium, & ſententiam anathematis tulerunt in Comitem *Iohannem*, & in omnes fautores eius, & conſiliarios, qui pacem, & regnum Regis Angliæ turbauerant, vel turbarent, niſi relicta hoſtilitate ad ſatisfactionem venirent. Deinde appellauerunt ad præſentiam Domini Papæ contra *Willielmum* Elienſem Epiſcopum, ne ipſe de cætero fungeretur in Anglia legationis officio; & appellationem ſuam ſigillis ſuis confirmauerunt, & miſerunt illam domino Regi, deinde ſummo Pontifici confirmandam. Facta eſt autem hæc appellatio quarto Idus Februarii feria quinta. Omnes igitur, quibus commiſſa fuerant comitis *Iohannis* caſtella obſidenda, reuerſi ſunt in patrias ſuas. Epiſcopus vero Dunelmenſis, cui commiſſum fuit caſtellum de Tikehil obſidendum, magnum congregauit exercitum Eboracenſis ſcyriæ, & de Northumbria, & de aliis terris ſuis, & obſedit illud. & Comes *Dauid* frater Regis Scotiæ, & *Ranulfus* Comes Ceſtriæ, & Comes de * Ferreres cum magno exercitu obſedit caſtellum de Notingham. Et Archiepiſcopus Cantuarienſis cum magno exercitu obſedit Merleberge: quod infra paucos dies redditum eſt ei, ſaluis vita, & membris incluſorum. Similiter redditum eſt ei caſtellum de Lancaſtre/ quod *Theodbaldus* *Walteri* frater eius cuſtodierat ex parte Comitis *Iohannis*: & mons Sancti *Michaelis* in Cornubia redditus eſt ei, quem *Henricus* de la Pumerai, expulſis inde Monachis, contra Regem munierat. Idem vero *Henricus* audito aduentu regis, obiit timore perterritus. Hæc autem tria caſtella, videlicet, Merleberge/ & Loncaſtre/ & mons Sancti *Michaelis* reddita fuerunt ante aduentum Regis: cætera vero duo ſcilicet Notingham / & Tikehil viriliter reſtiterunt impugnantibus. Sed audito aduentu Regis, illi de caſtello de Tikehil / per licen-

al. Ferrarius.

tiam Dunelmenſis Epiſcopi miſerunt duos milites ad videndum, ſi rex veniſſet, & ad offerendum, ei caſtellum illud. Et noluit Rex recipere, niſi ponerent ſe in miſericordia ipſius ſine aliqua exceptione, & ſic redeuntes narrauerunt *Roberto* de la Mare Conſtabulario, & cæteris incluſis, voluntatem Regis. Qui inito conſilio cum Dunelmenſi Epiſcopo, qui eis vitam, & membra promiſit, tradiderunt ei ad opus regis caſtellum de Tikehil. Illi autem qui in caſtello de Notingham erant, non miſerunt quenquam ſuorum obuiam regi. Vnde Rex iratus venit ad Notingham/ die Annuntiationis Dominicæ, feria ſexta, cum tanta hominum multitudine, & ſonitu tubarum, & buccinarum, quod illi, qui in caſtello erant, audientes hoc, & videntes admirati ſunt, commoti ſunt, conturbati ſunt, tremor apprehendit eos: & tamen credere non poterant, quod Rex veniſſet, ſed putabant totum hoc factum fuiſſe à principibus exercitus ad illudendum eis. Rex vero hoſpitatus eſt prope caſtellum; ita quod ſagittarii de caſtello ſagittabant homines regis ante pedes eius. Vnde rex iratus armauit ſe, & exercitum ſuum ad faciendum inſultum in caſtellum: & factus conflictus multus inter illos, & homines caſtelli: & multi ceciderunt ex vtraque parte vulnerati, & mortui. Rex vero interfecit ſagitta vnum militem. præualuit itaque rex, & retruſus illis in caſtellum, cepit quaſdam præparationes, quas fecerant ante portas, & portas exteriores combuſſit. Eodem die venit illuc *Hubertus* Cantuarienſis archiepiſcopus, & crucem ſuam ante ſe portari fecit. *Gaufridus* vero Eboracenſis archiepiſcopus crucem ſuam non portauit; ſed conqueſtus eſt Regi de archiepiſcopo, qui crucem ſuam portari fecit in Eboracenſi diœceſi. Quod cum Cantuarienſis archiepiſcopus audiſſet, & vidiſſet quod Eboracenſis archiepiſcopus crucem ſuam nō portaſſet, dixit. Ego crucem meam per totam Angliam porto, & portare debeo, ſicut totius Angliæ primas: tu autem crucem tuam non portas, & forſitan portare non debes: & ideo rebus ſic exiſtentibus appello ad dominum Papam. Viceſima ſexta die menſis Martii Rex Angliæ præcepit Perarias ſuas fieri, habens in propoſito, quod amplius inſultum non faceret in caſtellum, donec machinæ ſuæ bellicæ pararentur: ſed furcas leuari fecit prope caſtellum, in quibus ſuſpendit quoſdam ſeruientes Comitis *Iohannis* extra caſtellum captos. Viceſima ſeptima die menſis Martii *Hugo* Dunelmenſis Epiſcopus, & illi qui cum eo erant in obſidione caſtelli de Tikehil/ venerunt ad Regem apud Notingham/ adducentes ſecum captiuos, qui capti fuerant in caſtello de Tikehil/ & rex proceſſit obuiam illis. Et viſo Rege, Epiſcopus Dunelmenſis deſcendit, & Rex ſimiliter obuiam ei, & oſculatus eſt eum. deinde aſcendentes equos ſuos venerunt ad obſidionem. Eodem die cum Rex ſediſſet ad prandium ſuum, *Radulfus Murdac*, & Willielmus de Wendeual conſtabularii caſtelli de Notingham/ miſerunt duos ex ſociis ſuis ad videndum Regem: Quo viſo regreſſi ſunt in caſtellum nuntiantes eis, qui miſerant eos, ea, quæ audierant, & viderant de rege, & ſtatu eius. Quæ cum Willielmus de Wendeual, & *Rogerus* de * Muntbegum audiſſet, cum aliis duodecim exierunt à caſtello, & poſuerunt ſe in miſericordia regis, & amplius non redierunt in caſtellum. Viceſima octaua die Martii, mediante Cantuarienſi archiepiſcopo, *Radulfus Murdac*, & *Philippus* de Wireceſtre, & *Radulfus* de Wireceſtre fratres eius, & vniuerſi, qui in caſtello erant, tradiderunt regi caſtellum, & poſuerunt ſe in miſericordia regis de vita, & membris, & de terreno honore.

al. Mundegum.

Viceſima nona die menſis Martii *Richardus* rex Angliæ profectus eſt videre Clipeſtone/ & forreſtas de Sirewode/ quas ipſe nunquam viderat antea: & placuerunt ei multum, & eodem die rediit ad Notingham. Triceſima die menſis Martij feria quarta *Richardus* Rex Angliæ celebrauit primum concilii ſui diem apud Notingham; cui interfuerunt *Alienor* regina mater eius, & *Hubertus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, qui in dextris Regis ſedebat in concilio illo, & *Gaufridus* Eboracenſis Archiepiſcopus, qui à ſiniſtris eius ſedebat, & *Hugo* Dunelmenſis, & *Hugo* Lincolnienſis, & Willielmus Elienſis Regis Cancellarius, & Willielmus Herefordenſis, & *Henricus* Wigornienſis, & *Henricus* Exonienſis, & *Iohannes* Candidæ Caſæ Epiſcopi: & Comes *David* frater Regis Scotiæ, & *Hamelinus* Comes de Warenna, & *Ranulfus* Comes Ceſtriæ, & Willielmus Comes de Ferreres, & *Willielmus* Comes de Saleſbiria, & *Rogerus Bigot*. Eodem die rex diſſaiſiuit *Gyrardum* de Canuilla de caſtello, & Vicecomitatu Lincolnienſi, & *Hugonem Bardolf* de Vicecomitatu Eboracenſis ſciriæ, & de caſtello Eboraci, & de Scardeburc/ & de cuſtodia de Weſtmerland: & omnia ſupradicta expoſuit venditioni. Vnde factum eſt, quod cum Cancellarius conuentionaſſet, ſe daturum Regi pro Vicecomitatu Eboracenſis ſciriæ, & pro Vicecomitatu Lincolnienſi, & pro Vicecomitatu Nordhampteſciriç, mille & quingentas marcas in principio conuentionis, & ſingulis annis de vnoquoq; prædictorum Comitatuum centum marcas de incremento: *Gaufridus* Eboracenſis Archiepiſcopus obtulit regi tria

gi tria millia marcarum pro Vicecomitatu Eboracenſi, & ſingulis annis centum marcas de incremento: & ſic abiecto Cancellario, Eboracenſis archiepiſcopus obtinuit Vicecomitatum Eboracenſem, & ita factus eſt regis ſeruiens, & præcipitauit ſe in potentias regis. Triceſima prima die menſis Martij, ſcilicet pridie Kalend. Aprilis rex Angliæ celebrauit ſecundum diem concilii ſui: in quo ipſe petiit, ſibi fieri iudicium de Comite *Iohãne* fratre ſuo: q contra fidelitatem, quam ei iurauerat, caſtella ſua occupauerat, & terras ſuas tranſmarinas, & ciſmarinas deſtruxerat, & fœdus cum inimico ſuo rege Franciæ contra eum inierat. ſimiliter & de *Hugone* de Nunant Couentrenſi epiſcopo ſibi fieri iudicium poſtulauit, qui ſecreti ſui conſcium eum reliquerat, & regi Franciæ, & Comiti *Iohanni* inimicis ſuis adhæſerat, omne malum in perniciem regni ſui machinans. Et iudicatum eſt, quod Comes *Iohannes*, & Epiſcopus Couentrenſis peremptorie citarentur; & ſi infra quadraginta dies non venerint, nec iuri ſteterint; iudicauerunt Comitem *Iohannem* demeruiſſe regnum, & Epiſcopum Couentrenſem ſubiacere iudicio Epiſcoporum, in eo, quod ipſe Epiſcopus erat, & iudicio Laicorum, in eo quod ipſe Vicecomes Regis extiterat. Kalendis Aprilis prima die eiuſdem menſis prædictus Rex Angliæ celebrauit tertium diem colloquii ſui: in quo conſtituit ſibi dari de vnaquaque carucata terræ totius Angliæ duos ſolidos, quod ab antiquis nominatur Temantale. Deinde præcepit, quod vnuſquiſque faceret ſibi tertiam partem ſeruitii militaris, ſicut ſingulus feodus apportat, ad tranſfretandum cum illo in Normanniam. Deinde exigebat a Monachis ordinis Ciſtrenſis totam lanam ſuam de hoc anno; ſed quia hoc facere erat eis graue & importabile, fecerunt cum eo finem pecuniarium. Secunda die menſis Aprilis Sabbato celebrauit diem quartum, & vltimum concilii ſui: in quo omnes tam clerici quam Laici, qui volebant ſibi conqueri de Archiepiſcopo Eboracenſi, fecerunt querimonias multas de rapinis, & iniuſtis exactionibus: ſed Archiepiſcopus Eboracenſis nullum dedit eis reſponſum. Deinde per conſilium, & machinationem Cancellarii (vt dicitur) *Girardus* de Camuilla fuit retatus de receptatione prædonum, qui rapuerunt bona mercatorum euntium ad nundinas de Stanford: & ab eo receſſerunt ad rapinam illam faciendam, & de rapina illa redierunt ad eum. Præterea appellauerunt eum de læſione regiæ maieſtatis, in eo quod ipſe ad vocationem iuſtitiarum regis venire noluit, nec iuri ſtare de prædicta receptatione raptorum, neque eos ad iuſtitiam regis producere; ſed reſpondit ſe eſſe hominem Comitis *Iohannis*, & velle in curia ſua iuri ſtare. Prǽterea appellauerunt eum, quod ipſe fuit in vi, & adiutorio cum Comite *Iohanne*, & aliis inimicis Regis ad caſtella regis de Notingham/ & de Tikehil capienda. *Girardus* vero de Camuilla negauit omnia, quæ obiiciebantur ei ab illis, & illi dederunt vadium de proſequendo, & *Girardus* dedit vadium de defendendo ſe per vnum de liberis hominibus ſuis. Eodem die ſtatuit dominus rex diem coronationis ſuæ apud Wintoniam in clauſo Paſchæ. Eodem die perrexit rex vſq; Clipeſtun contra *Willielmum* regem Scottorum: & præcepit, vt omnes qui capti fuerant in caſtello de Notingham/ & caſtello de Tikehil/ & caſtello de Merleberg/ & caſtello de Loncaſtre/ & in monte *S. Michaelis*, conuenirent ad eum apud Wintoniam in craſtino clauſi Paſchæ. Tertia die menſis Aprilis (dominica ſcz. in ramis palmarum) fecit rex Angliæ moram apud Clipeſtun/ & rex Scottorum apud Wirkeſope propter diem ſolennem. Quarta die menſis Aprilis rex Angliæ, & rex Scotiæ venerunt apud Suuelle. Quinta die menſis Aprilis rex Angliæ, & rex Scotiæ venerunt ad Maltonam, vbi rex Scotiæ petiit à rege Angliæ dignitates, & honores, quos prædeceſſores ſui habuerunt in Anglia. Petiit etiam Comitatum Northumbriæ, & Cumberland & Weſtmerland/ & Comitatum de Loncaſtre/ ſibi reddi de iure prædeceſſorum ſuorum. Cui rex reſpondit, ſe ſatiſfacturum ei per conſilium Comitum & baronum ſuorum. Sexta die menſis Aprilis venerunt prædicti reges ad domum *Petri* Foreſtarii de Rotelend. Septima die menſis Aprilis venerunt prędicti regis apud * Gaindinton. Octaua die menſis Aprilis prędicti reges fecerunt moram apud Gaindintoun propter reuerentiam Paraſceuæ Domini. Nono die menſis Aprilis in vigilia Paſchæ venerunt prædicti reges ad Northampton: & decima die & vndecima die menſis Aprilis fecerunt prędicti reges moram apud Northamptun: vbi Rex Angliæ habito cum Epiſcopis & Comitibus, & baronibus ſuis cum deliberatione conſilio, reſpondit Regi Scotiæ, Quod petitionem ſuam, quam fecerat de Northumbria nulla ratione facere debuerat, & maxime illis diebus, in quibus omnes fere principes regni Francorum facti ſunt ei inimici. Nam ſi hoc feciſſet, videretur quod hoc magis ex timore procederet, quam ex dilectionis affectu: tamen rex Angliæ in præſentia *Alienor* matris ſuę, & *Huberti* Cantuarienſis, Archiepiſcopi, & *Hugonis* Dunelmenſis Epiſcopi, & *Gocelini* Glaſcuenſis Epiſcopi; & aliorum multorum, tam clericorum, quam Lai-

al. Gamdirtun.

corum vtriuſque regni, conceſſit, & charta ſua confirmauit *Willielmo* Regi Scottorum, & hæredibus ſuis in perpetuum; quod quandocunq; ipſi per ſummonitionem Regis Angliæ ad curiam ſuam venient, Epiſcop. Dunelmenſis, & Vicecomes Northumbriæ recipient eum ad aquam de Twede/ & in ſaluo conductu ducent eos vſq; ad aquam de Taiſe & ibi recipient eos Archiepiſc. Eboracenſis, & Vicecomes Eboraci, & in ſaluo conductu ducent eos vſq; ad fines Comitatus Eboracenſis; & ſic per Epiſco. & vicecomites ducentur de Comitatu ad Comitatum, donec perueniant ad curiam Regis Angliæ: & ex quo Rex Scottorum intrauerit terram Regis Angliæ habebit quotidie de Burſa regis Angliæ 100. ſolidos de liberatione. Cum autem Rex Scotiæ ad Curiam Regis Angliæ venerit, quam diu ipſe in curia regis Angliç morã fecerit, habebit quotidie de liberatione triginta ſolidos, & duodecim Waſtellos dominicos, & duodecim ſimenellos dominicos, & quatuor * ſextertia de dominico vino regis, & octo ſextertia de vino expenſabili, & duas libras de pipere, & quatuor libras de cymino, & duas petras de cera, vel quatuor cereos, & quadraginta groſſos longos colpones de dominica candela regis, & quater viginti colpones de alia candela expenſabili; & cum ipſe in patriam ſuam redire voluerit, conducetur per Epiſcopos & Vicecomites de Comitatu in Comitatum, donec peruenerit ad aquam de Twede: & habebit ſimiliter quotidie centum ſolidos de burſa Regis Angliæ ad liberationem. Charta autem huius conceſſionis, & confirmationis Regis Angliæ tradita fuit *Willielmo* Regi Scotiæ in villa de Northamptun / feria ſecunda in hebdomada Paſchæ per manum *Willielmi* Elienſis Epiſcopi Regis Cancellarii. Anno ab incarnatione Domini noſtri *Ieſu Chriſti* 1194. anno etiam regni Regis *Richardi* quinto, duodecima die menſis Aprilis feria tertia in hebdomada Paſchæ *Richardus* Rex Angliæ receſſit de Northamptonia, & perrexit vſque ad Selueſtun; & *Hubertus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, & *Hugo* Dunelmenſis Epiſcopus perrexerunt vſque ad Brakelai / vbi præparatum erat hoſpitium Dunelmenſi Epiſcopo, quod ipſe à triginta annis retro tenuerat ex liberatione mareſcallorum regis *Henrici*. Et vbi procuratio ſua præparata fuerat, ſuperuenerunt ſeruientes Regis Scotiæ volentes eiicere ſeruientes Epiſcopi, ſed non poterant. Emerunt tamen cibaria Regis, & in quadam domo eiuſdem curiæ præparauerunt. Quo cum Dunelmenſis Epiſcopus veniſſet, & dictum eſſet ei à ſuis ita contigiſſe, noluit pedem referre, ſed audacter hoſpitium ſuum intrauit, & menſas apponi iuſſit. Et dum pranderet ſuperuenit *Hubertus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, & obtulit ei hoſpitium ſuum: & conſuluit ei, vt ipſe, relicto hoſpitio illo regi Scotiæ, abiret. Cum autem Rex Scotiæ à venatu rediſſet ſero, & nunciatum eſſet ei ita contigiſſe, graue tulit, & noluit illo ire: ſed præcepit procurationem ſuam dari pauperibus, & ipſe venit ad regem apud Selueſtone / & conqueſtus ei de iniuria, quam fecerat ei Dunelmenſis epiſcopus; vnde rex iratus multum increpauit Dunelmenſem Epiſcopum. Tertia decima die menſis Aprilis venit rex ad Wodeſtoke. Quartadecima die venit rex ad Freidmantel: decimaquinta die menſis Aprilis venit Rex Angliæ ad Wintoniam, & eo die diſſaiſiuit *Godefridum* Wintonienſem epiſcopum de caſtello, & Comitatu Wintoniæ, & de illis duobus maneriis, quæ Epiſcopus Wintonienſis ab illo emerat ante iter ſuum Ieroſolymitanum, & de magna parte patrimonii ſui. Sextadecima die Menſis Aprilis poſt prandium tranſtulit ſe Rex Angliæ de caſtello Wintoniæ ad Prioratum Sancti *Swithuni*, & ibi nocte illa iacuit, & ſe balneari fecit; & mandauit *Gaufrido* Eboracenſi Archiepiſcopo, ne ipſe in craſtino ad coronationem ſuam accederet cum cruce ſua, ne forte tumultus fieret inter ipſum, & Cantuarienſem Archiepiſcopum. Et quia prohibitum erat ei crucem ſuam portare, noluit coronationi Regis intereſſe.

al. ſextaria.

CORONATIO RICHARDI REGIS *Angliæ poſt liberationem.*

SEptima decima die menſis Aprilis die Dominica in octauis Paſchæ, conuenientibus in vnum in Eccleſia Sancti Swithuni Huberto *Cantuarienſi, &* Iohanne *Dublinenſi Archiepiſcopis: &* Hugone *Dunelmenſi, &* Hugone *Lincolnienſi, &* Richardo *Londonienſi, &* Gilberto *Roffenſi, &* Willielmo *Elienſi, &* Sefrido *Ciceſtrenſi, &* Henrico *Exonienſi, &* Willielmo *Herefordenſi, &* W*igornienſi, & de S.* David, *& Pangorenſi, Epiſcopis: & abbatibus multis, & clero, & populo:* Richardus *rex Angliæ veſtimentis regalibus indutus, coronam auream habens in capite, proceſſit de thalamo ſuo coronatus: geſtans in manu ſua dextra ſceptrum regale, in cuius ſummitate habetur ſignũ crucis, & in manu ſiniſtra virgam auream, in cuius ſummitate habetur ſpecies columbæ; & à dextris eius ibat* Willielmus *Elienſis Epiſcopus Cancellarius ſuus, & à ſiniſtris* Richardus *Londonienſis Epiſcopus. Præcedebat quoq; eos ordinata proceſſio Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, & Ab-*

abbatum, & monachorum, & clericorum. Comites vero, & barones, & milites, & magna plebis multitudo, ſequebantur regem. Et pannus ſericus 4. lanceis ſuperpoſitus ferebatur ſupra regem à quatuor Comitibus: videlicet, Rogero Bigot *Comite de Norfolchia &* Willielmo *Comite de Inſula Vecta, & Comite Salesbirienſi, & Comite de Ferreres. & tres gladij de theſauro regis ſumpti geſtabantur ante regem: quorum vnum geſtabat* Willielmus *rex Scottorum, & alterum portabat* Hamelinus *Comes de Warenna, & tertium geſtabat* Ranulfus *Comes Ceſtriæ: medius autem illorum ibat rex Scottorum, & Comes de Warenna à dextris eius, & Comes Ceſtriæ à ſiniſtris eius. Et ſic coronatus ductus eſt in Metropolitanam Eccleſiam S.* Swithuni *vſque ad altare: & ibi flexis genibus deuote recepit benedictionem, ab* Huberto *Cantuarienſi Archiepiſcopo, & inde ductus eſt ad ſedem ſuam.* Alienor *vero regina mater eius cum puellis ſuis ſedebat in Boreali parte Eccleſiæ ex oppoſito regi. Cantuarienſis vero Archiepiſcopus Miſſam celebrauit; & rex ductus eſt à prædictis Epiſcopis ad oblationem, & reductus eſt in ſedem ſuam. Poſt celebrationem Miſſæ reductus eſt rex in thalamum ſuum, præcedente ordinata proceſſione, vt ſuperius. Rex vero depoſitis grauioribus veſtimẽtis ſuis, & corona, leuiora ſumpſit indumenta & coronam leuiorem: & ita ad prandendum intrauit refectorium monachorum; & præfati Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & rex Scotiæ, & Comites & barones ſedebant ad menſam, & vnuſquiſq; in locum ſuum, ſecundum ordinem, & dignitatem ſuam, & epulabantur ſplendide. Ciues ſũt Londoniarum, data regi mercede ducentarum marcarum, ſeruierunt de pincernaria, contra calumniam ciuium Wintoniæ. Ciues vero Wintoniæ ſeruierunt de coquina. Eodem die poſt prandium ſero redijt rex in domum ſuam, quæ eſt in caſtello Wintoniæ.* Decimo octauo die menſis Aprilis, in craſtino coronationis regis, * *Iollanus* frater regis *Henrici* de la Pumerai appellatus, quod proditioſe interfuerat captioni mõtis *S. Michaelis* in Cornubia, elegit magis abiectus eſſe ab Anglis, quam ſtare inde iuri in curia regis. Nonodecimo die menſis Aprilis *Hugo* Dunelmenſis Epiſcopus, ſponte ſua, nullo cogente, reddidit regi Comitatum Northumbriæ, cum caſtellis, & aliis pertinentiis ſuis: & præcepit ei rex, vt ipſe ea traderet *Hugoni Bardulfo.* Quod cũ *Willielmus* rex Scotiæ audiſſet, ſtatim obtulit regi Angliæ quindecim millia marcarum argenti pro Northumbria, & pertinentiis ſuis: dicens quod Comes *Henricus* pater ſuus illam tenuit ex dono *Henrici* regis ſecundi, & poſt eum rex *Malcolmus* filius eius quinq; annis eam pacifice poſſedit. Vnde rex Angliæ habito cum ſuis conſilio reſpõdit regi Scotiæ, quod daret ei totam Northumbriam, exceptis caſtellis, pro memorata pecunia: ſed rex Scotię noluit illam recipere ſine caſtellis. Viceſima die menſis Aprilis fecit rex Angliæ ſegregari ab aliis ditiores. qui capti fuerant in caſtellis de Notingham, & de Tikehil, & aliis caſtellis Comitis *Iohannis*, & poni in carceribus ad redimendum: cæteros autem abire permiſit per plegios veniendi ad vocationem ſuam, & ſtandi iudicio curiæ. & vnuſquiſq; illorum inuenit plegios de centum marcis, ſi ipſe non rediret in curiam regis. Viceſima prima die menſis Aprilis *Willielmus* rex Scottorum iterum tentabat, ſi ipſe modo quolibet obtinere poſſet Comitatum Northumbriæ cum caſtellis: ſed non erat de conſilio regis Angliæ, vt ipſe ei aliqua caſtella traderet. ſed tamẽ dedit ei ſpem habendi ea in futuro poſt reditũ ſuum de Normannia. Viceſima ſecũda die menſis Aprilis, feria 6. *Willielmus* rex Scotiæ receſſit à curia regis Angliæ, verſus patriam ſuam rediturus: dolens & confuſus propter repulſam ei factam. Eodem die rex Anglię receſſit à Wintonia verſus mare ad transfretandum, propter ſiniſtros rumores, quos audierat de Normannis, & iacuit apud Waltham. Viceſima tertia die menſis Aprilis rex Angliæ fecit moram apud Waltham, & *Gaufridus* Eboracẽſis Archiepiſcopus venit illuc ad regem, & crucem ſuam ante ſe portare fecit. Vnde *Hubertus Walteri* Cãtuarienſis Archiepiſcopus plurimũ conqueſtus eſt regi: ſed rex reſpondit, quod hoc non pertinebat ad eum, imo ad dominum Papam. Eodem die reddidit rex *Gaufrido* Eboracenſi Archiepiſcopo Baugi, & Lãgis in Andegauia, & charta ſua confirmauit. Viceſima quarta die menſis Aprilis dominus rex fecit pacem, & finalem concordiam inter *Gaufridum* Eboracenſem Archiepiſcopum, & *Willielmum* Elienſem Epiſcopum Cancellarium ſuum, de omnibus controuerſiis, quæ inter illos erant, tam de captione Eboracenſis Archiepiſcopi apud Doroberniam, quam de abiectione Cancellarii ab Anglia; ita quod prædictus Elienſis Epiſc. ad ſummonitionẽ Eboracenſis Archiepiſcopi iurabit cum centeſima manu ſacerdotum, quod ipſe nec pręcepit, nec voluit, vt idem Eboracenſis Archiepiſcopus caperetur. Et poſt concordiã illam eodem die receſſit rex de Waltham, & perrexit ad Porteſmue ad transfretandum: & *Alienor* regina mater eius cum eo. Viceſima quinta, & viceſima ſexta, & viceſima ſeptima die menſis Aprilis fecit rex moram apud Porteſmue. Viceſima octaua die menſis Aprilis receſſit rex à Porteſmue, & perrexit vſque Stanſtede cauſa venandi. Quo abeunte, Wallenſes, & Braibanceni hoſtiliter congreſſi ſunt, & mutuo ſe interfecerunt. Viceſima nona die menſis Aprilis rediit rex à Porteſmue ad extinguendam malitiam

* al. Iohannes

Walenſium,& Braibancenorum: & factum eſt ita. Triceſima die menſis Aprilis,& prima die menſis Maii, feſto Apoſtolorum *Philippi* & *Iacobi*, fecit rex ibidem moram, & videbatur ei nimis tædioſa. Secūda die menſis Maii rex tædio affectus, fecit totam claſſem ſuam carcari hominibus,& equis,& armis, feria ſecunda: & contra conſilium nautarum ſuorum intrauit quandam nauem ſuam longam, ſperans transfretare nauigando: & quamuis ventus eſſet ei contrarius noluit reuerti. Cæteræ autem naues remanſerunt in portu: rex vero, & qui cum eo erant iactabantur fluctibus. erat enim tempeſtas valida, & erat cor eorum pauens. Et in craſtino ſequenti rediit rex in inſulam Vectæ, deinde ad Portheſmue. Et facta ibi, & in prouincia illa octo dierum mora, nono die, feria quinta, feſto ſanctorum *Nerei*, & *Achillei*, atque *Pancratij* martyrum, iterum naues intrauit ipſe, cum exercitu ſuo, & transfretauit in Normanniam, & applicuit apud Barbeflet cum centum magnis nauibus onuſtis viris bellicoſis, & equis & armis; & ſtatim properauit Vernolium ire, quod rex Franciæ obſederat. Cuius aduentu audito, rex Franciæ ab obſidione Vernolii receſſit, in vigilia Pētecoſtes, neſciente exercitu ſuo, poſtquam ipſe ibidem moram octodecim dierum in obſidione fecerat. Interim *Iohannes* frater regis, Comes Moretonii rediit ad regem fratrem ſuum: & mediante *Alienor* regina matre eorum, facti ſunt amici rex, & ille; ſed rex nullum caſtellum, neque terram aliquam ei reddere voluit. Exercitus vero regis Franciæ, quem ipſe dimiſerat in obſidione Vernolii, cum vidiſſet quod rex ſuus abierat, ſecutus eſt eum die Lunæ in hebdomada Pentecoſtes. Rex vero Angliæ impiger, & torto Balearis verbere fundæ ocyor, audito quod rex Franciæ obſediſſet Vernolium, illuc feſtinanter aduenit: & non inuento ibi rege Franciæ, in ore gladii ſecutus eſt exercitum eius fugientem. Deinde properauit rex Angliæ ad Vernolium, & partes debiliores firmauit. Deinde properauit rex ad caſtrum Montis mirabilis; quod Andegauenſes, & Cenomannenſes obſederant; ſed priuſquam ipſe illuc veniret, ceperunt illud,& funditus diruerunt. Deinde rex Angliæ cum feſtinatione properauit ad caſtrum de Luches, tranſitum faciens per caſtrum Toronum, vbi duo millia marcarum à Burgenſibus dono ſpontaneo recepit. Milites vero Nauarræ, & Braibanceni obſederunt caſtrum de Luches. Quorum dux & primus extiterat *Aufuns filius *Sancij* regis Nauarræ, frater *Berengeræ* reginæ Angliæ: ſed ipſe non perduxit eos vſque Luches, quia antequam illuc veniret, nūciatum eſt ei, quod pater ſuus rex Nauarræ obiiſſet. & hac de cauſa reuerſus eſt in regionem ſuam, & receptus eſt in regem ab hominibus regni. Cumque rex Angliæ ad caſtrum de Luches veniret, inuenit ibi prædictos Nauarrenſes,& Braibancenos, iam in vigiliis, & ieiuniis, & laboribus multis, in captione illius caſtelli in vanum laborantes: & ſtatim cum ſuis, & cæteris, qui aderant, die noctuque in eo inſultum faciens, tandem cepit illud vi & armis, & cepit in eo quinque milites, & quatuor; & viginti ſeruientes feria ſecunda poſt feſtum ſancti *Barnabæ* Apoſtoli. Interim conſiliarii regis Franciæ ceperunt colloquium cum Seneſcallo, & Conſtabulario, & proceribus Normanniæ, ad pontem Archæ. Vbi die ſtatuto cum *Walterus* Rothomagenſis Archiepiſcopus, vna cum prædicto Seneſcallo, & Conſtabulario, & proceribus veniret ad locum colloquii, & ibi fruſtra cum illis aduentum nunciorum regis Franciæ expectaret: rex Franciæ cum exercitu non modico venit ad caſtellum modicum, quatuor milliaribus diſtans à Rothomago, nomine Fontaines, & obſedit illud; & in obſidione illa per quatuor dies plus, quam credi poſſet, laborans, tandem cepit illud, & demolitus eſt. Interim Comes *Iohannes*, frater regis Angliæ, & *Robertus* Comes Leiceſtriæ, & alii multi Barones conuenerant Rothomagum: ſed quia non habebant, cui principaliter tanquam domino regi adhærerent, & quia impares multitudine,& viribus multum à rege Franciæ differebant, non præſumpſerunt infeſtare regem Franciæ. Cum autem rex Franciæ deſtructo caſtello illo inde recederet, & verſus Franciam remearet, incautum inuenit Comitem Leiceſtriæ; qui ad inſidias ei parandas de nocte Rothomago exierat, & vſque in terram *Hugonis* de Gurnai ad deprædandam eam, * euagationem fecerat inconſultam, & ſic à rege Franciæ cum paucis ſuorum detentus eſt. Deinde ex communi aſſenſu vtriuſque regis *Willielmus* Remenſis Archiepiſcopus,& Comes de Neuers, & Comes de Bar, & magiſter *Anſelmus* Decanus Turonenſis, & alii multi ex parte regis Franciæ; & *Walterus* Rothomagenſis Archiepiſcopus, & Seneſcallus Normanniæ, & Conſtabularius, & alii multi ex parte regis Angliæ conuenerunt, prope vallem Rodolii, ſexta feria poſt feſtum S. *Barnabæ* Apoſtoli, de Treugis inter prædictos reges ad inuicem firmandis tractatum habituri. Poſt lōgam itaq; deliberationem inter eos habitam, in hoc tandem conuenit. quod treugæ, quæ vſq; ad finem triennii ex parte regis Franciæ requirebantur, tantum per vnum annum eſſent duraturæ; ita quod rex Angliæ teneret (in nullo obno-

*al. Anfunus

*al. euagi-natiōnem

obnoxius regi Franciæ) omnes terras, quas habet in manu propria: & rex Franciæ ſimiliter oppida, quæ occupauit, vel tenet, pacifice teneret: & interim liceret vtrique illorum munire, & roborare omnes munitiones, quas integras, & infractas retinuiſſet, cæteras vero dirutas reædificare interim non liceret eorum alicui. Si quis vero alius præterquam in caſtris reædificandis domos vaſtatas, vel combuſtas ædificare affectaret, licite poſſet vel in ædificiis, vel in colligẽdis ſegetibus, vel aliis fructibus ſibi pacifice prouidere. Cæterum vero compromiſſum fuit, quod omnes Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ perſonę, quæ ſuis bonis, vel redditibus per violentiam huius guerræ priuatæ fuerãt, in omni loco terrarum vtriuſque regis, reſtituerentur in integrum. Sed quia rex Franciæ volebat, quod omnes illi, qui ei adhæſerant, vel regi Angliæ, clauderentur in treugis iſtis, ita quod a neutro illorum moleſtarentur, vel quod etiam nemo conuerſorum in alterutrum hoſtiliter moueretur, impeditæ ſunt treugæ. quia videlicet rex Angliæ violare nolebat conſuetudines, & leges Pictauiæ, vel aliarum terrarum ſuarum, in quibus cõſuetum erat ab antiquo, vt magnates cauſas proprias inuicem gladiis allegarent. Et ſic imperfecto negotio ab inuicem ſeparati ſunt omnes, qui colloquium illud cœperant, & ex illo die prædicti reges inimiciores facti ſunt, & acrius inter ſe alter aduerſus alterum congreſſus eſt in rapinis, & iniquis combuſtionibus. Rex quidem Franciæ venit ad ciuitatem Ebroicarum, & eam penitus ſubuertit, & Eccleſias deſtruxit, non parcens ætati, vel ſexui: & reliquias ſanctorum inde aſportauit. Hæc autem fecit eo, quod ciues Ebroicenſes, relicto eo, reuerſi fuerant ad fidem, & ſeruitium domini ſui regis Angliæ. Cum autem rex Franciæ, deſtructa ciuitate Ebroicenſi, inde recederet, & ad villam, quæ dicitur Freteual veniret; rex Angliæ ad inſidias ei parandas venit Vendoniam. Et quia locus ille non erat clauſus muro, nec ad defendendum aptus, fecit rex tendere extra villam tentoria ſua: & in eis ita ſecurus, ac ſi eſſet clauſus muro, expectabat mandatum regis Franciæ, qui mandauit ei,, quod die illo viſitaret illum in manu hoſtili. Cuius mandatum rex Angliæ lætus ſuſcipiens, renunciauit illi, quod ipſe expectaret eum: & niſi veniſſet, ipſe viſitaret eum in craſtino mane. Quod cum rex Franciæ audiſſet, non viſitauit regem Angliæ illo die. Mane autem facto rex Angliæ fecit exercitum ſuum armari; & proceſſit, vt cum exercitu regis Franciæ congrederetur. Quo audito rex Franciæ, & exercitus eius fugit ante faciem regis Angliæ ſubſequẽtis. In fuga autem illa multi de exercitu regis Franciæ interfecti ſunt, & multi capti. Captus eſt etiam regis Franciæ theſaurus magnus, & capella regia, & chartæ vniuerſorum hominum regis Angliæ, qui ſe dederant regi Franciæ, & Comiti *Iohanni*, contra eum. In fuga vero illa rex Francię declinauit ſe à turba, & intrauit quandam Eccleſiam, vt Miſſam audiret, longe à recta via. Rex vero Angliæ, neſciens quod rex Frãciæ ſe abſconderet, ibat adhuc ſpirans minarum, & cædis in homines regis Franciæ, & quęrebat eum, vt morti traderet, vel viuum caperet; & dictum eſt ei à quodam Flandrenſi, quod rex Franciæ iam longe proceſſerat; & ita rex Angliæ deceptus proceſſit in equo velociſſimo modicum vltra fines Franciæ, & Normanniæ; & deficiente ei equo illo, *Marcades* princeps Braibãcenorum tradidit illi alium equum: & ſic rex Angliæ, non inuento rege Franciæ, rediit Vendomiam, cum præda magna hominum, & equorum, & pecunia magna. Deinde perrexit rex in Pictauiam, ad debellandum *Gaufridum* de Rancune, & vicecomitem de Engoliſmo, qui dederant ſe regi Franciæ, & Comiti *Iohanni* contra eum, & ipſe expugnauit eos. Vnde & ipſe in hac forma ſcripſit *Huberto* Cantuarienſi Archiepiſcopo.

RIchardus *Dei gratia rex Angliæ, & dux Normanniæ, & Aquitaniæ, & Comes Andegauiæ, venerabili in Chriſto patri* Huberto *eadem gratia Cantuarienſi Archiepiſcopo, totius Angliæ Primati, ſalutem. Sciatis, quod nos Dei gratia, qui in omnibus rectum conſiderat, Tailburgum, & Marciliacum, & omnia caſtella, & totam terram* Gaufridi *de Rancona cepimus; & ciuitatem Engoliſmi, & caſtellum nouum, & Munciniacum, & la Cheſe, & omnia alia caſtella, & totam terram Comitis Engoliſmi, cum omni integritate cepimus: ciuitatem autem Engoliſmi, & Burgum in vna veſperata cepimus; in terris vero, quas in partibus illis cepimus, bene vſq; ad trecentos milites, & quadraginta millia armatorum cepimus. Teſte meipſo apud Engoliſmum viceſimo ſecundo die Iulij.* Interim familiares regis Franciæ, & familiares regis Angliæ, ex conſenſu vtriuſq; regis conuenerunt inter Vernolium, & Tilers, ad colloquium, ad tractandum de treugis inter illos, & conuenit inter eos, ſicut inferius notatum eſt.

LITERAE DROGONIS, ET ANSELMI DE TREVGIS *factis inter reges Franciæ & Angliæ.*

D*Rogo* de Merloto Conſtabularius Franciæ, & *Anſelmus* beati *Martini* Turonis decanus, & *Vrſio* domini regis Franciæ Camerarius, omnibus ad quos literæ præſentes

peruenerint, ſalutem. Noueritis, quod nos de mandato domini noſtri *Philippi* regis Franciæ iurauimus, & fidem manu legati dedimus, quod dominus noſter rex Franciæ treugas, ſicut inferius ſcriptæ ſunt, & conuentiones treugarum obſeruabit. Treugæ autem in hunc modum datæ ſunt. Dominus noſter rex Franciæ, intuitu Dei, ad preces Cardinalis, & Abbatis Ciſtertienſis concedit regi Angliæ & ſuis treugas: & concedit, quod firmare poſſit, ſi firmare voluerit, Nouum burgum, & Driencurt, & Concas, & Britollium. Aliæ munitiones, quæ dirutæ ſunt per guerram per regem Franciæ, aut per ſuos, non firmabuntur in his treugis, niſi eas contigerit firmari per pacem, quæ fiet inter regem Franciæ, & regem Angliæ. Rex Franciæ & ſui erunt de omnibus in ea tenatura, in qua erant die, qua treugæ datæ fuerunt. De valle Rodoli in hunc modum erit. Rex Franciæ tenens erit de valle Rodoli, ſicut erat prius: ſcilicet, de ipſo Rodoleo, & de ipſa tota villa cũ Eccleſiis: & de Louers, & de Aquigener, & de Laire, & de aliis vſque ad Haiam Malherbe, & vſque ad pontem Archiæ. De Haia vero Malherbe, & de vltra, & de Ponte Archiæ, & de vltra, erit tenens rex Angliæ. De omnibus * fortelleſcis, & de quibus rex Franciæ eſt ſaiſitus die treugarum, ſi erit: quod rex Franciæ eas infra treugas poterit infortiare, vel diruere, vel comburere ſi voluerit, & de tota terra, quam tenet, voluntatem ſuam facere. Et rex Angliæ ſimiliter illas * forcelleſes, de quibus eſt tenens die treugarum, poterit infortiare, vel diruere, vel comburere: ſed rex Angliæ de dirutis fortelleſcis per regem Franciæ, aut per ſuos nullam poterit firmare, niſi illas quatuor, quæ ſuperius dictæ ſunt. Præterea rex Franciæ ponit in treuga ſua omnes illos, qui melius erant homines ſui ante guerram, quam regis Angliæ. Præterea illos, qui fuerunt homines regis Angliæ, quos infra nominabimus: videlicet, Archas, & Driencurt, ſicut inde eſt tenens ipſe, & ſuæ gentes: Comitatum Augi, ſicut inde eſt tenens ipſe, & gentes ſuæ. Mortuum mare, & terram, vnde *Willielmus* de Chahou eſt tenens: terram Comitis Boloniæ, de qua erat ipſe tenens die, qua treugæ datæ fuerunt: *Hugonem* de Gornaco & Albamarle, & officiũ de Bauueu, & terram ſuam, ſicut inde eſt tenens: Nouum mercatum & terram, ſicut *Willielmus* de Garland, & ſui inde ſunt tenentes: Giſortium, & Vogeſin Normanniæ, ſicut rex Franciæ, & ſui inde ſunt tenentes: Vernonem & Gallonem, & terram, ſicut rex Franciæ, & ſui ſunt tenentes: Paſciacum & terram, ſicut rex, & ſui ſunt tenentes. Ilers & terram ſicut rex, & ſui inde ſunt tenentes. Marcelliacum & terram, ſicut rex & ſui inde ſunt tenentes: Loiam & terram, ſicut rex, & ſui inde ſunt tenentes: Nouancurt, & terram ſicut rex, & Comes *Robertus*, & ſui ſunt tenentes: Thiellerias, & terram, ſicut rex, & *Gernaſius*, & ſui ſunt tenentes: * Neuelonem, & ſuos homines; & fractam vallem & terram ſuam, ſicut inde ſunt tenentes. Comitem Brutiæ, & homines ſuos, & terram ſuam, ſi quam habet, vnde ſit tenens. Comitem Engoliſmi, & homines ſuos, & terrã ſuam, & feodum ſuũ, ſicut inde eſt tenens: *Iohannem* de Ruuereio, & *Baldewinum* de Aquini, & Comitem Mellenti, & terram ſuam, ſicut inde eſt tenens: & tam prædictas terras, quam homines qui in eis ſunt. & treugæ durabunt ab inſtanti feſto omnium ſanctorum in vnum annum. Ideo autem rex Franciæ omnes prædictos nominauit, quia vult quod rex Angliæ illos magnos homines, quos voluerit in treugam eſſe, nominet infra quindenam ſupradictæ treugæ; quoniam ſi poſt quindenam à die ſupradictæ treugæ vellet nominare, rex Franciæ illos non reciperet; & ſi ſe cognouerint coadiutores regis Angliæ in treuga erunt. Muniti autem coadiutores in facta treuga erunt vtrinque. Rex autem Franciæ duos elegit dictatores, & rex Angliæ ſimiliter duos: quorũ arbitrio, vel maioris partis, ſi alter regum aduerſus alterum, vel aliquis hominum ſuorum inter ſe interciperet, emẽdatio hinc inde fieret infra quadraginta dies. Iſti autem dictatores iurabunt ſuper ſancta Euangelia, quod nec amore, nec odio, nec timore, nec pretio omittent, quin bona fide arbitrentur. Si autem contigerit interceptionem fieri vltra Ligerim verſus Bituricam, dictatores conuenient inter Exodunum & caſtellum *Rodulphi*, propter emendationem faciendam. Arbitri de terra, in qua interceptio facta fuerit, ſummonebunt alios dictatores; & ipſi bona fide audita ſummonitione, conuenient per conuenientes dietas ad alterutrum locorum dictorum, & ſi interceptio fieret citra Ligerim verſus Normanniã, dictatores conuenient inter Vernolium, & Tilerias propter emendationem faciendam. Si autem contentio eſſet inter dictatores, Legatus magiſter melior bona fide ſub periculo animæ ſuæ inde veritatem inquireret, & ſuper illum, qui interceptionem, & delictũ emendare non vellet, omni appellatione remota, excommunicationis ſententiam promulgaret, & terram ſuam interdicto ſupponeret. Si autem malefactor eſſet de terra regis Franciæ, rex Franciæ iuuaret bona fide ad hoc emendandum ſine ſuo mittendo: & rex Angliæ ſimiliter faceret de ſuis hominibus bona fide. Si rex Franciæ contra regem Angliç, aut rex Angliæ contra regem Fran-

al. forceleſcis.

al. forteleſas.

al. Neuolem.

Franciæ interciperet, Cardinalis terram interdiceret intercipientis, ſi interceptionem nollet emendare ad arbitrium dictatorum, aut maioris partis. *Richardus* rex Angliæ, & ſui erant in ea tenatura,* citra Ligerim verſus Normanniam, in qua erant die, qua treugæ captæ fuerunt; & vltra Ligerim erunt in ea tenatura, in qua erant die, qua ipſe & ſui poterũt ſcire per legales dietas treugas eſſe datas. Et rex Angliæ mittit omnes illos in treuga ſua, qui melius erant homines ſui, quam regis Franciæ ante treugam. De priſonis ita erit vtrobiq;, quod illi priſones, quos rex Franciæ habet, hoſtigabuntur per ſecuritatem, quam obtulerint, ſi prædicto regi placuerit; ſi autem non placet, dictatores ſui ſub adiuratione ſacramenti ſui dicent, quæ ſecuritas facienda eſſet ad hoc, quod rex Franciæ ſecurus eſſet, quod priſo reueniret in priſonam regis Franciæ quindecim diebus ante terminum, ſi viuus eſſet priſo: & de priſonibus regis Angliæ erit ſimiliter per ſuos dictatores. Hæc autem omnia bona fide ſeruanda ambo reges iurabunt, & affidabunt in manu Cardinalis, & literas ſuas patentes inde facient de treugis, & conuentionibus prædictis ſeruandis. Nobiſcũ autem treugas iurauit, & affidauit, ex parte regis Franciæ *Geruaſius* de Caſtello tenendas: iurabunt etiam illi, quos rex Angliæ requiret, tam clerici, quam laici arbitrio dictatorum. Ad hoc ſciatis, quod nos, qui iurauimus hanc treugarum conuentionem, ſuper hoc habuimus regis Franciæ literas patentes de ratihabitione: videlicet, quod quicquid de treugis ſeruandis ordinaremus, ratum haberet, & firmum. Et nos, vt omnia prædicta firma ſint, & ſtabilia, vniuerſa prædicta ſigillis noſtris roborauimus. Actum inter Vernolium, & Thilers, anno incarnati verbi, milleſimo centeſimo nonageſimo quarto, viceſima tertia die Iulii. Poſt transfretationem autem regis, cum *Hugo* Dunelmenſis Epiſcopus domum rediret, *Hugo Bardulfus* petiit ab eo Comitatum Northumbriæ, & Nouum caſtellum ſupra Tinam, & caſtellum de Bamburc, ſicut idem Epiſcopus promiſerat regi, ſe traditurum. Sed Epiſcopus id facere diſtulit, quia nuncius ſuus, per quem ipſe obtulerat regi duo millia marcarum argenti pro Comitatu illo cum ſupradictis caſtellis ſibi retinendo, nondum redierat. Qui cum rediret, attulit ſecum literas regis, per quas rex mandauit *Hugoni Bardulfo*, quod, ſi prædictus Dunelmenſis Epiſcopus feciſſet eum ſecurum de illis duobus marcarum millibus reddendis, traderet prædicto Epiſcopo prænominatum Comitatum* cum caſtellis. Cum igitur literæ regis traderentur *Hugoni Bardulfo*, reſpondit ipſe *Hugoni* Epiſcopo Dunelmenſi, dicens: Si vultis vt ego præceptum regis faciam, tradite mihi caſtella, & Comitatum, & ego retradam ea vobis, ſicut rex præcepit; ſi feceritis me ſecurum de illis duobus marcarum millibus habendis ad opus regis: cui Epiſcopus Dunelmenſis reſpondit: Non eſt opus, vt ego vobis ea tradam ad retradendum mihi, quia ego habeo illa, & teneo. His auditis, *Hugo Bardulfus* ſtatim mandauit domino regi reſponſum Epiſcopi; vnde rex iratus præcepit Epiſcopum Dunelmenſem diſſaiſiri de caſtellis & de Comitatu ſupradictis, & vt duo millia marcarum ab eo exigerentur: præcepit etiam rex in furore iræ ſuæ, vt ipſe Dunelmenſis Epiſcopus diſſaiſiretur de manerio de Sanberhe cum feodis militum, & Wapentacco, quæ idem rex beato *Cuthberto*, & Eccleſiæ Dunelmenſi, & prefato Epiſcopo, & ſucceſſoribus eius dederat in puram, & perpetuam eleemoſynam, & charta ſua confirmauerat, ſicut ſuperius notatum eſt, & factum eſt ita. Interim conquerentibus Canonicis Eboracenſis Eccleſiæ Cantuarienſi Archiepiſcopo, regis iuſticiario, de iniuriis, quas Eboracenſis Archiepiſcopus eis faciebat; Cantuarienſis Archiepiſcopus, authoritate regia, qua fungebatur; miſit Eboracum Comitem *Rogerum Bigot*, & *Willielmum* de Warenna, & *Willielmum* de Stuteuilla, & *Hugonem Bardulfum*, & *Willielmum Brumere*, & *Gaufridum* * *Habet*, & *Willielmum* filium *Richardi* clericum, ad audiendam controuerſiam inter Archiepiſcopum Eboracenſem, & Canonicos ſuos, & ſecundum quod ius dictauerit, terminandam. Qui cum venirent, & audirẽt appellationes Canonicorum, & reſponſum Archiepiſcopi, & ſuorum, præceperunt homines Archiepiſcopi, qui calumniati fuerant de robberia capi, & incarcerari. Et quamuis Archiepiſcopus opera eorum Warrantizaret, non tamen potuit eos Archiepiſcopus plegiare. Deinde ſummonuerunt Archiepiſcopum, vt veniret iudicio pariturus, & quia noluit diſſaiſiauerunt eum de omnibus maneriis ſuis, excepto vno ſolo manerio de Ripun, in quo Archiepiſcopus ſe receperat. Deinde fecerunt Canonicos introduci in ſtallos ſuos, de quibus Archiepiſcopus eos diſſaiſierat. Et ſic recedentes ſtatuerunt *Willielmum* de Stuteuilla, & *Gaufridum Haget* cuſtodes in Eboracenſi ſiria ſuper Archiepiſcopum, & ſuper vicecomitatum ſuum. Paulo poſt in menſe Septembris miſſi ſunt ex parte regis per ſingulos Comitatus Angliæ iuſticiarii errantes, & ſecundum ſubſcriptorum formam capitulorum proceſſerunt in iuſtitiis exequendis.

al. contra

al. Hagts

FORMA PROCEDENDI IN PLACITIS corona regis.

IN primis eligendi ſunt quatuor milites de toto Comitatu, qui per ſacramentum ſuum eligant duos legales milites de quolibet Hundredo, vel Wapentaccó, & illi duo eligant ſuper ſacramentum ſuum, 10. milites de ſingulis Hundredis, vel Wapentaccis, vel ſi milites defuerint, legales, & liberos homines, ita quod illi 12. in ſimul reſpondeant de omnibus capitulis de toto Hundredo, vel Wapentacco.

CAPITVLA PLACITORVM CORONÆ REGIS.

DE placitis coronæ nouis, & veteribus, & omnibus, quę nondum ſunt finita coram iuſticiariis domini regis. Item de omnibus recognitionibus, & omnibus placitis, quæ ſummonita ſunt coram iuſticiariis per breue regis, vel capitalis iuſtitiæ, vel à capitali curia regis coram eis miſſa. Item de eſchaetis, quæ ſunt, & quæ fuerunt, poſtquam rex arripuit iter verſus terram Ieruſalem, & quæ fuerunt tunc in manu regis, & iterum ſunt modo in manu eius, vel non, & de omnibus eſchaetis domini regis, ſi à manu ſua ſunt remotæ, quomodo, & per quem, & in cuius manus deuenerunt, & qualiter, & quis exitus inde habuerit, & quos, & quid valuerint, & quid modo valeant; & ſi aliqua exchaeta ſit, quæ ad dominum regem pertineat, quæ in manu eius non ſit. Item de Eccleſiis, quæ ſunt de donatione domini regis. Item de cuſtodiis puerorum, quæ ad dominum regem pertinent. Item de maritagiis puellarum, vel viduarum, quæ ad dominum regem pertinent. Item de malefactoribus, & eorum receptoribus & eis conſentientibus. Item de falſonariis. Item de interfectoribus Iudæorum, qui ſint; & de vadiis Iudæorum interfectorum, & catallis, & terris, & debitis, & chartis, & quis ea habuerit, & quis quantum eis debuerit, & quæ vadia habuerint, & quis ea teneat, & quantum valeant, & quis exitus inde habuerit, & quos; & omnia vadia, & debita Iudæorum interfectorum capiantur in manu regis; & qui ad occiſionem Iudæorum fuerunt, & non fecerunt finem cũ domino rege, vel iuſticiariis ſuis, capiantur, & non deliberentur niſi per dominum regem, vel iuſticiarios ſuos. Item de omnibus auxiliis datis ad redemptionem domini regis, quis quantum promiſerit, & quantum reddiderit, & quantum à retro ſit. Item de fautoribus Comitis *Iohannis*, qui finem cum domino rege fecerunt, & qui non. Item de catallis Comitis *Iohannis*, vel fautorum eius, quæ ad vſum domini regis non ſunt conuerſa, & quantum vicecomites receperunt, vel bailliui ſui, & quis aliquid contra antiquas cõſuetudines regni dederit. Item de omnibus terris Comitis *Iohannis*, de Dominicis, & Wardis, & exchaetis, & de donis ſuis, & qua de cauſa data ſunt ei illa dona, & omnia dona Comitis *Iohannis* capiantur in manu domini regis, præterquam illa, quæ per regem confirmata ſunt. Item de debitis & finibus, quæ debentur Comiti *Iohanni*, & qua de cauſa; & omnia exigantur ad opus domini regis. Item de fœneratoribus, & eorum catallis, qui mortui ſunt. Item de vinis venditis contra aſſiſam, & de falſis menſuris tam vini, quam aliarum rerum. Item de cruciatis mortuis ante iter ſuum arreptum verſus Ieruſalem, & quis eorum catalla habuerit, & quæ, & quanta. Item de magnis aſſiſis, quæ ſunt de centum ſolidatis terræ, & infra. Item de defaltis. Præterea in quolibet Comitatu eligantur tres milites, & vnus clericus cuſtodes placitorum coronæ, & nullus vicecomes ſit iuſtitiarius in vicecomitatu ſuo, nec in Comitatu, quem tenuerit poſt primam coronationem domini regis. Præterea tailleantur omnes ciuitates, & Burgi, & Dominica domini regis: iuſticiarii vero nominati vna cum bailliuis *Willielmi* de ſanctæ *Mariæ* Eccleſia, & *Gaufridi* filii *Petri*, & *Willielmi* de Chimelli, & *Willielmi Bruere*, & *Hugonis Bardulfi*, & vicecomitis Locorum ſummoneri faciant milites in Comitatu in rotulo nominatos; vt ad diem & locum, quem eis ſcire facient, veniant, & coram eis iurare faciant illos, quod legale poſſe ſuum ponent ad Wardas, & exchaetas domini regis inſtaurandas, & ad appretiandas ad commodum domini regis, nec alicuius odio, fauore, vel gratia illud omittent; & quod prædicti milites nominati ſuper ſacramentum ſuum eligent duodecim legales milites, vel liberos, & legales homines, ſi milites ad hoc inuenti non fuerint per diuerſas partes ſingulorm Comitatuum in itinere prædictorum iuſticiariorum, ſicut expedire viderint; qui ſimiliter iurent, quod ad Wardas, & exchaetas de partibus illis inſtaurandas, & appretiandas, & affirmandas ſuum legale poſſe, & conſilium, & auxilium apponent ad commodum regis, vt prædictum eſt; & prædicti iurati ſupra ſacramentum ſuum eligent de liberioribus hominibus exchaetarum, & wardarum quot, & quales nouerint eſſe ſibi neceſſarios, ad prædicta domini regis negotia, ſicut melius fieri poteſt ad commodum

commodum domini regis, exequenda. Et ſciendum eſt, quod prædictæ Wardæ, & exchaetæ inſtaurabuntur de exitibus ex eis prouenientibus, vſque ad feſtum *Michaelis*. Item de exitibus eiuſdem termini, & ſi *hi non ſufficiunt, ſupplebitur deficiens de Telonio domini regis, ita quod illi, qui tenebunt Wardas, & exchaetas illas ad firmam, reſpondebũt inde a feſto S. *Michaelis*, & deinceps tanquam de ſtauratis. dominus autem rex illis, qui wardas illas & exchaetas ad firmam tenebunt, eas vſq; ad terminum ſuum de anno in annum warrantizabit; ita quod licet dominus rex aliquam illarum alicui dediſſet, firmarius firmam ſuam tenebit, vſq; ad finem anni per firmam ei reddendam, cui rex eam dederit, quam dominus rex inde perceperit. Iuſticia vero exchaetæ, quã dederit, remaneat domino regi, niſi dominus rex illud nominatim dederit. firmarius vero cum firmam ſuam dimiſerit, inſtauramentum ſuum, & omnia ſua quæ in firmis poſuerit vltra inſtauramẽtum regis libere, & ſine diminutione habebit, & inde habebunt literas domini Archiepiſcopi patentes, continentes tenorem chartæ domini regis ſuper hoc factæ. inquiretur item diligentiſſime quantus ſit aſſiſis redditus per ſingula maneria in demenio, & quantum valeãt omnia alia in prædictis maneriis aſſiſa, & quot ſunt carucæ, & quantum ſingulæ valeant non æſtimantes eas ad pretium 20. ſolidorum tantum: ſed ſecundum quod terra fuerit vel bona, vel mala, creſcat, vel decreſcat pretium. Illi vero qui firmas ſuſcipiẽt, firmas ſuas inſtaurabunt, vt prædictum eſt, ſecũdum pretium ſupradictum de exitibus exchaetarum, & wardarum. inquiratur item de quot bobus, & aueriis ſingulæ carucæ valeãt inſtaurari, & quot, & quantum inſtauramentum ſingula maneria poſſit ſuſtinere. & tunc aperte, & diſtincte in ſcriptum redigantur. erit autem pretium bouis 4. ſolidi, & vaccæ ſimiliter, & & aueri ſimiliter, & ouis criſpæ 10. denarii, & ouis lanæ groſſioris 6. denarii, & ſuis 12. denarii, & verris 12. denarii, & cum firmarii firmas ſuas dimiſerint de prædicto pretio reſpõdebunt, vel de animalibus pacabilibus in optione firmariorum; & cum omnia prædicta inſtaurata fuerint, & appretiata, omnia imbreuientur aperte, & diſtincte, & deferantur ad ſcaccarium. excipiuntur autem de hac aſſiſa Epiſcopatus, & Abbatiæ, & terræ baronũ, qui proximi ſunt ætati. inquiratur etiam per ſacramẽtum prædictorum de omnibus wardis, & exchaetis, quæ non ſunt in manu domini regis, & capiantur in manu domini regis, & de illis fiat, ſicut de aliis exchaetis, & wardis. al. hæc

CAPITVLA DE IVDAEIS.

OMnia debita, & vadia Iudæorum imbreuientur, terræ, domus, redditus, & poſſeſſiones. Iudæus vero, qui aliquid horũ celauerit, ſit in forisfactura domini regis de corpore ſuo, & concelamento, & de omnibus poſſeſſionibus ſuis, & omnibus catallis ſuis, nec vnquam concelamentum Iudæo recuperare licebit. Item prouideantur 6. vel 7. loca, in quibus facient præſtita ſua, & prouideantur 2. legales Chriſtiani & 2. legales Iudæi & 2. legales ſcriptores, & coram illis, & clericis *Willielmi* de S. *Maria* Eccleſia, & *Willielmi* de Chimilli fiant præſtita, & chartæ præſtitorum fiant in modum chirographi. Et altera pars remaneat Iudæo ſigillata ſigillo illius, cui pecunia traditur; & altera pars remaneat in arca communi, in qua ſunt tres ſerruræ: vnde duo Chriſtiani habeant vnam clauem, & 2. Iudæi vnam, & clerici *Willielmi* de S. *Maria* Eccleſia, & magiſtri *Willielmi* de Chimilli habeant tertiam; & præterea tria ſigilla, & qui claues habuerint ſigilla apponent; clerici autem prædictorum *Willielmi*, & *Willielmi* habeant rotulum de tranſcriptis omnium chartarũ, & ſicut chartæ mutabuntur, mutetur & rotulus: de ſingulis chartis dentur 3. denarii, medietas à Iudæo, & medietas ab eo, cui pecunia creditur. vnde duo ſcriptores habeant 2. denarios, & cuſtos rotuli tertium, & de cætero nullũ fiet præſtitũ, nulla Iudæis fiet ſolutio, nulla fiet chartarum mutatio, niſi coram prædictis vel maiori parte, ſi omnes intereſſe nequiuerint. & prædicti 2. Chriſtiani habeãt vnum rotulum de recepta Iudæorũ ſolutionis eis de cætero faciendæ, & 2. Iudæi vnum; & cuſtos rotuli vnũ. Item quilibet Iudæus iurabit ſuper rotulũ ſuum, quod omnia debita ſua, & vadia, & redditus, & omnes res, & poſſeſſiones ſuas inbreuiari faciet, & quod nihil celabit, vt prædictum eſt. & ſi ſcire poterit, ꝙ aliquis aliquid celauerit, illud iuſtitiis ad eos miſſis ſecreto reuelabit, & quod falſonarios chartarum, & retonſores denariorum, vbi eos ſcient, detegent, & mõſtrabunt, & de falſis chartis ſimiliter. præterea inquiſitio, quæ quærenda erat de pricis & cenſeriis omniũ bailliuorũ domini regis tam iuſtitiarum, quam vicecomitum, & conſtabulariorũ & foreſtariorum, & eorum ſeruientium poſt coronationem domini regis *Richardi* primam, & quare priſæ illæ captæ fuerunt, & per quẽ, & de omnib. catallis, donis, & promiſſis factis occaſione ſaiſinæ factæ de terris Comitis *Iohannis*, & fautorum ſuorum, & quis ea receperit, & quæ, & quantam dilationem ceperit per mandatum *Huberti* Cantuarienſis Archie-

piſcopi,tunc temporis capitalis iuſticiarii regis.Interim *Richardus* rex Angliæ peractis negotiis ſuis in Pictauia pro voluntate ſua rediit in Andegauiam, & redemit omnes bailliuos ſuos,id eſt,ad redemptionem coegit.Similiter fecit in Cenomannia.Deinde veniens in Normanniam moleſte tulit quicquid factum fuerat de ſupradictis treugis,& imputans Cancellario ſuo hoc per eum fuiſſe factum, abſtulit ab eo ſigillum ſuum, & fecit ſibi nouum ſigillum fieri,& mandauit per ſingulas terras ſuas,quod nihil ratum foret, quod fuerat per vetus ſigillum ſuum;tum quia Cancellarius ille operatus fuerat inde minus diſcrete,quam eſſet neceſſe;tum quia ſigillum illud perditũ erat, quando *Rogerus* malus catulus vicecancellarius ſuus ſubuerſus erat in mari ante inſulam de Cypro. & pręcepit rex,quod omnes,qui chartas habebãt,venirent ad nouum ſigillũ ſuum ad chartas ſuas renouandas. præterea rex ſtatuit tornimenta fieri in Anglia,& charta ſua confirmauit.ita quod quicũque torniare vellet,daret ei pecuniam ſecundũ formam ſubſcriptã: videlicet,Comes daret pro licentia torniandi 20.marcas argenti,& barones 10.marcas argẽti,& miles terram habens,4.marcas argenti, & miles non habens terram 2.marcas argenti. & præcepit rex ne aliquis miles accederet ad loca torniamentorum, niſi prius tradidiſſet ei memoratam pecuniam.Chartam autem huius cõceſſionis tradidit rex *Willielmo* Comiti Salesburienſi cuſtodiendam.Sed & *Hubertus Walterus* ſummus iuſtitiarius regis conſtituit *Theobaldum Walteri* fratrem ſuum, huius pecuniæ collectorem. Eodem anno *Rogerus* filius *Tancredi* regis Siciliæ,quem pater ſuus coronari fecerat in regem Siciliæ, qui etiam filiam *Thurſac* Imperatoris Conſtantinopolitani in vxorem duxerat,obiit; quo defuncto *Tancredus* rex fecit *Willielmum* filium ſuum fratrẽ prædicti regis *Rogeri* in regẽ Siciliæ coronari,& paulo poſt prædictus *Tancredus* obiit;quo audito *Henricus* Romanorum Imperator magno congregato exercitu intrauit Apuliam in principio menſis Auguſti,& eam ſibi ſubiugauit; & 15.diebus ante feſtum S.*Michaelis* cepit Salernum per vim. & quia Salernitani proditioſe egerant aduerſus eum,vt ſupra dictum eſt, tradentes *Conſtantiam* Imperatricem in manu regis *Tancredi*,in vindictam illius proditionis omnes illius ciuitatis potentiores, aut morti tradidit,aut in exilium damnatos relegauit, & vxores, & filios eorum expoſuit exercitui. & inuenit in turre maiori magnum theſaurum valentem 200.millia vnciarum auri; & exercitus eius factus eſt diues ex ſpoliis Salernitanorum.deinde perrexit Imperator ad ciuitatem Melfe,quæ ſtatim reddita eſt ei;& dum ipſe ibi moram fecit,redditæ ſunt ei oẽs ciuitates Apuliæ; ex quibus ipſe tres ſubuertit, ſcilicet Salernum, & Spinchole,& Policor. Deinde ante feſtum omnium Sãctorum venit in Siciliam vſq; Meſſanam ciuitatem cum tanta gloria,& honore,quod non eſt auditum, quod aliquis vnquam antea glorioſius, vel honorificentius terram illam intraret.& ipſe honorifice ibi ſuſceptus eſt ab Archiepiſcopis,& Epiſcopis,& Comitibus,& Baronibus regni Siciliæ: & recedens inde perrexit Panormum.Quo cum veniſſet,regina Siciliæ quondam vxor *Tancredi* regis, & *Richardus* de Therne frater eius tradiderunt ei palatium regis Siciliæ,& *Willielmum* regem filium regis *Tancredi*,& vxorem *Rogeri* regis filiam *Thurſac* Imperatoris Cõſtantinopolitani,& theſaurum auri,& argenti inæſtimabilem,quem reges Siciliæ theſaurizauerant ſibi.Deinde traditæ ſunt ei omnes ciuitates,& munitiones regni Siciliæ: & *Margaritus* Admiralis tradidit ei caſtrum de portu Panormi; & Imperator dedit ei ducatũ de Duraz & principatum de Tarenta,& principatum maris.venerunt etiam ad prædictum Romanorũ Imperatorem omnes Pagani,& Iudæi,qui erant in regno Siciliæ,& ſatisfacientes illi remanſerunt in regno,vnuſquiſq; in locum ſuum ſub ea conditione,qua ante fuerat. Deinde Imperator fecit ſe,& *Conſtantiam* Imperatricem vxorem ſuam coronari in ciuitate Panormi, præſentibus,& conſentientibus Archiepiſcopis,& Epiſcopis,& principibus regni. Deinde Imperator fecit effodi à terra corpora *Tancredi* regis, & *Rogeri* filii eius regis, & ſpoliauit eos coronis,& ſceptris,& cæteris regalibus ornamentis;dicens,quod ipſi non erãt de iure reges, imo regni inuaſores,& violenti detẽtores.Deinde Imperator dedit *Philippo* fratri ſuo duci de Suaue præfatam filiam *Thurſac* Imperatoris Cõſtantinopolitani in vxorem, & *Willielmum* regem filium *Tancredi* regis excæcauit,& ementulauit. Eodem anno ciues Romani elegerunt 56. ſenatores, & conſtituerunt eos ſupra ſe. prius enim habebant vnum ſolum ſenatorem,qui cognominatus erat *Benedictus*,carus homo,qui regnauit ſuper eos duobus annis,& deinde habuerunt alium ſenatorem, qui vocatus eſt *Iohannes Capuche*, qui ſimiliter regnauit ſuper eos aliis duobus annis:in quorum temporib. melius regebatur Roma, quam nunc temporibus 56. ſenatorum. Eodem anno *Suerus* princeps Norweiæ contra prohibitionem domini papæ fecit ſe coronari in regem Norwegiæ, quo audito *Euſtachius* Archiepiſcopus de Nidros maluit exulare,quam intereſſe illius coronationi;abiit,& prædictus *Suerus* filius *Swardi*, quondam regis Norweiæ, præcepit, vt omnes Epiſcopi

Norweiæ

Norweiæ conueniſſent apud Berges in feſto Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* ad coronandum eum. erat autem inter eos quidam Epiſcopus de Wie, qui vocabatur *Nicholaus*. hic dicebat, quod ipſe intereſſe noluit illius coronationi propter abſentiam Archiepiſcopi ſui: quo audito *Swerus* fecit Epiſcopum illum comprehendi, & in mari ſupra monticulum ligari, ita quod vnda maris fluens fere intrauit in os eius; & ſic Epiſcopus ille perterritus aſſenſum præbuit voluntati *Swert Birchebain*, & coronauit eum, & in regem conſecrauit apud Berges in feſto apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, præſentibus, & cõſentientibus *Martino* de Berges & *Airico* de Stauangre, & *Thore* de Burgunde, & *Abſolom* Epiſcopis. Eodem die cum idem *Swerus* rex, & ſacerdos pranderet more regio cum Epiſcopis, & principibus regni, fecit amputari caput *Siwardi* filii *Adeſtani* quondam regis Norweiæ, & coram ſe & conuiuantibus fecit caput illud deferri. Eſt autem notandum, quod iſte *Swerus Birkebain* 15. reges in 15. naualibus præliis deuicit, & interfecit cum omni ſequela eorum, antequam ipſe coronam regni potuiſſet adipiſci, quorum nomina hæc ſunt: *Magnus* rex, *Borgher* rex, *Siwardus* rex, *Ordus* rex, *Guthron* rex, *Iohannes Cunelung* rex, *Belue* rex, *Zether* rex, & alii ſex, & iſte *Siwardus* filius *Adeſtani*. Eſt etiam ſciendum, quod conſuetudo regni Norweiæ eſt vſq; in hodiernum diem, quod omnis, qui alicuius regis Norweiæ dignoſcitur eſſe filius, licet ſit ſpurius, & de ancilla genitus, tantum ſibi ius vendicat in regnum Norweiæ, quantum filius regis coniugati, & de libera genitus. & ideo fiunt inter eos prælia indeſinenter, donec vnus illorum vincatur, & interficiatur. Eodem anno paulo ante feſtum ſancti *Michaelis* venerunt Eboracum *Hamo* præcentor Eboracenſis Eccleſiæ, & *Gaufridus* de Muſchamp archidiacon⁹ de Cliueland, & magiſter *Willielmus Teſtard* archidiaconus de Notingham, qui Romam profecti fuerant cum magiſtro *Simone* Apulienſi, & cum *Radulfo* Archidiacono de Weſtrichinge, propter iniurias, quas *Gaufridus* Eboracenſis Archiepiſcopus illis & cõcanonicis ſuis fecerat, qui eos, & omnes illis excommunicantes excommunicauerat, & Eccleſias eorum interdixerat ſuper appellationem ad ſummum pontificem factam. Et attulerũt ſecum literas abſolutionis tam de excommunicatione, quam de interdicto; & literas de reſtitutione ablatorum, quarum executionem faciendam *Hugo* Dunelmenſis Epiſcopus ex mandato *Celeſtini* papæ ſuſcipiens Eboracum venit: & in die S. *Michaelis* celebrauit Miſſam in matrice Eccleſia; denũtians clero, & populo ſententiam, quam *Gaufridus* Archiepiſcopus Eboracenſis in Canonicos ſuos & eis communicantes dederat, nullã fuiſſe. *Rodulphus* vero archidiaconus de Weſtriching in redeundo à Roma obiit: cuius archidiaconatum *Gaufridus* Eboracenſis Archiepiſcopus dedit primum *Petro* fratri ſuo, deinde *Petro* de Dinant. præfatus vero Archiepiſcopus facta appellatione contra canonicos ſuos, & eorum adquiſita, trãsfretauit de Anglia in Normanniam ad *Richardum* regem Angliæ fratrem ſuum, & ab eo literas in hac forma impetrauit.

EPISTOLA RICHARDI REGIS ANGLIAE DE reconciliatione Eboracenſis Archiepiſcopi.

R*Ichardus* Dei gratia rex Angliæ, Dux Normanniæ, & Aquitaniæ, & Comes Andegauiæ *Willielmo* de S. *Mariæ* Eccleſia & *Hugoni Bardulfo* dilectis, & fidelib. ſuis ſalutem. Notum facimus vobis, quod *Gaufridus* Eboracenſis Archiepiſcopus frater noſter venit ad nos, & præter illas 1000. marcas, quas reddidit in Anglia, fecit nobis voluntatem noſtram de aliis 1000. marcis: ipſe autem, vt nobis per quendam innotuit, libenter ſi poſſet, ante de debito ſuo ſatisfeciſſet, & moleſte diu tulit, quod tam diu diſtulit. Inde eſt quod eum in gratiam, & protectionem noſtram recepimus, & beneuolentiam noſtram ei plenarie conceſſimus. nos autem nuntium noſtrum mittimus in Angliam cum nuntio ſuo, vt videat qualiter de reſiduis 1000. marcis nobis ſatisfecerit. promiſit enim nobis, vt inde nobis ſatisfaciet, quam citius poterit. vnde vobis mãdamus, vt ei terras ſuas, & omnia ſua integra reſtitui faciatis ſine dilatione. quod autem de redditibus ſuis, vel de rebus ſuis venditum fuerit nomine huius debiti, quod inde habuimus rationabili computo computari faciatis in reſiduo debiti ſui; & ſi aliquid inde venditum fuerit minus iuſto pretio, quam debuerat, vel amore, vel odio alicuius, id faciatis emẽdari ab illis, qui hoc fecerunt, & Archiepiſcopo in debito ſuo computari: homines autem eius captos vel retentos tam clericos, quam laicos ſecundum conſuetudinem Angliæ faciatis ſine dilatione replegiari, & deliberari. non patiamini autem quod laica poteſtas eum diſturbet, quin eccleſiaſticam cenſuram per totum Archiepiſcopatum ſuum poſſit exercere, ſicut de ratione debet. diſtringatis etiam homines de Beuerlaco, quod damna ab eis illata ei reſtituãt, & ei faciant, quod ei facere debent, & quæ facere conſueuerunt anteceſſoribus ſuis. Teſte meipſo 3. die Nouembris apud Mamerz. Item prædictus Archiepiſc. Eboracenſis impetrauit alias literas a domino rege in hac forma.

RIchardus *Dei gratia rex Angliæ, dux Normanniæ, & Aquitaniæ, & Comes Andegauiæ*, Willielmo *de* S. Mariæ *Eccleſia, &* Hugoni Bardulfo *ſalutem. Sciatis quod didicimus, quod in morte patris noſtri ſine præcepto ſuo, & conſcientia, habuerunt literas de ſigillo ſuo* Gaufridus *de Muſcamp de habendo archidiaconatu de* Cliueland, *&* Willielmus de Stigandebi, *& magiſter* Erardus *de præbendis habendis in Eccleſia Eboracenſi, quæ tunc vacabat, & erat in manu noſtra: & ideo præcipimus, quod præfatos ab archidiaconatu, & præbendis dictis ſine mora diſſaiſietis repetentes ab eis quicquid ex inde perceperunt poſtquam illos redditus ita fraudulenter, & per ſurreptionem ſunt adepti. Teſte me ipſo 3. die Nouembris apud Mamerz.* Proh pudor!

Turpe eſt doctori, cum culpa redarguit ipſum.

Idem enim Archiepiſcopus dum adhuc eſſet Cācellarius regis patris ſui, ſigillum illud in cuſtodia habuit: per quod præfatus archidiaconatus, & præbendæ illæ datæ fuerant prænominatis perſonis. Eodem anno *Iohannes* Beleſmeius Archiepiſcopus de Lyon ſupra Rodanum depoſuit ſe de Archiepiſcopatu, & contentus redditibus 100. librarum Eſterlingorum pertinentibus ad Archiepiſcopatum de Lyon in domo Clareualenſi vitam immaculatam Deo, & hominibus placentem vſque ad conſummationem vitæ ſuæ duxit. Eodem anno cum *Limpoldus* dux Auſtriæ adhuc permaneret in ſententia excommunicationis, quam dominus papa in eum tulerat propter captionem *Richardi* regis Angliæ, nec pœniteret, flagellauit dominus terram ſuam in hunc modum. In primis quidem incenſæ ſunt omnes ciuitates terræ ſuæ, nec alicui nota fuit cauſa incendii. Secundo ex inundatione Danubii fluuii ſubmerſa eſt quædam terra adiacens, in qua decem millia hominum, vel eo amplius perierunt. Tertio cum in media æſtate ſoleat, & debeat omnis terra viuere, tota terra eius tunc temporis contra ſolitum, & debitum curſum exaruit. Quarto cum ſemina frugum deberent in herbam proceſſiſſe, in vermes conuerſa ſunt. Quinto nobiliores terræ ſuæ mortalitate percuſſi ſunt; & quamuis tot, & tantis flagellaſſet Dominus terram ſuam plagis, noluit tamen pœnitere; ſed induratum eſt cor eius, adeo quod ipſe iurauit, quod omnes obſides regis Angliæ, quos ipſe habebat, capitalem ſubirent ſententiam, niſi in proximo perficerentur ei à rege Angliæ omnes conuentiones, quas cum illo fecerat. vnde factum eſt, quod *Baldewinus* de Betun, qui vnus erat ex illis, qui dati fuerant duci Auſtriæ pro redemptione regis Angliæ obſides, ex communi obſidum conſilio miſſus eſt ad regē Angliæ ad indicādum ei ducis propoſitum; qui cum veniſſet, miſertus illorū rex, tradidit ei rex ſororem *Arthuri* ducis Brittanniæ, & filiam Imperatoris Cypri ad ducendum eas vſq; ad ducem Auſtriæ, ſororem ſcilicet *Arthuri*, ad maritandam filio ducis Auſtriæ, & filiam Imperatoris de Cypro tradendam in manu ducis Auſtriæ quietam. Anno gratiæ milleſimo cēteſimo nonageſimo quinto, qui erat annus ſextus regni *Richardi* regis Angliæ, idē rex *Richardus* fuit in Normannia apud Rothomagum die natiuitatis dominicæ, quæ die dominica euenit, ſollicitus prouidere ſibi neceſſaria in pecunia, & hominib. adquirendis contra *Philippum* regem Franciæ. treuga enim, quæ inter eos ſtatuta fuerat duratura vſq; ad feſtum omnium ſanctorum, minime tenebatur, quia homines vtriuſque regni rapinas faciebant iniquas. Eodem anno die natalis Domini *Henricus* Romanorum Imperator fuit in Sicilia apud Paganorum coronatus corona regni Siciliæ. Eodem anno die S. *Stephani* protomartyris infra natale Domini, cum induratum eſſet cor *Limpoldi* ducis Auſtriæ, nec propter prædictas plagas, quas Dominus fecit terræ ſuæ, adhuc poſſet emolliri, flagellauit Dominus corpus ſuum in hunc modum; conuocatis maioribus terræ ſuæ ad celebrandum feſtum natalis Domini, dum idem dux die beati *Stephani* exiret, vt cum militibus ſuis luderet, cecidit equus ſuus ſuper eum, & confregit pedem eius: adeo quod oſſa hinc inde confracta per mediam cutem exeuntia ad latitudinem palmæ exterius comparuerunt; & accedētes medici, quæ credebant ei expedire, pedi illius appoſuerunt. In craſtino pes eius denigratus inuentus eſt, & in eum ſtatum conuerſus, quod oportuit eum, aſſentientib. medicis, obtruncari: quod cū ipſe fieri poſtularet, non eſt inuentus, qui voluntati eius acquieſceret. non enim auſus eſt aliquis, vel potuit pro dolore in dominum ſuum manum imponere. Tandem filium, & hæredē ſuum conuenit rogans, & præcipiens, quod pedē ſuum amputando dolori ſuo finē imponeret: quod cum nec ipſe facere vellet, accito Camerario ſuo, & ad hoc coacto, dux ipſe dolarium manu propria tibiæ appoſuit, & ipſe Camerarius malleo vibrato vix trina percuſſione pedem obtrūcauit: medici vero, appoſitis medicaminibus, cum eum in craſtino viſitarent, non inuenerunt in eo ſpem vitæ. Dux igitur deſperatus Archiepiſcopos, & Epiſcopos, & terræ ſuæ magnates, qui ſolemniis illis interérant, conuocari fecit, & cum petiit abſolui à ſententia, quam dominus papa in eū tulerat pro iniuriis, quas ipſe regi Angliæ fecerat, reſponſum eſt ei ab vniuerſo clero, quod nullatenus abſolueretur, niſi iurando caueret, quod ſuper memoratis

iniuriis

iniuriis iudicio Eccleſiæ ſtaret, & niſi alii maiores de ducatu ſuo idem cum eo iuuarent: & ſi de eo humanitus contingeret, quo minus iudicium Eccleſiaſticũ per eum procederet, ipſi omnibus modis procurarent, quod ſanctæ Eccleſiæ ſatisfieret; qui abſolutus, mediante iudicio omnes obſides regis Angliæ, quod habuit, liberari præcepit, & pecuniam ſibi debitam regi Angliæ remiſit; quo facto cum ipſe decederet, & hæres ipſius cum quibuſdam magnatibus reſiſteret, quo minus prædicta fierent, clerus eiuſdem ducis corpus nullo modo ſepeliri permiſit; imo per 8. dies detentum eſt ſuper terrã corpus illius, donec omnes obſides regis Angliæ liberarẽtur; quorum quidam in Angliam venientes narrauerunt hæc omnia, ſicut ea, quæ viderant, & audierant. qui etiam aſſerebant, quod in receſſu ſuo expoſita iis erant & oblata 4. millia marcarum & amplius, reportanda de pecunia regis Angliæ recepta: quæ propter viarum pericula nullatenus auſi fuerant recipere. Hæc omnia fecit Deus, vt ſuperbos contereret, & vt potentiam ſuam mortalibus manifeſtaret; & cum iniurias ſibi, & ſuis illatas digna proſequitur vltione, illud non propter nos tantum, ſed etiam propter ſe credamus aduenisse. nec nobis iactanter aſcribamus, quod ex ſola benignitate ſua operatus eſt Dominus. Interim cum *Baldwinus* de Betun appropinquaſſet terram prædicti ducis Auſtriæ, & audiſſet mortem illius, non proceſſit vlterius, ſed ad regẽ Angliæ rediit, & reduxit præfatas puellas, & tradidit eas regi. Eodem anno *Walterus* Rothomagenſis Archiepiſcopus dedit *Philippo* regi Franciæ 1000. libras Andegauenſis monetæ pro redemptione terrarum ſuarum, quas idem rex Franciæ per gwerram ſuam occupauerat. eodem tempore *Robertus* Comes Leiceſtriæ obtulit *Philippo* regi Franciæ pro redemptione ſua 1000. libras Eſterlingorum, & clamare ei quietum in perpetuum ab ipſo, & hæredibus ſuis caſtellum de Paſci cum omnibus pertinentiis ſuis, & perquirere ei inde confirmationem domini Papæ, & confirmationẽ regis Angliæ. ſed quia nondum finis erat Gwerræ inter ipſum, & regem Angliæ, in reſpectum poſuit ea, quæ Comes Leiceſtriæ obtulerat ei. Eodem anno menſe Ianuarii die Dominica proxima poſt octauas Epiphaniæ venerunt Eboracum *Hugo* Lincolnienſis Epiſcopus, & magiſter *Winemerus* Archidiaconus de Northamptun, & *Hugo* Prior de ponte ſacro; quibus dominus Papa *Celeſtinus* commiſerat inquiſitionem faciẽdam de exceſſibus *Gaufridi* Eboracenſis archiepiſcopi, in quibus accuſabatur a canonicis ſuis Eboracenſibus coram domino Papa, & cardinalibus: & proceſſerunt ſecundum domini Papæ mandatum, quod ipſi ſuſceperunt in hac forma.

EPISTOLA CELESTINI PAPAE AD INQVIſitionem faciendam de exceßibus Eboracenſis Archiepiſcopi.

CEleſtinus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri Lincolnienſi Epiſcopo, & dilectis filiis archidiaconis de Northamptun, & priori de Ponte ſancto ſalutem. Mediator Dei hominum Dominus *Ieſus Chriſtus*, cuius prouidentia in ſui diſpoſitione non fallitur, totius Eccleſiæ diſciplinæ caput, & magiſterium ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ voluit reſeruari, & omnes alias ipſius ordinationi & correctioni ſubeſſe: ita quod conceſſa ei ſpecialiter plenitudine poteſtatis, eius etiam * ſit cæterarum exceſſus corrigere, & quod laudabiliter agitur authoritate apoſtolici culminis approbare. vnde nos (quia ad eius regimen diuina ſumus diſpoſitione aſſumpti) ea volumus fratres & coepiſcopos noſtros cautela & diſcretione diligere, ne videamus affectum & familiaritatẽ eorum, vocationis noſtræ officio anteferre; præſertim cum habeat ſuos fines dilectio, qua quiſq; tenetur ad hominem, non ad hominis errorem diligendum. ſane ad audientiam noſtram ex perſonarũ, & capituli Eboracenſis Eccleſiæ inſinuatione peruenit, & id ipſum dilectorum filiorum noſtrorum *Roberti* Eboracenſis, & *Rogeri* de Selebi, & aliorum 11. abbatum præmonaſterii ordinis teſtimonia manifeſte declarare videntur, quod venerabilis frater noſter *Gaufridus* Eboracenſis Archiepiſcopus ſacramenta iniuncti ſibi officii vilipendens, venatione, aucupio, & aliis militaribus curis inutiliter occupatus, ordinationi clericorum, Eccleſiarũ dedicationibus, aut ſynodis celebrandis nec manũ, nec operam poſt ſui promotionem adhibuit; nec abbatem aliquem benedixit, licet tam contra clericos, quã abbates ad maledicendum, & excommunicandũ linguam conſueuerit iuxta motum propriũ indiſcrete relaxare: libertates Eccleſiæ ſuæ ac conſuetudines approbatas euacuat & ſubuertit. appelationes, quæ ſolent eſſe ad remedium oppreſſorum, ad Romanæ ſedis iniuriam reduxit in contemptum; plures pro eo, quod ad nos appellationes emiſerant, vinculis fecit carceralibus vehementer aſtringi; perſonas Eccleſiæ ſuæ poſt appellationem ad nos factam, honoribus & beneficiis ſpoliauit: quoſdam canonicorum appellatione contempta, excommunicationi ſubiecit; priuilegia Romanorũ pontificum in eius præſentia omnino

al. proprium.

authoritate fruſtrantur; & qui forte alias tutus eſſet in oſtenſione priuilegii noſtri, optati coram eo beneficium præſidii demeretur. Cum contingit aliquem ad ſubtractam ſibi Eccleſiam vt poſſeſſionem per iudices delegatos authoritate noſtra, reſtitui: cum per quem debuerat iudicium executioni mandari, ſtatim ſentiet inimicum. Plures enim taliter reſtitutos deſtituit, & Eccleſias per miniſtros ſuos violenter aggrediens fores Eccleſiarum fregiſſe, & eos proponitur per violentiam expuliſſe. Quam plures etiam reatum periurii fecit pernicioſe incurrere, ipſos ab obedientia, quam archidiaconis ſuis canonice ſeruandam iuramento promiſerant, quadam neceſſitatis violentia retrahendo. Præterea maiorem Eccleſiam cum multitudine armatorum aggrediens fores capituli per violentiam confringi, & aſportari fecit, & bona canonicorum, & aliorum plurium, qui res ſuas tam in Eccleſia quam in theſauraria depoſuerãt, fecit per violentiam detineri: pro quibus omnibus Eboracenſe capitulum ad noſtram audientiam appellauit. comperimus etiam ex teſtimonio prædictorũ, quod Eccleſiis quandoq; vacãtibus, præſentatas ſibi ab his, ad quos præſentatio pertinet, perſonas idoneas non admittit: ſed eas aut pueris aut minus honeſtis honeſtis perſonis aſſignat, vſus pariter præſentantis, & inſtituentis officio; aut facit eas ex ſola voluntate vacare, vt earum fructus ipſius vſibus applicetur, & quod ſuſtentationi alicuius clerici honeſti debebatur, ſibi non metuit retinere. Adiecerunt etiam, quod cũ ſpiritualia dona gratis debeant, & ſine prauitate diſtribui, frequenter cum donat Eccleſiam, aut eam ſcindit per partes cõtra ſtatuta Eccleſiæ canonica, aut in ea nouam, & indebitam retinet penſionem, & quamplures excommunicatos, vel ſuſpẽſos non niſi pecunia interueniente, abſoluit. religioſi vero viri, & honeſti in conſpectu eius deſpecti & contemptibiles fiunt; viles & ſuſpectæ perſonæ de facili familiaritatem eius, & gratiam aſſequuntur. vnde ſi ſic viuitur & in talibus fuerit conuerſatio ſua, timendum eſt, ne gregi ſibi commiſſo potius ſit lapis offenſionis, & ſcandali petra, quam eruditionis exemplum, vel contra ſpirituales nequitias ſolatium, aut tutela. Quia igitur, quæ præmiſſa ſunt, ſollicitudinem inquiſitionis expoſcunt, diſcretioni veſtræ, de qua plene confidimus, inquiſitionem horum duximus committendã: per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus ad Eboracenſem Eccleſiam accedatis, & conuocatis Abbatibus, & Prioribus, & aliis Eccleſiaſticis perſonis Eboracenſis diœceſis, diligentius inquiratis, vtrum Eboracenſem Eccleſiam, & prouinciam tam inutiliter, & pernicioſe tractauit; & ſi ſuper præmiſſis legitimi accuſatores apparuerint, audiatis quæ contra præfatum Archiepiſcopum duxerint proponenda; & eis diligenter auditis, & cognitis, atteſtationes ſub ſigillis veſtris incluſas nobis tranſmittere procuretis, aſſignantes partibus terminum competentem, quo ſufficienter inſtructæ ad apoſtolicam ſedem accedant, quod canonicum eſt, ibi, dante domino, recepturæ. ſi vero accuſatores defecerint, & fama publica fuerit contra ipſum, ei purgationem cum tribus Epiſcopis, & totidem Abbatibus authoritate noſtra, ſublato appellationis obſtaculo, indicatis. in qua ſi forte defecerit, ipſum ab Archiepiſcopali officio, & adminiſtratione ſuſpenſum apoſtolico conſpectui faciatis præſentari, vt authore Domino ibi plenius doceatur, qualiter eum, & ſibi conſimiles in domo Dei oporteat miniſtrare. Si vero idem Archiepiſcopus aliquid contra eos duxerit proponendum, illud nihilominus audiatis, & ad nos ſub ſigillis veſtris tranſmittatis incluſum; vt ſuper his, quod canonicum fuerit, ſtatuatur. Sane ſi dictus Archiepiſcopus in eluſionem mandati noſtri, antequam citatio veſtra ad eum perueniat, appellationem interpoſuerit, vel iter arripuerit ad ſedem apoſtolicam veniendi, vos ei terminum trium menſium ſtatuatis; infra quem ſe debeat in propria perſona noſtro conſpectui præſentare. Quod ſi non fecerit, vos eum ex tunc ab omni pontificali officio, & Archiepiſcopatus adminiſtratione denuntietis, authoritate noſtra, remota appellatione, ſuſpenſum. Quod ſi omnes his exequendis intereſſe nequiueritis, duo veſtrum nihilominus ea exequãtur. Datum Romæ apud S. *Petrum* 6. Idus Iunii, põtificatus noſtri anno 4. Harum igitur authoritate literarum prędictus Lincolnienſis Epiſcopus, & collegæ ſui venerunt Eboracum ad inquiſitionem illam faciendam; & congregatis coram eis in Cathedrali Eccleſia Abbatibus, & Prioribus, & Eccleſiaſticis perſonis Eboracenſis diœceſis proceſſerunt ſecundum formam Apoſtolici mandati diligenter inquirentes de vniuerſis capitulis, quæ continebantur in ſcripto illo. & multi Abbates, & Priores, & aliæ honeſtæ perſonæ conſtanter accuſabant præfatum Archiepiſcopum in vniuerſis prædictis capitulis, præſentibus clericis, & familiaribus eiuſdem Archiepiſcopi excuſantibus eum, in quantum poterant, & dicentibus, quod ipſe ante illorum citationem prædictus Archiepiſcopus appellauerat, & iter veniendi ad ſummum pontificem arripuerat; quibus auditis, prædictus Lincolnienſis Epiſcopus, & collegæ ſui diligenter audientes accuſationes aduerſariorum Eboracenſis Archiepiſcopi, & ſcripto eas com-

commendantes ſub ſigillorum ſuorum teſtimonio incluſas procurauerunt tranſmittere ſummo pontifici, aſſignantes Archiepiſcopo Eboracenſi ſpatium trium menſium ex prę-cepto ſummi pontificis; & ex proprio beneficio ſuperaddiderunt ei ſpatium 6. hebdomadarum, infra quod ſe debeat in propria perſona apoſtolico præſentare conſpectui; adiungentes, quod ſi ipſe hoc non fecerit, ſciret ſe ex tunc ab omni pontificali officio, & Archiepiſcopatus adminiſtratione authoritate apoſtolica ſuſpęſum. & ipſi aſſignauerunt aduerſariis Archiepiſcopi terminum in capite Calendarum Iunii, quo ſufficienter inſtructi ad Apoſtolicam ſedem accedere debeant, ibi, dante Domino, quod canonicum fuerit accepturi. Conſtituti igitur prædicti aduerſarii Archiepiſcopi Romæ in præſentia Domini Papæ ad terminum eis præfixum, inſtanter accuſabant ſuum Archiepiſcopum, ſed Archiepiſcopus ad terminum illum non venit, tum propter Regis prohibitionem, tum propter aeris corruptionem, quæ tunc temporis Romæ eſt. Clerici vero eius eodem tempore in curia Romana conſiſtentes, & has cauſas abſentiæ ſuæ prætendentes impetrauerunt, vt quicquid contra Archiepiſcopum poſt appellationem medio tempore factum fuerat, in irritum reuocaretur. & dominus Papa præfixit ei terminum veniendi Romam infra octauas Sancti *Martini* proximo ſequentis. Sed quia nec tunc in curia Romana per ſe, vel per ſufficientem reſponſalem comparuit: ad Natale Domini proximo ſequens ab omni adminiſtratione Epiſcopali ſuſpenſus fuit. In ſupradicta vero congregatione Abbatum facta apud Eboracum contra Archiepiſcopum, obiit *Rogerus* Abbas de Selebi/ & apud Selebi ſepultus eſt: cui ſucceſſit *Richardus* Prior eiuſdem domus dono regis *Richardi*, qui benedictionem ſuam recepit ab *Huberto Walter* Cantuarienſi Archiepiſcopo, tunc temporis totius Angliæ legato. Eodem anno dum Rex Angliæ moram faceret apud Chinum in Andegauia, acceſſerunt ad curiam Regis quidam Accini numero 12. Et cum vellent ad Regem Angliæ accedere, vt eum interficerent, quidam illorum capti ſunt, & retenti, dicentes, quod Rex Franciæ eos miſerat ad regem Angliæ interficiendum; ſed Rex Angliæ diſſimulans Regem Franciæ hoc velle, diſtulit iudicium facere de illis, donec ſocii illorum comprehenderentur. Eodem anno menſe Februarii cum magiſter *Simon* Apulienſis Eboracenſis Eccleſiæ Decanus rediret à tranſmarinis partibus, cum plenitudine gratiæ Regis, & eius confirmatione ſuper Decanatu Eboracenſis Eccleſiæ, & cum appropinquaret Eboracenſi ciuitati, exierunt ei obuiam clerus, & populus ciuitatis in multitudine magna; inter quos erant quidam familiares *Gaufridi* Archiepiſcopi, videlicet magiſter *Iohannes Otui, & Willielmus* de Bona villa, & duo alii, & prohibuerunt eidem Decano ex parte Domini Papę, & Eboracenſis Archiepiſcopi, ne ipſe tanquã Decanus accederet ad matricem Eccleſiam, donec controuerſia, quæ vertebatur inter Archiepiſcopum & illum de decanatu illo, terminaretur fine debito per Romanum Pontificem: & ſuper hoc appellauerunt ad dominum Papam. Et quia pręfatus Decanus à propoſito ſuo deſiſtere noluit, ipſi iniecerunt in eum manus violentas; ſed ſtatim ipſi propter violentiam illam excommunicati permiſerunt eum abire; & ipſe procedens peruenit ad matricem Eccleſiam; & canonici Eccleſiæ receperunt eum cum ſolenni proceſſione, die Dominica proxima ante caput Ieiunii: & in capite Ieiunii venit Eboracum *Hugo* Dunelmenſis Epiſcopus, & ſententiam excommunicationis, quæ data erat in illos, qui manus violentas iniecerunt in Decanum, confirmauit, & cum idem Dunelmenſis Epiſcopus inde procederet verſus Londoniam, & veniret Doncaſter/ ægrotauit: & vlterius procedere non valens delatus eſt per nauem ad villam ſuam de Houedene. Eodem menſe Februarii in terra Regis Scottorum obiit *Gregorius* Roſenſis Epiſcopus, cui ſucceſſit *Reginaldus* dictus *Macer* Monachus de Malros. Dicitur autem, quod in Cathedrali Eccleſia Epiſcopatus Roſenſis, quæ dicitur Roſmarein, beatus *Bonefacius* Papa, qui fuit quartus à beato *Gregorio*, ſepultus eſt. De quo *Bonefacio* legitur in eccleſiaſticis hiſtoriis, quod ipſe à *Phoca Cæſare* Romanorum imperatore impetrauit donari Eccleſiæ Dei templum Romæ, quod pantheon antea vocabatur; quod & ipſe eliminatis dæmoniorum ſpurcitiis dedicauit in honore beatæ Dei genetricis, & virginis ſemper *Mariæ*, & omnium Sanctorum ſtatuens illud feſtum celebrari ſingulis annis in capite Calendarum Nouembris. Eodem anno Menſe Martii tertia die eiuſdem Menſis, feria ſexta, obiit *Hugo* Dunelmenſis Epiſcopus in villa ſua de Houedene/ & ſepultus Dunelmi in capitulo Monachorum: ſed antequam corpus eius Dunelmum intraret, *Walterus* de Ferlington tradidit *Hugoni Bardulf* caſtellum Dunelmenſe, & claues caſtelli ſuſpendit ſuper feretrum Sancti *Cuthberti*; ad quas cum *Rodulfus* de Stauebi capiendas inconſulte irrueret, irruit ſuper eum pauor, & regreſſus ſuſpendit claues ſuper feretrum, vbi prius erant; ſed antequam ab Eccleſia exiret digno Dei iudicio nimia ægritudine flagellatus, paucis poſt elapſis diebus obiit. Poſtea vero

prædictæ claues traditæ ſunt per manum prioris, & monachorum *Hugoni Bardulfo*, qui iurauit, quod ipſe fideliter cuſtodiret eas ad honorem beati *Cuthberti*, & Regis. Deinde *Henricus* de Ferlingtun tradidit *Hugoni Bardulf* caſtellum de Norham/ per præceptum iuſtitiarii Regis. Interim ad inſtantiam canonicorum Eboraci *Celeſtinus* papa in hac forma ſcripſit *Rogero* de Leiceſter & *Winemero* de Northamptun/ archidiaconis Lincolnienſis Eccleſiæ.

EPISTOLA CELESTINI PAPAE CONtra Gaufridum Eborac. Archiepiſcopum.

CElestinus *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis* Haime *decano Lincolniæ*, & Rogero *de Leiceſtrie*, & Winemero *de* Northamptun *Archidiaconis in Lincolnienſi diœceſi conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Expoſuerunt nobis dilectiſsimi filii noſtri* Simon *Decanus, capitulum Eccleſiæ Sancti* Petri *Eboraci, quod poſt appellationem ad nos interpoſitam clerici de capella venerabilis fratris noſtri eiuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopi, & quidam alii eiuſdem ciuitatis in Cathredrali Eccleſia, in graue præiudicium ipſorum Canonicorum intruſi excluſis vicariis, & clericis eiuſdem Eccleſiæ, in ea miniſtrare, & contra approbatam, & antiquam conſuetudinem, loca & ſtalla perſonarum in choro, & capitulo vſurpantes ordinem Eccleſiæ peruertere præſumpſerunt. Volentes vero huiuſmodi præſumptionibus, prout conuenit, obuiari, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus ſi vera ſunt, quæ præmiſimus, præſumptores illos, vt ipſi Eccleſiæ Sancti* Petri, *& Canonicis, ſuper his in præſentia veſtra debitam ſatisfactionem exhibeant per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compellatis. Damna etiam, quæ per eoſdem clericos prædicto capitulo conſtiterit irrogata, ſicut iuſtum fuerit, reſarciri faciatis: quod ſi omnes his exequendis intereſſe nequiueritis, duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Datum Romæ apud Sanctum* PETRVM *ſecundo Calendas Iunij, Pontificatus noſtri anno quarto.*

Harum igitur authoritate literarum prædictus Lincolnienſis decanus, & collegæ ſui ſtatuerunt partibus terminum, & locum, primo apud Torkeſie/ deinde apud Auccaſtre/ vbi in præſentia eorum Priorum, & Canonicorum Eboracenſis Eccleſiæ probauerunt damna, quæ habuerunt per Archiepiſcopum Eboracenſem, & per præſumptores illos, ad valentiam mille marcarum argenti. Eodem anno *Richardus* Rex Angliæ remiſit *Iohanni* fratri ſuo omnem iram & maleuolentiam ſuam, & reddidit ei Comitatum de Moretonia, & honorem de Eia, & Comitatum de Glouceſtria, cum omni integritate eorum, exceptis caſtellis; & pro omnibus aliis Comitatibus, & terris ſuis dedit ei Rex per annum 8000. librarum Andegauenſis monetæ. Eodem anno appropinquante cœna Domini, cum *Iohannes* Epiſcopus Candidæ Caſæ ſuffraganeus & officialis *Gaufridi* Eboracenſis Archiepiſcopi appropinquaſſet Eboraco, vt ibi in cœna Domini more ſolito chriſma, & oleum conſecraret, decanus, & perſonæ Eboracenſis Eccleſiæ noluerunt eum recipere. Vnde factum eſt, quod ipſe ad Suelle acceſſit, & ibi in cœna Domini chriſma, & oleum conſecrauit, & tradidit ea officialibus Archiepiſcopi ad diſtribuendum per Eccleſias Archiepiſcopatus. Dicitur etiam, quod *Gaufridus* de Muſchamp, Archidiaconus de Cliueland recepit chriſma, & oleum; ſed ſtatim proiecit ea in ſterquilinio. Cæteri autem Canonici Eccleſiæ Sancti *Petri* noluerunt inde recipere; ſed miſerunt ad *Hugonem* Lincolnienſem epiſcopũ, vt ab eo reciperent oleum, & chriſma; ſed fraudati ſunt à deſiderio ſuo. *Petrus* autem Archidiaconus Lincolnienſis frater *Gaufridi* Archiepiſcopi, prohibuit Epiſcopo, ne illis oleum & chriſma daret, & ſuper hoc ad Romanum Pontificem appellauit. Eodem anno Rex remiſit iram, & maleuolentiam ſuam *Hugoni* Couentrenſi Epiſcopo, & reddidit ei Epiſcopatum ſuum pro 5 00. marcis argenti, quas ei dedit; ſed *Robertus* frater eiuſdem Epiſcopi obiit in captione Domini Regis apud Doroberniam. Similiter dominus Rex remiſit *Gaufrido* Eboracenſi Archiepiſcopo fratri ſuo iram, & maleuolentiam ſuam, & recepit eum in oſculo pacis; vnde idem Archiepiſcopus ſupra modum elatus, Regem ipſum opprobriis ita exaſperauit, quod ipſe præcepit illum diſſaiſiri de Archiepiſcopatu ſuo, & de Vicecomitatu Eboraci: O vtinam legiſſet Archiepiſcopus ille commonitionem ſapientis, qui ait: *Ignem gladio ne confodias*: & Dominus informans nos ad humilitatem per os Apoſtoli, ait: *Serui ſubditi eſtote in omni timore Dominis veſtris*; non tantum dico ſapientibus, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis: *Subditi eſtote regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſsis ad vindictam malorum, laudem vero bonorum. & Ecce naues cum magna ſint, & à ventis validis minentur, circumferuntur tamen à modico gubernaculo, vbi impetus dirigentis voluerit: ita & lingua modicum membrum eſt, & magna exaltat. & ecce quam paruus ignis,*

ignis, quam magnam ſyluam incendit; & certe lingua ignis eſt, & omnis iniquitás ex lingua ad effectum venit, quæ maculat totum corpus, & inflammat: linguam autem nullus domare poteſt, niſi ſapiens, & circumſpectus. Circumcidamus ergo corda noſtra: *Ex corde enim incircumciſo procedunt fornicationes, adulteria, homicidia, furta, & falſa teſtimonia, & blaſphemia, contentiones, & rixæ, & cætera his ſimilia, quæ coinquinant hominem.* & hæc contra ex mundo corde, & circumciſo exeunt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas, & alia his ſimilia, quæ animæ fructus ſunt, & eam ad Deum creatorem ſuum perducunt. *ex abundantia enim cordis os loquitur*, ſiue bonum ſiue malum. Eodem anno venit quidam heremita ad regem *Richardum*, & prædicans ei verba ſalutis æternæ dixit: Eſto memor ſubuerſionis Sodomæ, & ab illicitis te abſtine; ſin minus, veniet ſuper te vltio digna Dei. ſed Rex inhians terrenis, & non his, quæ Dei ſunt, non potuit tam cito animum ab illicitis reuocare: niſi datum ei fuiſſet deſuper, vel ſignum videret. Deſpiciebat enim perſonam monentis, non intelligens, quod quandoq; Dominus reuelat paruulis, quæ à ſapientibus abſconduntur: leproſi etiam nuntiauerunt ſalutem Samariæ, & ſubiugalis Balam dominum ſuum reuocauit à via illicita. Abiit ergo heremita relicto Rege, & abſcondit ſe à facie eius. Procedente autem tempore præfatus Rex licet pauperis heremitæ commonitionem reſpueret, tamen ex diuina inſpirante gratia memoriter aliquam illius commonitionis partem retinuit, fiduciam habens in Domino, quod ipſe, qui publicanum & Cananæam reuocauit ad pœnitentiam ſecundum magnam miſericordiam ſuam, daret ei cor pœnitens. Vnde factum eſt, quod die Martis in hebdomada Paſchæ viſitauit eum Dominus in virga ferrea, non vt contereret, ſed vt flagellatum in ſua reciperet. flagellauit enim eum Dominus ægritudine magna in die illa, adeo quod ipſe conuocatis coram ſe viris religioſis vitæ ſuæ fœditatem confiteri non erubuit, & accepta pœnitentia mulierem ſuam, quam à multo tempore non cognouerat, recepit: & abiecto concubitu illicito, adhæſit vxori ſuæ, & facti ſunt duo in carne vna, & dedit ei dominus ſanitatem tam corporis, quam animæ. O fœlicem filium, quem pater cœleſtis in hac peregrinatione flagellat ad caſtigationem, & non ad mortem: corripit enim pater filium nunc blandis, nunc aſperis, vt ſic, vel ſic reuocet eum ad bene faciendum. & ſic examinat in fornace iuſtitiæ Dominus aurum ſuum; ſic probat in aduerſitatibus ſanctum ſuum, vt eum prouehat ad coronam. vere magna, & inenarrabilia ſunt opera domini, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. rex enim iſte, cuius caput ſupergreſſæ erant iniquitates ſuæ, à *Chriſto* adoptatur in filium, & à prauitate ſua ad Dominum conuerſus recipitur in filium. Deus enim in cuius manu corda regum ſunt, & quocunq; voluerit, vertit ea; cordi Regis inſtillauit, quod ipſe tam cito vitam, & conuerſationem ſuam mutauit in bonum. ipſe enim mane conſurgens quotidie, primum quærebat regnum Dei, & iuſtitiam eius, & ab Eccleſia non diſcedebat, donec more Eccleſiaſtico omne diuinũ perageretur officium. glorioſum ſiquidem eſt in principe quotidianos actus ſuos & ab eo incipere, & finire in eo, qui eſt principium ſine principio, & iudicat fines terræ. Præterea idem rex memor verbi illius, quo dicitur, *Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus*: fecit quotidie paſcere pauperes multos, tam in curia ſua, quam in ciuitatibus, & villis ſuis, quos quotidie numero augebat ſecundum quod opus fuerat. fames enim magna erat in terra illa, & confluebant ad eum pauperes, vt alerentur. exemplo ſiquidem talium confirmatur fides, ſpes erigitur, nutritur charitas, deprimitur ſuperbia, humilitas cuſtoditur, augetur deuotio, & bene operandi deſiderium excitatur. Præterea idem rex fecit fieri calices aureos, & argenteos multos, quos ipſe Eccleſiis diſtribuit, à quibus calices ſui abſtracti erant ad redemptionem illius. *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit*. Non enim imputandum eſt Regi, quod calices illi in redemptionę ſua dati fuerant, ſed illis magis imputandum eſt, qui conſilium illud dederunt ei, quia praua conſilia bonos corrumpunt mores, & in euangelio legitur, Maius peccatum habent, qui tradiderunt me tibi. Eodem anno *Celeſtinus* papa ad petitionem *Richardi* Regis Angliæ conſtituit *Hubertum* Cantuarienſem Archiepiſcopum, totius Angliæ legatum. Vnde idem Papa ſcripſit illi in hac forma,

EPISTOLA CELESTINI PAPAE DE legatione Huberti Cantuarienſis Archiepiſcopi.

C*Eleſtinus* Papa Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri *Huberto* Cantuarienſi Archiepiſcopo Apoſtolicę ſedis legato ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Sinceritas deuotionis, & fidei conſuetæ, quam Anglicana ſemper Eccleſia circa ſacro-

Sanctam Romanam Eccleſiam conſeruauit; in tua (ſicut bene confidimus) prouidentia, & virtute refloruit, & placidi feruoris accepit acceptabile * incrementum. talis enim ad Romanam Eccleſiam tuæ fraternitatis emanauit opinio, quæ in tuæ honeſtatis odore nos recreat; & conſtantiæ, quam habes vigore confortat; ita vt confidentiam, quam de tua probitate concepimus, in noſtro iam apertius opere declaremus. Supplicante itaque chariſſimo in *Chriſto* filio noſtro *Richardo* illuſtri Rege Anglorum, & vniuerſis ſuffraganeis Cantuarienſis Eccleſiæ, vt Anglicana Eccleſia legatum apoſtolicæ ſedis pro ſuis, & regni profectibus obtineret; tum pro deuotione, quam ad Cantuarienſem Eccleſiam pro meritis illius glorioſi martyris habemus; tum pro tuæ probitatis, & honeſtatis intuitu eorum precibus aſſenſum pręſtitimus, & fauorem maxime quia multum credimus eccleſiæ, & regni vtilitatibus expedire, ſi talem in miniſterio ſupradicto regio illa recipiat: qualem prædicti Regis, & eorum inſtantia de conuerſationis merito, & fidei deuotione commendat. ideoq; nos ad honorem Dei, & Cantuarienſis Eccleſiæ ſalutem, & pacem per totum regnum Angliæ (non obſtante exceptione vel priuilegio venerabili fratri noſtro *Gaufrido* Eboracenſi Archiepiſcopo, aut Eccleſiæ ſuæ, vel alii facto) officium tibi legationis concedimus, per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus illam cum fraternæ obedientię humilitate ſuſcipias & ſecundum datam tibi cœlitus facultatem ad emendandum ea, quæ neceſſe eſt emendari, & ad ſtatuenda, quę fuerint ſtatuenda, debitæ diligentiæ manum authoritate ipſius legationis apponas; ita nimirum in omnibus reuerentiam matris tuæ Romanæ eccleſiæ prompta deuotione cuſtodiens, vt de profectu miniſterii, quod tibi læta committit, tuis etiam facias operibus lætiorem. Datum Lateran. 15. Cal. Aprilis, pontificatus noſtri anno quarto. Præterea *Celeſtinus* papa prædictus ſcripſit in hac forma *Gaufrido* Eboracenſi archiepiſcopo, & vniuerſis epiſcopis, & abbatibus, & Prioribus & aliis eccleſiarum prælatis per regnum Angliæ conſtitutis.

al. ſacramentum.

Cæleſtinus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabilibus fratribus in *Chriſto* Eboracen. Archiepiſc. & vniuerſis Epiſcopis, & dilectis filiis, abbatibus, & Prioribus, & aliis Eccleſiarum prælatis per regnum Angliæ conſtitutis ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Diuinæ ſapientiæ inſcrutabilis altitudo ſacroſanctam eccleſiam in huius mundi latitudine ſtabiliuit, & ita regimen, & gubernationem in ipſius inimitabili prouiſione eſſe voluit, vt ad eam ſalubriter gubernandam plures aſſumerentur in partem ſollicitudinis, quamuis pro vnitatis eccleſiaſticæ firmamento Romana Eccleſia acceperit plenitudinem poteſtatis. voluit enim, vt ſecundum quod eccleſiam alloquitur in propheta, pro patribus eius filii naſcerentur, qui ſuper omnem terram principes conſtituti virtutum meritis & verbo doctrinæ rudes ad fidem prouectos ad iuſtitiam erudirent. Vnde ſacroſancta Romana eccleſia, cui Dominus ſuper cæteras contulit Eccleſiæ magiſtratum, pium ad alias materna prouiſione reſpectum prouidit ab initio, & laudabili hactenus conſuetudine cuſtodiuit, vt de diuerſis mundi partibus ad earum miniſterium implendum viros prudentes aſſumeret: quorum authoritas, & doctrina ſub Romani pontificis moderamine conſtituta, q̄ ipſe non poterat, procul diſtantibus Eccleſiis miniſtraret. Vnde nos qui licet inſufficientibus meritis in ſublimi ſumus eiuſdem ſpecula conſtituti, patrum noſtrorum veſtigiis inhærentes, ita intendimus cum Dei adiutorio iniunctum nobis miniſterium circa proximas eccleſias gerere, vt his à quibus etiam poſitione diſtamus, opportuna debeat prouidentia non deeſſe. Specialiter autem ad præſens Anglicanam Eccleſiam paternæ conſiderationis acie intuentes ad ſalutem ipſius, & ſpecialis in *Chriſto* profectus communi conſilio fratrum noſtrorum decernimus, vt venerabilis frater noſter *Hubertus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, de cuius meritis, & virtute, ſapientia, pariter & doctrina Eccleſia vniuerſalis congaudet, miniſterio legationis accepto, vices noſtras ad honorem eccleſiæ, & totius regni ſalutem, & pacem per totum regnum Anglię (non obſtante exceptione vel priuilegio tibi aut eccleſiæ tuæ, frater archiepiſcope, vel alii facto) libere exequatur. Præſentium itaq; authoritate vniuerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eidem tanquam apoſtolicæ ſedis legato reuerentiam exhibeatis debitam, & honorem atq; eius ſalubria monita & mandata recipiatis humiliter, & ſeruetis, quæ authoritate legationis, qua fungitur ſecundum dominum, duxerit ſtatuenda, firmiter obſeruantes. Datum Lateran. 15. Cal. Aprilis pontificatus noſtri anno 4.

Harum igitur authoritate literarum prædictus Cantuarienſis archiepiſcopus apoſtolicæ ſedis legatus miſit Eboracum *Petrum* Priorem de Bincham in Nortfolc, & Magiſtrum *Geruaſium* cum literis Domini papæ, & ſuis ad Canonicos Eboraci, & ad officiales Eboracenſis Archiepiſcopi, mandans eis, ſe illuc ex authoritate legationis ſuæ in proximo venturum ad emendandum ea, quæ * ſunt emendanda, & ad ſtatuendum ea q̄ ſecundum do-

al. eſſent.

Dominum fuerint ſtatuenda; & præcepit eis, vt ipſi conuocato clero exhiberent ei tanquam apoſtolicæ ſedis legato reuerentiam debitam, & honorem; adiungens ſe iam ſententiam excommunicationis dediſſe in omnes, qui in hac parte mandato Domini Papæ contradicerent. & ſuper hoc miſit literas ſuas patentes *Simoni* Eboracenſi Decano, vt ſi quos ipſe inueniret huic Domini Papæ mandato rebelles, denunciaret excommunicatos. Vnde factum eſt, quod tam canonici, quam officiales archiepiſcopi Eboracenſis reſponderunt nuntiis legati, quod eum reciperent tanquam apoſtolicæ ſedis legatum, ſed non tanquam Archiepiſcopum Cantuarienſem, nec tanquam primatem. Venit igitur legatus ille Eboracum die Dominica feſto Sancti *Barnabæ* Apoſtoli, & cum ſolemni proceſſione ſuſceptus eſt à clero, & introductus in Eccleſiam ſedis cathedralis, ſequenti die lunæ fecit ipſe teneri aſſiſas de omnibus placitis coronæ Regis, & de noua diſſaiſina, & de morte anteceſſorum per miniſtros ſuos: ipſe vero, & officiales ſui tenuerunt placita Chriſtianitatis. In ſequenti die feria tertia perrexit legatus ille ad abbatiam Sanctæ *Mariæ* Eboraci; & ibi receptus eſt ab eiuſdem Eccleſiæ monachis cum ſolemni proceſſione. Deinde intrauit capitulum monachorum, & conquerentibus monachis, quod Robertus abbas eorum propter debilitatem & corporis ſui ægritudinem, domui ſui prodeſſe non potuit, depoſuit eum à cura paſtorali, & ab adminiſtratione domus reclamantem, & ad ſummũ pontificem appellantem. In ſequentibus autem duobus diebus ſcilicet feria quarta & feria quinta, congregatis in eccleſia S. *Petri* Eboraci *Simone* eiuſdem eccleſiæ decano, & *Hamone* præcentore, & *Willielmo Teſtard*, & *Gaufrido* de Muſchãp, de Notingham, & de Cliueland Archidiaconis, & *Iohanne* Cancellario, & *Roberto* prępoſito Beuerlaci, cum quibuſdam eiuſdem Eccleſiæ canonicis, & fere omnibus abbatibus, & Prioribus, & officialibus, & Decanis, & perſonis eccleſiarum Eboracenſis diœceſis, ipſe legatus in eminentiore loco cathedratus ſedit, & concilium celeberrimum celebrauit. in quo hæc decreta ſubſcripta ſtatuit ſeruanda.

DECRETA EBORACENSIS CONCILII.

CVm inter cætera Eccleſiæ ſacramenta hoſtia ſalutaris præemineat, tanto impenſior circa eam debet exiſtere deuotio ſacerdotum, vt cum humilitate conficiatur, cum timore ſumatur, cum reuerentia diſpenſetur; & miniſter altaris ſit certus quod panis, & vinum, & aqua in ſacrificio ponantur, nec ſine miniſtro literato celebretur: prouideatur etiam, vt in pyxide munda & honeſta hoſtia reſeruetur, ſingulisq́; Dominicis diebus renouetur. Quoties autem communio exhibenda eſt infirmis, ſacerdos in propria perſona hoſtiam in habitu clericali tanto ſacramento conuenienti deferat lumine præcedente, niſi aeris intemperies, vel viarum difficultas, vel alia ratio præpediat, quia ſecretum Miſſæ frequenter inuenitur, aut ſcriptorum falſitate, aut librorum vetuſtate corruptum, ita vt legi diſtincte non poſſit. Archidiaconorum ſollicitudo prouideat, vt in ſingulis eccleſiis ad verum, & probatum exemplar canon Miſſæ cum omni diligentia corrigatur. Prohibemus etiam ne ſacerdos laico ad pœnitentiam venienti obtentu cupiditatis iniungat, vt Miſſas faciat celebrari; & illud etiam decreuimus prohibendum, ne ſacerdos aliquis pro celebratione Miſſarum pretio conſtituto pactum ineat, ſed hoc duntaxat, quod offeretur in Miſſa, recipiat: ſtatuimus ne in baptiſmate plures, quam tres ſuſcipiant puerum de ſacro fonte; maſculum duo mares, & vna mulier; fœminam duæ fœminæ, & vnus mas. vbi autem puer, cuius baptiſma ignoratur, reperitur expoſitus, ſiue cum ſale, ſiue ſine ſale reperiatur, baptizetur, cum non intelligatur iteratum, quod neſcitur fuiſſe collatum. *Decreuimus etiam, vt non niſi ſumma, & graui vrgente neceſſitate Diaconus baptizet, vel corpus* Chriſti *cuiquam eroget, vel pœnitentiam confitenti imponat, vt iuxta paternorum tenorem canonum huic ordini ſacerdotali proprie conuenire decernat antiquitas. Sub eodem tenore conſtitutionis adiicimus, vt quoties ſacerdos ad puerum baptizandum vel infirmum communicandum inuitatur, moras innectere non præſumat. Cum in domo orationis, quæ domus Dei nuncupatur, nihil debeat eſſe indecens, nihil inordinatum, præcipimus vt perſonæ, & vicarii eccleſiarum ſtudeant prouidere ſecundum competentes eis penſiones, prout ratio dictitat, & conſuetudo approbata poſtulat, quatenus eccleſiæ, quæ reparatione indigent, reparentur. Item cum ornamentis miniſterio congruis miniſtretur. Item cum calice argenteo, vbi facultas ſuppetit, ſacramentum Euchariſtiæ conficiatur. Huic ordinationi terminum præfiximus ab initio noſtræ legationis in annũ. Quod ſi hæc medio tempore executioni mandata non fuerint, decreuimus, vt ante elapſum terminum de eccleſiarum redditibus diſpoſitio noſtra plenum ſortiatur effectum. Statuimus etiam, vt clerici, qui ab epiſcopo coronam ſuſceperunt, tonſuram habeant, & coronam; quam ſi habere contempſerint, ad hoc beneficiorum, ſi qua habeant, priuatione cogantur; qui vero beneficia non habent, per Archidiaconum, vel decanos tondeantur inuiti. Præcipimus etiam, vt ſacerdotes non in cappis manicatis incedant, ſed in veſtibus ſuo ordini congruis: vt ſicut*

cæteris dignitate præeminent, ſic plenius, & formam, & exemplum exhibeant honeſtatis. Cum ſcripturæ beatum eſſe eum teſtetur, qui manus ſuas excutit ab omni munere, diligenti ſtudio prouidendum eſt, vt gratis exhibeatur iuſtitia, nec pro ea in cauſis eccleſiaſticis facienda, vel adimenda, ſiue accelerandæ, vel differenda, quicquam pretii præſumat accipere, vt ei fructum iuſtitiæ ſuæ tempore opportuno retribuat iuſtus iudex. Cum decimæ ſint tributa egentium animarum, & ex præcepto Domini dari debeant; non eſt reddentis eas diminuere. Statuimus itaq́; , vt de his quæ renouantur per annum, cum omni integritate decimæ debitæ, & conſuetæ conferantur: ita vt inprimis decimæ abſque vlla diminutione Eccleſiæ dentur, poſtmodum de nouem partibus mercedes meſſorum, & aliorum ſeruientium pro arbitrio ſoluendis tribuantur. Exigit profeſſio religioſæ ſanctitatis, vt Monachi, & canonici regulares, & moniales, religioſe & regulariter conſeruentur. vt ergo eis adimatur opportunitas euagandi, prohibemus ne redditus, quos obedientias vocant, ad firmam teneant; nec iter peregrinationis arripiant, nec extra monaſteria ſine certa & rationabili cauſa, nec abſque ſocietate, cuius certa ſit honeſtas & indubitata proficiſcantur. De monialibus autem id ſpecialiter adiicimus, abſq́; ſocietate Abbatiſſæ vel Prioriſſæ ambitum monaſterii non egrediantur. Adiicimus etiam prohibentes, ne laicus aliquis Eccleſiam, vel decimas ad firmam recipiat, ſiue ſolus, ſiue clerico ſociatus. Vt calumniatorum improbitas, & temere iurantium malitia timore cæleſtis iudicii retundatur, præcipimus, vt quilibet ſacerdos de cætero ter in anno ſolenniter accenſis candelis, pulſatiſque campanis, eos excõmunicet, qui in recognitionibus, aliiſue teſtimoniis ſcienter, & ſpõte peierabunt; & eos, qui malitioſe alios facient peierare; eoſq́; ſingulis dominicis diebus excommunicatos denunciet, vt crebra maledictionis iteratio, eos à ſua iniquitate retrahat, quos accuſatio propriæ conſcientiæ non deterret, ſi vero de periurio pœniteant, ad Archiepiſcopum, vel Epiſcopum, vel generalem diœceſis confeſſorem abſente Archiepiſcopo, vel Epiſcopo tranſmittantur ab eo pœnitentiam ſuſcepturi: in extremis vero laborantibus inſinuanda, non imponenda eſt pœnitentia, eiſque firmiter iniungatur, vt ſi vixerint, Archiepiſcopum vel Epiſcopum, vel generalem diœceſis confeſſorem abſente Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, adeant, vt eis pœnitentia competens imponatur, quia ſermo Domini eſt: Sacerdos meus ſi deliquerit, delinquere faciet populum meum, & ruina populi ſacerdos nequam eſt: *exigit tanti ordinis excellentia, vel à publicis potationibus, & tabernis ſacerdotes abſtineant, & qui voto continentiæ ſunt aſtricti, nequaquam ad actus turpitudinis ſe relaxent. Prohibemus igitur ne focarias habeant in domibus ſuis, nec ad eiectas in noſtræ conſtitutionis fraudem acceſſum in domibus alienis. Si vero in turpitudine ſua perſtiterint; & hoc decani diſſimulantes ad notitiam prælatorum ſuorum non detulerint; ab officio ſuſpendantur: qui vero Zelo Dei accenſi prælatis nunciauerint exceſſus eorum, diuinæ benedictionis gratiam conſequantur. Pœna autem eorum, qui publice focarias tenent, hæc erit: vt tanquam infames ab aliorum accuſatione, & à teſtimonio repellantur: ſi vero nec huius pœnæ metu reſipuerint, ab officio, & beneficio ſe nouerint ſuſpendendos. Suſpectus de crimine per famam communem, vel veriſimilia indicia per Decanum loci admoneatur familiariter, ſemel, ſecundo, & tertio, vt ſe corrigat: quod ſi non fecerit, decanus adiunctis ſibi duobus, vel tribus, penes quos eius fama laborat, eum corripiat: ſi nec ſic videatur corrigi, dicatur Eccleſiæ, ſcilicet arguatur in capitulo, vt conuictus, vel confeſſus canonice puniatur, inficianti, ſi conuinci non poterit, canonica purgatio indicatur: ita quod numerum duodenarium non excedat: infra numerum plures, paucioreſue poterunt recipi ſecundum ſtatum perſonæ, & quantitatem ſiue qualitatem infamiæ pro arbitrio iudicantis: & ſtatim primo die, quo paratus eſt is, qui infamia laborat, ſe purgare, purgatio admittatur, ne metu vexationis ex dilationibus contingentis pecunia extorqueatur. Hoc, & ſupradicta ſtatuimus ſalua in omnibus ſacroſanctæ Romanæ ſedis authoritate & dignitate.*

In concilio autem illo Magiſter *Petrus* de Dinan exigebat ſibi fieri plenariam reſtitutionem de Archidiaconatu de Weſtring, quem *Gaufridus* Eboracenſis Archiepiſcopus ei dederat, mandans capitulo Eboraci per literas ſuas, vt eum reciperent, & in ſtallum mitterent: cui *Simon* decanus, & capitulum Eboracenſe reſponderunt, quod Archiepiſcopus non potuit Archidiaconatum illum alicui dare, quia vltra terminum ſtatutum in concilio Lateranenſi dare diſtulit; in quo concilio *Alexander* papa tertius conſtituit, quod cum præbendas, eccleſias, ſeu quælibet officia in aliqua eccleſia vacare contigerit non diu maneant in ſuſpenſo, ſed infra 6. menſes perſonis, qui digne adminiſtrare valeant conferantur. Si autem epiſcopus, vbi ad eum ſpectauerit conferre diſtulerit, per capitulũ ordinetur: quod ſi ad capitulum electio pertinuerit, & infra præſcriptum terminum hoc non fecerit, Epiſcopus ſecundum Dominum cum religioſorum virorum conſilio exequatur: aut ſi omnes forte neglexerint, metropolitanus de epiſcopis ſecundum Dominũ abſq; illorum contradictione diſponat. Huius ergo diſpoſitionis authoritate, & priuilegii ſui munimine à *Cæleſtino* papa tertio eccleſiæ Eboracenſi indulto aſſerebant præfatus decanus, & capitulum Eboracenſe, quod ad illos ſpectat donatio prædicti Archidiaconatus & aliorum redditnum vacantium in eccleſia Eboracenſi, quos Archiepiſcopus ſuus non

do-

dederat infixum Lateranenſis concilii terminum : ſed officiales Eboracenſis Archiepiſcopi, ſcilicet, magiſter Girardus de Rowelle, & magiſter *Honorius* appellauerunt contra priuilegium illud, & appellationem, quam dominus eorum archiepiſcopus in receſſu ſuo fecerat pro ſtatu Eccleſiæ ſuæ, renouauerunt coram legato, & toto concilio : & quamuis in priuilegio illo continebatur, remota appellatione, tamen legatus detulit appellationi officialium Ebor. Archiepiſc.

Eodem anno *Willielmus* Rex Scottorũ ægrotauit in villa ſua, quæ dicitur Clacmanan; & ſtatuit *Othonem* filium *Henrici* ducis Saxoniæ nepotem *Richardi* Regis Angliæ ſibi ſucceſſurum in regnum Scottorum, ita quod ipſe *Otho* filiam ſuam primogenitam in vxorem cum regno duceret. & quamuis Rex plures haberet, qui voluntati ſuæ in hoc conſentirent : tamen Comes Patritius & alii multi contradixerunt, dicentes, quod filiam ſuam non reciperent reginam, quia non erat conſuetudo regni illius, quod mulier regnũ illud haberet quamdiu frater, vel nepos eſſet in progenie ſua, qui regnum de iure habere poſſet. Et paulo poſt per Dei miſericordiam Rex Scottorum de illa conualuit infirmitate, manens in eodem propoſito, quod habebat de filia ſua maritanda prædicto *Othoni* cum regno ſuo. Eodem anno *Hubertus* Cantuar. Archiepiſc. Apoſtolicæ ſedis legatus, & totius Angliæ iuſticiarius depoſuit *Robertum* Abbatem de Tornai reclamantem, & ad præſentiam Domini Papæ appellantem : & in carcere, & in vinculis eum tenuit per annum, & per dimidium anni apud Glouceſtre. Eodem anno prædictus Archiepiſcop. totius Angliæ iuſticiarius miſit per totam Angliam huiuſmodi formam iuramenti, videlicet. *Quod omnes homines regni Angliæ pacem domini regis pro poſſe ſuo ſeruabunt : & quod nec latrones nec robatores, nec eorum receptatores erunt, nec in aliquo eis conſentient, & quod cum huiuſmodi malefactores ſcire poterunt, illos pro toto poſſe ſuo capient, & vicecomiti liberabunt ; qui nullo modo deliberentur niſi per Dominum Regem, vel capitalem iuſtitiam ſuam : & ſi illos capere non poterunt, eos bailliuis Domini Regis quicunq; fuerint, ſcire facient. Leuato autem clamore inſequendi vt lagos, robatores, latrones, aut eorum receptatores, omnes ſectam illam plene facient pro toto poſſe ſuo : & ſi quem viderint, vel manifeſtum fuerit ſectam illam non feciſſe, vel ſine licentia ſe ab ea ſubtraxiſſe, eos tanquam malefactores ipſos capient, & vicecomiti liberabunt non deliberandos niſi per Regem, aut eius capitalem iuſtitiam. milites vero ad hoc aſſignati facient venire omnes de ballina ſua coram ſe à quindecim annis, & vltra ; & iurare facient quod pacem Domini Regis vt ſupradictum eſt, ſeruabunt ; & quod nec vt lagi, nec robatores, nec latrones, nec eorum receptatores erunt, nec in aliquo eis conſentient ; & quod ſectam, vt prædictum eſt, plenam facient, & quod, ſi cum malefactione aliquem ceperint, militibus in ballina ſuper ſe poſitis, & ad hoc aſſignatis eum liberabunt, qui eum vicecomiti liberabunt cuſtodiendum ; ſimiliter ſi aliquem viderint, vel eis notum fuerit, leuato clamore inſequendi malefactores prædictos, qui ſectam non fecerit, vel à ſecta illa ſe ſubtraxerit ſine licentia, eum tanquam malefactorem ipſum capient, & militibus prædictis liberabunt vicecomiti liberandum, & cuſtodiendum, vt ipſum malefactorem ; nec liberandum niſi per præceptum Domini Regis vel eius capitalis iuſtitiæ. Ad hæc igitur exequenda miſſi ſunt per ſingulos Comitatus Angliæ viri electi, & fideles, qui per ſacramentum fidelium hominum * de viſnetis multos* al. de vicinetis. *ceperunt, & carceribus Regis incluſerunt. At multi inde præmuniti, & ſibi male conſcii fugerunt relictis domibus, & poſſeſſionibus ſuis.* Eodem anno poſt natiuitatem Sancti *Iohannis Baptiſtæ*, *Henricus* Romanorum Imperator miſit *Richardo* Regi Angliæ coronam magnam auream, & valde pretioſam, in mutuæ dilectionis ſignum : mandans ei in fide, quam illi debebat, & ſicut obſides ſuos diligebat, ne perirent, quod ipſe terram Regi Franciæ hoſtiliter inuaderet, & ipſe Imperator ſucceſſum ei faceret competentem ad iniurias ſibi à rege Franciæ factas vlciſcendas : ſed Rex Angliæ timens, quod in hoc mandato aliquid proditionis lateret, miſit ad Imperatorem *Willielmum* Elienſem Epiſcopum Cancellarium ſuum ad inquirendum qualem ſuccurſum, & quantum, & vbi, & quando Imperator ei faceret contra regem Franciæ. Notum enim erat regi Angliæ, quod prædictus Imperator ſuper omnia deſiderabat, vt regnum Franciæ Romanorum Imperio ſubiaceret ; & exinde cõiiciebat rex Angliæ, quod ſi Imperator, & rex Franciæ confœderarentur, totũ in detrimentum ſuum redundaret. Rex vero Franciæ ſciens, quod Cancellarius regis Angliæ per terram ſuam tranſiret, appoſuit apprehendere illum ; ſed fraudatus à deſiderio ſuo mandauit Regi Angliæ treugam diſſolutam ; & ſtatim concurrentes vtriuſque exercitus damna fecerunt hinc, & inde maxima in interfectione hominum, & in rapinis, & in incendiis. Rex autem Franciæ videns, ſe nequaquam defendere poſſe cõtra regem Angliæ, caſtella multa Normanniæ ſubuertit, quæ rex Angliæ poſtmodum refirmauit, & fortiora fecit, quam prius fuerant. Quadam autem die ante ſubuerſionem caſtelli de valle Rodoli, prædicti reges venerunt ad colloquium prope caſtellũ illud, & dum colloquerentur cecidit magna

pars murorum caſtelli per ſuffoſſores Regis Franciæ. quod Rex Angliæ videns, relicto colloquio impetum fecit in exercitum Regis Franciæ, & Rex Franciæ cum ſuis verſus eſt in fugam; & cum tranſiret pontem, pons corruit, & ipſe cum gente ſua pene ſubmerſus eſt in Sequana fluuio: ſed vix tandem vlteriorem ripam attingens ibidem in ripa fluminis caſtra metatus eſt. Et Rex Angliæ ad caſtellum Rodoli rediit, & multos de familia Regis Franciæ cepit; & congregans exercitum magnum de omnibus terris ſuis ciſmarinis & tranſmarinis, intrauit terram Regis Franciæ in pluribus locis, & fecit ſtragem magnam ex obſtantibus, & ſegetes non maturas meſſuit, & vineas, & arbores fructiferas extirpauit, & villas combuſſit. Eodem anno ex occaſione diſſenſionis, quæ erat inter *Philippum* Regem Franciæ, *&* *Richardum* regem Angliæ, *Boyac Almiramimoli* Imperator Africanorum magno congregato exercitu intrauit fines Chriſtianorum, qui ſunt in Hiſpania; & expugnauit eos, & cepit ciuitates, & caſtella, & munitiones eorum, & comminuit omnia, & *Aldefonſum* regem Caſtellæ deuicit in prælio campeſtri, & à campo fugatum obſedit in Toleto ciuitate ſua; ſed nihil ibi proficiens cum exercitu ſuo inde receſſit. Quod cum Rex Franciæ, & rex Angliæ audiſſent, conuenerunt ad colloquiū de pace inter eos facienda, in quo inter eos conuenit in hunc modum. quod *Lodowicus* filius & hæres Regis Franciæ duceret in vxorem ſororem *Arthuri* ducis Brittanniæ neptem præfati regis Angliæ; & ipſe Rex Angliæ quieta clamaret eis, & hæredibus eorum Giſortium, & Neafle, & Baudemunt, cū * Wougeſin Normannico, & Vernun, & Iueri, & Paſci, & inſuper daret eis 20000. marcarum argenti: & hæc contra rex Franciæ quieta clamaret regi Angliæ omnia, quæ ſibi petebat in Comitatu de Engoliſmo, & redderet ei Comitatum de Albemarlia, & Comitatū de Auco, & caſtellum de Arches & alia caſtella multa, quæ ceperat ſuper eum in Normannia, & in aliis terris ſuis per guerram. ſed hæc omnia dilationem ceperunt vſque ad octauas omnium ſanctorum, ꝓpter prohibitionem Romanorū Imperatoris, q. prohibuerat Regi Angliæ, ne ipſe pacem cum rege Franciæ faceret, niſi de conſenſu, & conſilio ſuo. Præterea rex Angliæ in eodem colloquio reddidit *Philippo* regi Franciæ *Aleſiam* ſororem ſuam, quam ipſe mox dedit in vxorem *Iohanni* Comiti de Pontif. Interim Pagani terram *Sancii* Regis Portugalenſis deuaſtantes venerunt ad Abbatiam de Alkubaz, & monachos de ordine Ciſtercienſi ibidem deo ſeruientes, & eis reſiſtentes interfecerunt, & procedentes inde venerunt ad aliam domum eiuſdem ordinis; & Monachi exeuntes eis obuiam, ceciderunt ad pedes paganorum, vitam & miſericordiam poſtulātes, & pagani miſerti illorum vitam donauerunt illis: & audientes vitam, & conuerſationem illorum, laudauerunt eos dicentes, quod ſaluarentur in ordine illo, ſi mulieres haberent. eſt enim ſciendum quod ſumma paganorum religio eſt luxuria. Eodem anno *Hugo* Lincolnienſis Epiſcopus dedit *Richardo* Regi Angliæ 1000. marcas argenti, pro libertate Lincolnienſis Eccleſiæ redimenda: Rex vero ex conſuetudine regum Anglorum prædeceſſorum ſuorum petiit ab epiſcopo Lincolnienſi ſingulis annis vnum mantellum furratū de Sabelinis, & pro huius mantelli quieta clamantia in perpetuum ab ipſo Rege, & hæredibus ſuis ꝑdictus Lincolnienſis epiſcopus dedit præfato regi præfatam pecuniam, & recepit à Rege chartam ſuam de quieta clamantia. Interim *Willielmus* Elienſis epiſcopus, & cæteri nuncii Regis Angliæ, qui miſſi fuerant ad Imperatorem, redierunt; dicentes quod forma illa pacis, quæ inter ipſum, & Regem Franciæ formata erat, non placebat Imperatori, quia ignominioſum eſſe videbatur Imperatori, ſi Rex Angliæ quicquam quietum clamaret, ꝙ in poteſtate ſua non erat. & ad recuperandum, quod rex Angliæ amiſerat per captionem ſuam, perdonauit ei imperator de redemptione ſua 17. millia marcarum argenti. Adueniēte igitur termino colloquii, ꝙ ſtatuerunt inter ſe rex Angliæ, & rex Franciæ, conuenerunt prope Vernolium in octauis omniū Sanctorum: & appropinquante hora colloquii, Rex Angliæ appropiauit, vt cum rege Franciæ loqueretur. ſed *Willielmus* Remenſis Archiepiſcopus venit obuiam ei, & dixit ex parte regis Franciæ, quod non oporteret eū ita feſtinare, quia rex Franciæ adhuc cum ſuis in conſilio erat. credidit itaq; illi rex Angliæ, & reuerſus eſt ad locum vnde venerat, & exſpectans vſq; ad horam 9. noluit diutius exſpectare: ſed appropiauit, vt cum rege Franciæ loqueretur; & *Philippus* Beluacenſis Epiſcopus dixit ei coram rege Franciæ: Dominus noſter rex Franciæ calumniatur te de fide læſa, & periurio quia iuraſti, & fidem dediſti, ꝙ venires hodie ad colloquium hora 3. & non veniſti, & ideo ipſe te defidat, & ſic finito colloquio vterq; rex reuerſus eſt in terrā ſuam. Et tertia die ſequenti homines regis Franciæ faciebant in Normannia, & in aliis terris regis Angliæ violentas prædationes cū tumultu: & venientes ad villā de Depe, q̄ rex Angliæ paulo ante reædificauerat, cōbuſſerunt eā, & naues, q̄ in portu erant, iniecto igne Græco in cineres redegerunt. Deinde *Philippus* rex Franciæ poſt multos, varioſq; bellorū caſus venit cū exercitu

al. Vergeſin.

citu ſuo ad Iſſondun,& villam cepit,& caſtellum obſedit.quod cum Regi Angliç nunciatum eſſet,qui tunc temporis morabatur in Normannia apud vallem Rodoli : omnibus aliis negotiis ſuis prætermiſſis,trium dierum itinera in vnum concludens venit Iſſondun, & caſtellum ſuum,quod Rex Franciæ obſederat,intrauit.confluebat ergo ad eum vndique armatorum copioſa multitudo. De cuius aduentu Rex Franciæ valde territus, petiit ab eo licentiam recedendi inde cũ exercitu ſuo ſine impedimento: quod cum ei negatum fuiſſet, petiit colloquium habere Angliæ,& factum eſt ita. In colloquio autem illo mediantibus Archiepiſcopis,& Epiſcopis,& viris vtriuſq; partis quam pluribus, præſtitum eſt ſacramentum hinc,& inde;quod ab illo die,videlicet à die Sabbati proxima poſt feſtum Sancti *Nicholai* pacem,& concordiam inter ſe, & homines ſuos, & terras ſuas haberent, vſq; ad feſtum Sancti *Hilarii* proximo ſequens: & tunc conuenirent apud Louers ad pacem, & finalem concordiam inter eos faciendam in maiori audientia ſuorum. Et quia natiuitas Domini inſtabat,& prædicti reges non habebant in partibus illis, quod in tanta ſolennitate regalibus expenſis ſufficeret, reuerſi ſunt in regiones ſuas. Et rex Angliæ perrexit inde Pictauiam; & fuit ibi in natiuitate Domini, quæ ſecunda feria euenit. Interim *Aldefonſus* Rex Caſtellæ congregato exercitu in ſola virtutis Dei miſericordia fiduciam habens, commiſit prælium cum exercitu paganorum, & eos conuicit,& maximam illorum partem gladio interfecit, & cæteros à finibus ſuis fugauit. Eodem anno Canonici Eboracenſis Eccleſiæ ſæpe, & multum ſollicitauerunt *Hugonem* Lincolnienſem Epiſcopum, vt ipſe ſententiam interdicti, & ſuſpenſionis proferret in *Gaufridum* Eboracenſem Archiepiſcopum. Conſtabat enim, quod prædictus Archiepiſcopus, non comparuit in conſpectu Domini Papæ ad terminum ſibi conſtitutum. Quibus præfatus Lincolnienſis Epiſcopus reſpondit, quod mallet ſuſpendi, quam Archiepiſcopum illum ſuſpendere. Quo audito præfati Canonici miſerunt nuncios ſuos Romam ad *Cæleſtinum* Papam conquerentes quod Lincolnienſis Epiſcopus,& cæteri iudices ſui delegati non proceſſerunt ſecundum formam Apoſtolici mandati. Eodem anno obiit *Henricus* Wigornienſis Epiſcopus, cui ſucceſſit in Epiſcopatu illo *Iohannes* de Conſtantiis Rothomagenſis Eccleſiæ Decanus. Eodem anno obiit *Willielmus* de Forz Comes Albemarliæ, cui ſucceſſit in Comitatu illo *Balduinus* de Betun dono *Richardi* Regis Angliæ, & duxit vxorem Comitiſſam Albemarliæ. Eodem anno obiit *Iſakius* quondam Imperator Cypri, quem *Richardus* Rex Angliæ expugnauit. Eodem anno obiit *Guido* quondam Rex Ieruſalem, cui *Richardus* Rex Angliæ vendiderat Inſulam Cypri, quo defuncto *Aimers* frater ſuus factus eſt Dominus Cypri. Eodem anno *Philippus* Rex Franciç duxit ſibi in vxorem filiam ducis de * Geneſt in Alemannia: quo facto *Cnut* Rex Dacorum frater prædictæ *Botildæ* reginæ Francorum conqueſtus eſt *Cæleſtino* Papæ de iniuria, quam præfatus Rex Franciæ fecerat ſorori ſuæ, qui eam dimiſit ſine cauſa cognita. Conqueſtus eſt etiam de *Willielmo* Remenſi Archiepiſcopo, qui ſine authoritate Apoſtolica, ſedens pro tribunali diuortium fecit inter prædictum Regem Franciæ, & *Botildam* ſponſam ſuam ſine cognitione cauſæ. Conqueſtus eſt etiam de *Stephano* de Noiun,& *Philippo* Beluacenſi, & *Reginaldo* Carnotenſi, & *Gwidone* Aurelianenſi, & *Rotodo* de Chaluns Epiſcopis,& de *Roberto* de Drues,& *Lodowico* de Blais,& *Theobaldo* de Campania, & *Stephano* de Neuers Comitibus; & de *Simone* de Caſtellano de Inſula,& *Petro* de Mainil,& *Waltero* Camerario Regis Franciæ, baronibus; qui iurauerunt coram Remenſi Archiepiſcopo, quod prędicta *Botilda*, filia Comitis de Hainou, quæ fuerat vxor prædicti Regis Franciæ, ita affines erant in conſanguinitate, quod idem *Philippus* Rex Franciæ nulla ratione debuit, aut potuit præfatam *Botildam* habere vxorem. Et quamuis prædictus rex Dacorum paratus eſſet probare, illos falſum dixiſſe aduerſus eam teſtimonium,& quod diuortium illud nullum fuit, nec teneri debuit; tamen propter fauorem regis Franciæ, noluit eum *Cæleſtinus* Papa in hac parte exaudire.

al. Gueſt.

Anno gratiæ milleſimo centeſimo nonageſimo ſexto, qui eſt annus 7. regni *Richardi* Regis Angliæ, idem rex fuit apud Pictauiam die natalis Domini, quæ feria ſecunda euenit, & *Hubertus* Cantuarienſis Archiepiſcopus totius Angliæ iuſtitiarius, & Apoſtolicæ ſedis legatus, fuit eodem die apud Eboracum miſſus ex parte Regis loqui cum *Willielmo* Rege Scottorum de matrimonio contrahendo inter *Othonem* filium *Henrici* ducis Saxoniæ nepotem *Richardi* Regis Angliæ, & *Margaretam* filiam ſuam. Conuenerat enim inter *Richardum* regem Angliæ, & *Willielmum* Regem Scotiæ, quod idem rex Scotiæ daret prędicto *Othoni Margaretam* filiam ſuã in vxorem cum toto Loenais; & quod rex Angliæ daret *Othoni*,& filiæ regis Scotiæ, & hæredibus eorum totã Northumbriam, & Comitatum Carleoli; & rex Angliæ haberet in cuſtodia totũ Loenais cum caſtellis ſuis; & rex Scotiæ

haberet in cuſtodia totam Northumbriam, & Comitatum Carleoli cum caſtellis ſuis. ſed quia regina Scottorum tunc temporis prægnans erat, noluit rex Scotiæ ſtare prædictæ conuentioni, ſperans quod dominus daret ei filium. Eodem anno quinto natalis Domini die *Bertramnus* Dunelmenſis eccleſiæ prior occurrit *Huberto* Cantuarienſi Archiepiſcopo apud Aluertoniam: & ibi coram eo elegit magiſtrum *Philippum* clericum, & familiarem *Richardi* regis Angliæ in Dunelmenſem epiſcopum. Eodem anno *Cœleſtinus* Papa ad inſtantiam nunciorum decani, & canonicorum Eboraci, in hac forma ſcripſit prædicto *Simoni* Eboracenſis eccleſiæ Decano.

EPISTOLA COELESTINI AD SIMONEM DECANUM *Eborac. de adminiſtratione eiuſdem diœceſis.*

Coeleſtinus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilecto filio *Simoni* decano Eborac. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum vniuerſalis eccleſiæ regimen nobis licet inſufficientibus, diuina fauente gratia, ſit commiſſum, & ſingularum ex eis caſibus præcauere teneamur, & vtilitatibus prouidere: illud nobis eſt ſummo opere præcauendum, ne inde eccleſiæ in temporalibus, vel ſpiritualibus detrimentum incurrant, vnde ipſarum honorem, & commodum credimus procurare. Cum enim penſatis perſonarum meritis, & diligenter inſpectis, aliquis iuxta ſuorum exigentiam meritorum per nos fuerit ſuæ dignitatis poteſtate ſuſpenſus, & ab eccleſiarum prælatione ad tempus amotus, ne ſubditis paſtoris curæ priuatis malignandi materia tribuatur, & occaſio litigandi; eis in tali debemus prouidere perſona, quæ & litigantium dirimere quæſtiones, & ſubditorum exceſſus corrigere nouerit; & quantū ſui officii debitū patitur, & diligat, & affectet. Inde eſt, quod cum Eborac. Archiepiſcopus eius actibus exigentibus, & contumacia faciente qui abuſus patientia noſtra neque à ſuis iniquitatibus deſtitit, neç noſtro ſe conſpectui, indulto ſibi miſericorditer termino, præſentauit, ab vſu pallii, & epiſcopalis officii executione, à miniſtratione quoque tam ſpiritualium, quam temporalium, & beneficiorum perceptione noſtra ſit authoritate ſuſpenſus; diſcretioni tuæ authoritate præſentium duximus indulgendum, vt cum conſilio canonicorum in Eboracenſi eccleſia reſidentium, clericorum Eboracenſis diœceſis exceſſus corrigere valeas; & querelantium tam clericorum, quam laicorum Eboracenſis diœceſis controuerſias, quæ iudicio exigunt eccleſiaſtico terminari, canonice definire, canonica ſeueritate, appellatione remota, percellens eum, qui ſuper hoc contumaciter duxerit reſiſtendum, donec eidem eccleſiæ aliter fuerit ſollicitudine noſtra prouiſum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſsionis infringere, vel ei auſu temerario cōtraire: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum. Lateran. 10. Kal. Ianuarii, pontificatus noſtri anno 5.

EPISTOLA COELESTINI PAPAE DE EODEM NEGOTIO

Coeleſtinus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis filiis vniuerſis Abbatibus, Prioribus Archidiaconis, decanis, & aliis clericis, Comitibus, & Baronibus, & aliis in Eboracenſi prouincia conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quam miſericorditer Romana eccleſia ſuper facto Eboracenſis Archiepiſcopi proceſſerit, videre licet, ſi literarum noſtrarū tenorem, quas vtraq; partium à ſede Apoſtolica diuerſis tēporibus impetrauit, diligenter attendatis. Cum enim ſignificantibus dilectis filiis decano, & capitulo Eboraci, & non paucis Abbatibus, Prioribus, & aliis eccleſiæ prælatis in regno Angliæ cōſtitutis, ad apoſtolatus noſtri audientiam perueniſſet, dictum Archiepiſcopum, paſtoralis officii debito prætermiſſo, ſecularibus negotiis implicari, & non diuinis obſequiis, nō clericis ordinandis, non eccleſiis dedicandis, non Synodis celebrandis, non bene dicendis abbatibus, ſed venationibus, & aucupio totius animi ſui ſtudiū applicare, & exercere alia, quæ commiſſo ſibi officio pontificiali, & honori non modicū derogant: nō ſtatim formauimus iudiciū contra eum, ſed inquiſitionē famæ ipſius venerabili fratri noſtro Lincolnienſi epiſc. & dilectis filiis Archidiacono de Norhamton, & Priori de ponte * fracto duximus committendam; cupientes ipſum Archiepiſc. per interminationem ſuſpēſionis, ſi, de his quæ nobis fuerant ſignificata, conſtaret, vel ſi ea legitime comprobari non poſſent, per exhibitionem canonicæ purgationis, quam ei cum tribus epiſcopis, & totidem abbatibus feceramus indici, à ſuis exceſsibus deterrere, & ad veritatis tramitē reuocare. Verū quoniam idem archiepiſ. antequam citatio eorundem iudicum perueniſſet, ad ſedē appella-

al. Sancto

uit

nit apoſtolicam, dicti iudices iuxta literarum noſtrarum tenorem, ſpacio ei trium menſium indulto, Kal. Iunii, quo appellationem interpoſitam proſequi non differret, ipſi procurauerunt pro termino aſſignare. Deinde vero cum Archiepiſcopus ipſe iter arripuiſſet ad ſedem apoſtolicam veniendi, timens ne propter inclementiam aeris aliquod perſonæ ipſius periculum eueniret, à nobis literis, & nunciis poſtulauit, vt ſtatutum ſibi terminum deberemus miſericorditer prorogare: nos vero precibus ipſius annuentes, & credentes, quod eo citius de ſuis exceſſibus pœniteret, quod nos ad audiendas petitiones ſuas magis propitios & faciles inueniret, terminũ vſq; ad octauas beati *Martini* proximo præteritas proſequendæ appellationis ad ipſum purgandum ſtatuimus, memoratis iudicibus dantes nihilominus in mandatis, vt ſi tunc inde Archiepiſc. noſtro aſpectui neglexerit ſe præſentare, exinde iuxta priorum literarum tenorem in cauſa procederent, & quæ ipſis per eaſdem literas mandata fuerant, exequi procurarent. Cæterum memorato termino iam tráſacto, cum ad Romanam Eccleſiam nec acceſſerit, nec aliquem miſerit reſponſalem, qui abſentiam ſuam quolibet modo excuſaret, ipſius in obedientiam, & contumaciam attendentes, ipſum ab vſu pallij, & pontificalis officii executione, adminiſtratione etiam tam temporalium, quam ſpiritualium, ac perceptione beneficiorum duximus ſuſpendendum; memoratis iudicibus per Apoſtolica ſcripta mandantes, vt eum per totam Eboracenſem diœceſim, & prouinciam ſuſpenſum à nobis publicè ſtatuant nunciare. Ideoque vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eidem Archiepiſcopo, vel officialibus eius, nec in ſpiritualibus nec temporalibus præſumatis aliquatenus reſpondere: ſed ſi quas inter aliquos veſtrum in Eboracenſi diœceſi poſitorum quæſtiones oriri contingat, quæ iudicio Eccleſiaſtico debeant terminari, ad audientiam dilecti filii noſtri *Simonis* Eboracenſ. decani eaſdem controuerſias deferatis, ipſius iudicium recepturi humiliter, & firmiter ſeruaturi; ſcientes nos eidem decano de ſolita ſedis Apoſtolicæ miſericordia indulſiſſe, vt cum conſilio canonicorum ſuorum in Eborac. Eccleſia reſidentium exceſſus corrigat clericorum, & eorum ac laicorum, qui Eccleſiaſticam audientiam exigunt, in Eboracenſi diœceſi definiat quæſtiones. Datum Lateran. 10. Kal. Ianuarii Pontificatus noſtri anno 5.

ALIA EPISTOLA EIVSDEM Papæ de eodem.

COeleſtinus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri Lincolnienſi Epiſcop. & dilectis filiis Archidiacono de Northamton / & Priori de Ponte * fracto, ſalutem, & *al. Sancto* Apoſtolicam benedictionem. Cum ſacroſancta Romana Eccleſia ſuper immobile fundamentum, lapidem ſcz. angularem & verum, perpetua ſtabilitate fundata, de ſe ipſa veritate dicente, *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, per beati *Petri* merita Eccleſiarum omnium magiſterium cepit, & primatum; ad principem Apoſtolorum Domino proteſtante, *Si diligis me, paſce oues meas*: & non ſolum corporum, ſed etiam animarum iudiciariam accepit poteſtatem; eodem Apoſtolorum principe audiente à Domino: *Quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis*: nos, quos non propria merita, ſed ſola diuina miſeratio ad ſummi pontificatus apicem euocauit, ſi iudicia noſtra recta volumus, & prouida deliberatione formare, & poteſtate nobis tradita non abuti illius debemus, quantum humana permittat fragilitas, exempla ſectari, in quo ſedes apoſtolica fundata conſiſtit, & à quo cæterarum eccleſiarum curã ſuſcepit, & ligandi, atq; ſoluendi plenitudinem poteſtatis. Mirabilis enim ſuper omnia Deus, & inſcrutabilis diuini conſilii altitudo, licet incomprehenſibilia ſint iudicia eius, & inueſtigabiles viæ ipſius; aliquod tamen ex his, quæ in inferioribus operatur, ſi recte conſpicimus, nobis & aliis eccleſiarum prælatis in forma iudicii innuit imitandum; qui cum ſterilẽ arborem de vinea ſua iuxta illud euangelii præceperit ſuccidendam, ne terram fertilẽ occuparet, præmiſit, dicens: *Ecce tres anni ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnia hac, & non inuenio; ſuccide ergo illam*: hoc ſiquidem nos, licet minimi, & humanæ fragilitatis ſubiacentes defectibus intra nos ipſos aſſidua meditatione penſantes; auditis exceſſibus Eboracenſis archiepiſcopi, & de inhoneſta vita & de inutili conuerſatione eius rumoribus in noſtra, & fratrũ noſtrorum audientia recitatis, non ſtatim formauimus iudicium contra eum, ſed exemplo illius, cuius miſerationes ſuper cætera opera eius, vt ſterilis arbor pullularet in fructus, & vigorem reciperet iam amiſſum, nõ modico temporis ſpacio, ad correctionẽ ipſius, multiplicatis literis, & mandatis non deſtitimus laborare; nunc eũ ad viam ſalutis noſtris monitis reuocantes, nunc per interminationẽ ſuſpenſionis officii, & beneficii deterrentes ab iniquitatis ſuæ ſemitis, & erroris, ſicut vobis, q; totam rei ſeriem, & proceſſum negotii quoad ordi-

nem agnouiſtis, credimus manifeſtum. Sane ad audientiam noſtram ex perſonarum, & capituli Eboracenſis Eccleſiæ inſinuatione peruenit, & id ipſum dilectorum noſtrorum *Roberti* de Eboraco & *Rogeri de* Selebie & aliorum vndecim abbatum præmonaſterii ordinis teſtimonia manifeſte declarare videntur, quod *Gaufridus* Eboracenſis Archiepiſcopus ſacramenta iniuncti ſibi officii vilipendens, venatione, aucupio, & aliis militaribus curis inutiliter occupatus, ordinationi clericorum, Eccleſiarum dedicationibus, aut Synodis celebrandis nec manum nec operam poſt ſui promotionem adhibuit, nec Abbatem aliquem benedixit, licet tam contra clericos, quam Abbates, ad maledicendum & excommunicandum linguam conſueuerit, iuxta motum proprium indiſcrete laxare. Libertates Eccleſiæ ſuæ, ac conſuetudines approbatas euacuat, ac ſubuertit; appellationes, quæ ſolent eſſe ad remedium oppreſſorum, ad Romanæ ſedis iniuriam reduxit in contemptum: & plures pro eo quod ad nos appellationem emiſerant, vinclis fecit carceralibus vehementer aſtringi. Perſonas Eccleſiæ ſuæ poſt appellationem ad nos factam, honoribus & beneficiis ſpoliauit; quoſdam Canonicorum appellatione contempta excommunicationi ſubiecit: priuilegia Romanorum Pontificum in eius præſentia ſua omnino authoritate fruſtrantur: & qui forte alias tutus eſſet, in oſtenſione priuilegii noſtri optati coram eo præſidii beneficium demeretur. Cum contingit aliquem ad ſubtractam ſibi Eccleſiam, vel poſſeſſionem per iudices delegatos authoritate noſtra reſtitui, eum, per quem iudicium debuerat executioni mandari, ſtatim ſentiet inimicum. Plures enim taliter reſtitutos deſtituit, & Eccleſias ſuas per miniſtros ſuos violenter aggrediens fores earum fregiſſe, & eos proponuntur per violentiam expuliſſe: quamplures reatum periurii fecit pernicioſe incurrere: ipſos ab obedientia, quam Archidiaconis ſuis canonice ſeruandam iuramento promiſerant, quadam neceſſitatis violentia retrahendo: prætерea maiorem Eccleſiam cum multitudine armatorum aggrediens, fores capituli per violentiam confringi, & aſportari fecit: & bona canonicorum & clericorum plurium, qui res ſuas tam in Eccleſia, quam in theſauraria ibi depoſuerant, fecit per potentiam detineri: pro quibus omnibus Eboracenſe capitulum ad noſtram præſentiam appellauit. Comperimus etiam ex teſtimonio prædictorũ, quod Eccleſiis quandoq; vacãtibus, præſentatas ſibi ab his, ad quos præſentatio pertinet, perſonas idoneas non admittit: ſed eas aut pueris, & minus honeſtis perſonis aſſignat, vſus pariter & præſentantis, & inſtituentis officio, aut facit eas de ſola voluntate vacare, vt earum fructus vſibus ipſius applicentur, & quod ſuſtentationi alicuius honeſti clerici debebatur, ſibi non metuit retinere. Adiecerunt etiam, quod cum ſpiritualia dona gratis debeant, & ſine prauitate diſtribui, frequenter cum donat Eccleſiam, aut eam ſcindit per partes contra ſtatuta Canonica, vel in ea ſibi nouam & indebitam retinet poſſeſſionem, & quam plures excommunicatos, vel ſuſpenſos, non niſi pecunia interueniente, abſoluit: religioſi vero & honeſti viri in conſpectu eius deſpecti, & contemptibiles fiunt: viles & ſuſpectæ perſonæ de facili familiaritatem eius, & gratiam adſequuntur. Nos vero de rumoribus tam profanis auditis non ſemel, ſed ſæpius, & tam prædictorum, quam aliorum prælatorum in Regno Angliæ, & in Eboracenſi prouincia poſitorum literis, noſtris auribus frequentius inculcatis, volentes eum a ſuis exceſſibus deterrere, & ad exequendum paſtoralis officii debitum reuocare; inquiſitionem famæ ipſius vobis duximus committendam, vt conuocatis Abbatibus, & Prioribus, & aliis Eccleſiaſticis perſonis Eboracenſis diœceſis, inquireretis de præmiſſis diligentius veritatem, & ſi accuſatores legitimi procederent contra eum, auditis quæ proponerentur hinc & inde, & depoſitionibus teſtium redactis in ſcriptis, eas ſigillorum veſtrorum ſignatas munimine ad ſedem Apoſtolicam tranſmittere deberetis; aſſignato partibus termino competenti, quo ad audiendam ſententiam noſtro ſe conſpectui præſentarent. Hoc etiam iiſdem literis meminimus fuiſſe inſertum, vt deficientibus accuſatoribus, ſi fama publica faceret contra eum, purgationem ipſius cum tribus Epiſcopis & totidem Abbatibus, ſublato appellationis obſtaculo, indicere curetis. In qua ſi forte deficeret, ipſum ab Archiepiſcopali officio, & adminiſtratione ſuſpenſum noſtro faceretis conſpectui præſentari; ſi vero Archiepiſcopus memoratus, antequam citatio veſtra perueniret ad ipſum, ad ſedem Apoſtolicam appellaret, induciis ei trium menſium indultis, ſi infra eos interpoſitam appellationem proſequi negligeret, vel differret, ipſum ab omni pontificali officio, & Archiepiſcopatus adminiſtratione noſtra nunciaretis authoritate ſuſpenſum. Quia vero idem Archiepiſcopus antequam per vos citaretur ad cauſam, ſicut nobis ſuis literis, & nunciis intimauit, ſedem curauit Apoſtolicam appellare, & vos ei ad proſequendam appellationem Kalendas Ianuarii pro termino aſſignaſtis, ipſius laboribus, & expenſis parcere diſpo-

diſponentes, ac timentes, ſi æſtiuo tempore ad vrbem accederet, aliquod perſonæ ipſius ex aeris inclementia periculum proueniret cum ſicut nobis intimatum fuerat, iter arripuiſſet ad ſedem Apoſtolicam veniendi, & paratus exiſteret de obiectis ſibi criminibus reſpondere, de ſolita ſedis Apoſtolicæ benignitate proſequendæ appellationis ab ipſo vſque ad octauas beati *Martini* proximo præteritas terminum duximus prorogandum; omnia quæ fuerunt contra eum impetrata vſque ad eundem terminum ſuſpendentes, & reuocantes in ſtatum priſtinum quicquid contra eũ poſt appellationem ad nos interpoſitam priorum literarum obtentu fuiſſet à nobis, vel aliis immutatum. Vobis etiam per Apoſtolica ſcripta diſtincte mandauimus, vt niſi in octauis ſancti *Martini* noſtro conſpectui ſe præſentaret iuxta formam primæ commiſſionis, ſublato cuiuslibet contradictionis, & appellationis obſtaculo, procedere nullatenus differretis. Verum quoniam memoratus Archiepiſcopus abuſus patientia noſtra, nec ad Romanam Eccleſiam acceſſit, nec reſponſalem aliquem deſtinauit, qui vel eius abſentiam excuſaret, cum eum non modicum vltra præfixum ſibi terminum miſericorditer curauerimus expectare, licet eo ipſo videatur confeſſus de crimine, quod noſtro ſe cõſpectui præſentare neglexit; ipſum ab vſu pallii & omnis Epiſcopalis officii executione, a miniſtratione quoque tam ſpiritualium, quã temporalium, & beneficiorum perceptione ipſius Eboracenſis Eccleſiæ, & prouinciæ duximus ſuſpendendum: vt ſic ſaltem à ſuæ iniquitatis pertinacia reſipiſcens canonicæ ſeueritatis cenſuram in ſe non exigat fortius exerceri. Ideoque diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, atque præcipimus, quatenus eum per omnes Eccleſias Eboracenſis diœceſis, & prouincię ſuſpenſum à nobis, publice nuntietis: omnibus clericis & laicis eiuſdem prouinciæ ex parte noſtra firmius iniungentes, ne ipſi Archiepiſcopo vel officialibus eius in temporalibus, vel ſpiritualibus reſpondere præſumant, donec de ipſo Archiepiſcopo aliud duxerimus ſtatuendum. Mandamus autem & per vos volumus in Eboracenſi diœceſi nuntiari, vt ſi forſitan inter aliquos quæſtiones moueri cõtingat, quas Eccleſiaſtico iudicio conueniat terminari, ad audientiam dilecti filii noſtri *Simonis* Eboracenſis decani, cui cum concilio canonicorum in eadem Eccleſia reſidentium, & clericorum exceſſus committimus corrigendos, & litigantium tam clericorum, quam laicorum controuerſias decidendas, referant ipſius iudicium ſuſcepturi humiliter, & firmiter ſeruaturi. Ad hæc omnia, quæ authoritate literarum noſtrarum, antequam ad vos ſecundarum notitia perueniſſet, ſuper negotiis eundem Archiepiſc. contingentibus tam reſtitutionibus ablatorum, quã de aliis prouide, & rationabiliter ſtatuiſtis, rata decreuimus permanere: mandantes vt authoritate noſtra ſuffulti, ad Eboracenſem Eccleſiam accedẽtes iuxta priorum literarum tenorem tam in inquiſitione famæ, quam reſtitutione ablatorum canonicis facienda, nihilominus procedatis non impediente appellatione, vel abſentia Archiepiſcopi memorati, nec obſtantibus literis in primarum literarum præiudicium hactenus impetratis. Ad hæc, preſentium vobis authoritate iniungimus, quatenus ſententiam excommunicationis in quoſdam canonicos, vicarios, clericos, & ſeruientes canonicorum Eboracenſis Eccleſiæ, ab eodem Archiepiſcopo poſt appellationem ad nos interpoſitam, promulgatam, irritam iudicetis penitus, & inanem: ita tamen, vt dictos canonicos, & alios in eadem ſententia nominatos ad maiorem cautelã authoritate Apoſtolicæ ſedis abſoluatis. Omnes autem illos, qui in *Benedictum* clericum ſupradicti decani, *Gualterum* presbyterũ, *Richardum* de Semare, & quinq; de Cauel clericos, & alios clericos Eboracenſis Eccleſiæ manus temerarias iniecerunt, vel qui eis violentiam præceperunt inferri, tamdiu nuntietis, appellatione remota, excommunicationis vinculo detineri, donec paſſis iniuriam congrue ſatisfecerint, & cum veſtrarum teſtimonio literarũ ad ſedem veniant Apoſtolicam abſoluendi. Quod ſi omnes his exequendis nequiueritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Datum Lateran. 10. Kal. Ianuarii, pontificatus noſtri anno quinto. Harum igitur authoritate literarum, officiales Archiepiſcopi Eboracenſis depoſiti ſunt: licet *Hubertus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, Apoſtolicæ ſedis legatus, eis licentiam exercendi officium ſuum retribuerat, qui eos prius ſuſpenderat, quia noluerunt eum hoſpitari apud Eboracum tanquam legatum. Tradita eſt ergo omnis poteſtas *Simoni* decano Eboraci ſecundum Apoſtolici formam mandati; & regis miniſtri omnes res & poſſeſſiones præfati Archiepiſcopi, regiis incluſerunt marſupiis. Interim *Hubertus* Cantuarienſis Archiep. in hac forma ſcripſit officialib. Archiepiſcopatus Eboraci.

EPISTOLA CANTVARIENSIS Archiepiſcopi officialibus Archiepiſcopatus Eboraci.

H*Vbertus* Dei gratia Cantuar. Archiepiſc. totius Angliæ Primas, & Apoſtolicæ ſedis

& Comitatum de Albemarlia,& cætera caſtella multa, quæ occupauerat per guerram. Et hæc contra rex Anglię quieta clamauit regi Franciæ caſtellum de Gyſortio,& totum Vogeſin Normannicum:& vt hæc omnia rata haberentur, ſtatuerunt inter ſe pœnam 15. millia marcarum argenti, ita quod ille, qui hanc pacem frangeret, daret alteri 15. millia marcarum argenti,& ſuper hoc inuenerunt ſibi ad inuicem fideiuſſores. Præterea rex Frãciæ petiit ad opus ſuum Andeli manerium Rothomagenſis Archiepiſcopi. quod cum nulla ratione fieri poſſet, rex Franciæ poſtulauit ſibi fieri fidelitatem a *Waltero* Rothomagenſi Archiepiſcopo de illa parte Archiepiſcopatus, quæ eſt in regno Franciæ, ſcilicet de Vogeſin le Francais. Videns igitur Rothomagenſis Archiepiſcopus hoc ſibi graue,& ignominioſum eſſe, appellauit ad dominum papam pro ſtatu Eccleſiæ ſuæ,& abiit, timens ne dominus ſuus rex Angliæ ipſum ad hoc faciendum propter fauorem regis Franciæ cogeret. O ambitio, quam cæca ſemper! O quam præſumptio peſſima! O quam perdit conceſſa qui inconceſſa captat! *Philippus* itaque rex Franciæ terrenum obſidens regnum, impugnat cœleſte terrenis inhiãs irruit in diuina deſtinatus ad ſcelus, ad periculum promptus, paratus ad crimen cauſas innocentię non requirit, ius abnegat; confundit faſque, nefaſq;, cui nequitia eſt ſodalis, cui otioſa eſt æquitas, iniquitas ſemper eſt amica, qui cædib. viuit, qui ſe munit ſanguine, qui crudelitatibus ſæuit, cui de morte ſtat totum, de amore conſtat nihil.

Si quoties peccant homines ſua fulmina mittat
Iupiter, exiguo tempore inermis erit.

Procedente itaque tempore, pœnituit regem Franciæ ſe talem feciſſe cum rege Angliæ conuentionem:& magnum congregauit exercitum,& obſedit Albemarliam: quo facto, rex Angliæ præcepit ſaiſiari in manu ſua in omni loco dominationis ſuæ citra mare & vltra, omnes res,& poſſeſſiones Abbatum de Maiurmuſter, & de Cluinni & de S. *Dionyſio*, & de la charite. erant enim prædicti Abbates fideiuſſores erga regem Angliæ, quod rex Franciæ ſupradictam pacem ſeruaret; & niſi fecerit, darent regi Angliæ 15. millia marcarum argenti. Eodem anno *Robertus* Comes Leiceſtriæ, datis *Philippo* regi Franciæ duabus millibus marcis argenti,& quinto clamato ei caſtello ſuo de Paſci, liberatus eſt à captione illius. Eodem anno rex Angliæ miſit *Philippum* Dunelmenſem electum, & abbatem de Cadomo in Angliam, ad inquiſitionem faciẽdam de priſis iuſticiarum, & vicecomitum, & miniſtrorum ſuorum. Cum autem prædictus Abbas de Cadomo in Dominica paſſionis Domini pranderet cum *Huberto* Cantuar. Archiepiſcopo, totius Angliæ ſummo iuſticiario, ægrotauit in menſa,& 5. die ſequenti obiit Londoniis. Interim *Philippus* rex Francię cepit per vim caſtellum de Albemarle,& ſubuertit illud, & rex Angliæ dedit ei tria millia marcarum argenti pro redemptione militum,& ſeruientium ſuorum, qui capti fuerant in Albemarlia. Deinde rex Franciæ cepit per vim Nouancurt,& *Iohannes* Comes Moretonii frater *Richardi* regis Angliæ cepit caſtellum de Gameges. Eodem anno orta eſt diſſenſio inter ciues Londoniarum. Frequentius enim ſolito propter regis captionem & alia accidentia imponebantur eis auxilia non modica, & diuites propriis parcentes marſupiis volebant, vt pauperes ſoluerent vniuerſa. quod cum quidam legis peritus, videlicet *Willielmus* cum Barba filius *Oſberti* videret, zelo iuſticiæ, & æquitatis accenſus factus eſt pauperum aduocatus; volens quod vnuſquiſque tam diues, quam pauper ſecundum mobilia, & facultates ſuas daret ad vniuerſa ciuitatis negotia; & abiit ad regem trans mare, & impetrauit ab eo pacem ſibi,& populo. Vnde *Hubertus Walter* Cantuarienſis Archiepiſcopus, regis iuſticiarius plurimum in iram commotus præcepit, vt vbicunque aliquis de plebe inueniretur extra ciuitatem, caperetur tanquam hoſtis regis,& regni. Contigit autem, quod in medio Quadrageſimę apud nundinas de Stanford capti ſunt quidam mercatores de plebe Londonienſi per præceptum iuſticiarii regis. Deinde præcepit idem iuſticiarius, vt ſupra dictus *Willielmus* cum barba ad eum duceretur etiam inuitus, ad quem capiendum cum quidam de ciuibus *Gaufridus* nomine veniret, prædictus *Willielmus* cum Barba interfecit eum; cumq; alii eum capere vellet, ipſe aufugit cum quibuſdam ſuorum, & incluſerunt ſe in Eccleſia, quæ dicitur Eccleſia S. *Mariæ* del Arche; qui cum inde exire nollent, factus eſt inſultus in eos: & cum nec ſic reddere ſe vellent, ex præcepto Archiepiſc. Cantuar. regis iuſticiarii appoſitus eſt ignis, vt per fumum & vaporem ignis exirent. Cumq; prædictus *Willielmus* exiret, quidam extracto cultello euiſcerauit eum, & ſic ductus eſt ad turrim Londoniarum,& ibi iudicatus eſt ſuſpendi. alligatus igitur caudæ equi, trahitur per vicos ciuitatis, & plateas ad patibulum, ac ſuſpenſus eſt, cum octo ſociis ſuis; cæteri vero ciues Londoniarum, qui adhæſerant ei poſuerunt ſe in miſericordia regis, & obſides dederunt de pace ſeruãda regi,& regno. Monachi autem ſanctæ Trinitatis Can-

tuarienſis ſcientes, quod Eccleſia ſua Lundoniis, quæ dicitur S. *Maria* del Arche, ita violaretur per præceptum Archiepiſcopi ſui, (qui, quamuis regi ſeruiret, tamen eccleſiaſtica iura deberet ſeruare illæſa) indignati ſunt, & grauatum eſt cor eorum ſuper eum, & non potuerunt cum eo quicquam pacifice loqui. Eodem anno *Richardus* rex Angliæ dedit *Othoni* nepoti ſuo Comitatum Pictauis. Eodem anno cum Comitiſſa Brittanniæ mater *Arthuri* veniret per mandatum *Richardi* regis in Normanniam loqui cum eo, venit obuiam ei *Ranulphus* Comes Ceſtriæ maritus eius ad pontem Vrſonis, & cepit eam, & incluſit eam in caſtello ſuo apud ſanctum *Iacobum* de Beuerun; quam cum *Arthurus* filius ſuus liberare non potuit, adhæſit regi Franciæ, & terras regis patrui ſui combuſſit; deinde rex Angliæ magno congregato exercitu intrauit hoſtiliter Brittanniam, & eam deuaſtauit. Interim *Gaufridus* Eboracenſis Archiepiſcopus tandem ad ſedem Apoſtolicam accedens, diutinam moram ibi fecit, dominumq; Papam in omnibus agendis ſuis valde ſibi difficilem, & contra ſe ſupra modum commotum inuenit. proceſſu vero temporis ipſi & aduerſariis ſuis tunc præſentibus data eſt audientia: & cum prædicta, & alia plura ei obiicerētur, quæ omnia Archiepiſcopus falſa eſſe conſtanter aſſeruit, requiſiti aduerſarii vtrum propoſita probare vellent, poſt deliberationem petitam, & conceſſam reſponderunt ſe onus probationis nolle ſuſcipere; Archiepiſcopus vero ſe ab obiectis immunem eſſe ſufficienter oſtendit; vnde dominus Papa eum de conſilio totius curiæ ad officium & beneficium reſtituens, omnibus prælatis, & aliis clericis per Eborac. diœceſim conſtitutis dedit in mandatis, vt ei tanquam Archiepiſcopo in omnibus debitam exhiberēt reuerentiam, & obedientiam; inſinuans in reſcripto ſuo qualiter Archiepiſcopus ſe ab obiectis immunem eſſe, & omnia ab aduerſariis de eo diſſeminata falſa, & fictitia eſſe declarauit. reſtitutionis vero eius notitia ad regem Angliæ perueniente, qui Archiepiſcopum temporalibus iampridem ſpoliauerat, & ad eius, vt dicebatur, cum aduerſariis ſuis adſpirabat depoſitionem, valde turbatus fuit, & duob. aduerſariis ſuis præcepit, vt ſe de cura ſpiritualium intromitterent, nec Archiepiſcopum, nec officiales ſuos aliquam habere adminiſtrationem permitterent. Ipſe etiam rex præbendas Eboracenſis Eccleſiæ, & alia beneficia vacantia pro voluntate ſua Clericis ſuis conceſſit, & diſtribuit. Archiepiſcopus vero à curia Romana rediens, & in Gallia moram faciens non auſus terram regis ingredi, cum non poſſet in conſpectu regis gratiam inuenire, vt vel temporalium, vel ſpiritualium poſſeſſione gauderet, reuerſus eſt, & ad curiam Romanam eundi iter arripuit. Interim dominus rex Angliæ prece *Arthuri* ducis Brittanniæ, & aliorum virorum potentum dedit *Petro* de Dinant licentiam agendi cōtra *Adam* de Tornouere ſuper archidiaconatu de Weſtrihing, quem rex præfato *Adæ* dederat. Inter quos tandem conuenit in hunc modum, quod magiſter *Simon* Apulus Eboracenſis Eccleſiæ decanus, & capitulum eiuſdem Eccleſiæ conceſſione, & voluntate prædicti *Adæ* receperunt *Petrum* de Dinant in archidiaconatum de Weſtrihing, & in ſtallum miſerunt tam in choro, quam in capitulo; & ipſe *Petrus* vices ſuas, & illius archidiaconatus adminiſtrationem commiſit ipſi *Adæ* de Tornouere ſub annua penſione 60. marcarum; ſtatuens quod prædictus *Adam* archidiaconatum illum in integrum habeat, & teneat omnibus diebus vitæ ſuæ, & reddat ei ſingulis annis inde 60. marcas de penſione; & ſi *Petrus* ſuperuixerit *Adam*, recipiat archidiaconatum de Weſtrihing ſine aliqua contradictione, vel diminutione. Præterea inter illos ſtatutum eſt, quod quandocūq; ſimul fuerint in Eboraco, vnus illorum vna die tenebit ſtallum in choro nomine archidiaconi, & alter illorum altera die ſimiliter, & ſic mutabunt vices ſuas de die in diē, quamdiu moram ſimul fecerint in Eboraco: & vt hæc conuentio inter illos rata ſit, & inuiolata permaneat, capitulum Eboraci eam confirmauit ſigillo ſuo: ſed antequam huius conuentionis notitia perueniret ad Eboracenſem Archiepiſcopum, ipſe huiuſmodi literas patentes miſit in Angliam.

Gaufridus *Dei gratia Eboracenſis Archiepiſcopus, & Angliæ primas decanis, presbyteris, & vniuerſis clericis per archidiaconatum conſtitutis, ſalutem, & paternam benedictionem. Nouerit vniuerſitas veſtra nos* Petro *de Dinan clerico noſtro archidiaconatum de Weſtrihing charitatis intuitu dediſſe: in quem* Adam *de Torneuere, ſicut à multis certiſſime didicimus, neſcimus cuius authoritate ſe intruſit, & nomen archidiaconatus ſibi vſurpauit, licet ordinatio archidiaconatuum, dignitatum, & Eccleſiarum noſtri archiepiſcopatus ad nos tantum, quibus hoc diuina miſeratione eſt conceſſum pertineat. & idem etiam* Adam *poſt reſtitutionem à domino papa nobis factam contra nos, & officiales noſtros in adminiſtratione rerum ſpiritualium diabolico inſtinctu ſe immiſcuit. Nos autem quicquid ipſe* Adam *in inſtitutionibus, in excommunicationibus, in ſuſpenſionibus, & in aliquibus aliis, quæ nomine archidiaconi fecerit irritantes, & penitus authoritate noſtra adnihilantes, tam dictum* Adam *excommunicamus, vobis mandantes & in virtute obedientiæ præcipientes,*

Qua-

Quatenus in nullo ei decreto reſpondeatis, ſed vt excommunicatum habeatis. Præterea vobis notificamus, quod ſententiam in Paulinum *de Eburford, & in alios, qui contra obedientiam nobis debitam veniunt ab officialibus noſtris magiſtro* Radulpho *de Kima, & magiſtro* Honorio *ratam habemus, & confirmamus. Valete.*

Eodem anno menſe Iulii *Philippus* Dunelmenſis electus ordinatus eſt in ſacerdotem ab *Henrico* Epiſcopo de Landaf apud Dunelmum in Eccleſia ſancti *Cuthberti* 17. Cal. Iulii Sabbato in hebdomada Pentecoſtes. Eodem anno *Willielmus* rex Scotorum magno cõgregato exercitu intrauit Moreuiam ad debellandum *Haroldum* * *Macmanud*, qui terram illam occupauerat, ſed antequam rex Cathaniam intraret, *Haroldus* fugit ad naues ſuas nolens contra regem bellum inire. tunc miſit rex Scottorum exercitum ſuum ad Turreham villam prædicti *Haroldi*, & caſtellum ſuum ibidem ſitum proſtrauit. Videns autem *Haroldus*, quod rex terram ſuam ex toto deuaſtaret, venit ad pedes regis, & poſuit ſe in miſericordia eius, maxime, quia tempeſtas ſæuiebat in mari, & ventus erat ei contrarius, volenti ad Orchadiam inſulam ire; & iurauit regi, quod adduceret illi omnes inimicos ſuos, cum rex alia vice rediret in Murreuiam, & per illam conditionem permiſit rex eum tenere medietatem Cathaniæ, & aliam medietatem Cathaniæ dedit rex *Haroldo* iuniori nepoti *Reginaldi* quondam Comitis de Orkeneia, & de Cathania. Deinde reuerſus eſt rex in terram ſuam, & *Haroldus* in Orkeniam. Deinde in autumno rediit rex Scottorum in Murreuiam vſque ad Iluernarran, vt reciperet ab *Haroldo* inimicos ſuos; quos cum *Haroldus* produxiſſet vſque ad portum de Locloy prope Diluernarran, permiſit eos abire; & ſero redeunte rege de venatu venit ad eum *Haroldus* adducens ſecũ duos pueros nepotes ſuos ad tradendum regi in obſides; & interrogatus ab rege vbi eſſent inimici eius, quos tradere debuerat, & vbi eſſet *Torphinus* filius eius, quem obſidem dare promiſerat, reſpondit, Permiſi eos abire, ſciens, quod ſi tradidiſſem eos vobis, non euaderent manus veſtras; filium autem meum adducere non potui, quia in terra illa non eſt alius hæres. igitur quia ipſe conuentiones, quas cum domino ſuo rege fecit, non ſeruauerat, iudicatum eſt eũ in captione regis remanſurum, donec filius eius veniret, & obſes fieret. & pro eo quod ipſe permiſit inimicos regis abire, iudicatum eſt ipſum demeruiſſe terram, quam ille de rege tenebat. & rex duxit ſecum *Haroldum* vſq; ad caſtellum Puellarum, & tenuit eum in vinculis, donec homines ſui de Orchadia adduxerunt filium ſuum *Torphinum*: & tradentes eum domino regi obſidem, liberauerunt *Haroldum* de captione regis. & *Haroldus* reuerſus eſt in Orchadiam, & ibi manſit in pace & quiete, donec *Haroldus* iunior, accepta à *Suero Birkebain* rege Norweie licentia calumniandi medietatem Orchadiæ, adduxit ſecum *Sewardum Murd* de Hegland, & alios multos bellatores, & Orchadiam inuaſit; & noluit *Haroldus* ſenior cum eo pugnam ingredi, ſed abiit in inſulam de Man relicta Orchadiã; & ibi congregauit nauigium, & homines multos. ſimiliter fecit *Haroldus* iunior, & adiit inſulam de Man, volens congredi cum Haroldo ſeniore; ſed *Haroldus* ſenior ante aduentum *Haroldi* iunioris in Man, per aliam viam ingreſſus eſt Orchadiam cum nauigio ſuo, & interfecit omnes, quos in Orchadia inuenit. Quo audito, *Haroldus* iunior reuerſus eſt in Cathenes apud Wic, & commiſit prælium cum *Haroldo* ſeniore: & in prælio illo *Haroldus* iunior, & omnis exercitus eius interfecti ſunt. Interfecto itaque *Haroldo* iuniori, *Haroldus* ſenior venit ad regem Scottorum per conductum *Rogeri*, & *Reginaldi* Epiſcoporum ſancti *Andreæ*, & Roſmarkin, & obtulit regi copiam auri, & argenti pro Cathania, id eſt Cathenes rehabendã; cui reſpondit, quod terram illam ſibi traderet, ſi vxorem ſuam filiam *Malcolum Mathar* dimiſiſſet, & priorem ſponſam ſuam ſororem *Dunecani* Comitis de Fif reſumpſiſſet, & tradidiſſet ei in obſidem *Laurentium* clericum ſuum, & * *Bonauar* filium *Iggemundi*; quod *Haroldus* facere noluit. Venit ergo *Reginaldus* filius *Sumerled* rex de Man ad *Willielmum* regem Scottorum, & emit ab eo Cathaniam ſaluo regis redditu annuo. Eodem anno *Richardus* rex Angliæ dedit *Willielmo* de Chimely Archidiacono de Richemund Epiſcopatum Albricarum in Normannia; & idem rex dedit magiſtro *Euſtachio* Sigillifero ſuo Archidiaconatum de Richemund. Eodem anno *Hubertus* Cantuarienſis Archiepiſcopus totius Angliæ primas, & Apoſtolicæ ſedis legatus, & totius Angliæ ſummus iuſtitiarius ſæpe, & multum ſollicitauit per internuntios ſuos dominum ſuum *Richardum* regem Angliæ, vt eum liberaret à regimine regni, oſtendens ipſum non poſſe ſufficere regimini Eccleſiæ, & regni. Cum igitur rex licet inuitus, eo quod non erat inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret leges, & iura regni; precibus tamen illius inclinatus, illum à ſollicitudine regiminis regni remouere vellet pœnituit eum tale feciſſe regi mandatum, expertus, quod in cuſtodiendis illis eſt retributio multa, & inſpectis ſcriptis, & computationibus auditis, mandauit regi, quod infra biennium proximo præteritum adquiſierat

al. Macmadit.

al. Hanauer.

ad opus illius vndecies centena millia marcarum argenti de regno Angliæ; ſubiungens, quod ſi ſeruitium eius videretur illi neceſſarium, non recuſaret laborem, nec fatiſcentem cauſaretur ætatem. ô infœlicem præſulem! licet ſæpius legiſſet *neminem poſſe duobus dominis ſeruire; aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget; aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet;* prælegit tamen officium ſacerdotale poſtponere, quam regi terreno non adhærere: & ſic accepta regni regiminis poteſtate, officii adminiſtratione Eccleſiaſtici, cui profeſſionis voto aſtrictus fuerat paruipendens, pro caſtris regis Angliæ ſtare non recuſauit. Eodem anno *Richardus* rex Angliæ dedit *Philippo* Dunelmenſi electo licentiam fabricãdi monetam in ciuitate ſua Dunelmenſi, quod prædeceſſoribus ſuis à multo tempore retro non erat permiſſum. Eodem anno extitit in Anglia, & in omnibus finibus eius fames magna, & hominum mortalitas. Eodem anno Comes de ſancto *Egidio* duxit in vxorem *Iohannam* ſororem *Richardi* regis Angliæ, quondam reginam Siciliæ. Eodem anno obiit *Henricus* Wigornienſis Epiſcopus, cui ſucceſſit dono *Richardi* regis *Iohannes* de Conſtantiis Rothomagenſis decanus. Eodem anno obiit *Willielmus* Comes de Saleſbiri filius Comitis *Patritij*; cuius filiam, & hæredem *Richardus* rex Angliæ dedit in vxorem cum Comitatu Saleſbiri *Willielmo* fratri ſuo notho. Eodem anno obiit *Mauricius* Epiſcopus Pariſiis. Eodem anno obiit *Bela* rex Hũgariæ, poſt cuius obitum *Margareta* vxor eius ſoror *Philippi* regis Franciæ, quæ quondam extiterat regina Angliæ, vxor *Henrici* regis iunioris, accepit crucem Ieroſolymitanæ profectionis, & in terra Ieroſolymitana apud Accon in Dei ſeruitio permanſit, vſq; ad conſummationem vitæ ſuæ. Eodem anno obiit *Burcardus* Eboracenſis Eccleſiæ theſaurarius, cuius theſaurariam *Richardus* rex Angliæ dedit magiſtro *Euſtachio* ſigillifero ſuo. Eodem anno obiit *Petrus* de Ros, quo defuncto, *Richardus* rex Angliæ dedit *Aimerico* nepoti *Philippi* Dunelmenſis electi archidiaconatum Carleoli, & *Philippus* Dunelmẽſis electus dedit eidem *Aimerico* nepoti ſuo archidiaconatũ de Dunelmo, & Eccleſiam de Acclet, quam prædictus *Burcardus* habuerat. Eodem anno *Richardus* rex Angliæ firmauit nouum caſtellum in inſula de Andeli, contra voluntatem & prohibitionem *Walteri* Rothomagenſis Archiepiſcopi; &, quia rex ab inceptis deſiſtere noluit, prædictus Archiepiſcopus dedit ſententiam interdicti in Normanniam, & abiit ad ſummum pontificem. Eodem anno facta congreſſione inter familiarem regis Franciæ, & regis Angliæ, *Hugo* de Chaumũt miles probus, & diues, & valde familiaris regi Franciæ captus eſt, & regi Angliæ traditus, quem rex Angliæ tradidit *Roberto* de Ros cuſtodiendum, & *Robertus* tradidit illum *Willielmo* del Eſpinai ſeruienti ſuo cuſtodiẽdum in caſtello de Bona villa ſupra Tokе; qui cum minus caute cuſtodiretur, per murum de nocte dimiſſus eſt, permiſſione & conſenſu prædicti *Willielmi* del Eſpinai. Vnde rex Angliæ iratus, eo quod *Hugo* de *Chaumũd ſic manus ſuas euaſit, cepit *Robertum* de Ros, & incarcerauit, & cepit de eo 1000. & 200. marcas argenti de redemptione, & *Willielmus* del Eſpinai proditor domini ſui ſuſpenſus eſt in patibulo. Eodem anno *Radulfus* de Wigetof clericus *Gaufridi* Eboracenſis Archiepiſcopi infirmabatur Romæ vſque ad mortem, & coram domino papa *Celeſtino*, & vniuerſis Cardinalibus cõfeſſus eſt, quod ipſe multas literas falſas in curia Romana adquiſierat tam de negotio domini ſui Eboracenſis Archiepiſcopi, quam de ſuo negotio proprio; & quod iam illas in Angliam præmiſerat. vnde dominus papa in mandatis dedit *Huberto* Cantuarienſi Archiepiſcopo, vt ſi aliquæ literæ ſuper negotio Eboracenſis Archiepiſcopi inuentæ fuiſſent, continentes aliquid citra æquitatem, & iuſtitiam, retinerentur. Vnde factum eſt, quod *Rogerus* de Ripunt clericus, portitor harum literarum, qui & toxicum portabat, inuentus eſt Lundoniis, dicens quod *Radulfus* de *Wigetof tradiderat ea illi. Dicebat etiam quod toxicum illud traditum ei fuerat ad perdẽdum magiſtrum *Simonem* Eboracenſis Eccleſiæ decanum, & quoſdam alios eiuſdem Eccleſiæ canonicos. Ad vocationem igitur *Huberti* Cantuarienſis Archiepiſcopi regis iuſtitiarii, venit Lundonias prædictus decanus Eboraci, & tradita ſunt ei venenum illud, & annuli aurei, & zona pulcherrima toxicata ad comburendum; quibus traditis, conuenit multitudo maxima virorum, & mulierum in loco, qui dicitur Totehil, vt teſtes fierent combuſtionis illorum; & ſic igni tradita ſunt, & redacta in cineres; portitor autem illorum in carcere ſeruabatur; & aduerſarii *Gaufridi* Eboracenſis Archiepiſcopi omne crimen ei obiiciunt. Eodem anno *Iohannes* Comes Moretonii frater regis, & *Marchades* princeps nefandæ gentis Braibancanorum fecerunt 14. Cal. Iunii feria 2. equitationem ante ciuitatem de Bellauez, & dum intenderent prædæ capiendæ, *Philippus* Epiſcopus Beluacenſis, & *Willielmus* de Merlou vna cum filio ſuo, & militibus multis, & plebe armata exierunt, & ipſi armati, ſed mox confecti ſunt in prælio, & capti prædictus Beluacenſis Epiſcopus, & *Willielmus* de Merlou, & filius eius, & milites nonnulli, & ex plebe maxima pars interfecta eſt. & eodem die

poſt

al. Chaumunt

al. Wigetot

poſt captionem illam Comes *Iohannes*, & *Marchades* proceſſerũt vſq; Milli caſtellum prædicti Beluacenſis Epiſcopi, & per inſultum ceperunt illud, & proſtrauerunt; & ſic glorioſi triumphatores redierunt in Normanniam, & tradiderunt regi Angliæ Beluacenſem Epiſcopum, & *Willielmum* de Merlou & filium eius, & alios captiuos multos.

Anno gratiæ milleſimo centeſimo nonageſimo ſeptimo, qui eſt annus octauus regni *Richardi* regis Angliæ, idem *Richardus* fuit in Normannia apud Burum die Natalis Domini, quæ quarta feria euenit; plurimum confuſus, eo quod *Walterus* Rothomagenſis Archiepiſcopus noluit relaxare interdicti ſententiam quam in Normanniam tulerat. Corpora enim defunctorum inſepulta iacebant per vicos, & plateas ciuitatum Normanniæ. Miſit ergo rex *Willielmum* Elienſem Epiſcopum Cãcellarium ſuum, & *Lexonienſem Epiſcopum, & *Philippum* Dunelmenſem electum, vt coram domino papa cauſam ſuam defenderent contra præfatum Rothomagenſem Archiepiſcopum. Qui cum Pictauiam veniſſent, *Willielmus* Epiſcopus Elienſis regis Cancellarius ægrotauit vſq; mortem, & mortuus eſt, & ſepultus; & quam diu ipſe in extremis laboraſſe videretur, quædam crux lignea in Cathedrali eiuſdem ciuitatis Eccleſia, quæ dicitur crux S. *Martialis*, ploraſſe videbatur ita vehementer, quod quaſi riuulus aquæ ab oculis eius defluens, faciem illius rigaret. Populus autem dicebat hoc iam tertio eueniſſe; primo in obitu eiuſdem ciuitatis Epiſcopi; ſecundo in receſſu *Iohannis* Beleſinains eiuſdem ciuitatis Epiſcopi; tertio in obitu iſtius *Willielmi* Elienſis Epiſcopi. Quo defuncto Lexonienſis Epiſcopus, & Dunelmenſis electus proceſſerunt in negotio domini ſui. Dominus autem rex non immemor ſeruitii, quod prędictus Cancellarius ei fecerat, dedit *Roberto* fratri illius Priori Elienſi Abbatiam S. *Mariæ* Eboraci: quem *Hubertus* Cantuar. Archiepiſcop. Apoſtolicæ ſedis legatus benedixit in Abbatem. Conuenientibus igitur in præſentia domini papæ *Celeſtini* præfato Rothomagenſi Archiepiſcopo, & Epiſcopo Lexonienſi, & electo Dunelmenſi; Archiepiſcopus Rothomagenſis proteſtatus eſt ius ſuum, quod habebat in Andeli, & iniuriam, quam *Richardus* rex Angliæ ei fecerat firmando caſtellum in patrimonio Eccleſiæ Rothomagenſis iniuſte contra voluntatẽ, & aſſenſum illius. Ad quod ſupradicti regis nuncii reſponderunt, quod dominus rex ſæpe, & multum obtulerat ei per internuncios ſuos, videlicet viros venerabiles, & diſcretos Epiſcopos, & Abbates, Comites, & Barones, ſe in omnib. ſatisfacturum illi ad æſtimationem proborum virorum. Aſſerebant enim ex parte regis, quod ipſe inſulam illam de Andeli, in qua caſtellum firmauerat, nullo modo dimittere poſſet, quia rex Franciæ & ſui perinde tranſitum faciebant in Normanniam, & ſæpius eam deuaſtabant; & idcirco rex Angliæ locum illum munierat ad defenſionẽ terræ ſuæ contra regem Franciæ. Et ſuper his prædictus Rothomagenſis Archiepiſcopus, & præfati regis nuncii compromiſerunt ſe examini domini papæ, & Romanæ Eccleſiæ. Vnde factum eſt, quod dominus papa, & Cardinales poſt diuturnam deliberationem, attendentes damna & inopportunitates, quæ acciderent Normanniæ, niſi locus ille de Andeli firmaretur, conſuluerunt præfato Rothomagenſi Archiepiſcopo, quod cum domino ſuo rege amicabiliter poneret, & ab eo ſufficienter recompenſationem ablatorum reciperet, ſecundum proborum, & ſapientum virorum æſtimationem; dicentes bene licere regi, & cuilibet potenti infirmiora terræ ſuæ munire, ne perinde damnum ſibi, & ſuis contingat.

*al. Lexouienſem

DE CONSECRATIONE PHILIPPI DVNELMENSIS EPISCOPI.

INterim dominus papa *Celeſtinus* conſecrauit *Philippum* Dunelmenſem electum in Epiſcopatum Dunelmenſem, Dominica, qua cantatur *Miſericordias Domini*: quæ eodem anno contigit decimo ſecundo Maii. Conſecrato itaque Dunelmenſi Epiſcopo dominus papa *Celeſtinus* relaxauit interdicti ſententiam, quam *Walterus* Rothomagenſis Archiepiſcopus in Normanniam tulerat propter firmationem caſtelli inſulæ de Andeli, & dimiſit eos. Redeuntibus autem ad dominum *Richardum* regem Angliæ, ſupradicto Rothomagenſi Archiepiſcopo, & Lexonienſi & Dunelmenſi Epiſcopis, cum forma pacis inter prędictum regem, & Rothomagenſem Archiepiſcopum de conſilio domini papæ, & Cardinalium ordinata; idem rex cõuocatis Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus Normanniæ dedit *Waltero* Rothomagenſi Archiepiſcopo & eius ſucceſſoribus in recompẽſatione villæ ſuæ de Andeli villam de Depe cum omnibus pertinentiis ſuis, & vallem de Malandai, & molendina de Robec in ciuitate Rothomagi, & Luuers cum pertinẽtiis ſuis, & charta ſua confirmauit. Hæc contra *Walterus* Rothomagẽſis Archiepiſcopus quietum clamauit *Richardo* regi Angliæ, & hæredibus ſuis, Andeli cum pertinentiis ſuis ab ipſo, & ſucceſſoribus ſuis. Eodẽ anno *Richardus* rex Angliæ venit ad S. *Walericum*, & villam com-

buſſit;& deſtructis monachis ibidem Domino ſeruientibus,aſportauit ſecum in Normāniam feretrum cum reliquiis S. *Walerici*:& in portu illo inuenit naues, quæ venerant de Anglia, onuſtas frumento,& victualibus, & cepit eas, & earum nautas fecit ſuſpendi, & naues combuſſit, & frumentum, & victualia ſuis diſtribuit. Eodem anno Campani & Flandrenſes,& Britones,relicto rege Frāciæ,adhæſerunt *Richardo* regi Angliæ, datis hinc inde obſidibus, quod non facerent concordiam, neq; pacem cum rege Franciæ, niſi de communi illorum conſilio. Rex enim Angliæ illos, & fere omnes potentiores de regno Franciæ muneribus allexit:nam eius prælarga manus donis cætera vincebat dona.

Nec tamen in dando menſuram deſerit, immo,
Singula deſcribit certo moderamine finis.

Dedit itaque *Baldwino* Comiti Flandriæ pro auxilio ſuo quinque millia marcarum argenti:& obſides dedit,quod ipſe cum rege Franciæ pacem non faceret, niſi de conſenſu regis Angliæ; ſimiliter fecit ei rex Angliæ. Deinde *Willielmus Creſpin* conſtabularius de Dangu, vi compulſus, tradidit *Richardo* regi Angliæ caſtellum de Dangu, quod ipſe rex ſtatim ſufficienter muniuit hominibus,& armis,& victualibus, & rex Franciæ mox magno congregato exercitu obſedit illud,& dum hæc fierent *Richardus* rex Angliæ perrexit in Aluerniam,& decem de caſtellis regis Frāciæ,& ſuorum cepit. Sed antequam rex Angliæ rediret in Normanniam,rex Franciæ cepit caſtellum de Dangu,conceſſis militibus, & ſeruientibus qui in eo erant, vita, & membris, & accepit de eis quingentas marcas argenti de redemptione,& permiſit illos liberos abire,& caſtellū illud firmauit, & in manu ſua retinuit.Interim *Baldwinus* Comes Flādriç obſedit ciuitatem de Araz;quo audito,rex Frāciæ venit illuc cū copioſo exercitu:in cuius aduentu Comes Flādriæ relicta obſidione rediit in terram ſuam,& rex Franciæ ſecutus eſt eum: cum rex Franciæ longius proceſſiſſet,Comes Flandriæ fecit pontes diruere ante regem Franciæ, & retro ; ita quod neque victus, neque exercitus eius potuit ad eum accedere. Tunc rex Franciæ in arcto poſitus ſupplicauit Comiti Flandriæ,ne ipſe coronam Franciæ contaminaret, aſſerens quod ipſe ea intentione Flandriam intrauerat,vt cum illo amicabiliter componeret; iurans,quod ipſe redderet illi totum ius ſuum,ſi dimiſiſſet *Richardum* regem Angliæ ſine pace. & quia Comes Flandriæ contra pactum,quod cum rege Angliæ fecerat venire noluit,cœpit colloquium inter regem Franciæ,& regem Angliæ feria quarta poſt feſtum exaltationis ſanctæ crucis inter Gwaillium & Andeli, & ſic rex Franciæ liberatus à captione Comitis Flandriæ rediit in Franciam,ſed nullam conuentionem, quam Comiti Flandriæ fecit,tenere voluit. Eodem anno *Richardus* rex Angliæ dedit magiſtro *Euſtachio* vicecancellario ſuo Epiſcopatum de Ely.Eodem anno *Iohanna* ſoror *Richardi* regis Angliæ, vxor *Raimundi* Comitis de ſancto *Egidio*, peperit filium ſuum primogenitum, & vocatum eſt nomen eius *Raimundus*. Eodem anno obiit *Reſus* filius *Griffini* rex: poſt cuius obitum facta eſt diſcordia inter filios ſuos, quis eorum loco patris regnaret: ad quam extinguendam *Hubertus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, regis iuſticiarius, fines Gwalliæ adiit, & pacem inter illos fecit.Interim *Philippus* Beluacenſis Epiſcopus,miſſo Aurelianenſi epiſcopo fratrē ſuo Romam, dū adhuc eſſet in captione regis Angliæ, in hac forma ſcripſit *Celeſtino* ſummo pontifici.

EPISTOLA PHILIPPI BELVACENSIS EPISCOPI ad Celeſtinum papam de captione ſua.

VEnerabili domino, & patri *Celeſtino* ſummo pontifici *Philippus* Beluacenſis Epiſcopus,ſalutem,& obedientiæ canonicæ deuotionem.Supernæ dignitatis fauor fœlicitatem veſtram,& multiplices ſucceſſus euexit in altum, ad memoriam reducens illud legale, *Inſontes inuitat ad culpam,qui ſontes præterit impunitos.* Vniuerſis Eccleſiis iam quaſi notorium habetur,quam irreuerenter,quamq; inhumaniter in dominū ſuum regem Francorum rex Angliæ iam pridem inſurrexerit,ſimilis homini, qui montem magnum fune circumligatū temptat deiicere,afferens igitur ſecū ignem, & gladium, ſubnixus etiam apoſtaticis Braibancenorum cohortibus,patriam noſtram irruebat circumquaq; depopulando.Quod cum vidiſſem,illius legalis nō immemor, *Vim vi repellere licet*, & illius, *Pugna pro patria*, militum & ciuium cuneis, & aciei procerum immixtus, hoſtibus irruentibus obuiam exiui.Sed humanis nouerca fortuna conſiliis propoſitum rei ſiniſtro mancipauit effectui. Captus quidem ibi ſum, & vinculis grauibus, & catenis addictus; nec ordinis dignitas, nec Dei reuerentia remedii aliquid vel mitigationis mihi contulerunt. Taliter ergo rex Angliæ in *Chriſtum* Dominum more lupino ſæuire non formidauit; nec veſtris

auribus

auribus incognitum exiſtimamus. Quid ergo diſſimulatis? *Quis pater videret filium errare, & taceret? Quis virga filium non percuteret, vt gladium nō incurreret? Deſperat pater de filio, quum comminatione non corripit, vel flagello.* Luce quidem clarius eluceſcit, quod rex Angliæ, cæteriq; complices ſui, qui violenter manus in nos iniecerunt, dictæ ſententiæ canonem inciderunt; iniurias nobis, & moleſtias enormiter illatas veſtræ paternitati lachrymabiliter inſinuans lachrymis noſtris, & petitioni clementer condeſcendatis. Indignum eſt ſiquidem ſubiectorum petitionem ad vos directam vacuam reuerti, & inanem, quæ & humilitatem redolet, & rationis ſubnixa eſt præſidio. *Nec immunis eſt à culpa, qui quum poteſt corrigere, diſſimulat emendare; nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare.* Licet igitur verba doloris totiens multiplicauerim (pater ſancte) ne miremini. *Neſcit, immo nequit pectoris clauſtro dolor aſſiduus ſepeliri.* Valeat paternitas veſtra.

RESCRIPTVM CELESTINI PAPAE AD PHILIPpum Beluacenſem Epiſcopum.

CEleſtinus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectio fratri *Philippo* Beluacenſi Epiſcopo ſalutem, & ab exorbitatione reditū maturare. Siniſtre licet tibi euenerit, nec mirum. *Cunctorum enim meretur odium, qui omnium ſe in commune approbat inimicum.* Præſulem namque pacificum exuens, militem bellicoſum induiſti: clypeum pro infula, gladium pro ſtola, loricam pro alba, galeam pro mitra, lanceam pro baculo paſtorali, ordinem rerum, & ſeriem peruertens temerarius baiulaſti. non vim (ſicut allegas) ſed virtutem vi repellere volens, nō pro patria, ſed contra patriam pugnans. De Gallia namq; veſtra iam publice declarare poſſumus: *Væ terræ cuius rex puer eſt.* Rex namq; veſter regi Anglorum ſacramēto corporaliter præſtito tenebatur aſtrictus ſuper indemnitate tam oppidorum, quam terrarum ſuarum ſibi fideliter obſeruanda, ſaltem vſq; ad reditum ab itinere peregrinationis ſuæ. Sed contra fidem, & ſacramentum impudēter veniens oppida prædicti regis violenter occupauit, terram ſuam hoſtili manu crudeliter vaſtauit: ab ergaſtulo tandem rediens regi veſtro rex ille viriliter occurrit, non de multitudine, ſed in Domino Deo ſpem ponens. *Non enim virorum, vel virium, ſed virtutum copia bella vincuntur.* Pro rege quidem Angliæ contra ſuperbiam humilitas, contra iniuriam ius, & æquitas; contra arrogantiam, & intemperantiam modus & modeſtia hucuſq; dimicauerunt. *Numeroſis enim virtutibus non viribus immunes viri victoriam conſequuntur.* Iniuriam armis irrogatam armorum propulſare remedio leges, & iura permittunt. Nunc vero tamen, licet ſero, rex Angliæ ſe, ſuamq; manifeſtauit animoſitatem; quoniam vix eſt, vt virtus clauſa celari, vt animoſitatis ardor extingui, vt probitatis ſcintilla comprimi valeat, & concludi. *Virtus enim claudi neſcit: & ignis oppreſſus in flammam erumpit.* Effrænem ſiquidem domini tui veſaniæ non ſolum conſiliarium, ſed & complicem te tam inſipientem, quam inſolentem exhibuiſti; quæſiſti & inueniſti; pulſaſti, & pulſatus procubuiſti; in foueam quam feciſti, merito incidiſti; vbi autem inuētus, ibi iudicatus. Sicut igitur ex literarum tuarum nobis directarum tenore perpendimus; exceſſus patrios nobis imputans, culpam tuam in nos retorquere laboras, nos tepidos aſſerens, & diſſimulatores. Quid ergo ſi ouis in paſtorem, in patrem filius inſurgat? nec paſtor, quem non pauiſſe; nec pater erit, quem non pœniteat educaſſe. *Nocens ergo in homine telum eſt, ſimplicitatis imagine malignam aſtutiam palliare;* Regi tamen Anglorum pro te literas dirigimus ſupplicatorias. Qualitate namq; captionis tuæ medullitus inſpecta, in tali caſu non poſſumus, nec debemus imperare, ſed tantum ſupplicare. Victor ergo ſapienter vincendus eſt, quia ſic legitur, *Sapientia vincit malitiam.* Nos autem pro te ſupplicamus non importune, ſed opportune. *Argumentum enim diffidentiæ eſt importuna precum inſtantia. Debitum quoq; facilius exequitur patiens expectatio, quam extorquet importuna petitio.* Interim vero vinculis, & lamentis mancipatus vincula tua, & lamenta leniter, patienterq; ſuſtineas iuxta illud Poetæ,

Leniter ex merito quicquid patiare, ferendum eſt:
Quæ venit indignè pœna dolenda venit.

Et illud merito lamentis expiandum eſt, quod cum pudoris diſpendio venter adquirit. Datum, &c.

Eodem anno obiit *Willielmus* Pictauenſis Epiſcopus, & quamuis vita illius videretur hominib. valde reprehenſibilis, tamen ipſe poſt obitum eius claruit in miraculis. Eodem anno *Philippus* rex Franciæ, & *Richardus* rex Angliæ ſtatuerunt inter ſe treugas à feſto S. *Hilarij* in vnum annum; habentes in propoſito, quod iterum pacē, & concordiam finalem inter ſe facerent. Deinde *Baldwinus* Comes Flandriæ venit in Angliam in peregrinatione

ad S. *Thomam* Cantuar. martyrem. Eodem anno filius *Henrici* Romanorum imperatoris, quem pepererat ei *Conſtantia* imperatrix filia *Rogeri* quondam regis Siciliæ, puer 7. annorum, baptizatus eſt, & vocatum eſt nomen eius *Fredericus*. Eodem anno *Iordanus* de Curci frater *Iohannis* de Curci principis regni de Vluerſtir in Hybernia, à quodam Hybernenſi familiari ſuo interfectus eſt. In cuius vindictā prædictus *Iohannes* frater eius cōmiſit præliū cum Hybernenſibus regulis; ex quibus partem fugauit, partem ſtrauit, & terras eorum ſibi ſubiugauit; quarum partem magnam dedit *Dunicano* filio *Gilberti* filii *Fergus*, qui eo tempore, quo prædictus *Iohannes* præliaturus erat cum Hybernenſibus, venit ad eum in Hybernia cum gente non modica auxiliaturus ei. Eodem anno *Nicolaus* Epiſcopus de Wic in Norweia commiſit prælium cum *Suero Birkebain*, & ab eo victus fugit, omnibus ſuis fere interfectis. Eodem anno præfatus Aurelienſis Epiſcopus, qui pro liberatione *Philippi* fratris ſui Romam profectus fuerat, obiit apud Seneslaueille. Eodem anno *Henricus* Romanorum imperator magnum exercitum miſit in terram Suliæ ſub principibus Maguntino Archiepiſcopo, & *Henrico* duce Saxoniæ Comite Palatino de Rheno, & duce de * *Louerine*, & duce de Saringes, & duce de Oſtricio filio *Limpoldi* ducis, & duce de Swthede, & duce de Baiueria, & *Walranno* fratre ducis de Lamburg, & Comitibus multis. Præfatus autem *Walrannus* ante alios applicuit in terra Hieroſolymitana cum gente ſua, & ſtatim inuaſit paganos, & quotquot inuenit de paganis interficiens, violauit pacē, & treugas, quas rex Angliæ in receſſu ſuo de terra Hieroſolymitana ſtatuit inter Chriſtianos, & Paganos. Vnde *Saphadin* frater *Saladini*, & cæteri Pagani plurimum commoti interfecerunt omnes, quos attigerant, Chriſtianos, & obſederunt Ioppen.

al. Lanine.

De obitu Henrici Comitis de Campania.

Comes autem *Henricus* de Campania, qui per electionem regum Franciæ, & Angliæ, & Templariorum, & Hoſpitalorum præerat terræ Hieroſolymitanæ, exercitum Chriſtianorum parauit ad obſidionem illam ſoluendam: & dum ipſe nixus columnæ cuiuſdam feneſtræ in thalamo ſuperiore, loqueretur ad turbas, fracta eſt columna illa, & ille corruens in terram, fractis ceruicibus expirauit. Saraceni vero ceperunt Ioppen, & interfecerunt in ea plus quam viginti millia Chriſtianorum. Poſt obitum vero *Henrici* Comitis de Campania, dux de Luuain, & *Henricus* dux Saxoniæ receperunt ſe in ciuitatem Accon; ſed nihil poſſederunt extra portas ciuitatis, & nihil victus potuit eis afferri propter metū Paganorum. Exercitūs autem imperatoris, qui de Alemannia, & cæteris terris eius iter Hieroſolymitanum per mare ſuſceperat, tranſitum fecit in Normanniam, & Angliam; & ſic rectum curſum tenens vſque in Hiſpaniam, eripuit ciuitatem Syluiæ de manu Paganorū, quam penitus deſtruxerunt, non relinquentes lapidē ſupra lapidem: timebant enim quod ſi eam tradidiſſent regi Portugalenſi, ipſe eam amitteret, ſicut prius fecerat. *In peregrinatione autem peditum gentis eiuſdem imperatoris contigit quoddam miraculū nouum, & à ſeculo inauditum. Accidit itaque, quod duo Alemanni vicini, & compatres conſortium inierunt, quod ſimul irent, in illa peregrinatione Hieroſolymitana in vna hoſpitio, & vna expenſa conſortes. Cum igitur tempus motionis inſtaret, vnus illorum venit ad domum alterius nocte vna hoſpitaturus, & cum illi oſtenderet pecuniam, quam ſecum in via deferret, paterfamilias conſilio vxoris ſuæ interfecit illum & pecuniam illius cepit; & imponens collo ſuo cadauer interfecti profectus eſt, vt illud in aquam proiiceret; ſed nullo modo potuit illud à ſe proiicere; & in diluculo domum rediens cum cadauere collo ſuo inhærente per tres dies in abſconſo latuit; ſed cum diutius ſuſtinere hoc non potuit, perrexit ad pontificem ſuum, vt eum conſuleret, quid ſuper hoc ſibi eſſet agendum; & præcepit ei pontifex in virtute obedientiæ, vt ipſe cadauer illud ſecum in terram Hieroſolymitanam ferret, vt ſic expiatis ſordibus, redderet animam ſuam cœlorum ſedibus: & ſic pœnitentia ductus proceſſit cum aliis peregrinis portans in collo ſuo defunctum illum ad laudem bonorum, & malorum terrorem.*

Eodem anno *Henricus* Romanorum imperator cepit magnates Siciliæ, ex quibus quoſdā incarcerauit, quoſdam diuerſis pœnis afflictos morti tradidit; *Margaritum* etiam Admiralem, cui ipſe dederat ducatum de Duraz, & principatum de Tarente, & principatum maris, euulſis oculis & abſciſſis teſticulis excæcari, & ementulari fecit. Conſtantia vero imperatrix videns mala, quæ imperator geſſerat cum gente ſua, fœdus iniit contra imperatorem maritum ſuum; & Panormum pergens, cepit theſauros imperatoris, quos reges Siciliæ à multo tempore theſaurizauerant; vnde principes regni animoſiores effecti iniecerunt manus in Alemannos imperatoris, & interfecerunt eos. Imperator vero fugiēs, incluſit ſe in munitione forti, volens, ſi poſſet, repatriare; ſed aduerſarii eius ita vias ei præcluſerant, quod nuſquam ſecurus illi patebat egreſſus. Interim *Saphadin* frater *Saladini* poſt captionem Ioppen magno congregato exercitu Paganorum, commiſit prælium cum ſupradictis ducibus, & Comitibus, & exercitu imperatoris Romanorum, quem ipſe in terram Hieroſolymitanam miſerat; & præualuit exercitus Chriſtianorum; & ceperunt in præ-

In prælio illo Chriſtiani duos filios *Saladini*, & plus quam ſexaginta Admirales; & *Saphadinus* frater *Saladini* lethaliter vulneratus vix euaſit. Ceperunt etiam Chriſtiani Sidonem ciuitatem, & Laliche, & magnum Gybel, & erat ſpes Chriſtianorum, quod filius *Saladini* tenens ciuitatem Hieroſolymæ vellet Chriſtianari. ſic enim erat interlocutum per internuncios mediantes. Interim Pagani qui erant in ciuitate de Barhuc, timentes incurſum Chriſtianorum, muros ciuitatis proſtrauerũt; & traxerunt in caſtellum victus neceſſaria, & arma, & lapides murorum ad defenſionem caſtelli. Quadam autem die, dum ad hoc perficiendum diligentius inſtarent relictis tantummodo in caſtello quinque captiuis Chriſtianis compeditis, & vno ſolo Saraceno ianitore, repente ſuperuenit Archiepiſcopus Maguntinus, Imperatoris Romanorũm Cancellarius cum exercitu magno nauali, & *Aimericus* dominus inſulæ de Cypre, & præfati duces, & principes Alemãnorum venerunt cum equeſtri exercitu, & pedeſtri. Quod videntes Chriſtiani, qui erant in caſtello, cucurrerunt, vt poterant, & clauſerunt portas caſtelli, & ianitorem interfecerunt, & aſcendentes in altum, clamauerunt alta voce ſignum Chriſtianorum, videlicet, *Adiuuet nos Chriſtus Dei filius, & ſanctum ſepulchrum eius.* Ad hanc vocem Pagani exterriti, fugerunt ad montana relicto caſtello, & ciuitate, & victu, & armis ſuis; & Chriſtiani recepti ſunt in ciuitate, & caſtello cum gaudio. Deinde præfatus Maguntinus Archiepiſcopus conſilio, & voluntate principum Alemanniæ tradidit *Americo* domino Cypre, Accon & Tyrum; & Barhud, & cæteras ciuitates, quas ceperant; deinde dedit ei *Miliſent* in vxorẽ, quæ fuerat vxor *Henrici* Comitis de Campania, & coronauit eos in ciuitate de Barhud, & ipſe *Aimericus* deuenit homo *Henrici* Romanorum Imperatoris de inſula Cypri.

DE EXILIO IOHANNIS DVBLINENSIS EPISCOPI.

EOdem anno *Hamo* * de Valoins & cæteri cuſtodes Hyberniæ, homines Comitis *Iohannis* fratris *Richardi* regis Angliæ, iniurias magnas fecerunt *Iohanni Cumin* Dublinenſi Archiepiſcopo. Vnde idem Archiepiſcopus, malens exulare, quam enormitates illas ſibi, & Eccleſiæ ſuæ factas diutius ſuſtinere impunitas, excommunicauit prædictos præſumptores, & interdicti ſententiam dedit in Archiepiſcopatum ſuum, & abiit; præcepitq́; cruces, & imagines cathedralis Eccleſiæ in terram deponi, & ſpinis circundari, vt ſic malefactores illi terrerentur, & à voluntate ſæuiendi in bona Eccleſiæ reuocarentur. Sed dum adhuc in propoſito malignandi perſeuerarent, contigit miraculum noſtris temporibus inauditum. *Erat ſiquidem in Cathedrali Eccleſia de Diuelin quædam crux, in qua imago* Chriſti *expreſſiùs erat inciſa, quam omnes tam Hybernienſes, quam cæteri in maxima veneratione habebãt. Cum autem hæc imago crucifixi eſſet humi proſtrata & ſpinis circumſepta, feria ſexta facta eſt in agone, & apparuit facies eius ſuffuſa rubore vehementi, velut eſſet in camino ardenti; & ſudor magnus exiuit à facie eius, & ab oculis eius cadebant guttulæ, ac ſi fleret: hora autem diei illius ſexta à dextro illius latere, & à dextra illius mammilla exiuit ſanguis, & aqua; quæ miniſtri Eccleſiæ diligenter colligentes miſerunt legationem poſt* Iohannem Cumin *Archiepiſcopum ſuum, mandantes ei huius rei euentum ſub ſigillorum venerabilium virorum teſtimonio, domino papæ inſinuandum.* Cæteri autem Epiſcopi Hyberniæ licet ſæpius legiſſent.

En tua res agitur, paries cum proximus ardet:

Tamen clauſis oculis tranſierunt damna, & iniurias, quæ miniſtri præfati *Iohannis* Comitis Moretonii coepiſcopo ſuo fecerant, & facti veluti arietes non habentes cornua, cedebant a facie ſubſequentis. *Iohannes* vero Dublinenſis Epiſcopus exulans venit ad *Richardum* regem Angliæ, & ad *Iohannem* Comitem Moretonii fratrem eius; ſed nullam potuit habere iuſtitiam vel ablatorum reſtitutionem. Eodem anno *Henricus* Romanorum Imperator facta reconciliatione cum vxore ſua, & magnatibus Siciliæ, incepit ægrotare, & miſit * *Sauaricum* Bathonienſem Epiſcopum conſanguineum, & cancellarium ſuum de Burgundia ad *Richardum* regem Angliæ, & obtulit ei recompenſationem pecuniæ, quam de eo ceperat pro redemptione ſua, ſiue in auro & argento, ſiue in terris. Dum autem prædictus *Sauaricus* iret in iſta legatione, prędictus Romanorum Imperator obiit in Sicilia apud Meſſanam in vigilia S. *Michaelis*, excommunicatus à *Celeſtino* papa propter captionem, & redemptionem *Richardi* regis Angliæ; & ideo prohibuit idem papa ne corpus illius ſepeliretur, licet Archiepiſcopus Meſſanæ pro eo multum oraſſet. Venit itaq; præfatus Archiepiſcopus ad *Celeſtinum* papam tribus de cauſis. Prima, vt corpus Imperatoris ſepeliretur; ſecunda, vt *Marchowaldus* ſummus Imperatoris iuſticiarius liberaretur ab obſidione Romanorum, qui eum obſederant in Marchia *Guarneri*, non permittentes eum inde exire; tertia, vt *Fredericus* præfati Imperatoris filius coronaretur de regno Sicilię. Ad primã vero

al. de Walis

al. Swanicum

petitionem reſpondit dominus *Cæleſtinus* papa, quod non permitteret corpus Imperatoris ſepeliri, niſi de conſenſu regis Angliæ, & niſi pecunia, quam ipſe de rege Angliæ ceperat, redderetur. Ad ſecundam petitionem reſpondit dominus papa, quod prædictus *Marchowaldus* per ipſum liberari non poterat, niſi de voluntate Romanorum. Ad tertiam petitionem reſpondit dominus papa, quod conſentiret, ſi fratribus ſuis Cardinalibus placeret, vt *Fredericus* præfati Imperatoris filius coronaretur de regno Siciliæ. & factum eſt ita datis domino papæ mille marcis argenti ad opus ipſius, & mille marcis argenti ad opus Cardinalium. Iurauit etiam Imperatrix tactis ſacroſanctis Euãgeliis, quod prædictus *Fredericus* natus fuit de legitimo matrimonio prædicti *Henrici* Imperatoris, & ipſius. Eodem anno *Rogerus* frater *Roberti* Comitis Leiceſtriæ electus Epiſcopus S. *Andreæ* in Scotia, ordinem ſacerdotis, & pontificalem conſecrationem ſuſcepit à *Matthæo* Epiſcopo de Abberdene. Eodem anno *Margareta* quondam regina Angliæ, & poſtea regina Hungariæ obiit apud Accon. Defuncto itaq; *Henrico* Romanorum Imperatore magna pars Thuſciæ, quam idem Imperator, & prædeceſſores ſui abſtulerant Romanis pontificibus, reddita eſt domino *Cæleſtino* ſummo pontifici; videlicet Eke, Pendante & S. *Chriſpina*, & mons Flaſcum & Redecock, & Saintclere cum omnibus pertinentiis eorum; redditæq; ſunt ei Sicilia, Calabria, Apulia, & omnes terræ, quæ fuerunt regis Siciliæ, ſicut proprium patrimonium S. *Petri*; de quibus ipſe, vt ſupradictum eſt, conſtituit *Fredericum Henrici* Romanorum Imperatoris filium regem. Deinde dominus papa *Cæleſtinus* ante natale Domini paulatim cœpit ægrotare, & conuocatis coram ſe Cardinalibus vniuerſis præcepit, vt tractarẽt de ſucceſſore ſuo eligendo. Ipſe enim nitebatur modis omnibus, vt dominus *Iohãnes* de ſancto *Paulo* presbyter, Cardinalis tituli ſanctæ *Priſcæ* virginis, ei ſuccederet in papatu: de cuius ſapientia, ſanctitate, & iuſtitia plurimum confidebat. Adeo enim ipſum præ cæteris diligebat, quod illum loco ſui conſtituerat ad omne officium ſuum exequendum niſi in conſecratione Epiſcoporum, quod pertinebat ad officium Epiſcopi Hoſtienſis Cardinalis. Præterea præfatus papa obtulit, quod ipſe ſeipſum deponeret à papatu, ſi Cardinales conſentirent in electione præfati *Iohannis* de ſancto *Paulo*. Sed omnes Cardinales vna voce reſponderunt, quod illum conditionaliter non eligerent; dicentes, quod inauditum erat, quod ſummus pontifex ſe deponeret; & ſic erat ſchiſma inter illos. Dominus enim Hoſtienſis Epiſcopus Cardinalis nitebatur, vt ipſemet Papa fieret, ſimiliter dominus Portuenſis Epiſcopus Cardinalis, ſimiliter dominus *Iordanus* de Foſſa noua, ſimiliter dominus *Gratianus*, & cæteri omnes nitebantur, vnuſquiſq; pro poſſe ſuo, vt ipſe fieret ſummus pontifex. Eodem anno *Willielmus* rex Scottorum de bono ſumens exemplum, fecit homines regni ſui iurare, quod pacem pro poſſe ſuo ſeruarent, & quod nec latrones, nec robatores, nec vtlagi, nec receptatores eorum eſſent, nec in aliquo eis conſentirent, & quod cum huiuſmodi malefactores ſcire potuerint, illos pro poſſe ſuo caperent, & deſtruerent.

ASSISA DE MENSVRIS FACTA PER Richardum regem Angliæ.

Conſtitutum eſt, quod omnes menſuræ totius Angliæ ſint eiuſdem quantitatis tam de bladis, quam de leguminibus, & de rebus conſimilibus, ſcilicet, vna bona ſumma æqui; & hæc menſura ſit raſa tam in ciuitatibus, & burgis, quam extra. Menſura etiam vini, & ceruiſiæ, & cunctorum liquorum ſit eiuſdem quantitatis ſecũdum diuerſitatem liquorum. Pondera etiam, & libræ, & cæteræ peſiæ ſint eiuſdem quantitatis in toto regno ſecũdum diuerſitatem mercaturarum. Menſuræ etiam bladorum, & liquorum vini, & ceruiſiæ, inclauentur in eis claues, ne per dolum poſſint falſari. Conſtitutum eſt, vt lanei panni, vbicunq; fiant, fiant de eadem latitudine, ſcilicet, de duabus vlnis infra liſuras; & eiuſdem bonitatis in medio, & in lateribus. Eadẽ etiam vlna ſit in toto regno, & eiuſdem quantitatis, & vlna ſit ferrea. Prohibitum eſt omnibus mercatoribus per totum regnum Angliæ, ne quis mercator prætendat ſeldæ ſuæ rubros pannos, vel nigros vel ſcuta, vel aliqua alia, per quæ viſus emptorum ſæpe decipiuntur ad bonum pannum eligendum. Prohibitum eſt etiam, quod nulla tinctura vendenda, niſi ſolummodo nigra fiat alicubi in regno, niſi in ciuitatibus aut capitalibus Burgis. Conſtitutum eſt etiam, vt in ſingulis ciuitatibus, aut Burgis quatuor, aut ſex legales homines de ipſa villa ſecundum quantitatem villæ; ſimiliter in vicecomitatu, aut cum præpoſitis ciuitatis, aut Burgi, ſi in manu vicecomitis nõ fuerint, aſſignentur ad aſſiſam cuſtodiendam, ſcilicet ſub hac forma; vt ipſi videant, & certi ſint, quod omnia vendantur, & emantur per eandem menſuram, & omnes menſuræ ſint eiuſdem quantitatis ſecundũ diuerſitatẽ mercium. Et ſi aliquem inuenerint, qui cõfeſſus,

vel

vel conuictus fuerit, quod per aliam, quam per ſtatutam menſuram vendiderit, corpus ipſius capiatur, & in priſonem mittatur, & omnia catalla ſua in manu domini regis ſaiſiantur, nec deliberentur, niſi per Dominum regem aut capitalem eius iuſtitiam. De ipſis cuſtodibus ſtatutum eſt, quod ſi ipſi hanc cuſtodiam ita negligenter fecerint, quod per alios, quam per eos conuincantur coram iuſticiis domini Regis, aliquam tranſcriptam aſſiſam tranſire, vel de menſuris victualium, vel aliarum menſurarum, vel latitudine pannorũ, ipſi cuſtodes de catallis ſuis in miſericordia Domini regis remaneant. Præceptum eſt etiam, vt poſt feſtum Purificationis S. Mariæ nullus in aliquo comitatu vendat aliquid niſi per præſcriptam menſuram, quæ eiuſdem ſit quantitatis; nec poſt fairam mediæ quadrageſimæ, quæ extat apud Stanford/ vendat aliquem pannum minoris latitudinis, quã duarum vlnarum infra liſuras.

Anno gratiæ milleſimo centeſimo nonageſimo octauo, qui eſt annus nonus regni *Richardi* regis Angliæ, fuit idem Rex *Richardus* Angliæ in Normanniæ apud Rothomagũ die natalis Domini, quæ quinta feria euenit. Eodem die natalis Domini *Hubertus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, totius Angliæ primas, & Apoſtolicæ ſedis legatus, & totius Angliæ ſummus iuſtitiarius, fuit in Gwallia apud Hereford/ & recepit in manu ſua caſtellum de Hereford/ & caſtellum de Briges/ & caſtellum de Ludelaw/ expulſis inde cuſtodibus, qui ea diu cuſtodierant: & tradidit ea aliis cuſtodibus cuſtodienda ad opus Regis. Deinde venit idem Archiepiſcopus ad Couentre/ & per mandatum *Celeſtini* ſummi pontificis introduxit monachos in Eccleſiam eiuſdem villæ Cathedralem, quos *Hugo* de Nunant eiuſdem loci Epiſcopus ab eadem Eccleſia vi, & armata manu expulerat, & loco illorum in ea canonicos ſeculares inſtituerat, & eos de bonis Eccleſiæ, quæ ad ſuſtentationem monachorum ibidem Deo inſeruientium collata fuerant, præbendauerat; ſed canonicis inde expulſis, bona Eccleſiæ redierunt in vſus monachorum.

LITERAE APOSTOLICAE PRO MOnachis in Couentrenſ. Eccleſ. reſtituendis.

C*Oeleſtinus* Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis, Archiepiſcopo Cantuar. Epiſcopo Lincolnenſi, & Abbati Sancti *Edmundi*, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Sicut ea, quæ à prædeceſſoribus noſtris prouida fuerint deliberatione ſtatuta, nullatenus irritari volumus, vel infringi: ſic quæ per ſubreptionem ab eis obtenta ſunt in honeſtatis Eccleſiaſticæ detrimentũ, corrigi volumus, & in ſtatum redigi meliorem. Cũ enim, ſicut accepimus, imo ſicut bene nouimus, Couentrenſi Eccleſia, fere à prima fidei Chriſtianæ fundatione in Anglia ordo fuerit monaſticus inſtitutus, & in tantum in ea obſeruantia ſeruierunt regulari, vt ab apoſtolica ſede priuilegiari, & ab inclytæ recordationis regibus Angliæ dotari meruerint, & ditari; dolemus plurimum, quod venerabilis frater noſter Ceſtrenſis Epiſcopus (occaſione quarundam literarum, quas à bonæ memoriæ Papa *Clemente* prædeceſſore noſtro, ad falſam ſuggeſtionem ſine conſcientia noſtra, & fratrum noſtrorum, ſicut dicitur, & quod vix credere poſſumus, impetrauit) dilectos filios, Priorem, & Conuentum, de eodem monaſterio violenter eiecit, & canonicos in eo inſtituit ſeculares. Cum igitur id in monaſticæ religionis, & totius Eccleſiaſticæ diſciplinæ redundet opprobrium; nec noſtræ intentionis ſit, quod prædictus prædeceſſor noſter tantæ irregularitati, niſi circumuentus, authoritatem præſtiterit, aut fauorem: fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, & in virtute obedientiæ diſtricte præcipimus, quatenus (prędictis literis, vel aliis priuilegiis confirmationis vel indulgentiæ nequaquam obſtantibus) amotis ab eodem monaſterio ſecularibus clericis, qui in eo fuerũt per ſupradictum Epiſcopum inſtituti, ſine alicuius quæſtionis impedimento monaſticum ibidem ordinem reformetis, monachos eiectos exinde redeuntes in illud, & tales in eo inſtituentes perſonas, quæ beati *Benedicti* regulam obſeruare debeant, & deſiderent. Memoratum vero Epiſcopum, & vniuerſos detentores bonorum eiuſdem Eccleſiæ ad eorum reſtitutionem per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione propoſita, compellatis. Volumus etiam nihilominus, & mandamus vt donationes eiuſdem Epiſcopi, infeudationes, locationes, & alienationes, poſſeſſiones eiuſdem Eccleſiæ ab eo tempore factas noſtra freti authoritate caſſetis; eos qui contra venire præſumpſerunt, ſublato appellationis obſtaculo, cenſura canonica percellentes; illos qui manus violentas in prædictos monachos iniecerunt, denuncietis excommunicatos, & cum literarum veſtrarum teſtimonio veniant ad ſedem apoſtolicam abſoluendi. Datum &c.

Infra natale Domini venerunt Rothomagum nuncii Archiepiſcopi Coloniæ, & nun-

cii Archiepiſcopi Maguntini, & nuncii aliorum magnatum Alemanniæ ad *Richardum* regem Angliæ, dicentes ei ex prædictorum virorum parte, quod omnes magnates Alemanniæ conuenirent apud Coloniam octauo Calendas Martii, ad eligendum imperatorem; & præceperunt ei in vi ſacramenti, & fidei, quibus aſtringebatur imperatori, & imperio Romano, quod omni contradictione, & occaſione remota, veniret Coloniam ad prænominatum terminum, vt ipſe, ſicut præcipuum membrum Imperii eſſet ſimul cum illis ad eligendum Imperio idoneum, Deo auxiliante, Imperatorem. Quibus auditis *Richardus* Rex Angliæ habito cum ſuis conſilio miſit cum prædictis nunciis Alemannorum *Philippum* Dunelmenſem Epiſcopum, & *Euſtachium* Elienſem electum, & *Willielmum* de Chimeli Andegauenſem electum, & Ebroicenſem electum; & *Baldewinum* de Betun Comitem Albemarliæ, & *Willielmum* de Pratellis, & *Willielmum* de Leſtang, & *Bricium* Camerarium, vt ipſi intereſſent electioni Imperatoris loco ipſius. Ipſe enim timebat plurimum illuc ire, & iterum incidere in manus eorum niſi ſecuritas daretur ei de ſaluo conductu eundi, & redeundi. Nec mirum. Ipſe enim, quæ promiſerat magnatibus terræ ſe daturum pro deliberatione ſua, non ſoluerat, & quia corpus Imperatoris propter eum inhumatum erat. Ipſe vero rex Angliæ modis omnibus nitebatur efficere, quod *Henricus* Dux Saxoniæ nepos eius fieret Imperator. Sed quia ipſe nondum de peregrinatione ſua redierat, & mora ad ſe periculum trahebat, præfatus rex Angliæ effecit aduerſus Archiepiſcopos Colonienſem, & Maguntinum, & aduerſus quoſdam aliorum magnatum Alemanniæ, quod ipſi elegerunt *Othonem* nepotem ſuum fratrem prædicti *Henrici* ducis Saxoniæ in imperatorem. Eſt autem ſciendum, quod in electione Romanorum imperatoris taliter procedendum eſt.

MOS ELIGENDI ROMANOrum Imperatorem.

DEfuncto itaq; Imperatore, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Duces, Comites, & omnes cæteri magnates Alemanniæ in vnum conuenientes, debent duodecim viros eligere communiter, & eos præſentare Archiepiſcopo Colonienſi, & Archiepiſcopo Maguntino, & Duci de Saxonia, & Comiti Palatino de Rheno; & quemcunq; illi quatuor elegerint de prædictis duodecim electis, erit Rex Alemannorum, & coronabitur apud Hays capellam, vbi *Carolus Magnus* ſepultus requieſcit. Factum eſt autem quod cum præfatus *Otho* eſſet vnus de prædictis duodecim communiter electis, ad inſtantiam precum, & ſeruitii *Richardi* Regis Angliæ receptus eſt ab Archiepiſcopis Colonienſi, & Maguntino, & ab eiſdem coronatus eſt in regem Alemannorũ apud Hays capellam, præſentibus ducibus de Lamburc, & de Luuain, & aliis ducibus multis, & Epiſcopis multis, & præſentibus *Baldewino* Comite Flandriæ, & *Henrico* Comite de Namur fratre eius, & aliis Comitibus multis. Prędictus autem *Otho* duxit ſibi in vxorem filiam ducis de Luuain quæ die Coronationis prędicti *Othonis* ſedit ſimul cum eo in cathedra regali, ſed non tunc coronata. *Henricus* vero Dux Saxoniæ, Comes etiam Palatinus de Rheno, frater prædicti *Othonis* poſt reditum ſuum de terra Suliæ ratum, & gratum habens, quod de fratre ſuo factum erat, electionem ſuam confirmauit. Cum autem *Philippus* Dux Suauiæ, filius *Frederici* quondam Romanorum Imperatoris, frater quoq; *Henrici* Romanorum Imperatoris proximo defuncti, eſſet vnus de ſupradictis duodecim electis, noluit electioni ſuæ cedere, ſed *Othonem* modis omnibus, quibus potuit, impugnauit; & quamuis *Otho* illum ſæpius bello campeſtri expugnaſſet, tamen ab inceptis deſiſtere noluit. Eodem anno *Aimericus* Dunelmenſis Archidiaconus diſſaiſiuit Monachos Dunelmenſis Eccleſiæ de villa, quæ dicitur *Herſewelle*, quam *Henricus* de Puteaco eis dederat in puram, & perpetuam eleemoſynam, ad ſuſtentationem monachorum in *Finchale* Deo ſeruientium. Seruientes vero, qui miſſi fuerunt ad præfatam diſſaiſinam faciendam, fregerunt oſtia domorum monachorum, & monachos ibi inuentos violenter eiecerunt. Cum autem idem *Aimericus* interrogatus, ſi violentia illa per illum facta fuiſſet, reſpondiſſet, Non, Monachi Dunelmenſes, conuocatis in Eccleſia beati *Cuthberti* clero & populo ciuitatis, excommunicauerunt omnes huius violentiæ authores, conſiliarios, fautores, accenſis candelis, & pulſatis maioribus Eccleſiæ Campanis. Eodem anno *Richardus* Rex Angliæ petiit per *Hubertum* Cantuarienſem Archiepiſcopum, vt homines regni Angliæ inuenirent ei trecentos milites vno anno moraturos ſecum in ſeruitio ſuo, vel tantam pecuniam ei darent, vnde ipſe poſſet per vnum annum trecentos milites in ſeruitio ſuo retinere, videlicet vnicuique militi tres ſolidos Anglicanæ monetæ de liberatione in die; ad quod faciendum

cum

cum cæteri omnes proni eſſent, non audentes reſiſtere voluntati regis; ſolus *Hugo* Lincolnienſis Epiſcopus, verus Dei cultor, abſtinens ſe ab omni opere prauo, reſpondit pro ſe, quod ipſe in hoc vno voluntati regis nequaquam acquieſceret, tum quia proceſſu temporis in eccleſiæ ſuæ detrimentum redundaret; tum quia ſucceſſores ſui dicerent, *Patres noſtri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt.* Et conuerſus ad *Hubertum* Cantuarienſem Archiepiſcopum, admonet inſtanter, vt nil agat, vnde pudendum,

Vnde pudor frontem ſignet, mentemq́ reatus
Torqueat, aut famæ titulos infamia lædat.

Eodem anno *Alienor* regina, mater *Richardi* Regis Angliæ, venit Rothomagum, & miſit pro *Hugone* filio *Ernisii* de Neuilla, & pro aliis cuſtodibus, qui cuſtodiebant in turre Rothomagenſi *Philippum* Beluacenſem Epiſcopum; & precata eſt eos, vt pro amore ipſius permitterent præfatum Epiſcopum venire ad hoſpitium ſuum, loqui cum ea: qui licet hoc eis eſſet periculoſum, tamen petitioni reginæ reſiſtere nolentes, permiſerunt præfatum Epiſcopum compeditum portas turris egredi, & ipſi comitabantur eum. Dum autem irent, contigit eos tranſitum facere per atrium cuiuſdam Eccleſiæ; ad cuius oſtium licet eſſet clauſum, præfatus Epiſcopus, vt potuit, cucurrit, & arrepto Eccleſiæ annulo, alta voce exclamauit, dicens: *Peto pacem Dei, & Eccleſiæ.* Ad hanc igitur vocem cuſtodes ſui plurimum conturbati, iniecerunt ei manus, & traxerunt eum ab oſtio Eccleſiæ, & reduxerunt eum in turrim vnde exierat, & arctius cuſtodierunt, imponentes reginæ, hoc factum fuiſſe per conſilium ipſius. Quo audito rex Angliæ miſit præfatum Epiſcopum, ad Chinum ſub arctiori cuſtodia cuſtodiendum. Eodem anno *Hubertus* Cantuarienſis Archiepiſcopus conſecrauit Lundoniis *Euſtachium* Elienſem Epiſcopum, Dominica, qua cantatur, *Lætare Ieruſalem*, apud Weſtmonaſterium octauo Idus Martii. Eodem anno *Cæleſtinus* Papa ſenio, & graui morbo laborans obiit Romæ menſe Ianuarii, 6. Idus eiuſdem menſis, feria ſexta, ſeptimo anno papatus ſui, & Laterani ſepultus eſt. In craſtino autem obitus illius conuenientes in vnum Cardinales elegerunt in ſummum pontificem *Lotharium* diaconum Cardinalem, iuuenem triginta annorum, vel paulo amplius; qui vocatus eſt Papa *Innocentius*. Ipſe vero ſtatim poſt electionem ſuam in hac forma ſcripſit vniuerſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis Angliæ, & Scotiæ.

EPISTOLA INNOCENTII PAPAE de electione ſua.

INnocentius *Apoſtolicæ ſedis electus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus vniuerſis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Angliam, & Scotiam conſtitutis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ineffabilis ſapientia deitatis, ſic omnia * cum alto conſilio ſimul ab æterno prouidit, per labentium temporum vices mirabili quadam diſpoſitione diſpenſat: vt nec error in ordine, nec in opere ſit defectus, cum diuina ſcriptura teſtante, cuncta fecerit in pondere, numero & menſura. Licet ergo nihil in terra ſine certa cauſa, propriaque ratione diſponat, imperfectum tamen conditionis humanæ non ſolum in cauſis operum deficit perſcrutandis, verumetiam in ipſis cauſarum operibus vix ſufficit admirari. Quod vtiq́ conſiderans Apoſtolus, exclamabat:* O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei! quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! *Quamuis enim* vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas, & omnia opera eius iudicia ſunt, *teſtante propheta: vſq́ adeo tamen ſucceſſus hominum, & humiliationem, & exaltationem eorum dextera Domini licet iuſta, occulta tamen ratione procurat; vt cauſa nobis non modici ſtuporis exiſtat, quod in regimine poteſtatis iuniores quandoq́ ſenioribus anteponit: vt iuxta prophetam,* filii naſcantur pro patribus; *qui ſuper omnem terram conſtituti, Dominici nominis recordentur. Sicut de nobis ipſis:* à Domino factum eſt, & eſt mirabile in oculis noſtris. *Sane fælicis memoriæ* Cœleſtino *patre ac prædeceſſore noſtro, 6. Idus Ianuarii viam vniuerſæ carnis ingreſſo, & in Lateranenſi baſilica, ſicut moris eſt, honorifice tumulato; fratres noſtri, videlicet Epiſcopi, presbyteri, & Diaconi, Cardinales, & nos ipſi cum iis ſimul in vnum ſucceſſimus; vt tanto licentius, & tutius de ſubſtitutione pontificis tractaremus, quanto tractatus ipſe maiorem deliberandi copiam, & amplioris circumſpectionis conſilium requirebat. Cumq́ Miſſarum ſolennibus in honore Sancti Spiritus celebratis, requiſita fuiſſent omnium voluntates ad inſufficientiam noſtram oculos extenderunt, humano forſitan exiſtimantes arbitrio, in ſacculo* Beniamin *ſcyphum argenteum inuenire; licet plures ex ipſis ætatis ordinis, & meriti ratione potuiſſent ad apicem tantæ dignitatis dignius euocari. Cuius ſiquidem dignitatis onus cum inſufficientia noſtra penitus recuſaret, vtpote noſtris debilibus humeris importabile; ſub illius tamen confidentia, & exemplo, qui in infirmitatē beati* Petri *tertia prius negatio-*

* al. qua.

al. diuturna.
al. ſuſcitabit.

*ne probatam. poſt trina confeſsionis vocem in gubernationem ſuarum ouium confirmauit, quod perſonæ noſtræ multiplex imperfectio denegabat, in ipſius contulimus voluntatem, fratrum noſtrorum acquieſcentes inſtantiæ, ne reluctatio * diuturni diſsidii pareret detrimentum, aut diſpoſitioni diuinæ videretur aliquatenus obuiare: ſperantes, quod ipſe,* qui dat omnibus affluenter, & non improperat, *qui nouiſsimum fratrum, virum itaq; ſecundum cor ſuum, in Regem accepit, de lapidibus * ſuſcitabat filium Abrahæ, vocans ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt; vt infirma eligens, quæq; fortiora confundat. Nos igitur Eccleſiaſticæ prouiſionis ſollicitudinem aſſumentes, & non modicum confidentes de vobis quos* Dominus *nobis ad tantæ difficultatis onus leuius perferendum, ſollicitudinis noſtræ voluit eſſe participes; vniuerſitatem veſtram rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatenus inſufficientiam noſtram veſtris orationibus apud Dominum adiuuetis, & circa commiſſam nobis, & vobis Dominici gregis cuſtodiam diligenter, & vtiliter vigilantes, defectum noſtrum ſupplere velitis, & iniunctam nobis Eccleſiaſtici honoris grauitatem vigilanti ſtudio comportare. Nos enim vos, tanquam ſpecialia membra Eccleſiæ, honorare intendimus, & in neceſsitatibus veſtris, quantum Dominus permiſerit, adiuuare. Datum Laterani, 5. idus Ianuarii.*

Electo itaq; in Romanum Pontificem præfato *Innocentio*, ipſe ſtatim poſt electionem ſuam, (vtpote qui ab infantia omnes curiæ Romanæ exceſſus nouerat) ſtatum curiæ in melius mutare cupiens, maiorem partem ianitorum, & oſtiariorum curiæ abiecit, vt conquerentes tam clerici, quam laici, liberiores ad eum veniendi haberent acceſſus. Eodem anno 5. Idus Martii obiit Maria comitiſſa Campaniæ, mater Comitis *Henrici* de Campania, qui fuit Dominus Accon. Hæc eadem comitiſſa fuit ſoror *Philippi* Regis Franciæ ex parte patris, & ſoror *Richardi* Regis Angliæ ex parte matris. Eodem anno *Gaufridus* Eboracenſis Archiepiſcopus venit in Normanniam per mandatum *Richardi* Regis Angliæ fratris ſui, in ſpe pacis faciendæ cum rege. Rex namque miſit pro Decano, & Canonicis Eboraci, vt venirent ad eum in Normanniam, volens pacem facere inter Archiepiſcopũ, & illos: ſed Archiepiſcopus ille, antequam canonici venirent, fecit pacem cum Rege fratre ſuo; ita quod rex conceſſit illi plenariam Archiepiſcopatus ſui reſtitutionem, & præcepit *Roberto* capellano ſuo transfretare in Angliam, vna cum magiſtro *Honorio* clerico, & officiali prædicti Archiepiſcopi Eboraci ad intereſſe prædictæ reſtitutioni. Archiepiſcopus autem ille dedit magiſtro *Honorio* Archidiaconatum de Richemund. Promiſerat enim Rex Archiepiſcopo, quod de cætero non impediret donationes ſuas. Et quia Decanus & Canonici Eboraci ad terminum ſtatutum non venerunt coram rege, nec ſufficientem pro eis miſerunt reſponſalem, Archiepiſcopus accepta à Rege licentia, à curia receſſit, Romam iturus tam pro negotiis regis, quam pro ſuis. Tertia vero die ſequenti, venerunt ad regem Decanus, & Canonici Eboraci, & fecerunt aduerſus eum, quod reſtitutio, quam ipſe fieri præceperat Archiepiſcopo, dilationem caperet, vſq; ad reditum Archiepiſcopi: & ſic impedito Archiepiſcopi negotio Decanus, & Canonici Eboracum redierunt, plurimum iactantes de familiaritate regis, dicentes ſe habere chartam Regis, quod rex non componeret ad plenum cum Archiepiſc: niſi ipſi fuerint infra pacem illam. Eodẽ anno Dominica prima Quadrageſimæ, *Innocentius* Romanæ ſedis electus Epiſcopus, cõſecratus eſt Romæ apud ſanctum *Petrum* in Romanum pontificem, ab *Octouiano* Hoſtienſi Epiſcopo, 15. Kal. Martii; & ſtatim poſt conſecrationem illius, præfectus, & ſenatores, & tribuni vrbis, & cæteri Romani exegerunt ab eo reditus, & conſuetudines, quas prædeceſſores ſui Romani pontifices iis impendere ſolebant: quibus ipſe reſpondit, ſe hoc nunquam facturum, quum ſi feciſſet, contra Deum, & in præiudicium Romanæ Eccleſiæ faceret. Quod Romani audientes, irruerunt in bona ipſius, & diripuerunt ea, & ipſe excommunicauit eos. Eodẽ anno menſe Martio *Hugo* de Nunnãt Couentrenſis Epiſcopus obiit in Normannia apud Betherleuin in Paraſceues Domini, 6. Kalend. Aprilis, & ibidem in cœnobio monachorum ſepultus eſt: cui ſucceſſit in Epiſcopatu Couentrenſi *Gaufridus* de Muſchampe Archidiaconus de Cliueland/dono *Richardi* Regis Angliæ, & conſecratus eſt Cantuariæ ab *Huberto* Cantuarienſi Archiepiſcopo. Eodem anno *Richardus* rex Angliæ, & Comes de Sancto *Ægidio*, & *Ioanna* vxor eius quondam regina Siciliæ fuerunt Cœnomannis in ſolennitate Paſchali, quæ quarto Kal. April. euenit. Eodẽ anno *Richardus* rex Angliæ accepit, de vnaquaq; carucata terræ, ſiue hyda totius Angliæ quinq; ſolidos de auxilio; ad quos colligendos miſit idem rex per ſingulos comitatus Angliæ vnum clericum, & etiam militem; qui cum vicecomite comitatus, ad quem mittebantur, & legalibus militibus ad hoc electis, præſtito iuramento, quod fideliter exequerentur negotium Regis, fecerunt venire coram ſe, Seneſcallos Baronum illius Comitatus, & de qualibet villa dominum, vel baliuum villæ, & præpoſitum, cum quatuor legalibus hominib. villæ, ſiue liberis, ſiue ruſticis; & duos milites legaliores de Hundredo, q̃ iurauerunt, q̃ fideliter & ſine

fraude

fraude dicerent, quod carucarum Wannagia fuerint in ſingulis villis; quot ſcilicet in dominico, quot in vilenagia, quot in eleemoſynis viris religioſis collatis, quas ipſi donatores, vel eorum hæredes tenentur Warrantizare, vel adquietare, vel vnde viri religioſi debent ſeruitium facere: & ſuper ſingula carucarum Wannagia ponebant ex præcepto regis primo duos ſolidos, poſtea tres ſolidos, & hæc omnia in ſcriptum redigebantur; & habebat inde clericus rotulum vnum, & miles rotulum alterum; vicecomes rotulum tertium; ſeneſcallus Baronum rotulum quartum de terra domini ſui. Hæc pecunia recipiebatur per manus duorum legalium militum de ſingulis Hundredis, & per manum Balliui de Hundredo; & ipſi inde reſponderunt vicecomiti, & per prædictos rotulos reſpondebat vicecomes inde ad ſcaccarium coram Epiſcopis, Abbatibus & Baronibus ad hoc aſſignatis. Ad pœnam vero iuratorum, qui aliquid contra iuramentum ſuum celauerint in hoc negotio, ſtatutum erat, quod quicunque ruſticus conuictus fuiſſet de periurio, daret Domino meliorem bouem de caruca ſua, & inſuper reſponderet de proprio ad opus Domini regis, tantum pecuniæ, quantum fuiſſet declaratum per ſuum periurium fuiſſe celatum: ſi vero liber homo conuictus fuiſſet, eſſet in miſericordia regis, & inſuper refunderet de proprio ad opus domini regis, quantum fuerit per eum celatum, ſicut & ruſticus. Statutum etiam fuit, quod quilibet Baro cum vicecomite faceret diſtrictiones ſuper homines ſuos, & ſi per defectum Baronum diſtrictiones factæ non fuiſſent, caperetur de dominico Baronum, quod ſuper homines ſuos reſtaret reddendum, & ipſi Barones ad homines ſuos inde caperent; & libera feoda Eccleſiarum parochialium de hoc tallagio excipiebantur, & omnes excaetæ Baronum, quæ fuerunt in manu Domini Regis communicauerunt. Serganteriæ vero Domini regis, quæ non erant de feodis militum, excipiebantur; ſed tamen imbreuiabantur, & numerus carucatarum terræ, & valentiæ terrarum, & nomina ſeruientium: & omnes ſeruientes illi ſummonebantur eſſe apud Londonias in octauis clauſi Pentecoſtes, audituri, & facturi præceptum Domini Regis. Ipſi vero, qui electi fuerant, & conſtituti ad hoc negotium Regis faciendũ, ſtatuerunt per æſtimationem legalium hominum, ad vniuſcuiuſque carucæ Wannagium centum acras terræ. Eodem anno monachi S. Trinitatis Cantuariæ Romam profecti, conqueſti ſunt *Innocentio* Papæ, quod *Hubertus* Cantuarienſis Archiepiſcopus contra ordinem, & dignitatem ſuam gerebat ſe iuſtitiarium regni, & iudicem ſanguinis, & ita ſecularibus negotiis implicitum, quod minime ſufficere poſſit Eccleſiaſticis cauſis regendis, cum à ſapiente dictum ſit:

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

Accuſabant etiam eum dicentes, quod ex præcepto illius violata fuit pax Eccleſiæ ſanctæ *Mariæ* del Arche Londoniis, & *Willielmus* cum Barba inde violenter extractus, & caudis equorum alligatus, & ad patibulum tractus cum nouem de ſuis ſimiliter ab Eccleſia illa violenter extractis, morti addictus eſt, & in patibulo ſuſpenſus; vnde dominus Papa paterna exhortatione diligenter monuit dominum *Richardum* Regem Angliæ, vt pro ſalute animæ ſuæ non permitteret præfatum Archiepiſcopum diutius fungi adminiſtratione ſeculari neque de cætero ipſum, vel alium Epiſcopum, ſiue ſacerdotem in adminiſtratione ſeculari admitteret: præcepit etiam in virtute obedientiæ vniuerſis Eccleſiarum prælatis, ne ipſi auſu temerario ſeculares adminiſtrationes ſuſciperent. Et ſi Cantuarienſi Archiepiſcopo à regimine regni depoſito, *Gaufridus* filius *Petri* ſucceſſit ei in regimine regni. Accuſabant etiam eum dicentes, quod ipſe in præiudicium matris Eccleſiæ Cantuariæ capellam nouam conſtruxerat apud * Lambee / & in ea canonicos ſeculares de bonis, & redditibus monachorum Cantuariæ ditatos conſtituerat, & in ea contra conſuetudinem, & dignitatem Cantuarienſis Eccleſiæ Epiſcopos conſecrauerat: & niſi celerius remedium adhiberetur, timuerunt, quod dignitas Cantuarienſis Eccleſiæ minueretur, & ad capellam illam apoſtatricem transferri videretur. Vnde dominus Papa plurimum commotus, in hac forma ſcripſit *Huberto* Cantuarienſi Archiepiſcopo.

al. Lambee.

EPISTOLA INNOCENTII PAPAE AD *Hubertum Cantuarienſem Archiepiſcopum, pro demolitione capellæ de Lambee.*

INnocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto fratri *Huberto* Cantuarienſi Archiepiſcopo ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quanto perſonam tuam ſinceriori charitate diligim⁹; tanto maiore dolore turbamur quoties ea de tuis audim⁹ operibus

quæ pontificali derogant honeſtati. Cum enim Cantuarienſis Eccleſia, cui præeſſe dignoſceris, inter Anglicanas eccleſias celebris habeatur, & religione inter alias conſueuerit florere; nos, & fratres noſtri graue gerimus, & moleſtum, quod (ſicut dilecti filii noſtri, Prior, & conuentus humili conqueſtione monſtrauerunt) tu ad ipſius deſolationem eccleſiæ ſatagis multipliciter, & laboras in conſtructionem capellæ de Lamhee/ contra prohibitiones fœlicis memoriæ *Vrbani, & Clementis* Romanorum Pontificum, bonæ memoriæ *Baldwino* prædeceſſori tuo factas, poſt appellationes multiplices ad ſedem Apoſtolicam interpoſitas, in magnum Eccleſiæ Cantuarienſis præiudicium propria temeritate proceſſeris, & de bonis eiuſdem Eccleſiæ canonicos inſtituens in ea: à cuius ſiquidem cõſtructione capellæ, ſi eam, quam debes Romanæ eccleſiæ reuerentiam & obedientiam, exhiberes, & commiſſæ tibi eccleſiæ prouiſionem & ſollicitudinem quæreres & gereres, quam teneris; tibi, & honori tuo melius conſulens penitus deſtitiſſes, nec ſuper eo procedere ſtuduiſſes, quod prædeceſſori tuo ſic diſtricte cognoſceres à ſede Apoſtolica fuiſſe interdictum. Cum igitur diminutionem Cantuarienſis eccleſiæ, ſicut nec debemus, nec volumus aliquatenus ſuſtinere, prædictorum prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, de fratrum noſtrorum conſilio fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, & diſtricte præcipimus; quatenus omni mora, & occaſione poſtpoſitis, ſi etiam ab eccleſia tua abſens fueris, aliquatenus non obſtante, quicquid poſt appellationes, tam tempore prædeceſſoris tui, quam tuo ad ſedem Apoſtolicam interpoſitas, vel inhibitiones anteceſſorum noſtrorum in opere actum capellæ noſcitur memoratæ, infra triginta dies poſt ſuſceptionem præſentium tuis expenſis non differas demoliri, in irritum prorſus reuocans, & deducens, quicquid de inſtituendis canonicis, & aliis circa capellam prædictam factũ eſt, vel enormiter innouatum. Clericos præterea, qui in capella illa poſt inhibitiones apoſtolicas diuina officia celebrarunt, tamdiu ab officio, & beneficio teneas pro ſuſpenſis, donec ſuper hoc ſatisfecerunt competenter, vniuerſis operibus demolitis, quæ apud eandem capellam facere præſumpſerunt; & vniuerſa, quæ poſt appellationes in eorum ſunt attentata grauamina, exteriorum videlicet, & eccleſiarum, & aliorum inuaſione, quæ ante appellationem habuerunt, in ſtatum priſtinum, appellatione remota, deducas; & ſententias excommunicationis vel interdicti, quas in quoſdam ipſorum fratrum temere diceris promulgaſſe, publice nuncies non tenere. Ac de cętero circa ſtatum ipſius monaſterii contra prohibitionem noſtram, huius occaſione negotii non præſumas aliquid innouare; illicitos inuaſores villarum, poſſeſſionum, reddituum prædictorum fratrum, vſque ad ſatisfactionem idoneam vinculo anathematis aſtringas, Si vero, (quod non credimus) mandatum noſtrum infra ſtatutum terminum neglexeris, vel diſtuleris adimplere, quia iuſtum eſt, vt ei obedientia ſubtrahatur, qui ſedi apoſtolicæ negligit obedire; venerabilibus fratribus noſtris ſuffraganeis tuis per ſcripta noſtra mandamus, quatenus tibi obedientiam, & reuerentiam non impendant. Quod ſi forte ab iis, vel aliquo eorum contra prohibitionem noſtram tibi feceris aliquam obedientiam, & reuerentiam exhiberi; ſcias te ex tunc ab epiſcopali dignitate ſuſpenſum, & tamdiu ipſi ſententiæ ſubiacere; donec ſatisfacturus de contemptu, noſtro te conſpectui repræſentes: non autem diſtinguimus vtrum in loco à prædeceſſoribus noſtris interdicto, vel alio in prædictæ capellæ conſtructione, & canonicorum inſtitutione proceſſeris in Eccleſiæ Cantuarienſis præiudicium, & grauamen, eadem contradictionis cauſa durante; niſi quod ex hoc magis credimus eidem eccleſiæ derogari, quod in remotiori loco fabrica illa eſt translata. Datum Romæ apud Sanctum *Petrum*, 8. Idus Maii, pontificatus noſtri anno primo.

Præterea idem Papa *Innocentius* ſignificauit per literas ſuas vniuerſis ſuffraganeis Cantuarienſis Eccleſiæ, quod ipſe in mandatis dederat *Huberto* Cantuarienſi Archiepiſcopo, quod infra triginta dies poſt literarum ſuarum ſuſceptionem ſuis propriis expenſis non differret demoliri capellam de Lamhee/ & in irritum reuocare, quicquid de inſtituendis canonicis, & aliis circa prædictam capellam factum eſt, & cætera, quæ in literis ſuis continentur; præcepitq; prædictis ſuffraganeis, quod ſi Archiepiſcop. Cantuarienſis Eccleſiæ quicquam illorum, quæ in literis ſuis continentur, facere differret, illi ei de cætero nullam impendant obedientiam, vel reuerentiam. Sed præfatus Archiepiſcopus regio munimine ſeptus, ſperans ſe ab aduerſariis non poſſe ſuperari, vniuerſos Monachorum redditus, & oblationes tumbæ beati martyris *Thomæ* fecit ſaiſiari in manu regis, & mandata ſummi Pontificis parum pendens non permiſit Monachos S. Trinitatis ſepta templi exire. Tandem tamen cum conſilio ſuorum demolitus eſt capellam de Lamhee/ propriis ſumptibus. Eodem anno *Gaufrido* Eboraci Archiepiſcopo, & *Simone* Decano vna cum canonicis Eboraci in præſentia domini *Richardi* regis Angliæ in Normannia apud Andeli con-

is conſtitutis, vnusquiſque proponebat iniurias ſibi hinc, & inde illatas; & cum de voluntate regis proceſſiſſet, vt idem Archiepiſcopus, & Decanus, & Canonici Eboracenſes ſe ſubiicerent de ſupradictis controuerſiis examini domini Rothomagenſis Archiepiſcopi, & dominorum Wintonienſis, & Wigornienſis Epiſcoporum; & cum præfatus Eboracenſis Archiepiſc. in hoc voluntati regis conſentiret; Decanus & Canonici Eboracenſes reſponderunt, quod non ponerent ſe in iudicio alicuius, niſi in iudicio canonicorũ ſecularium, & defecerunt aduerſus regẽ, quod pax illa dilationem cepit maxime, quia Archiepiſcopus confirmare noluit donationes, quas rex iis fecerat in Eboracenſi Eccleſia. Vnde rex iratus dedit *Rogero* de ſancto *Edmundo* clerico ſuo Archidiaconatũ de Richemund, quem Eboracen. Archiepiſc. dederat magiſtro *Honorio* clerico ſuo; qui quamuis fidelitates clericorũ prædicti Archidiaconatus recepiſſet per mandatũ Archiepiſcopi, & quamuis id Archiepiſcopus literis ſuis mãdaſſet generaliter vniuerſo capitulo Eboraci, præcipiendo in vi obedientiæ, vt præfatum *Honorium* reciperent, & in ſtallum mitterent, tamen refutatus eſt, *Simone* Apulo contradicente, ea ratione, quod Archiepiſcopus ſpecialiter de eo mentionem non fecerat in literis ſuis, ſicut de Decano eiuſdem Eccleſię. Et factum eſt, quod præfatus Decanus turbator pacis, & immemor profeſſionis, quam prædicto Archiepiſcopo fecerat, *Rogerum* de ſancto *Edmundo* recepit, & in ſtallum miſit, & de Archidiaconatu Richemund inueſtiuit, poſt appellationem a magiſtro *Honorio* ad ſummum pontificem factam. Clerici autem de Archidiaconatu de Richemund per prædicti *Simonis* Apuli violentam coertionem, & propter regis feralia mandata fidelitates fecerunt ipſi *Rogero* de S. *Edmundo* cõtra canonicam obedientiam, quã prius fecerant magiſtro *Honorio*. Deinde conuenientib. in capitulo Eboraci *Simone* Decano, & cæteris canonicis eiuſdẽ Eccleſiæ, præfatus Decanus in impetu iræ ſuæ non deferens appellationi ad ſummũ pontificem factę, excommunicauit *Hugonem Murdac* concanonicum ſuum, eo quod ipſe noluit conſentire iis, nec aliquid de ſuo mittere in conſpiratione facta contra Archiepiſcopũ ſuum. Dicebat enim, Vehementer emungit, qui ſanguinem eiicit. Eodem die cum idem *Hugo* ad veſperas audiendas intraret chorum, præcepit ei Decanus, vt exiret, tanquam excommunicatus: ſed quia exire noluit, Decanus fecit candelas extingui, & exiuit è choro. Eodem anno *Gaufridus* filius *Petri* iuſtitiarius Angliæ magno congregato exercitu profectus eſt in Galliam ad ſuccurrendum hominibus *Willielmi* de Brauſe, quos *Wenhunwin* frater *Chadwalani* obſederat in caſtello Matillis; quo cum veniſſet, commiſit prælium campeſtre cum prædicto *Wenhunwin*, & ſuis: & licet plurimi Walanorum armati eſſent, tamen non valentes reſiſtere exercitui Anglorum, verſi ſunt in fugam, & proiicientes arma ſua, vt leuius, citiuſque fugerent, occiſi ſunt ex illis plus quam tria millia, & ſeptingenti, exceptis retentis, & illis, qui lethaliter vulnerati euaſerunt a campo. Ex parte autem Anglorum vnus ſolus ex inopinato ictu ſagittæ à quodam ſocio ſuo incaute directæ vulneratus interiit. Eodem anno menſe Auguſti *Ermengard* regina Scotorum peperit filium ſuum primogenitum, & vocatum eſt nomen eius *Alexander*: quem *Iocelinus* venerabilis Eccleſiæ Glaſcuenſis Epiſcopus baptizauit. Eodem anno finitis treugis, quas rex Franciæ, & rex Angliæ ſtatuerant inter ſe, donec ſegetes hinc, & inde colligerentur: ſtatim exarſit eorum nefanda rabies, & poſtpoſitis omnibus colloquiis hoſtiliter intrauit vterque alterius regnum, & depopulando terras eorum prædas abduxerunt, homines ceperunt, villas combuſſerunt. Rex autem Franciæ nouum genus graſſandi in populo reperiẽs, fecit complures de hominibus regis Angliæ, quos captiuos tenebat, excæcari: & ſic prouocabat regem Angliæ, licet inuitum, ad conſimile impietatis opus. Eodem anno dux de Luuain, & Comes de Brene, & *Baldwinus* Comes Flandriæ, & Comes de Gynes, & Comes Boloniæ, & *Gaufridus* Comes de Pertico, & Comes de S. *Aegidio*, & Comes de Blais, & *Arthurus* Comes Britanniæ, & multi alii relicto rege Franciæ adhæſerunt *Richardo* regi Angliæ, iurantes ei, & ipſe illis, quod nullam pacem cum rege Franciæ facerent, niſi de communi eorum conſilio. Comes vero Flandriæ obſedit villam de *S. Audomaro*, & per vim cepit eam; ſimiliter Aric, & alias complures villas regis Franciæ. Eodem anno *Henricus* dux Saxoniæ nepos *Richardi* regis Anglię venit in Normanniam apud Andeli ad prædictum regem Angliæ auunculum ſuum, rediens de terra Suliæ; quem rex honorifice ſuſcepit, ſicut decebat tantum virum, nepotem ſuum. Eodem anno, menſe Septembris *Philippus* rex Franciæ, & *Richardus* rex Angliæ congreſſi ſunt in prælio inter Gameges caſtellum regis Angliæ, & Vernun caſtellum regis Franciæ; in quo congreſſu rex Franciæ cum ſuis in fugam conuerſus, amiſit * 60. de militibus ſuis, & pluſquam * quadraginta ſeruientes, equites, & pedites multos; & rex Angliæ ſecutus eſt regem Franciæ in ore gladii, donec ſe incluſit in caſtello ſuo, de Vernun. Eodem anno *Philippus* Dunelmenſis Epiſ. *al. 30.* *al. ſexaginta.*

corpus recepit per mandatum regis *Richardi*, maneriũ de Sadberhe cum Wapentaccõ, & feodis militum, & omnib. aliis ad illud pertinentibus, ita plenarie, & integre, ſicut charta eiuſdem regis teſtatur illud fuiſſe conceſſum *Hugoni* Dunelmenſi Epiſc. Præterea dedit ei rex licentiam claudendi foſſato & ſæpe Boſcum de Clif, & Boſcum de Raic, & vtrumq; quietum clamauit de reguardo Foreſtæ, & ab omni inquietatione Foreſtariorum. Eodem anno menſe Septemb. 5. Kal. Octob. die Dominica *Richardus* rex Angliæ cepit per inſultũ caſtellum regis Franciæ, quod dicitur Curceles, & aliud caſtellum eiuſdem regis, quod dicitur Burriz: & in craſtino captionis caſtellorum illorum, viz. Kal. Octob. feria 2. vigilia S. *Michaelis*, *Philippus* rex Franciæ magno congregato exercitu militum, & communarum ſuarum, exiens de Mantua profectus eſt verſus Curceles. Quo audito, rex Angliæ venit obuiam ei, & commiſit cum eo prælium campeſtre, inter Curceles, & Gyſortium; in quo prælio rex Franciæ confectus, fugit ad caſtellum de Gyſortio, & cum aſcendiſſet pontem villæ de Gyſortio, fractus eſt pons præ multitudine intrantium, & ipſe rex Franciæ cecidit in riueria de Ethe, & bibit ex ea, & niſi celeri⁹ extraheretur, ſubmerſus in ea fuiſſet. In prælio autem illo *Richardus* rex Angliæ tres milites vna lancea proſtrauit, & in prælio illo capti ſunt ex militibus regis Franciæ viri famoſi, quorum nomina hæc ſunt: *Galis* de porta, *Matthæus* de Mommorenci, *Allanus* de Roſi, *Girardus* de Chori, *Philippus* de Nantuil, *Petrus* Lieſcans, *Robertus* de ſancto *Dionyſio*, *Theobaldus* de Walangugardum,* *Chedunald* de Trie, *Rogerus* de Modlend, *Aimer Thiers*, *Reinaldus* de Aſcy, *Baldus* de Leuini, *Thomas* de Aſgent, *Feri* de Paris, *Petrus* de la Truie, *Guido* de Leuers, *Turmentin*, *Terricus* de Aucies, *Amfridus* de Balaam, *Eborardus* de Muntenni, *Punchardus*, *Walterus Rufus*, *Ernulphus* de Lenni, *Odo* de Muntiun, *Willielmus* de Sauceai, *Iollenus* de Bray, *Petrus* de Põci, *Dembertus*, *Puncardus* de caſtello Empurcam, *Willielmus* de Merlou, *Iohannes* de Gaugia, *Theobaldus* de Breun, *Robertus* de Beauburc, *Gaufridus* de Borhai, *Petrus* de Maidnili, *Fulco* de Gilerual, *Iohãnes* de Serni de Loenais, *Radulphus* de Valluceſ, *Ferri* de Brunai, *Thomas* del Caſtel, *Willielmus* de Rochemũt, *Theobaldus* de Miſci. Et præter ſupradictos milites, cepit rex Angliæ centum milites, & ſepties viginti equos coopertus ferro, & ſeruientes equites, & pedites multos. Vnde idem rex in hac forma ſcripſit *Philippo* Dunelmenſi Epiſcopo.

al. Chedulonl.

EPISTOLA RICHARDI REGIS ANGLIAE ad Philippum Dunelmenſem Epiſcopum de ſupradicta victoria.

Richardus *Dei gratia rex Angliæ, dux Normanniæ, & Aquitaniæ, & Comes Andegauiæ, dilecto, & fideli ſuo* Philippo *eadem gratia Dunelmenſi Epiſcopo, ſalutem. Noueritis, quod Dominica proxima ante feſtum* S. Michaelis *intrauimus terram regis Franciæ apud Dangu, & inſultum fecimus apud Curceles, & caſtrum cepimus cum turre, & dominum caſtri, & omnes alios, qui erant in caſtro. Eodem die inſultauimus domum fortem de Burris, & totum, quod in ea erat, cum domo cepimus, & ſero rediuimus cum exercitu noſtro apud Dangu. Die craſtina rex Franciæ his auditis venit de Mantua cum 300. militibus, & ſeruientibus, & communis ſuis ad ſuccurrendũ caſtro de Curceles, quod non putauit eſſe captum. Nos autem, ex quo cognouimus eum venire, exiuimus cum pauca gente, & gentem noſtram magnam dimiſimus ſuper ripam de Ethe, quia credebamus, eum venturũ ſuper gentem noſtram vltra ripam ex parte de Dangu. Ipſe autem cum gente ſua deſcendit verſus Gyſortium, & nos eum in fugam conuerſum, & gentem ſuam in tanta diſtrictione poſuimus in portam Gyſortii, quod pons fractus eſt ſub illis, & rex Franciæ, vt audiuimus, bibit de riueria, & alii milites vſq; ad 20. ſubmerſi ſunt. Nos autem ibi cum vna lancea proſtrauimus* Matthæum *de Mummeranci, &* Alanum *de Ruſci, &* Fulconẽ *de Gilerual, & captos detinuimus; & bene capti ſunt de gente ſua vſq; ad 100. milites, quorum nomina maiorum vobis mittimus, & aliorũ vobis mittemus, cũ eos viderimus, quia* Marchadeus *habuit vſq; ad 30. quos non vidimus. Seruientes, equites, & pedites capti ſunt, quorum non eſt numerus, & dextrarii ducenti capti ſunt, quorum ſepties viginti cooperti ſunt de ferro. Ita deuicimus regem Franciæ apud Gyſortium: ſed nos idem non fecimus, imo Deus, & ius noſtrum per nos; & in hoc facto poſuimus in caſu caput noſtrum, & regnum ſupra conſilium omnium noſtrorum. Hæc vobis ſignificamus vt ſuper hoc nobiſcũ gaudeatis. Teſtib. nobis ipſis apud Dangu 30. die Sept.* Philippus rex Franciæ intrauit Normanniam cũ exercitu multo, & rex Angliæ non habuit ſecũ 60. homines; diſperſerat enim exercitum ſuũ per loca diuerſa: tamen ipſe ſecutus eſt Francos poſt tergum cum paucis ſuorum, donec ad mandatum ſuum conuenerunt ad eũ circiter 200. milites, & *Marchadeus* cum ruta ſua. Franci ergo cũ multo plures eſſent, videntes regẽ Angliæ, & ſuos, cũ incendiſſent circiter 18. villas, bono paſſu abierunt, & rex Angliæ à tergo fugauit illos, & *Marchadeus* cum ruta ſua præuenit illos, & capti ſunt ex Francis circiter 30. equites, & ſeruientes, & 100. equi præter occiſos. Quod factum eſt verſus Vernun. non enim per viam, quã venerant, abierunt, id eſt per vadũ de Dangu; ſed timore cõuerſi ſunt

ver-

ſunt verſi: Vernun: ita quod probrum adhuc eſt inter Francos, quod rex illorum relictis illis profugerit ſuper *Morellum* ſenem, quē, inquiunt, 10. annos habuiſſe; nec aliquid tuliſſe de Normannia niſi forte 3. vel 4. milites, & vnum ſeruientem. Poſtea rex Angliæ collecto exercitu tranſiuit in Galliam per vadum de Dangu, & cepit, vt ſupra dictum eſt, Burriz, & Curceles, & aliud caſtellū: hominesq; ſui duobus dieb. continuis rapinis, & incendiis Vogeſin Gallicū deuaſtauerunt: & cū rex Angliæ ſubuerteret turrim de Curceles, rex Franciæ adunatis ſuis ſuperuenit; & cōgreſſi ſunt duo reges, & rex Franciæ effuſis habenis verſus eſt in fugā in medio terræ ſuæ, & proſecutus eſt eum rex Angliæ cum exercitu ſuo, & comprehendit de militibus regis Franciæ ad minus 83. pręter ſeruientes alabaſtarios, & præter ſuffocatos in fluuio de Ethe: præ nimia enim fuga Francorum pons Ethe ante Gyſortiū fractus eſt ſub illis, ita q; rex Franciæ cecidit in aquā, vt vix per pedē extractus pæne ſuffocatus eſt; alii autem ſuffocati ſunt plurimi, inter quos *Milo* de Puteaco, comes de Bar, & *Iohan.* frater *Williel.* de Barres miles, ꝓbus ſuffocati ſunt in fluuio Ethe. *Williel.* autē Caſtellan, & dominus de Curceles ſtatim poſt captionē ſuam mortuus eſt. Poſtea rex Frāciȩ congregato exercitu intrauit Normanniam, & cōbuſſit Ebroicas, & 7. alias villas. Comes autē *Iohannes* frater *Richardi* regis combuſſit nouum Burgum: q; rex Franciæ ſperans a ſuis fieri, milites miſit ad prohibendum ſuis, ne procederent; ex quibus capti ſunt 18. milites, & ſeruientes multi. Poſtea *Marchadeus* cū ruta ſua intrauit Flandriā, & inuaſit nundinas ꝓpe Abbeuille, & ſpoliauit mercatores Franciæ, & cum præda magna rediens in Normanniā repleuit terrā ſpoliis Francorū, & multos eorum interfecit, & multos captiuos ſecū duxit redimendos. Poſtea *Robertus* Comes Leirceſtriæ venit cū 40. militibus, & paucis ſeruientibus ante caſtellū de Paſci, q; ſuum fuerat; & milites caſtelli exierunt cum multis ſeruientibus, & cōmunia villæ, & cum, & ſuos comprehenderunt ſed ipſe non valens iis reſiſtere, vix euſit, & amiſit de militib. ſuis, 4. In craſtino aūt iterum idē Comas aſſociatis ſibi plurib. de familia regis Angliæ militib. venit ante caſtellū de Paſci, diſpoſitis prius militib. & ſeruientibus, multis ꝑ diuerſa loca ad inſidias parandas hominibus caſtelli. Cum autē milites caſtelli, q pridie eū a campo fugauerāt, vidiſſent illū, exierunt cū impetu, & ipſe fugit ante illos, donec inciderent in inſidiantes, & capti ſunt ex iis 18. milites, & plebs multa. Interim *Hubertus* Cant. Archiep. transfretauit de Anglia in Norman. & ſtatim ꝑ mandatum regis Franciæ, & ꝑ licentiam domini ſui regis Angliæ ꝑrexit in Galliā ad tractandum de pace faciēda inter illos duos reges; & cū rex Franciæ offerret, ſe redditurū regi Angliæ ꝓ bono pacis omnes terras, & caſtella ſua, q̄ occupauerat, excepto caſtello de Gyſortio, de quo ille poneret ſe in iudicio ſex Baronū Norman. quos ipſe eligeret, ſex Baronū Galliæ, quos rex Angliæ ſibi eligeret, q s eorū maius ius haberet in caſtello illo habendo; noluit rex Angliæ, niſi Comes Flandriæ, & cæteri omnes, q relicto rege Franciæ ei adhæſerunt, fuiſſent infra pacem. Eodem anno *Hugo Bardulfi*, & magiſter *Rogerus Arundel*, & *Gaufridus Hachet*, quibus commiſſæ fuerant Lincolnſire, Notinghamſire, Derebiſire, Euerwicſire, Norhumberland, Weſtmerland, Cumberland, Lancaſter, itinerantes placitauerunt placita coronæ regis.

CAPITVLA PLACITORVM CORONAE REGIS.

DE placitis coronæ nouis, & veteribus, quæ nō ſunt finita coram iuſtitiis domini regis. De omnibus aſſiſis. De morte anteceſſorū. De noua diſſaiſina. De magnis aſſiſis vſq; ad 10. libratas terræ, & infra. Et de aduocationibus Eccleſiarum, & capientur coram iis electiones magnæ aſſiſæ per mādatum domini regis, vel eius capitulis iuſtitiæ. De eccleſiis vacantibus, vel non vacantibus, quæ fuerunt de donatione domini regis, quis eas donauerit, vel quis eas habeat, & ꝑ quem, & quantum valēt. De excaetis domini regis, & eorū valentiis, & quis eos habeat & ꝑ quē. De dominabus, & de valectis, & puellis quæ ſunt, vel eſſe debent in donatione domini regis, & de valentiis terrarum ſuarum; & ſi quis eorū, vel earum ſit maritatus; & inquiratur, cui per quem & à quo tempore. Inquirendum eſt etiā, quæ viduæ non finierunt ꝓ ſe maritandis, & finis capiatur ad opus domini regis. De *Ser- *al. ſeriantiis.*
gentariis domini regis quis eas habet, & ꝑ quem, & quantū valent, & qui finē non fecerūt, ad auxiliū domini regis, & qui fecerunt, & finis capiatur. De vſuris Chriſtianorū, & eorum catallis, qui ſunt mortui. De illis, qui ſunt in miſericordia regis, & nō admerciati. De *præ- *al. purpreſturis.*
preſturis domini regis. De viis domini regis eſtreciatis. De theſauris inuentis. De malefactoribus, & eorū receptorib. De fugitiuis retatis reuerſis poſt vltimā aſſiſam. De omnibus ponderibus, & menſuris, & vlnis renouatis, & ſi 4. homines, qui ſunt attornati ad hæc cuſtodienda, in vnaquaq; villa fecerint, q; inde ſtatutū eſt, & ſi attachiauerint transgreſſores illius aſſiſæ; & ſi nō attachiauerunt, prout debēt, puniantur ſicut ipſi tranſgreſſores. Totū vinum illius, qui vendidit contra aſſiſam, capietur ad opus domini regis, & præterea dominus vini, & venditores ſint in miſericordia regis. Inquirendum eſt per omnes comita-

tus de hidis,& carucatis,& ſi iuſtitiarii,qui ad hæc attornati fuerunt,ſe bene habuerint,& ſi de omnib.receperunt,& ſi aliqua cōcelauerunt. De cuſtodibus portuū maris,ſi quid receperunt,ꝙ nō reddiderunt, & ſi mercedem aliquā receperunt pro iure regis retinendo, & ſi quis aliquid receperit,qui non fuerit ad hoc attornatus. Inquirendū eſt, ſi omnes venerint,q is ille fuerit,& qualiter nominatus fuerit. His igitur,& aliis vexationib. ſiue iuſte, ſiue iniuſte tota Anglia à mari vſq; ad mare redacta eſt ad inopiam. Sed nondū finitis ſuperuenit aliud genus tormenti ad cōfuſionem hominum regni p iuſtitiarios foreſtarum, viz. per *Hugonem* de Neuilla ſummum iuſtitiarium omnium foreſtarū regis in Anglia,qui cognominatus eſt *Enuellu*,& per *Hugonem* Wac,& per *Erniſium* de Neuille. Prædictis igitur iuſtitiariis Foreſtarum itinerātibus, præceptū eſt ex parte regis, vt per ſingulos comitatus,p quos ipſi ituri eſſent,conuenirent corā iis ad placita Foreſtæ Archiepiſ.Epiſc.Comites,& Barones,& omnes libere tenentes,& de vnaquaq; villa prępoſitus,& 4.homines ad audienda præcepta regis. Hæc eſt aſſiſa domini regis,& hæc ſunt præcepta de Foreſtis ſuis in Anglia facta per aſſenſum,& conſilium Archiepiſc.& Epiſc. Abbatum,Comitum, & Baronum,& militum totius regni ſui. Dominus rex primum defendit,ꝙ ſi aliquis ei forisfaciat de venatione ſua,vel de foreſtis ſuis in aliqua re,non vult,quod confidant in hoc, quod habuit miſericordiam de illis per eorum catalla hucuſq;,qui ei forisfecerint de venatione ſua, & de Foreſtis ſuis. Nam ſi qui à modo ei forisfecerint inde,& inde conuicti fuerint,plenariam vult de illis iuſtitiā fieri,qualis facta fuit tempore *Henrici* aui patris domini regis,viz. vt amittant oculos,& teſticulos. Item dominus rex defendit, quod nullus habeat arcus,vel ſagittas,neq; canes,neq; leporarios in foreſtis ſuis,niſi habeat ipſum regē ad Warantum ſuum,vel aliquem alium,qui eum poſſit inde Warantizare. Item rex defendit,quod nullus donet,vel vendat aliquid ad deſtructionem Boſci ſui, vel Waſtā,quæ ſit infra foreſtā regis: ſed concedit bene,quod capiant de boſcis ſuis,quod neceſſe iis fuerit ſine Waſto,& hoc per viſum foreſtarii ſui & viridariorum ſuorū. Item præcipit,quod omnes illi,qui Boſcos habent infra metas foreſtæ domini regis,quod ponant idoneos foreſtarios in boſcis ſuis,de quibus foreſtariis,ipſi quorum Boſci fuerint,ſint plegii,vel tales inueniant plegios idoneos,qui poſſint emendare,ſi foreſtarii in aliquo forisfecerint quod domino regi pertineat. Item præcipit,quod ſui foreſtarii curam capiant ſuper foreſtarios militum,& aliorum, qui Boſcos habent infra metas foreſtæ domini regis,quod Boſci non deſtruantur. Nam ſi ſuper hoc Boſci eorum deſtructi fuerint,ſciant bene illi,quorū boſci fuerint,quod de ipſiſmet vel de eorū terris capietur emendatio,& non de alio. Item præcipit rex,quod ſui Foreſtarii iurent,quod ſecundū omne poſſe ſuū tenebunt eius aſſiſam, qualem eā fecit de foreſtis ſuis,& ꝙ non vexabunt milites,neq; probos homines de hoc, quod dominus rex iis conceſſit de boſcis eorum. Item præcipit,ꝙ in quolibet comitatu, in quo venationem habet,ponantur 12.milites ad cuſtodiendā venationem ſuam,& viride in foreſtis ſuis,& quod 4.milites ponantur ad adgiſtandos Boſcos ſuos, & ad recipiendum pannagium ſuum,& cuſtodiendum,& defendendum. Item præcipit,ꝙ nullus adgiſtet Boſcos ſuos infra metas foreſtæ ſuæ, anteꝗ̄ boſci eorum adgiſtentur: & eſt ſciendum quod incipit adgiſtamentum domini regis 15.die ante feſtum *Sanct. Michaelis*, & durat 15. diebus poſt feſtū *S. Michaelis*. Item præcipit rex, quod ſi foreſtarius eius habet in cuſtodia ſua dominicos Boſcos regis, & Boſci illi deſtructi fuerint, & non poſſit, nec ſciat iuſtam cauſam monſtrare,quare Boſci deſtruātur, nihil aliud capiatur de foreſtario illo, niſi proprium corpus ſuum idē præcipit,quod nullus clericus ei forisfaciat de venatione ſua,neq; de foreſtis ſuis: & præcipit bene foreſtariis ſuis,quod ſi inuenerint eos forisfacientes,non dubitent in eos manus imponere, ad eos reſiſtendos & capiendos : ipſe enim eos inde Warentizabit. Item rex præcipit, quod omnia eſſarta videantur in quolibet 3. anno tam noua,quā vetera intra reguardū,& omnes purpræſturæ ſimilitur & omnia Waſta Boſcorum,& quod quodlibet illorum per ſe imbreuietur. Item rex præcipit,ꝙ Archiepiſ.Epiſc. Comites,Barones,& milites,& libere tenentes,& omnes homines de terra ſua veniant ad ſummonitionem magiſtri foreſtarii ſui ad placitanda placita de foreſtis ſuis. Prohibendū eſt etiā ad placita foreſtæ, ne aliqua caretta exeat chiminū in foreſta regis, neq; porci ſint in foreſta regis tempore de Foineſun; ſcz. 15. dieb. ante natiuitatem *S. Iohannis Baptiſtæ*,& 15. diebus poſt idem feſtum. Eſt autem ſciendū quod qui forisfecerit in foreſta regis de venatione ſua,& inde attaintus fuerit, erit in miſericordia regis ad oculos,& teſticulos perdendos.

Qui autem forisfecerit in foreſta regis de viridi ſiue per culpaturam, ſiue per esbrancaturā ſiue per foditionem turuarū, ſiue per escoriationem moræ, ſiue p culpationē de ſubnemore, ſiue per eſſarum, ſiue per nouam perpreſturam per ſeptem, vel foſſatū, vel

per

per* remotionem molendini, vel curſus aquæ, vel Bercariæ, vel aliarum domorum, vel per venum falcandum extra ſepes, vel extra foſſata; erit in miſericordia regis de pecunia ſua, niſi habet viridarios, vel foreſtarios regis ad Warrantum. Similiter qui arcus, vel ſagittas portauerint, vel canes duxerint ſine copula per foreſtã regis, & inde attaintus fuerit, erit in miſericordia regis. Statutum etiam eſt, quod ſemper in 3. anno fiat viſus foreſtæ: in reguardo autem foreſtæ hæc ſupradicta videnda ſunt. Et videnda ſunt in reguardo noua eſſarta, & vetera inbladata poſt vltimum reguardum, & quo blado, vel legumino inbladata ſint. Noua autẽ ſarta erunt in manu regis; ſi vetera ſarta inbladata ſunt de frumento, vel ſiligine, vna quæq; acra dabit regi 12. denarios de illa veſtitura; & ſi inbladata fuerint de auena, vel hordeo, vel fabis, vel piſis, vel alio legumine, vnaquæq; acra dabit regi 6. denarios de illa veſtitura. Et ſciendum eſt, quod tempore *Henrici* regis filii *Matildis* imperatricis permiſſum erat intra metas foreſtæ foſſata fieri loco ſepium. Et idem rex *Henricus* ſtatuit apud Woodſtock, quod quicunq; foriſfecerit ei de foreſta ſua ſemel de venatione ſua, de ſeipſo ſalui plegii capiantur; & ſi iterum foriſfecerit ſimiliter capiantur de ipſo ſalui plegii; ſi autem tertio idem foriſfecerit, pro tertio foriſfacto nulli plegii capiantur, ſed proprium corpus foriſfactoris. Eodẽ anno viri religioſi voluerunt dare regi 5. ſolidos de Wannagio carucæ, ſicut cæteri homines regni faciebant. Exiit edictũ à rege, vt quicunq; in regno ſuo foriſfeciſſet clerico, aut alii viro religioſo, non cogeretur ſatisfacere illi; ſed ſi clericus, aut alius vir religioſus foriſfeciſſet alicui laico, ſtatim compelleretur ad ſatisfaciendum illi; vnde factum eſt, quod viri religioſi ad redemptionem coacti ſunt. Præterea præcepit idem rex, vt omnes tam clerici, quã laici, qui chartas, ſiue cõfirmationes habebant de ſigillo ſuo veteri, deferrent eas ad ſigillũ ſuum nouum renouãdas, & niſi fecerint, nihil quod actum fuerat per ſigillũ ſuum vetus, ratum haberetur. Eodem anno *Innocentius* Papa miſit literas ſuas deprecatorias ad *Rich.* regem Angliæ pro *Gaufrido* Ebor. Archiepiſc. poſtulãs, & paterna admonitione exhortãs, vt ipſe præfatũ Archiepiſc. prece ſua, & ſeruitio in amorem, & fraternam familiaritatem ſuſciperet, & cum pace ad ſua redire ꝑmitteret, ne oporteret eum, in illum, & in regnum ſuum per eccleſiaſticam cenſuram animaduertere. Vnde factum eſt, quod *Rich.* rex Angliæ miſit ad præfatum Archiepiſc. *Philippum* Dunelmenſem, & *Euſtachium* Elienſem, & *Godefridum* Winton. & *Iohannem* Wigorn. & *Sauaricum* Bathoniẽſem Epiſc. in ſpiritu humilitatis poſtulantes ex parte regis, vt ipſe ratas haberet donationes regis, quas fecerat in Eboracen. Eccleſia, & dominus rex redderet ei Archiepiſcopatum ſuum cum omni integritate. Quibus Archiepiſcopus reſpondit; Confratres mei eſtis, & conſiliũ veſtrum faciam, ſi feceritis mihi ſcriptum cum ſigillorum veſtrorũ teſtimonio, ꝙ conſilium iſtud coram domino Papa Warentizabitis. Cui præfati Epiſcopi reſponderunt, Scriptum non dabimus, ſed in voluntate veſtra ſit: ætatem habetis, pro vobis ipſis loquimini; & his dictis, qui miſſi fuerãt, redierunt ad regem cum reſponſo Archiepiſcopi. Et Archiepiſcopus Romam profectus eſt; & rex Angliæ contra eũ nuntios ſuos Romam miſit, qui in hac forma ſcripſerunt ei. *Dominus papa ſcribit vobis cum multa ſupplicatione, vt reſtituatis Archiepiſcopo Ebor. Archiepiſcopatum ſuum in integrum, cum fructibus de Archiepiſcopatu perceptis. Ita tamen, quod de pecunia, in qua cum vobis tenere propoſuimus, vobis plene, & integre ſatisfaciat: ſcribit etiam domino Cardinali, & aliis quibuſdam, vt ad faciendum vos moneant, & inducant: vel ſi omnino nolueritis, primo per interdictũ Ebor. prouinciæ, deinde per totius regni interdictum, appellatione remota, compellant. Clerici vero veſtri per Cardinalem commotione præmiſſa ad reſignandos redditus, quos interim perceperint, cum diſtrictione cogẽtur, niſi aut authoritate Romanæ Eccleſiæ, aut decuſſione 6. menſiũ, iuxta Lateranenſe concilium excepto tẽpore ſuſpenſionis, poterunt ſe tueri. Canonici Ebor. Eccleſiæ debent moneri ad concordiam, & ſi aliquid nouum emerſerit, iterum vtraq; pars domini papæ ſe præſentabit obtutibus, priuilegio canonicorũ vigorem ſolitũ obtinente. Eodem anno in æſtate intra fines Italiæ in quadam ciuitate non longe à Ianuis res digna memoria contigit. In hac ciuitate primo quidã ciuis, exigentib. peccatis ſuis, effectus eſt energumenus, id eſt dæmoniacus; & infra paucos dies adeo creuit eorum numerus, vt quilibet ſibi timeret, ne ſimile incurreret periculum. Communi igitur ciuium conſilio ad eandem vrbem vocati conuenerunt viri religioſi, & præcipue Abbas de Luceio de ordine Ciſtercẽſi, qui inter eos maior religionis authoritate vocabatur & videbatur, vt quid agendum pauidis ciuibus, deliberarent. Indictum eſt triduanum ieiunium. Tertia vero die conuocatis coram ſe dæmoniacis, obteſtatur prædictus Abbas in nomine* Ieſu Chriſti, *quatenus ſane cauſam exponãt, cur hanc ciuitatem plus cæteris vexare præſumpſerint, & vt exeãt à famulis* Chriſti *nomine ſignatis. Quorũ vnus voce terribili, & ſublimi clamans, Cogitis nos, inquit, exire ex vaſis nobis rationabiliter conceſſis. Nos quidem ſumus legio illa dæmonum, quã* Ieſus *veſter ab homine eiectam permiſit præcipitare porcos in mare. Nunc autem vinculis, quibus tenebamur ſoluti, poteſtatem accepimus in blaſphematores tantum virginis Mariæ. In hac igitur ciuitate ta-*

al. renouationem.

Papa ſollicitat pro Gaufrido Ebor. Archiepiſc.

les inuenimus, & inuentos ſicut dignum eſt, torquere debemus. Quare ſi eiecti fuerimus, noueritis, quod te, hypocrita, & ordinem tuum in proximo perſequemur. Ad ſecundam igitur iuſsionem ipſius exierunt, cum magna tamen difficultate, relinquentes fœda veſtigia. Eodem anno *Aimericus* de Lezinant, rex de Barhud, & *Accaron* princeps inſulæ Cypri, & cæteri Chriſtiani de terra Suliæ, & Pagani, qui in eadem terra ſunt, ceperunt inter ſe treugas à feſto natiuitatis S. *Iohannis Baptiſtæ* in 6. annos ſequentes duraturas, niſi aliquis rex Chriſtianorum potens in partes illas veniret. Eodem anno *Rich.* rex Angliæ, & *Philippus* rex Franciæ mẽſe Nouemb. ceperunt inter ſe treugas, vſque ad feſtum *Hilarii* proximo ſequens. Eodem anno *Philippus* Dunelm. Epiſc. ad petitionem *Roberti* de Turnham conceſſit ei coram rege recognitionẽ 12. legalium hominum de viſneto de Clif, quis illorum maius ius habebat in illo manerio de Clif: videlicet vtrum ipſe *Robertus* debebat manerium illud tenere de Epiſcopo Dunelmenſi, & inde homo ſuus eſſe; vel Epiſcopus illud deberet habere in demenio. Per ſacramentum igitur 12 legalium hominum recognitum eſt, manerium illud eſſe ius hæreditariũ vxoris prædicti *Roberti*, filii *Willielmi Foſſard*, & ſic præfatus Epiſcopus amiſit manerium illud de Clif, quod prædeceſſores ſui multo tempore pacifice, & inconcuſſe poſſederant. Facta autẽ ſunt hæc coram *Hugone Bardulphi*, & magiſtro *Rogero Harundel*, & *Gaufrido Haget* tunc temporis placitorũ coronæ regis apud Eboracum iuſtitiariis. Eodẽ anno defuncto magiſtro *Richardo* de Gouldingham, *Philippus* Dunelmenſis Epiſc. & *Bertrammus* Dunelmenſis Eccleſiæ Prior diſſenſerunt in donatione Eccleſiarum prædicti *Richardi*. Dicebat enim Epiſcopus, donationẽ ad eum pertinere tanquũ ad Epiſcopũ, & Abbatem Dunelm. Eccleſiæ. Hæc contra Prior reſpondit, quod ad eum pertinebat donatio, quia prædeceſſores ſui, & ipſe ſine alicuius contradictione eas dederant, ſicut priores, & domini fundi; & illi, qui omnem poteſtatem Abbatis in choro, & in diſpoſitione domus, & redditũm ſuorum habent ex cõceſſione regum, & inſtitutione Epiſcoporũ Dunelm. & Romanorum pontif. confirmatione. Sed non ſic quieuit controuerſia illa, imo in tantum excreuit, quod ex præcepto Epiſcopi *Aimericus* Dunelmenſis Archidiaconus obſedit Eccleſiam S. *Oſwaldi* in Cluet, in quam monachi ſe receperant, & non permiſit victualia ad eos deferri. Quadam autem die poſt appellationem à Monachis ad ſummum pontificem factam, idem *Aimericus* fecit ignem apponi oſtio Eccleſiæ, vt ſic per fumum, & vaporem ignis monachos eiiceret. Semiuſto igitur oſtio funeſti ſatellites intrauerunt Eccleſiam, & vi, & armata manu eiecerunt monachos. Sed Deus mutauit ſententiam Epiſcopi in melius, qui propter reuerentiam beatiſſimi *Cuthberti*, eandem Eccleſiam in proprios vſus monachorum contulit, & charta ſua confirmauit: conceſſit etiam illis liberam Eccleſiarum ſuarum diſpoſitionẽ, cum illius tamẽ moderato aſſenſu. Eodẽ anno Papa *Innocentius*, videns afflictionẽ Chriſtianorũ, qui erant in terra Hieroſolymitana, in hac forma ſcripſit.

EPISTOLA INNOCENTII PAPAE
de ſubuentione facienda terræ Hieroſolymitanæ.

INnocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabilibus fratribus, Ebor. Archiepiſc. & Suffraganeis eius, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Eccleſiarum prælatis, Comitibus, & Baronibus, & vniuerſo populo in Ebor. prouincia cõſtitutis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Poſt miſerabile Ieroſolymitanæ regionis excidium, poſt lachrymabilem ſtragem populi Chriſtiani; poſt deplorandam inuaſionẽ illius terræ, in qua *Chriſti* pedes ſteterunt, & vbi Deus rex noſter ſalutẽ in medio terræ dignatus eſt operari; poſt ignominioſam nobis viuificæ crucis tranſlationem, in qua ſalus mundi pependit, & deleuit chirographum mortis antiquæ; Apoſtolica ſedes ſuper tantæ calamitatis infortunio turbata laborauit, clamans, & plorans ita, quod præ inceſſante clamore raucæ factæ ſunt fauces eius, & ex vehementi ploratu ipſius oculi defecerunt. Verum *ſi* ſecundum prophetam *Ieruſalem oblití fuerimus, obliuiſcatur nos dextra noſtra: adhæreat lingua noſtra faucibus noſtris, ſi non meminerimus eius.* Clamat adhuc Apoſtolica ſedes, & quaſi tuba vocẽ exaltat, excitare cupiens populos Chriſtianos ad prælium *Chriſti* bellandum, & vindicandũ iniuriam crucifixi, vſa ipſius verbo dicentis: *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor meus.* Ecce enim, hæreditas noſtra verſa eſt ad alienos, domus noſtræ ad extraneos deuenerunt, viæ Sion lugent, eo quod non ſint, qui veniant ad ſolennitatem; facti ſunt inimici eius in capite. Sepulchrum Domini, quod propheta glorioſum fore prædixit profanatum ab impiis inglorium eſt affectũ. Gloria noſtra, (de qua dicit Apoſtolus: *Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti:*) ſub manu tenetur hoſtili; & ipſe Dominus noſter *Ieſus Chriſtus*, qui captiuitatẽ noſtram pro nobis moriens captiuauit, quaſi captiuus ab impiis ab hæreditate ſua cogitur exulare. Exiſtente quondam in caſtris arca Domini Sabaoth, *Vrias* domum ſanctam ingredi recuſauit, à licito vxo-

to vxoris ſe compeſcens amplexu. Nunc vero principes noſtri, gloria Iſrael de loco ſuo in iniuriam noſtri tranſlata, vacant adulterinis amplexibus, delitiis, & diuitiis abutentes; & dũ ſe inuicem inexorabili odio pſequuntur, dũ vnus in aliũ ſuas nititur iniurias vindicare nõeſt, quẽ moueat iniuria crucifixi: non attendentib. ipſis, ꝙ iam inſultant nobis inimici noſtri, dicẽtes: *Vbi eſt Deus veſter, qui nec ſe poteſt, nec vos de manib. noſtris liberare? Ecce iã profanauimus ſancta veſtra; Ecce, iam ad deſiderabilia veſtra manũ extendimus, & ea loca impetu primo violabiliter inuaſimus; & ea vobis tenemus inuitis, in quib. ſuperſtitionem noſtrã principium fingitis ſuſcepiſſe. Iam infirmauimus & confregimus haſtas Gallorum, Anglorum conatus eluſimus, Teutonicorum vires compreſſimus, nunc ſecundo Hiſpanos domuimus animoſos, & cum omnes virtutes veſtras in nos duxeritis concitandas, vix adhuc in aliquo profeciſtis. Vbi eſt ergo Deus veſter? exurgat nunc & adiuuet vos, & fiat vobis, & ſibi protector. Teutonici ſiquidem qui ſe præſumebant inauditũ de nobis reportare triumphum, ad nos vehementi ſpiritu transfretauerunt; & cum ſolum caſtrũ Baruth, nullo defendente, cepiſſent, niſi eos ſicut & alios principes veſtros fuga beneficium liberaſſet, in ſe potentiam noſtram grauiter fuiſſent experti, & eorum ſtragem ipſorum ſoboles perpetuo ploraret. Reges enim, & principes veſtri, quos dudum fugauimus de terra Orientis, vt terrorem ſuum audendo diſſimulent, ad ſuas latebras, ne dicamus regna r[illegible] malunt ſe inuicem expugnare, quam denuo vires noſtras, & potentiam experiri. Quid igitur ſupereſt, niſi vt his, quos fugientes in excuſationem veſtram ad terræ concordiam dimiſiſtis, gladio vltore peremptis, in terram veſtram impetum faciamus, nomen veſtrũ, & memoriam perdituri?* Qualiter ergo, fratres, & filii, opprobria exprobrãtium repellemus, qualiter iis poterimus reſpondere? cũ eos pro parte verum proſequi videamus? ſicut nuper ad audientiã noſtram certa ſignificatione peruenit. Recepimus enim literas de partib. vltramarinis, quod, cum Teutonici Accõ nauigio perueniſſent, caſtrũ de Baruth obtinuerunt, nomine defendente. Saraceni vero in Ioppen facientes impetũ ex aduerſo, eam per violentiã occupauerunt, & cæſis multis Chriſtianorum millibus eã funditus deſtruxerunt. Verũ Teutonici rumorib. de morte imperatoris acceptis, non expectato paſſigii tempore, naues reduces aſcenderunt. Vnde Saraceni, qui ad reſiſtendũ eis exercitum parauerant copioſum, in terram Chriſtianorum adeo debacchantur, vt Chriſtianis nec ſine periculo ciuitates egredi liceat, nec in ipſis ſine formidine remanere: imo gladius eius foris imminet, metus intus. Aſſumite igitur, filii, ſpiritum fortitudinis, ſcutum fidei, & galeam ſalutis accipite, non in numero aut viribus, ſed Dei potius (cui non eſt difficile in multis, vel in paucis ſaluare) potentia confidentes, & ei, per quẽ eſtis, viuitis, & habetis, ſecundum facultates ꝓprias ſubuenite. Ipſe quidem pro vobis *ſemetipſum exinaniuit, formã ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominũ factus; & habitu inuentus eſt, vt homo, factus obediẽs vſq; ad mortem, mortem autẽ crucis;* & vos eo paupere abũdatis, ipſo fugato, quieſcitis, & nec inopi, nec exuli ſubuenitis? Quiſquis igitur in tantæ neceſſitatis articulo ſuum negauerit obſequiũ Ieſu Chriſto, cum ante tribunal eius aſtiterit iudicandus, q ad ſuam excuſationẽ ei poterit reſpondere? Si Deus ſubiit mortẽ pro homine, dubitabit homo mortẽ ſubire pro Deo? * *Non enim ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futurã gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Negabit ergo ſeruus domino diuitias temporales, cum dominus ſeruo diuitias largi- *al. Cum non ſint.* atur æternas, *Quas nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit? Theſaurizet* igitur homo *theſauros in cœlis, vbi fures non effodiunt nec furantur; vbi nec ærugo, nec tinea demolitur.* Omnes, & ſinguli accingantur ita, quod in proximo ſequenti Martio, quælibet vrbes per ſe, ſimiliter & Comites, & Barones iuxta facultates proprias ad defenſionẽ terræ natiuitatis Dominicæ certis in expẽſis dirigant numerũ bellatorum, illic ſaltem per bienniũ moraturum. Licet autem inſtantia noſtra ſit quotidiana ſolicitudo Eccleſiarum omniũ, modo tamen hanc quaſi præcipuam inter alias ſolicitudines reputamus ꝑ quam terræ Orientali totis deſideramus affectib. ſubuenire: ne ſi forte fuerit dilata ſubuẽtio, reſiduũ locuſtæ comedat bruchus, & fiãt nouiſſima deteriora priorib. Verum ne nos aliis onera grauia, & importabilia videamur imponere, digito autẽ noſtro ea mouere nolumus. dicentes tantũ, & aut nihil, aut minimum facientes, cũ qui fecerit & docuerit, magnus vocetur in regno cœlorũ; eius exemplo, qui cœpit facere, & docere, vt nos, qui (licet immeriti) vicem eius exercemus in terris, bonũ aliis præbeamus exemplũ, in pſonis pariter, & in reb. terræ ſanctæ decreuimus ſubuenire; dilectis filiis noſtris *Stephano* tituli S. *Praxedis* presbytero, & *Petro* tituli S. *Mariæ* in via lata diacono Cardinalibus, Apoſtolicæ ſedis legatis, viris vtiq; timoratis, ſcientia, & honeſtate præclaris, potentib. in opere & in ſermone (quos inter alios fratres noſtros ſpeciali charitate diligimus) manu propria crucis ſignaculũ imponẽtes, qui exercitum Domini humiliter, & deuote præcedant, & nec mendicatis ſuffragiis, ſed noſtris, & fratrum noſtrorũ ſumptib. ſuſtentẽtur: per quos etiam aliud competens ſubſidiũ eidem terræ diſpoſuimus deſtinare. Interim autem dictũ *Petrum* S. *Mariæ* in via lata diaco

num Cardinalem ad chariſſimorum in Chriſto filiorum, *Philippi* Francorum & *Richardi* Anglorum, regum illuſtrium præſentiam deſtinamus, ad reformandam pacem, vel treugas ſaltem vſque ad quinquennium ordinandas, & exhortandos populos ad obſequium crucifixi: quem, ſicut Apoſtolicæ ſedis legatum, volumus, & mandamus ab omnibus honorari, & mandatis & ſtatutis ipſius humiliter obediri. Dictum vero *Stephanum* ſanctæ *Praxedis* presbyterum Cardinalem Venetias pro terræ ſanctæ deſtinamus ſubſidio. De communi præterea fratrum noſtrorũ deliberatione ſtatuimus, & vobis fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, & aliis Eccleſiarũ prælatis diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus certum numerum bellatorum, vel pro certo numero certam pecuniæ quantitatem, in proximo ſequenti Martio, penſata facultate cuiuslibet, ad expugnandam Paganorum barbariem, & ſeruandam hæreditatem Domini deſtinetis, quam ipſe proprio ſanguine comparauit. Si quis autem, (quod non credimus) conſtitutioni tam piæ & neceſſariæ præſumpſerit obuiare, ſicut ſacrorum canonum tranſgreſſorem, decreuimus puniendum, & vſque ad ſatisfactionem congruam ab officio cenſemus manere ſuſpenſum. De Dei ergo miſericordia, & beatorum Apoſtolorum *Petri*, & *Pauli* authoritate confiſi, & illa quam Deus nobis licet indignis) ligandi & ſoluendi contulit poteſtate, omnibus, qui laborem huius itineris in perſonis propriis ſubierint & expenſis, plenam peccatorum ſuorum, de quibus oris, & cordis egerint pœnitentiam, veniã indulgemus, & in retributione iuſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum: Iis autem, qui non in propriis perſonis illuc acceſſerint, ſed in ſuis tantum expenſis, iuxta facultatem & qualitatem ſuam viros idoneos deſtinauerint, illic ſaltem per biennium moraturos; & illis ſimiliter, qui, licet in alienis expenſis, in propriis tamen perſonis aſſumptæ peregrinationis laborem impleuerint, plenam ſuorum concedimus veniam peccatorum. Huius ergo remiſſionis volumus eſſe participes iuxta quantitatẽ ſubſidii, ac præcipue ſecundum deuotionis affectũ, qui ad ſubuentionem illius terræ de bonis ſuis congrue miniſtrabunt. Vt autem expeditius, & ſecurius ad ſubuentionẽ terræ natiuitatis Dominicæ quilibet accingantur, bona ipſorum, ex quo crucem ſuſceperint, ſub beati *Petri*, & noſtra protectionẽ ſuſcipimus; nec nõ ſub Archiepiſ. & Epiſcoporũ, & aliorũ prælatorum Eccleſiæ Dei defenſione conſiſtant; ſtatuentes, vt donec de ipſorũ obitu vel reditu certiſſime cognoſcatur, integra maneant, & quieta conſiſtant. quod ſi quiſquã contra præſumpſerit, per cenſurã eccleſiaſticam compeſcatur. Ab hoc igitur opere nullus omnino ſe ſubtrahat, cum id non à nobis, ſed ab ipſis fuerit Apoſtolis inſtitutũ, qui collectas faciebãt in gentibus, vt fratrib. in Ieruſalem laborantibus ſubuenirent. Nolumus autem vos de diuina miſericordia deſperare, quantumcunq; ſit Dominus peccatis noſtris iratus, qui in manu veſtra perficiat, (ſi, prout debetis, in humilitate cordis & corporis iter fueritis pegrinationis aggreſſi) quod maioribus non conceſſit. Conſenſiſſent enim maiores forſitan, & dixiſſent: Manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia; & ſibi, non Domino gloriam victoriæ aſcripſiſſent. Speramus enim, quod non in ira miſericordias continebit, qui, cum iratus eſt, nõ obliuiſcitur miſereri, nos admonẽs & exhortans: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Credimus etiam, quod, ſi ambulaueritis in lege Domini, non eorum ſequentes veſtigia, qui vani facti ſunt poſt vanitatem euntes, qui comeſſationibus & ebrietatibus voluptuoſe vacabant, & ea exercebant in partibus tranſmarinis, quę in terra natiuitatis propriæ ſinẽ multa infamia, & detractione plurima non auderent; ſed ſi ſpem veſtram in eo ſolummodo poſueritis, qui non deſerit ſperantes in ſe, non tantum ab illicitis, ſed quibuſdam & licitis abſtinentes: is qui currum, & exercitum *Pharaonis* proiecit in mare, arcum fortiũ infirmabit, & inimicos crucis *Chriſti*, vt lutum platearum, à facie veſtra delebit; non autem nobis, aut vobis, ſed nomini ſuo dans gloriam; qui eſt glorioſus in ſanctis, mirabilis in maieſtate, faciens prodigia & poſt lachrymationem & fletum, gaudium & exultationem inducens. Si qui præterea proficiſcentium illud ad præſtandas vſuras iuramento tenentur aſtricti, credimus eorum per vos, fratres Archiepiſcopi & Epiſcopi, in diœceſibus veſtris eccleſiaſtica diſtrictione, ſublato appellationis obſtaculo, cõpelli mandamus, vt eos à ſacramento penitus abſoluentes, ab vſurarum vlterius exactione deſiſtant. Si quis vero creditorum eos ad ſolutionem coegerit vſurarum, ad reſtitutionem earum, ſublato appellationis obſtaculo, per vos ſimili diſtrictione cogatur. Iudæi vero ad remittendas illis vſuras per vos, filii principes, & per ſecularẽ compelli præcipimus poteſtatẽ: & donec eas remiſerint, ab vniuerſis *Chriſti* fidelibus, tãm in mercimoniis, quã aliis, per excommunicationis ſententiã, communionem iis iubemus omnimodam denegari. Ad hec autẽ expeditius, & melius exequẽda in prouincia veſtra, vos filii Prior de * Thurgartun, & magiſter *Vacaru*; duximus deputandos, qui verbũ Domini cæteris proponatis, & ad implendũ mandatum Apoſto-

al. Thurgartum.

Apoſtolicum venerabiles fratres noſtros Archiepiſcopum veſtrum, & eius ſuffraganeos, & alios inuitantes, taliter exequamini cauſam Domini, quod & vos huius ſitis remiſſionis participes, & in hoc deuotio veſtra plenius eluceſcat. Ad quod etiam laudabilius exequendum, vobis vnum de fratribus Militię templi, alterum vero de fratribus Ieroſolymitanę Hoſpitalis, viros honeſtus, & prouidos, aſſumatis. Datum Romę apud S. *Petrum*. Idus Auguſti, pontificatus noſtri anno primo.

Eodem anno erat in Gallia quidam ſacerdos nomine *Fulco*, quem magnificauit Dominus in conſpectu regum: deditq; ei poteſtatem cæcos illuminare, claudos, mutos, & alios diuerſis languoribus oppreſſos curare, dęmones effugare; hic autem meretrices, relicto impudicitiæ fræno, ad Dominum conuertit; vſurarios etiã ad cœleſtem theſaurum inuitans, quem nec ęrugo, nec tinea demolitur, nec fures furantur, fecit omnem ſubſtantiam, quam vſura & fœnus deuorauerat, in vſus pauperum diſtribuere. Ipſe quidem prædixit regibus Francię & Anglię, quod vnus illorum mala morte in proximo interiret, niſi celerius ab hoſtilitate ceſſaſſent. Et quia in illo tempore meſſis quidem erat multa, & pauci operarii, coniunxit ei Dominus viros ſapientes verba ſalutis æternæ prędicantes, magiſtrum *Petrum* & dominum *Robertum* & dominum *Euſtachium* Abbatem de Flai, & cæteros quoſdam, qui miſſi per orbem terrarum prędicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Prædictus autem *Fulco* quadam die acceſſit ad *Richardum* regem Anglię & ait illi: Dico tibi ô rex ex parte omnipotentis Dei, vt tres filias tuas, quas habes peſſimas, citius marites, ne aliquid deterius tibi contingat. O, digito compeſce labella, accuſator erit, qui verum dixit. nemo ſine vitiis naſcitur, beatus, qui minimis vrgetur; & alibi, Nemo ſine crimine viuit. Cui fertur regem reſpondiſſe: Hypocrita, mentitus es in caput tuum, quia filiam non habeo vllam. Ad quod *Fulco* reſpondens, ait, Certe non mentior; quia, vt dixi, tres habes filias peſſimas, quarum vna eſt ſuperbia, altera cupiditas, tertia luxuria. Conuocatis igitur ad ſe Comitibus, & Baronibus multis, qui aderant, ait rex: Audite vniuerſi commonitionem huius hypocritę, qui dicit me habere tres filias peſſimas, videlicet ſuperbiam, cupiditatem, & luxuriam: & præcipit, vt eas maritem. Do igitur ſuperbiam meam ſuperbis templariis, & cupiditatem meã Monachis de ordine Ciſtercienſi; & luxuriam meam prælatis Eccleſiarum. *O nimis indignum miſeris inferre cachinnum.* Itaq; prædictus *Fulco* relicto rege abiit prædicans verbum Dei, é ciuitate in ciuitatem. Cumq; prædicando verbum Dei, ciuitatem Lexouienſem eſſet ingreſſus, clerici ciuitatis illius, quorum vitam immundam vir ille plenus ſpiritu ſancto, & operib. bonis reprehenderat, iniecerunt manus in illũ, & vinculis conſtrictũ in carcerem miſerunt. Sed neq; vincula, neq; carceres eũ tenere potuerunt: & ſic permiſſus abire, venit Cadamum, prædicans præceptum Domini; & in cõſpectu plebis multa ſigna faciebat. Cuſtodes autem caſtelli exiſtimantes quod placeret regi, iniecerunt manus in eũ, & vinctum miſerunt in carcerẽ; & ruptis carcere & vinculis, exiuit illæſus, & ibat gaudens, quoniam dignus habitus eſt contumeliam pati pro nomine *Chriſti*; & exiens à caſtello, excuſſit puluerem pedum ſuorum in teſtimonium ſupra illos. Eodem anno 5. Idus Octob. die Dominica, prece officialiũ *Gaufrido* Eboracen. Archiepiſcopi, *Philippus* Dunelm. Epiſc. apud *Houeden* benedixit *Adam* in Abbatem de Sallaie, & *Hamonem* in abbatem de Beiland, facta profeſſione, & canonica obedientia Eccleſiæ Eboracẽſi, & eius vicariis ſaluo ordine ſuo. Eodem menſe *Willielmus*, cognomento *Cocus*, ſeruiens *Richardi* regis Anglię in cuſtodiendo caſtellum de Leuns cepit de familia regis Franciæ quater viginti ſeruientes equites, & 40. ſeruiẽtes pedites, quos rex Franciæ miſerat ad muniendum caſtellũ de Nouo Mercato. Eodem anno obierunt *Richardus* Londonienſis Epiſcopus, *Iohannes* Wigornienſis Epiſcopus, & *Willielmus* de Ver Herefordenſis Epiſcopus, & Epiſcopus Meneuenſis. & *Amfridus* del Turun primus maritus prædictæ *Milſent* vxoris *Guidonis* quondam regis de Ieruſalem. Eodem anno obiit in Sicilia apud Pannormum *Conſtantia* quondam Romanorum imperatrix, vxor *Henrici* imperatoris: cuius filiũ *Innocentius* Papa recepit in cuſtodia cum regno Sicilię, & ducatu Apulię, & principatu Capuę. Eodẽ anno *Philippus* Beluacenſis Epiſc. obtulit *Richardo* regi Anglię 10. millia marcarum argenti pro liberatione ſua. Eodem anno *Richardus* rex Anglię firmauit caſtellum in quadã inſula Secaniæ, q; appellauit Butteauant: & rex Francię firmauit caſtellũ ex oppoſito illi, q; appellauit *Bulecut*. Eodem *al. Culetus.* anno *Richardus* rex Angliæ dedit magiſtro *Malgero* clerico ſuo Epiſcopat. Wigorn. Defuncto autẽ papa *Cœleſtino*, *Innocẽtius* papa tertius ſubſtitutus, iterũ ſuſpendit *Aldefonſum* regem de *S. Iacobo*, & totã terram ſuam a celebratione diuini officii, ꝓpter vxorẽ ſuam filiam regis Caſtellæ: erãt enim conſanguinei in tertio gradu. Et licet rex ille de S. *Iacobo* obtuliſſet domino Papæ *Innocentio*, & Cardinalib. 20. millia marcarum argenti, & obtuliſſet tenere ad ſti-

ſtipendia 200. milites per vnius anni ſpatium ad defenſionem Chriſtianorum contra Paganos tali conditione, vt dominus Papa pmiſiſſet illos in ſimul morari, donec Deus daret iis ſobolē, vt ſaltē p tres annos: noluit tamē dominus papa *Innocētius* in hoc illis cōſentire.

ANNO gratiæ milleſimo centeſimo nonageſimo nono, qui eſt annus decimus, & vltimus regni *Richardi* regis Angliæ, fuit idem *Richardus* in Normannia apud Danfrunt, die natalis Domini, quæ feria ſexta euenit: & *Philippus* rex Franciæ fuit eodem die in Normannia apud Vernun: & *Otho* rex Alemannorum nepos *Richardi* regis Angliæ fuit eodem die apud Weſtfale in Alemannia, quæ diſtat a Colonia per 9. dietas; quas ipſe *Otho* potenti virtute acquiſierat ſuper *Philippum* ducem de Suaue, filium *Frederici* quondam Romanorum imperatoris. Et ſtatim poſt natale Domini prædictus *Otho* diuiſit exercitū ſuū in duas partes, & duas ciuitates prædicti *Philippi* obſedit. Reges vero Franciæ, & Angliæ conuenerunt ad colloquium inter Andeli, & Vernun in feſto *S. Hilarii*, ita quod rex Angliæ nauigio illuc venit aſcēdendo per Sequanam fluuium, & nolens in terram aſcendere, de naue locutus eſt cum rege Franciæ; qui in ripa fluminis in equo reſidens, loquebatur cum rege Angliæ ore ad os: & aliū ſtatuerunt ſibi diem colloquii, vbi in maiori ſuorum audientia (mediante domino *Petro* de Capua S. *Mariæ* in via lata diacono Cardinali, & Apoſtolicæ ſedis legato, nec non, & aliorum vtriuſque partis magnatum conſilio) ſtatuerunt inter ſe treugas ab illo feſto S. *Hilarii* per quinquennium bona fide, & ſine malo ingenio duraturas, rebus & tenementis ſic ſe habentibus ex vtraque parte, vt tunc erant; & his factis, ſacramentoque confirmatis, vnuſquiſq; reuerſus eſt in regionem ſuam, & permiſerunt exercitus ſuos cum gratiarum actione in patrias ſuas redire. Cum autem *Marchadeus* cum ruta ſua verſus patriam ſuā rediret, quatuor Comites de regno Franciæ, per quorum terras *Marchadeus* tranſiturus erat, occurrerunt ei manu hoſtili, & confecerunt eū, & multos de ſuis interfecerunt. Sed rex Franciæ factum illud deuouit, iurans, quod per illum factum non fuit. Deinde dum rex Angliæ ſpe pacis, & ſupradictæ conuentionis intuitu verſus Pictauiam iret, rex Franciæ firmauit quoddam caſtellum nouum inter Buteauant, & Guaillum, & foreſtum regis Angliæ circa locum illum extirpauit. Quod cum rex Angliæ audiſſet, reuerſus eſt in Normanniam, & mandauit regi Franciæ per *Euſtachium* Elienſem Epiſcopum Cancellarium ſuum, treugas illas eſſe diſſolutas, niſi ipſe caſtellum illud nouum demoliri faceret. Legatus autem conſuluit regi Franciæ, vt caſtellum illud demoliretur, ne propter hoc treugæ tam ſolenniter confirmatæ rumperentur: ad cuius inſtantiam rex Franciæ promiſit ſe in proximo caſtellum illud demoliturum. Sed *Richardus* rex Angliæ minime his contentus, volebat, vt ad plenum inter eos componeretur, vel nulla pax inter eos eſſet. Vnde facta eſt inter eos talis forma pacis, quod rex Franciæ redderet *Richardo* regi Angliæ totam terram, quam ipſe ſuper eum occupauerat ſiue per guerram, ſiue alio quocunq; modo, excepto ſolo caſtello de Gyſortio; in cuius recompenſatione rex Franciæ cōceſſit ipſi *Richardo* regi Angliæ donationem Archiepiſcopatus Turonis: Et quod *Ludowicus* filius regis Franciæ duceret in vxorem, filiam regis Caſtellæ, neptem *Richardi* regis Angliæ: Et præterea rex Franciæ iuraret, ꝙ pro poſſe ſuo iuuaret *Othonem* nepotem regis Angliæ ad imperium Romanum perquirendum. Hoc contra, *Richardus* rex Angliæ daret *Ludowico* filio regis Franciæ, caſtellum de Gyſortio cum prædicta nepte ſua in maritagium; & inſuper daret ei 20. millia marcarum argenti. Sed hæc omnia dilationem ceperunt vſque dum *Richardus* rex Angliæ rediret de Pictauia. *Philippus* vero rex Franciæ ſeminator diſcordiæ, mandauit regi Angliæ, quod *Iohannes* Comes Moretonii frater eius dederat ſe illi; & inde oſtenderit illi chartam ipſius *Iohannis*. Mira res. Rex Angliæ credidit regi Franciæ, & Iohannem fratrem ſuum odio habuit, adeo quod fecit illū diſſaiſiri de terris ſuis ciſmarinis, & tranſmarinis. Cū autē prædictus *Iohannes* quæreret cauſam huius indignationis, & odii, dictū eſt ei, quod rex Franciæ ſupradicta mandauerat de illo regi fratri ſuo. Vnde factum eſt, quod idem Comes Moretonii miſit duos milites loco ſui ad curiam regis Franciæ; qui cum huius criminis immunem eſſe obtulerunt modis omnib. probare, vel defendere; ſicut curia regis Franciæ iudicaret. Sed in curia illa nō eſt inuentus, neq; rex, neq; alius, qui vellet recipere inde probationem, vel defenſionem. Et factum eſt, quod rex Angliæ ex illo tempore fratrem ſuum *Iohannem* habuit familiariorem, & minus credidit mandatis regis Franciæ. Interea *Richardus* rex Angliæ conſilio *Huberti* Cantuarien. Archiepiſc. abſtulit *Sauarico* Bathonienſi Epiſcopo Abbatiam de Glaſtinbirie, & dedit eam magiſtro *Willielmo* la Pic, & ipſe factus eſt inde abbas. Interim *Widomarus* vicecomes de Limoges inuento magno theſauro auri & argenti in fundo ſuo miſit inde *Richardo* regi Angliæ domino ſuo partem non modicam; ſed rex eā refutauit, dicens, ſe debere totum illum theſaurum habere de iure donationis ſuæ: quod prædictus vice-

comes

comes nullo modo concedere voluit. Venit ergo rex Angliæ cum exercitu magno in partes illas ad prædictum vicecomitem debellandum: obſeditque caſtellum ſuum, quod dicitur Chaluz, in quo ſperabat theſaurum illum eſſe abſconditum: & cum milites, & ſeruientes, qui erant in caſtello, exeuntes obtuliſſent ei caſtellum illud, ſaluis vita, & membris, & armis illorum, noluit rex recipere, ſed iurauit, quod eos vi caperet, & ſuſpenderet. Reuerſi ſunt igitur milites, & ſeruientes in caſtellum, dolentes, & confuſi, & parauerunt ſe ad defendendum. Eodem die cum rex Angliæ, & *Marchadeus* circuirent caſtellum hinc & inde, explorantes in quo loco eſſet commodius inſultum facere, quidam arcubaliſta nomine *Bertramnus* de Gurdun traxit ſagittam de caſtello, & percutiens regem in brachio vulnerauit cum plaga inſanabili: & ſic rex vulneratus aſcendit equum ſuum, & ad hoſpitium ſuum equitauit, & præcepit *Marchadeo*, & exercitui ſuo vniuerſo, vt inſultū facerent indeſinenter in caſtellum, donec caperetur; & factum eſt ita. Quo capto, præcepit rex omnes ſuſpendi, excepto illo ſolo, qui eum vulnerauerat, quem (vt fas eſt credere) turpiſſima morte damnaret, ſi conualuiſſet. Deinde rex commiſit ſe manibus cuiuſdam medici *Marchadei*, qui, cum conaretur ferrum extrahere, ſolum lignum extraxit, & ferrū remanſit in carne; & cum carnifex ille circumquaq; brachium regis minus caute incideret, tandem ſagittam extraxit. Cum autem rex de vita deſperaret, diuiſit *Iohanni* fratri ſuo regnū Angliæ, & omnes alias terras ſuas; & fecit fieri prædicto *Iohanni* fidelitates ab illis qui aderant, & præcepit, vt traderentur ei caſtella ſua, & tres partes theſauri ſui, & omnia baubella ſua diuiſit *Othoni* nepoti ſuo regi Alemannorum, & quartam partē theſauri ſui præcepit ſeruientib. ſuis, & pauperibus diſtribui. Deinde fecit corā ſe venire *Bertramnū* de Gurdun, qui eū vulnerauerat, dixit ei, Quid mali tibi feci, quare me interemiſti? Cui ille reſpondit, Tu interemiſti patrem meum & duos fratres meos manu tua, & me nunc interimere voluiſti. Sume ergo de me vindictam, quamcunq; volueris: libenter enim patiar, quæcunq; excogitaueris maiora tormenta, dummodo tu interficiaris, qui tot, & tanta mala contuliſti mundo. Tunc præcepit eum rex ſolui, & dixit: Remitto tibi mortem meā. At iuuenis,

Richardus rex vulneratus moritur.

Conſtitit ante pedes regis, vultuque minaci,
Nobilitas recta ferrum ceruice popoſcit;
Senſit rex pœnamq; peti, veniamq; timeri:
Viue, licet nolis, & noſtro munere, dixit,
Cerne diem. victis iam ſpes bona partibus eſto
Exemplumq; mei.

Et ſic laxatis vinculis permiſſus eſt abire; & præcepit rex ei dari 100. ſolidos Anglicanæ monetæ. Sed *Marchadeus*, rege neſciente, iniecit manus in eum, & tenuit, & poſt obitum regis, excoriatum ſuſpendit. Deinde præcepit rex, vt cerebrum, & ſanguis eius, & viſcera ſua ſepelirentur apud Charrou, & cor ſuum apud Rothomagum, & corpus ſuum apud frontem Ebraudi ad pedes patris ſui. Deceſſit autē 8. Idus April. feria 3. ante Dominicam in ramis palmarū * XII. die, poſtquam percuſſus fuerat; & ſui ſepelierunt eum in ſupradictis locis, ſicut præceperat. De morte autem illius, quidam ſic ait. *al. 9.*

Iſtius in morte perimit formica Leonem.
Pro dolor, in tanto funere mundus obit: Et alius ſic.
Virus, auaritia, ſcelus, enormiſque libido,
Fœda fames, atrox elatio, cæca cupido
Annis regnarunt bis quinis: arcubaliſta
Arte, manu, telo, proſtrauit viribus iſta. Et alius ſic.
Si genus, & probitas metas tranſcendere mortis
Poſſent, intraſſem non ego mortis iter.
Stare putas hominem, cui mors ab origine finem
Nunciat, & meus eſt, ingeminat, meus eſt?
Longa manus morti; mors fortior Hectore *forti:*
Expugnant homines oppida, mors homines. Et alius ſic.
* *Huius debellare nequiuit virtutem magnorum turba laborum;*
Cuius iter, greſſus, obſtacula nulla retardant,
Non ſtrepitus, non ira maris, non vallis abyſſus,
Non iuga, non celſi præceps audacia montis,
Aſperitasque via ſaxis colloſa, nec ipſa
Limitis ambages, deſertaque neſcia greſſus,
Non rabies venti, non imbribus ebria nubes,
Non tonitrus horrenda lues, non nubilus aer:

Quin

Quin experiretur, quid Siculi, quid Cyprus, quid Saladinus, quidque gens pagana poſſint in armis:

Nec pede lento
Affectum ſequitur effectus * *& ſimul inſtans;*
Naſcitur effectus, cum naſcitur ipſa voluntas.

al. ſed

Defuncto itaque *Richardo* rege, *Savaricus* Bathonienſis Epiſcopus ſtatim ſuſcitauit litem aduerſus magiſtrum *Willielmum* la Pie abbatem Glaſtonię, & proteſtans ius ſuum coram domino papa *Innocentio* in pręſentia vniuerſorum Cardinalium, dicendo, quod *Richardus* rex Anglię dederat ei abbatiam illam Glaſtonię in vita ſua habēdam, & poſtea prauo vſus conſilio eam abſtulerat ab eo iniuſte, aſſerebat etiam conſtanter, paratus modis omnibus probare, quod antiquitus fuit apud Glaſtoniam ſedis Epiſcopalis, quę nunc eſt apud Baa: & petebat ſibi inde fieri reſtitutionem, & vt liceret ei transferre illuc ſedem Epiſcopalem, quæ eſt apud Baa. Defuncto autem *Richardo* rege *Philippus* rex Francię ſtatim bello inuaſit ciuitatem Eubroicarum, & cepit; & totum comitatum ſibi ſubiugauit. Eodem anno, die S. *Patritii*, viz. 16. Kal. April. feria 4. *Ioſcelinus* venerabilis * Glaſtonenſis Eccleſię antiſtes obiit apud * Melgos, vbi ipſe extiterat venerandus abbas; & ibidem in choro Monachorum, ex boreali parte Eccleſię ſepultus eſt. Defuncto Papa *Cœleſtino*, & *Innocentio* papa loco illius ſubſtituto, *Cnut* rex Dacorum miſit nuncios ſuos Romam ad *Innocentium* papam, & conqueſtus eſt ei de *Philippo* rege Franciæ, qui *Batildam* ſponſam ſuam ſororem illius iniuſte reliquerat, & aliam in loco eius in vxorem duxerat: conqueſtus eſt etiam domino Papę de *Willielmo* Remenſi Archiepiſcopo, & de aliis Epiſcopis, & Comitibus, & Baronibus Francię, per quos diuortium factum fuit inter ipſum regem Francię, & *Batildam* reginam poſt appellationem ab ipſa ad dominum papam factam. Ad inſtantiam igitur *Cnut* regis Dacorum, dominus Papa *Innocentius* dedit in mandatis *Petro* de Capua Cardinali, & Apoſtolicæ ſedis legato, vt ipſe omnibus modis induceret *Philippum* regem Franciæ ad dimittēdam adulteram ſuam, & ad reſumendam *Batildam* vxorem ſuam, & ni fecerit, daret ſententiam interdicti in regnum Franciæ.

al. Glaſtenenſis.
al. Melros,

DE IOHANNE REGE.

Defuncto *Richardo* rege Angliæ, *Iohannes* Comes Moretonii, frater eius, moram faciens in Normannia, ſtatim miſit in Angliam *Hubertum* Cantuarienſem Archiepiſcopum, & *Willielmum* Mareſcallum Comitem de * Strigoil, ad pacem Anglię ſeruandam, vna cum *Gaufrido* filio *Petri* Iuſtitiario Anglię, & aliis Baronibus regni. Et ipſe *Iohannes* perrexit ad Chinonem, vbi theſaurus fratris ſui erat, quem *Robertus* de Turham habens in cuſtodia tradidit ei, cum caſtello de Chinon, & caſtello de Saumur, & aliis caſtellis regis, quæ ipſe cuſtodiebat. *Thomas* vero de Furnes, nepos prædicti *Roberti* de Turnhā, tradidit *Arthuro* duci Britanniæ ciuitatem, & caſtellum Andegauis. Conuenerunt enim in vnum principes Andegauiæ, Cenomannię, & Turouię, & adhęſerunt *Arthuro* duci Britannię, ſicut ligio domino ſuo; dicentes, iudicium, & conſuetudinem terrarum illarū eſſe, quod filius fratris ſenioris debet ei ſuccedere in patrimonio ſibi debito, videlicet in hęreditate, quam *Gaufridus* Comes Britannię pater ipſius *Arthuri* eſſet habiturus, ſi ſuperuixiſſet *Richardum* regem Anglię fratrem ſuum, & ideo tradiderunt *Arthuro* Andegauiam, & Turoniam, & Cenomanniam. *Conſtantia* vero mater *Arthuri* comitiſſa Britannię venit Turonum, & tradidit *Philippo* regi Francię *Arthurum* filium ſuum: quem rex Francię ſtatim miſit Pariſius cuſtodiendum, ad *Ludowicum* filium ſuum, & ſaiſiuit in manu ſua ciuitates, caſtella, & munitiones, quę *Arthuri* erant, & cuſtodibus ſuis tradidit cuſtodienda. *Iohannes* vero Comes Moretonii venit Cenomannum, & caſtellum, & ciuitatem cepit; & muros ciuitatis, & caſtellum, & domos ciuitatis lapideas ſubuertit, & ciues miſit in captiuitatem; eo quod ipſi, contra fidelitatem, quam ei fecerant, receperūt *Arthurum* in dominum. *Iohannes* autē Comes Moretonii fuit in Andegauia apud Baufort die Paſchę, quę 14. Kal. Maii euenit. Deinde idem Comes venit Rothomagum; & die Dominica in Octauis Paſchę, viz. 7. kal. Maii, feſto S. *Marci* Euangeliſtę, accinctus eſt gladio ducatus Normannię in matrici Eccleſia per manū *Walteri* Rothomagenſis Archiepiſcopi: & prędictus Archiepiſcopus poſuit in capite ducis circulum aureum habentem in ſummitate per circuitum roſas aureas: & ipſe dux coram clero & populo iurauit ſuper reliquias ſanctorum, & ſuper ſacroſancta Euangelia, quod ipſe

al. Striguil.

ipſe ſanctam Eccleſiam,& dignitates illius bona fide, & ſine malo ingenio ſeruabit illæſas,& rectam iuſtitiam exercebit, & leges iniquas deſtruet,& bonas inſtituet. Interim regina *Alienor*, mater prædicti ducis,& *Marchadeus* cum ruta ſua intrauerunt in Andegauiam, & deuaſtauerunt eam, eo quod *Arthurum* receperant. *Hubertus* vero Cantuarienſis Archiepiſcopus,& *Willielmus* Mareſcallus, qui miſſi fuerant ad pacem Angliæ cuſtodiendam, fecerunt homines regni tam de ciuitatibus, quam de Burgis,& Comites & Barones,& libere tenentes, iurare fidelitatem,& pacem *Iohanni* Normannorum duci, filio *Henrici* regis, filii *Matildis* imperatricis, contra omnes homines. Tamen vniuerſi tam Epiſcopi, quam Comites & Barones, qui caſtella habebant, munierunt illa hominibus,& victu,& armis. Deinde *Hubertus* Cantuarienſis Archiepiſcopus,& *Willielmus* Mareſcallus,& *Gaufridus* filius *Petri* iuſtitiarius Angliæ, conuenerunt apud Northampton, & conuocatis coram ſe illis, de quibus plus dubitabat, videlicet *Dauid* fratre regis Scotorum, *Richardo* Comite de Clare,& *Ranulfo* Comite Ceſtriæ,& *Willielmo* Comite de Tutesbirie, & *Walranno* Comite de Warwic, & *Rogero* conſtabulario Ceſtriæ, & *Willielmo* de Mubrai, & aliis multis tam Comitibus, quam Baronibus, fecerunt illis fidem, quod prædictus *Iohannes* Normannorum dux redderet vnicuique illorum ius ſuum, ſi ipſi illi fidem ſeruauerint,& pacem. Sub hac igitur conuentione ſupradicti Comites, & Barones iurauerunt *Iohanni* duci Normanniæ fidelitatem, & fidele ſeruitium contra omnes homines. *Willielmus* vero rex Scotorum miſit nuntios ſuos ad *Iohannem* ducem Normanniæ, petens ſibi reddi patrimonium ſuum, videlicet, Northumbriam & Cumbriam, cum pertinentiis ſuis,& ipſe fidelitatem iuraret ei, & fideliter ſeruiret contra omnes homines. Sed Cantuarienſis Archiepiſcopus,& *Willielmus Mareſcallus*, & *Gaufridus* filius *Petri* non permiſerunt nuntios regis Scotiæ transfretare ad ducẽ; ſed mandauerunt ei per Comitem *Dauid* fratrem ſuum, quod ipſe patienter ſuſtineret, donec dux veniſſet in Angliam. Similiter *Iohannes* dux Normanniæ mandauit *Willielmo* regi Scotorum per *Euſtachium* de Veſci generum ſuum, quod in reditu ſuo in Angliam ſatisfaceret ei de omnibus petitionibus ſuis, ſi ei interim pacem ſeruauerit.

Interim magiſter *Honorius*, qui regia poteſtate, & Decani,& capituli Eboraci malignitate fuerat deiectus ab Archidiaconatu de Richemund, quem *Gaufridus* Eboracenſis Archiepiſcopus ei dederat; receptus eſt in Archidiaconatu illo à perſonis eiuſdem Archidiaconatus; qui ei fidelitatem & Canonicam obedientiam iurauerunt, expulſis inde officialibus *Rogeri* de Sancto *Edmundo*, qui per regiam poteſtatem,& Decani,& capituli Eboraci authoritatem intruſus erat:& Decanus Eboraci, & capitulum excommunicauerunt prædictum *Honorium*,& eius receptores, propter iſtam præſumptionem;& dux Normanniæ præcepit, vt omnia iura Eboracenſis Eccleſiæ eſſent in eo ſtatu, quo fuerunt die, qua *Richardus* frater eius rex Angliæ fuit viuus, & mortuus. Deinde idem dux *Iohannes* transfretauit de Normannia in Angliam, & applicuit apud Scorham octauo Calend. Iunii, feria tertia,& in craſtino, videlicet, Vigilia Aſcenſionis Domini, venit Lundonias, in craſtino coronandus. Congregatis igitur apud Lundonias in aduentu prædicti ducis *Huberto* Cantuarienſi, *Iohanne* Dublinenſi, & de Raguſe Archiepiſcopus, *Willielmo* Lundonienſi, *Gilberto* Roſenſi, *Iohanne* Norwicenſi, *Hugone* Lincolnenſi, *Euſtachio* Elienſi, *Godfrido* Wintonienſi, *Henrico* Exonienſi, *Sefrido* Ciceſtrenſi, *Gaufrido* Conuentrenſi, *Sauarico* Bathonienſi, *Herberto* Salesburienſi, *Philippo* Dunelmenſi, *Rogero* de ſancto *Andrea* in Scotia, *Henrico* de Landaf Epiſcopis, *Roberto* de Leirceſtre, *Richardo* de Clare, *Willielmo* de Tutesbirie, *Hamelino* de Warenne, *Willielmo* de Salesbirie, *Willielmo*, de Striguil, *Walranno* de Warewic, *Rogero Bigot*, *Willielmo* de Arundel, *Ranulfo* de Ceſtre Comitibus, & Baronibus multis: *Hubertus* Cantuarienſis Archiepiſcopus coronauit, & conſecrauit in regem Angliæ præfatum *Iohannem* ducem Normanniæ, in Eccleſia ſancti *Petri* Apoſtoli Weſtminſtriæ, ſexto Calend. Iunii, feria 5. die Aſcenſionis Domini; *Philippo* Dunelmenſi Epiſcopo appellante, ne coronatio illa fieret in abſentia *Gaufridi* Eboracenſis Archiepiſcopi, totius Angliæ Primatis.

Eodem die coronationis ſuæ *Iohannes* rex accinxit *Willielmum* Mareſcallum gladio Comitatus de Striguil, & *Gaufridum* filium *Petri* gladio Comitatus de Eſſex: qui licet antea vocati eſſent Comites,& adminiſtrationem ſuorum comitatuũ habuiſſent, tamen nõ erant accincti gladio Comitatus:& ipſi illa die ſeruierũt ad menſem regis accincti gladiis.

Eodem die coronationis ſuæ idem rex dedit *Huberto* Cantuarienſi Archiepiſcopo Cancellariam ſuam; qui dum gloriaretur in poteſtate illa, & multa iactaret de familiaritate regis, *Hugo Bardulfi* reſpondit ei; Domine, (ſalua pace veſtra loquar) certe ſi bene conſideraretis nominis veſtri potẽtiam,& honoris dignitatem, nõ deberetis iugum ſeruitutis

Xxx

vobis imponere: quia nunquam audiuimus, vel vidimus de Archiepiſcopo fieri Cancellariũ, ſed de Cancellario vidimus fieri Archiepiſcopũ. Interim *Willielmus* Prior de May, & *Walterus* Prior de inſula Sancti *Columba*, & *Willielmus* de Haya, miſſi ex parte *Willielmi* regis Scotiæ, ad *Iohannem* regem Angliæ venerunt: per quos rex Scottorum petiit à rege Anglię Northumbriam, & Cumbriam cum pertinentiis eorum, de iure patrimonii ſui: & promiſit, quod ſi rex ea reddidiſſet illi, fideliter ſeruiret ei viribus totis; ſin minus, totum ius ſuum, ſi poſſet, adquireret. Quibus *Iohannes* rex reſpondit: Cum dominus veſter rex Scottorum, chariſſimus conſanguineus meus ad me venerit, quod iuſtum fuerit, faciam ei de iſta, & de aliis petitionibus ſuis.

Deinde *Iohannes* rex Angliæ miſit *Philippum* Dunelmenſem Epiſcopum obuiam regi Scottorum, ſperans, quod ipſe ad mandatum illius veniret; & ipſe interim venit ad Notinghan, & fuit ibi die Pentecoſtes, & in partibus illis moram fecit, expectans aduentum regis Scotię. Rex autem Scotię venire noluit; ſed remiſit ad regem Angliæ *Rogerum* Epiſcopum ſancti *Andrea*, & *Hugonem Malebiſe*, quos rex Angliæ pro illo miſerat, & petiit vt rex Anglię ſibi redderet Northumbriam, & Cumbriam: ſin minus, pro certo ſciret, quod ſecundum poſſe ſuum illa adquireret: & ad habendum inde reſponſum regis Angliæ poſuit inducias quadraginta* dies, & ipſe interim magnum congregauit exercitum. Epiſcopus vero Sancti *Andrea*, & *Richardus Malebiſſe* ſecuti ſunt regem Angliæ ad mare properantem.

al. dierum.

Interim *Iohannes* rex Anglię tradidit *Willielmo* de Stuteuille Northumbriã, & Cumbriam cum caſtellis, & comitatib. in cuſtodia, quę *Hugo Bardulphi* cuſtodierat, & reddidit *Rogero* de Laſci Conſtabulario Ceſtriæ, caſtellum ſuum de Pumfrait, accepto prius ab eo filio, & hærede in obſidem. Deinde præcepit rex *Stephanus* de Turncham, qui iam fere per duos annos cuſtodierat Archiepiſcopatum Eboracenſem, quod traderet cuſtodiam eiuſdem Archiepiſcopatus magiſtro *Radulpho* de Kima, & *Willielmo Ward*, & *Rogero* de Bauuent, ad opus Archiepiſcopi. Vnde idem *Stephanus* ſcripſit in hac forma miniſtris ſuis.

Stephanus *de* Turncham *omnibus ſeruientibus per maneria domini Eboracenſis conſtitutis ſalutem. Dominus rex mihi literis ſuis mandauit, quod traderem cuſtodiam maneriorum domini Eboracenſis magiſtro* Radulpho *de Kima*, & Willielmo Ward, *& cum eis* Rogero *de Bauuent ad opus ſuum. Ita quod exitus maneriorum ponantur in cultura terrarum, & in readificationem domorum. Quare vobis mando, quod cum ipſi prædicti, vel eorum nuntii ad vos venerint, eis ſine dilatione, & difficultate cuſtodiam maneriorum tradatis. Valete.* Et ita factum eſt. Sed rex prauo vſus conſilio, firmam maneriorum de termino Pentecoſtes ſibi retinuit; promittens, quod in reditu Archiepiſcopi omnia ei ſolueret. Archiepiſcopus vero Eboracenſis, cum per octo dierum itinera verſus domum, peractis negotiis ſuis, vt ſupradictum eſt, à Roma rediſſet: audita morte *Richardi* regis, reuerſus eſt Romam ad negotia ſua ſecundum caſus euentum reformanda.

Iohannes vero rex Anglię peractis negotiis ſuis in Anglia, transfretauit de Anglia in Normanniam & applicuit apud Depe, paulo ante feſtum Natiuitatis ſancti *Iohannis Baptiſta*, die Dominica; & in natiuitate S. *Iohannis* fuit ipſe apud Rothomagum, & confluebat ad eum multitudo equeſtris, & pedeſtris exercitus, & ſtatim ſtatutæ ſunt treugæ inter ipſum, & regem Franciæ vſque in craſtinum Aſſumptionis S. *Mariæ*. In ipſo autem die colloquii *Gaufridus* Eboracenſis Archiepiſcopus, peractis negotiis ſuis aduerſus dominum papam iuxta animi ſui deſiderium, rediit in Normanniam, & à *Iohanne* fratre ſuo honorifice, & amabiliter ſuſceptus eſt.

Interim *Philippus* Comes Flandriæ, deuenit homo *Iohannis* regis Angliæ apud Rothomagum, feria ſexta ante Aſſumptionem Sanctæ *Maria*; & frater eiuſdem Comitis Flandriæ reſignauit ſponte ſua in manu *Gaufridi* Eboracenſis Archiepiſcopi prębendam de Hunſthwait, quam habuit in Eccleſia Eboracenſi ex dono *Richardi* regis Angliæ. Similiter fecerunt alii quam plures, ſcientes, donationes illas factas fuiſſe contra Deum, & in ſanctæ Eccleſiæ detrimentum; & Archiepiſcopus ille ſtatim dedit prędicto fratri Comitis Flandriæ præbendam, quæ fuit *Petri* de Dinan in Eccleſia Sancti *Petri* Eboraci. Prædictus namq; *Petrus* iam electus erat ad Epiſcopatum de* Ronnes in Britannia; & Archiepiſcopus præcepit ſaiſiari in manu ſua Archidiaconatum de* Weſtrhig, quem ipſe habuit in Eccleſia S. *Petri* Eboraci; ſed *Adam* de Torhouere, qui tunc temporis Archidiaconatum illum poſſidebat, credere noluit, fultus regis patrocinio, & capituli Eboraci authoritate.

al. Rennes.
al. Weſtrig.

Interim *Henricus* Comes de Naumur, frater *Philippi* Comitis Flandriæ, & *Petrus* de Duay miles optimus, & familiaris Comitis Flandriæ, & electus de Cambray frater prædicti

dicti *Petri*, capti ſunt à familia regis Franciæ, & traditi ſunt illi. *Petrus* autem de Capua Cardinalis, & Apoſtolicæ ſedis legatus in Francia, in aduentu ſuo interdixit Franciam propter captionem prædicti electi de Cambray; & Normanniam propter retentionem *Philippi* Beluacenſis Epiſcopi; & antequam ſententia illa relaxaretur, *Philippus* rex Francię dimiſit præfatum electum abire liberum, & *Iohannes* rex Angliæ dimiſit *Philippum* Beluacenſem Epiſcopum abire, datis duabus millibus marcis argenti pro expenſis in ipſo, & per ipſum factis tempore *Richardi* regis Angliæ, & poſt mortem *Richardi* regis vſque ad diem liberationis ſuæ. Præterea idem Epiſcopus Beluacenſis iurauit coram prædicto Cardinali, & aliis viris Eccleſiaſticis, quod de cętero in vita ſua nunquam arma geſtabit contra Chriſtianos. *Philippus* vero rex Franciæ fecit *Arthurum* Ducem Brittanniæ Militem, & homagium ſuum recepit de Andegauia, & Pictauia, & Cenomannia, & Turonica, & Britannia, & Normannia. In craſtino autem Aſſumptionis S. *Mariæ*, & die ſequenti fuit colloquium inter regem Angliæ, & regem Franciæ per internuntios ſuos inter Buttauant, & * Guletur, & tertia die ſequenti locuti ſunt reges ipſi ore ad os. Sed rex Angliæ nullam gra- *al. Guletus.* tiam inuenit apud regem Franciæ. Requiſitus ergo rex Franciæ, quare ſic oderat *Iohannem* regem Angliæ, qui nunquam illi malum fecerat, reſpondit, quod ille ſine licentia illius occupauerat Normanniam, & alias terras. Debuerat enim in primis ad eum veniſſe, & eum requiſiſſe de iure ſuo, & inde homagium ei feciſſe. In colloquio autem illo petiit rex Franciæ ad opus ſuum totum * Wegeſin, ſcilicet totum, quod eſt inter foreſtam de *al. Vegeſin.* Liuns, & Secanam, & riueram de Andeli, & riueram de Ethe. Aſſerebat enim, quod *Gaufridus* Comes Andegauiæ, pater regis *Henrici* filii *Matildis* imperatricis, dederat illud *Ludowico Groſſo* regi Francorum, pro auxilio ſuo habendo contra *Stephanum* regem Angliæ in adquirendo Normanniam. Præterea petiit ad opus *Arthuri* Pictauiam, & Andegauiam, & Cenomanniam, & Turonicam, & alias fecit petitiones, quas rex Angliæ nullo modo concedere voluit, nec debuit: & ſic diſcordes ab inuicem receſſerunt. Venerunt igitur ad *Iohannem* regem Angliæ Comites, & Barones de regno Franciæ, qui adhæſerunt *Richardo* regi Angliæ, & deuenerunt homines *Iohannis* regis, & iurauerunt ei, quod ipſi cum rege Franciæ non componerent, niſi de conſenſu, & voluntate illius; & ille iurauit eis, quod ipſe pacem cum rege Franciæ non faceret, niſi ipſi eſſent infra pacem.

Interim *Innocentius* Papa, & Romani elegerunt ſibi in imperatorem *Otthonem* regem Alemanniæ, & *Philippum* ducē Suauiæ, & omnes alios electos refutauerunt. Confirmata ergo à domino Papa *Innocentio*, & ab Eccleſia Romana, electione præfati *Othonis*, *Innocentius* papa excommunicauit *Philippum* Ducem Suauiæ, & omnes fautores ſuos, & conſiliarios ſuos, & coadiutores, niſi deſiſtant à perſecutione prædicti *Othonis*, & publice clamatum eſt in * capitulo, & per totam vrbem, *Viuat imperator noſter* Otho. *Otho* itaque electus *al. capitolio.* imperator mandauit *Iohanni* regi Angliæ auunculo ſuo, vt ipſe modicum temporis ſuſtineret, & differret pacem facere cum *Philippo* rege Franciæ; quia ipſe, Deo volente, faceret illi in proximo ſuccurſum bonū, qualem imperialis celſitudo facere poſſet meliorem. Interim *Philippus* rex Franciæ cepit Conchas caſtellum *Rogeri* de Toni menſe Septemb.

Eodem menſe Sept. *Ioanna* vxor *Raimundi* Comitis de *S. Aegidio*, quondam regina Siciliæ, ſoror quoq; *Iohannis* regis Angliæ, obiit in Normannia apud Rothomagum; & delata ad Abbatiam fontis *Ebraudi*, ibidē ſepulta eſt inter velatas. Menſe vero Octobris, rex Franciæ cepit caſtellum de Balun, quod *Gaufridus* de Burelim cuſtodiebat, & ſubuertit illud. Quod cum *Willielmus* de rupibus princeps exercitus *Arthuri* vidiſſet, graue tulit, & plurimum increpauit regem Franciæ; dicens, quod ita non conuenerat inter illum, & dominum ſuum *Arthurum*. Cui rex Franciæ reſpondit, quod propter *Arthurum* dominum ſuum nō dimitteret facere voluntatem ſuā de adquiſitis ſuis. Deinde rex Franciæ obſedit Lauardin: ſed rex Angliæ ſuperuenit cum exercitu ſuo; & rex Franciæ relinquens obſidionem, recepit ſe in ciuitate Cenomannenſi; ſed rege Angliæ ſequente illum cum exercitu ſuo, rex Franciæ reliquit Cenomannum, & abiit. Interim *Willielmus* de rupibus calliditate magna eripuit *Arthurum* de cuſtodia regis Franciæ, & pacificauit eum cum *Iohanne* rege Angliæ, & tradidit ei ciuitatem Cenomanniæ, quam rex Franciæ, & *Arthurus* tradiderant ei in cuſtodia. Eodem die dictum erat *Arthuro*, quod rex Angliæ caperet eum, & in carcerem mitteret. Eodem die vicecomes de * Tuaz, qui cuſtodiebat caſtellum de Chi- *al. Tuarz.* nun, venit ad regem Angliæ per mandatum ipſius apud Cenomannum, & coactus, tradidit regi caſtellum de Chinun, & Seneſcaltiam Andegauiæ; & rex Franciæ ſtatim tradidit caſtellum de Chinun *Rogero* conſtabulario Ceſtriæ in cuſtodia, donec rex ſibi prouidiſſet alium cuſtodem. Nocte vero ſequenti *Arthurus*, & mater ſua, & prædictus vicecomes de Tuaz, & multi alii, relicto rege Angliæ, abierunt, & receperunt ſe in ciuitatem

Andegauis. Mater vero *Arthuri*, relicto *Ranulfo* Comite Ceſtriæ marito ſuo, nupſit *Guidoni* de Tuarz fratri prædicti vicecomitis de Tuarz. Eodẽ anno obiit *Hugo* Glaſcuenſis Eccleſiæ electus, ſexto Idus Iulii, & ſepultus eſt apud *Geddewrde*. Eodem anno menſe Octobris, *Willielmus Maunaiſin* electus eſt in Epiſcopum Glaſcuenſis Eccleſiæ. Interim *Petrus* de Capua Cardinalis, & Apoſtolicæ ſedis legatus, q̃ miſſus erat ab *Innocentio* ſummo pontifice ad dirimendam litem inter *Richardum* regem Angliæ, & *Philippum* regem Franciæ, ad cuius inſtantiam præfati reges promiſerant, ſe treugas inter ſe per quinquennium ſeruaturos, ſed quia treugæ illæ iam defecerant, morte *Richardi* regis interueniente, modis omnibus conabatur, vt treugæ illæ ſeruarentur inter prædictum regem Franciæ, & *Iohannem* regem Angliæ heredem pręfati *Richardi*. Vnde factum eſt, quod ſtatutæ ſunt treugæ inter illos vſque ad feſtum ſancti *Hilarii*. Eodem anno *Philippus* filius *Richardi* regis Angliæ nothus, cui prædictus rex pater ſuus dederat caſtellum, & honorem de Cuinac, interfecit memoratum vicecomitem de Limoges in vinctam patris ſui.

Eodem anno extitit in Anglia, & in finibus eius tanta aquarum inundatio, quod pontes, & molendini, & domus aſportabantur. Ponte autem de Barwic aſportato, cum ex præcepto *Willielmi* regis Scottorũ Comes *Patricius* cuſtos de Barwic, & tunc tẽporis ſummus iuſtitiarius totius regni Scottorũ, pontem illũ de Barwic reædificare vellet; prohibitum eſt ei ex parte *Philippi* Dunelmenſis Epiſcopi, ne pontem illum in terra ſua firmaret. Pons quidem ille fieri non potuit, niſi firmaretur in terra Dunelmenſis Epiſcopi, ſicut prius erat. Tandem vero prædictus Epiſcopus Dunelmenſis, conſilio *Willielmi* de Stutevilla, permiſit pontem illum fieri, & in terra ſua firmari, ſalua conuentione, quæ facta fuerat inter ipſum regem Scotiæ, & *Hugonem* Dunelmenſem Epiſcopum prædeceſſorẽ ſuum. Eodem anno *Gaufrido* Eboracenſi Archiepiſcopo, & *Simone* Decano & *Hamone* Theſaurario, & *Reginaldo* pręcentore, & *Adam* de Tornehouere, & *Willielmo Teſtard* Archidiaconis, & aliis perſonis Eboracenſis Eccleſiæ, in præſentia *Petri* de Capua S. *Mariæ* in via lata Diaconi Cardinalis, & Apoſtolicæ ſedis legati, conſtitutis; *Gaufridus* Eboracenſis Archiepiſcopus, & ſupradictæ perſonæ Eboracenſis Eccleſiæ compromiſerunt ſe iudicio domini *Hugonis* Lincolnienſis Epiſcopi, & magiſtri *Rogeri* eiuſdem Eccleſiæ Decani, & magiſtri *Columbæ* de controuerſiis ſuis; Archiepiſcopus autem promiſit in verbo veritatis, quod ſi ipſe declinaſſet à iudicio prædictorũ iudicum, daret præfato Decano, & Canonicis Eboraci ducentas marcas de pœna: & Decanus & prædictæ perſonę Eboracenſis Eccleſiæ iurauerunt præciſe, quod à iudicio prædictorum iudicum non declinarent; ſed quod ab eis iudicatum fuerit, deuote ſuſciperent, & deuote ſeruarent. Deinde cum officiales Eboracenſis Archiepiſcopi ſuper diuerſis cauſis illos coram aliis iudicibus per literas domini Papæ in placitum traherent; ipſi petierunt ab Archiepiſcopo prædictas ducentas marcas argenti de pœna. Dum autem idem Archiepiſcopus moram faceret cum rege in Normannia, *Hubertus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, & *Gaufridus* filius *Petri* regis iuſtitiarius, ad preces, & ſeruitia capituli Eboraci mandauerunt regi, & conſuluerunt, ne ipſe permitteret Archiepiſcopum Eboracenſem ſine illo in Angliam redire. Aſſerebant enim, quod ſi ille in Angliam veniſſet, gladium mitteret, & non pacem.

STATVTA QVÆDAM IOHANNIS REGIS.

Eodem anno Iohannes *rex Angliæ ſtatuit, quod nullum tonellum vini Pictauenſis vendatur carius, quam pro viginti ſolidis, & nullum tonellum vini Andegauenſis carius, quam pro viginti quatuor ſolidis, & nullum tonellum vini Francigauenſis carius, quam pro viginti quinque ſolidis, niſi vinum illud adeo bonum ſit, quod aliquis velit pro eo dare circa duas marcas ad altius. Præterea ſtatuit, quod nullum* ſextertium vini Pictauis vendatur carius, quam pro quatuor denariis, & nullum ſextertium vini albi vendatur carius, quam pro ſex denariis. Statuit etiam, quod omnia tonella, quæ de cætero venient in Angliam, poſtquam venerint de Rech poſt tempus præſentis muſti, ſint de mutatione; & hoc ſtatuit teneri ab Octauis ſancti* Andreæ *Decembris & deinceps: & præcepit ad hoc ſeruandum in ſingulis ciuitatibus, & Burgis, in quibus vina vendantur, duodecim conſtitui cuſtodes, & iurent, quod hanc aſſiſam facient teneri, & obſeruari. Si vero vinatorem, qui vinum vendat ad brocam, contra hanc aſſiſam inuenerint, corpus eius capiat vicecomes, & ſaluo cuſtodiri faciat in priſona domini regis, donec inde habeat aliud præceptum; & omnia tenementa ſua capiantur ad opus domini regis per viſum prædictorum duodecim hominum. Si quis etiam inuentus fuerit, qui tunellum vel tunella contra prædictam aſſiſam vendiderit, vel emerit, capiatur vterque, & ſaluo in priſona cuſtodiatur, donec inde aliud præcipiatur: & quod nullum vinum ematur ad regratariam de vinis,*

* al. ſextariũ.

quæ

quæ applicuerint in Anglia. Sed hoc primum regis ſtatutum vix inchoatum, ſtatim eſt adnihilatum; quia mercatores hanc aſſiſam ſuſtinere non poterant. Et data eſt eis licentia vendendi ſextertium de vino albo pro octo denariis, & ſextertium de vino rubro pro ſex denariis: & ſic repleta eſt terra potu, & potatoribus. Eodem anno, cum *Willielmus* rex Scottorum eſſet in propoſito veniendi in Angliam cum exercitu, acceſſit feretrum ſanctæ *Margaritæ* quondam Scotorum reginæ quod eſt apud Dunefermelin, & pernoctauit ibi, & diuino oraculo in ſomnis monitus, ne Angliam cum exercitu inuaderet, permiſit exercitum ſuum domum redire.

Eodem anno deciſa eſt illa vetuſtiſſima controuerſia, quę fuerat inter Turonenſem, & Dolenſem Eccleſiam, ſuper iure metropolitico, quod Eccleſia Dolenſis ſibi vendicabat contra Turonenſem Eccleſiam, in hunc modum. Diſpoſuerat dominus *Cæleſtinus* Papa bonæ memoriæ, vt tempore ſuo vetuſtiſſimæ querelæ, atq; tritiſſimæ, quę inter Turonenſem, & Dolenenſem Eccleſiã hactenus agitata eſt, finis imponeretur, Domino miniſtrante. Hac itaque de cauſa parti vtrique diem peremptoriam aſſignauit, qua ſufficienter inſtructæ rationibus vniuerſis, quibus ſe ſcirent indigere ad cauſam, omni appellatione, dilatione, & excuſatione ceſſantibus, Apoſtolico deberent ſe conſpectui pręſentare. Sed quia datum non erat deſuper, vt per ipſum terminaretur quęſtio ſupradicta (ſublatus eſt enim de medio, antequam dictus terminus aduenilſet) dominus *Innocentius* Papa, quondam *Lotharius* diaconus, Cardinalis ſanctorum *Sergii*, & *Bachi*, ſuccedens eidem domino *Cæleſtino*, affectans, quod à prædeceſſore ſuo de quæſtione præfata per citationem partium inchoatum extiterat, per diſcuſſionem negotii omnino, iuuante Domino, terminare: cauſam ipſam terminandam ab ipſo, diuina forte prouiſio conſeruaret: pro eadem cauſa partes Romanam Eccleſiam coegit adire. Quia* tunc Archiepiſcopus Turonenſis debilitatẽ totius corporis patiebatur permaximam, ad præſentiam ſummi pontificis in perſona propria non acceſſit. Diſcretos ſiquidem viros, & prouidos, Cancellarium Eccleſiæ ſuæ viz. & tres concanonicos ſuos, cum quibuſdã aliis loco ſui mittere procurauit. Exiſtentibus autem in præſentia ſummi pontificis, & fratrum ſuorum Cardinalium Dolenenſi electo, & prædictis præfati Archiepiſc nuntiis, & ex diuerſis multa hinc inde ſuper iuris ſui defenſione proponentibus; ſupradictus dominus *Innocentius* cœpit eos, ſicut benigniſſimus pater, cum fratribus ſuis ad pacem inducere: & vt ſpatium deliberandi haberent, vtriq; parti audientiam per interualla differret. Et licet ad hoc inducti eſſent Turonenſis nuntii, vt Dolonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopalem ſedem concederent cum duobus ſuffraganeis tantum, ita vt domino Turonenſi tanquam primati ſubeſſet, & de manu eius, vel Eccleſiæ Turonenſis pallium à domino Papa eidem Eccleſiæ Turonenſi miſſum, idem Dolenſis reciperet, & conſecrationem; quia tamen duo Epiſcopatus cõtigui à Turonenſis nuntiis non concedebantur eidem Dolenenſi electo, pacem hanc nullatenus acceptauit; quæ vtiq; refutatio in eius redundauit incommodum, vt in ſequentibus audietur. Videns itaq; dominus Papa, quod per concordiã non poſſet prædicta quæſtio terminari, citationes, & allegationes hinc inde in pleno conſiſtorio licentius, & plenius intellexit. Quibus auditis, & plenius intellectis ad diffinitiuam tandem ſententiam voluit cum fratribus properare. Sed iterum viam pacis quærens, eos ad concordiam inuitauit. Verum cum ad vltimum nil poſſet hac parte proficere, pro tribunali ſedens dominus *Innocentius* fratribus ei aſſiſtentibus, ſententiã contra Dolenenſem Eccleſiam pro Turonenſi Eccleſia ſecundo papatus ſui anno publice promulgauit, videlicet vt Dolonenſis Eccleſia tanquã ſuffraganea Turon. Eccl. velut Metropolitanæ, omni exemptione ſeu exceptione ſepoſita, de cætero ſubiaceret; Epiſc. Dolenen. Eccl. obedientiam, & reuerentiã, Turonenſi Archiepiſcopo in omnibus exhiberet; cum electus eſſet, confirmationem, & cum tempus exigeret, ab ipſo reciperet conſecrationem: ſuper hoc generale priuilegium multiplicibus argumentis, & rationibus annotatum Eccleſiæ Turonenſi concedens, & Archiepiſcopo Rothomagenſi, & quibuſdam aliis ſuper eodem apoſtolica ſcripta tranſmittens. Quæ omnia plenius ex ſubſequentibus apparebunt. Cæterum cum Dolenſis electus contra ſe ſententiam datam audiuiſſet; turbatus, nec immerito, ac triſtis plurimum ad præſentiam domini Papæ acceſſit, & ſe volens dimittere ipſi domino Papæ Dolenſem Eccleſiam reſignauit. Cui dominus papa, cum hoc vidiſſet, abſque mora reſpondit: *Tu ſponſus es, & te ſponſa tua exigit.* Iſtud facere abſque noſtra licentia quod nolumus, tu non potes; tibi in virtute obedientiæ præcipimus, vt poſt vocationem factam ab Archiepiſcopo Turonenſi, infra quadraginta dies ad ipſum, omni excuſatione poſthabita, tanquam ad Metropolitanum tuum, recepturus ab ipſo munus conſecrationis, accedas. Eodẽ anno magiſter *Gilardus* Meneuenſis electus ſuſcitauit controuerſiam ſuper iure metropolitico

*al. tamen.

Eccleſię Meneuenſis, ius eiuſdem Eccleſię, & priſtinam Metropolitani dignitatem cõram domino *Innocentio* Papa tertio, & Cardinalibus, videlicet *Octauiano* Hoſtienſi, & Portuenſi, & *Iohanne* Albanenſi Epiſcopis Cardinalibus, & *Iordano* de Foſſa Noua, & *Sephredo*, & *Iohanne* de S. *Paulo*, & *Iohanne* de Salerno, & *Gratiano*, & *Hughelno*, & * *Hugucione* Cardinalibus publice proteſtando. Eſt autem ſciendum, quod poſtquam beatus *Dubricius* vrbis legionum Archiepiſcopus heremum eligens, beato *Dauid* ſuæ dignitatis ceſſit honorem; beatus *Dauid* ex tunc ſedem Archiepiſcopalem vſq; Meneuiam tranſtulit, & ibidem Archiepiſcopus factus eſt; & poſt illum viginti quatuor ibidem pallio vſi ſunt, & plena metropolitica dignitate; quorum vltimus fuit ſanctus *Samſon*: qui propter * Ictericiam paſſionem, qua peſte cateruatim homines in Wallia tunc temporis occubuerunt, nauigio in Armonicam Brittanniam tranſiens, in Eccleſia Dolenſi, tunc forte vacante prefectus eſt; & pallio S. *Dauid*, quod ſecum aſportauerat, ibidem vſus eſt; qua occaſione illa Dolenſis Eccleſia continue Turonenſi Eccleſię pallium affectando rebellis extiterat, vſque ad tempora prędicti *Innocentii* papæ tertii, cuius anno ſecundo cauſa eſt deciſa, & illa aduentitia dignitas Dolenſi Eccleſia eſt abiudicata. Meneuenſis autem Eccleſia eadem occaſione, vel propter ignauiam, vel paupertatẽ pallio ſemper hactenus caruerũt. Omnes tamẽ Epiſcopi Meneuenſis Eccleſiæ, ſcilicet nouemdecim Epiſcopi à diſceſſu *S. Samſonis*, vſq; ad tempus *Henrici* regis Angliæ primi, omni dignitate Archiepiſcopali vſi ſunt, excepto pallio; & habuerunt ſuffraganeos ſeptẽ, ſcz. Landauenſem, & de ſancto *Paterno* in Kerdikan, quæ ſedes, quia parochiani paſtorem ſuũ interfecerunt, olim obſoleuit, & Meneuenſi diœceſi eſt adunata: & Pangorenſem & de S. Aſaf: in Wallia vero ab Anglis dudum occupata trans Sabrinam, Ceſtrenſem, & Herefordenſem, & Wigornenſem. Prædictus vero rex *Henricus* Walliam regno ſuo ſubiugauit, & ideo prædictam Meneuenſem Eccleſiam, & alias Walliæ Eccleſias ſuffraganeas Meneuẽſis Eccleſiæ, Eccleſię regni ſui, ſcilicet Cantuarię ſubiicere cupiens, *Bernardum* clericũ de Camera ſua, quem in Meneuenſi Eccleſia *Wilfrido* Epiſcopo ſubrogari procurauit, & apud Cantuariam per regiã violentiam conſecrari fecit: & hic fuit primus Meneuenſis Eccl. Epiſcopus à Cantuarien. Archiepiſcopo conſecratus, & poſt eum *Dauid*, & *Petrus* à regibus Angliæ compulſi ſimiliter à Cantuarienſi Archiepiſcopo ſunt conſecrati, præſtitis ſacramentis cõtra Canones extortis de non ſuſcitanda lite ſuper iure metropolitico contra Cantuarienſem Eccleſiam in perpetuum. *Bernardus* tamen defuncto *Henrico* rege primo, mouit quęſtionem ſuper iure Eccleſię ſuæ metroplitico contra *Theobaldum* Cantuarienſem Archiepiſcopum. Vnde Papa *Eugenius* in hac forma ſcripſit *Theobaldo* Cantuarienſi Archiepiſcopo.

al. Hugucione.

al. Ictericiam.

EPISTOLA EVGENII DE DIGNITATE Metropolitana Eccleſia Sancti Dauid.

E*Vgenius* Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri *Theobaldo* Cantuarienſi Archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Venerabilis frater noſter *Bernardus*, Epiſcopus *S. Dauid*, ad noſtram præſentiam veniens, Eccleſiam *S. Dauid* olim metropolin fuiſſe aſſeruit, viua voce & eandem dignitatem ſibi à nobis reſtitui poſtulauit. Cum autem circa petitionem iſtam inuigilans, diu in curia noſtra commoratus eſſet; tu frater Archiepiſcope, tandem, eo præſente, ex aduerſo conſurgens, in præſentia noſtra aduerſus eum querelam depoſuiſti, quod debitam, tanquam primo metropolitano, obedientiam ſubtraxiſſet, tibiq; inobediens, & rebellis exiſteret, cum à prędeceſſore tuo, tanquã à metropolitano primo, conſecratus eſſet, & viua voce, & ſcripto, Cantuarienſi Eccleſię profeſſionem feciſſet, & in multis poſtea, tanquam alii ſuffraganei, tibi obediſſet, & aſtitiſſet. Ille vero conſecrationem negare non potuit; ſed profeſſionem ſe feciſſe, & obedientiam exhibuiſſe omnino negauit: quod tu audiens, duos teſtes in medium produxiſti, teſtimonium perhibentes, quod ipſe illis videntibus, & audientibus, poſt conſecrationem ſuã, & viua voce & ſcripto, Cantuarienſi Eccleſiæ profeſſionem feciſſet. Nos igitur auditis vtriuſque partis rationibus, & diligentius inquiſitis; & teſtibus tuis ſtudioſe examinatis, communicato fratrum noſtrorum conſilio, iuramenta eorum recipimus, & vt ipſe Epiſcopus tibi, tanquam primo metropolitano, obedientiam, & reuerentiã exhibeat, iuſtitia dictante, præcepimus. Vnde, quoniam ſingulis Eccleſiis, & Eccleſiaſticis perſonis ſuam dignitatem, & iuſtitiam volumus conſeruare; beati *Lucæ* feſtiuitate proximi ſequẽtis anni, tibi, & ipſi diem pręfiximus, vt tunc, præſentibus partibus, de dignitate Eccl. *S. Dauid*, & libertate ſua, rei veritatem cognoſcamus, & quod iuſtũ fuerit authore Domino, exinde ſtatuamus. Datum Meldis ı. Kal. Iulii. Epiſtolam autem iſtam prędictus magiſter *Gilardus* inuenit in regiſtro *Eugenii* Papæ. Cuius rei occaſione, & ad prædicti * *Gilardi* inſtantiam, ius Eccleſiæ

al. Giraldi.

ſuæ

ſiæ publice in curia Romana proteſtantis, *Innocentius* Papa *Hubertum* Cantuarien. Archiepiſcopum ſuper ſtatu Meneuenſis Eccleſiæ, & dignitate metropolitica literis ſuis citauit, quas etiam literas prædictus *Gilardus* ad perpetuam rei geſtæ memoriam, in eiuſdem papę regiſtro ſcribi procurauit. Præcepit etiam idē Papa prædicto Archiepiſcopo, quatenus ſupradicto *Giraldo* Meneuenſi electo ita conſecrationem impenderet, quod ſacramentū illicitum, quale extorquere ſolebant prædeceſſores ſui ab Epiſcopis S. *David*, ſcz. de non proſequendo iure metropolitico contra Cantuar. Eccleſiā, non exigeret, ſed tantum canonicam obedientiam iuxta communem formā facere. Præcepit etiam idem Papa Lincolnienſi, Dunelmenſi, & Elienſi, Epiſc. quod ſi Archiepiſ. Cantuariæ ſæpe dictum *Gilardum* conſecrare differret, ipſi Apoſtolica authoritate freti illum conſecrare nō differrent.

ANNO gratiæ 1200. qui erat annus 2. regni regis *Iohannis*, *Iohannes* rex fuit in Normannia apud Burun die natalis Domini, quæ Sabbato euenit, & erat illud natale Domini primum poſt primam coronationem *Iohannis* regis Anglię. Poſt natale Domini, idem *Iohannes* rex Angliæ, & *Philippus* rex Franciæ conuenerunt ad colloquium inter Andeli, & Gwallum: in quo colloquio conuenit inter eos, quod *Ludowicus* filius regis Franciæ duceret in vxorem filiam *Aldefonſi* regis caſtellæ neptem *Iohannis* regis Angliæ, & *Iohannes* rex Angliæ daret, & quieta clamaret pręfato filio regis Franciæ cum nepte ſua, ciuitatem Ebroicarum cum toto comitatu, & omnes munitiones, & caſtella quæ rex Francię habuit in Normannia die, qua *Richardus* rex Angliæ fuit viuus, & mortuus; & inſuper daret ei triginta millia marcarum argenti: & iurauit, quod nullum auxilium faceret *Othoni* nepoti ſuo neq; de pecunia, neque de hominibus, ad imperium Romanum adquirendum. Sed hæc omnia dilationem cœperunt vſq; ad Octauas natiuitatis *S. Iohannis* Baptiſtæ. Poſt colloquium, *Iohannes* rex Angliæ miſit *Alienor* matrem ſuam ad *Aldefonſum* regem Caſtellę, pro filia ſua maritanda *Ludowico* filio *Philippi* regis Franciæ. Interim *Iohannes* rex Angliæ transfretauit de Normannia in Angliam, & cepit de vnaquaque carucata totius Angliæ 3. ſolidos de auxilio. Et in quadrageſima venit rex *Iohannes* Eboracum, ſperans, quod *Willielmus* rex Scottorum ad eum veniret, ſicut mandauerat; ſed rex Scottorum non venit, & rex Anglię rediit in Normanniam. Eodē anno *Innocentius* papa, audita tribulatione Chriſtianorum, qui ſunt in terra Ieroſolymitana, quam induxit Dominus ſuper eos, peccatis noſtris exigentibus, in hac forma ſcripſit omnibus ſanctæ matris Eccleſię prælatis.

EPISTOLA INNOCENTII PAPAE DE *ſubuentione facienda terræ Ieroſolymitanæ.*

INnocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, vniuerſis ſanctæ Matris Eccleſiæ prælatis, ad quos præſentes literæ peruenerint, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Graues Oriētalis terræ miſerias, & neceſſitates vrgentes iam potius, peccatis exigentibus, deflere cogimur, quam referre: cum ad eum ſtatum (ſi ſtatus tamen dicendus eſt caſus, quod dolentes dicimus) ipſius fuerit neceſſitati ſuccurſum, & occurſum conatibus Paganorū; pauci Chriſtiani, qui ſe defenſioni hæreditatis Domini, & crucifixi obſequiis deuouerunt, hoſtiles ſagittas ſui ſanguinis effuſione inebriaturi credantur, & paganorum gladios ſuis iugulis paſſuri; reliquiis deſolationis illius terræ ſine ſpe humani ſubſidii perdendis totaliter, & ab hoſtibus occupandis, cum de partibus illis pene omnes iam redierint peregrini. Id autem hactenus Dominus *Ieſus Chriſtus*, vt probaret adhuc fortius fidem noſtrā, & intelligeret, qui ſunt eius, miſericorditer impediuit, manus eorū in ipſos conuertens, & eos in ſe multiformiter diſcordātes permittēs ad inuicem deſæuire, vt Chriſtianis interim ad ipſius terræ ſubſidium excitatis, facilior daretur facultas recuperandi perdita, & de hoſtibus triumphandi. Recepimus enim literas venerabilium fratrum noſtrorum Antiochienſis & Ieroſolymorum Patriarcharum, & Archiepiſcoporum & Epiſcoporum vtriuſque prouinciæ, ſimiliter & chariſſimorum in *Chriſto* filiorum noſtrorum *Aimerici* Ieroſolymæ, & *Leonis* Armeniæ regum illuſtrium, & dilectorū filiorum magiſtrorum Ieroſolymitanæ hoſpitalis, & militię templi aliorumq; multorū, ipſius terræ miſerias, & neceſſitates plenius exponentes, poſtulantes ſubſidiū diutius expectatū; cum plus ibi ſperetur, donāte Domino, paucos hoc tempore, ꝓpter Saracenorum diſcordiā profuturos, quā hactenus copioſus exercitus profuiſſet. Adiectum eſt etiam, ꝙ cum inter Saracenos de pace tractetur, ſi, priuſquā ſubueniatur Ieroſolymitanæ prouinciæ, inter eos fuerit concordia reformata, niſi Deus ſolus reſiſtat, cum ſit viris, & viribus pene penitus deſtituta, non erit, qui poſſit eorū violentiam cohibere. Nos ergo cum fratribus noſtris, accitis etiam Epiſc. & aliis viris religioſis apud ſedem Apoſtolicam exiſtentibus, de ipſius terræ ſubuentione tractantes, ne videremur onera grauia humeris imponere ſubditorum, quæ digito etiam

mouere nollemus, dicentes tantum,&, vt ait, nihil aut modicum facientes; vt à nobis ad vos,& à vobis ad laicos benefaciendi deriuetur exemplum, eius exemplo, qui cœpit facere,& docere, decimam partem omnium redditũ,& prouentuum noſtrorum curauimus ſubuentioni Orientalis prouinciæ deputare, ſubtrahentes non modicum neceſſitatibus noſtris; quibus, cum grauiores ſint ſolito,& ob hoc exigant grauiores expenſas, noſtræ nõ ſufficiunt facultates; vt ei etſi nihil largiremur de proprio, modicum ſaltẽ retribueremus de ſuo, qui nobis ſua miſeratione tribuit vniuerſa: & non ſolum in rebus, verum etiam in perſonis neceſſarium terræ ſanctæ ſubſidium deſtinemus; dilectos filios noſtros *Stephanũ* tituli ſanctæ *Praxedis* presbyterum,& *Petrum* ſanctæ *Mariæ* in via lata diaconum Cardinales, apoſtolicæ ſedis legatos, quibus iampridẽ impoſuimus ſignũ crucis, illuc propoſuimus deſtinare, qui exercitum Domini vices noſtras exequendo præcedãt,& ad eos tanquam ad vnum caput recurrant vniuerſi. Verum quia id quaſi modicum, imo vero modicum ad tot neceſſitates ipſius prouinciç ſufficere nullatenus reputamus; vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus,& ex parte Dei omnipotentis in virtute ſpiritus ſancti, ſub interminatione diuini iudicii, diſtricte præcipimus, quatenus ſinguli veſtrum quadrageſimam partem omnium Eccleſiaſticorum redditũum,& prouentuum ſuorũ, prius tamen deductis vſuris, quarum ſolutio vitari non poſſit, in ſubſidium terræ ſanctæ conuertant. Omnibus clericis tam ſubſidiis, quam prælatis, qui quadrageſimam ipſam ſponte, ac fideliter ſoluerint, de Dei omnipotentis miſericordia,& beatorum Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* authoritate cõfiſi, quartam partem iniunctę ſibi pœnitentiæ relaxamus, dummodo nulla fraus interueniat,& pia deuotio ſuffragetur. Scita autem, ſe culpabiliter, duriter,& dure culpabilem, qui tantillum ſubſidium in tanta neceſſitate creatori & redemptori ſuo negauerit exhibere, a quo corpus & animam & vniuerſa bona quæ habet, accepit; & nos qui (licet indigni) vices eius exercemus in terris, huius culpæ duritiem nullatenus diſſimulare poſſemus. Nec aliquo modo credatis, quod per hoc in diſpendium veſtrum legem vobis imponere intendamus, vt à vobis in poſterum quadrageſima, quaſi debita & conſuetudinaria, requiratur; imo nullum ex hoc vobis præiudicium volumus generari, qui tantæ neceſſitatis articulum nobis,& vobis ſuperueniſſe dolemus,& quod ſimile de cætero non contingat, optamus. Volumus etiam & nihilominus vobis præcipiendo mandamus, quatenus vos fratres Archiepiſcopi,& in Epiſcopi, in metropolitana Eccleſia, vel ſi hoc ibi fieri propter hoſtilitatem vel aliud euidens impedimentum nõ poterit, in duobus vel tribus locis prouinciæ veſtræ ſine dilatione conuenire curetis,& inter vos iuxta formam mandati Apoſtolici de ipſius terræ ſubuentione tractare; & poſt reuerſionem ſuam quilibet veſtrum in ſua diœceſi, concilium conuocet ſine mora, authoritate noſtra præcipiens abbatibus,& Prioribus tam exemptis, quam aliis Archidiaconibus,& decanis,& vniuerſis omnino clericis in eius diœceſi conſtitutis, iuſta æſtimatione prouentus & reditus ſuos taxent; & infra tres menſes poſt factã eis denuntiationem, quadrageſimã partem valoris eorũ ſub ipſius Epiſcopi teſtimonio,& aliquot religioſorũ virorum, adhibitis nihilominus ad cautelam aliquibus fidelib. laicis,& diſcretis, in locum idoneum eiuſdem diœceſis nõ differatur conſignare. Quod & nos vobis fratres, Archiepiſc.& Epiſc. ſub eadem diſtricte mandamus. Ab hac autem generalitate monachos Ciſtercienſes, præmonaſterii canonicos, heremitas Grandi montis,& Cantuarienſes excepimus, quibus ſuper hoc mandatũ iniungimus ſpeciale. Nolumus autem, vt hi, qui reditus & prouentus ſuos diligenter æſtimare curauerint, prçmiſſæ diſtrictionis transgreſſionẽ incurrant, ſed qui non ex certa ſcientia, ſed ignoranter potius quadrageſimæ forte ſubtraxerint, dum tamen poſtquam recognouerint, defectũ ſuum, ꝙ minus ſoluerint, plenarie recompenſent. Si quis autẽ (quod abſit) quadrageſimæ taliter ſoluendæ aliquid ex ſcientia certa ſubtraxerit, cũ digne ſatisfecerit, ab huius transgreſſionis debito penitus ſit immunis. Nec miretur quiſquam, aut etiam moueatur, quod hoc tanta diſtrictione prçcipimus, cum ſumma neceſſitas id expoſcat. Nam etſi voluptarium eſſe debeat diuinæ ſeruitutis obſequium; legimus tamen in Euangelio de inuitatis ad nuptias, Dominũ præcepiſſe, vt compellerentur intrare. Mandamus præterea, vt vos, fratres Archiepiſcopi & Epiſcopi, quadrageſimam ipſam per veſtras diœceſes exactam,& collectam, fideliter faciatis iuxta prædictam formã in tuto loco deponi; ſummam omnium per veſtras literas & ſpeciales nuntios nobis, quam citius fieri poterit, expreſſuri. Ad hæc in ſingulis Eccleſiis truncum concauũ poni prçcipimus tribus clauibus conſignatum, prima penes Epiſc. ſecunda penes Eccleſiæ ſacerdotẽ, tertia penes aliquem religioſum Laicũ conſeruandis; & in eo fideles quilibet, iuxta quod eorũ mentib. Dominus inſpirauerit ſuas eleemoſynas deponere in remiſſionem ſuorum peccaminum moueantur; & in omnibus Eccl. ſemel in hebdomada pro remiſſione peccatorũ,& præ-

ſertim

ſertim offerentium, Miſſa publice decantetur. Concedimus autem vobis, fratres, Archiepiſcopi & Epiſcopi, vt circa eos, qui de bonis ſuis terræ ſanctæ voluerint ſubuenire, de diſcretorum virorũ conſilio, qualitate perſonarũ, & rerum facultate penſatis, & conſiderato nihilominus deuotionis affectu, opus iniunctæ pœnitentiæ cõmutare poſſitis in opus eleemoſynę faciendæ. Volumus inſup, vt adhibitis vobis duob. fratribus, vbi poterunt inueniri, vno Ieroſolymitani hoſpitalis, & alio militiæ templi, & aliis quam religioſis laicis, & diſcretis militibus, vel aliis bellatoribus, qui ſignum Dominicæ crucis aſſumpſerint, ſi in ſuis non poterunt ſumptib. transfretare, congrua de eadem ſumma ſtipendia miniſtretis, ſufficienti ab eis cautione recepta, quod in defenſione terræ Orientalis per annum vel amplius iuxta quantitatem ſubſidii commorentur: & ſi (quod abſit) in via deceſſerint, ſuſceptum ſubſidium non in alios vſus conuertant, ſed reddant potius in ſtipendia bellatorũ; qui etiam, cum redierint, non prius abſoluantur à præſtita cautione, quã literas regis vel patriarchæ, vel Ieroſolymitani hoſpitalis, vel militiæ templi magiſtri, aut etiam legati noſtri vobis exhibuerint, de mora ipſorum teſtimonium perhibentes. Quia vero ſumma neceſſitas exigit, & communis requirit vtilitas, vt populus Chriſtianus non ſolum in rebus, ſed etiam in perſonis cõtra Paganorum incurſum terræ ſanctæ ſine dilatione ſuccurrat, fraternitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad exhortandos & inducendos fideles per vos ipſos, & alios viros idoneos prudenter, & diligenter inſtetis, vt qui ſufficientes fuerint ad bellum Domini præliandum, in nomine Domini Sabaoth ſignum crucis aſſumant. Alii vero iuxta ſuarũ ſufficientiam facultatum, pias eleemoſynas largiantur. Nos enim de Dei miſericordia, & beatorum Apoſtolorũ *Petri* & *Pauli* authoritate confiſi, ex illa, quã Deus nobis (licet indignis) ligandi, & ſoluendi contulit, poteſtate, omnibus, qui laborẽ huius itineris in perſonis propriis ſubierint, & expenſis, plenã peccatorum ſuorũ, de quibus oris & cordis egerint pœnitentiã, veniam indulgemus, & in retributione iuſtorũ ſalutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autẽ qui non in perſonis propriis illud acceſſerint, ſed in ſuis tamen expenſis iuxta facultatem, & qualitatẽ ſuam viros idoneos deſtinauerint illic per annum moraturos ad minus, & illis ſimiliter qui in alienis expenſis, in propriis tamen perſonis, aſſumptæ peregrinationis laborem impleuerint, plenam ſuorũ concedimus veniam peccatorũ. Huius quoq; remiſſionis volumus eſſe participes iuxta quantitatem ſubſidii, & deuotionis affectum omnes, qui ad ſubuentionẽ ipſius terræ de bonis ſuis congrue miniſtrabunt: perſonas inſuper ipſorum, & bona ex quo crucẽ ſuſceperint, ſub beati *Petri*, & noſtra protectione ſuſcipimus, nec non & ſub Archiepiſcoporũ, & prelatorum omnium Eccleſiæ Dei defenſione conſiſtant, ſtatuentes, vt donec de ipſorum obitu, vel reditu certiſſime cognoſcatur, integra maneant, & quieta cõſiſtant. Quod ſi quiſquam contra præſumpſerit, per cenſurã Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compellatur. Si qui vero proficiſcentiũ illuc ad præſtandas vſuras iuramento tenentur aſtricti, vos fratres Archiepiſcopi & Epiſcopi, per veſtras diœceſes creditores eorum, ſublato appellationis obſtaculo, eadem diſtrictione cogatis, vt eos à ſacramento penitus abſoluentes ab vſurarũ vlterius exactione deſiſtant. Quod ſi quiſquã creditor eos ad ſolutionẽ coegerit vſurarũ, eum ad reſtitutionẽ ipſarum, appellatione remota, diſtrictione ſimili cõpellatis. Iudæos vero ad remittendas ipſis vſuras per ſecularem cõpelli precipimus poteſtatem; & donec eas remiſerint, ab vniuerſis *Chriſti* fidelibus tam in mercimoniis, quam aliis per excõmunicationis ſententiã iis iubemus communionem omnimodam denegari. Horum autẽ vos, fratres Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ſingulos in ſuis diœceſibus executores volumus, & mandamus; quæ tam diligenter & fideliter exequamini, vt in diſtricto nouiſſimæ diſcuſſionis examine, cum aſtabitis ante tribunal *Chriſti*, dignam debeatis reddere rationẽ. Datum Lateran. ſexto kal. Ianuar. pontificatus noſtri, anno ſecundo.

Eodem menſe Ianuarii, ſtatim poſt natale Domini, cum induratum eſſet cor *Philippi* regis Franciæ, nec blandis, nec aſperis poſſet emolliri, vt adulteram ſuam dimitteret, & legitimam ſponſam ſuã reſumeret, prædictus *Petrus* de Capua Cardinalis, & Apoſtolicæ ſedis legatus dedit ſententiã interdicti regnum Franciæ, & abiit, præcipiens clero in virtute obedientiæ, vt nulla diuina permitterent celebrari præter baptiſmata, & pœnitẽtias; ſed papa *Innocentius* hanc confirmans ſententiã, excepit omnes, qui ſuſceperunt, vel ſuſciperent crucẽ peregrinationis Ieroſolymitanæ, ſtatuens, quod ipſi miſſam audirent, & ſepulturã Chriſtianorum haberẽt, cæteri omnes Miſſa & ſepultura Chriſtiana carerent. Cũ autem rex Franciæ in propoſito maligno immobilis perſiſteret, propoſuit dominus papa ſententiã illam interdicti relaxare, & ipſum regem Franciæ excommunicare dicens: *Melius eſt, vnus puniatur, quam tota gens pereat.* Quo audito, rex Franciæ frequenter miſit nuntios ſuos ad ſummũ pontificem, petẽs, vt ſententia interdicti relaxaretur: & quãuis primo,

& ſe-

& ſecundo repulſam pateretur, tamen tandem à Domino Papa definitum eſt, mediantibus nuntiis regis Franciæ corã domino Papa & Cardinalibus, quod ipſe rex Franciæ adulteram ſuam dimitteret, & ſponſam ſuam *Botildam* reſumeret, & honorifice, ſicut reginã, & ſponſam ſuam tractaret; ſi autem infra annum voluerit rex Franciæ diuortium fieri inter illos, hoc ſignificabitur regi Dacorũ, & cæteris amicis prædictæ reginæ, vbi & quando rex Franciæ voluerit diuortium illud fieri, ſi de iure fieri debeat, vt amici reginæ intereſſe poſſint; & idem ſignificabitur domino Papæ & curiæ Romanæ, vt ex parte eorum interſint viri diſcreti, vt tam ſolemne diuortium iuſte fiat. Eodem anno *Sanctius* rex Nauarrę audiens damna, & inopportunitates, quas *Aldefonſus* rex Caſtellæ, & rex Arragoniæ ſibi, & terræ ſuæ faciebant, qui illam fere totam occupauerant, receſſit ab Africa, & venit in terrã ſuam, & cepit treugas cum prædictis regibus aduerſariis ſuis per tres annos duraturas. Eodẽ anno, viz. ab incarnatione Domini milleſimo ducenteſimo, *Iohannes* rex Angliæ fuit in Anglia apud Wigorniam die Paſchæ, quæ quinto Idus Aprilis euenit; & paulo poſt transfretauit de Anglia in Normanniam. Interim *Alienor* regina, mater *Iohannis* regis Angliæ, quam ipſe miſerat ad *Aldefonſum* regem Caſtellæ pro filia eiuſdem regis Caſtellæ maritanda *Lodowico* filio *Philippi* regis Franciæ, rediit recepta præfata regis Caſtellæ filia. Quę cum veniſſet ad ciuitatem Burdegalenſem, & propter ſolemnem diem Paſchæ ibidẽ moram faceret, venit ad eam *Marchadeus* princeps Braibancenorum, & feria ſecunda in hebdomada Paſchæ idẽ *Marchadeus* à quodam ſeruiente *Brandini* interfectus eſt in eadẽ ciuitate Burdegalenſi. Regina vero *Alienor* ſenio, & longi itineris labore fatigata, tranſtulit ſe ad abbatiam fontis *Eubraudi* & ibi remanſit: filia autem regis Caſtellæ, & *Elias* Archiepiſcopus Burdegalenſis, & cæteri, qui eam comitabantur, proceſſerunt vſq; in Normanniam, & tradiderunt eam *Iohanni* regi Angliæ auunculo ſuo. In octauis autem natiuitatis *S. Iohannis Baptiſtæ*, *Philippus* rex Franciæ, & *Iohannes* rex Angliæ conuenerunt ad colloquiũ inter Butauant caſtellum regis Angliæ, & *Guletun* caſtellum regis Franciæ, 11. kal. Iunii, feria ſecunda. In quo colloquio reddidit rex Franciæ *Iohanni* regi Angliæ ciuitatem Ebroicarum, & totum comitatum, & omnia caſtella, & ciuitates, & prædia quæ occupauerat in Normannia per guerram, & in aliis terris regis Anglię; & *Iohannes* rex Angliæ ſtatim deuenit inde homo *Philippi* regis Franciæ; & in continenti dedit vniuerſa illa *Lodowico* filio prædicti regis Franciæ in maritagiũ cum nepte ſua, filia *Aldefonſi* regis Caſtellæ; & in craſtino, ſcz. 10. kal. Iunii, feria 3. prædicta filia regis Caſtellæ deſponſata eſt *Lodowico* filio *Philippi* regis Franciæ apud Purmor in Normannia à prædicto Burdegalenſi Archiepiſcopo, præſentibus multis Epiſcopis, & aliis viris religioſis, & Comitibus, & Baronibus multis de regno Franciæ. Regnum enim Franciæ erat tunc temporis ſub interdicto propter *Botildam* reginam, quam rex Franciæ dimiſerat. Et ſtatim poſt illam deſponſationem præfatus *Lodowicus* duxit ſecum in Franciam ſponſam ſuam filiam regis Caſtellæ. Et dum hæc fierent, eodẽ die *Philippus* rex Franciæ, & *Iohannes* rex Angliæ fuerunt ſimul ad colloquiũ apud Vernun, tunc temporis villam regis Franciæ; & *Arthurus* dux Britanniæ deuenit ibi homo *Iohannis* regis Angliæ patrui ſui de Britannia, & aliis terris ſuis, cõſenſu, & voluntate regis Franciæ: ſed *Arthurus* traditione regis Angliæ remãſit in cuſtodia regis Francię. Eodem anno *Iohannes* rex Angliæ dedit *Zachariæ* Priori de ſancto *Albano* abbatiam de Burgo, & Priori de Burgo dedit abbatiam de Rameſſai. Eodem anno *Robertus* Comes de Drues frater *Philippi* Beluacenſis Epiſcopi, obiit. Eodẽ anno in ipſa die Paſchæ, quæ quinto Idus Aprilis euenit, combuſta eſt fere tota ciuitas Rothomagus cũ Eccleſia ſedis Archiepiſcopalis, & aliis Eccleſiis multis. Eodem anno *Otho* rex Alemannorum, electus Romanorum imperator, miſit *Henricum* Ducem Saxonię, & *Willielmum* Wintonienſem fratres ſuos ad *Iohannem* regem Anglię auunculum ſuum, petens ab eo comitatũ Eboraci, & comitatum Pictauis, quos *Richardus* rex Angliæ ei dederat, & duas partes totius theſauri *Richardi* regis Angliæ, & omnia exenia ſua, quę idem rex Anglię ei diuiſit. Sed *Iohannes* rex Angliæ nihil horum, quæ petebat, facere volebat propter iuſiurandum, quod iurauerat regi Franciæ, videlicet, quod nullum auxilium faceret ipſi *Othoni* contra Ducem Suawiæ. Eodẽ anno, paulo ante feſtum *S. Petri* ad vincula, habitum eſt campeſtre bellũ inter prædictum *Othonem* regem Alemannorum, & *Philippum* Ducem Suawiæ apud Bruneſwich: in quo prælio *Otho* extitit victor, & cepit pluſquã ducentos milites de familia Ducis Swauiæ. Eodem anno *Iohannes* rex Angliæ dedit *Philippo* Dunelmenſi Epiſcopo licentiam habendi ſingulis annis nundinas apud Houeden, & apud Aluertum. Et *Willielmo* de Stuteuilla dedit idem rex licentiam habendi ſingulis annis nundinas apud Butteran, & apud Coghingham, & in eiſdem locis firmare caſtella. Et idem rex dedit *Richardo Malebiſſe* licẽtiã firmandi caſtellum apud Queldric: quod cum pene firmaret, ciues Eboraci conſiderantes

rantes hoc fieri in eorum damnum, & opprobrium, effecerunt aduerſus *Willielmum* de Stuteuilla, tunc temporis Vicecomitem Eboraci, quod ipſe ex parte regis prohibuit *Richardo Malebiſſe*, ne ipſe caſtellum illud firmaret, & ita remanſit. Eodem anno *Willielmus* de Stuteuilla dedit *Iohanni* regi Angliæ tria millia marcarum argenti pro iudicio habendo de Baronia *Willielmi* de * Mubrai, quam idem *Willielmus* de Stuteuilla calumniatus eſt in curia regis aduerſus pręfatum *Willielmum* de Mubrai. Eſt autem ſciendum quod *Robertus Grundebeof* proauus huius *Willielmi* de Stuteuilla habuit Baroniam illam de adquiſitione Anglię, ſed ille *Robertus Grundebeof*, relicto *Henrico* rege Angliæ, filio *Willielmi Baſtardi* regis, qui Angliam bello ſibi ſubiugauit, adhęſit *Roberto Curthoſe* Duci Normannorum calumnianti regnum Angliæ de iure paterno contra prędictum *Henricum* regem Anglię fratrem ſuum iuniorem; & in prælio, quod fuit inter illos duos fratres, viz. *Henricum* regem Angliæ, & *Robertum Curthoſe* fratrem ſuum Ducē Normanniæ apud Tenerchebrai, *Henricus* rex Angliæ extitit victor, & cepit *Robertum Curthoſe* fratrem ſuum, & tenuit in carcere vſq; ad conſummationē vitæ ſuæ: ſimiliter *Robertum Grundebeof*; & Baroniam ſuā dedit rex *Henricus Nigello* de Aubenni proauo iſtius *Willielmi* de Mubray. Præterea ſciendū eſt, quod *Robertus* de Stuteuille pater prædicti *Willielmi* de Stuteuille tempore regis *Henrici* ſecundi, calumniatus erat præfatam Baroniam aduerſus *Rogerum* de Mubrai patrem præfati *Willielmi* de Mubrai: & conuenit inter eos ſic, quod *Rogerus* de Mubrai dedit *Roberto* de Stuteuilla Kirkebie in Moreſheued cum pertinentiis ſuis pro feodo * 9. militum, pro homagio ſuo, & pro quieta clamantia calumnię ſuę. Sed quia hæc in curia regis, & eius munimine non fuerant confirmata, prædictus *Willielmus* de Stuteuilla iterum ſuſcitauit litē de Baronia illa in curia *Iohannis* regis Angliæ. Cumq; ſuper hoc diu certatum eſſet, tandem conſilio regni, & voluntate regis, pax, & finalis concordia facta eſt inter prædictos *Willielmum* de Stuteuilla, & *Willielmum* de Mubrai in hunc modum: quod *Willielmus* de Stuteuilla renunciauit calumniæ ſuæ, quam habuit aduerſus *Willielmum* de Mubrai ſuper Baronia ſua, & *Willielmus* de Mubrai dedit *Willielmo* de Stuteuilla pro homagio ſuo, & pro renuntiatione iuris ſui, in augmentum feoda nouem militum, & duodecim libratus redituum. Et ſic remiſſis omnibus querelis hinc & inde, facti ſunt amici coram *Iohanne* rege Angliæ, ſecundo anno regni ſui apud Lue in Lindiſſia villam Lincolnienſis Epiſcopi, prima Dominica Septuageſimæ. Eodē anno *Philippus* rex Franciæ dedit Iudæis licentiā habitandi Pariſiis, & in aliis ciuitatib. ſuis, quos ipſe primo anno regni ſui ab eis expulerat.

al. Mambrai.

al. 10.

EODEM anno *Iohannes* rex Angliæ, ſtatim poſt concordiam inter ipſum, & regem Franciæ factam, profectus eſt in Aquitaniam cum exercitu magno; ſed non eſt inuentus qui ei reſiſteret. Eodem anno factum eſt diuortium inter *Iohannem* regem Angliæ, & *Hawiſiam* vxorem ſuam filiam *Willielmi* Comitis Glouceſtriæ, per *Heliam* Burdegalenſem Archiepiſcopum, & per *Willielmum* Pictauenſem, & per *Henricum* Sanctonenſem epiſcopos: erant enim affines in tertio gradu conſanguinitatis. Facto itaq; diuortio inter *Iohannem* regem Angliæ, & vxorem ſuā, ipſe rex Angliæ conſilio domini ſui *Philippi* regis Franciæ, duxit ſibi in vxorem *Iſabel* filiam *Ailmari* Comitis de Engoliſmo, quam prædictus Comes, conſilio, & voluntate *Richardi* regis Anglię, prius dederat *Hugoni* le * Brum Comiti de Lamarche; quam idē Comes in ſuam per verba de præſenti receperat, & ipſa illū in ſuum receperat per verba de præſenti; ſed quia ipſa nondum annos nubiles attigerat, noluit eam prædictus *Hugo* ſibi in facie eccleſiæ copulare. Videns ergo pater puellę, quod *Iohannes* rex Angliæ eam affectaret, eripuit eam de cuſtodia *Hugonis* le Brun, & dedit eam *Iohanni* regi Angliæ in vxorem; & ſtatim deſponſata eſt *Iohanni* regi Angliæ apud Engoliſmum per *Heliam* Burdegalenſem Archiepiſcopum.

al. Brun.

EODEM anno orta eſt grauis diſſenſio inter ſcholares, & ciues Pariſiis; cuius origo talis fuit. Erat itaq; Pariſiis quidam nobilis ſcholaris Teutonicus, qui erat vnus electorum in epiſcopum de Legis. Huius ſeruiens cum in taberna vinum emeret, verberatus eſt, & vas ſuum vinarium fractum eſt. Quo audito, factus eſt concurſus clericorum Teutonicorum; & intrantes tabernam vulnerauerunt hoſpitem domus, & plagis impoſitis abierunt, relinquentes eum ſemiuiuum. Factus eſt ergo clamor populi, & commota eſt ciuitas, ita quod *Thomas* prępoſitus Pariſius cum plebe ciuitatis armata armatus, fecit inſultum in hoſpitium clericorum Teuthonicorum; in quorum conflictu nobilis ille ſcholaris, qui erat vnus de electis in Epiſcopum de Legis, interfectus eſt cum quibuſdam ſuorum. Magiſtri igitur ſcholarum Pariſiis abeuntes ad *Philippum* regem Franciæ, conqueſti ſunt ei de *Thoma* præpoſito, & de illius complicibus, qui interfecerunt prædictos ſcholares: ad quorum inſtantiam captus eſt præfatus *Thomas* præpoſitus, captique ſunt complices ſui quidam, & incarcerati; quidam autem illorum fugerunt, relictis domi-

domibus, & facultatibus ſuis: rex quidem Franciæ iratus, fecit domus illorum demoliri, & vineas, & arbores illorum fructiferas extirpari. De præpoſito autem illo definitum eſt, quod ipſe in carcere regis non exiturus ſeruetur, donec iudicio aquæ, vel ferri ſe mundauerit, & ſi perierit, ſuſpendatur; & ſi mundus fuerit, abiuret regnum in miſericordia regis. Attamen ſcholares miſerti illius, ſupplicauerunt regi Franciæ, vt præpoſitus ille, & cõplices ſui more ſcholarium in ſcholis flagellati, eſſent quieti, & facultatibus ſuis reſtituti. Sed rex Franciæ hoc concedere noluit, dicens quod multum derogaret honori ſuo, ſi alius, quam ipſe vindictam ſumeret de malefactoribus ſuis. Præterea idem rex Franciæ timens, quod magiſtri ſcholarum, & ſcholares à ciuitate recederent, ſatisfecit eis, ſtatuens, quod de cætero nullus clericus trahatur ad ſeculare examen propter aliquod delictum, quod fecerit; ſed ſi clericus deliquerit, tradatur Epiſcopo, & ſecundum iudicium cleri tractetur. Statuit etiam rex Franciæ, quod quicunq; fuerit præpoſitus Pariſiis, iuret, quod fidem ſeruabit clericis, ſalua fidelitate regis. Præterea idem rex dedit ſcholaribus firmam pacem ſuam, & eã eis charta ſua confirmauit. Præpoſitus autem ille, cum permultos dies in carcere regis detentus fuiſſet, per fugam euadere propoſuit; & cum per murũ dimitteretur, fractus eſt funis, & ipſe ab alto corruens in terram, expirauit. Eodem anno *Margaritus* dux piratarum, quem *Henricus* Romanorum imperator excæcari fecerat, venit Pariſios ad *Philippum* regẽ Franciæ, & obtulit ei, quod ſi ipſe conſilio ſuo adquieſceret, faceret eum imperatorem Romanorum, aut imperatorẽ Conſtantinopolitanorũ, vtrum ſi eligeret. Cui rex Franciæ facilem præbens aſſenſum, præparauit itineri ſuo neceſſaria in equis, & armis, & viribus, & ſupellectilibus. Et *Margaritus* à rege Franciæ præcedens, vt præpararet promiſſa, mandauit per vniuerſos portus ſuæ dominationis, quod omnes galeæ ſuæ conuenirent apud Brunduſium in occurſum eius: ſed cum ipſe Romam veniret, a quodam ſeruiente ſuo, quem ipſe male tractauerat, interfectus eſt. Et tali caſu interueniente rex Franciæ à deſiderio ſuo fraudatus eſt.

Eodem anno obiit Maguntinus Archiepiſcopus, qui in ciuitate Magunti receperat *Philippum* Ducẽ Swauiæ in dominũ, & eum ibidẽ in regem coronauerat. Quo defuncto, clerus, & populus ciuitatis elegerunt ſibi quendã nobilem clericũ de ſuis in Archiepiſcopum, & præſentauerunt eum *Philippo* Duci Swauiæ; quem ille refutans, voluit contra voluntatem illorum vnum de conſanguineis ſuis ibi conſtituere Archiepiſcopum. Vnde clerus & populus Magunti plurimum indignati, abiecto Duce Swauiæ, adhæſerunt *Othoni* regi Alemannorum, & receperunt eum in dominum; & ipſe ad præſentationem illorũ recepit electum, quem elegerant in Archiepiſcopũ. Et ipſe *Otho* fuit apud Maguntum in natali Domini in regẽ coronatus ab eodem Archiepiſ. Maguntino. Quo audito, *Philippus* Dux Swauiæ præcepit ſibi afferri theſaurum ſuum, quem habuit in partibus illis. Quod cum *Othoni* conſtaret, obſeruabat per diem, & noctem, ſtratam, per quam tranſituri erant homines Ducis cum theſauro ſuo: & illi nihil horum præcauentes, cum iter agerent, inciderunt in manus *Othonis*, & capti ſunt cum theſauro illo: & ita factus eſt *Otho* diues cum theſauro Ducis Swauię aduerſarii eius.

Eodem anno vnus ex conſortibus ſupradicti *Fulconis* dictus dominus *Euſtachius* Abbas de Flay venit in Angliam à partibus Normanniæ, prædicare verbum Domini; fecitq; mirabilia in vita ſua. *Inter quæ, vnum opus fecit, quod eſt mirabile in oculis noſtris. Venit itaque prædictus* Euſtachius *non longe à Cantuaria ad villam, quæ dicitur* Wy*: & benedixit ibi fontem quendam, cui Dominus tantam infudit gratiam, quod cæci viſum, claudi greſſum, muti loquelam, ſurdi auditum, & quiſque debilis, qui ex fonte benedicto biberit, ſanitatem ſe recepiſſe gauiſus eſt. Venit igitur quædam mulier ad Abbatem illum à dæmonibus arrepta, & vltra quam credi fas eſt, groſſa, quaſi morbo hydropico inflata; & petiit ab eo ſibi reſtitui ſanitatem. Cui Abbas ille reſpondit: Confide filia, & vade ad natatoria fontis de* Wy*, cui benedixit Dominus, & bibe ex eo, & recipies inde ſanitatem. Et abiit, & bibit, & vomuit, & exierunt ab ea duo bufones magni, & nigri, qui ſtatim conuerſi ſunt in immenſos canes, & nigerrimos, & paulo poſt conuerſi ſunt in aſinos. Mulier autem ſtabat attonita, & aliquando cucurrit poſt illos furibunda, volens eos apprehendere, ſi poſſet: ſed quidam vir, qui deputatus erat ad fontem illum cuſtodiendum, aſperſit aquam, de fonte illo ſumptam, inter mulierem, & monſtra illa; quæ ſtatim abeuntia aſcenderunt in altum, relinquentia poſt ſe fœda veſtigia. Mulier quidem ab illa hora ſana facta eſt, magnificans Deum, qui talem poteſtatem dedit hominibus. Præterea prædictus Abbas veniens ad* Rumenel*, vbi erat aquæ defectus, ad preces populi in Eccleſia eiuſdem villæ baculo ſuo petram percuſſit; & fluxerunt aquæ, quarum hauſtus languoribus diuerſis medetur. Ipſe etiam prædicatione ſua corda multorum conuertit ad vſurarum relaxationem, & ad crucem Ieroſolymitanæ profectionis capiendam. Lundoniis autem, & in aliis locis multis per Angliam prædicatione ſua effecit,*

effecit, quod de cætero in diebus Dominicis forum rerum venalium nequaquam exercere præſument. Statuit etiam Lundoniis, & in quibuſdam aliis locis, quod in ſingulis Eccleſiis, vbi facultas expetit, erit ſemper lampas ardens, vel aliud lumen indeficiens ante corpus Domini. Et impetrauit prædicatione ſua, quod multi ex ciuibus, & ex aliis viris ſapientibus habent quotidie in menſa ſua diſcum eleemoſynarium, in quo condunt aliquam partem cibariorum ſuorum ad opus indigentium, qui non præparauerunt ſibi. His igitur & aliis operibus miſericordiæ inimicus humani generis inuidens, excitauit contra virum Dei miniſtros iniquitatis, qui dixerunt ei: Non licet tibi mittere falcem in alienam meſſem. *Quibus ille reſpondit*, Meſſis quidem multa eſt, operarii vero pauci. *Itaque prædictus Abbas à miniſtris Satanæ increpatus, noluit diutius prælatos Angliæ ſua prædicatione moleſtare, ſed reuerſus eſt in Normanniam ad locum ſuum, vnde venerat.*

Eodem anno *Raimundus* Comes de Sancto *AEgidio* deuenit homo *Iohannis* Regis Angliæ de terris, & caſtellis, quæ *Richardus* Rex Angliæ dederat ei in maritagium cum *Iohanna* ſorore ſua; ita quod cum *Raimundus* filius eius, quem genuit de *Iohanna* vxore ſua, peruenerit ad annos diſcretionis, omnia ſupradicta habeat, & faciat inde homagium *Iohanni* Regi Angliæ auunculo ſuo, & ſi ipſe ſine prole diſceſſerit, reuertatur ad Comitem de Sancto *AEgidio*; & ipſe, & hæredes ſui poſt illum teneant ea omnia iure hæreditario de Comite Pictauiæ per ſeruitium veniendi cum quingentis militibus in ſeruitium Comitis Pictauiæ, quotieſcunque Comes Pictauiæ in Gaſconiam cum exercitu ierit, per menſem in propriis ſumptibus; & ſi diutius faceret moram, Comes Pictauiæ prouideat eis neceſſaria. Deinde *Iohannes* Rex Angliæ venit Andegauim, & cepit ab ea centum quinquaginta obſides de fide ſibi ſeruanda, & miſit eos in cuſtodia. Eodem anno *Iohannes* de Oxenforda Norwicenſis epiſcopus obiit: cui ſucceſſit in Epiſcopatu illo *Iohannes* de Gray dono *Iohannis* Regis; & *Hubertus* Cantuarienſis Archiepiſcopus conſecrauit illum in Epiſcopum. Eodem anno *Iohannes* Rex Angliæ dedit *AEgidio* filio *Willielmi* de Branſa Epiſcopatum Herefordenſem; & *Hubertus* Cantuarienſis Archiepiſcopus conſecrauit illum in epiſcopum. Eodem anno *Iohannes* Rex Angliæ cepit de *Waltero* Rothomagenſi Archiepiſcopo 600. libras Andegauenſis monetæ, & confirmauit ei charta ſua omnia illa, quæ *Richardus* Rex Angliæ dederat ei in excambium pro Andeli, ſcilicet villam de Depa cum pertinentiis ſuis, & Louers cum pertinentiis ſuis, & foreſtam de Alierſmunt, & molendina de Robech.

Eodem anno *Galfridus* Eboracenſis Archiepiſcopus, & aduerſarii eius, videlicet *Simon* decanus, & cæteræ perſonæ Eccleſiæ Sancti *Petri* Eboraci conuenerunt apud Weſtmonaſterium in præſentia *Herberti* Saresbirienſis Epiſcopi, & *Alani* Abbatis de Theokeſbirie/ iudicum à Domino papa delegatorum; & poſt allegationes vtrinque plenius deductas, præfati iudices eos ad concordiam modis omnibus inducere conati ſunt; & effecerunt (Domino cooperante) quod idem Archiepiſcopus recepit in oſculum pacis primo *Willielmum Teſtard* Archidiaconum de Notingham/ deinde *Reginaldum Arundel* præcentorem Eboracenſis Eccleſiæ, & poſtremo *Simonem* Decanum Eboracenſis Eccleſiæ, ea conditione, quod ad inuicem ſibi ſatisfacerent de controuerſiis ſuis in capitulo Eboraci.

Eodem anno facta eſt pax, & finalis concordia inter *Hubertum* Cantuarienſem Archiepiſcopum, & Monachos Eccleſiæ Sanctæ Trinitatis Cantuariæ, per *Hugonem* Lincolnienſem, & *Euſtachium* Elienſem Epiſcopos, & per *Samſonem* Abbatem de Sancto *Eadmundo*, iudices in cauſa illa a Domino Papa *Innocentio* conſtitutos. Sed quia Dominus Lincolnienſis Epiſcopus diffinitioni cauſæ intereſſe non potuit, vices ſuas commiſit Domino *Rogero* de * Robleſtun Decano Lincolnienſis Eccleſiæ. Conuenit ergo inter illos in hunc modum; quod prædictus Cantuarienſis Archiepiſcopus, ſi voluerit, reædificabit capellam de Lamhee in loco illo, ſed non ſuper illud fundamentum, quo prius fuerat, nec canonicos ſeculares ibi inſtituet, ſed ſi voluerit, poterit ibi inſtituere canonicos regulares de ordine Præmonſtrenſi, videlicet tredecim ad minus, vel viginti ad plus; & ad ſuſtentationem illorum dabit Archiepiſcopus, ſi voluerit, de Eccleſiis ſuæ donationis centum libratas redditus ad plus; & in Eccleſia illa neque chriſma conficiet, neque Epiſcopos conſecrabit. De quatuor autem Eccleſiis, quas bonæ memoriæ *Richardus* Cantuarienſis Archiepiſcopus in proprios vſus prædictorum Monachorum conuerterat, ſic erit: Videlicet, quod *Simon* Archidiaconus de Welle/ reddet prædictis Monachis Sanctæ Trinitatis Cantuariæ decem aureos in vita ſua nomine penſionis de Eccleſia de Munketun in Thanet; & poſt deceſſum prædicti *Simonis* medietas decimæ bladi, & leguminis de eadem Eccleſia conuertetur ad augmentum eleemoſynæ prædictorum Monachorum Cantuariæ; & reliqua medietas eiuſdem Eccleſiæ, & obuentiones altaris erunt in

* *al. Robuffo.*

donatione Archiepiſcopi. Similiter erit de Eccleſia de Eſtreia, præter quod magiſter *Radulfus* poſſeſſor illius in vita ſua ſoluet prædictis Monachis penſionem ſex aureorum per annum. Eccleſiam autem de Ainesford poſſidebit libere *Iohannes Beleſmains*, quondam Lugdunenſis Archiepiſcopus, in vita ſua, & poſt deceſſum illius, prædicti Monachi Cãtuariæ habebunt ad augmentum eleemoſynæ ſuæ tertiam partem decimarum bladi, & leguminis de eadem Eccleſia, & totum reliquum illius Eccleſiæ erit in donatione Archiepiſcopi. Similiter erit de Eccleſia de Mapeham, præter quod *Virgilius* poſſeſſor eius reddet inde prædictis Monachis Cantuariæ vnum aureum nomine penſionis, dum vixerit. Exenia autem, quæ Monachi petebant de propriis maneriis eorum, remanebunt penes Archiepiſcopum, dum vixerit; & poſt deceſſum iſtius Archiepiſcopi ſucceſſor eius gaudebit poſſeſſione, ſalua quæſtione Monachorum. De diuiſa mariſcorum Archiepiſcopi, & Monachorum prouiſum eſt, vt per ſacramentum duodecim, vel plurium legalium hominum diſcernatur, quantum pertineat ad Archiepiſcopum, & quantum ad monachos; & hoc idem obtulerat eis Archiepiſcopus multotiens. Conceſſit autem eis Archiepiſcopus gratis habere curiam ſuam de propriis hominibus eorum. Hæc ſupradicta omnia conceſſa ſunt inter illos, & confirmata, ſalua authoritate domini Papæ. Eodem anno *Hubertus* Cantuarienſis Archiepiſcopus generale celebrauit concilium Lundoniis apud Weſtmonaſterium contra prohibitionem *Gaufridi* filii *Petri* Comitis de Eſſexe, tunc temporis ſummi iuſtitiarii Angliæ: In quo conſilio idem archiepiſcopus ſubſcripta promulgauit decreta, ſtatuens ea à ſuis ſubiectis inuiolabiliter obſeruari.

DECRETA HVBERTI CANTVArienſis Archiepiſcopi.

CVm in diuinis officiis non ſine periculo corporum, & animarum erretur, ſalubri prouiſione conſilii proſpeximus, vt à quolibet ſacerdote celebrante, verba canonis rotũde dicantur, & diſtincte, nec ex feſtinatione retracta, nec ex diuturnitate nimis protracta. Non eſt enim ibi diu immorandum propter inſurgentes cogitationes, * quæ, vt muſcæ morientes, perdunt ſuauitatem vnguenti. Similiter & omnes horæ & omnia officia aperte, & diſtincte dicantur, ita quod ex feſtinatione nimia non præcidantur, vel ſyncopentur. Quod ſi obſeruatum non fuerit, ſacerdotes hoc non obſeruantes poſt trinam admonitionem vſq; ad condignam ſatisfactionem ſuſpendantur. Saluo in omnibus ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ honore, & priuilegio.

el. quia muſca.

QVOD NON LICEAT PRESbytero bis in die celebrare.

NOn liceat presbytero bis in die celebrare, niſi neceſſitate vrgente; & tunc idem cum in die bis celebrat, poſt primam celebrationem, & ſanguinis ſumptionem nil infundatur calici. Sane poſt primam celebrationem diligentiſſime abſorbeantur ſtillulæ de calice, & digiti ſugantur, vel lingua lambantur, & lauentur reſeruata lotura in vaſe mundo ad id ſpecialiter deputato, quæ lotura ſumatur poſt ſecundam celebrationem. Hæc ita ſe habeant, niſi in prima celebratione adſit diaconus, vel alius miniſter honeſtus, qui loturam ſumere poſſit. His adiicimus, vt reponatur Euchariſtia in pyxide munda & honeſta, & in pyxide munda, & honeſta deferatur ad ægrum linteo mundo ſuperpoſito, & lucerna præcedente ac cruce niſi æger valde remotus fuerit. Renouetur quoq; hoſtia ipſa ſingulis Dominicis diebus, habeaturq; certitudo circa ipſam Euchariſtiam, ita quod non ſumat non conſecratam pro conſecrata. His adiiciendum decreuimus, vt ſecreto non detur communio Euchariſtiæ impetenti; ſed publice & inſtanter petenti danda eſt, niſi publicum ſit eius delictum. Saluo in omnibus, &c.

DE BAPTISMATE VEL CONFIRmatione ſi dubitetur.

DE baptiſmate, vel confirmatione ſi dubitetur, ſacrorum canonum ſtatuta ſequentes, ſtatuimus, vt conferatur, *quia non dicitur iteratum, quod non ſcitur fuiſſe collatum.* Idcoq; baptizentur expoſiti, de quorum baptiſmo dubitatur; ſiue inueniantur cum ſale, ſiue ſine ſale. Adiicimus etiam, vt nullus teneatur ad confirmationem à patre, vel matre, vel vitrico, vel nouerca. Et vt non liceat diaconibus baptizare vel pœnitentias dare, niſi duplici neceſſitate, viz. quia ſacerdos non poteſt, vel abſens, vel ſtulte non vult, & mors immine-

net

net puero, vel ægro. Si vero in neceſſitate puer baptizetur à laico, quod fieri poteſt à patre vel à matre abſq; matrimonii præiudicio, ſequentia immerſionem non præcedentia per ſacerdotem expleantur. Saluo in omnibus &c.

DE POENITENTIA.

CVm pœnitentiæ, *quæ eſt ſecunda tabula poſt naufragium*, tanto maior adhibenda ſit circumſpectio, quanto magis eſt neceſſaria poſt lapſum reparatio; nos ſacrorum canonum ſtatuta ſequentes, præcipimus, vt ſacerdotes in pœnitentia diligenter attendant circumſtantias, quantitatem ſcilicet perſonæ, & quantitatem delicti, tempus locum, cauſam moram in peccato factam, deuotionem animi pœnitentis; & vt pœnitentia talis iniungatur vxori, vnde non reddatur marito ſuo ſuſpecta de aliquo occulto, & enormi peccato: idem de marito conſeruetur. Nullus etiam ſacerdos poſt lapſum, antequam confiteatur, ad altare præſumat accedere celebraturus. Id adiicimus ad ſacerdotum cupiditatem reſecandam, vt Miſſæ non iniungantur in pœnitentia his, qui non fuerint ſacerdotes. Saluo in omnibus &c.

QVO MODO ARCHIEPISCOPVS, *Epiſcopus, & eorum officiales debeant hoſpitari cum ſubiectis.*

CVm inter ea, quæ ſtatuta ſunt à modernis patribus, Lateranenſe concilium celeberrimum ſit, & omni modo conſeruatione digniſſimum; nos ipſius inſtituta humiliter, ac deuote ſequentes, decernimus, vt Archiepiſcopus parochias viſitans, quadrageſimum vel quinquageſimum euectionis numerum, Epiſcopus viceſimum, vel triceſimum nequaquam excedant; Archidiaconus vero quinq; aut ſeptem; Decani conſtituti ſub Epiſcopis, duobus equis contenti exiſtant. Nec cum canibus venatoriis, aut auibus proficiſcantur; ſed ita procedant vt non, quæ ſua ſunt, ſed quæ *Ieſu Chriſti*, quærere videantur. Prohibemus etiam ne ſubditos ſuos talliis & exactionibus Epiſcopi grauare præſumant. Suſtinemus autem pro multis neceſſitatibus, quæ aliquoties ſuperueniunt, vt, ſi manifeſta & rationabilis cauſa extiterit, cum charitate modicum ab eis valeant auxilium poſtulare. Cum enim dicit Apoſtolus, *Non debent filii theſaurizare parentibus, ſed parentes filiis*; multo longe à paterna pietate videtur, ſi præpoſiti ſubditis ſuis graues exiſtant, quos in cunctis neceſſitatibus paſtoris more debent fouere. Archidiaconi, aut ſui decani nullas exactiones vel taillias in presbyteros ſeu clericos exercere præſumant. Sane, quod de ſupradicto numero euectionis ſecundum tolerantiam dictum eſt, in illis locis poterit obſeruari, in quibus ampliores ſunt reditus, & Eccleſiaſticæ facultates: in pauperibus autem locis tantam volumus teneri menſuram, vt ex acceſſu maiorum minores non debeant grauari, ne ſub tali indulgentia illi, qui paucioribus equis vti ſolebant hactenus, plurimam ſibi credant poteſtatem indultam. Spectat autem ad viſitationis officium ea inprimis, quę ad ſalutem animarum pertinent, cum omni diligentia procurare, & vt vnaquæq; Eccleſia habeat calicem argenteum, & veſtimenta ſacerdotalia ſufficientia, & honeſta, & libros neceſſarios, & vtenſilia & cætera, quæ ſpectant ad cultum & reuerentiam ſacramenti. Sane ad præcidendum tam auaritiæ, quam negligentiæ vitium, authoritate Toletani concilii ſubnixi, præcipimus, vt viſitator ab Eccleſia, in qua viſitationis officium debito modo non exercet, procurationem aut procurationis redemptionem exigere non præſumat. Saluo in omnibus, &c.

NE QVIS ORDINETVR SIne certo titulo.

ILlud etiam iuxta tenorem Lateranenſis concilii firmiter obſeruari præcipimus, vt ſi Epiſcopus aliquem ſine titulo certo in diaconum, vel presbyterum ordinauerit, tam diu ei ſubminiſtret, donec ei in aliqua Eccleſia conuenientia ſtipendia militiæ clericali aſſignet, niſi forte talis, qui ordinatur, extiterit, qui de ſua vel paterna hæreditate ſubſidia vitæ poſſit habere. Idem in ſubdiaconi ordinatione ſtatuimus, adiungentes, vt ſi Archidiaconus citra ſpeciale mandatum Epiſcopi ſui aliquem prædictorum ordinationi præſentauerit, & is ad eius præſentationem ordinatus fuerit, prædictæ pœnæ ſubiaceat. Saluo in omnibus, &c.

QVOD NON LICEAT EXCOMMVNICAtionis ſententiam proferre, niſi canonica commonitio precedat.

RVrſus Lateranenſis concilii ſtatuta ſequentes, præcipimus, vt nec prælati, niſi canonica commonitione præmiſſa, ſuſpenſionis vel excommunicationis ſententiam proferant in ſubiectos, niſi forte talis ſit culpa, quæ in ipſo genere ſuo excommunicationis pœnam inducat: nec ſubiecti contra diſciplinam Eccleſiaſticam ante ingreſſum cauſæ in vocem appellationis prorumpant. Si vero quiſquam pro ſua neceſſitate crediderit appellandum, competens ei ad proſequendam appellationem terminus præfigatur, infra quẽ ſi proſequi forte neglexerit, libere tunc Epiſcopus authoritate ſua vtatur. Si autem in quocunque negotio aliquis appellauerit, & eo, qui appellatus fuerit, veniente, qui appellauerit, venire neglexerit; ſi proprium quid habuerit, competentem illi recompenſationem faciat expenſarum; vt hoc ſaltem timore perterritus, in grauamen alterius non facile quis appellet: præcipue vero in locis religioſis hoc volumus obſeruari; ne Monachi ſiue quicunq; religioſi cum pro aliquo exceſſu fuerint corrigendi, contra regularem prælati ſui, & capituli diſciplinam appellare præſumant, ſed humiliter, ac deuote ſuſcipiant, quod pro ſalute ſua eis fuerit iniunctum. Ad reprimendam etiam multorum malitiam, his duximus adnectendum, vt ſingulis annis in genere ſolenniter excommunicentur ſortiarii, periuri ſupra ſacramenta, incendiarii, fures, atrociores raptores. Ita vt, qui ſcienter in diſpendium cuiuslibet peierauerint, non abſoluantur; nec eis pœnitentia ab aliquo iniungatur, niſi ab epiſcopo Diœceſano, vel eius authoritate, præterquam in articulo mortis; & tunc eis iniungatur, quod ex quo conualuerint, epiſcopum adeant ab eo vel eius authoritate pœnitentiam ſuſcepturi. Saluo in omnibus, &c.

NIHIL EXIGENDVM PRO SAcramentis adminiſtrandis.

SIcut in Lateranenſi concilio ſalubriter à Sanctis patribus eſt prouiſum, inhibemus, ne à perſonis Eccleſiaſticis deducendis ad ſedem, vel ſacerdotibus, vel aliis clericis inſtituendis, aut ſepeliendis mortuis, aut benedicendis nubentibus, ſeu pro chriſmate, ſeu quibuslibet aliis ſacramentis aliquid exigatur. Si quis autem contra hoc venire præſumpſerit, portionem cum *Giezi* ſe nouerit habiturum; cuius factum exactione turpi muneris imitatur. His adiicimus ne pro licẽtia celebrandi diuina à ſacerdotibus, vel docendi à magiſtris aliquid exigatur, & ſi ſolutum fuerit, repetatur. De eiuſdem etiam authoritate concilii prohibemus, ne noui cenſus ab Epiſcopis, vel abbatibus, aliiſue prælatis imponantur Eccleſiis, nec veteres augeantur, nec partem reddituum ſuis vſibus applicare præſumant; ſed libertatem, quam maiores ſibi conſeruari deſiderant, minoribus quoq; ſuis bona voluntate conſeruent. Si quis autem aliter egerit, irritum, quod fecerit, habeatur. Nulla inſuper Eccleſiaſtica miniſteria, ſeu etiam beneficia vel Eccleſiæ alicui tribuantur, vel promittantur, antequam vacent; ne deſiderare quis proximi ſui mortem videatur, in cuius locum vel beneficium ſe credit ſucceſſurum. Cum enim & in ipſis locis gentilium legibus inueniatur prohibitum; turpe nimis eſt, & diuini plenum animaduerſione iudicij, ſi in Eccleſia Dei futuræ ſucceſſionis expectatio locum habeat, quam & condemnare ipſi gentiles homines curauerunt. Saluo in omnibus, &c.

NE DECIMA MINVATVR OCCAſione mercedis ſeruientium, vel meſſorum.

CVm Deo, & ſacerdotibus Dei decimas dandas, *Abraham* factis, & *Iacob* promiſſis inſinuent; & authoritas veteris, & noui teſtamenti, nec non & ſanctorum patrum ſtatuta declarent, decimas de omnibus, quæ per annum renouantur, præſtandas; id inuiolabiliter decernimus obſeruandum, ita quod occaſione mercedis ſeruientum vel meſſorum decima pars non minuatur, ſed potius integrum perſoluatur. Habeant etiam presbyteri poteſtatem ante autumnum excommunicandi omnes fraudatores decimarum ſuarum, & eoſdem ſecundum formam Eccleſiaſticam abſoluendi. Huic adiicimus ſanctioni, vt de terris nouiter excultis non alias dentur decimæ, quam Eccleſiis parochialibus, infra quarum limites terræ illæ, de quibus decimæ perueniunt, excoluntur. Detentores vero decimarum, iuxta Rothomagenſis concilii conſtitutum, ſi ſemel, ſecundo, & tertio commoniti, exceſſum ſuum non emendauerint, vſq; ad ſatisfactionem condignam anathematis vinculo feriantur. Saluo in omnibus, &c.

NE CLERICI IN SACRIS ORDINIbus conſtituti focarias habeant.

STatuimus, vt in Eccleſia, cuius redditus annuus quantitatem trium marcarum non excedit, nullus inſtituatur, niſi qui in propria perſona ibidem voluerit deſeruire. Statuta etiam Lateranenſis concilii reuerenter amplectentes, decernimus vt clerici in ſacris ordinibus conſtituti, ſi mulierculas in domibus ſuis ſub incontinentiæ voto tenuerint, aut abiiciant eas, & continenter viuant, aut ab officio & beneficio Eccleſiaſtico fiant alieni. His etiam adnectimus, vt clerici non interſint tabernis, & publicis potationibus. Hinc etenim accidunt contentiones, & rixæ, adeo quod laici quandoq; clericos verberantes, incidant in canonem. Qui cum ad papam mittantur, nō eſt ęquum, quod clerici, qui culpa ſua quodammodo tamen dedere delictum, maneant impuniti. Clerici etiam omnes habitum habeant clericalem, & tonſuram canonicam. Archidiaconi autem, & alii in dignitatibus conſtituti, & presbyteri cappis manicatis vtantur. Saluo in omnibus, &c.

QVALES PERSONAE DEBEant contrahere matrimonium.

VIr non contrahat cum aliqua conſanguinea olim vxoris ſuę; ſimiliter nec vxor cum aliquo conſanguineo quondam viri ſui. Et ſuſceptus in baptiſmo, non contrahat cū filia baptizantis, vel ſuſcipientis, ante, vel poſt genita. Nec contrahatur aliquod matrimonium ſine trina denunciatione publica in eccleſia, neq; ſi fuerint perſonę incognitę. Sed nec copulentur aliquę perſonę matrimonio, niſi publice in facie eccleſię, & pręſente ſacerdote; & ſi ſecus factum fuerit, non admittantur alicubi eccleſia, niſi ſpeciali authoritate Epiſcopi. Nulli etiam coniugatorum liceat iter remotum peregrinationis arripere, niſi mutuo conſenſu publicato. Saluo in omnibus, &c.

DIFFAMATIS PVBLICA FAMA indicatur purgatio.

DIffamati fama publica, vel veriſimilibus indiciis ſuper crimine, de quo vinci non poſſunt, commoneantur ſemel, ſecundo, & tertio, vt confiteantur, & ſatisfaciant: ſi vero incorrecti in negatione perſtiterint, indicatur eis purgatio, & non occaſione pecuniæ captandæ differatur de die in diem, ſed ſtatim primo die, ſi parata fuerit, ſuſcipiatur, & canonicum numerum non excedat. Saluo &c.

VT LEPROSI COEMETERIVM ET propriam habeant Capellam.

AFfectu pietatis inducti, concilii Lateranenſis etiam inſtitutione ſuffulti, decernimus; vt vbicunque tot leproſi ſimul fuerint congregati, qui Eccleſiam cum cœmeterio ſibi conſtruere, & proprio valeant gaudere presbytero, ſine contradictione aliqua habere permittantur. Caueant tamen vt iniurioſi veteribus Eccleſiis non exiſtant. Quod enim eis pro pietate conceditur, ad aliorum iniuriam nolumus redundare. Statuimus etiam, vt de ortis nutrimentis animalium ſuorum decimas tribuere non cogantur. Saluo in omnibus &c.

NE ALIQVIS SINE EPISCOPALI authoritate Eccleſiaſtica beneficia de manu laica recipiat.

LAteranenſis concilii tenore perpenſo decernimus, ne fratres templi, vel hoſpitalis, ſiue quicunq; alii religioſi Eccleſias, vel decimas, vel alia beneficia Eccleſiaſtica ſine Epiſcopali authoritate de manu laica recipiant; dimiſſis etiam, quas contra tenorem iſtum moderno tempore receperunt, excommunicatos, & nominatim interdictos tanq̃ ab omnibus aliis, iuxta ſententiam Epiſcoporum, ſtatuimus euitandos. In Eccleſiis ſuis, quæ ad eos pleno iure non pertinent, inſtituendos presbyteros Epiſcopis præſentent; vt eis quidem de plebis cura reſpondeant, ipſis vero pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem. Inſtitutos autem, inconſultis Epiſcopis non audeant remouere. Si vero templarij ſiue hoſpitalarii ad eccleſiam interdictam venerint, non niſi ſemel in anno ad Eccleſiaſticum admittantur officium, nec tunc ibi corpora ſepelient defunctorum interdictorum. De fraternitatibus autem hæc conſtituimus, vt, ſi non ſe prædictis fratribus omnino reddiderint, ſed in ꝓprietatibus ſuis duxerint remanendū, propter hoc ab epiſcoporum ſententia nullatenus eximantur, ſed poteſtatem ſuam ſicut in alios paro-

chianos ſuos exerceant, cum de exceſſibus ſuis fuerint corrigendi. Quod autem de prædictis fratribus dictum eſt, ab aliis quoq; religioſis, qui præſumptione ſua epiſcoporum iura præripiunt, & contra canonicas eorum ſententias, & tenorem priuilegiorum ſuorum venire præſumant, præcipimus obſeruari. Si autem contra hoc ſtatutum venerint, & eccleſiæ, in quibus iſta præſumpſerint, ſubiiciantur interdicto, & quod egerint, eiuſdem authoritate concilii irritum habeatur & vacuum. Monachi etiam ſub pretio non recipiantur in monaſterio; nec peculium habere permittantur, nec ſinguli per villas & oppida, ſiue quaſcunq; parochiales ponantur Eccleſias; ſed in maiore conuentu aut cum aliquibus fratribus maneant, nec ſoli inter ſeculares homines ſpiritualium hoſtium afflictū expectent, *Salomone* dicente, *Væ ſoli, quia ſi ceciderit, non habebit ſubleuantem.* Si quis autem exactus pro ſua receptione aliquid dederit, ad canonicos ordines non accedat: is autem, qui accipit, officii ſui priuatione multetur. Si vero peculium habuerit, niſi ei ab abbate fuerit pro iniuncta adminiſtratione permiſſum, à communione remoueatur altaris; & q̄ in extremis cum peculio inuentus fuerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres recipiat ſepulturam. Quod etiam de diuerſis religioſis præcipimus obſeruari. Abbas autem, & qui diligenter iſta non curauerit, officii ſui iacturam ſe nouerit incurſurum. Prioratus quoq; ſeu obedientiæ pretii datione nulli tradantur; alioquin & dantes, & accipientes à miniſterio fiant Eccleſiaſtico alieni. Priores vero cum in conuentualibus eccleſiis fuerint cōſtituti, niſi pro manifeſta cauſa, & rationabili non mutentur; viz. ſi lapidatores fuerint, ſi incontinenter vixerint, aut tale aliquid egerint, pro quo amouendi merito videantur: aut ſi etiam pro maioris neceſſitate officii fuerint transferendi. Et illud præterea dignum adiectione videtur, ne monachi aut canonici nigri, vel moniales nigrę cappis coloratis vtantur, ſed tantum nigris; nec vtantur coopertoriis niſi nigris vel albis cum pellibus agninis, vel catinis, vel vulpinis. Monachi etiam aut alii religioſi pileis non vtantur; nec obtentu peregrinationis clauſtrum egrediantur. Decernimus etiam, vt in qualibet Eccleſia monachorum vel quorumlibet religioſorum ſuis vſibus canonice appropriata, vicarius inſtituatur prouiſione Epiſcopi, honeſtam & ſufficientem ſuſtentationem de bonis Eccleſiæ percepturus.

Eodem anno *Octouianus* Oſtienſis Epiſcopus Cardinalis, & Apoſtolicæ ſedis legatus, venit in Franciam miſſus à latere Domini *Innocentii* Papæ ad cognoſcendum de diuortio facto inter *Philippum* Regem Franciæ, & *Botildam* reginam ſponſam ſuam, & vt ipſe inprimis ante ingreſſum litis compelleret prædictum Regem Franciæ dimittere adulteram ſuam Teutonicam, & reſumere *Botildam* ſponſam ſuam, & modo debito tractare. Factum eſt autē in vigilia natiuitatis beatæ Dei genitricis ſemperq; virginis *Mariæ*, prædicto Cardinali & Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & clero Franciæ conuenientibus apud ſanctum *Leodegarium* in Niuele; *Philippus* Rex Franciæ, & *Botilda* regina, & adultera eius Theutonica conuenerunt illuc; & Rex Franciæ admonitione præfati Cardinalis, & conſilio ſuorum dimiſit adulteram ſuam, & *Botildam* ſponſam ſuam recepit, & ſtatim conqueſtus eſt de ea Cardinali, dicens, quod ipſe eam de iure habere ſibi in coniugem non debet, quia multum erant affines in conſanguinitate; & hoc probare modis omnibus præſto erat, & ideo petebat diuortium inter illos fieri. Statuit ergo eis prædictus Cardinalis ſpacium ſex menſium, & ſex hebdomadarum, & ſex dierum, & ſex horarum à Vigilia illa natiuitatis beatæ *Mariæ* ad deliberandum ſuper hoc; & locum placitandi ſtatuit eis apud Seſſuns electione reginæ *Botildæ*. Eodem die, ſcilicet in Vigilia natiuitatis Sanctæ *Mariæ*, poſtquam Rex Franciæ adulteram ſuam dimiſerat, & *Botildam* ſponſam ſuam receperat, ſtatim relaxata eſt ſententia interdicti Eccleſiarum de regno Franciæ, & pulſatis campanis facta eſt lætitia magna in clero, & populo, quia interdictū illud iam durauerat pluſquam per triginta hebdomadas, & corpora defunctorum ſepulta erant extra villam per vicos, & plateas. Et paulo poſt præfata mulier, quam Rex Franciæ dimiſerat, peperit filium, & vocatus eſt nomine Patris ſui *Philippus*. Genuerat etiam idem Rex Franciæ de eadem muliere filiam, quæ quinquennis erat illa die, qua ipſe illam dimiſit: filiam autem illam ſpopondit rex Franciæ ſe daturum *Alexandro* filio *Willielmi* regis Scotiæ in vxorem. Eodem anno, 9. Kalendarum Octobris, viz. die Sabbati quatuor temporum proximo ante feſtum Sancti *Michaelis*, *Willielmus* cognomento *Maluaiſin* Glaſcuenſis Eccleſiæ electus, ordinatus eſt in ſacerdotem apud Lugdunum ab eiuſdem ciuitatis Archiepiſcopo: & in craſtino ibidem, ſcil. die Dominico, 8. Kal. Octobris, conſecratus eſt in Epiſcopum Glaſcuenſem ab eodem Archiepiſcopo per mandatum domini *Innocentii* papæ tertii. Eodem anno menſe Octobris poſt completa negotia ſua in Normannia, & cæteris terris ſuis tranſmarinis, *Iohannes* Rex Angliæ transfretauit de Normannia in Angliam, & adduxit

duxit ſecum *Iſabel* ſponſam ſuam filiam Comitis de Engoliſmo, & octauo Idus eiuſdem menſis die Dominica, ipſe, & *Iſabel* vxor eius coronati ſunt Lundoniis apud Weſtmonaſterium ab *Huberto* Cantuarienſi Archiepiſcopo. Interim ex præcepto eiuſdem regis, *Galfridus* Eboracenſis Archiepiſcopus, frater ſuus, diſſaiſiatus eſt de omnib. maneriis, & bonis Archiepiſcopatus ſui. *Iacobus* vero de Poterne, tunc temporis vicecomes Eboraci, maneria eiuſdem Archiepiſcopi violenter ingreſſus, bona ſua diſſipauit. Vnde prædictus Archiepiſcopus excommunicauit vicecomitem illum, & omnes huius violentiæ authores, & conſiliarios accẽſis candelis, & pulſatis campanis. Excommunicauit etiam omnes, qui *Iohannem* regem fratrem ſuum aduerſus eum in iram, & indignationẽ commouerunt vel commouerent ſine eius delicto. Excommunicauit etiam Burgenſes de Beuerlaco, & villam ipſam a celebratione diuini officii, & à ſonitu campanarũ ſuſpendit, pro eo quod prædicti Burgenſes Parcum ſuum fregerũt, & cætera bona ſua, quæ *Rogerus* Eboracenſis Archiepiſcopus prædeceſſor ſuus, & ipſe aliquo tempore pacifice poſſederunt, turbauerant, diminuerant. Procedente autem tempore, *Iohannes* rex Angliæ, bonorum virorum fretus cõſilio, reſtituit prænominato Archiepiſcopo Archiepiſcopatum ſuum, & ſtatuit ei diem veniendi in curia ſua ad monſtrandum, quare non transfretauit cum illo ad faciendam pacem cum rege Franciæ, quando ſummonitus erat; & quare non permiſerat ſeruientes ſuos capere denarios carucarũ de terra ſua ſicut in aliis partibus regni factum eſt; & quare verberauerat ſeruientem vicecomitis Eboraci: & ad reddendum regi tria millia marcarum argenti, quæ ipſe debuit *Richardo* regi Angliæ fratri ſuo. *Iohannes* vero rex Angliæ ſtatim poſt coronationem ſuam miſit *Philippum* Dunelmenſem Epiſcopum, & *Rogerum Bigot* Comitem de Norfolc, & *Henricum* de Boum Comitẽ Herefordiæ, nepotem *Willielmi* regis Scotiæ, & *Dauid* Comitem de Huntendun, fratrem eiuſdem regis Scotiæ, & *Rogerum* de Laſci conſtabularium Ceſtriæ, & *Willielmum* de Veſci, & *Robertum* de Ros generos eiuſdem regis Scotiæ, & *Robertum* filium *Rogeri* vicecomitem de Northumbria ad *Willielmum* regem Scottorum cum literis regiis patentibus de ſaluo conductu ad conducẽdum ipſum regem Scottorum ad regem Angliæ; & ſtatuit illi diem veniendi ad eum apud Lincolniam in craſtino S. *Eadmundi*. Interim *Hugo* Lincolnienſis Epiſcopus, rediens in Angliam de transmarinis partibus, infirmabatur Lũdoniis quartanis Febribus detentus. Venit ergo viſitare eum *Iohannes* rex Angliæ, & confirmauit teſtamentum illius, & promiſit in Domino, quod de cætero rationabilia prælatorum Eccleſiæ teſtamenta rata haberet tempore ſuo. Deinde menſe Nouembris, 16. Kal. Decembris, feria 5. obiit *Hugo* Lincolnienſis Epiſcopus Lundoniis. Eodem menſe Nouembris 11. Kal. Decembris, feria 3. *Iohannes* rex Angliæ, & *Willielmus* rex Scotiæ conuenerunt apud Lincolniam, & in craſtino, viz. 10. Kal. Decembris, feria 4. *Iohannes* rex Angliæ intrepidus, & contra conſilium multorum, intrauit Eccleſiam cathedralem Lincolnienſem, & obtulit ſuper altare S. *Iohannis Baptiſtæ*, quod eſt in nouo opere, calicem aureum. Deinde eodem die ipſe, & *Willielmus* rex Scottorum conuenerunt ad colloquium extra ciuitatem Lincolniæ ſuper montem arduum; & ibi in conſpectu omnis populi *Willielmus* rex Scottorum deuenit homo *Iohãnis* regis Angliæ de iure ſuo, & iurauit ei fidelitatem ſuper crucem *Huberti* Cantuarienſis Archiepiſcopi de vita, & membris, & terreno honore ſuo contra omnes homines, & de pace ſeruanda ſibi, & regno ſuo, ſaluo iure ſuo; teſtibus his, *Huberto* Cantuar. *Iohanne* Dublinenſi, *Bernardo* Raguenſi Archiepiſcopis: & *Philippo* Dunelmẽſi, *Willielmo* Lundoniẽſi, *Gilberto* Roſenſi, *Euſtachio* Elienſi, *Sauarico* Bathonienſi, *Herberto* Salesbirienſi, & *Godefrido* Wintonienſi, & *Aegidio* Herefordẽſi, & *Iohanne* Norwicẽſi, & *Rogero* de S. *Andrea* in Scotia, & *Hẽrico* de Lãdaſ, & *Rogero* de Pãgor Epiſcopis: & *Galfrido* filio *Petri* iuſtitiario Angliæ Comite de Eſſex, & *Rogero Bigot* Comite de Norfolc, & *Hamelino* Comite de Warrenna, & *Baldwino* de Betun Comite de Albermarlia, & *Willielmo* Comite de Salesbiri, & *Henrico* de Boum Comite de Hereford, & Comite de Clara, & Comite de Ferreris, & *Dauid* fratre *Willielmi* regis Scottorũ Comite de Huntendun, & *Rollando* filio *Huctredi* filii *Fergus* principe Galicaiorum, & *Patricio* Comite de Lonais, & *Griffino* filio *Reſi* rege de Suthwales, & aliis multis de regno Scotiæ: & coram Baronibus Angliæ & Normanniæ, viz. *Rogero* conſtabulario Ceſtriæ, & *Euſtachio* de Veſci, & *Roberto* de Ros, & *Willielmo* de Stuteuilla, & *Radulfo Camberlano* de Tankaruille & * *Warino* filio *Geroldi*, & *Stephano* de Turneham, & *Roberto* fratre eius, & *Gilleberto Baſſet*, & *Thoma* & *Alano* fratribus eius, & *Rogero* de Huntingfield, & *Satero* de Quinci, & *Willielmo* de Haſtinglies, & * *Lolano* de Newill, & *Simone* de Chanci, & *Girardo* de Camuilla, & aliis multis de Baronibus Angliæ, & Normanniæ. Facto itaque homagio ſuo, *Willielmus* rex Scotiæ petiit à *Iohanne* rege Angliæ domino ſuo totam Northumbriam, & Cumbriam, & Weſtmerland, ſicut ius & hæreditatem

al. Garino

al. Iolano

ſuam, & cum diu ſuper hoc eſſet tractatum, nec inter eos poſſet conuenire, rex Angliæ petiit à rege Scotiæ inducias deliberandi vſq; ad Pentecoſten proximo venturam. Quo conceſſo, *Willielmus* rex Scotiæ in craſtino ſummo mane, viz. 9. Kal. Decembris, feria 5. reuerſus eſt in regionem ſuam ſub prædictorum conductu, qui eum ad regem Angliæ conduxerant.

Eodem die, ſcz. 9. Kal. Decembris, corpus Hugonis *Lincolniẽſis Epiſcopi delatum eſt Lincolniam ibidem intumulandum. Cui occurrentes* Iohannes *rex Angliæ, & ſupradicti tres Archiepiſcopi, & præfati tredecim Epiſcopi, & Comites & Barones prænominati, receperunt corpus illud; & rex ipſe vna cum Comitibus, & Baronibus portauit in collo ſuo corpus illud. Deinde Comites, & Barones portauerunt illud in humeris ſuis vſq; in atrium matricis Eccleſiæ, gaudentes obſequium ſe præſtare Deo, & beato præſuli illi. Ad oſtium vero Eccleſiæ receperunt corpus illud præfati Archiepiſcopi & Epiſcopi, & ſic in humeris prælatorum delatum eſt vſq; in chorum, & ibi pernoctatum eſt. Cumq; circa eum agerentur exequiæ, defunctorum, quædam mulier, quæ per ſeptem annos ex vno oculo cæca fuerat, recepit viſum. Et ibidem quidem burſarum inciſor ſcindit burſam cuiuſdam mulieris, & ſtatim factæ ſunt ambæ manus eius contractæ, & ipſe ſtans immobilis clamabat, dicens.*

Pœnitet, ô, ſi quid miſerorum creditur vlli,
 Pœnitet, & facto torqueor ipſe meo.
Qui cum me pœna dignum grauiore fuiſſe
 Confiteor, poſſum vix grauiora pati.
Et quamuis meritis pœna hæc ſit debita noſtris;
 Magna tamen ſpes eſt in bonitate Dei.
Spes facit, vt viuat foſſor quoque compede vinctus,
 Liberaq; a ferro crura futura putet.
Spes facit, vt, videat cum terras vndiq; nullas,
 Naufragus in mediis brachia iactet aquis.
Sæpe aliquem ſolers medicorum cura reliquit:
 Nec ſpes huic, vena deficiente, cadit.
Carcere dicuntur clauſi ſpectare ſalutem;
 Atque aliquis pendens in cruce vota facit.
En ſpes, quam multos laqueo ſua colla ligantes
 Non eſt propoſita paſſa perire nece!
Confugit interdum templi violator ad aram,
 Nec petere offenſi numinis horret opem.

Et ad ſe conuerſus, ait:

Lingua ſile, non eſt vltra narrabile quicquam.

Et conuerſus ad clerum, dicit, Miſeremini mei, miſeremini ſaltem vos, amici Dei, & orate pro me ad Dominum, vt ipſe pro ſua ineffabili miſericordia miſereatur mei. Ego enim abrenuncio Sathanæ, & operibus eius. Et ſtatim facta oratione pro ipſo ad Dominum ſoluta ſunt vincula Sathanæ, quibus conſtrictæ erant manus eius, & ſanus factus eſt homo ab illa hora, laudans, & glorificans Deum.

Talia cœleſtes fieri præconia gaudent,
 Vt ſua quid valeant numina, teſte probent.
Sæpe leuant pœnas, ereptaq; lumina reddunt,
 Cum bene peccati pœnituiſſe vident.

Octauo Kalendarum Decembris, feria ſexta, corpus prædicti Hugonis *Lincolnienſis Epiſcopi poſt Miſſarum ſolemnia delatum eſt in Eccleſia noua, quam ipſe in honore beatæ Dei genetricis ſemperq; virginis* Mariæ *fundauerat, tumulatumq; eſt à præfatis Archiepiſcopis, & Epiſcopis iuxta altare S.* Iohannis Baptiſtæ. *O quantus luctus omnium, O quanta lamenta, præcipue clericorum! Erat namq; in ſermone verax, in iudicio iuſtus, in conſilio prouidus, in bonitate conſpicuus, in vniuerſa morum honeſtate præclarus. Eiuſq; vita cunctas illuſtrabat Eccleſias.*

  Vltima ſemper
Expectanda dies homini eſt; diciq; beatus
Ante obitum nemo ſupremaq; funera debet.

Non eſt enim glorioſum viuere, ſed bene viuere glorioſum eſt. Præterea dum *Iohannes* rex Angliæ moram faceret apud Lincolniam, acceſſerunt ad eum duodecim Abbates de ordine Ciſtercienſi, & ad pedes eius prouoluti, miſericordiam petierunt, dicentes, quod foreſtarii eius aueria ſua, quibus ipſi, & pauperes *Chriſti* ſuſtentati fuerant, à paſturis, & foreſtis regiis exterminauerunt. Quibus rex reſpondit, Surgite. Et ſurrexerunt omnes viri illi; & rex ipſe, diuina inſpirante gratia, cecidit pronus in terram ante pedes illorum veniam poſtulans, & ait illis, Pacẽ meam do vobis, & concedo, vt aueria veſtra paſcatis per paſturas, & fo-

& foreſtas meas, ſicut dignoſcitur vobis cõceſſum fuiſſe à prædeceſſoribus meis regibus Angliæ: & inſuper quærite locum in regno meo aptum ad abbatiam de ordine veſtro faciendam; & ego eam faciam pro ſalute animæ meæ, & parentum meorum, & pro ſtabilitate regni, & ego ibi, Deo volente, ſepultus ero. Eodem anno menſe Decembris, *Rollandus*, princeps Galweiæ, obiit in Anglia apud Northamptun, 14. Kal. Ianuarii, feria 3. & ibidem ſepultus eſt apud Abbatiam S. *Andreæ*. Eodem anno *Dunecan* filius *Gilberti* filii *Fergus* rapuit *Auelinan* filiam *Alani*, filii *Walteri*, domini de *Rainfriu*, antequam *Willielmus* rex Scotiæ rediret de Anglia in terram ſuam. Vnde idem rex plurimum iratus cepit de *Alano* filio *Walteri* viginti quatuor plegios de pace ſibi, & terræ ſuæ ſeruanda, & de iure faciendo ſuper calumnia illa.

Eodem anno menſe Septembris, Hugo *Lincolnienſis Epiſcopus infra quindecim dies poſt obitum ſuum apparuit in ſomnis magiſtro* Rogero *de Roleſtun decano Lincolnienſis Eccleſiæ, dicens: Conceſſit mihi Dominus noſter* Ieſus Chriſtus *ſua gratia, quod vnus ex vobis fratribus meis in proximo veniet ad me cum Domino regnaturus. Eſtote ergo parati, & vigilate, quia neſcitis diem, neq; horam, quando Dominus venturus eſt; & his dictis abiit. Mane autem facto, prædictus decanus narrauit viſionem iſtam in capitulo ſuo coram fratribus; & erat illis omnibus mens vna deſiderans deſiderio magno à mole carnis reſolui, & eſſe cum* Chriſto. *Sed hæc viſio in vno ſolo fratre illorum, videlicet* Roberto *de capella tunc impleta eſt. Ipſe enim ſtatim incepit ægrotare, & infra triduum emittens ſpiritum perrexit ad Dominum. Corpus autem eius à collo vſque ad poplites inuentum erat in cilicio conſutum, quo ipſe vtebatur à multo tempore ſub veſte candida. Eodem menſe Decembris, paulo ante natale Domini in prouincia Eboracenſi apparuerunt de nocte in cœlo quinque lunæ circa primam vigiliam noctis: prima apparuit in Aquilone, ſecunda in Meridie, tertia in Occidente, quarta in Oriente, quinta luna apparuit in medio illarum quatuor lunarum, & habebat ſecum multas ſtellas, & illa cum ſtellis ſuis circuibat quinquies, vel ſexies præfatas quatuor lunas. Hæc autem apparitio apparuit multis videntibus, & admirantibus, quaſi per ſpatium vnius horæ, & poſtea euanuit ab oculis intuentium.*

Eodem anno in medio quadrageſimæ, menſe Martio *Philippus* rex Franciæ, & *Botilda* regina vxor eius conuenerunt cum partibus ſuis apud Seſſuns coram *Octoniano* Oſtienſi Epiſcopo à domino papa *Innocentio* iudice delegato. Ex parte autem prædictæ reginæ interfuerunt ibi Epiſcopi, & alii honeſti viri & diſcreti, miſſi à *Cnut* rege Dacorum fratre prædictæ reginæ; & ante ingreſſum litis petierunt a rege Franciæ ſecuritatem libere reſpondendi, & allegandi, & à terra ſua recedendi. Et his conceſſis, rex Franciæ conſtanter petebat diuortiũ fieri inter ipſum, & *Botildam* ſponſam ſuam, dicendo, quod ita affines erant in conſanguinitatis linea, quod eam de iure non deberet cognoſcere. Ad hoc reſpõderũt nuncii regis Dacorũ, Nos cognouimus, audiuimus, & vidimus, quod cũ venerabiles viri nuncii veſtri, quos excellentia veſtra miſit ad dominum noſtrum *Cnut* regem Dacorum, pro matrimonio contrahendo inter vos, & *Botildam* ſororem ſuam, eſſent in præſentia illius, & proponerent, quod deſiderio deſideraſtis ducere vobis in vxorem *Botildam* regię ſtirpis egregiam puellam, ſororem ſuam, & eam conſtanter petiſſent vobis trãſmitti; dominus noſter *Cnut* rex Dacorum, hoſtium ſuorum magnificus triumphator, cui nemo impune reſiſtit, communicato magnatum regni ſui conſilio, dignum iudicauit petitionem veſtram exaudiri. Iurauerunt ergo prædicti nuncii veſtri in animam veſtram, iuraueruntq; in animas ſuas, quod vos præfatam *Botildam* ſtatim ex quo ipſa fines regni veſtri intraret, eam vobis deſpõſari, & in reginam coronari faceretis, & eam ſicut reginam, & ſponſam veſtram honorifice tractaretis, quamdiu vos duo vixeritis. Et ſuper hoc miſiſtis domino noſtro regi Dacorum chartam veſtram, quam hic præ manibus habemus: habemus etiam chartas magnatum veſtrorum, qui hoc idem iurauerunt. Et quia vos ſecus, quam magnates veſtri iurauerunt, præfatam *Botildam* reginam ſponſam veſtram tractaſtis: nos appellamus eos de periurio, & fide lęſa coram domino papa: appellamus etiam ad dominum papam a iudice iſto domino *Octoniano* Oſtienſi Epiſcopo, qui nobis ſuſpectus eſt, vtpote qui cõſanguineus veſter eſt, vt dicit, & cauſam veſtram nimio fauore proſequitur. Similiter & ipſa *Botilda* regina appellauit pro ſe ipſa à iudice illo ad dominum papam. *Octonianus* igitur Oſtienſis Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis legatus, audiens, quod appellatum eſſet ab eo ad ſummum pontificem, dixit ad nuncios regis Dacorum, Expectate donec collega meus, quem aſſociauit mihi dominus papa, veniat, qui in proximo venturus eſt, & quod ab eo iudicatum fuerit, recipite. Illi autem abierunt, dicentes, Appellauimus. Poſt triduum venit ille alius legatus, de cuius ſanctitate, & iuſtitia dominus papa plenam habebat fiduciam; & ſedens pro tribunali, nullam inuenit cauſam, quare diuortium fieret inter *Philippum* regem Franciæ, & *Botildam* reginam ſponſam ſuam; & cum ille ſuper

hoc vellet dare diffinitiuam ſententiam contra regem Franciæ, rex Franciæ inde præmunitus, ante ſententiæ pronunciationem abiit, & duxit ſecum *Botildam* reginam vxorem ſuam, & poſuit eam in arctiori cuſtodia. Eodem anno facta eſt hęc pax & finalis cōcordia inter *Philippum* regem Franciæ, & *Iohannem* regem Angliæ.

FINALIS CONCORDIA INTER PHILIPPVM REGEM Franciæ, & Iohannem regem Angliæ.

Philippus Dei gratia rex Francorum vniuerſis, ad quos præſens ſcriptum peruenerit, Salutem. Noueritis, quod hæc eſt forma pacis facta inter nos, & dilectum noſtrum, & fidelem *Iohannem* Dei gratia regem Angliæ. Scilicet, quod ipſe tenebit nobis, & hæredibus noſtris pacem, quam *Richardus* rex frater eius fecit nobiſcum inter Heroldum, & Carotom; exceptis his, quæ per præſentem chartam excipiuntur, vel mutantur propter exceptiones, quas idem rex *Richardus* nobis fecerat de pace illa. Scilicet quod idem rex *Iohānes* donauit nobis, & hæredibus noſtris, ſicut rectus hæres *Richardi* fratris ſui, ciuitatem Ebroicarū & Ebrocinium cum omnib. feudis, & dominiis: ſicut ſubſcriptę metæ determinant. Metæ aūt poſitæ ſunt inter Ebroicas, & Nouumburcum; & totum id, quod erit inter has metas ex parte Franciæ, erit noſtrum; id quod erit verſus Nouumburcum, erit regis Angliæ. Et quantum terræ habuimus verſus Nouumburcum, tantum terræ habebimus verſus Conchias, & verſus Akemu ad eandem menſuram, ex parte, vbi Abbatia de Noa ſita eſt, ſicut aqua Iconiæ currit. Gurtebo, vbicunq; ſit, nobis dedit. Tylers cum pertinentiis ſuis, & Danuilla remanet regi Angliæ. Itē tantum, quod dominus de Bruroles habebit (id quod habere debet) in dominatu de Tylers, & domin⁹ de Tylers habeat (id, quod habere debet) in dominatu de Bruroles. Conceſſit ēt nobis de Epiſcopatu Ebroicenſi id, q̄ eſt infra has metas. Vnde Epiſcopus Ebroicenſis nobis reſpondebit, & hæredibus noſtris. Idem aūt Epiſcopus reſpondebit regi Angliæ, & hæredib. ſuis de hoc, quod erit extra has metas. Et ſciendū, quod neq; nos, neq; rex Angliæ poterimus firmare inter has metas cōſtitutas inter Nouumburgum, & Ebroicum, neq; apud Gurtebo, neq; nos ex parte noſtra, neq; rex Angliæ ex parte ſua, niſi vbi firmatum eſt infra metas prædictas. Præterea Fortelicię de portis, & de landis in continenti diruentur, neq; ibi aliæ fortelicię poterunt reædificari. Hæc aūt omnia, quæ Comes Ebroicenſis tenebat inter has metas, fecit nobis rex Angliæ aquietari à recto hærede Ebroicarum. De Hulcaſmo Normanniæ ſic erit: prædicto regi Angliæ & hæredibus ſuis remanebunt feoda & dominium, ſicut Archiepiſcop. Rothomagi inde tenens erat die, qua fecit excambium de Andeliaco; totum Hulcaſmi reſiduum nobis remanet. Nos quoque non poſſumus firmare vltra Gamagium ex parte noſtra Normanniæ, nec vltra fines Foreſtæ Vernonis, ſed infra; neque rex Angliæ vltra Foreſtam Andeliaci, ſed infra. Dedit autem rex Angliæ in maritagium *Lodouico* filio noſtro cum filia regis Caſtellæ ſua nepte, Feodum Eroldinum, & Feodum Carſarri, & Feodum Bitureſii, ſicut *Andreas* de Calumaco ea tenebat de rege Angliæ. Et de omnibus his erimus ſaiſiti, vſq; dum maritagium ſit conſummatum. Et quicquid contingat de maritagio, poſtquam factū fuerit, nos prædicta Feoda tenebimus tota vita noſtra. Et poſt vitam noſtram reuertentur prædicta Feoda ad prædictū regem Angliæ, & hæredes ſuos, ſi prædictus *Lodowicus* filius noſter hæredem non habuerit de nepte regis Angliæ. Si vero contigerit ipſum regem Angliæ mori abſque hærede de vxore ſibi deſponſata, cum prædictis feodis dabit rex Angliæ *Lodowico* filio noſtro cum prædicta nepte ſua in maritagium Feudum *Hugonis* de Gurnaio citra mare Angliæ, & Feodum Comitis *Patricij*, ſicut ea tenent de rege Angliæ citra mare Angliæ. Præterea idem rex Angliæ dedit nobis 30000. marcarum argenti ad pondus & legem, in qua facta fuerunt, ſcilicet tredecim ſolidos, & quatuor denarios pro marca, propter Recatum noſtrum, & propter Feudum Brittanniæ, quod nos regi Angliæ dimiſimus. Rex vero *Iohannes* recepit *Arthurum* in homine, ita quod *Arthurus* tenebit Brittanniam de prædicto rege Angliæ. Idem vero rex Angliæ, ſicut rectus hæres fratris ſui *Richardi* regis, tenebit de nobis omnia feoda, ſicut pater eius, & *Richardus* rex frater eius tenuerint, & ſicut feoda debēt, exceptis ſupradictis, quæ nobis remanent, ſicut prædictum eſt. De Comite Engoliſmi & vicecomite Lemonicenſi ſic erit, quod rex *Iohannes* recipiet eos in homines, ita quod iura eorum eis dimittet. De Comite Flandriæ, & Comite Boloniæ ſic erit; quod Comes Flandriæ tenebit id, quod tenet de terra noſtra, & nos ea, quæ tenemus de Comite Boloniæ, ſcilicet dominia, & feoda, & ea, quæ Comes Pontini tenet; inde feodum, & dominium remanent nobis, & Comiti Pōtini; propter hoc, quod Comes Flandriæ tenet de noſtro, ideo faciet nobis homagium. Et ſi ipſe Comes Flandriæ, aut aliquis hominum meorum, qui melius ſint, aut eſſe debent

homines

homines noſtri, quam regis Angliæ, nobis malum facere, aut nocere vellent; rex Angliæ non poterit contra nos adiuuare, & manutenere eos, neq; nos ſimiliter ſuos, qui ſint, aut melius eſſe debent homines ſui, quam mei; ſalua forma huius pacis prædictæ. In conuentionibus iſtis habet rex Angliæ conuentionem, quod ipſe *Othoni* nullum faciet auxilium, neque per pecuniam, neque per gentes, neque per milites, nec per alium, niſi per conſilium noſtrum. De *Arthuro* ſic erit, quod rex Angliæ nõ minuet eum de Feodo, vel de dominio Brittãniæ citra mare Angliæ, niſi per rectum iudicium curiæ ſuæ. Rex vero Angliæ dedit nobis ſecuritates de hominibus ſuis ſubſcriptis, *Baldwino* Comite Albemarliç, *Willielmo* Comite de Penbroc, *Hugone* de Gurnaco, *Willielmo* de Humut conſtabulario Normanniæ, *Roberto* de Harucurt, *Iohanne* de Pratellis, *Willielmo* de Kau, *Garino* de Capuin, qui iurauerunt hoc modo, quod ipſi cum omnibus ſuis Feodis citra mare ad nos venirẽt, ſi rex Angliæ non teneret pacem, & conuentionem ſicut diuiſa eſt. Nos quoq; dedimus ſecuritates de hominibus noſtris ſubſcriptis; Comite *Roberto* Drocorum, Comite *Galfrido* Perticii, *Willielmo Garlad*, *Bartholomao* de Royia, *Geruaſio* de Caſtello, *Waltero* Camerario patre; *Vrſone* filio eius; *Philippo* de Leuns; *Waltero* Camerario iuniore: qui ſimiliter iurauerunt, quod cum omnibus ſuis ad regem venirent, ſi nos ei hanc pacem non tenuerimus, ſicut eſt diuiſa. Nos autem, & prædicti hoſtagii bona fide, & ſine malo ingenio hæc firmiter, & fideliter obſeruanda iurauimus. Quæ vt perpetuum robur obtineant, præſentem chartam authoritate ſigilli noſtri corroboramus; Actum apud G. anno ab incarnatione Domini, 1200. menſe Maii. Et conſimilem chartam huic habet rex Franciæ, conuerſis tamen nominibus.

CONSVETVDINES SCACCARII SVPER debitis domini regis inquirendis.

STatutum eſt in Anglia, & per præceptum regis *Iohannis* confirmatum, quod nullus vicecomes recipiet aliquem ad præſentationem Baronis in Seneſcallum, qui non poſſit reſpondere de miſericordia pertinente ad tranſgreſſionem fidei, ſi forte in eam inciderit. Quod autem Seneſcallus ad præſentationem Baronis affidauerit, quod pacem faciet vicecomiti de debitis domini ſui ad Scaccarium, intelligendum eſt, quod ſuper computum vicecomitis de debito pacem faciet: quod ſi nõ fecerit, mittatur in priſonam ſtatutam ſecundum legem ſcaccarii, & debitũ regis capiatur de catallis domini ſui ſecundum legem ſcaccarii. Quod ſi fidem præſtitam non ſeruauerit, ita quod ad cõputum vicecomitis non venerit, vel ſi venerit, & ſine licentia receſſerit, corpus eius capiatur, & in priſonam ponatur ſtatutam regis, nec deliberetur niſi per ſpeciale mandatum domini regis. Item mittatur ad terram domini, cuius Seneſcallus defecerit, & de catallis ſuis ſoluatur pecunia, quæ debetur ſecũdum legem ſcaccarii: & ſi pecunia illa debeatur pro fine terræ, & catalla non inueniantur, vnde pecunia illa ſoluatur; ipſa terra pro qua finis facta fuit, capiatur in manu domini regis, & teneatur, donec pecunia illa ſoluatur ſecundum legem ſcaccarii. In pœna læſionis fidei ſeneſcallus, qui fidem tranſgreſſus fuerit, nunquam de hoc, vel de alio debito per fidem ſuam credatur, vel recipiatur: nec dominus credatur, vel recipiatur in hoc debito, niſi de gratia, & voluntate regis ſecundum legem, & conſuetudinem ſcaccarii. Eodem anno *Iohannes* rex Angliæ vendidit pro quinque millibus marcarum *Willielmo* de Brauſa totam terram *Philippi* de Wireceſtre, & totã terram *Theobaldi Walteri* in Hybernia. *Philippus* autem vix euadens manus regis rediit in Hyberniam, tranſitum faciens per terram regis Scottorum, & recuperauit partẽ terræ ſuæ per guertam. Et *Theobaldus Walteri*, auxilio *Huberti* Cantuarienſis Archiepiſc. fratris ſui, dedit *Willielmo* de Brauſa quingentas marcas pro terra ſua rehabenda, & homo ſuus deuenit.

DE SECVNDO PHILOSOPHO ET EIVS pertinaci ſilentio.

TEmporibus Adriani *floruit* Secundus *philoſophus, qui philoſophatus eſt omni tempore ſilentium ſeruans, & Pithagoricam vitam ducens. Hic enim adhuc paruulus ad diſcendum miſſus, audiuit in Scotis verbum huiuſmodi, quod omnis mulier fornicatrix eſſet, & impudica. Tandem in philoſophia perfectus, remeauit in patriam ſuam communem gerens peregrinationis conſuetudinem, baculum & peram circumferens, coma capitis, & barba prolixa. Hoſpitatus eſt in domo propria, nemine domeſticorum eum cognoſcente, neq; propria matre; volenſq; probare de mulieribus, ſi verum eſſet, quod audiuerat, vocauit vnam ex ancillis, promittens ei decem aureos, ſi perſuaderet matri; at illa conſentiens ancilla, veſpere fecit eum ad ſe introduci. Cumque illa æſtimaret*

aliu.

ſe cum illo carnaliter debere commiſceri, ille velut propriam matrem amplectens, inter vbera illius dormiuit vſq; ad mane. Mane autem, cum vellet egredi, & diſcedere, illa apprehendens eum, ait, Vt me tentares, hæc feciſti. Qui dixit, Nequaquam, domina mater; neq; enim dignum eſt, me illud vas maculare, vnde exiui. Illa autem ſciſcitante quis eſſet, reſpondit. Ego ſum Secundus *filius tuus. Illa recogitans in ſemetipſa, & non ferens confuſionem, exanimata eſt.* Secundus *vero ſciens, quod per loquelam ſuam mors matri contigiſſet, hanc à ſe in poſterum exegit pœnam, ne amplius loqueretur; & ſic vſq; ad mortem taciturnitatem conſeruauit. Circa vero idem tempus* Adrianus *Imperator veniens Athenas, audiuit de illo, eumq; ad ſe venire faciens, prius eum ſalutauit, ille autem tacuit. Tūc* Adrianus *ait, Loquere philoſophe, vt à te aliquid addiſcamus. Illo autem in propoſito ſilentij perſeuerante,* Tyrpon *vocans quendam ſpiculatorem ait, Hūc nolentē loqui Imperatori viuere nolumus. Abduc eum, & torque.* Adrianus *deniq; ſpiculatorē latenter euocās, ait, Loquere ei in via, & perſuade ei, vt loquatur; & ſi quid perſuaſus reſpondeat, decolla eum: ſi vero non reſpōderit, reduc eum ad me. Ducebatur autem* Secundus *à ſpiculatore ad locum tormentorum. Qui dixit,* O Secunde, *quare tacens moreris? loquere & viues. Sed ille vitam ſuam parui pendens, mortem tacitus expectabat. Spiculator itaq; ducens eum ad locum deſtinatum, ait illi, Extende ceruicem, & ſuſcipe in eam gladium. Ille extendens ceruicem ſilentio vitam poſtpoſuit. Apprehendens igitur eum, venit ad* Adrianum, *dicens,* Secundum *vſq; ad mortem tacuiſſe. Tunc* Adrianus *admirans philoſophi contumaciam, dixit ei, Quia lex iſta ſilentij, quam tibi ipſe propoſuiſti nullo modo ſolui poteſt, ſumens tabulam iſtā, ſcribe, & ſaltem manu tua loquere. Accipiens* Secundus *tabulam ſcripſit in hunc modum: Ego quidem,* O Adriane, *nihil te timeo, quia princeps huius temporis videris exiſtere; me quidem audire potes, ſed vocis meæ proferēdæ nulla tibi poteſtas eſt.* Adrianus *itaq; legens, ait: Bene excuſatus es. Sed adhuc quædam tibi problemata propono, vt ad hæc mihi reſpondeas: quorum primum eſt, Quid eſt mundus? Ille reſcripſit, Mundus eſt inceſſabilis circuitus, ſpectabilis ſupellex, multiformis formatio, æternus tenor, circuitus ſine errore. Quid eſt Oceanus? Mūdi amplexus, terminus coronatus, hoſpitium fluuiorum, fons imbrium. Quid eſt Deus? Immortalis mens, incontemptibilis celſitudo, forma multiformis, incogitabilis inquiſitio, inſopitus oculus, omnia continens, lux, bonum. Quid eſt Sol? Cœli oculus, caloris circuitus, ſplendor ſine occaſu, diei ornatus, horarum diſtributor. Quid eſt Luna? Cœli purpura, ſolis æmula, malefactorum inimica, ſolamen iter agentium, directio nauigantium, ſignum ſolemnitatum, larga roris, præſagium tempeſtatum. Quid eſt terra? Baſis cœli, meditullium mundi, fructuum cuſtos & mater, operculum inferni, mater naſcentium, deuoratrix omnium, cellarium vitæ. Quid eſt homo? Mens incarnata, phantaſma temporis, ſpeculator vitæ, mācipium mortis, tranſiens viator, loci hoſpes, anima laborioſa, parui temporis habitaculum. Quid eſt pulchritudo? Flos marcidus, carnalis fœlicitas, humana concupiſcentia. Quid eſt mulier? Hominis confuſio, inſaturabilis beſtia, continua ſollicitudo, indeſinens pugna, viri incontinentis naufragium, humanum mancipium. Quid eſt amicus? Deſiderabile nomen, homo vix apparens, infœlicitatis refugium, indeſinens fœlicitas. Quid diuitiæ? Auri pondus, curarum miniſter, delectatio iniucunda, inſatiabilis inuidia, deſiderium inexplebile, os excelſum, inuiſa concupiſcentia. Quid eſt paupertas? Odibile bonum, ſanitatis mater, curarum remotio, ſapientiæ reparatrix, negotium ſine damno, poſſeſſio abſq; calumnia, ſine ſolicitudine fœlicitas. Quid ſenectus? Optatum malum, mors viuentium, incolumis languor, ſpirans mors. Quid ſomnus? Mortis imago, laborum quies, infirmantium votum, miſerorum deſiderium. Quid eſt vita? Beatorum lætitia, miſerorum mœſtitia, expectatio mortis. Quid eſt mors? Aeternus ſomnus, diuitum pauor, pauperum deſiderium, ineuitabilis euentus, latro hominis, fuga vitæ, reſolutio omnium. Quid eſt verbum? Proditor animi. Quid eſt corpus? Domicilium animæ. Quid eſt barba? Sexus diſcretio. Quid eſt cerebrum? Cuſtos memoriæ. Quid frons? Imago animi. Quid oculi? Duces corporis, vaſa luminis, indices animi.* Quid eſt cor? *Receptaculum vitæ. Quid iecur? Cuſtodia caloris. Quid fel? Suſcitatio iracundiæ. Quid ſplen? Riſus & lætitiæ capax. Quid eſt ſtomachus? Ciborum coquus. Quid oſſa? Robur corporis. Quid pedes? Mobile fundamentum. Quid eſt ventus? Aeris perturbatio, mobilitas aquarum, ſiccitas terræ. Quid ſunt flumina? Curſus indeficiens, refectio ſolis, irrigatio terræ. Quid eſt amicitia? Aequalitas animorum. Quid fides? Ignotæ rei miranda certitudo. Quid eſt, quod hominem laſſum finire non ſinit? Lucrum.*

Anno gratiæ milleſimo ducenteſimo primo, qui erat annus tertius regni *Iohannis* regis Angliæ, fuit idem rex die natalis Domini, quæ feria ſecunda euenit, in Anglia apud Geldeford. Eodem die *Willielmus* rex Scottorum fuit in terra ſua apud Lanarch. Eodem die *Otho* rex Alemannorum nepos *Iohannis* regis Anglorum fuit apud Maguntum coronatus. Poſt natale Domini, quinto Idus Ianuarii auditus eſt terræmotus magnus in Anglia apud Eboracum, & in finibus eius. Poſt natale Domini *Iohannes* rex Angliæ venit Lincolniam, & non potuit conuenire inter illum, & canonicos Lincolnienſis Eccleſiæ de electione Epiſcopi. Voluit enim rex pro ſua voluntate eligere, & Canonici volebant liberam habere electionem, quam rex eis concedere noluit. Eodem anno menſe Ianuarii die conuerſionis

ſionis ſancti *Pauli* feria quinta, *Ioannes* rex Angliæ tranſiuit fluuium Humbri, & venit ad Cotthingham/ & hoſpitatus eſt cum *Willielmo* de Stuteuilla; & in craſtino venit ipſe Beuerlacum, & pretio conductus hoſpitatus eſt cum *Iohanne Craſſo*, à *Halfrido* Eboracenſis eccleſiæ Archiepiſcopo excommunicato: & cum Canonici Beuerlacenſes vellent eum cum proceſſione, & ſonitu campanarum recipere, noluit recipi, nec permiſit eos ſonare. Et in receſſu ſuo de Beuerlaco captus eſt, & incarceratus *Henricus* de Capella ſeruiens *Galfridi* Eboracenſis Archiepiſcopi, ea ratione, quod idem ſeruiens non permiſit regem quicquam habere de vinis Archiepiſcopi. Præcepit etiam idem rex, quod omnes ſeruientes Archiepiſcopi Eboracenſis, vbicunque inuenti fuiſſent, caperentur: & ita factum eſt. Menſe autem Februarij in Purificatione ſanctæ *Mariæ Iohannes* rex Angliæ, & *Iſabel* regina vxoris eius fuerunt apud Scartheburg/ & inde proceſſit rex, & perrexit vſque ad fines regni ſui; & perambulabat terram, & homines regni redemit, id eſt, ad redemptionem coegit; imponens eis, quod per eos deuaſtata erat foreſta eius. Cumque veniſſet ad Entoldeſham/ & audiſſet, quod apud Thoreſbrige eſſet theſaurus abſconditus, fecit ibi fodere, ſed nihil inuentum eſt præter lapides ſignatos ære, & ferro, & plumbo. Eodem anno in vigilia Purificationis beatæ *Mariæ Willielmus* Glaſcuenſis epiſcopus applicuit in Angliam apud Douere/rediens de conſecratione ſua. Eodem anno ſtatim poſt Purificationem ſanctæ *Mariæ*, *Philippus* Dunelmenſis epiſcopus transfretauit inter Douere/& Witland/ iturus ad ſanctum *Iacobum* in peregrinatione. Eodem anno inter Natale Domini, & caput ieiunij, interfectus eſt in Vltonia *Rotherich*, & *Machdunleſ* ad horreum quoddam alborum monachorum, à ſeruientibus *Iohannis* de Cruci ipſo *Iohanne* neſciente, vt dicitur; & poſtquam ſciuit, valde pœnituit; qui pro facto illo interfectores illos relegauit. In medio autem quadrageſimæ *Iohannes* rex Angliæ, & *Iſabel* regina vxor ſua fuerunt apud Eboracum, & *Galfridus* Eboracenſis Archiepiſcopus pacificauit ſe regi per pœnam pecuniariam, ita quod per conſiderationem quatuor epiſcoporum, & quatuor baronum ex parte regis, & ex parte Archiepiſcopi electorum, emendabuntur exceſſus vtriuſque partis. Ibidem etiam *Willielmus* de Stuteuilla, & *Iacobus* de Poterna, quos Archiepiſcopus excommunicauerat, ab eodem abſoluti ſunt. Interim *Reginaldus Arundel* Eboracenſis eccleſiæ præcentor obijt. Quo audito cum *Galfridus* Eboracenſis Archiepiſcopus præcentoriam illam vni de ſuis dare vellet, non permiſerunt Decanus, & Capitulum: ſed inuito Archiepiſcopo, dederunt *Hugoni Murdac* Archidiaconatum de Cliueland/ quem idem Archiepiſcopus pridie dederat magiſtro *Radulfo* de *Kyme* officiali ſuo, & cum Archiepiſcopus vellet mittere eum in ſtallum vice præcentoris, dixit ei Decanus, Non eſt veſtrum mittere quenquam in ſtallum, nec hunc mittetis, quia nos authoritate Lateranenſis concilij dedimus Archidiaconatum illum. Cumque Archiepiſcopus pro voluntate ſua in his procedere nequiuiſſet, excommunicauit *Hugonem Murdac*. Interim *Honorius* Archidiaconus de Richmund/ Romam profectus eſt propter iniurias, quas *Gaufridus* Eboracenſis Archiepiſcopus ei fecerat; qui contra antiquas Archidiaconatus de Richmund dignitates, & conſuetudines vẽdicabat ſibi inſtitutiones eccleſiarum, & Synodalia. Dicebat enim Archiepiſcopus, quod idem *Honorius* omnia iſta ei reſignauit, & charta ſua confirmauit. Contra quod *Honorius* modis omnibus veniens, conqueſtus eſt domino papæ *Innocentio* de iniurijs, quas ei fecerat Eboracenſis Archiepiſcopus, & literas ab eo in hunc modum impetrauit.

EPISTOLA INNOCENTII PAPAE AD GAVFRIdum Eboracenſem Archiepiſcopum.

INnocentius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Archiepiſcopo Eboraci, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Si magiſterium recognoſceres Apoſtolicæ ſedis, & debitam ei reuerentiam, & obedientiam exhiberes, non præſumeres plenitudini poteſtatis ipſius, & priuilegio dignitatis in aliquo derogare; cum ab ea in partem ſollicitudinis euocatus, ipſam in tuis neceſſitatibus, in quas temere teipſum induxeras, ſenſeris ſæpius adiutricem. Non enim excuſare te potes, vt debes, quod illud priuilegium ignoràris, per quod omnibus iniuſte grauatis facultas patet ad ſedẽ Apoſtolicam appellandi: cum & tu ipſe aliquãdo ad noſtram audientiam appellàris, & à tuis grauaminibus non ſemel, ſed ſæpius ad nos fuerit appellatũ, nec ipſum priuilegiũ te licuerit ignorare. Verum vt ceſſent cæterã, ex eo ſolo ad inuocationem noſtri nominis à ſubditorum tuorũ moleſtationibus debueras abſtinere, quod in multis, & arduis negotijs, & petiſti, & obtinuiſti fauorem tibi Apoſtolicũ exhiberi. Sed vt rerum monſtrat effectus, nec authoritatem noſtram attendis, nec factam

tibi gratiam recognoſcis, nec appellationibus defers, quæ interponuntur ad ſedem Apoſtolicam, aggrauatos. Ecce enim cum dilectus filius noſter magiſter *Honorius* Richmundi Archidiaconus in plena poſſeſſione libertatum Archidiaconatus Richmundi exiſtens, cum clericis ſuis a te propter manifeſta grauamina, & varias iniurias ad ſedem Apoſtolicam appellauerat, tu nihilominus in eum & quoſdam clericos ſuos ſuſpenſionis, & aliquas Eccleſias Archidiaconatus eiuſdem interdicti ſententiam promulgaſti. Nec hoc contentus exceſſu, poſtquam ipſe iter arripuit ad ſedem Apoſtolicam veniendi; ſuſpenſis quibuſdam clericis eius, & Eccleſiis interdictis, & excommunicatis quibuſdam, de facto tãtum, quia de iure non potuiſti, certam à cæteris extorſiſti pecuniæ quantitatem; ſtatum eius & clericorum ſuorum turbans in pluribus, & confundens. Quia vero tantæ præſumptionis exceſſum incorrectum nec volumus, nec debemus relinquere; tuæ fraternitati per Apoſtolica ſcripta mandamus, atq; præcipimus, quod taliter, quæ prædicta ſunt, corrigas per teipſum, quod aduerſum te nos non cogas durius commoueri, qui tolerauimus hactenus temeritatem tuam in multis. Alioquin noueris nos venerabili fratri Elienſi Epiſcopo, & dilecto filio Abbati de Waltham, per ſcripta noſtra præcipiendo mandaſſe, vt prædictas excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententias taliter a te illatas nullas eſſe denuncient: & te ad reſtitutionem eorum, quæ vel à clericis, vel ab Eccleſiis Archidiaconatus eiuſdem poſt appellationem ad nos legitime interpoſitam, extorſiſti, & recompenſationem damnorum per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, compellerent: & quicquid per te, vel tuos in præiudicium eius, vel ſuorum inuenerint immutatũ, in ſtatum priſtinũ noſtra freti authoritate reducant; & ſub præmiſſa te diſtrictione compeſcant, ne Archidiaconum, vel eius clericos iniuſte moleſtes, aut ſtatũ vel libertates eorum audeas perturbare, ſciturus pro certo, quod cum durum ſit tibi contra ſtimulum calcitrare, niſi abſtineas ab huiuſmodi, & mandatis noſtris reuerenter obedias; manus noſtras in te vltra forte, quam timeas curabimus aggrauare, ne tui nobis imputentur exceſſus. Datum Laterani 3. Nonas Februarii, pontificatus noſtri anno.

Eodem anno, videlicet ab incarnatione Domini milleſimo ducenteſimo primo, qui erat annus tertius regni *Iohannis* regis Angliæ, idem rex, & *Iſabel* regina vxor eius fuerunt apud Cantuariam coronati ab *Huberto* Cantuarienſi Archiepiſcopo in Eccleſia cathedrali, die Paſchæ, quæ nono Kalendas aprilis euenit, feſto Annunciationis Dominicæ; præſentibus *Iohanne* Dublinenſi Archiepiſcopo, & *Willielmo* Lundonienſi, & *Gilleberto* Rofenſi, & *Euſtachio* Elienſi, & *Iohanne* Norwicenſi Epiſcopis. Et ſtatim poſt Paſcha præcepit rex, vt Comites & Barones Angliæ eſſent apud Porteſmue ad Pentecoſten parati equis, & armis ad transfretandum cum illo. Pictaui enim præualuerunt aduerſus cuſtodes terrarum ſuarum, & caſtella ſua obſederũt, & *Warinus* de Clapium Seneſcallus Normanniæ ex mandato domini ſui *Iohannis* regis Angliæ obſederat caſtellum de Driencurt, quod *Richardus* rex Angliæ dederat *Radulfo* de Yſoudun, Comiti de Auco, fratri *Hugonis* le Brun. Sed audito aduentu regis Angliæ, *Philippus* rex Franciæ ſoluit omnes prædictas obſidiones, antequam rex Angliæ veniret in Normanniam. Interim Comites Angliæ conuenerunt ad colloquium inter eos habitum apud Leiceſtre, & ex communi conſilio mandauerunt regi, quod non transfretarent cum illo, niſi ille reddiderit eis iura ſua. Rex autem malo vſus conſilio petebat ab eis caſtella ſua; & incipiens à *Willielmo* de *Aubenio*, petiit ab eo caſtellum de Beauuer; cui idem *Willielmus* ſatisfaciens tradidit filium ſuum in obſidem, & ita caſtellum ſuum retinuit. Eodem anno *Willielmus* de Stuteuilla conſtitutus eſt à rege vicecomes Eboraci. Eodem anno *Philippus* Dunelmenſis Epiſcopus fuit die Paſchæ in eundo verſus ſanctum *Iacobum* apud ſanctum *Iohannem* de Angeli, vbi eſt caput ſancti *Iohannis Baptiſtæ*, quod *Herodes* fecit amputari in carcere, & dedit in diſco ſaltatrici filiæ *Herodiadis* vxoris ſuæ. Eodem die *Willielmus* rex Scottorum fuit in Scottia apud Karel. Eodem anno regnantibus *Innocentio* papa tertio in vrbe Romana, & *Saffadino* fratre *Saladini* in ſancta ciuitate Ieruſalem, & *Alexandro* fratricida in ciuitate Conſtantinopolitana, & *Leone* in Armenia, & *Aimerico* de Lezinnan in ciuitatibus Tyri & Sidonis, & Accaron, & in inſula de Cypro, & *Raimundo* principante in ciuitate Antiochena, & *Othone* fratre *Henrici* ducis Saxoniæ in Alemannia electo in Romanorum Imperatorem, & *Philippo* in Francia, & *Iohanne* in Anglia, & *Swero* * *Birkebain* in Norweia, & *Cnut* in Dacia, & *Willielmo* in Scotia, & *Gurthered* in inſula de Man, & *Iohanne* de Curci in Vlueſtre; doctores noſtri prædicauerunt ſolutum eſſe draconem illũ antiquum, qui eſt diabolus & Sathanas: dicentes, Væ, væ, væ habitantibus in terra, quoniam ſolutus eſt antiquus draco, qui eſt diabolus & Sathanas iuxta illud beati *Iohannis* Apoſtoli, & Euãgeliſtæ;

* *al. Brikebain*

qui

qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit, & Euangelii fluenta de ipſo ſacro Dominici pectoris fonte potauit, dicentis: *Ego* Iohannes *vidi Angelum deſcendentem de cælo habentem clauem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua; & apprehendit draconem antiquum, qui eſt diabolus, & Satanas, & religauit eum per annos mille, & miſit eum in abyſſum: & clauſit, & ſignauit ſuper eum; vt non ſeducat amplius gentes, donec conſumentur mille anni, & poſt hæc oportet eum ſolui modico tempore.* Aſſerebant itaque doctores noſtri illos mille annos iam eſſe conſumptos, & diabolum ſolutum. Væ terræ & habitantibus in ea, quia ſi diabolus ligatus tot, & tanta intulerit mala mundo, quot & quanta inferet ſolutus? Precemur ergo Deum ſupplices, *Vt in diurnis actibus Nos ſeruet à nocentibus; Linguam refrenans temperet, Ne litis horror inſonet, Viſum fouendo contegat, Ne vanitates hauriat. Sint pura cordis intima, Abſiſtat & vecordia, Carnis terat ſuperbiam Potus, cibique parcitas. Vt cum iudex aduenerit Chriſtus in fine ſeculi, Nos ſempiterni gaudii Faciat eſſe compotes.*

Eodem anno menſe Maii in vigilia Aſcenſionis Domini, obiit *Walterus* de Gant, primus Abbas canonicorum regulariũ de ſancta cruce de Waltham. Eodem anno in hebdomada Pentecoſtes, cùm Barones Angliæ eſſent congregati apud Porteſmue ad transfretandum cum rege, rex cepit de quibuſdam illorum pecuniam, quam expenderent in ſeruitio ſuo, & permiſit eos domum redire; & præmiſit in Normanniam *Willielmum* Mareſcallum Comitem de Striguil cum centum militibus ſoldariis, & *Rogerum* de Laſci conſtabularium Ceſtriæ cum aliis centum militibus, ad reprimendum impetũ inimicorum ſuorum in finibus Normanniæ. Et rex tradidit *Huberto* de Burgo Camerario ſuo centum milites, & conſtituit eum cuſtodem finium Angliæ & Walliæ. Deinde idem rex perdonauit *Gaufrido* Eboracenſi Archiepiſcopo iram ſuam, & reddidit ei ſeruiẽtes ſuos liberos, & maneria ſua: & confirmauit ei charta ſua libertates Eccleſiæ Eboracenſis, & Archiepiſcopatus ſui, ſicut *Rogerus* Eboracenſis Archiepiſcopus eas habuit. Et pro illa confirmatione idem Archiepiſcopus ſpopondit, ſe daturum regi infra vnum annum mille marcas ſterlingorum; & ſuper hoc poſuit Archiepiſcopus Baroniam ſuam regi in pignore. Deinde rex Angliæ miſit *Gaufridum* Ceſtrenſem Epiſcopum, & *Richardum Malebiſſe*, & *Henricum* de Puteaco ad *Willielmum* regem Scottorũ, & petiit, vt terminus reſpondẽdi de petitione, quam fecerat de comitatu Northumbriæ, quam ſtatuerat ei rex Angliæ ad Pentecoſten, prorogaretur vſque ad feſtum ſancti *Michaelis*. Deinde rex Angliæ, & *Iſabel* regina aſcenderunt naues, transfretaturi feria ſecunda in hebdomada Pentecoſtes, ſed rex applicuit in inſula Vectæ, & regina vxor eius aliam nauem ingreſſa, proſperis gauiſa ventis, applicuit in Normannia. Et poſt aliquot dies facta mora in Anglia, *Iohannes* rex iterum nauem intrauit apud Porteſmue, & transfretauit in Normanniam: & ſtatim habitum eſt colloquium inter ipſum, & regem Franciæ prope inſulam de Andeli, & bene conuenit inter eos; nemine colloquii illorum conſcio præter illos duos. Et poſt triduum *Iohannes* rex ad preces regis Franciæ venit Pariſios, & in palatio regis Franciæ hoſpitatus eſt, & honorifice procuratus; & rex Franciæ alias ſe tranſtulit hoſpitaturus. Et recedens inde rex Angliæ perrexit ad Chinonem: & venit illuc ad eum *Berengera* quondam regina Angliæ, vxor *Richardi* regis, cui *Iohannes* rex Angliæ ſatisfecit de dote ſua, ſecundum teſtimonium *Philippi* Dunelmenſis Epiſcopi, & cæterorum, qui interfuerunt deſponſationi ſui. Interim *Innocentius* Papa ſuper afflictos pia gerens viſcera in hac forma ſcripſit Eccleſiarũ prælatis.

EPISTOLA INNOCENTII PRO AVXILIO faciendo terræ Ieroſolymitanæ.

INnocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, per regnum Angliæ cõſtitutis, Salutẽ & Apoſtolicam benedictionem. Iuſtus & miſericors Deus noſter, qui quos amat, arguit, & caſtigat, nec obliuiſcitur miſereri, nec continet miſericordiam ſuam in ira: etſi virgæ non parcat, ne odiſſe filios videatur, ſic tamen circa delinquentes iuſti iudicii ſui moderatur examen, quod non flagellat, vt perdat, ſed quaſi perditos reuocet per flagella; nolens mortẽ peccatorum, ſed vt conuertantur & viuant: quoniam maius gaudium eſt angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia. Cum enim proni ſint ſenſus hominum in malum ab adoleſcentia ſua, & humana natura procliuior ad peccandum; ne, ſi proſperis tantum extollantur, ſuperbiant, & ſuperbia eorum ſemper aſcendat aduerſus ipſos, fatigari permittit, vt cum ex meritis ſuis ſe affligi cognouerint, iuſtitiam iudicantis agnoſcant; & culpam ſuæ pœnitentiæ lachrymis diluentes, ipſi conuertantur ad Dominum, & Dominus conuertatur ad eos: quod in exterminio terræ Ori-

entalis fas eſt omnibus intueri. Sane cum homines, mundo iam ſeneſcerent, in virtute ſeneſcerent, & adoleſcentes vitiorum ſemitis, quaſi centum annorum pueri laſciuirent, omneſq; fere ſicut oues errantes, in viam ſuam carnis dediti voluptatibus declinarent, voluit Dominus in occupatione Ieroſolymitanæ prouinciæ punire ſic noſtros exceſſus, vt paſſionis ſuæ quodammodo myſterium innouando, & pœnitentiæ ianuam, & ſalutis nobis aditum aperiret. Qui enim peccata noſtra in corpore ſuo ſuper lignum pertulit, crucifixus iterum in ligno ad noſtrorum abſolutionem criminũ, ſe quaſi permiſit affligi, dum crucem, in qua ſalus noſtra pependit, & quam proprio ſanguine rubricauit, à Sarracenis occupari paſſus eſt, & tam diu detineri, vt videat ſi quis doloribus eius doleret, ſi quis dari ſibi peteret corpus ejus, ſi quis inuolutũ ſindone deponeret in ſepulchrũ, & in ſepulchro poſitum cum aromatibus viſitaret. Gaudemus autem in Domino, ꝙ ipſe, qui pœnitentię cauſam dedit, multis affectum tribuit pœnitendi, & iis miſericorditer inſpirauit, vt aſſumpto crucis ſignaculo, vlciſci velint iniuriam *Ieſu Chriſti*, illud Euangelicum adimplentes: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*; vt ſic relicta gibbi ſarcina, tranſeat per foramen acus camelus, & diues pauper effectus regnum cœlorum introeat, & recipiat pro momētaneis ſempiterna. Quia vero multi, ſicut accepimus, & referimus cum mœrore, abeuntes retro, crucis depoſuere ſignaculum; ne veniſſe in vacuum videantur, ſi non reddiderint, quod voluerint, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, & diſtricte præcipimus, quatenus eis indulgentia non obſtante, (ſiqua forſan à prædeceſſoribus noſtris apparuerit per ſurreptionem obtenta) vt crucis ſignum recipiant, monitione præmiſſa, per excōicationis, & interdicti ſentētiã appellatione poſtpoſita compellatis, facientes eos ſingulis Dominicis diebus, & feſtiuis, pulſatis campanis, & candelis accenſis, expreſſis nominibus de quibus habetis vel habebitis notitiam, excōmunicatos publice nunciari, & quocunq; deuenerint, officia celebrari diuina, eis præſentibus, prohibentes. Vniuerſos autem, qui crucis ſignaculum acceperunt, moneatis attentius, & ſi neceſſe fuerit, per diſtrictionē eccleſiaſticam compellatis, vt ad terminũ, quem dilecti filii, nobiles viri Flandrenſis, Campanēſis, Bleſenſis comites cum aliis deliberatione prouida de ſapientium conſilio præfixerint, in æſtate futura peregrinationis propoſitũ exequantur, vt, ſicut terræ ſanctæ magis expedire dignoſcitur, obſequium ſuum Domino ſimul omnes impendant. Illam quoque diſtrictionem, quam in eis, qui crucis depoſuerũt ſignaculum, ad illud reſumēdum exerceri mādamus, ſub eadem forma exerceatis in eis, qui vſque ad quinquennium torneamenta præſumpſerunt frequentare; nec prius relaxari ſententias, quas in tales tuleritis, quam torneamenta vſque ad prædictum terminum ſolenniter abiurauerint: ne ſanguis Domino conſecrandus, quo de leui poſſint hoc tempore cœleſtia comparari, fundatur dęmonibus in ſtragem corpoream, & perniciem animarum. Ad hæc ſinguli veſtrum in ſuis diœceſibus parochianos ſuos ſalubriter moneant, & diligenter inducant, eis remiſſionis Apoſtolicæ formam frequentius exponentes, vt ſignum viuificæ crucis aſſumant, vt ſaltem in rebus ſuis iuxta facultates proprias terræ ſanctæ ſubueniant; ne ſi Chriſto in huius neceſſitatis articulo noluerint ſubuenire, ab eo ſibi nunc, & in futurum fruſtra poſtulent ſubueniri. Super his autem omnibus te, frater Cantuarienſis, executorem ſtatuimus, qui ad hoc excites diligentius negligētes. Præterea diſtricte vobis præcipiendo mandamus, vt iuxta quod vobis per alias literas dedimus in mandatis, ſinguli veſtrum in ſuis diœceſibus quadrageſimam de vniuerſis Eccleſiarum, & Eccleſiaſticis redditibus, & prouētibus clericorum inſtanter exigant, exactã colligant diligenter, & collectam fideliter faciant cuſtodiri ſine diminutione qualibet in terræ ſanctæ ſubſidium erogandam; mandatum Apoſtolicum taliter impleturi, vt obedientiam veſtram intelligamus ex opere; ac qualiter in aliis procedatis, in hac non tã veſtra, quam Chriſti neceſſitate plenius agnoſcamus. Datum Laterani 3. Nonas Maii, pontificatus noſtri anno quarto.

Eodem anno *Euſtachius* Abbas de Flay rediit in Angliam, & prędicans in ea verbum Domini de ciuitate in ciuitatem, & de loco in locum, prohibuit ne quis forum rerum venalium in diebus Dominicis exerceret. Dicebat enim quod hoc mandatum ſubſcriptum de obobſeruatione diei Dominicæ venit de cœlo.

DE OBSERVATIONE DIEI DOMINICAE.

MAndatum ſanctum Dominicæ diei, quod de cœlo venit in Ieruſalem, & inuentum eſt ſuper altare ſancti Simeonis, *quod eſt in Golgotha, vbi* Chriſtus *crucifixus eſt pro peccatis mundi. Et mandauit Dominus hanc epiſtolam, quæ apprehenſa eſt ſuper altare ſancti* Simeonis; *quam*

per.

per tres dies, & tres noctes homines aſpicientes corruerunt in terram, rogantes Dei miſericordiam: & poſt horam tertiam erexit ſe patriarcha, & Akarias *Archiepiſcopus, & expāderunt inſulam, & ſanctam acceperunt epiſtolam Dei. Quam cum accepiſſent, inuenerunt ſuper ſcriptum iſtud, Ego Dominus, qui præcepi vobis, vt obſeruaretis diem ſanctum Dominicum, & non cuſtodiſtis eum, & de peccatis veſtris non pœnituiſtis, ſicut dixi per Euangelium meum: Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. Feci autem prædicare vobis pœnitentiam vitæ, & non credidiſtis, & miſi ſuper vos paganos, qui effuderunt ſanguinem veſtrum in terra, nec tamen credidiſtis, & quia ſanctum diem Dominicum non cuſtodiſtis, per paucos dies habuiſtis famem: ſed cito dedi vobis ſaturitatem, & poſtea peius feciſtis. Volo iterum, vt nemo ab hora nona Sabbati vſq; ad ſolem ſurgentem diei lunæ aliquid operetur, niſi quod bonum ſit. Quod ſi quis fecerit, cum pœnitentia emendet; & ſi huic mandato non obedieritis, amen dico vobis, & iuro vobis per ſedem meam, & thronum meum, & cherubin, qui cuſtodiunt ſanctam ſedem meam, quia non mandabo vobis aliquid per aliam epiſtolam: ſed aperiam cælos, & pro pluuia pluam ſuper vos lapides, & ligna, & aquam calidam per noctes, vt nemo præcauere poſſit, quin deſtruam omnes malos homines. Hoc dico vobis, Morte moriemini propter diem Dominicum ſanctum, & alias feſtiuitates ſanctorum meorum, quas non cuſtodiſtis; mittam vobis beſtias habentes capita leonum, capillos mulierum, caudas camelorum, & ita erunt famelicæ, quod carnes veſtras deuorabunt; & vos deſiderabitis fugere ad ſepulchrum mortuorum, & abſcondere vos propter metum beſtiarum; & tollam lumen ſolis ab oculis veſtris, & mittam ſuper vos tenebras, vt occidatis vos inuicem non videntes, & auferam à vobis faciem meam; & non faciam vobiſcum miſericordiam. Incēdam enim corpora veſtra, & corda, & omnium illorum, qui non cuſtodiunt diem ſanctum Dominicum. Audite vocem meam, ne pereatis in terra propter diem Dominicum ſanctum. Recedite à malo, & pœnitentiam agite de malis veſtris. Quod ſi non feceritis, quaſi Sodoma, & Gomorra peribitis. Nunc ſcitote quod ſalui eſtis per orationes ſanctiſſimæ genetricis meæ* Mariæ, *& ſanctorum angelorū meorū, qui orāt pro vobis quotidie. Dedi vobis triticum, & vinū abundāter, & inde non obediſtis mihi. Nam viduæ, & orphani clamant ad vos quotidie, quibus nullam facitis miſericordiam. Pagani habent miſericordiam, vos aūt non habetis. Arbores, quæ fructificant, ſiccari faciam pro veſtris peccatis: flumina, & fontes non dabunt aquam. Dedi vobis legem in monte Sinai, quam non cuſtodiſtis. Dedi per me legem, quam non obſeruaſtis. Pro vobis natus fui in mundo, & feſtiuitatem meam neſciuiſtis. Praui homines diem dominicum reſurrectionis meæ non cuſtodiſtis. Iuro vobis per dextram meam, niſi Dominicum diem, & feſtiuitates ſanctorum meorum cuſtodieritis, mittam vobis Paganas gentes, vt occidant vos. Tollitis tamen res alterius, & de hoc nullam conſiderationem habetis. Propter hoc mittam ſuper vos beſtias peiores, quæ deuorent mulierum veſtrarum mamillas. Maledicam illis, qui in die Dominica aliquid mali operati fuerint. Maledicā illis, qui iniuſte agunt verſus fratres ſuos. Male dicam illis qui male pauperes, & orphanos iudicant, quos terra portat. Me autem derelinquitis, & principem huius ſeculi ſequimini. Audite vocem meam, & habebitis miſericordiam bonam. Vos autem non ceſſatis ab operibus malis, nec ab operibus diaboli: quia facitis periuria, & adulteria. Ideo circundabunt vos gentes, & deuorabūt, vt beſtiæ.* Peruenit igitur dominus *Euſtachius* Abbas de Flay Eboracum, & a *Gaufrido* Eboracenſi Archiepiſcopo, & clero, & populo ciuitatis honorifice ſuſceptus, prædicauit verbum Domini, & de tranſgreſſione Dominicæ diei, & aliarum feſtiuitatum dedit populo pœnitentiam, & abſolutionem, ſub tali conditione, quod ipſi de cætero debitam impenderent Dominicæ diei, & aliis ſanctorum feſtiuitatibus reuerentiam, non faciendo in eis quicquam operis ſeruilis, nec in diebus Dominicis exercerent forum rerum venalium, ſed bonis operibus, & orationibus deuote inſiſterent. Hæc ſeruanda conſtituit ab hora nona Sabbati vſq; ad ortum ſolis in die lunę. Populus autē Deo deuotus ad prædicationem illius vouerunt Deo, quod de cætero in dieb. Dominicis nec quicquam emerent, nec venderent, niſi forte cibum, & potū prætereuntibus. Vouerunt etiam quod de ſingulis quinq; ſolidatis rerum, quaſcunq; venderent, darent vnum quadrantem ad lumen Eccleſiæ emendum, & ad ſepulturam indigentium. Et ad hoc colligendum ſtatuit prędictus Abbas in ſingulis Eccleſiis parochialibus fieri truncū cōcauum ſub cuſtodia duorum vel trium fidelium hominū, vbi populus iactaret prænominatū æs. Statuit etiam præfatus Abbas, quod diſcus eleemoſynarius haberetur quotidie in mēſa diuitum: in quo partem ciborum ſuorū mitterent ad opus indigentium, qui non præparauerunt ſibi. Prohibuit aūt idem Abbas, ne quis in Eccleſiis, vel atriis earum venderet, vel emeret quicquam, aut placitaret. His ergo, & aliis ſancti huius viri monitis inimicus humani generis, inuidēs, miſit in cor regis, & principum tenebrarum, quod ipſi præceperunt, vt oēs, qui prædictas traditiones cuſtodirent, & maxime omnes, qui in diebus Dominicis forum rerum venalium deiecerant, ad regium examen ſatisfacturi de obſeruantia diei Dominicæ ducerētur. Sed Dominus noſter *Ieſus Chriſtus*, cui obediendum eſt magis, quam hominibus, qui natiuitate, & reſurrectione ſua, & aduētu ſuo, & miſſione

ſpiritus ſancti in diſcipulos ſuos ſibi hunc diem, quem Dominicum vocamus, illuſtrauit; & celeberrimum dedicauit; virtutis ſuæ miracula ſuſcitauit; & in quoſdam Dominicæ diei tranſgreſſores manifeſtauit ſic. *Quodam Sabbato poſt nonam quidam carpentarius in Beuerlaco, contra ſalubria vxoris ſuæ monita clauum ligneum faciens corruit in terram percuſſus paralyſi. Et quædam textrix poſt horam nonam in Sabbato, cum ad pertexendum partem telæ anxia inſiſteret, cadens in terram percuſſa paralyſi obmutuit. Et apud* Naſſertum *villam magiſtri* Rogeri Arundel *quidam homo fecit ſibi panem ſubcinericium die Sabbati poſt nonam, & inde comedit, & partem reſeruauit ſibi vſque mane; quem cum die Dominica fregiſſet, exiuit ſanguis, & qui vidit, teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius. Et apud* Wakefeld *quodam Sabbato, cum molendinarius poſt nonam, operam daret, vt bladum ſuum moleret, ſubito exiuit loco farinæ tantus impetus ſanguinis, quod vas ſuppoſitum pene impleretur ſanguine, & rota molendini ſtetit immobilis contra vehementem impulſum aquæ; & qui viderunt, mirati ſunt; dicentes, Parce Domine, parce populo tuo. Item in Lincolniſiria parauerat quædam mulier paſtam; quam deferẽs ad furnum poſt horam nonam Sabbati, miſit eam in furnum calidiſſimum, & cum eam extraheret, inuenit crudam; & iterum miſit eam in furnum valde calidum, & in craſtino, & in die lunæ, cum æſtimaret ſe inueniſſe panes coctos, inuenit paſtam crudam. Item in eadem prouincia, cum quædam mulier paſtam ſuam præparaſſet volens eam ad furnum portare, dixit ei vir ſuus, Sabbatum eſt, & hora nona iam præteriit; dimitte vſque ad diem lunæ: Mulier autem obediens viro ſuo fecit, ſicut præceperat: & inuoluit paſtam linteaminibus mundis, & in craſtino cum viſitaret paſtam ſuam, ne propter fermentum impoſitum vas excederet, inuenit panes inde diuino nutu factos, & bene coctos ſine igne materiali. Hæc eſt mutatio dexteræ excelſi. Et quamuis omnipotens Dominus his, & aliis potentiæ ſuæ miraculis populum ad obſeruationem diei Dominicæ inuitaret; tamen populus plus timẽs regiam & humanam poteſtatem, quam diuinam, pluſque timens illos qui corpus occidunt, & quod vltra faciant, non habent, quam illum, qui poſtquam corpus occiderit, animam poteſt mittere in gehennam, & plus timens terrena amittere, quam cæleſtia, & tranſitoria, quam æterna, (proh dolor) vt canis ad vomitum, reuerſus eſt ad forum rerum venalium exercendum in diebus Dominicis.*

Eodem anno *Hugo Bardulfi*, & alii quidam iuſticiarii regis venerunt ad nundinas ſancti *Botulfi* volentes capere in manu regis pannos laneos, qui non habebant duas vlnas de latitudine infra liſuras, ſecundum aſſiſam *Richardi* regis. Quo audito, mercatores effecerunt aduerſus prædictos iuſtitiarios, quod panni eorum non capiebantur, & quod diutius non teneret aſſiſa illa *Richardi* regis, neque de latitudine pannorum, neque de menſuris bladi; & vt liceat eis de cætero facere pannos ſuos latos, vel ſtrictos ſicut eis placuerit. Vnde prædicti iuſtitiarii magnam adepti ſunt pecuniam ad opus regis in damnum multorum. *Vitanda eſt turpis lucri cauſa.* Eodem anno *Iohannes* rex Angliæ ſatisfaciens *Berengeræ* reginæ vxori *Richardi* regis Angliæ fratris ſui de dote ſua, dedit ei in vita ſua habere ciuitatem Baiocenſem cum pertinentiis ſuis, & duo caſtella in Andegauia, & mille marcas eſterlingorum ſingulis annis recipiendas, ex quibus ipſa recipiet ſingulis annis quingentas marcas Lundoniis ad ſcaccarium regis, & alias quingentas marcas in Normannia apud Cadomum. Hæc facta ſunt apud Chinonem in præſentia *Heliæ* Burdegalenſis Archiepiſcopi, & *Philippi* Dunelmenſis Epiſcopi. Eodem anno *Hubertus* Cantuar. Archiepiſc. die S. *Bartholomæi* Apoſtoli Lundoniis apud Weſtmonaſterium exiſtens, præcepit vniuerſis ſuffraganeis ſuis, in virtute obedientiæ, & ex parte domini papæ, vt ipſi, facta diligenti inquiſitione per ſuas diœceſes, compellerent, ſi quos inueniſſent viros, qui crucis religionem abiecerant, cruces reſumere, & iter peregrinationis ſuę arripere, ſtatuentes eis terminum crucis reſumendæ ad vltimum infra feſtum S. *Martini* proximo ſequẽs, & terminum motionis in Purificatione S. *Mariæ* proximo ſequentis. Eodem anno obiit *Theobaldus* Comes Campaniæ relinquens ſibi hæredem filiam vnicam, quam pepererat ei *Blanchia* vxor ſua, ſoror *Berengeræ* reginæ Angliæ. Eodem anno obiit Teutonica filia de Geneſt, vxor *Philippi* regis Franciæ, quam papa *Innocẽtius* in literis ſuis adulteram nominabat; de qua præfatus rex genuerat filium & filiam. Filiam autem illam conceſſit idem rex Franciæ ſe daturum *Alexandro* filio *Willielmi* regis Scotiæ in vxorem. Eodem anno obiit *Conſtantia* mater *Arthuri*, ducis Brittanniæ. Eodem anno obiit *Margareta* mater prædictæ *Conſtantiæ*, ſoror *Willielmi* regis Scottorum, mater *Henrici* de Boum, Comitis Herefordiæ. Eodẽ anno obiit *Robertus* præpoſitus Beuerlacenſis Eccleſiæ: cuius præpoſituram *Gaufridus* Eboracenſis Archiepiſcopus dedit *Morgant* fratri ſuo, filio *Henrici* regis, vt dicebatur, contra appellationem *Simonis* Eboracenſis Eccleſiæ Decani, qui dicebat præpoſituram illam ſibi datam fuiſſe ab eodem Archiepiſcopo, dum adhuc viueret prædictus *Robertus* præpoſitus. Eodem anno *Philippus* Dunelmenſis Epiſcopus rediit in Angliam de S. *Iacobo*, facta peregrinatione ſua. Eodem anno *Iohannes* Salernitanus tituli ſancti *Stephani* in monte Cælion presbyter

Cardi-

Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis legatus in Scotia, & in Hibernia, & in Inſulis adiacentibus, venit Eboracum. Qui cum eſſet vnus de duobus electis in Romanum pontificem proximo poſt diſceſſum *Cæleſtini* Papæ, electioni ſuæ renunciauit, licet decem Cardinales in electione ſua conſenſiſſent: & ipſe cum cæteris Cardinalibus elegit *Lotharium* Diaconū Cardinalem in Romanum pontificem, qui vocatus eſt papa *Innocentius* tertius. Prædictus vero *Iohannes* non manducauit carnem; vinum, & ciceram non bibit, nec aliquid, quo inebriari potuit; ſed aurum & argentum ſitiuit. In præſentia autem huius cardinalis *Galfridus* Eboracenſis Archiepiſcopus obtulit *Simoni* Decano, & capitulo Eboraci, ſe in omnibus ſtare examini illius ſuper omnibus querelis, quę inter illos vertebantur; ſaluis priuilegiis & dignitatibus vtriuſq; partis, & ſaluo iure. Sed hoc ſolum verbum (ſaluo iure) erat onerosum, & importabile illis, quos propriæ actionis accuſabat intentio: & nitebantur, vt verbum illud (ſaluo iure) tolleretur. Eodem anno, vt pax firmior haberetur inter *Philippum* Regem Franciæ, & *Iohannem* regem Angliæ, ſtatutum eſt, & ſcripto confirmatum, quod ſi Rex Franciæ in aliquo violauerit pacem, quam ipſe cum rege Angliæ fecerat, Barones Franciæ, quos ipſe fideiuſſores de ſeruanda pace aſſignauit, a fidelitate ſua cum omnibus hominibus eorum ſoluti, redirent ad regem Angliæ ad auxiliandum ei contra regem Franciæ. Similiter erit de Baronibus regis Angliæ, quos ipſe conſtituit fideiuſſores de pace ſeruanda, qui in obſequium Regis Franciæ conuerterentur cum hominibus eorum, à fidelitate Regis Angliæ ſoluti, ſi Rex Angliæ pacem illam fuerit tranſgreſſus. Eodem anno *Walterus* de Laſci vir potens in Hibernia cepit colloquium cum *Iohanne* de Curci, Domino de Vlueſtire: & volens eum proditioſe capere, multos de ſuis interfecit. Cum autem prædictus *Iohannes* verteretur in fugam, dixit ei *Hugo* de Laſci, frater prædicti *Walteri*, *Domine veni mecum, & receptabo te in caſtello meo, de quo homo veſter ſum*, donec exercitus veſter congregetur, vt poſſitis vindicare vos de his, qui te oderunt ſemper. Credidit ergo illi prædictus *Iohannes*, & intrauit caſtellum tutus de præfato *Hugone*. Sed cum inde exire vellet, non permiſit eum *Hugo* exire: immo cepit, traditurus eum Regi Angliæ qui à multo tempore deſiderabat eum tenere. At homines prædicti *Iohannis* die ac nocte non ceſſabant deuaſtare ferro, flamma, & fame terras prædictorum *Walteri*, & *Hugonis* de Laſci, donec liberauerunt dominum ſuum *Iohannem* de Curci de captiuitate præfati *Hugonis* de Laſci. Eodem anno *Iohannes* Rex Angliæ volens appellare Barones Pictauiæ de ſua, & fratris ſui proditione, multos conduxit, & ſecum duxit viros arte bellandi in duello doctos, & de terris ſuis ciſmarinis & tranſmarinis electos. Sed Barones Pictauiæ inde præmoniti ad curiam illius venire noluerunt: dicentes, quod nemini reſponderent, niſi patri ſuo. Et ſic Rex Angliæ fraudatus à deſiderio ſuo reuerſus eſt in Normanniam, & Pictaui facti ſunt ei ex hoc inimiciores. Ad quorum impetum comprimendum conſtituit rex Angliæ *Robertum* de Turneham procuratorem. Eodem anno magiſter *Honorius* calumniatus eſt Archidiaconatum de Richmund aduerſus *Rogerum* de S. *Eadmundo*; ſuper quo literas à Domino papa *Innocentio* in hac forma impetrauit.

EPISTOLA INNOCENTII PAPAE AD Decanum, & capitulum Eboraci pro magiſtro Honorio.

INnocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis filiis Decano & Capitulo Eboraci ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Significauit nobis dilectus filius magiſter *Honorius* Archidiaconus Richmundiæ, quod, cum venerabili fratri noſtro Eboracenſi Archiepiſcopo exhibuerit obſequium gratæ deuotionis in multis, Archiepiſcopus ei retribuens mala pro bonis, & odium pro dilectione rependens, eum contra dignitates & libertates Archidiaconatus multipliciter moleſtauit; tandem, vt eum læderet amplius, & fortius aggrauaret, *Rogerum* de ſancto *Edmundo* clericum, cum quo idem magiſter *Honorius* compoſitionem inierat, aduerſarium ſuſcitauit eidem, qui cum, occaſione literarum ad dilectos filios Sancti *Edmundi*, & de Sibbetun Abbates, & Priorem de Norwic obtentarum, tacita veritate, in pluribus inquietat. Cum igitur nos prædictas literas, vt per ſurreptionem ad iudices ſuſpectos obtentas, curauimus reuocare, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, atq; præcipimus, quatenus eundem magiſtrum *Honorium* in iure ſuo defendere, ac manutenere curetis; & taliter ei ſicut confratri veſtro, & ſocio aſſiſtatis, vt à nobis ex hoc merito commendari poſſitis, & ipſe vobis ex debito deuotior reddatur.

EPISTOLA INNOCENTII PAPAE AD *Epiſcopum Elienſem, & Archidiaconum Northamtoniæ.*

I*Nnocentius* Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri Elienſi Epiſcopo, & dilecto filio Archidiacono Northamptoniæ, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cū veniſſent ad ſedem Apoſtolicam dilecti filii magiſter *Honorius* Archidiaconus Richmundiæ, & magiſter *Columbus* ſubdiaconus noſter, & procuratores venerabilis fratris noſtri Eboracenſis Archiepiſcopi, eos in conſiſtorio noſtro benigne duximus audiendos. Fuit ex parte Archiepiſcopi memorati propoſitum, quod inſtitutio perſonarum, & cuſtodia Eccleſiarum vacantium ad eum in diœceſi ſua ſpectat tam de iure communi, quam ex conſuetudine generali. Verum quidam prædeceſſores ipſius quibuſdam Archidiaconis tam inſtitutionem, quam cuſtodiam perſonaliter commiſerunt, eas ſibi alicuius tempore retinentes, & libere, ſicut ſpectabat ad eos, vtentes iiſdem; ita quod Archiepiſcopus, qui Eboracenſi Eccleſiæ modo præeſt, quondam Archidiacono Richmundiæ illas ad preces inclytæ recordationis *Richardi* Regis Anglorum de gratia ſpeciali conceſſit; & eo in Epiſcopum poſt electo, ſibi retinuit tanquam ſuas. Cumq; Archidiaconatum illum prædicto magiſtro intenderet aſſignare, tam ante conceſſionem quam in conceſſione ipſius expreſſit, quod tam inſtitutiones ſibi quam cuſtodias reſeruabat. Cui Archidiaconus ipſe reſpondit, quod contra Deum ageret, & iuri canonico derogaret, ſi inſtitutiones Eccleſiarum ſibi vſurpare præſumeret, quæ ſoli Archiepiſcopo competebant. Deinde libertatibus ipſis renuncians, renunciationem ſuam redegit in ſcriptis: & ad maiorem cautelam ſigillo proprio roborauit, ac tandem quod eis ſe nullatenus immiſceret, corporaliter præſtitit ſacramentum. Ad hæc autem Archidiaconus ipſe reſpondit, quod cum inclytæ recordationis primus *Henricus* rex Angliæ apud Carleol ſedem Epiſcopalem vellet de nouo creari, quia ex hoc Archidiaconatus Richmundiæ lædebatur, Rex ipſe à bonæ memoriæ quodam Eboracenſi Archiepiſcopo poſtulauit, vt in recompenſationem cuiuſdam partis, quæ ſubtrahebatur Archidiaconatui memorato, prædictas concederet dignitates. Archiepiſcopus autem annuit precibus poſtulantis, & tam inſtitutiones, quam cuſtodias non perſonaliter Archidiacono, qui tunc erat; ſed perpetuo de conſenſu Eboracenſis capituli, Archidiaconatui reali & liberali conceſſione donauit. Cum autem Archidiaconatus ipſe in continua poſſeſſione tam iſtarum, quam aliarum etiam libertatum multorum Archiepiſcoporum, regum & Archidiaconorum temporibus extitiſſet; & ſæpe dictus archiepiſcopus ſine conditione qualibet conceſſiſſet ipſum eidem, poſt conceſſionem aſſeruit, quod ipſum cum omnibus libertatibus ſuis conceſſerat, inſtitutionibus, & cuſtodiis eccleſiarum vacantium exceptis. Ipſe vero conſuetudinem eiuſdem Archiepiſcopi plene noſcens, ſcz. quod ſicut daret de facili, ſic pœnitere leuiter conſueuit; ac timens ne ſi negaret expreſſe, cum nondum Archidiaconatus poſſeſſionem eſſet adeptus, vel impediretur penitus factum eius, vel diutius differretur; reſpondit, quod non ſolum de illo, ſed de omnibus reditibus ſuis faceret, quod Archiepiſcopo complaceret. Poſtmodum vero poſſeſſionem Archidiaconatus ingreſſus, libere libertatibus ipſis eſt vſus, ſicut prædeceſſores eius facere conſueuerant. Conſequenter vero cū archiepiſcopus eū archidiaconatu ipſo cōtra iuſtitiam ſpoliaſſet, nec reſtitutionem eius potuiſſet aliquatenus obtinere, niſi per chartam renunciaret libertatibus memoratis; ipſe ius ſuū durare cognoſcēs literas renunciationis ſpoliatus adhuc Archiepiſ. ipſi dedit ſigillo proprio roboratas: ſed illas, ſicut eſt propoſitū ex aduerſo, nullatenus abiurauit: immo reſtitutionis beneficiū aſſecutus, vſus eſt eiſdem libertatibus ſicut prius, licet idem Archiep. ipſum, & clericos eius ſuper illis & aliis poſt appellationem legitime interpoſitam multipliciter aggrauaret. Vnde cū prædictarum conceſſio libertatum non fuerit ſicut perſonalis perſonæ, ſed ſicut realis perſonarii magis facta, non gratia ſpecialiter concedebantur alicui; ſed ex debito poti⁹ cū archidiaconatu pariter tradebantur ad cuius integritatē tanquam in recompenſationē dote pculdubio pertinebant. Propter quod etſi aliquis archiep. eis forſan vſus fuerit, dum Archidiaconatum in ſuis manib. retinebat; nullū propter hoc archidiaconatui eſt præiudicium generatum, cum intelligantur poſtmodum in ipſa conceſſæ. Præterea cū in Turonenſi cōcilio p̄bendarum, dignitatum beneficiorum ſint inhibitæ ſanctiones; & Lateranum concilium, vbi cenſus nouos imponi prohibeat, & veteres augmentari, ſubiungat, Ne partē redituum aliqui ſuis vſib. appropriare præſumant: patet Archiepiſ. nec debuiſſe, nec potuiſſe archidiaconatum ſuis dignitatib. & libertatibus mutilare. Nec eſt credendū, quod ante conceſſionem, vel in ipſa conceſſione actum fuerit, vt prædictas libertates ſibi Archiep. retineret, qa ſi alienum ſibi ſic voluiſſet forſitan vſurpare, commiſiſſe videretur

Simo-

Simoniacam prauitatem. Renunciatio autem archidiacono nocere non potuit, cum renunciauerit ſpoliatus; & bonæ memoriæ *Alexander* papa, prædeceſſor noſter, renunciationem huius aſſeruerit non valere. Inſuper cum, etſi collatio archidiaconatus ſurrepſerit ad archiepiſ. memoratum, integritas tamen ad Ebor. eccleſiæ pertinet dignitatem, nec potuiſſet archiepiſc. vel archidiaconus præter aſſenſum, & abſq; conſilio Ebor. capituli ipſius archidiaconatus in tantum lædere dignitates, vel libertates. Super hæc pars replicauit aduerſa, q; etſi renunciatio vel abiuratio archidiaconatui non noceret, per hæc tamen archidiacono repetendi facultas adempta. Sed archidiaconus libertates illas ſe non repetere reſpondebat, cũ eis libere ſicut prius, quando iter arripuit ad ſedem Apoſtolicam veniendi, vteretur, & earum poſſeſſione gauderet. Adiecit, quod etiam, cum archiepiſ. cõtra ius conſtitutionis dignitatem turpiter retinendo mutilauerit; nec ſuper ſubſecuta renunciatione, vel ẽt, ſi intereeſſiſſet, adiuratione, tanq̃ ſuam allegans turpitudinẽ, contra ipſum poſſeſſorem audiri deberet. Nos igitur auditis, quæ fuerant hinc inde propoſita, & plenius intellectis, interlocuti ſumus, archidiaconum eſſe in plena libertatum eiuſdem archidiaconatus poſſeſſione tuendum, donec probatum fuerit ex aduerſo, libertates ipſas ab Archiepiſcopis archidiaconis fuiſſe conceſſas; cum in hoc caſu tam ante quam poſt, in ipſa etiam conceſſione archiepiſc. eas retinere ſibi potuit licite tanquam ſuas: vel donec legitime probatum fuerit eaſdem libertates archidiaconum abiuraſſe. Sed in hoc caſu, ſi conceſſio fuit illa realis, Archiepiſc. nihil iuris, vel vtilitatis accedat; quia nos ad petitionẽ Ebor. Eccleſiæ, vel per nosipſos ſuper hoc eidem archidiaconatui conſulemus. Si ergo alterutrum iſtorum legitime fuerit propoſitum & comprobatum, archidiacono ſuper libertatibus ipſis; ſi neutrum, archiepiſc. ſilentium imponatur. Ideoq; diſtricte præcipimus, & per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus partibus conuocatis, & auditis, quæ fuerint hinc inde propoſita ſecundum formam expreſſam in omnibus præcedentibus: ſic tamen vt dum litis ingreſſum, ſi quid circa prędictas libertates per archiepiſc. vel ſuos poſt appellationem legitime interpoſitam, vel iter arreptum ſit immutatum, in ſtatum priſtinũ formetis appellatione remota: & cauſam ipſam, ſublato appellationis obſtaculo, fine debito terminetis, ſi conſenſu partiũ definire non poteritis; alioquin cauſam ipſam plene inſtructam ad nos referatis. Si ad actiones venerabilis fratris noſtri Ebor. archiep. reſpectam debitum haberemus, & ei vellemus pro meritis reſpondere, non ſolum nocendi adimeremus licentiam, ſed authoritatem ẽt minueremus ipſius, qui grauaminibus abutitur ſubiectorum. Qualiter enim & quandiu dilectum filium *Honorium* archidiaconum Richmũdiæ vexauerit, quem ſuæ literaturæ, ac ſuę probitatis intuitu debuerat honorare, ipſius archidiaconi nobis conqueſtio patefecit: cum & ipſum, ſicut aſſerit, aliquando archidiaconatu ſuo ſpoliauerit ſine cauſa, & in eũ, ac clericos eius, & alios etiam frequenter excõmunicationis, & ſuſpenſionis ſententiam præcipitet, pro motu propriæ voluntatis. Vnde ſi eidem archidiacono ſufficienter curaremus prouidere, eum ab ipſius archiepiſcopi iuriſdictione in perpetuum eximere curaremus, ſicut aliquis prædeceſſorum noſtrorum etiã ſuis temporibus quoſdam exemiſſe dignoſcitur. Volentes tamen ſic Archidiacono prouidere, ne ipſius archiepiſcopi authoritatem ad præſens imminuamus, vobis mandamus atq; præcipimus, quatenus ipſum archiepiſ. authoritate noſtra moneatis attentius, & indicetis, ne in ipſum Archidiaconum, vel clericos eius, aut laicos, vel eccleſias archidiaconatus ſui ſententias excommunicationis, ſuſpenſionis, ſeu interdicti ſine manifeſta, & rationabili cauſa proferre & non niſi rationabiliter præſumat. Quod ſi fecerit, vos ſententias taliter latas, appellatione remota, noſtra freti authoritate, ipſo iure denuncietis irritas, & inanes; ipſum archidiaconum, & ſuos contra inſolentias archiepiſcopi in poſterum attentius defenſuri, in irritum, appellatione remota, reuocantes, quicquid contra eos duxerit temere attentandum. Nos vero, ſi monitis veſtris parere contempſerit, non ſine confuſione ipſius, & dedecore, & ſuis, ſufficienter curabimus prouidere.

EPISTOLA EIVSDEM IOHANNI REGI.

INnocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei illuſtri Regi Anglorum, &c. Intereſt Regiæ celſitudinis eccleſias, & viros eccleſiaſticos in ſuo iure tueri, & malignantium impetus ab eorum moleſtationibus potenter, & regulariter effrænare. Cum itaq; dilectus filius magiſter *Honorius* Archidiaconus Richmundiæ vſq; adeo vir literatus, & honeſtus exiſtat, vt ex ſcientia & honeſtate ipſius non ſolum Eboracenſi eccleſiæ honor accreſcat, ſed & tibi etiam vtile poſſit obſequium peruenire; ſerenitatem tuam rogamus, monemus, & exhortamur in Domino eo attentius, quod non minus diligenter, quam fideliter negotiis à tua ſerenitate ſibi iniunctis in curia noſtra cognoſcimus indulſiſſe, quatenus eum in ſua

iuſtitia manuteneas, & defendas, nec permittas ipſum, vel clericos ſuos contra libertates Archidiaconatus Richmundiæ per alicuius inquietantiam aggrauari. Vale.

ALIA EPISTOLA INNOcentii Papæ.

ACcedens ad præſentiam noſtram dilectus filius *Honorius*, Archidiaconus Richmundiæ, oblata nobis petitione monſtrauit, quod cum olim dilecto filio P. S. *Martæ* in via lata diacono Cardinali, Apoſtolicæ ſedis legato cauſas, quæ contra illos proponebantur, qui intruſi fuerant in præbendas & dignitates Eboracenſis Eccleſiæ, commiſerimus terminandas, ipſe tamen eam, quæ vertebatur contra *Rogerum* de Sancto *Eadmundo* ſuper Archidiaconatu Richmundiæ, venerabili fratri noſtro Epiſcopo, & dilectis filiis Decano & Subdecano Lincolnienſi audiendam commiſit, definita ſibi ſententia reſeruata. Sed cum ipſi ſeruato iuris ordine vſq; ad definitiuam ſententiam proceſſiſſent, mediante tandem Eboracenſi capitulo, inter ipſum *Honorium* Archidiaconum & prædictũ *Rogerum* amicabilis, & honeſta compoſitio interceſſit, quam ſe promiſit vtraq; partium iuramento præſtito ſeruaturam. Poſtmodum autem idem *Rogerus* de facta compoſitione, & interpoſitione iuramenti ratione non habita, literas à nobis ad vos contra prædictum Archidiaconum impetrauit, qui eum, ſicut aſſerit, voluiſtis in multis contra iuſtitiam aggrauare. Dicit. n. quod, cum ad oſtendendas exceptiones legitimas ad noſtram præſentiá acceſſiſſet, & te, fili, Abbas de S. Edmundo, tanquam ſuſpectum penitus recuſaret, tum quia idem nimia eſt tibi familiaritate coniunctus, & ſe tuum eſſe aſſerit conſanguineum, tum etiam nihilominus quia præfato Archidiacono circa idem negotium manifeſte ſtudueras & aduerſari prædicto *Rogero*; chariſſimo in Chriſto filio noſtro, i. illuſtri regi Angliæ, & venerabili fratri noſtro Cantuar. Archiepiſcopo ſupplicando, cum exceptionem huius ſe coram electis iudicibus aſſereret probaturum; vos, fili, Abbas de Sibbetono, & Prior Norwicenſis, pronunciare, vt dicitur, præſumpſiſtis. Præterea cum de fructibus archidiaconatus indeterminate in noſtris literis mentio haberetur: vos editionis beneficium ei contra leges & canones denegaſtis. Iterum cum memoratus Archidiaconus præfatum aduerſarium ſuum excommunicatum eſſe in noſtra præſentia obieciſſet, & non vellet probare infra terminum competentem, & præparare corporaliter iuramentum, q; hoc fruſtrante cauſa dilationis non peteret, vos ipſum, inhibita exceptione, audiendum non eſſe pronunciaſtis, niſi quod obiecerat, probaret incontinenti. Cũq; in his, & aliis ſe à nobis cognoſceret contra iuſtitiam aggrauari, idem Archidiaconus noſtram audientiá appellauit, & ad appellationem proſequendam iter arripuit veniendi. Sed vos, ſicut dicitur, à cognitione cauſæ poſt appellationem obiectam minime deſtritis, ſuper ea in ipſius archidiaconi gratiam, & præiudicium procedentes. Cumq; neminem velimus contra iuſtitiam aggrauari, & ſic in cauſarum cognitione ſeu deciſione procedi, quod neutri partiũ iuſta remaneat, materia murmurandi, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi in literis, quas præfatus Rogerus ad vos impetrauit à nobis factæ compoſitionis ſuper Archidiaconatu, & interpoſiti iuramenti mentio non habetur, quia eas per ſuppreſſionem veritatis obtinuit, cum iuxta canonicas ſanctiones mendax precator carere debeat impetratis, literas ipſas vires volumus non habere. Si etiam vos exceptiones legitimas prædicti Archidiaconi admittere noluiſtis, & præſumpſiſtis poſt appellationẽ legitime interpoſitam in cauſa procedere memorata, volumus nihilominus, & mandamus, vt ab ipſius cauſæ proſecutione penitus deſiſtentes, q; per vos factum eſt, denuncietis penitus irritum & inane. Volumus enim, quod cauſa ipſa talibus iudicibus committatur, qui neutri partium debeant eſſe ſuſpecti, vel coram nobis, mediante iuſtitia, terminetur. Quod ſi forte vos mandatũ noſtrum exequi neglexeritis, alicuius interueniente gratia, vel timore, noueritis nos venerabili fratri noſtro epiſcopo Roffenſi, & dilectis filiis abbati Foxl. & Priori deled. dediſſe noſtris literis in mandatis, vt ipſi, veritate cognita, quæ mandauimus, ſublato cuiuslibet contradictionis, & appellationis obſtaculo, exequantur. Data Laterani 13. Kal. Ianuarii, pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTOLA EIVSDEM PAPAE de eodem negotio.

INnocentius Papa, Abbatibus, Prioribus, Decanis, perſonis, vicecomitibus, & clericis, & laicis per archidiaconatum Richmundiȩ conſtitutis ſalutem. Expoſuit nobis dilectus filius magiſter *Honorius* Archidiaconus veſter, quod cum Archidiaconatum Richmundiæ cano-

canonice fuiſſet adeptus, & aliquandiu pacifice poſſediſſet, orta poſtmodum inter eum, & venerabilem fratrem noſtrum Archiepiſ. Eboracenſem diſcordia, *Rogerus de S. Edmundo* clericus archidiaconum Richmundiæ ſe nominans, ad dilectos filios S. *Edmundi* & S. *Benedicti* de Holuio Abbates, & Priorem de Toftes prædictorum tacita veritate, literas impetrauit, vt vos ad exhibendam ei obedientiam, & reuerentiam debitam, & ſatisfaciendum de damnis illatis, monitione præmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, cogere non differrent. Quia vero mendax precator carere debet ſecundũ ſanctiones legitimas impetratis, vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, atque præcipimus, quatenus cum literas illas mandauerimus reuocari tanquam ad ſuſpectos iudices per ſuppreſſionem veritatis, & falſitatis expreſſionem obtentas, eis non obſtantibus, iura eius inuiolabiliter cõſeruantes, ipſi & officialibus ſuis appellatione remota, obedientiam exhibeatis debitam, & honorem, ſicut eam impendebatis eidẽ, priuſq̃ idem archidiaconus iter arriperet ad ſedem apoſtolicã veniendi. Alioquin ſententiã, quatenus ipſe vel officiales ſui in vos propter hoc rationabiliter duxerint proferendam, ratam haberi volumus, & inuiolabiliter obſeruari. His igitur & aliis domini Papæ literis, quas *Honorius* prætendebat, *Rogero* de ſancto *Edmundo* reſpondente, ſupradicti iudices delegati propter appellationes hinc, & inde factas, & proter teſtium varietates, cauſam ipſam, vtcunq; poterant, inſtructam ad dominum papam miſerunt determinandam: & ipſi *Honorius & Rogerus* proſecuti ſunt appellationes ſuas.

EPISTOLA MAGISTRI HOSPITALIS Ieruſalem Priori, & fratribus ſuis per Angliam conſtitutis.

MAgiſter Hoſpitalis Ieruſalem Priori Angliæ ſalutem. Quemadmodum rumores proueniunt, ita eos cupimus cordibus amicorum noſtrorum intimari. Tranſacti itaq; paſſagii lugendo tempore de ſolito rumores terræ Ieroſolymitanæ mittebamus; ſed naui confracta in maritima Tripolis ante Biblium, Aconenſis epiſcopus, & plures viri honeſtiſſimi fratrum noſtrorum ad vos pro negotio terræ Sanctæ deſtinati, cum multis tam nobilibus, quam humilibus peregrinis ad dolorem, & gemitum totius populi Chriſtiani, ſicut Domino placuit, ſub aquis vehementibus perierunt. Poſt quod naufragium nullũ putamus transfretaſſe nauigium, vt dicitur ab omnibus. Quia quædam naues, in quibus nuncii noſtri mittebantur, transfretare diſponentes, cum ab Acone receſſiſſent, & per triduum & amplius nauigaſſent, amiſſis arboribus antennis in ſolita ventorum, & turbinis rabie, vix naufragium euadentes, Tripolim ſunt reuerſæ. Ea tamen, qua potuimus, nauigii opportunitate reperta, veſtræ fraternitati declaramus, quod ille Chriſtianorum hoſtis nequiſſimus Damaſci Dominus Saphadinus Babylonis effectus eſt Dominus; quia nepotem ſuum & alios, quorum ſucceſſionem timebat, de regno Babylonis, vt perfidus, & periurus, eiecit. Viget adhuc inter ipſum, & Soldanum *Aleph*, & plures alios nimia diſcordia, quæ fine careat, & nunquam decidat, vel areſcat. Ipſe quoque *Saphadinus* ſuis odibilis, & infeſtus, domeſticas timet inſidias, & in nullo loco tutum ſe credens (vtpote qui nepotibus ſuis proditor extitit, & periurus, quos etiam funditus quotidie exhæredare conatur) Babyloniam exire non audet. Quæ res nobis hoc anno munimen præſtitit, & tutelam. Parauerat enim contra nos tumidus, & intolerabilis inſilire, & Chriſtianitatis, quæ ſuperfuerant, funditus demoliri reliquias. Percuſſit etiam Deus virga potentiæ ſuæ Babylonicas regiones in flumine illo Paradiſi, quod agros hoſtium irrigabat, ne flueret; nec anno præterito fluctus emiſit. Propter quod in fame pereunt, & eorum animalia perdiderunt, nec plures eorum veriti ſunt pater filium vendere, diues pauperem, potens debilem, vt ſic vitam ſuam à fame conſeruent; quam ſiccitatem fluminis, ſi non fluxerit, futuram timent. Hoc etiam quiſquis excogitet ſapiens, quod ſi flumen nutu Dei præſenti anno non fluxerit, arua non irrigauerit, in magno diſcrimine vitæ ſuæ erunt. Quorum iam infinita multitudo neceſſitate compulſa, & famis auſteritate, terram noſtram, ſicut locuſtarum agmina, repleuit pro ſuſtinendis corporibus ſuis: vbi quidam terras Eccleſiæ moliuntur; quidam more beſtiarum ſylueſtribus herbis veſcuntur; quidam fame necati per loca ſylueſtria miratiue reperiuntur vermibus & auibus comedendi. Nos igitur in Domino ponentes ſpem noſtram, qui, quando vult, præliis finem ponit, ſperamus, quod populo Chriſtiano dat initium miſerendi, cum ipſorum conterit inimicos. *Datur etiam gentibus materies admirandi, quod quidam Saracenus, ætate iuuenis, origine vilis, inter paſtores à pueritia ſimpliciter nutritus, de nouo ſic omnibus peritus appares, vt omnes ſapientiam eius admirentur, & nomen* Ieſũ Chriſti *publice prædicat: ita quod ipſi*

iam duo millia Paganorum, & eo amplius concredentes, eius exhortationibus fidem noſtram ſuſcepérunt, & fonte ſacri baptiſmatis ſunt renati, & circumciſionis ſuæ condolent ſe ſuſtinuiſſe dolorem. Immenſo tamen inimici noſtri exultant gaudio, quia nos paucos ſciunt, & pecunia pauperes, & armatorum copia ſentiunt derelictos. Quapropter ad vos voce lamentabili clamamus, & miſericorditer exoramus, quatenus nobis tam apud maiores, quam minores conſilio, & auxilio veſtro ſubueniri dignemini, & dominum regem Angliæ, & quoſcunque poteritis, ad ſubuentionem noſtram efficaciter inducere, & diligenter monere procuretis. Nos enim infinitas trementes diuitias, cum ſibi propter opes multorum ſubueniant mercimonia mercatorum, non minus ſolito timore conterimur vniuerſi; & cum de vno tantum regno Babylonis, aut Damaſci vniuerſus terræ promiſſionis populus vix bene ſe tueri ſolebat; nunc duo regna vni Domino coniugata, nobis tantilli reſidui numeri terrorem pariunt, & minantur. Hic eſt certe verus ſtatus terræ promiſſionis, & inimicorum *Chriſti*: quo taliter permanente, ſi bonum Chriſtianorum haberemus auxilium, gratia propitiante cœleſti, & *Chriſti* iniurias, & dedecus Chriſtianorum crederemus vindicare. Propterea, bone frater, quia pauca dicere ſufficit, ſatis nouiſtis, quæ, & quanta nobis incumbunt neceſſaria; & nunc audite, quid vltra modum nos affligit. Terra regni Siciliæ iugiter deſtruitur à Teutonicis, & Longobardis: domus noſtra Baroli relicta fuerit: fratres intus in ciuitate manent; domus extrinſecæ, à quibus auxilium noſtrum procedebat, ad nihilum deductæ ſunt, nullus in ciuitate perſiſtit. Poſtquam autem à terra receſſiſtis, nihil de regno Siciliæ nobis ſubuenit, ad præſens iam, & per annum, frumentum, vinum, & hordeum, carnes, & caſeum, & quæq; neceſſaria emimus pro vniuerſis domibus & caſtris noſtris in quibus omnibus ſine numero neceſſaria eſt expenſa. Pecuniam niſi ab vltramarinis domibus receperimus, aliunde aliter habere nequimus, & iam diu eſt, quod nihil fere recepimus ad cõparationem expenſæ. Noueritis, quod in debitis plurimis ſubiacemus: expectantes auxilium veſtrum, & aliorum bonorum fratrum noſtrorum, amore diuino, & noſtro vos monemus, vt quantumcunq; poteritis, in primo Martii paſſagio ſubueniatis. Valete. Quibus auditis, dominus papa *Innocentius* miſit vnum cardinalem ad regem Franciæ, & ad regem Angliæ, poſtulans ſubſidium fieri de terris eorum, ad ſubuentionem terræ Ieroſolymitanæ. Ad cuius mandatum, ipſi reges conceſſerunt ſe daturos ad ſubuentionem præfatæ terræ, quadrageſimam partem omnium redituum ſuorum de vno anno. Et Rex Angliæ hoc ipſum mandauit fieri de reditibus, & excaetis, & Wardis ſuis Angliæ: & præcepit, vt omnes laici terrarum ſuarum ſimili modo quadrageſimam partem redituum ſuorum darent in eleemoſynam ad ſubuentionem terræ Ieroſolymitanæ. Vnde *Galfridus* filius *Petri* tunc temporis ſummus iuſtitiarius Angliç in hac forma ſcripſit vicecomitibus, & balliuis Angliæ.

EPISTOLA GALFRIDI DE QVADRAgeſima redituum colligenda in ſubuentionem terræ Sanctæ.

G*Alfridus* filius *Petri* Comes Eſſexæ vniuerſis vicecomitibus balliæ ſuæ, ſalutem. Sciatis, quod Dominus Rex Angliæ, ad inſtantiam, & prædicationem cuiuſdã Cardinalis à ſummo pontifice miſſi in Franciam, de conſilio magnatum ſuorum de partibus tranſmarinis conceſſit ad Sanctæ Ieruſalem ſubſidium quadrageſimam partem valoris omnium redituum, & terrarum ſuarum vnius anni tam de Wardis, quam de excaetis in manu ſua exiſtentibus. Quod etiam ipſi magnates ſui vltra mare voluntarie conceſſerunt. Ad eorum etiam inſtantiam ſcripſit Dominus rex omnibus Angliæ magnatibus per literas patentes; rogans, & inducens eos, quatenus puro corde, & charitatis intuitu idem illud de valore omnium redituum, & terrarum ſuarum vnius anni concederent; quod quidem nec debito, nec de conſuetudine, nec de coactione, nec de aliqua alia authoritate Apoſtolica conceditur, vel poſtulatur. Vnde præcepit, quod omnes Comites & Barones de qualibet ballia in primis admoneantur, inducantur diligenter, quatenus pro ſe hanc collectam faciant in terris ſuis hoc modo; ſcilicet, vt quilibet quadrageſimam partem valoris cuiuslibet villæ ſuæ, ſicut poſſet poni ad firmam per annum. Et ſi in eadem villa fuerint per ſeruitium militare tenentes, dent quadrageſimam portionem modo prædicto; ſi autem fuerint libere tenentes, ſimiliter dent eandem portionem modo prædicto, computato reditu, quem dominis ſuis ſoluerint per annum. Hanc autem collectam colligi faciant per tam diſcretos, & legales, qui ad hoc poſſint, & ſciant ſufficere, qui eam recipiant tam de Comitibus, quam de Baronibus prædictis. Et poſtquam per manus eorum

fuerit

fuerit collecta, receptores prædictæ collectæ faciant in ſcriptum redigi diſtincte, & aperte, quantum de quolibet receperint, tam de Comitibus, quam de Baronibus, & militibus, & libere tenentibus; & nomina ſingulorum, & villarum, quantumcunq; de ſingulis villis, & quorum quælibet ſit, imbreuiari faciant. Summam autem de dominicis, & de Wardis, & excaetis, & reditibus Domini regis faciant ſeparatim imbreuiari. Si quis vero clericus laicum feodum habuerit in ballia aliqua vel homines tenentes laicum feodum; in eorum terris fiat hæc collecta per prædictos collectores modo prædicto. De terris autem cruce ſignatorum prædicta collecta fiat modo prædicto ita tamen quod eorum pecunia ſeparatim reponatur ab alia; & ſumma pecuniæ, & nomina ſingulorum, quorum ipſa pecunia fuerit, ſubſcribantur; vt illi, qui iter arripuerint, pecuniam ſuam prompte recipiant. Prouideatur autem, quod pecunia illa ſit collecta, ita quod vnuſquiſq; vicecomes ſimul cum collectoribus habeat eam apud Nouum templum Lundoniæ à die S. *Hilarii* in quindecim dies, & imbreuiamentum modo prædicto ordinatum, viz. de ſumma pecuniæ, & nominibus eorum, qui eam dederint, & nominibus villarum, de quibus data fuerit pecunia prædicta, & quantum de qualibet datum fuerit. Si qui autem contradixerint huic collectæ aſſenſum præbere, nomina eorum imbreuientur, & coram nobis repræſententur apud Lundoniam ad terminum prædictum, & hoc breue, & nomina collectorum ibidem habeantur.

Valete.

Finis Libri Tertij.

CHRONICORVM

ETHELVVERDI

LIBRI QVATVOR.

INGVLPHI ABBATIS
Croylandenſis Hiſtoriarum,
Liber vnus.

ANNO

M. DCI.

PER-

PERPETVAM PATRICIVS CONSVL FABIVS QVÆSTOR ETHELWERDVS MAHTILDI CONSOBRINÆ optat in Chriſto.

DISERTISSIMÆ & vera Chriſti ancillæ Ethelwerdus in Domino Patricius Mahtildi ſalutem. Suſcepi deſiderii mei Epiſtolam chariſſima veſtram; & amplexus animotenus ſcripta, non tantum legi ſed etiam condidi in theſauro cordis mei. Siquidem altiſſimi exoro crebrius gratiam Dei, vt in hac præſentia incolumem, & poſt migrationem corporis cuſtodiat, ducens ad æterna tabernacula. De notitia equidem communis proſapiæ, generis quoq; & migratione, vt ante breuiter per Epiſtolam inſinuauimus tibi: nunc (cooperante deo) ab ipſius principio mundi annalem ſumentes ritum, dilucidius explicare oportet, vt & lectoris ſuſurro intuitus, & auditoris augmentetur capiendi voluntas. Quin etiam de priſcorum aduentu parentum à Germania in Brittanniam, tot bella, tot cædes virorum, claſſiumq; periclitationem gurgite Oceani non paruam, in ſuppoſitis paginulis facilius inuenire potes exemplar. Ergo proſapia de moderna & de iteratione propinquitatis noſtræ in præſenti epiſtola ſine nexilitate exorno, qui & quomodo, & vnde propinqui, in quantum memoria noſtra argumentatur, & ſicut docuere parentes. Scilicet Ælfred Rex Athulfi Regis filius, ex quo nos originem trahimus. Cui filii quinq; ſubiiciuntur: ex quibus ego de Etheredo Rege, & tu de Ælfredo Rege progeniti videmur, filiis ſupradicti regis Athulfi. Miſit Ælfthrythe filiam ſuam ad partes Germaniæ Baldwino in matrimonium; & genuit ab ea filios duos Athulfum viz. & Earnulfum, duas filias quoq; Ealshwid & Earmentruth: quippe ex Ælfdryde ſeriem ducit Earnulfus Comes, qui & vicinus veſter. Siquidem Eadgyfu nominata eſt Eadwerdi regis filia filii Ælfredi ſupra ſcripti regis; quæ & ab matertera tua ipſa in matrimonium Galliarum ad partes minori Karulo mittitur regi. Eadhild etiam in coniugium mittitur Hugoni filio Brodbyrhti. Alias vero duas Ædeſtanus rex tali ratione miſit ad Odonem, vt quæ ab eis placuiſſet ſibi in matrimonium elegiſſet; cui viſa melior Eadgyde, ex qua tu principium tenes natiuitatis. Alteram etiam ſubiunxit cuipiam regi iuxta Iupitereos montes, de cuius prole nulla nobis notitia extet, tam pro extenſo ſpatio, quam per obruptionem quodam modo temporum: ſed veſtrum hoc opus eſt innoteſcere auribus noſtris, quæ non ſolum affinitate, ſed & poteſtate videris oppleta, nulla intercapedine prohibente.

Eſto mihi valens cunctis perhenniter horis.

EXPLICIT PROLOGVS.

INCIPIT LIBER PRIMVS.

EXORDIO ſui continet principium mundi. Primo enim die Deus in lucis apparitione condidit Angelos. Secundo die appellatione firmamenti cœlos. In tertio diuiſionis vocabulo ſpeciem terræ aquarumque. Cœli luminaria quarto. Aquatica animantia quinto. Animantia telluris & hominem ſexto: Quem ad imaginem ſuam ſimilitudinemque creauit: appellans eum *Adam*, id eſt, terrenum, ex cuius principio in hac breuitate aliquid perfectum ordiri conamur. Quamuis per anfractus ludere quimus hiſtoriographizantes, ſed non in tantum cura laborioſius videtur, quam ad præfatæ curſum locutionis dirigere ſtylum. Igitur ab *Adam* primo homine vſque ad diluuium *Noa* exprimitur numerus annorum

vigeni centies ducenti ſuper & quadraginta duo. A diluuio ſcz. vſque in tempore *Abram*
nongenti anni migrantur & ſupra bis 40. A natiuitate *Abrahæ* vſque in tempore *Moyſi*, &
exitus *Hiſrahelitici* populi ex Ægypto, tranſacti ſunt dies annorum quinque, & ſupra quin-
genti. A tempore etiam *Moyſi*, vſque in ortu *Solomonis* & ædificationis Sanctæ ciuitatis
Hieruſalem, dies annorum fuere quadringenti ſeptuaginta & octo. Et à conditione illa
mirabili dominicę ciuitatis vſq, ad ſaluatoris natiuitatem, migratus eſt annorũ numerus
millen' ſupra quoq; viginti & duo: & fact' eſt numerus annor. ab ipſius mundi initio vſq;
an. Dom. ad *Chriſti* primũ aduentũ, 5. millia quingenti minus quinq;. Poſt igitur mirabilẽ eius nati-
30. uitatẽ in anno 30. in vndis baptizatur Iordanis, q abluit peccata mũdi totius ſanguine ſuo:
ann. 33. deinde duodecim ſortiti ſunt diſcipuli & nondũ *Paulus*. Poſt trienniũ a. (ſcriptura ſacra te-
ann. 34. ſtante) Caluariæ crucifigitur loco: Quẽ poſt imitando ſequitur circiter ſpacio anni vnius
Stephanus prim' martyr, fit & cõuerſio *Pauli*. Deinde ſequẽti anno fungitur *Petrus* vera pe-
tra in Epiſcopatum Antiochenæ Eccleſiæ. Nono etiam decurrenti ſpatio annorũ Romæ
ann. 44. fungitur pontificatus officio. Poſt biennium vero Romanorum *Claudius Cæſar* per turmas
ann. 46. ducit exercitum, & inuaſit arua pinguia Brittonum, ſubiecit reges ſeruire ſibi, Orchadas
ann. 62. ipſe ſuperat paſſim, vſq; ad vltimam *Tylem*, reſiſtunt iugo Scotti Pictique. Scilicet poſt an-
num ſextum decimum *Iacobus* frater Domini pro *Chriſto* patitur glorioſe, qui & primus
ann. 63. Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopus. Deinde poſt annum *Marcus* Euangeliſta migrat
ann. 69. ex mundo. Sexta autem ſerie poſt numerum annalem truncantur pro *Chriſto Petrus &*
Paulus in miniſterio diuino ambo conſtantes, ambo florentes. In ipſius quippe anni præ-
curſu *Iohannes* euangeliſta in inſula *Pathmos* edidit librum *Apocalypſeos*, id eſt, Reuelatio-
nis, quæ illi data cœlitus erat myſteria aperire mundo diuina. Expleto equidem anno-
ann. 85. rum numero quindecim pace requieuit ab Effeſo vrbe ſtadia ſexdecim: & in ipſo anno
ann. 100. ſuſpenditur *Simon* apoſtolus. Impletuſque eſt annorum numerus à natiuitate ſaluatoris
noſtri *Ieſu Chriſti* bis quinquaginta. Porro poſt biennium *Clemens* migrat paſſione pro
ann. 101. *Chriſto* ſuſcepta papa beatus. Quem poſt in paſſione ſequitur octauo in anno *Ignatius Chri-*
ann. 109. *ſti* dignus Epiſcopus. In ſexto ergo quinquageſimo poſt illum anno *Eleutherius* ordinatur
ann. 167. in ſede Apoſtolica Romæ, & quindecim annis conſtanter glorioſam populo Chriſtiano
imbuit prædicationem, & non tantum ſibi ſubiectis vrbibus, ſed ab ortu ſolis vſq; ad oc-
caſum exiuit ſancta opinio eius. Nam idem beatiſſimus *Chriſti* famulus per nuncium & li-
teras *Lucium* adiit inſulæ regem, ammonens eum de fide, & baptiſmo Catholico, qui tum
Brittanniæ regem poteſtate pollebat: qui etiam conceſſit veriſimili ratione Chriſtianum
ſe eſſe futurum, quod & perfecit. Cuius ſucceſſor *Seuerus* poſt tertio vigeſimo anno re-
gni eius fungitur poteſtatis Romanæ, ipſe foſſam extendit in inſula præfata pertranſuer-
ſo à mare vſque ad mare, murum etiam cũ turribus & propugnaculis conſtruxit intrinſe-
cus, fortaſſis ne ab exercitu læderentur barbarorum Brittanni Porro poſt decurſum cen-
tum & nonaginta annorum ſuperque duorum, *Maximus Cæſar* regnum accepit, qui &
natus in Brittannia erat, deinde Gallos ſuperat, Tuſcos fugat, Italum & Hiſpanum ſub
iugo regna mittit. Igitur poſt ambitum circuli regni eius vigeſimi & anni octaui à Gothis
deſtruitur Roma ſublimis iam in milleno centeſimo quadrageſimo ſexto poſt ſuam con-
ditionem anno. Ab illo tempore ceſſauit imperium Romanorum à Brittannia inſula,
& ab aliis quas ſub iugo ſeruitutis tenebant multis terris. Siquidem tenuerunt ſupradi-
ctam inſulam incipiente numero à *Cæſare Gaio Iulio* quadringentos & octoginta quinque
annos, vrbes etiam atq; caſtella nec non põtes plateaſque mirabili ingenio condiderunt,
quæ vſq; in hodiernam diem videntur. Enimuero habitante plebe Brittannica incurio-
ſe cauſa firmitatis intra foſſam de cuius ſerie meminimus, ſupraque à *Seuero Cæſare* condi-
ta erat, inſurrexerunt gentes duæ, Picti ſcilicet ab Aquilonali plaga & Scoti ab Occiden-
tali contra eos cum exercitu, vaſtantes eorũ poſſeſſiones, & ſic per multa annorum ſpa-
cia innumerabili eos miſeria afflixerunt. Hi quidem ſuſtinere non valentes periculum, a-
nimo ſolerti nuncios mittunt ad Romam cum lachrymoſis ſcriptis. cum victoria exerci-
tus reuertitur Romam. Audito etiam oppoſitum ſibi exercitum domum reuerſum, viz.
Scotti & Picti gaudio gauiſi non minimo ſunt: Aſt iterum arma mouent & quaſi ſine cu-
ſtode caulas inuadunt lupi, vaſtant partem in axe Aquilonis vſq; ad Seueriam foſſam:
Brittanni muro inſiſtunt, defendunt armis; ſed non natura, heu, dederat fortuna gratiam
belli. Tum aſtuta gens Scottorum gnara quid faceret pro imminenti muro, ac ſudæ pro-
fundo ſaltu, ferreos in menſura arte mechanica ſtruunt aculeos, ſuperſtanteſq; muro de-
orſum trahentes auide interimunt, victores exiſtunt forinſecus & intus, præda & poſſeſ-
ſio fit ſtatu in vno. Et facta eſt cædes poſtera peior prioribus. Impletuſq; eſt numerus an-
ann. 449. norum ab incarnatione Dominica quadringenti & quadraginta nouem.

Quin

Quin etiam videntes ſe eſſe ſuperatos ex omni parte Brittanni, nec vltro ſpes à Romanis ſecunda, inſtruunt conſilium quidnam facerent cum miſerabili planctu. Nam illis diebus agilem audierunt eſſe piratico in opere gentem Saxonum in tota maritima à Rheno fluuio vſque in Doniam vrbem, quæ nunc vulgo Danmarc nuncupatur, ac in omni armatura robuſtam. His igitur immenſa per nuncios munera mittunt, auxilia petunt, ſocietatem pacis promittunt. Neſcia mens ſpurci populi, illo enim naſcebatur perpetua ſeruitus & infœlicitatis nouerca.

Et maxime conſilium dat *Wrtbern* qui tum Rex ſuper omnes habebatur, cui conceſſit tota nobilitas, & hoc maluerunt vt de Germania eis adduxiſſent ſuffragium. Iam præmunerati fuere iuuenes duo *Hengeſt & Horſa*, hi nepotes fuere *Woddan* Regis Barbarorum. Quem poſt infanda dignitate, vt Deum, honorantes, ſacrificium obtulerunt Pagani victoriæ cauſa ſiue virtutis, diuictuſq; vt humanitas ſæpius credit hoc, quod videt. Aduecti igitur ſunt præfati iuuenes explentes petitionem regis ſenatuſq;, cum tribus dromonibus armis ornati, & omni inſtructione bellica præparati, proiicitur ancora ponto, ſtant in littore puppes. Et mox contra Scotos cauſa probationis mittuntur: tandem non morata iuuentus pectora induunt armis, temptant quoque prælia peregrina: miſcetur viro vir, ruit Germanus, ruit Scotus, ex vtraq; parte miſerrima cædes: victores poſt Saxones exiſtunt. Tum à Rege præfato funguntur honorato triumpho, clamque mittunt vernulas domum, nunciantes ſuis fœcundiam terræ & pauidi inertiam populi. Hi ſtatim non mora facta, dictis concedunt & magnam cum exercitu claſſem mittunt proximis. Porro ſuſcepti magnifice ſunt apud regem Brittannorum; commune ſibi hoſpitium cum incolis ſtruunt, Brittanni pacem promittunt, digna munera ſocietatis, & honores, vt incurii eſſent tantum ab hoſtibus eorum protectione cum bellico incurſu tribuentes eis immenſa ſtipendia & fœlicitatem pugnæ cauſa eorum. Hactenus de ſocietate ac promiſſione Brittonum ſat dictum eſt: nunc de diſcordia & infœlicitate dicatur. Videntes namq; aſtutiam noui populi, partim timuerunt, partimq; deſpectui eos habuere: frangunt pactum, nec vltra ſocietatis addunt honorem, ſed potius ab oris expellere conantur. His ita præcogitatis innoteſcitur cunctis, rumpitur palam fœdus: inſiſtunt armis, ruunt Brittanni, Saxones poſſident arua. Iterum mittunt ad Germaniæ partes, non occulte, vt ante, ſed manifeſta legatione, vt ſolent victores, auxilium magis ſibi poſcentes, quibus & aduecta eſt multitudo omni ex prouincia Germaniæ partis: ac bella geſſere contra Brittannos, pellentes eos à finibus eorum magna cum clade, & ipſi ſemper victores. In vltimo quidem ſubiiciunt colla Brittanni, ſoluent iam progeniei tributum. Ergo illa aductio ex tribus prouinciis, quæ tum eminentiores habebantur Germaniæ, veniſſe leguntur, hoc eſt, de Saxonia, Anglia, atq; Giota. Cantuarii de Giotis traxerunt originem; *Vuhtii* quoq;, qui à *Vuihta* inſula adhærente Brittanniæ nomen ſortiti ſunt.

Quippe de Saxonia quæ nunc vulgo Ealdſexe nuncupatur, id eſt, Saxonia vetus, venere tribus, quæ apud Anglos modo ita dicuntur, Eaſtſexan, & Sutſexan, & Weſtſexan, hoc eſt, (ſecundum Latinos) Orientales, Auſtrales & Occidentales Saxones. Anglia igitur de prouincia venere iuxta Orientales Angli, medii Angli, Mercii quoq;, & tota gens Northanhimbrorum. Porro Anglia vetus ſita eſt inter Saxones & Giotos, habens oppidum capitale, quod Sermone Saxonico *Sleſuuic* nuncupatur, ſecundum vero Danos, Haithaby. Ideoque Brittannia nunc Anglia appellatur, aſſumens nomen victorum; præfati enim duces eorum inde venerunt Brittanniam primi: hoc eſt *Hengeſt & Horſa* filii *Vuyrhtelſi*, auus eorum *Vuicta*, & proauus eorum *Vuithar*, atauus quidem eorum *Vuothen*, qui & rex multitudinis Barbarorum. In tanta etenim ſeductione oppreſſi Aquilonales increduli, vt Deum colunt vſq; in hodiernam diem, viz. Dani, Northmanni quoq;, & Sueui. De quibus *Lucanus*,

Fundit ab extremo flauos aquilone Sueuos.

In tanta ergo fuiſſe perhibetur ſupradictarum illa aductio creſcens, & nimium, vt & incolarum paulatim & habitationis nomen aboleuiſſet, qui cum muneribus eos traxere quondam gentium repentinæ. Magis ſtipendia poſcunt, renuunt Brittanni: mouent arma: fit diſcordia nimis, &, vt ante præfati ſumus, à finibus eos pellunt in arcta promontoria quædam, & ipſi poſſeſſores à mare ad mare vſque in præſentem diem exiſtunt. In *An. 418.*
nono etiam anno poſt euerſionem Romæ à Gothis, relicti qui erant in Brittannia Romana ex gente, multiplices non ferentes gentium minas ſcrobibus occultant theſaurum, aliquam ſibi futuram exiſtimantes fortunam, quod illis poſt non accidit. Partem ſumunt, in vnda gregantur, dant ventum carinis, exules Gallias tenent partes. Annum poſt *An. 430.*

jized by Goog

duodecimum ad Scottos mittitur *Chriſti* nuncians euangelium *Paladius* Epiſcopus à *Cæleſtino* papa beato.

CAPITVLVM.

an. 449. EXpletis vero nouemdecim annis ceperunt Regnum Romanorum *Mauritius & Valentinus*, in quorum tempore à *Wurthgern* aduocantur rege Brittonum *Hengeſt & Horſa* in locum qui vulgo *Hipwines Fleot* nominatur, primitus Brittannorum in ſubpetias: ſed poſt rebelles & hoſtes extiterunt eorum, vt ante dictum eſt. Igitur impletus eſt tunc annorum numerus ab admirabili incarnatione ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti quadringenti
an. 455. anni & quadraginta nouem. Anno in ſexto poſt, inierunt bellum *Hengeſt & Horſa* contra *Wirthgernum* in campo Egeles thrip. Ibi interficitur *Horſa*, & *Hengeſt* cepit regnum. Poſt biennium autem *Hengeſt & Aeſc* filius ſuus iterauerunt arma contra Brittannos & ce-
an. 457. ciderunt in illa die ex parte Brittannorum millia quatuor: relicta tum Cantia Brittanni, quæ vulgo Kent nuncupatur, fugam dant in Lundoniam vrbem. Circiter annos octo ipſi
an. 465. ideó arma mouerunt cõtra Brittannos, fuitq; valida cædes in die illa; duodecim primores duces cadunt Brittannorũ iuxta locum qui dicitur Wippedes fleot, illic ruit miles Saxonum *Wipped*, & ob id ille locus vocabulum ſumpſit, ſicut à *Theſeo*, Theſeum mare; & ab *AEgeo*, Ægeum, qui in eo necatus fuerat. Repleto ſiquidem octauo annorum numero
an. 473. *Hengeſt* cum *Aeſc* filio ſuo ſecundo arma eleuant Brittannos aduerſus, & cælo exercitu victores exiſtunt, ſpoliaq; immenſa ducunt. Aduectuſq; eſt in anno quarto *Aelle* à Germa-
an. 477. nia cum filiis ſuis tribus in Brittanniam tunc in locum, qui cognominatur Cymenes Orá, & perſecuti ſunt Brittannos in loco nominato Aldredes Leage. Poſt vero octauum annũ
an. 485. bellum idem ineunt aduerſus Brittannos iuxta locum, qui dicitur Mercredes burnanſte-
an. 488. de. Deinde triennio impleto *Aeſc* filius *Hengeſt* cœpit regnum in Cent. Poſt triennium
an. 492. quidem *Aelle & Ciſſa* obſederunt oppidum, quod vocatur Andredes ceaſter, interfeceruntq; ibidem habitantes à maiori vſq; minimum, nec vllum ſaltem liquerunt viuentem. Percurſo itaq; triennio *Cerdic & Cinric* filius ſuus cum quinq; carinis aduecti Brittanniam
an. 495. in portum qui Cerdices Oran nuncupatur, in ipſa die bellum commiſere Brittannos aduerſus, & ipſi poſt in fine fuere victores. Sexto etiam anno aduentus eorum occidentalem circumierunt Brittanniæ partem, quæ nunc Weſtſexe nuncupatur. Aduenit & poſt in
an. 501. Brittanniam tum cum filio ſuo *Beda* anno impleto. Poſt cuius aduectum ſeptimo an-
an. 508. no *Cerdic* cum *Cinric* filio ſuo truncant *Natanleod* Brittannorum regem, & cum eo millia quinq; virorum. Sexto igitur impleto anno *Stuf & Wuthgar* in Brittanniam applicaue-
an. 514. runt in Cerdices Oran, & bellum repente imprimunt Brittannis quos & fugatos victores poſt exiſtunt. Impletuſq; eſt numerus fere quinquaginta ſex annorum, ex quo *Hengeſt &*
an. 519. *Horſa* Brittanniam aduenere. Deinde poſt quinquennium *Cerdic & Cinric* arma mouerunt contra Brittannos in loco, qui Cerdices forda nuncupatur in fluuio Auene; & in ipſo anno facietenus cœperunt regnare. Porro poſt functionem regni eorum, anno in octauo ſiquidem, reſtaurant arma contra Brittannos. Impleto autem triennio, ceperunt *Wihtam*
an. 530. inſulam, cuius iam ſupra memorauimus ſitum, attamen paucos interimunt Brittannos. Quarto impleto etiam anno *Cerdic* cum filio ſuo *Cinric* tradunt in poteſtate *Wihtam* ſo-
an. 534. brinis eorum duobus *Stufe & Wihtgare*. In ipſius vero anni decurſu obiit *Cerdic*; & *Cinric* filius ſuus poſt illum cœpit regnum, & regnauit ſeptem & viginti annos. Poſt qua-
an. 538. driennium autem regni eius, obſcuratus eſt ſol à prima hora diei vſq; ad tertiam. Iterum
an. 540. poſt biennium ſol obſcuratus eſt poſt tertiæ calculum dimidiam horam, ita vt ſtellæ paſſim in firmamento cernerentur. Denique ſeptimo anno *Ida* cœpit regnum ſuper prouinciam quæ dicitur Northambymbra, cuius proſapia regni & nobilitatis à *Wothen* exordium ſumit. Ergo poſt quinquennium *Cinric* bellum geſſit aduerſus Brittannos iuxta
an. 547. oppidum, quod dicitur Searaburh, quos & fugatos multos ex eis interemit. Idem poſt
an. 552. quartum annum cum *Ceaulin* inierunt bellum aduerſus Brittannos circa locum, qui di-
an. 556. citur Beranbyrig. Repletiſque circiter annis quatuor *Ceaulin* cœpit regnum ſuper Brit-
an. 560. tanniæ occidentalem partem, quæ nunc vulgo Weſtſaxan nuncupatur. *AElle* quippe *Iffing* ad Northanhimbre ſeriem mittitur, quorum genus vſq; ad generaliſſimum aſcendit, id eſt, ad Wothen. Deniq; poſt quinquennium venit *Columba* famulus *Chriſti* à Scotia
an. 565. in Brittanniam Pictis adnunciandi verbum Dei: poſt cuius aduentum, iam peracto trien-
an. 568. nio, *Ceaulin, & Cutha* ciuile commouerunt bellum contra *AEthelbyrhtum*; quem & ſuperatum perſecuti ſunt vſq; in Kent, & eius duos duces peremerunt in Wbbandune, *Oſlaf, & Cnybban*. Poſt triennium vero *Cuthulf*, bellum inſtituit contra Brittannos in Bedã-
an. 571. forda, & quatuor regias villas accepit, ſcz. Ligãburh, & Eglesburh, Benſingtũ, & Igneshã.

Deni-

Denique poſt ſex annorum decurſum *Cuthuuine* & *Ceaulin* ineunt pugnam contra Brit- ann. 577.
tannos, & eorum reges tres interimunt, *Comegl* cum *Condidan Fearmeglq́* in locum, qui
vocatur Deorhamme; & tres vrbes eorum clariores ceperunt, Gleauceſtre videlicet, &
Cirnceſtre cum Bathanceſtre. Impletoq́; numero ſeptem annorum *Ceaulin* & *Cutha* in- ann. 584.
ſtituunt bellum contra Brittannos in cognominato loco Fethanleage, *Cutha* ruit; ibi
Ceaulin ſubiecit villarum multitudinem, & immenſa ſpolia ſumpſit. Facta quippe eſt in o-
ctauo anno ruina magna ex vtraq́; parte in loco, qui dicitur Wodnesbyrg, ita vt *Ceaulin* ann. 592.
in fugam verteretur, & poſt annum finit vitam. Succeſſeruntq́ue poſt illum *Cuichelm* &
Tridda cum *Aethelfrith* in regnum.

Explicit liber primus.

INCIPIT PROLOGVS LIBRI SECVNDI.

IN exordio poſitionis huius libelli non opus fuerit præcapitulari, chariſſima noſtri. Quoniam per multimodos etiam anfractus duximus ſtylum ab ipſo generaliſſimo ſtatu; ac tranſilientes ea in quibus multorum adhæſit notitia, excerpta ab hiſtoria tam diuina quam vulgari, altiora prudenti lectori linquimus. Ad noſtri etiam generis proprietatem nunc calamum dirigere oportet: & quamuis non famoſe pupilla dicitur membrum, veruntamen miniſterium præſtat non exiguum maioribus membris. Itaq́; hortamur in Domino ne noſtra ſpernãtur à phagolidoris dicta, ſed potius præoptmas regi cœlorum gratias reddant, ſi ſe ſapere ulta videntur.

EXPLICIT PROLOGVS.

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

DE ADVENTV AVGVSTINI A GREGORIO miſſo Papa beato.

CAPVT I.

SICVTI diuina ſolet clementer prouidentia ab æterno cuncta proſpiciens non neceſſitate regere ſed potenti intuitu, ipſaq́; immobilis ſemper, ac verbo ſuo ex diuerſo elementa diſponens, hominumq́; genus ad veritatis agnitionem venire per mortẽ vnigeniti filii ſui, cuius ſanguine quadrifida mundi ſpatia liberantur: nunc per ſeruum ſuum illuſtrat tenebras Occidentalium in oras. Reſidente igitur aliquando papa beato *Gregorio*, ac ſeminante Euangelium Chriſti, adſiſterũt viri ignota lingua nimis vultu decores, qui orum & admiratus pulchritudinem vir ſanctus, cuiuſnam eſſent gentis, ab eis ſciſcitat obnixe: tum iuuenes humili intuitu Anglos ſe eſſe confitentur. Vtrumne, inquit, Chriſticolæ, vir ſanctus, an increduli ſitis? Minime Chriſtiani, inquiunt, & nec dum aliquis in hoc nobis aperuit aures. Tum ſubleuato vultu vir beatus: Quiſnam, inquit, in præſentia lapidum fundamentum ex harundine ponit? Nullus prudens, inquiunt. Recte diſſeruiſtis quippe, & ſuſcipiens eos ducit in triclinium, inſerens eis diuina eloquia, quos deinde baptiſmo abluit Chriſti, & magis diſponebat cum eis iter ad patriam. Quo audito Romani reſiſterunt ſermoni, nec paſtorem ſiuere dimitti ab eis procul. Videns itaq́; beatiſſimus papa *Gregorius* ſibi populum reſiſtentem, quendam virum ex diſcipulis ſuis in diuino eloquio nimis inſtructum nomine *Auguſtinum* confirmato eum diuino admonitu, mittit cum viris præfatis, & multitudinem fratrum cum eo, quibus & aduectis templa erigunt Angli ſuſcepta fide. Ac per orationes S. *Auguſtini* Epiſcopi miracula oſtendit ſaluator noſter *Ieſus Chriſtus* innumerabilia fidelibus ſuis. In cuius tumulo vſque in hodierna die non parua fiunt miracula ipſo auxiliante Domino noſtro.

DE AETHELBYRHTO REGE, ET DE BAPTISMO EIVS.

CAPVT. II.

ann. 596. EXercente igitur *Aethelbyrht* regimen ſuper Cent aduenit ſupradictus vir; cui & conceſſit rex *Aethelbyrht* cum omni domu ſua, & ſuſcepta fide baptizatus eſt. Ipſe eſt & primus rex in gente Anglorum, qui verbum Chriſti ſuſcepit. Deniq; *Aethelbyrht Eormenrices* filius fuit, cuius auus *Ochta* qui præ nominabatur *Eſe*, propter quod poſtea reges Cantuarij *Eſingas* ſunt nomen ſortiti, vt à *Romulo* Romani, & *Cecrope* Cecropidæ, & à *Tuſco* Tuſci. *Eſe* quippe pater fuit *Hengeſt*, qui primus Conſul & dux de Germania fuerat gentis Anglorũ; cuius pater fuit *Wihtgels*, auus *Witta*, proauus *Wither*, atauus *Wothen*, qui & rex multarum gentium, quem pagani nunc vt Deum colunt aliqui. Tranſactuſque eſt numerus annorum ab incarnatione Dominica ſexcenteſimus minus quatuor annis.

DE CEOLF REGE OCCIDENTALIVM SAXONVM, *& de eius aſſiduo bello.*

CAPVT III.

ann. 597. PEracto etiam vnius anni curſu *Ceolf* cœpit regnum ſuper Occidentales Anglos, cuius progenies a *Wothen* ſtatum ſumit: tantaq; fuit eius ferocitas vt aut cũ ſua propria gente aut cum Britannis, aut cum Pictis, aut cum Scottis bella geſſiſſe perhibetur.

DE PALLIO APOSTOLATVS AVGVSTINI, QVOD *à papa Gregorio mittitur.*

CAPVT IIII.

ann. 601. CVius regni poſt decurſu iam quadriennio *Gregorius* papa mittit *Auguſtino* pallium apoſtolatus.

DE FIDE ORIENTALIVM SAXONVM, ET DE *tranſitu Gregorij papæ beati.*

CAPVT V.

ann. 604. POſt triennium vero & orientales Angli ſuſceperunt baptiſmum regnante *Sigebyrhto*
ann. 606 rege. Poſt bienium autem migrauit *Gregorius* papa beatus, & decimo anno ex quo mi-
ſerat Anglis baptiſmum per *Auguſtinum* Chriſti famulum. Impletuſque eſt numerus an-
norum ab origine mundi huius quinque millia & octingenti ſupra.

DE PRINCIPATV CINIGELS REGIS, BELLOQVE EIVS *aduentu quoq; Bythini Epiſcopi, & baptiſmo regis ipſius, fideq; Orientalium Saxonum, atque Cuthrid baptiſmo.*

CAPVT VI.

ann. 611. POrro *Cinigels* cœpit regnum occidentalium Anglorum: ipſe itaque cum *Cuichelm* bel-
ann. 614. lum inierunt aduerſus Brittannos in loco qui cognominatur Beamdune, & ſuperato
ann. 629. exercitu ab eis duo millia interemerunt & quadraginta ſupra. Poſt igitur annis quatuor-
decim *Cinigels* & *Cuichelm* bellum geſſerunt contra *Pendan* iuxta oppidum, quod vulgari
ann. 635. ſermone *Cirnceaſtre*. Impletis vero annis ſex venit *Byrinus* epiſcopus ad Occidentales An-
glos prædicans eis euangelium Chriſti. Tranſactuſque eſt numerus annorum ab aduen-
tu in Britanniam de Germania eorum fere centum viginti. Tum ſuſcepit in tempore illo
baptiſmum *Cinigels* à *Byrino* ſancto epiſcopo in oppido quod *Dorceaſtre* nuncupatur. Ipſe
ann. 639. & *Cuthrid* baptizat poſt quadriennium in eadem ciuitate, quem & baptiſticum filium
ſumpſit.

DE CENVVALH REGIMINE, ET DE ACTIBVS EIVS.

CAPVT VII.

ann. 648. DEinde impletis annis nouem *Cenuualh* propinquo ſuo *Cuthride* tradidit ex prædijs
ann. 652. ſuis tria millia adiacentia colle qui vulgo dicitur Eſceſdune. Poſt itaque quadrien-
nium ipſe bellum geſſit ciuile in cognominato loco Bradanforda iuxta fluuiũ Afene. De-
ann. 655. nique impletis annis tribus, *Penda* rex obijt, & Mercij baptiſmũ ſuſcipiunt Chriſti. Decur-
ann. 658. ſis quippe annis tribus *Cenuualh* & *Pionna* reges bella reſtaurant Brittãnos aduerſus, & per-
ann. 661. ſecuti ſunt eos vſque ad locum qui Pederydan nuncupatur. Poſt triennium autem iterum

Cenuualh geſſit bellum iuxta oppidum quod Poſentes Byrg appellatur, & captiuum duxit
Vulſhere filium *Penda* in Eſceſdune ſuperato exercitu eius. Poſt iam annos tres ſol obſcu- *ann. 668.*
ratus eſt. Porro finito ſexennio obiit *Oſweo* rex Northanhymbrorum, & *Ecgferth* ſucceſſit
poſt illum. Itaq; poſt decurſu anni vnius facta eſt auium magna ruina, ita vt & in mare & *ann. 665.*
in arida ſpurciſſimus fœtor videretur tam de minutis auib. quam de maioribus. Iam per-
actis duodecim menſibus obiit *Cenuualh* rex Occidentalium Anglorum, coniuxque ſua *ann. 666.*
Sexburh poſt illum ſucceſſit in regnum, & rexit duodecim menſes. Poſt quam *Eſcuuine* *ann. 667.*
ſucceſſit in regnum impleto biennio, cuius genus tendit ad *Cerdic.* *ann. 669.*

De Vulfhere et Cenuulh, et de synodo *beati patris Theodori.*

Caput VIII.

SCilicet poſt annum *Vulfhere Penda* filius, & *Cenuualh* alternum inter ſe inierunt bellum *ann. 670.*
in loco, qui Bedanheafde dicitur. Poſtq; decurſum triennii apparuit ſtella cometa. Fit *ann. 673.*
Synodus in loco Heth lege *Theodori* Archiepiſcopi ſancti patronis, tranſacto iam biennio, *ann. 675.*
propter quod nitebatur eis inſerere verba diuina. In ipſius etiam anni decurſu obiit *Hild* *ann. 676*
Abbatiſſa famula *Chriſti*, cœnobii, quod dicitur Streoneshealh.

De Centuuine rege, et de bellis eius.

Caput IX.

ERgo poſt biennium Brittannos perſecutus eſt *Centuuine* rex de finibus eorum vſq; ad *ann. 678*
mare; cuius poſt biennium regni *Ine* functus eſt in regnum occidẽtalium Anglorum.
Tranſactuſq; eſt tunc numerus annorum centenus octuageſimus octauus, ex quo *Cerdic* *ann. 680.*
à Brittannis accepit partem occidentalem, ſuus genitor ſextus.

De conversione Ceaduualla ad fidem Christi.

Caput X.

IN ipſius quippe anni decurſu profectus eſt *Ceduualla* Romam, baptiſmumq; & fidem
Christi ſuſcepit, quem poſt baptiſmum papa anni illius *Petrum* cognominauit. Aſt annis *ann. 694*
ſex circiter impletis, Cantuarii recordati ſunt cauſæ eorum, quam erga *Ine* regem imple-
uerant, propinquum eius igne cremantes, cui & committunt ſolidos millia triginta per
ſingulos conſtanti numero ſexdecim nummis.

De actibus Æthelredi regis Merciorum.

Caput XI.

IGitur poſt decurſum annorum decem monachicũ ſuſcepit habitum rex Merciorum *ann. 704*
Ethelred filius *Penda* iam impletis in regno annis minus triginta. Denique poſt menſes *ann. 705.*
duodecim obiit *Ealdferth* rex Northanhymbrorum. Impletuſq; eſt tunc numerus anno-
rum à conditione mundi nongenteſimus & quinq; millenus, ita ▪ M DCCCC. Poſtq; qua- *ann. 709*
driennio obiit *Aldelmus* beatus Epiſcopus, cuius miro artificio edita opuſcula leguntur,
eratq; eius Epiſcopatus prouincia, quæ vulgo Sealuudſcire dicitur.

De regimine Ine, et de actibus eius.

Caput XII.

POrro poſt annum *Nunna* & *Ine* reges bellum geſſerunt contra *Vuthgirete* regem, dux *ann. 710.*
quoque *Beorhtfrid* aduerſus *Peohtas*. Poſt quadriennium quippe obiit *Guthlac* famulus *ann. 714*
Chriſti. Impleto etiam anno *Ine* & *Ceolred* conſtruunt pugnam contra adſtantes eis cum *ann. 715.*
armis in Vuothnesbeorhge. Itaq; poſt ſeptem annos truncat *Ine Cineuulfum*, & poſt men- *ann. 721.*
ſes ſex imbuit pugnam contra auſtrales Anglos.

De Æthelheard rege.

Caput XIII.

SExennio quoque impleto profectus eſt Romam cœpitque regnum *Aethelheard* Occi- *ann. 728.*
dentalium Anglorum, primoq; anno regni ſui inſtituit bellũ aduerſus *Clitonem Oſuueo.* *ann. 729.*
Impletoq; curſu anni vnius apparuit ſtella cometa & ſanctus obiit *Egbyrhtus* Epiſcopus. *ann. 731.*

valemus: & maxime obnixe petentes, quippe cum lugubri dolore ſoſpiti vita diſcedere parentes, tali, inquiunt, & nos admonitu rogabamus noſtros conſanguineos qui erant ſocii regis, ſed fruſtra exauditi ſumus. Illi iterum ad hæc, Propterea innocui manebitis ſi diſſederitis tantum, nec eorum vitio in vobis redarguetur qui cum rege mortui ſunt. At illi nulla dant reſponſa, ſed taciti inſiſtunt bello, punit vmbo vmbonem, brachia ſcutis pendent, ruit a proximo parens, frangunt poſtes, inſequitur poſt alterum alter, ſtat miſerabilis pugna, heu *Clitonem* perimunt, omneſq; ſocii ante oculos primitus ſtrantur excepto vno, & ipſe quoque erat ducis *Oſrici* filius de baptiſmo vix ſemiuiuus ac vulneribus oppreſſus multis. Regnauit quippe *Cenulf* annos triginta & vnum corpuſq; eius mauſoleatum iacet in Wintonia vrbe. Supradictus etiam *Clito* requieſcit in Eccleſia quæ vulgo Axanminſter nuncupatur. Eorum ſcilicet amborum progenies tendit ad *Cerdic*. In ipſo itaq; anno occiditur *Aethelbald* rex Myrciorum in loco qui Seccandune vocatur. Requieſcitq; corpus eius in monaſterio quod Hreopandune appellatur, & *Beornred* ſucceſſit in regnum, poſt non tempore tenſo obiit & ipſe.

De Offæ principatv regis, et de actibvs eivs.

Capvt XIX.

Porro in ipſius anni circulo *Offa* ſucceſſit in regnũ, vir mirabilis, fili᷒ *Tingferd*, auus eius *ann.756.*
Eanulf, proauus *Oſmod*, atauus *Nibba*, abauus *Icel*, ſextus auus eius *Eomer*, ſeptimus *An-*
geltheu, octauus *Offa*, nonus *Wermund*. decimus *Whtleg*, vndecimus *Wothen*. Repletis et- *ann.773.*
iam ſeptendecim annis, ex quo *Cynulf* à *Sigebyrhte* arripuerat regnum, in cœlo apparuit ſi- *Sax.774*
gnum Dominicæ crucis poſt ſolis occaſum, & in ipſo anno bellum ciuile geſtum eſt inter
Cantuarium populum & Merciorum in cognominato loco *Cittanforda*, & in illis diebus
monſtruoſi ſerpentes inter Auſtrales Anglos viſi ſunt, quod Suthſexan nuncupatur. Per- *ann.777*
actiſq; circiter annis quatuor, *Cynewlf* & *Offa* inter ſe bellum inſtituerunt propter villam *ann.779*
quæ Benſingtun appellatur, quæ & contigit *Offa*. Iam poſt biennium Galli & Saxones pu- *ann.783.*
gnas inter ſe concitauerunt non paruas. Deniq; poſt quadriennium *Cynebeard* truncat *Cy-* *Sax.784.*
newlf regem & ipſe quoque ibi necatur.

De actv Byrhtric regis occidentalivm Saxonvm.

Capvt XX.

Siquidem in ipſo anno *Byrhtric* ſuſcepit regnum Occidentalium Anglorum, cuius pro- *ann.786.*
ſapia tendit ad *Cerdic*. Impletoque triennio *Offan* filiam *Eadburh* ſibi in matrimonium *Sax.787*
duxit.

Explicit liber ſecundus.

INCIPIT PROLOGVS LIBRI TERTII.

DEPRÆSENTATI *quidem à prioribus iam paginulis, carpere inſtat, vt tertij nobis ſtatum libelluli edicamus. Te ergo exhortamur omni deſiderij mei chariſſima, vt non reputetur in tædium à te pro longitudine lectionis præſens opuſculum. Quoniam ad te maxime deuotто hoc: in quantum ergo longinquo ſpatia mẽs metitur, in tantum charitatis propius generatur affectus.*

EXPLICIT PROLOGVS.

EN HIC INCHOAT LIBER.

REGNANTE *Byrhtrico* rege piiſſimo ſuper partes Anglorum Occidẽtales, iam innocentia protenſi populi aruis ſereno cum tranquillitate dabant ſqualidis ſulco, & onoriferæ boum coſtæ proximo amore colla iugo ſubdebant. Aduecta eſt ſubito Danorum ardua non nimia claſſis, dromones numero tres, ipſa & aduectio erat prima. Audito etiam, exactor regis iam morans in

Eadwine, rex Northimbriorum. Sextus *Oſwald.* Septimus *Oſweo* frater *Oſwaldi*; poſt quem
octauus *Ecgbyrht*, cuius ſupra fecimus mentionem. Siquidem ipſe exercitũ duxit aduer-
ſus Northymbrios, cui & ſubiiciuntur humili ceruice. Tranſacto igitur anno *Wihlaf* ce- *ann.*828.
pit iterum regnum. In ipſo vero tempore *Ecgbyrht* rex duxit exercitum contra aquilonales
Brittannos, & ſubiectis omnibus reuerſus eſt in pace. Igitur poſt quadrienniũ pagani ter- *ann.*832.
ritoria popularunt loci, qui dicitur Sceapige. Et poſt decurſum anni vnius bellum geſſit *ann.* 833.
Ecgbyrht rex contra paganam claſſem, cuius numerus erat triginta quinq; carinæ, in loco
Carrum. Dani poſt victoriam ſumunt. Deniq; poſt triennium aduenit oras in Occiden- *ann.*836.
talium claſſialis nimium Brittannum exercitus, non mora facta commiſcent ſe vna, quip-
pe coaptãtes arma aduerſus *Ecgbyrht* regem Anglorũ. Præſciſcitato ergo rex eſſe ſe taliter,
& conuocato exercitu imbuit contra bis populos arma in loco Hengeſteſdune, & vtroſq; *ann.*837.
arripuit populos fuga. Siquidem tranſmeato anni vnius circulo obiit *Ecgbyrht* rex poten- *Sax.*836.
tiſſimus.

De Principatv Athvlf, et de actibvs eivs.

Capvt III.

PORRO poſt obitum, *Athulf* ſucceſſit in regnum *Ecgbyrhti* patris ſui regnumq; Cantua-
riorum tradidit filio ſuo *Etheſtano* & Eaſtſexena & Suthſexena, & Suthriæ, hoc eſt Ori-
entalem partem, auſtralem & mediam. Poſt annum ſcilicet dux *Wulfheard* paganam cõ- *ann.*838.
tra claſſem geſſit bellum iuxta oppidum Hamtune, multoſq; interemptos victor extitit. *Sax.*837.
Erat autem numerus claſſis triginta & tres carinæ. His ita geſtis obiit & ipſe dux quiete. In
eodem vero anno *Ethelin* dux bellum inſtaurauit cum populo prouinciæ Dorſet, exerci-
tum contra paganum in loco, poſt & perſecutus eſt eos aliquod tempus, attamen poſt ex-
iſtunt Dani victores, & ducem interimunt ſocioſq; cum eo. Deniq; poſt annũ, *Herebyrth* *ann.*839.
dux truncatur à Danis in loco Merſcwarum: in eodem vero anno magna cædes facta eſt
ab illo exercitu in vrbe Lindeſſe, & in Cent prouincia, & in Orientalib. Anglis. Similiter *ann.*840.
poſt annum hoc factum eſt, & in Lundonia vrbe, & in Quintanwic & in oppido Hrofe- *ann.* 841.
ceaſtre. Interea poſt annum *Athulf* rex contra Danos inſtituit bellum in loco qui dicitur
Carrum, à quibus & ſuperatur, ibidemq; obtinuerunt locum victores. Siquidem triennio *ann.*844.
impleto *Eanulf* dux qui preerat prouinciæ Sumerſetun & *Ealhſtan* quoq; Epiſcopus, &
Oſric Dorſetum dux pugnam conduxerunt aduerſus paganos exercitum in prænominato
loco Pedredanmuthan; aſt victores exiſtunt, ſuperato exercitu Danorum. Etiam in ipſo
anno *Aethelſtan* rex & *Ealhere* dux bellum geſſerunt contra prędictæ gentis exercitum in
Cent prouincia iuxta oppidum quod Sandwic nuncupatur, nimiumq; ab eis interimunt,
fugatas turmas eorum capiunt & nouem dromones. Transactis igitur annis ſeptem Ceorl
Defenum dux imbuit bellum contra paganos in loco Wiganbeorge multoſq; occidunt *ann.*151.
Danorum, obtinẽt & victoriæ locum. In ipſius vero anni decurſu hyemauerunt primitus
Barbari in Inſula Tenet, quæ non longe à Brittannia ſita eſt, fœcunda nimium non aruis
prolixis. Non dum iam impleto anni illius ſpatio aducta eſt paganorũ nimis ardua claſſis
trecẽtæ & quinquaginta carinæ in oſtium fluuii Temeſe qui vulgo Temeſemuthan nun-
cupatur, & deſtruxerunt Cantuariorum vrbem, Lundoniam quoq; vrbem; & fugauerunt
Beornulf regem Merciorum ſuperato oxercitu eius. Reuerſiq; ſunt poſt pugnam trans Te-
meſe fluuium ad partem Auſtri per prouinciam Suthriæ, illicq; in occurſum eorum obui-
us fuit *Athulf* rex cum Occidentalibus Anglis, pars innumeroſa cadit, ex vtraq; parte, nec
duriorem vnquam audiuimus pugnam ante iſtius diei præſentiam; geſta ſunt autem hæc
Iuxta ſyluam quæ Aclea nuncupatur. Igitur poſt triennium *Burhred* rex ſubſidium ab *Ae-* *ann.*854.
thelwlfo rege ad ſubiiciendum aquilonales Brittannos: ipſeque conceſſit, & congregato
exercitu eius trans Merciorum profectus eſt regnum contra Britannos, quos & ſuperatos
conſtituit ſub tributo. Et in ipſo quoq; anno tranſmiſit Romam *Athelwlf* rex filium ſuum
Aelfred in diebus domini papę *Leonis*, quem & ſanctificat in regem, & filiũ à chariſmate
nominauit, vt modo ſub manu Epiſc ſolemus accipientes paruulos filios nominare. In eo-
dem anno geſta ſunt nimis bella in inſula Tenet contra paganos, & facta eſt magna cædes
in vtraq; parte, & in mare multi demerſi. Poſt Paſcha etiam illius anni *Athulf* rex tradidit *ann.*858.
in coniugiũ *Burhrede* regi filiam ſuam. Siquidem poſt annum pagani hyemauerunt in lo- *ann.* 856.
co Sceapige. In eodem anno decumauit *Athulf* rex de omni poſſeſſione ſua in partẽ Do- *ann.*857.
mini, & in vniuerſo regimine ſui principatus ſic cõſtituit, & in ipſo anno profectus eſt Ro-
mam cũ magna dignitate, moratuſq; eſt ibi menſes duodecim. Igitur reuertente eo ad pa-
triam, *Karolus* rex Francorũ filiam ſuam tradidit ei in matrimonium, quam ſuſceptã duxit
ad patriam ſuã. Deniq; poſt annũ *Athulfus* rex obiit cui9 corpus requeſcit in vrbe Wintona.

Igitur præfatus rex fuit filius *Ecgbyrhts* regis cuius auus *Ealhmund*, proauus *Eafa*; atauus *Eoppa*, abauus *Ingil* *Ines* frater occidentalium Anglorum regis qui Romæ finierat vitam, traxeruntq́; ſupradicti reges à *Cenred* rege originē. *Cenred* fuit filius *Ceolwald*. Auus quippe eius *Cuthwine*, proauus *Ceaulin*, atauus *Cynric*, abauꝰ *Cerdic*, qui & primus poſſeſſor Brittanniæ partis occidentalis ſuperatos exercitus Brittannorum cuius pater fuit *Eleſa*, auus *Eſla*, proauus *Gewis*, atauus *Wig*, abauus *Freawine*, ſextus pater eius *Frithogar*, ſeptimus *Brond*, octauus *Balder*, nonus *Wothen*, decimus *Frithowald*, vndecimus *Frealaf*, duodecimus *Frithowlf*, tertius decimus *Fin*, quartus decimus *Godwlfe*, quintus decimus *Geat*, ſextus decimus *Tetwa*, ſeptimus decimus *Beo*, octauus decimꝰ *Scyld*, nonus decimus *Scef*. Ipſe *Scef* eum vno dromone aduectus eſt in inſula Oceani quæ dicitur *Scani*, armis circundatus, eratq́; valde recens puer, & ab incolis illius terræ ignotus; attamen ab eis ſuſcipitur, & vt familiarem diligenti animo eum cuſtodierunt, & poſt in regem eligunt, de cuius proſapia ordinem trahit *Athulf* rex. Tranſmeatuſq́; eſt tunc numerus annorum quinquageſimus quintus, ex quo *Ecgbyrht* cœpit regnare.

Tertius liber finit.

PROLOGVS LIBRI QVARTI ECCE INCIPIT.

PERACTAS *quidem tribus paginulas ſuperioribus libris, nunc inſtat ad quartum flectere pennam, in quo & emolumenti magis pollet præſentia, & origo proſapiæ generis noſtri iudicatur apertius. Et quamuis videar tibi lectionis tranſmittere onus, omni deſiderij mei chariſſima ſoror, non grauius à te iudicer, ſed ſicuti amore tuo conſcripta, ita & noſtro legantur. Qui autem in Trinitate laudatur, & vna potentia Deus, conſeruet te ſub vmbra alarum ſuarum, ſecumq́; ſocias tuas, Amen.*

EXPLICIT PROLOGVS.

DE REGIMINE FILIORVM ATHVLFI REGIS, Ethelbaldi videlicet & Ethelbyrhti.

CAPVT I.

INTEREA poſt obitum *Athulfi* regis, ordinati ſunt filii eius in regnum,
Ethelbald videlicet ſuper Occidentales Anglos, & *Aethelbyrht* ſuper Cantua-
ann. 861. rios, & Orientales, Auſtrales quoque & medios Anglos. Quinquennio au-
Sax. 860. tem impleto obiit *Ethelbald* rex & *Aethelbyrht* frater eius ſucceſſit in vtraque
poteſtate. Et in diebus eius adplicata eſt maxima claſſis paganorum, fregeruntq́; regiam vrbem quæ Wintonia nominatur: in quorum occurſu fuerunt *Oſric* dux prouinciæ Hamtunſcire & *Athulf* dux prouinciæ Bearrucſcire; pugna quippe inita paga-
ann. 865. nos in fugam vertunt, hi ſumpſere victoriam. Poſt autem quatuor annos ex quo obierat *Aethelbald* rex, ſtatum pagani firmant inſula in Tenet, Cantuariis pacem promittunt; illi & contra pecuniam parant, ignoti futuri. Aſt rumpunt Dani fœdus, clam exeunt nocte, pla-
ann. 866. gamq́; Orientalem Cantiæ vaſtant totam. Poſt annum vero obiit & *Aethelbyrht* rex, cuius corpus pacifice requieſcit in monaſterio cognominato Scireburnan.

DE PRINCIPATV ETHEREDI REGIS.

CAPVT II.

ENimuero *Ethered* ſucceſſit in regnum poſt obitum fratris ſui *Ethelbyrhti*. In eodem
ann. 867. anno aduectæ ſunt claſſes tyranni *Igwares* ab aquilone in terram Anglorū, hyemaueruntq́; inter orientales Anglos, illicq́; fulciunt arma. Equos aſcendūt, cum accolis pacem confirmant. Scilicet poſt annum ipſe exercitus (relicta orientali parte) tranſfretatuſq́; eſt

fluuium

fluuium Humbre in Northhymbriorum prouinciam ad Euoracam vrbem quæ nũc vulgo Eoferwic nuncupatur. Fuerat namq; ciuilis tunc diſſenſio nimis inter habitatores terræ illius, in tantum furia moti, vt & regem *Osbyrhtum* propria de ſede eorum expulerint: conſilioq; firmato pariter omnes quendam ſibi ignobilem eligunt regem, nec non tarde ad hoc conuertunt animum contra tela adiacentia exercitus arma leuare; centurias congregant non paruas, viſitant hoſtes iam morantes in ſuda, alternatim concitant iras, arma mouent, ſtat (miſerum) cædes vtriuſq; populi, ruunt illic reges. Relicti quippe eorum pacem confirmant hoſtili cũ exercitu. In eodẽ anno migrauit *Eanulf*, dux prouinciæ Sumerſetun. Epiſcopus quoq; *Ealhſtanus* poſt ſucceſſionem ſui Epiſcopatus quinquaginta annos in parochia quæ Sciréburnan vocatur. Ibi & corpus ſuum nunc requieſcit, ducis quippe ſupradicti in cœnobio, quod Glaſtingabyrig nuncupatur. Ergo poſt annum caſtra meta- *ann.868.*
tus eſt exercitus Paganorũ, cuius aductum ſupra memorauimus in locum Snotingaham, illicq; hyemauerunt: & *Burhred* rex Merciorum cum ſuis primatibus eis cõſenſerunt manendi ſine calumnia. Anno igitur impleto ipſe exercitus eleuatur ad Euoracam vrbem, & *ann.869.*
ibi quoq; caſtra metati ſunt tẽpore hyberno. Iterũ poſt annum migrãtur, trans regnumq; *ann.870*
Merciorum itinera cedunt ad orientalem partem Anglorum ibiq; caſtra metantur tempore hyemali in loco Theotforda; aduerſus quos aptauit bellum rex *Eadmundus* breui ſpatio, à quibus & interimitur ibi, cuius corpus iacet mauſoleatum in loco qui Beadoriceſwyrthe nuncupatur, obtinueruntq; tũ Barbari victoriæ numen, mox defuncto rege, nam & eorum rex anno in eodem obiit *Iuuar*. *Ceolnothus* quoque Archiepiſcopus in ipſo anno migrauit & ſepultus eſt in vrbe Cantuariorum. Igitur poſt curſum vnius anni profectus *ann.871.*
eſt inde ſupra memoratus ad locũ Readingon Barbarorũ exercitus, & maxime cogitans plebs impiiſſima bello adire occidentales Saxones, & iam diebus peractis tribus, ex quo venerant, illo protendunt ante duo conſules eorum iam apparatu equeſtri, quem natura negarat, obliti claſſe aut certe explorationis ritu tam celeres aut æterni numinis per arua ſyluaſq; feruntur. Aſt obuius dux *Adulfus*, & quamuis pauca manus, ſed fortia animi receptacula manent, dirigunt tela, hoſtes vertunt, opimiſq; gaudẽt ſpoliis. Deniq; quadriduanum poſt ambitum *Ethered* rex adeſt cum exercitu, nimis inceditur medio inenarrabilis pugna, modo hi, modo alii rigidis inſtant certamine telis, ruit dux *Athulfus*, qui paulo victoriam obinuerat ante; Barbari poſt victores exiſtunt: corpus quippe ſupradicti ducis abſtrahitur furtim, adduciturq; in Merciorum prouinciam in locum qui Northworthige nũcupatur, iuxta autem Danaam linguam Deoraby. Impletoq; iterum quadriduo rex *Aethered* cum *Aelfred* germano ſuo arma inſtaurant contra omnem paganum exercitum in loco Æſceſdune; factaq; eſt nimium ruina parte in vtraq;. Poſt tamẽ rex *Ethered* victoriæ obtinet ſtẽmma. Nominatim igitur inſtat vt pandantur procerum nomina qui ibi cæſi ſunt. *Berſe* rex eorum, veteranus *Sihtrix* Conſul eorum, iunior quoq; *Sihtrix*, *Osbearn* Conſul, *Frana* Conſul, *Haradd* Conſul, & vt dicam, tota purior illic cecidit Barbarorum iuuentus, vt nec ante, nec poſt tanta ruina audita eſt, ex quo gens Brittanniam obtinuerat bello Saxonum. Interea tranſactis quatuordecim diebus animo iterato pugnæ conſiſtunt in loco Baſingon prænominato quidem, moxq; mixta arma, in contrario ſibi paulatim ſuſcepere Barbari locum, ſpemq; familiarem inter ſe cudunt, ſeducitur regia turma, iam præuiſores aſpera tenent loca, ſine ſpoliis victoriam ſumunt. Porro poſt menſes duos renouat certamen rex præfatus *Aethered*, cum quo frater ſuus *Aelfred* in loco Merantune contra paſſim Barbarum exercitum, & in vtraq; manu cæſa eſt multitudo, Barbari victoriæ obtinent numẽ, ibi ruit ferro interemptus *Heahmundus* Epiſcopus, ſuumq; corpus iacet ſepultum in loco Cægineshamme multi quoq; in eadem pugna ruere, fugatiq;; de quibus videtur impendioſam in hac breuitate proteſionem nobis vti. Deniq; poſt deuolutionem pugnæ prædictæ illius anni poſt Paſcha migrauit rex *Ethered*; de cuius radice teneo ortum. Nuperq; iterato ordine manifeſtius conſolidare incipiam tibi, conſobrina *Mahtildis* veneranda; & veluti aduecta nauis per gurgites vndarum lõginqua ſpatia tenet, iam portum quæ diligenti tramite explorarat; ita & nos quaſi more nautarum ingredimur, &, vt olim tibi per priſcam breuiter commoraui epiſtolam, ſimiliter & in præfatiunculis præſentis libelluli, nec impudenter iterum commemoro, & quamuis prærumpo faſmatis curſum non neceſſitate motus, ſed tuæ charitatis amore, nunc plenius ex tempore de generis noſtri proſapia retranſmitto meditandum, ſatis quippe amplectens ſtudium tuæ ſinceritatis. Hactenus rugoſitate relicta de filiis *Athulfi* incipiam loqui. Namq; fuere numero fratres quinque. Primus *Ethelſtanus*, qui & regnum obtinuerat ſimul cum patre ſuo. Secundus *Ethelbald*, qui & occidentalium Anglorũ rex. Tertius *Ethelbyrht*, rex Cantuariorũ. Quartus *Ethered*, qui poſt obitum *Edelbyrhti* ſucceſſit in regnum, qui & meus atauus. Quintus

Ælfred poſt omnes ſucceſſor principatus totius, qui & atauus veſter. Propterea notum tibi facio, hæc (amanda conſobrina *Mahtildis*) accipiens ab annili vetuſtate, & maxime ſtylo breui noſtri generis hiſtoriam curaui reges vſq; duos hos, de quibus nos augmẽtum ſumpſimus. Tibi ergo hoc opus deuoueo, gratiſſima coactus propinquitatis amore: cæteris autem, ſi cum ſupercilio amplectunt, à noſtris indigni iudicentur caniſtris; alias charitate ſuademus cunctos præpoſita legi. Igitur recurramus ad omiſſam locutionẽ, & ad obitum regis præfati *Etheredi*. Huius fuere regni anni quinque. Sepultus quippe eſt in cœnobio, quod Winburnan nuncupatur.

De principatu Ælfredi regis.

Caput III.

HIs ita peractis *Aelfred* obtinuit regnum migratu poſt fratrum, ipſe & vltimus *Athulfi* filius regis, ſuper prouincias Brittanniæ cunctas. Aduenit ſine numero æſtiuus exercitus in loco Readingon, & contra Occidentalium ineunt exercitum auida bellum manu Anglorum, ſubſidio quibus adſunt & hi qui vaſtauerant ibidem tempore longo. Erat autem exiguus cum Anglorum exercitus propter abſentiam regis, qui eodẽ tempore exequias fratris impleuerat, & quamuis non plenæ acies manu, ſed robuſtus pectore conſtat animus, longius pellunt hoſtes certamine læti. Attamen oppreſſi laſſatu deſiſtunt pugnæ barbari, vt ſterilem obtinent tũc victoriæ ſtatum: quin etiam poſt diffuſi prædas minant, vaſtant loca. Fueruntq; inter ſqualidiſſima eorum dominatione ab Anglis, viz. certamina tria. Excepto ſupra memoratis bellis, quorum vndecim conſules ruunt, quos illi Eorlas ſolent nominare, & rex eorũ vnus. Deniq; in eodem anno Angli occidentales pacem ſtruunt cum illis. Migratuſq; eſt numerus tunc vſq; ad conſeſſum exercitus Barbarorum in Readingum, & vſq; ad obitũ *Aetheredi* regis, & *Aelfredi* fratri illius ſucceſſionem annorum ſeptuageſimus vnus, ex quo auus eorũ *Ecgbyrht* continuerat regnũ: quadraginta ſiquidẽ & ſeptem, ex quo Myrcii & occidentales Angli ciuilia bella geſſere in cognominato loco Ellendune, & *Ecgbyrht* rex ſumpſit victoriæ nomen. Deinde fuere anni 26. ex quo pugna geſta eſt in loco Pedredan. Deinde viginti à certamine quod geſtũ eſt iuxta condenſum quod Aclea nuncupatur. Deinde ab aduectu Paganorum in partes Orientalium Anglorum anni quinq;, nec non diſcriminatio longa tum applicatus eorum in Readingon locum. Poſtq; vnius anni decurſum, ex quo venerant Readingon, caſtra metati
an. 872. ſunt ob ambitu Lundoniæ vrbis. Aſt Myrcii confirmant cum eis fœderis pactum, ſtipendiaq; ſtatuunt. Poſt annum Barbari ſedes mutant confinium iuxta Lindiſſi vrbe in Tur-
an. 873. ceſſige condicto loco, iterant pacem fœderis Myrcia plebs cum eis. Ambitum anni poſt
ann. 874. circuli vnius Barbari ſedes migrant tandem Hreopandune locum, regemq; *Burhredum* de regno pellunt extra Oceanum. Iam decies bis & duo ſupra annorum calculantur dies, & quo paterna tenebat regna. Quippe proiecta pace populantur Merciorum arua. Rex prædictus non ſpe abiecta *Chriſti* itinera legit deſiderando Romam, migraturq; ibi; ſuumque corpus mauſoleo digno conditum iacet in templo *Chriſti* genetricis ſanctæ, quæ nũc Anglorum ſcholæ viſitant nomen. Tempore eodem *Ceolf* poſſedit regnum Myrciorum.
an. 875. Deniq; poſt annum Barbari in ſortes ſibi duas diuidũt regnum: partem ſumpſit dux Barbarorum *Healfdene* nomen Northãhymbriorum; hyberno ibi ſedilia tempore cudit iuxta nominatum fluuium Tinan, ibidemq; vaſtant territoria paſſim. Aſt crebrius inducunt Pihtis bellum, Cumbriſq; *Oſcytel* quoq; & *Guthrum* & *Annuth* hi tres reges eorum cũ immenſo exercitu de loco Hripandune ad cognominatum locum Grantanbricge, ſtatumq; fecere ibi menſes duodecim. Porro in ipſius anni æſtate exiit *Aelfred* rex cũ claſſico exercitu mare, obuiamq; ei barbara claſſis, dromones ardui numero ſeptem, pugna init, Dani
an. 876. fugæ dant vndas, capitur vnus dromon a rege. Siquidem poſt annum tyrannus *Healfdene* Northanhymbriorum ſortitus eſt regnum ſubiectis cunctis. Et in ipſius anni decurſu exercitus, qui in Grantanbricge fuerat, coniecit ſtatum communem cum Occidentali exercitu, quod ante non viſi ſunt, iuxta oppidum quod Werham nuncupatur, depopulataq; eſt ab eis pars maior prouinciæ illius. Quin etiam rex pactum cum eis pacis confirmat ſimulq; pecuniam dando. Ipſi vero dant obſides ei electi qui tum in exercitu videbantur obtutu regum eorum eiq; ſtatuunt iuſiuramentum in eorum armilla ſacra, quod cætera-
an. 877. tum regionum fecere nunquam, vt citius tam exire oris eorum. Aſt transgrediuntur pacem ſubitoq; frangunt pactum, & in ſequenti anno, prouinciam expanſo agmine viſitant Defenũ, ibiq; caſtra metantur tempore hyberno in vrbe Examceſtre. Deniq; claſſes eorũ eleuant vela, dant vento carinas, procella ingruit triſtis, mergitur pars non minima, centũ nume-

numero carinæ ſupremæ, iuxta rupem quæ Suuanawic nuncupatur: fraude conſtituunt
iterata pacem Barbari mente, obſideſq; dantur pluſquam quærebantur *Elfredi* quippe,
regi opimi, de poteſtate firmium ſua, promittunt abſtrahere pedem, ſicq; fecere, Mer-
ciorum regna vaſtando pellunt ingenuos paſſim, ategias figunt in oppido dicto Glenuce- *ann.*878.
ſtre vario ictu. Ergo in illius anni prætextum fregerunt prærordinatum cum occidentali-
bus Anglis plebs ſpurciſſima pactum orco firmo. Appliciumque ſumunt hyemale in lo-
co Cippanhamme. Aſt multos equitando per aduerterent ceruices quoad haud habuere
incolæ dominatu inſopituri citius eorum cuncti mentes vertunt. Tum alios impia pote-
ſtate tranſpellunt Gallias mare in oras. *Aelfred* ſiquidem rex arctius tunc habebatur quam
decuit. Dux quoq; *Aethelnoth* prouinciæ Sumorſetun exiguo cum agmine ſylua in qua-
dam morabatur. Conſtruxeruntque firmitatem quodammodo in inſula Æthelingaige
quæ videtur ſita in palude. Rex vero prædictus contra Barbaros non ſinebat quotidiano
certamine, cum ſola prouincia Sumerſedun: nec aliæ tunc ei adiutrices excepto his qui
regio paſtu vtebantur famulis. In eodem anno aduectus eſt *Healfdene Iguuares* tyranni fra-
ter cum triginta moneribus in occidentales Anglorum partes, obſeditq; *Oddan* ducem
prouinciæ Defenum in quodam caſtro, incenderuntq; Martem intus & foras Barbarum,
rex ruit, octoginta quippe cum eo decades. Poſtremo victoriæ obtinent locum Dani. In-
terea poſt Paſcha illius anni, coaptauit bellū *Aelfred* rex aduerſus exercitus qui in Cippan-
hamme fuere in loco *Ethandune*, victoriæq; obtinent numē. Poſt autē pugnæ ſolutionem
Barbari pacem promittunt, inducias petunt, non negant obſides, iuſiurandū confirmant,
rex eorum ſcilicet ſuſcepit baptiſmatis fontē, quem ſuperſtes de lauacro ſumit rex *Aelfred*
in Alnea inſula paludēſi; dux pariter *Aethelnoth* abluit poſt lauacrū eundem in loco Vued-
mor, illicq; ei præbuit rex *Aelfred* honores magnifice. Deinde poſt annum ex quo exer- 879.
citus paganorum ab vrbe exierat Gleauceaſtre, profectus eſt in oppidum Cyrenceaſtre,
ibiq; metatus tempore hibernali. Et in ipſius anni decurſu obſcuratus eſt ſol. Poſt annum *ann.*880.
igitur ex quo iubar omiſerat Phœbus, eleuatus eſt prędictus exercitus relicto Cyrēceaſter
ad orientalium Anglorum partes, caſtrametatiq; ſunt ibi, omneſq; habitatores illius terræ
ſub iugo imperii ſui duxere. Peractiq; ſunt quatuordecim anni tunc ex quo hyemauerūt
Barbari in aruis terræ prædictæ, & equeſtrati. Porro in eodem anno poſtq̄ ſubiecta eſſet
eis tellus prædicta, artemone petunt Gallias partes, ſtatum firmant in Gent loco condicto
ipſi eidem qui caſtra metabantur quondam in loco Fullanhamme. Scilicet poſt annū vl- *ann.*881.
terius progredi petunt, agmina Francorum è contra inſiliunt armis, victoriæq; funguntur
numen Barbaro exercitu fugato. Poſtq; circulum vnius anni tranſiit prædictus exercitus *ann.*882.
in ſuperiora territoriis Mæſæ, & caſtra metati ſunt in loco Eſcelum. In eodem anno exiuit
nauigio rex *Aelfred*, obuiauitq; dromonos quatuor, ab eo ſuperati truncantur duo. Relicti *ann.*883.
arma omiſſa duo ſubiiciunt colla. Anno igitur trāſeunte profectus eſt ſupradictus exerci-
tus ſupra in Scald parochias, ad locum *Cundath*, ibiq; hyemale ſumunt metatum. Impleta- *ann.*884.
que ſerie anni vnius abrumpitur oppoſita ſupradicti clades exercitus in ſuperiora Sunnan
turmæ in locum Embenum, ibiq; caſtra metatur ſpatio hybernali. Ergo poſt annum parti- *ann.*885.
untur in ſortem ſibi arua telluris ipſius in duas partes, vnam ad Lofenum, alteram ad Hro-
feceſtre partem videlicet pertinentem; obſederuntq; oppida prædicta. Nec non alia ſibi
ſtruunt vilia caſtra. Etiam defectus dominatur accolis priſcis vſq; dū aduenisset rex *Ael-
fred* Occidentali cum manu. Superata tandem lues immunda, auxilia quærunt, rex iuſſit
Sarauara duci equis non exiguis littora, petunt proprias ſedes. Quidam eorum vltra pe-
tunt marinas partes. Curſu in eiuſdem anni præſentis obſidatum cum renouant Anglis
omiſſi, biſque numerant fraude prædas in anno telluris in condenſo adhærenti Notheas
fluuio partes Tameſi. Petias ſub dant plebs immunda quæ tum Orientales continebat
Anglos, repente extraneum petunt veſtigio curſum ad locum Beamfleote. Ibiq; lurido
motu partitur ſocia manus, quidam manent, quidam petunt vltra partes marinas. Itaque
claſſem mittit in eodem anno in Orientales partes Anglorum rex præfatus etiam *Ael-
fred*, ſtatimque aduectu in eorum occurſum fuere in loco Stufemuthan ſexdecim ſcilicet
numero carinæ, vaſtantur quidem armis, ferro truncantur magiſtri, cætera claſſis pirati-
ca curſu obuia vehitur illis. Inſiſtunt remis, deponūt ſcarmos, vnda coacta rutilant arma,
poſt gradum Barbari victoriæ ſcandunt. In eodē anno magnificus obiit Karolus rex Fran-
corum extinctus nece ante vnius circulum anni, quem poſt ſequitur equidem vterinus
frater qui tum præfuerat Gallias fines ſuper Occidentales. Amboque fuere filii *Hloduui-
ges* cuius ante regimen fuerat totum, extrema iam ſeries fuerat vitæ in orbitu ſolis prædi-
cto ipſeque magni filius regis eſſe *Karoli*, quippe cuius in matrimonium duxerat filiam
rex *Athulfus* Anglorum. Aſt in motione illius anni factus eſt cum Barbarorum claſſiali

non impetu paruo littora complens veteranorum Saxonum, biſq; in eodem pariter tempore bella, victores poſt exiſtunt Saxones: adfuereq; tum Friſii certamine ſimul. In eodem anno ſucceſſit in regnum *Karolus* minor totas Occidentales ſuper Galliæ partes & vſque ad Tyrrhenum mare protenſa, & vt dicam, proaui ſui paſſim poteſtatem; excepto prouinciæ *Lidwicon* cuius pater *Hlodwius* frater *Karuli* medii, cuius filiam duxerat in coniugium *Athulf* rex Anglorum. Et hi vtriq; fuere filii *Hlodwy*, ſcilicet *Hlodwius* filius erat *Karuli magni*, *Karulus Pipini* filius magnus. In eodem anno migrauit beatus papa *Martinus*, qui & in libertate poſuerat Anglorum prædeſtinationem regis *Aelfredi* quæ nūc ſcholam Romæ videtur exter beatoque munera miſit biguo Chriſti in quo ſalus rutilat mundo. Quippe in illius anni meatu, prædicta lues rumpunt fœdus regemq; contra inſiliunt telis
ann. 886. *Aelfredum*. Deniq; poſt annum inferiores partes Gallias petunt, continuoq; ſedilia cudunt iuxta fluuium Signæ præ tempeſtate hyberna. Interea obſidetur a rege *Aelfredo* vrbs Lundonia: & quem ingenio, quem occurſu non ſuperauerat ciuilis diſcordia ſæua, hunc vt redemptorem ſuſcepere cuncti, & maxime genus Saxonum, excepto Barbaræ gentis & his qui ſub manu eorum tum captiui tenebantur. Etiam poſt manus cateruæ confirmatas ibi conſtituitur dux *Aethred* à rege præfato, cuſtodiendi arcem. Siquidem exercitus qui
ann. 887. tum populabatur Gallias partes veſtigia ſecant per pontem arcis Pariſiacæ, totamq; iuxta Signiam vaſtant vſque ad Materne & ſuper verticem ipſius vſq; ad Catſig, ibique conſtituunt ter hybernos ſtatus. In eodem anno obiit & *Karulus* rex Frācorum, *Barnulfus* quoque ſucceſſit fratruellus eius in regnum hebdomadas ſeptē ante obitum patrui ſui. Tum partitur regnum in quinq; regeſq; totidem functi in eodem; attamen permiſſu fiunt *Earnulfi* cuncta, nec non promittunt ſe eſſe eius ſub manu dominiiq; iuuantes ideo, quoniam non eſſent ſicut ipſe ſulco de paterno nullus eorum. Habitauitq; poſt functionem regni in parte Orientali fluuii Hreni. *Hrodulfus* vero medias partes regni, *Odda* quoque Occidentalem partem, Beorngar etiam cum *Witha* Longobardorum regnum obtinuere à diſcrimine Iouii montis. Illicque ciuilia coaptarunt bella, proſequitur plebs plebem, ſæpius vertuntur vtrorumq; arua, nec vnquam adfuiſſe ſpes inter eos ſecunda. Porro in eodem anno quo Barbari conſederant ponte in Pariſiaco, dux *Aethelhelm* diœceſios Anglorum
ann. 888. pro populo accepta à rege pecuniæ non exiguam partem adiit Romam. In eodem anno
ann. 889. obiit *Ethelſwith* regina. *Aethered* quoque Archiepiſcopus tranſiit in illius anni decurſu, nec non *Athelbald* Cantiæ præſul. Tranſeunte igitur vnius anni meatu Abbas Byrnhelm Romam pro populo eleemoſynam duxit & maxime Occidentalium Anglorum regiſq; *Elfredi*. Tum & orco tradit ſpiramen *Guthrum* Borealium rex Anglorum, qui & *Ethelſtan* à lauacro baptiſmatis ſumpſerat nomen à ſuo patrino rege *Aelfredo* cuius conſeſſus maxime fuerat inter Orientales Anglos quoniam ibi & ſtatum tenuerat primum. In eodem anno eleuatus eſt ſupra memoratus exercitus de Signahamne ad locum qui vulgo dicitur Sandlaudan, cuius ſitus inter Brittannos & Francos videtur, quorum in occurſu Brittanni inſiſtunt armis, obtinentque victoriæ numen, eoſque perſecuti ſunt
ann. 891. vel 892. in mæandrum cuiuſdam amnis, ibique non pauci merguntur lymphis. Poſt etiam ſpatio vnius anni cateruæ ſupradicti exercitus viſitant Orientales Francorum partes. Rex *Earnulfus* obuius quorum equeſtris tandem imbuit certamen antequam venere gurgite claſſes. Manus Francorum Orientalis aderant ibi. Saxones quippe Baiuuerique auras dant fugæ pagani. Abſtrahuntur tum feruentes fide anno in eodem Hybernia ſtirpe tres viri lecti, furtim conſuunt lembum taurinis byrſis, alimentum ſibi hebdomadatium ſupplent, eleuant dies per vela ſeptem totidemque noctes, aduehuntur in primna Cornuualias partes relicta claſſe non armis ductam nec copioſis ſcilicet lacertis, nutu potius ſed cuncta tuentis. *Aelfredum* adeunt regem Anglorum in quorum aduectum cum rege pariter ſinclitus ouat. Deinde Romam veſtigia legunt, vt ſoliti crebro Chriſti magiſtri petitum: mentes ab inde Hieroſolymis ire prætendunt. Protinus eorum migrat eminentior via vnus quippe frater cuſtodia cernit reliquias ſui compagi ſocii: nec non miracula quidem non minima facta breuiario in hoc fas eſſet prædicere tota. Namque alter domi vertitur, puluerem concutiens calo abſentiumq; infert nomina ſic. *Dufflan* primus, *Macbeathathq;* ſecundus, *Magilmumen* tertius, artibus frondens, littera doctus magiſter inſignis Scottorum. Etiam in eodem anno poſt Paſcha in ambitu letanias cometa apparuit ſtella, quam nonnulli exiſtimant ruſticanorum eſſe temporum ante fluentium omen: ſed in hoc ratio probatiſſima philoſophorum videtur cuius prædicta demon-
ann. 893. ſtrant futura ſicut in multis expertum eſt. Deinde poſt annum ex quo bella geſſere Barbari contra regem *Earnulfum*, quin Bononiam petunt ibiq; conſtruunt claſſem, primna dant ventis volant roſtra ad Anglicas partes, in limneo portu cōſtituunt puppes à Poldre

loco

loco condicto Orientali Cantiæ partem; deſtruuntq́ ibi priſco opere caſtrum, propter quod ruſtica manus exigua quippe intrinſecus erat. Illicq́; hiberna caſtra confirmant. In huius anni ſcilicet decurſu aduehitur claſſis non minima Hæſten in oras fluuii Tæmeſe, arcemq́; fundant in Cantiæ fines in cognominato Middeltune loco, caſtra metantur hieme tota ibi. Factuſque numerus tunc annorum à glorioſa natiuitate ſaluatoris nongenteſimus præter annis ſeptem. Paſchalique poſt anni illius eleuatur exercitus, qui de Gallias venerat partes, ſubſequendo latebras cuiuſdam immanis ſyluæ, quæ vulgo Andredeſuuda nuncupatur; protenſique ſunt Occidentales Anglos vſque: aſt peditentim adſitas prouincias vaſtant, id eſt, Hamtunſcire, & Beatruſcire: prænotataq́; ſunt hæc Clitonitum *Eadwerdi Elfredi* filii Regis iam fuerat exercitando per Notheas partes Anglorum. Sed poſt induuntur & Occidentales Anglos fit in occurſu minacibus ſtridens agmine denſo Fearnhamme loco: nec mora, contra inſiliunt facta iuuentus armis irrepti ſultant liberati rite Clitonis, aduentu veluti ſuetam aduectæ poſt prædam paſtoris ſuffultu paſcua bidentes: vulneratur ibi tyrannus, iuuantum Swalidas turmas tranſpellunt fluuium Temeſæ ad partes Boreæ. Interea tenentur obſeſſi Dani in Thornige inſula pali. Subſidium Clitoni præbuit rex *AEthered* Lundonia ſcilicet ab vrbe profectus. Obſecrant pacis Barbari iamque fœderiſque ſtatum, obſides dantur, adfirmant iure exire regno præfati Regis, actus & ſermo ſimul vna complentur. Denique partes proficiſcuntur in Anglorum eoas, ſub ſtatu illo manentis exercitus quippe in regimen quondam *Eadmundi* Sancti Regis eorumq́; naues circum volant ad eos de limneo portu ad Mereſige locum Cantiam velis ſecundum. In eiuſdem anni ergo ſtatuta abrumpitur Hæſten arduo cum manu à Beamfleote loco, per totaſque Merciorum partes populatur ſæuus, quo ad Brittannum fines venere, quibus dat ſubpetias exercitus adhærens tunc climate in eoo Northhymbri vſque modo eodem. *AEthelm* cum dux præclarus publice paratu equeſtri, nec non *AEthelnoth* duce vna Anglorum cum Occidentali inſequitur exercitu poſt. Adeſt quorum Rex *AEthered* Myrciorum ſubſtans cum impetu magno. Iniiciunt bella alterna ſtat certamine plebium vtrarumque iuuentus, Angli tum victoriæ poſt obtinent locum. Geſta hæc quippe in Buttingtune prædicantur à priſcis. Præterea viſus cernitur inaptus, ſiquidem Danis confirmant iterati pacem, haud negant obſides, promittunt ſe ire regione ab illa. In eodem anno Danaa ſuda in Beamfleote loco experto nutu ab incolis ruit, annilem diuidunt inter ſe theſaurum. His ita geſtis *Sigefert* piraticus de Northimbriorum aduehitur ardua cum claſſe per litora vaſtat bis tempore in vno, vela poſt vertit ad proprias ſedes. Repletiſque annis duobus ex quo immenſa venerat à Bononia claſſis, arce conducta in Limnas oppido Anglorum. Ab occidentali profectus eſt parte tunc Anglorum *AEthelnoth* dux, adit in hoſtes Euoraca vrbe qui non parua territoria pandunt in Myrciorum regno loci in parte Occidentali Stanforda, hoc eſt inter fluenta amnis Weolod, & condenſo ſyluæ quæ vulgo Ceoftefne nuncupatur. Tranſeunte etiam anni vnius decurſu obiit & *Guthfrid* Rex Northymbriorum in natalicia Sancti BARTHOLOMÆI Apoſtoli Chriſti; cuius mauſoleatur Euoraca corpus in vrbe in Baſilica ſumma. Interea bis binis poſt annis, facta eſt diſcordia nimis & maxime, ex quo ſupradictus obierat Rex, inter Anglos, quæ tum manebant loca per Northhymbriorum fœtidus turmas. Denique in eodem anno magnanimus tranſiit de mundo *Aelfredus* Rex Saxonum, immobilis Occidentalium poſtis, vir iuſtitia plenus, acer in armis, ſermone doctus; diuinis quippe ſuper omnia documentis imbutus. Nam ex Latino rhetorico faſmate in propriam verterat linguam volumina, numero ignoto, ita varie, ita præopime, vt non tantum expertioribus, ſed & audientibus liber Boetii lachrymoſus quodammodo ſuſcitaretur motus. Septima namq́; die ante ſolennia ſanctorum omnium obierat anax, cuius requieſcit vrbe in Wintana corpus, in pace. Dic modo lector, Chriſte redemptor, animam eius ſalua.

ann. 894.

ann. 901.

DE REGIMINE EADWERDI REgis, & de bello eius.

CAP. IIII.

SVcceſſor equidem tum Monarchiæ *Eadwerdus* poſt filius ſupra memorati regis coronatur ipſe ſtemate regali à primatis electus Pentecoſtes in die, iam defluente ſiquidem annorum numero centeno, ex quo proauus continebat *Ecgbyrht* præſentia eius regna. In eodem anno ATHELBALD in Lundonia arce, præſulatum ſumpſit Euoracæ vrbis. Factuſque videtur numerus annorum ab aduentu Chriſti (humana ſumpta carne)

nongenteſimus pleniter ordo. Impletoq; poſt annorum bis ritu, bella parantur Holme in loco contra Orientalem quippe citius cladem poſt dies quinque feſta puerperæ ſanctę coniiciunt peltas, enſes vibrant, in vtraq; manu criſpatur haſtilis crebro, ibidemq; ruit *Sigewlf* dux Sighelmq;, tota pars Cantiæ nobilitatis pæne: nec non *Haric* Rex Barbarum ibi ſuſpenditur orco. Aſt duo Anglorum lanugine Clitones tenera, linquunt ibi auras ſuetas, ſub Acheronteas peregrinam temptant regionem vndas, habundanſque ſimul proceritas ex vtraque parte: Barbari namq; poſt exiſtunt victores, ſultandoque obtinent locum. Denique poſt triennium à conditione mundi tum tranſmeatus eſt numerus annorum ſex millia centum. Poſt triennium vero Archiepiſcopus *Plegmund* enceniauit in Wintonia vrbe arduam turrim, quæ tum nouiter fuerat ſita in honore genetricis Dei *Mariæ*. Pontifex præfatus in eiuſdem anni ſcilicet decurſu pro populo Romam quin eleemoſinam duxit, *Eadwardo* quoque pro Rege. Annum poſt vnum Barbari pactum rumpunt *Eadwardum* regem aduerſus, nec non contra *Aetheredum*, qui tum regebat Northymbrias partes, Myrciaſque: vaſtantur paſſim Myrciorum arua, à tempeſtate prędicta & penitus vſq; ad Afne fluenta, vbi inchoat Occidentalium terminus Anglorum, nec non Myrciorum. Deinde tranſuehuntur Occidentales in partes per fluuium Sefern, illicque vaſtarunt non minimas prædas. Aſt vbi pedem retraxere domi ouantes ſpoliis opimis, parte in Eoa fluuii Sefern etiam tranſmeabant pontem ordine litterato, qui vulgo Cantbricge nuncupatur: ſtatuta quippe acie tendebant repente obuio turmę ſimul Myrciorum Occidentaliumq;, inſiſtunt pugnæ, mora nec attenta, in Wodnesfelda campo Angli victoriæ obtinere numen, Danorumque fugatur exercitus, telo oppreſſus: facta hæc memorantur, quinta in die menſis Auguſti, ibidemque ruunt reges tres eorum turbine in eodem vel certamine dicere fas eſt, ſcilicet Healfdene, Eywysl quoq;, nec non *Igwar* relicta tyrannide tum ad aulam properauit inferni, maioreſq; natu eorum duces ac nobiles ſimul. Namq; poſt annum migrauit de mundo *Aethered* Myrciorum ſuperſtes, ſepultuſq; eſt in arce dicta Gleauceſtre, in pace. Biennii quippe tranſeunte ſtatu obiit *Athulf* in Northymbriis oris, qui tum præerat actori oppidi Bebbanburgh condicti. Etiam poſt annum aduehitur in oras claſſis Anglorum ardua nimis in ſtomio certe fluentibus Sæfern, nec graue bellum porrigitur ibi anno in eodem. Deniq; pars exercitus illius maior nec non Hyberniam petunt Britannidem olim à *Iulio* magno *Cæſare* vocatam. Interea poſt tempora anni vnius in die Dominico accidit natiuitas Chriſti. Factaq; eſt tranquillitas hyberni eiuſdem tanta, vt nec ante nec poſt quit memorare quiſpiam. Triennio poſt iam completo *Aethelfled* mundo demigrat, regia ſoror, tumulatur cuius corpus Gleauceſtri in arce. Nono etiam anno poſt tranſacto migrat & *Eadwerd* Rex Anglorum. Hic finis, hic nomen, nec non pertinacia ceſſit eiuſdem.

DE PRINCIPATV AETHESTANI *Regis, de bello quoq; & actibus eius.*

CAP. V.

ANno etiam in quo imperii functus fuerat *Stefos Aetheſtan* Rex robuſtiſſimus, tranſacti ſunt anni à glorioſa incarnatione Saluatoris noſtri DCCCC. ſupraque viginti & ſex. Igitur poſt annos tredecim facta eſt pugna immanis Barbaros contra in loco Brunandune, vnde & vulgo vſque ad præſens bellum prænominatur magnum: tum ſuperantur Barbaræ paſſim turbæ nec vltra dominari, poſt quos vltra pellit oceani oris, nec non colla ſubdunt Scoti pariterq; Picti vno ſolidantur Brittannidis arua, vndiq; pax, omniumque fœcundia rerum, nec vſque ad iſtas motus adhæſit ſine littora Anglorum fœderę claſſicus. Biennio poſt migrat de mundo rex venerandus *AEtheſtanus*.

DE REGIMINE EADMVNDI REGIS.

CAP. VI.

NAmque poſt illum *Eadmund* omiſſa ſucceſſit in regna. Poſt anni ergo ſeptimi curſum, *Wlſtan* Epiſcopus, duxq; Myrciorum expulerunt quoſdam deſertores, *Ragnald* videlicet, & *Anlaf* de Euoraca vrbe, præfatoque Regi in poteſtate ſubdunt. In eodem vero anno obiit & regina *Elfgyuu Eadmundi* Regis coniux, poſtque ſanctificatur, in cuius mauſoleo (cooperante Deo) vſque ad præſens innumeroſa equidem miracula fiunt in cœnobio, quod vulgo Sceftesbyrig nuncupatur. Reuolutione ſcilicet in eadem

obiit

obiit & Rex *Eadmundi* in ſolennia *Auguſtini* minoris, qui & apoſtolus Anglorum. Continuitq; regnum ſex annos & ſemis.

DE REGIMINE EADRED REGIS.

CAP. VII.

CVius ſucceſſor extitit *Eadred* in regnum, ſuus quippe frater; cui Northhymbrii ſubiiciuntur cuncti, nec non Scoti iuſiuranda confirmant, immutabilemque fidem. His ita prætextis, non tempore poſt longo in pace migrat & ipſe in natalitia beati Papæ CLEMENTIS atque martyris. Obtinuerat namque principatum annos per nouem & ſemis.

DE EADWIG REGE.

CAP. VIII.

QVin ſucceſſor eius *Eadwig* in Regnum, qui & præ nimia etenim pulchritudine *Pancali* ſortitus eſt nomen à vulgo ſecundi. Tenuit namque quadriennio per Regnum amandus.

DE PRINCIPATV EDGARI REGIS.

CAP. IX.

DEniq; *Eadgar* coronatur in regnum, rex admirabilis.

Annis ſextenis ſiquidem per regna meatus,
Biſq; dies numero tenuit minus obice ſeptem.
Arginæ hebdomadas gentis poſuere magiſtri:
Septimanas recitant poſt quas nunc voce Latini.
Tingite nunc calamo muſa propriumq; vocate
Carmen, & ignoto veſtri properate ſecundis.
Cum placido ſteterint fontes aperite poetam.
Fungitur interea regno poſt anax in arce,
Kim annis caſtrum à priſcis iam nomine dicta,
Nec bathum ab aliis non proferuentibus vndis.
Coſtis pentidies fuerat quam quondam honore,
Bradiſonus domino Moyſes ſacrarat amore.
Aduenit & populus pariter ſine nomine turmæ,
Quin etiam ferro ſyncipite raſi corona.

Porro à natiuitate Domini ſaluatoris tranſactus eſt tunc annorum numerus nongenteſimus & ſupra ſeptuageſimus adhærenſq; ternus.

Sibi proles Eadmundi *ſumma,*
Properate quidem, numero bis denis
Super augent nouem, ſeculi priſca
Recolligens mente, ingenia forſan
Addens & recenti temporis noua.
Ter monadis decem
Numero fluente, coronatur anax
Interea denis, ſex & ſupra
Regimen ſub ipſo
Contentum rite,
Stipulator paſſim, præſtiterat illi elementorum.
Poſtq; ſpiramen reddit authori
Telluris inſultus, mareſcens ab ea
Lumina cernit altitonantis,
Omiſſa tandem luce corrupta
Anglorum inſignis rex Eadgarus
A Cæſare quidem nominato menſe Iulio, vulgus vſitare ſolet,
Potius peſtis ſublimare ſollers viſum humanus,
Quam magis diuerſi ab alto cuncta cernenti, reddere vota

In curſu ogdoi tranſeunte diei
Auri largus exanime corpus relinquit
Monarchus Brittannum
Nobilis, ex ſtirpe frondens Saxonum,
Eadgarus *anax: namq́; ſermone Latino*
Fauſti contim nuncuparunt beatum.

FABII QVÆSTORIS PATRICII ETHELWARdi, fœliciter explicit liber Quartus.

DESCRIPTIO COMPILATA PER DOMINVM INGVLPHVM ABBAtem Monaſterii Croyland/ natione Anglicum, quondam Monachum Fontaniſſenſem, & ſic ingeſta.

CVM ego *Ingulphus* diuinæ pietatis patientia Abbas Monaſterii Croyland/ per officium mihi impoſitum rebus Eccleſiaſticis curam impendere compellor, primo mihi fore videtur opportunum, qui ſunt noſtri Monaſterii fundatores, ſcire, & benefactores; quo tempore fundatur, de quorum eleemoſynis victualia & cætera neceſſaria nobis miniſtrantur; ſed & quæ prædia aut poſſeſſiones ſinguli benefactores noſtri nobis in eleemoſynam contulerunt, vt & hic manifeſtum fiat tam vobis quam poſteris noſtris, pro quibus Dei miſericordiam implorare & efflagitare coarctamur. Sed quoniam perlongum eſſet in horum ſingulis immorari, prout materiæ tractatus vndique profert copiam, de his ſaltem, quæ nobis modernis ac etiam ſucceſſorum noſtrorum notitiæ magis neceſſaria in poſterum reperientur, ſub compendio tamen inſerere nullatenus differam, prout accepi per maturum conſilium tam fratrum meorum nunc reſidentium, à prædeceſſoribus ſuis veridica relatione informatorum, quam per ſollicitam inſpectionem memorandorum antiquorum, & cæterorum monumentorum viciſſim examinatorum; iuxta illud Pſalmiſtæ propheticum. *Quanta audiuimus & cognouimus, ea & patres noſtri nunciauerunt nobis.* Et item: *Exurgent filii, & narrabunt filiis ſuis, vt cognoſcatur à generatione in generationem.* Et alibi, *Quæcunq́; ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Vnde imprimis ſcribere diſpoſui de quorundam regum Merciorum progreſſu, nouiſſimis temporibus ad fidem catholicam conuerſorum. Et licet *Penda* fanaticus: & ipſius apud Mercios tamen Regis nomen, & regnum ſibi vſurpauit ſanctumque *Oſwaldum* regem tyrannica rabie martyrizauit; ſed & filios habuit Chriſtianæ religionis cultores deuotiſſimos, viz. *Peadam*, *Wulferun*, *Ethelredum*, *Merwaldum*, & *Mertellinnum*, filias vero *Kinenburgam* & *Kineſwitham*, ambas ſancta continentia præcellentes. Eiuſdem vero *Pendæ* hæretico furore diu agitati effrænis cupiditas idoneum finem meritis ſuis inuenit; quem Dei virtute ſancti *Oſwaldi* frater & ſucceſſor *Oſweius* extinxit, & ſic infernalium auxit numerum animarum. Cui *Peada* filius eius ſenior ſucceſſit in regnum. Iſte vero *Peada* Monaſterium de Medishamſted fundaſſe diſpoſuit, ſed præmatura morte præuentus feruorem ſuum fratri ſuo *Wulfero* ad regnum ſuccedenti, & *Saxulpho* viro præpotenti reliquit. Quod Monaſterium poſtmodum per eoſdem fundatum eſſe non eſt dubium, in anno ab incarnatione Domini noſtri *Ieſu Chriſti 664*. Idem vero *Wulferus 16.* annis regnauit, & in 17. anno obiit. Poſt cuius obitum *Ethelredus* frater eius ſuccedens ad regnum, regnauit 30. annis, & poſtea factus eſt Monachus in Bardinei/ Monaſterio. Cui ſucceſſit in regnum *Kenredus* filius *Wulferi*; & hic regnauit 4. annis, & in 5. anno regno relicto Romam peregre profectus eſt, ibique ad Apoſtolorum limina vitam finiuit. Poſt *Kenredum*, *Celredus*, filius *Ethelredi* quondam Regis, octo annis regnauit. Illis in temporibus *Cluto Ethelbaldus*, exul, pronepos *Pendæ* ex *Alwio* fratre, elegantis erat ſtaturæ, validus corpore, bellicoſus animo; ſed (quod multum dolendum eſt) corde nimium elatus erat, & lubricæ temeritatis ſectator immoderatus: & ob tanti facinoris culpam (vt credere fas eſt) multa perpeſſus eſt diſcrimina, nec non a regni gubernaculo repulſam ſuſtinuit prolixiorem. Quem ſupra nominatus

natus Rex *Celredus* huc & illuc valde perſequebatur: & inter dubia pericula, exinanitis viribus ſuis, & ſuorum, ad virum Dei *Guthlacum* confeſſorem ſuum (vt aſſolet) peruenit, vt vbi conſilium defecit humanum, diuinum acquireret; tribulationis ſuæ quærimoniam illi humiliter patefecit. Quem vt ſanctus Dei audiuit, blande conſolatus eſt, & velut diuini oraculi interpres, quæ ventura eſſent ſibi, ex ordine propalauit, promittendo ei generis ſui dominationem, inimicorum conculcationem, & populorum principatum. Nec quod iſta euenirent cum pugna, plaga, vel ſanguinis effuſione; ſed hæc omnia cum diuina potentia, & virtute ſe habiturum confideret. Et admonendo eum, dixit; *Agnoſce Dominum Deum tuum, & ſuper omnia time; ſanctam eccleſiam ſtudeas etiam venerari, mala ſcelerum tuorum frequenter deplora, propoſitumq́; bonæ vitæ conſtanter obſerua; & ſecurum Domini ſpera ſubſidium, ſi ante ipſum boni operis obtuleris meritum.* In quibus verbis & doctrina tunc refocillatus eſt in animo præfatus *Ethelbaldus*, vt abſq; mora in præſentia patris ſui *Guthlaci*, & aliorum tunc circumſtantium, quod corde concepit, ore promiſit, cum ſe ad regni gubernacula pacifica venire contingeret, religioſorum ibidem Monaſterium fundare inchoaret ad laudem Dei, & in memoriam præfati patris ſui *Guthlaci*. Quod poſtmodum efficaciter, & deuote impleuit. Sed interim poſt aliquanti temporis euolutionem præfatus exul *Ethelbaldus* in remotis adhuc latitans regionibus, audita ſancti viri morte, mœrens & lugens illuc aduenit: cui poſt lachrymas & longam orationem in proxima caſula vigilanti ſanctus apparuit, & eum conſolatus eſt, dicens, Confide fili, & noli contriſtari, quia Dominus per meam interceſſionem audiuit preces tuas, & ante præſentis anni curſum circularem, ſceptris regni dominaberis in fœlicitate longæuo dierum ſpatio fruiturus. Ille vero reſpondit, Domine, quod ſignum mihi erit, quod iſta ſic euenient? Et ſanctus, Craſtina die ante horam diei tertiam habitantibus in hac inſula Croylandiæ cibaria inſpirata dabuntur. Exin' ipſe omnia, quæ ſibi dicta erant, recordãs, & indubitata ſpe futura fore credebat. Nec fides illum fefellit, quia cuncta iuxta viri Dei vaticinium effectui mancipata perpendit. Defuncto igitur ac ſepulto Dei famulo *Guthlaco*, ſigna virtutum ac ſanitatum per inuocationem interceſſionis illius coruſcare frequenter cœperunt, vt in libro de vita ac miraculis eius clarius & luculento (prout de memorandis viris colligere potui) ſeriatim panduntur. Rex autem *Ethelbaldus*, vt beatum conſolatorem ſuum miraculis coruſcare comperiret, locum ſepulturæ eius gaudens & deuotus expetiit, & ea, quæ dicto viro Dei adhuc viuenti, iam regnum adeptus, ante promiſerat, plene perſoluit. Accerſito namq; quantocyus quodam famoſæ religionis monacho Eueshamenſi, nomine *Kenulpho*, vt ibi cœnobiũ aggregaret, ſibi & Deo ſeruientibus perenniter conceſſit, dedit & confirmauit, & ab omni reditu & conſuetudine ſeculari totam inſulam Croylandiæ omnino abſoluit, & inde chartam ſuam in præſentia epiſcoporum procerumq; regni ſui ſecuram ſtatuit, quæ ſequitur in hæc verba. *Ethelbaldus* diuina diſpenſatione rex Merciorum omnibus catholicę fidei cultoribus ſalutem perpetuam. Regi regum omnium & vniuerſorum creatorum magna cum exaltatione gratias ago, qui me vſq; ad præſens cunctis inuolutum ſceleribus patienter ſuſtinuit, miſericorditer attraxit, & ad ſui nominis agnitionem parumper erexit. Vnde Deo adhærere mihi bonum eſt, & in ipſo ponere ſpem meam. Sed quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Vt placeam coram eo in lumine viuentium; cum ſine ipſo nihil habemus, nihil ſumus, nihilq; valemus. Magna enim auiditate noſtræ ſalutis author, & vniuerſorum largitor acceptat noſtra minima, vt cauſam habeat retribuendi maxima, & infinita gaudia. Sectantes eius doctrinam per opera miſericordiæ, ſic conſolatur, dicens, *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Hinc eſt, quod cum dilecti confeſſoris mei *Guthlaci* anachoritæ deuoti inſtructus fuiſſem conſilio, precibus pulſatus gratanter in hunc modum acquieui. Ad perpetuam ſecuritatis memoriam hoc chirographo patenti dono trado & concedo omnipotenti Deo, beatæ *Mariæ*, & S. *Bartholomæo* de dominicis meis ad fundationem Monaſterii nigrorum Monachorum, ſub norma S. *Benedicti* Deo famulantium, totam inſulam Croylandiæ ad ſedem Abbatię ſeparatam, & ſeparaliter obtinendam, cum quatuor aquis interclusãm; videlicet cum aqua, quæ dicitur Schepishee/ verſus Orientem, & cum aqua, quæ vocatur Nene/ verſus Occidentem, & cũ aqua, quæ vocatur Southee/ verſus Auſtrum, & cum aqua vocata Aſendik/ verſus Aquilonem, vbi communis Sewera eſt inter Spaldeling & dictam inſulam. Et continet dicta inſula in longitudine quatuor leucas, & tres leucas in latitudine cum mariſcis adiacentibus verſus occidentem ex oppoſito eiuſdem inſulæ ex vtraque parte aquę de Weland: cuius vna pars verſus Boream, vocata Goggiſlond/ continet duas leucas in longitudine à põte de Croyland/ vbi fit ingreſſus ad inſulam vſq; ad Aſpath/ & vnam leucam in latitudine

ab aqua de Weland in Auſtrali parte vſque ad Apenholt / verſus Boream iuxta ripam; & habet per totam longitudinem æqualitatem latitudinis; & altera pars mariſci in Auſtrali parte aquæ de Weland continet in longitudine duas leucas à ponte de Croyland / vſque ad Southlake iuxta ripam ex oppoſito de Aſpath / & habet in latitudine duas leucas ab aqua de Weland vſque ad Fynſett iuxta aquam de Nene in Auſtrali parte eiuſdem mariſci, cum ſeparali piſcaria in aquis de Weland & Nene vſque ad ſupradictos vtriuſque mariſci limites, & in aquis omnibus ſupradictam inſulam ambientibus. Vnde quendam cœnobitam Eueshamenſem probatæ religionis virum, nomine *Kenulphum*, vt ſecum eiuſdem ordinis Monachos probatos ibidem congregaret, Abbatem conſtitui, præbens eis de theſauro meo ad ædificationem Monaſterii eiuſdem primo anno trecentas libras, legalis monetæ, & per decem annos proxime ſequentes quolibet anno centum libras, concedendo eiſdem licentiam ad villam ædificandam ibidem ſiue includendam, quantum ex iis duobus mariſcis verſus Occidentem dictis Monachis pro ſe & ſuis placuerit. Quare volo, quod prædicti Monachi habeant iſta dona mea cum omnibus appendiciis, libera & ſoluta ab omni onere ſeculari in perpetuam eleemoſynam meam, cum omni commodo, quod euenire aut extorqueri poterit infra dictos limites tam ſubter terram, quam ſupra, cum communa paſturæ pro omni genere animalium, omnibus ſeiſonis ibi, & hominibus ſuis, ſiue tenentibus ſuis ſecum ibidem moram facientibus ex vtraq; parte aquæ de Weland / viz. ex vna parte vſq; ad agrum de Medeshamſted / & ex altera parte vſque ad ędificia Spaldeling cũ omnibus libertatibus & liberis conſuetudinib, quas regia poteſtas liberius alicui eccleſiæ in regno meo contulerit temporibus retractis. Et diſtricte præcipio, quod ſi quis contra hoc meæ authoritatis teſtamentum aliquod machinari impedimentum præſumpſerit, quo minus pacifice poſſideant aliqua per me data & conceſſa, centum libras legalis monetæ theſauro meo perſoluet, nec non dictis monachis pro damnis & expenſis dignis ſatisfaciet. Deprecor omnes poſteros meos mihi ad regnum ſuccedentes, vt hanc pœnam & cenſuram meam ita obſeruent inuiolatam, ſicut voluerint recipere debitæ iuſtitiæ præmium, & euadere rapacitatis ſupplicium. Qui vero iſtam eleemoſynam meam prouexerit & defenſauerit, in ſorte electorum dei remuneretur ęternaliter. Firmatũ eſt hoc chirographum meum in anno ab incarnatione *Chriſti*, DCCXVI: quod & his probabilibus teſtibus ſanctæ crucis indicio ſubnotatur. ✠ Ego *Ethelbaldus* rex Merciorum gratuito conſenſu confirmaui. ✠ Ego *Brithwaldus* Dorobernenſis Archiepiſcopus ratificaui. ✠ Ego *Winfridus* Merciorum epiſcopus approbaui. ✠ Ego *Ingualdus* Londonienſis Epiſcopus mere conſenſi. ✠ Ego *Adwinus* Lichefeld. Epiſcopus adoptaui. ✠ Ego *Tobias* Roffenſis Epiſcopus collaudaui. ✠ Ego *Ethelredus* Abbas de Bardeney multum affectaui. ✠ Ego *Egbaldus* Abbas de Medeshamſted illud fieri deuote rogaui. ✠ Ego *Egga* Comes Lincoln. conſilium dedi. ✠ Ego *Leucitus* Comes Leuceſtriæ aſſenſum præbui. ✠ Ego *Saxulphus* filius *Saxulphi* Comitis corroboraui. ✠ Ego *Ingulphus* presbyter & humilis miniſter vocatus audiui. ✠ Ego *Ethelbaldus*, licet indignus, patientia tamen diuina regni Merciorum gero gubernacula, ſumma cum fiducia authori meo *Chriſto* redeo humiliter; de quo prophetice ſcribitur in Pſalmo, *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius:* eiuſdem pietati me totum ſubmitto, & ſanctæ matris Eccleſię precibus, beneficiis ſpiritualibus, commendo. Hinc quidam Poeta ſic dixit.

Ethelbaldus *ego rex ſub Domino ſuper Anglos*
Hanc Abbathiam conſtruo, Chriſte, *tibi.*
Inſula de Croyland / *vaſtum regis ſpeciale,*
Dicitur hac terra, quam tibi trado, Ieſu.
Hanc totam terram cum circumeuntibus vndis,
Quæ cladunt illam, do tibi ſumme Deus.
Inſuper argenti primo fabricantibus anno
Trecentas latomis annumerabo libras;
Annis inde decem dabo centum quolibet anno
Libras in latomos, qui ſteterint ad opus.
Kenulphus *Monachus profeſſus Eueshamienſis*
Abbas primus erit, huic ego trado locum.
Cunctaq; confirmo magnatum dona meorum,
Si dederint terras ſeu tenementa Deo.
Iſtum Kenulphum *ſi quis vexauerit Anglus,*
Rex condemno mihi cuncta catella ſua:

Inde meis Monachis de damnis omnibus vltra
Vſq; ſatisfaciat, carcere clauſus erit.
Adſunt ante Deum teſtes huius dationis
Anglorum proceres, pontificeſq; mei.
Sanctus Guthlacus *confeſſor & Anachorita*
Hic iacet, in cuius auribus iſta loquor.
Oret pro nobis ſanctiſſimus iſte ſacerdos,
Ad tumbam cuius hac mea dona dedi.

Et quia paluſtris huius Croyland (vt ipſum nomen indicat, nam crudam terram & cœnoſam ſignificat) lapideam molem ſuſtinere non poterat, præfatus rex ingentes palos quercinos & alcinos innumeræ multitudinis humi defigi fecit, duramque terram nouem milliariis per aquam de Vplanda, id eſt, de ſuperiori terra, ſcaphis deferri, & paludibus commiſceri iuſſit: & ſic lapideam, quia ſanctus *Guthlacus* prius oratorio contentus erat ligneo, baſilicam cœpit & conſummauit, cœnobium condidit, ornamentis & fundis, aliiſque diuitiis locum illum ditauit, eundemque locum in tota vita ſua tenerrime dilexit. Nec vnquam poſt primam fundationem, quam idem Rex ſtatuit & fecit, monaſterium Croyland religioſorum inhabitatione Monachorum caruit vſq; in diem hodiernum. Etiam in eadem inſula illis in temporibus nonnulli vitam heremiticam ducentes, qui viro Dei ſancta familiaritate, quoad vixit, adhærentes, tanquam infirmi ad medicum, in eius informatione & exemplo frequentem carpebant animæ ſalutem. Ex quibus vnus nouiter erat ad fidem catholicam conuerſus, nobilitate generoſus, quondam præpotens in mundialibus, nomine *Ciſſa*, qui relictis omnibus ſequutus eſt Dominum ſuum *Chriſtum.* Alius erat *Bettellinus* ſeruus, præfati patris familiariſſimus. Tertius erat *Egbertus*, ſecretorum eius præ cæteris conſcius. Quartus erat *Tatwinus*, ad eandem inſulam quondam ductor eius & nauclerus. Qui omnes in ſingulis caſulis non longe ab oratorio Sancti patris *Guthlaci*, de licentia ſupra memorati *Kenulphi* Abbatis, vſque ad vitæ terminum ſeparatas manſiones habuerunt. Sancta vero *Pega*, ſoror præfati ſancti patris noſtri *Guthlaci* cito poſt primi anni reuolutionem ab obitu eiuſdem, relicto prius ibidem in manibus *Kenulphi* Abbatis flagello S. *Bartholomæi*, & pſalterio fratris ſui, cum nonnullis aliis reliquiis, ad cellam ſuam nauigio remeauit, ab oratorio prænominati fratris ſui per quatuor leucas in Occidentali plaga diſtantem. Vbi completo biennio, & tribus menſibus in lugubri lamentatione, ad Apoſtolorum *Petri & Pauli* limina in frigore & abſtinentia multa peregre profecta eſt. Cumq; ciuitatem Romanam ingrederetur, omnium ſignorum claſſicum repentinum perſonans, per ſpatium vnius horæ ſanctitatis eius meritum vniuerſis ciuibus indicauit; vbi diuino ſeruitio mancipata, in timore Domini dies ſuos demum compleuit; ac eius ſacro corpore terræ illic inter multa alia Romana ſtatuaria commendato, ſpiritus eius de præſentis vitæ labore ad æternam requiem aſcendit. Prædictus vero Rex *Ethelbaldus* perfecto, ac plene conſummato Monaſterio ſuo Croyland/ ad promouendam ſanctam Eccleſiam vbique per regnum ſuum, & ad alia etiam religioſorum virorum ac mulierum cœnobia dignitatibus ac priuilegiis emancipanda iugiter animo intendebat. Vnde pro libertate Eccleſiaſtica per ſuum regnum roboranda, tertio anno regni ſui tale ſtatutum legitur edidiſſe. Cum plerumque contingere ſoleat pro incerta temporum viciſſitudine, vt ea, quæ multarum & fidelium perſonarum teſtimonio, conſilioq; roborata fuerunt, per contumaciam plurimorum, & machinamenta ſimulationis fraudulentæ, & ſine vlla conſideratione rationis in animarum ſuarum periculoſi diſſipentur, niſi authoritate literarum, & teſtimonio chirographorum in perpetuam memoriam fuerint conſignata: Quapropter ego *Ethelbaldus* rex Merciorum pro amore cœleſtis patriæ, & pro redemptione animæ meæ, ſtatuendum eſſe prouidi, vt eam per bona opera liberam efficerem ab omni vinculo delictorum. Dum.n. mihi omnipotens per miſericordiam clementiæ ſuæ abſq; vllo antecedente merito ſceptra regni largitus eſt, ideo libenter ex eo, q̄ dedit, retribuo. Huius rei gratia hanc donationem meā me viuente concedo, vt omnia monaſteria & eccleſiæ regni mei à publicis vectigalibus, operibus, & oneribus abſoluantur, niſi in inſtructionibus Archium vel pontium, quæ nunq̄ vlli poſſunt laxari. Præterea habeant famuli Dei propriam libertatem in proficuo ſyluarum, in fructu agrorum, in captura piſciū: nec munuſcula præbeant regi, vel principibus, niſi voluntaria; ſed liberi Domino ſeruiant in contemplatione pacifica per totū regnum meum vſq; in æuum. Cumq; p̄dictus rex *Ethelbaldus* 40. & vno annis regnaſſet iuxta propheciā ſancti patris *Guthlaci*, bello minus prouide inito ſuper *Seggeſwold*, à *Bernredo* tyrannno extitit interēptus. *Bernredus*

vero tyrannus non diu tanta tyrannide gloriatus, eodem anno periit. *Ethelbaldusq́;* Rex apud Ripadium, id eſt, Ripedune/ tunc temporis celeberrimum monaſterium tumulatus, regnum Merciorum nepoti patruelis ſui, viz. *Offa* filio *Dignferti*, filii *Anulphi*, filii *Oſmodi*, filii *Loppa*, filii *Pibba* patris regis *Penda*, conſentientibus totius Merciæ proceribus, reliquit. Iſte *Offa* regnauit annis 40. & fundauit Monaſterium nigrorum Monachorum in Verolamia ciuitate, ad honorem Dei, & protomartyris Anglorum, ſcilicet S. *Albani*: ac ſatis deuotus vbiq; ad ſanctos Dei, & virorum religioſorum precibus ſemper accliuis, domino *Patricio* Abbate Croylandiæ, qui *Kenulpho* primo eius Abbati ſucceſſerat, ſupplicante, Monaſterium ſuum Croylandiæ per chartam ſuam confirmauit in his verbis. *Offa* Rex Merciorum omnibus per vniuerſum regnum Merciæ Philochriſtis ſalutem perpetuam. Indeſinenter recolens, quod breues dies hominis ſunt, & in hac paucitate dierum noſtrorum, quæcunq; ſeminauerit homo, hæc & metet; cupio per vitæ meæ præſentis ſancta opera mereari mihi, & metere in futuro præmia ſempiterna. Ideoque *Patricium* abbatem Croylandiæ, ac monachos ſuos ibidem Deo ſeruientes, & ſeruos ſuos vniuerſos, ipſumque locum Croyland/ & omnia, quæ ſunt, accipio in manum meam, & tanquam fratres meos monachos de ſancto *Albano*, liberos & ſolutos eſſe ab omni onere ſeculari, & quietos vbiq; per regnum meum ab omnibus vectigalibus haberi præcipio: & confirmo eiſdem prædictum monaſterium ſuum, cum omnibus poſſeſſionibus ſuis, ac aliis rebus, quaſcunque cognatus meus, quondam inclytus Rex *Ethelbaldus* fundator dicti monaſterii contulerat eiſdem, & quæcunq; proceres ſui vel mei poſtea contulerunt, ſeu conferent in futurum, vel quæcunq; fideles *Chriſti* dicto monaſterio Croylandiæ conferent in æternum. Iſtud chirographum anno incarnationis Domini noſtri *Ieſu Chriſti* ſeptingenteſimo nonageſimo tertio ego *Offa* Rex Merciorum conceſſi & confirmaui. ✠ Ego *Edbelardus* Archiepiſcopus Doroberniens. conſenſi. ✠ Ego *Egbaldus* Epiſcopus Winchester ſubſcripſi. ✠ Ego *Aldredus* Epiſcopus Dorcaſiſtrenſ. ſubnotaui. ✠ Ego *Aldulphus* Epiſcopus Lichfeld collaudaui. ✠ Ego *Benna* Abbas de Medishamsted corroboraui. ✠ Ego *Ceolburga* abbatiſſa de Berdea aſpiraui. ✠ Ego *Heaberichthus* Comes ad imperium Domini mei Regis conſignaui. ✠ Ego *T. Iserus* presbyter Domini mei Regis *Offa* ad eius præceptum hoc chirographum manu mea ſcripſi. Porro proximo anno ſequente, prædicto regi *Offa* 4. Kalendas Auguſti defuncto, filius eius *Egbertus* in regni gloriam ſucceſſit, & 141. diebus regnauit, morboque correptus obiit. Cui vir magnificus, & ſancta ſobole fœlix *Kenulphus* ſucceſſor, in pace, pietate ac iuſtitia per 26. annos regni gubernacula glorioſiſſime ſuſtentauit. Ad Abbatiæ vero Croylandienſis Monaſterii officium paſtorale poſt *Kenulphum* primum eius Abbatem, ſucceſſit præfatus *Patricius*: at illi tempore prædicti *Kenulphi* Regis, tertius dicti monaſterii abbas nomine *Siwardus*, qui Regi *Kenulpho* carne propinquus, & multa religione confeſſor familiariſſimus, ex munificentia regia duodecimo anno regni ſui chartam huiuſmodi impetrauit. *Kenulphus* Dei miſericordia rex Merciorum, omnibus mediterraneis Anglis per vniuerſam Merciam fidem confidentibus Chriſtianam, pacem perfectam, ſempiternamq́; ſalutem. Omnes & ſinguli ſcitote, quia Dominus ſanctum ſuum mirificauit ſignis celeberrimis & præclaris prodigiis beatiſſimum *Chriſti* confeſſorem *Guthlacum*, in monaſterio Croylandenſi corporaliter quieſcentem, & nouis ac innumeris miraculis, prout ego ac regina mea in noſtra peregrinatione nuper oculis noſtris vidimus, quotidie clarius ad totius mundi notitiam coruſcantem. Vnde ad ſupplicationem religioſiſſimi viri & ſpiritualis patris ac conſiliarii noſtri domini *Siwardi* Abbatis dicti monaſterii, conſulente idem ac commouente venerabili patre Domino *Wilfredo* Archiepiſcopo Doroberniens. tunc noſtræ peregrinationis comite, dictum Monaſterium Croylandiæ in tota inſula adiacente, ſicut in charta quondam Regis Ethelbaldi fundatoris ſui per limites eſt diſtincta, Monachos etiam eiuſdem monaſterii, & conuerſos, ac ſeruos vniuerſos in cuſtodiam capio meæ protectionis. Inſuper peregrinos omnes illuc cauſa deuotionis accedentes, & cum ſigno Sancti *Guthlaci* in ſuis capuciis, vel capellis recedentes, liberos & ſolutos ab omni paſſagio, & telonio, vbicunq; venerint per totum regnum Merciæ perenniter eſſe volo. Sed & eleemoſynam quam *Thoroldus* vicecomes Lincoln. dedit dictis monachis in Bokenhale; item eleemoſynam quam *Geolphus* filius *Malti* dedit illis in Halington; item eleemoſynam quam *Exegiſtus* miles validiſſimus, quondam magiſter meus, dedit illis in Langtoft; & eleemoſynam quam *Algarus* miles etiam dudum meus dedit illis in Baston/ & in Repingale/ Deo ac Sancto *Guthlaco*, dictoque monaſterio, ac monachis in eo Deo ſeruientibus in perpetuã poſſeſſionem concedo, confero, & confirmo. Anno incarnationis Chriſti octingenteſimo ſexto iſtud chirographum ego *Kenulphus* Merciorũ rex ſigno ſanctæ crucis cõſignaui.

✠ Ego

✠ Ego *Wilfredus* Archiepiſcopus Dorobern.fieri conſului. ✠ Ego *Kineuertus* Epiſcopus Wincheſter ſubnotaui. ✠ Ego *Worwona* Epiſcopus Leiceſtrenſ.conſenſi. ✠ Ego *Celredus* Abbas de Wedeshamſted / germanus frater Domini *Siwardi* Abbatis, multum procuraui. ✠ Ego *Enthredus* Rex Cantuariorum ad Imperium Domini mei Regis *Kenulphi* aſſenſum dedi. ✠ Ego *Celwal* frater Domini Regis *Kenulphi* approbaui. ✠ Ego *Algarus* miniſter affui. ✠ Ego *Sigga* presbyter, præcipiente Domino meo Rege *Kenulpho*, hoc chirographum, manu mea ſcriptum in pręſentia dictorum venerabilium patrum & dominorum meorum, præfato venerabili domino *Siwardo* Abbati Croilandiæ commendaui. Anno *Chriſti* Domini DCCC decimo nono, iſte inclytus Rex Merciorum *Kenulphus*, exactis in regno 26. annis, poſt multa bona opera, quæ in vita ſua tam Sancte quam ſtrenue geſſerat, huius temporalis vitæ cum omnium dolore finem fecit; & Wincheltumbę monaſterio nigrorum monachorum, quod à fundamentis conſtruxerat, corpus traditur ſepulturæ, ſed fœlix anima cœleſtia regna petiuit. Filium ſuum ſanctum *Kenelmum* puerum ſeptennem regni reliquit hæredem, qui dolo germanæ ſuæ *Quendredæ* (tanta ambitione ad regni ſceptrum mulier ſceleratiſſima aſpirabat) paucis menſibus a patris obitu deuolutis, in quadam ſylua, qua ſpatiatum adueſperaſcente die ductus erat, ab *Aſceberto* nutritore ſuo puer innocentiſſimus crudeliſſime martyrizatus eſt; & diuino demum miraculo radio lucis immenſæ tota nocte ſuper corpus martyris rutilante repertus eſt, & ad Wincheltumbam iuxta patris ſui mauſoleum celebri traditur ſepulturæ. Poſt cuius martyrium, *Ceolwolphus* patruus eius, frater *Kenulphi* Regis, in regnum Merciorum ſucceſſit, qui regnauit anno vno: & ſecundo anno regni ſui a *Bernulpho* quodam fatuoſo, & diuitiis ac potentia pollenti, in nulloq; lineam regalem contingente expulſus eſt. *Bernulphus* vero tertio anno regni ab *Egberto* Rege Weſtſaxonum bello victus eſt & fugatus; & in Orientales Anglos, qui prece pretioq; in illum commouerant Weſtſaxones, vecordiam ſuam vindicare molitus exercitum duxit, qui mox ab iiſdem aperto bello ſuperatus & occiſus eſt. Cui ſucceſſit in regnum *Ludicanus* propinquus ſuus, qui cũ biennio regnaſſet, & mortem *Bernulphi*, in Orientales Anglos ducto exercitu, vindicare pararet, ab iiſdem oppreſſus & occiſus eſt. Sublatis ergo in breui tyrannis, qui contra fas purpuram induerent, & regno vehementer oppreſſo, totam militiam eius, quæ quondam plurima extiterat, & victorioſiſſima, ſua imprudentia perdiderant: omnium conſenſu *Witlaſius* dux Merciorũ; cuius filius *Wimundus Alfledam* filiam *Celwolfi* quondam Regis nobiliſſimi duxerat in vxorem, in regem leuatus eſt, & 13. annis regnauit, ſub ditione tamen & tributo *Egberti* Regis Weſtſaxonum. Mox enim vt rex factus eſt, & antequam exercitum poterat colligere, à ducibus *Egberti* per totam Merciam quæſitus, induſtria Domini *Siwardi* Abbatis quatuor menſium ſpatio in cella ſanctiſſimæ virginis *Etheldritha*, (*Offæ* quondam Regis Merciorum filiæ, Sponſæ Sancti Martyris Ethelberti quondam Regis Eſtangliæ, in cuius nomine iam ſedes Epiſcopalis Harfordiæ dedicatur, ſed tunc pro CHRISTI ſponſi ſui amore in Auſtrali parte Eccleſiæ Croylandenſis contra magnum altare in quadam parte cellæ recluſæ) nullo alio conſcio abſcondebatur, tutaſq; latebras illic agens, quouſq; mediante dicto Abbate venerabili *Siwardo* cum dicto rege Weſtſaxonum concordatus eſt, & promiſſa tributi annualis penſione, ad regnum redire pacifice permiſſus. Vnde poſtmodum chartam huiuſmodi pulcherrima priuilegia continentem dicto monaſterio Croylandiæ fecit in his verbis. *Witlaſius* diſpoſitione diuina Rex Merciorum omnibus Chriſticolis vniuerſam Merciam inhabitantibus ſalutem ſempiternam. Magnalia Dei prædicare & publicare minime mihi verecundum, ſed vere videtur honorificum & glorioſum: vnde aperte confiteor Domino, qui in altis habitat, humilia reſpiciens in cœlo & in terra, quoniam ad tempus iratus eſt mihi, conuerſus eſt furor ſuus, & conſolatus eſt me, humilians in ira ſua peccatorem vſq; ad terram, detrahens vſq; ad puluerem, & iterum in miſericordia ſua ſuſcitans de puluere egenum, & de ſtercore erigens pauperem, vt ſedeam cum principibus & ſolium gloriæ teneam. In die igitur bonorum ne immemor ſim malorum; memor ero *Rahab* & Babylonis ſcientium me, non *Rahab* meretricis, ſed *Etheldrithæ* ſanctiſſimæ virginis, cognatæ meæ, pro ſponſi ſui agni immaculati amore Croylandię recluſę, & in tempore tribulationis meę me in cella ſua quatuor mẽſium ſpatio diligentiſſime abſcondentis à facie inimici & perſequentis: memor etiam ero Babylonis, non turris confuſionis, ſed ſanctiſſimæ Eccleſiæ Croylandenſis, quæ terra turris ad cœlum aſcendens vigiliis & orationibus, pſalmis & lectionibus, diſciplinis & afflictionibus, lachrymis & ſingultibus, eleemoſynis & innumeris aliis deuotionibus pietatiſq; operibus, pro ſeculo peccatore fortiſſimam violentiam regno cœlorum ingerit die ac nocte. Itaq; quoniam venerabilis pater Dominus *Siwardus* Abbas Croylandiæ prote-

xit me in tabernaculo ſuo in die malorum, celans ac ſaluans à facie tribulantis: vltra priuilegia meorum anteceſſorum regum Merciorum, qui prædictum monaſterium variis libertatibus & donariis nobiliter illuſtrarunt, offero & ego magno altari prædicti Monaſterii de paupertate mea calicem aureum, crucem auream, & tabulam capellæ propriæ laminis aureis deauratam, me profitens dictæ Eccleſię perpetuum pro viribus defenſorem. Inſuper præcipio omnibus miniſtris meis per vniuerſam Merciam conſtitutis, quod Abbati Croylandiæ, Monachis, & omnibus fratribus illius ſanctiſſimi Monaſterii, cum ad ciuitates & caſtella regia pro quocunq; negotio acceſſerint, tanquam *Wimundo* filio meo, vel mihi obediant in omnibus & miniſtrent, nihil pro expenſis, quas ipſi, vel ſui fecerint ibidem, ab iis accipientes, ſed cum litera vel ſigno dictorum Monachorum Arcarius meus omnes expenſas huiuſmodi, cũ dicti miniſtri mei annumerauerint, pro fiſco integre acceptabit. Volo etiam & præcipio, quod quicunq; in regno meo pro quocunq; delicto reus inuentus & legibus obnoxius fuerit, ſi fugerit ad dictum Monaſterium, & coram Abbate dicti Monaſterii, qui pro tempore fuerit, gratiam ſanctiſſimi confeſſoris *Guthlaci* ibidem corporaliter quieſcentis inuocans, fidelitatem ei & ſeruitium iurauerit ſempiternum; ſaluus & ſecurus protectione Abbatis & Monachorum ſuorum, in quocunque ſeruitio per totam inſulam Croylandiæ ipſum poſuerint, ſicut in aſylo, vel in camera mea propria pace mea & impunitate gaudeat, nulluſque miniſtrorum meorum vltra illum inſequi audeat, nec in aliquo moleſtare, ſub pœna perditionis dextri ſui pedis, quicunque in meo regno iſtud meum priuilegium tentauerit in aliquo violare. Licebitq; dicto fugitiuo in quibuſque aquis, quæ dictam inſulam ambiunt, nauigare & piſcari, ac aliter, quocunq; modo à dominis ſuis aſſignatus fuerit, laborare abſque miniſtrorum meorum, vel alicuius alterius calumnia vel grauamine. Quod ſi extra dictas aquas vel metas dicti Monaſterii captus aliquando fuerit, pœnam, quam quondam meruit, ſiue mortem, ſiue membrorum ſuorum mutilationem, ſi miniſtri mei, vel quicunque ſui aduerſarii per iuramẽtum ſex hominum fide dignorum probare poterunt quod extra metas ſuas inuentus fuerit, abſq; vlla gratia ſuſtinebit. Dictas vero metas Monaſterij Croyland in quinque eius aquas prædictas tam miniſtris meis, quam Abbati & Monachis ſuis pro ſuis dictis fugitiuis deſcribi feci & notari. Dictæ namque aquæ vocantur iſtis nominibus: videlicet Schepiſhee ad Orientem, in cuius ripa Occidentali crux lignea ſtat vetuſta, & diſtat ab ipſa aqua per decem pedes, æqualiter poſita in medio inter duos angulos eiuſdem inſulæ, ſcilicet Aſwictoft/ qui eſt angulus & meta dictæ inſulæ contra vulturnum, & Tedwarſer/ qui eſt angulus & meta dictæ inſulæ contra ſubſolanum. Secunda aqua, quæ claudit dictam inſulam ad Auſtrum vocatur Southee/ in cuius ripa eſt poſita crux lapidea diſtans à Namanlandhirne per 5. perticatas, & a Southee per ſex perticatas, vbi Southee intrat in aquã de Nene/ quæ currit ad pontem de Croyland: ſed metæ fugitiuorum in illa parte diriguntur in mariſcum occidentale per * Einſet contra Africum, & ſic vſq; ad Folwardſta-

al. Einſet. king contra Corum, & ſic diuertendo ad Boream, vbi Southlake intrat in aquam de Weland/ ex oppoſito lapideæ crucis, quæ ſtat in Boreali ripa dictæ aquæ de Weland/ diſtans ab ipſa aqua per 5. pedes, quæ currit inde ad prædictũ pontem de Croyland: ſed metæ fugitiuorum ab illa cruce diriguntur in mariſcũ Boreale directe vſq; ad Oggot/ qui eſt angulus metarum contra Fauonium, & ſic redeundo verſus Orientem per Wodelade vſque ad Apinholt/ & ibi aſcendendo per aquam de Weland/ quæ eſt quarta aqua claudens inſulã in illa parte, ſicut tertia aqua de Nene claudit eã ex altera parte pontis de Croyland/ vſque ad Seweram de Aſendike cadentis in Weland, vbi ſtans fracta crux lapidea diſtat ab ipſa aqua de Aſendike per tres perticatas in eius ripa Auſtrali, & ipſa aqua de Aſendike eſt quinta aqua claudens ab illo loco inſulam prædictam, contra Aquilonem vſque ad Aſwictoft. Si extra iſtas 5. aquas & metas prænotatas fugitiuus inuentus fuerit, tanquam *Semei* extra Ieruſalem publicis legibus ſubiiciendus, pœnam, quam meruit, patietur. Quod ſi infra prædictas metas, & prædictarum aquarum ripas exteriores homicidium, furtum, vel aliam forisfacturam fecerit, per baliuos dicti Monaſterii capiendus, iuxta demerita in ipſa inſula, cuius immunitatem perdidit, patietur, & ibidem iudicandus in carcere Abbatis condemnabitur. Et vt iſtud meum priuilegium firmius & fortius ad poſteros perſeueret, per dominum meum *Egbertum* regem Weſtſaxoniæ, & *Athelwolphum* filium eius illud obtinui confirmari. Offero etiam ſecretario dicti monaſterii in miniſterium ſanctiſſimi altaris chlamydem coccineam, qua indutus eram in coronatione mea, ad capam inde ſiue caſulam faciendam, & in Eccleſiæ ſanctiſſimum ornamentũ, velum meum aureũ, quo inſuitur excidium Troiæ, in meo anniuerſario (ſi placuerit) in parietibus ſuſpendendum. Offero etiam Refectorario dicti Monaſterii ad vſum præſidẽ-

tis quotidie in refectorio ſcyphum meum deauratum, & per totam partem exteriorem barbaris vinitoribus ad dracones pugnantibus cælatum, quem crucibolum meum ſolitus ſum vocare, quia ſignum crucis per tranſuerſum ſcyphi imprimitur interius, cum quatuor angulis ſimili impreſſione protuberantibus; & cornu menſæ meæ, vt ſenes Monaſterii bibant inde in feſtis ſanctorum, & in ſuis benedictionibus meminerint aliquando animæ donatoris *Witlaſii*. Confirmo etiam dicto Monaſterio omnes terras & tenementa, poſſeſſiones, & earum peculia, & omnia alia donaria, quæ prædeceſſores mei reges Merciorum, & eorum proceres, vel alii fideles Chriſtiani, ſiue Iudæi dictis monachis dederunt, vendiderunt, vel inuadiauerunt, aut aliquo alio modo in perpetuam poſſeſſionem tradiderunt: & ſpecialiter donum *Thoroldi* quondam vicecomis Lincoln. in Bokenhale/ videlicet duas carucatas terræ & dimidiam, & viginti ſex acras prati, & quinquaginta acras ſyluæ de Brugh. Item donum *Geolphi* filii *Maltæ* in Halington/ viz. 4. bouatas terræ de * Juland/ & 10. bouatas in ſeruitio, & 24. acras prati in Gernthorp. Item donum *Fregiſti* militis, viz. totam villam de Langtoft/ & in campis eiuſdem villæ 6. carucatas terræ arabilis, habentes in longitudine 5. quarentenas, & 9. quarentenas in latitudine, & 100. acras prati; & ſyluam & mariſcum duarum leucarum in longitudine, & duarum leucarum in latitudine. Et Eccleſiam eiuſdem villæ, & 40. acras de eodem feodo in campo de Deping. Item donum *Algari* militis, ſcilicet Northland in Baſton/ viz. 4. carucatas terræ arabilis, continentes in longitudine 8. quarentenas, & octo quarentenas in latitudine, & 4 . acras prati, & mariſcum continens in longitudine 16. quarentenas, & 8. quarentenas in latitudine, & Eccleſiam eiuſdem villæ, & vnum molendinum, & dimidium alterius molendini, & totam piſcariam in aqua à molendino verſus occidentem vſque ad finem eiuſdem mariſci verſus Orientem. Item donum eiuſdem *Algari* militis in Repingale/ viz. 3. carucatas terræ arabilis, & 40. acras prati. Item donum Normanni quondam vicecomitis in Sutton iuxta Boſworth / duas carucatas terræ, & vnum molendinum ventricium. Item donum eiuſdem Normanni in Stapleton/ viz. manerium & duas carucatas terræ. Item donum eiuſdem in Badby/ viz. 4. hidas terræ cum appendiciis. Item donum domini *Algari* comitis in Holbecke/ & in Cappelade/ viz. 4. carucatas, & 6. bouatas, & 18. acras prati, & mariſcum. Item donum eiuſdem in villa ſua de Spalding/ viz. 3. carucatas terræ, & vnam bouatam, & 26. acras prati, & quatuor ſalinas cum Eccleſia eiuſdem villæ. Item donum *Oſwii* militis in Draitona, viz. & hidas terræ, & quatuor virgatas, & Eccleſiam eiuſdem villæ. Item donum *Asketelli* coci mei in Glapthorn / viz. tres virgatas terræ. Item donum *Wulgeti* pincernæ mei, viz. 3. virgatas terræ in Pickirk. Item donum nuncii mei in Lanthorp/ vnam bouatam terræ. Item donum *Siwardi* vicecomitis in Kirkby / 3. bouatas terræ, vnam manſionem & tria cotagia. Et in Standona donum *Sigburgæ* comitiſſæ, 5. hidas terræ. Et donum *Wulnoti* dapiferi mei in Adingtona, viz. duas hidas terræ, & piſcariam cum aduocatione eccleſiæ eiuſdem villæ, & in alia Adingtona ex dono eiuſdem vnam virgatam terræ. Iſtas terras & tenementa prædicto monaſterio Croylandiæ & monachis ibidem Deo ſeruientibus in pacificam & perpetuam poſſeſſionem concedo, trado, & confirmo, habenda de me & hæredibus meis quibuſcunq; regibus Merciorum poſt me ſucceſſuris, in perpetuam & puram eleemoſynam libere, quiete, & ſolute ab omnibus oneribus ſecularibus, exactionis, & vectigalibus vniuerſis, quocunque nomine cenſeantur. Quod ſi quis aduerſarius, inſtigante diabolo, in quibuſcunque prædictis terris aut tenementis tot regum ſpatio pacifice poſſeſſis, & eorum authoritate confirmatis, calumniam ponere voluerit in futurum, me & ſucceſſores meos reges Merciorum profiteor præſenti chirographo & polliceor, dicti monaſterii futuros in perpetuū defenſores. Iſtud chirographum domino *Sigwardo* Abbati patri meo, & *Etheldrithæ* ſanctiſſimæ virgini, pro *Chriſti* amore ibidem recluſæ, carne quidem cognatæ meæ, ſed (quod magis eſt) in *Chriſto* chariſſimæ ſorori, quondam promiſſum in præſentia dominorū meorum *Egberti* regis Weſtſaxoniæ & *Athelwulphi* filii eius, coram pontificibus & proceribus maioribus totius Angliæ, in ciuitate Lundonia (vbi omnes congregati ſumus pro conſilio capiendo contra Danicos piratas littora Angliæ aſſiduæ infeſtantes) ſigno Sanctæ crucis cōfirmaui. ✠ Ego *Celnothus* archiepiſcopus Dorobornienſis conſului. ✠ Ego *Eubaldus* archiepiſcopus Eboracenſis conſignaui. ✠ Ego *Oſmundus* Lundonienſis Epiſcopus collaudaui. ✠ Ego *Helmſtanus* Epiſcopus Wintonienſ. aſſenſum præbui. ✠ Ego *Herewinus* Epiſcopus Lichfeldenſis conſenſi. ✠ Ego *Cedda* Herefordenſis Epiſcopus aſpiraui. ✠ Ego *Adelſtanus* Schireburnenſis Epiſcopus procuraui. ✠ Ego *Humbrithus* Helmati epiſcopus approbaui. ✠ Ego *Wilredus* Dommocenſis Epiſcopus annui ✠ Ego *Herferdus* Wigorn. epiſcopus gratum habui. ✠ Ego *Godwinus* Roffen. epiſcopus faui. ✠ Ego *Hedda* abbas de Me-

Margin notes: * al. Lulād. — al. Eregiſti.

Deohamſted ratificaui. ✠ Ego *Ambertus* Abbas Ripadii interfui. ✠ Ego *Kineuinus* Abbas de Bardiney aſtiti. ✠ Ego *Egbertus* Rex Weſtſaxoniæ conceſſi. ✠ Ego *Adelwlphus* filius Regis Weſtſaxoniæ conſenſum dedi. ✠ Ego *Wulhardus* dux affui. ✠ Ego *Athelinus* dux audiui. ✠ Ego *Herenbrithus* dux acceptaui. ✠ Ego *Swithinus* presbyter Regis Egberti præſens fui. ✠ Ego *Boſa* ſcriba Regis *Withlaſii* manu mea chirographum iſtud ſcripſi. ✠ Ego *Withlaſius* Domini noſtri *Ieſu Chriſti* gratia Rex Merciorum ad Sanctæ matris Eccleſiæ honorem, & diuini cultus exaltationem, anno incarnationis eiuſdem noſtri Saluatoris octingenteſimo triceſimo tertio in feſto Sancti *Auguſtini* confeſſoris, doctoris, & Apoſtoli noſtræ gentis, hæc pauca offero, pluraque offerrem, quin corpus meum in morte mea tam Sancto Monaſterio promitterem, niſi antea ſepulturam meam Ripadio deuouiſſem. Veruntamen ſpiritus meus permanebit vobiſcum in æternum. Perſeuerauit iſte Rex *Withlaſius* conſtantiſſime vſq; ad mortem ſuam in amore, quem ad Monaſterium Croylandenſe conceperat, ita vt omni anno vitæ ſuæ ſaltem ſemel feretrum Sancti *Guthlaci* cum multa compunctione viſitaret, & aliquod pretioſum notabileq; iocale offerret. Et cum obitum ſanctiſſimæ virginis *Etheldrithæ* primitus intellexit, tanto dolore conſternatus eſt, vt longo tempore lecto decumbentem omnes ſui iam morti proximum formidarent. Tandem, fauente Dei gratia, conualeſcens aliqualiter, & ad ſepulchrum eius accedens (tumulata namq; fuerat ad caput ſancti viri Tatwini, quondam Sancti Patris Guthlaci in dictam inſulam ductoris & naucleri) quaſi extaſim paſſus, tot lachrymas, recuperato ſpiritu, ſuper tumulum fudit, tanquam vxorem, & filium aut totam familiam ſubito infortunio perdidiſſet, donec dominus *Siwardus* (quem, vt patrem ſuum, ſemper tenerrime venerabatur) ſeuerius eum corripiens, inuitum & renitentem de tumulo ad cameram ſuam adduxit. Non multo poſt *Wimundum* filium ſuum longa dyſenteria defunctum ad latus virginis dextrum tumulauit. Vxorem etiam *Celfredam* conſequenter infra vnius anni ſpatium decedentem, ad latus ſiniſtrum eiuſdem virginis regio apparatu, lachrymiſq; irremediabilibus ſepeliuit. Ipſe vero 13. anno regni ſui mortuus eſt, & (vt antea vouerat) Ripadio Monaſterio ſepultus. Cui ſucceſſit in regnum *Bertulphus* frater ſuus, regnauitq; ſimiliter 13. annos, *Athelwlphi* Regis Weſtſaxoniæ tributarius: ſed non more, nec amore fratris ſui *Withlaſii* Regis ſanctos Dei, neq; Croylandiam amplexatus. *Berfertus* namq; filius ſuus in ſancta vigilia Pentecoſtes, conſenſu patris ſui *Bertulphi*, cognatum ſuum S. *Weſtanum*, filium *Wimundi* filii Regis *Withlaſii* & *Alfledæ* filiæ *Ceolwlphi* quōdam Regis (tanta ferebatur ad regnandum ambitione!) crudeliter ac impie interfecit. Corpus innocentiſſimi martyris tunc Ripadio delatum, iuxta *Withlaſium* auum ſuū humatum, poſterioribus annis per fidelium deuotionem ad Eueshamium eſt translatū. *Bertulphus* vero pater deprædator Monaſteriorum, etiam tranſiens per Croylandiam, quæcunque frater ſuus *Withlaſius*, vel alii Reges Merciorum iocalia plurima in ſanctæ Eccleſiæ ornamentum larga manu contulerant, omnia vna cum tota pecunia, quam in Monaſterio inuenire potuit, ſceleratiſſime diripuit, & conducens inde milites, cum bellum contra Danos, qui circa Lundonias debacchabantur, iniret, ab iiſdem Paganis ſuperatus & fugatus eſt. In recompenſationem tamen aliqualem pecuniæ direptæ, huiuſmodi chartam plurima priuilegia continentem fecit Croylandiæ de terris ſuis, & libertatibus in his verbis. *Bertulphus* rex Merciorum venerabili patri domino *Siwardo* Abbati Croylandiæ omnibuſq; fratribus ſuis Monachis eiuſdem Monaſterii præſentibus & futuris ſalutem in domino ſempiternam. Gratias debitas vobis omnibus digniſſime reddo pro pecunia, qua me per vos dudum prætereuntem, in mea maxima indigentia, contra Paganorum violentiam gratiſſimo & liberaliſſimo animo refouiſtis. Quo tempore quia de iniurioſis damnis vobis per quoſdam viros aduerſarios malitioſe nimium illatis, mihi grauiter conqueſti eſtis, qui nequiter inſidiantes in exterioribus ripis aquarum veſtrarum, ſi dictas ripas aſcenderent in piſcando qui de fugitiuis ſerui veſtri ſunt effecti, & pari modo multotiens cuſtodientes mariſcorum veſtrorum, ſi forte oues & boues aut cætera animalia veſtra longius errantia reuocare dicti ſerui veſtri excederent, & eoſdem ſeruos veſtros extra veſtrā inſulam inuentos, velut impunitatis ſuę violatores, publicis legibus ſubiicerent & damnarent, ſicq; neceſſe fuit frequentiſſime vel dictos ſeruos veſtros in manus hoſtium ſuorum incidere & perire, vel eorum labores ad iuſtum commodum veſtrum non procedere: Propoſita ergo tali querela veſtra per fratrem *Askillum* commonachum veſtrū palam coram prælatis & proceribus totius regni mei Merciæ apud Beningdon vltimo congregatis, omnibus tenerrime compatientibus ſuper eiuſmodi vobis illatis iniuriis, ad honorē dei & ſanctæ matris eccleſiæ releuationem, conſiderantibus etiam & collaudantibus vniuerſis ꝓtectionē ſanctiſſimę religionis veſtrę, ꝓ maiore pace & quiete veſtri ſacri monaſterii cō-

plan

placuit priuilegia domini *Withlaſij* regis fratris, & prædeceſſoris mei de impunitate vobis cõceſſa declarare & dilatare in eleemoſynam animæ meæ, declarataq; ac dilatata meo chirographo confirmare. Quapropter præcepi *Radboto* vicedomino Lincoln. cæteriſque miniſtris meis in illa parte conſtitutis, inſulam veſtram Croylandię, ac terminos mariſcorum veſtrorum circumire & deſcribere, mihiq;, & cõcilio meo, vbicunq; in vltimo Paſchæ fuiſſemus, fideliter & lucide demonſtrare: qui iuſſa complentes, iſtis nominibus inſulæ veſtræ mariſcorumq; veſtrorum circuitum mihi, & concilio meo, ſanctum paſcha noſtrum tunc apud Kingeſbury tenentibus aperte deſcriptum obtulerunt. Claudit enim inſulam veſtram de Croyland ad eius Orientem (prout antiquitus per eam dotauit monaſterium veſtrum inclytus quondam rex Merciæ *Ethelbaldus* fundator veſter, & cæteri reges Merciorum ſui ſucceſſores ſuis chirographis confirmauerunt) ab Aſwiktofthirne vſque ad Tedwarthar aqua de Schepiſhee/ habens dictam inſulam in parte ſua Occidentali, & mariſcum de Cappelade in parte ſua Orientali: & de Tedwarthar vſque ad Namanſlandhirne claudit eam aqua de Sowthee/ habens dictam inſulam in parte ſua Boreali, & ſyluam de Ancarig in parte ſua Auſtrali: & de Namanſlandhirne vſque ad pontem de Croyland claudit eam aqua de Nene/ habens dictam inſulam in parte ſua Orientali, & mariſcum veſtrum dictum Aderlound in parte ſua Occidentali: & de ponte de Croyland vſque ad Wodeladmouth claudit eam aqua de Weland/ habens dictam inſulam in parte ſua Orientali, & mariſcum veſtrum dictum Goggiſlound in parte ſua Occidentali: & de Wodeladmouth vſque ad communem Seweram de Aſenbik claudit eam prædicta aqua de Weland/ habens dictam inſulam in parte ſua Auſtrali, & mariſcum de Spadeling in parte ſua Boreali: & de prædicta Sewera vſque ad Aſwiktoft claudit eam prædicta aqua de Aſendik/ habens dictam inſulam in parte ſua Auſtrali, & mariſcos de Spadeling/ Weſton/ & Multon in parte ſua Boreali. Mariſcorum vero veſtrorum, iacentium ex oppoſito inſulæ veſtræ de Croyland ad eius occidentem, limites & termini, per eoſdem miniſtros meos deſcripti, nominibus iſtis mihi ſunt oblati: viz. de Namanſlandhirne vſque ad Finſet/ & inde vſque ad * Groines/ & inde vſque ad Folwardſtaking/ & inde verſus Boream vſque ad Weland/ vbi Southlake intrat in Weland/ & ſic tranſeundo ipſam aquam de Weland/ & aſcendendo ad Aſpath/ & inde verſus Boream vſque ad Werwerslake/ & ſic per Harinholt/ vſque ad Mengarlake/ & inde vſque ad Oggot ſiue Dedmanſtake/ & ſic per Apinholt & Woodelak/ verſus Orientem vſque ad Wodeladmouth/ qui eſt terminus inſulæ veſtræ in illa parte contra Boream ſicut Namanſlandhirne eſt terminus inſulæ veſtræ contra Auſtrum. Communia etiam paſturæ omnium animalium veſtrorum protenditur vltra dictos terminos mariſcorum veſtrorum verſus Auſtrum vſque ad agrum monachorum de Medeſhamſteed/ & verſus Occidentem vſque ad agrum monachorum eccleſiæ ſanctæ *Pegæ* in Auſtrali mariſco de Weland/ & in Boreali mariſco protenditur verſus Occidentem vſque ad ædificia de Deping/ & verſus Boream vſque ad ædificia de Spaldeling omnibus anni temporibus, prout à fundatione Monaſterij veſtri hactenus omnia prætacta pacifice poſſediſtis. Pro ſeruis ergo veſtris, quos de fugitiuis ſiue piſcatores, ſiue paſtores vobis facietis, cum communi conſilio totius regni mei concedo ſancto monaſterio veſtro vltra exteriores ripas quinque agrorum claudentium inſulam veſtram 20. pedes in latitudine ab ipſa aqua, vbicunque aſcenderint ad retia ſua extrahenda, aut ad alia ſua neceſſaria in terra ſolida peragenda. Similiter quocunque protenditur animalium veſtrorum communia in prædictis mariſcis, illuc extenditur etiam fugitiuorum veſtrorum licentia, vt ſi forte in agros contiguos ex tempeſtate, vel alio infortunio, vel latrocinio abducta fuerint; conſentientibus omnibus prælatis & proceribus meis, concedo ipſis fugitiuis veſtris, quod ſicut alij liberi homines, animalia veſtra prædicta perſequantur, & meliori modo, quo poterunt, repetant & reducant, & quaſi in eccleſia ſua eſſent, pace mea & impunitate per totam viam ſuam gaudeant: ſubque mutilatione membri magis neceſſarij nullus eos audeat moleſtare, vel in aliquo cõtrariari. Inſuper pro dicti *Withlaſij* quondam regis fratris & prædeceſſoris mei, proque redemptione meorum peccatorum, cum communi conſilio gratuitoq; conſenſu omnium magnatum regni mei concedo Deo, & beatiſſimo cõfeſſori ſuo S. *Guthlaco*, ſacratiſſimoq; monaſterio veſtro Croylandiæ, quod per totum regnum meũ Merciæ Abbas, monachus, conuerſuſue ſacri monaſterij veſtri, qui nunc eſtis, vel qui vobis ſuccedent in futurum poſt vos, ibidem Domino ſeruituri, pro quocunq; negotio proceſſerint, de dictis fugitiuis viæ ſuæ famulos licenter ſibi faciant & producant; inq; præſentia dicti Abbatis monachi, vel cõuerſi vbiq; per regnũ meum, ſicut in eccleſia ſua Croyland/ ſalui permaneant & ſecuri, ac ab omni periculo * immunes penitus & indemnes, ſub mutilatione mẽbri magis dilecti,

al. Greines

al. impunes

ſi quis iſtud priuilegium meum attentauerit in aliquo temere violare. Quod ſi extra prædictos 20. pedes in ripis exterioribus aquarum veſtrarum, aut extra villata, quæ communia vobiſcum vendicant in Occidẽtalibus mariſcis veſtris,* ex vtraq; parte aquæ de Weland, aut alibi, vobis abſentibus, abſq; viatica litera Abbatis loci veſtri talis fugitiuus repertus fuerit, iuxta demerita legali ſupplicio ſubiacebit.

al. extraq; partem

Declaratis namq; terminis tam inſulæ veſtræ, quam mariſcorum veſtrorum, declaratis etiam ad honorem Dei priuilegiis domini *Withlafii*, ac aliorum regum Merciæ, prædeceſſorum meorum, vobis magnifice cõceſſis, complacuit vnanimiter mihi ac vniuerſo cõcilio veſtra omnia loca mei authoritate regii chirographi confirmare. Cõfirmo ergo vobis, & ſucceſſoribus veſtris regulam S. *Benedicti* ſub habitu veſtro tam nũc profeſſis, quam poſt vos profeſſuris, principalem veſtram Eccleſiam Croylandiæ, in qua venerandæ reliquiæ ſanctiſſimi *Christi* confeſſoris, & patroni veſtri beati *Guthlaci* corporaliter tumulati, vltimam reſurrectionem fœliciter expectant; totamq; inſulam adiacentem, prout per terminos ſuos ſuperius declaratos miniſtrorum meorum diligentia ſufficientiſſime eſt deſcripta, in ſedem ſeparalem Abbatiæ veſtræ, in ſitum ſpecialem Monaſterii veſtri, & in veſtrum plenum dominium ſingulariter & perpetuo poſſidendum, vna cum duobus mariſcis iacentibus ad eius occidentem, viz. Alderlound in Auſtrali parte aquæ de Weland, & Gogaiſlound in eiuſdem aquæ parte Boreali, per terminos ſimiliter ſuperius declaratos. Hęc eſt hęreditas Domini, dos Eccleſiæ *Christi*, ſolum S. *Mariæ* & beati *Bartholomæi* Apoſtoli, S. *Guthlaci* monachorũq; ſuorum ſanctuarium ſacratiſſimum, & monaſterium ab omni terreno ſeruitio liberrimum, illuſtriſſimorum regum eleemoſyna ſpecialis, & in omni tribulatione vniuerſis locus refugii ſingularis, manſio ſanctorum perpetua, & poſſeſſio viris religioſis communi regni conſilio * ſpecialiter appropriata, proq; frequentibus miraculis ſanctiſſimi confeſſoris inter vineas Engaddi balſami mater ſemper fertilis, & regũ priuilegiis Boſor in ſolitudine, omnibus pœnitentibus ciuitas gratiæ & ſalutis.

al. ſeparaliter

Si quis ſacrarium hoc violauerit, vel in aliquo vexauerit, vindicabit in illum dextra mea, & hęredes mei, quicunq; poſt me fuerint huius regni Merciç perẽniter ſceptrigeri ſucceſſores. Cõfirmo ẽt Deo & S. *Guthlaco*, ſacroq; monaſterio veſtro, de dono * *Fregisti* quondam militis domini *Kenulphi* regis, Eccleſiam de Langtoft, & in campis eiuſdem villæ 6. carucatas terræ habentes in longitudine 15. quarentenas, & 9. quarẽtenas in latitudine, & 100. acras prati, & ſyluam & mariſcum duarum leucarum in longitudine, & duarum leucarum in latitudine, & 40. acras de eodem feodo in campis de Deping.

al. Eregiſti

Confirmo etiam Deo & S. *Guthlaco*, ſacroq; monaſterio veſtro de dono *Algari* militis filii, Northlang, Eccleſiam de Tetford in capella S. *Iohannis* Euangeliſtæ de Baſton, & in eadem parochia quatuor carucatas terræ cõtinentes in longitudine octo quarentenas, & 8. quarentenas in latitudine, & 40. acras prati, & mariſcum cõtinentem in longitudine 16. quarentenas, & octo quarentenas in latitudine, & vnum molendinum, & dimidium alterius molendini, & totam piſcariam in aqua, ſicut circuit pratum veſtrum verſus orientem; & de dono eiuſdem *Algari* militis in Repingale 3. carucatas terræ, & 40. acras prati. Confirmo etiam Deo & S. *Guthlaco*, ſacroque monaſterio veſtro de Croyland ex dono *Algari* Comitis patri iunioris *Algari*, qui nunc eſt Eccleſiam de Capelade, cum capella S. *Iohannis Baptiſtæ* in eadem villa, & in campis tam de Holbeth, quam de Capelade quatuor carucatas terræ arabilis, & 6. bouatas, & 18. acras prati, & mariſcum 2. mille acrarum, & mariſcum 3. mille acrarum : & de dono eiuſdem *Algari* Comitis ſenioris ligneam capellam S. *Mariæ* per Spaldeling, quæ Anglice * Stokkim appellata, ſita eſt in Orientali parte fluminis eiuſdem villæ; & in campis tam de Pinchbek, quam de Spaldeling, quatuor carucatas terræ, & totam piſcariam prædicti fluminis à ponte quæ ducit de cœmeterio prædictæ capellæ S. *Mariæ* ad cœmeterium lapideæ capellæ S. *Nicholai*, & Anglice Stomin appellatæ, quæ ſita eſt in Occidentali ripa, in manerio prædicti Comitis *Algari*, qui dedit ipſam piſcationem a prædicto ponte vſque ad Seweram de Aſendik Deo & ſancto *Guthlaco* de Croyland, pro anniuerſario die patris ſui omnibus annis in veſtro monaſterio ſolenniter celebrando.

al. Stockim

Confirmo etiam Deo & ſancto *Guthlaco*, ſacroq; monaſterio veſtro de dono eiuſdem Comitis *Algari* ſenioris Eccleſiam de Sutterton, & tam in campis de Algarkirk, quam de Sutterton 3. carucatas terræ arabilis, & duodecim bouatas, & 26. acras prati, & 4. ſalinas. Et de dono *Oſwij* Militis in Drayton 8 hidas terræ, & 4. virgatas. Confirmo etiam Deo & ſancto *Guthlaco*, ſacroq; Monaſterio veſtro de dono *Asketelli* 3. virgatas terræ in Glapthorne. Et de dono *Wulgeti* 3. virgatas terræ in Peickirk. Et de dono *Edulphi* de Laithorpe vnam bouatam terræ. Et de dono *Siwardi* vicedomini in Kirkby 3. bouatas terræ, vnam manſionem, & 3. cotagia. Et de dono *Sigburgæ* comitiſſæ in Staundon 5. hidas terræ. Et de dono *Wulnoti* in Addington duas hidas

terræ,

terræ, cum aduocatione Eccleſiæ eiuſdem villæ, & in alia Addington de dono eiuſdem vnam virgatam terræ. Confirmo etiam Deo & ſancto *Guthlaco* ſacroque monaſterio veſtro de dono *Thoroldi* vicedomini Lincolnienſis in Bukenhale duas carucatas terræ & dimidiam, & viginti ſex acras prati, & quinquaginta acras ſyluæ de Bruſſhe. Confirmo etiam Deo, & ſancto *Guthlaco*, ſacroque monaſterio veſtro de dono *Geolphi* filii *Malti* in Halington quatuor bouatas terrę de Iulando, & decem bouatas in ſeruitio, & triginta tres acras prati in Gernthorpe de eodem feodo. Hæc omnia ſupradicta, Eccleſias, capellas, terras, tenementa, paſturas, piſcationes, maneria, manſiones, molēdina, merſca, & mariſcos, libera & ſoluta ab omni ſeruitio ſeculari & onere terreno concedo vobis & ſucceſſoribus veſtris in perpetuum: & præſenti meo chirographo confirmo in regiam eleemoſynam meam pro anima domini *Withlaſij* quondam regis, fratris & prædeceſſoris mei, & pro animabus omnium progenitorum, parentum, & amicorum meorum. Et emancipo ab omni debito regis, & omnis alterius domini, & hominis, cuiuſcunque fuerit dignitatis, excellentiæ, vel honoris, vt nihil à modo de veſtri ſacri monaſterii Croyl. monachis literatis, aut laicis ſeruis, aut tenentibus veſtris exigere poterunt præter orationes veſtras & beneficia ſpiritualia, quo gratiam beatiſſimi confeſſoris *Chriſti* ſancti *Guthlaci* apud vos corporaliter quieſcentis in noſtris adipiſci neceſſitatibus iugiter mereamur. Cum ergo vnanimi cōſenſu totius præſentis concilii hic apud Kingeſbury anno incarnationis Chriſti Domini octingenteſimo quinquageſimo primo, feria ſexta, in hebdomada paſchæ, pro regni negotiis congregati, iſtud meum regium chirographum ſanctæ crucis ſigno ſtabiliter & immutabiliter confirmaui. ✠. Ego *Ceolnothus* Archiepiſcopus Dorobern. ſanus & incolumis tam mente quam membris manu mea conſignaui. ✠ Ego *Swithulphus* Londonienſis Epiſcopus, in meipſo expertus gratiam Dei, & ſanctiſſimi confeſſoris ſui *Guthlaci*, humili deuotione ad iuſſionem domini mei regis iſtud chirographum dictaui, & inter cæteros dominos Epiſcopos in ordine meo ſubſcripſi. ✠. Ego *Swithunus* Wintonienſis Epiſcopus, gaudens & lætus quoties aliquibus miraculis piiſſimus Dominus lætificat ciuitatem ſuam ſanctam matrem noſtram Eccleſiam, huic regis chirographo ſubnotaui. ✠. Ego *Elſtanus* Schireburnenſis Epiſcopus, deuotus & perpetuus debitor ſancti *Guthlaci*, priuilegio ſanctæ Eccleſiæ ſuæ congratulans, ſignum feci. ✠. Ego *Orkenwaldus* Lichfelden. Epiſcopus, hilaris ac alacer in cunctis ſanctæ Eccleſiæ proſperis ſucceſſibus, prompto animo collaudaui. ✠. Ego *Rethunus* Legerecenſis Epiſcopus, filius ac famulus ſancti *Guthlaci* quam diu vixero, gratanter procuraui. ✠. Ego *Godwinus* Roffenſis Epiſcopus honorem Dei per hoc chirographum ardenter affectaui. ✠. Ego *Wulfardus* Abbas Eueshamen. approbaui. ✠. Ego *Liuingus* Abbas Wincheltumbæ commendaui. ✠. Ego *Hedda* Abbas de Medeſhamſted diligenter procuraui. ✠. Ego *Enulphus* dux conſenſi. ✠. Ego *Oſrithus* dux conſului. ✠. Ego *Serto* Comes conſenſum præbui. ✠. Ego *Elberus* Comes annui. ✠. Ego *Huda* Comes aſſenſum dedi. ✠. Ego *Oſlac* pincerna regis *Ethelwulphi*, & legatus ipſius domini mei, & filiorum ſuorum, nomine illorum & omnium Weſtſaxonum iſtud chirographum domini *Bertulphi* regis plurimum commendaui. ✠. Ego *Bertulphus* rex Merciorum palam omnibus prælatis & proceribus regni mei diuinam deprecor maieſtatem, quatenus per interceſſionem ſanctiſſimi confeſſoris ſui ſancti *Guthlaci*, omniumque ſanctorum ſuorum dimittat mihi & omni populo meo peccata noſtra: & ſicut per aperta miracula ſua nobis oſtendere dignatus eſt miſericordiam ſuam, ſic ſuper paganos hoſtes ſuos dare nobis dignetur in omni certamine victoriam, & poſt præſentis vitæ fragilem curſum in cōſortio ſanctorum ſuorum gloriam ſempiternam. Amen.

Fecit Deus in iſto concilio ad honorem ſanctiſſimi confeſſoris ſui Guthlaci *celeberrimum miraculum, quo deuotio totius terræ ad peregrinationem peragendam Croylandiæ iam plus ſolito tepidam deinceps fieret frequentiſſima, & per omnes vias ab omnibus prouinciis redderetur quotidie rediuiua. Cum enim totam Angliam contereret hoc anno quidam morbus, quaſi paralyſis, neruis hominum, mulierum, ac infantum frigore repentino & exceſſiuo (venis durius orientibus, nullo præualente pannorum remedio) repercuſſis, ac maxime brachiis ac manibus hominum inutilibus factis & totaliter arefactis, quem quidem morbum præiens quaſi nuncius eius certiſſimus dolor intolerabilis membrum ſic ægrotans præoccupauit: contigit in hoc concilio plures tam maiores quam minores dicto incommodo laborare. Cumq́; regni negotia proponerentur, dominus* Ceolnothus, *Archiepiſcopus Doroborn. qui dicto morbo vexabatur, aperte conſuluit, diuina negotia debere primitus proponi, & ſic humana negotia,* Chriſti *ſuffragante gratia, finem proſperum poſſe ſortiri. Aſſentientibuſq́; vniuerſis, cum dominus* Siwardus *Abbas quæreretur, eo quod in conciliis & ſynodis pro magna facundia ſua & religione ſancta quaſi diuinus interpres multis iā annis extiterat, & innumerabiliū negotiorū totius*

al. Askitellum.

cleri gratioſiſſimus expoſitor ac promotor, ac pro nimia ſenectute non adeſſet, quin per fratrem * Askillum commonachum ſuum ſuam abſentiam longi ſenis ſui grauitate humillima litera excuſaret: ipſemet rex Bertulphus querelæ Eccleſiæ Croyland. reminiſcens, coram concilio iniurias domino Siwardo Abbati, ac Monaſterio ſuo Croylandiæ aduerſariorum ſuorum fatuo furore ſæpius illatas patenter expoſuit, & vt remedium apponeretur, decerni communi conſilio imperauit. Cum ergo iſtud negotium in medio verſaretur, & petitio domini Siwardi Abbatis ſuper hoc per prædictum fratrem Askillum propoſita, de manu ad manum prælatorum ac procerum totius concilii cucurriſſet, aliusq; aliud conſuleret, dominus Ceolnothus Doroborn. Archiepiſc. alta voce de morbo ſuo ſe ſanum & & incolumem exclamauit meritis ſanctiſſimi confeſſoris Chriſti beatiſſimi Guthlaci, cuius negotia tunc in manibus tractabantur. Exclamant item plures alii potentiſſimi in dicto concilio tam pontifices, quam magnates, ſe dicto morbo laboraſſe, ſed iam per Dei gratiam, & ſanctiſſimi Guthlaci merita nihil doloris ex prædicto incommodo in membris aliquibus ſe ſentire. Omnesque ad viſitandum ſacratiſſimam tumbam ſanctiſſimi Guthlaci Croyland deuota peregrinatione, quam citius poterant, voto mox arctiſſimo ſuas conſcientias aſtrinxerunt. Quapropter dominus rex *Bertulphus* Epiſcopo Londonienſis præcepit (qui tunc optimus notarius habebatur, & dictator eloquentiſſimus, inſuper dicto morbo contactus, iam ſe ſanatum maximo gaudio prædicabat) priuilegium Croyland in manus aſſumere, & medicum ſuum ſanctum *Guthlacum* chirographo ſuo, prout concilium ſtatueret, inſiſteret honorare. Quod & factum eſt. Ideo in ſubſcriptionib. regii chirographi Archiepiſcopus Doroborn. *Ceolnothus* ſe ſanum & incolumem confitetur. Sanctus *Swithinus* Epiſcopus Winton. de Domini miraculis lætatur. *Alſtanus* Sciteburnen. & *Orckenwaldus* Lichenfelden. Epiſcopi de profectibus Eccleſiæ gratulantur. Et *Rethunus* Legerecenſis Epiſcopus ſe ſancto *Guthlaco* famulum, quoad viueret, pollicetur. Vniuerſique concilii optimates affectu ardentiſſimo regiæ beneuolentiæ penes ſanctum *Guthl.* in omnibus obſequuntur. Confluentibus itaque quotidie de tota terra populis innumeris languidorum ad ſacratiſſimam ſancti *Guthlaci* tumbam, & deuotione debita per merita ſanctiſſimi confeſſoris diuinam gratiam implorantibus, Dominoque aperiente vniuerſis fontem largiſſimum miſericordiæ ſalutaris, ita vt vna die aliquoties vltra centum huiuſmodi paralytici curarentur: ditatus eſt Abbas *Siwardus* ſupra modum, & vehementer magnus effectus, in tantum, vt, qui cum beato *Iob* infima paupertate probatus erat, & ex omni monaſterii ſui theſauri etiam ad quadrantẽm vltimum ſpoliatus, quia maledixit minime diebus ſuis, nec aliquid ſtultum locutus contra Dominum, ſed ſemper illæſam patientiam conſeruauit, cœpit (largiente Domino) bonis omnibus abundare, vt tam in theſauris ac ſcauris, quam in terris ac tenementis ei pro primis amiſſis duplicia poſtmodum redderentur, fieretq; ſenectus eius multo fertilior, & in duplo fœlicior, quam iuuentus. Acceſſit ad proſperitatem ſenii ſui, quod inclytus rex Weſtſaxonum *Ethelwulphus*, cum de Roma, vt limina Apoſtolorum *Petri & Pauli*, ac ſanctiſſimum ipſum *Leonem* multa deuotione vna cum iuniore filio ſuo *Alfredo* peregre viſitauerat, nouiter reuertiſſet, omnium prælatorum ac principum ſuorum, qui ſub ipſo variis prouinciis totius Angliæ præerant, gratuito conſenſo tunc primo cum decimis omnium terrarum, ac bonorum aliorum ſiue catallorum vniuerſam dotauerat Eccl. Anglicanam per ſuum regiũ chirographũ confectum inde in hunc modũ. Regnãte Domino noſtro in perpetuũ, dum in noſtris temporibus bellorum incendia, & direptiones opum noſtrarũ, nec non & vaſtantium crudeliſſimas hoſtium deprædationes barbararum paganarumq; nationũ, multiplices tribulationes ad affligendum nos pro peccatis noſtris vſq; ad internecionẽ, tempora cernimus incumbere periculoſa: quamobrem ego *Ethelwulphus* rex Weſtſaxonum cum conſilio Epiſcoporum ac principum meorum conſilium ſalubre atq; vniforme remedium affirmantes, conſenſimus, vt aliquam portionem terrarum hereditariam antea poſſidentibus omnibus gradibus, ſiue famulis & famulabus Dei Deo ſeruientibus, ſiue laicis miſeris ſemper decimam manſionem, vbi minimũ ſit, tum decimam partẽ omnium bonorum in libertatem perpetuã donari ſanctæ Eccleſiæ diiudicaui, vt ſit tuta & munita ab omnibus ſecularibus ſeruitutibus, imo regalibus tributis maioribus, & minoribus, ſiue taxationibus, quæ nos dicimus Winterden, ſicq; libera omnium rerum remiſſione animarũ & peccatorum noſtrorum ad ſeruiendum Deo ſoli, ſine expeditione, & pontis extructione, & arcis munitione, vt eo diligentius pro nobis ad Deũ ſine ceſſatione preces fundant, quo eorum ſeruitutem in aliqua parte leuigamus. Acta ſunt hæc apud Wintoniam in Eccleſia *S. Petri*, anno Dominicæ incarnationis 855. indictione 3. Nonas Nouemb. ante maius altare pro honore glorioſæ virginis, & Dei genetricis *Mariæ*, ſanctique *Michaelis* Archangeli, & beati *Petri* Apoſtolorum principis, nec non & beati patris noſtri *Gregorii* papæ, præſentibus & ſubſcribentibus Archiepiſcopis & Epiſcopis Angliæ vniuerſis, nec

non

non *Beorredo* rege Merciæ, & *Edmundo* Eſtanglorum rege, Abbatum, & Abbatiſſarum, Ducum, Comitum, procerumq́; totius terræ, aliorumq́; fidelium infinita multitudine, qui omnes regium chirographum laudauerunt, dignitates vero ſua nomina ſubſcripſerunt. Rex vero *Ethelwulphus* pro firmitate ampliore obtulit hanc chartulam ſcriptam ſuper altare ſancti *Petri* Apoſtoli; & Epiſcopi pro fide Dei illam acceperunt, & per omnes Eccleſias poſtea tranſmiſerunt in ſuis parochiis publicandam.

Porro *Bertulpho* rege Merciorum, poſtquam 13. annis regnauerat, mortuo, *Beorredus* in regnum ſucceſſit. In cuius tempore prædictus venerabilis pater dominus *Siwardus*, plenus dierũ & decrepitus, 62. annis officio paſtorali ſtrenuiſſime adminiſtrato obiit. Cui ad officium Abbatis Monaſterii Croylandenſis dominus *Theodorus* ſuccedebat. In eius tempore Dani vbiq́; per terram prædas agentes, maxime Northumbriam, & Marciam deuaſtarunt. Mortuo ſimul *Ethelwulpho* rege Weſtſaxonum, *Ethelbaldus* & *Ethelbertus* filii eius regnum paternum inter ſe partiuntur ſuccedentes. *Ethelbaldus* thorũ patris ſui aſcendens, (quod nec inter gentes vſquam eſt auditum) propriam nouercam *Iudittam*, quondam filiam regis Francorum ſumptam à patre *Ethelwulpho* in coniugium, cum omnium cõprouincialium ſcelus ſuum abhorrentium maximò ſtupore, duxit in vxorem; qui biennio in tam vili volutabro decurſo moritur, parſq́; ſua fratri ſuo *Ethelberto* integre adunatur. At iſte validiſſimus adoleſcens, & Danorũ triumphator inuictus, ſtrenue per quinquennium regno defenſo defungitur. Et *Ethelredus* tertius frater in regnum eleuatur. Tempore cuius cum grauiſſimæ afflictiones bellorum fierent, Paganis vndique irrumpentibus, qui & Northumbriorum partes inuadentes, Eboracum occupauerant, & etiam Eſtangliam depopulantes, Merciam inuaſerant, ac apud Nothingham anno Domini 866. hyemabant: *Beorredus*, collecto grandi exercitu, firmatus etiam viribus *Ethelredi* regis Weſtſaxonum, ac *Alfredi* fratris ſui, quorum ſororem deſponſauerat, Paganos Nothingham relinquere coegit, & Eboracum repetere. Qua expeditione cum Comes *Algarus* iunior magna militaris probitatis geſta feciſſet, ac *Beorredo* regi, & duobus fratribus Weſtſaxoniæ cauſa ſuę nobilis militiæ præcipuus & *chariſſimus haberetur, Croylandenſis etiam Monaſterii amiciſſimus, ac domino *Theodoro* Abbati multum familiaris, (ſicut domino *Siwardo* antea fuerat) in omnibus negotiis & neceſſitatibus exiſteret adiutor promptiſſimus: etiam de manerio ſuo Spaldinge / quod ante paucos dies tunc *Theodoro* Abbati pro anima Comitis *Algari* ſenioris, patris ſui contulerat, nec non de omnibus terris & tenementis tunc monaſterio Croyland. pertinentibus huiuſmodi confirmationem de rege *Beorredo* impetrauit eidem Abbati *Theodoro* in his verbis. *Beorredus*, largiente Dei gratia, rex Merciorum omnibus prouinciis, & populis earum vniuerſam Merciam inhabitantibus, & fidem catholicam cõſeruantibus ſalutem ſempiternam in Domino noſtro *Ieſu Chriſto*. Quoniam, peccatis noſtris exigentibus, manum Domini ſuper nos extenſam quotidie cum virga ferrea cernimus noſtris ceruicibus imminere; neceſſarium nobis & ſalubre arbitror piis ſanctæ matris Eccleſiæ precibus, eleemoſynarumque liberis largitionibus iratum Dominum placatum reddere, & dignis deuotionibus eius gratiam in noſtris neceſſitatibus auxiliariam implorare: ideoq́; & ad petitionem ſtrenuiſſimi Comitis, mihi meritoq́; dilectiſſimi, conceſſi regio chirographo meo *Theodoro* Abbati Croyland. tam donum dicti Comitis *Algari*, quam dona aliorum fidelium prę̨teritorum ac præſentium dicto ſuo ſancto monaſterio, in eleemoſynam etiam animæ meæ, & in remiſſionem meorũ criminum, deuotione libera confirmare. Confirmo ergo Deo, & ſanctiſſimo confeſſori ſuo *Guthlaco* Croylandiæ, monachiſq́; omnibus ibidem Deo ſeruientibus, & in perpetuum ſeruituris totam inſulam ſuam monaſterio adiacentem, prout in chirographis inclyti quondam regis Merciorum *Ethelbaldi* fundatoris ſui, ac aliorum regum prædeceſſorum meorum, per limites & terminos eis deſcripta in ſitum ſeparalem Abbatiæ ſuæ, cum duobus mariſcis iacentibus ex oppoſito eiuſdem inſulæ ad Orientem ex vtraque parte aquæ de Welandſ videlicet cum Alderlound in parte Auſtrali, & cum Goggiſlound in parte Boreali, eiſdem terminis quibus eos ab initio habuerunt. Confirmo etiam prædicto monaſterio Croylandiæ, de dono prædicti dilectiſſimi mihi inclyti Comitis *Algari*, manerium ſuum, quod ſitum eſt in Orientali parte fluminis in Spaldeling / cum quatuor carucatis terræ arabilis, & 24. manſionibus, & 80. cotagiis in eadem villa de Spaldeling; & de dono Comitis *Algari* ſenioris, patris ſui ligneam capellam ſanctæ *Mariæ*, ſitam in eadem parte fluminis in Spaldeling / cum quatuor carucatis terræ adiacentibus ex vtraque parte fluminis, tam in campis de Pinchbeck quam de Spaldeling; & de dono eiuſdem Comitis *Algari* Eccleſiam de Capelade / cum quatuor carucatis terræ, & ſex bouatis, & 18. acris prati, & mariſco duarum acrarum in littore maris, & mariſco 3. acrarum contiguo aquæ de Scyſheeſ

* al. clariſſimus

claudenti inſulam ſuam de Croyland ad eius Orientem; & de dono eiuſdem Comitis *Algari* Eccleſiam de Sutherton cum capella de Saltenev/ & 3. carucatas terræ, 22. bouatas, & 36. acras prati tam in campis de Algarkirk/ quam de Sutherton/ & cum quatuor ſalinis in eâdem villa. Similiter confirmo prædicto Monaſterio de Croyland/ de dono *Oswij* militis in Dreytona, 8. hidas terræ, & 4. virgatas, & eccleſiam eiuſdem villæ. Similiter confirmo prædicto Monaſterio, de dono *Mercardi* militis mei, totam terram ſuam de Deping/ cum 200. manſionibus, & cotagiis 400. & duabus Eccleſiis; viz. quicquid huic in eâdem villa, & in campis eius ab aqua de Weland ad Auſtrum vſque ad campos de Langtoſt ad eius Aquilonem, & inter campos de Talington ad eius Occidentem vſque ad Aſpath in mariſco ad eius Orientem. Similiter confirmo prædicto monaſterio, de dono * *Fregiſti* militis, totam villam de Langtoſt/ cum omnibus terris, & mariſcis, quæ prędictus *Fregiſtus* habuit in eadem villa, & cum eccleſia eiuſdem villæ. Similiter confirmo prædicto Monaſterio, de dono *Algari* militis filij, Northlang in Baſton/ & in Tetford omnes terras, & tenementa, quas dictus *Algarus* habuit in eccleſia, & capella ſancti *Iohannis* in eâdem villa; & de dono eiuſdem *Algari* in Repingale/ 3. carucatas terræ arabilis, & 60. acras prati. Similiter confirmo prædicto Monaſterio, de dono *Normanni* quondam vicedomini in Sutton iuxta Boſworth/ duas carucatas terræ, & vnum molendinum ventricium; & de dono eiuſdem *Normanni* in Stapleton/ manerium ſuum, & duas carucatas terræ; & de dono eiuſdem *Normanni* in Badby/ 4. hidas terræ, cum manerio, & 30. acris prati. Similiter confirmo prædicto monaſterio, de dono *Thoroldi* quondam vicedomini Lincoln. in Bokenhale/ 2. carucatas terræ, & dimidiam, & 26. acras prati, & 50. acras ſyluæ de Bruſy. Similiter confirmo prædicto Monaſterio, de dono *Geolphi* filij *Maleti* in Halington/ quatuor bouatas terræ de Juland/ & 10. bouatas in ſeruitio, & 33. acras prati de eodem feodo de Geruntherpe. Similiter confirmo prædicto monaſterio, de dono *Asketelli* in Glapthorn/ duas virgatas terræ; & de dono *Wulgeti* in Pickirk/ 3. virgatas terræ; & de dono *Stewardi* in Kirkby/ 3. bouatas terræ, vnam manſionem, & 3. cotagia; & de dono *Edulphi* in * Laythorpe/ vnam bouatam terræ; & de dono *Wulnoti* in Adington/ duas hidas terræ & piſcariam cum aduocatione Eccleſiæ eiuſdem villæ, & in alia Adington/ vnam virgatam terræ; & de dono *Sigburgæ* Comitiſſæ in Standon/ 5. hidas terræ; & de dono *Grimketelli*, vnam hidam & dimidiam in Thirming. Hæc omnia prænominata, inſulas, mariſcos, & merſca, Eccleſias, & capellas, maneria, manſiones, & cotagia, ſyluas, terras, & prata, concedo, conſtituo, & confirmo Deo, & ſancto *Guthlaco* libera, ſoluta, & emancipata ab omni onere terreno, & ſeruitio ſeculari pro animabus prædictarum rerum donatorum, & pro merito animæ meæ, & animarum omnium progenitorum, ac hæredum meorum in eleemoſynam æternam Abbati *Theodoro*, & monachis ſuis in Croylandenſi monaſterio Domino ſeruientibus perpetuo poſſidendam. Iſtud regium chirographum meum anno incarnationis Domini noſtri *Ieſu Chriſti* octingenteſimo ſexageſimo 8. Calendas Auguſti apud Snothringham coram fratribus, & amicis, & omni populo meo in obſidione Paganorum congregatis ſanctæ crucis munimine confirmaui. ✠ Ego *Ceolnothus* Archiepiſcopus Doroborn. ſubnotaui. ✠. Ego *Elſtanus* Londonienſis Epiſcopus corroboraui. ✠. Ego *Edmundus* Schireburnenſis Epiſcopus collaudaui. ✠. Ego *Alcwinus* Wintonienſis Epiſcopus commendaui. ✠. Ego *Kinebertus* Lichfelden. Epiſcopus conſignaui. ✠ Ego *Ethelbertus* Hereford. Epiſcopus crucem meam feci. ✠. Ego *Wulſius* Abbas Eueshamen. approbaui. ✠. Ego *Hedda* de Meddeſhamſted Abbas conſenſum dedi. ✠. Ego *Tuinus* Abbas de ſancto *Albano* conſului. ✠. Ego *Ethelredus* rex Weſtſaxoniæ aſſenſum præbui. ✠ Ego *Alfredus* frater regis Weſtſaxoniæ conſenſi. ✠. Ego *Edmundus* rex Eſtangliæ procuraui. ✠. Ego *Adelredus* dux faui. ✠. Ego *Osbirtus* dux annui. ✠. Ego *Algarus* Comes iſtud deuote fieri deprecans à domino meo rege gratioſe impetraui. ✠. Ego *Wulkelmus* Comes audiui. ✠. Ego *Adelwulphus* Comes conceſſi. ✠. Ego *Turgotus* Comes conſenſi. ✠. Ego *Almundus* Comes conſideraui. ✠. Ego *Diga* Comes interfui. ✠. Ego *Lefwinus* Comes aſpexi. ✠. Ego *Burkardus* Comes conſcripſi. ✠. Ego *Aſcerus* Comes affui. ✠. Ego *Thurſtanus* Comes ſtabiliui. ✠. Ego *Reinardus* Comes conſului. ✠ Ego *Tilbrandus* Comes ſubſcripſi. ✠. Ego *Beorredus* rex Merciorum intimo animi affectu, totiſq; præcordiis gratias exoluo ſpeciales omni exercitui meo; maxime tamen viris eccleſiaſticis, Epiſcopis, & Abbatibus, aliis etiam inferioris ſtatus, & dignitatis: qui, licet piiſſimæ memoriæ rex quondam *Ethelwulphus* pater meus per ſacratiſſ. chartam ſuam ab omni expeditione militari vos liberos reddiderit, & ab omni ſeruitio ſeculari penitus abſolutos; digniſſima tamen miſeratione ſuper oppreſſiones Chriſtianæ plebis, Eccleſiarumq;, ac monaſteriorum deſtructiones luctuoſas benigniſſime compaſſi, contra nefan-

* al. Eregiſti

* al. Laithrop

nefandiſſimos Paganos in exercitum Domini prompti,& ſpontanei conueniſtis; vt, tanquam martyres, *Chriſti* cultus ſancto ſanguine veſtro augeatur, & barbarorum ſuperſtitioſa crudelitas effugetur.

Porro,ſicut Chronici tradunt, in obſidione prætacta cum pagani munitione fortiſſimorum murorum,& arcis validiſſimæ cõfidentes,egredi ad bellũ detrectarent, & Chriſtiani muros frangere non valerẽt,pace inter Chriſtianos & paganos facta, pagani relicto caſtello cum ingenti præda Northumbriam repetunt. Anno vero proxime ſequente, paganorum exercitus,apud Eboracum cum aliquãdiu moram feciſſet, hyeme finita in Lindiſſy,nauigio tranſuehitur,& apud Humberſtan aſcendens, vniuerſam patriam depopulatur:quo tempore deſtructum eſt per illos celeberrimum & antiquum monaſterium de Bardeney,monachis omnibus abſq; vlla miſericordia in Eccleſia interfectis. Cumq; ibi ibidem per totam illam æſtatem terram ad cineres reſcidiſſent ferro flammaq; deuorantes,circa feſtum ſancti *Michaelis* in Keſteuen ingreſſi,omnia conterunt,interficiunt,& incendunt.Tandem anno incarnationis Dominicæ octingenteſimo ſeptuageſimo, menſe Septembri,contraxit vniuerſam iuuentutem Houlandiæ ſtrenuiſſimus Comes *Algarus*, duoq; milites Scheneſcalli *Wiburtus*,& *Leofricus* (de quorum nominibus adhuc villis, in quibus manſerant,nomina retinentibus,ſenes & ruſtici remanentes vocabula dederant, Wiberton,id eſt, villam *Wiburti*,& Lefrinkton, id eſt, villam *Leofrici* appellantes) vna cum cohorte Croylandiæ monaſterii,viz.200.bellatorib. robuſtiſſimis, eo quod maxima pars illorum de fugitiuis fuerat, (quibus præfuit frater *Tolius*,monachus conuerſus eiuſdẽ monaſterii,miles ante ſuam conuerſionem per totam terram Merciam in bellicis artibus nominatiſſimus;ſed tunc amore cœleſtis patriæ relicto ſeculo ſpirituali militiæ apud Croylandiam mancipatus) cõtrahentes etiam ſecum de Deping, Langtoft,& Baſton circa 300. viros fortes, & aptos ad bellum; inſuper *Morcardum* dominum de Brunne cum familia ſua,quæ fortiſſima fuit,& numeroſa; occurrenteq; vicedomino Lincoln. nomine *Oſgoto*, veterano & validiſſimo bellatore cum cuneo Lincolnienſi numero 500: omnes collecti in Keſteuen,in feſto ſancti *Mauricij* martyris bellum cum paganis commiſerunt,&largiente Domino victoriam,occiſis tribus regibus cum ingenti multitudine,Chriſtiani cædentes barbaros vſq; ad portas tentoriorum ſuorum perſequebantur: vbi cum reſiſterent acerrime,nox bellum diremit,& inuictiſſimus Comes exercitum reuocauit. Venerunt in ipſa nocte in caſtra Paganorum omnes cæteri reges de patria,quo *diuellẽtes inter ſe prouinciam ad deprædãdum proceſſerant,ſcilicet *Gogroum, Baſeg, Osketil, Halfden*, & *Hamõd*; & totidem Comites,ſcilicet* *Frena, Vnguar, Vlba*,& vterq; *Sidrok*,ſenior,& minor,cum ſuis exercitibus, & præda magna nimis, mulierumq; ac paruulorum multitudine numeroſa. Quorum aduentu cognito, Chriſtianorum pars maxima timore perterrita, noctãter diffugit,& remanſerunt cum prædicto Comite ac ducibus ſuis de octo centum virorum vix ducenti;cum quibus ſummo diluculo,auditis diuinis officiis, & ſumpto ſacro viatico, omnes ad moriendum pro *Chriſti* fide,patriæq; ſuæ defenſione paratiſſimi,in campum cõtra barbaros proceſſerunt.Et vidẽs validiſſimus Comes ſuũ exercitum nimis immunitũ, ſtatuit iterum fratrem *Tolium* cum ſuis 500.viris,eo quod fortiſſimi fuerãt, in dextro cornu,aſſignans ei alam etiam fortiſſimam, illuſtrem militem *Morcardum* de Brunne cum omnibus,qui eius vexillum ſequebantur: inclytum vero vicedominum *Oſgotum* cum ſuis 500.in cornu ſiniſtro poſuit,donans ei alam ſtrenuam, ſcz. militem *Hardingum* de Rehale cum omnib.Stamfordienſibus,eo quod omnes iuuenes erant,& nimium bellicoſi. Ipſeq; cum ſuis Seneſcallis in acie media verſabatur,vtriq; cornu, cum neceſſe cerneret, affuturus. Dani vero pro cæde ſuorum magis efferati, ſummo mane ſepelientes 3.reges ſuos in villa,quæ antea Laundon vocabatur,nũc vero pro trium regum Danorum ſepultura Trekingham nuncupabatur, ſimiliter quatuor reges, & 8. comites. Nam duo reges & quatuor Comites caſtra & captiuos ſuos conſeruabant. Porro Chriſtiani pro paucitate ſua in vnum cuneum conglobati, contra ſagittariorum impetum duriſſimam teſtudinem clypeorum,& contra violentiam equitum denſiſſimam aciem lancearum,omnes optime inſtructi à ducibus ſuis,tota die ſtatione immobili prætendebant. Cumq; ſic inuicti vſq; ad veſperam perduraſſent,& aduerſariorum ſagittarii tela ſua in vacuum perdidiſſent, equiteſq; iam longo labore laſſati,deficere inciperent, barbari ex condicto fugam fingentes,campum relinquere cœperunt.Quod vidẽtes Chriſtiani, ducibus ſuis inuitis & multum diſſuadentibus aciem ſuam diſſoluunt, & perſequendo paganos diſperſi per planitiem abſque ordine,ducumq; cuſtodia diuiduntur.Reuertentes autem barbari,tanquam leones in paucas oniculas debacchantur. Strenuiſſimus Comes *Algarus*, præclariſſimiq; milites prædicti,& frater *Tolius* in quodam campi tumulo cætera planitie aliquantulum

al. diuidentes
al. Godroum
al. Erena

altiore in orbem conferti, barbaros arietantes diutiſſime ſuſtinuerunt. Cumque præfatus Comes illuſtriſſimus, & in perpetuum memorandus *Algarus*, prætactiq; 6. duces robuſtiſſimi omnes fortiſſimos ſui exercitus cecidiſſe cernerent, in confertiſſimum tumulum corporum Chriſtianorum ſimul irrumpentes, ibique pro viribus, quicunque acceſſiſſet ſuum ſanguinem vindicantes, tandem innumeris confoſſi vulneribus ſuper fratrum ſuorum cadauera corruerunt. Pauci iuuenes de Sutton & Gedeney proiectis armis in vicinam ſyluam, vix euadentes proxima nocte ſequente monaſterium Croyland ingreſſi, ſtragem Chriſtianorum & fratris *Tolij*, totius cohortis ſuæ internecionem, dum Abbas *Theodorus* & conuentus ſuus ſuas matutinas vigilias perſoluerent, lugubri ac lachrymabili eiulatu clamantes, ad oſtium Eccleſiæ nunciabant. Cunctis itaque de nuncio confuſis, Abbas retentis ſecum ſenioribus monachis, & paucis infantibus, (forſitan illorum imbecillitas ad pietatem barbaros inclinaret) non recolens illud poeticum,

Nulla fides pietaſq; viris, qui caſtra ſequuntur;

omnes fortiores & adoleſcentiores, aſſumptis ſecum ſacris reliquiis monaſterij, ſcilic. ſacratiſſima gleba corporis ſancti *Guthlaci*, flagello, pſalterioque ſuo, aliiſque præcipuis iocalibus, ac monumentis, ſcilicet chartis fundationis *Ethelbaldi* regis, ac aliorum regum confirmationibus, regiſque *Withlaſij* quibuſdam donariis, præcepit in proximas paludes fugere, & ibidem belli exitum expectare. Qui cum multa cordium ſuorum mœſtitia iuſſis obtemperantes, onerata nauicula cum prædictis reliquiis, & regum monumentis, tabulam magni altaris laminis aureis contectam, quam rex *Withlaſius* aliquando dederat, decemq; calices cum lauatoriis peluibus, ollis, patellis, & aliis vaſis æneis in fontem clauſtri proiecerunt; quæ cum demergerentur, ſemper finis tabulæ pro ſua longitudine ſuper vndam apparebat: vnde illam extractam (cernentes ignes de villis in Keſteuen paulatim appropinquare, & Paganos citius adeſſe pertimeſcentes) cum abbate, ſenibuſq; prædictis dimiſerunt; nauimque ſuam ſumentes, ad ſyluam de Ancarig contiguam inſulæ ſuæ verſus Auſtrum perueniunt, & cum fratre* *Toreto* anachorita tunc ibidem, ac aliis fratribus commanentibus, quatriduo commorati ſunt, numero 30. de quibus 10. ſacerdotes, cæteri inferiorum graduum extiterant. Abbas autem *Theodorus* aſſumptis ſecum duobus ſenibus prætactam tabulam extra eccleſiam in parte Boreali vbi abſconderit, vſque in præſens non potuit deprehendi. Poſtea vero induentes ſe ſacris veſtimentis tam abbas, quam cæteri omnes, & in choro coadunati, regulares horas officij diuini, poſteaq; Dauidicum pſalterium ex integro* peruoluunt; deinde magnam Miſſam ipſe dominus abbas celebrabat, miniſtrabantque frater *Elfgetus* diaconus, frater *Saninus* ſubdiaconus, & fratres *Egelredus*, & *Wulricus* pueri ceroferarij. Cumq; completa Miſſa abbas, & miniſtri ſui prædicti ſacris myſteriis cõmunicaſſent, irrumpentibus in eccleſiam Paganis, venerabilis abbas ſuper ſanctum altare per manum crudeliſſimi regis *Osketuli*, verus martyr, & *Chriſti* hoſtia immolatur: miniſtri circumſtantes omnes per barbaros capitibus detruncati: ſenes & infantes incipientes de choro fugere, capti, & duriſſimis tormentis, vt eccleſiæ ſuæ theſauros oſtenderent, examinati & exanimati ſunt; dominus *Askerus* Prior in veſtiario, dominus *Lethwinus* Subprior in refectorio; quem frater* *Tugarius* infans 10. annorum, facie corporiſque forma venuſtiſſimus, greſſu indiuiduo in refectorium conſequutus, cum ſeniorem ſuum cerneret occidi, commori, & ſimul interfici cum eo inſtantiſſime ſupplicabat. At iunior Comes *Sidrok* miſericordia motus ſuper puerum, exuebat eum de cuculla ſua; & dato Danico collobio, iuſſit eum vbique ſua veſtigia imitari: ſicque de omnibus ſenioribus & iunioribus remanentibus in monaſterio ſolus ſeruatus eſt, intrans & exiens inter Danos toto tempore moræ ſuæ, tanquam vnus ex illis, per prædicti Comitis gratiam, & petitionem. Occiſis itaque omnibus monachis a quæſtionariis, & theſauris monaſterij minime adhuc inuentis, Dani omnia ſarcophaga ſanctorum, qui altis tumulis marmoreis circa tumbam ſancti patris *Guthlaci* ad dextram, & ad ſiniſtram eius quieſcebant, cultris & ligonibus confregerunt: ſcilic. ad dextram tumulum ſancti *Ciſſæ* ſacerdotis, & anachoritæ, & tumulum ſancti *Bettelmi* viri Dei, & quondam miniſtri ſancti *Guthlaci*, tumulum etiam ſancti *Tatwini*, quondam ducis ad Croyland & naucleri ſancti *Guthlaci*, tumulum etiam ſanctiſſimæ virginis *Etheldritha*, nec non & tumulos *Celfredæ* quondam reginæ, & *Wimundi* filij regis *Withlaſij* barbari confringentes, cùm ſperatos theſauros non inuenirent, nimium indignati, vniuerſa ſanctorũ corpora in vnum aceruum miſerabiliter cõtracta, immiſſo igne, die 3. aduentus ſui cum eccleſia & omnib. monaſterij ædificiis, ſcilicet ſeptimo Calendarum Septembris, funeſtiſſime combuſſerunt. Quarto tandem die cum animalium, ac iumentorum innumeris gregibus verſus Medeſhamſted tranſmigrabant: vbi primam collectam infra monaſterium, portaſque obſeratas offendentes

al. Toretro.

al. perſoluunt.

al. Turgarus.

dentes, ſagittariis ac machinis vndique muros aggrediuntur. Secundo aſſultu irrumpentibus Paganis, *Tulba*, frater *Hulbæ* Comitis, iactu lapidis grauiter læſus corruit in ipſo introitu, & manibus ſatellitum ſuorum portatus in tentorium *Hulbæ* fratris ſui, etiam de vita deſperatus eſt. Vnde *Hulba* ſupra modum ira æſtuans, & maxime in monachos efferatus, omnes ſanctæ religionis ſtemmate veſtitos manu ſua interfecit; cæteri in cæteros graſſabantur; nemo in toto monaſterio ſaluatus eſt; tam venerabilis pater dominus *Hedda* abbas, quam monachi ſui vniuerſi cum omnibus comprimotis occiduntur: monitus eſt tunc frater *Turgarus* per *Sidrok* dominum ſuum, ne in aliquo loco vnquam *Hulbæ* Comiti obuiaret. Altaria omnia ſuffoſſa, monumenta vniuerſa cõfracta, ſanctorum librorum ingens bibliotheca combuſta, chartarum monaſterii immenſa copia diſcerpta, ſanctarum virginum *Kineburgæ, Kineſpitæ, ac Tilbæ* pretioſa pignora pedibus conculcata, muri funditus euerſi, ipſa Eccleſia cum omnibus officinis concremata per totam quindenam ſequentem iugi incendio conflagrabat. Porro quarto die cum prædis innumeris de tota patria congeſtis, exercitus congregatus verſus Huntindoun procedebat. Cumque duo Comites *Sidrock* in tranſitu fluuiorũ ad tutandum caudam totius exercitus ſemper vltimi proficiſcerentur, totuſq; exercitus eorum fluuium de Nene ſaluus pertranſiſſet; ipſi tandem tranſeuntes, in gurgite fluuii ad læuam pontis lapidei profundiſſimo duos currus immenſis opibus, & varia ſupellectile onuſtos cum omnibus iumentis demerſis, & antequam extrahi poterant, enecatis ſubito infortunio perdiderunt. Occupataque tota familia iunioris *Sidrock* ad extrahendum dictos currus, vt in alia plauſtra & vehicula prædas contentas omnes ſoliciti tranſmutarent, frater *Turgarus* per fugam elapſus in proximam ſyluam, perque totam noctem ambulans, ſummo diluculo Croylandiam ingreſſus eſt. Inuenit ergo fratres ſuos commonachos de Ancarig pridie rediiſſe, & ad extinguendum ignes adhuc in multis monaſterii ruinis dominantes fortiſſime inſudare. Quem cum ſanum & incolumem cernerent, aliqualiter confortati: ſed audientes ab eodem, quibus in locis tam abbas eorum, quam cæteri ſeniores, & confratres ſui occiſi iacebant, & quomodo omnia ſanctorum ſepulchra confracta, & monumenta omnia, ſacraq; volumina ſua cũ corporibus ſanctorum combuſta, inæſtimabili dolore omnes conſternati ſunt; planctuſq; & ploratus diutiſſime factus eſt. Tandem ſatiati lachrymis, ad extinguendũ incendia reuertuntur. Egerentes autem ruinam tecti Eccleſiæ, circa magnum altare corpus venerabilis patris Abbatis ſui *Theodori*, capite truncatum, omnibuſq; nudatum veſtibus, & ſemiuſtulatum, caſu etiam lignorum contritum & ad terram compreſſum, octauo die ab occiſione ſua inter * torres extinctos paululũ ſemotius à loco quo extinctus erat, cum cæteris miniſtris, qui ſimul occubuerant, ſimiliter conquaſſatis ad terram pondere ruderum corporibus eorum, præter *Wulricum* ceroferarium, repererunt. Sed hæc variis temporibus. Nam quorundam fratrum corpora poſt dimidium annum à die, quo martyrizati fuerant, ac etiam aliis locis, quam occiſi ſunt, erant inuenta. Dom. enim *Paulinus*, & dominus *Herbertus* ſeniores valde, ac longa ætate decrepiti, in ipſo choro manib. mutilati, & ad mortem torti, cum diligentiſſime ibidem fuiſſent quæſiti, tãdem in capitulo reperti ſunt: & dom. *Grimketulus*, & dom. *Agamundus*, qui ambo centum ætatis annos exegerant, gladiis in clauſtro transfoſſi, in loquutorio ſunt inuenti. Sed & cæteri tam infantes, quam ſenes, licet in diuerſis locis, & diutiſſime quærerentur, tum fratre *Turgaro* de cæde vniuſcuiuſq; plenius edocente, tandem omnes vſq; ad vnum *Wulricum* cum luctu lugubri, & lachrymis innumeris ſunt reperti. Dom. autem * *Brickſtamus*, quondam cantor monaſterij, muſicus peritiſſimus, & poeta facundiſſimus, inter ſuperſtites præcipuus ſcripſit in cineres monaſterij ſui Croylandiæ tunc illas threnas, quæ in multis locis habentur; & ſic incipiunt,

al. torres extinctas

al. Briſtanus

Quomodo ſola ſedes dudum regina domorum,
Nobilis Eccleſia, & nuper amica Dei!

Eruderato ergo monaſterio toto cum longo maximoq; labore, & de cineribus, ac aliis immundiſſimis ſordibus iuxta poſſibilitatem temporis expurgato, de paſtore inter eos eligendo inuicem colloquuntur: celebrataq; electione, venerabilis pater *Godricus* omnium conſenſu, licet inuitus & multum renitens, Abbas tandem eſt effectus. Ad quem veniens venerabilis ſenex Prior de Ancarig *Toretus*, & eius Subprior dom. *Tiſa*, ambo anachoritæ ſanctiſſimi deuotiſſimiq;, ſupplicabant, quatenus aſſumptis ſecum quibuſdam fratribus, dignaretur Medeſhamſteed adire, & Abbatis ſui, ac aliorum confratrum ſuorum corpora, feris auibuſq; adhuc obnoxia, & inſepulta, Chriſtianæ ſepulturæ charitatis intuitu commendare. Obtemperans itaque precibus eorum venerabilis Abbas *Godricus*, cum multis fratribus, inter quos frater *Turgarus* aderat, occurrentibus eis ibidem omnibus fratribus Ancarig, Medeſhamſted adiit: & multo ſudore omnia monachorum dicti monaſterii

corpora comportata, numero 84. in medio cœmeterio dicti monaſterii contra frontem Eccleſiæ quondam Orientalem, ſcilicet in vno latiſſimo tumulo ad hoc aptato, in feſto S. *Cetiliæ virginis ſepeliuit; ponens ſupra corpus Abbatis in medio filiorum ſuorum quieſcentis petrā pyramidalē tres pedes in altitudine, & tres in longitudine, & vnū in latitudine continentem, inſculptaſq; imagines Abbatis, ac monachorū ſuorum circumſtantium geſtantem: quā in memoriam monaſterii deſtructi Medeſhamſted deinceps vocari mandauit; & omni anno, quam diu vixit, ſemel viſitans, ſupraq; petram ſuum tentorium figēs, pro animabus ibidem ſepultorum Miſſas per biduum deuotione continua celebrauit. Iacebat.n. regia via per medium cœmeterii, habens dictam petram aſcendentibus de prædicto ponte lapideo verſus Hoylandiam ad dextram, & crucem lapideam ſimiliter imagine Saluatoris inſculptam, quam prædictus Abbas *Godricus* tunc ibidem poſuit, ad ſiniſtram; vt tranſeuntes viatores, memores monaſterii ſanctiſſimi, pro animabus fidelium in ipſo cœmeterio quieſcentium preces Domino ſoluerent, & à maleficiis ac latrociniis in dicti monaſterii parietinis nullo modo patrandis ſaltē pro *Chriſti* reuerentia continerent.

al. Cecilia

Interim pagani deprædantes prouincias vſq; ad Grantebrigiam, ſanctimonialium celeberrimum inſula Helienſi ſituatum, omnibus inuentis in eo virginibus quam viris crudeliter interemptis, catallis ac immenſis diuitiis (de tota patria pro loci ſecuritate allatis) per barbaros direptis, ignibus vltimo tradiderunt. Et tranſeuntes in Eſtangliam, ſtrenuiſſimum Comitem *Wulketulum* occurrentem contra eos cum exercitu, & fortiſſime reſiſtentem tandem cum ſuis omnibus occiderunt. Regem etiam eiuſdem prouinciç ſanctiſſimum *Edmundum* captū per eoſdem, & ad quendam ſtipitem alligatum, tāquam ſignum ad ſagittam, barbari crudeliſſimi telis ſuis & ſagittis aggreſſi ſunt, horrendaq; crudelitate perfodientes, pro fide *Chriſti* & patriæ ſuæ defenſione decollantes, martyrizauerunt. Sic tota Eſtanglia ab eis obtenta & occupata, ibidem per totam hyemem reſidebant. Anno vero vigeſimo primo ſequente Weſtſaxoniam petentes, cum rege *Ethelredo*, & fratre ſuo *Alfredo* varia fortuna prælia grauiſſima geſſerunt: in quibus cæſis regibus (id eſt, *Baſeg* & *Orguil*,) Comitibus vero multis (videlicet, vtroq; *Sidrock*, ſeniore, & iuniore, *Erena* Comite, *Osbern* Comite, & **Harola* Comite, ac **Eungo* Comite) cum ingenti multitudine paganorum, Chriſtiani victoriam adepti ſunt. *Beorredus* autem rex Merciorum hoc intermedio cum Britonibus occupatus, qui crebris irruptionibus Occidentalem partem regni ſui Merciæ inquietabant, audienſq; Danos plagam eius Orientalem plaga miſerabili percuſiiſſe, venit Londonias: & contracto maximo exercitu, pertranſiens per regni ſui plagas Orientales, totam Helienſem inſulam fiſco ſuo applicauit, procedēſq; in patriam Girniorum. omnes terras de Medeshamſtedenſi monaſterio in manum ſuam cepit, ſcilicet quicquid inter Stanford, Hmitindoun, & Wiſebeck dicto monaſterio dudum pertinuerat; remotiores vero terras ſparſim per patriam iacentes ſtipendiariis militibus exercitus ſui aſſignauit: id fecit de terris monaſterii S. *Pegæ* de *Keikirk, quaſdam ſibi retinuit, quaſdam militibus ſuis dedit: id fecit etiam de terris monaſterii *Guthlaci* de Croyland; quaſdam ſtipendiariis militibus diſtribuit, quaſdam ſibi confiſcauit. Et licet venerabilis pater *Godricus* ſæpius repetendo penes regem & miniſtros ſuos multos ſudores conſumeret, & chartas donatorum, regumq; confirmationes vna cum ſuo proprio chirographo ſæpiſſime oſtenderet: nihil ſemper niſi vacua verba reportans, demum de negotii ſui propoſito penitus deſperabat. Cernens itaq; malitiam temporis nimiam, & *malitiam regis terrarum cupidiſſimam, ſtatuit tandem ſecum huiuſmodi regias donationes ſurdo tempore pertranſire, ac vſq; meliora tempora ſuccederēt, deinceps ſub ſilentio diſſimulare; lætus nimium, & exultans, quod totam circumiacentem inſulam liberam, & ab omni exactione regali abſolutam multū ſpecialius ſibi, quam multis aliis monaſteriis tunc contigerat, regia gratia conceſſiſſet. Receſſerunt ergo illo tempore de dicto monaſterio Croyland, & vſque ad præſentem diem non redierunt illæ poſſeſſiones: ſcilicet manerium de Spalding, datum *Adelwulpho* Comiti, cum omnibus pertinentiis ſuis; manerium de Deping, datum *Langfero* militi, & panetario regis, cum omnibus pertinentiis ſuis; manerium de Croxton, datum *Fernodo* militi, & vexillario regis, cum omnibus pertinentiis ſuis: manerium de Kirkoton & Kimerby in Lindeſie cum omnibus pertinentiis datum Comiti *Turgoto*. Buſkenhale vero, & Halington tunc fiſco appropriata, poſtea per induſtriam domini *Turketuli* Abbatis Croyland, & donationem piiſſimi regis **Edrad* reſtauratoris dicto monaſterio fuerant reſtituta. Similiter omnes cæteræ terræ aliquando Croylandiæ pertinentes, quas rex *Beorredus* fiſco ſuo aſſumpſerat, ſcilicet, Quarpelade, Sutterton, Langtoft, Baſton, Repingale, Kirkby, Draiton, Chirning, Glaphtorn, Adington, Staudon, & Badby, per gratiam inclyti regis *Edredi*, & diligentiam Abbatis *Turketuli*

al. Harold

al. Fungo

al. peikirk

al. militiā

al. Edredi

tuli Croylandiæ reddebantur. Tranſiens tunc rex *Beorredus* cum ſuo exercitu in 𝔏𝔦𝔫𝔡𝔢𝔰𝔶, latiſſimas terras monaſterio de 𝔅𝔞𝔯𝔡𝔫𝔢𝔶 dudum pertinentes fiſco ſuo accepit;* immotas vero, & in diuerſis patriis,* diuiſas iacentes militibus ſuis dedit.

al. remotas.

Anno namq; incarnationis Dominicæ octingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, rex *Ethelredus* multis prælis contra Danos vexatus, ſed ſemper inuictus, obiit Winburnæ, & ſepultus eſt. Cui ſucceſſit in regnum *Alfredus* frater ſuus vltimus, & iunior filius *Ethelwulphi* regis; qui cum patre quondam Romam adiens, a Papa *Leone* inunctus, & in filium adoptatus, iam in regem leuatus, laborioſiſſime & fortiſſime viginti octo annis & dimidio regnauit. Continuis namq; nouem annis cum Danis dimicans, & eorum fallaciſſimis fœderib. frequenter illuſus, ſed toties in illuſores vltus, ad tantam tandem exilitatem deductus eſt, vt tribus pagis, Hamtonienſi, Wiltonienſi, & Somerſata, ægre in fide retentis, ad quandam inſulam in Somerſata, Adelingiam nominatã refugerit: vbi tunc arcem factam poſtea in monaſterium Monachorũ ob ſuæ moræ memoriam ad exultationem S. Eccleſiæ commutauit. In qua cum ſemel ſolus domi relictus, ad piſcandum in vicinis paludibus familiam ſuam vniuerſam deſtinaſſet, ipſe interim intentus ſacræ lectioni, aut illuſtrium virorum geſtis, aut patrum annalibus recordandis (prout ſemper ſui moris erat) audiuit quendam pauperem pulſantem ad ianuam, & aliquid adiumẽti ſibi præſtari pro Dei miſericordia deprecantem: aduocanſq; matrẽ ſuam, quæ tunc ſecum moram faciens, ſecus forte affuit, cellariũ præcepit adire, & aliquid pro *Chriſti* amore pauperi Chriſtiano erogare. Illa iuſſa factura, vnum panem tantum in cellario reperit, ac ipſum familiæ ſuæ, quæ citius de piſcatu rediret, minus ſufficere nunciauit. Quod audiens ipſe rex, (tantam ſcilicet in regio penu panis penuriam) gratias deuotiſſimas Deo reddidit, & *Chriſti* pauperi mediam partem continuo dari iuſſit. Addiditque: *Benedictus Deus in donis ſuis. Potens eſt deniq; iſtam panis medietatem, ſi voluerit, in immenſum augere, qui potuit, quando voluit, de quinque panibus & duobus piſcibus quinque millia hominum ſatiare. Et ſic demiſſo paupere, vel curarum tædio, vel lectionis longiori ſtudio cum aliquantiſper dormitaret, videt in ſomno ſanctum* Cuthbertum *Epiſcopum adeſſe, & tanquam miſſum à Domino talia nuntiare, Pie rex* Alrede, *ſuper miſeriã Anglorum durius ac diutius peccata ſua lugentium miſericordia motus eſt Dominus: etiam die hodierna in pauperis forma tuam patientiam probans, & tuam dapſilitatem in tanto panis defectu gratioſius acceptans, per me tibi promiſit, quod, qui modo miſerabiliter exulas, in proximo victor hoſtium, in regni tui ſolio exultabis. Et hoc ſignum tibi erit, quod tua familia ad piſcandum in paludes emiſſa, licet glacies hyemalis artẽ piſcatoriam iam vehementius impediat; diuina tamen diſpoſitione voti ſui compotes, piſcium admirandam copiam circa diei horam tertiam in tuum palatium comportabunt. Et his dictis ſanctus diſparuit. Rex autem vigilans, & matri ſuæ viſionem ſuam manifeſtans, illam in ſuo accubitu eadem hora ſoporatam, eandem viſionem vidiſſe, apparentẽ ſimiliter eodem ſancto Epiſcopo, idem reſponſa matris examinans deprehendit. Interque colloquendum, piſcatores de paludibus intrantes, tantam piſcium copiam inferebant, quod magno exercitui ſufficere putarentur.* Nec multum poſt hæc rex ipſe fingens ſe eſſe ioculatorem, aſſumpta cithara, tentoria Danorum adiit; ac in loca ſecretiora receptus, omnia ſuorum hoſtium ſecreta ediſcens, cum ſuo deſiderio ſatisfeciſſet incognitus, & incolumis Adelingiam remeauit. Et iam collecto exercitu, ſubito ſuos hoſtes adortus, incredibili plaga occidit. Rex *Godroun* (quẽ nos *Gurmound* vocamus) cũ maxima multitudine magnatum, & etiam populariũ captus viuus, baptiſmũ recepit: & de ſacro fonte per regem ſuſceptus, Eaſtanglia, id eſt, Northfolchia, ad inhabitandum cum ſuis, regio munere donatus eſt. Cæteri baptizari renuentes, Anglia abiurata, Franciam nauigio petierunt. *Beorredus* rex Merciorum interim, cum rex *Alfredus* in Adelingia adhuc moraretur, & pagani anno Domini 874. redeuntes in Merciam, apud Rypadiam hyemarent, Monaſteriumq; celeberrimum, omnium regum Merciorum ſacratiſſimum Mauſoleum, funditus deſtruxiſſent, & ipſe viginti duobus annis regnaſſet, totamq; terram Angliæ in omni ſuo angulo cædibus, & rapinis vaſtatam barbarorum videret; vel de victoria deſperans, vel tot laborum labyrinthum faſtidiens, regnum reliquit; & Romã petens, in paucis diebus defunctus, ibidem in ſchola Anglorum ſepultus eſt. Vxor cito virum ſequuta in via verſus Romam moritur, & Ticinis ſepelitur. Cui ſucceſſit in regnum Merciorum ſubrogatus per Danos quidam ſeruorum *Beorredi* regis *Ceolwulphus*, Anglicus genere, ſed Barbarus impietate. Danis etenim iurauerat fidelitatem, quod tributa impoſita eis fideliter perſolueret, & quandocunque regnum cõmendatum repeterent, omni reluctatione ceſſante, ſub pœna ſui capitis reſignaret. Ille itaq; circuiens terrã, paucos ruſticos relictos excoriauit, mercatores abſorbuit, viduas & orphanos oppreſſit, religioſos omnes tanquam conſcios theſaurorũ, innumeris tormentis afflixit. Vnde inter plurima mala, quæ fecit, etiã venerabili abbati Croylandenſi *Godrico*, miſeriſq; fratrib.

al. iacẽtes diuiſim.

ſuis vectigal mille librarum imponens, Monaſterium Croylandēſe fere adnihilauit. Nullus namq; deinceps pro nimia loci paupertate ad conuerſionem venire voluit. Quin impotens ad ſuſtentandum ſuos profeſſos Abbas *Godricus* multos monachorum per parētes ſuos, & alios monaſterii amicos in tota patria diſperſit; pauci ſecum in monaſterio remanentes, vitam ſuam cū ſumma inopia protrahebant. Tunc omnes calices monaſterii præter tres, ac vaſa argentea vniuerſa præter Crucibolum *Wuhlafij* regis, ac alia iocalia valde pretioſa vel in monetam mutata, vel pro moneta vēdita, vix inſatiabilem ingluuiem *Ceolwulphi* ſubreguli ſaturare valuerunt. Qui tandem per Danos dominos ſuos, iuſtiſſimos in hoc, depoſitus eſt, & vſq; ad ipſa verenda nudatus, miſero fine vitam terminauit. Regnum quoque Merciorum hoc temporis momento, præualente contra Danos *Alfredo* rege, ſuo regno Weſtſaxonico ſociatum eſt, & vſque ad pręſentem diem deinceps adunatum. Defecit itaq; regnum Merciorum, quod ſteterat a primo anno *Pendæ*, regis primi, vſq; ad vltima tempora huius miſeri ſubreguli *Ceolwulphi* circiter per annos 230. Rex autem *Alfredus* omnibus Danis vel ſubiectis, vel eiectis, ciuitates ſuas & caſtella ſua renouauit, turres & munitiones in locis magis neceſſariis conſtruxit, ac totam terræ faciem in formā multo meliorem immutatam, per oppida murata, & alia loca munitiſſima contra barbaros inſuperabilem fore fecit. Sibimetipſi etiam vitam regularem indicens, quotidie a ſummo mane per octo horas diuino ſeruitio vacabat. Habebat enim in capella ſua cereum coram ſanctorum reliquiis continue ardentem, ſecundum hæc tria octonaria proportionatum; miniſtrumq; inſtitutum, qui ſingulis portionibus conſumptis & conſummatis, regem de ſuccedente portione vice horologij voce viua commonebat. Quotidie ſummo mane cōſumpto cereo vno, alius integer cereus eſt accenſus: ſicq; fiebat per ſingulos dies. Sanctorum pedibus accliuis & ſubditus, ſanctum *Neotum*, & ſanctum *Werfredum*, Epiſcopū Wigorniæ, qui libros dialogorum beati *Gregorij* ipſe in linguam Saxonicam iuſſu regis tranſtulit, in ſumma veneratione habebat. In diuinis libris & ſacra lectione tam aſſiduus erat, quod Dauidicum pſalterium, vel aliquem alium librum ędificatorium in ſinu ſuo ſemper ſecum ferret; & viros literatiſſimos de terris exteris ad ſe accerſens, aliquandiu in palatio ſuo ſecum pro ſacris literis addiſcendis retentos, demum diuerſis prælatiis & dignitatibus promoueret. Hinc ſanctum *Grimbaldum*, artis muſicæ peritiſſimum, & in diuinis ſcripturis eruditiſſimum, euocatum è Francia, ſuo nouo monaſterio, quod Wintoniæ conſtruxerat, præfecit in Abbatem. Similiter de veteri Saxonia *Iohannem*, cognomine *Scotum*, acerrimum ingenii philoſophum, ad ſe alliciens, Adelingiæ monaſterii ſui conſtituit prælatum. Ambo iſti doctores literatiſſimi, ſacerdotes gradu & profeſſione monachi ſanctiſſimi erant. *Athelſtanum* etiam, & * *Wexulphum* ad ſe aduocans de Mercia, qui ambo ſacerdotes erant deuotiſſimi, *Plegimundum* etiam, poſtea promotum in Archiepiſcopum Cantuariæ, ac *Askerum*, Abbatem Bangorenſem, poſtea Schireburnenſem Epiſcopum illis in temporibus doctores celeberrimos ſuo lateri adiunxit. Quorum omnium contubernio aliquandiu in palatio fruitus & doctrina, vſq; ad profundam omnium liberalium artium ſcientiam penetrauit. Porro in ſui regni negotiis prouidēdis ſolertiſſimus & ſagaciſſimus. Exemplo namq; Danorumq; colore et quidam indigenarū latrociniis, ac rapinis incendere cœperant. Quos cupiens rex cōpeſcere, & de huiuſmodi exceſſibus cohibere, totius Angliæ pagos & prouincias in comitatus primus omnium cōmutauit; comitatus in cēturias, i. hundredas, & in decimas, i. in trithingas diuiſit; vt omnis indigena legalis in aliqua centuria & decima exiſteret. & ſi quis ſuſpectus de aliquo latrocinio, per ſuam cēturiam, vel decuriam vel cōdemnatus, vel *inuadiatus pœnā demeritā vel incurreret, vel vitaret. Pręfectos vero prouinciarū (qui antea vicedomini) in duo officia diuiſit, i. in iudices, quos nunc iuſtitiarios vocamus, & in vicecomites, qui adhuc idem nomen retinent. Horum cura, & induſtria tanta pax in breui per totam terram effloruit, vt ſi viator quantamcunq; ſummam pecuniæ in campis, & publicis compitis veſpere dimiſiſſet, mane vel poſt menſem rediens, integram & intactam indubie inueniret. In diſtributione propriæ familiæ *Dauidis* ac *Salomonis* vſus eſt ingenio. Nam diuidens familiam in tres turmas, ſingulis turmis ſingulos principes impoſuit: & vnuſquiſque princeps cum ſua turma per vnum menſem in regis miniſterio palatium conſeruauit; vno menſe completo, exiens ad proprios agros cum ſua turma, propriis negotiis per duorum menſium ſpatium intendebat; & interim ſecundus princeps per vnum menſem, & tertius princeps per alium menſem poſt illum in regis palatio miniſtrabat: vt poſtea propriis vtilitatibus per duos menſes quælibet turma vacaret. Hac reuolutione ſeruorum ſuorum, totiuſq; familiæ ſuę rotatione vſus eſt omni tempore vitæ ſuæ. Qua morū prudentia præditus, & pollens tam profunda peritia literarum, Danos poſt 13. annos per *Arnulphum* Imperatorem de Francia eiectos,

al. Werwulphū

al. abſolutus

&c ſuper

& ſuper Angliam iterum inundantes facilius, quam prius fecerat, in omni certamine ſuperabat: cum illi Francorum bellis debiliores, ac deſidiores fiant ad inuadendum, & ille viris ac viribus paratior ac peritior foret ad reſiſtendum. Inſuper ipſa regio ciuitatibus muratis, & turribus munitiſſimis fortiſſima de veteri ſtatu ſuo multum fuerat immutata. Repulſi ergo leuiter, & cito ſuperati Dani, ad ſuos in Northumbriam & Norfolchiam refugerunt.

Rex ipſe *Alfredus* multis eleemoſynarum largitionibus, ac aliis bonis moribus iugiter intentus, anno regni ſui vigeſimo nono obiit, & Wintoniæ ſepultus eſt. Cui ſucceſſit in regnum *Edwardus* filius eius, dictus poſtea *Senior*, eo quod poſt illum plures eiuſdem nominis regnauerunt, quorum omnium ipſe primus erat; patre quidem literis inferior, ſed imperii gloria multo maior. Quippe Merciam in manum ſuam ſumens à duce *Ethelredo*, cui pater cum filia ſua eam ante dederat, etiam Northfolchiam, Northumbriam, Scotiam, Walliam bellando ſubegit; & paganos de omnibus vrbibus & caſtellis muratis eiiciens, Chriſtianos introduxit. Multum adiuuit eum ſoror ſua *Ethelfleda Ethelredi* quondam ducis Lundonias relicta virago prudentiſſima, & antiquis Amazonibus præferenda. Nam pariendo ſuam ſobolem primam difficultatem perpeſſa tanta indignatione carnalem concubitum abhorruit, vt nunquam deinceps ad viri ſui thorum rediens, ſe cœlibatu caſtiſſimo contineret. Ipſam etiam vrbibus extruendis, caſtellis muniendis, ac exercitibus ducendis deditam ſexum mutaſſe putares. Anno vero regni ſui xxiij. obiit iſte *Edwardus*, & cum patre ſuo Wintoniæ tumulatus eſt. Cui ſucceſſit filius ſuus primogenitus *Athelſtanus*: contra quem cum Dani de Northumbria, & Norfolchia conſpiraſſent, aſſociatis ſibi *Conſtantino* Rege Scottorum, multiſq; aliis; ipſe collectum exercitum ducens in Northumbriam, obuios habuit plures peregrinos de Beuerlaco ad propria venientes; quorum relatu certius edoctus de miraculis Sancti *Iohannis*, ipſe cum multa deuotione dictum Sanctum viſitauit. Offerens etiam cultellum ſuum Sancto ſuper altare, promiſit ſe reditu ſuo, ſi Dominus daret ei victoriam de inimicis, dictum cultellum digno pretio redempturum. Quod & factum eſt. Nam Domino largiente ſibi victoriam, cultellum ſuum immunitate, quam nunc obtinet ille locus, rex redemit, ac ad honorem Dei cum multis aliis donariis in immenſum ditauit. Ceciderunt ſiquidem in illo prælio *Conſtantinus* Rex Scottorum, ac alii reges numero quinque, Comites duodecim, Barbaries * popularium infinita. Hoc bello proſpere conſummato, non erat qui de cætero Regem auderet offendere in aliquo. Sed deinde ſororibus nuptui tradendis intentus, etiam omnia monaſteria Angliæ tam vetera, quam noua meliorare, ac promouere aliquo ſpeciali donario inſudauit. Abbatem namq; Croyland *Godricum* adhuc ſuperſtitem, ſed longo ſenio grauatum, cæteroſq; confratres ſuos tunc ad numerum ſeptenarium de 28. diminutos in ſuam curiam aſſumens, Monaſterium Croylandiç reſtauraſſe propoſuit, ſed prępropera morte præuentus, fratribus ſuis ſuum propoſitum perficiendum reliquit. Anno ergo 17. regni ſui obiit, & Malmesbiriæ ſepelitur. Cui ſucceſſit frater ſuus *Edmundus* adoleſcens 18. annorum, & 6. annis regnauit & dimidio. Eodem anno *Godricus* Abbas Croylandiæ obiit; infraque ſenes obitus ſui duo menſes eum ſequuti ſunt, id eſt, frater *Sweinus*, & frater *Oſgotus*; remanſeruntque tum quinque ſenes, id eſt, frater * *Charenbaldus*, frater *Swarlingus*, frater *Thurgarus*, frater *Brunus*, & frater Aio. Quorum iſti duo vltimi cernentes Regem *Athelſtanum* ſuum patronum, ac Abbatem ſuum *Godricum* in fata ceſſiſſe, de monaſterii ſui releuatione, ac ſpiritualium filiorum ſucceſſione penitus deſperantes, relicto fratrum ſuorum contubernio, prior monaſterium Wintoniæ, ſecundus monaſterium Malmesbiriæ adiens, vterque & in eorum conuentum receptus, & aliquot annis retentus eſt. Verum trium fratrum in Monaſterio Croylandiæ remanentium ſancta trinitas ſemper in Domino confidebat, quod aliquando memor miſericordiæ ſuæ mitteret eis aliquem ſaluatorem, qui tam ſanctum locum ſanctiſſimi confeſſoris ſui *Guthlaci* ſacras reliquias continentem in priſtinum ſtatum releuaret, & ſpirituali ſobole ſuum ſacratiſſimum Monaſterium fœcundum faceret, ac fratres ſuos iam diſperſos iterum iuxta ſuum complacitum congregaret. Rex autem *Edmundus Dunſtano* Sancto tunc presbytero ſuo Monaſterium Glaſconiæ tunc in deſolatione à paucis clericis occupatum, cum omnibus pertinentiis contulit reſtaurandum, & monachorum ordinem, prout antiquitus habuerat, in eo reuocandum. Qui Floriatum adiens, & monachus ibidem factus, cum regulares obſeruantias plenius didiciſſet, valefaciens fratribus, Glaſconiam eſt reuerſus, abbaſq; factus ibidem, fratres ſui ſtemmatis accipiens, ſanctiſſimum in breui collegiū adunauit. Cumq; illuſtriſſimus iuuenis Rex *Edmundus* etiam Croylandiā alicui potenti viro, qui ſanctæ religionis exiſteret amator, proponeret cōmendare ad

al. popularum.

al. Clarebaldus.

reſuſcitandum de cineribus ſuæ deſolationis, ſubito infortunio in feſto ſancti *Auguſtini* apud Puckechirche à quodam latrunculo (proh dolor!) occiſus eſt, & Glaſconiæ tumulatus. Cui ſucceſſit in regnum frater ſuus *Edredus* tertius filius *Edwardi* Regis, qui regnauit annis 9. Ipſe 2. anno regni ſui, quum Northumbrii Mercio quodam ſuper ſe in regem leuato, minitarentur, & *Wulſtanus* Archiepiſcopus Eboracenſis eorum rebellioni conſentire notaretur, dirigens inclytus Rex *Edredus* cancellarium ſuum nomine *Turketulum*, virum quippe prudentiſſimum, ac omnis honeſtatis ac æquitatis ſectatorem, ſibi etiam carne propinquum & cognatum (filium ſcilicet *Cilwardi* quondam patrui ſui) in dictaq; Eccleſia Eboracenſi pinguiſſimam præbendam obtinentem, de fidelitate ſua continenda ſibi & regno ſuo inſtanter ac amicabiliter commonebat. Tranſiens itaq; venerabilis Cancellarius in hoc regio negotio cum multo comitantium equitatu, eo quod ex regali ſanguine generoſiſſimus, prædiiſque ac poſſeſſionibus latiſſimis ditiſſimus, porro 6 .maneriorum dominus, diuina gratia diſponente viam ſuam, verſus Eboracum per Monaſteriũ Croyland iter aſſumpſit. Quod cũ pertranſire diſpoſuiſſet, occurrentes ei tres dicti Monaſterii venerandi ſenes, multa ſupplicatione aduesperaſcente iam die, ad eos intrare compulerunt; & ducentes eum ad orationem in oratoriolum ſuum, quod in quodam angulo Eccleſiæ dirutæ conſtruxerant, reliquias ſanctiſſimi *Guthlaci* confeſſoris oſtendentes, omnem hiſtoriam ſuæ deſolationis expoſuerunt. Ille vero inæſtimabili pietate miſeratus, vniuerſa deuotiſſime auſcultauit. Deinde ſenes in ſuum hoſpitiolum tam nobilem hoſpitem ſumma cum humilitate ac humanitate ſuſcipientes, omnia victualia, quę habebant, miniſtris ſuis & cocis pro domini ſui cœna præparanda, licet minus idonea, & tantæ familiæ permultum inſufficientia, cum animo liberaliſſimo (ſua duo minuta) offerebant; ſoliciti pro viribus & ſupra vires ſuum ſanctum hoſpitem lætum reddere ac iucundum, & ad tantam beneuolentiam inducere, quatenus penes dominum Regem interceſſor dignaretur exiſtere, & reædificationem Eccleſiæ ſuæ, quam germanus ſuus, inclytus Rex *Ethelſtanus*, ſi ei vita comes fuiſſet, animo aliquando intenderat, aut aliquod aliud beneficium ex ſua eleemoſyna pro merito ſuæ animæ procurare. Venerabilis Cancellarius & miſeriæ tanti Monaſterii multum compaſſus, & ſenum curialitatem intimis viſceribus amplexatus, illorum precibus aſſenſum præbens, & interceſſionem conceſſit, & aliquod adiutorium ex proprio peculio compromiſit. Summo ergo mane recedens, præcepit ſeruis ſuis victualia ſufficientia vſque ad reditum ſuum ſenibus relinquere, & pro aliis neceſſariis emendis iuſſit centum ſolidos erogare: tandemque valefaciens cum multis lachrymis, ſe illorum orationibus commendabat. Ab illo namque die animus eius dictis ſenibus, ac Croilandenſi Monaſterio tam intimo ac indiuiduo amore conglutinatus eſt, vt per totam viam ſuam quotidie quibuſcunque occurrentibus, tam in diuerſoriis quam in viis Croilandenſium ſenum humanitatem exponeret, ſanctitatem extolleret, charitatem prædicaret, calamitatemque deploraret. Ab ipſoque tunc primitus proceſſit, quod Croyland * Curteyſe cognomen accepit. Perueniens itaque Eboracum venerabilis *Turketulus*, cum Domini ſui Regis mandatum multa ſollicitudine ac prudentia penes Archiepiſcopum, & vniuerſum ciuitatis populum peregiſſet proſpere, reuertendo per Croylandiam rediit, & Sancto ductus Spiritu, ad prædictos ſenes hoſpitaturus cum ſua familia iterum declinauit. Suſceptus ipſe immenſo gaudio, iterum de ſuſtinentia conſolatur; & manum Domini ſemper ad adiuuandum ſuos potentem & promptam prædicans, auxilium diuinum in proximo affuturum pollicetur. Datiſque viginti libris argenti dictis ſenibus, ad dominum ſuum regem ſummo mane reuerſus eſt. Cumque regem de reſponſo Archiepiſcopi Eboraci, ac totius populi ciuitatis ipſius plenius inſtruxiſſet, tandem inuocato Sancto Spiritu, de ruina Croylandenſis releuanda Monaſterii ſermonem ſagaciſſime inducebat. Porro prædicationis ſuæ de hac materia in auribus regis cum eius Cancellarius ac præcipuus conſiliarius finem feciſſet, gratuito conſenſu rex aſſenſum præbuit: ſed cum bellum ferociſſimum, quod tunc in manibus habebatur, opitulante diuina gratia, proſpere peregiſſet, tunc namque vacaret huiuſmodi deuotionibus inſiſtere, & *Chriſti* Eccleſiam vbique per regnum pro viribus promouere. Ad quod Cancellarius, Domine, prædeceſſores veſtri ſtrenuiſſimi reges, domini mei, duo germani veſtri, multa bona opera ad honorem Dei ſanctæque matris Eccleſiæ exultationem operati ſunt in diebus ſuis; & Dominus Deus iuſtiſſimus iudex pro huiuſmodi bonis operibus & dedit eis victoriam de omnibus inimicis & abundare fecit etiam omnibus bonis. Ita & vos (ſi mihi creditis) per opera meritoria digniſſima recompenſatione Deũ vobis obligabitis, & ſic protecti ſanctorum precibus & adiuti ſuperũ fauoribus, ſecuriori conſcientia, cũ placuerit, ad veſtra prœlia procedetis. Hæc, & plura talia cum venerabilis

al. Curteſy.

bilis Cancellarius collatione amicabili coram rege ſæpius retexiſſet, tandem Dominum ſuum regem ad hoc induxit, vt illud Euangelicum ei diceret, Habete vos cuſtodiam, & ſenes illos & locum illum cuſtodite, ſicut ſcitis; nam manus mea in omnibus erit vobiſcum, ſi adiutorio meo in aliquo egeatis. Iſtud reſponſum accipiens ille tanquam diuinum oraculum, & de ſacrario Epiſcopus ſanctus procedens, theoricum verbum non ſecus intelligens, mox ſe monachum ibidem futurum palam promiſit, & regium fauorem ſuo propoſito affore animo deuotiſſimo requiſiuit. Rex hæc audiens, ſupra modum admiratus, id fieri omnimodis diſſuadet: maxime cum iam in ſenium vergeret, & nutritus in deliciis, rigorem religionis in vſu antea non haberet; præter hoc in regni negotiis vrgentiſſimis, cum omnia in ipſo pendeant ac ipſius auxilio & conſilio, regnum periclitari non immerito formidaret. Et Cancellarius, Domine mi Rex, dominis meis fratribus veſtris, & vobis debita fidelitate (Deo teſte, qui nouit omnia) pro viribus militaui: iam pro merito animæ veſtræ patiatur veſtra clementia, me Domino Deo, ſaltem in ſenio militare. Quippe conſilium meum, & omne auxilium, quod paruitas mea poterit, quamdiu in hoc meo corpuſculo vita comes fuerit, veſtris negotiis incunctanter aderit: ſed certiſſime de cætero ſcire velit dignatio veſtra, quod manus mea arma bellica à modo non tractabit. Audiēs hoc piiſſimus rex, grauiter ferebat, cernenſq; quotidie ſanctum eius deſiderium in Domino creſcere, metuenſq; ſanctū ſpiritum extinguere (prout erat præ cunctis regibus prædeceſſoribus ſuis puriſſimæ conſcientiæ) quadam die in ſecretum cubiculum eum aduocat, & prouolutus pedibus ſerui, quatenus ſui miſereatur, & non derelinquat eum in die tribulationis ſuæ, etiam cum multis lachrymis ſupplicat & exorat. Videns vero Cancellarius dominum ſuum, regem videlicet totius Angliæ, ſuis pedibus ſuper terram prouolui, & ipſe ruit in terram, & quatenus ſui miſereatur, ſuſpiriis & ſingultibus innumeris rogat: & tandem per Sanctum *Paulum* (cui Rex ſpecialem deuotionem ſemper habebat) corditer adiurans, ſuperat, & impetrat, quod exoptat. Ambo ergo ſurgentes à terra, diem ſtatuerūt, quo Croylandiam adirent, ac ſanctum votum ſuum ſecuriſſimo ac honeſtiſſimo modo, quo poſſent, inuicem conſummarent. Euolutis itaq; paucis diebus, rege conſentiente, voce præconaria venerabilis Cancellarius *Turketulus* per medias Londonias fecit proclamari, vt, ſi cui aliquo debito teneretur obnoxius, paratus erat certo loco & die deſignato ad plenum perſoluere; & ſi cui aliquam iniuriam aliquando irrogaſſet, promiſit in triplo, tanquam alter *Zacchæus*, ſatisfacere, ac iuxta omnem iuris exigentiam damna inita reſtaurare. Omnibus ergo creditoribus, ac debitoribus vniuerſis pacatis, ſexaginta maneria ſua domino ſuo Regi contulit, decimum ſemper manerium Domino ſuo *Chriſto* reſeruauit. Reſeruauit itaq; ſex maneria ſua de 60. quæcunq; ſcilicet habebat ad Croylandiam propinqua ſituq; viciniora, videlicet, Wendlingburough / Elmington / Worthorpon / Koten‑ham / Hokington / & Beby: cætera vero dedit regi. Et veniens cum Rege ad Croylandiam in vigilia Aſſumptionis beatæ *Mariæ*, mox ad Wintoniam, & Malmesbiriam pro duobus fratribus, ſcilicet *Bruno & Aione* ex regis nomine nuncios miſit. Qui audientes Dominum de cœlo Croylandiam reſpexiſſe, gaudentes & alacres ad ſuum Monaſterium regreſſi ſunt: & intrantes in vigilia beati *Bartholomæi* patroni ſui ad fratres ſuos, cum ingenti gaudio ſunt recepti. Erant namque ambo viri literatiſſimi, & moribus multum honeſti ac religioſi. In craſtino ergo, ſcilicet in feſto Sancti Apoſtoli, quum venerabilis *Turketulus* depoſito habitu ſeculari inter prætactos ſenes quinque monachicum ſchema ſuſcepiſſet, etiam baculo paſtorali à Rege donatus eſt, & à *Cedwulpho* Epiſcopo Doreaciſtrenſi diœceſano tunc præſente more Eccleſiaſtico benedictus. Eodemque die de Regis arbitrio, ac iuriſperitorum conſilio, vt in poſterum contra iniquorum violentias fortiori conſiſterent fundamento, venerabilis Abbas *Turketulus*, prætactiq; 5. ſenes monachi ſui vniuerſum monaſterium ſuum cum omnibus terris, ac tenementis, bonis, & catallis ei pertinentibus in manum Domini regis funditus & ſponte reſignabant. Rex autem ſuſcipiens omnia in manus ſuas, in craſtino carpentarios ac cæmentarios conducens, deque propria familia quendam clericum, nomine *Egelricum*, genere ſibi propinquum, cognatumque domini *Turketuli* Abbatis, operariis & vniuerſo loco præficiens, expenſas de fiſco aſſumēdas, ligna & lapides de proximis ſyluis & lapidicinis, tunc regali manerio ſuo de Caſtre pertinentibus, in omni copia aſſignauit. Qui diligentiſſime operi inuicto inſiſtens animo, in breui Eccleſia fabricata, clauſtroq; cum cæteris neceſſariis officinis ædificato & gratias à rege, & benedictionem à Domino meruit pro labore. Statim vero, cum rex ipſe ſingulis operibus ſingulos operarios deputaſſet, & prædictum fidelem clericum ſuum prædictis operariis præfeciſſet, quum dies concilii appropinquabat (quod tenendum in proximo Londoniis pro publicis regni negotiis ſtatuerat) aſſumpto ſecū venerabili *Turketulo* abba-

te cum duobus ſenibus monachis ſuis, ſcilicet *Turgaro & Aione*, in feſto Sancti *Auguſtini* Epiſcopi & egregii doctoris Londonias repetebat. In feſto ergo natiuitatis beatæ *Mariæ* cum vniuerſi magnates regni per regium edictum ſummoniti, tam Archiepiſcopi & Epiſcopi, ac Abbates, quam cæteri totius regni proceres & optimates Londoniis conueniſſent ad tractandum de negotiis publicis totius regni, conſummatis omnibus, coram vniuerſis Domino *Turketulo* Abbati, monachiſque ſuis accerſitis Rex *Edredus* dedit monaſterium Croyland per Chartam ſuam, dictatam ab eodem *Turketulo* Abbate, iamdudum Regis Cancellario, conſiliarioque familiariſſimo, & conſcriptam in his verbis. Pax in ſummæ Trinitatis nomine, patris, & filii, & ſpiritus Sancti, Amen. Ego *Edredus* Rex terrenus ſub imperiali potentia Regis ſeculorum æternique principis magnæ Brittanniæ temporale gerens imperium, vniuerſis Chriſtianis tam præſentibus, quam poſteris ſalutis beneficium in authore ſalutis. Vobis liqueat omnibus, quod per deuotam ſuggeſtionem, & frequentem prouocationem dilecti clerici & cognati mei *Turketuli* mihi factam ſuper reparatione, reſtauratione, ac libertate ſacroſanctæ Eccleſiæ & monaſterii Croylandenſis, in quo reconditæ ſunt reliquiæ ſancti *Guthlaci* confeſſoris, & anachoritæ, non modicum condolui, & compaſſus ſum, tam pro depopulatione ſanctæ matris Eccleſiæ, quam pro minoratione beneficiorum ſpiritualium pro animabus progenitorum meorũ per opera miſericordiæ multipliciter & frequenter impenſorum; recolens ibi cœnobium nigrorum Monachorum ordinis Sancti *Benedicti* à nobili Rege Merciorum, *Ethelbaldo* nomine, quondam *Alwionis* filio eſſe fundatum, affluenter ditatum, & regalibus priuilegiis ſufficienter munitum, vt per inſpectionem chartarum eiuſdem *Ethelbaldi* ad ſecuritatem dictorum monachorum compoſitarum, ſatis erat conſilio meo declaratum. Sed poſt multorum temporum curricula per paganorum exercitum erat deuaſtatum, & cum omnibus ornamentis & monumentis compluribus igne crematum & conſumptum. Vbi prædictus *Turketulus*, qui iuxta Pſalmiſtæ vocem propheticam, *odit Eccleſiam malignantiũ, & dilexit decorem domus Domini*, pio ſtimulatus deſiderio dictum cœnobium reparare & reædificare ſummopere molitur. Hic homo diuinæ charitatis zelo in tantum accenſus eſt, vt corde ac corpore ſe ouili Dominico ibidem mancipare indeſinenter adoptat. Vnde quinq; monachi ſenes in eadem inſula latitantes, de quibus duo à * diſpoſitione regreſſi, de eiuſdem *Turketuli*, & aliorum iuriſperitorum conſilio informati, quaſi grauiter formidantes iacturas & diſpendia varia, futuris temporibus inopinate emergentia, totam Abbatiam cum omnibus poſſeſſionibus obtentis, & eiuſdem *Turketuli* ſolicitudine recuperatis, meo etiam fauore acquiſitis, cum ſex maneriis de prædiis ſuis hæreditariis in manum meam funditus & ſponte reſignarunt, vt per meam redonationem de firmiori & liberiori ex tũc & in poſterum gratulentur poſſeſſione. Sed quum fœdus verbo ſolummodo initum, dum à memoria fuerit deuolutum, in materiam contrahitur litigioſam, niſi rei geſtæ perennis ſcripti patrocinium ſuffragetur: hinc eſt, quod ſæpedictum *Turketulum*, cum præfatis monachis iam in habitu adunatum, grato meo conſenſu & aſſenſu Abbatem eiuſdẽ monaſterii conſtituto; & tam Abbathiam, q̃ omnes poſſeſſiones ſic recuperatas, & mihi reſignatas ex dono meo regali de cætero in perpetuam & puram eleemoſynã illis monachis, & omnibus ſucceſſoribus eorum ſub eadem regula, & eodem habitu S. *Benedicti* ibidem Deo ſeruientibus trado, dono, & confirmo, & in hunc modum per ſingula declarare diſpono. Inprimis totam inſulam Croylandiæ pro gleba Eccleſiæ, & pro ſitu ſeparali eiuſdem monaſterii cũ his limitibus diſtinctam; videlicet, à ponte de Croyland triãgulo per aquam de Weland verſus Spaldeling vſque ad Aſendick/ vbi Aſendick cadit in aquam de Weland/ ex Boreali parte crucis lapideæ per prædictum *Turketulum* ibidem affixæ; & ſic ſurſum verſus Orientẽ per Aſendick vſque ad Aſwicktoft/ & inde vſque ad Shepſhee in Orientali parte eiuſdem inſulæ, & ſic vſq; ad Tedwarthar/ & ibi intrando Southee vſque Namanlandhirne, vbi crucem lapideam affigi præcepit idem *Turketulus*, diſtantem à Southee per ſex perticatas; & ſic in illa aqua diuiſio duorum comitatuum, Lincolniæ videlicet, & Grantebrigiæ; & diſtat eadem crux ab aqua de Nene verſus occidentem per 5. perticatas; & inde per eandem aquam de Nene, ſicut currit ad ſupra dictum pontem de Croyland: cum ſeparali piſcaria tam in aquis omnibus ambientibus eandem inſulam, quam in ſtagnis & paludibus infra ſitum incluſis, vna cum mariſcis, & alnetis adiacentibus verſus occidentem ex oppoſito eiuſdem inſulæ, in omnibus Lincolniæ comitatui annexis, & reſpondentibus, & per hos limites in hunc modum determinatis, videlicet à Namanlandhirne per aquam de Nene verſus Occidentem vſque ad finem factum, vbi crux lapidea defixa eſt iuxta ripam; & abinde vſque ad Grinis / & ſic vſque ad Folwardſtaking / & inde vſque ad Southlake / vbi Southlake cadit in aquam de Weland/

el. diſperſione.

& ſic

& ſic tranſeundo eandem aquam, & incipiendo ad Kenulphſton iuxtà ripam ex oppoſito de Southlake/ vbi primus Abbas à fundatione eiuſdem monaſterii, nomine *Kenulphus*, poſuit crucem lapideam pro limite inter Croyland & Deping/ & ab inde tendendo verſus Boream iuxta Aſpath vſque ad Wervarlake/ & vſque ad Harinholt, & deinde ſurſum per Mengarlake/& Lurtlake/ & ibi ſunt limites diuidentes Hoiland & Keſteuene/& inde vſque ad Oggot, & ſic vſque ad Apinholt / ſiue alio nomine Wodelade / vbi Wodelade cadit in aquam de Weland: cum omnibus appendiciis, & omni commodo, quod poſſit euenire, ſiue extorqueri infra ſupradictos limites tam ſubter terram, quam ſupra, cum communa paſturæ in mariſcis adiacentibus ex vtraque parte aquæ de Weland / videlicet ex vna parte ab ipſa aqua vſque ad agrum de Medeshamſteed / & ex alia parte ab eadem aqua vſque ad ædificia de Spaldeling / cum ſeparali piſcaria in eadem aqua de Weland à Kenulphſton vſque ad pontem de Croyland, & ab inde in eadem aqua, & in aqua de Weland coadunatis vſque ad Aſendick. Poſſunt etiam dicti monachi de eiſdem mariſcis verſus Occidentem adiacentibus pro ſe & hominibus ſiue tenentibus ſuis includere croftos ſiue pratum circa pontem ſeparaliter quantum illis placuerit. Quare volo, quod dicti monachi habeant prædia iſta de donatione & confirmatione mea libera & ſoluta ab omni cauſa & onere ſeculari, & omnes libertates, & liberas conſuetudines, cum omni illo, quod appellatur Socha Sacha, Tol & Tem, Infanthef, Weif, & Stray, & cum his legitime appendentibus in puram & perpetuam eleemoſynam meam. Præterea trado, dono, & confirmo eiſdem monachis has poſſeſſiones eidem cœnobio ex donatione antiqua procerum regni mei ab olim dependentes: videlicet in Lincolnshire, in Spauldelinge tres carucatas terræ; in Pincebeck vnam carucatam terræ; in Cappelade tres carucatas terræ, ſex bouatas terræ, & duodecim acras prati cum eccleſia eiuſdem villæ; in Algare duodecim bouatas terræ; in Donnesdike duas carucatas terræ, & viginti acras prati; in Drayton vnam carucatam terræ, & ſex acras prati, & 4. ſalinas; in Burtoft vnam bouatam terræ, cum Socha Sacha, & cum Eccleſia de Sutterton; in Boſcuhale duas carucatas terræ, & dimidiam: & viginti ſex acras prati, & quinquaginta acras ſyluæ, & 70. acras de Brushe; in Halington decem bouatas terræ, cum quatuor bouatis de Juland/& cum triginta duabus acris prati de eodem feodo in Gerumthorp; in Langtoft ſex carucatas terræ arabilis (& habet quindecim quarentenas in longitudine, & nouem quarentenas in latitudine) & centum acras prati, & ſyluam, & mariſcum duarum leucarum in longitudine, & duarum leucarum in latitudine, & Eccleſiam eiuſdem villæ, & quadraginta acras de eodem feodo in campo de Deping; in Baſton apud Tetford quatuor carucatas terræ arabilis, & quadraginta quinque acras prati, cum Eccleſia eiuſdem villæ, & cum 16. quarentenis mariſci in longitudine, & 8. quarentenis in latitudine, cum vno molendino aquatico, & dimidio molendino; in Repingale tres carucatas terræ arabilis, & 60. acras prati; in Laithorp vnam bouatam terræ; in Kirby tres bouatas terræ, vnam manſionem & tria cotagia. in Northamtonshire, in Wedlingburough 6. hidas terræ, & dimidiam, cũ eccleſia eiuſdem villæ, cum Socha Sacha, &c; in Adington tres hidas terræ, cum aduocatione Eccleſiæ eiuſdem villæ; in Helmington tres hidas; in Glapthorn 3. virgatas terræ; in Wirthorp vnam hidam, & dimidiam, cum vno molendino aquatico; in Peykirk duas virgatas terræ; in Baddy manerium, & quatuor hidas terræ, cum triginta acris prati: in Huntindonshire/ in Morberne 5. hidas terræ, cum aduocatione eccleſiæ eiuſdem villæ, in Thiring vnam hidam & dimidiam terræ: in Leyceſtreshire/ in Beby decem carucatas terræ, & dimidiam, cũ eccleſia eiuſdem villæ; in Sutton 2. carucatas terræ; in Stapleton 2. carucatas terræ: In Grantebrigtcshire/ in Kotenham 11. hidas terræ, cum aduocatione eccleſiæ eiuſdem villæ alternis vicibus; in Hokitton 6. hidas terræ, & dimidiam, cum eccleſia eiuſdem villæ; in Draiton octo hidas terræ, & dimidiã, cum aduocatione eccleſiæ eiuſdem villæ: In Harkfordshire in Standoun 5. hidas terræ. Et volo, quod dicti monachi ſint quieti & ſoluti ab omni ſcotto, geldo, auxiliis vicecomitum, hydagro, & à ſecta in Schiris, Wapuntakis, Hũdredis, Thrichingis, & omnimodis aliis curis & ſeculi oneribus vniuerſis. Et præcipio, ꝙ omnes homines fugitiui, quos iidem monachi, & teſtimonium quatuor vel quinq; hominũ fide dignorum coram vicecomite in patria, in qua tales manent, poſſunt affidare ſuos natiuos eſſe, reducantur per prædictum vicecomitem in abbatiam eorum cum omnibus catallis & ſequelis eorum, omnium reclamatione & reluctatione abinde remota & annullata. Et ſi quid prius egerint in fraudem dominorum ſuorum, illud caſſatũ omnino decerno. Et ſi quis hominum natiuorum ſuorũ, vel natiue de eis tenentium aliꝗ delictum fecerit, ꝓ quo catalla ſua debet ꝑdere, ipſa catalla ꝓdictis monachis integre liberentur vbi-

cunque facta fuerit iuſtitia. Et volo, quod vicecomes, vel aliquis de balliuis ſeu miniſtris meis repertus negligens, vel protrahens eorum negotia contra iuris ordinem & libertates eorum, ſit in forisfactura 20. librarum theſauro meo ſoluendarum. Et ne aliquid omittatur, quod ad ſecuritatem iurium & libertatum eorum Monachorum præſenti chartæ conuenit inſerere, ſaltem propter eos, quos plus terret diſpendium temporale vitæ præſentis, quam ſupplicium gehennale perpetuo duraturum: diſtricte præcipio, quod omnes & ſinguli, cuiuſcunque fuerint gradus vel conditionis, qui præſentis ſcripti ſanctionem contra formam & effectum voluntatis meæ expreſſæ in eodem in aliquo violare nituntur, perturbare, vel minuere procurant conſilio, auxilio, vel fauore, quo minus pacifice poſſideant aliqua dona ſibi conceſſa, vel veſcantur aliquibus priuilegiis ſuperius memoratis; ſint condemnati in pœna forisfacturæ centum librarum legalis monetæ theſauro meo, hæredum, vel ſucceſſorum meorum perſoluendarum, quoties ſic attentare præſumpſerint; nec non quod ſatisfaciant dictis monachis pro damnis & expenſis per eos ſibi factis vel illatis, taxandis per iuramenta quatuor vel quinque hominum fide dignorum, per quos rei veritas melius agnoſci poterit, coram iudicibus meis, hæredum, vel ſucceſſorum meorum definiendis. Vt ſic qui ſeculo ſponte renunciantes, ſe iugo Dominico manciparent, & iam facti ſunt mundo mortui abſque mundi turbine & inquietudine liberam habeant facultatem diuinæ vacare contemplationi. Iſta donaria (licet minima) ad laudem ſummæ Trinitatis, & in pretium redemptionis animæ meæ prædictis monachis deuotus perpetuaui & ſtabiliui in anno ab incarnatione Domini noſtri *Ieſu Chriſti* nongenteſimo quadrageſimo octauo, in præſentia Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & procerum regni mei ſubſcriptorum. ✠ Ego *Wulſtanus* Archiepiſc. Eborac. deuotus ſubnotaui. ✠ Ego *Odo* Dorobern. Archiepiſc. conſilium & conſenſum meum ad iſtud dedi. ✠ Ego *Alfredus* Schireburn. Epiſc. affectaui. ✠ Ego *Kinſius* Lichfeld. Epiſc. conſenſi. ✠ Ego *Kinewaldus* Wigorn. Epiſc. iſtud factum corroboraui. ✠ Ego *Ceolwlphus* Dorcaciſt. Epiſco. deſideraui. ✠ Ego *Athelwoldus* Abbas Abendonenſis approbaui. ✠ Ego *Dunſtanus* Abbas Glaſconiæ multum adoptaui. ✠ Ego *Oslake* dux ad inſtantiam Domini mei Regis collaudaui. ✠ Ego *Brithnodus* dux commendaui. ✠ Ego *Alcinus* Comes faui. ✠ Ego *Aigulfus* Comes conſignaui. ✠ Ego *Radbodus* Comes conſenſum dedi. ✠ Ego *Bingulph* vicedominus conſului. ✠ Ego *Alfer* vicecomes audiui. ✠ Ego * *Harceus* miniſter interfui. ✠ Ego *Sigeus* miniſter auſcultaui. ✠ Ego *Athelwardus* miniſter aſpexi. ✠ Ego *Turketulus* (licet miniſter inutilis) finem cernens mei propoſiti, ob huius rei gratiam æternum Deum laudo per omnia, & licet ſero veniens ſub habitu monachali, & animo contrito iugo regulari meipſum ſubmiſi, vt ſaltem ſic ſenectutis meæ fæces creatori meo cogar immolare. Magnificat ergo anima mea Dominum, & vos fratres magnificate Dominum mecum, vt in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo ſeruientes, ſemperq; mundi principe triũphato, ſic curramus in præſentis vitæ ſtadio, vt in futuro ad diuinæ ſpeculationis brauium pertingere mereamur, Amen.

al. Farceus.

De geſtis huius venerabilis patris noſtri Abbatis *Turketuli* aliqualem notitiam noſtris poſteris traditur, noſtræ narrationis exordium, decet, vt altius aſſumamus: quatenus tam generoſi ephebi florida iuuentute cognita ſecundum Chronicorum fidem, & prout patres noſtri narrauerunt nobis, ſanctam ſenectutem ſucceſſiſſe veriſimili euidentia facilius demonſtremus. Circa ergo vltima tempora Regis *Edwardi*, defuncto *Ethelwardo* germano ſuo, filius ſuus primogenitus *Turketulus* noſter paternam hæreditatem à patruo ſuo prædicto Rege *Edwardo* adeptus eſt. Cui cum generoſiſſimas puellas, ducum Comitumq; ſuorum filias, multoties Rex in matrimonium obtuliſſet, & ille nullo modo nuptiis acquieſcens, omnes amore caſtitatis prima fronte repudiaret: arguens Rex prudentiſſimus per huiuſmodi ſancta principia, virum virtutis ipſum futurum fore, ſtuduit ad dignitates Eccleſiaſticas, & Epiſcopatus apicem eum aliquando exaltare. Vnde plurimis Epiſcopis in fata cedentibus, vt ſua ſanctitas innoteſceret vniuerſis, qui in domo Domini ſunt, ſi ſuper candelabrum poneretur: Rex ſæpiſſime ſatagebat in maioribus Eccleſiis totius Angliæ ad gradum Epiſcopalem præ cunctis cæteris clericis ſuis promouere. Ille vero variis excuſationibus omnes huiuſmodi honores ſubterfugiens, tanquam tendiculas Sathanæ ad animas ſubuertendas, omnibus vitæ ſuæ temporibus penitus abhorrebat. Obtulit enim ei prędictus Rex Epiſcopatum Wintoniæ defuncto *Dinewulpho* Epiſcopo eius. Sed ille minus ſe idoneum tantæ dignitati proteſtans, *Frideſtanum* collactaneum ſuum, quatenus dignaretur accipere, ſupplicabat & obtinebat. Factuſque eſt *Frideſtanus* Epiſcopus Wintoniæ. Eodem etiam momento *Pleigmundo* Archiepiſcopo Dorobornienſi ſuggerente, Dorcaciſtrenſis Epiſcopatus ei à rege oblatus eſt. Quem cum pari pertinacia refutaret,

furaret, & *Ceolwulphum* presbyterum ſuum regi offerret, dictus *Ceolwulphus* epiſcopus eſt factus. Semper itaq; ſic terrenæ dignitatis gloriam refutabat, ſic tranſitorios honores omnibus diebus ſuis abiiciebat. Cognoſcens tandē rex quorſum cordis ſui ſanctiſſima deſideria inclinabant & propendebant, (ſcilicet illum dignitates & diuitias non amare, ſuis terris ac ſtipendiis tantum contentum eſſe, aliena nō appetere) Cancellarium ſuum eum conſtituit, vt quęcunque negotia temporalia vel ſpiritualia regis iudicium expectabant, illius conſilio & decreto (tam ſanctæ fidei & tam profundi ingenii tenebatur) omnia tractarentur, & tractata irrefragabilem ſententiam ſortirentur. Conſilio ergo illius multa bona opera rex effecit, ac inter cætera ſeptem Eccleſiis 7. Epiſcopos vno die dedit; videlicet præfatum *Frideſtanum* ad epiſcopatum Wintoniæ, præfatum *Ceolwulphum* ad Dorcaciſtriæ. *Wherſtanum* ad epiſcopatum Shireburnenſem, *Athelſtanum* ad Cornubienſem, *Athelmum* ad Fontanenſem, & *Alduphum* ad Cridienſem, ac *Bernetum* Auſtralibus Saxonibus præponens, cuius ſedes eſt apud omneſque vno die vnoque loco à præfato *Pleigmundo* Archiepiſcopo conſecratos. Compleuit itaque dies ſuos inclytus rex *Edwardus Ethelſtanuſque* filius eius ſucceſſerat. Contra quē cum *Analaphus* filius *Sitrici*, quondam regis Northanhumbriorum inſurgeret, & bellum ferociſſimum multorum viribus moliretur, conſpirantibuſque cum dicto *Analapho Conſtantino* rege Scotorum, & *Eugenio* rege Cumbrorum, ac aliorum regum Comitumque barbarie infinita, omnes cum ſubiectis nationibus ad Brunford in Northanhumbria contra *Athelſtanum* regem conueniſſent, arctiſſimo fœdere coniurati, & dictus rex Anglorū cum ſuo exercitu occurriſſet: licet præfatus barbarus infinitam multitudinem Danorum, Noreganorum, Scotorum, ac Pictorum contraxiſſet, vel vincendi diffidentia, vel ſolita gentis ſuæ verſutia maluit nocturnis tenebris inſidias tendere, quàm aperto prælio dimicare. Irruit ergo ſubito ſuper Anglos nocturno tempore; peremptoque quodam Epiſcopo, qui præcedente veſpere ad exercitum regis *Athelſtani* acceſſerat, cum clamor morientium longius perſonaret, vt rex ipſe, qui plus vno milliari à loco diſtabat, ſuuſque totus exercitus, qui circa illum in tentoriis ſub dio dormiebat, euigilans atque intelligens citius armarentur aurora iam illuceſcente, ad locumque cædis appropinquans paratus & promptus fieret ad inuadendum contra barbaros, qui tota nocte laborauerant, & iam laſſos & laxatos ab ordine offendentem contigit regem *Ethelſtanum*, qui Weſtſaxones omnes ducebat, contra aciem *Analphi* occurriſſe, ac Cancellarium ſuum *Turketulum*, qui Londonienſes, & omnes Mercios trahebat, contra aciem *Conſtantini* obuiaſſe: ceſſantibus cito ferentariis armis, pede pes, & cuſpide cuſpis, vmboque vmbone pellebatur. Cæſi multi mortales, confuſaque cadauera regum & pauperum corruebant. Cumque diutiſſime ac diriſſime dimicaretur, & neutra pars cederet, (tanta erat Paganorum multitudo) Cancellarius *Turketulus* aſſumptis ſecum paucis Londonienſibus, quos fortiſſimos nouerat, & centurione Wicciorum, *Singino* nomine, qui ſpectata fortitudine pollebat, ipſe præ cunctis & ſtatura procerus, oſſibus & neruis ſolidus & cordatus, ac inter omnes heroes Londonienſes viribus robuſtiſſimus, peruius ipſe inuolat in aduerſos; penetranſque cuneos hoſtiles proſternit à dextris & à ſiniſtris. Iam Orcadenſium, ac Pictorum globos pertranſierat, ſyluamque iaculorum & telorum, quæ thorace fideliſſima ſufflauerat, in ſe proiectam circumferens, iam cuneos Cumbrorum ac Scotorum cum ſuis ſequacibus perforabat. Tandem multo ſanguine ad ipſum regem perueniens, equo deiecit, deiectumque cum viuum capere omnimodis conaretur, & Scoti conſtipati regem ſuum totis defendere viribus inſiſterent, & plures in paucos niterentur, præcipueque omnes vnum *Turketulum* appeterent, prout ſæpius poſtea fatebatur, tunc primum temeritatis ſuæ pœnitebat. Iam iamque opprimendus erat à Scotis, & rex è manibus eius eripiendus, cum *Singinus* centurio gladio confodit eum. Sic rege Scotorum *Conſtantino*, perempto Scoti ſe retrahentes, viam apertiorem *Turketulo*, ſuiſque militibus concedebant. Cognita ergo morte *Conſtantini* per vniuerſum exercitum, *Analaphus* fugam facit, fugiuntque vniuerſi. Cecidit ibi paganorum copia inaudita. In tam duro certamine ſe ſæpius gloriabatur à Domino conſeruatum *Turketulus*, & ſe fœliciſſimum & fortunatum, quod nunquam hominem occiderit, neminem mutilauerit, cum pugnare pro patria, & maxime contra paganos licite quiſq; poſſit. Hac itaque victoria per vniuerſam Chriſtianitatem citius ventilata, deſiderabant omnes reges terræ cum *Athelſtano* rege amicitias facere, & quocunque modo ſacra fœdera pacis inire. Miſit ergo legatos *Henricus* imperator Romanorum pro vna ſororum ſuarum *Othoni* filio ſuo in vxorem ducenda. Miſit etiam *Hugo* rex Francorum pro alia ſuo filio tradenda. Miſit & *Ludouicus* princeps Aquitanorum pro vna ſibimet aſſumenda. Allata ſunt per eorum nuncios tot eximia regalia. qualia & quanta per plurima ante ſecula An-

glicis fuerant incognita & inuiſa. Præter odores aromatũ, præter honores gemmarũ, præter equos curſorios aureis ephippiis phaleratos, & onychina vaſa pretioſiſſima, & alia donaria plurima, & pulcherrima, miſſa eſt pars crucis Dominicæ cryſtallo decentiſſimè incluſa, portiũcula etiã ſpineæ coronæ *Chriſti* ſimiliter cryſtallo cõtecta, enſis *Conſtãtini* magnus, cuius capulo ſuper craſſas auri laminas clauus affixus erat vnus ex quatuor, quibus redemptor noſter nos & omnes ſuos ſaluauit, vexillum quoque beatiſſimi martyris *Mauricij*, & lancea *Caroli* magni non apud Francos exigui pretij. Quibus donariis rex magnificus *Ethelſtanus* in immenſum delectatus, & ſorores præfatis principibus conceſſit, ac inter delegatos, qui virgines transducerent, primum & præcipuum Cancellarium ſuum *Turketulum*, eò quòd prudentiſſimus, & in omni negotio ſanctiſſima fide probatiſſimus, propinquus etiam genere dictis virginibus haberetur, indubitata confidentia deputauit. Vadunt ad littora cum Cancellario quatuor viragines, quę caſtitatis honore *Dianam* vincebant, & corporali pulchritudine etiam *Helenam* ſuperabant. Conferuntur à ducibus, & Comitibus, aliiſque terræ totius optimatibus in ſinus ſplendidos multa iocalia, aurum & armillæ, & mille monilia. Tandem relicta Anglia, poſt velata maria proſperè per Rhenum petitur Colonia. Duæ ſorores ſeniores Imperatori *Henrico* commendantur: quarum primam *Othoni* ſuo filio, ſecundam cuidam ſui palatij magno principi copulauit. Tertiam ſororem *Hugo* rex Francorum ſuo filio ſuſcepit. Quartam, quæ omnium ſororum iunior erat, & ſpecioſiſſima, *Ludouicus* princeps Aquitaniæ in vxorem duxit. Completa itaque dicta legatione, Cancellarius *Turketulus* magnis onuſtus muneribus, cum tota familia multis donariis ad vltimum quemlibet puerum ditata, proſpero nauigio in Angliam eſt reuerſus. Triumphatis ergo omnibus hoſtibus, ſuiſque ſororibus digniſſimè maritatis, ad exaltandam Eccleſiam *Chriſti* vbique per regnum ſuum (Cancellario ſuo *Turketulo* ſemper illud ſuggerente) intentiſſima deuotione animum totum dedit. Reſtaurat ergo monaſteria, ædificat eccleſias, ac ſanctis altaribus offert pretioſiſſima ornamenta. Malmesbiriam maximè (vbi duos cognatos ſuos, filios ſcilicet *Ethelwardi* patrui ſui, *Elwinum*, & *Ethelſtanum* cæſos à Danis in prælio Brunesfordenſi ſolenniter ſepelierat) ſpeciali diligentia diligit & exaltat, ac multis priuilegiis præ cæteris monaſteriis magnificat, & honorat: & demum ſuos annos *Atropo* ante tempus abſcindente defunctus, ibidem ſepultus pauſat. Cui (vt prædictum eſt) frater ſuus *Edmundus* in regnum ſucceſſit. Eius enim tempore cum ſanctus *Dunſtanus* tunc regij palatij presbyter, ac Cancellario *Turketulo* à ſecretis familiariſſimus, & confeſſionum ſuarum communicator confidentiſſimus, quibuſdam æmulis perſequentibus, per ipſum regem de palatio pelleretur, *Turketulo* Cancellario, ſuamque ſanctitatem plurimum prædicante, & pro ſua gratia ſtudioſiſſimè regem deprecante, reuocatus, & Monaſterio Glaſconiæ donatus eſt. Dedit tunc ſancto *Dunſtano* Cancellarius *Turketulus* pulcherrimum calicem, qui adhuc ad hæc Normannorum tempora ibidem, & calix *Turketuli* cognominatur conſeruatus. Sex autem annis & dimidio in regno completis, cum rex *Edmundus* eſſet interemptus, *Edredus* tertius frater in regnum ſucceſſit. Cuius anno ſecundo Cancellarius *Turketulus*, cum adhuc ante ſuam conuerſionem in ſuo ſancto deſiderio neophytus exiſtens gratiam domini ſui regis votis ſuis bene reſpondentem in omnibus obtinuiſſet, quadam die cum ſumma celeritate de Londoniis Croylandiam aduolans, præfatos tres ſenes in dicta inſula latitantes deuotiſſime viſitauit, & ſupra quam dici poteſt aut excogitari, reuelato ſuo ſancto propoſito in immẽſum lætificauit. Receptus ergo in eorum fraternitatem, chartas fundationis monaſterij ac alia eius monumenta relegens, vniuerſam inſulam Croylandiæ cum dictis ſenibus, qui carpẽto vehebantur, & familia ſua, quæ adhuc illum Cancellariũ grandi numero comitabatur, de angulo ad angulum circuibat. Hoc interſerendum eſt, quod circa hæc tempora tanta ſiccitas per totam Angliam erat, quod triennio non plueret ſuper terram, & ſiccitas *Eliæ* à plurimis diceretur. Edoctus itaq; Cancellarius *Turketulus* de limitib. Croylandiæ, & eius terminis vniuerſis, iuſſit cruces lapideas terminorũ innouari, & longius à ripis fluuiorũ in proxima ſolida terra infigi, ne forte lapſu temporis per aquarum alluuionem in flumina corruerent, prout antiquas cruces in eiſdem limitibus per *Kenulphum* monaſterij Croylandiæ primũ Abbatem ibidem aliquando appoſitas intellexerat corruiſſe. In auſtrali namq; ripa dictæ inſulæ poſuit tunc *Turketulus* crucem lapideam, quæ tunc diſtabat à Southee per ſex perticatas, & in boreali parte dictæ inſulæ tunc poſuit aliam crucẽ lapideam, quæ tunc diſtabat ab Aſendick cadente in Weland per tres perticatas. Terminos etiam meriſcorum, tam Alderlound in auſtrali parte aquæ de Weland, quam Goggisland in parte boreali dictæ aquę adiens & limites eorum, prout chartæ fundationis monaſterij demõſtrabant, annotans, iuſſit ſimiliter crucibus lapideis deſignari, ſicque

ſeque ſalutatis dictis ſenibus fratribus ſuis, & iterum datis 20. libris argenti ad eorum ſuſtentationem, cum chartis & monumentis monaſterii ad Regem Londonias eſt reuerſus. Alloquitur ergo ibidem quadam die Comitem *Lewinum*, qui Spalding, Cappelade/ & Sutterton / terras olim monaſterio Croyland dependentes, occupabat; 40. marcas auri coram præfato Rege præfato Comiti contulit; & prædictas villas in ſuam poſſeſſionem, tanquam atturnatus dictorum ſenum, eorum nomine tituloque recepit. Compoſuit etiam tunc cum Comite *Alphero*, & datis eidem 10. marcis auri, Draiton Croylandiæ reſtituit. Staundon & Badby, datis ſimiliter 10. marcis auri Comiti *Athelwoldo*, Croylandiæ recuperauit. Eodem tempore de Comite *Alwino*, cum eſſet iuuenis piiſſimus, & eleemoſynis multum deditus, villam de Morburne ad Croylandiam acquiſiuit. Tunc etiam Boſtenhale/ & Halington & Lindeſey de duce *Oſlaco*, datis 12. marcis auri, Croylandiæ reſtaurauit. Langtoft autem, & Baſton tunc regali fiſco pertinentes rex *Edredus* gratis & ſponte reddidit. Deping vero, cum *Langferus* quondam Regis *Beorredi* panetarius, cui dictus Rex dictum manerium aliquando donauerat, iam longæuo ſenio grauatus obierat, nullo hærede maſculino relicto, ad duas filias eius tranſibat; quæ diu in cœlibatu permanentes, neque cum *Turketulo* voluerunt componere, nec iuri ſuo prece vel pretio renunciare. Expectabat itaque diutius venerabilis pater *Turketulus* tempora meliora: ſed quam diu vixit, vixerunt & illæ in eadem pertinacia. Kirketon autem & Kimerby ad Croxton/ quum dux *Osbrithtus* tenaciter retinebat & chartæ donatorum perierant, nec aliqua regia confirmatio dictas terras continebat, *Turketulus* cum ſemel & ſecundo oblato iuſto pretio repetiiſſet, nec auditus eſſet, ad alia tenementa redimenda tota vigilantia indulgebat. Reuocauit tunc Glapthorn / Thirming / Laithorp, Kirkbie / Peikirke, & vtramque Adingtonam, Repingale / Suttonam, & Stapiltonam. Tandem aduenìente feſto beati *Bartholomæi* Apoſtoli, in præſentia Regis monachus factus, & ſtatim baculo paſtorali à Rege donatus, & ab Epiſcopo benedictus, vniuerſum monaſterium cum omnibus eius poſſeſſionibus in manum Regis reſignauit. Qui apud London in communi concilio coram Archiepiſ. Epiſ. & totius terræ magnatibus dictum monaſterium cum omnibus terris eius, tam ab antiquo ei pertinentibus, quam ab eodem *Turketulo* nouiter datis ac acquiſitis, dicto domino *Turketulo* Abbati, monachiſque ſuis reddidit, & cum charta ſua (prout præmiſſum) liberum & ſolutum ab omni terreno ſeruitio in perpetuam eleemoſynam confirmauit. Antiquam vero loci impunitatem vel immunitatem nullo modo conſenſit acquirere, ne celeratis & impiis refugium à publicis legibus videretur in aliquo præbere; & cum huiuſmodi maleficiis compelleretur vel in aliquo contra conſcientiam ſuam cohabitare ſeu conſentire. Sequuti ſunt eum ad monaſterium multi literati viri, quorum decem ſecum ſchema monachicum ſuſceperunt; cæteri rigorem religionis abhorrentes adhuc in ſeculari habitu permanebant; at nihilominus ſecum in Monaſterio habitabant, quia præſentia eius nullo modo carere poterant. Quorum quidam gradum ſacerdotalem obtinebant, quidam in clericali adhuc officio miniſtrabant. Hos omnes, cum multi fuerunt in cella S. *Pegæ* virginis, ad Orientalem partem monaſterii manere iuſſit, & vnicuique eorum ſicuti vni monacho miniſtrari quotidie de victualibus imperauit: fabricanſque illis ibidem capellam, horas regulares tam nocturnas quam diurnas tempore, quo Monachi perſoluebant, & ipſos perſoluere iuſſit. Fiebat autem hoc ex præcepto *Turketuli* Abbatis, vt ipſo vſu fierent aliquando monachicis obſeruantiis aptiores, qui ſecularibus hactenus dediti laſciuiis, à regulari vita longius erant deuii & diſcordes. Habitum etiam omnibus vniformem indixit, ſcz, chlamydem nigram veſteſq; talares, ac omnes nigri coloris. Præter continentiam & obedientiam nihil aliud religionis nouerant; vnde vix vel nunquam contigit aliquem illorum ad ſecularem vomitũ reuertiſſe; tam larga exhibitione procurati, tam laxa regula ſunt contenti. Abbas *Turketulus* præpoſitum illorum Priorem dicebat, quem ab ipſis omnibus electum ille confirmabat. Quidam illorum ibidem ſanctiſſimo fine quieuerunt, & in eodem loco ſepulti ſunt: quidam præcedente tempore ad religionem monachicam conuerſi & in ea ſanctiſſime conuerſati, et ad abbatis officium aſſumi poſtea meruerunt. Iſti fuerunt duo *Egelrici*, qui de genere & cognatione ſua ſibi ſatis carne propinqui, ſed ſpiritu multo propinquiores iam effecti, ſucceſſiue poſt illum abbatis officio ambo ſtrenue functi, & in eodem defuncti ſunt. Cum autem circa vltima tempora *Turketuli* abbatis ſub inclyto Rege *Edgaro* inciperet ordo monachicus in multis monaſteriis vbiq; per totum regnũ reſtauratis, & q-buſdam nouiter fundatis copioſiſſime reflorere, ratiuſq; ſolito venientibus ad conuerſionem clericis, fere omnes presbyteri Pegelandiæ ſunt effecti monachi Croylandiæ. Vnde Pegelandia fere perſonis deſtituta, cœperunt pauci clerici relicti abbatem *Turketu-*

lum multa inſtantia pulſare, quatenus complaceret vel ſacerdotes ſeculares eis conducere, vel monachum de monaſterio ſuo, qui diuina eis quotidie celebraret, aliquem aſſignare. Secularis autem aliquis veniens ad conuerſionem, cuiuſcunq; gradus fuerat vel conditionis, illorũ prius collegio deputatus eſt, & apud Pegelandiam probatus, ſuccedente tempore, prout Pegelandenſes de ipſo teſtabantur, receptus vel repudiatus eſt. Abbas ergo *Turketulus* prudentiſſima prouidentia neutrã petitionẽ Pegelandenſiũ acceptans, nec omnino damnans, conceſſit pro memoria S. *Pega* virginis, & conſtituit ibidem diuinum ſeruitium perpetuandum; nõ tamen à modo aliquod collegium regularium vel irregularium, quod aliquando forte fieret monaſterio ſuo iniurioſum vel oneroſum, ibidem vllo modo ſtatuendum. Ordinauit itaq; vnũ ſacerdotem, & cum totius conuentus ſui conſenſu cõmuni chirographo ſui capituli confirmauit in perpetuum, qui perpetuis temporibus pro monaſterii fundatore rege *Ethelbaldo*, & pro eius reſtauratore rege *Edredo*, ac pro *Turketulo* abbate, cæteriſq; loci benefactoribus celebraret: ac vt vnus monachus conuentualis in refectorio exhiberetur, quotidie poſt prioris ſeruitium de eadem qualitate tam in prandio, quam in cœna victualia ſua ſuſcepturus, ſiue domi fuerit ſiue foris; ad alia vero neceſſaria ſua mediam partem oblationum, quas fideles *Chriſti* in dicta capella ſoluti ſunt offerre contra ſacriſtam, p æquales portiones à modo recepturus. Sed hæc conſtituta ſunt circa vltima tempora *Turketuli* abbatis, tempore viz. *Edgari* regis. Primuſq; ſacerdos poſitus ibidem per abbatem *Turketulum* ad huiuſmodi officium peragendum vocabatur *Reinfredus*, vir multæ literaturæ, ac ingentis honeſtatis. *Edredus* vero rex (vt prædictum eſt) regnauit. Poſitiſq; apud Pegelandiam clericis ſuis, venerabilis pater abbas *Turketulus Dunſtanum* quondam ſibi familiariſſimum ad archiepiſcopatum Dorobern. promotum, *Osketulumq;* cognatum ſuum, archiepiſc. Eboracæ pariter effectum Lundonias ſemel adiens, cum quanto gaudio ab vtroq; ſit ſuſceptus, non eſt facile notare: cum alter ſuus nutritius, & antiqua beneficia recordatus, alter ei carne propinquus & pro cognatione generis amplexatus; vterq; iam in caſtris dum militem emeritum affectione intima veneratus ſit. Obtinuit etiam tunc à rege *Edgaro*, viz. octauo anno regni ſui, prædictis archiep. intercedentibus, chartam regiam de confirmatione Croyland monaſterii ſui ſub hac forma. Imperãte Domino noſtro *Ieſu Chriſto* ſuper omnes cœlos, & ſuper omnia regna orbis terrarum principatum tenente, qui tollit reges & transfert regna, tractatq; ſuo nutu mundi climata vniuerſa; ego *Edgarus* eiuſdem Dei noſtri largiflua munificentia poſſidens totius magnæ Brittanniæ monarchiam, ſtatui mecum ab initio regni mei pro modulo meo ſua beneficia recompenſare, & de tranſitoria mammona prouidere beatorum tabernacula mihi, perq; caduca bona promereri ſempiterna gaudia. Cum ergo de releuatione Eccleſiarum *Chriſti*, & monaſteriorum reſtauratione frequentiſſime mihi ſuggererent ſpirituales patres mei pontifices & prælati, teſte Deo cordium inſpectore, ſolicitus eorum petitionibus ſemper apertis auribus acquieui. Cum vero ſanctiſſimi archiepiſc. mei *Dunſtanus* Dorob. & *Osketulus* Eboracenſis apertius inſinuaſſent, quomodo celebre monaſterium Croylandenſe quondam ab inclyto rege Merciorum *Ethelbaldo* fundatum, aliiſq; Merciorum regibus ſucceſſoribus eius multis & magnis donariis & dignatibus ditatum, inſuper immunitatibus & immenſis priuilegiis ampliatum & magnifice confirmatũ, demum nefandiſſimis Danis totam terram opprimentibus ab iiſdem dictum monaſterium fuerit igne crematũ & deuaſtatum; ſed poſtea tanta ceſſante procella, per induſtriam venerabilis patris *Turketuli*, cooperante ſibi gratia piiſſimi regis patrui & prædeceſſoris mei *Edredi*, reſurrexit reſtauratum, & iterum in ſanctorum habitaculum ædificatum, & regio chirographo confirmatũ: gaudio magno gauiſus ſum, & creſcenti quotidie conualeſcentiq; indies tẽporibus per totam Angliam cultui Chriſtiano totis animi præcordiis (Deo teſte) congratulatus, prædicto viro venerabili, abbati *Turketulo*, quondam patris mei patruorũq; meorum patricio potentiſſimo, ac omnium hoſtium Anglici regni triumphatori ſtrenuiſſimo iamq; patriæ cœleſtis amore ſeruorũ Chriſti ſanctiſſimo paſtori & prælato, concedo de regalibus ſyluis meis ſuo Croylandenſi monaſterio magis vicinis & propinquis, ſcz. de Auſtarigwood/ & de Medeshamſteedwood/ regalibus maneriis meis de Eſtrey/ & de Caſtre pertinentibus, arbores & meremiũ ad ædificationem ſui monaſterii prædicti, quot & quantũ placuerit accipere: nec aliquis miniſtrorum meorũ in illa patria præſumat eum in aliquo impedire. Ipſum ẽt Croylandenſe monaſteriũ cum tota inſula adiacente, & cũ villa duobuſq; mariſcis iacentib. ex vtraq; parte aquæ de Weland verſus occidentem, iiſdẽ limitibꝰ & terminis, quibus dicti monaſterii monachi à ſua prima fundatione illa continue poſſederunt, & prout plurimorũ regum pdeceſſorum meorũ, & pcipue inclyti regis *Edredi* patrui pdeceſſoriſq; mei chirographa & monumenta ſufficienter ab oriente ad occidentẽ, & ab

& ab auſtro ad aquilonem declarant ac manifeſtant, concedo & confirmo in perpetuam eleemoſynam prædicto patri meo *Turketulo* abbati ac monachis ſuis, ac omnibus eorum ſucceſſoribus ibidem Deo ſeruientibus: ſcilicet dictam inſulam de Croyland/ procedendo de ponte ſuo triangulo per aquam de Weland verſus Spaldeling vſq; ad Aſendick/ vbi Aſendick cadit in aquam de Weland ex boreali parte crucis lapideæ per prædictum *Turketulum* ibidem affixæ, & ſic ſurſum verſus orientem per Aſendick vſque ad Aſentoft/ & inde vſq; ad Shepishee in orientali parte eiuſdem inſulæ, & ſic vſq; ad Tedwarthar/ & ibi intrando Southee vſq; ad Namanlandhirne/ vbi crucem lapideam affigi fecit idem *Turketulus*, diſtantem a Southee per ſex perticatas, & inde per aquam de Nene verſus occidentem per 5. perticatas, & inde per eandem aquam de Nene ſicut currit ad prædictum pontem de Croyland; cum ſeparali piſcaria tam in aquis omnibus ambientibus eandem inſulam, quam in ſtagnis & paludibus infra ſitum incluſis; vna cum mariſcis & alnetis adiacentibus verſus Occidentem ex oppoſito eiuſdem inſulæ in omnibus Lincolniæ comitatui connexis & reſpondentibus, & per hos limites determinatis: videlicet à Namanslandhirne per aquam de Nene verſus occidentem vſque ad Fineſton/ vbi crux lapidea defixa eſt iuxta ripam, & inde vſque ad Greines/ & ſic vſque ad Folwardſtaking/ & inde vſque ad Southlake/ vbi Southlake cadit in aquam de Weland/ & ſic tranſeundo eandem aquam ad Kenulphſton iuxta ripam ex oppoſito de Southlake/ vbi primus Abbas eiuſdem monaſterii nomine Kenulphus poſuit crucem lapideam pro limite inter Croyland & Deping/ & inde verſus boream iuxta Aſpath vſque ad Werwarlake/ & ſic vſque ad Harinsholt/ & inde ſurſum per Mengarlake/ & Lurclake/ & inde per Oggot vſq; ad Wodlade/ vbi Wodlade cadit in aquã de Weland; cum omnibus commodis quæ poterunt euenire vel extorqueri infra prædictos limites, tam ſubter terram quam ſupra; cum communa paſturæ omni tempore anni pro omni genere animalium ſibi, & omnibus hominibus ſuis, & tenentibus ſuis ſecum infra dictos limites cohabitantibus in mariſcis adiacentibus ex vtraque parte ab illa aqua vſque ad agrum meum de Medeshamſted/ & ex alia parte ab aqua eadem vſque ad ædificia de Spaldeling/ cum ſeparali piſcaria in eadem aqua de Weland/ à Kenulphſton vſque ad pontem in Croyland/ & in aqua de Nene à limite, Fineſton nomine, vſque ad prædictum pontem de Croyland/ & inde in eadem aqua, & in aqua de Weland coadunatis vſque ad Aſendick. Concedo etiam quod dicti monachi poſſint includere de mariſcis adiacentibus verſus occidentem pro ſe & pro tenentibus ſuis croftos ſiue pratum circa pontem ſeparaliter, quantum illis placuerit, prout primus meus Rex *Edredus* eiſdem hæc omnia ſuo chirographo confirmauit. Concedo etiam & confirmo prædicto monaſterio omnia prætacta libera & ſoluta ab omni onere ſeculari, & quod habeant omnes liberas conſuetudines cum omni illo quod appellatur Socha, Sacha, Tol & Tem, Infangthef, Weif & Stray, & cum his legitime appendentibus. Concedo etiam & confirmo eiſdem monachis omnes terras & tenementa, Eccleſias & capellas, & omnes poſſeſſiones eidem monaſterio pertinentes, quas præfatus Rex *Edredus*, vel optimates ſui dicto cœnobio pro ſuorum redemptione peccaminum in perpetuam eleemoſynam donauerunt, vel per præfatum Abbatem *Turketulum* datæ vel acquiſitæ ſunt in Croyland/ Spalding/ Pincebeck/ Cappelade/ Algare/ Donesdike/ Draiton/ Burtoft/ Southerton/ Bokenhale/ Halington/ Gernthorp/ Langtoft/ Baſton/ Deping/ Tetford/ Repingale/ Lasthorp/ Kirkby/ Wenlingburough/ Adington/ Elmington/ Glapthorne/ Wirthorp/ Penkirk/ Badby/ Morburn/ Thirming/ Beby/ Sutton/ Stapleton/ Kotenham/ Hokton/ Draiton & Standon. Hæc omnia tenementa, ad honorem Dei, & ſanctæ Eccleſiæ ſuæ releuationem, & ob amorem Sancti *Guthlaci* corporaliter in cœnobio Croylandenſi requieſcentis, confirmo venerabili patri meo *Turketulo* Abbati Croylandiæ, ac monachis ſuis, & eorum ſucceſſoribus ibidem Deo ſeruientibus in perpetuum. Prohibeo etiam, ne quiſquam miniſtrorum meorum in patria Girniorum præmemoratos limites mariſcorum Croylandiæ introeat, aut ſe in aliquo intromittat; cum tam de donatione regis *Edredi* patrui & prædeceſſoris mei, quam de confirmatione mea poſſideant prædictos mariſcos, & ſitum ſeparalem monaſterii ſui, & à mariſco meo de Ege crucibus lapideis, ac aliis interſigniis & terris ſeparatos. Contra ergo huius noſtri Chirographi propoſitum quicunque dictum *Turketulum* Abbatem patrem meum, vel monachos ſuos vexare vel inquietare pro aliquo præmiſſorum præſumpſerit, præter meam indignationem & vindictam, niſi citius cum condigna ſatisfactione reſipuerit, longius à Sanctorum congregatione ſegregatus cum *Dathan & Abiram* damnationem gehennalem ſentire poſſit: qui vero auxerit noſtram eleemoſynam, aut in aliquo promouerit huius mei chirographi voluntatem, inter omnes ſanctos & electos Dei ſempiternam ſortiatur fœlicitatem. Sanci-

tum eſt hoc in anno Dominicæ incarnationis 966. præſentibus Archiepiſcop. Epiſcop. Abbatibus, & optimatibus regni mei ſubnotatis. ✠ Ego *Edgarus* totius Albionis monarcha iſtud chirographum cum ſigno ſanctæ crucis confirmaui. ✠ Ego *Dunſtanus* Archiepiſcop. Dorobernenſ. hoc chirographum cum trophæo hagiæ crucis corroboraui. ✠ Ego *Osketulus* Archiepiſcop. Eboracenſ. deuote collaudaui. ✠ Ego *Athelwoldus* Epiſcopus Winton. multum procuraui. ✠ Ego *Oſwaldus* Epiſcop. Wicciorum commendaui. ✠ Ego *Alfwoldus* Epiſcop. Doneuoniæ ſubſcripſi. ✠ Ego *Alſtanus* Abbas Glaſconiæ conſilium dedi. ✠ Ego *Ethelgarus* Abbas noui monaſterii Wintoniæ conſenſum præbui. ✠ Ego *Wulſius* abbas S. *Petri* Weſtmonaſterii extra London ſubnotaui. ✠ Ego *Merwenna* Abbatiſſa de Rumſege ſignum ſanctæ crucis feci. ✠ Ego *Ordgarus* dux Doneuoniæ conſignaui. ✠ Ego * *Elfecſus* Suthamtonienſis dux approbaui. ✠ Ego *Oſlac* dux affui. ✠ Ego *Brithnodus* dux aſpexi. ✠ Ego *Alwine* dux conſenſi. ✠ Ego *Alferus* dux interfui. ✠ Ego *Ernulphus* miniſter vidi. ✠ Ego *Ringulpus* miniſter vidi. ✠ Ego *Adelwardus* miniſter audiui. ✠ Ego *Veif* miniſter auſcultaui.

* al. *Elfegus*.

Venerabilis autem Abbas *Turketulus* contra pericula brachii ſecularis impetrato ab *Edgaro* Rege tali munimento, etiam pro ſpiritualis auxilii clypeo vtrumq; Archiepiſcop. *Dunſtanum & Osketulum* inſtanter deprecatus contra filios Belial, (ſi forte in monaſterium ſuum inſtinctu diabolico inſurgerent in futurum) huiuſmodi cenſuram Eccleſiaſticam in ſupraſcriptorum regiorum chirographorum violatores (videlicet *Edredi* & *Edgari*) & in omnes contrauenientes, & contra procurantes eodem tempore apud Lundonias impetrabat ſub iſtis verbis. Vniuerſis poſteris Chriſtianam fidem profitentibus, *Dunſta.* Dorobern. & *Osketulus* Eborac. Archiep. *Athelwoldus* Wintoniæ, *Oſwaldus* Wigorniæ, & *Lefwinus* Dorcaceſtriæ Epiſc. ſalutem in Domino ſempiternam. Cum naturaliter Ægyptii paſtores omnes ouium execrantur, & filii tenebrarum filios lucis furore implacabili perſequuntur (ſemper enim *Madian* prodere populum Domini machinatur:) cupientes ideo in futurum contra ſceleratos & ſacrilegos ſanctam matrem Eccleſiam iugiter infeſtantes murum defenſionis opponere, & quicunq; ſe diuino ſeruitio mancipauerunt, & in caſtris Domini quocunq; modo militauerunt, reddere ab huiuſmodi perſecutoribus ſecuriores, & in domo domini tutiores: attendentes etiam ſanctiſſimam deuotionem quam piiſſimi reges noſtri temporis, ſcz. *Edredus* quondam rex, & inclytus rex *Edgarus* nūc ſuperſtes (inſpirante ſancto ſpiritu) conceperunt ad reſtauranda ſacra ſeruorum *Christi* monaſteria, & eccleſiam Dei vbicunq; releuandam; chirographa eorundem regum benigniſſime conceſſa venerabili patri *Turketulo* Abbati Croylandenſi (qui pro patriæ cœleſtis amore diuitias multas & magnas dignitates fortiſſime reliquit) de confirmatione ſui monaſterii ſibi confecta nos authoritate diuina confirmamus, ratificamus; ac omnes, qui timore Dei poſtpoſito poſſeſſiones dicti monaſterii diripere tentauerint, vel pacem dictorum monachorum contra intentionem ac voluntatem prætactorum regiorum chirographorum perturbauerint, aut perturbari procurauerint arte vel ingenio, conſilio vel fauore, quocunq; colore ſua machinamenta homo ſeminauerit inimicus, & filius iniquitatis ſua fuderit argumenta, ex tunc excommunicantes, nomina illorum de libro vitæ tollimus, & à conſortio ſanctorum ſeparantes, ac à limite portæ cœleſtis longius repellentes, niſi condigna ſatisfactione citius ſua errata correxerint, infernalibus incendiis cum *Iuda* traditore damnandos pro ſuis demeritis irremiſſibilibus deputamus. Inſuper ſpiritualitatem totius Inſulæ Croylandiæ, villæq; adiacentis, prout à fundatione monaſterii ſui dicti monachi haſtenus habuerunt, viz. quicquid attinet ad Archidiaconatus officium omnibus correctionibus ad inſtantiam partis, vel quocunq; modo infligendis pro quibuſcunque delictis vel criminibus, per quamcunq; perſonam commiſſis vel committendis ibidem, præfato venerabili Abbati *Turketulo*, & omnibus ſucceſſoribus ſuis Abbatibus in eodem monaſterio futuris, & eorum officialibus ad hoc officium vice ſua exequendum ſubſtituendis cum conſenſu *Agelnothi* Archidiaconi procurantis iſtud fieri, concedimus & aſſignamus; excommunicantes & exterminantes à facie Dei, & à glorifica viſione vultus ſui in die magni iudicii omnes, qui dictum patrem *Turketulum*, vel aliquem ſucceſſorum ſuorum ſuper hoc de cætero inquietauerint, vel aliquod præmiſſorum violarint, vel violari procurauerint quocunq; modo, in perpetuum eos Sathanæ ſine fine tradentes, niſi citius reſipuerint, & cum condigna pœnitentia prædicto monaſterio ſatisfecerint pro patratis. Iſtud priuilegium ſancitum eſt, & immutabiliter decretum ad honorem dei, & S. matris eccleſiæ releuationē, ac S. *Guthlaci* confeſſoris reuerentiam in præſentia regis *Edgari*, prælatorum, procerumq; ſuorum anno Dominicæ incarnat. 966. apud London collectorū. Ego *Edgar.* totius Albionis monarcha iſtud priuilegiū S. crucis indicio cōfirmaui. ✠

Ego

Ego *Dunſtanus* Archiep. Dorobern. prædictam cenſuram eccleſiaſticæ animaduerſionis in regiorum chirographorum violatores irreuocabiliter fulminaui. ✠. Ego *Osketulus* Archiep. Eboracæ perpetuam damnationẽ in ſanctæ matris eccleſiæ aduerſarios inter prælatos iſtam ſententiam corroboraui. ✠. Ego *Leſwinus* Dorcaciſtrenſis epiſc. conſenſi. ✠. Ego *Alſtanus* London epiſc. commendaui. ✠. Ego *Oſwaldus* Wigorniæ epiſc. conſenſum dedi. ✠. Ego *Alffwoldus* epiſc. Donecuoniæ conſilium præbui. ✠. Ego *Kinſeus* Lichfeildenſis epiſc. adiuui. ✠. Ego *Alfricus* epiſc. Eſtangliæ procuraui. ✠. Ego *Godwinus* epiſco. Roffenſis acquieui. ✠. Ego *Athelſtanus* epiſ. Cornubienſis conſilium dedi. ✠. Ego *Werſtanus* epiſ. Schireburnenſis annui. ✠. Ego *Agelnothus* Archidiaconus faui. ✠. Ego *Elſtanus* Abbas Glaſconiæ conſenſum dedi. ✠. Ego *Ethelgarus* Abbas noui monaſterij Wintoniæ conſenſum præbui. ✠. Ego *Wlſinus* Abbas S. Petri Weſtmonaſterij extra London ſubnotaui. ✠. Ego *Oſwardus* Abbas Eueshamenſis ratum habui. ✠. Ego *Merwenna* Abbatiſſa conſignaui. ✠. Ego *Wulwina* * Merhamenſis Abbatiſſa communiui. ✠ Ego *Orgarus* dux conſtitui. ✠. Ego *Ailwinus* dux conſtabiliui. ✠. Ego *Brithnodus* dux aſpexi. ✠. Ego *Oſlacus* dux affui. ✠. Ego *Alferus* dux interfui. ✠. Ego *Elphegus* dux audiui. ✠. Ego * *Frithegiſtus* miniſter vidi. ✠. Ego *Ethelward* miniſter vidi. ✠. Ego *Ethelmund* miniſter auſcultaui. ✠. Acta ſunt hæc in octauis Pentecoſtes in Eccleſia ſancti *Pauli* Cathedrali.

al. Mercamenſis.
al. Ersthegiſtus.

Rex verò *Edgarus* à beato *Dunſtano*, cæteriſque ſanctis epiſcopis ſuis ſapientiſſimè inſtructus, paſſim improbos oppreſſit, rebelles audacter redarguit, iuſtos & ſanctos dilexit, mites & modeſtos fouit, deſtructas Dei eccleſias reſtaurauit, abiectis ex cœnobiis clericorum næniis, ad laudem diuini nominis Monachorum & ſanctimonialium choros introduxit, & plura quam 48. Monaſteria tempore, quo regnauit, ipſe pontificeſque ſui diuerſis partibus Angliæ releuarunt. Tempore regis *Edgari* reliquiæ ſancti *Swithuni*, epiſcopi quondam Wintoniæ, de cœmeterio in Eccleſiam per ſanctum *Athelwoldum* epiſcopum cum multo honore tranſlatæ ſint. In qua tranſlatione per merita ſancti *Swithuni* innumeri infirmi ſanitatem ſunt adepti. Reſtaurauit iſte ſanctus epiſcopus *Athelwoldus* tunc deuaſtatum per Danos Monaſterium, quondam Medeſhamſted appellatum, & reædificatum Burgum nuncupauit: & de poſſeſſionibus eidem loco de fiſco acquiſitis huiuſmodi chartam, perficiens eidem Monaſterio in Abbatem quendam de Monachis, *Adulphum* nomine, de prædicto rege piiſſimo impetrauit in his verbis. Gratia Domini noſtri *Ieſu Chriſti* regis omnium ſeculorum, omnia ſuo nutu diſtribuentis regna terrarum, & moderantis habenas rerum, ego *Edgarus* ſub ipſo ſydereo rege præſidens regno magnæ Britanniæ, ſæpe petitionem venerabilis, & Deo dilecti pontificis *Athelwoldi* ſuper ſtabilitate eccleſiarum, quarum ipſe eſt infatigabilis inſtructor, accepi; maximè autem ſuper antiqui Monaſterij reſtitutionem ac libertatem, quod primitus Medeſhamſted, modo Dei adiutorio, ac ſua atque noſtra inſtantia reſtauratum, Burch appellatur, quod ſcilicet quadam prærogatiua gratiæ ſancti *Petri*, ac priſtinæ nobilitatis eminentius diligit. Recolens enim illud à priſtinis regibus *Wulfero*, nec non *Ethelredo*, aliiſque ſucceſſoribus magnificè ditatum & regalibus priuilegiis fortiſſimè ſtabilitum, ſed ab externo Paganorum exercitu deſtructum hic Dei ſapiens architectus, magno zelo domus Dei ſtuduit reparare & acquiſitis, ac redemptis vndique rerum poſſeſſionibus cum noſtra regali donatione, prout potuit, amplificauit. Ego itaque per gratiam ſancti Petri tantique patris charitatem, atque animæ redemptionem concedo gratantiſſimè illud ſanctum & Apoſtolicum cœnobium in perpetuum eſſe liberum ab omni ſeculari cauſa, & ſeruitute, vt nullus eccleſiaſticorum vel laicorum ſuper ipſum, vel ipſius abbatem vllum vnquam habeat dominium: ſed ipſo Abbate cum ſubiecta *Chriſti* familia in pace Dei & ſuperni ianitoris *Petri* patrocinio illud regente, ac rege in omnibus neceſſitatibus adiuuante ab omni mundiali iugo tam ſecurum æternaliter conſiſtat, quàm liberum ab epiſcopali exactione, & inquietudine ex Apoſtolica libertate & reuerendiſſimi Archiepiſc. noſtri *Dunſtani* authoritate cum ſuis appendiciis, id eſt, Dodeſthorp, & Ege, & Paſtone, perpetuò maneat abſolutum. Villam quoque Vndale, cum toto iure adiacentium villarum, quod Eathtahundred Anglicè nominatur, & cum mercato ac telonio ea prorſus libertate donamus, quatenus nec rex, nec Comes, nec epiſcopus præter Chriſtianitatem attinentium parochiarum, nec vicecomes, nec vlla vnquam maior, minorve perſona vlla dominatione occupare, nec de ipſa villa Vndale, vbi legitimè cõſidere debet in alium locũ transferre vllatenus præſumat. Sed tam abbas prædicti cœnobij illud cum ſuis cauſis & legib. totum in ſua poteſtate liberrimè teneat, & quando, vel in quo loco ſibi placuerit, ſine vlla cõtradictione ſedere faciat. Itẽ terras noſtro adiutorio, vel dono, vel optimatum meorum per præfatum epiſc. eidem Monaſterio

adiectas, quæ hac ex parte titulantur, id eſt, Barwe/ Wermington/ Aſoiton/ Retringas/ Caſtre/ & Eglisworth/ Walton/ Withrington/ Ege/ Thorp/ & Dodiſtorp/ ac virum monetarium in Staunford/ in perpetuam libertatem concedimus. Sint ergo tam iſtæ villæ, quam cæteræ omnes, quæ ad ipſum Monaſterium pertinent, cum vniuerſis rebus & rationibus ſuis, & totum, quod appellatur Socha Sacha, ab omni regali iure, & ab omni ſeculari iugo in æternum liberæ, & in magnis, & in minimis, in ſyluis, campis, paſcuis, pratis, paludibus, venationibus, piſcationibus, mercationibus, teloniis, omnium rerum procreationibus Dei beneficio prouenientibus. Concedimus etiam quartam partem ſtagni, quod dicitur Wicleſmere/ per Epiſcopum *Athelwoldum* acquiſitam, cum omnib. ſc. aquis, piſcariis, ſtagnis, & paludibus attinentibus vſque ad hos terminos circumiacentes: quorum Septentrionalis eſt, vbi primum intratur Merelade de amne Nene/ orientalis ad * Kingeſdelf/ auſtralis ad Aldwines Barwe/ qui locus eſt in palude contra medietatem viæ Vbbemerelade/ occidentalis, vbi aqua de Opbethe finitur ad terram. Quæ omnia antiquitus ad illud ſacroſanctum monaſterium multo latius & longius pertinuiſſe probantur. Mercatum quoque conſtituimus in Burch ſingulare, vt nullum aliud habeatur inter Stanford & Huntindune: & ad illud damus, ibidemq; perſolui iubemus totum ſine vlla contradictione telonium regis, quod iacet ad Hundred de Normaneſtros/ & de Wicleſmere/ ſicut Merelade venit ad aquam de Nene/ & inde ſicut aqua currit ad Welmesford, & de Welmesford vſque ad Staunford/ & de Staunford iuxta curſum aquæ vſq; ad Croyland/ & de Croyland vſque ad Muſt/ & de Muſt vſque ad Kingeſdelf, & inde vſque ad prædictam aquam de Wicleſmere. Propter varia quippe lucra & corporalium & ſpiritualium vtilitatum hoc mercatum decreuimus illic celebrari, & vndique illud requiri, quatenus & Dei miniſtri inde adiuuentur propinquius, & à concurrente populo Chriſtiano inter terrena neceſſaria cœleſtia petantur ſubſidia, dummodo per ſancti *Petri* quæſita patrocinia & per Miſſarum audita myſteria ſecundum fidem cuiuslibet ibi poſſint redimi diuerſarum offenſionum debita. Porro decedente Abbate de eadem congregatione, fratres ſucceſſorem deuotum eligant, & regis fauore ordinetur. Hanc igitur totius Abbatiæ tam in longinquis, quam proximis poſſeſſionibus regificam libertatem ab omnibus approbatam, excepta moderata expeditione, & pontis arciſue reſtauratione, ſategimus per ipſum deuotiſſimum huius deſcriptionis authorem *Athelwoldum* à ſede Apoſtolica Romanę Eccleſię iuxta primitiuam eiuſdem Monaſterii inſtitutionem perpetuo corroborare. Quam quicunq; in aliquo violare præſumpſerit, ipſius ſummi præſidis *Petri*, & Romanæ hierarchiæ, omniumq; ſanctorũ ordinum animaduerſione in infernum æternaliter damnetur: qui vero prouexerit & defenſauerit, in ſorte electorum Dei remuneretur. Sancitũ eſt hoc priuilegiũ anno Dominicæ incarnationis 970. terreniq; imperii mei anno decimo: quod his probabilibus teſtibus cum ſanctæ crucis indicio ſubnotatur iuxta meam ſubſcriptionem. ✠. Ego *Edgarus* totius Albionis baſileus hoc priuilegium cum ſigno ſanctæ crucis confirmaui. ✠. Ego *Dunſtanus* Dorobern: Archiepiſcopus hoc idem cum trophæo hagiæ crucis corroboraui. ✠. Ego *Oſwaldus* Eboracenſis Eccleſiæ Archiepiſc. ſubſcripſi. ✠. Ego *Athelwoldus* præſul conſignaui. ✠. Ego *Alſtanus* Epiſcopus faui. ✠. Ego *Athulphus* pontifex conſenſi. ✠. Ego *Aſwio* Abbas non renui. ✠. Ego *Oſgar* Abbas approbaui. ✠. Ego *Athelgar* Abbas conſenſi. ✠. Ego *Alfer* dux. ✠. Ego *Ailwyne* dux. ✠. Ego *Bruhnodus* dux. ✠. Ego *Oſlac* dux. ✠. Ego *Athelward* miniſter. ✠. Ego *Arſnulp* miniſter. ✠. Ego *Alfis* miniſter. ✠. Ego *Alfward* miniſter. ✠. Ego *Fritegiſt* miniſter. ✠. Ego *Thured*. ✠. Ego *Vif*. ✠. Ego *Olfric*. ✠. Ego *Offord*. ✠. Ego *Wulſtan*. ✠. Ego *Ringulf*. ✠. Ego *Alſtam*. ✠. Ego *Athelfis*. ✠. Ego *Wulfeath*. ✠. Ego *Ethelmund*. ✠. Ego *Thureferd*. ✠. Ego *Alfbelin*. ✠. Ego *Frana*. ✠. Ego *Fretegiſt*. ✠.

al. Kingeſdelf

Hoc eodem tempore clericis eiectis de Monaſterio Maldeſmesbiriæ, quos *Edwinus* frater ſuus Monachis expulſis nequiter intruſerat, Monachos reuocauit, præficiens eis in Abbatem *Alfricum* virum in Eccleſiaſticis officiis tunc celeberrimum, donãs ei chartam ſuam in hunc modum. Ego *Edgarus* totius Albionis baſileus, nec non maritimorum ſeu inſulanorum regum habitãtium, adeo vt nullius progenitorum ſubiectione largiflua, Dei gratia ſuppetente, ſim ſublimatus, quid imperii mei potiſſimum regi regum Domino darem, tanti memor honoris, ſolertia ſæpe tractaui. Piæ igitur fautrix deuotionis peruigili meæ ſtudioſitati ſuperna ſubito inſinuauit pietas, quæq; in regno meo ſancta reſtaurare monaſteria, quæ velut muſtinis ſcindulis carioſiſq; tabulis ligno tenus viſibiliter diruta, ſic (quod magis eſt) inde à ſeruitio Dei ferme vacua fuerunt & neglecta. Idiotis nẽpe clericis eiectis, nullius regularis religionis diſciplinæ ſubiectis, plurimis in locis ſanctioris ſerici, ſc. Monachici habitus præfeci paſtores ad ruinoſa quæq; templorum redintegranda, opulen-

opulentos ego fiſcalium munerum exhibens eis ſumptus. Quorum vnum, nomine *Alfricum*, virum in omnibus Eccleſiaſticis experientiſſimum officiis, famoſiſſimi conſtitui cuſtodem cœnobii, quod Angli bifario vocant onomate 𝔐𝔞𝔩𝔡𝔢𝔰𝔪𝔢𝔰𝔟𝔲𝔯𝔤𝔥. Cui pro commoditate animæ meæ, ob ſaluatoris noſtri eiuſq; matris ſemper virginis *Mariæ*, nec non Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, *Aldelmiq́;* almi præſulis honorem particulam terræ 𝔑𝔢𝔫𝔢 cum pratis & ſyluis munifica liberalitate reſtitui. Hæc à prædictis accommodata clericis, à cõtentioſo iniuſte poſſeſſa eſt *Adelnotho*; ſed ſuperſtitioſa illius confictatione, ſubtiliq; diſceptatione à ſapientibus meis audita, & fluctuatione ſua mendoſa ab iiſdem me præſente conuicta, monaſteriali à me reddita eſt vſui, anno Dominicæ incarnationis nongenteſimo ſeptuageſimo quarto, & regiæ conſecrationis primo. ✠. Ego *Edgarus* totius Albionis finitimorumq; regum baſileus cum ſigno ſanctæ crucis iſtud chirographum confirmaui. ✠. Ego *Dunſtanus* Dorobern. Archiepiſc. iſtud donum regium hagiæ crucis trophæo corroboraui. ✠. Ego *Oſwaldus* Eboracenſis Archiepiſc. ſubſcripſi. ✠. Ego *Athelwoldus* Epiſc. Wintonienſis conſignaui. ✠. Ego *Lefwinus Dorcaciſtrenſis* Epiſc. conſenſi. ✠ Ego *Alſtanus* Epiſc: London. annui. ✠. Ego *Turketulus* Abbas Croylandiæ ſubnotaui. ✠ Ego *Athelgarus* Abbas noui monaſterii Wintoniæ approbaui. ✠. Ego *Adulphus* Abbas Burgenſis collaudaui. ✠. Ego *Alferus* dux affui. ✠. Ego *Athelwinus* dux aſtiti. ✠. Ego *Brithnodus* dux aſpexi. ✠. Et alii.

Ego vero tam remoti Monaſterij chartam appoſui, vt oſtenderem, quanto igne ſpiritus ſancti regis *Edgari* accenſus fuerit eccleſias ruinoſas, & monaſteria diruta reſtaurandi, & cum inter conſignatores regij chirographi primum locum poſt epiſcopos obtinet conſignatio noſtri Abbatis *Turketuli*. Confirmato itaque monaſterio ſuo, & cõtra omnes aduerſantes tam põtificali, quàm regali authoritate ſufficienter ſuffulto, & fortiſſimo effecto, venerabilis pater abbas noſter *Turketulus* iam ſenior ætate, plenuſque dierum deinceps in ſeculum non exibat; ſed inter ſeniores Monaſterij quotidie conuerſatus de ſtatu & obſeruantiis antiqui monaſterij inquirere & audire ſummoperè affectabat. Dum namque *Aionem*, qui iuriſperitus monumenta monaſterij veteris optimè nouerat, dumque *Thurgarum*, qui ab infantia vtriuſque monaſterij, veteris & noui deuaſtationem & reſtaurationem oculis viderat, cæteroſq; ſeniores, quæcunque de ſuis ſenioribus in adoleſcentiori ætate audierant, aſſignans eis fratrem *Swetmannum*, debita diligentia exciperet, quatenus ſuis poſteris tam memoranda de monumentis veteris monaſterij, quam de regularibus obſeruantiis eius ſtudioſè traderent, inſtantiſſima vigilantia deprecatus eſt. Ediderunt tunc illi ſeniores hiſtoriam iſtam, continentem maiora memoranda domus noſtræ cum paucis incidentiis regni Merciorum, & Weſtſaxonũ à noſtra prima fundatione per *Ethelbaldum* regem vſque ad 14. annum regni inclyti regis *Edgari*. Quo etiam tempore venerabilis pater noſter abbas *Turketulus*, antiquis obſeruantiis veteris monaſterij Croylandenſis pleniùs auditis, examinatis & integrè intellectis, ſtatuit & decreuit ſubſequentia in ſuo Croylandenſi monaſterio perpetuis temporibus inuiolabiliter ab omnibus obſeruãda. Diuidens enim totum conuentum in tres gradus, vt quilibet gradus ſuum ſtatũ agnoſceret & teneret, ſtatuit; videlicet quòd iuniores ab ingreſſu monaſterij vſque ad annum 24. in ordine ſubeant omnia opera chori, clauſtri, & refectorij canẽdo, legendo, ſeruiendo, & omnes regulares obſeruantias ſecundum magiſtri ſui doctrinam cuſtodiendo: quæ officia quicunque tam pro ſeipſo, quàm pro ſociis ſuis ſtuduerit diligenter & deuotè peragere, vbiq; maiorem fauorem à ſuperioribus ſuis merebitur obtinere. Si quis autẽ (quod abſit) inflatus ſuperbia, vel elatus alicuius artis ſcientia, vel confiſus literarũ copia, vel cõductus parentum ſuorum aut alicuius alterius amicitia, ſuſurro, ſeu detractor contentioſus, ſeu quocunque modo ſeniorum ſuorum contemptor eruperit in monaſterio, tanquã veniens ab inferis *Alecto*, ab omnibus cautius euitetur, nec aliquam gratiam in capitulo, nec licentiam in refectorio, nec ſolatium in infirmitorio vſque ad vitij ſui emendationem de ſuperioribus conſequatur; ſed ſicut bos cornupeta domi recludendus, de leunculo ne leo euadat indomabilis, in ipſo initio per priorum diſcretionem debitè caſtigetur. Qui verò affabiles & faceti, caſti & pacifici, mites & modeſti, obſequentes & obedientes fuerint, omni fauore digni frequentius ſolatia ſortiantur. Porrò qui 24. annos à conuerſione ſua cõpleuerint, per 16. annos ſequentes medium gradum tenebunt. Iſti ſunt abſoluti ab officiis paruis, cantariæ, epiſtolæ, euangelij, & à cæteris minoribus laboribus: ſed cum alia onera chori, clauſtri, & refectorij fecerint in curſu ſuo circulari, ſupportationem frequẽtem à iunioribus habebunt, vt bis, vel ſaltem ſemel in hebdomada pro bono obedientiæ ipſius ſua officia faciant, in cæteris diebus à iunioribus adiuuentur. Et cùm iſtis magnitudo negotiorum, & prouidentia conſiliorum, ac totius loci ſolicitudo ſpecialiter incumbit, do-

bit, decet, vt ſecundum ſuos labores præter diuinam remunerationem, quam monachi maxime expectant, vultum ſuperiorum ſuorum ſentiant rigidum vel benignum, affabilem vel auſterum, cum onere recipiant honorem, & iuxta ſua merita gratiam vel grauamen. In gradu namq; tertio qui 40. annum attigerint, vſque ad 50. annum in ordine ſeniores appellentur, abſoluendi ab omni onere chori, clauſtri, & refectorii, præterquam à curſu Miſſarum, quæ cum nota canuntur. In quibus Miſſis iuniores de primo gradu, & medii de ſecundo gradu quotidie ſe deuote offerendo ſua onera ſupportabunt. Anno etiam 42. completo erunt iſti excuſati ab omni officio forinſeco, ſcilicet prouiſoris, procuratoris, cellarii, eleemoſynarii, coquinarii, operarii, & picantiarii, niſi aliquid officiorum præmiſſorum Abbas alicui ſeni ex vrgente neceſſitate decreuerit aſſignandum. Iſti, tanquam milites emeriti, qui portauerunt pondus diei & æſtus in ſeruitio Dei, & pro ſtatu monaſterii ſui carnem & ſanguinem ſuum expenderunt, omni honore digni ſunt, & nullius indigentiam patiantur. Hoc omnimodis in iſto gradu attendendum, quod huiuſmodi diſpenſationis gratiam illi digniſſime conſequantur, qui à primo ingreſſu in monaſterium vſque ad iſtam ætatem de nullo crimine conuicti fuerint, pro quo pœnam grauioris culpæ ſuſtinere publice meruerunt. Quinquagenarius autem in ordine ſempecta vocandus, honeſtam cameram in infirmitorio de Prioris aſſignatione accipiat, habeatq; clericum ſeu gartionem ſuo ſeruitio ſpecialiter attendentem, qui exhibitionem victualium recipiet de parte Abbatis modo & menſura, quibus miniſtratur gartioni vnius armigeri in Abbatis aula. Huic ſempectæ vnum fratrem iuniorem commenſalem tam pro iunioris diſciplina, quàm pro ſenioris ſolatio Prior quotidie aſſignabit: quibus, tanquam infirmis, de coquina infirmorum victualia miniſtrentur. Ipſe vero ſempecta pro ſua voluntate & arbitrio ingrediens & egrediens, chorum, clauſtrum, & refectorium, & dormitorium, ac alias officinas monaſterij cum frocco vel ſine frocco, quomodo & quando voluerit, intrabitq; & exibit. Nihil triſte de negotiis monaſterij in eius audientia recitetur. Nullus eum in aliquo audeat offendere, ſed ſumma pace animique quiete finem ſuum præſtoletur. Licentiam habeat & poteſtatem quotidiani capituli monachorum pœnitentias iniungere, & iniunctas, prout viderit vultum pœnitentis contritum & compunctum, minuere vel augere. Omnes etiam licentiæ refectorij, omnia ſolatia infirmitorij eius deſcriptioni & arbitrio committantur: & prout hactenus ſolitum eſt miniſtrari, tam de victualibus, quàm de aliis neceſſariis, ſiue domi ſiue foris fuerit, eodem modo in perpetuum miniſtretur; niſi cōuictus de aliquo crimine inueniatur; quia tum admonitione de ſua emendatione (prout ſancta regula noſtra dictat) procurante, qui Prioratus officium in Croylandia ſemel obtinuerit, vſque ad obitum ſuum Prior perpetuo permanebit; & quia in medio fratrum rector eorū in honore, præter inclinationes omnis honor ei & reuerentia exhibeatur. Præcentori tabularum, ac eius aſſignatoribus in choro tam Abbas & Prior, quàm tota cætera congregatio humiliter obediat. Officio etiam ſacriſtæ tunc in augmentum portionis ſuæ officium Archidiaconatus ſuper totam parochiam Croylandiæ aſſignauit, dum ſine acceptione perſonarum cum timore Dei rationabiliter & canonicè ſuum officium exequatur. Dedit tunc officio Sacriſtæ calicem aureum, & duas phialas argenteas & deauratas, ac in formam duorum angelorum opere cælatorio fabrefactas, & duas pelues argenteas miri operis & magnitudinis, pulcherrimè cælatas cum militibus armatis. Quæ vaſa vniuerſa Imperator Almanniæ *Henricus* aliquando contulerat, & vſque ad illud tempus ſemper in ſua capella reſeruarat. Item officio cameræ monachorum tunc aſſignauit maneriū ſuum de Beby cum eccleſia eiuſdem villæ, diuinam maledictionem imprecans, quicunque dictum manerium & eccleſiam eiuſdem dicto officio immutauerit in damnum conſuetus, vel procurauerit immutari. Hæc ſanctiſſima ſtatuta ſua venerabilis pater noſter abbas *Turketulus* in ſuo capitulo publicè promulgata, & ab omnib. acclamata, & obedientiſſimè acceptata fecit ſcribi, & in fine regulæ S. *Benedicti* iuſſit apponi, vt omnes cùm vellet, valerent legem ſuam legere, & ne contingeret aliquē per ignorantiam contraire. Edita itaq; à prædictis 5. ſempectis iſta præmiſſa veteris monaſterij hiſtoria, ſtatutis etiam venerabilis abbatis *Turketuli* prætactis, per dictos ſempectas longo libramine digeſtis, & in regulam ſcripto redactis; præfatus pater, iam ſenio fractus, & præcipuè vulneribus plurimis ac laborib. immenſis in ætate fortiori ſuſceptis multum debilitatus, quotidie metam ſuæ mortis expectabat: & tanquā bonus operarius à domino ſuo denarium pro fideli adminiſtratione ad veſperā recepturus, finē fieri ſudorum ſuorū, veſperumq; venire retributionis æternæ affectu deſiderantiſſimo ſuſpirabat, frequentius & feruentius inuigilare ſanctis meditationibus, & afflictionib. vacare, omnes pauperes de ſuis indigentiis releuare, mendicantibus & egenis omnibus victualia præſtare, cæteris etiam charitatis operibus inſudare

inſidare, indies vitam præſentem faſtidire, & indeſinenter futuram appetere, regularium obſeruantiarum nihil negligere, ſe tamen ſemper inutilem ſeruum dicere, & totis animi præcordiis *Chriſti* miſericordiam concupiſcere, deuotioneque infatigabili, quaſi diligentia manuali quotidie paradiſi portas pulſare, ac regni cœleſtis aditum omni Chriſtiano titulo vendicare. Infantes ac filios nobilium monachandos, & apud Pegelandenſem clericos ad erudiendum literis deputatos, ne forte in aliquo negligentius tractarentur, ſaltem ſemel omni die viſitans, lectionem & laborem vniuſcuiuſq; conſiderabat; & afferente ſecum aliquo ſeruitore ficus vel vuas paſſas, vel nuces, vel amygdala, vel ſæpius poma & pyra, vel alia talia munuſcula, bene laborantes remunerabat præ cæteris, omnes ad diligentius inſiſtendū ſuis lectionibus non verbis tantum vel verberibus, ſed ſæpiſſime precibus, & præmiis prouocaret. Sempectas autem monaſterii, qui verbo vitæ ipſum ad Dei ſeruitium genuerant, ſemper in ſumma veneratione habebat, quotidie conſolatus familiari alloquio, & de menſa ſua aliquo inuiſens ſpeciali xenio. Cumq; primus prædictorum ſempectarum, & ætate decrepita, & ordinis conuerſione diuturna cæteris multo ſenior Dominus *Clarenbaldus* completis annis vitæ ſuę * 168. infirmatus, iam de manu Domini tam *al.* 148. longiſſimi laboris in ſuo ſancto ſeruitio præmia percepturus, lecto decumberet, carnis depoſitionem in proximo præſtolatus: ipſe venerabilis pater abbas *Turketulus* ſeruitoris fungens officio, die nocteq; non recedebat, ſed iuxta recubans regulare ſeruitium in auribus ægroti decātabat, & omnia ſeruitia more paratiſſimi iuuenis propriis manibus peragebat; tandem inunctum ac defunctum in medio choro cum ſolenni exequiarum officio tumulabat. Anno proxime ſequēte obiit dominus *Swarlingus* cōpletis annis vitæ ſuę 142. Quem venerabilis abbas *Turketulus* ſimili diligentia ægrotantem cuſtodiuit, & defunctum iuxta Dominum *Clarenbaldum* cum ſimili ſepulturæ reuerentia tumulo commendauit. Sic Dominum *Brunum*, ſic dominum *Aionem*, omneſque tres intra annum vnum, qui erat inclyti regis *Edgari* annus 14. ſimiliter & ſimili miniſterio ſepeliuit. Tandem anno proximo vltimus omnium obiit Dominus *Turgarus* venerabilis ſenex completis annis vitæ ſuæ 115. Iſti 5. ſenes ſempectæ vtrumq; monaſterium viderant, & vetus quod à Danis deſtructum fuerat, & nouum quod nuper reſtauratum fuerat.

Anno Dominicæ incarnationis 875. qui erat *Edgari* regis 16. & vltimus, celebrato cum multa deuotione feſto Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, venerabilis pater noſter Dominus Abbas *Turketulus* ex feruentiſſima illo anno canicula febrem incurrens, vltra ſolitum modum per triduum fortiſſime laborabat, quarto die lecto decumbens, totum conuentum, monachos ſcilicet. 47. & 4. laicos fratres in cameram ſuam conuocauit: & coram omnibus Dominum *Egelricum* tunc prouiſorem ſuum, ſtatū domus tam in theſauris, quam in iocalibus aliis iuſſit oſtendere, & de vniuerſis poſt obitum ſuum per indenturam conuentui reſpondere. Theſaurus monaſterii prolatus palam, tunc ad ſummam 1000o. librarum fere pertingebat. Reliquiæ vero plurimæ fuerunt & pretioſiſſimæ, quas Imperator Almanniæ *Henricus*, rex Francorum *Hugo*, princeps Aquitanorum *Ludouicus*, aliiq; multi Duces & Comites, proceres & pręlati regum Anglorum beneuolentiam & amicitiam captare cupientes, dum regii Cancellarii officium gerebat, ei crebro contulerant. Inter quas pręcipue colebat pollicem beati *Bartholomæi* Apoſtoli, ita vt illum ſemper ſuper ſe gereret, & cum illo in omni periculo & tempeſtate, & fulgure ſe ſignaret: Dux Beneuentanus Imperatori illum dederat, cum eum balteo militari primo iuuenem accinxiſſet; Imperator autem illum ei adhuc Cancellario contulerat. Item de crinibus ſanctæ Dei genitricis *Mariæ*, quos rex Frāciæ ei incluſos in aurea pyxide dederat. Quoddam os de ſancto *Leodegario* epiſcopo & martyre per principem Aquitaniæ donatum; ac aliæ multæ, quarum quædam diſtractæ ſunt, quædam adhuc ad hæc noſtra Normannorum tempora conſeruantur. Vaſa vero aurea & argentea multa, quæ omnia integra in neceſſitatem monaſterii ſub prouiſoris & procuratoris cuſtodia deputauerat conſeruanda. Erant enim ambo *Egelrici* cognati ſui ſecundum carnem, & fratres ſecundum Devm religioſiſſimi & deuoti, alter monaſterii prouiſor, alter procurator, prouiſor in temporalib. tractandis prudentiſſimus, procurator vir ſcholaſticus, & omnium literarum ſcientia profundiſſima imbutus. Iſti conſiliarii Abbatis fuerunt præcipui, Priorque *Amfridus* quam diu vixit; ac ſine illorum conſilio nihil magnum aut minimum faciebat. Indies ergo creſcente febre, & ad extrema deducente, communicatus *Chriſti* ſacris myſteriis, crucem, quam de eccleſia ante conuentum miniſtri attulerant: datā ad oſculandum ambobus brachiis amplexatus, quantis ſuſpiriis, quot lachrymis, quibus ſingultibus, & quam frequenter oſculatus fuerit, paucis nō poteſt explicari; tā deuota verba ad ſingula *Chriſti* vulnera dixit quod omnes circumſtantes fratres ad lachrymas vberrimas cōmouerit, & à multorū dictorum

fratrum cordibus, quamdiu poſtea vixerunt, eius deuotionis memoria deinceps non receſſerit. Pridie ante obitum ſuum ad fratres ſuos, qui aderant, breuem ſermonem faciens de ordinis obſeruantia, de charitate fraterna, de negligentia tam in temporalibus quam in ſpiritualibus cauenda, & de ignis noſtri diligenti cuſtodia, (ſiue charitatem ſupponebat, ſiue combuſtionem loci ſignificabat, quam præcaueri cupiebat, tum iſtud verbum, *Ignem veſtrum optime cuſtodite* frequenter quaſi prophetice commonebat) tandem dimittens ſe omnium orationibus commendabat, omnibus vltimum valedicens, & pro omnib. Deum rogans. Cumque virtus vitalis deficeret, & languor magis & magis violentior ingraueſceret, 5. nonas Iulii. i. in tranſlatione S. *Benedicti* patris & patroni ſui, officio regulari completo compleuit & ipſe in ipſo completorio dies ſuos tranſiens ex hoc mundo ad patrem, de ſudoribus Abbatiæ ad ſinum *Abrahæ*: ſepultuſque eſt in eccleſia ſua, quam à fundamentis conſtruxerat, iuxta magnum altare in eius latere dextro à conuicinis patribus *Adulpho* Burgenſi, & *Godmanno* Thornienſi Abbatibus, anno ætatis ſuæ 68. & monachatus ſui 27. Cui ſucceſſit ad Abbatis officium electione omnium *Egelricus* ſenior cognatus eius, & ſub ipſo prouiſor monaſterii totius, vir religioſus valde, & in temporalibus tractandis vir excellentis induſtriæ, ac in omnibus ſecularibus negotiis proſpero fine tractandis experientiæ immenſæ, prudentiæque mirandæ. Duci namque Merciorum *Alfero* carne propinquus, & multa familiaritate præcharus, ſub præfato rege *Edwardo*, qui patri *Edgaro* ſucceſſerat in regnum, cum monaſteria multa grauiſſime affligerentur, nullum damnum paſſus eſt, nec in minimo moleſtatus. Ipſe quidem Domini *Turketuli* Abbatis vltimis annis functus ſub eo totius monaſterii prouiſoris officio, multa bona opera faciebat. Stimulauit enim & induxit Dominum *Turketulum* Abbatem Londonias adire, & chartam *Edgari* regis, ac cenſuram eccleſiaſticam in violatores eius ab archiepiſcopis *Dunſtano* Dorobern. & *Osketulo* Eboracen. cum confirmatione ſpiritualitatis ſuper totam parochiam Croilandiæ impetrare; quo paci & quieti totius monaſterii prouidetur, & contra violentias tam ſpirituales, quam temporales totum cœnobium validiſſime roboratur. Audito etiam, quod ſanctus *Ethelwoldus* epiſcopus Wintoniæ inſiſteret penes regem *Edgarum* monaſterium de Medeshamſted in vicinio ſituatum ad ſtatum priſtinum reſtaurare, dum adhuc vicinæ ſyluæ in manu regis fiſco applicatæ manerent; vtens licentia regiæ chartæ, arbores & meremiam de dictis ſyluis ad monaſterium Croilandiæ curribus & carpentis, carris & plauſtris, omniq; genere vehiculorum cariari fecit. Vnde poſtea in monaſterio Croilandiæ, pulcherrima ædificia facta ſunt, & pulcherrima ligna multa numero valde ad quoſcunque caſus in tempus futurum pro monaſterii neceſſitatibus conſeruata. De namque illo meremio adhuc Domino TVRKETVLO Abbate ſuperſtite, conſummata eſt nauis eccleſiæ, turriſque eius longiſſimis trabibus fortiſſime ſuffulta & compacta. Poſt etiam obitum Domini TVRKETVLI Abbatis fecit ipſe de eodem meremio plurima pulcherrimaque ædificia, ſcilicet infirmitorium monachorum longitudine & latitudine decentiſſimum, de trabibus & tabulis opere carpentario mirabiliter contextum & compaginatum. Capellam etiam de ſimili opere, cum balneatorio ac aliis neceſſariis. Omnia de lignis leuigatis facta ſunt (quia molem lapideam fundamentum debile ferre non ſuffecit) plumboque cooperta. Fecit inde aulam hoſpitum, duaſque magnas cameras pulcherrimas de ſimili opere; fecit etiam nouum brachinum, & nouum piſtrinum; omnia de lignorum pulcherrimo tabulata. Fecit & magnam granariam de ſimili opere, in cuius parte ſuperiori omne genus adorum deponebatur, in inferiori vero parte vaſium deponebatur. Fecit & ſtabulum magnum, in cuius parte ſuperiori cameræ fuerunt ſeruientium omnium Abbatiæ, in inferiori parte ſtabulum erat pro equis Abbatis in vno fine, in altero fine ſtabulum hoſpitum. His tribus ædificiis, ſcilicet ſtabulo, granaria, & piſtrino tota pars occidentalis curiæ Abbatis contra proſpectum villæ claudebatur; pars vero auſtralis, cum aula hoſpitum, & cameris eius; pars orientalis, cum ſutrino, & cum aula fratrum conuerſorum, deinde cum Abbatis coquina, aula, camera, & capella, quæ clauſtrum monachorum claudebant verſus occidentem; pars autem Abbatiæ borealis muniebatur porta magna cum contiguo verſus orientem diuerſorio pauperum. Omnia hæc, præter Abbatis cameram & capellam, quæ clauſtrum contingebant, & prædictum diuerſorium pauperum, quæ Dominus *Turketulus* lapidea fecerat, erant lignea, de ſimili opere, plumbo tecta. Fecit etiam in annis ſiccitatis culturam in ſuis paludibus, in quatuor locis, ſcilicet in quatuor angulis eius, & annis 3. vel 4. habuit fructum centeſimum de omni ſemine ſeminato: fuitque cultura de Tedwarthar omnium fertiliſſima; ditatumque eſt monaſterium ſupra modum, tantaque copia frugum fuit, quod totam circumiacentem regionem de frugibus releuabat,

confluentibus etiam innumeris turbis egenorum villa maxima ſie bat. Fecit ipſe fieri duas magnas campanas, quas *Bartholomaeum*, & *Bettelinum* cogominauit, & duas medias, quas *Turketulum* & *Tatwinum* vocauit, & duas minores quas *Pegam* & *Begam* appellauit. Fecerat antea fieri dominus *Turketulus* Abbas vnam maximam campanam nomine *Guthlacum*, qua cum prædictis campanis compoſita fiebat mirabilis harmonia, nec erat tunc tanta cōſonantia campanarum in tota Anglia. Decemq; annis in officio paſtorali conſumptis ſtrenuiſſime, obiit Abbas *Egelricus* 2. nonas Augusti, & in capitulo ſepultus eſt eodem tempore fere, quo ſanctus *Athelwoldus* Wintoniȩ epiſcopus migrauit ad Dominum, ſcilicet anno Domini 974. Cui ſucceſſit ad abbatis officiū de eadē cognatione alter *Egelricus* dictus iunior, vir magis libris & literis ſacris deditus, quam in temporaliū prouiſione doctus: ſed ſanctiſſime ſtrenuiſſimeq; toto ſuo tempore monaſterium conſeruabat. Eius anno 4. Sanctus *Dunſtanus* Archiepiſcopus migrauit ad Dominum. Dedit iſte Abbas *Egelricus* communi Bibliothecæ clauſteralium monachorum magna volumina diuerſorum doctorum originalia numero. 40. minora vero volumina de diuerſis tractatibus & hiſtoriis, quæ numerum centenarium excedebant. Dedit etiam officio ſacriſtæ multa veſtimenta, videlicet omnibus altaribus in Eccleſia duas caſulas, id eſt, dominicalē, & alteram principalem. Dedit & choro 24. cappas, ſcilicet 6. albas, 6. rubeas 6. virides, & 6. nigras. Dedit etiā duo magna pedalia leonibus intexta, ponenda ante magnum altare in feſtis principalibus, & duo breuiora floribus reſperſa pro feſtis apoſtolorum. Dedit etiam multa pallia ſuſpēdenda in parietibus ad altaria ſanctorum in feſtis, quorum plurima de ſerico erant, aureis volucribus quædam inſita, quædam intexta, quædam plana. Fecit etiam fieri 6. calices, diuerſis eos donans altaribus & capellis. Fecit & choro. 6. gradalia. 4. antiphonaria, & 8. miſſalia diuerſis altaribus. Promouit etiam officinas monaſterii aliquo neceſſario vaſe æneo. Induitq; omni anno totum conuentum cum ſecta ſua de tunicis, omni altero anno de cucullis, & omni tertio anno de froccis, præter illa quæ dominus *Turketulus* aſſignauerat cōuentui, ſingulis annis de Eccleſia & manerio de Beby capienda. Cumq; octo annis optime monaſterium rexiſſet, obiit nonis Martii anno Domini 992. ſcilicet eodem anno, & anni tempore, quo ſanctus *Oſwaldus* Eboracæ Archiepiſcopus migrauit ad Dominum, qui paucis annis anterioribus adiutus per Comitem *Ailwinum*, & epiſcopum Dorcaciſtrenſem *Leſwinum* monaſteriū Ramſeyenſe refundauerat. Sepulto vero abbati *Egelrico* in capitulo iuxta alterum *Egelricum* ſucceſſit ad abbatis officium dominus *Osketulus* abbas, ſub domino *Turketulo* & vtroq; *Egelrico* abbatibus poſt *Amfridum* Priorem Prior longo tempore, vir ſimplex, & rectus, ac multum erga omnes charitatiuus & affectuoſus, literis bene inſtructus, & ſanguine multum generoſus, tantumq; deditus eleemoſynis egenorū, quod pater pauperum diceretur, tantæ authoritatis ad turbas, quod quicquid dixit futurū, propheticum crederetur, tanti honoris ad terræ principes, quod quaſi patrem venerarentur.

Porro inclyto regi, qui erat flos, & decus omnium anteceſſorum ſuorum, & totius occidui climatis orbis terræ Baſileus, honor & roſa regum, Anno Domini 975. regni vero ſui ſuper totam Angliam 16. ætatis etiam ſuæ, 32. defuncto, & Glaſconiæ ſepulto ſucceſſit in regnum primogenitus filius eius, ſimplex, & ſanctiſſimus adoleſcens, & multum in moribus patrizans. Cuius ſancta ſimplicitate, & innocentia tam abuſa eſt factio tyrannorum, per reginæ fauorem & potentiam præcipue roborata, quod per Merciam monachis de quibuſdam monaſteriis eiectis clerici ſunt inducti, qui ſtatim monaſteriorū maneria ducibus terræ diſtribuebant, & ſic in ſuas partes obligati, eos contra monachos defenſarent. Tunc de monaſterio Eueshamenſi monachis expulſis clerici fuerunt introducti, terręque tyranni de terris eccleſiæ præmiati ſunt: quibus regina nouercali nequitia ſtans cum clericis in regis opprobrium fauebat: cum monachis autem rex & ſancti epiſcopi perſiſtebant: ſed tyranni fulti reginæ fauore, & potentia, ſuper monachos triumphabant. Multus inde tumultus in omni angulo Angliæ factus eſt. Tandem cum 4. annis regnaſſet, apud Toruſgate occiſus conſilio & conſenſu dictę nouercę ſuæ, primo apud Werham ſepelitur, & poſtea ducis *Alferi* diligentia ad Steftoniam transfertur. Cui ſucceſſit frater ſuus *Ethelredus*, ſed filius prædictæ nouercæ *Alfledæ*, puer 10. annorū (Vere tunc dici potuit illud prouerbium, *Væ terræ, cuius rex puer eſt*) apud Kingſton ab Archiepiſcopis *Dunſtano* Dorobern. & *Oſwaldo* Eborac. coronatus. Cui, coronationis officio expleto, dixit ſanctus *Dunſtanus*, Quia aſcendiſti ad thronum tuum per mortem fratris tui, quem occidit mater tua, propterea audi verbum Domini, hoc dicit Dominus, Non deficiet gladius de domo tua, ſæuiens in te omnibus diebus vitæ tuæ, & interficiens de ſemine tuo, & de gente tua, vſque dum regnum tuū transferatur ad regnū alienū, cuius ritum & linguā gens tua non nouit.

nec expiabitur niſi longa vindicta, & multa ſanguinis effuſione peccatum tuæ matris, & peccatum virorum peſſimorum, qui cõſenſerunt conſilio eius nequam, vt mitterent manum in Chriſtum Domini ad effundendum ſanguinem innocentem. Dixerat etiam idem ſanctus de eodem infante aliam prophetiam. Cum ipſum baptizaret, & infans ventris profluuio baptiſterium polluiſſet, Per S. *Mariam*, inquit, puer iſte ignauus homo erit. Tertiam prophetiam legitur dixiſſe de eodem iam rege coronato, & Roffenſem ciuitatem obſidente cum exercitu ſuo. Cum enim inter ipſum, & epiſcopum ciuitatis diſcordia quædam fieret, cum exercitu venit, & dictam ciuitatem obſedit. Sanctus *Dunſtanus* Archiepiſcopus regem rogauit, quatenus obſidionem ſolueret, & iram ſancti *Andreæ* Apoſtoli dictæ eccleſiæ ſpecialis patroni non prouocaret. Ille preces paruipendens in obſidione perſeuerauit. Quod ſanctus cernens, C. libras ei miſit. Rex eas aſſumens exercitum reuocauit, & de obſidione receſſit. Tunc ſanctus ſic, miratus hominis cupiditatem, hæc per nuntium retulit, Quum prætuliſti pecuniam Deo, argentum apoſtolo, cupiditatem mihi ſeruo *tuo, velociter venient ſuper te mala, quæ loquutus eſt Dominus: ſed hæc me viuẽte non fient, quia & hoc loquutus eſt Dominus. Iam vero poſt obitum ſancti viri cœperunt dictę prophetię indies adimpleri, & mala innumera totam terram tribulare. Scilicet Danici piratæ primo noſtra littora in omni terræ latere crebris aſſultibus infeſtare; poſtmodum magna claſſe aduecti exercitus eorum inuicti, vrbes & caſtella licenter expugnare, eodẽ etiam tempore fames valida indigenas maxime vexare, & vaſtare: morib. deinde, qui dyſenteria dicitur, tam in iumenta, quam homines deſæuire; peſtilentia cum his multa millia tam diuitum, quã pauperum percutere; ac omnes hoſtes in capite ſuper Anglos ſemper vincere, & in omni certamine ſemper præualere. In tempore itaq; domini *Osketuli* Abbatis Croilandiæ, cum ſic Dani totam terram inquietarent, indigenæ de villis & vicis ad ciuitates & caſtella, & plurimi ad paludes, & lacum loca inuia refugientes, Danorum tranſitum & diſcurſum pro anima præcauebant. Accidit ergo, quandam magnam dominam villæ, quæ Elnophesbiry vocatur *Lefwinam* nomine, ſororem ſcilicet ex parentum propagine domini *Osketuli* Abbatis Croilandiæ, ad Witleſey tunc villam ſuam venire, & ſecum ſacras reliquias, ſcilicet ſacratiſſimã glebam ſancti *Neoti* confeſſoris de Elnophesbury, quia minus honorifice iacuerunt, ac Danorum deprędationi patuerunt, in ſcrinio ad hoc aptato deferre. Quæ dirigens celerem nuntium ad fratrem ſuum dominum Abbatem *Osketulum*, ſupplici poſtulabat ſupplicatione, quatenus cum congruo fratrum ſuorum comitatu Witleſiam placeret accedere, & dictas reliquias S. *Neoti* confeſſoris ſecum in ſuum monaſterium cum digna reuerentia deportare. Ille gaudens, & exultans, aſſumptis ſecũ quibuſdam fratribus, Witleſiam adiit, & dictas ſanctas reliquias cum debita honorificentia & Pſalmorum melodia ad Croilandiam tranſtulit; ac iuxta ſanctæ Dei genitricis *Mariæ* altare cum deuotione debita collocantur. Cœperunt tunc omnia terræ monaſteria à rege *Ethelredo*, ac ducibus eius ac miniſtris grauiſſimis exactionibus ſubiici, & ad ſatisfaciendum Danicis tributis pro immenſis pecuniarum ſummis ſibi impoſitis ſupra modum affligi. Et direptis theſauris, ac monaſteriorum tam ſacris calicibus, quam aliis iocalibus, etiam Sanctorum ſcrinia iubentur ab exactoribus ſpoliari. Venerabilis ergo pater dominus *Osketulus* Abbas Croilandiæ 400. marcas pro talibus tributis variis vicibus exoluerat, & tandem 12. annis in officio paſtorali ſanctè ac ſtrenue cõſummatis, mortis ſacræ cõpendio regias exactiones, vniuerſoſq; ſeculi timores cũ carnis depoſitione finaliter exuebat 12. Cal. Nouemb. anno ſcil. Domini milleſimo quinto. Cui ſucceſſit ad Abbatis officium venerabilis pater Abbas *Godricus*, electus & effectus Abbas in diebus anguſtiæ, tribulationis, & miſeriæ, ſicut anterior eiuſdem nominis Abbas *Godricus* multis annis præfuerat quondam monaſterio in tempore deſolationis & deſtructionis ſuæ: laborioſiſſimeq; rexit monaſterium 14. annis ſub prædicto rege *Ethelredo*. Huius Abbatis tempore cum Dani totius terræ fere obtinerent dominium, & tam per *Ethelredum* regem, & eius duces *Edricum*, *Alfricum*, *Godwinum*, & alios plures importabiles impoſitiones pro Danorum tributis perſoluendis, ac aliæ exactiones grauiſſimę ad eorundem ducum expenſas plurimas reſtaurandas, quam per *Analaphum* & *Swanum*, ac eorum exercitus deprædationes, deſpoliationes, & deſtructiones aſſidue fierent: ſæpe multa monaſteria de omni denario emuncta ſunt; non tamen exactores vltimum quadrantem ſe extorſiſſe credere voluerũt. Ita tunc religioſi, quo magis premebantur, magis putabantur, habentes, magis putabantur abundantes. Hinc venerabilis pater Abbas *Godricus* ſoluit primo anno regi *Ethelredo* 200. marcas: duceſq; ſui pro ſuis expenſis ſimiliter ducentas marcas extorquebant, pręter minores ſumptus, qui quotidie regis miniſtris irruentibus continue fiebant. Secundo, tertio, ac quar-

* al. ſuo.

ac quarto anno ſimiliter actum eſt. Tertio etiam anno pro triremibus per omnes portus fabricandis, & nauali militia cum victualibus & aliis neceſſariis exhibenda ducentæ libræ exactæ ſunt. Quarto etiam anno cum *Turkillus* Danicus Comes cum fortiſſima claſſe applicuiſſet, pro centum libris miſſum, & ad ſolutionem per exactores crudeliſſimos commiſſum eſt. Diſcurrenteſque Dani tunc per prouincias, omnia mobilia diripientes, immobilia cremantes, Draiton/ Kotenham/ & Hokiton/ maneria Croylandiæ, cum toto comitatu Cantabrigiæ direpta ignibus tradiderunt. Sed hæc nuncia ſunt malorum. Quippe cũ quolibet anno ſequente quater centum marcæ regiis exactionibus, & ducum ſuorũ ſumptibus communiter ſoluerẽt, rex *Swanus* veniens cum claſſe recenti exercitu ferociſſimo tunc omnia depopulatur. Irruens enim de Lindeſeia, vicos cremat, ruſticos euiſcerat, religioſos omnes variis tormentis necat; tunc Baſton & Langtoft flammis donat. Is erat annus Domini 1018. Tunc monaſterium ſanctæ *Pegæ*, omniaque ſua contigua maneria, ſcilicet Glinton/ Northumburtham/ Makeſey/ Etton/ Badington/ & Bernake/ omnia vna vice combuſta, tota familia cæſa, vel in captiuitatem ducta: Abbas cum toto comitatu nocte fugiens, & nauigio in Croilandiam veniens ſaluatus eſt. Similiter monaſterium Burgi, villæque vicinæ, ac maneria ſua Ege/ Thorp/ Walton/ Witherington/ Paſton/ Dodiſthorp/ & Caſtre/ prius omnia direpta, poſtea flammis tradita ſunt. Abbas cum maiore parte conuentus ſui aſſumptis ſecum ſacris reliquiis ſanctarum virginum, *Kineburgæ*, *Kineſwithæ*, ac *Tilbæ*, Thorneiam adiit. Prior autem cum nonnullis fratribus, aſſumpto ſecum brachio ſancti *Oſwaldi* regis, ad inſulam de Hely aufugit. Subprior vero cum 10. fratribus ad Croilandiam venit fœliciter. Illo anno ex frequentibus pluuiis inundationes excreuerunt, & vicinas paludes, circumq; iacentes mariſcos immeabiles reddebant. Ideo totus mundus aduenit, populus infinitus affluxit, chorus, & clauſtrum replebantur monachis, cætera eccleſia ſacerdotibus & clericis, Abbatia tota laicis, cœmeterium nocte ac die ſub tentoriis mulieribus & pueris; fortiores quicunq; inter eos, ac iuuenes in vluis & alnetis ora fluminum obſeruabant: erantque tunc quotidie (vt cætera onera taceantur) 100. monachi in menſa. Super hæc omnia per nuncium rex *Swanus* monaſterio Croilandiæ mille marcas impoſuit, & ſub pœna combuſtionis totius monaſterii ſolutionem dictæ pecuniæ certo die apud Lincoln aſſignauit: infraq; tertium menſem poſt ſolutionem huius pecuniæ iterum pro victualibus ſuo exercitui prouidendis exactores nequiſſimi mille marcas minis maximis extorquebant. Ventilatum eſt tunc, & vbique vulgatum crudele martyrium S. *Elphegi* Archiepiſcopi Dorobern. qui quia ſummam pecuniæ exceſſiuam ſibi impoſitam pro ſua redemptione ſoluere detrectauit, belluina Danorum ferocitas eum acerbiſſimo tormento crudeliter interemit. Omnes fera tempora flebant, fœlices qui quocunq; modo in fata proceſſerant: Abbas *Godricus* maxime, cui cura tanti populi incumbebat, & quem rex *Ethelredus* cumulos argenti habere exiſtimabat. Danicus vero *Swanus* ſuuſq; totus exercitus ei, tanquam domino de manibus eorum refugiẽtium, iuges inſidias & minas ſemper maximas ingerebat. Demum expenſis internis, & exactionibus externis totus theſaurus domini *Turketuli* Abbatis diſtractus eſt, horrea amborum *Egelricorum* demolita ſunt, cum adhuc regii exactores pro pecuniis quotidie irruerent, & eum tanquam patriæ proditorem, & Danorum prouiſorem regi in proximo cum dignis compedibus deducẽdum, & ſuppliciis tradendum pro ſuis demeritis affirmarent. Perculſus ergo venerabilis pater Abbas *Godricus* dolore cordis intrinſecus pro tot minis terribilibus, conuocat totum ſuum conuentum, & nuncians nummos monaſterio deficere, orat & exorat quatenus doceant, & decernant in medio, quid contra nequam ſeculum magis expediat faciendum. Tandem longo tractatu placet hæc ſententia cunctis, aliquem miniſtrorum ſeu ſatellitum *Edrici* ducis Merciorum conducere, & cum pecuniæ deficerent, terris & tenementis ad terminum vitæ concedendis in ſuum defenſorem contra imminentia pericula obligare. Erat enim iſte *Edricus* potentiſſimus poſt regem in terra, & cum rege *Ethelredo*, & cũ *Swano* rege Danorum familiariſſimus, & poſtea cum *Cnuto* filio ſuo. Conductus eſt ergo quidam maximus ſatellitum dicti ducis *Edrici*, nomine *Normannus*, ſanguine ſumme clarus, filius videlicet Comitis *Leſwini*, & frater *Leofrici* nobilis Comitis Leiceſtriæ, dato ſibi (prout poſtulabat) manerio de Badby ad terminum 100. annorum. Ille dictum manerium acceptans, tenere de ſancto *Guthlaco* per firmam in grano piperis per annum in feſto S. *Bartholomæi* ſingulis annis perſoluẽdo fideliter promittebat, & ſe futurum procuratorem ac protectorem monaſterii contra omnes aduerſarios confecto inde chirographo obligabat. Valuit iſtud monaſterio aliquanto tempore, ſcilicet omnibus diebus vitæ ſuæ. Anno namque primo regis *Cnuti* cum perfidus dux *Edricus* dicto regi *Cnuto* quaſi pro beneficiis im-

properaſſet, quod *Ethelredum* prodidiſſet, & *Edmundum* prodidiſſet, ore proprio proditionis reus factus, mortem proditoris pro demeritis accepit laqueo ſuſpenſus, & in Tameſin fluuium proiectus. Cum quo plurimis ſatellitum ſuorum ſimiliter occiſis, etiam inter eos præcipuus & primus *Normannus* occiſus eſt, cuius terras, cum rex *Leofricum* Comitē fratrē ſuum multum diligeret, vt ei pro morte fratris ſui aliquantulum ſatisfaceret, vniuerſas cōceſſit. Hac conceſſione Badeby ad manum dicti Comitis *Leofrici* deuoluitur; & tandem Priore monaſterii Eueſhamii, nomine Auicio, dicti Comitis cōfeſſore, conſulente ac crebro commouente, pro termino firmæ fratri ſuo conceſſæ ad Eueſhamium aſſignatur, & vltra terminum firmæ adhuc retinetur. Erat enim iſte *Leofricus* Comes vir deuotiſſimus, & eleemoſynis multum deditus, fundator, ac ditator multorum monaſteriorū inter quæ, inſtigante vxore ſua, *Godina* nomine, tunc fœminarum pulcherrima, ſic corde ſanctiſſima, Couentrenſe monaſterium maximis & plurimis donariis in immenſum ditauit. Porro rex *Ethelredus*, cum triginta ſeptem annis regium thronum miſerrime occupaſſet, infirmatus Londoniis, & à Danis obſeſſus obiit, & ibidē in eccleſia S. *Pauli* ſepultus eſt. Cui ſucceſſit in regnum Londonienſium, & Weſtſaxonum electione filius eius primogenitus *Edmundus*, ferreum latus pro ſua fortitudine cognominatus. Qui fortiſſime dimicans cōtra *Cnutum* Danorum regem, qui *Swano* patri apud Gamsburugh mirabiliter & miſerabiliter extincto ſucceſſerat, regnum tandem cum eodem *Cnuto* ęque partitur. Cum vero dicti duo validiſſimi iuuenes cœpiſſent ſimiliter pacatiſſime conregnare, perfidi ducis *Edrici* prædicti inſidiis *Edmundus* occiſus eſt, & omnium conſenſu *Cnutus* ſuper totam Angliam coronatus. Eodemque anno prædictus proditor regum perfidus dux Merciorum *Edricus* digno fine periit, ſuſpenſusq; (vt prædictum eſt) & in Tameſin proiectus, à piſcibus deuorandus. Occiſus eſt etiam præfatus *Normannus* cum quibuſdā aliis ſatellitibus eius. Is erat annus Domini 1107.

Incipiente igitur rege *Cnuto* regnare, cū pax ſumma vbiq; proclamata per omnes prouincias Angliæ refloreret, venerabilis pater Abbas Croilandiæ *Godricus* vniuerſos monachos hoſpites monaſterii ſui ad propria remiſit. Reuerſus tunc ad monaſterium ſuū cum conuentu ſuo Abbas eccleſiæ ſanctæ *Pegæ*, ſtatim in ipſo introitu, cū omnia deſtructa cerneret, & combuſta, in terram corruit, perlatuſq; per fratres ſuos ad proximam domunculam villæ ſuæ conuicinæ poſt quintum diem obiit, in eccleſiaq; ſua ſepultus eſt. Defuncto itaq; Abbate *Baldoco*, ſucceſſit * *Wulgatus*, vir in mundialibus multum prouidus, & in ſpiritualibus valde religioſus. Qui contra Abbatem Burgi *Leofricum* poſtea fortiſſime placitauit: ſed regis curia nimium fauente potentiori, & contra pauperem ſententiante, tandem ſedem monaſterii ſui perdidit. Tanta fuit Abbatis *Leofrici* pecunia, tantá Comitis *Godwini* potentia. Sed hæc poſtea. Regis autem *Cnuti* anno ſecundo cum procellæ præliorum quieſcerēt, & pacis ſerenitas tempora inciperet proſperare, venerabilis pater Abbas *Godricus*, huius vitę mari magno multis laboribus enauigato portum quietis æternæ ingreſſus eſt, cū monaſteriū 14. annis laborioſiſſime gubernaſſet, defunctus 14. Kalend. Februarii, & in capitulo contra dominum *Osketulum* ſepultus. Cui ſucceſſit ad Abbatis officium venerabilis pater dominus *Brithmerus*, qui cognatus domini *Osketuli* Abbatis, ſub prædeceſſore ſuo Abbate *Godrico* monaſterii procurator, multa pericula verſus regem *Ethelredum*, & verſus exercitus Danorū ſæpiſſime mira gratia ſuperauerat. Huius Abbatis anno 4. veniens quidam deuotiſſimus adoleſcens ac valde generoſus, de cognatione videlicet præfati *Leofrici* Comitis Leiceſtriæ, nomine *Wulſius*, amore vitæ ſolitariæ, apud nos recluſus eſt, & multis annis ſanctiſſime conuerſatus. Venerabilis autem pater Abbas *Brithmerus*, cum *Cnutum* regem ſuper Angliam ſtabilitum, cerneret vniuerſos Anglos ciuiliter, & ſatis amicabiliter vbiq; tractare, inſuper ſanctam eccleſiam ſpeciali deuotione diligere, ac filiali ſubiectione honorare, monaſteriis, multiſq; ſanctorum locis benefacere, quędam vero monaſteria ad ſummam gloriam promouere, ſtatuit ſemel opportunitate captata regem adire, & confirmationem monaſterii ſui (quorundam aduerſariorum, qui tempore guerrę multū creuerant, vim formidans) à dicto rege impetrare. Quod & factum eſt. Nam curiam regis adiens, & gratiam eius inueniens, dictam confirmationem obtinuit: in quod pulcherrimo calice à rege donatus eſt in his verbis. *Cnutus* rex totius Anglię, & Danmarchię, & Norwagię, & magnę partis Swauorum, omnibus prouinciis, nationibus, & populis meę poteſtati ſubiectis, tam minoribus quam maioribus ſalutem. Cum terram Anglię progenitores mei & parentes duris extortionibus & diris deprędationibus ſępius oppreſſerunt, & (fateor) innocentem ſanguinem ſequenter in ea effuderunt: ſtudium meum à principio mei regni fuit, & ſemper erit in futurum tam penes cœlum, quam penes ſeculum pro-

ptet

*al. Wulgarus.

pter hęc mea peccata,& parentũ meorum ſatisfacere & ſtatum totius ſanctę matris Eccleſiæ,& viuſcuiuſque monaſterii ſub imperio meo conſtituti,cum in aliquo meo patrocinio indiguerint,deuotione debita emendare; omneſque ſanctos Dei per hæc, & alia bona opera mihi in meis neceſſitatib. reddere benignos, ac deprecationibus meis fauorabiles & placatos. Ideo in arras huius meæ ſatisfactionis offero ſancto *Guthlaco* de Croyland / & cæteris Sanctis eiuſdem loci de ſubſtantia mea vnum calicem , confirmans *Brithmero* Abbati,& monachis ſuis totum monaſterim ſuum Croilandiæ cũ inſula circumiacente,& duobus mariſcis adiacentibus, ſcilicet Alderlound & Goggislound eiſdem terminis, & limitibus,quibus in chirographo inclyti quondam regis *Edredi* reſtauratoris ſui dicta inſula, dictiq; duo mariſci ſatis aperte deſcribuntur. Confirmo etiam omnes eccleſias & capellas, terras,& tenementa,libertates,& priuilegia in eiuſdem regis chirographo contenta, cum quibus omnibus dictus rex *Edredus* dictum monaſterium Croilandię ad honorem Dei,& S. *Guthlaci* cõfeſſoris ſui corporaliter in eo requieſcentis dotauit,donauit,ditauit, & ſuo chirographo confirmauit. Nulluſque hominum meorum audeat à modo dictos monachos inquietare,vel in aliquo conturbare pro prædictis. Quod ſi quis facere præſumpſerit, vel tentauerit vſurpare,vel gladii mei ſentiet aciem,vel gladii pœnam ſacrilegis debitam ſubibit abſq; omni remiſſione, & redemptione puniendus iuxta modum & menſuram iniuriæ dictis monachis irrogatæ. Ego *Cnutus* rex anno Dominicæ incarnationis milleſimo triceſimo ſecundo Londoniis iſtud meum chirographum ſigno ſanctæ crucis confirmaui. ✠ Ego *Egelnothus* Archiepiſcopus Dorobern. ſigno ſanctiſſimæ crucis confirmaui. ✠ Ego *Alfricus* Archiepiſcopus Eboracæ hoc regis chirographum affirmaui. ✠ Ego *Leffius* Wicciorũ epiſcopus conſignaui. ✠ Ego *Elfwardus* Lond. epiſcopus collaudaui. ✠ Ego *Brithmerus* Lichefeld. epiſcopus conſtabiliui. ✠ Ego *Brithtegus* Abbas Perforenſis communiui. ✠ Ego *Wulnothus* Abbas Weſtmonaſterii ſignaui. ✠ Ego *Oſwius* Abbas Thorneienſis approbaui. ✠ Ego *Godwinus* Comes conſenſi. ✠ Ego *Leofricus* Comes conceſſi. ✠ Ego *Edwinus* frater *Legrici* affui. ✠ Ego *Haroldus* filius *Godwini* Comitis interfui. ✠ Ego *Algatus* filius *Leofrici* Comitis aſtiti. ✠ Ego *Turkillus* miniſter regis audiui. ✠ Ego *Alfgetus* miniſter regis aſpexi. ✠.

Anno namque regni ſui 14. rex *Canutus* Romam adiens,honorifice ſuſceptus erat à Papa *Iohanne*, & principibus totius Chriſtianitatis, circa Romam tunc ibidem in Paſchæ feſto cum domino Papa congregatis, rediensq; verſus Angliam per Daciam, in dicta via ſua direxit literam ad Archiepiſcopos, & vniuerſum populum Angliæ de ſua proſperitate recurrentem per Abbatem Tamſtokenſem, *Liuingum* nomine,ſub iſtis verbis. *Canutus* rex totius Danmarchiæ,& Angliæ, & Norwagiæ, & partis Swauorum, *Egelnotho* Metropolitano & *Alfrico* Eborac. Archiepiſcopo, omnibuſque Epiſcopis & Primatibus,& toti genti Anglorum, tam nobilibus, quam plebeiis ſalutem. Notifico vobis me nouiter iſſe Romam oratum pro redemptione peccaminum meorum, & pro ſalute regnorum,quiq; meo ſubiacent regimini populorum. Hanc quidem profectionem Deo iam olim deuoueram; ſed pro negotiis, & regni cauſis impedientibus hucuſque non poteram perficere. Nunc autem ipſi Deo meo omnipotenti valde humiliter gratias ago, quod conceſſit vt in vita mea beatos Apoſtolos *Petrum* & *Paulum*,& omne ſanctuarium,quod intra vrbem Romam aut extra addiſcere potui,expetere valde vtile ducerem. Sit autem vobis notũ,quia magna congregatio fidelium nobilium in ipſa Paſchali ſolennitate ibi cum domino Papa, & *Conrado* imperatore erat; ſcilicet omnes principes gentium à monte Gargano vſque ad iſtud proximum mare: qui omnes me & honorifice ſuſcepere, & donis pretioſis & muneribus variis honorauere,tam in vaſis aureis & argenteis, quam in palliis & veſtibus valde pretioſis. Loquutus ſum ergo cum domino imperatore, & domino Papa, & principibus qui ibi erãt,de neceſſitatibus totius populi mei tam Angli,quam Dani, vt eis concederetur lex ęquior,& pax ſecurior in via Romam adeundi; & ne tot clauſtris per viam arceantur, & propter iniuſtum telonium fatigentur. Annuitq; poſtulatis imperator,& *Robertus* rex,qui maxime ipſarum clauſurarum dominatur, cunctique principes edictis firmauerunt,vt homines mei tam mercatores, quam alii orandi cauſa viatores abſq; omni angaria clauſurarum ac teloniorum cum firma pace, & iuſta lege ſecuri Romam adeant, & redeant. Conqueſtus ſum iterum coram domino Papa, & valde mihi diſplicere cauſabar, quod mei Archiepiſcopi in tanta angariabantur immenſitate pecuniarum, quæ ab iis expetebantur, dum pro pallio accipiendo ſecundum morem Apoſtolicam ſedem expeterent: decretumque eſt, ne id deinceps fiat. Cuncta enim, quæ à domino Papa, & ab ipſo Imperatore, & à rege *Roberto*, cæteriſque principibus, per quorum terras nobis

tuum, tanquam caſtrum refugii fortiſſimum, arbitrari. Hi aduentitii vniuerſum monaſterium multis querelis & interpellationibus iugiter inquietabant, & tota die in clauſtrũ irruentes, de ſuis indigentiis dominos loci cum blanditiis allicere in ſuum fauorem tam per ſeruos monaſterii, quam per ſe aſſiduæ in monachorum auribus incumbebant. Hinc monachi clauſtrum relinquentes, vix ad diuinum officium in chorum de dormitorio auſi ſunt deſcendere, vix ad communis menſæ participationem in refectorium poterant conuenire. Maxime vero *Walſium* anachoritam recluſum apud clericos Pegelandenſes angariabant, & perangariabant: quem die noctuque de diuerſis negotiis conſulentes, multis clamoribus & inuocationibus eum tædere vitæ ſuæ compellebant. Ideo non tandem faſcia ligatis oculis eius, Eueshamiam petiit, & ibidem iuxta quandam capellam in cella recluſus, hucuſque reſedit.

Regnum autem Angliæ diuiſum inter duos germanos fratres: *Hardetnutuſque* auſtrales prouincias vltra Tameſem fluuium, *Haroldus* boreales cum Londoniis, totamque terram circa dictum fluuium accepit. *Hardetnutus* ergo accepta portione ſua Danemarchiam adibat; vbi cum moras diutius iuſto innectebat, *Haroldus* in regem ſuper totam Angliam eleuatur. Ipſe dedit monaſterio noſtro chlamydem coronationis ſuæ de ſerico, aureiſque floribus intextam, quam poſtea Secretarius commutauit in cappam: pluraque nobis bona feciſſet, (tantam gratiam dominus Abbas *Brithmerus* in illo repererat) niſi eum adhuc in ianuis regni reptantem cita mors præpropere ſuſtuliſſet. 4. annis itaque completis, regnoque quaſi guſtato deceſſit, & Weſtmonaſterii tumulatur. Cui ſucceſſit in regnũ accerſitus de Dacia *Hardetnutus* frater eius, ſed ex *Emma* matre. Statimque, vt regnum ingreſſus eſt, corpus *Haroldi* fratris ſui de tumulo iuſſit tolli, deinde decollari, tandem in proximũ fluuium Tameſim proiici. Sed Angli & Dani de flumine leuantes, in cœmiterio Danorum Londoniis fecerunt ſepeliri. *Hardetnutus* vero biennio regnato apud Lamitham iuxta Londonias inter epulas & pocula ſpiritum eructauit, & Wintoniæ iuxta patrem requieſcit. Poſt eius obitum omnium electione in *Edwardum* concordatur, maxime cohortante *Godwino* Comite; in regemque *Edwardus* filius *Emmæ* reginæ, ſed ex *Ethelredo* quondam patre, & Agliæ rege, apud Londonias perficitur coronatus, anno ſcilicet incarnationis Dominicæ 1043. in die ſancto Paſchæ & regnauit fere 24. Cui data eſt in vxorem filia *Godwini* Comitis puella pulcherrima, literis apprime erudita, moribus autem & cætera vita virgo caſtiſſima, & humilitate ſanctiſſima, nomine *Egitha*, in nullo patris aut fratrum barbariem ſapiẽs, ſed mitis & modeſta, fidelis & honeſta, & nulli vnquam infeſta; vnde de illa dicebatur illud elegiacum.

Sicut ſpina roſam, genuit Godwinus Egitham.

Vidi ego illã multotiens, cum patrem meum in regis curia morantem adhuc puer inuiſerem, & ſæpius mihi de ſcholis venienti de literis ac verſu meo apponebat, cum occurrerem, & libentiſſime de Grammatica ſoliditate ad Logicam leuitatem, qua callebat, declinans, cum argumentorum ſubtili ligamine me concluſiſſet, ſemper tribus aut quatuor nummis per ancillulam numeratis ad regium penu tranſmiſit, & refectũ dimiſit. Rex autẽ *Edwardus* natus in Anglia, ſed nutritus in Normannia, & diutiſſime immoratus pene in Gallicũ tranſierat, adducens ac attrahens de Normannia plurimos, quos variis dignitatib. promotos in immenſum exaltabat. Pręcipuus inter eos erat *Robertus* monachus Gemmetricenſis, factus per eũ epiſcopus Londonienſis, poſtea in Archiepiſcopũ Cantuarienſem eleuatus, & *Willielmus* regis capellani: quorũ prior poſtea factus eſt epiſc. Lond. poſterior epiſcopus Dorcaciſtrię. Cœpit ergo tota terra ſub rege, & ſub aliis Normãnis introductis Anglicos ritus dimittere, & Francorũ mores in multis imitari, Gallicum idioma omnes magnates in ſuis curiis tanquam magnũ gentilitium loqui, chartas & chirographa ſua more Francorum conficere, & propriam conſuetudinem in his & in aliis multis erubeſcere. Sed hæc magis poſtea. Porro anno 6. regis *Edwardi*, ſcil. anno Domini 1048 cœpit ægrotare venerabilis pater dominus *Brithmerus* Abbas Croilandiæ, cum diligentiſſime regimen paſtorale annis 28. gubernaſſet; & obiit 7. Idus Aprilis, & in oſtio capituli iacet humatus. Illo in tempore (vt aliqualiter antea eſt prætactum) venerabilis pater dominus *Wulgatus* Abbas Pegelandiæ diutiſſimam calumniam paſſus ab Abbatibus Burgi *Elfino*, *Arwino* & *Leofrico*, Abbatiæ ſuæ ſedem amittens tandem ſuccubuit, & (proh nefas) totum ſitum Monaſterii ſui iudicio regalis curiæ perdidit. Tantum tunc potuit ſuper iuſtitiam pecunia, contra veritatem verſutia, & in curia regis *Hardecnuti* Comitis *Godwini* potentia. Cumque prædictus Abbas *Wulgatus* amiſſo ſitu monaſterii ſui, iuxta proximi fluuii ripidinem, Weland nomine, in ſuo manerio magis vicino de Northamburgh fundamen-

conceſſa in omnibus laudo, approbo, & confirmo. Dederunt enim, & ſuis chirographis confirmarunt DEO & ſancto *Guthlaco*, ac monachis ſuis totam inſulam Croilandiæ in ſitum ſeparalem monaſterii dictorum monachorum, ſicut iacet circa dictum monaſterium limitibus & terminis in prædictorum regum chirographis ſatis aperte deſcripta & definita; cum duobus mariſcis eius ſcilicet, Alderlound & Goggiſlound ex oppoſito eiuſdem inſulæ ad eius occiduum iacentibus, ſimiliter cum iiſdem finibus & metis quibus in iiſdem chirographis deſcribuntur. Hæc & omnia alia donaria prædictorũ regum, ſcilicet *Edredi* reſtauratoris dicti monaſterii, & *Edgari* aui mei, prædictis monachis & eorum ſucceſſoribus concedo & confirmo, cum omnibus libertatibus & priuilegiis in eorum chirographis dicto monaſterio conceſſis & contentis, habenda ſancto *Guthlaco* & prædictis monachis ſuis in puram regalem eleemoſynam in perpetuum, teſtibus *Egitha* regina mea *Edſio* & *Alfrico* Archiepiſcopis, *Godwino*, *Leofrico*, & *Siwardo* Comitibus, cum cæteris optimatibus meis, qui aſſunt in curia mea, multis. Venit itaque prædictus venerabilis pater Dominus *Wulgatus* ad Croilandiam cũ omnibus monachis ſuis numero ſexdecim (duo namque Londoniis defuncti erant) & cum omni ſupellectile ſua, & receptus eſt in die ſancti *Marci* Euangeliſtæ, ſcilicet Anno Domini milleſimo quadrageſimo octauo. Quo anno terræ motus factus eſt magnus Calend. Martii die Dominica, & magna mortalitas hominum & iumentorum conſequuta eſt. *Egelricus* etiam monachus *Burgi*, *Godwino* Comite procurante, factus eſt epiſcopus Dunelmiæ. Qui adeptus epiſcopatum, cum infinitas pecunias collegiſſet, per medium vaſtiſſimæ foreſtæ, & profundiſſimorum mariſcorum de Deping vſque ad Spalding de lignis & ſabulo calcetum ſolidum viatoribus fieri fecit, opus ſumptuoſum valde, primeq; neceſſariũ: quod vſque nunc & ſemper in futurum quamdiu durauerit, de factore *Egelrico* cognomen habebit, id eſt, Elrichesrode. Illum pro ſuo opere Girnii vniuerſi, ac mediterranei Angli, & Saxones omnes benedicebant; ſed Dunelmenſes plurimum condemnabant. Cumque iterum crumenas pecuniis refarſiſſet, epiſcopatum dimittens, & Burgum repetens, *Agelwino* monacho Burgenſi & germano ſuo ſuum annulum reſignauit. Qui penes regem *Godwino* Comite ſimiliter procurante, factus epiſcopus, permanſit in eo vſq; ad hęc tempora noſtra. Sed hæc poſtea. Anno Domini 1051. *Alfricus* Archiepiſcopus Eboracæ defunctus eſt apud Southwell, & apud Burgum ſepelitur. Eodem etiam anno cum terra non daret ſolita fertilitate fructus ſuos, ſed fame plurimos habitatores deuoraret, in tantum vt bladorum carentia & panis inopia multa hominum millia morerentur: miſericordia motus ſuper populum piiſſimus rex *Edwardus*, tributum grauiſſimum, quod Danigeld dicebatur, omni Angliæ in perpetuum relaxauit. Ferunt quidam, regem ſanctiſſimum, cum dictum Danigeld cubicularii ſui collectum in regis cameram intuliſſent, & ad videndum tanti theſauri cumulum ipſum adduxiſſent, ad primum aſpectum exhorruiſſe, proteſtantem, ſe dæmonem ſuper aceruum pecuniæ ſaltantem, & nimio gaudio exultantē proſpexiſſe. Vnde priſtinis poſſeſſoribus iuſſit ſtatim reddere, & de tam fera exactione ne iota vnum voluit retinere; quin in perpetuum remiſit, anno ſcilicet 38. ex quo tempore regis *Ethelredi* patris ſui *Swanus* rex Danorum ſuo exercitui illud ſolui ſingulis annis imperauit. Hoc etiã tempore, cum venerabilis pater Abbas *Wulgatus* tenacitatem temporis videret inualeſcere, & filios ſuos monachos ſui monaſterii, qui ante aduentum ſuum reficiebantur voluptuoſis, & abundauerant croceis, iam veſci pane ſecundario & paucis piſciculis de fluuiis: ſuſpirans ſupra modum, & condolens, quod multiplicaſſet gentem, non magnificaſſet lætitiam; conſuluit in medio contra vrgentiſſimum famis inſtantis periculum quid expediat faciendum; & diuites conferre, ſapientes conſulere ſuppliciter ſupplicans vniuerſos amicos monaſterii adiurabat. Tunc inter familiares noſtri monaſterii, & beneuolos amicos erat pręcipuus conſiliarius quidam vicecomes Lincolnię dictus *Thoroldus*, quem multi adhuc ſuperſtites & regulares & ſeculares viderunt & nouerunt, de genere & cognatione illius vicedomini *Thoroldi*, qui quondam noſtro cœnobio amiciſſimus dedit nobis manerium ſuum de Bokenhale cum omnibus pertinentiis eius. Sic iſte *Thoroldus* ductus ſuper domum noſtram digniſſima pietate, in releuationē noſtri monaſterii, & exonerationem, ad ſuſtentationem ſex monachorum, ſcilicet vnius Prioris & quinque confratrum, competentiſque familię ſatis, vt ęſtimabat, ſufficientem totum manerium ſuum de Spalding cum reditibus pertinentibus, & ſeruitiis ſuis vniuerſis in perpetuam eleemoſynam conceſſit, & inde chirographum ſuum fecit. Tranſmiſſiſque ſex monachis de monaſterio noſtro cum dicto *Thoroldo*, refectoriũ multũ releuatum eſt. Ipſe autē inſtituit ardenter de dicto manerio ſuam familiam amouere, deinde capellam ſuam honeſtiorē facere & ſuam

aulam in refectorium, cameramq; in dormitorium, & in clauſtrum monachorum ſuum deambulatorium immutare. Inſuper iumenta manerii agriculturæ apta, aliaque coquinæ, brachini, & piſtrini vaſa talibus officiis neceſſaria, ac vtenſilia monachis contulit vniuerſa. Hoc in tempore illuſtriſſimus ac glorioſiſſimus Normannorum Comes *Wilhelmus* cum multo militum comitatu in Angliam ad regem *Edwardum* venit. Quem rex honorifice ſuſcipiens, & aliquandiu ſecum retinens, ad ciuitates & caſtella regia circumduxit, & condignam humanitatem exhibens, tandem multis donatum muneribus ad propria dimiſit. De ſucceſſione autem regni ſpes adhuc, aut mentio nulla facta inter eos fuit.

ANNO Domini 1052. Dominus *Wulgatus* Abbas Croilandiæ quatuor annis in regimine paſtoralis officii completis obiit nonis Iunii, & ſepultus eſt in capitulo die ſancti *Medardi* epiſcopi. Cui ſucceſſit ad Abbatis officium ex regis *Edwardi* collatione venerabilis pater Dominus *Wulketulus*, factus Abbas Croilandiæ ex monacho, & ſacriſta Burgi, inſtallatus in feſto beatæ *Mariæ Magdalenæ*. *Emma*, regina quondam, & vxor regum ſcilicet *Ethelredi* & *Cnuti*, ac mater regum ſcilicet *Hardetnuti*, & *Edwardi*, obiit, & apud Wintoniam tumulatur. Anno Domini 1053. cum *Godwinus* Comes in menſa regis de nece ſui fratris impeteretur, ille poſt multa ſacramenta tandem per buccellam deglutiendam abiurauit; & buccella guſtata continuo ſuffocatus interiit: comitatuſque Weſtſaxoniæ *Haroldo* filio ſuo datus eſt, & comitatus *Haroldi*, id eſt, Eſtſaxoniæ *Algaro* filio *Leofridi* Leiceſtrenſis Comitis eſt donatus. Anno Domini 1056. ſtrenuus Comes Northumbrorum *Swardus* obiit, & ſepultus eſt in clauſtro monaſterii ſanctæ *Mariæ* extra muros eiuſdem vrbis, quod ipſe conſtruxerat. Comitatus autem eius Eboracæ *Toſtio* fratri Comitis *Haroldi* datus eſt; Northamptoniæ vero, ac Huntingdoun comitatus cum cæteris terris ſuis inclyto Comiti *Waldeno* filio & hæredi ſuo ſunt donati. Hoc etiam tempore rex *Edwardus* ductus prauo conſilio quorundam, illuſtriſſimum Comitem *Algarum* exlegauit ſine aliqua culpa. Sed auxilio *Griffini* regis Wallenſium, & Noricæ claſſis, quæ ſibi venerat ex inſperato, tandem poſt multorum cædes cum rege reconciliatus, comitatum ſuũ recepit, claſſiſque ſua Leiceſtriam deducta eſt, & à patre ſuo largiſſime præmiata receſſit. Anno autẽ Domini 1057. illuſtriſſimus, & optimus Comes Leiceſtriæ *Leofricus* obiit, & apud Couẽterriam monaſterium ſuum, quod conſtruxerat, & maximis donariis & priuilegiis plurimum ditauerat, ſepultus requieſcit anno æqualiter 40. ex quo maneriũ noſtrum de Badbeby pro termino firmæ fratris ſui *Normanni* monaſterio Eueshamenſi contulerat, in hoc ſolo nociuus nobis. *Edwardus* etiam patruelis regis *Edwardi* vocatus de Hungaria, vbi Angliam attigit, infirmatus obiit, ſpeſq; regii ſanguinis deinceps deficere cœpit. Anno autem Domini 1058. ſtrenuus Comes Leiceſtriæ *Algarus* ſecundo exlegatus eſt; qui *Griffinũ* Wallenſium regem iterum adiens, & claſſem Noricam conducens, per vim ſuum Comitatum recuperauit. Ipſe beneuolus & amicus monaſterio noſtro omnia dona progenitorum ſuorum domui noſtræ fauorabiliter & gratioſe confirmauit, ac ad ſuſtentationem noſtri conuentus, & confratrum noſtrorum apud Spaldelig commorantium quædam ſpiritualiter adiecit. Quo tempore conſilio & conſenſu eiſdem Comitis venerabilis pater Abbas *Wulketulus* capellam ſanctæ *Mariæ* de Spalding, & omnes prouentus eius, cum omnibus reditibus noſtro monaſterio pertinentibus in orientali parte fluminis de Weland / prædictis monachis ſuis ad exhibendum hoſpitalitatem ibidem ſuperuenientibus more monaſteriali tam pauperibus, quam diuitibus, quorum creber illuc concurſus erat, pleno iure poſſidendam aſſignauit. Anno autem Domini 1059. *Benedictus*, ſedis Apoſtolicæ inuaſor, zelo fidelium a papatu pellitur, & *Nicolaus* Florentiæ ciuitatis epiſcopus Cardinalium electione canonice ſubrogatur. Ipſe *Stigando* Archiepiſcopo Cantuariæ pallium miſerat, quia ſimilis ſimilem diligebat. Strenuiſſimus etiam Comes *Algarus* noſtri monaſterii ſemper amantiſſimus, ſæpius ab æmulis inſectatus, ſæpe terra mariq; iactatus, ſed Domino ſemper proſperante ſuos conatus, inuictus, & populo terræ affectu ſynceriſſimo amatus, obiit, & Couenterriæ iuxta patrem poſitus requieſcit humatus, relictis tribus liberis, duobus filiis, ſcilicet *Edwino*, & *Morkario*, poſtea Comitibus, & vnica filia, quæ nunc ſupereſt, Comitiſſa *Lucia*. Anno autem Domini 1060. *Kinſius* Archiepiſcopus Eboracæ obiit, & apud Burgum, vbi monachus aliquando fuerat, tumulatur: cui ſucceſſit *Aldredus* epiſcopus Wigorniæ, huic *Aldredo* epiſcopo Wicciorum * rex *Edwardus* epiſcopatum Herfordenſem contulit cuidam *Waltero Egithæ* reginæ capellano, genere Lotharingo. Anno autem Domini 1061. Dominus Abbas Croilandiæ *Wulketulus* conſtruere cœpit, ſuccedentibus annis proſperis, nouam eccleſiam; quia vetuſta, quam quondam venerabilis Dominus *Turketulus* fundauerat, minabatur in proximo ruinã. Adiuuit

eum ardentiſſima deuotione inclytus Comes *Waldenus*, qui tum monaſterio noſtro Croilandiæ villam ſuam de Bernak dedit, eamq; operi eccleſiæ aſſignauit, paſſus remorſum in conſcientia ſancta, quod poſſeſſio erat aliquando eccleſiaſtica, & quia illic erat inſignis lapidicina, & ideo monaſterio magis idonea & neceſſaria. Anno Domini. 1062. ſanctus *Wulſtanus* quondam monachus Burgi, poſtea Prior Wigorniæ, deinde Abbas Glauorniæ, tandem epiſcopus Wigorniæ eſt effectus. Hoc in tempore quidam vir nobilis, & valde generoſus, ac in militia multum clarus dominus de Brunne, mariſcique adiacentis dictus erat *Leofricus*, noſtro etiam monaſterio in multis beneficus conſiliarius & amicus, cognatus illius magni Comitis Herfordenſis *Radini* qui *Godam Edwardi* regis ſororem duxerat in vxorem, & apud Burgum iacet tumulatus. Ipſe *Leofricus* de vxore dicta *Edina*, quæ ſibi ſanguine pollebat (quippe illius magnifici ducis *Oslaci* quondam regis *Edgari* contemporanei trinepta) filium genuerat fortiſſimum robore tunc adoleſcentem, nomine *Hewardum*, procero quidem corpore, pulcherrimum ephebum, ſed nimium bellicoſum, animoque ferocem ſupra modum; iuuenilibus etiam ludis & luctis tam ſeuerum, vt manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum multoties mouerentur. Cum ergo ad luctas, & alios ludos tales eius coætanei iuuenes procederent, niſi ſupra cunctos triumpharet, & lauream ob victoriam ei comprimotæ offerrent, quod brachio potuiſſe nequiuit, gladio ſæpiſſime obtinuit. Vnde conuicini de iuuene conquerentes, patrem *Leofricum* in tantum contra prolem propriam prouocabant, quod ipſe coram rege *Edwardo* plurimas pueriles ineptias in patrem non ferendas, & violentias in vicinos exceſſiuas toto felle patefaceret, & eius exlegationem tanquam aduerſarius procuraret. Strenuiſſimus adoleſcens *Hewardus* exlegatus, Northũbriam, hinc Cornubiam, inde Hiberniam, deinde Flandriam petens, & vbique fortiſſime ſegerens, nomen in breui glorioſum valde & magnificum acquiſiuit; omnibus periculis ſe intrepide ingerens, & fœliciter euadens, in omni militari conflictu ſe ſemper fortiſſimis obiiciens, & fortiter vincens, dubium fuit, vtrum fœlicior an fortior fuerit: ita ſuos omnes hoſtes euicit, ita de maximis diſcriminibus immunis euaſit. Cumq; ſic in certaminibus plurimis, & magnis prælijs præclarus, & inuictus etiam apud ſuos aduerſarios publicaretur, eiuſq; geſta fortia etiam Angliam ingreſſa canerentur; patrem ſuum, ac matrem, omneſq; parentes, & propinquos, ac comprimotas vniuerſos in ſui amorem ardentiſſimum mira Dei gratia conuerſos, non dubiũ, quin mutatio dexteræ excelſi tantum odium in tantam beneuolentiam commutauit. In Flandriã tandem quandam puellam nobilem, *Turfridam* nomine, ducens in vxorem, genuit ex ea vnicam filiam, quæ nunc ſupereſt in noſtra conuicinia, illuſtri militi & noſtro monaſterio multum familiari *Hugoni Euermue*, domino villæ de Deping/cum hæreditate paterna, ſcilicet Brunne ac ſuis appendicijs, nuper maritali coniugio copulata. Mater autem *Turfrida* veniens cum viro ſuo in Angliam, videnſq; caduci ſeculi multiplicia volumina, tandem cum viri ſui licentia relicta omni ſeculi pompa ſanctimonialẽ habitum in noſtro monaſterio Croilandiæ de manu domini *Wulketuli* Abbatis accepit, in illo habitu diu ac ſanctiſſime conuerſata, ac dudum defuncta, vix æſtate quarta iam tranſacta, in noſtro ſepulta monaſterio requieſcit. Pater quidem *Hewardus* cum prædicta vxore ſua natale ſolum petens poſt innumera certamina, poſt ingentia prælia, & mille pericula tam contra regem Angliæ, quam Comites, & Barones, contra præfectos & præſides frequenter inita, & fortiter conſummata, prout adhuc in triuijs canuntur, matreq; vidua potenti dextera vindicata, tandem cum regia pace paterna obtenta hæreditate, in pace dies ſuos compleuit, & in monaſterio noſtro iuxta ſuam vxorem nuperrime ſepulturam elegit. Sed hæc poſtea. Anno autem Domini 1063. *Haroldus* Comes Weſtſaxoniæ iuſſu regis *Edwardi* in Wallenſes, qui crebras irruptiones in pagos proximos, & plurimas deprædationes aſſidue faciebant, expeditionem fortiſſimam mouit: cernenſque Wallenſem leuitatem in Anglicam grauitatem multa facere, & facta violentia citius ad ſaltus refugere, noſtroſque milites armis onuſtos inſequi non valere; præcepit militum chorum omnem leuem armaturam aſſueſcere. Vnde territi Wallenſes, ſe in omnibus ſubmiſerunt, & regem ſuum *Griffinum* penitus abiecerunt. Anno autem Domini 1065. rex *Griffinus* Wallenſium à ſuis occiditur, & caput eius cum roſtro nauis ipſius *Haroldo* deſtinatur: cuius fratribus *Blethgento* & *Ruthio* rex *Edwardus* dedit, & fidelitate iurata pro ſeruitio regno Angliæ debito ſingulis annis præſto perſoluendo Walliam tenendam ſibi & ſuis poſteris pacifice conceſſit. Anno eodem rex *Edwardus* ſenio iam grauatus, cernens *Clitonis Edwardi* nuper defuncti filium *Edgarum* regio ſolio minus idoneum tam corde quam corpore, *Godwinique* Comitis multam malamque ſobolem quotidie ſuper terram creſcere, ad cognatũ ſuum *Wilhelmum* Comitem

Normanniæ animum appoſuit, & eum ſibi ſuccedere in regnum Angliæ voce ſtabili ſanciuit. *Wilhelmus* enim Comes tunc in omni prælio ſuperior, triumphator contra regem Franciæ, ac omnes Comites Normanniæ contiguos publice perſonabat, inuictus in armorum exercitio, iudex iuſtiſſimus in cauſarum iudicio, religioſiſſimuſq; ac deuotiſſimus in diuino ſeruitio. Hinc rex *Edwardus Robertum* Archiepiſcopum Cantuariæ legatum ad eum à latere ſuo direxit; illumq; deſignatũ ſui regni ſucceſſorem tam debito cognationis, quam merito virtutis ſui Archipræſulis relatu inſinuauit. Ad hoc *Haroldus* maior domus regiæ veniens in Normanniam, ſe *Wilhelmo* Comiti poſt regis obitum regnum Angliæ conſeruaturum non tantum iurauit, ſed etiam ſe ducturum filiam *Wilhelmi* Comitis in vxorem data fide ſpopondit; & ſuper hæc magnifice muneratus ad propria reuenit. Anno autem Domini 1066. cometa in cœlo apparuit, quod regni mutationem magnam, populi ſtragem, & multam terræ miſeriam portendit; vnde dicitur illud metricum,

Anno milleno ſexageno quoque ſeno
Anglorum metæ crinem ſenſere Cometæ.

Vt enim Philoſophi dicunt, quo dirigit crinem, illuc dirigit & diſcrimen. Rex enim *Edwardus* circa natale Domini ad mortẽ ægrotabat, & in eccleſia Weſtmonaſterii tumulatus anno regni ſui 24. ferè completo. In craſtino vero regii funeris Comes *Haroldus* cõtra ſuũ ſtatum & iuſiurandum cõtemptor præſtitæ fidei, ac nequiter oblitus ſui ſacramenti, throno regio ſe intruſit, per Archiepiſcopum Eboracẽ. *Aldredum* ſolenniter coronatus: & regnauit menſibus nouem, *Willielmus* autem Comes Normanniæ legatos mittit, fœdera fracta dicit, pacta patefacit, promiſſa petit, & aliquod iuſtum medium confici requirit. At rex *Haroldus* legatos vix auſcultat, fœdera fracta negat, pacta recuſat, promiſſa excuſat, ac omnia iuſta media oblata ſufflat & ſubſannat. Cumque hæc intermedia quotidie agerentur, & ſolum nunciorum curſus ac recurſus tota æſtate ſine fructu conſummarentur, *Willielmus* præpropera querela Papam conſuluit, & ab eo animatus etiam vexillum legitimæ victoriæ pro munere accepit. *Haroldus* vero iudicium Papæ paruipendens, portius circuit, militiam colligit, ac præcipue fratrem ſuum *Toſtium* Comitem aſſidue littora infeſtantem perſequitur, & expellit. Et ecce, *Haroldus* rex Norwagiæ, cui prædictus *Toſtius* ſe coniunxerat, cum claſſe ducentarum nauium Humbriæ fluminis oſtium ingreditur, & per Duſe fluuiolum fere ad Eboracum omnes aduehuntur. Illic ſub tutoribus claſſe remiſſa Eboracum aggrediuntur, capiunt, diripiunt, & occidunt. Duo Germani Comites *Edwinus* & *Morcarius* collecta comprimotarum modica manu aduolant, ſed ab armatis inermes citius repelluntur. Tandem rex Anglorum *Haroldus* cum ſolida manu militum apud Staunfordbridge illos aperto Marte aggreditur: & licet Norici acerrime reſiſterent, cæſis cum maxima multitudine Barbarorum ducibus exercitus, ſcilicet *Haroldo* rege, & *Toſtio* Comite, tandem victoria potitur. Soli cuſtodes claſſis *Oslaus* regis *Haroldi* filius, & *Paulus* Comes Orcadarum cum claſſe viginti nauium tantum ad propria liberi dimittuntur. Dum ergo *Haroldus* hac victoria contra Noricos gloriaretur, Normannos in auſtrali parte regni ſolidam terram cepiſſe indies per nouos nuncios narratur. Rex lętus heſterna victoria, ſimili cum fortuna ſomniat ſuccedere futura. Præuolat igitur vniuerſos, exercet ſtimulos, nec de toto exercitu præter pauciſſimos eum aliquis concomitatur. Perueniens igitur citius Haſtingas, collectaque illic popularium aliquali turba, confectaq; ex iis acie adhuc rudi nimis, & tenera, exercitum non expectat: ſed, fatis vrgentibus, contra comitem in craſtino dimicat, & fortiſſime tota die vſque ad veſperum inuictus perdurans, ac ſæpius more gregarii militis manu ad manum congrediens, cum aduerſariis robuſtiſſime digladians à dextris & à ſiniſtris, corruit tandem in diei crepuſculo, in quodã, vbi ſuos collegerat, mõticulo eminus ſagittatus. Cecidit ibi rex *Haroldus*, Comites etiam ſui, & fratres *Gurtha* & *Lefwinus*, ac reliquus eius exercitus nobilium Anglię vniuerſus.

Victorioſiſſimus Comes *Willielmus* obtenta palma, peruagataq; paruo tempore occidentali Angliæ ora, Londonias cum epiſcopis plurimis petit, & lætanter receptus, ouanterque rex conclamatus, in ipſo die natalis Domini ab *Alfredo* Archiepiſcopo coronatus regale ſolium conſcendit. Coronationis autem officium noluit ab Archiepiſcopo *Stigando* percipere, (cuius dignitati ſolebat illud officium ex debito pertinere) eo quod ab Apoſtolico Papa illum calumniatum audierat, ſuum pallium non ſumpſiſſe canonice. *Stigandus* iſte dimiſſo epiſcopatu Eſtangliæ, ſimplicitateq; innocentiſſimi regis abutens, & iura omnia ſe poſſe peruertere pecuniis arbitrans, Wintonienſem inuaſerat, deinde adhuc viuente *Roberto* Archiepiſcopo Cantuarię cathedram aſcendens etiam Wintonienſem retinebat. Ex his accuſatus, & publice condemnatus, ab Apoſtolicę ſedis legatis poſtea in cõ-

cilio

ellio Wintonienſi depoſitus eſt. Cui ſucceſſit reuerendiſſimus patriarcha ex Abbate Cadomenſi omnium liberaliũ artium doctor laudatiſſimus,& luculentiſſimus.& in temporalib. negotiis experientiſſimus, vitaq; ac religione ſanctiſſimus magiſter *Lanfrancus*, in Archiepiſcopum Cantuariẽſem canonice conſecratus. Sed hæc poſtea. Porro contra victorioſiſſimum *Willielmum* nouum regem plurimi principes terræ aliquandiu reluctati, ſed poſtea fracti viribus eius, & ſuperati, tandem ſe Normannorum nutui ſubmiſerunt. Inter quos prædicti Germani Comites *Edwinus*, & *Morcarius* ambo à ſuis per inſidias trucidati; *Rogerus* Herfordenſis Comes perpetuo carceri incatenatus; *Radulphus* Comes Southfolke de terra fugatus; *Waldenus* vero Comes coniugio ſuæ neptis aſtrictus; *Agelwinus* epiſcopus Dunelmenſis Abendoniæ incarceratus; frater eius & prædeceſſor *Egelricus* ſimiliter apud Weſtmonaſterium carceri mancipatus; cæterique omnes recalcitrantes vel prælatiis depoſiti & priuati, vel trans mare pulſi & exiliati, vel per monaſteria carceribus deputati, tandẽ vel inuiti nouo regi ſua capita ſubdiderunt. Summatim namq; ac carptim victorioſiſſimi regis geſta narro, quia ſecum ſequi annuatim, paſſimque ſcribere greſſus ſuos non ſufficio. Deinceps ergo Comitatus, & Baronias, epiſcopatus, & prælatias totius terræ ſuis Normannis rex diſtribuit, & vix aliquem Anglicum ad honoris ſtatum, vel alicuius dominii principatum aſcendere permiſit. Solus prætactus *Hewardus* proſpero fine remurmurabat. Audiens enim in Flandria terram Angliæ alienigenis ſubiugari, ſuamque paternam hæreditatem mortuo patre ſuo *Leofrico* munere regio cuidam Normanno donari, matremque viduam multis iniuriis, & maximis moleſtiis affligi; tactus digniſſimo dolore cum *Thurfrida* ſua vxore Angliam aduolat: collectaque cognatorum nõ contemnenda manu ſuper matris iniuriatores gladio fuluiat, & de ſua hæreditate procul fugat & eliminat. Conſiderans etiam tunc fortiſſimis viris ſe præfectum, nonnulliſq; militibus præpoſitum, ac nec dum militari more balteo legitime ſe accinctum; aſſumptis ſecum de ſua cohorte pauciſſimis ſimul legitime militiæ cum eo tyronibus conſecrandis, patruum ſuum tunc Abbatem Burgi nomine *Brandum*, virum valde religioſum, & (vt audiui à prædeceſſore meo domino *Wulketulo* Abbate, aliiſque multis) pauperum de eleemoſynis valde deditum, & omnibus virtutibus adornatum adiit, & ſe fieri legitimum militem, præmiſſa primitus omnium peccatorum confeſſione, & eorum percepta abſolutione, inſtantiſſime ſupplicauit. Quoniam Anglorum erat conſuetudo, quod, qui militiæ legitime conſecrandus eſſet, veſpera præcedente diem ſuæ conſecrationis ad epiſcopum, vel abbatem, vel monachum, vel ſacerdotem aliquem contritus & compunctus de omnibus ſuis peccatis confeſſionem faceret, & abſolutus orationibus, & deuotionibus, & afflictionibus deditus in eccleſia pernoctaret; in craſtino quoque Miſſam auditurus, gladium ſuper altare offerret, & poſt Euangelium ſacerdos benedictum gladium collo militis cum benedictione imponeret; & communicatus ad eandem Miſſam ſacris *Chriſti* myſteriis denuo miles legitimus permaneret. Hanc conſecrandi militis conſuetudinem Normanni abominantes, non militem legitimum talem tenebant, ſed ſocordem equitem, & Quiritem degenerem deputabant. Et non tantum hunc morem, ſed alias etiam conſuetudines immutabant. Nam chirographorum confectionem Anglicanam, quæ antea vſque ad *Edwardi* regis tempora fidelium præſentium ſubſcriptionibus cum crucibus aureis aliiſque ſacris ſignaculis firma fuerunt, Normanni condemnãtes, chirographa chartas vocabant; & chartarum firmitatem cum cerea impreſſione per vniuſcuiuſque ſpeciale ſigillum ſub inſtillatione trium vel quatuor teſtium aſtantium conficere conſtituebant. Conferebantur etiam primo multa predia nudo verbo, abſq; ſcripto, vel chatta, tantum cum domini gladio, vel galea, vel cornu, vel cratera: & plurima tenementa cum calcari, cum ſtriguli, cum arcu; & nonnulla cum ſagitta. Sed hæc initio regni ſui; poſteriorib. annis immutatus eſt iſte modus. Tantum tunc Anglicos abominati ſunt, vt quantocunque merito pollerent, de dignitatibus pellerentur; & multo minus habiles alienigenæ, de quacunq; alia natione, quæ ſub cœlo eſt, extitiſſent, gratanter aſſumerentur. Ipſum etiam idioma tantum abhorrebant, quod leges terræ, ſtatutaque Anglicorum regum lingua Gallica tractarentur: & pueris etiam in ſcholis principia literarum Grammatica Gallicè, ac nõ Anglice traderentur; modus etiam ſcribendi Anglicus omitteretur, & modus Gallicus in chartis, & in libris omnibus admitteretur. Sed de iſtis ſatis. Porro cum ſupra memorati Comites inclyto regi *Willielmo* repugnarent, Helienſes paludes cum aliis multis magnatibus ſimiliter exhæredatis occupantes; celeri nuncio *Hewardus* ad eos accerſitus, dux belli & magiſter militum efficitur, vbi tot pulchra bellica facinora fecit, toties aduerſarios vicit, tot vicibus illuſit, quod perpetuam laudem meruit: quippe qui ruinas ſuę patrię per-

euntis, quam diu potuit, ſuſtentauit, & inultos abire ad inferos non permiſit. Cæteri optimates ſe regi dedentes, eius gratiã tentauerunt: ſolus hic omnimodis hoc recuſans, ſe ſubdere diſtulit, ac alias diuertit. Hoc in tempore defuncto Abbate Burgi prædicto *Brando* patruo *Hewardi*, ſucceſſit *Thoroldus* alienigena ex collatione regis *Willielmi*. Quod *Hewardus* ægre ferens ſuper cognatos & notos alienigenã dominari, Burgũ inuaſit, Abbatem fugauit; & licet dominus Abbas *Thoroldus Tuonem Talbois* potẽtiſſimum tunc Normannum, & dono regio in vicinia ſuper totam Hoylandiam dominantem in ſuam defenſionem adduxiſſet; tamen illum aperto bello cepit, & ingentis ſummæ redemtione pecuniaria abſolutum de cuſtodia liberum dimiſit redire ad propria. Huic autem *Tuoni Talbois* poſt necem prædictorum duorum fratrum & Comitum, *Edwini* & *Morcarii Luciam* ſororem eorum cum omnibus terris & tenementis ad eoſdem pertinentibus inclytus rex *Willielmus* dederat in vxorem: quæ quia in Hoylandia potiſſime iacebant, omnes Hoylandenſes eũ attentiſſime honorabãt, & genu flexo deprecabãtur, vt domino. Cui licet vniuerſos honores, quos valebant, ac omnia ſeruitia, quę debebant, promptiſſimo animo impenderẽt, non tamen eos reciproca confidentia diligebat: ſed torquens & tribulans, angens & angarians, incarcerans & excrucians, ac quotidie nouis ſeruitiis onerans, plurimos omnia ſua vendere, ac alias patrias petere crudeliter compellebat. Contra vero monaſterium noſtrũ, ac omnes Croilandenſes diabolico inſtinctu tanto furore efferatus eſt, vt varie Croilandenſium animalia in mariſcos cum canibus ſuis inſectans, longius effugaret, lacubus immergeret, nõnulla caudis, auribus mutilaret, & crebro ſpinis ac tibiis iumentorum fractis, penitus inutilia redderet: dominum etiam *Wulketulum* prædeceſſorem meum tunc Abbatem pro viribus deſtruere iugiter incurſans, & iniurians deterreret, ac demum accuſans deponeret, & depoſitum clauſtro Glaſconiæ, ne aliquo ſolatio frueretur ſuæ patriæ, procul & impiiſſime deputaret. Sed hæc magis poſtea. In cellam quippe noſtram, fratreſque noſtros, ſuos conuicaneos, Priorem, & commonachos in eius ianuis commorantes, & tota die in eius facie conuerſantes tanta tyrannide debacchatur, vt iumentis eorum, tam bobus, quam equis multoties mutilatis, ouibus ac auibus quotidie enectis, porcis & porcellis innumeris percuſſis, perditis, & necatis etiam frequentiſſime, famuli Prioris in curia Comitis exactionib. importabilibus opprimerentur, gladiis & fuſtibus in compitis ſæpius cæderentur ac aliquoties occiderentur. Hinc Prior, & monachus poſt preces, & xenia, poſt innumera ſuis miniſtris donaria, poſt peracta omnia, quæ pati putabant neceſſaria, cum nihil valeret eorum induſtria, ſed ſemper increſceret tyranni nequitia, & miniſtrorum ſuorum feruens malitia; aſſumptis ſecum ſacris calicibus, libris, ac ſuis lectiſterniis, relicta cella in manu Domini, excutientes puluerem pedum ſuorum in filios ignis æterni, ad ſuum monaſterium Croilandiam reuertuntur. Tranſmittentes ergo quotidie deinceps ad capellam ligneam ſanctæ *Mariæ* vnum monachum de Croilandia, qui diuina ibidem populo celebraret, laborem immenſum & ſupra vires tædioſum arbitrantes tam Abbas *Wulketulus*, quam totus ſuus conuentus, alternis diebus monachum denuo tranſmittendum communi conſilio decreuerunt. Vbi hoc aliquandiu agebatur, (prout apud omnes compatriotas nimis eſt cognitum & notorium) in feſto ſanctæ *Luciæ* virginis ſummo mane exorta maxima tempeſtate, ſimiliter & ledone in nauiculam irruente, tranſmiſſus monachus dominus *Manerius*, venerabilis ſenex, & valde religioſus, apud Wodelade eſt ſubmerſus. Tanto namque infortunio turbati, & territi nimium omnes monachi monaſterii Croilandiæ, deinceps quenquam tranſmittere longo tempore ceſſauerunt. *Tuo* vero Comes gaudens, quod Dominus etiam ſecum quaſi videretur contra noſtrum monaſterium dimicare, Andegauiam mittit ad dominum *Natalem* Abbatem ſancti *Nicolai*, exorans, quatenus monachos dirigat; & cellam honeſtam ac ſufficientem pro vno Priore, & quinque monachis in ſua villa de Spalding paratam, & ædificatam, etiam terris & tenementis ſatis ditatam ſpondet, & promittit. Veniunt itaq; Andegauenſes monachi, & cellam noſtram occupant, alienique coram nobis terras noſtras deuorant. Et domino *Wulketulo* Abbate ſuper hoc in curia regis calumniam mouente, omnes Normanni mutuo fœderati, prædas & preſſuras, cædes & cæteras iniurias vniuerſas *Tuonis Talbois* cõtra Croilandenſes iuſtificant, & acceptant; & velut in corpore Behemoth ſquama ſquamæ coniuncta fuiſſet, veritatis omne ſpiraculum refutant. Accedit etiam hoc eodẽ tempore ad cumulum calamitatis Croilandiæ comitis *Waldeni*, qui omnibus religioſis benigniſſimus, & maxime monaſterio Croilandenſi præcipuus, & pręſtantiſſimus amicus extiterat, crudelis decollatio: & licet eum venerabilis Archiepiſcopus *Lanfrancus* confeſſor ſuus totius factionis & coniurationis eum aſſereret penitus immunem, &, ſi moreretur in

causa

cauſa,futurum pro innocentia martyrem; impiiſſima tamen vxore ſua nouas nuptias affectante,ac ideo viri ſui mortem ſceleratiſſime maturante, inhiantibus etiam nonnullis Normannis ad eius Comitatus,videlicet Northamptoniæ,& Huntingdoniæ,cupidiſſimo maxime Comite Andegauenſi *Yuone Talbois* pro terris ſuis & tenementis, quæ plurima erant in omnibus finibus Angliæ ſuum ſanguinem ſitiente, innocens & innoxius apud Wintoniam pridie Calend. martyrizatur,& confeſtim ibidem corpus martyris humili ceſpite ſepelitur. Poſt quindecim autem dies regis permiſſione per venerabilem *Wulketulum* abbatem corpus martyris ex tumulo tollitur & ita integrum, recentique cruore reſperſum, ac ſi eodem die occiſus fuiſſet; & cum debita veneratione Croilandiam defertur, & in eiuſdem monaſterii capitulo honorifice tumulatur. Vbi cum Dominus ad oſtendendum innocentiam ſui martyris per miraculorum potentiã mirabilis in ſuis ſanctis, & in perpetuum laudabilis apparuiſſet; vxor ſua thalamo relicto ſuo audiens *Chriſti* magnalia, ad tumulum viri ſui acceſſit, & videntibus nobis pallium ſericum ſuper tumulum obtulit; quod, quaſi manibus alicuius reiectum fuiſſet, longius à tumulo reſiluit. Tunc etiam manerium de Bernake / quod monaſterio noſtro dederat,de nobis tollitur, inque dotem impiiſſimæ *Iezabel* quondam vxoris ſuæ cum cæteris terris ſuis circa Trentam donandum iuſſu regio confiſcatur. Poſt modicum vero tempus quum inclytus rex *Wilhelmus* dictam neptem ſuam nuptui tradere cuidam generoſo Normanno,nomine *Simoni* Syluanectenſi diſponeret, illa nuptias eius reſpuit, quia dictus *Simon* in altera ſua tibia claudicauit. Vnde ſupra modum rex iratus Comitatum Huntingdoniæ cum omnibus terris eidem pertinentibus dicto *Simoni* dedit:ac illa iram regis pertimeſcens,cum filiabus ſuis fugam iniuit, & iuſto Dei iudicio multum deſperata, odio omnibus habita, per diuerſa loca & latibula errauit. Tandẽ ergo hæc miſera recognoſcens ſua flagitia,pœnitenſq; valde de viri ſui cæde nefaria, ipſa in cœlibatu permanſit,cum deinceps omnib.ſuſpecta,& digne deſpecta fuit. Filiam vero eius ſeniorem,nomine *Matildem*,poſt multa conſilia prædictus *Simon* vxorem aſſumpſit; de qua ſobolem iam recepit,ſcilicet *Simonem*, *Waldenum*, & *Matildem*,adhuc impuberes & infantes. *Aliciam* autem ſororem vxoris ſuæ dedit dictus *Simon* Comes illuſtriſſimo viro *Rodolpho* Tornacenſi, cum toto dominio de Wilchamſtobe dudum Comiti *Waldeno* patri ſuo pertinenti. De qua iam prolem dictus *Radulphus* habet, licet nomẽ prolis notitia mea nondum habeat. Iſte *Simon*, Comes Huntingdonenſis, & Northamptonenſis conſtruxit caſtellum Northamptoniæ, & monaſterium ſancti *Andreæ* non longe à dicto caſtello. Hæc de vxore & ſobole ſancti martyris ad præſens credo ſufficere. Venerabilis autem Abbas *Wulketulus* cito poſt ſancti martyris ſepulturã miracula Dei, quæ quotidie Dominus operabatur circa ſanctum ſuum,aperte cõuicinis ſuis prædicauit, & palam omnibus publicauit. Vnde Normanni nimium indignati,& contra virum iuſtum iniuſte irati præcipue *Yuone Talbois* præ cæteris atrocius eum perſequente,ad proximum cõcilium Londoniis celebrandũ perſonaliter adeſſe ſummonitũ, & ad diẽ comparentẽ, pro debita, reuerẽtia ſancto martyri habita facta conſpiratione nefaria, de idololatria nequiter accuſant,& de monaſterii cura nequius priuant,& priuatũ clauſtro Glaſconiæ ſub cruẽtiſſimo tũ Abbate *Tharſtano* procul à notis,& à ſua patria nequiſſime cõdemnant. Venerabili ergo patre Abbate *Wulketulo* de regimine paſtoralis officii ſic depoſito, totoq; theſauro monaſterii ſic direpto,& in vſus regios confiſcato mea paruitas ſubrogatur. Ego.n. *Ingulphus* humilis magiſter S. *Guthlaci* monaſteriiq; ſui Croilandẽſis,natus in Anglia,& à parentib. Anglicis,quippe vrbis pulcherrimæ Londoniarũ,pro literis addiſcendis in teneriori ætate conſtitutus,primum Weſtmonaſterio,poſtmodũ Oxonienſi ſtudio traditus eram. Cumque in *Ariſtotele* arripiendo ſupra multos coætaneos meos profeciſſem, etiam Rhetoricam *Tullii* primam & ſecundam talo tenus induebam. Factus ergo adoleſcentior, faſtidiens parentum meorum exiguitatem, paternos lares relinquere, & palatia regum, aut principum affectans,mollibus veſtiri,pompoſiſq; laciniis amiciri indies ardentius appetebam. Et ecce,inclytus nunc rex noſter Angliæ tunc adhuc Comes Normãniæ *Wilhelmus* ad colloquium tunc regis Angliæ *Edwardi*,cognati ſui,cum grandi miniſtrantiũ comitatu Londonias aduentabat. Quibus citius inſertus,ingerens me vbique ad omnia emergentia negotia peragenda, cum proſperè plurima perfeciſſem, in breui agnitus illuſtriſſimo Comiti & aſtrictiſſime adamatus,cũ ipſo Normanniã enauigabam. Factus ibidẽ ſcriba eius, pro libito totam Comitis curiam ad nonnullorum inuidiam regebam quoſque volui, humiliabam, & quos volui, exaltabam. Cumque iuuenili calore impulſus, in tam celſo ſtatu ſupra meos natales cõſiſtere tæderem, quin ſemper ad altiora conſcendere inſtabili animo, ac nimium prurienti affectu ad erubeſcentiam ambitioſus auidiſſime deſidera-

rem: nuntiatur per vniuerſam Normanniam, plurimos Archiepiſcopos imperii cum nonnullis aliis terræ principibus velle pro merito animarum ſuarum more peregrinorum cum debita deuotione Hieroſolymam proficiſci. De familia ergo Comitis domini noſtri plurimi tam milites, quã clerici, quorum primus & præcipuus ego eoram, cum licentia, & domini noſtri Comitis beneuolentia in dictum iter nos omnes accinximus; & Almanniam petentes, equites triginta numero, & amplius, domino Maguntino cõiuncti ſumus. Parati namque omnes ad viam, & cum dominis epiſcopis cõnumerati ſeptem millia, pertranſeuntes proſpere multa terrarum ſpatia, tandem Conſtantinopolim peruenimus. Vbi *Alexim* imperatorem eius adorantes, Agioſophiã vidimus, & infinita ſanctuaria oſculati ſumus. Diuertentes inde per Lyciam, in manus Arabicorum latronum incidimus; euiſceratique de infinitis pecuniis, cum mortibus multorum, & maximo vitæ noſtræ periculo vix euadentes, tandem deſideratiſſimam ciuitatem Hieroſolymam læto introitu tenebamus. Ab ipſo tunc patriarcha, *Sophronio* nomine, viro veneranda canitie honeſtiſſimo ac ſanctiſſimo grandi cymbalorum tonitru & luminarium immenſo fulgore ſuſcepti, ad diuiniſſimam eccleſiam ſanctiſſimi ſepulchri tam Syrorum, quam Latinorum ſolẽni proceſſione deducti ſumus. Ibi quot preces inorauimus, quot lachrymas infleuimus, quot ſuſpiria inſpirauimus, ſolus eius inhabitator nouit Dominus noſter *Ieſus Chriſtus*. Ab ipſo itaque glorioſiſſimo ſepulchro *Chriſti* ad alia ſanctuaria ciuitatis inuiſenda circumducti, infinitam ſummam ſanctarum eccleſiarum, & oratorium, quæ *Achim* Soldanus dudum deſtruxerat, oculis lachrymoſis vidimus. Et omnibus ruinis ſanctiſſimæ ciuitatis tam extra, quam intra numeroſis lachrymis intimo affectu compaſſi, ad quorundam reſtaurationem datis non paucis pecuniis, exire in patriam, & ſacratiſſimo Iordane intingi, vniuerſaque *Chriſti* veſtigia oſculari deſiderantiſſima deuotione ſuſpirabamus. Sed Arabum latrunculi, qui omnem viam obſeruabant, longius à ciuitate euagari ſua rabioſa multitudine innumera non ſinebant. Vere igitur accidente ſtolus nauium Ianuenſium in porta Ioppenſi applicuit. In quibus, cum ſua mercimonia Chriſtiani mercatores per ciuitates maritimas cõmutaſſent, & ſancta loca ſimiliter adoraſſent, aſcẽdentes omnes, mari nos commiſimus. Et iactati fluctibus & procellis innumeris, tandem Brunduſium appulimus: & proſpero itinere per Apuliam Romam petentes, ſanctorum Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* limina, & copioſiſſima ſanctorum martyrum monumenta per omnes ſtationes oſculati ſumus. Inde Archiepiſcopi, cæterique principes imperii Almanniam per dexteram repetentes, nos verſus Franciam ad ſiniſtram declinantes, cũ enarrabilibus & gratiis, & oſculis ab inuicem diſceſſimus. Et tandem de triginta equitibus, qui de Normannia pingues exiuimus, vix viginti pauperes peregrini, & omnes pedites, macie multa attenuati, reuerſi ſumus. Cumque mei comites vniuerſi ad ſua refugia citius diſperſi feſtinaſſent, ne de cætero mundi vanitatibus me inuoluerem, domum meam ſcopis mundatam deinceps mundam conſeruare, & ſeptem ſpiritibus nequitiæ recluſam obfirmare ſanctiſſimum Fontaniſſenſe cœnobium inuolabam. Vbi à venerabili patre domino * *Geberto* Abbate monachicum ſtemma ſuſcipiens, delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas vniuerſas (prout gratia Spiritus Sancti inſpirabat) emundare & emendare indefeſſa vigilantia satagebam. Demum non paucis interlabentibus annis, decedente venerabili Priore dominó *Wineto*, in partem ſuę ſolicitudinis venerabilis pater meus dominus Abbas *Gebertus* meam exiguitatem euocauit, ac Priorem monaſterii ſui, licet indignum & renitentem, tandem tamen obedientiæ funibus conſtrictum conſtituit & effecit. Hoc in tempore inclytus dominus meus Comes Normanniæ *Willielmus* funere piiſſimi regis Angliæ *Edwardi* cognati ſui per quotidianos nuncios intellecto, ad transfretandum pro iure ſuo conquirendo cum fortiſſimo exercitu auram fauorabilem in portu ſancti *Walerici* diutius expectabat. Quo tunc ego accedebam cum domini Abbatis mei xenio; & explorato opportuno aditu, duodecim iuuenes electos, equites, & armatos cum centum marcis pro ſuis ſumptibus in ſuam expeditionem ex parte prædicti patris Abbatis mei offerebam. Regratiatuſque abundantiſſime pro tam neceſſario munere, etiam chartam ſuam de donatione totius vineæ chari loci munificentiſſima largitate domui noſtræ in perpetuum obtinens, lætus & laudans ad meum monaſterium reuertebar. Ipſe vero proſperrima nauigatione mare tranſiens, & (vt præmittitur) Angliam ſibi ſubiiciens, noſtrum monaſterium Fontaniſſenſe ſemper arctiſſimo affectu amplexatus eſt, & multis honoribus tam dominum Abbatem meum, quam omnes confratres eiuſdem monaſterii, quandocunque occurrerent, plurimum veneratus. Currente igitur aliquanto annorum numero, depoſitoque de regimine paſtoralis officii venerabili patre domino *Walketulo* Abbate Croilandenſi, præde-

* al. *Gerberto*.

prædeceſſore meo, inclytus Dominus meus rex *Willielmus* ad venerabilem patrem præfatum meum Dominum *Gebertum* Abbatem monaſterii Fontaniſſenſis pro exilitate mea nuncium dirigens, quod petiit, obtinuit: & me triſtiſſimum ad tam graue onus ſubeundum, ſed lætiſſimum, quod ad natale ſolum me cernerem transferendum, ſuper candelabrum Croilandenſis eccleſiæ in CHRISTI templo ſacratiſſimo collocauit. Dimittendum autem in partes iſtas tam venerabilis Abbas meus, quam tota cætera fratrum ſancta congregatio ſuppliciter & ſæpius exorabant, quatenus ſemper ſancti niduli mei memor, matrem meam ab animo meo non dimitterem; ſed loquerer pro iis bona contra omnes coram Domino meo rege, cuius (vt præſupponebant) frequentiſſime colloquio fruerer, ſæpiſſime intereſſem contubernio, aliquoties participarem conuiuio ſecum in Anglia moraturus; inſuper de ſanctorum ſarcophagis, qui plurimi in dicto pauſant monaſterio, tollerem mecum aliquod memoriale monumentum, quo & deuotio mea creſceret ad DEVM, & dilectio perſeueraret ad locum. *Pernoctans igitur in eccleſia ante ſanctorum ſcrinia, ſcilicet* Wandrageſili *Abbatis*, Wulfranni, *&* Ausberti *Epiſcoporum, effudi mea præcordia; & quatenus Dominus dirigere dignaretur viam meam meritis & precibus dictorum patronorum, debita deuotione poſtulabam. Erat enim ſancti* Andreæ *Apoſtoli vigilia; & in ſuo curſu medium iter tunc fere peregerat, cum poſt multa precum dictamina tandem dicti ſancti Apoſtoli lecta paſſione victorioſa, ſomno ſubito obrepente, ſuper lectrinum quod ante ſtabat, in latus alterum reclinabar. Et ecce, videbam venuſtiſſimum quendam Abbatem, quem duo reuerendiſſimi epiſcopi allaterantes comitabantur, de retro altari procedere; ac totidem ſanctis, quorum duo ſacerdotalibus ſtolis refulgebant, & tertium medium inter ſe, quaſi conſulem ſplendidiſſimum, qui torquem auream in collo geſtabat, cum ſumma reuerentia deducebant, in medio choro obuiare. Vbi cum ſe mutuo ſalutaſſent, & orationem Dominicam conſummaſſent; alter epiſcoporum me aduocat, & quod hoſpites ſuos in hoſpitium deducerem, & diligenter miniſtrans, ignem hoſpitii ſummopere conſeruarem, quouſque pro me mitterent, ſolicite monet, & mandat: ac ſancti cæteri ſimiliter ſupplicabant. Cumque acquieſcere eorum iuſſionibus aliqualiter detrectarem, addidit etiam ſanctus epiſcopus meam confortans puſillanimitatem, Vade, & vere dextra mea ſemper erit tecum. Et ſic viſio diſparuit. Et ad matutinas vigilias de præfato Apoſtolo perſoluendas noſter ſecretarius nolam pulſauit pro fratribus excitandis. Interpretationem vero huius viſionis pluribus annis penitus ignorabam, quouſque veniens in partes iſtas, & de dicta viſione recogitans, ſic eius prognoſticon aſſumebam. Duo Epiſcopi erant duo patroni* Fontaniſſenſis *cœnobii*, Wulfrannus, *&* Auſbertus; *Abbas medius erat ſanctus* Wandrageſilus *Abbas, & huius loci fundator, & inhabitator primus: iſti de retro altari procedebant, quia eorum ſacra corpora ibi pauſant: quibus duo occurrentes, ſacerdotalibus ſtolis adornati, ſunt ſanctus* Guthlacus, *& ſanctus* Neotus, *ambo ſanctiſſimi ſacerdotes Dei, & Croilandiæ ſpeciales aduocati: conſul medius torque aurea circa collum inſignitus, erat ſanctiſſimus martyr comes* Waldenus, *innocentiſſime decollatus, & in iſto monaſterio tumulatus: horum miniſterio aſſignatus eram, dum paſtoralis officii curam in hoc Croilandenſi cœnobio aſſumebam: manus ſancti præſulis* Wulfranni, *perſeuerat mecum, quia dexteri brachii ſui os cubitale munere totius conuentus in perpetuum memoriale mecum conſequutus ſum.* Donatus ergo dicto ſancto brachio, ad Dominum meum regem London. accedebam: vbi inueſtitus de baculo paſtoralis officii Croilandenſis monaſterii, & à venerabili patre Archiepiſcopo *Lanfranco*, ac à reuerendiſſimo epiſcopo Lincolniæ admiſſus & benedictus in ipſo die natalitii Domini, in conuerſione ſancti Apoſtoli *Pauli* Croilandiam primum introibam inſtallatus Anno Domini 1076. Inueni vero in iſto monaſterio (cui, authore Deo, deſeruio) monachos numero. 62. quorum quatuor fratres laici erant, præter aliorum monaſteriorum monachos noſtri capituli comprofeſſos; qui omnes cum aduenirent, ſtallum in choro, ſedem in refectorio, & lectum in dormitorio habebant; & hi numerum centenarium tranſcenderant: quando volebant, quidam poſt dimidium annum, quidam poſt annum ad propria monaſteria remeabant: maxime in tempore guerrarum, minimoq; turbine pacis perſonante, tanquam apes ad aluearia pluuia imminente, ita vndiq; in Croilandiam confluebant. Fuerunt enim tunc noſtri comprofeſſi de Thorney 10. de Burgo 6. de Ramſey 8. de Hely 3. de S. *Edmundo* 9. de S. *Albano* 12. de Weſtmonaſterio 10. de S. *Andrea* Northamptoniæ 2. eccleſiæ *Chriſti* Norwici 14. de Tetford 15. de Couentria 7. S. *Mariæ* extra Eboracum 6. ſanctæ *Mariæ* Stowiæ 10. de Michelmeia 6. & de Malmeſbiria 5. præter aduentantes quotidie, & ſemper aliquos nobiſcum commorantes, qui viſa loci ſecuritate, & fratrum Croilandenſium mutua charitate, noſtro Collegio adunari deuotiſſime ſupplicabant: vrbanitas innata monaſterio ab antiquo raro vel nunquã aliquem pulſantem repellebat. Veniens itaq; in monaſterium, & inueniens vniuerſos ni-

mium deſolatos, ac ad deſperationem humiliatos pro variis infortuniis, quæ domum vndique depreſſerant, conſului tam laicos, quam literatos, qui cœnobii ſubſtantiam nouerant, quibus auxiliis aut refugiis annis anterioribus monaſteriorum releuatum viderant; & quibus in rebus ſubſtantia cœnobii conſiſtere ſolebat, deprecatus ſum diligentiſſime, quatenus mihi veraciter, & nude iſta exponentes, nulla, quæ noſſent neceſſaria, de mea notitia vllo modo concelarent. Illi vero reſponderunt, *Asfordum* quendam de Heliestona, ballinum quondam domini *Wulketuli* abbatis immediati prędeceſſoris mei, maneriis & reditibus totius monaſterii à multis annis prętuiſſe, terras & tenementa firmariis tradidiſſe, & reditus & prouentus recepiſſe, omneſq; operarios cœnobii pro libito prędiaſſe, ipſumque ſupra modum diuitem factum ruinas monaſterii rariſſime reſtauraſſe, ipſum ſolum ſtatum monaſterii noſtri noſſe, ipſumque ſolum monaſteriũ releuare poſſe. Hoc ego *Ingulphus* intelligens, ipſum *Asfordum* accerſiri feci, ſtatumq; monaſterii nude ſibi demonſtratum ſuo conſilio ac auxilio indigere innotui, multiſq; precibus & promiſſis precans ac procurans, ad auxiliandum ſuam beneuolentiam captare ſumma diligentia inſudaui; inſuper meam ruditatem & recentiam patenter expoſui, & extremam miſeriam tam meam, quam totius monaſterii, niſi manum opponeret adiutricem, integre patefeci. Illa ad hæc omnia ferreus, & adamantina duritie impenetrabilis ad modum aſpidis ſurdæ, & obturantis ſuas aures preces meas ſpreuit, promiſſa mea riſit, & quaſi de monaſterii miſeria cõcepiſſet gaudia, omne conſilium meum deſpexit. Quod ego intelligens, & clarius intuens, ſui ratiocinii rotulos de vniuerſis terris, & monumentis mihi tradi ſuppliciter inſiſtebã poſtulare; & in quibus villis circumiacentibus noſtri reditus conſiſterent, quatenus edoceret, multis precibus inſudabã impetrare. Ille tandem magnis promiſſis inductus, cum plurima tenementa monaſterii per villas declaraſſet, ad villam de Helieſton perueniens, non tantum noſtros reditus concelauit, verum noſtra teneměta ſua eſſe, & ſe hæreditarie poſſidere multis periuriis fere fidem fecit. Sed ſenioribus noſtris ſemper contradicentibus, & chartas & monumenta ſufficientia oſtendẽtibus, ille iura noſtra ſufflauit; & corã regiis iuſtitiariis ſe palam verificaturum, ipſa tenementa ſua eſſe patrimonia, cum multa contentione promiſit; & ſic de cœnobio noſtro proceſſit. Nobis itaq; in dictis tenementis coram regis miniſtris calumniam ponentibus, dies iuridicus apud Stanfordiam datus eſt. Quo die cum regis iuſtitiarios pro negotiis monaſterii aditurus, me fratrum meorum orationibus commendaſſem, verſus Stanfordiam confidens in Domino equitabam. Ille vero cõfidens in magnitudine diuitiarum ſuarum, & in theſauris pecuniæ ponens omnem ſpem ſuam, erecto collo contra Deum equitabat. Et ecce, offendens equus ſuus ad petrã ſcandali in medio itinere aſcenſorem deiecit, deiectiq; collum confregit, & animam gradientis contra Dominum cum ſuperbia ad inferos tranſmiſit. Quod cum regis curiæ, ac nobis iudicium noſtrum expectantibus apud Stanfordiam narraretur, non adhibentibus adhuc tali caſui fidem plenam, alius dies datus eſt. In craſtino vero cum ille tumulandus verſus cœnobium Burgi, quo ſepulturam ſuam ſæpius conſtituerat, à vicinis & parentibus in ſecreto portaretur; decẽ acras Monaſterio noſtro pertinentes, quas viuus ſibi vendicauerat, portantes feretrum calcabant: & ecce, nigerrima nube in ſuo circuitu ſolem obducente, & quaſi nocturnas tenebras adducente, tale pluuiæ diluuium cœlum defundebat, quod vtique fluentibus aquis dies Noetica credebatur; quin etiam ſubito feretrum frangitur, & corpus defuncti corruens in terram, in ſordido cœno diutiſſime volutatur. Quod videntes, qui portauerant, manum Domini cognoſcentes, clare ſuam iniuſtitiam confitebantur: parentes autem ſui, & propinqui nobis, qui de Stanfordia hoc eodem temporis momento adueneramus, accurrentes obuiabant, & veniam præſtari contra tam violentam iniuriam, & apertam Dei vindictam prouoluti noſtris pedibus depoſcebant. Nos regratiantes Deo, & ſancto *Guthlaco* de ſuo adiutorio, iniuriam dimiſimus, & pratum noſtrum cum cæteris omnibus calumniatis integre ab iis diſclamatum recepimus, & vſque in præſens tempus pacifice poſſidemus. Per omnia benedictus Deus, qui reddidit impio iuxta opera manuum ſuarum, & infatuans, infirmans conſilia cordis eius. Hac vindicta Domini ſuper aduerſarios noſtri monaſterii per omnium ora longius volutante, & ad aures æmulantium terribilius intonante, non erat, qui deinceps Dominum defenſorem noſtrum auderet in aliquo offendere, nec qui ſanctum *Guthlacum* de cætero præſumeret ad iracundiam prouocare. Quin *Richardus* de *Rulos*, qui filiam & hæredem *Hugonis* de Euermue Domini de Brunne / & Deping duxerat in vxorem, multum agriculturæ deditus, ac in iumentorum & pecorum multitudine plurimum delectatus, ad villam ſuam de Deping amplificandam cum includere magnam portionem communis mariſci, ac pra-

prata, ac paſcua ſeparalia facere diſponeret, ſine licentia noſtri Monaſterii nullatenus præſumpſit: ſed veniens cum magna deuotione firmitatem noſtri capituli ſibi charitatiue cōcedi affectuoſiſſime ſupplicabat. Quam ſibi conceſſimus, & nomen eius, & vxoris eius fratrum noſtrorum martyrologio inſcribi conſenſimus. Ille vero viginti marcas argenti in eleemoſynam noſtrō Monaſterio contulit, & licentiam includendi de communi mariſcó, quantum voluit, digniſſime impetrauit. Incluſit itaque de capella ſancti *Guthlaci*, quam fratres noſtri Monaſterii, dum dicta ante aduentum Danorum noſtra villa erat, ibidem conſtruxerant, totum ſolum ſuum verſus Orientem vſque ad Caredik, & tranſeundo Caredik vſque ad Clciilake extra Crammor / excludens fluuiū de Weland fortiſſimo foſſato, eo quod ſingulis annis fere omnia prata ſua iuxta ripam dicti fluuii adiacentia continuis inundationibus demergebat: vnde Deping, id eſt, profundum pratum villa illa vocata antiquitus erat. Et ædificans ſuper foſſatum plurima tenementa, & coragia, in breui magnam villam effecit hortos aſſignauit, campos excoluit, & in pratis, qui nuper erant profundi lacus, & paludes immeabiles, excluſō fluuio inuenit campos vberrimos, & terram deſiderabilem; ac de puteis & vliginibus maledictis fecit hortum voluptatis. Cumque glebam fertiliſſimam ſic repeririſſet, dictam etiam capellam ſancti *Guthlaci* in parochialem Eccleſiam ſuæ nouæ villæ hoc eodem tempore commutauit. Monaſterio vero noſtro ſemper erat amiciſſimus, & penes dominum noſtrum regem in omni negotio interceſſor pro nobis promptiſſimus, & procurator aſſiduus. Cum ergo proſperiora tempora nobis ſucceſſiſſent, & ſtatus noſtri Monaſterii tam in tēporalibus, quam ſpiritualibus, ſecundante Domino, & amicos multiplicante, multifarie fructificaret: ſtatui dominum meum regem adire, ac aliquam gratiam domino *Wulketulo* prędeceſſori meo adhuc Glaſtoniam exilium toleranti quoquo modo procurare. Satis enim intelligebam, ipſum monaſterii noſtri ſtatum apprime cognoſcere, & tenementa noſtra, quæ multis comitatibus diſperſa fuerant, & per malitiam nequiſſimi *Asfordi* fere perdita, mihi vero nouitio nimis inſcrutabilia, longo colluctamine & experientia plene ſcire. Vadens itaque Londonias, & inueniens ibidem venerabiles dominos meos, & aliquos amicos, videlicet reuerendiſſimum Archiepiſcopum *Lanfrancum*, & Dominum *Odonem* Epiſcopum Baiocenſem fratrem veterrimum domini regis, ipſumque Cantuariæ Comitem, & principem palatii (quorum nutu & conſilio tam rex ipſe, quam regnum eius vniuerſum in omni negotio regebatur) cauſam mei aduentus confidenter expoſui, ac eorum interceſſionem penes regem gratioſius impetraui. Tranſmiſſis etiam aliis mediatoribus, & amicis, inter quos prædictus miles *Richardus Rulos* regis Camerarius præcipuus aſſiſtebat, qui penes prædictum prædeceſſorem meum dominum *Wulketulum* domini regis animum explorarent, repererunt rancorem eius penes perſonam multum mitigatum; ſed ne promoueretur ad aliquam minorem vel maiorem prælatiam omnino inexorabilem, ac in priſtino propoſito continue pertinacem. Intercedentibus itaque prædictis dominis meis, domino Archiepiſcopo Cantuariæ, & fratre eius domino epiſcopo Baiocenſi, ac *Richardo* de *Rulos* regis camerario, aliiſque plurimis ex veteri notitia mihi in Normannia ſatis amicitia propinqua deuinctis, obtinui quod de Glaſtonia ad Burgum rediret; ſed illic abſque latiori diſcurſu in patriam minime faciendo, abſque omni etiam cura & officio reſideret; ſolummodo quando mihi placitum videretur, ad informandum me de ſtatu mei monaſterii licenter ad Croilandiam accerſirem. Hac ergo gratia impetrata, de Glaſtonia illum ad Burgum tranſmiſſo honorifico equitatu adduxi, & de Burgo ad Croilandiam; omni fauore & filiali dilectione dignam videns eius venerabilem perſonam, & ſanctiſſima religione præcellentē in priſtino ſtallo ſuo ipſum poſui: nec ipſo ſuperſtite, me plenum ſponſum, ſed ſemper paranymphum, vel procuratorem monaſterii reputaui. Cernens etiam deuotionem meam, ac filiorum ſuorum dilectionem nullis tribulationibus ab antiqua beneuolentia immutatam, reſtituit monaſterio noſtro calicem quondam capellæ ſuæ, vnum portiforium de vſu noſtræ eccleſiæ, & vnum miſſale, vnam cupam argenteam cum coopertorio argenteó ad eandem, & 12. cochlearia de argento; alia etiam promiſit, quum quoſdam, quondam ſuos miniſtros, alloqui primitus potuiſſet. Ego vero bis vel ter omni anno cum debito miniſtrorum apparatu ipſum accerſens, & per menſem multoties, aliquando per dimidium annum mecum detinens, ac in omni loco, tam in choro, quam in refectorio ſemper cum omni reuerentia mecum deferens, præter agnitionem ſtatus totius cœnobii, quam libentiſſime docebat, reperi vita ſua comite proſpera multa mihi ſuccedere; ſicut poſt decē annos, ipſo decedente, plurima aduerſa nobis indies acceſſere. Depoſitus enim erat anno Dominicæ incarna-

tionis 1075. & decennio ſuperuixit, ſubitoque paralyſe perculſus per quatuor menſes ad mortem ægrotabat, impos & mutus ad exprimendum ſuas vltimas voluntates toto ſpatio effectus: obiitque in die ſancti *Hieronymi* presbyteri, Anno Domini 1085. nonnullis noſtri monaſterii monumentis ac iocalibus apud Burgum adhuc remanentibus, & nobis minime reſtitutis, licet ſæpiſſime reddere ac reſtituere promiſiſſet, & in extremis ſuis effici & expleri, prout potuit, ſuis cõfratrib. crebro præcepiſſet. Ante vero hæc tempora paucis annis recurrentibus, quum rex Daciæ *Canutus* congregata maxima claſſe inuadere Angliam paraſſet, inclytus rex *Willielmus* vndiq; de Francia, Almania, atque Hiſpania ſoldariis conductis, vniuerſos per monaſteria totius regni dimiſit, moraturos maxime per illa cœnobia, quæ de militia non exhibenda ſua dominia tenebant de rege. Vnde ad Croilandiam 6. milites, & 28. baliſtarios deſtinabat. Quo tempore ducens exercitum in Northumbriam, vbi Dani applicare ſæpius ante ſolebant, vniuerſam patriam abraſit, ac fere in terram deſertam abſumens, multis milliariis inhabitalem poſtea longo tempore reddidit: ne hoſtis veniens, & victualia inueniens moram prolixaret, ſed fame & inedia fugere de patria compulſus, pro victualium penuria citius ad propria remearet. Pertranſiens etiã tunc, & vltra progrediens inclytus rex *Willielmus* in Scotiam, eam ſibi ſubiecit, & *Malcolmum* regem eius ſibi hominium facere, & fidelitatem iurare apud Abennithi coegit. Reuerſuſque in Angliam, apud Londonias hominum ſibi facere, & contra omnes homines fidelitatem iurare omnem Angliæ incolam imperans, totam terram deſcripſit; nec erat hida in tota Anglia, quin valorem eius, & poſſeſſorem ſuum ſciuit; nec lacus nec locus aliquis, quin in regis rotulo extitit deſcriptus, ac eius reditus, & prouentus, ipſa poſſeſſio, & eius poſſeſſor regiæ notitiæ manifeſtatus iuxta taxatorum fidem, qui electi de qualibet patria territorium proprium deſcribebant. Iſti penes noſtrũ monaſterium beneuoli & amantes, non ad verum pretium, * nec ad verum ſpatium noſtrum monaſterium librant, miſericorditer præcauentes in futurum regiis exactionibus, & aliis oneribus, piiſſima nobis beneuolentia prouidentes. Iſte rotulus vocatus eſt rotulus Wintoniæ, & ab Anglicis pro ſua generalitate omnia tenementa totius terræ integre continente Domesday cognominatur. Talem rotulum, & multum ſimilem ediderat quondam rex *Alfredus*, in quo totam terram Angliæ per comitatus, centurias, & decurias deſcripſerat, ſicuti prænotatur: qui quidem rotulus Wintoniæ vocatus eſt, quia deponebatur apud Wintoniam conſeruandus, quæ ciuitas caput Weſtſaxonici regni ſibi hæreditarii, porro tunc inter omnia regna Angliæ particularia nobiliſſimi & præclari. In illo vero rotulo Wintoniæ ſic maxime vocato, eo quod ad illius rotuli exemplum editus erat, deſcripti ſunt non tantũ totius terræ comitatus, centuriæ, & decuriæ, ſyluæ, ſaltus, & villæ vniuerſæ: ſed in omni territorio quot carucatæ terræ, quot iugera, & quot acræ, quæ paſcua, & paludes, quæ tenementa, & qui tenentes continebantur. Adiui ego ipſe tunc Londonias, & hæc tenementa noſtra de vtroq; rotulo prædicto, vulgariter ab Anglicis cognominato Domesday, excepta multo ſtudio ac non paruis ſumptibus, ſtatui meis poſteris, ſaltem breuiter, annotare, plurima abbreuiãs, ac nonnulla latius declarãs ad meliorem meorum ſucceſſorum notitiam. Quod ſi quis poſterorũ de verbo ad verbum, prout diffuſe in dictis rotulis originalibus tenementa noſtra conſcribuntur, agnoſcere maluerit, dictos rotulos petat, & diligenter exquirat; & hanc breuem elucubratiunculam, ſpero, quod mirabitur, & quod hunc laborem noſtrum intimo animo collaudabit, cum tam ſolicite tamq; ſuccincte de tam confuſa maſſa tot abdita & tam diſperſa collegerim, & ſimul condiderim in hanc formam. Imprimis in Lincolnshire/ in Ellowarp/ in Croyland ſanctus *Guthlacus* habuit, & habet ſyluas, mariſcoſq; quatuor leucas in longitudine, & tres leucas in latitudine. Hæc ſedes eſt Abbatiæ tempore regis *Ethelredi*; eſtque ſoluta, & quieta ab omnibus ſecularibus ſeruitiis. In Hosleben/ & Capelade ſanctus *Guthlacus* habuit, & habet tres carucatas, & ſex bouatas ad Geld/ ibi nunc in dominio vnam carucatam, & 3. villan. cum dimidio carucatæ, & 12. acras prati: tempore regis *Edwardi* valuit viginti ſolidis monetæ. Similiter in Spalding Berewick de Croiland duas carucatas terræ ad Geld, terra ad vnam carucatam & dimidiam, ibi ſeptem villan. & 4. Bord. habentes 3. carucatas: tempore regis *Edwardi*, valuit viginti ſolidis monetæ. Similiter in Pincebeck ſanctus *Guthlacus* habuit, & habet dimidiam carucatam ad Geld tempore regis *Eadwardi*. In Kirketona Warp in Algare Berwick ſanctus *Guthlacus* habuit, & habet 12. bouatas terræ ad Geld / terra ad decem bouatas nunc vaſta eſt per maris alluuionem. In Donnedik ſanctus *Guthlacus* habuit, & habet duas carucatas terræ ad Geld/ terra ad duas carucatas cum Sacha & Socha: ibi nunc vna carucata in dominio, & tredecim villani cum vna carucata & viginti acris prati, tempore *Edwardi* regis valuit viginti

ſolidis

ſolidis monetæ. Similiter ſanctus *Guthlacus* habuit & habet vnam carucatam terræ ad Geld/terra ad vnam carucatam, ibi vero villani non arant: ibi quatuor ſalinæ valent. 5. ſolid. & 4. denariis & 5. acrę prati. In Burtoft ſanctus *Guthlacus* & habuit & habet vnā bouatā terræ cum Sacha & Socha, & eccleſiam de Suterton, & presbyteron tempore *Edwardi* regis Socha de Donnedike. Item in Soudithing in Hawardshow Warp. in Bukenhale ſanctus *Guthlacus* habuit & habet duas carucatas, & dimidiam ad Geld/ibi vna carucata in dominio quinque villani, 2. Bord, & 8. Soch habentes vnam curacatam, & viginti ſex acræ prati, & 50. acræ ſyluæ & 70. acræ ſyluæ tempore regis *Edwardi* valebant triginta ſolidos monetæ. Similiter Socha de Beltisford. Item in Halington ſanctus *Guthlacus* habuit & habet 10. bouatas terræ, quatuor bouatas de Juland/& 21. acras prati. Socha de Tad. Item in Nons Warp. in Langtoft ſanctus *Guthlacus* habuit & habet ſex carucatas terræ ad Geld/terra ad ſex carucatas ibi nunc in dominio, id eſt, 5. carucatæ, & 8. villani, & quatuor Bord, & 20. Socham habentes 5. carucatas terræ, & centum acras prati ſyluæ 2. ſolid. mariſci, 2. leucas in longitudine, & 2. leucas in latitudine, terra arabilis 15. quarentenas in longitudine & 9. in latitudine: tempore regis *Edwardi* valebant quatuor libris monetæ 60. ſolidis. Talba 3. ſolidos. Item in Baſton ſanctus *Guthlacus* habuit & habet quatuor carucatas terræ ad Geld, terra ad 4. carucatas, ibi nunc in dominio, vna carucata; 5. villani, 2. Bord, & 7. Sochm. cum duab. carucatis, ibi eccleſia cum presbytero & vnum molendinum cum dimidio molendini, & 45. acræ prati, mariſcorum, 15. quarenten. in longitudine & 8. in latitudine tempore regis *Edwardi* valebant 40. ſolidos. monetæ ſimiliter. Item in Anelound Warp. in Repingale ſanctus *Guthlacus* habuit & habet 3. carucatas terræ ad Geld, & 60. acras prati: tempore regis *Edwardi* valebant 20. ſolidos. *Ogerus* tenet ad firmam reddendo Abbatiæ 60. ſolidos, & alia multa onera. Item in Aſwardeterene Warp in Laithorp ſanctus *Guthlacus* habuit & habet vnam bouatam terræ, in Kirkby 3. bouatas terræ: tempore regis *Edwardi* ſolid. Item in Optonagrena Hundred in Northamptonshire in Croyland ſanctus *Guthlacus* habuit & habet ſyluas & mariſcos, 2. leucas in longitudine, & 2. leucas in latitudine: tempore regis *Edwardi* ſolutæ & quietæ ab omnib. ſeruitiis. In Peiekirk 3. virgatas terræ ad Geld, tempore regis *Edwardi*. In Bridthorp ſanctus *Guthlacus* habuit habetque vnam hidam, & dimidiam ad Geld, terra eſt 2. carucat. in dominio eſt vna carucata, & 11. villani, & Bord cum 2. carucatis, ibi 3. acræ prati & vnum molendinum de quinque ſolidis, valent 40. ſolidos. Item in Pokebroke Hundred in Elmingtona ſanctus *Guthlacus* habuit & habet vnam hidam terræ: terra eſt vna carucata, hęc eſt ibi in dominio, & 2. villani & 2. Bord cum vna carucata, & 6. acris prati: tempore regis *Edwardi* valebant 8. ſolidos modo 16. In Elmingtona etiam ſanctus *Guthlacus* habuit & habet duas hidas, terra eſt 3. carucat. ibi ſunt 5. villani, & 4. Bord cum 3. carucatis: ibi duodecim acræ prati: tempore regis *Edwardi* volebant duodecim ſolidos, modo & 20. ſolidos. Item in Soudnaueslound Hundred in Adingtona ſanctus *Guthlacus* habuit & habet duas hidas: terra eſt quatuor carucat. in dominio eſt vna & duo ſerui, & ſex villani & 3. Bord. cum vno Sochm. habente tres carucatas: ibi ſex acræ prati & molendinum 13. ſolid. & 4. denar. tempore regis *Edwardi* valebant quindecim ſolidis, modo 40. ſolid. Ibi etiam habet eccleſiam, & in alia Adingtona dimidium virgatæ terræ ad Geld. Item in Ausfordeshew Hundred in Wendlingborough ſanctus *Guthlacus* habuit & habet quinque hidas terræ, & dimidium, terra eſt duodecim carucat. in dominio eſt vna carucat. cum vno ſeruo, & 21. villanis, cum Eccleſia & presbytero, & ſeptem Bord, & 12. Sochm. habentibus vndecim acras: ibi duo molendina de 16. ſolidis, triginta acræ prati valent 50. ſolidos, & vſus 11. ſolidos, modo 6. lib. Item in Aulwordesle Hundred Grancleraud in Baddeby S. *Guthlacus* habuit & habet 4. hidas terræ: terra eſt 11. acræ, in dominio ſunt 8. carucatæ, & octo ſerui, 5. ancillæ, 12. villani, & 8. Bord cum 6. carucatis: ibi molendinum de duobus ſolidis, & 28. acræ prati ſyluę 4. quarent. longitudine, & 2. quarent in latitudine: tempore regis *Edwardi* valebant 4. lib. modo ſimiliter. Itē Hundred de Widebrooke in Glapishorn ſanctus *Guthlacus* habuit & habet vnam virgatam terrę ad Geld, & 20. acras ſyluę. Item in Leiſtershire in Goscote Warp in Beby ſanctus *Guthlacus* habuit & habet decem carucatas terræ & dimidium, terra eſt octo carucat. in dominio eſt vna carucat. & duo ſerui, & 21. villani cum quinque Sochm. & tres. Bord. habent. 6. carucatas: ibi 30. acrę prati valent tempore regis *Edwardi* 60. ſolidis, modo 40. ſolidis. Item in Guthlaceſton Warp in Sutton ſanctus *Guthlacus* habuit & habet duas carucat. & duas in Stapelton: terra eſt quinq; carucat. ibi 6. villani cum 2. Bord habentibus vnam carucatam & dimidium: tempore regis *Edwardi* valuere 24. ſolid. modo. 20. ſolid. Item in Huntindoune-

ſhire in Normanneſtros Hundred in Morborne ſanctus *Guthlacus* habuit & habet 5. hidas ad Geld: terra 9. carucat. ibi nunc in domino 2. carucat. & 16. villani, & 3. Bord habentes 7. carucatas: ibi eccleſia & presbyter & 40. acræ prati, & vna acra ſyluæ minutæ: tempore regis *Edwardi* valebant centum ſolidos, modo ſimiliter. In Therminga ſanctus *Guthlacus* habuit & habet vnam hidam & dimidium ad Geld: terra vna carucat. & dimid. Socha de Acumesbery manerio regis: *Euſtachius* tenet modo de Abbate de Croyland/ & habet ibi vnam carucat. & vnum villanum cum dimidio carucat. & ſex acris prati: tempore regis *Ed.* valebant 20. ſolid. modo ſimiliter. Item in Grantebrigeshire in Nordſtow Hundred/ iu Hokittona ſanctus *Guthlacus* habuit & habet ſeptem hidas & dimid. terra eſt octo, carucat. in domino quatuor hid. & ibi ſunt 4. carucat. ibi 14. villani, & tres bord cum ſex carucatis. Ibi 4. cotagia, & tres ſerui, pratum, 2. carucatæ cum eccleſia & presbytero: tempore regis *Ed.* valebant 8. libris, modo ſex libris. In Ceſtreton Hundred/ in Cotenham Sanctus *Guthlacus* habuit & habet 11. hid. ad Geld. terra eſt octo carucat. in dominio ſex hid. & ibi eſt 1. carucat. ibi 12. villani, & octo bord. cum .7 carucatis: ibi 1. ſeruus, pratum, 8. acræ, paſtur. ad per. villæ de mariſco. D. Ang. & de præſent. 12. d. val. tempore regis *Ed.* 8. libris, modo ſex libris, hoc manerium ſemper fuit & eſt in dominio Sancti *Guthlaci*. In Draitona ſanctus *Guthlacus* habuit & habet octo hidas, & dimidium: terra eſt ſex, carucat. in dominio quatuor 4. hid. & tres virg. & ibi 1. carucata, ibi 12. vllani, & 5. bord, & 3. Soch. cum quatuor carucatis: ibi quatuor cotagia, pratum, 2. carucat. tempore regis *Ed.* valebant 100. ſolid. modo 4. libris, 10. ſolid. hæc terra in dominio eſt eccleſiæ ſancti *Guthlaci* cum ſua eccleſia, & presbytero. Iam ad informationē meorum ſucceſſorum mihi videtur expediens, & valde neceſſarium, aliqua præmiſſorum, prout nunc ea intelligimus, breui declaratione noſtris poſteris demandare. Et primo de ſede Abbatiæ noſtræ, quæ dicitur habere 4. leucas in latitudine; quum leuca viſualis menſura terram metientium apud Francos conſtet de duobus millibus paſſuum. Et forte leuca dicitur à leucon, quod in Scythica lingua interpretatur *Philippus*. Vnde magiſter in Iſagogis ſuis O. M. libr. 3. & niueus leucon dicit ibi, hunc leucon fuiſſe *Philippum* imperatorem, qui niueus deſcriptus eſt, quia Chriſtianus, & Baptiſmo ſuper niuem dealbatus. Et alio in loco vbi exponit illud, id eſt, *Phœbum* adamaſſe *Leucothoen*, dicit DEVM adamaſſe Chriſtianitatem regni Franciæ, id eſt, *Philipporum*, quum apud Francos nomen *Philippi* frequentiſſimum habetur, in tantum, vt rex *Henricus*, qui modo regnat in Francia, filium ſuum iam primogenitum *Philippum* fecerit appellari. Beatus enim *Chriſti* Apoſtolus *Philippus*, cum Scythis verbum Dei prædicaſſet, & plurimos eorum ad fidem *Chriſti* conuertiſſet, rediens in Aſiam, per Sicambros viam fecit, ac illis CHRISTI nomen primus annunciauit. De quibus exeuntes Franci, vt plures eorum hierocronographi teſtantur, beatum *Philippum* Apoſtolum ſuum ſpecialem protodoctorem, & Neoapoſtolum adhuc tenent. Ex his omnibus colligitur, quod leuca dicitur à leucon, id eſt, menſura terræ Philippicæ, id eſt, *Philippi*, vel *Philipporum*. Angli autem vtuntur terram metiendo milliaribus: & dicitur milliare, quia conſtat de mille paſſibus; ſic vocatum, quia *Hercules* ſub vno tractu halitus ſui mille paſſus fecit, vt dicit *Iſid.* lib. 3. Cognoſcentes itaq; leucas, & milliaria, dicere poteritis, poſteri noſtri & amici, quod cum ſedes Abbatiæ noſtræ in longitudine, id eſt, de vlteriori ripa de Shepishee in eius oriente vſq; ad Kenulphſton in eius occidente, dicitur habere 4. leucas, id eſt, 8000. paſſuū; & in latitudine, i.e. de vlteriori parte ripæ de Southee in eius auſtro vſq; ad vlteriorem ripam de Aſendik; vel de Weland in eius aquilone 2. leuc. id eſt, 4000. paſſuum; horum neutrum verum eſt. Sed ſcire debetis, Anglos ſub dominio Normannorum tranſiſſe in multis ad mores Francorum, & ideo loco milliarium leucas dixiſſe, ſed milliaria intellexiſſe: & cū longitudo eius excedit 4. milliaria, & latitudo 2. milliaria. prudentiſſimi metatores contra malitiā æmulorū noſtrorū piiſſime prouidentes, potius plus quam minus ponere voluerunt. Acceptauit hanc rationem tota vicinia taxatorum, acceptauit & regis curia, cum veritas ſpatii exigeretur in incorporatione regalium rotulorum. Item declarandum eſt illud, quod Alderlound deſcribitur in Optonagrena Hundred quum in charta *Edredi* quondam regis, & reſtauratoris noſtri contineatur, quod illa pars mariſci auſtrali parte aquæ de Weland, comitatui Lincolniæ connectitur, in omnibus reſpondet: cuius euidentia colligitur ex charta *Edgari* quondā regis & confirmatoris noſtri de illis verbis, vbi interdicit omnibus miniſtris ſuis, id eſt, vicecomitibus, bedellis & balliuis in patria Girniorum, id eſt, in Comitatu Northan. ne introeant fines & limites dicti mariſci, aut in aliquo intromittant; hoc innuens, quod illa pars mariſci ſic interdicta miniſtris in Comitatu North. ſic attendens cum reliqua portione monaſterii

noſtri

noſtri miniſtris ſuis in comitatu Lincolniæ. Sed Danicis regib. *Swano Cnutone, Haroldo, & Hardenuto* totam Angliam opprimētibus, & multa immutantibus, plurima priuilegia monaſteriorum perdita ſunt, ac prorſus ſufflata; limites ac termini territoriorum & comitatuum tranſlati, & à ſtatu veteri longe immutati, prout pecunia diuitum in mentibus barbarorum, qui nihil aliud, quam ruinas quærebant, reponderabat. Cuius euidentia tempore regis *Hardecnuti* erat euerſio monaſterii ſanctæ *Pegæ* de Peikirk/ præualente contra iuſtitiam Pegelandenſium Abbatis Burgi pecunia, & ſuper ſimplicitate pauperum *Godwini* Comitis potentia. Et tunc cum Monachi Burgenſes maximæ fuerant opinionis, ita vt totus mundus abiret poſt eos, & multi maiores terræ tam pontifices, quam alii proceres, & prouinciarum præſides apud illos ſuam ſupremam eligerent ſepulturam; etiam in monaſterium noſtrum ſuæ cupiditatis cornua impudentiſſime extenderunt, diſſimulante tantam iniuriam Domino *Wulketulo* prædeceſſore meo, & quaſi ex eorum conniuentia contra tantum damnum noſtri monaſterii ſomno (proh pudor) lethargico nimium ſoporato, & diutius dormiente. Veruntamen in proximo ſpero tantam præſumptionem cum regis beneuolentia plenius in ſtatum priſtinum emendandam, quem per trecentos & fere 30. annos antea pacifice poſſederamus. Item declarandum eſt illud, quod dicit, A tempore *Ethelredi* regis erat ſedes Abbatiæ noſtræ quieta, & ſoluta ab omnibus ſecularibus ſeruitiis: cum tres fuerint reges *Ethelredi*, & pro eorum quolibet agant veriſimiles rationes, quod de eorum quolibet dicta litera dici poſſit. Primus enim *Ethelredus* filius *Pendæ*, ac frater *Peadæ*, & *Wulferi* quondam regum Merciorum, quum poſt præfatos reges fratres ſuos ſuccedens, triginta annos regnaſſet, relicto ſeculo monachus in Bardineienſi monaſterio factus, tandem Abbas eſt creatus. In regno vero Merciorum ſubrogatur *Kenredus* cognatus ſuus, filius *Wulferi* quondam regis, & fratris, ſuique prædeceſſoris, ſicut latius ſupra dicitur. Huic *Kenredo* poſt quinque annos Romam peregre proficiſcenti ſucceſſit *Celredus*, filius prædicti *Ethelredi*, adhuc ipſo patre Abbate de Bardeney ſuperſtite ac viuente. Huic autem *Celredo* poſt octo annos defuncto ſucceſſit in regnum Merciorum noſter *Ethelbaldus*, regnauitque annis quadraginta & vno; qui primo anno regni ſui fundauit noſtrum monaſterium Croylandenſe, faciens inde nobis chartam ſuam: in qua charta primus teſtis poſt Epiſcopos prædictus *Ethelredus* Abbas de Bardeney quondam rex deuote ſubſcripſit; eodemque anno iam factus ſenior, & plenus dierum migrauit ad Dominum. A tempore igitur huius regis *Ethelredi* erat Abbatia noſtra quieta & ſoluta ab omnibus ſecularibus ſeruitiis, id eſt, à tempore noſtræ primæ fundationis. Secundus rex *Ethelredus* erat filius *Ethelwulphi*, frater regis *Ethelbaldi*, *Ethelberti*, ac *Alfredi* quondam regum; qui cum penultimus fratrum ſuorum quinque annis Weſtſaxonici regni ſceptrum validiſſime rexiſſet & contra Danos dimicans frequentiſſime, aliquoties glorioſiſſime triumphaſſet, obiit Anno Domini octingenteſimo ſeptuageſimo primo, ſcilicet in proximo Anno ſequente poſt euerſionem Monaſteriorum Bardeney/ Croyland/ Medeshamſted/ & Hely. Sed Croylandiæ Monachi (vt ſupra dictum eſt) pro maiori parte per triduanam fugam gratioſiſſime ſaluati, totius Abbatiæ huius ſitum eadem libertate, qua antea habuerant, deinceps à *Beorredo* rege ac *Alfredo* rege regnum poſtmodum obtinente habuerant, etiam toto tempore ſuæ deſolationis poſſederunt; cum cætera monaſteria per Danorum ferocitatem funditus deſtructa regali fiſco fuerant aſſcripta denuo, & aſſumpta, omnibus Monachis eorum necatis, perditis, ſeu penitus fugatis. A tempore itaque iſtius regis *Ethelredi* Abbatia noſtra erat quieta & ſoluta ab omnibus ſeruitiis ſecularibus, id eſt, in ſua maxima deſolatione vſque ad eius reſtaurationem, & inde vſque ad præſens tempus. Tertius rex *Ethelredus* erat filius *Edgari*, regis qui poſt ſanctum *Edwardum* regem, & tandem DEI martyrem, germanum ſuum, miſerrime regnauit annis. 38. Tempore cuius Danorum exercitus totam Angliam plurimum tribulabant, & eccleſias ac cœnobia in immenſum opprimebant. Perdurabatq; tanta tribulatio per plures annos ſequentes, ſcilicet per tempora 4. regum, id eſt, ipſius *Ethelredi, Kanuti, Haroldi, & Hardekanuti.* Ab iſtius itaq; *Ethelredi* tempora noſtra abbatia erat quieta & ſoluta ab omnibus ſecularibus ſeruitiis, id eſt, à tēpore illius regis, qui erat legalis ſucceſſor regii ſeminis Anglorū, & pater *Edwardi* piiſſimi regis: cuius cognatione ac conſanguinitate inclytus rex noſter *Willielmus* fundat conſcientiam ſuam regnū Angliæ inuadendi, cæteris regibus de Danorum ſanguine, quaſi nullius authoritatis ad allegandum, interim intermiſſis. Item declarandum eſt quod in ſede Croyl. villani, Bord. nec Sochm. ponūtur, ſicut in aliis noſtris terris; cū niſi timore belli imminentis nullus, aut rarus inhabitator nobiſcū manere perſeuarabat; ſed ſic-

ut guerra incipiente omnes conuicinæ patriæ tam diuites, quam pauperes, tam viri quam mulieres ad Croyland pro ſuo refugio confluentes vndique aduentabant, ita iterum ſerenitate pacis a Domino reſtituta, ad ſua quique propria reuertentes monaſterium noſtrum relinquebant, ſola noſtra domeſtica familia cum ſuis vxoribus & liberis remanentibus, quibus (vt poſtea dicetur) magnam partem mariſcorum & pratorum totius ſedis noſtri monaſterii dimiſi dudum pro certo reditu annuali, & aliis ſeruitiis exoluendis, quibuſdam ad firmam & certum numerum annorum, quibuſdam in feodum tradidi excolendum. Sed hæc poſtea. Item declarandum eſt illud, quod dicitur, In Spalding/ Berewick de Croyland; & alibi, in Algare Berewicke/ alibi, vt ſic intelligatur, in Spalding/ Berewicke de Croyland/ id eſt, manerium de Croyland: & in Algare Berewick alibi, id eſt, manerium aliud. Item declarandum eſt de manerio de Badby/ quod licet iam ſit in manibus firmariorum, tamen tanquam in manibus noſtris nunc eſſet in regis, rotulo eſt deſcriptum; ſed faciendum eſt, quod, quia terrarum metatores, & taxatores illius patriæ monachos illud manerium habere vident de monachis Euesham/ noſtros Croylandenſes monachos putãt, & noſtram eſſe poſſeſſionem, nõ firmariorum reputant & affirmant, cum adhuc viginti anni de firma illorum reſtent, antequam centum anni conceſſi in eo *Normanno* quondam *Edrici* Comitis vicecomiti compleantur. Hæc coram domino meo rege, concilioque ſuo pro noſtro monaſterio, eiuſq; pertinentiis patenter allegaui, & gratanter omnia ſunt accepta, & copia regii rotuli mihi liberaliter eſt cõceſſa. Detulerã etiam mecum tunc Londonias chartas ac chirographa, & pręcipua monumenta noſtri monaſterii, ſcilicet *Ethelbaldi* quondam regis, ac noſtri fundatoris, & cæterorum regum Merciorum confirmantium domum noſtram; quæ cuncta manu Saxonica ſcripta erant: chartas etiam *Edredi* quondam regis, & reſtauratoris noſtri, ac *Edgari* regis noſtri confirmatoris, & aliorum regum Anglorum poſt eos ſuccedentium vſque ad hæc tempora noſtra, quæ partim duplicate tam Gallicana manu, quam Saxonica ſcribebantur. Manus etenim Saxonica ab omnibus Saxonibus, & Merciis vſque ad tempora regis *Alfredi*, qui per Gallicanos doctores omnibus literis apprime inſtructus erat, in omnibus chirographis vſitata, à tempore domini regis dicti deſuetudine viluerat; & manus Gallicana, quia magis legibilis, & aſpectui perdelectabilis præcellebat, frequentius indies apud omnes Anglos complacebat. Et licet omnibus Gallicis & Normannis manus Saxonica extiterat inuſitata penitus, & inuiſa, ac tunc maxime cum gente ſua contemptui habita & nimium inacceptata; cum meritis & precibus Sancti *Guthlaci* aduocati noſtri, ac ſpecialis patroni Spiritus Sanctus in cor inclyti regis gratiam & beneuolentiam penes noſtrum monaſterium diuinitus inſpirabat in tantum, vt vniuerſa monumenta noſtra tam manu Saxonica, quam Gallicana (vt prædictum eſt) conſcripta, coramque præfato inclyto rege *Wilhelmo* ac concilio ſuo patenter lecta, & diligenter examinata, multo fauore fierent accepta & collaudata, inſuper regia confirmatione digniſſima ab omnibus acclamata & adiudicata: præcipue charta inclyti quondam regis *Edredi* reſtauratoris noſtri noſtrum monaſterium ſpecialius priuilegiantis, & plenius noſtras terras confirmantis ab omnibus abundantius eſt accepta, & confirmari ab ipſo domino rege gratioſiſſime conceſſa, confirmata eſt, prout ego deſiderabam & poſtulabam, diligentiſſime in his verbis. Ego *Willielmus* Dei beneficio rex Anglorum, ad humilem petitionem familiaris mei *Ingulphi* Abbatis Croilandenſis monaſterii chartam priuilegiatam, quam egregius rex *Edredus* prædeceſſor meus Deo & ſancto *Guthlaco*, ac monachis de Croyland conceſſit & donauit, coram me & concilio meo perlectam & declaratam laudo, approbo, & confirmo, & in omnibus effectualiter obſeruari præcipio. Prohibeo etiam ne quiſquam ſub ditione mea illos temerarie vexare pręſumat, ne excõmunicationis gladio intereat, & pro iure eccleſiaſtico violato infernorum exquirat cruciatus. Sed habeant omnes poſſeſſiones ſuas in perpetuam & regalem eleemoſynã ex meo dono, & confirmatione ad laudem Dei, & ob reuerentiam ſancti *Guthlaci* confeſſoris ibidem corporaliter quieſcentis, cum omni illo, quod appellatur Socha Sacha, Tol & Tem, cum legibus & conſuetudinibus illis iure perpetuo tenendis, cum quibus eas liberius & quietius tenuerunt diebus illis, quibus præfatus rex *Edredus* viuus fuit & incolumis. In huius ſcripti robore optimates in eodem nominati teſtes affuerunt, *Lanfrancus* Archiepiſc. Cantuariæ, *Thomas* Archiepiſc. Eboracæ, *Walkelmus* epiſc. Wintoniæ, *Wilhelmus* epiſc. Dunelmię, *Wilhelmus* Comes, *Alfredus* Comes, *Alfredus* filius *Topi*, *Wilhelmus Malettus*, & alii. Cernens etiam tunc animum domini mei regis, ac conſiliariorũ ſuorum penes meam paruitatẽ, inſpirante altiſſimo, tam beneuolũ & fauentem, chartas *Thoroldi* quondam vicecomitis de cella dudum noſtra de Spalding

ding

ding, quas etiam mecum Londonias attuleram, palam prolatas coram Domino meo rege, ac vniuerſo concilio ſuo proponebam; & ſufficienter allegato titulo iuris noſtri reſtitutionem cellæ noſtræ prædictæ ad noſtrum monaſterium debita diligentia poſtulabam. Cumque diutiſſime ius noſtrum ad dictam cellam in regis concilio ventillaretur, & fere fauentibus vniuerſis ad iudicandam nobis illam æſtimarem; regis concilium cenſebat tranſmittendum pro *Yuone Talbois*, eo quod in eius dominio dicta cella conſiſtebat. Qui citius aduenicns, quum noſtrum propoſitum intellexiſſet, oſtendens coram domino rege in petitione mea eiectionem monachorum Gallicorum, quos ſuo regio ſcripto antea confirmauerat, & ſibi ſemper fideles permanſerant, promotionemque monachorum Anglicorum ſibi ſemper mala imprecantium finaliter contineri, beneuolentiam regis à meo propoſito funditus immutauit: & vniuerſum negotium meum Normannis vndique ac Andegauenſibus ſuis aſſentatoribus, qui domino meo regi iugiter aſſiſtebant, multipliciter ſuffultus, & roboratus, totaliter impediuit. Accipiens itaque mecum dicti domini mei regis confirmationem ſuper chartam regis *Edredi* noſtri reſtauratoris, quam gratioſe ante aduentum dicti *Yuonis* ad curiam à domino rege impetraueram, cum omnibus monumentis noſtris ſaluis & illæſis, benedicto altiſſimo, ad noſtrum monaſterium ſanus ipſe ac incolumis remeaui; conſulens meis ſucceſſoribus in futurum, qui venturi ſunt poſt me, fortemq; regem Anglicis fauorabilem feliciter obtinebunt, quum dictam cellam repetere voluerint, maxime huic chartæ *Thoroldi* dictæ cellæ fundatoris innitantur, cæteris chartis extra cauſam concelatis, quum dictam chartam ad ius noſtrum conquirendum cæteris præſtantiorem & valentiorem multo conſilio iuriſperitorum didici præualere: quæ charta talis eſt. Ego *Thoroldus* de Buſenhale coram nobiliſſimo domino meo *Leofrico* Comite Leiceſtriæ, & nobiliſſima comitiſſa ſua domina *Godina* ſorore mea, cum conſenſu, bona voluntate domini & cognati mei Comitis *Algari*, primogeniti & hęredis eorũ, donaui & tradidi Deo & S. *Guthlaco* Croilandiæ in manibus domini *Wulgati* Abbatis dicti Croiland. monaſterii ad fundationem cellæ Croilandẽſium monachorum, in honorem S. Dei genitricis, ſemperq; virginis *Mariæ*, in villa de Spalding, totum manerium meum ſitum iuxta parochialem eccleſiam eiuſdem villæ, cum omnibus terris & tenementis, redditibus, ſeruitiis, aureis, & vtenſilibus, quæ habui in dicto manerio, & in dicta villa, & in campis eius tam in parte orientali fluminis, quam in eius parte occidentali, cum omnibus appendiciis ſuis, ſcilicet *Colgrinum* præpoſitum meum, & totam ſequelam ſuam, cum omnibus bonis & catallis, quæ habet in dicta villa, & in campis eius, & mariſcis abſque aliquo de omnibus retinemento. Item *Hardingum* fabrum, & totam ſequelam ſuam cum omnibus bonis & catallis, quæ habet in dicta villa, & in campis eius, & mariſcis abſq; aliquo de omnib. retinemento. Item *Leſtanum* carpentarium, & totam ſequelã ſuam, cum omnibus bonis & catallis, quę habet in dicta villa, & in campis eius, & mariſcis abſq; aliquo de omnibus retinemẽto. Item *Ringulphum* primum, & totam ſequelam ſuam, cum omnibus bonis & catallis, quæ habet in dicta villa, & in campis eius, & mariſcis abſq; aliquo de omnibus retinemento. Item *Elſtanum* piſcatorem, & totam ſequelam ſuam, cum omnibus bonis & catallis, quæ habet in dicta villa, & in campis eius, & in mariſcis abſque vllo de omnibus retinemento. Item *Gunterum Liniet*, & totam ſequelam ſuam, cum omnibus bonis & catallis, quæ habet in dicta villa & campis eius & mariſcis abſque vllo de omnibus retinemento. Item *Outy Grimkelſon*, & totam ſequelam ſuam, cum omnibus bonis & catallis, quę habet in dicta villa, & campis eius, & mariſcis abſque vllo de omnibus retinemẽto. Item *Turſtanum Dubbe*, & totam ſequelam ſuam, cum omnibus bonis & catallis, quæ habet in dicta villa, & in campis eius, & mariſcis abque vllo de omnibus retinemento. Item *Algarum* nigrum, & totam ſequelam ſuam, cum omnibus bonis & catallis, quæ habet in dicta villa, & in campis eius, & mariſcis abſq; vllo de omnibus retinemento. Item *Edricum* filiũ *Siwardi*, & totã ſequelam ſuam, cum omnib. bonis & catallis, quę habet in dicta villa, & in campis eius, & mariſcis abſq; vllo de omnibus retinemento. Item *Oſmundum* molendinarium, & totam ſequelam ſuam, cum omnibus bonis & catallis, quæ habet in dicta villa, & in campis eius, & mariſcis abſque vllo de omnibus retinemento. Item *Beſy Tuke*, & totam ſequelam ſuã, cum omnib. bonis & catallis, quæ habet in dicta villa, & in campis, & mariſcis eius abſq; vllo de omnibus retinemento. Item *Elmerum* de Pincebecke, & totam ſequelã ſuam, cum omnib. bonis & catallis, quę habet in dicta villa, & in campis eius, & mariſcis abſq; vllo de omnibus retinemento. Item *Gouſe Gamelſon*, & totam ſequelam ſuam, cum omnibus bonis & catallis, quæ habet in dicta villa & in campis eius, & mariſcis abſq; vllo de omnib. retinemento. Iſtos ſeruos meos, & omnia bo-

na & catalla eorum, cum omnibus cotagiis quondam meis, ſituatis in orientali parte fluminis circa ligneam capellam S. *Mariæ* in villa de Spalding / ab antiquo Croilandenſi monaſterio pertinentem, cum omnibus iuribus, & aliis rebus appẽdentibus, dedi Deo, & ſancto *Guthlaco* ad conſtructionem prædictæ cellæ, vna cum omnibus piſcationibus meis tam in mariſcis adiacentibus, quam in mari ad dictam villam accedente, in liberam & perpetuam eleemoſynam meam, pro ſalute animæ meæ, & animarum omnium progenitorum & parentum meorum. Iſtud meum chirographum apud Leiceſtriam in præſentia multorum *Chriſti* fidelium, ibidem in d e ſancto Pentecoſtes collectorum, Anno Dominicæ incarnationis. 1051. Ego *Theroldus* ſigno ſanctæ crucis confirmaui. ✠ Ego *Wulfinus* epiſcopus Dorcaceſtrenſis ratificaui. ✠ Ego *Wulgatus* Abbas Croilandiæ gaudens acceptaui. ✠ Ego *Lefwinus* Abbas Thorneienſis collaudaui. ✠ Ego *Leofricus* Comes cõceſſi. ✠ Ego *Godina* Comitiſſa diu iſtud deſideraui. ✠ Ego *Algarus* Comes conſenſi. ✠ Ego *Turnerus* capellanus domini mei *Wulfini* epiſcopi Dorcaceſtren. pręſens affui. ✠ Ego *Wulnarus* capellanus eiuſdem domini mei *Wulfini* epiſcopi auſcultaui. ✠ Ego *Sutrucus* capellanus dicti domini mei *Wulfini* aſpexi. ✠ Ego *Stanardus* miniſter domini mei Comitis *Leofrici* interfui. ✠ Ego *Falco* monachus Croilandiæ applauſi. ✠ Ego *Pigotus* monachus Thorneienſis conſpexi. ✠ Ego *Liningus* clericus iſtud chirographũ manu mea ſcripſi, & domino meo *Theroldo* Vicecomiti tradidi, prædicto *Wulgato* Abbati Croiland. de manu in manum donandum. Attuli eadem vice mecum de Londoniis in meum monaſterium leges æquiſſimi regis *Edwardi*, quas dominus meus inclytus rex *Wilhelmus* authenticas eſſe, & perpetuas, per totum regnum Angliæ inuiolabiliter tenendas ſub pœnis grauiſſimis proclamarat, & ſuis iuſtitiariis cõmendarat, eodem idiomate, quo editæ ſunt: ne per ignorantiam contingat, nos vel noſtros aliquando in noſtrum graue periculum cõtraire & offendere auſu temerario regiam maieſtatem, ac in eius cenſuras rigidiſſimas improuidum pedem ferre contentas ſæpius in eiſdem, hoc modo.

Videtur hic leges EDWARDI *inſeruiſſe, quæ deſunt.*

APPEN-

APPENDIX INCERTI AVTHORIS AD INGVLPHVM.

TRANSMISIT enim *Ioffridus* Abbas ad manerium ſuum de Cotenham iuxta Cantabrigiam Dominum *Giſlebertum* commonachum ſuum, & ſacræ Theologiæ profeſſorem cum aliis tribus monachis; qui ſecuti eum in Angliam, philoſophicis theorematibus & aliis ſcientiis primitiuis inſtructiſſimi, quotidie Cantabrigiā adeuntes, & conducto quodam horreo publico, ſuas ſcientias palam profitentes, in breui temporis excurſu grandem diſcipulorum numerum cōtraxerunt. Anno vero ſecundo aduentus illorum tantum accreuit diſcipulorum numerus, tam ex tota patria, quam ex oppido, quod quælibet domus maxima, horreum, nec vlla eccleſia ſufficeret eorum receptaculo. Vnde diuerſis in locis à ſe diuiſi, & formā Aurelienſis ſtudii ſecuti, ſummo mane frater *Odo* Grammaticus, & Satyricus illo tempore ſingularis, pueris & iunioribus ſibi aſſignatis legebat Grammaticam iuxta *Priſciani* doctrinam, & *Remigii* in eundem; ad horam vero primam frater *Terricus*, acutiſſimus Sophiſta Logicam *Ariſtotelis* iuxta *Porphyrii* & *Auerrois* Iſagogas & commenta adoleſcentioribus tradebat; ad horam vero tertiam frater *Wilhelmus* Rhetoricam *Tullii Quintilianiq;* flores perorabat. Magiſter vero *Giſlebertus* omnibus Dominicis diebus, & ſanctorum feſtis in diuerſis eccleſiis verbum Dei ad populum prędicans, rudis in Anglicana lingua, ſed expeditus & profundus in Latina, & Gallicana ſua, contra Iudaicum errorem maxime diſputabat. Ferialibus autem diebus literatis ac ſacerdotibus ad eius auditorium ſpecialius confluentibus, ante ſextam horam textum ſacrę paginæ exponebat. Cumq; nonnulli increduli, & adhuc Iudaica perfidia cæcati, ad eius verba in ſinum matris Eccleſiæ relicto penitus ſuo priſtino errore, cōpuncti accurrerent, & fides Chriſtiana indies ſolidior quotidie firmaretur: non modicum cōmodum eorum induſtria monaſterio affluxit, in tantum vt (nihil onerātes manerium, ſed multum meliorantes aliquo dono) centū marcas ad ædificationem ſuæ eccleſiæ tranſmiſſas ac illis partibus comportarent. Maxime ipſo venerabili Abbate *Ioffrido* in partibus illis ſuos filios viſitante, & ſermonem ſuo more ad populum luculentiſſime perſonante, viri & mulieres innumeri de vicinis oppidis concurrebant: qui licet Latine vel Gallice loquentem illum minime intelligerent; tantum intendentes ad illum, virtute verbi Dei, & gratia vultus ſui ad lachrymas multoties compuncti, ad reædificationem eccleſiæ ſuæ nuper concrematæ, quam ſemper in cōcluſione ſermonis ingerebat, innumeras eleemoſynas erogabant. Semper etiam tres vel quatuor finito ſermone ſua veſtigia ſequentes, & nuſquam diuertentes, tam laicos, quam literatos vel ſuo conuentui incorporauit monachandos, vel vicinis monaſteriis Burgi, Thorney, & aliquoties locis remotioribus monachandos vel vicinis monaſteriis cum ſua epiſtola commendauit. Ex iſto itaque fonte paruo, qui creuit in fluuium iam magnum, videmus nunc lætificatam ciuitatem Dei, & totam Angliam factam frugiferam per plurimos magiſtros, doctoreſq; de Cantabrigia exeuntes ad ſimilitudinem ſanctiſſimi paradiſi.

HÆc excerpta ſunt ex hiſtoria Ingulphi *Abbatis Croilandiæ, qui obiit Anno Domini* 1109. *Anno* Henrici *primi nono: in cuius locum ſuffectus eſt iſte* Ioffridus, *Prior monaſterii* S. Ebrulphi *in Normannia, ab* Henrico *primo interceſſione dilecti Seneſcalli ſui* Alani Crown. *Erat autem* Ioffridus *natus Gallus de Marchione* Herberto *ſuper Hildeburgen, & educatus* Aurelii *in monaſterio, vir eruditus. Ad ædificationem eccleſiæ ſuæ Croilandiæ tempore prædeceſſoris ſui* Ingulphi, *viri etiam in omni fere literarum genere verſati, varios in varia loca bonorum eleemoſynas petitum miſit, quoſdam in Scotiam, quoſdam in Hiberniam, Walliam, & Cornubiam, alios in Flandriam, alios vero in Galliam & Daciam, quoſdam vero in Norwegiam miſit, ad* Cotenham *vero manerium ſuum Cantabrigiæ vicinum miſit Dominum* Gisleberrum, *& alios tres monachos, qui eum ſecuti ſunt in Angliam.*

FASTI

FASTI REGVM ET EPI-SCOPORVM ANGLIÆ, VSQVE AD WILLIELMVM SENIOREM.

Ante Chriſt.	Ab vrbe condita.	Conſules.	Imperatores.	
59	695	*C. Iulius Cæſar.* *M. Calpurnius Bibulus.*		Hunc annum *Beda* facit 693. ab vrbe condita, & 6 . ante *Chriſtum.*
58	696	*L. Calpurnius Piſo.* *A. Gabinius.*		*Cæſar* Galliam proconſul obtinet.
57	697	*P. Cornelius Lentulus Spinther.* *Q. Cæcilius Metellus Nepos.*		
56	698	*Cn. Cornelius Lentulus Marcellin⁹.* *L. Martius Philippus.*		
55	699	*Cn. Pompeius Magnus.* *M. Licinius Craſſus.*		*C. Cæſar* hoc anno exigua parte æſtatis reliqua primus omniũ Romanorũ Britanniam cum exercitu, legionibus, ſcil. decima, ſeptimaq; ingreſſus, propinqua die æquinoctii in Galliam cum exercitu rediit, μηδὲν ἐκ τῆς Βρεττανίας, inquit Dio, μήτε ἑαυτῷ μήτε τῇ πόλει προσκτησάμενος, πλὴν τὸ ἐστρατευκέναι ἐπ' αὐτὴν δόξαι.
54	700	*L. Domitius Ahenobarbus.* *Ap. Claudius Pulcher.*		*Craſſus* Syriam pro conſule obtinens bellum Parthis infert. *Cæſar* cum quinque legionibus, equitumq; duobus millibus in Britanniam reuectus, cum ſubeſſet æquinoctium, inſula relicta in Galliam cum omnibus copiis reuertitur. Neque poſtea quicquam in Britannia vſque ad *Claudii* tempora tentatum.
53	701	*Cn. Domitius Caluinus.* *M. Valerius Meſſalla.*		
52	702	*Cn. Pompeius Magnus.* *Q. Cæcilius Metellus.*		
51	703	*Ser. Sulpitius Rufus.* *M. Claudius Marcellus.*		
50	704	*L. AEmilius Paullus.* *C. Claudius Marcellus.*		
49	705	*C. Claudius Marcellus.* *L. Cornelius Lentulus.*		
48	706	*C. Iulius Cæſar II.* *P. Seruilius Iſauricus.*	1 Annus Imperii *Cæſaris*	*Pompeio* ad Pharſalum circa initium Iunii fuſo, *Cæſar* monarchiam obtinet imperii Romani.
47	707	*Q. Fuſius Galenus.* *P. Vatinius.*	2	
46	708	*C. Iulius Cæſar III.* *M. AEmilius Lepidus.*	3	
45	709	*C. Iulius Cæſar IV.* *ſine collega.*	4	
44	710	*C. Iulius Cæſar V.* *M. Antonius Nepos.*	5	*C. Cæſar* idibus Martii in curia *Pompeii* interfectus.

Ante Chriſt.	Ab vrbe condita.	Conſules.	Imperatores.	Anni *Octauiani* ab Actiaca victoria.	
43	711	*C. Vibius Panſa.* *A. Hirtius.*	1		Anni *Octauiani* (qui poſtea appellatus eſt *Auguſtus*) à primo eius conſulatu.
42	712	*L. Munatius Plancus.* *M. Æmilius Lepidus.*	2		
41	713	*L. Antonius Pietas.* *P. Seruilius Iſauricus* II.	3		
40	714	*Cn. Domitius Caluinus* II. *C. Aſinius Pollio.*	4		
39	715	*L. Martius Cenſorius.* *C. Caluiſius Sabinus.*	5		
38	716	*Ap. Claudius Pulcher.* *C. Norbanus Flaccus.*	6		
37	717	*M. Vipſanius Agrippa.* *L. Caninius Gallus.*	7		
36	718	*L. Gellius Poplicola.* *M. Cocceius Nerua.*	8		
35	719	*L. Cornificius.* *Sex. Pompeius.*	9		
34	720	*M. Antonius.* *L. Scribonius Libo.*	10		
33	721	*C. Cæſar Octauianus* II. *L. Volcatius Tullus.*	11		
32	722	*Cn. Domitius Ahenobarbus.* *C. Soſius Nepos.*	12		
31	723	*Cæſar* III. *M. Valerius Meſſalla Coruinus.*	13	1	Deuicto ad Actium *Antonio* Non. Septembr. *Cæſar* remp. ſolus tenuit.
30	724	*Cæſar* IV. *M. Licinius Craſſus.*	14	2	
29	725	*Cæſar* V. *Sex. Apuleius Nepos.*	15	3	
28	726	*Cæſar* VI. *M. Vipſanius Agrippa* II.	6	4	
27	727	*Cæſar* VII. *Agrippa* III.	17	5	*Cæſari* cognomen *Auguſti* additum.
26	728	*Auguſtus* VIII. *L. Statilius Taurus* II.	18	6	
25	729	*Auguſtus* IX. *M. Iunius Silanus.*	19	7	
24	730	*Auguſtus* X. *C. Norbanus Flaccus.*	20	8	
23	731	*Auguſtus* XI. *Cn. Calpurnius Piſo.*	21	9	
22	732	*M. Claudius Marcellus Æſerninus.* *L. Arruntius Nepos.*	22	10	
21	733	*Q. Æmilius Lepidus.* *M. Lollius.*	23	11	
20	734	*M. Apuleius Nepos.* *P. Sillius Nerua.*	24	12	
19	735	*C. Sentius Saturninus.* *Q. Lucretius Viſpillo.*	25	13	

Ante Chriſti.	Ab urbe condita.	Conſules.	Imperatores.		
			Octauiani Auguſti.	Ab Actiaca victoria.	
18	736	P. Cornelius Lentulus Marcellinus. Cn. Cornelius Lentulus.	26	14	
17	737	C. Furnius. C. Iunius Silanus.	27	15	Ludi ſeculares facti.
16	738	L. Domitius Ahenobarbus. P. Cornelius Scipio.	28	16	
15	739	M. Liuius Druſus Libo. L. Calpurnius Piſo.	29	17	
14	740	M. Licinius Craſſus. Cn. Cornelius Lentulus.	30	18	
13	741	Ti. Claudius Nero. P. Quinctilius Varus.	31	19	
12	742	M. Valerius Meſſalla Barbatus. P. Sulpitius Quirinus.	32	20	
11	743	Paulus Fabius Maximus. Q. AElius Tubero.	33	21	
10	744	Iulius Antonius. Q. Fabius Maximus Africanus.	34	22	
9	745	Nero Claudius Druſus Germanicꝰ. T. Quinctius Criſpinus.	35	23	
8	746	C. Marcius Cenſorinus. C. Aſinius Gallus.	36	24	
7	747	Ti. Claudius Nero. Cn. Calpurnius Piſo.	37	25	
6	748	D. Lælius Balbus. C. Antiſtius Vetus.	38	26	
5	749	Auguſtus XII. L. Cornelius Sylla.	39	27	
4	750	C. Caluiſius Sabinus. L. Paſſienus Criſpus.	40	28	
3	751	Cn. Cornelius Lentulus. M. Valerius Meſſallinus.	41	29	
2	752	Auguſtus XIII. M. Plautius Siluanus.	42	30	
1	753	Coſſus Cornelius Lentulus. L. Cornelius Piſo.	43	31	
Anni a Natiuitate Chriſti. 2	754	C. Cæſar Auguſti f. L. AEmilius Paulus.	44	32	
3	755	P. Vinicius Nepos. P. Alfinius Varus.	45	33	
4	756	L. AElius Lamia. M. Seruilius Geminus.	46	34	
5	757	Sex. AElius Catus. C. Sentius Saturninus.	47	35	
6	758	L. Valerius Meſſalla Voluſus. Cn. Cornelius Cinna.	48	36	
7	759	M. AEmilius Lepidus. L. Arruntius Nepos.	49	37	
8	760	A. Licinius Nerua Silianus. Q. Cæcilꝰ Metellus Creticꝰ Silanus.	50	38	

Anni Chriſti.	Ab vrbe condita.	Conſules.	Imperatores.			
9	761	*M. Furius Camillus.* *Sex. Nonius Quinctilianus.*	51	*Octauiani Auguſti.*	39	Ab Actiaca victoria.
10	762	*Cn. Poppæus Sabinus.* *Q. Sulpitius Camerinus.*	52		40	
11	763	*P. Cornelius Dolabella.* *C. Iunius Silanus.*	53		41	
12	764	*M. Æmilius Lepidus.* *T. Statilius Taurus.*	54		42	
13	765	*Ti. Iulius Germanicus Cæſar.* *C. Fonteius Capito.*	55		43	
14	766	*C. Silius Nepos.* *L. Munatius Plancus.*	56		44	
15	767	*Sex. Pompeius Nepos.* *Sex. Apuleius Nepos.*	I. TIBERIVS.	*Auguſtus Nolæ* moritur 14. Kal. Septemb.		
16	768	*Druſus Cæſar.* *C. Norbanus Flaccus.*	2			
17	769	*T. Statilius Siſenna Taurus.* *L. Scribonius Libo.*	3			
18	770	*C. Cælius Rufus.* *L. Pomponius Flaccus.*	4			
19	771	*Ti. Auguſtus* III. *Germanicus Cæſar* II.	5			
20	772	*M. Iunius Silanus.* *L. Norbanus Flaccus Balbus.*	6			
21	773	*M. Valerius Meſſalla.* *M. Aurelius Cotta.*	7			
22	774	*Ti. Auguſtus* IV. *Druſus Cæſar* II.	8			
23	775	*C. Sulpitius Galba.* *D. Haterius Agrippa.*	9			
24	776	*C. Aſinius Pollio.* *C. Antiſtius Vetus.*	10			
25	777	*Ser. Cornelius Cethegus.* *L. Viſelius Varro.*	11			
26	778	*Coſſus Cornelius Lentulus Iſauricus.* *M. Aſinius Agrippa.*	12			
27	779	*Cn. Cornelius Lentulus G[illegible]licus.* *C. Caluiſius Sabinus.*	13			
28	780	*M. Licinius Craſſus.* *L. Calpurnius Piſo.*	14			
29	781	*Ap. Iunius Silanus.* *P. Silius Nerua.*	15			
30	782	*C. Rubellius Geminus.* *C. Fuſius Geminus.*	16			
31	783	*M. Vinicius Quartinus.* *C. Caſsius Longinus.*	17			
32	784	*Ti. Auguſtus* V. *L. Ælius Seianus.*	18			
33	785	*Cn. Domitius Ahenobarbus.* *M. Furius Camillus Scribonianus.*	19			

Anni Chriſti.	Pōtifices Romani.	Ab vrbe condita.	Conſules.	Imperatores.	
34		786	*Ser. Sulpitius Galba.* *L. Cornelius Sylla.*	20	
35		787	*Paulus Fabius Perſicus.* *L. Vitellius Nepos.*	21	
36		788	*C. Caſtius Gallus.* *M. Seruilius Rufus Nonian*⁹.	22	
37		789	*Q. Plautius Lælianus.* *Sex. Papinius Gallienus.*	23	
38		790	*Cn. Acerronius Proculus.* *C. Pontius Nigrinus.*	1. CAIVS.	*Tiberius* moritur XVII. Kal. April.
39		791	*Caius Auguſtus* II. *L. Apronius Caſianus.*	2	
40		792	*M. Aquilius Iulianus.* *P. Noni*⁹ *Aſprenas Torquat*⁹.	3	
41		793	*Caius Auguſtus* III. *ſine collega.*	4	
42		794	*Caius Auguſtus* IV. *Cn. Sentius Saturninus.*	1. CLAVDIVS.	*Caius* IX. Kal. Febr. occiſus.
43		795	*Claudius Auguſtus* II. *C. Licinius Cæcina Largus.*	2	
44	PETRVS apoſtolus I. pōtifex Rom. XV. Kal. Feb.	796	*Claudius Auguſtus* III. *L. Vitellius Nepos* II.	3	*Claudius Auguſtus*, miſſo in Britanniam *A. Plautio*, tranſuectiſq; è Gallia legionibus auxiliiſq;, redegit paulatim in formam prouinciæ primus omniū Romanorum auſtralem inſulæ partem. *Plautius* ſubiugata Ciſtameſina regione *Claudium* ipſum ab vrbe acciuit: qui deuictis hoſtibus capto Camaloduno *Cynobellini* regia quater appellatus Imperator, in Britānia dies tantùm XVI. moratus Romam reuertitur, belli conficiendi cura *Plautio* demādata.
45		797	*C. Quintius Criſpinus.* *T. Statilius Taurus* II.	4	*Claudius* triumphat de Britannis Imperator V. appellatus ex bello Britannico.
46		798	*M. Vinicius Quartinus* II. *M. Statilius Coruinus.*	5	Bello Britānico *Claudius* Imperator VI. VII. VIII. IX. X. appellatus.
47		799	*C. Valerius Aſiaticus* II. *M. Valerius Meſſalla.*	6	*Claudius* ex bello Britannico Imperator XI. appellatus.
48		800	*Claudius Auguſtus* IV. *L. Vitellius Nepos* III.	7	*Claudius* bello Brit. adhuc vigente Imperator XII. XIII. XIV. XV. app.
49		801	*A. Vitellius Nepos.* *L. Vipſanius Poplicola.*	8	*A. Plautius* de Britannis triumphat.
50		802	*C. Pompeius Longius Gallus.* *Q. Veranius.*	9	*P. Oſtorius Scapula* proprætor in Britannia.
51		803	*C. Antiſtius Vetus.* *M. Seruilius Rufus Seruilianus.*	10	*Claudius* ex bello Britānico imperator XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. appellatus re bene geſta à *P. Oſtorio.*
52		804	*Claudius Auguſtus* V. *Ser. Cornel. Scipio Orfitus.*	11	Colonia veteranorū Camalodunum deducitur. *Caractacus Silurum* rex perfidia Cartiſmanduæ Brigantum reginæ vinctus Romanis traditur.
53		805	*P. Cornelius Sylla Fauſtus.* *L. Saluius Otho.*	12	Prælia quædam dubio euentu geſta ab *Oſtorio* cum Siluribus &c.

Anni Chriſti	Põtifices Romani.	Ab vrbe condita.	Conſules.	Impera-tores.	
54		806	*D. Iunius Silanus.* *Q. Haterius Antoninus.*	13	Legionis, cui *Manlius Valens* præerat, aduerſa cum Silurib. pugna.
55		807	*M. Aſinius Marcellus.* *M. Acilius Auiola.*	14	*A. Didius Gallus Auitus* proprætor in Britannia. *Claudius* 3. Idus Octobr. moritur.
56		808	*Nero Auguſtus.* *L. Antiſtius Vetus.*	1. NERO.	*Didius Siluras* comprimit, *Cartiſmanduæ* reginæ contra *Venutiũ* opem fert.
57	LINVS p. 2. viuẽte et anũ *Petro*, pr. Id. Iun.	809	*Q. Voluſius Saturninus.* *P. Cornel. Scipio.*	2	Legio, cui *Caſius Naſica* præerat, vario euentu cum Britãnis pugnat.
58		810	*Nero Auguſtus* II. *L. Calpurnius Piſo.*	3	
59		811	*Nero Auguſtus* III. *M. Valerius Meſſalla.*	4	
60		812	*C. Vipſanius Poplicola Aproniaus.* *C. Fonteius Capito.*	5	*Veranius* proprætor in Britannia. IV. legionib. ſcil. XIV. XX. II. ac IX. res his temporib. in Brit. geſta.
61		813	*Nero Auguſtus* IV. *Coſſus Cornel. Lentulus.*	6	*Suetonius Paulinus* proprętor in Britannia.
62		814	*C. Cæſonius Pætus.* *C. Petron. Sabin' Turpilianus.*	7	Camalodunum à Britannis direptum, incenſumq́; item Londinium & Verulamium, cæſis in iis locis ſeptuaginta ciuium & ſociorũ millib. legio IX. cui præerat *Cerealis*, fuſa. *Catus Decianus* procurator fugit in Galliam: cui ſuccedit *Iulius Claſſicianus*. *Suetonius* incredibili conſtantia prouinciam pęne amiſſam recuperat, cæſis hoſtium 80000.
63		815	*P. Marius Celſus.* *L. Aſinius Gallus.*	8	*Petronius Turpilianus* proprætor in Britannia.
64		816	*L. Memmius Regulus.* *Paulus Virginius Rufus.*	9	
65		817	*C. Lecanius Baſſus.* *M. Licinius Craſſus Frugi.*	10	
66		818	*P. Silius Nerua.* *C. Iulius Atticus Veſtinus.*	11	
67		819	*C. Suetonius Paulinus.* *L. Pontius Teleſinus.*	12	*Trebellius Maximus* proprætor in Britannia.
68	CLEMENS p. I. iii kal. Iulii.	820	*L. Fonteius Capito.* *C. Iulius Rufus.*	13	
69		821	*C. Silius Italicus.* *M. Galeri' Trachal' Turpilian'.*	14	*Nero* IV. Idus Iunii interfectus.
70		822	*Galba Auguſtus* II. *T. Vinius Criſpinus.*	GALBA. OTHO. VITELLIVS.	*Galba* XVII. Kal. Ian. occiſus. *Otho* XII. Kal. Maij occiſus. *Vitellius* IX. Kal. Ian. occiſus. *Vectius Bolanus* proprætor in Brit.
71		823	*Veſpaſianus Auguſtus* II. *T. Flauius Auguſti f.*	1. VESPASIAN.	
72		824	*Veſpaſianus Auguſtus* III. *M. Cocceius Nerua.*	2	

Anni Chriſti.	Põtifices Romani.	Ab vrbe condita.	Conſules.	Imperatores.	
73		825	*Veſpaſianus Auguſtus* IV. *T. Flauius Auguſti f.* II.	3	*Petilius Cerealis* proprætor in Britannia.
74		826	*Valerius Domitianus.* *Meſſalinus.*	4	
75		827	*Veſpaſianus Auguſtus V.* *T. Flauius Aug. filius* III.	5	
76		828	*Veſpaſianus Aug.* VI. *T. Flauius Auguſti f.* IV.	6	*Iulius Frontinus* proprætor in Britannia.
77	CLETVS p. 2. ix. Kal. Dec	829	*Veſpaſianus Aug.* VII. *T. Flauius Auguſti f.* V.	7	
78		830	*Veſpaſianus Aug.* VIII. *T. Flauius Auguſti f.* VI.	8	
79		831	*L. Ceionius Commodus Verus.* *P. Cornelius Priſcus.*	9	*Cn. Iulius Agricola* proprætor in Britannia.
80		832	*Veſpaſianus Aug.* IX. *T. Flauius Auguſti f.* VII.	10	VIII. Kal. Iulii moritur *Veſpaſianus.*
81		833	*Titus Auguſtus* VIII. *T. Flauius Domitianus* VII.	1. TITVS.	
82		834	*M. Plautius Siluanus.* *M. Annius Verus Pollio.*	2	Idibus Septemb. moritur *Titus.*
83		835	*Domitianus Auguſtus* VIII. *T. Flauius Sabinus.*	1. DOMITIAN'.	
84	I TVS. p. 5 4 Nõ Mai	836	*Domitianus Aug.* IX. *T. Virginius Rufus.*	2	
85		837	*Domitianus Aug.* X. *Ap. Iunius Sabinus.*	3	
86		838	*Domitianus Aug.* XI. *T. Aurelius Fuluus.*	4	Britannia nunc primũ penitus ſubiugata ductu *Agricolæ*, auſpiciis *Domitiani*
87		839	*Domitianus Aug.* XII. *Ser. Cornelius Dolabella.*	5	
88		840	*Domitianus Aug.* XIII. *A. Voluſius Saturninus.*	6	
89		841	*Domitianus Aug.* XIV. *L. Minutius Rufus.*	7	
90		842	*T. Aurelius Fuluus.* *A. Sempronius Atratinus.*	8	
91		843	*Domitianus Aug.* XV. *M. Cocceius Nerua* II.	9	
92		844	*M. Vlpius Traianus.* *M. Acilius Glabrio.*	10	
93		845	*Domitianus Aug.* XVI. *A. Voluſius Saturninus* II.	11	
94		846	*Pompeius Collega.* *Cornelius Priſcus.*	12	
95		847	*L. Nonius Aſprenas Torquatus.* *M. Aricinius Clemens.*	13	
96	EVARISTVS p 6 6 kal Aug	848	*Domitianus Aug.* XVII. *T. Flauius Clemens.*	14	
97		849	*C. Fuluius Valens.* *C. Antiſtius Vetus.*	15	XIV. Kal. Octob. *Domitian'* inſidiis ſuorum occiſus.

Anni Chriſti	Pótifices Romani.	Ab vrbe condita.	Conſules.	Imperatores.	
98		850	*Nerua Auguſtus* III. *T. Virginius Rufus.*	I. NERVA.	
99		851	*Nerua Auguſtus* IV. *Nerua Traianus Aug. f.* II.	I. TRAIANVS.	VI. Kal. Feb. *Nerua* mortuus eſt.
100		852	*C. Soſius Senecio.* *A. Cornelius Palma.*	2	
101		853	*Traianus Auguſtus* III. *M. Cornelius Fronto* III.	3	
102		854	*Traianus Auguſtus* IIII. *Sex. Articuleius Patus.*	4	Bellum Dacicum.
103		855	*C. Soſius Senecio* III. *L. Licinius Sura* II.	5	
104		856	*Traianus Auguſtus* V. *L. Appius Maximus* II.	6	
105		857	*Suranus* II. *P. Neratius Marcellus.*	7	
106		858	*Ti. Iulius Candidus* II. *A. Iulius Quadratus.*	8	
107		859	*L. Ceionius Commodus Verus.* *L. Tutius Cerealis.*	9	
108		860	*C. Soſius Senecio* IV. *P. Licinius Sura* III.	10	
109	ALEXANDER p. 7. 17. kal. Dec.	861	*Ap. Annius Trebonius Gallus.* *M. Attilius Metilius Bradua.*	11	
110		862	*A. Cornelius Palma* II. *C. Calviſius Tullus.*	12	
111		863	*Clodius Criſpinus.* *Solenus Orfitus.*	13	
112		864	*L. Calphurnius Piſo.* *Vettius Ruſticus Bolanus.*	14	
113		865	*Traianus Auguſtus* VI. *C. Iulius Africanus* II.	15	
114		866	*L. Publilius Celſus* II. *C. Clodius Criſpinus.*	16	
115		867	*Q. Ninnius Haſta.* *P. Manilius Vopiſcus.*	17	
116		868	*M. Valerius Meſſalla.* *C. Popilius Carus Pedo.*	18	
117	XYSTVS p. 8. IV. Kal. Iunii.	869	*L. AEmilius AElianus.* *L. Antiſtius Vetus.*	19	
118		870	*Quintius Niger.* *T. Vipſanius Apronianus.*	20	3. Idus Auguſti moritur *Traianus.*
119		871	*Hadrianus Aug.* II. *Ti. Claudius Fuſcus Salinator.*	I. HADRIAN.	
120		872	*Hadrianus Auguſtus* III. *Q. Iunius Ruſticus.*	2	
121		873	*L. Catilius Seuerus.* *T. Aurelius Fuluus.*	3	
122		874	*M. Annius Verus* II. *Augur.*	4	

Anni Chriſti	Pōtifices Romani.	Ab vrbe condita.	Conſules.	Imperatores.	
123		875	*M. Acilius Auiola.* *C. Corellius Panſa.*	5	
124		876	*Q. Arrius Patinus.* *C. Ventidius Apronianus.*	6	
125		877	*M. Acilius Glabrio.* *C. Bellicius Torquatus.*	7	
126		878	*P. Cornelius Aſiaticus* II. *Q. Vettius Aquilinus.*	8	
127	TELESPHOR⁹ p 20 v Id Ap	879	*Veſpronius Candidus Verus.* *Ambiguus Bibulus.*	9	
128		880	*Gallicanus.* *Calius Titianus.*	10	
129		881	*L. Nonius Aſprenas Torquatus.* *M. Annius Libo.*	11	
130		882	*P. Iuuentius Celſus* II. *Q. Iulius Balbus.*	12	
131		883	*Q. Fabius Catullinus.* *M. Flauius Aper.*	13	
132		884	*Ser. Octauius Lænas Pontianus.* *M. Antonius Rufinus.*	14	
133		885	*Sentius Augurinus.* *Arrius Seuerianus* II.	15	
134		886	*Hiberus.* *Iunius Silanus Siſenna.*	16	
135		887	*C. Iulius Seruilius Vrſus Seruianus* III. *C. Vibius Iuuentius Verus.*	17	
136		888	*Pompeianus Lupercus.* *L. Iulius Atticus Acilianus.*	18	
137		889	*L. Cetonius Commodus Verus.* *Sex. Vetulenus Ciuica Pompeianus.*	19	
138	HYGIN⁹ p 10. Id Ian	890	*L. AElius Verus Cæſar* II. *P. Cælius Balbinus Vibullius Pius.*	20	
139		891	*Sulpitius Camerinus.* *Quinctius Niger Magnus.*	21	VI. Id. Iulii moritur *Hadrianus.*
140		892	*Antoninus Auguſtus* II. *Bruttius Præſens.*	1 ANTONINVS Pius.	*M. Annius Aurelius Ver⁹* & *L. Aeli⁹ Verus* adoptantur ab *Antonino Aug.*
141		893	*Antoninus Auguſtus* III. *M. Aurelius Verus Auguſti f.*	2	
142	PIVS p 11 xiix. Kal. Feb.	894	*M. Peducæus Syloga Priſcinus.* *T. Hoenius Seuerus.*	3	
143		895	*L. Cuſpius Rufinus.* *L. Statius Quadratus.*	4	
144		896	*C. Bellicius Torquatus.* *Ti. Claudius Atticus Herodes.*	5	
145		897	*Lollianus Auitus.* *C. Gauius Maximus.*	6	
146		898	*Antoninus Auguſtus* IIII. *M. Aurelius Verus Auguſti f.* II.	7	
147		899	*Sex. Erucius Clarus* II. *Cn. Claudius Seuerus.*	8	

Anni Chriſt.	Pōtifices Romani.	Ab vrbe condita.	Conſules.	Imperatores.	
143		900	*M. Valerius Largus.* *M. Valerius Meſſalinus.*	9	*Marcus Fauſtinam Pij* filiam ducit.
149		901	*C. Bellicius Torquatus* II. *M. Saluius Iulianus* II.	10	
150		9.2	*Ser. Cornelius Scipio Orfitus.* *Q. Nonius Priſcus.*	11	
151		903	*Romulus Gallicanus.* *Antiſtius Vetus.*	12	
152		904	*Sex. Quintilius Gordianus.* al. *Condianus.* *Sex. Quintilius Maximus.*	13	
153	ANICET' p. 11. 8. kal Aug.	905	*Sex. Acilius Glabrio.* *C. Valerius Omollus Verianus.*	14	
154		906	*Bruttius Præſens* II. *Antonius Rufinus.*	15	
155		9:7	*L. AElius Verus Auguſti f.* *Sextilius Lateranus.*	16	
156		908	*C. Iulius Seuerus.* *M. Rufinus Sabinianus.*	17	
157		909	*Plautius Siluanus.* *Sentius Augurinus.*	18	
158		910	*Barbatus.* *Regulus.*	19	
159		911	*Q. Flauius Tertullus.* *Licinius Sacerdos.*	20	
160		912	*Plautius Quintillus.* *Statius Priſcus.*	21	
161		913	*Ap Annius Bradua.* *T. Vibius Barus.*	22	
162		914	*M. Aurelius Verus Auguſti f.* III. *L. AElius Verus Auguſti f.* II.	1 MARC' & LVCIVS	Non. Martii moritur *Antoninus Pius.*
163	SOTER p. 11. 1 Non Mai	915	*Q. Iunius Ruſticus.* *Vettius Aquiünus.*	2	
164		916	*L. Papirius AElianus.* *Iunius Paſtor.*	3	
165		917	*C. Iulius Macrinus.* *L. Cornelius Celſus.*	4	
166		918	*Seruilius Pudens* *L. Cornelius Scipio Orfitus.*	5	
167		919	*Seruilius Pudens* II. *T. Vitraſius Pollio.*	6	Bellum Marcomannicum.
168		920	*L. Aurelius Verus Auguſtus* III. *T. Numidius Quadratus.*	7	
169		921	*T. Iunius Montanus.* *L. Vettius Paulus.*	8	
170		922	*Soſius Priſcus.* *Q. Calius Apollinaris.*	9	*Lucius Auguſtus* moritur.
171	ELEVTHERIVS p. 14 pr. Id. Maii	923	*M. Aurelius Seuerus Cethegus.* *L. Iunius Clarus.*	10	
172		924	*L. Septimius Seuerus* II. *Herennianus.*	11	

Anni Chriſt.	Pōtifices Romani.	Ab vrbe condita.	Conſules.	Impera-tores.	
173		925	*Claudius Maximus.* *Cornelius Scipio Orfitus.*	12	Circa hæc tempora, *Lucius* Britannorū rex, (vt eum appellat *Beda*) Eleutherii Pontificis opera vna cū vniuerſa Britonum gente fidem Chriſtianam ſuſcepit.
174		926	*Cn. Claudius Seuerus* II. *M. Aurelius Claudius Pompeianus.*	13	
175		927	*Ap. Annius Trebonius Gallus.* *Flaccus.*	14	
176		928	*Calpurnius Piſo.* *M. Saluius Iulianus.*	15	
177		929	*T. Vitraſius Pollio* II. *M. Flauius Aper.* II.	61	
178		930	*L. Aurelius Commodus Auguſti f.* *Plautius Quinctillus.*	17	
179		931	*Vettius Rufus.* *Cornelius Scipio Orfitus.*	[illegible]	
180		932	*L. Aurelius Commodus Auguſti f.* II. *Veſpronius Candidus Verus.*	19	
181		933	*Bruttius Praſens* II. *Sex. Quinctilius Gordianus.*	I COMMOD°.	x v i. Kal. April. *Marcus* moritur.
182		934	*Commodus Auguſtus* III. *Antiſtius Burrus.*	2	
183		935	*Petronius Mamertinus.* *M. Trebellius Rufus.*	3	
184		936	*Commodus Auguſtus* IV. *M. Aufidius Victorinus.*	4	
185		937	*M. Eggius Marullus.* *N. Papirius Ælianus.*	5	
186	VICTOR p. 15. kal. Iun.	938	*Triarius Maternus.* *M. Atilius Metilius Bradua.*	6	
187		939	*Commodus Auguſtus* V. *M. Acilius Glabrio.*	7	
188		940	*Tullius Criſpinus.* *Papirius Ælianus.*	8	
189		941	*C. Allius Fuſcianus.* *Dullius Silanus.*	9	
190		942	*Iunius Silanus.* *Seruilius Silanus.*	10	
191		943	*Commodus Auguſtus* VI. *Petronius Septimianus.*	11	
192		944	*Caſſius Apronianus.* *M. Atilius Metilius Bradua* II.	12	
193		945	*Commodus Auguſtus* VII. *P. Heluius Pertinax* II.	13	Pr. Kal. Ian. *Commodus* occiſus eſt.
194		946	*Q. Soſius Falco.* *C. Iulius Fructus Clarus.*	PERTINAX IVLIANVS I SEVERVS	*Pertinax* v. kal. Apr. occiſus. *Iulianus* kal. Iunii occiſus.
195		947	*Seuerus Auguſtus* II. *D. Clodius Albinus* II.	2	
196		948	*Q. Flauius Tertullus.* *T. Flauius Clemens.*	3	
197		949	*C. Domitius Dexter* II. *L. Valeri⁹ Meſſalla Thraſius Priſcus.*	4	

Anni Chriſti.	Pötifices Romani.	Ab vrbe condita.	Conſules.	Imperatores.	
198		950	*Ap. Claudius Lateranus.* *M. Marius Titius Rufinus.*	5	
199		951	*Ti. Aterius Saturninus.* *C. Annius Trebonius Gallus.*	6	
200		952	*P. Cornelius Anullinus.* *M. Aufidius Fronto.*	7	
201		953	*Ti. Claudius Seuerus.* *C. Aufidius Victorinus.*	8	
202		954	*L. Annius Fabianus.* *M. Nonius Mucianus.*	9	
203		955	*Seuerus Auguſtus* III. *Antoninus Auguſti f.*	10	
204		956	*P. Septimius Geta.* *L. Septimius Plautianus* II.	11	
205		957	*L. Fabius Cilo.* *M. Annius Libo.*	12	
206		958	*Antoninus, Auguſti f.* II. *Geta Auguſti f.*	13	
207		959	*M. Nummius Albinus.* *Fuluius AEmilianus.*	14	
208		960	*M. Flauius Aper.* *Q. Allius Maximus.*	15	
209		961	*Antoninus Auguſti f.* III. *Geta Auguſti f.* II.	16	
210		962	*M. Claudius Pompeianus.* *Lollianus Auitus.*	17	
211		963	*M. Acilius Fauſtinus.* *C. Cæſonius Macer Rufinianus.*	18	
212		964	*Q. Epidius Rufus Gentianus.* *Pomponius Baſſus.*	I ANTONINVS Caracalla	*Seuerus* pr. Idus Ian. Eboraci moritur.
213		965	*M. Pompeius Aſper.* *Aſper.*	2	
214		966	*Antoninus Auguſtus* IIII. *P. Cælius Balbinus* II.	3	
215		967	*Silius Meſſalla.* *Q. Aquillius Sabinus.*	4	
216		968	*AEmilius Lætus* II. *Anicius Cerealis.*	5	
217		969	*Q. Aquilius Sabinus* II. *Sex. Cornelius Anullinus.*	6	
218	CALLISTVS. p. 17. v N.[illegible] Septemb	970	*Bruttius Præſens.* *Extricatus.*	I MACRINVS.	VI. Idus April. *Caracalla* interfectus.
219		971	*Diadumenianus Auguſti f.* *Aduentus.*	I ALAGABALVS	*Macrinus* VII. Idus Iun. victus & imperio ſpoliatus.
220		972	*Antoninus Alagabalus Auguſtus* II. *Licinius Sacerdos.*	2	
221		973	*Antoninus Alagabalus Auguſtus* III. *Aurelius Eutichianus Comazon* II.	3	
222		974	*Gratus.* *Claudius Seleucus.*	4	

Anni Chriſti.	Põtifices Romani.	Ab vrbe condita.	Conſules.	Impera-tores.	
223	VRBAN° p 18. xvii. Kal Nou.	975	*Antoninus Alagabalus Auguſt.*IV. *M. Aurel. Seuerus Alexan. Caſar.*	ALEXANDER Se-L. uerus.	*Alagabalus* VI. Idus Mart. occiſus.
224		976	*Maximus.* *Papirius AElianus.*	2	
225		977	*Claudius Iulianus.* *Clodius Criſpinus.*	3	
226		978	*L. Turpilius Dexter.* *M. Macius Rufus.*	4	
227		979	*Alexander Auguſtus* II. *C. Quinctilius Marcellus.*	5	
228		980	*D. Cœlius Balbinus* II. *M. Clodius Pupienus Maximus.*	6	
229		981	*Vettius Modeſtus.* *Probus.*	7	
230		982	*Alexander Auguſtus* III. *Caſſius Dio* II.	8	
231	PONTIANVS p 19 14 kal. Iul.	983	*Calpurnius Agricola.* *Clementinus.*	9	
232		984	*M. Aurelius Claudius Pompeianus.* *Felicianus.*	10	
233		985	*Iulius Lupus.* *Maximus.*	11	
234		986	*Maximus* II. *Ouinius Paternus.*	12	
235		987	*Maximus.* *Vrbanus.*	13	
236	ANTER° p 10. 11. kal. Dec.	988	*L. Catilius Seuerus.* *L. Ragonius Vrinatius Quinctian°*	I. MAXIMINVS	*Alexander* XVI. Kal. April. occiſus.
237	FABIAN° p. 2. IV Id. Ian.	989	*Maximinus Auguſtus.* *C. Iulius Africanus.*	2	
238		990	*P. Titius Perpetuus.* *L. Ouinius Ruſticus Cornelianus.*	GORDIANI duo. MAXIM° & Balbin°	
239		991	*M. Vlpius Crinitus.* *Proculus Pontianus.*	I. GORDIAN° Iunior.	
240		992	*Gordianus Auguſtus.* *M. Acilius Auiola.*	2	
241		993	*Vettius Sabinus.* *Venuſtus.*	3	
242		994	*Gordianus Auguſtus* II. *M. Aurel. Claudius Pompeianus.*	4	
243		995	*C. Aufidius Atticus.* *C. Aſinius Prætextatus.*	5	
244		996	*C. Iulius Arrianus.* *AEmilius Papus.*	6	
245		997	*Peregrinus.* *Fuluius AEmilianus.*	I. PHILIPPVS	*Gordianus* menſe Martii occiſus.
246		998	*Philippus Auguſtus.* *T. Fabius Titianus.*	2	
247		999	*Brutius Praſens.* *Nummius Albinus.*	3	

b

Anni Chriſti.	Pontifices Romani.	Ab vrbe condita.	Conſules.	Imperatores.	
248		1000	*Philippus Auguſtus* II. *Philippus Auguſti f.*	4	
249		1001	*Philippus Auguſtus* III. *Philippus Auguſti f.* II.	5	
250		1002	*Fuluius Æmilianus.* *Vettius Aquilinus.*	1 DECIVS.	*Philippus* occiſus.
251	CORNELIVS p. 22 Nouatianus in ſchiſmate.	1003	*Decius Auguſtus* II. *Annius Gratus.*	2	
252		1004	*Decius Auguſtus* III. *Decius Auguſti f.*	1. GALLVS & VOLVSIANVS.	*Decius* cæſus.
253	LVCIVS p. 23. XII. kal. Dec.	1005	*Gallus Auguſtus* II. *Voluſianus Auguſtus.*	2	
254		1006	*Voluſianus Auguſtus* II. *M. Valerius Maximus.*	1. ÆMILIAN⁹. VALERIAN⁹.	
255	STEPHAN⁹ p. 24. V. Id. Apr.	1007	*Valerianus Auguſtus* II. *Gallienus Auguſti f.*	2	
256		1008	*Valerianus Auguſtus* III. *Gallienus Auguſti f.*	3	
257	XYSTVS II. p. 25.	1009	*M. Valerius Maximus* II. *M. Acilius Glabrio.*	4	
258		1010	*Valerianus Auguſtus* IV. *Gallienus Auguſti f.* III.	5	
259		1011	*M. Aurelius Memmius Fuſcus.* *Pomponius Baſſus.*	6	
260	DIONYSI⁹. p. 26. XI. Kal. Aug.	1012	*Fuluius Æmilianus.* *Pomponius Baſſus* II.	7	
261		1013	*Cornelius Secularis* II. *Iunius Donatus.*	1. GALLIENVS.	*Valerianus* à Perſis captus.
262		1014	*Gallienus Auguſtus* IV. *Petronius Voluſianus.*	2	
263		1015	*Gallienus Auguſtus* V. *Ap. Pompeius Fauſtinus.*	3	
264		1016	*Nummius Ceionius Albinus.* *Maximus Dexter.*	4	
265		1017	*Gallienus Auguſtus* VI. *Amulius Saturninus.*	5	
266		1018	*P. Aurelius Valerianus Aug. fr.* II. *L. Cæſoni⁹ Macer Lucillus Rufinian.*	6	
267		1019	*Gallienus Auguſtus* VII. *Sabinillus.*	7	
268		1020	*Ouinius Paternus.* *Arceſilaus.*	8	
269		1021	*Ouinius Paternus* II. *Marinianus.*	1. CLAVDIVS.	*Gallienus* occiſus.
270		1022	*Claudius Auguſtus* II. *Ouinius Paternus.*	2	
271	FELIX p. 27. Kal. Ian.	1023	*Flauius Antiochianus.* *Furius Orfitus.*	1. AVRELIVS QVINTILL. AVRELIANVS	*Claudius* prid. Non. Febr. moritur.
272		1024	*Aurelianus.* *Pomponius Baſſus.*	2	

Anni Chriſti.	Põtifices Romani.	Ab vrbe condita.	Conſules.	Imperatores.	
273		1025	*Quietus.* *Voldumianus.*	3	
274		1026	*M. Claudius Tacitus.* *Placidus.*	4	
275	EVTYCHIANVS. p. 16.	1027	*Aurelianus Auguſtus* II. *C. Iulius Capitolinus.*	5	
276		1028	*Aurelianus Auguſtus* III. *T. Auonius Marcellinus.*	1. TACITVS.	*Aurelianus* IV. Kal. Febr. occiſus.
277		1029	*Tacitus Auguſtus* II. *Fuluius Æmilianus.*	1. FLORIANVS. PROBVS.	
278		1030	*Probus Auguſtus* II. *Furius Lupus.*	2	
279		1031	*Probus Auguſtus* III. *Ouinius Paternus.*	3	
280		1032	*Iunius Meſſalla.* *Gratus.*	4	
281		1033	*Probus Auguſtus* IV. *C. Iunius Tiberianus.*	5	
282		1034	*Probus Auguſtus* V. *Pomponius Victorinus.*	CARVS.	*Probus* Sirmii occiſus.
283	CAIVS. p 29. XVI. Kal. Ian.	1035	*Carus Auguſtus* II. *Carinus Auguſti f.*	CARIN' & NVMERIANVS	
284		1036	*Carinus Auguſtus* II. *Numerianus Auguſtus.*	1. DIOCLETIANVS.	
285		1037	*Diocletianus Auguſtus* II. *Ariſtobulus.*	2	*Dioclet. Maximianum* commilitonem olim ſuum *Cæſarem* creat.
286		1038	*M. Iunius Maximus.* *Vettius Aquilinus.*	3	*Maximianus Herculius* ex *Cæſare Aug.* creatur.
287		1039	*Diocletianus Auguſtus* III. *Maximianus Auguſtus* II.	4	*Carauſius* purpurã ſumit, & Britannias occupat.
288		1040	*M. Aurelius Maximus* II. *Pomponius Iannarius.*	5	
289		1041	*Annius Baſſus* II. *L. Ragonius Quinctianus.*	6	
290		1042	*Diocletianus Auguſtus* IV. *Maximianus Auguſtus* III.	7	
291		1043	*C. Iunius Tiberianus* II. *Caßius Dio.*	8	*Conſtantius Chlorus & Galerius Maximianus Cæſares* creati.
292		1044	*Afranius Hannibalianus.* *M. Aurel. Aſclepiodotus.*	9	
293		1045	*Diocletianus Auguſtus* V. *Maximianus Auguſtus* IV.	10	*Carauſio* interfecto, *Allectus* Britanniam tenet.
294		1046	*Conſtantius Cæſar.* *Galerius Maximianus Cæſar.*	11	
295		1047	*Numius Tuſcus.* *Annius Cornel. Anullinus.*	12	
296	MARCELLIN'. p. 30. K. Iul.	1048	*Diocletianus Auguſtus* VI. *Conſtantius Cæſar* II.	13	*Allectus* ab Aſclepiodoto præfecto prætorii oppreſſus.
297		1049	*Maximianus Auguſtus* V. *Galerius Maximianus Cæſar* II.	14	

Indict.	Anni Chriſti.	Pótifices Romani.	Ab vrbe condita.	Conſules.	Imperatores.
	298		1050	*Anicius Fauſtus* II. *Gallus.*	15
	299		1051	*Diocletianus Auguſtus* VII. *Maximianus Auguſtus* VI.	16
	300		1052	*Conſtantius Cæſar* III. *Galerius Maximianus Cæſar* III.	17
	301		1053	*Poſthumius Titianus* II. *Fl. Popillius Nepotianus.*	18
	302		1054	*Conſtantius Cæſar* IIII. *Galerius Maximianus Cæſar* IIII.	19
	303		1055	*Diocletianus Auguſtus* VIII. *Maximianus Cæſar* VII.	20
	304	MARCELLVS. p. 11	1056	*Diocletianus Auguſtus* IX. *Maximianus Auguſtus* VIII.	1. CONSTANTIVS. GALERIVS Maximianus.
	305		1057	*Conſtantius Auguſtus* V. *Galerius Maximianus Auguſtus* V.	2
	306		1058	*Conſtantius Auguſtus* VI. *Galerius Maximianus Auguſtus* VI.	3
	307		1059	*Conſtantius Auguſtus.* *Maximianus Herculius quondã Auguſtus.*	1. CONSTANTINVS Magnus.
	308		1060	*Galerius Maximianus Auguſtus* VII. *Diocletianus quondam Auguſtus* X.	2
	309		1061	*Poſt conſulatum Maximiniani* VII. *& Diocletiani* X.	3
	310	EVSEBIVS p. 32	1062	*II. Poſt conſulatum Maximiani* VII. *& Diocletiani* X.	4
Indictionum principium.	311	MILTIADES. p. 11	1063	*Galerius Maximianus Auguſtus* VIII. *Licinius Auguſtus.*	5
	312		1064	*Conſtantinus Auguſtus* II. *Licinius Auguſtus* II.	6
1. Indictio.	313		1065	*Conſtantinus Auguſtus* III. *Licinius Auguſtus* III.	7
2	314	SILVESTER. p. 14	1066	*C. Ceionius Rufius Voluſianus.* *Annianus.*	8
3	315		1067	*Conſtantinus Auguſtus* IV. *Licinius Auguſtus* IV.	9
4	316		1068	*Fl. Rufius Ceionius Cæcinna Sabinus.* *Q. Aradius Rufinus Valer. Proculus.*	10
5	317		1069	*Poſt conſulatum* { *Sabini.* *Proculi.*	11
6	318		1070	*Licinius Auguſtus* V. *Criſpus Cæſar.*	12
7	319		1071	*Conſtantinus Auguſtus* V. *Licinius Cæſar.*	13
8	320		1072	*Conſtantinus Auguſtus* VI. *Conſtantinus Cæſar.*	14
9	321		1073	*Criſpus Cæſar* II. *Conſtantinus Cæſar* II.	15
10	322		1074	*Fl. Petronius Probianus.* *Anicius Iulianus.*	16

Indict.	Anni Chriſti.	Pōtifices Romani.	Ab vrbe condita.	Conſules.	Imperatores.	
11	323		1075	*Acilius Seuerus.* *Fl. Iunius Ruſinus.*	17	
12	324		1076	*Criſpus Caſar* III. *Conſtantinus Caſar* III.	18	
13	325	Concliū Nicęnū.	1077	*Paulinus.* *Iulianus.*	19	
14	326		1078	*Conſtantinus Auguſtus* VII. *Conſtantius Caſar.*	20	
15	327		1079	*Valerius Conſtantinus.* *Valerius Maximus.*	21	
1. Indi-ctio.	328		1080	*Fl. Magnus Ianuarius.* *Fabius Iuſtus.*	22	
2	329		1081	*Conſtantinus Auguſtus* VIII. *Conſtantinus Caſar* IV.	23	
3	330		1082	*Ouinius Gallicanus.* *L. Aurelius Symmachus.*	24	
4	331		1083	*Annius Baſſus.* *Ablabius.*	25	
5	332		1084	*Ouinius Pacatianus.* *Mæcilius Hilarianus.*	26	
6	333		1085	*Fl. Valerius Delmatius.* *M. Aurelius Xenophilus.*	27	
7	334		1086	*L. Ranius Acontius Optatus.* *Anicius Paulinus.*	28	
8	335		1087	*Fl. Valerius Conſtantius.* *C. Ceionius Albinus.*	29	
9	336	MARCVS p. 15. IVLIVS. p. 36.	1088	*Fl. Popillius Nepotianus.* *Facundus.*	30	
10	337		1089	*T. Fabius Titianus.* *Felicianus.*	1. CONSTANTI⁹. CONSTANS. CONSTANTINVS.	*Conſtantinus* moritur XI. kal. Iun. ipſo Pentecoſtes die.
11	338		1090 Poſt hæc tempora anni vrbis conditæ fere in vſu eſſe deſierunt.	*Vrſus.* *Polemius.*	2	
12	339			*Conſtantius Auguſtus* II. *Conſtans Auguſtus.*	3	
13	340			*Acyndinus.* *Proculus.*	4	
14	341			*Marcellinus.* *Probinus.*	5	
15	342			*Conſtantius Auguſtus* III. *Conſtans Auguſtus* II.	6	
1. Indi-ctio.	343			*Placidus.* *Romulus.*	7	
2	344			*Leontius.* *Salluſtius.*	8	
3	345			*Amantius.* *Albinus.*	9	
4	346			*Conſtantius Auguſtus* IV. *Conſtans Auguſtus* III.	10	
5	347			*Ruſinus.* *Euſebius.*	11	

Indict.	Pōtifices Romani.	Anni Chriſti.	Conſules.	Imperatores. Orient.	Occident.	
6		348	*Philippus.* *Salleas.*	12		
7		349	*Limenius.* *Catullinus.*	13		
8		350	*Sergius.* *Nigrinianus.*	14		
9		351	*Magnentius.* *Gaiſo.*	15		
10		352	*Conſtantius Auguſtus* V. *Gallus Cæſar.*	16		
11	LIBERIUS p. 37. VIII. Id. Maii.	353	*Conſtantius Auguſtus* VI. *Gallus Cæſar* II.	17		
12		354	*Conſtantius Auguſtus* VII. *Gallus Cæſar* III.	18		
13	*Felix II* in ſchiſmate.	355	*Arbetio.* *Lollianus.*	19		
14		356	*Conſtantius Auguſtus* VIII. *Iulianus Cæſar.*	20		
15		357	*Conſtantius Auguſtus* IX. *Iulianus Cæſar* II.	21		
1. Indictio.		358	*Titianus.* *Cerealis.*	22		
2		359	*Euſebius.* *Hypatius.*	23		
3		360	*Conſtantius Auguſtus* X. *Iulianus Cæſar* III.	24		
4		361	*Taurus.* *Florentius.*	25		
5		362	*Mamertinus.* *Nevitta.*	1. IVLIANVS.		
6		363	*Iulianus Auguſtus* IV. *Saluſtius.*	2		
7		364	*Iouianus Auguſtus.* *Varronianus Auguſti f.*	IOVIANUS 1. VALENS	1. VALENTINIANVS.	
8		365	*Valentinianus Auguſtus.* *Valens Auguſtus.*	2	2	
9	DAMASUS p. 18. *Vrſicinus* in ſchiſm.	366	*Gratianus Valentiniani Auguſti f.* *Dagalaiphus.*	3	3	
10		367	*Lupicinus.* *Iouinus.*	4	4	
11		368	*Valentinianus Auguſtus II.* *Valens Auguſtus* II.	5	5	
12		369	*Sex. Aurel. Victor.* *Iulius Fœlix Valentinianus.*	6	6	
13		370	*Valentinianus Auguſtus* III. *Valens Auguſtus* III.	7	7	
14		371	*Gratianus Auguſtus* II. *Probus.*	8	8	
15		372	*Modeſtus.* *Arintheus.*	9	9	

Indict.	Pótifices Romani.	Anni Chriſti.	Conſules.	Imperatores. Orient.	Occident.	
1. Indictio.		373	*Valentinianus Auguſtus* IV. *Valens Auguſtus* IV.	10	10	
2		374	*Gratianus Auguſtus* III. *Equitius.*	11	11	
3		375	*Poſt conſulatum* { *Gratiani.* *Equitii.*	12	12	
4		376	*Valens Auguſtus* V. *Valentinianus Iunior Auguſtus.*	13	1. GRATIAN'	
5		377	*Gratianus Auguſtus* IV. *Merobaudes.*	14	2	
6		378	*Valens Auguſtus* VI. *Valentinianus Iunior Auguſtus* II.	15	3	
7		379	*Auſonius.* *Olybrius.*	1. THEODOSI'	4	
8		380	*Gratianus Auguſtus* V. *Theodoſius Auguſtus.*	2	5	
9	Conciliũ Cõſtantinopolitan.	381	*Syagrius.* *Eucherius.*	3	6	*Maximus* in Britan. creatus imperat.
10		382	*Antonius.* *Syagrius* II.	4	7	
11		383	*Merobaudes* II. *Saturninus.*	5	8	
12	SIRICIVS p39. IV. Kal. Ian.	384	*Clearchus.* *Ricimer.*	6	1. VALENTINIANVS II.	
13		385	*Arcadius Auguſti f.* *Bauto.*	7	2	
14		386	*Honorius Auguſti filius.* *Euodius.*	8	3	
15		387	*Valentinianus Iunior Auguſt.* III. *Eutropius.*	9	4	
1. Indictio.		388	*Theodoſius Auguſtus* II. *Cynegius.*	10	5	*Maximus* a *Theodoſio* & *Valentiniano* cæſus Aquileiæ.
2		389	*Timaſius.* *Promotus.*	11	6	
3		390	*Valentinianus Iunior Aug.* IV. *Neoterius.*	12	7	
4		391	*L. Aurelius Auianius Symmachus.* *Ti. Fabius Titianus.*	13	8	
5		392	*Arcadius Auguſti f.* II. *Rufinus.*	14	1. EVGENIVS tyrannus.	
6		393	*Theodoſius Auguſtus* III. *Habundantius.*	15	2	
7		394	*Arcadius Auguſti f.* III. *Honorius Auguſti f.* II.	16	3	
8		395	*Olybrius.* *Probinus.*	1. ARCADI'	1. HONORI'	XVI. Kal. Febr. moritur *Theodoſius.*
9		396	*Arcadius Auguſtus* IV. *Honorius Auguſtus* III.	2	2	
10		397	*Cæſarius.* *Atticus.*	3	3	

Indict.	Pôtifices Romani.	Francorũ reges.	Anni Christi.	Conſules.	Imperatores. Orient.	Occident.	
11	ANASTASIVS p.40 7.Id.Apr.		398	*Honorius Auguſtus* IV. *Eutychianus.*	4	4	
12			399	*Eutropius.* *Fl. Mallius Theodorus.*	5	5	
13	INNOCENTIVS.p.41 8.Id.Maii.		400	*Fl. Stilico.* *Fl. Aurelianus.*	6	6	
14			401	*Fraiutta.* *Vincentius.*	7	7	
15			402	*Arcadius Auguſtus* V. *Honorius Auguſtus* V.	8	8	
1. Indictio.			403	*Theodoſ⁹ Iunior Auguſti f.* *Rumoridus.*	9	9	
2			404	*Honorius Auguſtus* VI. *Ariſtenetus.*	10	10	
3			405	*Stilico* II. *Anthemius.*	11	11	
4			406	*Arcadius Auguſtus* VI. *Sex. Amicius Petron. Prob⁹.*	12	12	
5			407	*Honorius Auguſtus* VII. *Theodoſius Iunior Aug. f.* II.	13	13	
6			408	*Flauius Philippus.* *Anicius Baſſus.*	1. THEODOSIVS iunior.	14	
7			409	*Honorius Auguſtus* VIII. *Theodoſius Iunior Aug.* III.	2	15	*Gratianus Municeps* in Britannia tyrannus creatur.
8			410	*Vararus.* *Tertullus.*	3	16	Occiſo *Gratiano Conſtantinus* quidam ex infima militia imperium inuadit in Britannia.
9			411	*Theodoſius Iunior Aug.* IV. *ſine collega.*	4	17	XI. Kal. Sept. Roma à Gothis capta, ann. vrb. condit. 1162.
10			412	*Honorius Aug.* IX. *Theodoſius Aug.* V.	5	18	Ex hoc tempore Romani in Britannia regnare deſierunt. *Beda.*
11			413	*Lucianus.* *Herodianus.*	6	19	
12			414	*Conſtans.* *Conſtantius.*	7	20	*Conſtantinus* tyrannus Arelate occiſus.
13			415	*Honorius Auguſtus* X. *Theodoſius Aug.* VI.	8	21	Britanniæ per hæc tempora Pictorum & Scottorum inuaſionibus patentes ſemel atque iterum à Rom. legionibus defenſæ ſunt.
14	ZOSIM⁹ p.42. xiii. Kal. Sept.		416	*Theodoſius Aug.* VII. *Palladius.*	9	22	
15			417	*Honorius Aug.* XI. *Conſtantius.*	10	23	
1. Indictio.			418	*Honorius Aug.* XII. *Theodoſius Aug.* VIII.	11	24	
2	BONIFACIVS p. 43 Eulalius in ſchiſm.		419	*Plinta.* *Monaxius.*	12	25	
3		PHARAMVNDVS pr. Franc. rex.	420	*Theodoſius Aug.* IX. *Conſtantius* III.	13	26	Rom. legionem armatam mittunt ad tuendam Brit.
4			421	*Agricola.* *Euſtathius.*	14	27	Romani aliam legionem mittunt.

Murus ex lapide conſtruitur. Romani ſociis valedicunt non vltra reuerſuri.

Indict.	Pōtifices Romani.	Francorū reges.	Anni Chriſti.	Conſules.	Imperatores. Orient.	Occident.	
5			422	*Honorius Aug.* XIII. *Theodoſius Aug.* X.	15	28	
6	CÆLESTINVS. p. 44 ꝫ1.Non.Nou		423	*Fl. Aſclepiodotus.* *Ruf. Prætextat' Marinian'*	16	29	
7			424	*Victor.* *Caſtinus.*	17	1. IOANNES.	
8			425	*Theodoſius Aug.* XI. *Valentinianus Cæſar.*	18	2	
9			426	*Theodoſius Aug.* XII. *Valentinianus* III. *Aug.* II.	19	1. VALENTINIANVS III.	
10			427	*Hierius.* *Ardaburius.*	20	2	
11			428	*Taurus.* *Fælix.*	21	3	
12			429	*Dionyſius.* *Florentius.*	22	4	
13	Conciliū Epheſin.		430	*Theodoſius Aug.* XIII. *Valentinian.* III. *Aug.* III	23	5	Venetiæ conditæ.
14		CLODIO capillat' Rex II.	431	*Flauius Antiochus.* *Anicius Baſſus.*	24	6	Scotti miſſo a *Cæleſtino* Papa *Palladio* Epiſcopo fidé Chriſtianam ſuſcipiunt.
15	XYSTVS 3. p. 45 4. Kal. Maii		432	*Fl. Valerius.* *Fl. AEtius.*	25	7	
1. Indictio.			433	*Theodoſius Aug.* XIIII. *Anicius Maximus.*	26	8	
2			434	*Theodoſius Aug.* XV. *Valentinianus* III. *Aug.* IV.	27	9	
3			435	*Aſpar.* *Ariobinda.*	28	10	
4			436	*Iſidorus.* *Senator.*	29	11	
5			437	*Fl. Sigeuultes.* *Fl. AEtius* II.	30	12	
6			438	*Theodoſius Aug.* XVI. *Fauſtus.*	31	13	
7	LEO Magn'. p. 46 4 Id. Maii		439	*Theodoſius Aug.* XVII. *Feſtus.*	32	14	Carthago à *Genſerico* Vandalorum rege capta.
8			440	*Valentinianus* III. *Aug.* V. *Fl. Anatolius.*	33	15	
9			441	*Fl. Cyrus Panoplites ſiue colleºa.*	34	16	
10			442	*Eudoxius.* *Dioſcorus.*	35	17	
11			443	*Paternus.* *Anicius Maximus.*	36	18	
12			444	*Theodoſius Aug.* XVIII. *Cæcinna Decius Albinus.*	37	19	
13			445	*Valentinianus* III. *Aug.* VI. *Fl. Nonius.*	38	20	
14			446	*F. AEtius* III. *Q. Aurelius Symmachus.*	39	21	Britāni à Rom. auxiliū fruſtra implorāt.

Indict.	Pōtifices Romani.	Francorū reges.	Anni Christi.	Conſules.	Imperat. Orient.		
15			447	*Ardaburius.* *Callipius.* al. *Alipius.*	40	22	
1. Indictio.			448	*Fl. Zeno.* *Rufius Prætextatus Poſtumianus.*	41	23	
2		MEROVEVS rex 3. Frācorum.	449	*Turcius ſecundus Aſterius.* *Fl. Protogenes.*	42	24	Saxones à *Vortigerno* & Britannis acciti ad propulſandas Scottorum & Pictorum incurſiones in Britanniam veniunt ducibus *Hengiſto* & *Horſa* fratribus.
3			450	*Valentinianus Aug.* VII. *Auienus.*	43	25	*Theodoſius* v. Kalend. Aug. moritur.
4	Conciliū Chalcedonenſe.		451	*Marcianus Aug.* *Adelphius.*	1. MARCIANVS.	26	
5			452	*Aſporatius.* *Herculanus.*	2	27	
6			453	*Vincomalus.* *Opilio.*	3	28	
7			454	*Studius.* *Aetius.*	4	29	
8			455	*Valentinianus Aug.* VIII. *Anthemius.*	5	30	*Valentinianus* III. occiſus xvi. Kal. Apr. cum quo ſimul heſperium concidit regnū, Roma a Vādalis capta.
9			456	*Varari.* *Iohannes.*	6	*Incipit regnum Cātuariē.*	
10			457	*Fufus.* *Conſtantinus.*	1. LEO.	1. HENGISTVS. Rex 1.	
11			458	*Leo Aug.* *Maioranus.*	2	2	
12		CHILDERIC' 4. rex.	459	*Patricius.* *Ricimer.*	3	3	
13			460	*Apollonius.* *Magnus.*	4	4	
14	HILARI' p. 47. xiii. Kal. Maii		461	*Dagalaiphus.* *Seuerinus.*	5	5	
15			462	*Leo Aug.* II. *Seuerus.*	6	6	
1. Indictio.			463	*Vibianus.* *Baſilius.*	7	7	
2			464	*Ruſticus.* *Olybrius.*	8	8	
3			465	*Baſiliſcus.* *Herminricus.*	9	9	
4			466	*Leo Aug.* III.	10	10	
5	SIMPLICI'. p. 48. 6. Id. Aug.		467	*Puſæus.* *Iohannes.*	11	11	
6			468	*Anthemius* II.	12	12	
7			469	*Zeno.* *Marcianus.*	13	13	

Indict.	Pōtifices Romani.	Francorū reges.	Anni Chriſti.	Conſules.	Imperat. Orient.	Cātuariorū reges.	Auſtralium Saxonum.	
8			470	*Iordanes.* *Seuerus.*	14	14		
9			471	*Leo Aug.* IV. *Probianus.*	15	15		
10			472	*Marcianus.* *Feſtus.*	16	16		
11			473	*Leo Aug.* V.	17	17		
12			474	*Leo iunior.*	LEO Iunior	18		
13			475	*Zeno Aug.* II.	1. ZENO.	19		
14			476	*Baſiliſcus* II. *Armatus.*	2	20		
15			477	*Poſt conſulatum* { *Baſiliſci.* *Armati.*	3	21	Dux *Aella* cum 3. filiis occupat litora maris in Sudſex, dubia victoria contra Britannos aliquot annos pugnans.	
1. Indictio.			478	*Illus.*	4	22		
2			479	*Zeno Aug.* III.	5	23		
3			480	*Baſilius iunior.*	6	24		
4			481	*Placidus.*	7	25		
5			482	*Seuerinus.* *Fl. Trocundus.*	8	26		
6	FELIX II p. 49 VII Id. Mart.		483	*Fauſtus.*	9	27		
7			484	*Theodoricus Gotthorum rex.* *Venantius.*	10	28		
8			485	*Symmachus.*	11	29		
9		CLODOVEVS I rex V.	486	*Longinus.* *Decius.*	12	30		
10			487	*Boetius.*	13	31		
11			488	*Dynamius.* *Siſidius.*	14	1. ESK.		
12			489	*Euſebius.* *Probinus.*	15	2		
13			490	*Fauſtus iunior.* *Longinus* II.	16	3	*Incipit regnum Auſt. Saxonū*	
14			491	*Olybrius.*	1. ANASTASIˢ	4	1 ÆLLA rex primᵒ Auſtraliū	
15	GELASIᵒ. p. 40 V. Non. Mar.		492	*Anaſtaſius Aug.* *Rufus.*	2	5	2 Saxonū, primuſque regū	
1. Indictio.			493	*Albinus.*	3	6	3 potētiſſimorū inter An-	
2			494	*Aſterius.* *Præſidius.*	4	7	4 gloſaxones.	

Indict.	Pōtifices Romani.	Conſules.	Imperatores.	Francorū reges.	Anni Chriſti.	Cātuariorū reges.	Auſtralium Saxonum.	Occidental. Saxonum.
3		*Æmilius. Viator.*	5		495	8	5	*Cerdicus (alias Certic)* cum filio *Kenrico (al. Cinric)* appulit ad Cerdiceſoram, regionē occupare incipiunt, non ſine frequentib. bellis cū Britonibus.
4	ANASTASIus 2. p. 51. 5. Kal. De.	*Paulus.*	6		496	9	6	
5		*Anaſtaſius* II.	7		497	10	7	
6	SYMMACHus. p. 52. Laurentius in ſchiſmate.	*Iohannes Scytha. Decius Paulinus.*	8		498	11	8	
7		*Aſclepius. Iohannes Gibbus.*	9		499	12	9	
8		*Patritius. Hypatius.*	10		500	13	10	
9		*Pompeius. Auienus.*	11		501	14	11	*Porta* cum filiis ad Portſmudam appulit.
10		*Probus. Auienus Iunior.*	12		502	15	12	
11		*Dexecratus. Voluſianus.*	13		503	16	13	
12		*Cethaus.*	14		504	17	14	
13		*Sabinianus. Theodorus.*	15		505	18	15	
14		*Areobinda. Meſſalla.*	16		506	19	16	
15		*Anaſtaſius* III. *Venantius Decius.*	17		507	20	17	
1. Indictio.		*Celer. Venantius Decius Iunior.*	18		508	21	18	Bellum *Cerdicii* contra *Nazaleod* regem Britannorum.
2		*Importunus Decius.*	19		509	22	19	
3		*Eutharicus. Boetius Philoſophus.*	20		510	23	20	
4		*Felix. Secundinus.*	21		511	24	21	
5		*Muſchianus. Paulus.*	22		512	1 OTHA.	22	
6		*Clementinus. Probus.*	23		513	2	23	
7	HORMISDA p. 53. xiii. kal. Aug.	*M. Aurelius. Caſſiodorus Senator.*	24		514	3	24	*Stuf & Vuitgar Cerdicii* nepotes veniunt in Britanniam.
8		*Anthemius. Florentius.*	25	CHILDEBERTVS rex 6.	515	4	CISSA (al. SCISSA) filius *Ællæ*, progeniesque eorum poſt eos: quorum tamen nomina præter vnū aut alterū fere ignorantur, quos in laterculo Cantuariorum ſuo loco poſuimus: ipſa etiam regio plerumque in Cantuariorum aut Occidentalium Saxonum poteſtate fuit.	
9		*Petrus.*	26		516	5		
10		*Anaſtaſius Aug.* IV. *Agapetus.*	27		517	6		
11		*Florentius. Magnus.*	1. IVSTINus Senior.		518	7		*Regnum Occidentalium Saxonum incipit.*
12		*Iuſtinus Auguſt. Eutharicus Cilica.*	2		519	8		1. CERDICVS rex primus.

Indict.	Pōtifices Romani.	Conſules.	Imperatores.	Francorū reges.	Anni Christi.	Cantuar. reges.	Occidēt. Saxonū.	Orientalium Saxonum.
13		*Vitalianus.* *Ruſticus.*	3		520	9	2	
14		*Iuſtinianus.* *Valerius.*	4		521	10	3	
15		*Symmachus.* *Boetius* II.	5		522	11	4	
1. Indictio.	IOANNES p. 54	*Anicius Maximus.*	6		523	12	5	
2		*Iuſtinus Aug.* II. *Opilio.*	7		524	13	6	
3		*Philoxenus.* *Probus Iunior.*	8		525	14	7	
4	FELIX 3. p. 55.	*Olybrius Iunior.*	9		526	15	8	*Incipit regnū Orient. Saxon.*
5		*Mauortius.*	1. IVSTINIANVS		527	16	9	ERKENWIN' prim' rex Oriental. Saxonū. Numeros ideo nō adiicim', quia de annis horum regū itemq; Orientalium Anglorū nihil admodū certi memorię proditum eſt.
6		*Iuſtinianus Aug.* II.	2		528	17	10	
7		*Decius.*	3		529	18	11	
8	BONIFACIVS 2. p. 56 D. oi cor' in ſchiſ.	*Lampadius.* *Oreſtes.*	4		530	19	12	
9		*Poſt conſulatum* { *Lamp.* *Oreſt.*	5		531	20	13. Vecta a Cerdi[c] occupata.	
10	IOANNES II. p. 57.	II. *Poſt conſulatum* { *Lamp.* *Oreſt.*	6		532	1. IRMERICVS.	14	
11		*Iuſtinianus Aug.* III.	7		533	2	15	
12	AGAPETVS p. 58. 3. Non. Iun.	*Iuſtinianus Aug.* IV. *Decius Theodor.* *Paulin.* Poſt quem Coſſ. in occidente creari deſiere.	8		534	3	16	
13	SILVERIVS p. 59.	*Belliſarius.*	9		535	4	1. KENRICVS	
14		*P.C. Belliſarii.*	10		536	5	2	
15	VIGILI' p. 60.	II. *P.C. Belliſarii.*	11		537	6	3	
1. Indictio.		*Iohannes.*	12		538	7	4	
2		*Appio AEgyptius.*	13		539	8	5	
3		*Iuſtinus.*	14		540	9	6	
4		*Baſilius Iunior.* Poſt hunc nemo priuatus ordinarius conſul fuit in Oriente.	15		541	10	7	
5			16		542	11	8	
6			17		543	12	9	
7			18		544	13	10	
8			19		545	14	11	
9			20		546	15	12	

Indict.	Pōtifices Romani	Imperatores.	Francorū reges.	Anni Christi.	Cantuariorum reges.	Occidental. Saxonum.	Oriental. Saxonū.	Nordanhymbr.
10		21		547	16	13		1. IDA.
11		22		548	17	14		2
12		23		549	18	15		3
13		24		550	19	16		4
14		25		551	20	17		5
15		26		552	21	18		6
1	Concilii Conſtāti nopolita.	27		553	22	19		7
2		28		554	23	20		8
3		29		555	24	21		9
4	PELAGIVS. p. 61.	30		556	25	22		10
5		31		557	26	23		11
6		32		558	27	24		12
7		33		559	28	25		1. ALLA.
8		34	Clotharius rex 7.	560	29	26		2
9	Ioannes 3. p. 62.	35		561	1. Æthelbertus 3. regū potentiſſimorum inter Anglosax.	1. Ceaulinus regū potētiſſimorū inter Anglosax. ſecūdꝰ.		3
10		36		562	2	2		4
11		37		563	3	3		5
12		38		564	4	4		6
13		39	Cherebertus rex 8.	565	5	5		7
14		1. Iuſtinꝰ Iunior.		566	6	6		8
15		2		567	7	7		9
1		3. Exarchꝰ Rauēnæ incipit.		568	8	8		10
2		4		569	9	9		11
3		5		570	10	10		12
4		6		571	11	11		13

Indict.	Pontifices Romani.	Imperatores.	Francorū reges.	Anni Chriſti.	Cantuar. reges.	Occidēt. Saxonū.	Orient. Saxonū.	Nordanhymbror	Orientalium Anglorum.
5		7		572	12	12		14	
6		8		573	13	13		15	
7	Benedictus p.63. 16. Kal. Iun.	9	Chilpericus rex 9.	574	14	14		16	*Incipit regnum Orientalium Anglorum.*
8		10		575	15	15		17	VFFA rex primus Orientalium Anglorum.
9		11		576	16	16		18	
10		1. Tiberius		577	17	17		19	
11		2		578	18	18		20	
12	Pelagius 2. p.64. 3. Id. Nou.	3		579	19	19		21	
13		4		580	20	20		22	
14		5		581	21	21		23	
15		6		582	22	22		24	Tityllus rex 2. circa hęc tempora.
1		1. Mauricius.		583	23	23		25	
2		2		584	24	24		26	
3		3		585	25	25		27	
4		4		586	26	26		28	
5		5		587	27	27	Sledda 2. rex Or. Saxon. c.h.t.	29	
6		6	Clotharius 2. rex 10.	588	28	28		30	
7		7		589	29	29		1. Edelricus	
8	Gregorius Magnus p.65. 3. Non. Sept.	8		590	30	30		2	
9		9		591	31	31		3	
10		10		592	32	1. Celricus.		4	
11		11		593	33	2		1. Æthelfridus Ferus.	Redvvaldus rex 3. c. h. t. quartus regū potentiſſimorum inter Angloſaxones.
12		12		594	34	3		2	
13		13		595	35	4		3	
14		14		596	36	5	Sebertus rex 3. c. h. t.	4	
15		15		597	37	6		5	

Anni Indict.	Summi Pontifices.	Imperatores.	Reges Francorū	Anni Chriſti.	Cantuariorum		
					Reges	Pontifices Cantuarienſ.	Roffenſes.
1		16		598	38	1. Auguſtinus primus Dorobern. Archiepiſc.	
2		17		599	39	2	
3		18		600	40	3	
4		19		601	41	4	
5		20 *Phocas.*		602	42	5	
6		1		603	43	6	
7	Sabinianus, p. 66. Kal. Sept.	2		604	44	7	*Iuſtus primus Roff. antiſtes.*
8	Bonifacius 3. p. 67. 9. Kal. Mart.	3		605	45	8	
9	Bonifacius 4. p. 68. Kal. Sept.	4		606	46	9	
10		5		607	47	10	
11		6		608	48	11	
12		7		609	49	12	
13		8		610	50	13	
14		1. *Heraclius.*		611	51	14	
15		2		612	52	15	
1	Deus-dedit p. 69. 12. kal. Nouemb.	3		613	53	16	
2		4		614	54	Laurentius. 1	
3		5		615	55	2	
4		6		616	56	3	
5	*Bonifacius* 5. p. 70. 7. *Kal. Ian.*	7		617	1. *Eadbaldus.*	4	
6		8		618	2	5	
7		9		619	3	1. *Mellitus ex Londonien. ep.*	
8		10		620	4	2	
9		11		621	5	3	
10	Honorius 1. p. 71. 7. Id. Nouemb.	12		622	6	4	
11		13		623	7	5	
12		14		624	8	1. *Iuſtus ex Roff. 8. Kl. Mai.*	*Romanus 2. epiſc.*
13		15		625	9	2	
14		16		626	10	3	
15		17		627	11	4	

Orient. Saxonum. Reges.	Epiſc. Lond.	Orient. Anglor. Reges.	Occident. Saxon. Reges.	Merciorum Reges.	Northanhymbrorum. Reges.	Archiepiſc. Ebor.
			1. *Ceolwlfus,* al. *Ceulfus.*		6	
			2		7	
			3		8	
			4		9	
			5		10	
			6		11	
	Mellitus prim' London. antiſt.		7		12	
			8		13	
			9		14	
			10		15	
			11		16	
			12		17	
			13		18	
			14		19	
			1. *Cinegislus,* al. *Kinegilſus.*		20	
			2		21	
			3 Quichelm' conſors regni cũ patre		22	
			4		23	
			5		24	
Sexred', Sevvard', Sigebert' fr. reg. 3.	Vacat ſedes aliquã multos annos, ad 40. plus minus.		6		1. Edvvin' regũ potentiſſimorũ inter Anglo-Saxon. 5.	
			7		2	
			8		3	
			9		4	
			10		5	
			11		6	
Sigebertus Parvus, rex 4.			12		7	
		Eorpvvaldus rex 2.	13		8	
			14		9	*Paulin' prim' Ebor. antiſtes*
			15	1. Penda ſtrenuus prim' rex Merciorum.	10	
			16	2	11	

Anni Indictionū.	Summi Pontifices.	Imperatores.	Reges Francorū	Anni Christi.	Cantuariorum.			Orient. Reges.
					Reges	Pontifices Cantuarienſ.	Roffenſ.	
1		18		628	12	1 *Honorius* 4. *Idus Nouemb.*		
2		19		629	13	2		
3		20		630	14	3		
4		21		631	15	4		
5		22	Dagobertus rex 21	632	16	5		
6		23		633	17	6		
7		24		634	18	7	Paulinus 3. ex Arche. Ebo.	
8		25		635	19	8		
9		26		936	20	9		
10	*Seuerin'* p. 72. *Kal. Iun.*	27		637	21	10		
11	*Ioānes* 4. p. 73. 8. *Kal. Ian.*	28		638	22	11		
12		29		639	23	12		
13	*Theodor'* p. 74 6. *Kal. Dec.*	30		640	24	13		
14		Conſtantinus. Heraclionas. Conſtans.		641	1. *Ercóbertus.*	14		
15		1		642	2	15		
1		2		643	3	16		
2		3		644	4	17	Ithamar' epiſ. 4.	
3		4		645	5	18		
4		5	Clodoueus 2. rex 12.	646	6	19		
5	Martinus. p. 75. prid. Non. Iul.	6		647	7	20		
6		7		648	8	21		Sigebertus bonus c h.t. rex 5
7		8		649	9	22		
8		9		650	10	23		
9		10		651	11	24		
10		11		652	12	25		
11		12		653	13	26		
12	Eugenius p. 76. 4. Id. Aug.	13		654	14	*Vacat.*		
13		14		655	15	1 Deus dedit.		
14		15		656	16	2	Damian' ep. 5.	
15	Vitalianus p. 77. 3. Kal. Aug.	16		657	17	3		

Saxon. Epiſc. Lond.	Orient. Angl. Reges.	Orient. Angl. Epiſc.	Occid. Saxon. Reges.	Occid. Saxon. Epiſc.	Merciorum Reges	Merciorum Epiſc. hoc eſt Lichfeld.	Northanhymbrorum. Reges.	Northanhymbrorum. Epiſcopi. Eborac.	Northanhymbrorum. Epiſcopi. Lindisf.
Vacat ſedes.			17		3		12		
			18		4		13		
			19		5		14		
			20		6		15		
			21		7		16		
			22		8		17		
			23		9		1. Oſvvaldus, regũ potẽtiſſ. inter Anglo-ſaxones ſextus.	Vacat ſedes Ebor. aliquot ann. diſcedente Paulino.	
			24	Birinus primus ep. ſedit Dorcaceſtriç.	10		2		Aidan' 1. Lindisfarnenſiũ ep.
	Sigebert' rex 3.	Felix Burgundus: prim' Oriẽt. Ang. epiſ.	25		11		3		
			26		12		4		
	Egricus rex 4. c.h.t.		27		13		5		
			28		14		6		
			29		15		7		
			30		16		8		
	Anna rex 5. c.h.t.		31		17		9		
			1 *Kenewalki'*.		18		1. Oſvvi' regũ potentiſſimorũ inter Angloſax. ſeptimus.		
			2		19		2		
			3		20		3		
			4		21		4		
			5		22		5		
		Thomas epiſc. 2.	6		23		6		
			7		24		7		
			8	Agilbertus ſedit Dorcaceſtriç, ep. 2.	25		8		
			9		26		9		
			10		27		10		Finanus epiſc. 2.
		Bonifaci' epi. 3. qui & Bertgilſus.	11		28		11		
	Æthelherus R. 6.		12		29		12		
			13		30		13		
	Æthelvvaldus rex 7.		14		1. Peada & Oſvvii duces.	Diuma primus ep. Mediterraneorum Anglorum, Lindiſfarorum ſimul & Merciorum.	14		
			15		2		15		

Anni Indict.	Summi Pontifices.	Imperatores.	Reges Francorũ	Anni Chri.	Cantuaritarum. Reges	Pontifices Cantuar.	Roff.	Oriental. Saxon. Reges.	Episcopi. London	Orient. Anglorum. Reges.	Pontific.
1		17		658	18	4			CEDDUS epiſ. 2.		
2		18		659	19	5					
3		19		660	20	6					
4		20		661	21	7		Svvithelm' rex 6. c. h. t.			
5		21		662	22	8					
6		22	Clothari' 3. rex 13.	663	23	9					
7		23		664	24	10		Sigher' & Sebba R. 7 c. h. t.		Aldulfus rex E.	
8		24		665	1. Egbertus	*Vacat.*					
9		25		666	2				Wina ep. 5. ex VVin.		
10		26		667	3						
11		27	*Childe-*	668	4	1. *Theodorus*					
12		1. Constãtinus.	*ricus* 2. *rex* 14.	669	5	2	*Putta ep.* 6.				
13		2		670	6	3					*Biſi* ep. 4.
14		3		671	7	4					Helmhamenſes. Dommocenſes.
15	*Adeodat' p. 78. 3. Id Ap.*	4		672	8	5					
1		5		673	9	6					Æcca. Beadvvin'.
2		6		674	1. *Lotharius.*	7					
3		7		675	2	8			ERKENVValdus ep. 4.		
4	Donus al. Domnio p. 79. 4. Non. Nouemb.	8		676	3	9					
5		9		677	4	10	Quichelmus ep. 7.				
6		10		678	5	11					
7	Agatho p. 80. 6. Id. Iul.	11		679	6	12					
8		12	Theodoricus rex 15.	680	7	13					
9	Cõciliũ Conſtantinopol. 3.	13		681	8	14	Gebmundus ep. 8.				
10	LEO 2. p. 18. 4. Id. Aug.	14		682	9	15					
11		15		683	10	16				Elvvold' al. Ælfvvald' rex 9. c. h. t.	
12	Benedictus 2. p. 82. 13 Kl. Iul.	16		684	11	17					
13	Ioãnes 5. p. 83. 8. Kal. Aug.	17		685	12	18					
14	Conon p. 84. Petrus Theod. in ſchiſm.	1. Iuſtinian' Iunior.		686	*Edric'.* 1	19					
15	Sergius p. 85. Paſchalis & Theod. in ſchiſ.	2		687	2	20					

Occidēt. Reges	Saxonū Epiſcopi Winton.	Ep. Auſtr. Saxonū Selcienſ.	Merciorum. Reges	Merciorum. Epiſcopi.	Lindiſfeſ. vel Lindiſfaror. epi.	Ep. Wicciorū, i. Wigorn.	Herefordēſ.	Northanhymbrorum. Reges	Northanhymbrorum. Eboracenſ.	Northanhymbrorum. Epiſcopi Lindisfar	Northanhymbrorum. Hauguſtaldēſes.
16			3	Cella c. h. t. 2. ep.				16			
17			1. Wulfherus.					17			
18	WINA Winton. ſedit ep. 3.		2	Trūher' ep. 3. c h. t.				18			
19			3					19		Colmannus ep. 3.	
20			4					20			
21			5		Cum omnes epiſcopi Merciorum vſq; ad Sexvvlſum etiam Mediterraneorum Anglorum & Lindisfarorum præſulatum tenuiſſent, anno 678. datus eſt Lindiſfarorum prouinciæ proprius epiſcopus, qui ſedem habuit Sidnaceſtræ.			21			
22			6					22	Tuda ep. 4.		
23			7	Iarūmannus ep. 4. c h. t.				23			
24			8					24	CRADDA totius Northanhymbriç antiſtes Ep. Ebor. 2.		
25			9					25			
26			10					26			
27			11	Ceadda ep. 5. ex epiſcopo Ebor. ſedit Lichfeldię.				27	wilfridus ep. Northanhymbrorum omniū, ep. Ebor. 3.		
28	Leutheri' ep. 4.		12					28			
29			13					1. Egfridus.			
30			14	Winfrid' ep. 6.				2			
31			15					3			
1. Sexburga.			16					4			
1. Eſcvvinus.			1. Æthelredus. al Aedilred'					5			
2			2	Sexvvlfus epiſ. 7.				6			
1. KENTVVINVS.	HEDDA ep. 5.		3					7			
2			4		Edbedus ep. 1.			8	Boſa, pulſo Wilfrido Ebo. ep. 4.	Eata Lindiſfarnenſis quintus, & Hauguſtaldenſis primus.	
3			5		Æthelvvinus ep. 2.			9			
4			6			Boſel' primus Wicciorū ep.	PVTTA primus epiſc.	10		Eata Lindisfarnēſis tantum.	Tumbert' Hauguſt. ep. 2.
5		Wilfridus Northūb. pulſus ep. 1.	7					11			
6			8					12			
7			9					13			
8			10					14			
9			11					15		Cuthbertus ep. 6.	Eata ex Lindisfarn.
1 Cedvvalla.		HEDDA, (q & Winton. epi. 2.	12					1 Alfridus.			Ioannes epiſ. 3.
2			13					2	wilfridus reſtitutus, pulſo Boſa & Ioanne totā Northanhymbriam rexit, mortuo etiam Cuthberto.		

Indict.	Summi Pontifices.	Imperatores.	Reges Francorũ	Anni Christi.	Cantuaritarum Reges	Cantuaritarum Pontifices Cantuar.	Cantuaritarum Pontifices Roff.	Oriental. Saxon. Reges.	Oriental. Saxon. Episcopi. London.	Orient. Anglorum. reges.	Orient. Anglorum. Pontific. Dómocenſ.	Orient. Anglorum. Pontific. Helmam.	Occ. reg.
1		3		688	Reges dubii vel externi.	21							1 Ina.
2		4		689		22							2
3		5		690		*Vacat.*				Beorna rex 10. circa h.t.			3
4		6		691									4
5		7		692									5
6		8		693	1. Withredus.	1. Bertualdus.	Tobias ep.9.						6
7		9	Clodoueus 3. rex 16.	694	2	2		Sighard' & Senfredus reg.8.					7
8		10		695	3	3							8
9		1. Leontius.		696	4	4					Æſcul. fus. c.h.t.	Northbertus.	9
10		2		697	5	5			Waldherus ep.5. c.h.t.				10
11		3	Childebertus 2. rex 17.	698	6	6							11
12		1 Tiberi' Apſimar'		699	7	7							12
13		2		700	8	8							13
14	Ioannes 6. p.86. [illegible]	3		701	9	9		Offa rex 9.c.h.t.					14
15		4		702	10	10							15
1		5		703	11	11							16
2		6		704	12	12							17
3	Ioannes 7. p. 87. Kal. M. [illegible]	7		705	13	13							18
4		1. Iuſtinianus Iuni. [illegible]		706	14	14							19
5	Siſinnius p.lxxxviii	2		707	15	15							20
6	Conſtãtinus p.89.	3		708	16	16							21
7		4		709	17	17		Selredus rex 10.					22
8		5		710	18	18		2					23
9		6		711	19	19		3					24
10		1. Philippic'		712	20	20		4					25
11		2		713	21	21		5					26
12		3		714	22	22		6		Ethelred' rex 11. c. h. t.			27
13		1. Artemiſius Anaſtaſius.		715	23	23		7	Inguald' ep. vi. c.h.t.				28
14	Gregori' 2. p. 90. [illegible]	Theodoſius Adra[illegible]	Dagobertus II. rex 18	716	24	24		8					29
15		1. Leo Iſaur'.		717	25	25		9					30

Saxonum. Epiſcopi. Wint.	Schireburn.	Auſt.Sax. Epiſc. Seleſienſes	Merciorum. Reges.	Merc. i. Lichfeld.	Epiſcopi. Lindiſſenſes.	Med. Ang. i. Legeceſt.	Wigornenſes.	Herefor.	Northanhymbrorum. Reges	Eboracẽſ.	Epiſcopi. Hauguſt.	Lindisfarnenſ.
			14						3	WILFRIDVS vtramque parochiā rexit		Eadbert' epiſ. VII.
			15						4			
									5			
			16									
			17					Tirthel' c.h.t.ep.2	6	Boſa, iterū, pulſo Vvilfrido.	Ioānes iterū, pulſ Vvilfrido.	
			18	HEDDA ep.8.		WILFRIDus pulſus Northūbr episcopatū Mediterraneorū Anglorū. i. Legeceſtrenſē adminiſtrat. ep. 1	Oſtforus epiſ.2.		7			
			19				EOWIN' ep.3.		8			
			20						9			
			21						10			
			22						11			
			23						12			
			24						13			
			25						14			
			26						15			
			27		Edgarus ep.3.c.h.t.				16			
									17			
			28	*Hedda* diſcedēte *Vvilfrido*, etiā Medit. Anglorum preſulatū regit circa hæc temp.		Poſt diſceſſum *Wilfridi* epiſcopatus Mediterraneorum Anglorum, hoc eſt, Legeceſtrenſis vſque ad *Tottam* epiſcopum à Lichfeldenſibus ſiue Merciorum epiſcopis adminiſtratus eſt.		Torther' ep.3. circa h. t.	18			
			29									
									19			
			1. Kered' 2. al. Coinredus.						1. OSRADVS.	Ioannes epiſ.5. ex Hauguſtal	wilfridus reuocatus Hauguſtal. parochiam obtinet.	
Daniel ep.6.	Aldelm' 1 ep. Shireburnenſis	Daniel qui & Winton. ep.3	2									
									2			
			3									
									3			
			4						4			
			1. CEOLREDVS.									
									5		ACCA ep.4.	
			2									
									6			
	Forther' ep.2.		3									
									7			
		Eadbert' ep.4.	4									
									8			
			5									
									9			
			6									
									10			
			7									
									11			
			8.									
			1. Æthelbaldus 2. ſuperbus.	Aldvvinus epiſc.9. Merc.& Medit. Angl.					1. KENREDVS			
			2				Wilfrid' ep.4.		2			

Indict.	Summi Pōtifices.	Imperatores.	Francorum.	Anni Chriſti.	Cantuariorum. Reges.	Cantuariorum. Pontifices. Cant.	Cantuariorum. Pontifices. Rof.	Orient. Reg.	Saxo. Epiſc. Lond.	Or. Reges	Anglorum. Pontifices. Dōmoc.	Anglorum. Pontifices. Helmá.	Occid. Reges.
1		2		718	26	26		10					31
2		3		719	27	27		11					32
3		4		720	28	28		12			EADBERCTVS. al. Erdredus. circa	HADVLAC°. al. Heatholacus. h. t.	33
4		5		721	29	29		13					34
5		6	CHILPERICVS II. Rex 19.	722	30	30		14					35
6		7		723	31	31		15					36
7		8		724	32	32		16					37
8		9		725	33	33		17					38
9		10		726	1. EDBERT'	34		18					1. Æthelhard', al. Adelardus
10		11	THEODORICVS Rex 20.	727	2	35	Aldvvlfus epiſc. 10.	19					2
11		12		728	3	36		20					3
12		13		729	4	37		21					4
13		14		730	5	38		22					5
14	Gregori' 3. p. 91. 3. Non Mar.	15		731	6	1. TATVVINVS.		23					6
15		16		732	7	2		24					7
1		17		733	8	3		25					8
2		18		734	9	Moritur 3. Kalen. Auguſti.		26					9
3		19		735	10	1. Nothelmus.		27					10
4		20		736	11	2		28			Cuthvvinus. circa	Ethelfridus. h. t.	11
5		21		737	12	3		29					12
6		22		738	13	4		30					13
7		23		739	14	5		31					14
8		24		740	15	1 Cuthbertus ex Herefor.	DVNNVS epiſc. 11.	32					1. CVTHREDVS.
9	Zacharias p. 91. Kal. Dec.	1. Cōſtantinus copronym'.		741	16	2		33					2
10		2	Childericus ſtupid' Rex 21.	742	17	3		34					3
11		3		743	18	4		35					4
12		4		744	19	5		36					5
13		5		745	20	6		37					6
14		6		746	21	7		38	Egvvlfus epiſc. 7.				7
15		7		747	22	8		Svvithredus rex 21 & vltimus		Herdulfi Oriét. Ang. epiſc. métio eſt in concil. Cuthberti hoc anno celebrato.			8

Saxon. Epiſc. Wint.	Shireburn	Auſtr. Sax. Ep. Seleſ.	Reg.	Merciorum. Epiſc. Lichfel.	Lindeſf.	Legeceeſt. ſiue Med. Angl.	Wigor.	Herefor.	Northanhymbrorum. Reges	Pontifices. Eborac.	Hauguſt.	Lindiſf.	Cád. caſæ, vel Witernenſes
			3					Walſtod' epiſc. 4. c.h.t.	1 *Oſricus*				
		Eolla, ep. 5. c.h.t.	4						2				
			5		Kinebertus ep. 4. c.h.t.				3				
			6						4	Wilfrid' 2. ep. 6.		Æthelvvoldus, ep. 9.	
			7						5				
			8						6				Pethelm' ep. 1. Candidæ caſæ, al. Vvethelmus.
			9						7				
			10						8				
			11						9				
			12						10				
		Vacat aliquot annos.	13						11				
			14						Ceolvulf'				
			15						1				
			16						2				
			17						3				
		Sigga epiſ. 6.	18		Alvvih, al. Alovviochus, ep 5.				4				
			19						5				
			20						6	Egbertus archiep 7			
			21					Cuthbertus ep. 5.	7				Frithevvaldus ep. 2.
	Herevvaldus ep. 3.		22	Witta.		Totta, ep. 2.			8				
			23						1. Egbert', al. Eadbertus.				
			24						2		Frithebertus, ep 5.		
			25						3			Kinevvlfus ep. 10	
			26					Podda, ep. 6.	4				
			27						5				
			28						6				
			29				Milredus ep. 5.		7				
Humfridus, al. Humfertus, ep. 7.			30						8				
			31					Ecca, ep. 7. c.h.t.	9				
			32						10				

Indict.	Summi Pontifices.	Imperatores.	Reges Francorū	Anni Chriſti.	Cantuaritarum Reges	Pontifices. Cantuar.	Roffenſ.	Epiſc. London.	Orient. Anglorum. Reges	Pontifices Dōmoc.	Helmam	Occid. Reges.
1		8		748	23	9						9
2		9		749	1. Ædilbertus, al. Æthelbertus.	10			Ethelbertus, al. Egelbrihth', rex 11			10
3		10		750	2	11						11
4		11	Pipin' rex 22	751	3	12						12
5	Stephan' 2. p 93. Stephan' 3. p. 94.	12		752	4	13						13
6		13		753	5	14						14
7		14		754	6	15		Wighed' epiſc. 8. c.h.t.				1. Sigebertus.
8		15		755	7	16						1. Kinevvulfus.
9		16		756	8	17						2
10	Paulus p. 95. Theophylact'. Conſtantinus. Philipp' in ſchiſm	17		757	9	18						3
11		18		758	10	*Vacat.*						4
12		19		759	11	1. *Bregwinus.*						5
13		20		760	1 *Alric'*	2						6
14		21		761	2	3		[illegible]cus, ep. 9. c.h.t.				7
15		22		762	3	1. Lambertus, al. Lanbritus.						8
1		23		763	4	2						9
2		24		764	5	3	Eardulfus epiſc. 12. c.h.t.					10
3		25		765	6	4						11
4		26		766	7	5						12
5		27		767	8	6					Ald- Lambert'. fert' c.h.t.	13
6	Stephan' 4. p.96. Non. Auguſt.	28		768	9	7		Eadgarus epiſc. 10. c.h.t.				14
7		29	Carolus M. rex 23	769	10	8						15
8		30		770	11	9						16
9		31		771	12	10					Egla- Athel fus. vvulfus c.h.t.	17
10	Hadrian' p. 97. v. Id. Febr.	32		772	13	11						18
11		33		773	14	12		Kenvvalkius ep. 11. c.h.t.				19
12		34		774	15	13						20
13		35. *Leo* IV.		775	16	14	Deora, al. Diora, ep. 13. c.h.t.					21
14		1		776	17	15						22
15		2		777	18	16						23

Saxon. Episc.		Auſtr. Sax. Ep.	Reges	Merciorum. Episc.					Reges.	Northanhymbrorum. Pontifices.			
Winton.	Shireb.	Seleſ.		Lichfeld	Lindeſ.	Legeceſt	Wigorn.	Herefor.		Eborac.	Hauguſt.	Lindisf.	Cād.caſa
			33						11				
			34						12				
			35						13				
			36	Hemelus epiſc. 11. c.h.t.	Aldulfus ep. 6				14				
			37					Ceadda, epiſc. 8. c.h.t.	15				
			38						16				
			39						17				
Kinevvardus ep. 8.			40						18				
	Æthelmodus c.h.t.		41						19				
			1. Beornredus.						20				
			1 Offa.					Aldbert' epiſc. 9. c.h.t.	1 *Oſulfus*				
			2						1. Ethelvvaldus Mollo.				
			3						2				
		Alubert' epiſc. 7. c.h.t.	4						3				
			5						4				
			6						5				Pechtwinus ep. 3.
			7	Cuthfridus ep. 12		Edbertus ep. 3.			6				
			8						1. Alred'.				
			9						2		Alhmūd' epi. 6.		
			10		Geolvvlfus ep. 7.				3	Ethelbertus, al. Albertus, ep. 8.			
			11						4				
			12					Eſna, ep. 10. c.h.t.	5				
			13						6				
			14						7				
			15						8				
			16	Bertunus epiſc. 13. c.h.t.					9				
			17						1. Ethelredus, al. Ethelbertus				
			18					Ceolmūd', ep. 11. c.h.t.	2				
			19				Weremūdus ep. 6.		3				
			20						4				Æthelbertus ep. 4

Indictio.	Summi Pontific.	Imperatores. Orientales.	Occidentales.	Reg. Frac.	Anni Chri.	Cantuariorum. Reges	Pontifices Cantuar.	Roff.	Episcopi London.	Orient. Anglorum. Reges.	Pontifices Dōmoc.	Helham.	Occiden. Reges.
1		3			778	19	17						24
2		4			779	20	18				Eadredus. c.h.t.	Hunfertus.	25
3		5. Cōſtantinus Porphyrog.			780	21	19						26
4		1			781	22	20						27
5		2			782	23	21						28
6		3			783	24	22						29
7		4			784	25	23		Eadbald⁹ epiſ. 12. c.h.t.				1. *Brithricus.*
8		5			785	26	24				Alfhunus.	Sibba. c.h.t.	2
9		6			786	27	25						3
10		7			787	28	26						4
11		8			788	29	27				Tidfrid⁹.	Alherd⁹. c.h.t.	5
12	Conciliū Nicenū 2.	9			789	30	0						6
13		10			790	31	0	Weremūd⁹ ep. 14. c.h.t.					7
14		11			791	32	1. Æthelardus.						8
15		12			792	33	2						9
1		13			793	34	3			Occiſo Ethelberto ab Offa regnū Ori. Ang. vnitū eſt regno Merc. orū.			10
2		14			794	1. Ædilbertus Pr.	4						11
3		15			795	2	5		Heathobert⁹ ep. 13. c.h.t.				12
4	Leo 3. p. 98. 7 Kal. Iun.	16			796	3	6						13
5		17 Eirene Auguſta.			797	1 *Cuthredus.*	7						14
6		1			798	2	8						15
7		2			799	3	9						16
8		3			800	4	10						1 Egbert⁹ 8. regum potētiſſ. inter Anglo-Sax.
9		4	1 Carolus Magnus.		801	5	11						2
10		5	2		802	6	12	Beornmodus ep. 15.					3
11		1 *Nicephorus.*	3		803	7	13						4
12		2	4		804	8	1 Wulfredus	Burhricus ep. 16. poſt quē multos annos vacauit ſedes.					5
13		3	5		805	1. Baldred⁹	2						6
14		4	6		806	2	3						7
15		5	7		807	3	4						8

Saxonum Epiſcopi.		Auſtral. Saxon.	Merciorum.						Northanhymbrorum				
			Reges	Epiſcopi.					Reges	Pontifices.			
Wintoo	Shireb.	ep. Selsſ.		Lichfeld	Lindiſl.	Legeceſt.	Wigor.	Herefor.		Eborac.	Hauguſ.	Lindiſf.	Cād.caſ.
	Denefrith° ep. 5 c. h. t.		21						1 Alfwold°				
			22				Tilber° ep 7.		2			Higbald° ep. 11.	
Æthelhardus ep. 9. c. h. t.			23	Higbert° epiſc. 14. c. h. t.					3	Eanbald° 1. ep. 9.	Tilber° ep. 7.		
			24						4				
			25				Eathoredus ep. 8.		5				
			26					Vtellus epiſ. 12. c. h. t.	6				
			27		Vuvvona ep. 4 . h t				7				
			28						8				
			29		Ealdulfus ep. 8				9				
			30		Poſt quem credibile eſt vacaſſe epiſcopatum aliquot annos: proximus enim ſucceſſor fuit ann. 872.				10				
			31					Wulfhardus ep. 13 c. h. t.	11				
			32				Denebertus ep. 9. c. h. t.		1. *Oſredus.*		Æthelbertus ex Witernenſi ep. 8		
		Oſa ep 8 al. Boſa.	33	Aldulfus ep. 15. pallium accepit					1. Ethelredus iterum.				Eadvvulfus ep. 5. & vltim° Witternentium.
Egbaldus epiſ. 10.			34						2				
			35						3				
			36						4				
			37						Ethelredo 3. Kal. Maii interfecto finē accepit regnū Northumbrorū, quod poſt interregnū 33. annor. occupauit Egbertus rex Weſtſax. ann. 827. nominatur tamē etiā poſtea quidā reguli Northūbr Danicis tēporibus.				
Dudda epiſc. 11. c. h. t.			38										
			1 Egfertus.							EANBALD° 2. ep. 10			
Kinebertus ep. 12 c. h. t.			1 Kenulfus								Heardred° ep. 9.		
	Wibertus ep. 6 c. h. t.		2										
			3										
			4								Eanbert° ep. 10		
			5										
			6										
			7									Egbertus epiſc. 12.	
			8										
			9										
			10										
			11			Werenbertus epi. 5. c. h. t.							

Indictio.	Summi Pontific.	Imperatores. Orientales.	Occidentales.	Reges Francorũ	Reges Occidẽt. Saxon.	Mercior.	Anni Chri.	Cantuaritorum Reges	Põtifices Cantuar.	Epiſcopi London.	Epiſ. Orien. Angl. Dom-moc.	Helmham.
1		6	8		9	12	808	4	5		Weremundus c.h.2.	
2		7	9		10	13	809	5	6			
3		8	10		11	14	810	6	7			
4		Stauratius. Michael [illegible]	11		12	15	811	7	8			
5			12		13	16	812	8	9			
6		1. Leo Armenus	13		14	17	813	9	10	Oſmundus epiſ. 14. c. h. 1.		
7		2	1 Ludouicus Pius.	Ludouicus Pius rex 24	15	18	814	10	11			
8		3	2		16	19	815	11	12			
9	Stephanus 5. p.99. 5 No Iul.	4	3		17	20	816	12	13			
10	Paſchalis p.100. 5 Kal. Febr.	5	4		18	21	817	13	14			
11		6	5		19	22	818	14	15			Humbrithus c. h. 2
12		7	6		20	Kenelmus. Ceolulfus	819	15	16			
13		8	7		21	1	820	16	17			
14		1 Michael Traulus	8		22	1. Beornulfus	821	17	18			
15		2	9		23	2	822	18	19			
1		3	10		24	3	823	Finis regni Cantuariorum.	20			
2	Eugenius 2. p. 101. Zinzinus in ſchiſm.	4	11		25	1 Ludecanus.	824		21		Wilredus.	
3		5	12		26	2	825		22		Poſt hos epiſcopos vſque ad tempora Eadvvii regis defecerunt epiſcopi in Eaſtanglia.	
4		6	13		27	1. Witlaſus. al Wiglafus	826		23			
5	Valẽtinus p.102.19 Kal Ian.	7	14		28	2	827		24			
6	Gregorius 4. p. 103. 7 kal Feb.	8	15		29	3	828	Finitur regnũ Oriẽtaliũ Sax. Weſtſaxonicoque vnitur.	25			
7		9 Theophilus.	16		30	4	829		Feologildus, al. Theolgildus.			
8		1	17		31	5	830		1 Ceol			
9		2	18		32	6	831		2 nothus			
10		3	19		33	7	832		3			
11		4	20		34	8	833		4			
12		5	21		35	9	834		5			
13		6	22		36	10	835		6	Æthelnothus ep. 15.c.h.2.		
14		7	23		37	11	836		7			
15		8	24		1. Æthelvvlfus al. Athulfus	12	837		8			

Winton	Epiſcopi. Shireburn.	Auſtral. Saxon. ep. Seleſ.	Epiſcopi. Lichfeld.	Lindiſſenſes.	Legeceſtrenſes	Wigornenſes.	Herefordenſes.	Eboracenſes.	Hauguſtald.	Lindiſfarnenſes.
Almund* epiſc. 13. c.h.t.										
							Beonna epiſc. 14. c.h.t.			
									Tidfert*, epi. 11. & vltimus c.h.t.	
								Wulfius epiſ. 12. c.h.t.		
Wighten. epiſc. 14. c.h.t.			Herevvin* ep. 16. c.h.t.		Rethun* epiſc. 6. c.h.t.					
		Giſelher* epiſc. 9. c.h.t.								
	Alſtanus, al. Ealſtanus & Alfſtanus ep. 7.									
										Eathoredus, al. Heathredus ep. 13
						Heabertus, al. Eadbert ep. 10*				
Herefrid* epiſc. 15. c.h.t.										
										Egredus ep. 14.
							Eadulfus epiſc. 15. c.h.t.			
Eadmundus ep. 16										
Helmſtan* ep. 17. c.h.t.										
								Wulſſus epiſc. 11. c.h.t.		
			Æthelvvaldus ep. 17. c.h.t.							

Indict.	Summi Pontifices.	Imperatores. Orient.	Occid.	Reges Francorũ	Reges. Occiden. Saxon.	Mercior.	Orient. Angl.	Anni Christi.	Cantuar.	Ponti London.
1		9	25		2	13		838	9	Ceolbertus ep. 16 c.h.t.
2		10	26		3	1. Bertwulfus		839	10	
3		11	1 Lochari'.	Carolus Caluus rex 25.	4	2		840	11	
4		12	2		5	3		841	12	Ceorvvulfus ep. 17 c.h.t.
5		1. Michael 3.	3		6	4		842	13	
6		2	4		7	5		843	14	
7	Sergius 2. p. 104. 4. Id. Febr.	3	5		8	6		844	15	
8		4	6		9	7		845	16	
9		5	7		10	8		846	17	
10	*Leo* 4. p. 105. Prid. Id. Apr.	6	8		11	9		847	18	
11		7	9		12	10		848	19	
12		8	10		13	11		849	20	
13		9	11		14	12		850	1	
14		10	12		15	13		851	22	
15		11	13		16	1 *Burhredus.*		852	23	
1		12	14		17	2		853	24	
2		13	15		18	3		854	25	Svvithulfus ep. 18 c.h.t.
3	Benedict' 3. p. 106. Anaſtaſius in ſchiſ.	14	16		19	4	S. Edmundus regnat in Eſtanglia.	855	26	
4		15	1 Ludouicus 2.		20	5		856	27	
5		16	2		1 Æthelbaldus.	6		857	28	
6	Nicolaus 1. p. 107. 8. Kal. Maii.	17	3		2	7		858	29	
7		18	4		3	8		859	30	
8		19	5		4	9		860	31	
9		20	6		5	10		861	32	
10		21	7		1 Æthelbertus.	11		862	33	
11		22	8		2	12		863	34	Heaſtan' epiſc. 19. c.h.t.
12		23	9		3	13		864	35	
13		24	10		4	14		865	36	
14		25	11		5	15		866	37	
15	Hadrian' 2. p. 108. 9. Kal. Dec.	1 Baſilius Maced.	12		1 Æthelredus.	16		867	38	

Winton.	Shirebur.	Seleſcien.	Lichfeld.	Lindiſſen.	Legeceſt.	Wigorn.	Hereford.	Eboracenſes.	Lindiſfar.
Swithunus ep. 18									
								Wimundus, al. Wigmūdus, ep. 12 c. h. t.	
		Tota ep. 10. c. h. t.							
			Humbertus ep. 18 c. h. t.						*Egbert° epiſc. 15.*
						Alhwinus, al. Alhunus, ep. 11.			
							Cuthwulfus, ep. 16. c. h. t.		
								Wulfherus, ep. 13.	Eardulfus ep. 16
					Aldredus epiſc. 7.				
Alfrithus epiſ. 19.									
			Kinefertus ep. 19						

Indict.	Summi Pontifices.	Imperatores. Orient.	Occid.	Reges Francorum	Reges Occident. Sax.	Merciorum.	Anni Christi.	Cantuar.	PONTI London.
1		2	13		2	17	868	39	
2	Concilium Conſtantinopol. 4.	3	14		3	18	869	40	
3		4	15		4 S. Edmundus rex Orien. Angl. martyrio affectus.	19	870	41	Wulſius episc. 20. c.h.t.
4		5	16		5	20	871	1 *Æthered'*	
5	Ioannes 8. p. 109. 19 K. Ian.	6	17		1. Alfredus, al. Ælfridus & Aluredus.	21	872	2	
6		7	18		2	22	873	3	
7		8	19		3	Celvvulfus quondam Buthredi miniſter, ſub quo regnũ Merciorũ omnino emarcuit.	874	4	
8		9	20		4		875	5	
9		10	1. Carol' caluus		5		876	6	
10		11	2		6		877	7	
11		12	1. Ludouic' Balb'	Ludouic' Balbus rex 26	7		878	8	Æthelvvardus ep. 21. c.h.t.
12		13	1. Carol' Craſſus.		8		879	9	
13		14	2		9		880	10	
14		15	3	Ludouic' & Carolomannus reg. 27.	10		881	11	
15	Marin' p. 110. 14. Kal. Ian.	16	4		11		882	12	
1		17	5		12		88[3]	13	
2	Hadrianus 3. p. 111 12. Kal. Feb.	18	6		13		884	14	
3	Stephanus 6. p. 112 3. Id. Maii.	19	7		14		885	15	
4		1. Leo VI. Porphyrogenitus	8	Carolus Craſſus rex 28.	15		886	16	Eailſtan' episc. 22. c.h.t.
5		2	9 *Arnulfus.*		16		887	17	
6		3	1		17		888	18	
7		4	2		18		889	1. Pleigmundus.	
8		5	3		19		890	2	
9	Formoſus p. 113. 6. Kal. Iun. Sergius 3. in ſchiſm.	6	4	Odo *rex 29.*	20		891	3	
10		7	5		21		892	4	
11		8	6		22		893	5	
12		9	7		23		894	6	
13	Bonifaci' 6. p. 114. 16. Kal. Ian.	10	8		24		895	7	
14	Stephanus 7. p. 115.	11	9		25		896	8	
15	Romanus p. 116. Theodorus p. 117 Ioannes 9. p. 118.	12	10		26		897	9	

Fices Anglorum.

Winton.	Shireburn.	Seleſeieſ.	Lichfeld.	Lindisf.	Legeceſtr.	Wigorn.	Herefor.	Eborac.	Lindisf.
	Eadmundus, al. Heamundus & Hamundus epi. 8.						Mucell' epiſc. 17. c.h.t.		
	AEthelheag' epi. 9.		Tunbrith' ep. 20.	Brihtredus ep. 9. & vlti. Lindisfarorũ, ſeu Sidn.ceſtrenſis		Werefrith' ep. 12.			
		Wihtun' epiſc. 11. c.h.t.	TVNBRITHO ſucceſſum eſt anno 928. vt credibile ſit aliquot annos epiſcopatum vacaſſe.		Ceolredus ep. 8. & vltimus Legeceſtr.				
Dunbertus ep. 20. c.h.t.	*Alffius* ep. 10. c.h.t.								
Denevvulfus ep. 21. c.h.t.	*Aſſerius* ep. 11. c.h.t.								
	Swithelm', al. *Sigelm'*, ep. 12.								
	AEthelward' ep. 13. c.h.t.						*Deorlaſus* ep. 18. c.h.t.		
		Æthelulfus ep. 12. c.h.t.							
						wilferth' epiſc. 13. c.h.t.			
								Æthelbaldus, ep. 14.	

Anni Indictionū	Summi Pontifices.	Imperatores. Orientales.	Occid.	Reges Francorū	Anglorū Reges	Anni Christi.	Cantuar.	London.	Pontifices Winton.
1	Sergius 3. in ſchiſm.	13	11		27	898	10		
2	Benedictus IV. p. 119. 8. Kal. Octob.	14	12		28	899	11		*Vacat aliq annos.*
3		15	1. *Ludouic*⁹ 4.		29	900	12	Theodredus ep. 23	
4		16	2	Carolus Simplex Rex 30.	1. Edvvard⁹ Senior.	901	13		
5		17	3		2	902	14		
6	Leo v. p. 120. Chriſtophor⁹ p. 121 Sergius 3. p. 122.	18	4		3	903	15		
7		19	5		4	904	16		
8		20	6		5	905	17		
9		21	7		6	906	18		Frithestanus ep. 22.
10		22	8		7	907	19		
11		23 Alexander.	9		8	908	20		
12		1. Conſtantinus 8. Porphyrogenitus.	10		9	909	21		
13		2	11		10	910	22		
14	Anaſtaſius 3. p. 123 17. Kal. Maii.	3	12		11	911	23		
15		4	1. Cunradus.		12	912	24		
1	Lando. p. 124	5	2		13	913	25		
2	Ioannes x. p. 125. 9 kal Feb	6	3		14	914	26		
3		7	4		15	915	1 Athelmus.		
4		8	5		16	916	2		
5		9	6		17	917	3		
6		10	7		18	918	4		
7		11	1 Henric⁹ Auceps.		19	919	5		
8		12	2		20	920	6		
9		13	3		21	921	7		
10		14	4		22	922	8	Wulſtan⁹ ep. 24. c. h. t.	
11		15	5		23	923	9		
12		16	6		1. Æthelſtanus.	924	1 Wulfhelm⁹.		
13		17	7		2	925	2		
14		18	8		3	926	3		
15		19	9	Rodulfus Burgund⁹ ex [illegible]	4	927	4		

Anglorum.

Shireburnenſ.	Wiltunenſes.	Wellenſes.	Cridiatonenſes.	Seleſeienſ.	Lichfeld.	Wigornenſes.	Herefordenſes.	Eboracenſes.	Lindiſfarnenſ.
	Wiltunenſes, qui & Sunnungueſes Rameſbirię ſederũt.								
Vacat aliquot annos.									
									CVTHBEARDVS. ep. 17.
Werſtan' ep. 14.	Æthelſtanus epiſc. I.	Æthelmus al. ATHELMVS ep. I.	Ealdulfus ep. I.	Bernegus ep. 13.					
							Cinemũdus ep. 19 c. h. e.		
						Æthelhunus ep. 14			Milredus al. Tilredus ep. 18.
		WVLFHELMVS ep. 2.							
Æthelbaldus ep. 15.									
	ODO ep. 2.								
								Redewardus, al. Redewald' ep. 15. c. h. e.	
		ÆLFEAGVS ep. 3.		Cenred' epiſ. 14. c. h. e.					

Indict.	Summi Pŏtifices.	Imperatores. Orient.	Occident.	Reges Francorū	Reges Anglorū.	Anni Chriſti.	Cantuar.	London.	Helmh.	Pōtifices Winton.
1	Leo VI. p.126. Stephanus VII. p. 127.	20	10		5	928	5			
2		21	11	Ludouic' vltrama rin' rex 32	6	929	6			
3	Ioannes XI. p.128. 3.Id.Decemb.	22	12		7	930	7			
4		23	13		8	931	8			
5		24	14		9	932	9			Birnſtan' ep.23.
6		25	15		10	933	10			
7		26	16		11	934	1 ODO.			
8	Leo VII. p.129. VI. Kal. Nouemb.	27	17		12	935	2			Ælfeag' ep.24.
9		28	1. Otho Magnus.		13	936	3			
10		29	2		14	937	4			
11		30	3		15	938	5			
12	Stephanus IX. p. 130.VII.Id.Iunii.	31	4		16	939	6			
13		32	5		1. EADMVNDVS.	940	7			
14		33	6		2	941	8	Brihthelm'.ep 25 c.h.t.		
15	Marinus 2. p.131. Kal.Nouemb.	34	7		3	942	9			
1		35	8		4	943	10			
2		36	9		5	944	11			
3		37	10		6	945	12			
4	AGAPETVS II. p.132.XV.Kal.Iun.	38	11		1. EDREDVS	946	13			
5		39	12		2	947	14			
6		40	13		3	948	15			
7		41	14		4	949	16			
8		42	15		5	950	17			
9		43	16		6	951	18			Aleſi' ep. 25.al.Alſinus.
10		44	17		7	952	19			
11		45	18		8	953	20			
12		46	19		9	954	21			
13		47	20		1. EDWIVS.	955	22		ATHVLFVS.	
14	IOHANNES XII. p.133.V.Id.Ian.	48	21	Lothari' Rex 33.	2	956	23			
15		49	22		3	957	24			

Anglorum.

Shirebur neaſ.	Wilt-nenſes.	Wellēſes	Cridia-tonenſes	Seleſeieſ.	Lichfeld.	Dorcaceſtrenſes	Wigor-nenſes.	Herefor-denſes.	Eboracē-ſes.	Lindisfar-nenſes.
					ÆLLA ep. 21.			Eadgarus ep.20. c.h.t.		WIGRED'. al. Werneous ep.19.
							Kinewoldus ep. xv			
			Æthelgarus ep.2.							
Alfredus ep.16. c.h.t.	Oſulfus ep.3.									
					Ælfgar' ep.22. c.h.t.					
									Wulſtan' ep.16. c.h.t.	
		Wulfhelmus ep.4 c.h.t.		Guthheard' ep.14. c.h.t.						
										Vhtred' ep.20 Sexhelmus ep.21
										ALDREDVS ep.22.
								Tidhelm' ep.21 c.h.t.		
						Leouinus c.h.t. qui parochias Lindiſſenſem & Legeceſtrenſem coniūxit, ſedemque epiſcopalem prim' vt opinor, in Dorcaceſtram tranſtulit.				
			Alfwoldus ep.3.		Kinſius ep.23. c.h.t.					
									Oſkitellus ep.17	
							Dunſtan' ep.16.			

Indict.	Summi Pōtifices.	Imperatores. Orient.	Occident.	Reges Francorū	Anglorū.	Anni Chriſti.	Cantuar.	Roff.	London.	Ponti Helmamen.
1		50	23		4	958	0		Dunſtan' ep.26.	
2		51	24		1. Eadgarus.	959	1. S. Dunſtanus.		Ælſtan' ep.27.	
3		52	25		2	960	2			
4		53	26		3	961	3			
5		54	27		4	962	4			Alfricus c.h.t.
6	Leo VIII. p.134. Benedictus v. in ſchiſm.	1. Romanus III.	28		5	963	5			
7		1. Nicephorus Phocas.	29		6	964	6			
8	IOANNES XIII. p.135. 6. No. Oct.	2	30		7	965	7			
9		3	31		8	966	8			
10		4	32		9	967	9			Theodredus.
11		5	33		10	968	10			
12		6	34		11	969	11			
13		7	35		12	970	12			
14		1. Ioānes Zimiſces.	36		13	971	13			
15	Donus p.136. Benedict' v. p.137.	2	37		14	972	14			
1		3	1. Otho iunior.		15	973	15			
2	Bonifacius VII. p.138.	4	2		16	974	16			
3	Benedictus VI. p. 139. Kal. Iun.	5	3		1. EADWARDUS Martyr.	975	17			
4		6	4		2	976	18			Theodredus c.h.t.
5		1. Baſilius iunior.	5		3	977	19			
6		2	6		4	978	20			
7		3	7		1. Ethelredus.	979	21			
8		4	8		2	980	22	Alſtanus ep. 17. c. h. t.		
9		5	9		3	981	23		Wulſtanus ep.28 c.h.t.	
10		6	10		4	982	24			
11		7	11		5	983	25			Æthelſtanus c.h.t.
12	Ioannes XIV. p.140 17. Kal. Aug.	8	1. Otho tertius.		6	984	26			
13	Ioannes XV. p.141. Kal. Aug.	9	2		7	985	27			
14		10	3		8	986	28			
15		11	4	Ludouic' Rex 34.	9	987	29			

Winton.	Shireburnenſ.	Wiltonenſes.	Wellēſes	Cridiatonenſes	Seleſciēſ.	Lichfeld.	Dorcaceſtrenſes.	Wigornenſes.	Herefordenſes.	Eboracēſes.	Lindisfarnenſ.
Brithelm' ep.26	VVulfius ep.17. c.h.t.		Brithelm', ep.5.								
					Ælfredus ep.15.		Ælnoth', epi. Dorceſtr.2	Oſvvald' ep.17.			
Æthelvvoldus, epiſ.27.											
						Winſius, ep.24. .h.t.					
	Alfvvold' ep.18. c.h.t.						Æſcvvius al. Ælvvi' c.h.t. ep.5				
											Alfſi' ep.23.
									VVulfhelm' ep.22 h..		
					Eadelm' ep.16.						
		Alfſtan' epiſ.4. al. Ælſtanus.									
										Oſvvald' ep.18.	
			Kinevvardus ep.6.	Sidemannus ep.4.							
						Ælfeag' ep.25. c.h.t.					
	Æthelricus, ep.19			Alfricus ep.v.							
					Æthelgarus ep.17						
		vvulfgar' ep.v.									
Alfeagus ep.28.									Alfricus ep.23. c.h.t.		
			Sigarus ep.7.								
	Æthelſi' ep.20. c.h.t.	Siricius ep.6.c.h.t.									

Indict.	Summi Põtifices.	Imperatores. Orient.	Occident.	Reges Francorũ	Anglorũ.	Anni Chriſti.	Cantuar.	Roff.	London.	PONTI Helmã.
1		12	5	Hugo Capetus rex 35.	10	988	1. Æthelgar'			
2		13	6		11	989	2			
3		14	7		12	990	1. Siric', al. Sigeric', Siericus, & Siricius			
4		15	8		13	991	2			
5		16	9		14	992	3			
6		17	10		15	993	4			Algarus c. h. e.
7		18	11		16	994	5			
8	Ioãnes XVI. p. 142 Gregori' V. p. 143.	19	12		17	995	1 Alfricus.			
9	Ioannes XVII. in ſchiſm.	20	13		18	996	2			
10		21	14	Robert' rex 38.	19	997	3			
11	Silueſter 2. p. 144. Kal. Nou.	22	15		20	998	4			
12		23	16		21	999	5			
13		24	17		22	1000	6			
14		25	1. Henric' iunior.		23	1001	7	Godvvin' ſenior, ep. 18. c. h. e.		
15		26	2		24	1002	8			
1	Ioannes 17. p. 145. Ioannes 17. p. 146.	27	3		25	1003	9			
2		28	4		26	1004	10		Alfhun', ep. 29. c. h. e.	
3		29	5		27	1005	11			
4		30	6		28	1006	1. Ælfeag' ex Winton.			
5		31	7		29	1007	2			
6		32	8		30	1008	3			
7	Sergius IV. p. 147. 15. Kal. Sept.	33	9		31	1009	4			
8		34	10		32	1010	5			
9		35	11		33	1011	6			
10	Benedictus VII. p. 148.	36	12		34	1012	7			
11		37	13		35	1013	1. Liuingus, qui & Ethelſtan' ex VVell			
12		38	14		36	1014	2			
13		39	15		37	1015	3			
14		40	16		1. Edmund' ferreũ latus.	1016	4		Alvvius ep. 30. c. h. e.	
15		41	17		1. Canuto, al. Canutus.	1017	5			

Winton.	Shireburnenſ.	Wiltanenſes.	Wellēſes	ridiatonenſes.	Seleſeiēſ.	Lichfeld.	Dorcaceſtrenſes.	Wigornenſes.	Herefordenſes.	Eboracēſes.	Lindisfarnenſ.
					Ordbrihtus, ep. 18						
		Alfricus ep. 7.				Godvvinus ep. 26 c. h. t.					Aldhun', ep. XXIV.
								Aldulfus, qui & Archiepiſc. Ebor. ep. 18.		Aldulfus, ep. 19.	
							Ælfelm' ep. IV. c.h.t.				
				Alfvvold' ep. VI. c.h.t.							Sedes epiſcopalis Dunelmū tranſlata.
		Brithvvoldus, ep. 8.									
			Alfvvin' ep. VIII.						Athulfus, ep. XXIV. c.h.t.		
	Brithvvinus ep. 21 c.h.t.										
								Wvlstan' ep. 19. qui & Archiepiſc. Eborum.		Wvlstan' ep. 20.	
					Ælmarus c. h. t. ep. 19.						
							Eadnoth' epiſc. 5. c. h. t.				
Kenulfus ep. 29.											
Athelvvoldus ep. 30.		Liuingus epiſ. 9. c. h. t.				Leouegarus ep. 27 c.h.t.					
	Ælmarus ep. 22.			Alfvvold' epiſc. 7. c.h.t.							
									Æthelstan' ep. 25. c.h.t.		
		Æthelvvinus ep. 10									
Alfſius ep. 31.											
							Ætheric' ep. 6.				

Indictionum.	Summi Pontifices.	Imperatores. Orient.	Occidēt.	Reges Francorũ	Reges Anglorũ.	Anni Chriſti.	Cantuar.	Roff.	London.	Põtifices Helmham.
1		42	18		2	1018	6			
2		43	19		3	1019	7			
3		44	20		4	1020	1. Æthelnoth⁹. al. *Egelnothus.*			
4		45	21		5	1021	2			*Alduuin⁹. al. Alfuuin⁹ Aluuin⁹*
5		46	22		6	1022	3			
6		47	23		7	1023	4			
7	Ioannes 19. p. 149. Pr. Kal. Mar.	48	1. Cunrad⁹ Iunior		8	1024	5			
8		49	2		9	1025	6			
9		50	3		10	1026	7			
10		1. Cōſtantinus 10.	4		11	1027	8			
11		2	5		12	1028	9	Godvvin⁹ Iunior [illegible]		Alfricus c h. t.
12		3	6		13	1029	10			
13		1. Romanus 4 Argyrus.	7		14	1030	11			
14		2	8	Hēric⁹ Rex 37	15	1031	12			
15	Benedictus 8. p. 150. 3. Id. Nou.	3	9		16	1032	13		Ælfward⁹ ep. 31. [illegible]	Alfricus c. hęc t.
1		4	10		17	1033	14			
2		5	11		18	1014	15			
3		1. Michael IV. Paphlago.	12		19	1035	16			
4		2	13		1. HAROLD⁹	1036	17			
5		3	14		2	1037	18			
6		4	15		3	1038	1. EADSIVS.			
7		5	1. Henric⁹ Niger.		4	1039	2			
8		6	2		1. Hardecnutus.	1040	3			
9		Michael v. Calaphatus.	3		2	1041	4			
10		1. Zoe & Theodora. Cōſtantin⁹ [illegible]onomach⁹.	4		1. Edvvardus Confeſſor.	1042	5			
11		2	5		2	1043	6			
12		3	6		3	1044	7		Robert⁹ ep. 32.	Stigandus.
13	Silueſt. 3. in ſchiſmate. Gregorius vi. p. 151. Kal. Maii.	4	7		4	1045	8			
14		5	8		5	1046	9			
15	Clemens 2. p. 152.	6	9		6	1047	10			Agelmar⁹ al. Echelmarus

Anglorum.

Winton.	Shireburnenſ.	Wiltunenſes.	Wellēſes	Cridiatonenſes.	Seleſieſ.	Lichfeld.	Dorcaceſtrenſes.	Wigornenſes.	Herefordenſes.	Eboracēſes.	Dunelmenſes.
					Ætheltricus ep.20.						
	Brithvvinus ep.23 c.h.t.										
				Eadnoth' ep.8. c.h.t.		Brithmarus ep.28 c.h.t.					
								Leoffius ep.20.		Alfricus Puttoc. ep.21.	Eadmundus ep.25
			Birhtvvin' ep.11. c.h.t.								
				Liuingus ep.9.							
Alfvvin', al. Elvvinus episc. 32. c.h.t.								Brihteag' ep.21.			
							Eadnoth' ep.7.				
			Birhtvvi' ep.12.					Liuingus ep.22.			
					Grimketellus ep.21.	Wvlſius ep.29.					
	Alfvvold' ep 24. c.h.t.										
			Dodeca Saxonic' ep 13.	Livingo' Cornubienſem præſulatū Cridiatonēſi vniuit.							
		Heremānus ep.9. & vlt. qui hūc epiſcopatū vniuit Shireburnenſi.									
				Leofricus ep.10. ſedē tranſtulit ad Exoniam				Aldredus ep.23.			
Stigādus ep.33.					Heca ep.22.						

Indictionum.	Summi Pontifices.	Imperatores. Orient.	Imperatores. Occident.	Reges Francorũ	Reges Anglorũ	Anni Christi.	Cantuar.	Roff.	London.	Pōtifices Helmamen.
1	DAMASVS 2. p.153.	7	10		7	1048	11			
2	LEO IX. p.154. pr. Id. Feb.	8	11		8	1049	12			
3		9	12		9	1050	1. ROBERTVS ex London.			
4		10	13		10	1051	2		WILLIELMVS ep.33.	
5		11	14		11	1052	3			
6		12	15		12	1053	1. STIGANDVS.			
7		13	16		13	1054	2			
8	VICTOR II. p.155. Id. April.	1 THEODORA.	17		14	1055	3			
9		2	18		15	1056	4			
10	STEPHANꝰ X. p.156.	1. Michael Stratioticus.	1. Henricus III. Senior.		16	1057	5			
11	NICOLAVS II. p.157. *Benedictus in ſchiſm.*	1. ISACIꝰ Comnenus.	2		17	1058	6	Siwardus ep.20.		
12		2	3		18	1059	7			
13		1. Cōſtantinus XII. Ducas.	4		19	1060	8			
14	Alexander II. p.158. *Honorius* in ſchiſm.	2	5	PHILIPPꝰ rex 38	20	1061	9			
15		3	6		21	1062	10			
1		4	7		22	1063	11			
2		5	8		23	1064	12			
3		6	9		24	1065	13			
4		7	10		Haroldꝰ. Willielmus Senior.	1066	14			

Anglorum. Winton.	Shireburnenſ.	Welleſes	Cridiatõ. ſiue Exon.	Seleſeiſſ.	Lichfeld.	Dorcaceſt.	Wigornenſes.	Herefordenſes.	Eboracẽſes.	Dunelmenſes.
										EDREDVS ep.26.
						VLFVS ep.8.				Æthelricus, aliàs Agelricus ep.27. circa hæc temp.
									KINSIVS ep.22.	
						Wulſinus ep.9.				
					LEOFWINVS. ep.30.					
	Heremannus epiſc.25. c.h.t. qui poſtea ſedẽ tranſtulit ad Saliſbiriam.							LEOVEGARVS. ep.26.		AGELWINVS, ep.28.
								Vacat aliquot annos.		
		GISA al. Giſo ep. 14.						Walter' epi.xxvii.	Aldredus ex Wigornẽ. ep.23	
							Wulſtan' ep.24.			

INDEX

INDEX RERVM HVIVS OPERIS NOTABILIVM WILLIELMI MONACHI MALMESBVRIENSIS, VBI PRIOR NVMERVS FACTI PAGINAM, ALTER LInearum conſequentiam denotat.

A

Abbates de Boxeleia & de ponte Roberti in Alemanniam mittuntur quæſitum Regem Richardum. 722. 22.
Abb. duodecim Regi Iohanni ad pedes prouoluuntur. 812.35
Non religioſi ſed tyranni tumidi & crudeles. 214.48
abbatia ſanctimonialium de Warevvella comburitur. 190.39
Abbatis in Fuldenſi cœnobio antiquum priuilegium. 78.24.
abbatia de Holcoltram quando facta. 490.26.
abbatiſſa in adulterio deprahenſa. 407. 43.
Abbatiæ Epiſcopatus WeſtSaxonici. 214.35.
Abbatia apud Wineburn à quo conſtitutum. 338.18
abbatiſſæ in epiſcopatu Elienſi. 293.18
Abendoniæ monaſterium quis fundauerit. 252.49
Abrahæ, Iſaac & Iacob patriarcharum, ſepulchrum vbi. 147.35
Acca epiſcopus quando mortuus. 402. 23.
Vir ſanctus quos ſucceſſores habuerit. 272 11.
accon ciuitas quomodo obſeſſa. 661.13
Chriſtianis reddita. 695.45
adalgiſus chartam, qua de expulſione Wilfridi perſcriptum erat, in ignem conijcit. 262.47
Adam de Chirchedune vice Cãcellarius, per plateas fuſticando ducitur. 551.7
Adã de S. Edmundo Clericus cur à Maiore Londoniarum captus. 731.29
Adelardus Rex quo anno ſui regni mortuus. 340 46
adelbold Rex Merçe, quot annis regnauerit. 138.9
adeling quid ſonet & qui ſic dicantur. 908.11.
adebingenſis abbatiæ ſitus. 255.22
adebida pulchritudinis cauſa à rege ducitur. 381.44. verſus de eius pulchritudine. ibid.50 eius
adelſtan Rex in Merce eligitur. 154.27
adelſtanus Rex quando mortuus. 155.12
Adelſtani Regis Angliæ natiuitas quomodo comparata. 12 16
Laus ingens. 50.41
Qua fuerit ſtatura. ibid.20. eius amicitiam multi Reges & principes ambiunt. 51.1. Eius ſorores quibus in matrimonium datæ. ibid.11
Adelſtanus epiſcopus per 33. annos cæcus. 44 & 10. moritur. 16
Adelredus Rex annis quinque regnans, vbi ſepultus. 149.18
Adelvvlfus ex epiſcopo rex factus. 148. 14.
Adelvvlfi regis filij quatuor, omnes reges facti. 418.35
Adelvvold Rex Sudſexe primus ad fidem conuertitur. 318.4. à quo interfectus. 324.38. in baptiſmo Vectam inſulam & Meanvvarorum prouinciam, in ſignum adoptionis accipit. 314.20
Adelvvlfus contra paganos pugnat. 412. 54 Ex monacho Rex factus. 413.46
adoleſcentia in militari exercitio acta. 119.52.

Adrianus quamdiu regnauit. 304.4
Adrianus papa quando mortuus. 485. 34. ad renouandam fidem in Britanniam mittit. 410.12
Adrianus Ieroſolymam reparatã ex ſuo cognomine Heliam vocat. 140.38
Adulterium quomodo Saxones adhuc Ethnici punierint. 28.39
Ædelbert Rex quando regnare cœperit ſuper Kent. 314.44. bellum gerit contra Ceaulim & Chutam fratres. 315.4. quando mortuus. 317.6
Æden rex Scotorum cum ſuis apud Degſaſtan fuſus. 311.16
Ædificia in Sareſberia & Malmesberia à rege Henrico facta pulcherrima. 161. 18. lapidea, & feneſtratum vſum quis in Angliæ inſtituerit 21.47
Aeris in Brittannia conſtitutio ſalutaris. 299.26.
Corruſtio Romæ magna. 649.18
Ælfricus quamdiu Cantuarienſis archiepiſcopus fuerit. 207 30
Ælle dux cum filijs ſuis tribus in Brittaniam veniens, vbi appulerit. 311.19. quando venerit. 312.18
Ælfredi Regis principatus & acta. 146. 12.
Ælphegus quot annis Archiepiſcopatũ Cantuarienſem obtinuerit. 203.48
Ælred Rex in hebdomada paſchali regno pulſus. 409.33
Æſtus Oceani lunam ſequens. 405. 22.
Æthelbaldi Regis acta. 840.5
Æthelbertus Cantiæ Rex, & populus Cantienſis quando ad fidem conuerſus. 315.45
Æthelbyrthus Rex & eius baptiſmus. 878.2.
Æthelhard regis regnum. 839.56
Æthelredi regis Merciorum acta. 830. 36.
Ætheſtani Regis principatus & bella. 850.41.
Æthelſtanus, Edvvardi filius quando regnare cœperit, & quamdiu regnarit. 48.22.
Quando & à quo miles factus, 49.31.
Carmen de eius rebus geſtis. ibid.48
S. Agathæ corpus vbi requieſcat. 687.59
Agelricus non canonice degradatus 453 37.
Agnes regis Henrici ſecundi filia, Conſtantinopolim mittitur. 591.59
Agrippina vnde dicta, & à quo Colonia denominata. 68 24
Aidanus archiepiſcopus in Lindisfarnẽſi inſula factus. 330.42
Primus Lindisfarnenſis epiſcopus, quos ſucceſſores habuerit. 275.33
Aimaris Podienſis epiſcopus expeditionem contra Turcas auget. 132.58
Aimericus Dunelmenſis archidiacon' eccleſiam ſancti Oſvvaldi obſedit. 786 21.
alani comitis Brittanniæ & epiſcoporum concertatio & pugna. 181.41
alanus com es Brittanniæ Willielmo regi ſupplex. 98.36
albani reliquiæ magnifice aſſeruantur. 30.1.
Martyrii, miraculis clarum. 305.47
albemarle caſtellum à Rege Franciæ ſubuerſum. 761.34

Albericus Mareſcallus regis Franciæ à paganis interemptus. 660.18
Albrici de Ver ad epiſcopos in concilio congregatos oratio. 182.12
Alchere & Wada in Inſula Tenet contra paganos pugnantes occumbunt. 415. 7.
Alcherus comes exercitum paganorum apud Saudvvicum ſuperat. 414.56
alchmundus Hauguſtaldenſis epiſcopus quando mortuus. 404.19
alchvvini ad Hingobaldum epiſcopum epiſtola. 275.47
alcredus Rex in exilium pellitur. 403. 50.
Alcuinus, omnium anglorum, poſt Adelmum & Bedã doctiſſimus. 24.42. Carolũm Magnũ in Dialectica, Rhetorica & Aſtronomia inſtituit. ibid. 4. vbi ſepultus. ibid.44.
Aldelud Ciuitas Brittonum munitiſſima. 301.11
Aldefonſus Rex Caſtellæ & Sanctius rex Nauarræ, in Regem Angliæ Henricum compromittunt. 161.38
De S. Iacobo ſuſpenditur ab officio per Papam, 789.55
Aldefonſus Portugallenſis aliquot ciuitates à Turcis recuperat. 640.53. crus frangit. 641.8
aldefonſus rex paganos vincit, & à finibus ſuis fugat. 759.15
aldelmus Inæ pater ad fundationẽ monaſteriorum filium hortatur. 13.18
aldredus comes à iurato ſuo fratre Carl. occiditur. 424 16
aldredo archiepiſcopatum & pallium papæ coactus reddit. 47. 28
Aldulfus apud Bedam extremus Roffenſis epiſ. 233.24. quos habuerit ſucceſſores. ibid.27
Alemannia Henrici imperium miſerabile ingemiſcit. 111.20
Alenor filia regis Henrici datur Aldefonſo Regi Caſtellæ in vxorem. 555. 42.
aleſia regis Franciæ ſoror Richardo Henrici regis filio in vxorem datur. 631. 44. eius
Filia cur non à Richardo Angliæ regis filia ducta. 570.45
Aleſia ſoror regis Franciæ libera dimittitur a rege Richardo. 688.48
Aleſtan epiſ. cum Duce Ernulfo contra Dacos pugnans, victoriam conſequitur. 348.3
Alexandri papæ ad Henricum regem epiſtola. 100.34 Eiuſdem ad Gilliebertũ Londonienſem epiſcopũ literę. 501.23
alexander epiſ. moritur anno regis Stephani decimotertio. 194.33
alexandri papæ ad Henricum regem epiſtola. 106.45
Alexander papa & Fridericus Rom. Imperator reconciliantur 168.16
Alexandri papæ ad Hẽricum regem Angliæ epiſtola. 515.35. Eiuſdem Legati in Anglia quid fecerint. 516.58
Ad Rogerum Eboracenſem archiepiſcopum epiſtola. 518 44
Super Iohanne & Hugone epiſcopis S. Andreæ in Scotia epiſtolæ. 598.20. 52 & 599.25. Conſtitutiones & decreta. 582 10. epiſtola pro electo eccleſiæ S. Auguſtini Cantuariæ. 578.14

ad Richardum Cantuarienſem archiepiſcopum Epiſtola 569. 12. eiuſdem ad Rogerium Eboracenſem archiepiſcopum, de pace inter ipſum & Imperatorem. ibid. 43
Alexander papa omnes eccleſiæ prælatos Romam vocat. 580. 15 eiuſdem ad Iohannem regem Indorum epiſtola. 581. 11
Lanfranco venienti reuerenter aſſurgit. 118. 40. eius ad Willielmum Angliæ regem epiſtola. 116 19. Hildebrādum Cancellis Apoſtolorum præficit 122. 53. eius ad Bituricenſem archiepiſcop. epiſtola 528. 20
Alexander tertius papa, quando mortuus. 611. 6
Alexandri papæ de ſubuentione terræ Ieroſolymitanæ facienda literæ. 612. 1. & 613. 9
Alexis Imperator Conſtantin. à matre venenum accipit, 595. 20. Eam ſubmergi facit in lacco. ibid. 25. coronatur. ibid. 29
Alexii Imperatoris Conſtantinopolitani fraudes & iniuriæ. 533. 39. Proceres ad bellum Hieroſolymitanum profectos, cogit ad iuramentum ſibi præſtandum. ibid. 49
Alexis Romanæ eccleſiæ ſubdiaconus, à papa in Scotiam mittitur. 598. 2
Allgaro conſulis Alfrici filio, oculi eruuntur. 358. 1
Alfredi Regis paupertas extrema. 873. 18
Alfredus epiſ. Wigornenſis ex capellano Regio factus. 281. 1
Londoniam obſidens recipitur. 350 33.
Alfredi Regis tempore quid acciderit 349. 45. inducias accipit cum Dacis. 350. 2
Alfredus à Dacis omni regno ſpoliatur. 350. 14. moritur 352. 6. verſus de vita eius. ibid. 9.
Alfridus Rex Nordhumbre apud Driffeld moritur. 337. 38.
Alfricus Dux belli timidus & iners. 429. 46.
Alfridus, Egfridi Regis Northanimbrorum frater, repudiatus ad regnum expetitur. 21. 12. quamdiu regno præfuerit. ibid. 13
Alfſtan quamdiu apud Scyreburne epiſcopus fuerit. 349. 7.
Alfvvoldi epiſcopi Schireburnenſis abſtinentia & temperantia. 248. 49
Algatus Merciorum comes exlegatus, Comitatum recuperat. 444. 54
Conſul Ceſtriæ exulatur. 366. 45
Algari Orientalium Anglorum epiſcopi ſanctitas. 238. 10
Alienor Ioannis Regis, mater confert ſe ad abbatiam Eubrandi. 802. 23
mater Richardi Regis, de eo redimendo ſollicita. 726. 46
ad Meſſanam venit. 689. 2
Alla Northanimbrorum Rex, quot annis regnarit. 17. 9
Almodis inſano prurітu mulier ſubinde nouos quærit maritos, prioribus derelictis. 152. 3
Alquini ad Ethelardum archiepiſcopum epiſtola. 199. 17
Alredus Wigornienſis epiſcopus ad Imperatorem mittitur. 445. 31
Alſtanus Schireburnenſis epiſcopus, quamdiu epiſcopatum obtinuerit. 247. 38. Quos ſucceſſores habuerit. ibid. 53
Altare Chriſti & dæmonis in eodem fano. 329. 10
Aluredus infans quinque annorum Romam ad papam Leonem mittitur. 413. 35
à papa Leone, loco filii ſuſcipitur. 348. 25
Amicitia duorum presbyterorum. 98. 52
inter Richardum, Henrici Regis filium, & regem Franciæ, in perniciem patris. 634. 59
Amiralius Turca quidam Chriſtianus factus. 376. 33
Ammiratus quidam Turcus clementiæ deditus. 140. 10
Amphiboli S. reliquiæ inuentæ. 567. 45
Analauus Rex, Mimum profeſſus, ad conuiuium regis Æthelſtani, contra quem bellum gerebat admittitur. 48. 47
Anaſtaſius Imperator Romanus, quot annis regnarit. 312. 17
Analauus ab Hybernia reuocatus, fit rex Northanimbrorum. 53. 48. in exilium perpetuum mittitur. ibid. 56
Anaſtaſius papa quo anno mortuus. 491 28
Anacletus quis fuerit. 176. 19. & 177. 7
Andegauia cur ab Alienor & Marcladeo vaſtata. 793. 1
Andegauenſium comitum genealogia. 97. 37
Andegauenſis conſul tempori cedit. 482 47
moriens, regnum Henrico filio tradit. 391. 16
cum rege Stephano inducias facit. 387. 10
Andegauenſis comes cur in Angliam venire recuſarit. 194. 9
Andelauus & Svvanus Londonia prohibentur. 428. 24
Andreas Apoſtolus apparens, lanceam qua tranſfoſſus Chriſtus fuit alicui monſtrat. 176. 39
Andronicus Alexim Imperatorem Conſtantin. in humeris ſuis portat. 595 28. poteſtatem regnandi accipit ab Imperatore. ibid. 35. Coronatur regnaturus ſub Imperatore. ibid. 40. inſidias ſtruit Imperatori. ibid. 43. tyrannidem exercet in populo. ibid. 48. monarchiam occupat. 596. 13. poſt multos cruciatus interficitur. 579 30
Angelus, cum duob. filiis excæcatur & emenculatur. 596. 17
Andredeceſſor vrbs poſt diuturnam obſeſſionem miſere deſtruitur. 312 30
Andredeslaige ſylua maxima. 321. 8
Angli idioma ſuum auerſantur & Gallicæ linguæ operam dant. 903. 40
Angli ante colliſionem fugiunt. 337. 38.
Dacis cenſum præbent. 360. 44. 361. 53
quaſi Angelici, Deiri quaſi de ira eruti, dicti. 324. 36
mulieris in ſexus habitum ſeſe capillorum longitudine transformant. 176. 6
Scotos ab incurſione arcent. 9. 12
diem ſeptimanæ quartum & ſextum quibus conſecrarint. 9. 4
per totam Brittanniam ſeſe, permittente Deo extenderunt. 9. 54
Et Saxones quando in Brittanniam venerint. 7. 45
qua præparatione ad bellum profecti, pugnam inchoent. 101. 3
Angliæ regnum inter patrem & filium diuiſum. 40. 39
Angli Orientales, Merciorum reges trucidant. 37. 18
Angelis ſimiles. 17. 28
Dacos multis modis vno anno ſuperant. 348 18
potatores ſtrenui. 102. 8
Anglicarum eccleſiārum libertas. 4[illegible] 6
Angli quænam a vicinis populis vitia didicerint. [illegible]
Angliæ tributum importabile imponitur. 76. 38
Anglia vetus vbi ſita & eius capitale oppidum. 833. 40
ad inopiam redigitur. 7[illegible]. 10
Dunſtano epiſcopatum, & Edgaro regnum tenentibus felix. 102. 23
Angliæ ſtatus miſer, & pœnæ graues. 62. 43. & ſeqq.
Anglia quot epiſcopatus habeat. 298. 17.
Anglia papæ obedire recuſat 463. 10
Reges omnes fideles facti. 31 [illegible] 38
ſtatus felix. 15. 41
Anglia cur ſæuitiæ & crudelitati Danorum expoſita. 41[illegible] 42
Angliæ regnum inter Heroldum & Hardecautum ſo. tē diuiſum. 418. 6
Regnum in 6. partes diuiſum. 548. 19
Anglia viris ſcientia illuſtribus abundans. 173. 19
à rege Henrico ſecundo, in 4. partes diuiditur. 550 15
inteſtinis diſſidiis quatitur. 179. 38
mortuo Edvvardo rege, de eius ſucceſſore dubitat. 99. 28
Angliæ proceres excepto Dunſtano, cadunt de ſolario. 427 28
Anglia exterorum habitatio & alienigenarum dominatio. 93. 3
ſolo nominis terrore ſubiugatur. 50. 18
prædonibus & lupis vacua. 59. 16 & 20
quot pagos habeat. 461. 17
tota iubente Rege Willielmo deſcribitur. 460. 27
Anglia tributum pontifici Romano offert. 37. 57
Eccleſiæ Rom. quotannis tributum ſoluit. [illegible]
Vetus Leonum, Leopardorum, Lyncium, expers. 101. 33
Anglorum duces primi qui. 310 9
gens, Normannis ad exterminandum datur. 367. 33
populi vnde originē ſumpſerint. 310 5
mores pro variis temporibus, varii. 101. 43
orientalium reges vbi regnarint. 35. 45
quis rex Primus. 34. 10
Anglorum in omni ſtatu vitia. 101. 58. & ſeqq.
in vendendis pueris conſuetudo. 17. 37
regnum in 4. partes à comite diuiditur. 436. 48
effœminata mollities & luxus. 123. 38
Rex de officiis ſingulis horis peragendis, admonetur per candelas accenſas. 41. 44
doctus & multorum librorum ſcriptor. 41. 28
Anglorum potentia & nobilitas ad ſeruitutem redacta. 370. 10
ſtrages magna. 365. 26
in Brittanniam aduentus gratus. 9. 8
Anglorum regum generatio vſque ad Adamum deducta. 41 34
gens naturaliter dura & ſuperba. 344. 40

Con-

Contra Regem Ethelvvulphum conſpiratio. 40.36
Animalium domeſticarum per vniuerſam angliam lues peſtifera. 177.27
Anna Rex à rege Penda prælio ſuperatur. 317.14
Orientalium Anglorum quot filias habuerit. 80.23
Anni 1142. labirynthus rerum & negotiorum inextricabilium, exponitur. 186.47
Annulus Veneri traditus extorquetur. 56.44
Annus in quo omnia iuxta curſum ſolis & lunæ habentur 455.12
Annunciationis feſtum, in diem paſchatis incidens. 661.33
Antichriſtus in ciuitate Romana natus, in ſede Apoſtolica ſublimatur. 681.58.
Cur ſic dictus. 681.15
Antiochia à Chriſtianis obſeſſa. 175.26. capitur. 176.15
Antiochiæ Chriſtiani per ſeptem moratur menſes quieti. 140.10
Antoninus Pius quamdiu monarchiam mundi obtinuerit. 304.8
Caracalla Imperator, quot annis regnarit. 304.52
Antichetillus fraudulenter interfectus. 54.10.
Anſelmus Archiepiſ. nequitiæ temporis cedês, ſponte Angliam deſerit. 123.38.
Lugduni cuidam mulierculæ noctu poſt mortem apparet. 229.57 in magna eſt poſt mortem Dei gloria. 230.10 vbi natus. 215.59. Euiſdem de monachatu deliberatio. 216.12. in Abbatem eligitur. 217.3. Archiepiſcopus Cantuarienſis à Rege pronunciatur. 218.7. Eius honeſta excuſatio. ibid. 17. & 35 Coactus & inuitus Archiepiſcopatum ſuſcipit. ibid. 41 Inter regem & eum ſimultates vnde acciderint. 219.2. 25. pallium archiepiſcopi accipit. 220.42.
Dextræ regis aſſidens qualem ad regem orationem habuerit. 221.11
Anſelmi archiepiſcop. Cantuarienſis ad Thomam electum Eboracenſem, epiſtola. 274.1.
Anſhelmus peccatorum expers. 219.10. iuſſis Edmeri obtemperat. ibid 18
Archiepiſcopus Romam ire parat. 221.54 [illegible] more exagitatur. ibid. 50. Romæ magnificè excipitur. 222.42. Rogat pro rege papam 223.40.
Eius in Angliam reditu, multa corriguntur vitia. 223.29
Romá Lugdunum contendit. 224.41
Mortuo rege Willielmo, in angliam reuertitur. ibid. 51. ſecundo Romam pergit. 226.17. Lugdunum iterum concedit. ibid 47. Beccum diuertitur. 227.7. quando mortuus. 229.6
Appellationes quando in anglia vſurpari cœperint. 3[illegible].26
Apocalypſis Iohannis Euangeliſtæ expoſitio. 681.25
Aquæ benedictæ efficacia & vis aduerſus Diabolum. 619.44
Arcadius Theodoſii filius, quot annis Imperator fuerit. 307.51
Archiepiſ. Eboracenſis coram papa accuſatur. 73.41
Epiſcopus & eorum officiales, quomodo hoſpitari cum ſubiectis debeant. 807.19
Moſſanæ ad papam cur venerit. 773.16
Archiepiſcoporum Eboracenſis & Dorobernenſis Eccleſiæ de primatu controuerſia. 206.20
Archiepiſcopus à Dacis interfectus. 161.46
Facinoroſus. 70 39
Tyri, Regum & principum corda ad crucem Chriſti accipiendam, conuertit. 641.21
Cantuarienſis quot epiſcopos ſub ſe ex antiquo habuerit. 118.5
Eboraci, diu in vinculis detinetur. 51.16
Archiepiſcopi Cantuarienſis & Eboracenſis, quomodo definita. 116.14
Archiepiſcopatus Merciorum, Lichefelde conſtituitur. 20.10. epiſcoporum ei ſubiectorum nomina. ibid. 12
Cantuarienſis, quinquennio vacans. 219.15
Adulf à quibus epiſcopis in regem ſacratus. 34.4.17
Arma non vendenda & qualia quis habere debeat. 611.4
Armillæ aureæ in publicis viis ſuſpenſæ. 44.14
Arnaldia morbus, quo rex Franciæ & Angliæ in obſidione Accon ſunt correpti. 693.12
Arnulfus Lexouienſis Epiſc. relicto epiſcopatu, Pariſiis moritur. 613.12
Arriana hæreſis, tempore regis Conſtantii. 306.42
Arrianæ hæreſis damnatio deſcribitur. 551.57
Arriana hæreſis reuiuiſcit. 573.24
Arthurus Dux Britanniæ factus miles. 705.18
Duodecies dux belli, duodecies victor. 313.36
De cuſtodia regis Franciæ eripitur, & pacificatur cum Iohanne rege Angliæ. 721.40
Bellicoſus anglos intumeſcentes premit. 0.47. de eo Brittonum nugæ. ibid. 48
Arundellum Henrici primi clientelæ ſeſe committit. 156.59
Aſcalonitæ à Baldvvino ſuperati. 147.4
Aſcalona ciuitas Turcis tradita. 636.14
Aſcetinus de Heboſtona monaſterio Croylandiæ præfectus. 909. equo dejectus moritur. 910.22
Aſinus ex homine factus, quomodo reſtitutus. 67.33
Aſſiſa regis Richardi & præcepta de Foreſtis in Anglia. 754.18
De menſuris facta per Richardum regem Angliæ. 774.40
Regis de latitudine pannorum non amplius obſeruatur. 812.29
De armis habendis in Anglia. 614.1
Aſſiſæ Henrici ſecundi regis Angliæ factæ apud Clarendum, & renouatæ apud Northamtune. 540.1
Athelredus è carcere in ſolium regium euectus. 26.42. regnum 4. annis obtinet. ibid. 37. Vltimus Northanimbrorum rex exiſtit. Ibid. 53
Athelſtanus fratrem innocentem, mari exponit. 53.18. Malmesburiæ ſepelitur ibid. 36
Rex varia & precioſa accipit à diuerſis munera. 822.8
Athelvvoldus Clunſtani diſcipulus multorum monaſteriorũ conſtructor 56.36
Athulf regis acta. 843.26
Attila Roman. hoſtis maximus. 308.36
Auaritia archiepiſcopi notabilis. 205.[illegible]
Culpata. 37.18
Et rapacitas liberalitatem ſecuta. 123.11.
Vitium Lõgobardis familiare. 214.23
Audeberti comitis Marchiæ charta de venditione ſui comitatus. 172.13
Auguſtinus in Brittanniam veniens ad regem Ethelberthum nuntios mittit. 121.10. ad regem admittitur. ibid. 26. Manſionem in Dorouernenſi ciuitate accepit. ibid. 29. Regem, & multos ſubditos conuertit ad fidem. ibi. 30. A quo archiepiſcopus factus. ibid. 54
Auguſtini brachium theca argentea incluſum, vbi cernatur. 259.38
Dies apud Anglos ſolennis. 14.21
Auguſtini nomen quando & qua occaſione Carolus Magnus acceperit. 25.42
Auguſtus Cæſar à Brittannia cenſum accepit. 302.25. Eius laus vere ex Eutropio. ibid 30
Auguſtinus Gregorii magni diſcipulus, Archiepiſcopus, vbi ſederit, & a quo citatus. 191.15
à papa Gregorio in Brittanniam miſſus. 837.16
in Anglia fidẽ Chriſti annunciat. 10.16
Chriſtianæ fidei in Anglia fundator, quos ſucceſſores habuerit. 401.15
Scotos & Pictos ſuperat. 321.13. Cæcum ſanat. ibid. 17. vbi ſepultus, & quale Epitaphium habeat. ib. 50
Aurelianus quot annis Imperator. 30[illegible]
Auguria de Planetarum coniunctione. 624.30.53
Aurgouth Imperator Affricanorum exercitum in Hiſpaniam mouet. 328 45
Aurum in viſceribus paganorum inuentum. 698.7
Auis mortua à virgine in vitam reſtituta. 279.12

B

Babylonia ab Almarico rege Ieruſalem quando capta. 512.46
Babylon quæ hodie exiſtit, vetus illa non eſt, ſed à Cambyſe in Ægypto extructa 147.43.
Babylonicus Imperator Chriſtianos Ieroſolymis expellere nititur. 142.50
Eius exercitus à Chriſtianis cæditur. 143 12
Babanburch armis inexpugnabile. 373.47.
Baionia ciuitas à Richardo comite pictauiæ capta. 560.35
Balredus in exilium pellitur, ab Egberto rege Weſtſaxonum. 11.13
Balſo quidam ſolus, ciuitatem integram obſidet. 54.54
Baldvvini loco regis Stephani populum adhortantis oratio. 391.35. capitur in prœlio. 392.32
Baldvvinus per Turcarum acies erumpit 107.42. Babyloniam abductus interficitur. ibid. 46
Fuga ſimulata hoſtes in planitiem protrahens ſuperat. 146.30
cum 69. militibus Euphratem transfretauit. 145.8
Baldvvini cognatus & ſucceſſor, à Turcis captus ab omnibus ſuis per annũ integrum ignoratur. 150.13. liberatur à quibuſdam militibus. ibid. 38
à Turcis ad Ramulam fugatus. 149.
Eos vincit præuia cruce Domini, circa ciuitatem Ioppen. 150.13. Quando mortuus. ibid. 40
Cui regnum Ieroſolymitanum tradiderit. 631.33
In Bethlẽem coronatur. 147.15
mentem ad regnum Ieroſolymitanũ occupandum appellit. 140.6

Godefrido fratri in regno Ieroſolymitano ſuccedit. 144.38
Wigornenſis epiſcopus, fit archiepiſcopus Cantuariæ. 623.26 36
Baldevvini loco regis Stephani ad milites oratio. 486.47
Banchor monachorum quondam receptaculum, in Epiſcopatum mutatum. 18.1
Bancorenſe monaſterium olim nobile. 194
Bangor monaſterium, monachis refertiſſimum. 325.33
Baptiſmi Sacramentum, alui profluuio contaminatum. 62.16
Baptiſmus in Trenta fluuio factus. 328.49
Barbam quomodo Angli radere & tondere ſoleant. 100.19
Bardenium monaſterium, multis Oſvvaldi miraculis clarum. 19 49
Bathuc ciuitas & Caſtellum capitur à Chriſtianis. 773 18
Bathonia ciuitas quingentis libris argenti empta. 254.16
Bearn patricius Elſvvaldi regis igne comburitur. 404.14
Bebanburgh à quo conſtructa. 314.20
Bebbamburg ciuitas, vbi Oſvvaldi regis monſtrantur manus & brachia inuiolata. 19.43
Bebbæ ciuitatis deſcriptio. 403 11
Beccum monaſterium omnis literaturæ gymnaſium. 205.31
Beda hiſtoricus omnem ſuam vitam breui complectitur compendio. 22.12
Bedæ in pertexenda hiſtoria vigilantia. 17.39
Beda ſcriptor hiſtoricus, quando mortuus. 21 30. vbi natus fuerit. ibid. 35
Beda quot volumina & libros ſcripſerit. 22.23. à Romana curia valde deſideratur & expetitur. ibid. 48. presbyter à quo factus. ibid. 19. eius encomium ſatis prolixum, vide 25.1. moritur inter medias precationes, die aſcenſionis Domini. ibid. 48. eius Epitaphium 24.5
Bedefordia à rege Stephano quando obſeſſa. 481.54
Bela rex Hungariæ moritur. 708.17
Beleſmenſis comes à rege Henrico, perpetuo includitur carceri. 158. 11. eius ſæuitia notabilis. ibid. 18
Belgica Gallia à quo dicta. 207.59
Bella regum Angliæ, antequam ad fidem omnes conuerterentur quo tempore & quibus Imperatoribus regnantibus geſta ſint. 119.8. duodecim ab Arthuro, contra Saxones vbi geſta. 313 38
Belli inter Robertum & Henricum regem occaſio. 470.49
Hieroſolymitani deſcriptio copioſa. 374.14
inter Svvetram & Magnum regem Norvvegiæ cauſa. 599.47
Hieroſolymitani initium. 131.20
Duces præcipui qui. 466 33
Belli quod Nazaleod rex Brittannorum contra Certic & Cenric geſſit, deſcriptio. 312.49
Bellum inter Willielmum & Heraldum reges ingens. 368.45
inter Stephanum regem & Henricum Ducem Normanniæ. 397.2
inter Centenſes & Dacos apud Holme 357.17
campeſtre inter Curceles & Gyſortiũ. 782.15
apud Akelen inter Danos & Anglos, omnium maximum. 413.19
Hieroſolymitanum quanta cum alacritate ſuſceptum. 133.3. quanta copia, & quibus populis inchoatum. ibid 16
Brittannis ab Auguſtino prædictum 325.25. inter regem Ine & Nun, cum rege Wales, gerente. 337.33. apud Ellendune quando commiſſum. 343.58
inter Henricum regem & fratrẽ Robertum comitem Noruan. 471.8
apud Tenerſebrei caſtellum, in vigilia S. Michaelis grauiſſimum. 155.1
ingens apud Witland commiſſum. 313.4
ingens ex leui cauſa. 441.15
inter Mercenſes & Weſtſexas ingens. 408.1
apud Brumanburch cruentum. 422.13
Bellum Anglorum cum Danis, in prouincia Steffordenſi. 421.42
inter regem Henricum filium & regem Henricum patrem maximũ 134. 10. & ſeqq. renouatur. 137. 37. apud Walesdunas atrox & cruentum. 95.52
inter Robertum Henrici filium, & Stephanum regem. 302 8
ingens apud Brunesburch quando commiſſum. 354.38
inter Stephanum regem & Gloceſtriæ comitem. 187.17
inter Dacos & Anglos maximum apud Haclea commiſſum. 348 11
Bellum primum quod reges Anglorum inter ſe geſſerunt. 311 6
contra Sudſexas ingens. 316.7
regis Cudrodi cum Brittannis. 140 52
Bellum inter regem Franciæ & regem Angliæ. 645.10
apud Rigmere ingens. 411.16
apud Hereford grauiſſimum. 341 18
inter Iſakium Imperatorem de Cypre, & Richardum regem Angliæ. 690 50
apud Gauelfordam ingens. 411.34
inter Ine & Ceolred reges. 338.5
Bellum Anglorum & Scotorum apud Carrum, quando. 437.9
pecunia leuatum. 62.48 item 63.1. & 63.14
inter Robertum Normanniæ comitẽ & Willielmum regem. 464.48
apud Wippedesflede ingens. 311. 43
apud Miſafeld. 331.48
Roberti Henrici regis filii contra Stephanum regem. 485.40
contra Turcos vltra pontem ferreum apud caſtellum Areth. 375 37
inter Brittones & Daueneſcire apud Gauelford. 341 8
inter Dauid Scottiæ regem & Angliæ proceres. 133.38
apud Æilleſtred quãdo commiſſum. 310.48
Benedictus quidam libros & artifices in angliam varios aduehit. 21.43
Benedicti patientia ſingularis. 294 44
Benedictus Wiræ amnis ripas vtraſque monaſteriis inſigniuit. 294.36
Beom vermes graciles in fluuio del Far. 680.5
Beorn inſidioſe circumuentus perit. 440.50
Beorredus rex totam Helienſem inſulam & terras Croylandiæ ſuo fiſco applicat. 872.28. Romæ moritur. 873.10
Beorredi regis Merciorum charta de confirmatione priuilegiorum Croylandiæ. 865.38
Berctualdus quamdiu archiepiſcopus Cantuariæ fuerit. 196.41
Berengarius Turonẽſis hæreticus quando vixerit, & qualem hæreſin tutatus ſit. 113.22. reſipiſcens, vitam ita inſtituit vt à quibuſdam inter ſanctos habitus ſit. 113 33. valde laudatur ab Hildeberto. ibid. 41
Berẽgarii morituri extrema verba. 114.52
Berengeræ Reginæ angliæ Richardi regis vxori, de dote ſatisfactum. 822 30
Beringera Nauarræ regis filia Richardo regi angliæ deſponſatur. 691 19
Berfrid mortem regis Egfridi & conſulis Beoti vlciſcitur. 323.5
Bernardus abbas Turinenſis paupertatis amore in deſertum abit. 121.55
Bernake mancrium Croylandiæ eripitur 907.2
Bernulphus Merciorum rex bellũ infert Egberto 36 58. Victus fugit. 32.2
Berria à Philippo rege Franciæ occupata. 644.40
Berteri Aurelianenſis quomodo ad accipiendã crucem populum hortatus ſit. 639.43
Bertramnus de Gurdun, à rege quẽ ad mortẽ vulnerauerat dimiſſus, à Marchadeo excoriatus ſuſpenditur. 791.25
Bertud caſtrum in cineres redactum. 131.8
Bertulphus monaſterium Groylandiæ deprædatur. 860.35
Brectvvald' epiſc. quãdo mortuus 401.41
Bibliotheca Eboracẽſis nobiliſſima. 24 28
Birinus Weſtſaxonum epiſcopus à quo ordinatus. 240.13
Birtuſtanus epiſcop' ſubitanea morte extinctus 2.43 10. poſt mortem epiſcopo apparet cum duobus aliis. ibid. 48
Biſia quo Orientalium Anglorum epiſcopus factus. 237 41. Quos habuerit ſucceſſores. ibid. 47
Bithynia Turcis liberata. 137.54
Byzantini nummi intra gingiuas & alia naturæ abdita loca à Turcis abſconditi. 143.33
Bythric regis acta. 541 2
Boamundus à quodã Daniſman captus. 143.12. Antiochenus princeps, quibus parentibus natus. 151.4. a quo ... ſecos cõpedes quibus vinctus iperat ſecum Antiochiam offert. 151.30. moritur Apuliæ. ibid. 44.
Boamundum quid Antiochiæ retinuerit. 140.13
Boamundus muros Niceæ vrbis primus aſcendit. 150.18
Boetii liber de conſolatione philoſophiæ, à rege Angliæ, in Anglicam linguam vertitur. 413
Boiac Imperatoris mors ſubitanea. 660. 43. ficta ſuit. 714.18. Almiramũli Africæ Imperator, cum exercitu in terram Sanctii regis Portugalẽſis venit 669.10
Boyac Almiramimoli Imperator Africanorum ciuitates in Hiſpania prælio campeſtri vincit. 7 6 10
Bonifacius papa à Phoca Imperatore tẽplũ Pantheõ Romę impetrauit. 751 48
Bonifacii archiepiſ. Moguntiacenſis repræhenſio, ad regẽ Ethelbaldũ. 28.30
Bonifacii Papæ ad archiepiſcopũ Dorobernıæ, literæ. 116.41
ad Ethelbertum regem epiſtola. 208 4. Eiuſdem ad iuſtum epiſcopum, literæ. ibid. 20
Bonifacius quid Cuthberto archiepiſcopo ſcripſerit. 20.14
Orientalium Anglorum quamdiu epiſcopus. 217.41
Bonifacii papæ ad iuſtum epiſcopum literæ. 127.1

Boni-

Bonifacius epiſcopus olim Winfridus dictus. 197 44
Brachium Auguſtini centū talentis argenti & talento auri emptum. 289.39
Brenguinus Cantuariæ quamdiu epiſcopus. 108 13
Brecticus homo lubricus & ambitioſus diuinitus punitur. 430.42
Brecthric rex ab vxore veneno interfect⁹. 407.29.
Brithricus Weſtſaxonum rex quot annis regnarit, & eius laus. 16.28
Quo mortis genere deceſſerit. 40.50
Brithvvinus Weſtſaxonum epiſcopus, eiectus recipitur. 254.8
Brithvvbldus, Wiltunenſis epiſcopus, S. Petrum Apoſtolum videt. 249.46
Brithvvoldi epiſcopi Wiltunenſis viſio. 91.15.
Brigæ obſeſſæ & ab Henrico rege expugnatæ. 110.56
Brutovvicus celeberrimus, vbi nautum receptaculum. 283.26
Britannia à Willielmo Normanniæ reſtituitur. 98.36
Britanniam quis coegerit in Romanas leges iurare. 7.49
Britanni qua occaſione ad fidem Chriſti conuerſi. 10.16
Britanniæ regna quatuor, in vnum à quo coarctata. 30.36
Britanni à Weſtſaxonibus protriti. 13. 15.
Diuinitus ab hoſte liberantur. 308.43. 58.
Britannia conterminatum gentium inhiationi obnoxia. 8.13
Quondam Tyrannorum nutricula, philoſophiæ fit domicilium. 11.14
In 35. prouincias diſtributa, & earum nomina. 298.33
Britannia à quo nomen acceperit. 300 15
Brittannia ab aliquibus alter orbis, cur appellata. 21.34
Inſularum beatiſſima. 297.24 Eius ſitus & amplitudo. ibid. 40
Britanni quo conſilio Anglos & Saxones ex Germania euocarint. 8.37
Rerum omnium abundantia, ſcelerati efficiuntur. 309.2
Britanniæ principes in captiuitatem ducti. 175.51
Comitatus duo, ad vnum redeunt. 517.43.
Britannia à quibus nationibus, & quoties oppugnata. 298.20
A quibus, & quo tempore primum inhabitata. 300.5
Brittanni in Galliæ partē tranſlati. 7.58
Britannia per annos 9. quieta. 37.17
Brittones occidentales cur Cornevvallenſes dicti. 50.48
Pecunia ad obſequiū perducūtur. 159.4
Brittonum 2060. vno prælio interfecti. 316.19.
Brittones & hoſtes regis Angliæ ſuperantur. 135.34
alio nomine Wallēſes dicūtur. 46.26
Brittonum aquilonarium vectigal quod Regi Angliæ quotannis ſoluere coacti fuerunt. 50.45
Brittones Anglorum dolo peruertūtur. 9. 17.
Cum Anglis aliquoties præliati. 9.39.
Brittones à Saxonibus fuſi, Londoniam fugiunt. 311.7
Bruto quando in Anglia regnarit. 300.16
Siluij fili⁹ patrē calu interficit. 300.12
Bucardus Eboracenſis eccleſiæ Theſaurarius excommunicatus, ad papam proficiſcitur. 681.5
Burch monaſterium à quo conſtructum. 291.32.
Burdinus ab Henrico V. Imperatore papa factus, Sutrio quo confugerat, quo modo eiectus ſit. 169.12. captus, in monaſterium detruditur. ibid. 35.
Burgenſes de Beuerlaco excommunicantur. 111. 10. Monachi magnæ in mundo opinionis. 914.49
Burgundiæ Ducis cum Anſhelmo amicitia firmata. 222.35
Burredus Merciorum Rex regno pulſus Romam proficiſcitur. 417.28

C

Cadauer mortuum collo interfectoris ſui adhæret. 772.38
Cadomum Roberto comiti Norman. ereptum. 470.43
Cæſarea Paleſtinæ ciuitas à Baldvvino oppugnatur. 148 21
Cairleil ciuitas reſtauratur. 463.22
Caius caligula quot annis regnarit. 302. 46.
Calixtus papa contra promiſſum regi factū, Turſtamica recipi ſub pœna excommunicationis præcipit. 275.19
quando electus. 169.3. Eius ad epiſcopos Galliæ epiſtolæ. ibid. 25
Calixtus antipapa reprobatur. & omnes ab antipapis ordinati degradantur. 568 Calixti papæ ſuper Turſtino ad regem Henricum epiſtola. 472 6
ad Imperatore Henricum V. epiſtola. 160. 10. Calixtus papa nuncios ab archiepiſcopo cantuarienſi miſſos callide fallit. 232.9. prope Normanniam cum rege Angliæ colloquitur. 160.26. regem quomodo laudet. ibid. 38
Calnæ cœnaculum cum omnibus Angliæ ſenatoribus excepto Dunſtano, concidit. 61.15. calles in Britannia quatuor celebres. 299.47
Camelegeac epiſcopus captiuus, redimitur quadraginta libris. 357.20
camiſiam virginis Mariæ. hoſtes non impune ſagittis transfigunt. 47.22
cancellaria archiepiſcopo cantuarienſi data. 713.18
Cancellarius Angliæ accuſatur & deponitur. 713.13
cancer morbus reginæ Ieroſolymitanæ genitalia occupat. 150.17
candela cœlitus in templo accēſa. 102.34
Candelæ pro flagello adhibitæ. 62.27
candida caſa in anglia vbi. 272.51
cur ſic dicta. 334.57
Canonici contributionem pro liberando ex captiuitate rege, denegant. 731. 16. Eboracenſes totam ciuitatem cōmouent. 731.30
cantiæ regnum quando inceperit. 311.9
cantia Hengiſto pro munere data. 9.26
Canciæ Regni terminus & finis. 358.37
plaga occidentalis fere tota à Danis deuaſtata. 429.2
cantia vrbs ab Edilberto rege, fortuito caſu inceditur. 11.41
Cantuaria metropolis Angliæ à Danis obſeſſa per proditionem capitur. 361. 36. ciuitas fere tota cōburitur. 541.46
Cantuariæ regnum ſexennio rege deſtituitur. 11.36
Reges à Lothario vſque ad Egbrichtū qui, & quot annis regnarint. 341.49
cantuariitarum reges vbi regnarint. 35.15
Generoſus ſanguis effugerit. 11.48
Cantuariæ vrbis deſcriptio. 191.20
Cantuaria vbs à Danis inceditur. 431. 46.
Canutus iuramentum ab angliæ proceribus accipit. 436.25. Vitę Edvvini inſidias ſtruit. 436.36. Emmam in coniugium accipit. ibid. 57
Vitæ & morum emendationem Romæ promittit. 437.46. Regnum conſtituit & moritur. ibid. 54
Danorum Rex obſides angliorū manibus, auribus & naribus truncat. 433. 38. magnam prędam agit. ibid. 12. eligitur in Regem Daniæ. 434.13
Capellaria de Bolehā Bartholomæo Exonienſi epiſcopo reſtituta. 568.5
capella S. Mariæ de Spalding monachis datur. 902 40
capitula placitorum coronæ Regis. 744. 10.
captiui poſt mortem Henrici ſecundi regis, omnes liberantur. 614.51
caput à corpore reuulſum, eidem poſt mortem rurſus adunatum eſt. 89.8
Carbunculus peculiare vultus vitium. 231.25.
cardinalis cum meretrice interceptus. 382.45.
cardinales à papa Alexandro in angliam ad Regem Henricum miſſi. 527.18
, crucem prædicantes, mendicando in terram ſanctam pergunt. 636.28
carnredus Tyrannus, incendio perit. 403.38.
carnotenſis Eccleſia pecuniam à Cnutone accipit. 76.4
caradoc filius regis Suthvvalanorum, ædificium Haroldi deſtruit. 440 33
Carolus Rex Suæuorum monarchiam totius imperij Francorum ſcilicet & Romanorum aſſumit. 301.56
Ludouicum patrem ſuum videt in inferno. 39 43. admonetur vt reſipiſcat. 39 14
comes Flandrenſis per proditionem à ſuis occiſus. 478 48
Frāciæ Rex ab apro interfectus. 350.51
Magnus Eadburgam Brithrici regis vxorem, ſtupri ream depellit. 40 16
qua lingua vſus ſit. 21.3
Caroli magnanimitas & fortitudo. 32. 22.
carolus Pipini filius cur Martellus dictus. 21.21.
vnde nomen magni acceperit. 21.31.
temperat ſibi ab imperatoria appellatione. ibid. 34
carolus Magnus, à quo in Dialectica & Rhetorica inſtitutus. 24.41
Rex Francorum quando Imperator Romanorum factus. 409.28
caroli M. ad Offam Merciorum regem epiſtola. 32.48
caroli Imp. viſio, prolixe deſcribitur. 39.8
carolus Rex Francor. mittit in Angliam ſynodalem librum, in quo multa veræ fidei contraria reperta ſunt. 405.2
Marcellus viſibiliter poſt mortem à malignis ſpiritibus ex ſepulchro abripitur. 86.3. Rex Hunnorum gentem armis vaſtat. 495.18
Caluus Imperator eligitur & à Papa Ioanne conſecratur. 38.44
caroli M. proſapia in quo ceſſarit. 47. 49.
carrucata vel hyda terræ quælibet in Anglia numerat Regi quinque ſolidos. 738 55
Calliballauni oppidum munitiſſimum à Cæſare expugnatum. 302 6
carus quamdiu Imperator. 305.10
caſtellum de Luches à rege Richardo vi & armis capitur. 740.36

Caſtella Epiſcoporum regi reddita.181. 53.
aliquot Andegauiæ, Regi reddita. 537.3.
angliç.regi Henrico,omnia traduntur & pax in anglia conſtituitur. 540.3
caſtellum Chriſtianorum ad vadum Iacobi,à Saladino euerſum. 566.40
caſtella in Anglia & Normannia aliquot demolita. 514.8
caſtitas ſacerdotum Romanenſium. 382.45.
Caſtrum de Palud occupatum à Rege Franciæ. 641.39
cauitas ſub terra apud Chedetole. 299.43
ceadvvalla ad fidem conuertitur. 330.29
ceaulini in prælijs robur ſpectatiſſimum. 12.28.
ceaulin & cutvvin reges, contra Britannos pugnant. 315.17.24. quando mortuus. ibid.34
ceaulinus Weſtſaxonum rex 3. Ethelbertum cantuaritarum Regem in fugam conuertit. 12.30. Brittannos vrbibus exutos in confragoſa loca compellit. ibid.35. vbi & quando, ſuperatus bello, deceſſerit & mortuus ſit. ib.41
celdus epiſcopus Londonienſis. 231
cedvvalla apud Deniſesburne interemptus. 330 31
cedvvalla & Mul centenſem prouinciam populantur. 331.53. Romæ baptizatus moritur. 336.38
cum fratre Mollone Cantuaritas oppugnat. 11.25
quis fuerit 14.13. quanta rei bellicæ facinora ediderit ibid.19. quam pius fuerit ante baptiſmum, ibid.28. Baptizatur Romæ à papa Sergio, & Petrus vocatur. ibid.31
Celeſtini papæ epiſtola ad archiepiſcopos & epiſcopos per angliam conſtitutos. 722 49
ad Philippum Beluacenſem epiſcopum reſcriptum. 271.13
Celeſtini papæ ad prælatos angliæ epiſtola. 706.20
Celeſtinus papa intercedit pro Iohanne de ſancto Paulo. 773.20
Celeſtini papæ epiſtola de irritatione ſententiæ in Dunelmenſem epiſcopum prolatæ. 713 31
Celfridus abbas monaſterij Petri & Pauli, vbi mortuus. 22.2
Celnothus quot menſibus in Cantuaria archiepiſcopus fuerit. 199.58
Celredus Rex inter epulandum à maligno ſpiritu abreptus. 28.55
Celvulphus ab Ida, Rex ſeptimus, doctus & peritus. 21.25
Rex, in Lindiffarnenſi cœnobio monachus. 24.14
Cenomannum caſtellum & ciuitas ſubuertitur. 292 50
Cenred & offa reges Romæ monachatum accipiunt. 337.30
Cenricus Weſtſaxonum Rex 21. quot annis regnarit. 12.20
Cenſus ingens Dacorum exercitui redditus. 361 8
Omnium capitum & prædiorum in tota anglia Willielmo redditus 106. 8.
Centuuius Rex Britannos perſequitur. 839.21.
Centuriæ & decimæ in anglia inſtitutæ. 44 38.
Ceolredus Merciorum Rex, Liceſeldæ ſepultus. 28.17
Cenomannia à Willielmo Normanniæ duce ſubiugatur.
Ceolf Regis Merciorum bella. 842. 10.
Ceolvvulphus anglius genere ſede barbarus impietate fit rex Merciorum. 874.52.
Cenvvald quot annis ſuper Weſtſexe regnarit. 317.10 fugatur a rege Penda. ibid.15. Britannos ſuperat. ibid.31
Cenuual imperium & res geſtæ. 838 53
Cenulf Regis principatus & acta. 840. 40.
Ceolvvf quot annis ſuper Weſtſexe regnarit. 311.49
Regis Nordhumbre genealogia. 340. 12. fit monachus. ibid 39
Cernel locus, ex euentu dictus, quid ſignificet. 230.14
Cernelienſis abbatiæ exordium. 250.39
Cerdicius Weſtſaxonum in Britannia regni auctor, quando & quantis copiis in Britanniam venerit. 12.14
Cereus Deo oblatus à rege Stephano, frangitur in epiſcopi manibus. 391.21
vice horologij. 874.12
Certic quot annis regnarit. 313.24
Certic & Cenric cum 5. nauibus Certiceſore veniunt. 312.34
Ceruum capere, capitale. 124.13
Ceſtra legionum ciuitas cur ſic dicta. 288.45
Oppugnata. 17 53
Ceſtrenſis comes in carcerem coniectus, liberatur. 394.12
Charta Richardi regis angliæ de ſtatutis illorum qui per mare ituri erant. 366 11.
De Mannerio de Sadberga, vendito Hugoni Dunelmenſi epiſcopo. 658.10
Charta pacis factæ inter Richardum regem Angliæ & Tancredum regem Siciliæ. 616.10
Richardi regis angliæ, de libertatibus Willielmo Scotorum Regi conceſſis. 662.30
De Sadberge reddenda Hugoni Dunelmenſi epiſcopo. 667.20
Charta Dunſtani & Oſketuli epiſcoporum, pro monaſterio Croyland. 886. 20.
Regis Edredi de monaſterio Croylandiæ. 878.6
Edgari pro monaſterio Medeshamſted reſtaurato. 887.30
Charta priuilegiata Edredi regis quam fecit monaſterio Croylandiæ, confirmatur à Willielmo rege. 916.25
Cheorl comes Domnaniæ contra Danos pugnat. 414.48
Chriſtiani cur pugna aliquoties victi, alias inſuperabiles. 146.40
aliquot ad Saracenos deficiunt 635 42
miſere capti trucidantur, & campum omnino perdunt. ibid.13
Chriſtianus Moguntinus archiepiſ. Romanos cohercet. 621.54. veneno interficitur. 622.8
Chriſtianus candidæ caſæ epiſcopus ab officio ſuſpenſus. 567.33
Chriſtiani prohibentur ſeruire Saracenis. 584.15
Chriſtianus archiepiſc. Mogunt. Friderici Roman. Imper. Cancellarius capitur. 592.57. liberatur. 593.7
Chriſtianorum in obſidione Damacena ſtrages. 584.41
Chriſtiani cum Iudæis & Saracenis habitare non debent. 586 40
Chriſtianorum militum Nicea diſcedentium numerus. 135.20
Chriſtianus in ciuitate Accon inter paganos incognitus. 693 54
Chriſtiani Saracenis caſtella ſua tradunt. 640 43
Chriſtianum Imperium maxime ad Francos ſpectat. 24.50
Chriſtiani in bellum contra Turcas cum lachrymis progrediuntur. 176.42
à Turcis in terra ſancta interfe. 479.13
Chriſtianorum aduerſus Saphadin victoria. 772.37.
Chriſtiani ſub dominio Turcorum Ieroſolymis remanentes. 141 32
cibi qui minus ſufficiunt, auidius ſumuntur. prouerb. 17.44
Ciceſtriæ ciuitas fere tota comburitur. 640.42
Ciceſtra ciuitas per incuriam flammis conſumpta. 471.17
cidirenſis epiſcopatus ſedes in vrbem Exceſtre transfertur. 216.14
cinegiſlus & Quicelmus fratres ſimul regnantes, ad mundum concordes. 12.46
ad fidem Chriſti conuertuntur. 13.2
Cinigels regis principatus. 838.40
Cinnomanicus comitatus à Willielmo, Normanniæ reſtituitur. 98.20
Cypre Inſula à Rege Richardo occupata. 692.20
Circuli circa ſolem quatuor viſi. 470.26
Ciſtellenſis religio quando cœperit. 126. 19. à quo inſtituta. 127.6. qua occaſione cœperit. 127.40. qualiter viuant & ſeſe veſtiant. ibid.48
ciues Romani 56. ſenatores eligunt. 746. 52
ciuitatum in Brittannia nomina & numerus. 298.6
Ciulæ, naues quibus Germani in Brittanniam delati. 8.47
Claudius II. Imperator, quot annis regnauit. 105 15
Claudius Cæſar Orcadas inſulas Romano imperio ſubijcit. 302.50. quamdiu regnarit, & eius laus. 303.1
Clauis in mare proiecta reperitur in exenteratis piſcis recore. 284.45
Clemens tertius papa factus. 640.40
Clemens papa tertius moritur. 689.10
Clementis papæ ad Glaſcuenſem epiſc. literæ. 646.27. Eiuſdem ad Willielmũ regem Scottorum epiſtola. ibid.35. Eiuſdem epiſtolæ tres. 647
Clementis papæ ad Willielmum regem Scotiæ epiſtola. 651.30
Clerici cum vxoribus in monaſteria introducuntur fugatis monachis. 427. 4.
Clerici cuiusdam conſtantia à Cæſare probata. 78.18
Clerici in ſacris ordinibus conſtituti focarias habere non debent. 589.8
Clerici non præſumant ſeculares procurationes ſuſcipere. 589.52
Clerici quomodo præſentandi. 588.20
Clerici mollem vitam regulari præferentes Wintonia eiciuntur. 16.58
Clericis in ſacris ordinibus conſtitutis focarias habere non licet. 809.9
Clericorum inſcitia & ruditas. 101. 59
Clericorum in anglia ſeditio. 61.4
Clericos violantes non niſi à papa abſoluendi. 488.25
Clericus à ſanctimoniali cum qua rem habuerat per niuem portatus. 77.55. epiſcopatum accipit, à Cæſare. 78. 2.
Clito aliquot prouincias depopulatur. 434.15

Clito

Clito Eaduuardus ex Hungaria in Angliam reuertitur. 444.38.
Cnut Dacorum Rex à ſuis in monaſterio trucidatur. 371.27
Cnut Rex Dacorum querelas ad Papam varias deferr. 792.20
Cnut Rex potentiſſimus mari imperare ſtatuit. 304.40
Cnut obſides, manibus & naſo truncat. 362.20.
Cnut Rex Dacorũ potentiſſimos quoſq; Anglorum trucidat. 303.54. Romam proficiſcitur. 364. 27. moritur ibid. 37.
Cnuti regis pro confirmatione monaſterij Croylandiæ charta. 896. 12 eiuſdem literæ de ſua proſperitate ad Archiepiſcop. & epiſcopos Angliæ. 897.32
Cnuto in Angliam reuerſus, omnia incendijs & cædibus fœdat. 71.41.
Cnuto totũ Angliæ regnũ expugnat. 72.38
Cnuto epiſtolam Anglis Roma ſcribit. 74.21.
Cnuto cur Edmundi relictam vxorem ſibi matrimonio iunxerit. 73.43
Cnuto quando & quamdiu regnum obtinuerit. 73.24
Cnuto vitam emendat & Romam proficiſcitur. 74.15
Cnuto, Svvani filius à Danis in Regẽ eligitur, & ab Anglis oppugnatur. 71.14 eiuſdẽ crudelitas inhumana. ibid. 16
Coccinei coloris tinctura vnde fiat. 497 34
Cœnredus frater Conſobrinus Friderici imperatoris accipit à Papa Archiepiſcopatum. 368. 55.
Colonienſis Archiepiſcopus in Angliam venit. 623.43
Colloquium Iohannis Angliæ & Philippi Franciæ regum de coniugio Ludouici filij regis Franciæ. 700.15
Colloquia inter reges Franciæ & Duces Normanniæ vbi haberi ſolita. 645.29
Colloquiũ inter Regẽ Angliæ & Regem Franciæ, de pace inter filios regis Angliæ cum Henrico patre faciẽda. 136.12
Colloquium inter Regem Franciæ & Regem Angliæ de dodario, Henrici filij &c. 62.27
Columba abbas quando de Hibernia venerit. 870.2
Columba diuinitus miſſa homicidium detegit. 86.15 & 15
Comam alentes taxantur. 176.6
Cometa anno 1066. apparens, quid denotarit. 904.2
Cometa circa lacteum circulum. 472. 41. 47
Cometa per totũ mundũ viſus. 447.58
Cometa famem prænuncians. 357.2
Cometæ duo vno anno ſimul apparent. 406.23
Cometa more inſolito apparens. 379.58
Cometa tribus menſib. apparens. 318.42
Cometæ in Anglia viſi quid portenderint. 61.1
Cometæ duo circa ſolem terribiles. 338. 57
Cometa 15. diebus in Anglia viſus. 125.
Comes buccella panis ſuffocatus moritur. 502.8
Comes Ceſtrẽſis imperatrici perpetuam fidelitatem pollicetur. 187.12
Comites & Barones ſub qua conditione Iohanni Regi fidelitatem iurauerint. 793.18.
Comites, Barones & milites fere omnes in Anglia crucem accipiunt. 629. 20
Comitiſſa, Arthuri mater, capitur. 766.7
Commodus Imperator, quandiu regnarit. 304.31
Compoſitionis inter Henricum Imperatorem, & Richardum Regem Angliæ forma. 728.10.
Conani cuiuſdam, proditionis inſimulati, interitus. 355.50
Concilia 20. quatuor menſibus habita. 266.12
Concilij à Richardo Cantuarienſi Archiepiſcopo, Londoniæ apud Weſtmonaſterium celebrati, ſtatuta. 342.12
Concilij anno 1112. Romæ habiti, actio & conſtitutio. 268.1 & ſeqq. Qui Archiepiſcopi & epiſcopi, ei interfuerunt. ibid. 24
Concilij ab Agathone Papa Romæ habiti forma. 263.7
Concilij generalis Romæ à Papa Alexandro habiti deſcriptio. 382.34
Concilij à Lanfranco anno 1075. conuocati actio deſcribitur. 233.48
Concilij Eboracenſis decreta. 733.27
Cõcilium Londoniæ habitum de vxoribus ſacerdotum prohibendis. 479. 42
Concilium apud Verzelei ab Leone Papa, celebratum. 363.48
Concilium apud Windeshores à Rege Henrico celebratum. 346.46
Concilium Londoniæ celebrandum impeditur. 310.41
Concilium Wintoniæ anno 1139. celebratum. 182.14
Concilium ab Anshelmo in Anglia celebratum, & eius acta. 228.13
Concilium in vrbe Aruernorum apud clarum montem congregatum. 130.35
Eiuſdem concilij decreta. ibid. 48
Concilium Romæ à Papa Vrbano, in eccleſia S. Petri celebratum. 224.21
Concilium generale à rege Henrico Londoniæ celebratum. 301.46
Concilium in ciuitate Caſſelenſi celebratum. 528.1
Concilium ab Archiepiſcopo Cantuariæ celebratum. 188.21. quomodo ſolutũ 189.37
Concilium apud Barum ab Vrbano pontifice celebratum. 225.20
Concilium de vxoribus Sacerdotũ prohibendis apud Londoniam. 384.24
Concilium apud Weſtmonaſterium à legato Apoſtolico celebratum, & quid in eo actum. 191.17
Concordia inter Gaufridum Eboracenſem Archiepiſcopum & Willielmum Elienſem epiſcopum, Cancellarium regis, facta. 739.49
Concordia finalis inter Philippum Regem Franciæ & Iohãnem Regem Angliæ. 814.5
Concordia finalis inter Archiep. & monachos Cantuariæ. 805.42
Concordia inter Regem Stephanum & Henricum ducem firmata. 388.7
Concordiæ inter regem Henricũ & Rodericum regem Conactæ, factæ formula. 540.52
Concordia inter regẽ Franciæ & regẽ Angliæ apud Meſſanam facta. 674.45
Concordia inter Baldevvinũ Archiep. & monachos Cantuar. conſtituitur. 661. 52
Concordia Eardulf & Kenvvlf regum, per epiſcopos facta. 407.9
Concordia inter Papam Alexandrum & Fridericum Rom. Imperatorem vbi & quibus perſonis firmata. 368.16
Concordia finalis inter Regem Franciæ & Henricum regem Angliæ quomodo facta. 570.45
Concordia inter fratres regios, laudabilis. 12.48
Conditiones pacis Saladino propoſitæ. 694.7.47 695.12
Coniuratio contra regem Willielmum facta. 416.44
Conradus Marchio, regi Franciæ ad multa iniuſta author exiſtit. 693.28
Conradus Marchio in Tyro interficitur. 716.32
Conſpiratio aduerſus Willielmum iuniorem regem Angliæ. 461.50
Conſpiratio aliquot populorum aduerſus Chriſtianũ Archiepiſcopum Moguntinum. 392.46
Conſtantia Romanorum imperatrix, moritur. 789.48
Conſtantia Soror Lodouici regis Franciæ, Raimundo comiti de S. Ægidio in vxorem datur. 490.12
Conſtantia comitiſſa Britanniæ, Arturum parit. 634.
Conſtantia imperatrix in manu Tancredi traditur. 746.25
Conſtans ex monacho Cæſar factus apud Viennam interficitur. 307.52.
Conſtantius imperator quot annis regnauit. 306.6 Eius laus. ibid. 12
Conſtantinus Imperator, quot annis regnauit. 306.10. quomodo ad Chriſtianam fidem conuerſus. ibid 19. baptizatur Romæ ibid. 23. eius laus, ibid. 37
Conſtantius in occidente & Galerius Maximinus in oriente, quando Imperatores facti. 265.40
Conſtantini Imperatoris de Bizantio ſomnium, & eius explicatio. 136.54
Conſtantinus quomodo vrbem Conſtantinopolim ornarit & extruxerit. 110.12
Conſtantinus Scotorum Rex, cum alijs regibus quinque & 12. comitibus interemptus. 49.12
Conſtantinopolis olim Byzantium dicta quomodo nomen mutarit. 136. 23
Conſul quidam qui rigidior æquo fuerat, comburitur. 341.10
Conſuetudines Scaccarij ſuper debitis Domini regis inquirendis. 815.28
Contentio circa inueſtituras ſopita. 378. 25
Contributio ad redemptionẽ regis, qualis & à quibus facta. 731.17
Controuerſiæ inter Turonenſem & Dolenſem Eccleſiam de iure metropolitico, deciſio. 797.9
Controuerſia inter Cancellarium regis Angliæ & Iohannem comitem Moretonij quomodo finita & ſopita. 700 18
Controuerſia inter Guidonem & Conradũ Marchionẽ finita. 696.52
Conuentio inter Normanniæ comitẽ & Willhelmum regem. 462.24
Conuentio inter regẽ Henricũ & comitẽ de Mauriana, in cauſa filij regis Iohannis, & filiæ comitis Aalayes. 552. 40
Conuentreia cœnobiũ in Ceſtrenſi diœceſi, à quo fundatum. 129.44
Conuentus apud Londoniam ſuper diſcordia epiſcoporum. 385.8
Conuentus Bathoniæ de pace inter regem Stephanum & imperatricem facienda irritus. 386.32

Conuitium regium admodum cruentum. 210.1
Conus Cardinalis epiſcopos excommunicat. 473.38
Copſius Northimbrorum comes, ab Oſulfo detruncatur, 424.35
Corbaguath Turci inſolentia. 139.44.
Corbanach Dux Turcarum, eos ex fuga conuertit.153.34. interficitur à comite Normanno. ibid.43.
Corch regimini Roberto, pro ſeruitio 60. militum datum. 567.3
Corduba ciuitas vbi. 711.30.
Corona regis imagini Chriſti, quæ cruci äffixa erat, impoſita. 264.47.
Corona aurea Richardo regi ab Imperatore mittitur. 717.42
Coronæ ſpineę particula Criſtallo incluſa regi Angliæ dono miſſa. 51.30.
Coronatio Richardi regis Angliæ poſt liberationem. 718.10.
Coronationis Richardi regis Angliæ ordo. 656.34
Corpora in Anglia quinque, quæ poſt mortem corruptionem nō viderunt. 87.22
Coruus Imperatori interitū annunciat. 597.23
Coſpatricus comitatum Northimbrorū pecunia redemit. 424.38. vbi mortuus, ibid.51. Eius filii qui. ibid.55.
Coſpatricus honore comitatus priuatur. 454.10.
Cremenſis cardinalis cum meretrice interceptus. 478.10
Cremona & Mantua incendio exterminatæ. 170.23
Cridia villa vulgo Deueneſcira dicta 212. 45.
Cridienſes epiſcopi enumerantur. 251. 49
Criniti Angli cuiuſdam ſomnium, 176.7
Croland inſula vbi. 292.35
Croylandia inſula ab omni reditu & ſeculari conſuetudine liberatur. 853.40
Croylandia monaſterium à paganis miſere ſpoliatum. 870.39.871.6.
Croylande à quo Curteyſe nomen accepit. 876.40. reſtauratur 877 50.
Croylandiæ terra vt lapideam molem ſuſtinere poſſit, firmatur. 855.12
Croylandiæ monaſterij crementa & poſſeſſiones ſub abbate Ingulpho. 911 20
Croylandia per chartam patentem datur Turketulo.878.5. reſtauratur. 882.50
Crucem ſuſcipientes remiſſionem peccatorum accipiunt. 641.49
Crucis ſignum in cœlo viſum. 466.
Crucis ſignū in veſtibus apparet. 343.39
Crucis ſignum in veſtibus quando apparuerit. 419 18
Crucis Dominicæ lignum, quali paganis viſum. 566 34
Crucis Chriſti particula, Criſtallo incluſa, regi Angliæ dono miſſa. 51.37
Crux Chriſti, cum imagine crucifixi in aere viſa. 649.35
Crux Chriſti ſanguinem remittit ex latere & lachrymas ex oculis. 773.38
Crux ſancta quando & à quo inuenta. 141.10.
Cubicularij regij aſtutia. 123.4
Cudredus rex moritur. 341.49
Cudredus rex magnus & excelſus moritur. 408.34
Cultellus, veneni ſi quid in ædes illatum, aperiens. 151.46
Cumbra conſul nobiliſſimus, pro miſeris ſubditis apud regem intercedens, impie occiditur, 408.38
Cumberland regio & Cumbri qui. 218. 46
Cumberland prouincia, regi Scottorum committitur. 13.36.
Cumberland prædatur & conteritur. 355.32
Cumberland à Coſpatrico comite vaſtatur, 412.39
Curuans Saladini, à Richardo rege Angliæ ſuperata. 716.10.
Cutha contra Britannos pugnans, quatuor caſtra vincit. 315.9
Cuthredi regis principatus. 841 16
Cuthberti corpus pro palam effertur. 278.12
Cuthbertus Herefordenſis epiſcopus quos ſucceſſores habuerit, 285.42. Verſus de eo. ibid. 22.
Cuthredus venditus redimitur & in regem ſublimatur. 418.31
Cuthbertus abbati Edredo per viſionem adſiſtit. 418.29
Cuthbertus regi Elfredo apparet dormienti. 276.18
Cuthburga, regis Inæ ſoror, monialis facta. 15.8
Cuthbertus Archiepiſcopus Cantuarienſis, concilium inſtituit. 297.2
Cuthbertus Elfredum regem conſolatur 43 13.
Cuthbertus epiſcopus regi in ſomnis apparet, eumque conſolatur. 873.25
Cuthbertus à Wilhelmo Malmesburiēſi epiſcopo inuocatur. 278.33
Cuthbertus ſanctus paganos in mari vinciſcitur. 405.48
Cuthberti corpus poſt annos 418. integrum inuentum. 470.18
Cuthberti corpus ex inſula Lindisfarne transfertur. 276.6
Cuthredus ſolo nomine 8. annis regnat. 11.52.
Cuthbertus in epiſcopum electus. 20.10. Regem Egfridum abſens prædicit interfectum, 21.5

D

Daci ſanguinem ſuorum vindicaturi locuſtarum inſtar in Angliam veniunt. 360.7
Daci omnes in Anglia vno die & vna hora interficiuntur. 360.4.
Daci in Angliam aduecti multa prælia faciunt. 345.18.
Daci omnia ferro & flamma vaſtant. 358. 14
Daci cum 33. nauibus apud Hamtonam appellunt. 347.50
Daci apud Gipeſvvic veniunt. 361.9.
Daci cenſum ab Anglis accipiunt. 317. 44.
Daci ab Anglis 8000. libras accipiunt pro pace. 361.53.
Dacorum exercitus quaſi fluuius omnia inundat. 349.20
Dacorum naues 120. apud Svvanavvic pereunt. 310.7
Daibertus cur patriarcha Ieroſolymitanus conſtitutus ſit. 145.35
Dalreudini à quo vocati. 300 37.
Danegeld quid ſit & qua neceſſitate conſtitutum. 603.20
Daniel propheta Conſtantinopolitanus, & eius vaticinium, 649.55
Daniel Wintonienſis epiſcopus quos habuerit ſucceſſores. 241.12
Danigeld tributum grauiſſimum Angliæ in perpetuum relaxatur. 901.28
Dani in loco qui dicitur Edderandum trucidantur. 417.58
Dani à quo ex orientali Anglia expulſi. 14.41
Dani igne & ferro paſſim impune graſſantur. 429.22
Dani piratæ argento repelluntur. 62.47
Dani loca ſanctorum populantur. 26 57 regem in Anglia multis annis habent proprium. 27.2
Dani cum alijs paganis, Angliam annis 230. affligunt. 412.50
Dani Anglis multum infeſti 63.5
Dani omnes vno die in tota Anglia trucidantur. 64 3
Dani tributum 10. librarum ab Anglis accipiunt. 428.0.36
Dani qui Chriſtianam fidem recipere recuſarunt, quantum mali fecerint. 43. 44.
Dani omnium maximam plagam Britanniæ inflixerunt. 412.14
Dani piratæ Hamptonia & Wintonia direpta, in Cantia hyemare conſtituunt, & ab incolis fugantur. 42.6
Danici furores in inſula Lindisfarne. 275. 45
Daniſman captiuum Boamundum dimittit. 151.26
Danorum gens piratica. 16. 30. totam Brittanniam inundauit. ibid.33
Danorum rex Gudrum cum 30. proceribus & omni ſuo populo baptizatur. 41.36.
Danorum regum qui poſt Cnutonem fuerunt, genealogia. 160.15
Danus rex, a rege Elfredo poſt baptiſmū orientalium Ægloch, & Northanimbroch accipit regnum. 43.38
Dardanus principium dedit Brittonibus. 300.7
Dauid rex Scotiæ Stephano regi concordatur. 482.16
Dauid Rex Scottorum Henrico nepoti ſuo arma virilia tendit, 395.8
Dauid Rex Scotiæ manſuetudine & ſapientia celebris. 93.17
Dauid Scottorum Rex iuramenti ſeruator conſtans. 387 22. Exercitum in Angliam promouet. 388 18
Dauid Scotus, Bancornenſis epiſcopus Henrici V. Imperatoris factum, quod Papam captiuum tenuit laudat. 166. 30.
Dauid Rex Scottorum moritur. 490.46
Decanus & theſaurarius Eboracenſis Eccleſiæ excommunicantur. 664.48
Decimæ per omnem Franciam colliguntur ad ſubuentionem terræ Ieroſolymitanæ. 642.49
Decimæ colliguntur in Anglia ad ſubuentionē terræ Ieroſolymitanæ 641. 31.& 51 item 642.40
Decimæ Eccleſijs reddendæ. 262.30.40
Decimæ non minuendæ occaſione mercedis ſeruientium. 808.46
Decius Chriſtianorum perſecutor anno vno & tribus menſibus regnat. 305. 10
Decreta Alexandri Papæ de Romano Pontifice eligendo. 582.50
Decreta Huberti Cantuarienſis Archiepiſcopi. 806.23
Decretum Alexandri Papæ de Eccleſia interdicta, & interdictionum ſepultura. 590.10
Degſa lapis, locus percelebris. 17.38
Dei in Sigeberto rege iudicium & retributio. 408.49
Deira Northanimbriæ prouincia. 17.19
Denarius ſancti Petri qualis. 603. 19

Dene-

Benevvulfus epiſcopus, primo ſubulcus fuit. 242.50
Deſiderius Papa Calice veneno infecto ad primam Miſſam cecidit. 109.6
Deſiderius Longobardorum Rex oppugnatur à Pipino. 25.30
Deus dedit, Archiepiſcopus Cantuarienſis. 196.13
Deus-dedit, Archiepiſcopus Centenſis, à quo ordinatus. 112.16
Diabolus multis Normannis horribili ſpecie apparet. 468.13
Diaboli cum epiſcopo in forma ſerui, lucta. 279.47
Diaboli propter Captionem crucis torquentur. 629.49
Diabolus obſtetricis officio fungitur. 029.11.
Diabolus à puero virga abigitur. 203. 2.
Diabolus Eccleſiaſtico Cœtui ſalutem & literas mittit. 99.12.
Diabolus fluuius rapidiſſimus, multos abſumit. 136.27.
Diaboli in templo corpus exanime crebris malleorum ictibus torquent. 245. 11.
Diabolus mille annis ligatus, quando ſolutus. 818.57
Diabolus viſibiliter hominibus apparet. 125.50
Diei naturalis horæ in tres æquales partes, à Rege Anglorum diuiſæ. 41.41.
Dies pacis in regno Angliæ. 601.35
Dies in Anglia longiſſimi & breuiſſimi, quot horarum ſint. 299.31
Diſcordia inter Regem Henricum primum, & Anſelmum Archiepiſcopum 470.2
Diſcordia inter primates in Anglia. 461. 15
Diſcordiæ inter Henricum patrẽ & Henricum filium reges ſeminarium. 531. 43
Diſcordia inter ciues Meſſanæ & exercitum regis Angliæ. 674.4
Diſcordia monachorum & Abbatis Glaſconiæ. 112.22
Diſcordia inter Regem Henricum 2. & Thomam Archiepiſcop. Cantuarienſem. 492.37. concordantur. 497.10
Diſcordię inter regem Henricum & filios ſuos cauſa. 618.48
Diſſenſio inter Piſanos & Ianuenſes. 213.14
Diſſenſio inter Radulfum & Turſtanum Archiepiſcopos. 380.16
Diſſenſio grauis inter Gaufridum Eboracenſem electum, & Henricum eiuſdem eccleſiæ decanum. 664.30
Diſſenſio grauis inter ſcholares & ciues Pariſijs oritur, & eius cauſa. 801. 46
Diſſenſio Philippi Dunelmenſis epiſcopi & Bertranni Decani eiuſdem eccleſiæ in donatione eccleſiarum. 286.18
Diſſenſio inter Cancellarium regis & Iohannem comitem Moretonij, in Anglia, grauis. 687.46
Diſſidium inter Papam Lucium & Romanos graue. 621.50
Diocleſianus cum Herculio Maximiano, quot annis imperator. 305.31. Eius laus ibid.58.
Dionyſius in ſomno viſus, virginem ſanctã manu amicabiliter tenens. 312.22
Diuiſæ caſtellum multis ſumptibus factum. 181.10
Diuiſæ caſtellum quomodo à Rege Stephano occupatum. 484.38
Diuitibus ne in incerto diuitiarum ſpem ponant, exemplum illuſtre præponitur. 184.10
Diuortium mira calliditate reparatum. 634.25.
Diuortium inter Lodouicũ regem Franciæ, & vxorem eius Alienor, quo anno factum. 491.7
Diuortium inter Iohannem Regem & Havviſiam vxorem ſuam factum. 803.33.
Dyrrachium vnde & cur ſic dictum. 151. 10. occupatur à Guiſcardo. ibid.11.
Dominicę diei obſeruatio neceſſaria pręcipitur. 881.40
Domitianus quot annis regnarit. 303.34
Donatio abbatiæ Croylandiæ facta, confirmatur. 853.40
Donorum excurſus ingenioſe & prudenter repreſſi. 46.28
Dorceceſtria villa vbi. 100.5
Dorceſtria à quo epiſcopalis ſedes facta. 241.17. ſedes inde in Wintoniam tranſlata. ibid.21
Dorceceſtrenſium epiſcoporum nomina 290.7
Dorcic ciuitas epiſcopo Birino donata. 331.19
Dorobernenſis Archiepiſcopatus vacat quatuor annis. 215.13
Dracones volantes per aerem viſi. 344.8
Dracones flammei in aere viſi quid portenderint. 410.45
Draco niger aquas & naues, in gulfo Sataliæ attrahit. 709.24.
Drake caſtellum à rege Stephano capitur. 398.46
Ducach Rex Damaſceriorum in loco periculoſiſſimo, Baldvvino ſe opponit. 140.12
Duces præſtantiſſimi in obſidione Nicææ vrbis. 374.21
Duduc epiſcopus Willenſis moritur. 445.4.
Duello puer, giganteæ molis hominem ſuperat. 72.27.
Duellum inter reges Cnut & Edmundum. 363.33
Duſenaldus fit Rex Scotiæ. 464.21.465.14
Duncanus Malcolmi filius nothus, Rex Scotiæ conſtituitur. 461.8.24
Dunckanus Scotiæ regem Duſenaldum regno pellit. 464.25. occiditur à ſuis. 465.13
Dunelmi collis deſcriptio. 276.15
Dunelmenſis eccleſia deſolata. 451.51
Dunſtani Archiepiſcopi commendatio. 56.21
Dunſtani ad Egelredum regem prophetia. 427.20
Dunſtani Vaticinium de Edgitha, regis Edgari filia. 90.36
Dunſtanus fit patriarcha Anglorum. 421.41
Dunſtanus abbas Glaſtonienſis, mortem regis præuidet. 54.33
Dunſtanus Archiepiſcop. quando mortuus. 62.44
Dunſtanus laſciuientem regem, cubiculo extrahens, ſibi inimicum facit. 55. 31. pellitur in Flandriam. ibid.37

E

EAdbertus Cantuariorum rex oculis & manibus priuatur. 406.36
Eadbyrthi regis acta. 840.13
Eadburga monaſterium à Carolo Francorum rege accipit. 407.39. deprehẽſa in adulterio abijcitur ibid. 50. moritur in Pauia. ibid.52
Eadburgæ Reginæ inſolentia & tyrannis. 407.29. maritum veneno interficit. 407.29
Eadburgæ, Offæ regis Merciorum filiæ, malitia. 40.46. & ſeqq.
Eadgarus Rex Anglis memorabilis quãdo mortuus. 426.44
Eadgarus honor ac deliciæ Anglorum quando, & quamdiu regnum tenuerit. 55.55
Eadmundus Adeſtani filius, quot annis regnarit. 355.13. Dacos ſuperat & quinque vrbes vincit. 355.18
Eadmundus per iocum epiſcopus Lindisfarnenſis eccleſiæ factus. 276.45
Eadmundus 5. ciuitates ex Danorum manibus extorquet. 423.14. duos reges de Northumbria pellit. 423.25. vbi interfectus. ibid.30
Eadmundus S. Svvanum tyrannum percutit. 433.16
Eadmundus, Athelſtani frater, quando & quamdiu regnum tenuerit. 53.46
Eadmundus iuxta Gillingham, victoriam obtinet. 434.49. fortiter contra Canutum pugnat. 435.5.21.35 48. Regnum cum Canuto diuidit. 436.6
Eadulfus cognomento Rus, à fœmina occiſus. 424.18
Eadmundi regis principatus. 850.54
Eadvvardus quando in Regem vnctus. 430.41
Eadred regis principatus & acta. 851.8
Eadvvardus Rex cum Godvvino comite reconciliatur. 442.10
Eadvvardi regis corpus in tumulo incolume inuentum. 427.36
Eaduuerdi regis principatus, & bella. 849.54.
Eanbaldus Archiepiſcopus Eboracenſis; Alcvvini fuit diſcipulus. 269.36 quos habuerit ſucceſſores. ibidem 47
Eanbaldus Archiepiſcop. moritur. 406. 18. alius eiuſdem nominis fit Archiepiſcopus. ibid.23
Eardulf a rege Ripum occiſus, poſt mediam noctem in eccleſia viuus inuentus eſt. 404.50
Eboracenſis Archiepiſcopus, quos epiſcopos ſub ſe ex antiquo habuerit. 118 11
Eboracum vrbs ampla & ſplendida. 358. 32
Eboracum ciuitas fame & ferro affligitur. 102.58
Eboracum incenditur. 42.47
Ebroicarum ciuitas a rege Franciæ ſubuerſa. 741.17
Egbyrht regis res geſtæ. 842.25
Eccleſia noua Croylandiæ conſtruitur. 902.43
Eccleſia Dolenſis qua occaſione & cauſa, contra Turonenſem rebellis facta. 798.15
Eccleſiæ ciuitatis Accon à paganiſmo purgantur. 696.23
Eccleſiæ & Abbatiæ in Anglia palam venales. 186.1
Eccleſiæ multæ vni non concedendæ. 587.17
Eccleſiæ à Laicis onus non imponendum. 589.15
Eccleſiæ ſtatus tempore Bedæ in Anglia. 319.44
Eccleſiæ beati Cuthberti quæ. 543. 4
Eccleſiæ Canonicorum regularium Cirenceſtriæ dedicatio. 554.19

Eccleſiæ regimẽ qualibus perſonis committendum. 585.8
Eccleſiæ ſtatus per annos ducentos miſer. 455.48
Eccleſiarum diſtinctio diuinitus punita. 488.17.
Eccleſiarum ordinatio quomodo facienda. 588.3
Eccleſiarum honores mortuis paſtoribus venum locantur. 123.19
Eccleſiaſtica beneficia de manu laica quomodo accipienda. 809.46
Eccleſiaſtica beneficia alicui non ſunt permittenda, antequam vacant. 588. 40
Eccleſijs non ſunt noui cenſus imponendi. 584.7
Eccleſiaſticus theſaurus in fiſcum regium conuerſus. 124.7
Eclipſis ſolis tanta, vt dies in noctẽ verſus ſit. 186.3
Eclipſis ſolis totalis, & eius effectus. 630. 2
Eclipſis ſolis ingens per tres horas durans. 693.51
Eclipſis ſolis tam ingens, vt ſtellæ potuerint videri. 177.45.
Eclipſis ſolis ingens 430,28
Eclipſis ſolis ingens & terribilis. 314.18
Eclipſis ſolis admodum terribilis. [illegible] 51
Edan, Scotorum rex ab Ethelfrido in fugam verſus. 17.49
Edbaldus Britanniæ rex fidem Chriſti abijcit, & nouercæ ſuæ pudorem expugnat. 19.27. quomodo punitus. ibid. 40 fidem Chriſti iterum recipit. 34. quamdiu regnarit. 53
Edbrithus Cantuaritarum Rex captiuus dimittitur. 33.26.
Edburga Edvvardi ſenioris filia, virgo ſancta. 90.3
Edelardus, Weſt-Saxonum rex, quatuordecim annis quiete regnat. 31.44
Edelbertus Rex, quando mortuus. 326.16
Edelboldus Rex in fugam vertitur. 342. 41. occiditur apud Secandune. ibid. 41
Edelburga poſt mortem corruptionis expers. 89.29
Edelfleda Oſvvij regis filia Abbatiſſa. 20. 49
Edelfled filia Ethered regis in Merce, regnum patris accipit. 353.48. quando mortua ſit. 354.4
Edelſtidus Rex Nordhumbrorum bello ſuperatur. 316.32
Edelred & Alfred aliquoties contra Dacos pugnant. 349.33
Edelred rex Mercenſis, vrbem Rouenſem deſtruit. 328.40
Edeltred filiam Richardi conſulis Normannorum in vxorem accipit. 359.15
Edeltred, Edgari filius in regẽ coronatur ſiniſtro omine. 357.23
Edelvvoldus Eſtſexenſes & Mercenſes bello affligit. 112.31.
Edeſſa vrbs Meſopotamiæ celeberrima. 144.57
Edeſſæ vrbis Dux, Baldvvino literas mittit. 144.55
Edgari regis pro confirmatione monaſterij Malmeſburienſis charta. 887. 49
Edgarus pacificus quot annis regnarit. 356.5. eius laus. ibid.45
Edgari regis factum crudele & tyrannicum. 59.42. Eiuſdem libido. 60.6. & 13.
Edgarus à Willielmo recipitur & munera accipit. 103. 36. libram argenti pro vno equo donat. ibid.19.
Edgari regis de confirmatione monaſterij Croyland charta. 884.30.
Edgarus vbi coronatus, & quando. 60. 33. eius corpus humatum, corruptionis expers eſt. ibid. 36. terra crurum miracula edit. ibid.42.
Edgarus Malcolmi regis filius, ſupplex, reſtituitur regno. 122.28
Edgitha, Edgari regis filia, virgo ſancta, veſtium ſuarum ſplendorem quomodo excuſarit. 90.27.
Edgitha iubetur in terris honorari. 90. 40. apparet in ſomno. ibid.45
Edgitha filia Gothvvini vxor Edvvardi regis, fœmina doctiſſima. 90.41.2 marito vnli more nunquam cognita. ibid.46.
Edgitha cur à rege Eadvvardo repudiata. 442.1. Recipitur. ibid.55
Edgithæ corpus præter pollicem & ventrem in cineres reſolutum quare. 90. 44
Edmundus in regem conclamatur. 72.7
Edmundus Ethelredi regis filius, cur ab Anglis Irenſide dictus. 71.36
Edmundi ſanctitas & miracula poſt mortem. 219.40
Edmundus fratricida quomodo pœnituerit. 158.42
Edmundus duellum à Cnutone expetit. 27.44. fœdus cum Cnutone facit. ibid 54. moritur die feſto S. Andreæ. ibid 55
Edmundus Rex Deo deuotiſſimus, vbi regnarit. 88. 41. à Danis trucidatus, poſt mortem miraculis clarus eſt. 88. 52 & ſeqq.
Edmundus Anglorum orientalium rex, quando interfectus. 42.41
Edmundi priuilegium Glaſtonienſi eccleſiæ datum. 54.1. eius mors miſerabilis. ibid.30
Edmundi interfectores puniuntur. 73. 27
Edmundus Rex à latrone quodam occiditur. 876.2
Edredus, Edvvardi filius quando & quãdiu regnarit. 55.12
Edredus Rex Angliæ quo anno ſui regni mortuus. 355.12
Edrici Streonæ Ducis perfidia. 430. 59. 433.43.431.8.37.52.
Edricus cum 40. nauibus ad Cnutonem deficit. 71.43
Edricus Merciorum præfectus, fex & dedecus hominum. 63.37
Edricus in pœnam Anglorum fit Dux ſuper Merce. 360.45
Edricus Dux perfidus, ſeſe Cnuto Danorum regi coniungit. 433.18
Edricus Syluaticus Herefordenſem prouinciam vaſtat. 410.29. cum regi Willielmo pacificatur. 451.47
Edricus Streona perfidiæ pœnas luit. 437.11
Edricus proditorio animo ſe Edmundo regi adiungit. 72.30
Edricus à Cnutone interficitur. 73.10
Edſicus quot annis Archiepiſcopatum Cantuarienſem detinuerit. 254.18
Edulfi in Wilfridum Archiepiſcopum tyrannis. 263.5
Edulfus giganteæ molis homo, & eius robur ingens. 250.42 46 52
Edvvardus ſanctus per proditionem interficitur. 357.18
Edvvardus Alfredi filius quãdo & quamdiu regnum Angliæ obtinuerit. 46. 20
Edvvardus Rex Angliæ à nouerca occiditur. 61.23
Edvvardus quando & quamdiu regnarit. 66.11
Edvvardus Rex pacificus quando mortuus. [illegible]
Edvvardus Alfredi regis filius, quot annis regnarit. [illegible]
Edvvardus Ethelredi filius, quando & quamdiu regno præfuerit. [illegible] Rex valde manſuetus. ibid.44.
Edvvardus Rex Angliæ à Papa excommunicatur. [illegible] 55
Edvvardus Rex pudicitiam nullius mulieris contubernio læſit. [illegible]
Edvvardus Angliæ Rex quos filios & filias habuerit. 46 51. quomodo nos inſtituerit. 47 10
Edvvardus Angliæ Rex miraculis clarus 91. 22. mulierem ab humore circa collum [illegible] ibid. [illegible] Cæcum liberat, & viſum ei reſtituit. ibid. 33 & item 55. tres cæcos & vnum monoculum ſanat. ibid. 57. inter prandendum, die Paſchatos, videt viſionem mirabilem. 92. 2. Qualem prophetiam Angliæ moriens reliquerit. ibid.46 Quem voluerit hæredem regni relinquere. 93.7 & 20
Edvvardi regis, priuilegiorum monaſterij Croylandiæ confirmatio. 900. 41
Edvvardi Senioris potentia & imperium. 411 14 moritur. 412.20.
Edvvardi regis delineatio. 91. 22. conſecratur ab Apoſtolo Petro, iniuncta ei vita cœlibe. ibid.19
Edvvi regis qui ſuper vniuerſam Angliã regnauit, genealogia. 335.55. moritur. 316.4
Edvvius Anglorum Rex à Mercenſibus & Northimbris deſeritur. 325.15
Edvvius petulans iuuenis quando & quamdiu regnum obtinuerit. 55.25
Edvvini regis, & filiorum eius interitus. 329.51
Edvvino Oraculum oſtenditur. 320.50
Edvvinus Rex ſe Chriſti fidem amplexurum promittit, 327. 29. baptizatur. 325.18.
Edvvinus Clito per inſidias occiſus. 436. 47
Edvvini regis Northanimbrorum in vniuerſa Anglia, authoritas magna. 18. 27.40
Edvvinus Allæ filius regno Northanimbrorum eliminatur. 18. 4. fit Rex Northanimbrorum. ibid.21
Edvvine Rex per Pendam quando occiſus. 316.37
Edvvinus Northanimbrorum Rex quomodo Chriſtianam fidem ſuſceperit. 18.49. quamdiu regnarit. ibid.47. quo ætatis anno & à quibus interfectus. ibid.47.
Edvvinus inſidiarum apud regem Adelſtanum inſimulatus, in exilium mittitur. 52.13
Edvvinus & Morchardus regnum Angliæ appetunt. 102. 44. ſuorum perfidia trucidantur. 124.19
Egbertus Archiepiſcopus Eboracenſis, omnium liberalium artium armarium exiſtit. 269.29
Egbertus quando regnare inceperit, & quamdiu. 411.23

Egber-

Egbertus Brittanniæ vniuerſalis Rex primus, quando ad regnum peruenerit. 36.50 quando mortuus. 37.25
Egbertus Eboraci Archiepiſcopus induſtrius. 24. 26. Bibliothecam inſtituit nobiliſſimam. ibid.35
Egbertus Cantuariorum Rex duos patrui ſui filios interfici curat. 87. 50
Egbertus Angliæ Rex, Elbertum, & Egelbrightum filios patrui interimit. 11.11
Egbrichtus Rex & monarcha Angliæ moritur. 345.26
Egbricti crudelitati reſiſtere nemo poteſt. 411 34. populus Sudux, Cantiæ, & Sudſexæ in poteſtatem accipit. ibid. 45
Egbricht quot annis regnarit. 344. 42
Egeldus quot menſibus in Cantuaria Archiepiſcopus fuerit. 199.57
Egelfleda Merciorum Domina multas vrbes reſtaurat & de nouo extruit 421. 47. moritur. 422.6
Egelnodus Archiepiſcopum Cantuarienſem quamdiu egerit. 204.11
Egelricus fit abbas Croylandiæ. 892. 11. monaſterium ædificat & illuſtrat. ibidem & 893. moritur. ibidem 24
Egelricus Lindiſarnenſis epiſcopus in exilium mittitur. 277.4
Egelvvinus epiſcopus perpetuum animo fugam meditatur. 452.8
Egferti, Offæ regis filij, pietas. 11. 8.
Egfrith 141. diebus regnat. 400.18
Egfridus Oſvvij filius, patri in regno Northanimbrorum ſuccedit. 20.47. Cuthbertum epiſcopum facit ibidem 50. Wilfridum interficit. ibid. 21.11 ſupplices eſt proteruus, & in rebelles ignauus. ibid. 53. & 55. Merciorum imperium amittit. ibid 50. contra Pictos pugnam interit. 21 3
Egfridi regis Sæuitia in epiſcopum Wilfridum. 264.21.32.40
Egfridus Nordhumbriæ rex Wilfridum ab epiſcopatu fugat. 334.8
Egithæ puellæ pulcherrimæ inſignis cõmendatio. 60. 26
Egvvinus a Maria Domini matre iuſſus, monaſterium conſtruit. 284.38
Egvvinus epiſcopus de peccatorum remiſſione, miraculo confirmatur. 284. 40
Eiricus Northimbrenſium Rex vltimus, regno eijcitur. 427.55
Eiſc filius Hengiſti, paternos limites nunquam exceſſit. 10. 4. Quos habuerit ſucceſſores. 10.6
Eleemoſynæ regiæ Romam & in Indiam ad S. Thomam miſſæ. 44.45
Elſegus patriarcha à Danis occiditur. 61. 7. eius cadauer corruptionis expers, aſſeruatur Cantuariæ. ibid 14
Elſegus Archiepiſcopus capitur à Danis. 431. 53. per ſeptem menſes affligitur. 432. 2. martyrium ſubit ibidem 15
Elſgiua regis filia, Abbatiſſa facta. 44. 14
Elſerius Rex à pediculis conſumitur. 61.50
Elſere conſul aliquot Abbatias deſtruit. 357.3
Elſinus Wintonienſis epiſcopus frigore hiberno extinctus. 301.49
Elfleda filia regis Oſvvi vbi monachata. 332.40.
Elfredus Ethelvvlfi filius, quinque annorum exiſtens, Romam ad Papam mittitur, & in Regem ſacratus. 414. 59
Elfredus Rex ſub ſpecie Mimi, Danorum regis ſubit tentorium. 43.26
Elfredus Rex poetarũ Saxonicorum periſſimus. 417.9
Elfredi regis Genealogia. 414.29
Elfredus Romæ coram Altari S. Petri exanimis cadit, & moritur. 52.35
Elfredus Clito oculis priuatur & monaſterio includitur. 438.22.
Elfredus, Ethelredi primogenitus filius, oculis orbatus miſeram vitam viuit. 775
Elfredus filius Ethelvvulphi iunior vnctionem regiam, & coronam à Papa Leone accipit 42.16. cõtinuis nouem annis cum hoſtibus bellum gerit. 43. 4. quot filios & filias habuerit. 44. 27
Elfgiſæ mulieris commendatio. 58.55
Elfricus quidam perfidus, ad hoſtes deficit. 62.14
Elfricus Eboracẽſis epiſcopus in quo deteſtabilis. 270.57
Elfridæ mulieris ob admiſſum ſcelus pœnitentia. 61.32
Elſlinus Archiepiſcopus in Alpinis montibus gelu & niue obſtrictus moritur. 42.12
Elſthredæ mulieris dolus & perfidia. 59. 54
Elfvvald orientalium Anglorum Rex, quando mortuus. 402.32
Ellæ regis Genealogia. 314. 18. quando mortuus. 315.35
Elmerus monachus, Dædalum imitatur. 92.40
Elphegus epiſcopus cuius inſtinctu lapidatus. 69.6
Elricherode à quo nomen habeat. 201. 17
Emma quando in Angliam venerit, 359. 58
Emma Anglorum regina in exilium mittitur. 418 20. moritur. 442 7
Emma Richardi Ducis ſoror, Cnutoni nuptum collocatur. 73. 10. in exilium mittitur. 76.39
Enſis fulminans in Cœlo viſus. 118. 22
Ephelgus Prophetia clarus. 243.24
Epiſcopi in Cantia vno die quinque ordinati. 164.32
Epiſcoporum Selcſienſium nomina. 257.5.
Epiſcopi in Anglia obedientiam Archiepiſcopo præſtare recuſant. 219. 43
Epiſcopi à rege Stephano incarcerati. 389 25.
Epiſcopus iniuſte factus deſtruitur à Cæſare. 78.48
Epiſcoporum Licefeldenſium nomina. 288.10
Epiſcopatus varie diſtribuuntur. 382, 23. & ſeqq.
Epiſcopi in Anglia vno die ſeptem ordinati. 48.7
Epiſcopi Principem offendere vera dicendo, recuſant. 221.47
Epiſcopatus ex vno loco in alium tranſlati. 128.46
Epiſcopi ab violationem iuramenti diuinitus puniti. 380.36
Epiſcopi caſtella ædificantes inuidiam incurrunt. 381.24
Epiſcopatus Roffenſis, in tutela Andreæ Apoſtoli. 62.37
Epiſcopi aliquot in Anglia excommunicati à Papa Alexandro. 118.39
Epiſcopus corpore turpis, quomodo in Archiepiſcopum euectus ſit. 98. 19. quid mortuus prædixerat. ibid. 59
Epiſcopi à Rege in vincula coniecti. 182. 10
Epiſcopatus S. Andreæ à Calumnia Iohannis, liberatur. 649.10
Epiſcopalis WeſtSaxonum ſedes Bathoniam transfertur. 214.14
Epiſcopus ex ſubulco. 242.58
Epiſcopatus Anglorum venditus. 27.50
Epiſcopatus Weſtſexiæ à quo diuiſus. 337 49.
Epiſcoporum in Anglia tumultus varij. 372.28
Epiſcopus poſt mortem apparens ſe honorari præcipit. 243.20
Epiſcopi Virilia à muliere cui vim inferre parabat forcipe ſuffodiuntur. 786. 16
Epiſcopatus Rouocraſtre à Rege deſtruitur. 357.15
Epiſcopi Elienſes quando cœperint. 293. 55
Epiſcopi ab Anshelmo conſecrati. 227. 52
Epiſcopus metu perterritus Suerum in Regem Norvvegiæ creat & conſecrat. 747.6
Epiſcopi octo, vno anno mortui. 242. 40
Epiſtola Magiſtri Petri Bleſenſis pro Willielmo Elyenſi epiſcopo. 701.8
Epiſtola Suffraganeorum Cantuarienſis eccleſiæ ad Thomam Archiepiſcopum. 189. 45. eorundem ad Alexandrum Papam literæ. 111 25
Epiſtola Terrici Præceptoris Templi, de captione terræ Ieroſolymitanæ. 636.57
Epiſtola Rollandi Dolenſis electi, ad Lucium Papam. 617.25
Epiſtola Terrici præceptoris Templi ad Henricum Regem Angliæ. 641.10
Epiſtola Celeſtini Papæ ad Simonem decanum Eboracenſem de adminiſtratione eius diœceſis. 760.10. Alia epiſtola, ibidem 40. Alia 761.10
Epiſtola Innocentij papæ ad Hubertum Cantuarienſem Archiepiſcopum pro demolitione capellæ de Lamhee. 770. 6
Epiſtola Innocentij Papæ pro auxilio terræ Ieroſolymitanæ faciendo. 819. 46
Epiſtola Innocentij Papæ ad Decanum, & capitulum Eboraci pro magiſtro Honorio. 823. 41. Eiuſdem ad Iohannem regem. 821.51. Item ad epiſcopum Elienſem. 824. 3. & alia. 826.1. item 826 36.
Epiſtola Innocentij Papæ ad Gaufridum Eboracenſem Archiepiſcopum. 812. 47
Epiſtola Galfridi de quadrageſima redituum colligenda in ſubuentionẽ terræ ſanctæ. 828.10
Epiſtola de obſeruatione diei Dominicæ, cælitus prolata. 821.2
Epiſtola Henrici Imperatoris ad Philippum Regem Franciæ, de captione Richardi regis Angliæ, 721.4

Epiſtola

Epiſtola Eugenij Papæ de dignitate Metropolitanæ eccleſiæ ſancti Dauid. 798.36
Epiſtola Rothomagenſis Archiepiſcopi ad Dunelmenſem epiſcopum in captione Richardi regis. 721.30
Epiſtola Richardi regis Angliæ ad Hubertū Cantuariēſem Archiepiſcopū de liberatione ſua. 732.23
Epiſtola Celeſtini Papæ, contra Gaufridum Archiepiſcopum Eboracenſem. 752.10
Epiſtola Celeſtini Papæ ad inquiſitionē faciendam de exceſſibus Eboracenſis Archiepiſcopi. 749.35
Epiſtola Celeſtini Papæ de legatione Huberti Cantuariēſis Archiepiſcopi. 753.54. eiuſdem epiſtola ad Gaufridum Eboracenſem Archiepiſcopum. 754.25
Epiſtola Magiſtri Hoſpitalis Ieruſalē priori & fratribus per Angliam conſtitutis data. 827.23
Epiſtola Clericorum Walteri Rothomagenſis Archiepiſcopi, ad ipſum. 718.30
Epiſtola Cantuarienſis Archiepiſcopi ad officiales Archiepiſcopatus Eboraci. 703.56.
Epitaphium Bedæ exili & miſerabili ſtylo ſcriptum. 24.5
Equitum acies ſex & earum ductores. 775.38.
Equus diuino nutu ſtare immotus cogitur. 61.42
Equus Angelica voce proſtratus interit. 425.8
Ercembert Rex Kentenſis idola primus deſtruit. 331.36
Erchenvvin regis Eſſexæ genealogia. 313.57
Ercombertus Britanniæ Rex quotannis regnarit. 10. 54. Deorum ſacella, & idola omnia ſolo æquauit, ibid. 57. Quadrageſimale ieiunium quare inſtituerit. 11.2
Ercongotha regis Britānici filia, monialis. 11.6
Eremitæ in inſula Croylandia. 813.15
Erkenvvaldus à quo epiſcopus Londonienſis factus. 235.47
Erkenvvaldus quos ſucceſſores habuerit. 236 16
Ermenburga Regina à Diabolo obſeſſa. 264.49.
Ermengard Willielmo Scotiæ regi in vxorem datur. 672.8
Ernulfus à quo epiſcopus Roffenſis factus. 234.12. quo ætatis anno mortuus ibid. 22
Eſcuinus Weſt Saxonum Rex, quamdiu regnauit. 14.5
Eſcvvine Rex ſuper Weſtſexe, duobus annis regnat. 328.37
Eſſchendunenſis pugna memorabilis. 42.20
Eſtanglia regi Danorum nuper baptizato datur. 418.7
Eſtanglia tota à paganis occupata. 872.21
Eſtangle regnum quis primus tenuerit. 315.14
Eſſexe regnum quis primus tenuerit. 313.57
Etha. Anachorita in Cric moritur. 403.35
Ethelardus Cantuarienſis quamdiu Archiepiſcopus fuerit 199 11
Ethelbald à ſuis tutoribus occiditur. 402 52.
Ethelbaldi Merciorum regis ſcriptum. 29.12
Ethelbaldus nouercam ſuam vxorem ducit. 415.24
Ethelbaldi & Ethelbyrthi Athulfi regis filiorum principatus & acta. 844.17
Ethelbaldus Merciorum Rex, à ſubiectis occiditur. 28.19
Ethelbaldus Rex à Bernredo tyranno interficitur. 855.59
Ethelbaldus, Ethelvvulphi regis filius parentis ſui thorum polluit. 42.1
Ethelbertus Britanniæ Rex quot annis regnarit. 10.10. Anglos omnes ſub iugum trahit. ibid. 14. Regis Francorum filiam ducit. ibid. 15. Auguſtinum audit prædicantem, & fidem Chriſti recipit. ibid. 20. quando mortuus. ibid. 26
Ethelbrichti caput iuſſu regis offæ amputatur. 410.42
Ethelberti peccatoris cuiuſdam confeſſio. 68.5
Ethelberti Anglorum regis ad prædicationem Auguſtini reſponſum. 10.41
Ethelburga Inæ regis Weſt Saxonum vxor, fœmina regij generis & animi. 13.23. inſigni prudentia virum ad pietatis ſtudium adducit. ibid. 17
Etheldritha Annæ regis filia duobus viris nupta, virginitatem retinuit. 89.25. poſt mortem incorrupta manſit. 89.29
Etheſleda regina poſt primum partum, perpetuo viri complexum horruit. 46.42
Ethelfridus Northanimbrorum Rex, & eius præclare geſta. 17.30. quomodo mortuus. 18.16
Ethelgarus Cantuarienſis Archiepiſcopus quamdiu fuerit. 203.36
Ethelnothus Archiepiſcopus, confirmationem priuilegiorum Glaſtonienſis eccleſiæ impetrat. 71.38
Ethelredi regis oratio ad epiſcopos & abbates, plena affectuum. 69 41
Ethelredus Merciorum Rex, monachus factus. 28.1
Ethelredus quot annis in Cantuaria Archiepiſcopus fuerit. 199.59
Ethelredus Anglorum Rex, nouies vno annis collatis ſignis cum hoſte dimicat. 42 16
Ethelredus, Edgari filius quando & quā diu regno potitus. 62.13
Ethelredi reges tres, & ſub quo Croylandia ab omnib. ſecularibus ſeruitijs ſoluta fuerit. 914.59
Ethelredus Rex quando & vbi mortuus. 72.6
Ethelricus Idæ Northamigbroch regis filius, Rex miſerabilis 17.34
Ethelvvoldus Regem decipiens interficitur. 59.18
Ethelvvulphus quando regnum ſortitus ſit, & quandiu regnauit. 37.18
Ethelvvulphus Rex decimam totius regni ſui partem Deo immolat. 415.12
Ethelvvulphus Angliæ Rex trecentas auri marcas Romam ſingulis annis mitti, teſtamento conſtituit. 41.
Etvvinus Northanhumbrorum Rex nō immerito inſidijs Quicelini petitus. 12.14.
Eubroicarum ciuitas à Rege Franciæ capta. 792.18
Eueshamenſis abbatia à quo fundata. 284.30
Eugenius Papa 4. Pallia in Hyberniam transmittit. 490.28. moritur, ibid. 48
Eumer Sicarius Regi Edvvino inſidias ſtruit. 327.22
Euripus, marinus fluctus mirum in modum excreſcens. 71.19
Euſtachius Stephani regis filius moritur 490.15
Euſtachius abbas de Flay multa mirabilia operatur. 304.42
Euſtachius & Simon, Henrici Normannorum Ducis hoſtes, eodem morbo vna hebdomade moriuntur. 397.49
Exaceſtria vrbs à Dacis funditus deleta. 365.8
Exceſtra vrbs mercimonio omnium rerum abundans. 50.36
Exceſtra ciuitas à Wilielmo expugnata. 450.33.
Exceſtre ciuitas mercimonio omni abundans. 250.14
Exercitus in Apuliam miſſus. 604.8

F

Fames & peſtis vuque locorum maxima. 505 40
Fames inter Chriſtianos in obſidione Ieroſolymitana. 376.27.377.6
Fames in obſidione ciuitatis Accon magna. 679.15
Fames propter violationem ſtatuæ Mariæ virginis, magna. 670.30
Fames in Brittannia ingens. 300.26
Fames in Anglia ingens. 365.19
Fames per totam Angliam ingens. 63.50
Fames in Northumbria & Anglia ingens. 431 30
Fames in oppugnatione Niceæ vrbis. 139.2
Fames & inde hominum multorum interitus in Anglia. 135.38
Famula pro filia ad Regem noctu adducta. 60.19
Faricij Abbatis elogium. 253 4
Faricius cur Archiepiſcopus Cantuarienſis factus non fuerit. 230.50
Farne inſula in mari. 401.19
Feneſtrarum vitrearum, & ædium lapidearum artifices, quis primo in Angliam introduxerit. 244.
Ferrandus ſecundus de S. Iacobo Rex, quid pro redemptione & liberatione Aldefonſi regis acceperit. 641.40
Fides quinque Synodorum in Anglia recipitur. 406.48
Filia patri regi, mortis cauſa. 385.29
Filiæ Richardi Reges tres, ſuperbia, cupiditas & luxuria, maritantur. 789.26
Flandria inteſtinis diſſenſionibus conturbatur. 105.38
Flandriæ comites à quo originem habeant. 45.17
Fluuius rapaciſſimus conſiſtens, epiſcopo tranſitum concedit. 235.2
Fœdus inter Carolum Magnū & Offam Merciorum Regem. 32.46
Fœlix Orientalium Anglorum epiſcopus primus. 337 18
Fœmina epiſcopi inguen forcipe perfodit. 286.15
Fœmina viros domeſticos protegens, alienos terret. 46 46
Fons quidam in Anglia 15. diebus ſanguinem manans. 121.51
Fons in Scotia per octo dies, ſanguine fluens ſine intermiſſione. 622.10
Fōs ex oculis Auguſtini erumpēs. 210.57
Fons in Barukoshire tribus ſeptimanis ſanguine fluit. 468 18
Fons dulcis aquæ, ex ſepulchro prorumpens. 293.26
Fons viuus, veneno inficitur. 621.6
Fons de Wynon longe à Cantuaria, benedicitur vt ſanitatem hominibus reſtituere poſſit. 804.44.

Foreſta

Foreſtę in Anglia diuiduntur 624.13
Forma Capitularis, quæ facta eſt inter Richardum Regem Angliæ & Tancredum Regem Siciliæ 677.15
Fortunæ inconſtantia 185.7. Idolum a Vindelicis colitur 77.35
Franci qui proprie dicantur 24.58. Victoriam à Turcis reportant 376.6 quando primum regem habuerint 25.5. à feritate morum græco vocabulo dicti 24.53. ex paruo initio, gẽs admodum ampla & potens facta ib. 54 à Troianis originem habent 183 28. dicuntur à quodã duce Franchione. ibid. 30 Eorum Reges ab Antenore vſque ad Ludouicum ibid. 30 ad expugnandum Ieroſolymam auxilium præſtare volunt 716.58
Francici Regni diuiſio 422.11
Franci in Bethleem & Ieroſolymã tendunt 140.26. a punicis Anglis fugati 782, 56. dominicæ Crucis vexillo præuio, quinque millia Turcorum trucidant 148.48
Francia ab interdicto liberatur 810 45. & Normannia a Cardinale interdicuntur 795.3. quo tempore à Willielmo Rege populata 112.41
Franciæ Rex iuramentum præſtat ſe Ieroſolymam iturum 660.20. Rothomagum a ciuibus expetit 725. 27. cur Iohannem Regem Angliæ odio habuerit 795.15
Franciæ & Angliæ Reges cum infinita multitudine Ieroſolymam verſus, iter ingrediuntur 666.20
Franciæ Rex fugiens in aquam cadit fracto ponte 782.13 783.10
Francorum exercitus in loca, vbi quondam Sodoma & Gomorra fuerunt, peruenit 147. 18. Regum ab Antenore genealogia & continuatio 478.55. fortitudo populis orientalibus ſtupori eſt 146.52. Reges a quo, & quouſq; Merouingi dicti 25. 7. lingua naturalis quare cum Anglis communicet 25.10.
Frea vxori cuiuſdam Woden, dies ſeptimanæ ſextus ab Anglis conſecratus 9.4
Frederic⁹ Rom. Imp. cum Longobardis prælium committit 554.4. Crucem accipit 610.28. Eius Epiſtola ad Saladinum ſacramentorum præſidem. ibid. 18. Eiuſdem peregrinatio in terram ſanctam 651.4. quomodo & vbi mortuus 651.10
Fridericus Traiectenſis Epiſcopus Ludouicum Caroli Magni filium, quam libere arguerit 128.6. Interficitur ab Imperatricis ſicarus ib. 34
Fridericus Imperator Ioannem Papæ Alexandro Venetiis exibet 568.40
Fridericus Henrici Imper. filius, fit Rex Siciliæ cum conſenſu Papæ 774.7
Fridericus Rom. Imp. cum multis principibus Crucem accipit 632.39
Fridiſwida precibus ſuis Regi cæcitatem & viſum iterum impetrat 291.9
Frithborg quod Eboracenſis tenenentale vocant, quid ſit 605.24. Omnes pro miniſtris ſuis exoluere cognuntur ibid. 45
Fritheſtanus Wintonienſis Epiſcopus moritur 422.37
Frugum in Britannia abundantia magna 308 57. Ea Brittanni in omnia ſcelera prolabuntur 309.2
Fuga ſingulari ſtratagemate effecta 72. 20
Fulco Rex Ieroſolymitanus quos filios habuerit 480.40 nudus ad ſepulchrũ Domini trahitur & flagellis vrgetur 97.55. Comes Andegavenſis, Herbertum Comitem Cinnomanẽſem circumuenit 97.40. filio principatũ cedit ibid. 43. Rhetia dictus ſibi imperari à coniuge permittit 98.11. ſacerdos, cæcos, claudos, mutos, obſeſſos ſanat 789.5
Fuldenſis monaſterii cellarius qua pœna correptus 116.11
Fulgurum tumultus ingentes in Anglia 125.9. & 16
Fulminis ictus in Eccleſia Wincelcumbenſi 462.47
Fures ſuſpendendi, Lex in Anglia 471. 45

G

Galawenſium principes ſeſe Regi Angliæ Henrico ſubmittunt 539. 36
Galfridus Eboracenſis Archiepiſcopus concordatur cum aduerſariis ſuis 805.21
Galfridi Eboracenſis Archiepiſcopi ſeruientes omnes capiuntur 817.8. pacificatur Regi per pœnam pecuniariam ibid. 25
Gaufridus Henrici ſecundi filius, fit miles 580.39. Eboracenſ. Archiepiſc. à Cancellarii miniſtris capitur 701.31 Comes Andegauenſis contra patrem arma ſumit 97.45. ſuperatur à patre ibid. 49. Henrici Regis filius Dei, paternæque reuerentiæ eſt immemor 619.13. Martellus, princeps pacificus ſuorum perfidia interficitur 98.16
Gaufridus Eborac. Archiep. pro Vicecomitatu Eboracenſi, offert Regi tria millia marcarum 737.1. à Papa reſtituitur 766.18. literas in Angliam mittit 766.49. à patre ſuo Iohãne honorifice ſuſcipitur 774.44. Cum Rege Richardo pacem facit 778.24
Gaufridus Iuſticiarius Angliæ ictu ſagittæ interit 781.34. de magna Villa Capitur 193.15 Regem affligit ibid. 28. interficitur à quodam pedite 193 35. ſacrilegium & furtum treugã patri abrenunciat 620.30. pacem cum patre facit 621.35. Henrici Regis filius Pariſiis moritur pedibus equinis contritus 631.16. Lincolnienſem Epiſcopatum reſignat 611 30. de Mandeuilla cur à Rege Stephano captus 488.27. Martellus, Comitem Pictauenſem aperto Marte Captum, ferreis vinculis includit 96.10. Turonicam vrbem obſidet ib. 18. Normannum Comitem vellicat. ibid. 24. inſignis eius tumor & ſuperbia ibid. 30. in fugam vertitur ib. 36
Gallia Henricum V. Imperatorem execratur 168.33
Galli veteribus Galwalæ non Franci dicti 25.8
Gallus quot annis imp. 305. 12
Galweia a Rege Scottorum ſubiugata 491.6
Gaufredus Conſul Andegauenſis, maritus imperatricis Normanniã ingreditur 490. moritur ibid. 51.
Gelaſii papæ ad Archiepiſcopos & Epiſcopos Galliæ, Epiſtola. 168.40. moritur Cluniaci 169.2
Gelaſius Papa moritur, ſuccedente ei Calixto 381.23
Genealogia Ducum Normanniæ 610.5
Gerardus Archiepiſcopus Eboracenſis literas à Papa paſchali accipit 273.29 nequitiæ a Papa notatur ib. 41. quomodo mortuus ib. 47
Gerbertus per reſponſum ſtatuæ deceptus 67.44
Germani in Arduena ſylua à Gallis ſuperati 104.32
Germania quę terra & cur ſic dicta 8. 49
Germaniæ populi qui in Britanniam venerint 8 48
Germanus Antiſiodorenſis Epiſcopus in Britanniam veniens, innumeram multitudinem hominum conuertit 101.10. Dux exercitus factus hoſtes ſuperat ibid. 19
Geuiſorum ideſt Weſtſaxonum regio per 7. annos Epiſcopis deſtituitur 47. 58
Gilardus Meneuenſis electus controuerſiam de iure metropolitico ſuſcitat 798.1
Gilberti Waſcoil proditio 725.22
Gilbertus de Plumtun innocenter ad patibulum rapitur 6..2.59
Gilbertus ſummus magiſter domus hoſpitalis Ieruſalem in Normanniã venit 622.17
Gilbertus de Ogerſtan ad colligendas decimas ordinatus in latrocinio deprehenditur 649. [illegible]
Gillebertus filius Fergus princeps Galwanorum cum Rege Henrico pacem facit 555.47
Gilleberti Londonienſis Epiſcopi ad Alexãdrum Papam epiſtola 581.52
Gippeſwic à Danis vaſtatur 428.2
Girardus de Camuilla de crimine læſæ maieſtatis accuſatur 733.28
Giſortium à Rege Franciæ obſeſſum 725.22
Gladius in theſauro Regum Anglorum cur ſeruetur 49.9. Conſtantini Magni clauo ferreo ex Cruce Chriſti inſignitus, Regi Angliæ dono miſſus 51. 26
Glaſconienſe monaſterium à quo fundatum 14.50
Glaſtonnia villa, & monaſterium à quo fundatum 254.37
Glaſtonienſis Eccleſia magnis poſſeſſionibus amplificata 56.54
Glaſtonienſi Eccleſiæ quale priuilegiũ Edgarus Rex contulerit 56.57
Glaſtonienſis Abbatia ſplendidiſſima à Dunſtano facta 254.43
Glaueſtria ciuitas vbi & à quo nominata 283 4
Gloria qualis appetenda 309. [illegible]
Godefridus de monte ſcabioſo interficitur 375.6. Epiſcopatum reſignans, etiam Abbatiam amittit 544.51
Godefridus Rex in Eccleſia Galgathana ſepultus 469.17. Ieroſolymitanus, quibus parẽtibus natus 141.40. qua occaſione ad bellum Ieroſolymitanum profectus ſit. 144.8. Turcum in duello, medium diſſecuit. ibid. 13. Alium à vertice ad inguina vſq; diffidit. ib. 17. Leonem interficit. ib. 20. moritur poſt annum ſui Regni primum ib. 32
Godefridi & Tancredi principum elogiũ inſigne 143.19. prioris Wintonienſis elogium 173.4
Godefridus Ieroſolymis in Regem eligitur 142.45
Godrico Anachoritæ paſſio beati Thomæ reuelatur 542.36

Godricus abbas Croylādię creatur 894.45 moritur 875.40
Godrum Rex Dacorū baptizatur 350.30. quando mortuus 351.1
Godwinus Comes, Euſtachium Comitem a Rege Eadwardo petit ſub denunciatione belli 441.37. proditor pene ſtrangulatur 366.29
Godwini conſulis facinus laudabile 364.4
Godwini comitis tyrannis & crudelitas ſæuiſſima 438.15
Godwinus in menſa Regis, offa, quam in os miſerat, ſuffocatus & extinctus eſt 81.8
Godwini conſulis inſidiæ Alfredo factæ 365.22
Godwini filius in Tameſi fluuio ſubmerſus 82.44
Godwinus Comes in menſa Regis ex improuiſo moritur 443.15
Godwini liberis quid acciderit 82.50
Gordianus quot annis in Imper. fuerit 305.2
Gormerus quando mortuus 310.59
Goſcelini monachi commendatio & elogium 230.3
Græci ab Anshelmo in concilio confuti 223.39
Græcorum de proceſſione ſpiritus S. dogma in concilio, a Papa Vrbano agitatum 223.24
Gregorii Papæ ad Epiſcopos Angliæ Epiſtola 310.28
Gregorius Papa latrones in Italia reprehendit 83.29
Gregorii Papæ ad Epiſcopos, ne Angliam deſerant epiſtola 320.55
Gregorii Dialogorum libri à quo in Anglicum ſermonem traducti 45.5
Gregorius in Angliam prædicatum Euangelium profecturus, quomodo impeditus 17.22
Gregorii Papæ ad Auguſtinum literæ 322.4. Eiuſdem ad Mellitum abbatem Epiſtola ibid.29. Eiuſdem ad Ædelbertum Regem literæ 323.14 Quando mortuus 324.10. Eius laus ibid.25. Eius Epitaphium ibid.45
Griſones in Sicilia fiunt deſpecti 678.27
Griffones in inſula Cypre ſibi nouum Imp. conſtituunt 624.11
Gundulfi Roffenſis Eccleſiæ Epiſcopi, commendatio 233.46
Gunhilda Imperatori Henrico nubit 77.28. marito repudiato monaſterium ingreditur ibid.28
Gunnilda matrona cum duobus filiis in exilium pellitur 440.1
Guthlaci defuncti meritis homines ab inuſitato morbi genere liberantur 864.10
Guthredi Weſtſaxonum Regis aduerſus Mercios & Brittones victoriæ 15.46
Guthrum Rex Danus in Orientali Anglia annis 12. regnat 34.37
Guido Rex Ieruſalem, regno eiicitur 679.50
Guido Rex Ieroſolymitanus quomodo ex carcere liberatus 636.15
Guido Rex qua conditione Ieroſolymitanum regnum receperit 697.3
Guido Rex Ieruſalem, Regi Richardo fidem promittit 691.20
Guido Rex Ieroſolymitanus liberatur 669.32
Guido de Leſinans in Regem Ieroſolymitanum vngitur 634.27. à Turcis capitur 635.48
Gwido Burgundus, perfide ſe Willielmo opponit 95.40. Eius finis ignoratur ibid.57
Guimarii de Leuns terra vaſtatur 591.57
Guortimer Vortigerni Regis filius, Anglos Britannia regis expellēdos ſuadet 9.36
Guortimero ſublato, Britonum robur emarcuit 9.44

H

HAcun comes Danicus, in exilium miſſus 437.35
Hæretici quomodo exterminandi & puniendi 585.45
Haimonis violentia laudata 96.1
Hamptune à Dacis prædatur 357.27
Haraog paganorum Caſtellum obſeſſum 566.15
Hardecnut' quamdiu regnarit, & quomodo mortuus 76.49
Hardecnutus in regem ſuſceptus, iniurias ſibi illatas vlciſcitur 438.47
Hardecnuti Regis largitas 365.14
Herdecnutus Rex miſerabili morte vitam finit 439.32
Haroldus Haruagra, & Toſtius ſuperati 448.34
Haroldus comes ad Willielmum mittitur 449.23. Willielmo iuramentum præſtat 449.38. iuramentum violat ibid.47
Haroldus ex captiuitate Regis Scotorum liberatur 467.30
Haroldus quando rex factus, & quamdiu regnarit 76.31. quando & vbi defunctus ib 45
Haroldus propter ſuperbiam, ad bellū Haſtingenſe profecturus deſeritur 94.26. poſt nouem menſes & aliquot dies accepti Regni, interficitur 94.28
Haroldus ne cum Willielmo pugnet, per fratrē admonetur 100.42. legatum Willielmi, auerſatur ibid.54
Haroldus poſt mortem Edwardi, diadema arripit 93.55
Haroldus perfidiæ notatur 99.35
Haroldi regis corpus effoſſum in Tameſin abiicitur 438.51
Haroldus ictu ſagittæ interfectus 101.29
Haſting, Regi Alfredo iuramentū præſtat 351.11
Hatfeld nobilium cruore rubens 330.1
Hathubert Landonienſis Epiſcop. moritur 407.14
Hedda quot annis Wintonienſi Epiſcopatui præfuerit 241.36
Helena Stabularia Conſtantini Imper. mater 2.56
Helenæ S. pater quis 306.10
Helias quidam turbarum autor à Rege captus, qua occaſione dimiſſus ſit 124.45
Heli inſularum ſtagnantium maxima, vnde ſic dicta 293.8
Helias conſul cenomanniæ vita priuatur 379.56
Hemingburch villa Eccleſiæ Cuthberti donata 454.58
Hengiſtus & Horſa fratres Germanorum in Brittaniam venientium duces 9.8
Hengiſtus Cantiæ Rex quando mortuus 312.18
Henrici Imp. ad Magnates Angliæ pro Richardo Rege Epiſtola 710.55
Henricus Rex & Robertus frater eius quomodo reconciliati & pacati 378.40
Henricus Rex expeditionem in Hyberniam mouet 527.10. recipitur in regem ibid.57
Henricus Rex aliquem iam mortuus occidit 386.46
Henricus Imperator excommunicatur 476.2
Henricus V. Imperator, Sacramentum Papæ præſtat 165.57
Henricus V. Imperator Papam tribus ſeptimanis habet captiuum 166.36
Henricus Willielmi ſecundi Regis Angliæ frater bellum Regi infert 121.30. recipitur in Reg. 122.4
Henrici Regis Anglorum ad Anshelmum Archiepiſcopum Cantuarienſem epiſtola 127.40
Henricus Rex filius ſacrilegium committit 626.40. agit pœnitentiam ib. 50 moritur ib. 49. bis ſepelitur 627.10.15
Henricus comes de Campania in Regem Hieroſolymitanum eligitur 716.37
Henricus Dux Normāniæ, mortuo Stephano, in regnum aduocatur 398.51
Henricus Imp. Alemannorum quando mortuus 175.5
Henrici Regis corpus quando & vbi humatum 178.55
Henricus Rex contra fratrem in Normanniam proficiſcitur 179.8. fratrē Robertum capit ibid.24. tria munera à Deo accipit ib.39
Henricus Rex Alemannorum, Henrico Duci Saxoniæ omnia reſtituit 680.49. Imperium Romanum à Clemente Papa impetrat ibid 57
Henricus Anglorum Rex potentiſſim', Andegauenſium potentiam ſemper habet ſuſpectam 175.15
Henricus Rex Angliæ quamdiu regnarit 177.55
Henricus Rex glorioſe contra Regem Francorum pugnat 180.55. victoriam obtinet 181.18
Henricus Rex ægre ad arma contra Ludouicum Franciæ Regem ſumenda adducitur 160.10
Henricus Henrici filius in regem conſecratus 518.14. Coronatur cum vxore 529.18
Henrici Imper. ſoror ſanctimonialis, fit Abbatiſſa 78.4
Henricus Rex Francorum Normanniā inuadit 97.3. ſuperatur à Willielmō Angliæ Rege ibid.13. terminum diſcordiarum facit mors Henrici ibid.31
Henricus ſecundus Rex maledicit filiis, & moritur 654.9
Henricus Regis Angliæ filius, & Margareta filia Regis Francorum, in cunis vagientes deſponſantur 492.20
Henricus Imp. Alemannorum Gunhildam Coutonis filiam, vxorem ducit 77.19
Henricus iunior, Willielmi primi filius, quando & vbi natus 155.2. philoſophiæ operam dat ibid.6
Henricus Wintonienſis Epiſcopus, Regis Stephani frater, Regem reprehendit 282.8
Henrici Regis pro morte beati Thomæ

mæ purgatio 529.20. Eiuſdem abſolutio ibid.57
Henricus Rex ad ſepulchrũ beati Thomæ pedes proficiſcitur 539.6 à filio cedere imperio cogitur 115.25 filius à patre Hẽrico diſcedit 533.46. Bellum patri infert ibid. 49. Iuramentum Pariſiis in Concilio facit, de patre ſuo, regno eiiciendo 533.55. in Concilio, Mathildem filiã, in regno ſucceſſorem ordinat 175.29
Henricus V. Imperator Romam properat, Gelaſium Papam loco moturus 168.35
Henricus Dux Saxoniæ ab Exilio liberatur & in gratiam ab Imperatore recipitur 624.9. in exilium proficiſcitur 617.8
Henricus iunior, Regi Scottorum iuramentum præſtat 470. 16. A Rege Stephano in filium adoptatur ib.42
Henricus Rex, filiis ſuis regnum diuidit 518.28. proficiſcitur ad S. Mariam de Rupe adamatoris ibid.35. Angliç cum exercitu terram Regis Franciæ ingreditur 645.10. filius, homagiũ à fratribus ſuis accipere iubetur 618.36
Henrici Regis Angliæ, ad patriarcham Antiochiæ epiſtola 644.10
Henricus Secundus ad Lemouicum Ciuitatem veniens à ſuis male excipitur 619.30. filii tres, patri iuramentum fidelitatis præſtant 619.8
Henricus Rex filius omnia mala in perniciem Henrici Regis, patris ſui machinatur 616. 1. patri iuramentum præſtat ibid.6
Herici Regis Angliæ edictum aduerſus papam 496.34
Henricus Dux Saxoniæ in Exilium pulſus, recipitur ab Imperatore in gratiam 595.10. in Saxoniã redit eamque recuperat 660.10
Henricus Rex pater victoriam obtinet 536.12
Henricus Imp. Hildebrandum papam deponit 459. 4. papam oppugnat ibid.9. Romam expugnat ibid.12
Henricus Imp. toto triduo exanimis & mutus iacet 78.44. quando mortuus ibid.50. Eius Epitaphium 79.1
Henrici V. Imp. Alemanniæ dominium Italicæ vrbes patum ſuſcipiunt 166.22
Henrici abbatis Clareuallenſis de hæreſiarchis epiſtola 577.35
Henricus Regis filius, cum patre fraudulenter agit 619.42.50. votum facit ſe crucem accepturum ibid.55. fit perſecutor patris 620.17
Henricus ſecundus à quo in Regem cõſecratus 491. 5. ſecundo coronatur ibid.42. & tertio 47
Henricus primus quando in Regem ſacratus 468.30. Matildẽ Regis Scotorum Malcolmi filiam vxorem ducit ibid.44
Henricus Angl. & Ludouicus Fran. Reges colloquuntur 476.24
Henricus Imperator quomodo mortuus 478.22
Henrici Regis corpus poſt mortẽ propter fœtorem nimium ſale conditum eſt 481
Henrici Imp. in pauperes beneficentia 78.39
Henricus Alemannorum Rex conſecratur in Imperatorẽ Romanũ 689.22
Henricus Rex magno timore à ſuis co-
litur 161.43. Eius amicitiam multæ exteræ gentes ambiunt ibid.44
Henricus primus Rex quali iurandi formula vſus 158.56. quibus moribus præditus 181.6. corporis eiuſdem conſtitutio ibid.34
Henricus in Regem electus per totam Angliam reformationem inſtituit 156.4. quando & vbi coronatus ib. 12. quam duxerit vxorem ibid.17
Henricus Normannorum Dux in Angliam neceſſitate compulſus venit 396.5. Rex quo anno regni ſui mortuus 385.31
Henrici Romanorum Imperatoris filius, puer 7. annorum, baptizatur 773.2. apud Meſſanam moritur 773.40
Henricus Comes de Naumur capitur 724.53. de Cãpania moritur 772.22
Henricus Imp. quas terras Richardo Regi dederit 731.7. Eius Epiſtola ad magnates Angliæ, de liberatione Richardi Regis. 11
Henricus Henrici ex filia Matilde nepos rex conſtituitur 380.36
Henricus Imp. obiurgatus de cupiditate ſua, Regem Richardum liberum dimittit 734.26
Henricus Imp. à filio interẽptus 470.58
Henricus Rom. Imp. Apuliam ſubiugat 746. 23. Coronatur in ciuitate panormi ibid.45. Cur Richardum regem odio habuerit 712.41
Heorternifſe à Scottis occupatur 452.28
Heraclius patriarcha Ieroſolymitanus in Angliam mittitur 628.15
Herbertus Loſinga Symoniæ in Anglia fomes 128. 50. Romam proficiſcitur 129.7
Herdulfum quot Epiſcopi in Regem ſacrarint 410.33
Herebertus Loſinga Epiſcopatum Tetfordenſem, emit 238.56 epiſc. paſtorali baculo priuat 464.41
Herdforda Ciuitas à Danis incẽſa 4309
Hereforda ciuitas igne cõburit 443.50 caſtrum à quo conſtitutum 353.7
Herefordenſis epiſcopi qui 285.10
Herefort ciuitas vbi ſita 285.8
Herevvardi crudelitas 454.25
Herfaſtus Orientalium Anglorum Epiſcopus, ſedem Epiſcopalem in Thetfordum tranſtulit 238.45
Hermannus Wiltoniæ præſul, cur Epiſcopatum reſignarit 444.11
Hermannus Schireburnenſis Epiſcop. Epiſcopalem ſedem, Salesberiam transfert 250.19
Herueus. Elienſis Epiſc. primus 254.1
Hevvardus cur à patre exlegatus 203. 10. vxorem in Flandria decipit ib.28
Heſteng Rex paganus ſibi munitionem ædificat 420.46
Hieroſolyma ciuitas à quo ſic dicta, itẽ à quo Salem & Iebus vocata 140.31
Hieroſolymæ vrbis ſitus & poſitio tempore belli Hieroſolymitani 140.40
Hieroſolyma à Francis quando obſeſſa 141.35. eius oppugnatio quomodo comparata ibid. 50 & ſeqq.
Hieroſolymitanum bellum quibus de cauſis ſuſcipiẽdum papa propoſuerit 131.20
Hieruſalem quando à Chriſtianis obſeſſa 377.21. capitur ibid.27
Hieroſolyma à quo Helia vocata 140.38
Hieroſolymitani itineris deſcriptio 130 29
Hildæ virginis oſſa Glaſconiam tranſlata 20.44
Hildeberti Cenomanenſis pontificis verſus, in laudem Berengarii ſcripti 111.45
Hildebrandus antequam Papa fieret, Cogitationes Abbatis nouit 108.9 futura prædicit ibid. 11. Epiſcopum pecunia factum deteſtatur ibid.30. Papa factus, quem ſucceſſorem deſignarit ibid.5
Hildebrandus Papa Roma expulſus, reſtituitur 107.29.& 108.49
Hingebaldus Lindiſfarnenſis Eccleſiæ Epiſcopus, quot ſucceſſores habuerit 276.31
Hinguar & Vbba duces Paganorum in Angliam proruẽtium 348. 57
Hircanus de Dauidis ſepulchro tria millia talenta auri eruit 66.21
Hiſpania Saracenica quot Reges principales habeat 672.30
Hiſpania quando in ius Gothorũ conceſſerit 464.49
Homerus Chryſippo & Crantore melius, de virtute diſſerit 206.20
Homicidium regium, quomodo patefactum 67.57
Honorius ab Honorio Papa pallium & literas accipit 329.19
Honorius cum Theodoſio minore, quot annis Imperator fuerit 327.46
Honorii papæ ad Edvvinum Regem literarum pars 328.52
ad Honorium Epiſcopum in Angliã literæ 228.47
Honorius ab Archidiaconatu de Richemundo iactus, recipitur 293.30
Honorius Archiepiſ. Cãtuarien. 295.12
Honorius papa quando mortuus 176.16
Hoſpites extranei quomodo recipiẽdi 666.8
Hubertus Comes de Mauriana quid Ioanni Regis Henrici filio conceſſerit 612.7
Hubertus Cantuarienſis Archiepiſcopus officium ſacerdotale, Regis officio poſtponit 768.5
Hubertus de Burgo fit cuſtos finium Angliæ & Walliæ 819.18
Hugo Abbas Wilhelmum ſecundum Regem Angliç damnatum eſſe affirmat 125.58
Hugo & Ioannes Epiſc. S. Andreæ reconciliantur coram papa 621. 49
Hugo de Paiens ex Anglia multos ſecũ Hieroſolymam ducit 284.17
Hugo Dunelmenſis Epiſcopus, à Cancellario Regis capitur 665.56
Hugo de Laſci totam terram de Mida accipit 528.57
Hugonis Rotomagenſis Archiepiſcopi ad papam Innocẽtium epiſt. 178.10
Hugonis Conuentrenſis Epiſcopi epiſtola 722.30
Hugonis de Orinal Epiſcopi Londonienſis morbus incurabilis 236.59
Hugo de Numane fit Epiſcopus Conuentrenſis 642.28
Hugo Dunelmenſis Epiſcopus quare à Rege afflictus 615.50
Hugo S. Andreæ Epiſcopus excommunicatur 633.49
Humilitatis in Regina exemplum notabile 164.45
Huntendonia quondam vrbs, nunc villa amœniſſima 361.16
Hybernia inſularum poſt Britanniam optima. Et eius deſcriptio 303.40

Hyberniæ ſeruitia quomodo & inter quos à Rege Henrico ſecundo diſtributa 566.59. & ſeqq.
Hybernia quo tempore primum habitari cœperit 300.55.301.4
Hyems dura, longa & damnoſa 403 a aſpera & fames valida 472.57.473.30

I

IDa Northanimbrorum Rex primus 16.56. quot annis regnarit 17.7
Idæ Nordhumbrorum Regis genealogia 314.16
Idolorum pontifex aras ſuas ſuccendit & deſtruit 328.25. Cultus à quo in Britannia primum abrogatus 10.55
Ieiuniũ quadrageſimale à quo & quare in Anglia inſtitutum 11.2
Iita filius Dei, ideſt idoli cuiuſdam perhibetur 310.11
Ieroſolyma ſub eiuſdem nominis Papa, patriarcha, & Imperatore recuperata & amiſſa 636.45
Ieruſalem cum multis aliis ciuitatibus a Babyloniæ Rege Saladino occupatur 636.12
Ieroſolyma à Francis quomodo expugnata 142.19
Ignauia Regis ex baptiſmo coniectura 62.15
Ignei ictus in aere quando viſi 402.26 403.23
Ignis cœleſtis in Eccleſia ſancti ſepulchri Ieroſolymis, in vigilia Paſchatos fulget 140.49. Syluaticus multas villas & ſegetes perdit 442.26
Ignis in Eccleſia S. ſepulchri, plus ſolito tardior 147.50
Imperator mittit Regi Angliæ Coronam amicam 757.40
Imperatrix apud Arundel obſeſſa 484.55. & apud Oxenfordam 488.16 capto Rege Stephano, regnum ſibi debitum requirit 288.1. iuramentum præſtat Epiſcopo ibid. 6. Recipitur in dominam Angliæ ibid. 12. Oxenefurti obſeſſa liberatur 194.59
Imperatrix ab omni Anglorum gente, Kendenſibus tantum exceptis, in Reginam recipitur 392.39. Londonia expellitur ibid. 44
Imperatricis ad Comitem Andegauenſem legatio 193.36
Imperatores qui Conſtantinopoli poſt Conſtantinum magnum regnarunt 137.15.
Imagines non adorandæ 405.6
Imber ſanguineus in inſula Vecta fere per duas horas pluit 567.50
Incendium ligno Crucis extinctũ 245.38.
Incendium ex turre pontificis in Wintonia iaculatum, quantum damni dederit 190.38
Incendium in parturientis ædibus viſum &c. 259.38. Induciæ inter Eboracenſem & Elienſem Epiſc. 513.39
Ina quem fratrem habuerit, & quas ſorores 15 4.& 7
Ine quamdiu regnarit ſuper Weſtſexe & eius genealogia 337.5
Ine Rex Romam proficiſcitur 338.29. Qui Imperatores eo regnante fuerint 338 31 Quot pontifices Romæ mortui ibid 36. Quot Reges Francorum ib.38
Infangentheof quid 606.1
Ingolphus abbas Croylandiæ vitæ ſuæ curſum ipſemet deſcribit 907.31
Ingulphi in terram ſanctam peregrinatio 907.50. Hieroſolymam peruenit 908.1. fit monachus ibid.29. quo promotore abbas factus ibid. 48
Ine & Nunna Regum acta 859.47
Innocentius papa a Rege Henrico recipitur Anacleto reiecto 480.13
Innocentii papæ epiſtola de ſubuentione Ieruſalem facienda 786.37.
Innocentii papæ epiſtola de ſubuentione facienda terræ Ieroſolymitanę 799.33
Inſulæ in Brittannia quot 298.1
Inſula ardens in circuitu Siciliæ precib. & meritis S. Agathæ extinguitur 672 50
Inſularum in mari Græco præcipuarum nomina 709 40
Inueſtitura ad Eccleſiaſticas perſonas ab Henrico V. Imperatore, remittitur 170.8
Inueſtituræ cõtrouerſia inter Regnum & ſacerdotium, dirempta 169.46
Inueſtiturę Eccleſiarum à Rege ad Archiepiſcopum Anshelmum remittuntur 227.57
Inobedientia degeneris filii diuinitus punita 621.3
Inundatio aquarum in Anglia magna 796.13
Ioannes Epiſcop. S. Andreæ expellitur, 599.41
Ioannes de Curci, capit ciuitatem de Dun. 561.24. Regem Rodericum vincit ib.20
Ioannes Cumin, archiepiſcopatum in Hybernia accipit 614.43
Ioannes Scottus à quibuſdam pro hæretico habitus eſt, 419.35. à pueris quos docuit interficitur ib.45. feſtiuitas & facetiæ 419.10
Iohannes filius Henrici Regis vxorem ducit filiã Willielmi Comitis Glãuceſtriæ 553.47. Accipit à patre Hyberniam ibid. 55.
Ioannes Scottus quando & vbi claruerit 45. 5. à pueris ſuis quos docuit, perforatus moritur ib.13.
Ioannes Apoſtolus Chriſtum de fine ſeculi interrogans, quid reſponſi acceperit 684.47
Ioannes NorWicenſis Epiſcopus, Crucem dimittit & domum reuertitur. 668.35
Ioannes 15. papa, vere incantator 65. 19.33. fit Archiepiſcopus Rhemenſis ibid.41. A quo papa creatus. ibid. 49. fortunas ſuas vrget fautore Diabolo ibid. 50. eius nominis, antea Gerbertus dictus, ad Saracenos ſeſe in Scholam confert 64.47. Diabolicas artes diſcit 65.2. Diabolo ſe vouet ibid. 20. Cum in Hieruſalem cecinifſet Miſſam moritur 67. 52. minuatim ſe dilaniari & foras proiici iubet ib.55
Ioannis papæ ad Æthelredum Merciorum Regem epiſtola 267.38
Ioannes Cardinalis Cremenſis, confuſus in Anglia, Romam reuertitur 382.47
Ioannes Henrici ſecundi Regis filius Rex in Hybernia cõſtituitur 566.50
Ioannes Epiſcopus Wellenſis, laicis omnes terras aufert, & pauculum victum relinquit 129.36.S. Andreæ aliquot familiares Regis Scotiæ excommunicat. 614.48
Ioannes ſenex, quia ſepet iudicium aquæ purgare nequit, ſuſpenditur 566.5
Ioannes Comes Moretonii delatus apud fratrem Regem Richardum in eius odium innocẽs incurrit 790.40
Ioannes Richardi Regis frater Regnũ Angliæ expetit 724.53.45
Ioannes frater Richardi Comes Moretonii Eccleſiæ fidelitatem promittit. 793.2. coronatur & conſecratur in regem 795.49
Ioannes de Curci per inſidias capitur 823.25.
Ioannes frater Richardi Regis, regnũ à fratre moriturо accipit 791.18
Ioannis Baptiſtæ caput vbi 818.50
Ioannes comes Moretonii, Richar. Regi fratri ſuo reconciliatur 740.15 diſſaiſatur de omnibus tenementis ſuis. 735.34
Iohanna ſoror Richardi Regis ex cuſtodia liberatur 673.47
Iohanna filia Regis Henrici ſecundi collocatur in matrimonium Wilhelmo Regi Siciliæ 551.10
Ioanna Siciliæ Regina moritur 795.39
Iohachim vir doctus in Calabria, Regi Richardo viſionem Apocalypſis exponit 681.36
Ioppe & Scalona à paganis deſeruntur 699.55. à Saracenis expugnata cum ingenti Chriſtianorum damno 772.26.
Ioſephi Corpus in Neapoli, candido marmore tectum eſt 147.26
Iuo Perſa Epiſcopus vbi ſepultus, 292.9 in ſomnio apparet, & ſe honorari præcipit 292.19
Iſaac filius ſororis Manuelis Imperatoris in prelio capitur 595.53. quomodo liberatus ibid. 59
Iſabel filia Ailmari Comitis de Engoliſmo fit vxor Iohannis regis 803.33
Iſakius Imperator de Cypre fit captiuus regis Richardi 69.17.
Iſakius regi Richardo fidelitatem iurat. 691.35. furtiue à rege diſcedit ibid.39. pacem ſoluit ibid. 55.
Iſenbardus ab Hugone, duello interemptus. 47.45
Iſe puella poſt mortem, infantem ex coitu militis cuiuſdam concipit, & parit 202.12
Iſidori corpus, Toletum transfertur 64.54
Italia ab Henrico V. Imperatore intra decennium, ter oppugnata 170.22. à latronibus infeſta reddita 83.17
Ithamar Epiſcopus Roffenſis à quo conſtitutus 232.56
Iudæi in Angliæ ciuitatibus Cœmiteria accipiunt 568.13. Cum omnibus quæ habent Regis ſunt 606.39. Inſolentiæ ſuæ pœnas dant. 123.52. Regi Richardo munera deferentes, male accipiuntur 657.36
Iudæorum conſtitutiones in Anglia 745.30
Iudæi ſeipſos miſere trucidant 665.25 licentiam accipiunt Pariſiis habitandi 803.30
Iudicium inter Reges Caſtellæ & Nauarræ, à Rege Henrico ſecundo factum 565.1. ferri igniti 371. 55. ferri vel aquæ quomodo peragendũ 601.55.
Iudith Ludouici Imperatoris coniux Fridericum Traiectenſem Epiſcopũ interfici curat. 398.28
Iulianus Apoſtata quamdiu Imperator 306.44
Iulii Cæſaris laus authentica ex Solino 302.17

Iulius

Iulius menſis à Iulio Cæſare ſic dictus 301.12
Iulius Cęſar quando Britanniam bello laceſſitus venit 301.13. fuga ſibi cõſult : ib.36. quomodo ſuos ad pugnã contra Britannos exhortatus ſit ib. 39 victoriam obtinet ibid.55. quot cohortes habuerit cum ciuile bellum inchoaret 185.54. Roberti Comitis cum eo comparatio ibid.56.
Iuramentum à proceribus Angliæ de recipienda Mathilde domina, Regi Henrico præſtitum 175.40
Iuramentum papæ ab Imperatore, & Imperatori à papa præſtitum 166.40.& 51.
Iuramenti per totam Angliam miſſi forma 757.20
Iuſticia ſanctæ Eccleſiæ 621.56
Iuſticiarii Regni Angliæ 548.15
Iuſtus quamdiu Cantuariæ Archiepiſcopus fuerit 196.11
Iuſtus Roffenſis Eccleſiæ Epiſcopus primus à quo conſtitutus 232.37
Iuuenta an retinenda 606.10

K

Kenelmus puer ſeptem annorum dolo Quendredæ ſororis, ab Aſcebetto ſuo nutritore interficitur 857.10. Regis Kenulphi filius ſeptennis,trucidatur 88.14. Eius mors Romæ mirabiliter patefacta ib. 16.
Kenewalkius Weſtſaxonũ Rex Chriſtianiſmum & legitimum matrimonium abiurat. 13.9. à Merciorũ Rege victus ad Orientales Anglos confugit ibid.10.mutatur in melius, ib. 13 fit . valde religioſus ibid. 17. munificus & liberalis ibid.22. Quot annis regnarit ibid. 59. regnum vxori delegat ibid.59
Kenredus Merciorum Rex, Romam proficiſcitur 28.10
Kenredo Epiſcopo poſt abſciſſam linguam,loquela reddita eſt. 467.12
Kentuinus Weſtſaxonum Rex, quot annis regnarit 14.12
Kenulphus Rex Merciorum magnæ virtutis 33. 18. Eius liberalitas magna ib.30
Kenulphi Merciorum Regis,ad Papam Leonem Epiſtola 30.31
Kineardus Regem Kinewlphum interficit 16.2. & paulo poſt interficitur ab Eſrico ibid.13
Kineburga Northanimbrorum regina,ſanctimonialis facta 27.55
Kinegils quando & quamdiu ſuper Weſtſexe regnarit.316.10. Brittannos graui pugna ſuperat ibid. 17. quando mortuus ibid.41
Kinewlfus Rex, Octauus eſt qui monachatum accipit 342.30. ab Offa Merciorum Rege victus perit 15.56
KinewlfRex qua occaſione interfectus 343.20
Kinnalhi Scottorum Regis, in Regem Angliæ iocus. 57.26
Kiotic filius Cudredi Regis occiditur 341.7 cum Britannis prælia cõmittit 314.11.25. moritur ibid.37. quot annis regnarit 314.8
Kinwlf. Occidentalium Saxonum rex quando& à quo interfectus 404.28

L

Lacus in Sodoma nullius viuentis capax 147.19
Laicus quidam in mentis exceſſu aliquot verſus pronunciat 625.47
Laici inueſtituras Eccleſiarum dantes excommunicantur 467.33
Lambrithus Cantuariæ quamdiu Archiepiſcopus fuerit 199.10
Lampredarum carnibus Rex Henricus extinctus 480.41
Lancea qua Chriſti latus apertum eſt, Regi Angliç dono miſſa 51.29
Lancea qua Chriſtus trãsfoſſus eſt quomodo & vbi inuenta 467.18
Lanfrancus quando & à quo in Angliã vocatus 453.47
Lanfranci de ordine ſedendi in concilio Epiſcoporum,creatio 118.24
Lanfrancus fit archiepiſcopus Cantuarienſis 204.50
Lanfranci elogium 110.7
Lanfrancus quam ob cauſam Becco & Normannia ſubmotus 238.52
Lanfranci ad Alexandrum Papam epiſtola 207.16
Lanfranc.Longobardus natione,quando in Angliã venerit 205.41.quando Archiepiſcopus Dorobernenſ. factus 205.44.pallium Romæ accipit 206.18.quamdiu Archiepiſcopatum obtinuit, & quomodo mortuus 215.45.
Lanfranci cum Thoma Eboracenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo,de primatu diſputatio 212.34. Eius elogium & cõmendatio 213.27. quantæ apud papam & Regem autoritatis fuerit ib. 28.& 45
Lanzonis monachi Cluniacenſis elogium,171.57.quomodo vitam hanc mortalem clauſerit 172.4.& ſeqq.
Lapides miræ magnitudinis, apud Stanenges eleuati 279.41
Latrocinia per Italiam inaudita exercentur 83.27
Latronum latibula inter Eboracum & Dunelmum 451.38
Laurentius Cantuariæ quot annis Archiepiſcopus 196.5
Laurentius Dublinenſis Archiepiſcop. moritur 611.14
Laurentii vigiliam cur Dani ieiuniis & eleemoſynis conſecrent 106.30
Laurentius ab Auguſtino adhuc viuente Archiepiſcopus factus 325.57
Lazari fratris S.Martæ Magdalenæ & Marthæ reliquiæ vbi 671.55
Lefricus Cidrienſis Epiſcopus doctus & altus 256.12
Legati Apoſtolici in concilio oratio 188.35.
Legaceſtria quando reſtaurata 421.36.
Legatus Apoſtolicus à Curia Imperatricis abſtinet 190.3. Comites aduerſus Imperatricem excitat & ſeditionem parat. ib.17
Legatis papæ clauditur ianua, apud Gyſortium 720.31
Legeceſtrenſium Epiſcoporum nomina 289.53
Legeceſtra ciuitas vbi & vnde ſic dicta 289.50
Leges pro illis qui crucem accipientes, in terram ſanctam expeditionem fecerunt 642.1. & ſeqq. Anglicanæ à quo conditæ 600. 46. autæ in Angliam in ſcripto rediguntur 493.24. Danorum quare receptæ 507. 59. & ſtatuta Angliæ à Willielmo ſeniore factæ 600.40
Leobinus, Leulfum, Cuthberti miniſtrum obtr[illegible]at 277. 16. ſemiuſtulatus mille lanceis excipitur.ib.27
Leofricus Comes moritur 444.36
Leof latro quidam Regem Angliæ,ſica interficit 54.30
Leofwinus ſemiuſtulatus ex templo erumpens interficitur 458.55
Leo papa lingua & oculis priuatus, per Domini gratiam reſtituitur in integrum 344.33. & Henricus Imperator, contra Flandrenſium Comitem exercitum colligunt,440.28. Elfredum Regem Angliæ facit 38.1. ad Kenulphum Merciorum Regem epiſtola 31.35. quando mortuus 344.55.
Leonis papæ ad Ethelardum Archiepiſcopum Dorobernenſem epiſtola 210.58
Leo bellua ſæuiſſima nudo lacertorum viſu ſuffocatur 106.38
Leo à Godefrido,vocabulo transfoſſus & gladio interemptus 144.20
Leo papa plagis in Eccleſia Petri afficitur 25.37
Leproſis priuata Eccleſia & cœmiterium conſtituenda 580.29
Letardus Epiſcopus continentia vitæ Britonum regem ad fidem Chriſti inuitat 10.18
Leuca vnde dicta 914.7
Leutherius quamdiu in Weſtſaxonia Epiſcopus fuerit 13.24
Lex de latronibus pro latrocinio interfectis 509. de Vthlagis in Anglia 262.29
Liberatio Richardi Regis Angliæ 734.10.ab Henrico Imperatore cur dilata 733.10
Licefeld villa exigua,vbi ſita 258.4
Limpoldus Dux Auſtriæ, Regem Angliæ Richardum captum Imperatori tradit 720.55. propter captionem Regis Angliæ diuinitus punitur 748.16.frangit pedem 748.45. moritur. 749.6
Lindeſcia à Rege Egelredo flammis vaſtata 433.34
Lindis flumen in mare excurrens 405.24.
Lindisfarne inſula,nunc Halieland dicta 275.30
Lindiſſa prouincia à quo ad fidem conuerſa 328.39
Lindisfarnenſes Epiſcopi commemorantur 175.34
Lindocolinum monaſterium à rege Stephano obſeſſum 187.2
Linguæ in Britannia quinque in vſu 299.55
Liulfus vir nobilis & generoſus ab Epiſcopo inſidioſe occiditur 458.24
Literæ Apoſtolicæ pro monachis in Couentrenſ. Eccleſ.reſtitutis 774.28. Drogonis & Anſelmi de Treugis facti inter Reges Franciæ & Angliæ 741.56.
Liuingius quot annis Archiepiſcopatum Cantuarienſem obtinuerit 203.58.Cridienſis Epiſc.magnæ familiaritatis & autoritatis apud Regem Cnutonem 255.57. Cridentunenſis Epiſc.cur ab Epiſcopatu remotus 77.9
Lodouicus Rex Franc. quomodo cum Henrico ſecundo pacificatus 292.12
Londonia à quo muro primum cincta 306.34
Londonia & Cantia à Danis vaſtantur 37.42.
Londonienſes & Barones Angliæ, Regem Stephanum vinculis liberari petunt 188.18

Loodinenſes Imperatricem inſidiis oppetunt 189.44
Londonienſes à Scotis, in fugam verſi 483.59.
Londonienſes quatuor ex Ducibus Dacorum interficiunt 351.30
Lotharius Egberti Regis frater iaculo in bello traiectus perit 11.19
Lotharingia vnde dicta 38.9
Lothen & Hirling Dacorum principes Eſtſexam prædantur 365.47
Lucii papæ pro ſubuentione facienda terræ Ieroſolymitanæ epiſtola 618.30. cum Romanis pacem facit 622.24
Lucius tertius quando papa factus 615.2
Lucani Schola vbi 673.16
Lucheman regalis exercitus præpoſitus, interficitur à Dacis 351.58
Ludendi leges pro peregrinantibus ad terram ſanctam 675.6
Ludouicus rex Franciæ pro Thoma Archieþiſcopo apud papam intercedit 519.55
Ludouicus Caroli Magni filius ob inceſtum libere ab Epiſcopo arguitur 198.6
Ludouicus Rex Franciæ in Paralyſin incidit 592.43
Ludouicus Rex Francorum pro valetudine filii ſui ad S. Thomam Cantuarienſem martyrem proficiſcitur 592.6. & ſeqq. fidem datam non ſeruat 540.30. Conſilium malum 531.47
Ludouicus. Ludouici Imperatoris filius quando mortuus 38.41
Ludouicus Rex Francorum cum exercitu Normanniam inuadit 517.42. & 518.22. ad Alexandrum papam de morte beati Thomæ epiſtola. 523.4. in fratrem ira 159.53
Lucerna arte mechanica præparata, ad caput Pallantis inuenta 86.57
Lucii papæ de abſolutione Willielmi Regis Scotiæ epiſtola 616.35
Lucius papa quando mortuus 489.14. moritur, ſuccedente in Vrbano tertio 630.26
Ludwalus, Wallenſium Rex & Conſtantinus Rex Scottorum, regnis cedere compelluntur 48.38
Lullus Bonifacii ſucceſſor 29.44
Luminaria multa in ciuitate Panormo accenſa 551.19
Lunæ quinque in cœlo viſæ 813.20. duę vna in oriente, altera in occidente viſæ 470.56
Lupus fera immaniſſima, Edmundum ſequitur ad ſepulchrum, & neminem lædit, nec à quoquam læditur 88.56
Lutherius 7. annis Weſtſaxonum Eccleſiam regit 241.32
Luye fluuius in tria bacchia finditur 351.33

M

Maccuſius Archipirata victus 56.6.
Macrinus papa regi Alfredo lignum Domini mittit 350.42
Magnates qui in obſidione Accon ciuitatis vno anno mortui 685.25
Magnanimitatis regiæ exēpla 124.31
Magnus, Noricorum Rex Orchadas Inſulas ſubigit 125.42
Mahumet ſimulachrum in templo Domini Ieroſolymis repoſitum 140.47
Malcolmus Anglorum profugus recipit 103.5. interficitur à Roberto de Molbreia ibid.27
Malcolmus fraude magis quam viribus interfectus 122.17
Malcolmus Scotorum Rex à Coutone ſuperatur 74.17
Malcolmus in Northimbria iuſto Dei iudicio interfectus 463.51. 464.4
Malgerius ab Archiepiſcopatu Rotomagenſi remotus 139.27. cur id factum ſit ibid. 34
Malmesburienſe monaſterium reſtituitur & reparatur 58.15. & 28. in ſtabulum mutatum 55.38. à quo ad ampliſſimum ſtatum prouectum 13.27. à quo fundatum ibid.29
Mamnesbirh. caſtellum ab Henrico Normannorum Duce occupatur. 396.50
Maneria in Croyland per Danos deſtructa reædificantur 808.40
Manerius monach⁹ in vndis ſuffocatur 906.30
Mandatum de obſeruatione diei Dominicæ, de cœlis prolatum 820.56
Manes reſumpto corpore oberrare opinio ab Ethnicis mutuata 46.10
Manſuetudinis & comitatis exemplum 121.51
Mantuntun oppidum & multæ in Francia Eccleſiæ incenduntur 460.45
Manuel imperator Conſtantinopolitanus moritur 595.13
Manus contracta reſtituuntur 812.40
Marcus Aurelius Antoninus Imp. quot annis regnarit, & eius laus 304.55
Marcus Antonius verus, quot annis regnarit 304.15. Eius laus ex hiſtoria Romana ibid.21
Mare per triginta paſſuum ſtadia retractum 493.49
Margareta Malcolmi vxor cognito viri interitu, mortem à Deo precario exigit 122.19. Eiuſdem inſignis pietas & in pauperes beneficentia ibid. 22. & ſeqq. elogium 453.2. moritur 464.15
Margareta Eadgari filia, quos liberos habuerit 93.25
Margareta Regis Henrici iunioris relicta vidua nubit Belæ Regi Hungariæ 631.55
Margaritus Dux piratarum venit ad Philippum Regem Franciæ 804.19. interficitur ibid.24
Margareta Soror Philippi Regis Franciæ, crucem Ieroſolymitanæ profectionis accipit 768.18
Mariæ virginis tunica 411.7
Maria de Haytun ciuitas, cur ſic dicta 670.28.
Mariæ Magdalenæ corpus vbi habeatur reconditum 666.32
S. Maria mater Chriſti militibus in obſidione ciuitatis Accon apparet 695.25.
Maria, Alexis imperatoris Conſtantinopolitani mater venefica 595.20 ſubmergitur in mari ib.25
Maria Chriſti Saluatoris mater Dunſtano vigilanti apparet 203.13
Marca quomodo expugnata 577.4
Martyres in vno menſe 17000. facti 305.55
Matildis Henrici Regis filia quando & vbi imperatori Henrico deſponſata 473.10
Mathildis deſponſatur Fulconis filio in Normannia 175.49
Matildis fidem à p[illegible]ribus Angliæ accipit 177.19
Matildis Imperatricis geniture linea 175.33
Matildis Regis Henrici primi vxor, an inter ſanctimoniales profeſſionis gratia, virgo vixerit. 164.20. Eius pietas inſignis prædicatur ibid.45. quando mortua 165.11
Matildis Henrici regis Anglorum filia, mortuo marito, Henrico Imperatore Alemannorum, domum reuocatur 175.9
Maurilius Fiſcanenſis monachus, mortuus reuiuiſcit & potentiam prædicat 109.42
Maurinianus Scotus quando claruerit 116.6.
Mauritius imperator quo anno regnare cœperit [illegible] 44
Mauritius Regis Cancellarius, Epiſcopus Londonienſis factus 237.4
Maximus & Conſtantinus à Theodoſio & Honorio interfecti 8.9
Maximianus quot annis regnarit 305.1
Medevvai fluuius deficit 473.22
Mediolani patricii omnes vna ex cepto à turri opprimuntur 474.18
Milcolm Rex Scotiæ Regi Cnut. ſubditur 364.31
Mellitus Londoniæ Epiſcopus primus, expellitur 34.54
Mellitus Londinēſis Epiſcopus primus à quo conſtitutus 235.1. fit Archiepiſcopus Cantuariæ ibid.34
Mellitus Cantuarienſis Archiepiſcopus quamdiu 196.10
Merce Reges ab Edelredo vſque ad Wiafum qui & quot annis regnarint 346.42
Merce regnum quis primus obtinuerit 315.30. quando ad fidem cōuerſum 317.45. in quo finiatur 350.18.
Merci oſtridam reginam interficiunt 337.22
Merciorum Auſtralium familiæ quot 332.54
Mercii Cantuaritarum Regem capiſſe 11.50
Mercii quomodo ad fidem conuerſi 332.25
Merciorum Reges vbi regnarint 15.58 regnum ad interitum vergit 21.39. quando emercuit ibid.57
Merciorū Archiepiſcopatus in Licefeld conſtitutus 278.57. regnum quando cœperit 27. 12. Epiſcopatus quot 279.6. Rex quamdiu ſteterit, & in quo defecerit 8[illegible].10
Meroningi Francorum Reges, quamdiu regnarint [illegible]5.11
Merlini vaticinium 534.18
Meruinna abbatiſſa in Rameſeie conſtituitur 426.10.
Meſſana ciuitas à militibus Richardi regis expugnata 674.35
Milburga apud Veneloch requieſcens fœmina ſancta 89.53
Mildeltunenſis Abbatia à quo inſtituta 251.13
Militum delinquentium pœna qualis 105.16
Mira in Anglia quatuor 299.38
Miſericordia regis in captiuos 605.3
Miraculum in monachorum veſtibus 278.23
Miracula à Dunſtano facta. 102.38 & ſeqq.
Miracula Ethelvvoldi viuentis 244.50
Miracula quibus præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna probatur 114.56. & ſanctitas Anshelmi, ante & poſt eius mortem 119.30

Mira-

Miraculum in cœmiterio ſaltantium 68.5. quando acciderit. 67.59. Calnæ in vico regio factum 61.19.
Miracula & viſiones Regis Edvvardi 447 9.
Miraculum circa ſepulchrum Wlſtani. 282.56.
Miſſæ approbatio & confirmatio 87. 42.
Moguntini abiecto Duce Suauiæ Ottonem Alemannorum Regem recipiunt 804.30.
Mol Edelvvold quot annis ſuper Northumbre regnarit 342.35.
Mollo in tugurium quoddam compulſus, incendio perit 11.32.
Monaſteriorũ verſio punita 28.51. apud fontem Ebraldi à quo conſtructum 171. 38. Rameſeiæ à quo fundatum 56.48.
Monaſteria in Hybernia duo præcipua, de Armach & Hii 331.3.
Monaſterium in Eboraca ciuitate quãdo ſuccenſum 402. 24. Fiſcanenſe à quo fundatum & perfectum 70. 15. In Anglia ditiſſimum à quo cóſtructum 444. 39. Theokesberiæ à quo conſtructum 284. 19. Schephtonienſe à quo fundatum 44. 57. à rege Henrico inter duo flumina Kenetam & Tameſim quare conſtructum 162. 50. in Adelingia conſtruitur 44. 52. Sancti Petri in Londonia à quo extractum 235. 12. Nouum in Wintonia, à quo fundatum. 44. 54. Primum in Anglia, extra muros Cantuariæ, à quo fundatum. 10. 37. S. Petri Glouceſtriæ, à quo fundatum. 283. 31. Radingis ab Henrico rege reſtauratur. 253. 40. S. Martini de bello, à quo fundatum. 258. 15.
Monaſteria in pago Wiltenſi 251.57.
Monaſterium S. Petri Gloceſtriæ, à quo conſtructum 46.47.
Monaſteria à rege Willielmo conſtructa 109. 16.
Monaſteriũ Pancratii de Levves, à quo conſtructum. 258. 18. Petri & Pauli in ripa Wiræ fluminis à quo extructum 21.40.
Monaſteria à clericis in Anglia vertuntur 41.11.
Monaſterium Wincelcumbenſe à quo coſtructum. 283. 52. Couentreiæ à quo extructum 289.19.
Monaſteria tria à tribus monachis cóſtructa 455.40.
Monaſterium Medeshamſted à quo reſtauratum. 887. 26. Croylandiæ, à rege Offa per chartam confirmatur 856. 20. de Medisharniſted à quo fundatum 852. 50.
Monachus pro ſomnio regi expoſito, 100 ſolidos accipit 126.19.
Monaſteirium S. Andreæ, à quo conſtructum 907.22.
Monaſteria grauibus exactionibus affliguntur 894.39.
Monaſterium Sanctæ Pagæ cũ omnibus pertinentiis igne vaſtatur 895. 13.
Monaſterii Croylandię ſedes quot miliaribus conſtet 914.18.
Monaſterium Croylandenſe fere annihilatur 874.1
Monachi in Anglia, ſecularibus nó abſimiles 214.54
Monachorum ſtrages magna 325. 42. Ciſtellenſium elogium 128.44
Monachi abbatias, quibus aliquandiu caruerant, obtinent 185.17
Monachorum Cantuariæ cum Epiſcopis Angliæ contentio 623.17
Monachis datur licentia bibendi vinum & cereuiſiam, cum antea tantum lac & aquam bibere conſueuerint 418.55
Monachi in bello trucitati 17.57
Monachorum perſecutio & facies in Angliæ miſerrima 55.57
Monachus mortuus excitatur 261. 45. ſuper Cãcellario Regis equitans 477. 52
Monachi ſub pretio nó recipiendi 586. 57
Monachus manum ex bulliente aqua extrahit illæſam 249. 36. morbo intercutis aquæ liberatur 291.30
Monachi in templo à militibus Cæſi 254. 54. non poſſunt tuto de villa in villam progredi. 185. 43. ex monaſterio Eueshamenſi eiiciuntur 893. 45. in Croylandia trucidantur 871.3
Monetarii in Anglia ſeuere puniti 382. 42
Monetę in Anglia falſitas 185.57
Moneta noua in Normannia excuſa 490.13. Et in Anglia 491.31
Monetarii in Anglia amputatis dextris ementulantur 478.10
Monialis ad coniugium tranſiens damnata 68.50
Mons mirabilis nunquam decreſcens, etiamſi quotidie multum terrę inde ſumatur 715.10
Morbus inuſitatus & mirabilis 863. 47
Mortui ex ſepulchris reſpondent Miſſam celebranti 243.3
Mortuus à Wilfrido excitatur 261. 36 & 45. viuo Concionatur, & monachum eum fieri iubet 991. & ſeqq.
Mul cum duodecim militibus in domo Comburitur 335.29
Mulier duo capita & omnia reliqua gemina habens, vſque ad vmbilicum 82.4. à Dæmonio liberata 804. 45. pręgnans à Diabolo in quodam ouile obduritur 629.28
Mulieris in Berkleia exitus miſerabilis 85.23.
Murcardus Hybernienſiũ rex Regem Anglię obſeruat 161. 23
Murænæ regi Henrico exitiales 385. 25
Murdratorum leges quę 604.17
Mures hominem quendam deuorant 115.45
Munera Regi Angliæ ab Hugone Frãcorum rege tranſmiſſa, ſplendida & multa 51.20
Mures Leopardo mordicus attactos, commingunt 115.57

N

Naues piraticæ 30. Capeæ. 421. 2. longæ, 40. ſcilicet remorum parantur. 351. 44. piraticæ Hamptuniam quando venerunt 62. 31. de ſtoico regis Angliæ ad terram ſanctam egreſſæ quot 670. 17
Nauis Angliæ regi ab Haroldo Noicorum Rege dono miſſa 51.3
Nauigationis Roberti de Sabloil, & Richardi de Cannulla deſcriptio 670. 13
Naufragii regii deſcriptio. 165. 40. perſonæ illuſtres naufragio iſto ſubmerſæ ibid.55
Neuolus filius Vrſonis de Freteualli Regi Angliæ fidelitatem iurat 645. 46
Nicea Bithiniæ vrbs cur primo oppugnata 137.54
Niceæ vrbis obſeſſio 374.16
Nicolaus Papa electus & Benedictus eiectus 445.2
S. Nicolaus vbi Epiſcopatum tenuerit 709.5 vbi natus ibid. 14
Nigellus Epiſcopus Elyenſis ab Epiſcopatu fugatur 390.1
Nima virtutibus clarus & confeſſor 272.55
Nitrum vel ſalis gemma vbi colligatur 147.23
Niuis in Anglia ad 1047. vis magna 440.12
Nomina Magnatum qui vno & eodem anno in obſidione ciuitatis Accon obierunt 685.20
Normanniæ fax bellorum immittitur 157.9. tota ea recipitur ab Henrico Rege ibid.48. paci reſtituitur 158. 18. fere omnium erga Regem Willielmum ſecundum conſpiratio 2.39
Normannia Rolloni donatur 40.24
Normannia ſub Willielmo ſecundo inteſtino bello diu laborauit 121.22
Normanniæ Principes Willielmo iuramentum præſtant 476.45
Normanni quanta audacia omnia inquietarint 47.16
Normannia interdicto poſita à Papa relaxatur 720.40
Normanni in conuiuentes aduenas benigni 104.50
Normannia Regi Henrico ſubiecta 471.13
Normannorum mores varii 102.24
Normanni qua occaſione Angſis bellum mouerint 367.40
Normanni quomodo ſe ad pugnam parent 101.11
Normannia Willielmo Regi pro 10000. marcis in vadimonium datur 466.40
Nordhumbri ſuum Regem Edelred interficiunt 344.14
Northumbri quomodo ad fidem Chriſti conuerſi 18.33
Northumbria Oſulfo Comiti committitur 423.59
Northumbrorum aduerſus Comitem Robertum conſpiratio 450.58
Northanimbria in duas prouincias diuiſa 18.54
Nordhumbrorum regnum quando inceperit 314.15
Northanimbrorum regnum quando & quare peſſum ierit 25.55
Northanimbrorum Reges multi breui annorum ſpacio trucidati & extincti 26.28
Northimbrorum ſeditio per Paganos ſedatur 415.45
Northimbri Regem & Epiſcopum expellunt 417.28
Northimbria à rege Wilhelmo vaſtata 418.58
Northhumbria à quibus gentibus poſſeſſa 2.33
Nothimbrenſium Comitum enumeratio 323.55
Northanhumbrorum regum genealogia 401.14
Northimbria à Malcolmo Scotorum rege vaſtata 457.46
Northumbrorum ad fidem conuerſis, quomodo comparata 387.13

Northurt manerium militi Fernoto adiudicatum 900.3
Norwalani ſeruitutis iugum excutere ſtudent 465.8
Norwagenſis quidam ſolus 40. Anglos interficit, & totum detinet exercitum 368.4
Nothelmus quamdiu Cantuariæ Archiepiſcopus fuerit 196.59
Norweiæ regni quis primus Rex coronatus fuerit 600.36
Norwich à Danis inceditur 429.54
Norregani Regem ſuum propter manſuetudinem, æquitatem, & religioſitatem contemnunt & abiiciunt 437.28
Nottelmus Archiepiſcopus à Papa pallium accipit 340.5

O.

Obſides manibus & naribus mutilati 362.20
Oblatio Regis Francorum pro ſanitate filii ſui in ſepulchro beati Thomæ facta 592.18
Octauiani theſauri vbi reconditi 66.40
Octauianus Antipapa à quo electus 491.53. excommunicatur 492.36
Octauianus Cardinalis in Angliam ad coronationem Iohannis Regis mittitur 634.42
Oddo Comes Agelwinus monachizatus moritur 444.27
Odo Epiſcopus captus in carcerem cõiicitur 372.50
Odo quamdiu Dorobernenſis Archiepiſcopus fuerit 200. 10. eius ad ſuffraganeos epiſtola ibid. 53. multis miraculis clarus eſt 201.25
Odonis in aggregandis theſauris mira ſedulitas 111. 53. eius theſauri ingentes ibid. 57
Odo Epiſcopus calamitatis in Anglia ingentis autor, Cantiam & villas regias vaſtat 461.33. iurat ſe Anglia exceſſurum ibid. 52. Normanniæ curam ſuſcipit 462.2
Odo captus iuramentum præſtat ſe Anglia ceſſurum 120.51. & 121.7
Odo Willielmi ſecundi patruus cum multis aliis à Rege deficiunt 120. 10
Offa Merciorum Rex quot annis regnarit 29. 50. eius res geſtæ ibid. 54
Offæ Regis genealogia 409.1. Merciorum tyrannus 88.4
Offa quot annis in Mercia regnarit 410.56
Offa quot annis Rex ſuper Merce 342. 18. & eius genealogia ibid. 19
Offa Merciorum Rex Egelbrithum filiæ procum interficit 287.30
Offæ Regis principatus & acta 841.15
Offrithi præfecti cuiuſdam vxor à Dæmone agitatur 264.27
Olaus Noricorum Rex regno eiicitur 74.13
Olaus à fratre in exilium mittitur 107. 5. liberatur à vinculis decem millibus marcarum argenti ibid. 12
Oliuarum copia maxima vbi 710.11
Opilionis filia Regem Angliæ parit 52.56
Orationis feriæ vis magna 372.35
Orchades inſulæ à quibus occupatæ 9.32
Ordgar' Dux Domnaniæ moritur 426. 23
Ordinatio ſine certo titulo non facienda 588.55
Origenes quinq; milia librorum ſcripſit 305.2
Orientalium Anglorum Epiſcopalis ſedes ad vicum Norwic transfertur 239.8
Orientalium Saxonum regnum quando cœperit, & quem primum Regem habuerit 34.48
Osbernus Cantuariæ ſcriptor elegans 56.30
Osbernus Cidrienſis Epiſcopus frater Comitis in Normannia 256.24
Osbric & Ellan Reges à Paganis occiſi 349.6
Osburch Elfredi Regis vxor Pincernæ filia 414.42
Osketulus abbas Croylandiæ moritur 894.40
Oskitel Eboracenſis Archiepiſcopus quos ſucceſſores habuerit 269.57
Oſmundus Epiſcopus ambitionis omnis immunis 250.31
Oſredi fortuna breui tempore mutata 410.37
Oſredus Rex ſanctimonialium ſtupris, infamis 21.19. interficitur à cognatis ibid. 10. Tinemuthæ ſepultus 343.57
Oſricus Rex Nordhumbre moritur 339.5
Oſtentum ab Edgaro viſum mirabile 58.36
Oſwald Rex ſanctus quando regnum adeptus, & quamdiu regnarit 316. 59
Oſwaldi iuuenis genealogia 338.53. manus & brachia incorrupta vbi monſtrentur 19. 43. eius caput vbi ibid. 47. oſſa Gloeceſtriam translata 20.4. eius encomium egregium ibid. 6. brachium dextrum incorruptum 19. 26. eius laudes ampliſſimæ ibid 33. miracula poſt mortem 19. 50. humilis Monachus cuius rogatu Epiſcopus factus 425. 55. Wigornienſem impetrat Epiſcopatum 270.15. præficitur Eboraco ib. 26. quam ſancte mortuus ſit ibid. 41. 47. Edelardum bello perſequitur 15.42. populo verba concionatoris Scottici interpretatur 19.18. penuria pauperum gaudia mercatur ibid. 22. Rex omnes gentes Britanniæ in ditionem accipit 331.10. occiditur à Penda in Meslafeld ibid. 47. Cedwallum cum omnibus copiis delet 19.4
Oſwini oſſa poſt 415. annos ex tumulo leuantur 446.28
Oſvvinus ab Oſvvio interficitur 20.20
Oſvvine Rex per proditionem interfectus 331.57
Oſvvius Pendam Merciorum Regem interficit 20.27. totum ſe Chriſtiano cultui tradit ibid. 30
Oſvvius Chriſto duce prælium committit 332.33
Otto Dux Saxoniæ in Romanum Imperatorem eligitur 776.24
Otto Alemannorum Rex accipit theſaurum Ducis Sueuiæ 804.38. à Papa Imperator factus 795. 29. comitatum Eboraci & Pictauis fruſtra à Iohanne Angliæ Rege expetit 802. 46
Oua fracta ab Epiſcopo conſolidantur 242.29
Oxenfordenſe concilium quando habitum, & quid ibi factum 71.23
Oxenefurdum incenditur à Rege Stephano 194.21
Oxenfurdiæ conuentus magnatum Angliæ celebratur 181.35
Oxineford Stephano Regi redditur 393.7

P.

Pacem Regis habentibus quid faciendum 606.45. violantes quomodo puniendi 606.55
Pacis inter Reges Franciæ & Angliæ cõſtitutæ forma 729.10
Pacis inter Angliæ & Franciæ Reges factæ forma 758.16. ſoluitur ib. 53
Pacis inter Reges Caſtellæ & Nauarræ charta 563.23
Pacis inter Henricum Regem Angliæ & Philippum Franciæ Regem conditiones 653.35
Pacis inter Regem Henricum patrem, & Regem Henricum filium factæ, formula 540.48
Pactum & conuentio inter Aldefonſum Regem Caſtellæ & Sanctium Regem Nauarræ 562.14
Pagani terram Sanctii Regis Portugalenſis deuaſtant 718.28
Paganorum centum millia ſe à Tancredo Rege ſeparant 679.4
Pagani Regis Franciæ vexilla gerentes interficiuntur 692.40
Pagani baptiſmum metu mortis accipiunt 696.2. poſt captionem ciuitatis Accon capite truncantur 698. 1. In Englefeld cæduntur 416.20. item in Eſchedun ibid. 54. à Francis ſuperati 418.15
Palladius Epiſcopus ad Scottos mittitur à Celeſtino Papa 836.1
Palladius ad Scottos Epiſcopus à quo & quando miſſus 308.52
Pallãtis Euandri filii corpus Romæ repertum 86.48
Pallium Auguſtino mittitur 838.35. ſuper tumulum quoddam in Croylandia oblatum diuinitus à tumulo remouetur 907.1
Palumbi presbyteri nequitia 86.43
Palmæ in Iericho inſigne peregrinantium 145.39
Papa Imperatori iuramentum præſtare cogitur 166.39
Papa ſine conſenſu Regis Angliæ nemo vocandus 219.29. ſe minuatim diſcerpi & foras proiici iubet 67.55. Iohannes 15. quomodo pacem inter Ethelredum & Richardum compoſuerit 64.15. Ioannes 15. non mori debuit, antequam caneret Miſſam in Hieruſalem 67.44. Gregorius arma & milites adornat 83.50. eius morituri ad Cardinales oratio 84.4. cui oculi eruti & lingua abſciſſa fuerant, loqui & videre rurſus incipit 411.10.
Papæ Gregorii Sexti inopia 83.14. Paſchalis quibus verbis Imperatori Henrico V. Sacramentum porrexerit 167.11
Pariſium à Danis per annum obſeſſum 420.17
Paſchalis Papa ab Henrico V. Imperatore captiuus 166. 37. priuilegium Henrico concedit ibid. 39. Imperatori Henrico V. priuilegium propria manu offert 167.24. ad Epiſcopos & Regem Angliæ epiſtola 231.32. ab Henrico Imperatore in vincula coniectus 472. 49. alius ab eo creatur 474.30. ad Regem Henricum primum epiſtola 163.6. eiuſdem ad Anſelmum Archiepiſcopũ literæ ib. 38. & 52
Patris impii liberi pii 27.31

Paulinus

Paulinus Roffenſis Epiſcopus quando mortuus 232.53
Paulinus Eboracenſis Archiepiſcopus primus loco pulſus, quos ſucceſſores habuerit 259.22. Eccleſiæ Eboracenſis primus Antiſtes vbi mortuus 24.21
Paulino Epiſcopo oraculum Edwino Regi quondam oſtenſum, reuelatur 327.44
Paulus Orcadum Comes crebra Regi Henrico munuſcula mittit 181.31
Pax & concordia inter Regem Angliæ & Henricum Imp. quomodo facta 721.3. inter Reges Angliæ & Franciæ ſub pœna 15. millium marcarũ argenti conſtituta 765.3. & concordia inter Imperatorem Henricum & Regem Franciæ Philippum 718.1. inter Iohannem & Philippum Angliæ & Franciæ Reges confirmatur 823.12. inter Philippum & Iohannem Franciæ & Angliæ Reges facta 802. 25. & finalis concordia inter Willielmum de Stutevilla & Willielmum de Mobrai ſuper baronia facta 801.24. inter Willielmum Regem Scotiæ, & Henricum Regem Angliæ facta 545. 18. cum Paganis in ciuitate Accon qua forma facta 695.48. inter Godwinum & Eadwardum conſtituitur 442. 50. Regis Angliæ viis & nauigiis conceſſa, qualis 603.49. & concordia inter Willielmum & Robertum fratres, quibus conditionibus firmata 462.16. inter Rogerum Eboracenſem Archiepiſcopum & Hugonem Dunelmenſem Epiſcopum quibus conditionibus facta 541.42. inter Philippum & Richardum Franciæ & Angliæ Reges iuramento confirmata 664.15. inter Regem Franciæ & Comitem Flandriæ facta 613.56. ab omnibus quomodo ſeruanda 588.30. inter Philippum Franciæ & Henricum Angliæ Reges quomodo conſtituta 593.53. inter Wilhelmũ Regem Scotiæ, & Ioannem Epiſcopum S. Andreæ quibus conditionibus facta 617. 22. & concordia finalis inter Henricum Regem & filios ſuos ſcripto firmata 623.41. in Britannia tempore Regis Edwini 316.55. inter Robertum & Henricum fratres conſtituitur 469.10. inter Malcolmum Scotiæ, & Willielmum Angliæ Regem quibus conditionibus facta 462.44
Perwine Epiſcopus Candidæ caſæ quãdo mortuus 404.9
Peda primus Regum ſuper Merce baptizatur 317.45
Pelagianæ hæreſis confutatio miraculo firmata 311.22.34
Pelagiana hæreſis apud Scottos quæ 329.50
Penda cum ſuis à quo baptizatus 332.22
Pendæ Regis ſuper Merce genealogia 316.44. quando interfectus 317.38
Penda Merciorum Rex primus, homo fanaticus & impius 27.13. Reges aliquot Northanimbrorum & Orientalium Anglorum interficit ibid. 19. Ceduallæ vltro in auxilium accurrit ib.24. interficitur ab Olwio ibid.27. quos habuerit liberos ibid. 30
Pentecoſtes feſtum luctuoſum 78.25
Perfidia Edrici Streonæ punita 437.1
Pert villa obſeſſa expugnari nequit 492.5
Peſtis & fames in Anglia 547.35. pane benedicto depulſa 245.42
Pethelmus Epiſcopus quos ſucceſſores habuerit 273.4
Petroci S. corpus furtiue ablatum 567.53
Petrus de Capua Cardinalis interdictũ dat in regnum Franciæ 801.50
Petrus Apoſtolus quando Pontifex Romæ factus, & quamdiu ibi fuerit 302.55. Laurentio Archiepiſcopo apparet 326.44
Petri presbyteri Cardinalis epiſtola 575.20
Petrus Eremita ad Turcos legatus mittitur 139.38
Petri Pertuenſis Epiſcopi de Papa Anaclete epiſtola 176.29
Petrus presbyter Cardinalis in Angliam legatus venit 570.26
Petrus Pictauorum Epiſcopus Comitẽ Pictauorum ob adulterium excommunicat 170.43. mittitur in exiliũ, & moritur ibid.51. in eius viuentis laudem verſiculi ibid.59. de eo iam mortuo verſus 171.15
Pharamellæ Cordubenſis ſcriptum de coniunctione Planetarum 627.24
Philippus Franciæ Rex in Sequana fluuio fere ſubmerſus 758.4. Regnum cœleſte impugnat 765.13
Philippus Beluacenſis Epiſcopus in arctiori cuſtodia poſitus 777.20. liber dimittitur 795.5
Philippus Dunelmenſis Epiſcopus à Rege mannerium accipit 782.1
Philippus Rex Franciæ diuortium inter ſe & Botildam ſponſam ſuam expetit 813.35. Botildam in arctiori cuſtodia ponit 814.2. adulteram dimittit & Botildam accipit 810.35. deſponſat ſibi Botildam Regis Dacorum filiam 731.40. diuortium inter illos factum ibid.48
Philippus Dunelmenſis electus licentiam cudendi monetam accipit à Rege 768.8
Philippus Rex Galliæ calumniis grauat Richardum Regem Angliæ coram Papa 712.17. abſoluitur à voto ſuo & itinere profectionis 24. domum reuertitur ibid.27
Philippus Apoſtolus Scythis prædicat 414.14
Philippus de Branſa totum regnum de Limatis pro ſeruitio 60. militum accipit 567.36
Philippus Rex Francorum libidinis notatur 159.40. excommunicatur à pontifice ibid.42. habitum monachicum ſumit paulo ante mortem 159.49
Philippi Regis Francorum in Willielmum Angliæ Regem iocus 112.36
Philippus primus inter Imperatores Chriſtianus, quot annis regnarit 305.4
Philippus Comes Flandriæ filias fratris ſui contra Sacramentum Henrico Regi præſtitum in matrimonium collocat 566.5. proficiſcitur Hieroſolymam ibid.13
Philippus Rex Franciæ ab Accon recedit 697.27
Philippus Comes Flandriæ in obſidione Accon moritur 692.22
Philippus Rex Franciæ Regem Angliæ proditionis coram Tancredo inſimulat 688.16
Philippus Francorum Regis filius fractis ceruicibus moritur 384.45
Philippus Flandriæ Comes terram Regis Franciæ vaſtat 615.39. concordatur cum Rege 615.10
Philippus Comes Flandriæ de matrimonio inter fratris ſui filiam & Ludouici Francorum Regis filium firmando conſulit 561.8
Philippi Regis Franciæ receſſus de Accon. & iter in patriam 708.12
Philippus de eleemoſyna à Papa Alexandro in Angliam miſſus quid egerit 493.5
Philippus Flandriæ Comes conuentionem ab Henrico Rege tempore hoſtilitatis factam remittit 542.30
Philippus Beluacenſis Epiſcopus in Normannia aliquot villas comburit 644.57
Philippus Franciæ Rex tyrannidem exercet 593.13. vxorem ducit ib.27. matrem & auunculos ſuos in gratiã recipit ibid.40
Philippus Flandriæ Comes Henrico Regi homagium præſtat 593.44
Philippus Ludouici Regis Frãciæ filius in Regem coronatur 592.34
Philippus Rex Franciæ à Rege Angliæ licentiam repatriandi expetit 696.43. 697. Meſſanam venit 673.9. ad obſidionem ciuitatis Accon venit 688. 58. accepta pecunia à Rege Willielmo Robertum Normanniæ Ducem deſerit 462.19
Pictauorum Comitis Willielmi libido & adulterium 170.35. & ſeqq.
Picti populi & Pictorum lingua plane deleti 299.58. quando in Brittanniam venerint 300.12
Pietatis Regiæ in hoſtem ægrotum exemplum 159.32
Pietas Regis Ethelredi à Deo remunerata 416.38
Pipinus Anſegiſi filius quando Comes palatii factus 25.12. Dominum ſuũ ſub iugum mittit ibid.14. eius genealogia aſcendens & deſcendens ibid.16
Pincerna Reginæ capite truncatur 53.29
Pipinus in Regem Francorum & patricium Romanorum creatur 25.25
Pirrhus Amiralius tres turres Buamundo tradit 376.10
Piſani à Rege Angliæ Richardo recipiuntur 693.5
Piſani in Galeotas Richardi Regis ſeditioſe impetum faciunt 686.46
Piſcium in conuiuio regio diſtributio faceta 419.22
Piſces S. Agathæ ſemiuſti 572.58
Piſcium & aquaticarum volucrum ingens copia 293.11
Placita coronæ Regis Richardi 744.10
Placitorum coronæ Regis capitula 783.40
Planctus ſuper itinere verſus Ieruſalem 666.40
Pleimundus quot annis in Cantuaria Archiepiſcopus 200.9
Pluuia ſanguinis in Eboraca ciuitate 258.56
Pluuiarum & imbrium in Anglia vis magna 125.29
Pluuia ſanguinis in Eboraca ciuitate tempore Quadrageſimali 26.32

Pluuia tribus annis ceſſans reuertitur 334.23
Pœnitentia Regis ficta 373. 15. quomodo inſtituenda 837.6
Pœnitentiæ in Rege Angliæ Richardo exemplum 681.15
Pœnitentia Regis Henrici, filii Henrici I I. ante mortem 620.50
Pons 2. miliarium à Rege extruitur 454.22
Pontifices & Epiſcopi in inferno quare 39.11
Pontius ſancti ſepulchri ſeruus 153.16
Port cum filiis ſuis quando contra Brittones venerit 312 42
Portentũ in cõfinio Britanniæ & Normanniæ inuentum mirabile 87.4
Portelmuham à quo dicta 312.47
Portland inſula & Lullewerden à Roberto Comite Gloceſtriæ expugnantur 194.54
Poſſeſſiones multę à monaſterio Croyland ablatæ 872.50
Potatio quomodo inhibita 56.26
Pratellum cœnobium Normanniæ à quo conſtructum 160.41
Præbenda de Huwſthwait reſignatur 794 49
Præda ingens ab Hunnis accepta in Eccleſias & pauperes diſtributa 406.1
Prælati quomodo debeant proferre ſententiam in ſubiectos 583.15. quomodo debeant cum eis hoſpitare ibid.39
Præpoſitus & præfectura quid 607.48
Precationes pro liberatione terræ ſanctæ ab vniuerſa Eccleſia habentur 651 16
Presbyterο non licet bis in die celebrare 806.37
Presbyter necromãticis artibus inſtructus 86.25
Presbyteri mulierculas domi fouentes à quibus puniendi 227.17
Principis in bello præſentia & virt⁹ quid poſſint 63.25
Principes decem portarum Coloniæ ciuitatis cuſtodes qui 594.40
Priuilegia monaſterio Croylandiæ à Berthulpho rege facta 860.40
Priuilegium Henrico V. Imp. quale à Papa conceſſum 167. 26. ſequenti anno irritum factum eſt ibid.57
Priuilegium monaſterii Croylandiæ intra quinq; aquas 858.30
Problemata quædam à Philoſopho Secundo explicata 816 25
Probus quamdiu Imperator 305.26
Proceres regni falſum dicunt teſtimonium coram Rege Canuto 436.21
Procus à Rege emiſſus propriam cauſam tractat 59.46
Prodigalitas pro liberalitate arrepta 122.46
Prodigia in Anglia multa anno 793. viſa 405.15
Prodigium mirum deſcribitur 66.35
Prodigi & liberales qui dicantur 122.47
Prophetię Dunſtani de regno Ethelredi 893.57
Prophetia in tabulis lapideis prope villam Here inuenta 678.41
Prophetia Græcorum de Turcis 650.12
Prouidentia Rege digna 59.34
Pſalterium à Rege Anglorum ſinu ſemper geſtum 45.54
Pugna inter Cancellarii & Ioannis Comitis Moretonii familiam 701.51
Putta Epiſcopus Roffenſis 233.9

Q.

QVartadecimani qui olim vocati 259.31
Quendrida fœmina propter parricidiũ diuinitus punita 88.25
Quicelmus Etwinum Northanhumbrorum Regem ſubornato ſicario inſidiis appetit 12.58
Quieta clamantia de Wrec à Richardo Rege facta 678.51
Quichelmus Epiſcopus Roffenſis locum deſerit 233.17

R.

RAdulfus Epiſcopus proceritate corporis inſignis 257.45. quibus ſuffragiis in Archiepiſcopum Cantuarienſem electus 230. 35. à quo Epiſcopus Roffenſis factus 231. 4. Romam mittitur 22. quamdiu Archiepiſcopus fuerit, & quando mortuus 232.18
Radulfi Epiſcopi ad milites oratio 388. 23
Radulfus Regem Willielmum regno expellere ſatagit 369.42
Radulphus Comes Northfolki tyrannidem meditatur 104.51. mari ſeſe committit 105. 6. eius contra Regem Willielmum coniuratio 104. 58
Radulfus de Wigetof clericus falſas literas cum toxico in Angliam mittit 768.37
Raimundus laicorum primus crucem accepit, & contra Turcos profectus eſt 152.29
Raimundus Comes S. Egidii peregrinationem in terram ſanctam ſuſcipit 466.29
Rainaldus à Rege in Epiſcopum electus annulum & baculum reſtituit 287.8
Rameſienſis abbatiæ ædificator quis 291.45
Ramula à Turcis & Arabibus obſeſſa 149.40
Randulfus Regis Henrici Cancellarius punitur diuinitus 381.6
Ranulphus Epiſcopus totius regni procurator efficitur 278. 1. ex cuſtodia elapſus Robertum Comitem Normanniæ contra Regem Angliæ incitat 468.50. Poer vicecomes à Walenſibus interfectus 615. 17. Ceſtrenſis Comitis oratio ad Proceres Angliæ 390. 35. clericus diuitum expilator & pauperum exterminator 123. 12. Epiſcopus peruerſor totius Angliæ 378.6
Reddituum regiorum diſtributio memorabilis 45.46
Rodwaldus Anglorum Orientalium Rex primus conſilio vxoris à fide deſciſcit 34. 14. Ethelfridum Northanimbrorum Regem bello ſuperat 18.15
Rees Griffini Regis frater occiditur 443.13
Regia celeberrima & ditiſſima ſub terra 66.4
Regiæ coronationis deſcriptio 656.30
Reginaldi Bathonienſis Epiſcopi ad Regem Angliæ epiſtola 538.13
Regina Archiepiſcopo Wilfrido inuidiam conflat 262.5.10
Reginæ Stephani nimirum Regis vxoris pro Rege in concilio ſupplicat 189.25
Regina obſtetricis conſilio in puerperio extincta 133.55
Regina cilicium ſub regio cultu gerens 164.50
Regna ex Anglis quatuor potentiſſima 7.26
Regnorum ſecus mare diuiſio 672.15
Regnum Nordhumbre in quo deſinat 359.13. Hieroſolymitanum cui allatum 377.28. quis in eo regnarit 377.31
Regum in Britannia ſeptem nomina 298.27
Regnum Eſtangle in quo finem habeat 359.12
Regum aliquot ad fidem conuerſio 317.1
Reges qui Chriſto recens nato munera attulerunt vnde venerint, & eorum nomina 708.31
Regum Eſtſexe nomina 319.45
Regis Orientalium Saxonum filii degeneres Epiſcopum regno eiiciunt 326.29
Regum ſuper Weſtſexe nomina 319.34
Regum in Weſtſexe nomina ab Ethelwlfo vſq; ad Edeltidum 358.41
Regis Elfredi genealogia vſq; ad Adamum hominem primum aſcendendo deducta 414.30
Regum Latinorum qui in Ieruſalem regnarunt genealogia 514.47
Regem facere glorioſius eſt quam Regem eſſe 48.41
Regum Eſtangle nomina 310.5. Merce nomina 320.17. Sudſexe nomina 320 25
Reges Franciæ & Angliæ cruces rubras & albas accipiunt 641.26. Kentenſes ordine qui 319 20. Cantuaritarum, Merciorum, & Weſtſaxonum vnde originem traxerint 17.5
Regii corporis fœtor maximus 386. 43. & 50
Regis Caſtellæ calumnia 563.38
Regum Francorum genealogia 303. 30. Nordhumbre nomina 319.54. Weſtſexe catalogus, & quot annis quilibet regnarit 414.5
Regis Nauarræ calumnia 564.15
Regum Angliæ ab Aethelredo vſq; ad Willielmum nomina, & quot annis regnarint 372.2
Regis crudelitas & inſolentia intolerabilis 64.2. & ſeqq.
Reges quindecim à Swero Birkebain deuicti 747.11
Regis in conuiuio dicacitas 59.26. & eius vicarii officium 604.40
Rei ad Eccleſiam fugiẽtes, an comprehendendi 602.10
Rei lege damnati poſſunt ad miſericordiam Regis recurrere 604.55
Reimerus cum vxore & pecunia ſceleratiſſime acquiſita in mari ſubmerſus 489.4
Reliquiæ & ſanctitates in Abbatia S. Victoris 671.59
Remigius Eccleſiam ædificat 372.48. Dorceceſtrenſis Epiſcopus corpore paruus animo magnus 290.33
Rependuna cœnobium nobile 16 20
Reptaceſter portus, olim Rucupi dictus 297.53
Reſus filius Grifini Regi Angliæ fidelitatem iurat 624.20
Reſus filius Grifini à Rege terram de Meronith accipit 566.58
Reſus filius Grifini Regis moritur 770.32
Rex in ædibus meretricis interfectus 409.57

Rex

Rex propter pietatem & manſuetudinem contemptus 437.28. prædicationem S. Germani audire recuſans igne cœleſti ſuffocatur 311.36
Rex Angliæ 15. millium librarum pecuniam numerare cogitur 63.1. ignauus 62.16 & 63.19
Rex Portugalenſis cum Roberto de Sabloil pacem facit 670.8
Rex inter bibendum extinctus 439.35
Rex terram ab Epiſcopis emit 46.1
Rex in vxorem proteruus 64 6
Rex lucri admodum cupidus 123.29
Rex & populus Eſt-Saxo, ſeu Orientalium Saxonum, quomodo ad fidem conuerſus 325.1
Rex Willielmus pecuniæ cupidiſſimus 112.26
Rex Angliæ candelas exhorreſcens 62. 22
Rex illiteratus, aſinus coronatus, prouerbium 155.14
Rex Franciæ Comiti Flandriæ ſupplicat 770.27. & Comites in humeris ſuis corpus Hugonis Epiſcop. 1 ſuncti ad ſepulchrum portant 812.8
Richardus Rex à Meſſana recedit 687. 58.690.19. Comes Pictauiæ aliquot caſtella expugnat & demolitur 582. 15. de Luci Iuſtitiarius Angliæ, fit Canonic' 590.50. Comes patri Henrico ſuccedens, omnia in meliorem ſtatum reſtituit 655. 38. Regnum conſtituit ibid. 42. quando in Regem Angliæ conſecratus ſit 656. 22
Richardus de Vals caſtellum in villa ſua firmat 635. 56. Henrici ſecundi filius, Regi Franciæ iuramentum præſtat 649. 48. excommunicatur ibid. 50. Archiepiſcopus Cantuarienſis viſionem & reſponſum de morte ſua accipit 622.41
Richardi Regis Angliæ de receſſu Regis Franciæ de Accon, epiſtola 698. 30 eiuſdem ad Abbatem de Claravalle epiſtola ibid.10
Richardus Comes de Striguil Hyberniæ iuſtitiarius moritur 553.57
Richardus Rex Angliæ naufragium patitur 690. munera Saladini reſpuit 697.51
Richardus Pictauiæ Comes aliquot caſtella obſidet & expugnat 510.50. Regis Henrici filius recipitur à patre in gratiam 540.43. Akenſem ciuitatem obſidet & capit 56.35
Richardus Comes de Striguil, Hyberniam inuadit 512 48
Richardus Henrici Regis filius, Alienor matri ſuæ Pictauiam liberam tradit 630 7
Richardus Rex cur Aleſiam Regis Fräciæ ſororem accipere in vxorem non potuerit 688.37
Richardi Regis ad Clementem Papam de pace inter ipſum & Tancredum Regem facta, literæ 67.39
Richardus Henrici filius cum patre reconciliatur 635 10
Richardus Comes terram Comitis de S. Egidio vaſtat 643.12
Richardus Dux Normanniæ vbi & quomodo interfectus 610.53
Richardus Rex ad obſidionem Accon venit 692.52
Richardus Londonienſis Epiſcopus aliunde ſe ſuſtentare cogitur 237.11
Richardi Ducis Normannorum commendatio 70. 14. vbi corpus ſuum ſepeliri iuſſerit ibid.35
Richardus Princeps à Monacho colaphis cæſus quomodo hoc factum vltus ſit 70.25. & 31
Richardus Comitatum Normänorum 52 annis obtinet 423.5
Richardus Rex Angliæ venit ad Meſſanam 673.36. cum exercitu terram Regis Portugalenſis intrat 714.59
Richardus filius Roberti Comitis in venatione ſagitta percuſſus moritur 468.6
Richardus Rex Henrico Imperatori regnum ſuum tradit, & iterum ab eo recipit 724.12
Richardus Cantuarienſis Archiep. à Papa confirmatus 538.10
Richardus Rex quibus conditionibus ex captiuitate Imperatoris liberatus 718 15
Richardi Regis Angliæ ad Philippum Dunelmenſem Epiſcop. de victoria ſua literæ 782.31 petit à ſuis, vt contribuant ad liberationem ſuam 725. 49. Eius epiſtola ad Alienor matrem ſuam & iuſtitiarios Angliæ 726.8
Richardus Rex cur Coloniam ad conuentum Principum Alemannorum non venerit 776.15. vulneratus in brachio moritur 791.10 ad Imperatorem captiuus ducitur 722 15. Angliæ in diemala liberatur ex cuſtodia 734.34. quamdiu fuerit in captione 735.2. poſt liberationem ſuã coronatur in Eccleſia S. Swithuni 738. 50. Angliæ quid Regi Scotiæ per chartam confirmarit 738 2. à Rege Franciæ victoriam obtinet 741.30. eius literæ ad Hubertum Cantuarienſem Archiepiſcopum ibid.44. Cancellario ſigillum aufert 746.5. Angliæ fratri ſuo Ioanni omnem iram remittit 752 31. ſimiliter & fratri ſuo Gaufrido Eboracenſi Archiepiſcopo iram remittit ibid.50
Richardi Regis epiſtola de reconciliatione Archiepiſcopi Eboracenſis 747.38
Richardus Rex morbo correptus pœnitentiam agit 753. 22. conſtitutis in terra ſancta rebus ſuis, reditum in patriam maturat 717.26. Angliæ prope Weuam a Duce Auſtriæ capitur 717.50
R. ſus in mœrorem verſus 262.25.33
Rozife Syriæ ciuitas per proditionem à Saracenis capta 489.27
Robertus Lotharingus Herefordenſis Epiſcopus factus, liberalium artium peritiſſimus 286 19. prior canonicorum de Lantoni Epiſcopus Herefordenſis factus 28.24. de Beleſmo Comes Regi Henrico primo bellum infert 469.26. ſuperatur a Rege ibid. 42.
Richardus Normannorum Comes expeditionem in Angliam mouet 468. 55. Willielmo Regi fratri pacem renunciat 464.36
Robertus Bloet Epiſcopus Dorceceſtrenſis quot annis Epiſcopatum obtinuerit 290 22
Robertus ex vna Eccleſiæ trabe, quingentas marcas argenti corradit 289. 23
Robertus in fratrem ſuum iniuſtus 371.30
Robertus Comes Gloceſtriæ, ad Andegauenſem Comitem proficiſci exoratus 193.53. reditum maturare cogitur ibid.194.18
Robertus Comes quam modeſte & prudenter egerit 185.47
Robertus Comes Gloceſtriæ quando & quantis copiis in Angliam venerit 185 48
Robertus Richardi filius Dux Normãniæ Ieroſolymam proficiſcitur 95. 16
Robertus Rex Francorum quando mortuus 76.13
Robertus Ieroſolymitanum regnum metu laborum reſpuit 153.47
Robertus de S. Albano relicta Chriſtiana fide tranſit ad Saladinum, & Ieroſolymam oppugnat 631.16
Robertus Imperatricis frater captus 392.54
Robertus Dux Normanniæ ex bello Hieroſolymitano reuertitur 178 32
Robertus Comes Leiceſtriæ conuitiis Regem proſcindit 536.33. Hakenech caſtellum capit ibid. 40. capitur ibid. 55. incarceratur à Rege 537.1. omnem ſuam terram recipit quam ante bellum habuerat 560 42
Robertus de Sabloil cum 63. nauibus Vlyxisbonam venit 669.48
Robertus præpoſitus Daci interficitur 537.17
Robertus expeditione Aſiatica, contra Turcos ſuſcepta, clarus factus, cuius filius fuerit 105 47
Roberti Ducis Normanniæ contra Turcas fortitudo 374.53
Robertus de Moulbrai Comes Northimbrenſis captiuus carceri mancipatur 466.15
Robertus de Arbeiſel mellea eloquentia vigens 171.28
Robertus Archiepiſcopus Normannorum Romam profectus moritur 82. 23
Robertus de Molbreie Comes Humbronenſium æternis vinculis irretitur 124.16
Robertus Wiſcardus mediocri profapia natus Apuliam cum 15. millibus inuadit 107.23. Apuliæ & Calabriæ ſe ducem facit ibid. 28. Alexium Imperatorem Conſtantinopolitanum oppugnare conſtituit ibid. 31. quis & quomodo in Apuliam venerit 710.21. cum filiis ſuis Tancredo & Boimundo cõtra Papam, Romanũ & Conſtantinopolitanum Imperatorem victoriam obtinet 710.35. ab vxore ſua veneno interficitur ibid. 46
Roberti Comitis captiui ad proceres multa promittentes, reſponſum notabile 192.49. quomodo liberatus 193.3. cur ſororem deſerere detrectarit ibid.24
Robertus trium millium marcarum pecuniam Henrico teſtamento legatam in milites diſtribuit 155.27
Robertus quãto cum exercitu ex Normannia in Angliam venerit 194.19. eius confidentia & magnanimitas inſignis ibid.49
Robertus Gloceſtriæ Comes qua conditione Stephano Regi homagium præſtiterit 169.28
Robertus gratis & ſolus Imperatrici ſorori ſuæ ſemper adſtitit 191.52. liberali cuſtodia à Regina Stephani Regis vxore habetur 192. 30

Robertus Haymonis filius ex ictu graui ingenio hebetatur 157.51
Robertus in prælio captus, ad mortem vſq; in libera tenetur cuſtodia 154.28
Robertus Willielmi filius contra patrem pugnat 457.40
Robertum Flandriæ Comitem qua occaſione Henricus Rex offenderit 159.10
Robertus quamdiu Archiepiſcopum Cantuarienſem egerit 104.22. præcipuos optimates Angliæ expellit ibid.27
Robertus Epiſcopus 5000. libras Regi numerare cogitur 373.20
Robertus Normanniæ Comitatum recipit 156.22. Henrico fratri bellum infert ibid. 37. Angliam cum fratre Ernulpho perpetuo abiurat 157.7
Roberti Epiſcopi auaritia damnabilis 129 47
Roberti cuiuſdam filii Huberti immanitas & blaſphemia 186. 8. captus ſuſpenditur 156.24
Robertus Gloceſtriæ Comes Regi Stephano amicitiam renunciat, & fidẽ denegat 180.47. omnibus in Anglia poſſeſſionibus priuatur ibid.57
Roberti Henrici Regis filii oratio ad regni proceres 190.42
Robertus Comes Leiceſtriæ liberatur ex captione Philippi Regis Franciæ 765.27
Robertus de Ros incarceratur 768.35
Rodes ciuitas ab Herode condita 709.50
Rodulfus de Stauebi à Deo punitus, moritur 751.57
Roffa oppidum quale 232.32
Roffenſis Eccleſiæ ſtatus miſer 233.10 quomodo Cantuarienſi proxima 132.30. eius Epiſcopus primus quis ibid.37
Rogerus Vicecancellarius Regis Richardi ſubmergitur 690.29
Rogerius Lardarius morti vicinus ſe Epiſcopum conſecrari petit 287.1
Rogerus & Alexander Epiſcopi à Rege Stephano capti 484.29
Rogerius Epiſcopus Salesberiæ moritur 184.26. exẽplo eſt diuitib. ne in incerto diuitiarum ſpem ponant, ibid.30. inuitus ad conuentum proficiſcitur 181. 36. Regi Henrico à ſecretis 161.4
Rogerus ob perfidiam carceri mancipatur 105.7
Romani Anglis ſociis valedicunt 308.20
Rogerius Dux Apuliæ de Anshelmo apud ſe retinendo laborat 223.1
Rogerius Epiſcopus exemplum mutabilitatis fortunæ 389 52
Rogerus Eboracenſis Archiepiſcopus omnia ſua bona inter pauperes diſtribuit, & moritur 615.10. eius bona confiſcantur ibid.30
Rogerius captus mortem ſuam egregie & fortiter vlciſcitur 151.52
Rollo piraticam exercet 47.20. Baptiſma ſuſcipit ibid. 35. moritur Rothomagi ibid.40
Rollo Danus primus Dux Normanniæ baptizatur 417.41
Romani Brittannis longinquæ peregrinationis pertæſi auxilium denegant 8.21
Romanus Epiſcopus Roffenſis in mari ſubmerſus 232.39
Roma orbis Domina in exiguum oppidum mutata 134.11. verſus Hildeberti Turonenſis Archiepiſcopi de ea ibid.20
Romanus patriciatus Henrico V. Imperatori conceditur 167.52
Romanorum aſtutia 231. 57. & Francorum regna quomodo diuiſa 40.30
Romani Britanniam magna dignatione colunt 7.49
Romanæ vrbis portæ & ſanctuaria ſanctorum, item in ea reliquiæ 135.3
Romanæ Eccleſiæ præſidens hæres eſt proteſtans D. Petro commiſſæ 58.1
Romanum imperium quo anno [illegible] Carolum Magnum deuenerit 342.51
Romani toxica totis tonnis infundere ſolent 144 3
Romanorum cupiditas & auaritia 129.10
Romanum Imperatorem eligendi modus 776.26
Ros prouincia Walliarum, quo Flandrenſes ex Anglia traducti 158.50
Roſamundæ Regis quondam Angliæ Henrici amicæ tumba 712.36
Rotomagenſis Archiepiſcopi contra Epiſcopos & pro Rege, in Cõcilio oratio 183.25
Retrodus Rothomagenſis Archiepiſcopus cum quibuſdam aliis pro Rege Henrico Romam proficiſcuntur 525.59
Ruſticorum in Regem Richardum impetus 673.27

S.

SAcca & ſocca quid 605.58
Sabrina fluuius rapax & piſcoſus 283. 18
Sacerdotes ab auaritia olim immunes 333.32
Sacerdotibus Anglorum vxores quando prohibitæ 378.53
Sacerdotes Pagani Regem Edwinum hortantur, vt fidem Chriſtianam recipiat 328.10
Sacerdotalis Stola corruptionis expers 270.49
Sacramenta gratis adminiſtranda 888.26
Sæuitiæ & crudelitatis exemplum 158.13
Saladinus omnium Chriſtianorũ quos ſecum habet capita amputari facit 697.53. Babyloniæ Rex Chriſtianis in terra ſancta bellum mouet 635.19.29. Chriſtianis multum damni infert ibid.40 & ſeqq. multas vrbes capit 636.5. treugas à Rege Ieroſolymitano prolongari petit 634.31. pro treugis 60000. Bizantiorum accipit 631.30. victoriam à Chriſtianis reportat 660.52. Rex Babyloniæ Chriſtianis in terra ſancta bellum infert 566 20. Regi Angliæ & Franciæ munera mittit 693. 39. Regibus Angliæ & Franciæ terram Suliæ offert 696.13. Babyloniæ Rex terram ſanctam vaſtat 611.51. quando mortuus 727.38
Salef, Curk & Thil fluuii vnde oriantur 708. 36
Salomonis ſapientia in theſauris abſconditis eruendis 66.19
Salopesberiæ Comitatus vxori à Rege Henrico datus 175.25
Samoſata vrbs vltra Euphratem, de qua hæreticus Samoſatenus dictus 145.8
Samſon Epiſcopus Wigornenſis Weſtberiam Monachis aufert 282.52
Sanctarum aliquot regii generis puellarum nomina 59.22
Sanctorum apud Deum interceſſio efficax 57.49
Sancti & ſanctorum reliquiæ in vrbe Roma quæ & quibus in locis inueniantur 135.3
Sancti in monaſterio Glaſtonienſi requieſcentes 255.1. & ſeqq.
Sanctorum reliquiæ & exuuiæ quomodo incorruptæ 12.28
Sanctimoniales de Ambresbitiæ abbatia propter incontinentiam expulſæ 562.51.
Sanctius Rex Nauarræ adamatus à filia Imperatoris Africanorum, in Africam proficiſcitur 686.1. & ſeqq. terram ſuam perdit ibid.41. Portugallenſis, Chriſtianorum opem aduerſus Boiacum implorat 669.25 Rex Nauarræ ab Africa domum reuertitur 822.6
Sanguis è lateribus Eccleſiæ ebulliens 393.39. à parietibus Eccleſiæ ebulliens 488.52. ex naribus Regis defuncti profluens 654.19. in ſtagno ebulliens 377.51
Saraceni quanto iam tempore Africam & Aſiam occuparint 32.39. Chriſtianos Ieroſolymis eiiciunt 141.16
Sauaricus Bathonienſis Epiſcopus litem aduerſus Wilhelmum la pie ſuſcitat 292.7
Saxones antiqui quando ad fidem conuerſi 409.36. Orientales ſecundo conuerſi 333.3. in Britannia 7. regna conſtituerunt 298.26
Saxonum Auſtralium conuerſio quomodo ſe habeat 334.16
Saxones ſuperatis tribus Regibus, tres vrbes capiunt 315.22
Saxonum Orientalium Reges vbi regnarint 35.49. vel Anglorum gens quando & quot nauibus in Britanniam venerint 309.46
Saxones veteres quo ſupplicio adulteram affecerunt 28.39
Saxonum Occidentalium conuerſio per quem facta 331.13
Saxones & Picti contra Brittones pugnantes ſuperantur 311.27
Scalona à Rege Richardo firmata 716.11
Scrobesboria monaſterium à quo conſtitutum 287.46
Secundi Philoſophi ſilentium pertinax 815.51
Scandalum in Eccleſia propter Papas duos 474.57
Sceafcur ſic dictus & vbi regnarit 41.45
Sceptonia locus ob regiam ſanctitatem celebris 61.59
Schephthonia vicus, quondam vrbs vetuſtiſſima 251.18. multis miraculis claret ibid.30. & 39
Schireburnia quos habuerit Epiſcopos 247.22
Seditio inter monachos Glaſtoniæ 459.14
Seleſſi inſulæ 87. familiarum 334.14
Senatores Romani 56. eliguntur 746.52
Seprige à Dacis prædatur 345.19
Sepulchrum Domini religioſe à Francis habi-

cis habitum 242.30
Schiranum diuiſiones quales 604.10
Schiſma in Eboracēſi eccleſia de electione epiſcopi 485.32
Schiſma in Eccleſia propter duos papas 491.55
Schiſma inter Cardinales & papam 773 30
Scotti cum Anglis fœdus faciunt 50.23
Schola Anglorum Romæ reparatur 38 2
Scholares Pariſiis pacem à Rege accipiunt 804.23
Scholæ puerorū in Anglia à quo inſtitutæ 332.7
Scholarum Magiſtris neceſſaria prouidenda 589.37
Schola Saxonum Romæ morantium ab anni tributo liberatur 419.6
Scitha morbus in Anglia qualis 427 52
Scylla & Charybdis, pericula in mari, vbi 673.34.678.25
Scottorum vndecim millia, vna pugna interfecta 389.11
Scotorum & Pictorum in Britanniam incurſiones 8.15
Scottorum Reges multi ab Hērico Angliæ Rege, conſtituti 158.24
Scotti ſuperati à Rege Stephano, fugam arripiunt 484.2
Scotia ſeruis & Ancillis Anglicæ gentis repletur 452.57
Scotorum exercitus in Teſedale omnia populatur 452.19
Scoti cum Anglis manus conſerere reformidant 9.16
Scotti à Papa Honorio, propter obſeruationem paſchæ reprehenduntur 329.47
Scotti Pictos in Britanniam mittunt 300.22
Scotorum immanitas 483.3
Scotiæ rex cum Epiſcopis ſuis ad concilium apud Northamptune celebratū venit, & quid ibi actum 510.13
Scottorum immanitas deteſtanda 388 2
Scotorum Rex Northumbriā & Cumbriam expetit 794.15
Scrobelberiēſes Regi Henrico Caſtelli claues mittunt 157.2
Sepulchri Sancti Eccleſia Ieroſolymis à Conſtantino Magno conſtructa 140 48
Septem dormitorum vel dormientium hiſtoria 92.10
Sergii papæ ad Reges quoſdam Angliæ epiſtola 209.35. Eiuſdem ad Epiſcopos in Anglia vniuerſos Epiſtola ibi. 55
Sericum de Almaria nobile 671.14
Serlonis Abbatis Glocestrenſis encomium 41.& ſeqq.
Serpentes in Hybernia durare non poſſunt 30.46
Serpentes in Anglia cum admiratione viſi 409
Seuerus & Conſtantius Imperatores apud Britanniam inſulam mortui 7.52
Seuerus pertinax Imperator, quandiu regnarit 304.34. Eius laus ex Eutropio ib.47
Seuulfus mercator monachus fieri iubetur 281.57
Sexburgæ Weſt-Saxonum reginæ encomium 15.59
Sibylla Regina Ieruſalem moritur 679. 37
Sibylla coronatur in reginam terræ Ieroſolymitanæ 634.21
Sicilia à quo ad fidem Chriſti conuerſa 710.58
Siciliæ magnates capiuntur 772.45
Siciliæ Comitiſſa Ieroſolymam ingentes gazas affert & à Balduino in matrimonium recipitur 150.34
Sigebertus ex Rege Monachus, in prælio occiditur 317.20
Sigebertus rex propter tyrannidem & inſolentiā regno eiectus 342.3. occiditur à porcario ib.6
Sigebertus Weſt-Saxonum Rex crudelis, & ſimul ignauus regno eiicitur, & à ſubulco confoſſus perit. 15.48.& 54
Sigebertus propter inſolentiam & tyrannidem Regno pulſus 408.43
Sigebertus Rex Orientaliū Francorum fit monachus 34.22
Sigebyrth Regis principatus & acta 840.25
Sigeferdus & Morcardus, Danorū nobiliſſimi, quare interfecti 71.23
Sighdmus Schireburnenſis Epiſcopus, gemmas ex India affert 248.5
Sigillum regis vetus mutatur 246.6
Silex ex quo Moſes olim aquam produxit, vbi cernatur 147.29
Siloe fontis deſcriptio 141.40
Sylua horrida ex loco cultiſſimo facta 111.30.112.27
Syluester papa defunctus Conſtantinū Imperatorem de extruenda vrbe Conſtantinopoli edocet 136.40
Syluia ciuitas Sarracenorum in Hiſpania, à Chriſtianis expugnata 659. 37
Syluia ciuitas penitus diſtincta 771. 34
Simonia in omnibus Eccleſiæ ordinibus 130.4
Simonia in rēge vituperatur 27.49
Simon Capellanus Reginæ Adelidæ, fit Epiſcopus Wigornenſis 282.59
Simon Eboracenſis Decanus annulos aureos & Zonam toxicatam igni tradit 768.49
Simoni Apulo, Decanatus Eccleſiæ Eboracenſis per papam confertur & confirmatur 773.38
Simultas inter Imperatricem & legatum Apoſtolicum qua occaſione acciderit 189.50
Synodi à Cuthberto in Anglia Archiepiſcopo coactæ, acta deſcribuntur 197.3
Siricius quot annis Archiepiſcoparum Cantuarienſem obtinuerit 203. 44
Siuuardus Conſul Nordhumbre, pene Gigas ſtatura 366.22
Siuuardus Rex Noricorū Ieroſolymam iturus, in Anglia per totam hyemem commoratur 161.45
Siuuardus quando Roffenſis Epiſcopus fuerit 233.36
Siuuardus totius Northimbrorum prouinciç Comes 424.21
Siuuardus quādo Scotiam claſſe ingreſſus ſit 443.23. vbi mortuus ibidem 36
Siuuardi caput decollatum, Regio conuiuio infertur 747.10
Sodoma & Gomorra locus inhabitabilis 147.19
Solimannus diſpendium Nicææ vrbis vleiſcitur 49.22
Solis Eclipſis tanta, vt ſtellæ videri potuerint 377.48
Somnium diuinitus immiſſum 43. 24
Somnium matris Willielmi Regis, antequam fœtu liberaretur 95.21
Somnium Willielmi ſecundi Regis Angliæ, quod paulo ante mortem vidit 126.7
Somnium cuiuſdam Abbatis de Ethelvuoldo Epiſcopo 241.58
Somnium Roberti Herefordenſis Eccleſiæ Epiſcopi verum 286.40
Somnium Conſtantini Imperatoris & eius explicatio 136.34
Spira vnde & à quo vocata 78.57
Spiritus ſanctus Columbina ſpecie à Dunſtano viſus 102.58
Sponſalia infantium in cunis adhuc vagientium 492.22
Stanford Caſtellum Henrico Duci redditum 397.55
Statuæ S. Mariæ violatio, diuinitus punita 670.34
Statua ærea iuxta Romam in cāpo Martio poſita à prætereūtib. miſere percuſſa, quid denotarit 65.55
Statuta quædam Ioannis Regis Angliæ 796.41
Statuta monaſterii Croylandiæ à Turketulo abbate ſcripta 888.40
Statuta Iudæorum in Regno Angliæ 745.30
Statutum regis Ethelbaldi pro libertate Eccleſiaſtica in ſuo regno 855.45
Statuta Concilii Remis habiti 475. 24
Stella inſolita per 25. dies viſa 470.58
Stellæ per aerem diſcurrentes videntur 341.2
Stephani Regis cum Henrico Normanniæ Duce reconciliatio 398.10
Stephanus Rex cum Henrico Duce de pace componenda loquitur 397. 40
Stephanus Rex anno regni ſui 12. inſignitus diademate regali 394.16
Stephanus Rex, quo regni ſui anno mortuus 728.49
Stephanus Rex omnes Angliæ proceres in ſuum aſſenſum protraxit 179. 23
Stephanus Comes Moritonii & Boloniæ, in Regem Angliç à Londonienſibus & Wintonienſibus excipitur 178.37. Quando coronatus ſit ibid. 47
Stephani Regis in concilio, querela 191 22
Stephanus Rex multos in curia ſua contra decus regium capit. 181.14
Stephanus Rex captiuitate liberatur 191.5
Stephanus concordiā cum Rege Francorum competit 482.42
Stephanus Rex captus in turri Briſtoue ponitur 487.47. ponitur in compedibus ibid.53. liberatur 488.6
Stephanus Rex quando diadema accepit 481.54
Stephanus Rex ad concilium ab Epiſcopis vocatus, comites mittit 182. 55
Stephanus de Turonis incarceratur 614 30
Stephanus Rex ictu lapidis in terram ſternitur 187.43. capitur à Comite ibid.46. annulis ferreis innodatur ib. 57
Stephanus papa Pipinum Caroli Martelli filium in Regem Francorum

coronat 85.25

Stephanus Rex, Euſtachium filium regio diademate inſigniri petens, repulſam patitur. 325.51

Stephanus rex Henricum Imperatricis filium hæredem & ſucceſſorem regni facit 490.42

Stephanus rex apud Northamtunam ægrotus detinetur 393.40

Stephanus rex in bello capitur 392.31. liberatur ibid. 55

Stephanus Angliæ rex, quale iuramentum præſtiterit 179.32. Roberto Gloceſtriæ comiti inſidias ſtruit 180.13

Stigandus Archiepiſcopatum Cantuarienſem quot annis obtinuerit 204.36 Pallium à Roma non meruit ibidem 47. depoſitur ab officio 205.7

Stigandus Archiepiſcopatus Cantuarienſis inuaſor, pallium à Pontifice non meruit 82. 28. deponitur propter auaritiam ibid.36

Stigandus publico concilio, cur degradatus 453.11

Strix animal in Anglia 161.36

Stuf & Witgar cum tribus nauibus ad Certiceſore veniunt 313.5

Suain rex Dacorum, venit ad Nordwic. 360.18 eius comites ibid.28

Suain ab omni populo habetur pro rege 362.7

Surrus facit ſe coronari in regem Norwegiæ 746.55

Sueui ab Anglis oppugnantur 74.5

Suis machinamenti cuiuſdam bellici deſcriptio 141.53

Sumerledus contra Dominium ſuum inſurgens opprimitur 493.54

Sumerton caſtrum à rege Merciorum obſeſſum 339.16

Superbia regis Deo exoſa 408.25.29

Superbia Willideri iunioris, qua Regē Scottorum deſpicit 463.39

Supplicium Andronci Imperatoris conſtantinopolitani crudeliſſimum 597.53

Suthamtonia à piratis vaſtata 427.42

Suttina ciuitas à papa expugnata 477.44

Swanus nudis pedibus Ieroſolymam abit, pœnitentia ductus 442.52

Swanus Danemercia expulſus, eam recuperat 440.29

Swanus, Godwini filius, à Saracenis interficitur 81.56

Swanus Danorum rex, filium Cnutonem bis in Angliam mittit 106.51 quot habuerit filios ibid.56

Swano Danorum regi multæ nationes deditionē offerunt 432.30 ab omni Anglorum populo rex habetur & ſalutatur ibid.50 A S. Eadmūdo percuſſus moritur 433.17

Swanus à quo in Angliam vocatus 69. 10 vbi appulerit ibid.16. Northanimbros & cæteros Angliæ populos ſubiugat 69.23. totam Angliam in ſuam clientelam adducit ibidem 37 eam rapinis & cædibus vrget 70.25 moritur 71.2

Swein Danorum rex Exceſtriā vrbem ſpoliat 432.42

Swerus Birkebam dictus regem Norweiæ Magnum interficit 624.24

Swerra Birkebain preſbyter, Magno regi Norweciæ bellum infert 599.46

Switbrit Orientalium Saxonum Rex, quando mortuus 402.7

Swuitelen, Sigberti ſucceſſor à quo baptizatus 343.13

Swuithunus Wintonienſis Eccleſiæ Epiſcop. à quo ordinatus 242.4. quando mortuus ibid.39

Swuithuni oſſa ſepulchro efferri iubentur 244.30. miraculis infinitis claret ibid. 38. omni ſe inuocanti fert auxilium, niſi deſit fides ibid.40. Cæco viſum reſtituit ibid.43

T

TAdwinus Archiepiſcopus à quibus ſacratus 339.13. moritur ibid. 21

Tambra fluuius Corneuallēſibus terminus poſitus 50.51

Tameſis & Sabrina fluuii in Brittannia præcipui 299.6

Tanathos inſula Anglis aduenientibus, habitanda traditur 9.9

Tancredus à Richardo Rege munera accipit 688.10

Tancredus rex quid Iohannæ Richardi regis ſorori præſtare debuerit 675.41

Tancredus ex templo Salomonis ablata reſtituit 142.37

Tancredus rex Siciliæ, quid dederit Iohannæ Sorori regis Richardi, pro quinta clamantia 676.1

Tancredi regis & filii eius Rogeri corpora iuſſu Imperatoris effodiuntur 746.47

Tantune caſtrum deletur 338.22

Tarſus Baldwino ſubditur 375.20

Tarſia filia Sancti regis Portugallenſis, Aldefonſo datur in vxorem 685.52. ſeparatur ab eo ibid 57

Tatwinus quādiu Cantuariæ Archiepiſcopus fuerit 196.55

Tauri ferociſſimi miteſcunt ouium inſtar 269.13

Tauiſtok monaſterium à quo fundatum 256.32

Tauſtoce monaſterium comburitur 428.52

Tectum templi S. Mariæ, Londoniæ à vento abreptum 462.57

Tedbaldus Conſul Bleſenſis contra regem Dominum ſuum inſurgit 380.26

Tedbaldus, Ethelfridi regis frater in bello fortiter occumbit 17.51

Tempeſtas in mari magna 518.1

Tempeſtas maris per beatū Thomam ſedatur 668.56

Templarii tres de regno Franciæ fugati 492.25

Templa Petri & Mariæ in Nicea vrbe, toto Turcorum tempore illibata 138.39

Tenatos inſula quot familiarum 321.42

Tenet inſula à rege Edgaro cur prædata 356.32

Terra ad ſimilitudinem altæ turris eleuatur, & cadens puteum facit profundiſſimum 582.23

Terræmotus ingens in Anglia 125.5

Terræmotus per vniuerſam Angliam ingens 629.55

Terræmotus ingens in Sicilia 493.45

Terræmotus & mortalitas hominum iumentorumque ingens 901.10

Teſtamentum ab Ethelvulpho factum quale 40.59

Teſtamenta clerici quomodo facere poſſint 587.50

Tharſus vrbs Ciliciæ nobilis à quo expugnata 144.47

Theam quid 605.57

Theodredus Londonienſis Epiſcopus quos habuerit ſucceſſores 236.44

Thekedinus, Guidonem regem Ieroſol. & crucem Dominici ligni capit 635.48

Theobaldus Abbas Beccenſis, fit archiepiſcopus Cantuarienſis 484.20

Theobaldus Bleſienſis Comes, vrbem Turonicam, ſibi omnibuſque hæredibus ſuis abiurat 96.18

Theobaldi comitis Bleſenſis ad Alexandrum papam epiſtola 524.14

Theodforda à Danis vaſtata 431.24

Theodinus & Albertus Cardinales à Papa miſſi, quando in Normanniam venerint 528.55. Eorum ad Epiſcopum ad Rauennenſem epiſtola 530.36. Eorum decreta apud Abrincas promulgata 531.23

Theodori Archiepiſcopi literæ Synodales 335.8

Theodorus morte vicinus peccata ſua confitetur 265.18

Theodorus Archiepiſcopus Cantuarienſis 196. 14. Wilfridum iniuſte ex Eboraco eiicit ibid.22. in magno eſt apud Papam precio ibid. 33

Theodorus Archiepiſcopus à Papa in Angliam mittitur 318.13. concilium habet apud Thedforde ibid.26. Item apud Hatfeld. ibid.53

Theodori Archiepiſcopi ad Regē Merciorum epiſtola 265.32

Theodorus Archiepiſcopus à quo in Angliam inuitatus ſit 10.34

Theodoſius ſecundus Britanniæ poteſtatem amittit 308.28

Theodoſius à quo Imperator Orientis factus 307.3. quot annis regnarit ibidem 14. Eius laus ib.17

Theodoſius ſecundus poteſtatem Galliæ, Hiſpaniæ & Africæ amittit 308.52

Thermæ Bathonicæ quo autore inſtitutæ 254.17

Theſaurus pro anima Willielmi Regis effuſus 461.6.11

Theſaurus regius ingens 179.8

Theſaurus in locis ſubterraneis defoſſus 205.15

Theſaurus regius inter Eccleſias diſtributus 371.54

Theſaurus regis Franciæ capitur 742.31

Thobias Epiſcopus Roffenſis eruditus 233.22

Thomæ Cantuar. Archiepiſcopi ad Gilebertum Londonienſem Epiſc. de ſententia in eum prolata epiſtola 512.58. eiuſdem ad Capitulum Londonienſem epiſtola 513. 13. eiuſdem ad Robertum Herefordenſem Epiſcopum literæ 513.44

Thomas Archiepiſcopus, in gratiam à Rege recipitur 520.7. Eius vita ibi, 21. à quibus & quomodo interfectus 521.36.522.10

Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus quomodo regem Angliæ in concilio ſuo alloquens ſit 496.59. eius epiſtola ad Alexandrum papam 498.7. Eiuſdem ad ſuos ſuffraganeos literæ ibid.55
Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi ad Gillebertum Lundonienſem epiſ. literæ 507.15
Thomas Eboracenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, ſe ſubiectum eſſe Archiepiſcopo Doroberneuſi teſtatur 206.40
Thomas Orientalium Anglorum Epiſcopus, quot annis in Epiſcopatu vixerit 337.40
Thomæ Eboracenſis Archiepiſcopi Epiſtola 459.36
Thomas quando & à quo Archiepiſcopus Eboracenſis factus 273.10
Thomas Archiepiſcopus cruce armatus ad regem proficiſcitur 494.43. proficiſcitur ad regem Franciæ 495.46. venit ad papam 496.20
Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis conſtantia 517.16.27
S. Thomas Cantuar. Archiepiſcopus & martyr, viſibiliter apparet 668.50
Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi epiſtola ad regem Henricum 503.30. eiuſdem ad Robertum Herefordenſem literæ 504.19. eiuſdem ad Alexandrum papam 505.53
Thoroldi de Bukenhale Charta ſuper donatione manerii ſui &c. 917.1
Thoroldus abbas Burgi fugatur 905.51
Thoroldus vicecomes Lincolniæ, quædam maneria Croylandiæ concedit 901.44
Thiulfus fit Epiſcopus Wigornenſis 281.56
Thule Orcadarum Inſularum vltima 297.59
Thorneia, paradiſi ſimulachrum 294.8 quare ſic vocata ibid.20
Thunre quam malitioſe Egelredum & Egelbrithum fratres occiderit 391.55. terræ hiatu abſorptus, viuens in infernum miſſus eſt 292.5
Thurſtanus Archiepiſcopus Eboracenſis, Romam proficiſcitur 274.36
Thurſtanus ſacratur à papa contra promiſſum regi factum 275.10
Thuſcæ pars papæ Celeſtino reddita 773.15
Tiberii Cæſaris laus, & quãdiu regnarit 302.41
Titus Veſpaſiani filius quot annis regnarit, & eius laus ſumma 303.22
Tycina Longobardorum vrbs, quando à Carolo Francorum rege occupata 403.59
Tyrus & Sidon vrbes à Siuuardo Noricorum rege expugnantur 163.54
Tol quid 605.55
Toloſa à rege Henrico ſecundo fruſtra obſeſſa 491.56
Tonitrua & fulgura multa, apud Meſſanam audita & viſa 679.53
Tonitrua in Anglia hyberno tempore ingentia facta 178.36
Torneamenta non facienda 584.40
Tortoſa Ciuitas à Tancredo poſſeſſa 152.57
Toſtius Comes Anglia expulſus Flandriam petit 446.58
Toſtus, Haraldum fratrem ſuum capillis coram rege arripit 367.6
Toſtinus Goduuini filius, Northanimbros in rebellionem excitat 81.59. Remotus à comitatu, in Flandriam abit 83.20
Toſtinus Apoſtolicum grauibus contumeliis aggreditur 271.15
Toſtinus piraticis excurſionibus regionem infeſtat 94.5 terram tranſhũbranam cum Haruagæ rege populatur ibidem9. in pugna interficitur 23
Traianus quot annis regnarit 303.38. eius laus ex Suetonio ibid.43
Tremerinus Adhelſtani Epiſcopi vicarius moritur 444.8
Trenta fluuius ſpatio vnius miliaris exſiccatus 472.46
Trenta flumen à Gloceſtriæ comite & omnibus ſuis tranando ſuperatur 187.34
Treugæ inter regem Angliæ & Regem Franciæ 537.30.540.37
Treugæ quomodo ſeruandæ 584.50
Treugæ inter omnes principes Chriſtianitatis ad ſeptennium firmantur 636.30
Treugæ inter reges Franciæ & Angliæ ad annum factæ 740.59. impediuntur 741.12
Treuga à rege Franciæ regi Angliæ renunciatur 757.54
Treugæ inter reges Franciæ & Angliæ ad quinquennium 780.18. forma pacis inter eos conſtitutæ ib.35
Treugæ inter regem Franciæ & regem Angliæ 634.55
Treugæ inter Philippum Franciæ & Richardum Angliæ reges 771.57
Tributi exactores in Anglia interficiũtur 77.1
Tributum 56000 librarum Danis ſolutum 430.29
Tributum 30000. librarum claſſi ſoluitur 433.40
Tributum trecentorum Luporum regi Angliæ quotannis ſoluitur 59.20
Trieris nauis precioſiſſima regi Hardecnuto donata 439.4
Trinouantum firmiſſima ciuitas à Iulio Cæſare expugnatur 302.3
Tripolis vrbs magna ſtrage expugnata 377.15
Tripolis à Tancredo expugnata 153.11
Tuf vexillum, ante regem Edvuinum vbique geſtum 316.39
Turbexhel oppidum Ciliciæ, natura inuictum 144.50
Turbinis vis ingens Lundoniæ, multas ædes proſternit 462.54
Turcæ cum Solimanno duce ſuo fugæ indulgent 375.17
Turci Saracenos Ieroſolymis eiiciunt, & ciuitatem obtinent 141.31
Turci ſolo candidi vexilli viſu propulſantur 145.19
Turcarum exercitus ingens 374.45
Turci diuino correpti timore abiectis arcubus fugiunt nullo eos inſectante 138.12
Turci igne cœlitus delapſo perduntur 376.33
Turcarũ in Nicea vrbe immanitas 137.47. Bithyniam deſerunt ibid.54
Turgarus monachus 115. annorum, moritur 891.27
Turketulus Cancellarius Regius in Croylandiæ monaſterio pernoctem manet 876.12
Turketulus febri corripitur 891.30. moritur 892.8
Turketulus quas conſtitutiones monaſterio Croylandiæ dederit 888.42
Turketuli abbatis Croylandiæ vita & res geſtæ 880.45
Turketulus Cancellarius ſex maneria ſuo monaſterio Croylandiæ donat 877.26. fit monachus ibid.45
Turkillus Anglia expellitur 437.18
Turkillus Comes Danicus quo anno in Angliam venerit 430.46
Turkillus & Iricius Anglia eiiciuntur 43.39
Turonenſis ex corpore S. Martini pecuniam colligunt 44.5
Turonis ciuitas in Gallia a quo extructa 300.14
Turris Dauidicæ ſtructura 141.46
Turſakius Angelus promiſſionem accipit de imperio Conſtantinopolitano obtinendo 596.31. Cancellarium Imperatoris trucidat, 597.7. declaratur Imperator ibid.16. Andronicum Imperatorem interficit ibid.30
Turſtinus Abbas monachos armata manu inuadit 459.20
Turſtinus Abbas Glaſtonienſis in exilium cur pulſus 254.57
Tuſculanum a Romanis deſtruitur 690.15

V

Valentinianus cum fratre ſuo Valente quamdiu imperium obtinuerint 306.49
Valerianus cum filio, quot annis imperator 305.13
Valens quandiu imperator fuerit 306.53
Vallum inter Brittanniam & Merciam cuius conſilio factum 407.20
Vaticinium Dunſtani de miſeriis Angliæ, ob regem à Nouerca interfectũ 62.16.& 41
Vctredus per proditionem captus, abſciſſis teſticulis & euulſis oculis interficitur 541.47
Vethred Dux Northumbre Dacis ſubiicitur 361.57.362.40
Veſhredus Northimbriæ Comes à quo interfectus 424.5.434.23
Vecta inſula regi Auſtralium Saxonum data 27.47
Vecta inſula quot familias habeat 334.44. quomodo conuerſa ib.47
Vecta inſula ad fidem conuerſa 318.56
Vecta inſula per quem Romano imperio ſubiecta 303.59
Vendomia à rege Henrico per vim capta 537.26
Venefica mulier poſt mortem à Diabolo ex monaſterii templo ablata 85.56
Venti fructibus nocent 470.22
Ventus ingens, vrbes, domos, & villas perdit 405.59
Ventorum diſcordia & vis magna in Anglia 225.16
Ventus in nocte S. Thomæ ingens 443.9
Ventus de cauernis in monte Angliæ Pec, egreditur 299.39
Verſiculi a Laico qui nunquam literas didicit, pronunciantur 625.52
Veſpaſianus qui Ieruſalem deſtruxit, quot annis regnarit 303.10. eius laus authentica ibid.14
Veſpaſianus trigeſies bis cum hoſte cõflixit 302.58
Veſtis ſplendida an ſemper corruptæ mentis indicium 90.28

Veſtitus elegantior in monachis & ſanctimonialibus reprehenditur 29.20
Vexillum Papæ à Willielmo miſſum 101.9
Victoria cruenta deploratur 63.46
Victoria a Danis apud Penchedelmuthe reportata 413.11
Victoria a Turcis Anno 1098. reportata 140.5
Victoria Celebris quatuor tantū Chriſtianorū militum profuſo ſanguine parta 146.39
Victoria Regis Richardi quam de paganis conſecutus eſt 698.25
Victoria Chriſtianorum contra paganos mirabilis 566.26
Villa de Sancto Claro comburitur 645.22
Villa pergrādis de loco in locum alium mota 474.16
Villa de Beuerlaco tota fere exuſta 649 24
Vincentii Martyris corpus vbi requieſcat 669.22
Vindelici populi, quale olim idolū coluerint 77.55
Virgilius Abbas de Scotia moritur 421 28
Virgo demortua, impetum in Regem facit 251.38
Vis ſepulchro ſancti cuiuſdam illata, quomodo vindicata 293.23
Viſio abbati Ingulpho monſtrata 909.8
Vitaliani papæ ad Theodorum Epiſcopum literæ 209.13
Viuianus presbyter Cardinalis in Scotiam a papa miſſus 553.24
Vlfketellus dux Eſtanglorum ſtrenuus 429.55
Vlixiſbona & aliæ vrbes expugnantur 394.53
Vlna mercatorum falſa quomodo à Rege Angliæ caſtigata 162.16
Vnnuſt Rex pictorum quando contra regem Eadbertum pugnarit 402.43
Volucrum in Anglia pugna ingens 318 16
Votum regis Willielmi iunioris 463.29
Vota quæ Stephanus duo & Eccleſiæ vouerit 387.7. franguntur ibid. 10
Vota quæ Stephanus rex Eccleſiæ fecerit 482.3
Vortigernus Britanniæ rex, omnium vitiorum mancipium 8. 30. ex filia propria per ſtuprum filium ſuſcipit ibid. 33
Vortigernus rex propriam filiam ducit, & excommunicatur 310.16. quomodo perierit ib.38
Vrbanus papa motionis Ieroſolymitanæ autor 373.1
Vrbanus ſecundus, Papa, quando & quā ob cauſſam in Gallias venerit 130.25
Vrbano papæ apud Lucas Commoranti Guibertus cedere cogitur 134.6
Vrbanus papam moritur 636.22
Vrbani papæ ad Willielmum Scotiæ regem de controuerſia inter Epiſcopos S. Andreæ epiſtola 632.18. Eiuſdem ad Iocelinum Glaſcuenſem Epiſcopum epiſtola 633.1
Vrbani tertii papæ epiſtola 630. 30. Henrico Regi coronam de penna pauonis mittit 631.12
Vrbanus papa pecuniam veritati & religioni præfert 224.10
Vrbanus papæ per vniuerſam Angliam recipitur & declaratur 220.27
Vrbanus papa quomodo Anſhelmum Archiepiſcopum Cantuarienſem exceperit 222.42
Vrbanus papæ, beneficio mulieris ſedem Apoſtolicam adeptus 115.35
Vrbanus papa antea Odo dictus 109.10
Vrbes multæ & monaſteria, vno anno repentino igne vaſtatæ 403.17
Vrſus vice Comes Wigorniæ Caſtellū conſtruens, quid reſponſi ab Epiſcopo acceperit 271.43
Vſurarii in regno non tolerandi, decretum regis 609.56
Vſurarius manifeſtus ad Communionem Altaris non admittendus 587.40
Vulfhere & Cenuulh imperium 839.22
Vulſtanus Epiſcopus, in vincula coniectus 269.54
Vulgi de Henrico Magno Rege iudicia varia 386.12
Vulgi de Henrico rege iudicia 483.3
Vxores clericis ſub banno interdictæ. 455.25
Vxores ſacerdotibus Anglorum prohibentur 378.53

W

WAia amnis Brittannis Aquilonaribus limes datus 50.52
Walani abiecto rege ſuo Griffino ſeſe Haroldo dedunt 446.19
Waldeni comitis decollatio, Croylandiæ luctuoſa 906.45
Walerici corpus mortuum pro vento deprecando effertur 100.20
Wallenſes qua arte repreſſi 122.10
Wallenſes Griffinum regem ſuum abiiciunt 903.45
Wallenſes cur à rege Willielmo oppugnati 373.54
Wallenſes reges multi ſubiugantur 56.6
Wallenſes, Regi Willielmo tributarii 105.55
Wallenſes Henrico regi rebellantes, quomodo repreſſi 158.45
Walkerii martyrium à Regina prædictum 277.29
Walkerii, Dunelmenſis Epiſcopi cædes & eius cauſſa 110. 31. prædicta eſt eius cædes ab Edgitha &c. ibid.47
Walkerus dux ſimul & epiſcopus factus 277.9. qua occaſione interemptus ibid. 12
Walrannus Comes Tripolis factus eſt rege Saladino facit 632.30. mortuus in lecto reperitur 636.20
Walcherus Dunelmenſis Epiſcopus vbi & à quibus occiſus 457
Walrannus treugos Richardi Regis cū Saladino factas frangit 772.18
Walterus Tirel, regem Willielmum ſecundum in venatione interficit 126.30
Walterus Albanenſis Epiſcopus in Angliam mittitur 220.20
Walterus ſeruus quidam mandatū cœlitus accipit, regi Henrico perferendum 618.15
Walterus nobilis quidam miles, à Philippo Comite Flandriæ fœtida morte extinguitur 646.30
Walthero Rothomagenſi Archiepiſcopo fit confirmatio de omnibus quæ ei duce fuerant à Richardo rege Angliæ 805.28
Walterus Herefordenſis Epiſcopus à Nicolao papa ſacrat', turpi exitu decedit 286.6
Waltheofus coniurationem Regi Willielmo exponit 456.48. cuſtodiæ mancipatus 457.6. ſecuri decapitatur ibidem 14. pœnitentiam in hac vita egit laudabilem 457.18
Walw cui ſepulchrum in ventum 115 15
Wapentagium quid & quomodo accipiatur 607.20. quomodo à Trihinga & Hundredo differat ibid. 35
Waterfordia & Weiſefordia ciuitates Roberto commiſſæ 529.1
Weda Pendæ filius patri in regno ſuccedit 17.33
Weldeofi Comitis fortitudo 104.15 quo ſupplicio affectus ib.22
Wenloch monaſteriū antiquiſſimum, monachis Cluniacenſibus impletur 287.50
Werha locus vbi Edwardus ſepultus, miraculis clarus 61.36
Wereburga virgo, fœminarum preces libertas & prompti exaudit 289.16
Wereburgæ virginis miraculum 288.57
Weſt-Saxonum Reges, vbi regnarint 35.17
Weſt-Saxonum apud Willas vicum. Epiſcopi 253.52
Vveſt-Saxonum reges qui primo & per quem ad fidem Chriſti conuerſi 12.59
Vveſt-Saxonum regnum in Britannia magnificum & diuturnum, à quo initium habuerit 12.10
Vveſt-Saxones reginam, iuxta regem ſedere, & reginæ appellatione inſigniri non patiuntur, & quare 40.45
Vveſt-Saxonum regnum quando inceperit 317.18
Vveſt-Saxonum epiſcopi vbi ſuorum ſuam habuerint 240.48
Vveſt-Sexa, quæ Britanniæ pars vocata 12.21
Vveſt-Sexe ſubiicitur Cnut regi Daconem 362.36
Vveſt-reges à Ceduualla vſque ad Egbrichtum quot quot annis regnarint 345.56
Vvicth inſula ad fidem conuertitur 318 5
Vvido Cremenſis Antipapa moritur 512.51
Vvidomarus Vicecomes de Limoges regi Richardo partem theſauri refert tranſmittit 790.58
Vvigorna ciuitas igne perdita 473.2
Vvigornenſis Epiſcopi quot 279.7
Vvigornenſis Diœceſis quot pagos habuerit 283.4
Vvigornienſis regem Hardecnutum ad iram concitant 439.25
Vvilaſus, regnum Marciorum accipit ab Egbricto 411.56
Vvilfſinus Epiſcopus quam pie mortuus 248.36. quos habuerit ſucceſſores ibidem 40
Vvillhelmus Rex Scotorum morbo corripitur 757.7
Vvilhelmo Comiti, qui principes ſe oppoſuerint, & quomodo puniti 904.52
Vvillelmus Rex Scotorum à Rege Angliæ Iohanne patrimonium ſuum repetit

repetit 793.10
Wilhelmus Rex Scottorum diuino oraculo in ſomnis monetur ne exercitum in Angliam traducat 797.6
Willielmus quomodo miles legitimus factus 705.15
Willielmus Rex Scottorum Iohanni Regi Angliæ fidelitatem iurat 811.40. Cum exercitu intrat in Moreuam 767.8
Willielmus Rex quot filios habuerit, & eorum fortuna 121.15. eius filiæ 37
Willielmus primus Angliæ rex iratus filium Robertum benedictione vltima & hereditate Anglica priuat 153.27
Willielmus ſecundus, rex Angliæ quomodo & à quo interfectus 126.31. quando mortuus ibid.42
Willelmi Monachi Malmeſburienſis in pertexenda Anglicarum rerum hiſtoria conſilium 720
Willielmus Londoniā ingreditur 450.9. præſtito iuramento, in regem cōſecratur ibid.14. Expeditionem in Scotiam ſuſcipit 454.34. In coniuratos animi aduertit 457.6.11
Willielmus Angliæ rex Archiepiſcopatum ſuæ ditioni ſubſternit 222.49
Willielmus, de Corci iuſticiarius Normanniæ moritur 554.2
Willielmus ſecūdus rex illiteratus, qua iurandi formula vti ſolitus 124.47. Corporis eius conſtitutio qualis ibi. 58
Willielmus Warlevuaſt quomodo cauſam regis Romæ egerit 226.21
Willielmus iunior à fratre prouocatur 373.29
Willielmus Comes de Montuoia exhæredatur 470.28
Willielmus ſecundus, Willielmi filius, vbi natus 119.50. patri ſuccedit 120.5
Willielmus ſecundus, quomodo Normannorum perfidiæ obuiam ierit 120.41
Willielmus Malmeſburienſis monachus Anglorum hiſtoriam poſt Bedam primus conſcripſit 173.48
Willielmi Comitis Pictauorum deliratio & vanitas magna 170.29. Excōmunicatus à Girardo, quid reſponderit ibid.40. Pictauorum Epiſcopum ſtricto gladio inuadit 170.44. Eundem in exilium mittit ibid.51. Eius lepores ibid.40.50.& 54
Willielmus Comes de Archis domino ſuo bellum denunciat 96.44. fame tabidus & vix oſſibus hærens, deditionem facit ibid.55
Willielmus ad Angliæ regnum aſpirās pontificem Romanum, eius nomine ſalutat 100.5. vexillum à papa accipit ibid.9
Willielmus Normanniæ Comes ſucceſſor Angliæ regi datus 93.21
Willielmus Normanniæ Dux, interfecto rege Haraldo victoriam obtinet 369.4
Willielmus Comes Normanniæ cum Haroldi rege bellum cōmittit, eumque ſuperat 448.56. cauſa cur Angliam bello petierit ibid.59
Willielmus, Rollonis filius in Francia quando & qua de cauſa occiſus 54.40
Willielmi ad inuadendum Angliæ Regum præparatio 100.10
Willielmus Scotiæ rex excommunicatur 599.44
Vvillielmus iunior quomodo & quando mortuus 778.8
Vvillielmus rex Scotiæ cur excommunicatus 615.2. Romam pro liberatiōe mittit ib.25. Abſoluitur 616.27
Vvillielmi Siciliæ regis ad Henricum regem Angliæ epiſtola 534.23
Vvillielmus de Vualteruile Abbas, à quo & quare depoſitus 547.55
Vvillielmi Normannorum Ducis, ad milites ſuos exhortatio 368.13
Vvillielmi regis Scottorum crudelitas in Northumbria 537.39
Vvillielmi regis Siciliæ charta quam Iohanne filiæ Henrici regis Angliæ de dote fecit 551.30
Vvillielmus Scottorum Rex cum ſuis capitur 539.20
Vvillielmi Senonenſis Archiepiſcopi ad Alexandrum papam de morte beati Thomæ epiſtola 523.28.& 524.46
Vvillielmus rex Siciliæ moritur 663.52
Vvillielmus de Barres in odium Regis Richardi incurrit 687.15
Vvillielmi regis pietas & religionis ſtudium 109.14. eius caſtitas 110.57. Amor coniugalis 111.10
Vvillielmus Rex, in mortem omnium Northimbrenſium iurat 451.21
Vvillielmus de Alderia regis compater, per omnes Eccleſias flagellatur 124.21. innocens ſuſpenditur ibid.29
Vvillielmus iunior rex, prouincias intolerabiliter vexat 377.43.50
Vvillielmi ſecundi regis Angliæ mores pro ætate diuerſa varit 122.30
Vvillielmus Scottorum rex multa caſtella capit in Northumbria 538.30
Vvillielmi Comitis Flandrenſis fortitudo 384.1 verſus de eo ibid.7
Vvillielmus de Hou excæcatur & extemiculatur 124.19
Vvillielmus ab Aldredo coronatur 102.51, in tota ſua vita fortunatus exiſtit 106.6
Vvillielmi Elienſis Epiſcopi, in abſentia regis Richardi, exactiones & faſtus ingens 680.11
Vvillielmus rex Roberto filio ſuo maledicit 369.59. Reditus vrbium caſtellorum, villarum, ſyluarum & fluminum per vniuerſam Angliam conſignari facit 370.18. Moritur ibid.52. eius laus ibid.57. eius ſæuitia & tyrannis 371.1
Vvillielmus rex Scotiæ, Richardo Angliæ Regi homagium facit 662.21
Vvillielmi Regis ſtatura, & delineatio 112.12. feſta præcipua vbi celebrarit ibid.19
Vvillielmus quomodo victoriā contra Haroldum conſecutus ſit 101.19
Vvillielmi Elienſis Epiſcopi literę 707.3 47
Vvillielmus Dunelmenſis Epiſcopus, Regi à ſecretis, fit perfidus 120.22
Vvillielmi ſecūdi Angliæ regis magnanimitatis exemplum 121.36
Vvillielmus Henrici primi filius impubis vxorem accipit 165.17. eius natum omnis prouinciæ ſpectant ibid.21. moritur mari ſubmerſus ibid.52
Vvillielmus Epiſcopus ab Anglia fugatus recipitur 277.38. Dunelmi in capitulo ſepelitur ibid.48. iunior in venatione ſagitto interfectus 467.55
Vvillielmus Anglos Anglis ſuperat 104.35.
Vvillielmus de Kahamnes, Regem Stephanum in pugna capit 487.39
Vvillielmo de Hou, oculi eruūtur 466.21
Vvillielmus iunior iniurias ſibi à fratre illatas reſciſcitur 372.58
Vvillielmus rex fratri Roberto 6666. libras, numerat 466.47
Vvillielmus Comes Moretolii, Henrici regis gloriæ inuidus 157.18. capitur à rege 158.5
Vvillielmi conſulis Flandrenſis interitus 479.32
Vvillielmus Mundantium ciuitatem igne delens, morbo corripitur 112.45. Moriturus quomodo domum ſuam conſtituerit ib.55. vbi ſepultus, & quid circa ſepulturam eius acciderit 113.6
Vvillielmus Henrici filius in mari ſubmerſus 476.43
Vvillielmus rex an laudandus an vero culpandus 94.50. quibus parentibus natus 95.15
Vvillielmus iunior conſecratur in regem 461.6
Vvilhelmus Drandri, Dapifer regis ſuſpenditur 466.22
Vvillielmus Martel Dapifer regius capitur 488.14
Vvilfridus Caſtitatem à matre ſua ſeruauit 260.32. puerum mortuum excitat 261.36
Vvilfridus Eboraco iniuſte à Theodoro Archiepiſcopo Cantuarienſi eiectus 196.232
Vvilfridus Archiepiſcopus ſeptuagenarius Romam proficiſcitur 266.25
Vvilfridus Archiepiſcopus quo ætatis anno mortuus 268.48. eius poſt mortem miracula ibidem 52. Varia epiſcopatus mutatio, eo adhuc viuente 269.4
Vvilfridus Epiſcopus ligari non poteſt 264.34
Vvilfridus Epiſcopus, homines piſcari docet 334.29
Vvilfridi Epiſcopi abſtinentia & temperantia laudabilis 261.59
Vvilfridus epiſcopus a quo & vbi conſecratus 333.36
Vvilfridus Romam veniens omnium expectationi ſatiſfacit 263.3
Vvilfredus quamdiu in Cantuar. Archiepiſcopus fuerit 199.56
Vvilfridus in carcerem coniectus face cælitus accenſa illuſtratur 264.22
Vvilfridus natali ſolo pulſus in Vveſt-Saxoniam venit 264.57
Vviltuna vicus ſupra Vvile fluuium poſitus 252.3
Vviltunenſis Epiſcopi 249.10
Vvinceſtria à Danis deſtructa 413.57
Vvinceſtre vrbs antiqua deſtruitur 348.45
Vvita fluuius celebris vbi 21.39
Vvine à quo epiſcopus Londonienſis factus 235.44
Vvinfridus pro Vvilfrido ſpoliatur 262.37
Vvinfridus Merciorum Epiſcopus deponitur 333.56
Vvippedesflede à quo nomen habeat 313.46
Vvireceſtre vrbs comburitur 372.55
Vvireceſtre vrbs à rege Stephano comburitur 395.17
Vvirlameceſter locus vbi martyrium S. Albanus paſſus eſt 305.58

Wiſcardi vxor maritum veneno interficit,& eius ſupplicium 710.46
Wiſtanus puer à Berſesto interfectus laudatur 88.30
Withburgæ corpus humatum incorruptum eſt 293.51
Withred Rex Cretenſis, quot annis regnarit 337.15
Withredus Angliæ Rex Chriſtianiſſimus,quot annis regnarit 11.39
Withgarus in Vecta inſula principatum obtinét,& ſepulturam accipit 12.23
Witlaſi Regis Gharta de priuilegiis monaſterii Croylandiæ 857.36
Withlaſius principatum Weſtſaxonum ampliat 37.13
Witvuine Epiſcopus Witterne, quo anno Epiſcopatus mortuus ſit 343.2
Woden, ab Anglis in Deorum numero habitus 9.2. Ei diē ſeptimanæ quartum Angli conſecrarunt ib.4
Wolſtani pueri elogíi inſigne 284.50
Wodeſtorze locus vbi feræ fouentur 161.35
Wodinus quot habuerit filios 17.4
Wlfelmus quandiu in Cantuaria Archiepiſcopus fuerit 200.8
Wlnodus, Godwini filius, in vinculis conſeneſcit 82.51
Wlpherus Pendæ filius, Mercerios ad fidem Chriſti perducit 27.43
Wlſtanus epiſcopus quo anno mortuus 465.17.21. Annulum in digito retinuit ib.33. Apparet Herefordenſi epiſcopo ib.42
Wlſtanus quendam Diabolo traditum & obſeſſum liberat 281.10
Wlſtani Wigornienſis Eccleſiæ Epiſcopi vita 445.14
Wlſtanus Archiepiſcopus promittit pro ſuis poſt mortem oraturum 282.16
Wulſtani Wigornienſis Epiſcopi in Deo confidentia 118.64
Wlſtanus Roberto dormienti apparet 286.34
Wlſtanus Epiſcopus Wigornenſis ſanctitate nominatiſſimus 279.29. Carne in perpetuum abſtinet ib.41. cum Diabolo luctatur. 279.47. ignorat quid ſit timor ibid.54. examinatus & approbatus à Cardinalibus, in Archiepiſcopum promouetur 280.2. quam doctus fuerit 280.9. benedictionem ſuper potum nũquam omiſit ib. 29. Orationib. admiraculum deditus eſt ib.35. Cur agninis pellibus frequenter vſus ſit ib.46. moriturus quo modo ſuos conſolatus ſit. 281.16
Wulkerulus Eſtangliæ comes cum omnib. ſuis à paganis trucidatus 872.18
Wulkerulus fit abbas Croylandiæ 902.8 deponitur 907.29

FINIS.



Digitized by Google